




GAUDEO







Rare in England or U. States of America –

Translation –

"Philip Briet, of Abbeville, Picardy, France, lived in the XVII th Century, and was an Author of high, established reputation – He published Geographical Parallels, ancient & modern, for Europe, which he afterwards enlarged, so as to include Asia, Africa & America –

He also wrote a chronological work, originally in six moderate volumes, which has been esteemed correct & methodical. — He died 1669 – ae. 70."

Allowance must be made for the religious prejudices of the Catholic Author —

This work here styled, Annals of the World* in 1 V. folio, is improved and enlarged by a Table of the succession of illustrious Families and Kingdoms, and a Supplement of Chronological History from 1663, where the Author left it, to 1692 –

The Index, (at the close) of memorable Persons and Events, is of great value to the Lover of Historical Research

* Morris's Great Dictionary (French) Edition of Le Clerc, Author of learned Commentaries on the Scriptures, Ars Critica &c

Priestley's Lectures on History, 2 vols. 8vo, reprinted in U. States, should be owned & read, in connexion with general history —

B A Professor of History, learned, pious & discreet like Cellarius, &c might be of immense advantage to any collegiate Institution. –

The present work extends near 1600 years beyond Usher –

For my young friends, the two Mr Browns, from their friend & well-wisher, J. Homer – Dec. 21. 1825.

By the aid of the Index at the close, of Persons, Objects & Places, the work becomes a consulting – Dictionary, & presents to view contemporary events and characters –

B This work, and the celebrated Annals of Archbishop Usher,* still sought & prized in England & very rare in America, are calculated to lay a good foundation, for historical & chronological knowledge. (J. H.)

* with Bishop Richardson's addition to the close,

# ANNALES
# MUNDI.


AÑALES MUNDI
sive
CHRONICON UNI
VERSALE
ab orbe Condito ad
annum Christi
M.DC.XCII. perduct
Auctore
R.P. Philippo Brieti
Soc. IESU.
Heckenauer Sc.

# ANNALES MUNDI, SIVE CHRONICON UNIVERSALE

Secundum Optimas

CHRONOLOGORUM EPOCHAS

*AB ORBE CONDITO*

AD

ANNUM CHRISTI,

MILLESIMUM SEXCENTESIMUM SEXAGESIMUM PERDUCTUM.

*Opera, & Studio*

PHILIPPI BRIETII,

*Abbavillai Societatis JESU Sacerdotis.*

In hac vero ultima Editione additum fuit supplementum usque ad Annum 1692. à Societatis JESU, Sacerdote.

POST EDITIONEM PARISIENSEM ET VENETAM PRIMA IN GERMANIA, A PLURIMIS MENDIS PURGATA.



*Cum Gratiâ & Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis,*

*Et facultate Superiorum.*

AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ,

Sumptibus JOANNIS CASPARI BENCARD, Bibliopolæ.

ANNO M. DC. XCVI.

## *Lectori benevolo.*

ÆQui bonique consules (amice Lector) ut quoniam hic pagellæ aliquot vacuæ debent esse, Synopses aliquas exhibeam Regnorum & Familiarum illustrium ante Christum natum, quas uno aspectu videre nonnunquam eruditi volunt. Hîc autem nomina nuda proponam, tiam à suis temporibus distracta, ut hæc vel ab ipsis puerulis ediscantur, quorum memoriæ committi ni-il utilius potest. Hæc enim cum inter ludendum arripuerint, magna eis usui futura sunt, quando gran-ores facti Historiis, & Chronologicis rebus animum admovebunt. Quæ si tibi non placent, omitte si bet, & ea relinque aliis, qui hasce paginas nominibus istis, & successionibus carere noluerunt. Vale.

# ILLUSTRIUM FAMILIARUM, ET REGNORUM SUCCESSIONES.

*Ab Orbe condito ad Christum.*

## PATRIARCHÆ.

| ANTE ILUVIUM. | POST DILUVIUM. *Ante Abrahamum.* | *Post Abrahamum.* |
|---|---|---|
| dam. | Sem. | Abraham. |
| th. | Arphaxad. | Isaac. |
| os. | Cainan, Junior. | Jacob. |
| inan. | Sala. | Judas, & Fratres. |
| alaleel. | Heber. | Pharez, & Zara. |
| red. | Phaleg. | Esrom. |
| enoch. | Reu. | Aram. |
| athusalem. | Sarug. | Aminadab. |
| oë, cui liberi tres Sem, Cham, & Japheth. | Nachor. | Naasson. |
| | Thare, Pater Abrahami. | Salmon. |
| | | Booz. |
| | | Obed. |
| | | Jesse, seu Isai, ex quo David. |

## HEBRÆORUM REGES.

Saul. David. Salomon. toti populo imperarunt.

| JUDA. | | ISRAELIS. | |
|---|---|---|---|
| 1. Roboam. | 12. Achaz. | 1. Jeroboam. | 11. Joachas. |
| 2. Abiam. | 13. Ezechias. | 2. Nadab. | 12. Joas. |
| 3. Aza. | 14. Manasses. | 3. Baaza. | 13. Jeroboam II. |
| 4. Josaphat. | 15. Ammon, vel Amon. | 4. Ela. | 14. Zacharias. |
| 5. Joram. | 16. Josias. | 5. Zamri. | 15. Sellum. |
| 6. Ochosias. | 17. Joachaz. | 6. Amri. | 16. Manahen. |
| 7. Athalia. | 18. Joacim. | 7. Achab. | 17. Phaceia. |
| 8. Joas. | 19. Jechonias. | 8. Ochosias. | 18. Phacee. |
| 9. Amasias. | 20. Sedecias, sub quo hoc regnũ concidit. | 9. Joram. | 19. Osee, sub quo abductæ decem tribus. |
| 10. Azarias. seu Ozias. | | 10. Jehu. | |
| 11. Jonathan. | | | |

## PONTIFICES JUDÆI.

| | | MACCHABÆI. |
|---|---|---|
| Aaron. | 38. Jaddus. | 50. Judas Macchab. |
| Eleazar. | 39. Onias I. | 51. Jonathas. |
| Phinees, &c. | 40. Simon, Justus. | 52. Simon. |
| Heli, ex Ithamar. | 41. Eleazarus. | 53. Joan. Hyrcanus. |
| Achitob. | 42. Manasses. | 54. Aristobulus. |
| Achimelech. | 43. Onias II. | 55. Hyrcanus II. |
| Abiathar. | 44. Simon II. | 56. Aristobulus II. |
| Sadoc ex Eleazar. | 45. Onias III. | Hyrcanus iterum. |
| Achimas. &c. | 46. Jason. | 57. Antigonus. |
| . Jojadas. | 47. Menelaus. | Ananelus. |
| Pedajas, &c. | 48. Lysimachus. | 58. Aristobolus III. |
| Josedech. | Menelaus iterum. | Ananelus iterum. |
| Josue seu Jesu &c. | 49. Alcimus. | |

*Reliqui sunt inutiles.*

## REGES.

| MEDI. | BABYLONII. | PERSÆ. |
|---|---|---|
| 1. Arbaces. | 1. Merodach, seu Mardokempadus. | 1. Cyrus. |
| 2. Mandauces. | 2. Nabopolassar, seu Nabolassar. | 2. Cambyses. |
| 3. Sosarmus. | 3. Nabuchodonosor Pater Mag. Nab. | 3. Smerdes Magn. |
| 4. Articas. | 4. Nabuchodonosor Magnus. | 4. Darius Histaspis. |
| 5. Arbianes., qui & Cardiccas forte Arphaxad. | 5. Evilmerodach. | 5. Xerxes. |
| 6. Arsaces, qui & Dioces. | 6. Baltazar. | 6. Artaxerxes. Longimanus. |
| 7. Artynes, qui & Phraortes. | 7. Nabonidus, qui putatur esse, Darius Medus. | 7. Xerxes II. |
| 8. Astybaras, qui & Cyaxares. | | 8. Sogdianus. |
| 9. Apandas, qui & Astyages. | | 9. Darius Nothus. |
| | | 10. Artaxerx. Mnemon. |
| | | 11. Artaxer. Ochus. |
| | | 12. Arses. |
| | | 13. Darius Codomanus, victus ab Alexandro. |

## JUDICES Hebræi.

Moyses.
Josue.
Seniores.
I. Serv. Mesopotamena.
Othoniel.
II. Serv. Moabitica.
Aod.
III. Serv. Chananæa.
Debora.
IV. Serv. Madianitica.
Gedeon.
Abimelech.
Thola.
. Jair.
V. Serv. Ammonitica.
. Jephthe.
. Abesan.
. Ahialon.
. Abdon.
VI. Serv. Philistina.
. Samson.
. Heli.
. Samuel.

## ASSYRII Imperatores.

1. Belus, seu Nembrod.
2. Ninus.
3. Semiramis.
4. Ninias.
& alii 32. solo nomine celebres.
37. Sardanapalus, qui & Thonnos Connoleros dictus.
Quo incenso, utcumque imperarunt.
Phul.
Teglath.
Salmanazar.
Sennacherib.
Assaradon.
Quorum una scriptura meminit.

## REGES.

| SICYONII. | ARGIVI. INACHIDÆ. | DANAIDÆ. |
|---|---|---|
| 1. Ægialus. | 1. Inachus. | 1. Danaus. |
| 2. Europs. | 2. Phoroneus. | 2. Lynceus. |
| 3. Telchin. | 3. Apis. | 3. Abas. |
| 4. Apis. Et alii 22. | 4. Argus. | 4. Prœtus. |
| 26. Zeuxippus. | 5. Criasus. | 5. Acuisius. Perseus eo cæso transtulit Regnum Mycenas. |
| 27. Sacerdotes quibus ab Agamemnone potestas omnis erepta est. | 6. Phorbas. | |
| | 7. Triopas. | |
| | 8. Crotopus. | |
| | 9. Sthenelus, cujus filius Gelanor expulsus à Danao. | |

## REGES CORINTHII.

| SISYPHIDÆ. | HERACLIDÆ. | BACCHIADÆ. |
|---|---|---|
| 1. Sisyphus. | | 1. Bacchis. |
| 2. Ornithion. | 1. Aletes. | 2. Agelastus. |
| 3. Thoas. | | 3. Eudemus. |
| 4. Damophon. | 2. Ixion. | 4. Aristodemus. |
| 5. Propodas. | | 5. Agemon. |

6. Doridas,

9. Doridas, & Hyantidas, sub quibus Heraclidæ in Peloponesum irruerunt.

3. Agelaus.
4. Prymnus.

6. Alexander.
7. Telestes.
8. Automenes.

## REGES & Ἄρχοντες.

### MYCENÆI.

1. Perseus.
2. Electryo & Taphius.
3. Sthenelus.
4. Eurystheus.
5. Atreus & Thyestes.
6. Agamemnon.
7. Ægystus.
8. Orestes.
9. Tisamenus Penthilus, & Comætes filii Orestis.

### ATHENIENSES.

1. Cecrops.
2. Cranaus.
3. Amphictyon.
4. Erichthonius.
5. Pandion I.
6. Erechteus.
7. Cecrops II.
8. Pandion II.
9. Ægeus.
10. Theseus.
11. Menestheus.
12. Demophoon.
13. Oxyntes.
14. Aphidas.
15. Thymœtes.
16. Melanthus.
17. Codrus, qui se devovit.

Codro mortuo, Suffecti sunt ARCHONTES PERPETUI XIII. Quorum primus Medon filius Codri ultimus Alcmæon, inde ARCHONTES DECENNALES VII, Quorum primus Charops ultimus Eryxias, postea ARCHONTES ANNUI creati.

## REGES LACEDÆMONIORUM.

### PRIMA DYNASTIA.

1. Lelex.
2. Myles.
3. Eurotas.
4. Lacedæmon, cujus uxor Sparta.
5. Amyclas.
6. Argalus.
7. Cynortas.
8. Oebalus.
9. Tyndareus.
10. Castor & Pollux.
11. Menelaus.
12. Orestes.
13. Tisamenus, sub quo Heraclidæ in Peloponnesum irruperunt.

### ALTERA DYNASTIA.

#### FAMILIA Euristhenidarum, seu Agidarum.

1. Eurysthenes.
2. Agis.
3. Echestratus.
4. Labotas.
5. Dorissus.
6. Agesilaus.
7. Archelaus.
8. Teleclus.
9. Alcamenes.
10. Polydorus.
11. Eurycrates.
12. Anaxander.
13. Eurycrates.
14. Leon.
15. Anaxandrides.
16. Cleomenes Furiosus.
17. Leonidas, qui ad Thermopylas.
18. Plistarchus.
19. Plistoanax.
20. Pausanias.
21. Agesipolis.
22. Cleombrotus.
23. Agesipolis.
24. Cleomenes.
25. Areus.
26. Acrotatus.
27. Areus.
28. Leonidas.
29. Cleombrotus.
30. Cleomenes.
31. Agesipolis.

#### FAMILIA Proclidarum, sive Eurypontidarum.

1. Procles.
2. Sous adoptatus.
3. Eurypon.
4. Prytanis.
5. Eunomus.
6. Polydectus.
7. Charillus.
8. Nicander.
9. Theopompus.
10. Zeuxidamus.
11. Anaxidamus.
12. Archidamus.
13. Agasicles.
14. Ariston.
15. Demaratus.
16. Leotychides.
17. Archidamus.
18. Agis.
19. Agesilaus.
20. Archidamus.
21. Eudamidas.
22. Agis.
23. Eurydamidas.
24. Epicilidas.

## REGES MACEDONUM.

1. CARANUS conditor Regni Macedonici.
2. Cœnus.
3. Thurimas.
4. Perdiccas I.
5. Argæus I.
6. Philippus I.
7. Æropas, seu Europus.
8. Alcetas.
9. Amyntas I.
10. Alexander I.
11. Perdiccas II.
12. Archelaus.
13. Orestes.
14. Æropas, Tutor Orestis.
15. Pausanias.
16. Amyntas II.
17. Argæus II. Amyntas, iterum.
18. Alexander II.
19. Ptolemæus Alorites.
20. Perdiccas III.
21. Philippus II.
22. ALEXANDER Magnus ejus nominis III.
23. Aridæus.
24. Cassander.
25. Philippus III.
26. { Antipater, Alex. IV. } filii Cassandri.
27. Demetrius Poliorcetes.
28. Pyrrhus Epirot. Rex.
29. Lysimachus Thraciæ Rex Arsinoë uxor Lysim.
30. Ptolemæus Ceraunus.
31. Meleager Cerauni Frat.
32. Antipater.
34. Sosthenes.
35. Antigonus Gonatas.
36. Demetrius Gonatæ Fil.
37. Antigon. Tutor, cognom. Δώσων.
38. Philippus IV. Demetrii filius.
39. Perses, seu Perseus, victus à Romanis.

## REGES ÆGYPTI.

### PHARAONES sub Hebræis.

Pharao Chebros, cui charus Josephus.
Amenophis, qui persecutus est Judæos quibusdam Memnon.
Orus forte Busiris.
Acenchris Regina.
Achoris, seu Ratos.
Pharao Cenchrees, aquis haustus.

### ANTE PERSICUM Dominatum.

Psammitichus.
Necos, seu Nechao.
Psammis.
Apries.
Amasis.
Psammenitus, captus à Cambyse.

### SUB PERSICO Dominatu.

Inarus, sub Longimano.
Amyrtæus, sub eodem, quem juvit Cimon.
Achoris, sub Mnemone.
Tachos, sub Ocho.
Nectanebos, sub Ocho.

### PTOLEMÆI.

1. Ptolemæus Lagi fil. conditor hujus regni.
2. Ptol. Philadelphus.
3. Ptol. Evergetes.
4. Ptol. Philopator.
5. Ptol. Epiphanes.
6. Ptol. Philometor.
7. Ptol. Physcon, seu Evergetes.
8. Ptol. Lathurus, seu Lathyrus.
9. Ptol. Alexander, Lathuri frater. Ptol. Lathurus, iterum.
10. Ptol. Alexander II.
11. Ptol. Alexander III.
12. Ptol. Auletes.
13. Ptol. Διόνυσος.
14. Cleopatra, quæ victa cum Antonio Ptolemæorum familiam perdidit.

## REGES SYRIÆ.

1. Seleucus Nicanor.
2. Antiochus Soter.
3. Antiochus II. Deus.
4. Seleucus II. Callinicus.
5. Seleucus III. Ceraunus, seu Pogon.
6. Antiochus III. seu Magnus.
7. Seleucus IV. Philopator.
8. Antiochus IV. Epiphanes.
9. Antiochus V. Eupator.
10. Demetrius Soter.
11. Alexander Balæ.
12. Demetrius II. Nicator. Antiochus Alexand. Balæ filius cæsus à Tryphone.
13. Tryphon. qui & Diodotus Tyrannus.
14. Antiochus VII. Sidetes. *Demetrius Nicanor iterum.*
15. Seleucus V.
16. Antiochus VIII. Grypus.
17. Antiochus IX. Cizycenus.
18. Seleucus VI.
19. Antiochus X. Eusebes.
20. Antiochus XI.
21. Philippus.
22. Demetrius III. Eucerus.
23. Tigranes Arm Rex.
24. Antiochus XII. Asiaticus.

## REGES PERGAMI.

1. Philæterus, Spado.
2. Eumenes, Phileteri frater.
3. Attalus, primus Rex dictus.
4. Eumenes, Attali filius.
5. Attalus, Frater Eumenis.
6. Attalus, Fil. Eumenis, qui Popul. Rom. suum scripsit hæredem.

## REGES TROJANI.

1. Dardanus, Trojani Regni conditor.
2. Erichthonius.
3. Tros, à quo Troja.
4. Ilus, ex quo Ilium.
5. Laomedon, cæsus ab Hercule.
6. Priamus, in quo regnum cecidit.

## REGES LATINI.

1. Janus & Saturnus.
2. Picus, Saturni Fil.
3. Latinus.
4. Æneas, Trojanus.
5. Ascanius.
6. Sylvius Postumus.
7. Æneas Sylvius.
8. Alba.
9. Latinus II.
10. Capetus.
11. Capys.
12. Calpetus.
13. Tiberinus.
14. Agripoa.
15. Alladius.
16. Aventinus.
17. Procas.
18. Amulius.
19. Numitor, sub quo condita Roma.

## REGES ROMANI.

1. Romulus.
2. Numa Pompilius.
3. Tullius Hostilius.
4. Ancus Martius.
5. L. Tarquinius Priscus.
6. Servilius Tullus.
7. Tarquinius Superbus.

AU



# AUTHORIS CONSILIUM ET SCOPUS.



Am multæ hactenus in vulgus prodiere Chronologiæ, ut qui hodie novam aggrediatur, is actum agere, & quod est in parœmia γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας ferre meditetur. Quis enim id operis moliatur post Calvisium, Bellarminum, Genebrardum, Gordonum, Tursellinum, Salianum, Petavium, Gualterium, Labeum, omnes in hac arte principes, & magistros. Unde autem mihi venerit in mentem iis principibus permisceri velle, aperiam ingenuè, & ut nos Belgæ viri boni, candidique loqui solemus. Ad Epitomen Tursellinianam omnium tritam manibus propter elegantiam sermonis, ineptus nescio quis ludimagister assueverat continuationem ridiculam, non tantùm dicendi genere turpem, & horridam, sed & vocibus barbaris, & σολοικοῖς scatentem. Itaque cum hæc Historia Tursellini iterum recuderetur, amici venerunt ad me, quondam discipuli, rogarunt ut præcisâ hac veternosâ laciniâ, quæ jam pridem non sine pernicie erat in Scholasticorum manibus, ego de mea Chronologia ultimos annos decerperem, quibus hanc Tursellini lacunam implerem, & sic aliquid adjungerem non penitus indignum Tursellino. Addidere multa, quæ hîc pudor meus, & religiosa modestia commemorare vetant. Id rogantibus tot amicis iisque suavissimis, fateor nihil negare potui, maximè cum ex iis unus excellentis planè vir ingenii majoribus studiis occupatam in hoc libello describendo manum offerret, ne meo nomine (quod vehementer nolebam, nec imprudenter omnino) prodiisse videretur. Quid multa prælo committitur opus: Sed malum! eo tempore quo Typographi cum Bibliopolis non conveniebant. Dum igitur sæpius illi in foro, aut in prætoriis quàm in Typographia, aut Bibliopolio versantur, inde factum ut hoc opus ex his turbis maculas contraheret, hoc est cum multis erroribus prodiret. Susceptus est nihilominus perhonorificè, & ab amicis, & ab ignotis, nec sine commendatione, quæ eò syncerior erat, quod liber autoris nomine careret. Ita deniq; placuit, ut pars illa minutior reliquarum augeret cupiditatem, plerique omnes assererent non esse fraudandam hac Chronologia posteritatem. Acquievi demum licet invitus, & renitens, passusque sum hanc lucubrationem, quam mihi tantùm, ac discipulis meis paraveram, publici juris esse, & quam paucorum volueram, omnium manibus teri.


Hæc est porro libri hujus jam multis probata methodus. Principio expono breviter elementa Chronologiæ, nec illa intricata, & petita ex aditis Astronomiæ, sed quæ communia sunt, quæ non nisi planè rudis & penitus ἄμικρος ignoret nemo, quæ ferè cadunt in vulgarem sermonem, & quorum saltem nescire nomina sit grande probrum. Inter hæc rudimenta irrepsere etiam quæstiones nonnullæ Chronologicæ, non quæ expleant, sed augeant eruditam famem. Tum omnium temporum historiam in duas partes divido, secundum expansos ab optimis quibusque Chronologis annos. Duarum autem harum partium Christus nascens est Horizon: quæ Christum præcedunt, sibi primum Tomum vendicant, quæ subsequuta sunt, alterum. Majores porro illæ partes in minora segmenta dividentur, hoc est in Chiliadas, Sæcula, Decadas, in quibus præstantissima quæque aut exponemus, aut delibabimus. Cæterum id jejunè, & exiliter non præstabimus, ut hactenus Chronologi, sed quantùm brevitas sinet, ornatè, & uti spero paulò firmius, quàm Tursellinus, qui latinitatis quàm nervorum & lucis videtur fuisse sollicitior: Tuum erit (Lector) ea de re judicium. Interim intelliges offerri in hoc libro tibi præceptiones, & lumina, quæ bis mille, & ampliùs magni ingenii, nec minoris expectationis adolescentes illustravere. Tu hoc labore ac doctrina perfruitor, quæ tam multis, tam illustribus ingeniis infructuosa, & inanis non est à viris sapientibus judicata.



# ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ
SEU
# PROLEGOMENA CHRONOLOGIÆ.



*Non huc conveham præceptiones, quæ primo aspectu Tyrones deterrere solent, & unde plus magistri hujus artis sibi gloriæ conficiunt, quàm in discipulos suos fructus effundunt. Facillima omnia, omnia expeditissima propono; & si (amice Lector) ex iis, quæ his prolegomenis continentur, aliquid percipere nequeas, animos despondere noli, neque arbitrare tibi ad hanc artem aditus esse præclusos. Perge porro; quæ enim in præsentia videbuntur abstrusa tibi, atque recondita, in ipso Historiæ, ac Lectionis ductu denudabunt illa sese, & sponte incurrent in animum quem aliis rebus tibi ignotis illustraveris. Fidem non imprudenter habere potes homini, qui in hac tradenda Disciplina annos duodeviginti posuit: qui audivit non semel difficultates, quæ rudes morari solent, & iis injicere desperationem. Eas, mihi crede, longo usu, & improbo labore sic abstersi, ut Facultatis hujus tam expetitæ, quàm necessariæ Rosas pæne sine spinarum metu colligere possis.*



# PARS PRIMA
# ELEMENTA CHRONOLOGIÆ AD VIGINTI QUÆSTIONES REVOCATA.

I.

*Quid est Chronologia?*



Est rerum præteritarum ex certis indiciis, & notis ad sua tempora, & temporum partes accommodatio; puta annos, menses, &c.

II.

*Quotuplex est annus?*

Duplex: Solaris & Lunaris; qui fiunt Solis & Lunæ per suam Eclipticam cursu, & conversione.

III.

*Quotuplex est annus Solaris?*

Duplex; *Exactus* & *Civilis*. *Exactus* aliter dicitur *Tropicus*: & *Exactus* quidem; quia Solaris curriculi numeros omnes attendit: *Tropicus* autem, quia incipit ab uno ex quatuor Cardinibus annuis, hoc est Solstitiis, & Æquinoctiis, quæ apud veteres dicebantur τροπαί. *Civilis* autem aliter *Julianus*, est annus ad populi usum accommodatus, studio Julii Cæsaris Dictatoris.

IV.

*Potest ne accuratè cognosci cursus anni Tropici?*

Nequaquam: quia cum unum & idem centrum non sit Terræ, & Solaris cursus, sed is modò magis, modò minùs supra eam assurgat, hinc fit ut conversio Solis, ab uno cardine ad alium, fit modo major, modo minor. Verùm excogitatus est ab Astronomis medius quidam Solaris cursus ex velocissimo; atque tardissimo. Per προσταφαίρεσις, temperatus, qui à peritis Astrologis deprehensus est continere dies 365. horas quinque minuta 49. Qua de re vide Petavium de Doctrina temporum, lib.4. cap.36.

V.

*Quid est annus Civilis, seu Julianus?*

Est is quo Romani usi sunt à tempore Julii Cæsaris Dictatoris, & quo jam utuntur Europæi. Is autem continet 365. dies, cum Horis 6. Quæ horæ sex quadriennio collectæ viginti quatuor horas, seu diem unum efficiunt. Is autem dies quarto quoque anno interseritur vigesimo quarto Februarii, qui dies olim dicebatur apud Romanos Sextus Kalendas Martias, & quia eo producti ori anno dicebatur 24. & 25. Februarii Bissexto Kalendas Martias, inde factum ut is annus Bissextilis nominaretur.

VI.

*Quod discrimen intercedit inter annum Tropicum, & Julianum?*

*Tropicus* ille *Medius* de quo egimus, est *Iuliano* minor undecim minutis, seu scrupulis. Horæ autem in minuta 60. dividuntur, & hæc iterum in 60. sicque deinceps quæ prima, secunda, &c. vocantur. Quare si v. c. anno 1658. Tropicus & Julianus simul inciperent mediâ nocte inter 20. & 21. Martii, post annos 133. seu anno 1791. anni initium caderet in mediam noctem anni Juliani, quæ erit inter 19. & 20. post annos 266. hoc est anno 1924. caderet in mediam noctem inter 19. & 18. atque ita procedendo per 133. Quia post 133. annos Æquinoctium semper incipit unâ die tardiùs in Tropico, quàm in Juliano. Inde contigit ut tempore Gregorii XIII. Pontificis Æquinoctium Vernum, quod tempore Nicenæ Synodi sub Constantino Magno assignatum fuerat XII. Kal. Aprilis, seu in nocte 20. & 21. Martii, anno 1582. hoc est per annos 1300. observaretur mediâ nocte inter 10. & 11. Martii. Quare hoc anno 1582. qui *Correctionis* appellatur, decrevit Sumus Pontifex, ut post quartam Octobris diem sacram S. Francisco, decem expungerentur dies, & dies 5. Octobris diceretur 15. Id autem Catholici omnes observarunt, repugnarunt Heterodoxi, sed zelo repugnandi potiùs, quàm veritatis: Itaque cùm scribunt ad amicos Catholicos addere solent duos numeros cum his notis *Styli veteris*, & *Styli novi*. Ut autem simili deinceps malo provideretur cautum eruditè, atque sapienter ut post annum 1600. intra quatuor annorum centurias ter Bissextilis omitteretur; anni videlicet 1700. 1800. 1900. non essent Bissextiles, sed 2000. Bissextum numeraret. Quia intra trecentos nonaginta no-

nem annos annus Julianus , annum Tropicum Medium, tribus tantùm diebus ſuperat. Qua de re plura, qui de Kalendario Gregoriano ſcripſerunt.

VII.

*Quid & quotuplex Menſis Lunaris?*

Menſis Lunaris eſt ſpatium, ſeu intervallum, quod Lunæ circuitu deſcribitur. Eſtque duplex ille Lunaris menſis *Periodicus*, & *Synodicus*.

VIII.

*Quid eſt Menſis Periodicus?*

Eſt intervallum quo Luna ſuum decurrit orbem, diebus videlicet 27. horis 7. minutis 4. cum 7. minutiis, ſeu ſecundis.

IX.

*Quid eſt Menſis Lunaris Synodicus?*

Eſt ſpatium temporis, quo Luna à Sole digreſſa eundem aſſequitur; ideoque aliter vocatur Syzygia. Nam eo tempore, quo Luna orbem ſuum conficit, Sol proprio ſuo motu progreditur, hoc eſt gradus ferè 27. conficit, quos item Luna debet emetiri, ut cum Sole jungatur. Quare menſis Lunaris ille conſtat diebus 29. horis 12. minutis 44. minutiis, ſeu ſecundis tribus. Iſte autem menſis Synodicus replicatus duodecies facit annum Lunarem dierum 354. horarum 8. minutorum 48. minutiarum 38. circiter, & dicitur aliter is annus Lunaris Aſtronomicus.

X.

*Quotuplex Lunaris annus?*

Duplex; *Aſtronomicus* de quo jam diximus, & *Civilis*. *Lunaris* autem ille *Civilis* annus eſt, qui conſtat ex menſibus alternis 30. & 29. dierum præſciſè, non habitâ ratione ſcrupulorum; & eo utuntur Arabes, & Saraceni; quatenus cum motu Solari non implicatur; nos autem à Solari hunc non disjungimus.

XI.

*Quid eſt Cyclus, ſeu Periodus Lunaris?*

Eſt motûs Lunaris cum Solari motu conjunctio: ſeu eſt numerus annorum, quo expleto utrumque ſidus ad idem punctum revertitur. Is autem numerus olim fuit duorum annorum, deinde quatuor, mox octo, ac denique 19. dictuſque Decemnovennalis, Græcis Dieteris, Tetraeteris, Octaëteris, Enneadecateris, qui ultimus Cyclus excogitatus eſt à Methone. Is autem Decemnovennalis ita colligitur. Annus Julianus dierum 365. Horarum ſex ſi ducatur per 19. dabit dies 6939. horas 18. Anni verò Lunares 19. habent tantùm dies 6732. horas 23. minuta 24. quæ faciunt menſes Lunares 228. Ergo inſuper addi debent 7. menſes ejuſdem rationis, qui dicuntur *Intercalares*, à Græcis Εμβολιμαῖοι. At ex illis menſibus 7. reſultant dies 206. horæ 17. minuta 8. minutiæ 22. qui additi ad menſes 228. conficiunt dies 6939. horas 16. minuta 32. minutias 27. Unde vides Cyclum Decemnovennalem Julianis annis 19. minorem eſſe hora 1. minutis 27. minutiis 32. præter propter. Quam differentiam cum non advertiſſent Kalendariorum concinnatores magnam induxere in Novilunia, & Plenilunia perturbationem: adeo ut tempore Gregorii XIII. anno 1582. correctionis, Lunaris anteceſſus deprehenſus ſit quatriduo ferè à conſtitutione cœli, tempore magnæ Synodi Nicenæ, aberrare.

XII.

*Quis eſt Cyclus Solaris?*

Eſt ſpatium 28. annorum, quibus evolutis litteræ Dominicales ad ſuum initium redeunt. Feriæ enim omnes ſecundum literas illas evolvuntur A, B, C, D, E, F, G, ita tamen ut ordine retrogrado recurrant, expreſſæ hoc technico verſu. ***Gaudet Francus Equo, Dacus Cane, Barbarus Arcu.*** Si autem nullus annus Biſſextilis eſſet, ſeptem harum litterarum complexio annis 7. decurreretur: at ob Biſſextilem cum duæ litteræ uno anno notentur, ordo litterarum illarum evolvitur tantùm annis 28. verbi cauſâ ut redeatur ad G. F. Unde ductum eſt initium complicationis.

XIII.

*Quis eſt Cyclus Indictionis?*

Eſt ſpatium 15. annorum; quod ubi decurſum eſt, reditur ad primum. De Indictione poſtea agemus 2. parte, quæſt. 26. Nunc tantum obſerva nomen Cycli ita convenire Lunari, Solari, & Indictioni, ut etiam ſingulis eorum partibus conveniat: unde dicitur 1. 2. 28. Cyclo Solis, 1. 2. 19. Lunæ, 1. 2. 15. Cyclo Indictionis.

XIV.

*Quid eſt Periodus Juliana?*

Eſt intervallum excogitatum ex triplici contextu Cyclorum Solaris, Lunaris, & Indictionis, conſtans ex annis 7980. Nam 19. ducti in 28. efficiunt 532. qui capti decies quinquies reddunt 7980. ſic autem periodus illa conſtruitur ut unus tantùm annus ex iis 7980. reperiatur, qui habeat hos numeros 1. Cycli Solaris, 1. Lunaris, & 1. Indictionis; quibus evolutis omnibus numeris, reditur ad annum qui habeat eoſdem numeros. Dicitur autem Juliana, quia ad methodum anni Juliani accommodata eſt, & iis annis aptanda, qui Julii Cæſaris correctionem præceſſerunt, ad vitandas diverſas annorum rationes, & inveniendas cæleſtes obſervationes.

XV.

*Quis eſt uſus periodi Julianæ?*

Excogitata eſt à Joſepho Scaligero, illuſtrata à Dionyſio Petavio, à paucis uſurpatur propter difficultatem. Quare repudiata eſt à quibuſdam quaſi τῷ ἐργόντι, non quod ita putarent, ſed quia ſic volebant eſſe, ad defugiendum, in eâ percipiendâ, laborem. Statuitur autem in ea annus aliquis certus cujus habeamus Cyclos Solis, Lunæ,

næ, Indictionis, perspectos, ex quo reliquos omnes ordinamus. Verbi causa, annus primus Christi habuit Cyclum Solis 9. Lunæ 1. Indictionis Romanæ 3. cum littera Dominicali DC: intelligo hunc annum esse Periodi Julianæ 4713. quia nullus est annus in tota Periodo Julianâ, qui numeros ita dispositos habeat. Quomodo autem singulorum annorum reperiri possint Cycli, consule Petavium de doctrina Temporum, & in Rationario, ubi hæc accuratè proponuntur, & revocantur ad praxim: neque enim hîc exscriptorem agere volumus, & is liber ad manum est. In hac Chronologia autem nostra facilè annus omnis Periodi Julianæ invenitur, quia ponimus principium Periodi hujus, annis 660. initium mundi præcedere, qui anni 660. anno mundi oblato conjuncti reddunt annum Periodi Julianæ.

XVI.

*Quotuplex est annus apud veteres celebris?*

Quintuplex; Romanus, Atheniensis, Ægyptius, Arabicus, Judaicus.

De *Romano* hactenus egimus.

*Atheniensis* spectabat ad Lunæ cursum, sed hunc ad Solis motum accommodabat per methodum Methonis, & postea Calippi. Methonica annis 19. terminabatur; Calippica annos 76, complectebatur, & de utraque vide Petavium, in iis accuratissimum. Atheniensis porro annus, & Græcus inchoabatur à Solstitio Æstivo, & primus ejus mensis Hecatonbeon dicebatur. Hujus autem mensis Νεομηνίαι sæpe præcessisse, aliquando secutam esse Solstitium θερινὸν docet scientissimè, & acutissimè Petavius.

*Ægyptius* constabat semper 365. diebus: unde quarto quoque anno primus anni dies, quem vocabant Thoth, uno die præveniebat Julianum. Hoc autem anno usi sunt Ægyptii usque ad devictam Cleopatram, quando anni illi mobiles more Julianorum fixi sunt, ut postea dicemus quæst. 19. Quomodo autem is annus antiquus revocari possit ad Julianum docebit te accuratè Petavius in suo Rationario.

*Arabicus* totus est Lunaris, quatenus solvitur penitus à Solari. Itaque nullas intercalationes adhibet; constatque semper 354. diebus, horis 8. minutis 48. ex quibus Arabes constituunt aliquot annos, quos inserunt opportunè, constantes ex diebus 355. Quare primus eorum mensis *Muharran* nullam habet certam in anno Juliano sedem, modò in hyemem, modò in æstatem cadit. De eo vide Petavium lib. 2. & 7. de Doctr. Temp.

*Judaicus* in præsentia est Decemnovennalis jam ab eo tempore, quo transierunt Hebræi in Seleucidarum dictionem. De tempore Mosis nihil liquet nisi quod duplicem annum habuere unum civilem, qui à mense Tisri Lunari Autumnali inchoatur, alium Ecclesiasticum à mense Nisan, & Æquinoctio Verno.

XVII.

*Quot sunt genera principiorum in arte Chronologica?*

Tria; Authorum fides; observationes cœlestes, maximè Ecclipses Solis & Lunæ, & Epochæ quædam.

*Auctorum fides* aliquando adeò certa est, ut stolidus esset, qui de ea dubitaret, nec ratione, sed verberibus edocendus; ut Xersem venisse in Græciam, Romam à Gallis captam esse, Julium Dictatorem cæsum in Senatu, de quibus nemo unquam dubitavit. Quo pertinet illud tritum, & translatitium S. August. l. 13. de Civ. c. 1. *Conditam Romam tam certum habeo in rebus humanis, quàm Constantinopolin, cùm Romam viderim oculis meis, de illa verò nihil noverim, nisi quod aliis testibus credidi.* Quæ quidem fides eo firmior, quo pluribus, & melioribus testibus innititur, & qui me fallere nec voluerint nec potuerint. De scriptoribus autem profanis tenendum est illud principium Augustini l. 18. de Civit. Dei c. 40. *Nos in nostræ Religionis historia, fulti authoritate divina quidquid ei resistit non dubitamus esse falsissimum, quomodolibet sese habeant cætera in sæcularibus litteris.*

*Ecclipses*, ortusque & occasus siderum à scriptoribus consignati, valent etiam plurimùm ad dignoscendos temporum characteres, quos magno studio indagavit, & adnotavit Petavius. Verbi causa, scio accuratissimè annum primum Belli Peloponnesiaci: quia in hoc Bello notat Thucydides diligentissimus scriptor tres Ecclipses, primam Solis anno belli primo; alteram item Solis, anno ejus octavo; tertiam denique Lunæ anno 19. Atqui nullus assignari potest annus in quo hæc omnia sic possint ordinari, nisi annus ante Christum 431. Olymp. 87. an. 2. Urb. cond. 323. Æræ Nabonassalis 318. Mundi 3623. Periodi Julianæ 4283.

*Epochæ* denique sunt aliqua tempora certa ab omnibus, aut plerisque Chronologis admissa, & quæ in controversiam venire vix solent; aut certè quæ semel statuta reliqua ad se trahunt. Dicitur autem Epocha, vel Epoche ab ἐποχὴ, id est, *inhibitio*, quod de ea dubitari prohibeatur; vel quod tempora quasi reprimat, ut in iis Chronologus immoretur, & quasi subsistat ad ἐποχέω, id est, *inhibeo*, vel *reprimo*.

XVIII.

*Quænam sunt præcipuæ Epochæ?*

Eæ vel sunt ante Christum, vel post Christum natum. Ante Christum; vel sunt *Sacræ* nempe ex sacris Bibliis depromptæ; vel *profanæ* hoc est, vel *Græcæ*, vel *Romanæ*; has tibi per Synopsin proponimus.

## EPOCHÆ SACRÆ.

| | | ANNI. Mundi. | Per. Jul. |
|---|---|---|---|
| I. | Diluvium Noëmi. | 1656. | 2316. |
| II. | Confusio linguarum. | 1878. | 2478. |
| III. | Abrahami Natales. | 2039. | 2639. |
| IV. | Εἴσοδος Israëlis. | 2319. | 2929. |
| V. | Ἔξοδος Israëlis. | 2544. | 3144. |
| VI. | Templi Fundamenta. | 3023. | 3623. |
| VII. | Captivitas Judaica. | 3446. | 4046. |
| VIII. | Solutio Captivitatis. | 3516. | 4116. |
| IX. | 70. Hebdom. Danielis initium. | 3601. | 4201. |
| X. | Profanatio Templi ab Epiph. | 3886. | 4486. |

## EPOCHÆ GRÆCÆ.

| | | ANNI. Mundi. | |
|---|---|---|---|
| I. | Ogygis Diluvium. | 2292. | |
| II. | Deucalionis Diluvium. | 2540. | |
| III. | Idæ montis deflagratio. | 2613. | |
| IV. | Raptus Ganymedis. | 2678. | |
| V. | Persei Expeditio. | 2693. | |
| VI. | Ilium conditum. | 2727. | |
| VII. | Argonautarum Expeditio. | 2791. | |
| VIII. | Troiæ ἅλωσις. | 2870. | |
| IX. | Heraclidarum reditus. | 2950. | |
| X. | Ionica Migratio. | 3010. | |
| XI. | Lycurgi Tutela seu Ἐπιτροπία. | 3170. | |
| XII. | OLYMP. seu anni Iphiti. | 3278. | OLYMP. |
| XIII. | Æra Nabonassaris. | 3307. | 8. 2. |
| XIV. | Initium Cyri. | 3516. | 60. 3. |
| XV. | Xersis fuga è Græcia post pugnam ad Mycalem. | 3575. | 75. 2. |
| XVI. | Bellum Peloponnesiacum. | 3623. | 87. 1. |
| XVII. | Captæ Athenæ à Lysandro. | 3650. | 94. 1. |
| XVIII. | Pugna Leuctrica. | 3683. | 102. 2. |
| XIX. | Pugna ad Cherroneam. | 3716. | 110. 3. |
| XX. | Mors Philippi. | 3718. | 111. 1. |
| XXI. | Periodus Calippica. | 3724. | 112. 3. |
| XXII. | Mors Alexandri Magni. | 3730. | 114. 1. |
| XXIII. | Æra Seleucidarum seu Imperii Græcorum. | 3742. | 117. 1. |
| XXIV. | Æra Antiochena. | 4006. | 183. 1. |

## ROMANÆ EPOCHÆ.

| | | Mundi. | Urban. Cond. |
|---|---|---|---|
| I. | URBS CONDITA. | 3301. | |
| II. | Regifugium. | 3545. | 245. |
| III. | Roma capta à Gallis. | 3664. | 364. |
| IV. | Bellum Samniticum. | 3711. | 411. |
| V. | Bellum Pyrrhi. | 3774. | 474. |
| VI. | Bellum I. Punicum. | 3790. | 490. |
| VII. | Bellum II. Punicum. | 3836. | 536. |
| VIII. | Bellum III. Punicum. | 3905. | 605. |
| IX. | Bellum Jugurthinum. | 3943. | 643. |
| X. | Bellum Mitridaticum. | 3960. | 660. |
| XI. | Annus Julianus. | 4009. | 709. |
| XII. | Æra Hispanica. | 4016. | 716. |
| XIII. | Actiaca Victoria. | 4023. | 723. |
| XIV. | Anni Augustorum. | 4027. | 727. |

## CHRISTIANÆ EPOCHÆ.

| | | An. Chr. | Mundi. |
|---|---|---|---|
| I. | NATALIS CHRISTI. | | 4053. |
| II. | Passio Christi. | 33. | 4086. |
| III. | Excidium Hierosolymæ *à Tito.* | 70. | 4123. |
| IV. | Æra Martyrum, *seu Diocletiani.* | 284. | 4337. |

V. Constan-

| | | | |
|---|---|---|---|
| V. | Conſtantinopolis dedicatio. | 330. | 4383. |
| VI. | Obitus S. Martini. | 401. | 4454. |
| VII. | Roma capta à Barbaris. | 410 | 4463. |
| VIII. | Initium Regni Francici. | 420. | 4473. |
| IX. | Ægira Arabum. | 622. | 4675. |
| X. | Æra Jezdezirdis. | 632. | 4685. |
| XI. | Imperium Occidentale *à Carolo Magno.* | 801. | 4854. |
| XII. | Bellum ſacrum primum *Godefridi Bullionii.* | 1095. | 5148. |
| XIII. | Conſtantinopolis capta *à Francis.* | 1204. | 5257. |
| XIV. | Primum Jubilæum, *à Bonifacio* 8. | 1300. | 5353. |
| XV. | Conſtantinopolis Turcica. | 1453. | 5506. |
| XVI. | Synodus Tridentina *inchoata.* | 1546. | 5599. |
| XVII. | Anni Francici initium *à Kal. Januarii.* | 1564. | 5617. |
| XVIII. | Annus decurrens. | 1660. | 5715. |

## XIX.

### *Quinam anni potiſſimum in Chronologiis prænotantur? & quomodo ex ſe invicem inveniri queunt?*

1. ANNI PERIODI JULIANÆ procedunt annis 660. ante mundi initium.
2. ANNI MUNDI ante Chriſtum 4053.
3. OLYMPIADES 23. Annis ante Urbem conditam.
4. ANNI URBIS CONDITÆ cum anno Mundi 3300. comparantur, cum Olymp. an. 23.
5. ANNI NABONASSARIS cum 7. Urbis conditæ & cum Olympiadis octavæ anno [illegible]. concurrunt.
6. ANNI JULIANI annis 45. Chriſti Æram præcurrunt.
7. ANNI CHRISTI in annum Mundi. 4054. Urb. cond. 754. Nabonaſſaris 749. Jul. 46. Periodi Julianæ an. 4654. cadunt.

Itaque *anni Mundi, & Periodi Julianæ* inveniri poſſunt ex ſe invicem additis, aut detractis annis 660.

Anni *Urbis conditæ, & Mundi* item ex ſe invicem agnoſci poſſunt additis, aut detractis 3300.

Anni *Olympiadum* & *Urbis conditæ*, detractis, aut additis annis 23.

Anni *Nabonaſſaris*, & *Olympiadum* dignoſcuntur ex ſe invicem additis aut ſubtractis annis 30. Cum annis *Urb. cond.* componuntur adhibitis, aut ablatis annis 6. ſolidis.

Anni *Chriſti* à *Julianis* ſuperantur annis 45. hos ſi addideris vel dempſeris alterutros annos habebis.

Anni *ab Orbe condito*, & *à Chriſto nato*, additis, aut detractis annis 405. quibus inter ſe disjungi certum eſt, intelliguntur.

Eodem modo omnes Epochæ inter ſe comparatæ, ex ſe invicem poſſunt indagari.

## XX.

### *Quot numerari ſolent mundi ætates? Septem.*

PRIMA decurrit ab *ortu Mundi*, ad Diluvium Noëmi, annis 1656.

SECUNDA ducitur ab Diluvio Noëmico, & in Abrahami nativitate quieſcit poſt 382.

TERTIA ab Abrahami ortu ad Exodum, & Moſaicam legem attenditur, 505.

QUARTA ab Exodo, ad fundamenta Templi Salomonici progreditur annis 480.

QUINTA à fundato Templo ad Cyri Imperium extenditur per annos 493.

SEXTA à Cyro ad Chriſti Natales numerat annos 538.

SEPTIMA eſt adhuc in curſu à Chriſto Nato, nec terminabitur, niſi ultimis Comitiis generalibus mundi, & *Octava* ætate quæ erit ſempiterna.



PARS

# PARS ALTERA
## ANTILEGOMENA CHRONOLOGICA,
SEU
## PRÆCIPUÆ DIFFICULTATES CHRONOLOGICÆ CONTROVERSÆ.

### QUÆSTIO I.

*Utrum numerus annorum, qui ab orbe condito defluxerunt accuratè reddi possit?*



ID aliqui credunt, & ita putant initos esse in Patriarcharum ætate numeros, ut si quid in unius ætate residui esset, alteri assignaretur. Et verò, inquiunt, *fide intelligimus*, κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας *Verbo Dei aptata esse sæcula.*

Existimo nihilominus certò pronunciari non posse, & κατ᾽ ἀκριβὲς quot anni in Patriarcharum ætate defluxerint: Id enim primò distinctè asserit Theophilus Antiochenus lib. 3. ad Antolicum, ubi negat accuratè cognosci antiquas illas Patrum ætates διὰ τὸ μὴ ἀναγεγράπται ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις τοὺς ἐπιτρέχοντας μῆνας, καὶ ἡμέρας *quia non sunt annotati in libris Sacris menses & dies.* Præterea quandoque Scriptura utitur numero pleno pro fracto; & ut eos omittam locos, qui ex aliis scripturæ locis possunt intelligi, & agnosci distinctius, nonne dicitur 5. Geneseos, Noëmus natus annos quingentos jussus Arcam fabricare: ubi tamen S. Augustinus lib. 1. de civitate Dei cap. 24. numerat tantùm 480. & viginti annos hîc esse additos credit, quia numerum plenum, integrumque frangebant. Sed quis expediet difficultatem de Codicibus Græcis, Hebræis, Latinis, quam SS. Patres insolubilem vocant. Nam 70. Interpretum versio magnæ olim, & primæ in Ecclesia authoritatis ab Adamo ad Mathusalemum singulis Patriarchis singulas annorum centurias attribuit, quas Hebræi codices, & vulgata iisdem adimunt. Qui enim anni tribuuntur Mathusalemo apud eosdem 70. vitiosos esse mihi certum est, & correctione dignos, cùm ejus vitam ultra Diluvium extendant, & plures quàm homines octo ex aquis illis ultricibus salvos esse velint, adversus Sancti Petri Epist. 1. cap. 3. doctrinam. Neque tantùm 70. illi Seniores producunt priorem Patriarcharum vitam, sed & posteriorum à Diluvio, quibus & inserunt Cainam, de quo tamen vulgata, & Hebræa tacent. Ex quibus cùm exurgant ἄπορα unde te expedire nequeas, quæcumque ex iis deduces ad seriem Chronologicam, erunt στοχαστικὰ, non ἀποδεικτικά.

Ad propositas objectiones. Resp. 1. ordinationem illam sæculorum, de qua loquitur Paulus, propriè intelligi & ad literam de constitutione mundi. Deinde quod addere possunt in hac annorum distributione scripturam non plus habituram fidei, quam Historiam Herodoti atque Thucydidis, nulla est comparatio: nam Herodotus, & Thucydides in annis putandis labi possunt, scriptura non item? prætermisit autem menses, hebdomadas, atque dies quia populari modo loqui voluit. Cùm enim alicujus vitam proponimus, annis appellatis, menses omittere solemus, & dies, ne scrupulosiùs accurati videamur.

### QUÆSTIO II.

*De Cainam Juniore an sit Patriarchis adnumerandus?*

HEbræi codices, quibus vulgata subscribit Salam faciunt Arphaxadi filium: at septuaginta Interpretes interjiciunt inter utrumque *Cainam*, quem vulgò *Juniorem* vocant, ad discrimen alterius *Cainan* filii Enos ante diluvium. S. quoque Lucas texens Genealogiam Servatoris hunc Cainan eodem quo Septuaginta statuit loco. In eo itaque posita difficultas, quibus sit potior adhibenda fides.

DICO mihi videri Cainan illum Juniorem retinendum esse, omissumque in textu Hebræo, & vulgatâ, reponendum esse ex S. Luca: quemadmodum omissi quatuor Reges in Genealogia Christi à Matthæo, resumuntur ex libris Regum. Est enim gemina, & similis difficultas, ac proinde par debet esse responsio. Et verò cùm argumentum affirmans prævaleat neganti; quid est cur hoc obtrudatur, cùm illud sit ad manum?

Non

Non invenitur in Genesi; esto: sed reperitur apud Lucam, qui non minùs verè loquutus est quàm Moses. Quod autem dicunt hunc etiam Cainan non extare in antiquis Lucæ exemplaribus; id primus, quod sciam, dicere ausus est gregalis Calvini Theodorus Beza, qui in opinionem suam nimis credulos Orthodoxos pertraxit; quasi aliquâ apud homines fide dignus esset, qui divinam ejurasset. Cainam ergo hunc retinemus, cum multis eruditis, cujus patrem, filium, annos habemus ex Septuaginta Interpretibus; quibus cùm adstipuletur Lucas, nefas est tot testibus derogare fidem.

## QUÆSTIO III.

### *Quo ætatis anno Thare genuerit Abrahamum, anno 70. an 130?*

OPinionem de annis 70. tantùm faciunt probabilem, meo judicio, Sancti Hieronymus, & Augustinus: qui quamvis fundamentum oppositæ sententiæ de 130. insolubilem nodum duxerint, hunc nihilominus solvere utcumque conati sunt. Quæ enim rationes pro annis 70. proferri solent, non difficulter expediuntur.

EXISTIMO igitur, contra quod aliàs senseram, Abrahamum ortum esse anno 130. Patris sui Thare, & hac ratione cum multis magnis viris innitor. Attigerat ætatis annum 75. Abrahamus cùm sepeliit patrem; obiit autem pater Thare ætatis suæ 205. ex quibus si detrahas 75. supererunt 130. igitur hoc ætatis anno 130. Thare genuit Abrahamum non 70. Assumptio est Geneseos cap. 11. versu ultimo: *Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum & mortuus est in Haran.* Difficultas ergo tota circa propositionem vertitur, quæ sic probatur. Moses Geneseos 12. vers. 4. *Egressus est itaque Abram sicut præceperat ei Dominus, & ivit cum eo Loth. Septuaginta quinque annorum erat Abram cùm egrederetur de Haran, tulitque Sarai uxorem suam, & Loth filium fratris sui, &c.* quæ verba quasi enarrans, & explicans S. Stephanus Act. 7. vers. 4. *Tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitavit in Haran. Et inde postquam mortuus est pater ejus, transtulit illum in terram istam* &c. Quæ verba clarissima ut confundant adversarii, duas confingunt peregrinationes Abrahami, ajuntque de prima locutum Mosem, de altera sanctum Stephanum. Ostendo igitur transitus duos illos Abrahami esse fictitios, ac primum falsum esse, & cum secundo confundendum. Tum abiit ex Haran patre demortuo, & ætatis suæ 75. Abrahamus cùm filium non haberet; at in secundo transitu jam genuerat Isaacum, igitur secundus ille transitus nullus est. Sic enim Stephanus de hac peregrinatione loquens, factâ mortuo Thare, vers. 5. *Et non dedit ei hæreditatem in ea, nec passum pedis; sed repromisit dare illi eam in possessionem, & semini ejus post ipsum, cùm non haberet filium.* Quæ adeò certa sunt, ut mirum sit aliquos reperiri, qui in iis tricari velint. Opponunt tamen; eodem modo loquitur scriptura de anno quo genitus est Abraham ex Thare, quo modo loquutus est de anno quo reliqui Patriarchæ novem genuerunt filios suos. *Vixit Reu 23. annis & genuit Sarug*, &c. *Vixit* 30 *annis Sarug, & genuit Nachor*, &c. *Vixit Nachor viginti novem, & genuit Thare*, &c. *Vixitque Thare* 70. *annis & genuit Abram, Nachor, & Aran*, &c. Sed nonne magnum discrimen agnoscunt? Nam in reliquis generationibus unus filius proponitur, Thare autem tres genuisse, & ex iis Aran, quem Thare primogenitum fuisse ex Augustino, & aliis patribus non malè conficit Torniellus. Fatemur igitur hoc anno Thare 70. genitum Aran; anno autem 130. patris ortum esse Abrahamum. Cur autem distinctiùs de nativitate tanti Patriarchæ non sit locutus Deus, nostrum non est cum Deo expostulare. Omitto quàm obscurè locutus esset S. Stephanus, agens tamen quodammodo interpretem Mosis, si duos illos transitus confudisset, quam intulisset in codices sacros παραςροφὴν, utique à legis Doctoribus, auditoribus suis; non ferendam. Prætermittam quomodo Abrahamus nescierit Nachoris sobolem? cur non conciliarit tum nuptias Isaaici, aut certè de iis non cogitaverit. Cur earum mentionem non fecerit Eliezeli vernæ suo, quando misit eum in Mesopotamiam, ut quæreret Isaaco uxorem. Qui plura volet, legat Labeum in actuario Concordiæ suæ Chronologicæ excursione 8. & huic adversantem Petavium Rationarii temporum parte 2. lib. 2. cap. 3. apud quos reperias quæcunque ab utraque opinione de annis 70. aut 130. dici confingique possunt.

## QUÆSTIO IV.

### *De mora Israelitarum in Ægypto.*

TRia aut quatuor scripturæ loca difficilem hanc quæstionem reddunt, hìc breviter expendenda.

*Primus* locus habetur ad Galatas cap. 3. v. 17. *Hoc autem dico testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos, & triginta annos facta est lex*, &c.

*Alter* habetur Geneseos 15. vers. 13. *Dictumque ad eum* (Abrahamum) *scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subjicient eos servituti, & affligent quadringentis annis.* Quod repetitur quasi depromptum ex hoc loco, Act. 7. vers. 6. *Locutus est autem ei Deus quia erit semen tuum quasi accola in terra aliena, & malè tractabunt eos annis quadringentis, & gentem, cui servierint, judicabo ego, dixit Dominus, & post hæc exibunt, & servient mihi in loco isto.*

*Tertius* denique locus legitur, Exodi 12. vers. 40. *Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto fuit quadringentorum triginta annorum quibus expletis, eadem die, egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti.*

Duobus potissimum his locis Geneseos, & Actorum quidam permoti quadringentos annos assignarunt commorationi Israëlitarum in Ægypto, à tempore quo Jacob eò venit invitatus à Josepho.

Josepho. Quod cùm dictum esset incautiùs à Genebrardo, inventi sunt aliqui, qui propugnare vellent, quod ipse vivens non defenderet. Hæc autem sententia ita convellitur. Caath avus Mosis cum Jacobo venit in Ægyptum, uti constat ex Genes. 46. vers. 11. Ille vixit annis 133. Exod. 6. vers. 18. Aram filius Caath pater Mosis vixit 137. Ibidem vers. 20. Moses erat 80. annorum cùm Pharaonem alloquutus est. At 133. 137. & 80. In unum ducti conficiunt tantum 350. ex quibus deducendi anni patrum quando genuerunt, & anni Caath quando venit in Ægyptum. Ergo 400. anni commorationis in Ægypto sacris codicibus adversantur.

*Primus* ergo locus Pauli intelligitur de promissione facta Abrahamo anno ætatis 75. à quo ad Exodum anni 40. exactè decurrunt.

*Alter* locus Geneseos de ortu Isaaci accipi debet, de quo sub initium capitis sermo: at inde ad Exodum 400. anni præcisè numerantur.

*Tertius* locus plus difficultatis habet in Hebræo textu, & in vulgata, sed nullam in textu 70. Seniorum, qui sic legunt. *Habitatio filiorum Israel, qua inquilini in terra Ægypti & in Chananæa fuerunt, tam ipsi quàm eorum patres fuit annorum quadringentorum triginta.* Quæ quidem ut Pauli ad Galatas verbis mirificè concinunt, ita ad promissionem factam Abrahamo ætatis suæ 75. nullo negotio aptari queunt. Quod autem objiciunt hic incredibilem hominum multitudinem, cui procreandæ plus temporis exigitur, irridetur ab omnibus, qui singularem in ea fœcunditate Dei liberalitatem agnoscunt.

## QUÆSTIO V.

*An annis quadringentis ab exitu Israelis ex Ægypto, seu lege data per Mosem locata sint Templi Salomonici fundamenta?*

HAnc difficultatem solvere videtur distinctissimè Scriptura lib. 3. Regum statim initio capitis 6. *Factum est quadringentesimo, & octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, in anno quarto, mense Zio (ipse est mensis secundus) Regni Salomonis super Israel, ædificari cœpit domus Domino.* Atenim hîc observandum Sixtina Biblia aliter legere, quemadmodum & legit Severus Sulpitius Juliodunensis Presbyter: neque enim scribunt anno *quadringentesimo octogesimo*, sed *quadringentesimo quadragesimo*, hoc est minùs annis quadraginta quàm vulgata. Quæ duo tamen conciliari possunt, si dixerimus *octogesimum* annum sumi ab egressu de Ægypto, *quadragesimum* ab ingressu in Chananitidem, quemadmodum nonnunquam usurpatur in Scriptura: ut Deuteronomii cap. 4. vers. 45. & 46. *Et hæc testimonia, & ceremoniæ, atque judicia quæ locutus est ad filios Israel, quando egressi sunt de Ægypto trans Jordanem &c.*

Ut autem qui à veritate recedunt nunquam inter se concinunt: Ita factum ut qui clarissimum hunc tertii Regum locum deseruerunt, in diversas pugnantesque abirent sententias. Josephus enim, & Melchior Canus 592. annos numerant: Serrarius 680. Sigonius in Sulpitium Severum 588. Chronicon Alexandrinum, seu Fasti Siculi 630. Clemens Alexandrinus plures 520. Petavius 520. Alii 574. Alii 599. Quantò satiùs esset cum Dio dicere 480. His enim verbis apertissimis constantissimè putamus adhærescendum.

Atenim, inquiunt qui nobis adversantur, separandi sunt anni servitutis, ab annis Judicum. Unde id habent? Quia, ajunt, *terra* dicitur *quievisse*, & tempore illorum Judicum terra non quievit furentibus bellis, & hoste vastitatem inferente. Verum enim verò an toto Judicum tempore *terra quievit*? ut terra dicatur quievisse, nonne satis est aliquo tempore quievisse? Quod & ipse sacer Textus videtur insinuare. Cum enim dixisset de Jabino Chananæo Judic. 4. vers. 3. *Per viginti annos vehementer oppresserat eos*: tum adjungit sequenti versu 5. *Erat autem Debora Prophetis uxor Lapidoth, quæ judicabat populum in illo tempore.* Ergo tempore Judicum Servitus Israëlitas opprimebat. Quod si verum est de hac servitute, cur & non de aliis? Cur enim Petavius Mesopotamenam excludit temporibus Othonielis? Moabiticam præfecturâ Aod? Sicut & Madianiticam Gedeonis? Cur Ammoniticam inserit temporibus Jair? Philistinam aliquot Judicum annis. Maneant igitur 480. illi anni sic putati inter Judices quos appellat Scriptura, ut nulli redundent, nulli desint, ab exitu de Ægypto; aut 440. ab irruptione in Palæstinam (nihil enim interest; & hoc pacto varietas codicum defenditur) neque levibus difficultatibus, quæ nec Scaligerum, nec ejusdemmodi audaces criticos, pugnaces alioquin homines terruerunt, nos abripi patiamur.

## QUÆSTIO VI.

*Quandonam inchoentur anni septuaginta captivitatis ab Hieremia prænunciatæ? quandonam finiantur?*

DE initio captivitatis hujus Judaicæ tres vulgo proponuntur opiniones, quæ magnos omnes vindices habent, & propugnatores.

PRIMA est Petavii, Gordoni, Tirini, & aliorum quorundam, qui eam desumunt ab anno 4. Joachini, & 1. Nabuchodonosoris.

SECUNDA est Cajetani, Genebrardi, Scaligeri, ab eo tempore, quo Jechonias abductus est Babylonem, eique substitutus Sedecias.

TERTIA denique communissima est reliquorum Scripturæ interpretum, qui eam constanter desumunt, à vastitate Hierosolymitana, & incendio Templi per Babylonios, quæ opinio literis sacris longè meliùs accinit, quàm aliæ duæ præcedentes.

*Primus* Scripturæ locus quo se tuetur hæc opinio desumitur ex Hieremiæ cap. 25. ubi hæc desolatio pronunciatur *universa* versu 11. *Et erit universa terra in solitudinem, & in stuporem,*

*vem, & servient omnes gentes istæ Regi Babylonis septuaginta annis.* At contigit tantùm, ut universa terra desolaretur, & omnes gentes servirent, excisâ urbe, incensoque templo; Igitur hinc deducendum principium 70. annorum. Præterea docet vates hæc eventura, ubi *Rex Ægypti de calice biberit*, & populi quos hic enumerat victi fuerint; at id factum duntaxat inflammato Templo, & capto Sedeciâ.

*Alter* locus depromitur ex lib. 2. Paral. cap. 36. versu 19. *Incenderunt hostes domum Dei, destruxeruntque murum Hierusalem, universasque turres combusserunt, & quidquid pretiosum erat demoliti sunt. Si quis evaserat gladium ductus est Babylonem, servivit Regi, & filiis ejus, donec imperaret Rex Persarum, & compleretur sermo Domini ex ore Hieremiæ, & celebraret terra Sabbata sua. Cunctis enim diebus desolationis egit Sabbatum, usque dum complerentur septuaginta anni.* Igitur hæc Sabbata, & 70. annorum desolatio sumitur ab incensâ domo Domini, & destructis Hierosol.

*Denique* Hieremias Epistolâ quâ denunciat Judæis sub Sedeciâ captivitatem habeturque ultimo capite Prophetiæ Baruch versu. & 2. Ita loquitur. *Abducemini in Babyloniam captivi à Nabuchodonosor Rege Babyloniorum, &c. eritisq; ibi annis plurimis, & temporibus longis, usque ad generationes septem; post hoc autem educam vos in pace.* Hic autem, omnium Interpretum judicio, *per generationes septem* intelliguntur septem annorum decades, seu anni 70. Igitur à capto Sedecia hi anni 70. decurrunt.

Quid ad hæc tam ἀποδεικτικὰ adversarii? Dicuntur hi anni, inquiunt, 70. Desolationis, quia intra illos contigit desolatio. Ridiculè. Assume enim centum annos, assume ducentos, intra illos contigerit desolatio, ideone dicentur centum, vel ducenti anni desolationis. Sed præterea nihil dicunt, nam Hieremias tempore Joachini præcinit Judæis in pœnam contumaciæ 70. annorum captivitatem; sub initium enim capitis; *Quod factum est ad Hieremiam de omni populo Juda in anno 4. Joachim.* Et postea versu 11. *& servient omnes gentes istæ Regi Babylonis 70. annis:* Igitur tum non erat inchoata septuagenaria desolatio.

## QUÆSTIO VII.

### *De Olympiadibus.*

Ut hîc omittam primam Olympiorum certaminum institutionem ab Hercule, duo numerantur initia Olympiadum.

*Primum* conjungitur cum anno τῆς ἐπιτροπίας, seu Tutelæ Lycurgi annis post Trojam eversam 300. ante Olympiadem in qua fuit victor Coræbus 108. Id est anno Mundi 3170. Meminerunt hujus Principii Olympiadum Aristodemus Eliensis, & Polybius apud Eusebium: traduntque viginti septem Olympiadas totas ad Coræbum usque decurrisse, sed sub initium 28. victorem hunc fuisse renunciatum, ac tum primum nomina Olympionicarum notari consuevisse. Quin etiam eos annos Iphitæos vocant bonæ notæ scriptores, cùm Iphitus Lycurgi σύγχρονος fuerit; cujus etiam sententiæ authorem Plutarchus laudat Aristotelem. Vulgò tamen Iphitæi anni sequenti Olympiadum initio tribuuntur.

*Alterum* ergò idque receptissimum principium à Coræbo victore in stadio ducitur, ex quo Olympiades, tempus in Græcia celebratissimum defluxerunt. Dictæ sunt ab urbe Olympiâ Pisâ, in Elide, & celebrabantur ad Alphæum fluvium, magno totius Græciæ concursu quarto quoque anno absoluto. Quare cum singulis Olympiadibus assignantur anni quinque, tum computantur extrema. Hos autem ludos, vel instituit, vel potiùs reparavit Iphitus Rex Elidis ex genere Herculis, circa solstitium Æstivum: Itaque Olympiadum anni non conveniunt cum anno Romano à Kalendis Januarii, unde sæpè natus error.

Hic porrò annus primus Olympiadum seu Iphitæus ab ἁλώσει Troiæ 408. annis disjungitur, & ante Romam conditam ex computo Varroniano annis 22. caditque sine dubio in annum ante Christum 776. inchoatum, & 777. absolvendum, ac proinde ex nostro calculo in annum Mundi 3278. Is autem annus demonstratur ex Thucididæis Ecclipsibus quarum meminimus in Elementis Chronologiæ, quæstione 17. & ex illustrissimo loco Censorini; de quibus vide Petavium in Doctr. Temp. & Rationario; sed distinctiùs in libello Gallico quem inscripsit *Lydium lapidem* adversus delirum, ineptumque Chronographum, ubi hoc caput de Olympiadum annis magis eruditè tractari nequit.

## QUÆSTIO VIII.

### *De Anno Urbis conditæ, sive de Romanis Palilibus.*

De anno Urbis conditæ, duæ celebriores eruditorum opiniones proferri solent.

PRIMA est Verrii Flacci, & Fastorum Capitolinorum, qui sunt quasi acta publica: hæc autem urbem conditam ponit anno 4. Olympiadis sextæ exeuntis.

ALTERA longè illustrior utpote Imperatorum calculo sæpe firmata, & adhibita semper in sæcularibus ludis, est M. Varronis, viri sui temporis undecumque doctissimi. Is urbis conditum rejicit in annum tertium ejusdem Olymp. seu annum Iphiti 23.

Quò autem anni hujus tempore Urbs statuta sit, dubitatur: Nam Palilia sub finem Aprilis edebantur, celebrata in honorem nascentis Urbis. At Tarutius Firmanus qui Urbis Genethliacas rationes confecit, ait eam Octobri mense conditam: cui & accinit Manilius lib. 4. *Hesperiam sua Libra tenet, qua condita Roma.*

Annus autem conditæ Urbis colligitur ex variis Ecclipsibus, quarum celebratissima est Lunæ quæ contigit nocte ejus diei, quo debellatus est Perses, & quam Sulpitius Gallus Tribunus Militum, jubente Paulo Æmilio pro concione exposuerat, tempore æstivo.

Ea autem contigit nocte inter 21. & 22. Junii. Hæc autem ex tabulis Astronomicis cadit in annum ante Christum 168. quod planè convenit Varronianæ supputationi, & annum Urbis conditæ rejicit in annum ante Christum 753. Olympiad. VI. annum 3. Mundi 3301. Periodi Julianæ 3901.

## QUÆSTIO IX.

*De Æra, seu Epocha Nabonassaris.*

QUis fuerit iste Nabonassar non est facilè statuere. Neque enim est Salmanassar, ut demonstrat Petavius; nec (quod turpiori adhuc errore credidit Alexander Polyhistor) Sardanapalus. Suspicatur Petavius hunc Nabonassarum esse Baladan Merodachi patrem, cujus fit mentio 4. Regum cap. 20. aut certè Ilulæum, qui notatur in canone Mathematico Ptolemæi, quem Scaliger edidit. Sanè hîc satiùs est fateri ingenuè te nescire, quàm cum periculo lapsûs vaticinari.

Porrò Æra ista nobilis ex variis Ptolemæi observationibus, secundùm eam directis, cadit in annum septimum Urbis conditæ, & ante Christum natum 747. Olympiad. 8. ann. 1. (hoc est mundi 3307.) Id autem rectè conficit Petavius, & in Doctr. Temp. & in Ration. part. 2. lib. 3. cap. 3. cùm ex Ecclipsibus variis, tum ex illustri loco Censorini. In canone autem Scaligeri jam citato, fit mentio Mardokempadi, qui annis tantùm 26. ab initio Nabonassari removetur. Videtur is esse Merodach filius Baladan, qui misit legatos ad Ezechiam circa annum 14. Regni ejus, ***ut illum interrogarent de portento, quod acciderat super terram***; ***ex quo loco Ezechiæ tempora colliges.***

## QUÆSTIO X.

*In quæ tempora cadat historia Judithæ.*

PRætermissis ea de re variis opinionibus, ut Eusebii, & qui eum secuti sunt Augustini, Bedæ, &c. sub Canalysi, Sulpitii Severi sub Ocho, Riberæ, & Tornielli sub Xerse: Adrichomii sub Artaxerxe, Mercatoris sub Dario Hystaspidâ, &c. existimo, cum Serrario, Bellarmino, Petavio, aliisque sexcentis Judithæ historiam ad Manassis tempora pertinere, cùm Rex iste captivus apud Babylonios detineretur.

Fuit autem Nabuchodonozor, de quo fit mentio in hac historia, Merodachus, seu Mardokempadus Babylonius princeps qui Manassem ceperat. Medis tum præerat Arphaxadus, quem Deiocem Petavius, aliique putant; Is Ecbatana condiderat, id est repararat, ut etiam tradit Herodotus. Nabuchodonozoris autem nomen ita convenit Babyloniis, ut etiam Assyriis aptaretur, sicut ostendit contra Scaligerum Serrarius. Manasses ergo captus sit à Principe Assyrio, seu Babylonio regni sui octavo. Sequenti anno Nabuchodonozor vicerit Deiocem, seu Arphaxadum, miseritque legatos in Syriam. Manassis decimo, Nabuchodonozoris 15. venerit in Syriam Holophernes, & ad Bethuliam caput perdiderit ebrius Judithæ manu. Certè hæc gesta esse absente Rege innuit Scriptura, cujus in hac Historia nulla mentio, sed tantùm Pontificis, qui Regis absentis gerebat vices. Captum autem Manassem esse, & ductum Babylonem catenis vinctum traditur lib. 2. Paralip. cap. 33. at quandiu fuerit in vinculis non adscribitur. Probabile videtur emissum esse à Babylonio; quasi Rex ille liber sibi futurus esset utilior fœderatus, quàm vinctus, & captivus.

Objiciuntur Achioris verba, ex quibus tum colligitur destructum fuisse Templum Hierosolymitanum, in codicibus Græcis ὁ ναὸς τοῦ Θεοῦ αὐτῶν ἐγενήθη εἰς τὸ ἔδαφος. Sed responderi potest, vel Achiorem ignarum rerum Judaicarum loqui, ut Gabaonitæ in libro Josue; vel hæc de templo non legi ab Hieronymo, qui hunc librum Latinè vertit ex Chaldæo, & à Græcis addita quæ Eusebium & Augustinum induxerunt in fraudem; vel denique ut notat Serrarius hæc esse intelligenda de prophanatione, quam à Babyloniis factam esse meritò pleriq; suspicantur.

Ad reliquas objectiones Heterodoxorum ferè, observa captum fuisse Manassem à Babylonio Principe, non ab Assyrio Rege: Ignotam tum Assyriis Hebræam gentem, utpote tenuem, & quam totam putabant à suis Imperatoribus abductam, & alia quæ apud Bellarminum, & Serrarium leges.

## QUÆSTIO XI.

***De tempore Estheris, & quis fuerit ejus maritus Assuerus?***

MUltis maritis pulcherrima hæc mulier apud Scriptores nupsit, Artaxerxi, Ocho, Dario Medo, Cambysi, Dario Hystaspidæ, Xerxi, Artaxerxi Mnemoni, denique Artaxerxi Longimano, cui uni videtur relinquenda.

Non fuit Estheris maritus ***Artaxerxes Ochus***, alioqui liber Judithæ non esset in Canone, inquit Josephus, cùm post Esdram, ut asserit, nulli recepti sint Canonici. Et præterea seniores fuissent Esther, atque Mardochæus.

Non ***Darius Medus***; quia ***Artaxerxes*** est Persica vox, non Medica: nec adeò extensum fuit ejus regnum, ac Assueri, divisum in 127. provincias ab India ad Æthiopiam.

Non ***Cambyses***, quamvis faveat ei nomen: Esdræ enim 1. cap. 4. dicitur Assuerus: at tantùm Cambyses regnavit 7. annis: Assueri legitur Regni 129. cap. 3. hujus Historiæ vers. 7.

Non ***Xerxes***, quidquid Scaliger deblateret, & nos plumbeos, Asinos, Ceritos appellet. Nec enim moramur eum more suo convicianτem, nec hebraizantem, quasi Xerxes sit Hebræis [illegible], Esther Græcorum & Herodoti Ἀμήστρις, vel Ἄμιστρις, quam Hebræi efferunt ***Hesther.*** Sed tempora quæ producit bonus ille Chronologus non conveniunt, & aliunde Amestris illa notu est, & genere nequaquam Hebræa.

Non ***Darius Hystaspis***; quia hic habuit uxores duas nobis notas neutram Judæam cùm constet eas Cyri filias fuisse Atossam, & Artistonam.

Non

Non *Artaxerxes Mnemon*, tum quia liber non esset in Canone, utpotè posterior Esdrâ; tum quia Plutarchus qui vitam ejus accuratè conscripsit nihil habet quod Estherem sapiat: neque verò uxores ejus conveniunt Statira veneno sublata, aut Atossa Persica mulier.

Superest ergo ut sit *Artaxerxes* μακρόχειρ seu *Longimanus*, & ita Josephus putat: convenit etiam Nehemias Judæus Regis Pincerna, & extera bellè quadrant.

Ad difficultatem de ætate Mardochæi dici potest translatum fuisse non in se, sed in Patre, aut avo, quod est Scripturæ familiare. De Amano *Macedone* etiam difficultas movetur, quod longè postea Persis noti fuerint Macedones: verum ut arbitror Aman hoc loco dicitur *Macedo*, id est *Peregrinus* & *Externus*; Itaque nomen gentis non erit: ut apud nos dicuntur Turcæ, qui Turcæ revera non sunt; & in Oriente Hispani & Angli etiam vocantur Franki. Itaque Macedo idem erit ac *Peregrinus*, aut, si voles idem ac *Occidentalis*. Vide si plura petis Bellarminum, Serrarium, & Petavium, &c.

## QUÆSTIO XII.

### *Quid sint? & unde incipiant, ubi desinant 70. Hebdomades Danielis?*

HÆ septuaginta Hebdomades omnium consensu sunt septies septuaginta decades annorum, seu quadringenti nonaginta anni quos pariunt septuaginta septies replicati.

Quidam recentes Chronographi, secuti veterem Chronologum Africanum, huc obtrudunt annos Lunares simplices etiam detractis ἐμβολιμαίοις, & qui reddant tantùm annos 475. Sed communiter exploduntur, & videtur propriè, ac populariter Angelus locutus Danieli, de annis Solaribus.

Ait ergo μεσαζούσης τῆς ἑβδομάδος *in dimidio*, seu *dimidia parte* ultimæ *Hebdomadæ*, seu ultimo annorum septennario, ac proinde tertio cum dimidiæ ultimæ decadis, finem imponendum esse legalibus sacrificiis, quando Christus in cruce moriens exclamabit *consummatum est*. Erit ergo initium hujus Hebdomadis ultimæ principium τῆς κηρύξεως Christi; tum post tres annos evolutos cum dimidio, & post quatuor paschata morietur in cruce Christus: ac denique anno Christi 36. mundi 4090. ultima Hebdomas Danielis terminabitur. Inchoabuntur igitur hæ 70. Hebdomades anno mundi 3600. tolle enim 490. ex 4090. restant 3600. Is autem cadit in annum 20. Artaxerxis Longimani, quo urbs sancta plenè, perfecteque à Nehemiâ absoluta est, & inde illæ 70. Hebdomades decurrunt. At observa Regni Artaxerxis principia esse duo, primum quando cum patre regnare cœpit, alterum post parentis obitum. Hic autem 20. annus à primo regni principio debet procedere; Sicque intricatissima difficultas, omnium judicio, non difficiliter expedietur.

## QUÆSTIO XIII.

### *De initio periodi Culippicæ.*

CUm videlicet Calippus insignis Mathematicus minùs aptam esse Methonicam Enneadecateridem, ut cursus Lunaris, cum Solari adæquaretur; aliam excogitavit ipse, annorum 76. in quâ nihil penitus commutavit de situ mensium intercalarium.

Hæc autem periodus inchoata est anno, qui secutus est proximè victoriam Alexandri ad Arbella de Dario, celebrem Ecclipsi Lunari: ac proinde ejus periodi exordium cadit in annum 3. Olymp. CXII. Nabonassaris 419. ut erudite probat Petavius ex quatuor Timocharidis observationibus illigatis periodi Calippicæ apud Ptolemæum. Itaque hujus æræ principium conjungitur cum Urbis conditæ 424. mundi 3724. per Jul. 4384.

## QUÆSTIO XIV.

### *De Ephoca Alexandrea, seu Philippica.*

DIcta est hæc Æra *Alexandrea* quia cadit in obitum Alexandri Magni: nuncupatur autem *Philippica*, ab Astronomis *Philippi Thoth*, quia mortuo Alexandro Magno substitutus est in ejus locum Aridæus Philippi ex pellice filius, quasi Regis larva, à Ducibus, quorum intererat tum aliquem Alexandri successorem renunciari; Is autem Aridæus tum in gratiam patris, dictus est Philippus, & ab eo periodus seu Epoche, vel Æra Philippica. Distat autem à Calippicâ septem annis, sed computatis extremis.

Hæc autem cum incipiat à morte Alexandri qui obiit Olymp. 114. an. 1. mensis Julii 19. ut demonstrat Petavius; ejus initium est idem annus 1. Olymp. 14. Nabonassaris 425. periodi Julianæ 4390. urb. cond. 430. mundi 4730.

## QUÆSTIO XV.

### *Quid sit Æra Seleucidarum.*

NOmen trahit hæc Epoche à Seleuco in Syria Rege, quondam Alexandri Magni Duce. Arabes eam vocant *Terik dhikain*, seu *Dilkarnaim*, id est, Æram τῦ Αμέρωτος *Cornigeri*, quomodo Alexandrum Magnum appellant, qui se Jovis Ammonis Cornuti filium putari volebat. Judæi appellant Æram contractuum, quod eam in suis contractibus adhiberent: in libris Machabæorum dicitur Æra *Imperii Græcorum*, quamquam aliter in primo aliter in secundo libro usurpetur.

Jam verò Æra ista ducit initium ab anno 12. post Alexandri obitum: quando Seleucus Babyloniâ potitus mortuo Alexandro, & ex eâ fugatus, Antigoni metu, illam cum exiguâ Macedonum manu, fugato Nicanore Antigoni Duce, recupe-

cuperavit. Et quamquam ex eadem urbe postea pulsus esset per Demetrium Antigoni filium, reditus tamen primus Seleuci fixit Æram Seleucidarum ad Olympiadem 117. ineuntem, seu ejus annum primum, qui est ab nitio Cyri 248. Nabonassaris 437. Ante Christum 312. post Trojæ ἅλωσιν 882. Urbis conditæ 442. mundi 4742. periodi Julianæ 5342.

Porro *Imperii Græcorum* duplex initium in Machabæorum libris. Liber enim primus procedit à Nisan seu vere; liber secundus à Tisri sequente seu Autumno: atque ita liber primus antevertit secundum, non uno anno, sed tantùm mensibus sex, quamvis inter putandum uno anno prævenire videatur. Id autem omissis aliis, ex uno loco conficitur apertissimè. Antiochus Eupator primo Machabæorum Hierosolymam obsedit anno Græcorum 150. qui Sabbaticus erat, ut hîc innuitur, & asserit Josephus. Libro secundo eadem obsidio traditur contigisse anno Imperii Græcorum 149. qui & fuisse dicitur Sabbaticus. Quod stare nequit nisi qui à Tisri numeratus est 149. à Nisan habeatur 150. Unde multò magis refelles eos, qui mensibus 18. voluerunt librum secundum primo præveniri; quod inde falsitatis convincitur, quod annus ille libro secundo esset 148. non 149.

## QUÆSTIO XVI.

### *De Æra Antiochena.*

INvenitur & alius computandorum annorum character ductus ab eo tempore quo Antiocheni sunt αὐτονομίαι consecuti, à Julio Cæsare victore Pompeji in pugnâ Pharsalicâ, quando inquit Chronicon Alexandr. pag. 438. προετέθη ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ μεγάλῃ ἐλευθερία αὐτῆς *proposita in Antiochia urbe magna libertas ejus*, καὶ πρῶτον ἔτος τῆς πεντεκαιδεκαετηρίδος, ἀπὸ πρώτου ἔτους Γαΐου Ἰουλίου Καίσαρος *annus primus pentecadecaeteridos ab anno primo Julii Cæsaris.* Id autem quamquam contigisset 23. Maij ut observat idem Chronicon; ductum est nihilominus ejus initium à mense Octobri, ut docet Petavius, videlicet secundum Orientalium morem. Ea autem maxime utitur Evagrius Historicus, ex quo potissimum hujus Epochæ initium conficitur.

Hæc autem sine dubio ex putatione Evagrianâ ut pluribus accuratissimè docet Petavius cadit in Olympiadis 183. ann. 1. Urb. Cond. 706. ante Christum 48. Nabonassaris 701. mundi 4006. periodi Julianæ 4666.

## QUÆSTIO XVII.

### *De Annis Julianis.*

CAjus Julius Cæsar Dictator ordinaturus Reipublicæ Romanæ perturbatissimum statum, ab anno emendando duxit exordium, quod corruptus is esset, corruptis Pontificum intercalationibus. Itaque adhibito Sosigene insigni Astrologo, & aliis Mathematicis, ad eam formam annum Romanum revocavit, de quâ diximus in Elementis Chronologiæ Quæsito 5. Id ut faceret annum induxit qui *confusionis* appellatur constantem ex diebus 445. ut notat Censorinus cap. 20. de die Natali, quo Kalendis Januarii proximis annus emendatus Julianus, ab Authore dictus, procederet.

Is autem annus est Urb. Cond. 709. Ante Christum 45. Olymp. CLXXXIII. ann. 4. mundi 4009. Nabonassaris 704. cujus Thoth fuit 3. Septembris periodi Julianæ 4669. Cyclo Solis 21. Lunæ 4. litteræ Dominicales C.B. quando Cæsar 4. iniit Consulatum, ut scribit Censorinus, & Dio huic adstipulatur. Hujus autem anni sedes probatur ex Ecclipsibus sub Augusto, Claudio, Nerone, de quibus consule Petavium.

## QUÆSTIO XVIII.

### *De Æra Hispanica.*

UNde id nominis *Æra* deductum sit torsit hactenus frustra Philologus: Apage enim quæ hîc de Ære, seu Tributo Hispani somniant. Meliùs dicetur Æram significare notam numeri, vel computum, aut supputationem quod colligit ex Nonio Marcello Resendius, & apud eundem Marcellum ex Lucilio. Nec etiam occurrit ratio, cur hæc nota temporis excogitata sit, & huic anno potissimum affixa: quæ enim ab Hispanis, & Scaligero proferuntur mera somniantium deliria sunt, quæ tam prudenter tacentur, quàm ignorantur.

Jam verò hæc Æra cadit in annum 8. Julianum qui habuit Coss. Appium Claudium, pulchrum, & C. Norbanum Flaccum, Urb. Cond. 716. mundi 4016. periodi Julianæ 4676. quod ex multis Idacii locis, qui maxime eâ usus est, conficit Petavius. Hunc consule & in Doctr. Temp. & in Rationario.

Observabis autem hanc vocem *Æra*, non fuisse Hispanis peculiarem, & addictam; si quidem præfigitur Carthaginiensibus Conciliis, & Gallicis, & passim S. Leonis Epistolis: quæ aliàs Barbara, & exotica, peregrinitatem amisit aliquando, à sequioris ævi Scriptoribus usurpata, pro temporis notâ.

## QUÆSTIO XIX.

### *De Augusti principatu, ejusque initio.*

QUinque ex Historiâ Romanâ colligi possunt Octaviani principis initia.

PRIMUM ab avunculi sui nece Idibus Martiis anno Juliano secundo Urb. condit. 710. mundi 4010. Olymp. 184. ann. 1. Nabonassaris 705. periodi Julianæ 4670. Tumque Octavianus erat annorum 18. cum 6. mensibus circiter.

SECUNDUM ducitur ab ejus Triumviratu cum M. Antonio & Lepido, qui initus est anno sequen-

ſequenti v. c. 711. mundi 4011. Ex alterutro horum principiorum Auguſto tribuas licet 57. vel 56. imperii annos.

TERTIUM ab Actiacâ victoriâ, quâ potitus eſt fugato Antonio Urb. condit. 723. die ſecunda vel tertia Septemb. Juliano 15. ante Chriſtum 31. Nabonaſſaris 718. mundi 4023. Periodi Julianæ 4683. quo tempore ut vult Joſephus Herodes Regni ſui anno 7. variâ ſorte cum Arabibus depugnabat.

QUARTUM ab Antonii & Cleopatræ nece, quorum ille Kal. Sextil. ſeu primo Auguſti, hæc quarto Kal. Sept. ejuſdem Auguſt. 29. ſibi necem conſcivere, quando ut canit Horatius Octaviano victori:

*Portus Alexandrea ſupplex.*
*Et vacuam patefecit aulam.*

Is eſt urbis cond. 724. Julianus 16. Ante Chriſtum 30. Nabonaſſaris 719. mundi 4028. periodi Julianæ 4684. Is autem eſt 14. à Julii Cæſaris nece: quare ad eum tria luſtra Horatii referri nequeunt, ſed cadunt in victorias de Rhætis & Vindelicis relatas annis 15. ab hoc principio.

QUINTUM denique ducitur ab anno quo Octavianus Cæſar anno Urb. cond. 727. Juliano 19. 17. Kal. Februarias authore Munatio Planco Auguſtus appellatus eſt, atque ex eo anno propriè anni Auguſtorum procedunt. Id ex Cenſorini aureo loco colligitur, qui annum Julianum 283. ait eſſe Romanum Auguſtorum 265. Is autem eſt mundi 4027. Nabonaſſaris 722. periodi Jul. 4687.

## QUÆSTIO XX.

### *De Annus Actiacis.*

ACtiaci quoque anni in Hiſtoriâ Romanâ celeberrimi, in tres diverſos annos cadunt, quia tribus modis conſiderari poſſunt.

PRIMO à victoriâ relatâ ad Actium, qui ſunt ἀπὸ τῆς ὂν Ἀκτίω μαχης. Hæc autem, Dione teſte, contigit Urbis conditæ 723. de quo ſupra egimus.

SECUNDO ſumitur ab anno quo fructum Actiacæ victoriæ Octavianus collegit in Ægypto, Antonio, & Cleopatrâ ſublatis: Maximè autem ab obitu Cleopatræ; à quâ ſicuti ſcribit Dio ex Senatus decreto Ægyptii tempora dinumerarunt. Is autem annus fuit Urb. cond. 724. qui Coſſ. Octavio IV. & Licinio Craſſo, prænotatur. Et hunc Actiacum Ægyptiorum annum vocat Cenſorinus, committitque cum Juliano 16. ut benè Petavius monet.

TERTIO denique quando anni Ægyptiorum, ex erroribus facti ſunt immobiles anno Nabonaſſaris 714. cum Neomenia Thoth incidit in Auguſti 29. & deinceps ad unum diem ſemper alligatus eſt ad formam anni Juliani. Hanc Epocham Theon vocat ἀποκατάστασιν, quæ accidit annis 5. à Cleopatræ nece qui fuit Urb. cond. 729. mundi 4027. periodi Julianæ 4687. De eo vide Petavium de Doctr. Temp. lib. 10. cap. 71.

## QUÆSTIO XXI.

### *De Annis Herodis, & eorum initio.*

PEndet principium Regni Herodiani, ex duplici ejus initio, de quo Petavius de Doct. Temp. lib. 10. cap. 65. & alii Chronographi.

PRIMUM cadit in Urb. cond. 714. Cn. Domitio Calvino ſecundum, & C. Aſinio Pollione Coſſ. Olymp. 185. ann. 1. Nabonaſſaris 709. Juliano 6. Ante Chriſtum 40. quando Herodes Antipæ, ſeu Antipatri filius Regnum Iudææ obtinuit à Senatu præter ſpem, cum Romam fugiſſet ad Antonium, Antigono filio Ariſtobuli per Pacorum, & Parthos reſtituto, & exauthorato Hyrcano.

ALTERUM cadit in Urb. condit. 717. M. Vipſanio Agrippâ, & L. Caninio Gallo Coſſ. cum captis à C. Soſio, & Herode Hieroſolymis ipsâ jejunii die anno Sabbatico, Antigonus captus cruci affixus, & jugulatus eſt, ultimus ipſe Rex Haſamonæorum. Is annus eſt Iulianus 9. Olymp. 185. 149. mundi 4017. Iulianæ periodi 4677. Nabonaſſaris 712. Inde ergo procedunt anni ejus anni 37. qui à Ioſepho ei tribuuntur; alioquin annis 41. regnaverit. Obiit autem anno quo Chriſtus natus, miſerè circa feſta Paſchalia ferè ſeptuagenarius, quamquam de ætate ejus ſit difficultas, ſicut & de anno mortis, de quibus recondita apud Petavium leges.

## QUÆSTIO XXII.

### *Quomodo intelligatur hoc Jacobi Oraculum de Chriſto. Geneſeos 49. verſ. 10.* Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, &c.

EXponitur hoc vulgò vaticinium, de naſcente Chriſto; quaſi is venturus eſſet quando *Sceptrum*, id eſt, *Regnum*, quod Tribus Iuda retinebat Leonis inſtar (unde Hebraicè legitur *de ſub pedibus ejus*) prædam conſervantis, in Herodis alienigenæ manus tranſierit. Erat enim is Idumæus, vel Aſcalonita, vel potius ex patre, & avo utrumque, Proſelytus. A Romanis factus eſt Rex Iudæorum ſublatis legitimis hæredibus.

Verum hæc ſolutio difficultate non caret: neque enim Tribui Iudæ alligatum erat regnum & populi Hebræi regimen: ſi quidem in Tribu Benjamin regnum fuit, & judices quidam ex aliis tribubus legitimè popu-

populum guvernavere. Quin Hasamonæi qui Hebræam Remp. administrarunt, non erant ex Tribu Iuda, sed Leviticâ: & dicere genere materno contigisse Iudam, nihil est dicere, si quidem Tribus Levi cum omnibus aliis copularetur.

Respondeo igitur cum Petavio hîc per *sceptrum* intelligi administrationem politicam, per Juda autem non solam Tribum Juda, sed reliquos Judæos, qui tum unum corpus politicum efficiebant. Tum ergo sceptrum defecisse dicitur, cum non Judæus origine, & sanguine sed Idumæus, & ἀλλόφυλος; nec electus à Judæis sponte, sed ab exteris vi & armis intrusus regnum usurpavit. Sicque Prophetia adimpleta est, & Christus diu expectatus venit. Cætera quæ habet Petavius de Republicâ sensim deficiente, non placent, & exitum hujus oraculi longiùs rejiciunt, scilicet ad ἅλωσιν Hierosolymitanam.

## QUÆSTIO XXIII.

### *De anno Christi Natali*, sive De Aera Dionysiana.

Dionysius cognomento Exiguus qui vivebat tempore Justiniani Imp. fuitque Cassiodoro familiaris, tradidit nobis Aeram communem, & quâ hactenus Christiani usi erant nemine reclamante, donec hoc & superiori sæculo ea in controversiam venit; quæ Christianos in eo ita disjunxit, ut de Christi Natali anno, jam sex numerentur opiniones. Porro aliud est verus Ortus Christi, aliud Aera Christiana: nam ortus Christi in finem anni labentis cadit, & 25. Decembris, Aera in principium anni sequentis rejicitur, & Kalendas Januarii mox imminentes.

Nos constanter opinioni Dionysii & Ecclesiæ adhærescimus, neque Dionis & Josephi auctoritate nos abripi patimur, ut rem tot sæculis receptam relinquamus. Nam quod attinet ad Josephum legatur Salianus, ex quo prope volumen conficias ex erroribus Josephi; certè circa hæc tempora graviter allucinatum esse sapiens nemo negaverit. Dio autem quam negligens fuerit in Judaicis rebus, quàm de iis ἀνεξετάστως scripserit etiam fatentur qui ejus scripta deosculantur. Ex hoc uno tu ejus alia σφάλματα disces. Libro 48. ubi de duobus filiis Aristobuli loquitur fratrem Hyrcani non Antigonum uti reverâ nominabatur, sed Aristobulum vocat. I nunc & hujus hominis arbitrio rem contestatissimam, dirimendam committe.

Objicimus autem in Synopsi, & sententiam nostram, & aliorum qui ab eâ recesserunt, quos hic refutare non licet, ne nimium opus excrescat.



SYNO-

# SYNOPSIS OPINIONUM. DE ANNO NATALI CHRISTI.

| *Anni mundi* | Autores. | *Anni V.C.* | Consules. | *Anni Jul.* | OLYMPiad. | *Per. Jul.* | *Nabon.* |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 4047 | ANTONIUS CAPELLA. | 747 | Tib. Clau. Nero. Cn. Calpur. Piso. | 39 | 193 2. | 4707 | 742 |
| 4048 | KEPLERUS | 748 | D. Lælius Balbus. C. Antistius Vetus. | 40 | 193 3 | 4708 4.15. C. | 743 |
| 4049 | DEKERIUS PETAVIUS. | 749 | Aug. Cæsar XII. L. Cornelius Sulla. | 41 | 193 4 | 4079 5.16. B. A. | 744 Au. 24. |
| 4050 | O | 750 | C. Calvisius Sab. II. L. Passienus Rufus. | 42 | 194 1. | 4710 16.17 C | 745 |
| 4051 | BARONIUS SCALIGER. CALVISIUS GORDON. | 751 | Cn. Corn. Lentulus M. Valer. Messalin. | 43 | 194 2. | 4711 7.18. F. | 746 |
| 4052 | ONUPHRI. PERERIUS. SALIANUS. | 752 | Aug. Cæs. XIII. M. Plautius Sylvan. | 44 | 194 3 | 4712 8.19. E. | 747 |
| 4053 | DIONYSIUS exiguus Ecclesia & multi. | 753 | Cor. Lentulus. Calphurnius Piso. | 45 | 194 4. | 4713 9.20. D. C. | 748 |
| 4054 | ÆRA Christi DIONYSIANA. | 754 | C. Julius. Cæs. N. A. L. Æmilius Paulus. | 46 | 195 1. | 4714 10.21. B. | 749 |

## QUÆSTIO XXIV.

*Quo ætatis suæ anno passus fuerit Christus?*

NOn hic proferam varias, absonasque de anno Christi patientis sententias ut Irenæi inter 40. & 50. annum, cum tamen baptizatum dicat XV. Tiberij Cæsaris : ut Clementis Stromatei qui anno vitæ 30. cùm 15. annos sub Augusto 5. sub Tiberio contrivisset; sic & eorum omnium qui sub Geminis eum esse passum voluerunt, de iis si otium est vide Petavium de Doctr. Temp. lib. 12. cap. 9. ubi multa leges scitu non indigna. His prætermissis, sicut & de pluribus Paschatis breviter.

DICO Christum passum esse ætatis suæ anno 33. cum aliquot mensibus ; hoc est decurisse τρία ὁλόκληρα ἔτη, vel ut distinctiùs Ignatius, & Eusebius τρία καὶ ἥμισυ ἔτη τῆς μηνύξεως, & post τρεῖς τῶν ἐτῶν δεκάδας. Itaque Christi Passio incidit in Olymp. 202. annum 4. urb. cond. 785. Mundi 4085. 19. Tiberij jam ab aliquot mensibus inchoato Ser. Sulpitio Galgâ, & L. Cornelio Sullâ Coss. Probatur testimonio Phlegontis, cujus verba laudantur in Chronico Alexand. & apud Simplicium, ubi fit mentio Ecclipseos quæ contigit patiente Christo his verbis. Τῷ δὲ τετάρτῳ ἔτει τῆς σβ΄. Ὀλυμπιάδος ἐγένετο ἔκλειψις Ἡλίου μεγίστη τῶν ἐγνωσμένων, καὶ νὺξ ὥρᾳ ἕκτη τῆς ἡμέρας ἐγένετο, ὥς καὶ ἀστέρας ἐν οὐρανῷ φανῆναι, σεισμός τε μέγας κατὰ Βιθυνίαν γενόμενος. *Anno quarto ducentesimæ secundæ Olympiadis facta est Ecclipsis maxima quæ antea in cognitionem venerunt ; & nox hora sexta diei facta est, ut astra in cœlo apparerent, & terræmotus magnus in Bithynia factus est.* Conveniunt ferè verba Dionysii Ep. 7. ad Polycarpum, quibus abstineo, quia revocantur in dubium. Hoc dico Origenem uti illo testimonio, ut gentiles convincat, & Tertullianum provocare ad Archiva Ethnicorum, quibus hæc continebantur. Nec dicant obsistere observationes cælestes : nam ut asserunt in hac arte Magistri quos novi, & qui magnam vitæ partem in his Mathematicis observationibus contriverunt, omnes cum hoc anno tam benè conveniunt, ut jam prope temerarium videatur sententiam adeo expeditam, nostrorumque & externorum testimoniis confirmatam in dubium revocare.

---

## QUÆSTIO XXV.

*De excidio urbis Hierosolymæ atque Templi per Titum.*

NOn conveniunt quoque de hoc tempore Chronologi, quorum omissis variis opinionibus, & maximè veterum caduco, & ruente fundamento subnixis.

DICO Hierosolymam captam esse anno Vespaniasi 2. Templum incensum esse Loi, vel ab Lunarium X. die hoc est Augusti Feria V. quæ feria prima fuit : urbem verò penitus venisse in Romanorum manus die x. Goripiæi, sive Augusti XXXI. Feriâ VII. anno à Christo nato 70. à passo 32. anno Juliano 115. urb. cond. 823. Olymp. 112. anno 2. mundi 4123. Periodi Julianæ 4783. Hæc autem ducta ex Iosephi libris ἁλώσεως certiora sunt, quàm quæ ex putationibus quorumdam veterum circumferuntur. Hoc autem excidio gens per universum orbem sparsa est, testis pœnâ suâ, criminis quod cædendo Christum admisisset. Meminit Christi perhonorificè Iosephus; at hanc laudem insertam esse à Christianis Iudæi contendunt, & iis aliqui Christiani adstipulantur. Nonnulli tradunt ex Iosephi versione in Hebraicam linguam, scripta etiam antequam Eusebius scriberet, & manuscripto codice paginam unam Iudæos abstulisse Romæ, unde poterant revinci. Sed hæc majoris est otii, & operis controversia, quàm aliàs excutiemus.

---

## QUÆSTIO XXVI.

*De Aera Martyrum, seu Diocletiani.*

CEleberrima est Epocha seu Aera dicta *Martyrum* quâ usi sunt Christiani Ægyptii, eamque dicebant τοῦ Πασχαλίου, seu Æram τοῦ Πασχαλίου. Antea dicebatur *Diocletiani*, sed in odium hominis Sanguinarii, Christiani expunxere nomen ejus, & ei Martyrum indidere appellationem.

Ejus autem periodi quando contigerit initium non levis est difficultas. Hactenus creditum est inchoasse ab ejus Imperio, &c. Consulatu cum Aristobulo, qui cadit in urb. cond. 1038. Olymp. 266. an. 1. Periodi Iulianæ 4998. sed ex Gruteri inscriptione colligitur anno superiori jam creatum fuisse Diocletianum Imp. quia in ea 29. ejus Consulatus cum Aristobulo notatur 29. Tribunitiæ potestatis, at Tribunitia potestas inchoatur cum Imperio. Aeræ ergo Diocletiani initium ducitur ab anno Christi 284. urb. cond. 1037. Olymp. 265. an. 4. Nabonassari 1933. cujus Thoth cadebat in 13. Iunii, Mundi denique 4337. Non inchoari autem à Palilibus, primus deprehendit Petavius, quod vulgò dicebatur ex Panegyrico malè intellecto.

---

## QUÆSTIO XXVII.

*De Indictione.*

QUis fuerit author Indictionum, & quandonam cœperint illæ, nihil est quod sciam in totâ Chronologiâ incertius; neque certius unde id nominis quindecim annis ita collectis, ac decurrentibus impositum sit. Quod enim vulgò dicitur de triplici stipendiorum genere auri, argenti, æris semper procedentibus donec numerus 15. exhaustus esset, quod legitur apud S. Eligium serm. 2. perinde est ac si nihil diceretur; cur enim in 15. non in 20. quiescitur. Neque magis satisfacit quod dicitur Constantinum stipendia

dia militum à 16. ad 15. annum contraxisse; id enim gratis, & sine authore jactatur.

Quod spectat ad INITIUM, Chronicon Alexandrinum, seu Fasti Siculi, Indictiones incipit à primo C. Cæsaris anno, additque inchoari à 1. die Septembris. Nam ad illum annum adscribit ἀρχὴ Ἰνδικτιώνος: Tum Olymp. 273. ann. 1. Ἰνδικτιώνων Κωνσταντινιανῶν ἀντεῦθεν ἀρχή. Unde orta suspicio est ab Imperatoribus dictas Indictiones; maximè cum in codice Theodosiano fiat mentio Valentiacæ Indictionis.

Quidquid sit de aliis Indictionibus, initium CONSTANTINIANARUM, quæ plus celebritatis habent, sumitur à Christi anno 312. quo Coss. fuere Constantinus 2. & Licinius item 2. Immò exinde omnium Indictionum deducetur initium, ut bene Petavius probat.

Quis autem primus scriptor usus sit hoc nomine Indictionis dubitatur: Athanasii enim locus de Synodis, & in Synodo Romana meritò suspectus est Petavio. Mihi etiam non placet quod profertur ex Ambrosio ad Episcopos Æmiliæ, ob affectatum mensem unde incipit Indictio. Nihil quoque apparet in Nicena Synodo, quamquam eam citet Onuphrius Panvinius. Verùm Indictionis crebra in jure mentio, & in Conciliis. Observat etiam Petavius alio tempore inchoatas esse, quàm à mense Septembri; at in genere Constantinopolitanam incipere à Kal. Septembris; Cæsaream ab 8. Kal. Octob. Pontificiam à sequentibus Kal. Januarii certissimum est.

## QUÆSTIO XXVIII.

*De Epoche obitus S. Martini Turonensis Episcopi.*

MOrs S. Martini Turonensis in Galliâ Præsulis sanctissimi, fuit olim in Gallia temporis Epoche celeberrima, nec à Gallo Chronographo prætermittenda.

Obiit autem vir ille sanctissimus anno, ut putant eruditi, vel 400. vel 401. Quia ut scribit Gregorius Turonensis mortuus est die Dominicâ in vico Condate *Cande*; Ecclesia x. Nov. decessisse canit: at is dies non convenit nisi 400. qui erat revera Dominicus, aut 401. qui erat Feria 2. Sed nihil interest cum mediâ nocte expirarit, ut habet idem Gregorius. Fallitur autem ipse, cum id contigisse asserit Attico, & Cæsario Coss. nam hoc anno Christi 397. xi. Novemb. erat Feria 4. Minus errat Baronius, sed errat tamen, dum hanc mortem rejicit in annum 402. tum enim xi. Novemb. cecidit in Feriam tertiam. Placet tamen magis annus Christi 401. Quia scribit Severus Sulpitius Juliodunensis Martinum ex quo pollutus est communione Itacianorum pœnitentem vixisse annis sexdecim: at adiit Maximum Imperatorem Martinus eodem Sulpitio teste anno Christi 386. unde ad annum 401. anni 16. decurrunt. Addit *R. P. Brietii Annales.* Gregorius obiisse Martinum Episcopatus xxvi. ætatis 80. quæ excutere est alterius loci.

## QUÆSTIO XXIX.

*De initio Monarchiæ Francorum.*

INitium Monarchiæ suæ Franci ducunt à Pharamundo; Sed quod mirum! ne ejus quidem meminit primus Francicarum rerum scriptor Gregorius Turonensis, sed tantum Chlogionis, Merovæi; & Chilperici parentis magni Clodovæi.

Prosperi Chronicon editum à Pithæo viro doctissimo, ad annum Honorii 26. hæc habet *Faramundus regnat in Francia.* At Honorii annus 26. cadit in annum Christi 420. Igitur hoc anno, vel sequenti inchoata est Monarchia Francorum. De aliorum Regum Franciæ initiis consule Petavium Doctr. Temp. lib. xi. cap. 48. Qui hæc omnia miro labore, & industriâ investigavit, & excussit.

## QUÆSTIO XXX.

*De initio Mahamedis & Hegiræ Saracenicæ.*

MAhamedes nequissimus impostor, genere Arabs conditione Opilio, ex omnibus Religionibus, & sectis quæ tum vigebant superstitionem excogitavit ad distinendos homines factam, atque natam: Cum ejus causâ vocaretur in periculum capitis, fugit: & ab ejus fugâ nomen Hegiræ factum; est enim *Hegira* Arabibus quod Græcis διωγμός. Hæc autem fuga facta est die veneris, quæ Neomenia erat popularis Arabum, & Lunæ corniculatæ, ut putat Petavius Julij xvi. anni à Christo nato 622. Heraclij xii. Arabes autem νεομηνίας suas ἀπὸ τῆς φάσεως, & tertiâ Lunâ solent exigere. Prætereà ex antiquo Arabes colebant Venerem, & apud illos dicebatur Venus Κουβαρ; unde preces Mahumetanorum apud Cedrenum ἀλλὰ ἀλλὰ οὐα Κουβάρ, ἀλλά. Cum igitur hæc omnia in unum diem incidissent, dies veneris, φάσις Lunaris, & Prophetes suus fugâ ereptus morte, Hegiræ huic nomen, & celebritatem fecere.

Anno autem Heraclij 18. Christi 628. Mahamedes ex Æthribo urbe Fœlicis Arabiæ profectus cum suis Saracenis agrum ad habitandum armatus petiit, & impetravit. Obiitque anno decimo Hegiræ suæ, Christi 631. Heraclij 21. Imperii sui nono. Quæ quidem ex Theophane, & Cedreno certa, ut Hegiræ hujus in annum Christi 622. Julij 16. constitutio, ex Arabicis periodis prostat apud Scaligerum lib. 5. Emendationis temporum, quem consule si otium est.

## QUÆSTIO XXXI.

*De Æra Jezdezirdis Persæ.*

CElebris hæc Epocha, est maxime apud Astrologos Arabas, ducta à postremo Rege Persarum quem Saraceni Imperio privarunt, & vitâ. De hoc Rege scribit Haython Armenes, Saracenos anno Christi 632. Heraclio imperante irruentes in Chaldæam pugnasse cum *Aschaioth* Rege Persarum (ita vocat Jezdezirdem) eoque cæso Persico Imperio potitos, delegisse Imperatorem sibi ex stirpe Mahamedis, quem Caliphum dixere. Paulò post autem Turquianos (hi Turci sunt) qui Persis auxiliaturi venerant, sese Saracenis adjunxisse, & ab iis Mahumedicam hausisse superstitionem; Hæc Haytonius.

Primus autem mensis anni hujus Persici dicitur *Pharvadin*, aliter *Phurdin* qui anno isto 632. cecidit in diem Junii 16. & Feriam 3. Fuit autem hic annus 508. Periodi magnæ Cynicæ cujus hoc loco meminit Petavius; quem consule rem hoc loco accuratè tractantem lib. XI. cap. 51. & aliàs.

## QUÆSTIO XXXII.

*De anno Constantinopoleos à Turcis expugnatæ.*

CUm tam famosa fuerit urbis nobilissimæ expugnatio, venit tamen in controversiam tempus ejus, & dubitatur utrum an. 1452. an 1453. à Barbaris capta sit; Sed de die adhuc major difficultas: non defuerunt enim plerique viri boni qui hanc cladem rejicerent in Ferias Pentecostes, quasi Spiritus sanctus, de quo Græci non sentiunt ut Catholicos decet, tum ultionem in eorum capita effudisset, cum in nascentem Ecclesiam dona sua & gratias effudit; quæ ab Ecclesiastis magnâ verborum pompâ tractari solent & amplificari.

E duobus annis illis, 1452. magis arridet Petavio, idque probat ex historiâ Politicâ Constantinopolitanâ à Martino Crusio edita, ubi capta dicitur anno 6961. mense Majo, Feria tertia, manè qui annus Constantinopolitani computi detractis de more 5508. revovatur ad annum Christi 1453. Idem quoq; tradit Laonicus Chalcocondylas anno 1453. Feria tertiâ, mense Majo 27. ubi legendum 29. alioqui die Dominica capta esset.

De die certum est quoque venisse hanc urbem in Turcorum manus Feriâ tertiâ post Dominicam Trinitatis: Quod eruditè de more Petavius probat cap. ultimo lib. 11. Hic enim benè emendat. Chronicon Hungaricum Abrahami Batschæi, ubi dicitur urbs capta *Feria tertia post Corporis Christi, festum*, cum *ante* scribere debuisset.

## QUÆSTIO XXXIII.

*De principio anni secundum Francos, à Kal. Januarij numerari soliti, non à Paschate.*

NOn est omittenda postrema hæc Epoche, licet certissima quoad annum, quia ex ejus ignoratione non possunt intelligi instrumenta publica antiqua, non iisdem cum nostris temporum characteribus notata.

Carolus enim nonus edicto publico cavit anno Christi 1564. ne deinceps in publicis, privatisque Tabulis, & omni forensi instrumento duceretur initium anni à Paschate, sicut ad hoc usque tempus factitatum erat; verum ab Incarnatione, seu potius Kalendis Januarij. Is autem annus præterea re duplici memorabilis est; & quod Maximilianum II. Imperatorem agnovit, & Joannes Calvinus Maji 27. patriæ suæ, & Catholicæ Religionis fax sit extinctus Genevæ, ubi suæ sectæ Calipham agebat.




TOMUS PRIMUS

# ANNALIUM MUNDI,

*SEU*

# CHRONICI UNIVERSALIS,

*Ab Orbe condito ad Christi Natales perducti.*



Dividitur Tomus iste Primus in tres Partes.

## PARS PRIMA.

Præter ea quæ ex sacris litteris desumit, tempora continet,
ἄδηλον, & μυθικὸν,
Quorum meminit Censorinus libro de die Natali:
Quæ tamen, ut ille, non producemus tantùm ad Olympiadas, sed ad ROMAM conditam;
Eritque hoc tempus triginta trium Sæculorum,
Seu ter mille trecentorum annorum.

## PARS ALTERA.

Complectetur tempus ἱστορικὸν,
Ab URBE CONDITA,
Quæ non est minùs nobilis Epoche quàm OLYMPIADES
Ad CHRISTUM NATUM.
Et quia id tempus notius est & illustrius, septem duntaxat sæcula cum dimidio, seu annos,
Septingentos quinquaginta tres explicabit, sed quia pars uberior est,
In duo segmenta dividetur, quorum primum ad primum bellum Punicum producetur, aliud in Christo nato desinet.



# PARS PRIMA
## TOMI PRIMI,
CONTINENS
## TRIGINTA TRIA
SÆCULA.

Ab orbe condito ad Romam conditam.



*Uamquam hæc tempora parùm certa ſint, & multis fabellis involuta, id tamen damni ſacri codices penſant, & res à mundi cunabulis geſtæ, quas ignorari noluit DEUS, ipſe officio perfunctus hiſtorici. Hæc divina ſic proponemus, ut quæ de ſe fructum ferunt, non careant voluptate. Aſpergemus iis ex profanis Scriptoribus aliqua, quæ licet minùs certa ſint, ſicut minùs vera, ingenioſè tamen conficta excolent ingenium & mores effingent, quò potiſſimum hiſtoria collineare debet.*

Pars illa porrò prima, libris decem coercebitur. *Primus* Chiliadas annorum duas, ſeu viginti ſæcula expediet. *Secundus* dimidiam tantùm Chiliadem exponet ſeu ſæcula quinque. *Octo reliqui libri* ſingulis ſæculis aptabuntur, diſtributi illi in decadas, ſeu capita decem, quæ ſic ingenium illuſtrabunt, ut memoriam juvent.

# LIBER PRIMUS.

## PRIMA ET SECUNDA MUNDI CHILIAS.

## SEU

## VIGESIMA PRIMA SÆCULA.

### CAPUT PRIMUM.

*Hexahemeron*, seu *Mundi productio.*



*UM per infinita sæcula DEUS solus ipse sibi, & mundus, & locus & omnia fuisset*, inquit Tertullianus; non puncto temporis, sed diebus septem, dignam authore primo & summo machinam condidit. Hujus quasi solum & fundamentum effinxit supremum cœlum, & quod antiqui dixere πρώτιςον, seu Chaos, hoc est terram, & aquas huic ad cœlum usque superfusas. Et in cœlo quidem creavit Angelos, gratas sibi charasque mentes, ita tamen ut in gratia liberè persisterent; quorum aliqui eam perdidere peccantes ex invidentia, vel superbiâ; alii subditi Deo, & rebellibus sociis repugnantes, æternùm felices esse meruerunt. *Chaos.*

*Lux.* Primo die in altera mundi parte, quæ ex terra constabat, & aquis, Deus Optimus Maximus produxit lucem (unde enim meliùs auspicaretur) eamque per obscuram illam aquarum congeriem effudit.

*Cœlum.* Altero die ex aquarum parte addensatâ, & veluti in grandes laminas curvatâ multiplex tornavit cœlum, & cui postea stellas affixit, & in quibus Planetæ decurrerunt: Spatiumque interjectum inter cœlum ultimum, & aquas naturæ suæ indolique relictas, igne complevit, & aëre; quorum hic aquis adhæresceret, ille citimum terris lamberet cœlum. *Aer ignis.*

*Terra aquis exsoluta, fit fertilis.* Tertius dies orbi, in quo homines, & animalia viverent, perficiendo addictus fuit. Ac primùm tellus aquis involuta explicata est; dumque partes ejus attolluntur aliquæ, aliæ subsidunt, in capaces lacunas irrumpens aqua copiosior effecit maria: Pars minor atque tenuior per universum terræ corpus, sese molliter insinuans, & fluvios, & fontes, & lacus exhibuit. Cæterùm exhalationes sordidæ omnes atque turpes, quæ fœcunditati telluris obsisterent, in maria projectæ pelagi salsedinem amaram effecerunt. Iis igitur terra fœcibus purgata, accedente fœcundâ Dei jussione, & herbas, & flores, & arbores omnis generis ostendit; oneratas quidem fructibus si sub Autumnum; decoras tantùm floribus, si vere mundus conditus est. *Cur mare salsum.*

Sepositus est quoque tum Paradisus voluptatis, amœnissima mortalium innocentium futura sedes: an in Babylonia, an in Armenia? Incertum; cùm utrobique fluvii quatuor Tigris, Euphrates, Phison, atque Gehon à viris eruditis inveniantur. *Paradisus voluptatis.*

Quarto die stellis planetisque cœlum distinctum est, atque primigenia lux ante creata ad Solis corpus quasi ad fontem suum revocata est, ex quo in Lunam reliquaque corpora lucida promanaret. *Stellæ & Planetæ.*

Sequenti die qui quintus fuit, eductæ sunt ex aquis volucres, ibidemque formati Pisces, incredibili utrumque genus copiâ, & varietate. *Volucres & Pisces.*

Sextus dies ubi pecudes, & carentes ratione animantes conditas aspexisset, sanctius his, & divinius animal miratus est, in quo non modò supremi numinis, ut in bestiis vestigia, sed ipsa imago distinctiùs eluceret: in cujus mente unâ, tres facultates intelligentia, voluntas, atque memoria, tres unius Dei ὑποςάσεις exhiberent: Qui plus ratione suâ, manuque posset, quàm omnia animalia viribus: qui inferiori sui parte conditionem pecudum attingeret, superiori beatis mentibus æquaretur. Is autem ex limo formatus, divinique spiritus animatus aurâ, cùm solus viveret, in placidum delapsus est somnum; ex quo mox excitatus vidit è costa sua, manu quoque divinâ efformatam conjugem suam, ut eam suaviùs, tanquam partem sui, deamaret. *Creatus Adamus.* *Eva facta.*

Ita mundo perfecto, elaboratoque per sex dies septimo demum quievit Deus: Cujus sanctitudinem coluerunt homines Sabbato, donec reparati mundi potiùs, quàm conditi Christus haberi rationem voluit: sicque religiosus ille dies, à septimo ad primum, à Sabbato ad Dominicum transiit. *Sabbati quies.*

CAPUT

## CAPUT II.

*Prima Patriarcharum Series.*

seu

*A mundi exortu ad diluvium, annumque mundi millesimum sexcentesimum quinquagesimum sextum.*

Effictus igitur divinâ manu primus hominum parens, & caput Adamus, cum sibi compare, & adjutrice Eva, in horto voluptatis positus est, ut beatam sibi posterisque vitam facili in Deum obsequio consequeretur. Abstinendum ei duntaxat fuit ab esu fatalis pomi; fecissetque, nisi pro conjuge, peccati causam, miser accepisset. *Adami lapsus.* Hæc enim suadente malo Genio, ex Serpente loquenti, Dei jussa non violavit modò, sed & perfecit blanditiis suis, ut homo Uxorius plùs displicere fœminæ sibi subditæ, quàm Conditori suo vereretur. Culpam *Et pœna.* statim excipit pœna: præcipites ejiciuntur ex amœnissimis locis in regionem spinis, urticisque distinctam, & quæ plerumque colenti malignè responderet: Cæterùm nudi, egentes, cum pravis animi motibus, domesticis hostibus, mali ipsi & miseri, malorum & infortunatorum progenitores.

*Ab anno primo ad* 129.

Duo non multò post iis editi sunt in lucem filii Cainus & Abelus, institutis moribusque dissimillimi. Hic enim pastioni pecorum animum adjecit, ille coluit terram; & uterque ex *Caini & Abelis ortus ac mores.* institutione paternâ Deum sacrificio veneratus est. Placuit Deo Abelis victima, quia pinguis, & selecta, ejusque fumus rectà iit in cœlum; manipuli Caini districti, ac penè sine granis, parum, gratum atq; in terras reflexum Numini fumum exhibuerunt. Pupugit graviter Cainum hæc Dei in Abelem amoris significatio; & quoniam fratris pietatem æmulari nolebat, eundem perdere *Abelis cædes.* decrevit. Itaque abductum ab oculis parentum Abelem crudeliter interemit, iisque diuturnum *Caini pœna.* de filio tantæ indolis reliquit luctum. Ipse desperatus, & amens, totius corporis assiduo, inusitatoque tremore patricidii sui divinitùs accepit signum, morique volens, ac timens, diu quæsivit, & vitavit mortem, factus caput & princeps impiorum, atque damnatorum.

130.

Erat autem progenies Caini parum grata Deo: ne is tamen omnino Adami stirpem abjecisse videretur, in Abelis locum editus est Sethus, in quo cæsi pietas refloresceret; immò & tempore ipso magis augeretur. *Sethus.*

235.

Fuit enim acceptus quidem Deo Sethus, sed ejus filius Enos ipsi etiam Numini familiaris, cujus cultum præcipuo quodam studio, & ardore curavit, non sibi tantùm, sed aliis bonus. *Enos.*

325. 395. 460.

De Cainam, Malaleelo, Jaredo, nihil quidem sacri Codices suggerunt, sed piè creditur *Cainam Malaleel Iared.* à majorum pietate atque virtutibus non degenerasse, si quidem inter Dei filios in divinis litteris annumerantur.

622.

Jaredi verò filius Henochus in amicitiam ita se sui Conditoris insinuavit, ut nondum emenso mediæ vitæ curriculo, annos natus 365. mundi 922. translatus sit à communi mortalium consortio, & sepositus ad AntiChristi tempora, tum Legis à natura inditæ futurus testis ac præco; & martyrio coronandus, vitâ ad tantam gloriam tot annis non inutiliter reservatá. *Henochus translatus à Deo.*

687.

Henochus Mathusalemum genuit omnium Longævorum celeberrimum, qui ante annum vitæ millesimum hoc est 990. obiit, ne bonus senex, diluvium, & ultionem Dei terribilem suis oculis haurire cogeretur. *Mathusalem.*

688.

Hoc anno Cainus egressus ex Enochia civitate, quam ante condiderat, & de nomine filii sui dixerat, fanaticorum more solus errabat in sylva, & ad omnem foliorum commotionem trepidans inter frutices delitescebat. Venabatur eodem tempore in eâdem sylva nepos ejus Lamechus polygamus. Is ex ramorum, foliorumque motu admonetur ab adolescente famulo, hîc latere feram; eò jaculum dirigit, avumque transverberat. Verùm tam imprudens jaculator, quàm impotens vindex, agnitâ quam fecerat hominis sibi conjunctissimi cæde, adjungit errori crimen: fustuario tam malè servum excipit, ut is paulò post ex plagis, & contusionibus, totâ frемente familiâ, miser interierit. Ita suo, suorumque crimine circumseptus primus parricida & invidus infeliciter occubuit Cainus. *Caini cædes.*

700.

Ad hæc tempora referre possis filios Lamechi πολυγυναις Jabelem & Jubalem ex Adâ, Tubalcaimum de Sellâ genitos, ingeniosos omnes, & de humano genere benè meritos. Jabel enim primus pelles & tentoria excogitavit, & portatiles illas domos pastoribus, & Nomadibus utiles. Jubal ad necessitatem adjunxit etiam voluptatem Musicorum instrumentorum primus author, & artifex. Tubalcain denique æs, ferrumque fudisse dicitur, non quod antea vomeres, cultrique non essent, sed quæ metalla tum ad terram subigendam & animantes cædendas adhibebantur, ille in belli usum transtulit primus miles; dignus minimùm Perillæo supplicio, qui homines adversus homines armasset, nec eos jam ingenio, sed ære, ac ferro reddidisset metuendos. *Iabel, Iubal, Tubalcain.*

874.

Suscepit Mathusalemus Lamechum, non mulierosum illum Caini, nepotem, sed Noëmi patrem, virum minimè malum, & cui summa laus est talem filium edidisse, atque in ejus natalibus prophetasse. *Lamechus Noemi pater.*

930.

930.

*Mors Adami.* Hoc anno primus hominum parens Adamus obiit, tum maximè expertus quanti stetisset sibi, ac posteris, esus pomi fatalis. Hunc damnatum esse, ac reprobum voluerunt Tatiani discipuli, & Encratitæ; quos arguunt meritò sancti Patres, & ob id in crimen vocant. Audaciùs ergò, ne quid dicam gravius, asseruit Rupertus, *Id à multis liberè negari, à nullo satis firmiter defendi.* Qui enim jam id diceret, minimùm temerarius esset: & verò huic labem temeritatis allinas sapienter, quem S. Irenæus blasphemum appellavit. Utrum autem Adamus sepultus sit in monte Calvario, adeò ut in ejus cranium Christi morientis in Cruce sanguis deciderit? Non credo, nec mecum crediderunt Patres emunctæ naris; & qui id scripsere, nomine gigantis Adamo cognominis, in fraudem inducti videntur esse: neque semper cum magnis Viris falli lubet.

940.

*Obitus Evæ.* Decem annis ab Adamo, tradunt Hebræi Evam mortuam esse, viditque mariti mortem, ut ejus exemplo mori disceret; ab eo tantùm disjuncta supplicio, quantùm à viri Sapientis crimine, mulier parùm cauta, & à serpente seducta, distabat.

1001.

*Duæ columnæ in quibus omnium disciplinarum monumenta.* Sub initium alterius Mundanæ Chiliadis, filii Sethi quas acceperant à parentibus cognitiones Astronomiæ, cæterarumque disciplinarum, ita consignare decreverunt, ut numquam interciderent mundi excidio, quod geminum aliquando fore à parente audierant, unum aquis immissis, aliud igne divinitùs accenso. Duas itaque columnas excitarunt, lapideam unam, quæ aquis; lateritiam quæ ignibus resisteret, & in utraque doctrinarum omnium principia descripserunt. Insani! qui non viderent haud opus esse, vel aquis, aut igne, ut hæc eorum opera conciderent, sed tempore, omnibus aquis, omnibus flammis edaciore.

1042.

*Filiorum Dei nuptiæ cum filiabus hominum.* Setho mortuo, qui superstite tanto viro liberi ejus atque nepotes sanctimoniæ constanter adhæserant, hoc sublato, sui ac parentis obliti, pluris fecere voluptates corporis, quàm animi, indeque qui dicebantur filii Dei, hominum filii cum Caini posteris jure vocari meruerunt. Eorum enim Sethianorum quidam libidinosi, filias Cainitas duxerunt uxores formosas illas quidem vultu, ac corpore venustas, sed multùm de paternis moribus, & indole referentes. Ex hac copula filiorum Dei, & hominum nati liberi, plus de matribus, quàm de patribus retinuere. Isti gigantes dicti sunt, hominum Deique contemptores: *Gigantes.* Illos enim mancipiorum habuere loco: hunc coluere quantùm res suæ atque voluptates ventris, & infra, exegerunt. Horum exemplis labefactari plerique omnes filiorum Sethi in eadem cum affinibus suis, & patruelibus scelera irruerunt. Quibus tandem permotus è Cœlo Deus emittere statuit ultrices aquas, ut hæc scelerum sentina penitus elueretur.

*R. P. Brietii Annales.*

1536.

Tum cunctis in scelera præcipitantibus oblitisque Dei, perstitit nihilominus in ejus obsequio, de Sethi sanguine Noëmus, natus jam anno mundi 1050. Lamechi patris anno 182. *Noemus Deo addictus Arcam fabricare jubetur.* Hunc virum pium atque justum seposuerat Deus, qui in suam familiam virtutem inspiraret, ut in una minimùm stirpe, vera religio vigeret, atque servaretur. Annum itaque vitæ 480. aut ut loquitur scriptura numerum plenum pro fracto proponens, 500. cùm jam vir Sanctus decurrisset, Arcani intra annos centum viginti jubetur construere, quæ totius mundi reliquias caperet, atque justitiæ. Huic operi etiam adlaborarunt ipsi perituri mercede conducti, deridentes tamen Noëmum, quasi delirum senem, à quo invitabantur in Arcam, & ad pœnitentiam. Sed tum demùm seriùs agnovere verum vatem fuisse, quando omnis aditus in Arcam, & ad salutem præclusus fuit.

---

## CAPUT III.

## *Altera Series Patriarcharum.*

### *A diluvio, seu Mundi anno* 1656. *ad annum* 2000.

1656.

Anno ab orbe condito millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, Noëmus cum tribus liberis Semo, Chamo, atque Japheto eorumque uxoribus, ac suâ, imperante Deo Arcam subiit, cùm priùs in eam boni genii perduxissent par unum, aut aliquantò plus, ex omnibus animantibus quæ in aquis vivere non poterant, aut ex solo coitu generarentur. *Diluvium Noemicum.* Arcæ porrò hujus longitudo trecentorum, latitudo quinquaginta, altitudo triginta cubitorum fuit: Ea capacitas satis ampla fuit ut totius mundi fermentum caperet. Hanc autem cum sic clausisset Noëmus, oblivissetque, ut eam aqua subire non posset; ecce de cœlo ruere non imbres, sed flumina pluviarum, latentes in terræ visceribus aquæ ipsa etiam maria supra terram attolli, eo denique inundationem assurgere, ut cubitis quindecim supra montium vertices altissimos emineret. Satis id erat ne quid eorum, quod Deus perire decreverat, aut ingenio, aut mole corporis ab interitu vindicaretur.

1657.

Postquam diebus centum atque quinquaginta semper excrevisset eluvies, minui cœpta est, *Diluvii finis.* tumque Arca quievit in monte Lubac Armeniæ, & hîc fluitare desiit, in hujus montis vertice molliter subsidens. Non ita multò post apparuerunt alia montium cacumina, emissusque corvus à Noëmo non rediit; sed aut incubuit cadaveribus, aut insedit Arcæ. Columba verò indidem missa revenit, cùm ubi pedem figeret in sicco non invenisset in ea parte in quam volatum direxit. Iterum autem eadem laxata, ramum Oleæ recentem attulit, quo Noëmus intel-

ligeret in humilioribus etiam locis, in quibus Cieæ provenire solent, aquas nullas esse. At tertiùm exire jussa deinceps visa non est.

*Mundi Satoria.*

Noëmus itaque paulò post egressus ex Arca σωτήρια celebravit, eâ pietate, quâ defunctum publico orbis periculo decuit. Tum verò qui tantùm erat à natura signum pluviæ, cœlestis arcus, factus est tessera nobilior fœderis Deum inter & homines, & fidejussor quasi constitutus, ne unquam simili eluvione universum terrarum orbem Deus inundaret. Exinde etiam, effœtis diluvio terris, homini carnium permissus est cibus: non quòd ante vetitus esset (cui enim bono tot ovium greges) sed tum apertè datus est, qui antea tacitè duntaxat concessus erat.

1658.

*Reparatur Mundus.*

Statim ergo reparari cœptus est orbis; natique sunt Semo, Ælamus, & Assur, posthabiti tamen Arphaxado, quia tum dignitatem, & excellentiam supra reliquos fratres, non natura, sed parentis voluntas assignabat.

1659.

*Arphaxad.*

Altero autem à vindicibus aquis anno ex Semo centenario natus est Arphaxadus, ex quo Christi genealogia deducitur: hoc solum (quid autem majus expetatur) memoriâ & commendatione dignissimus.

*Filii filiorum Noemi.*

Quo etiam tempore à Japheto (is à profanis Japetus videbatur appellari) Gomer, Gog, & Medai nati sunt: ex Chamo Chus, Mesraim, Phuth, & Chanaan suscepti, magnarum omnes gentium, populorumque progenitores, quorum tamen nomina nonnisi ab eruditis, eaque ex Phœnicum linguâ multo labore & studio eruuntur.

1671.

*Noëmus inebriatur.*

Interea dum ejus filii liberis operam dabant, Noëmus colendis agris vacabat impensiùs. Tum plantaverat vitem, eamque omni industriâ curabat; hæc cum dedisset generosissimum vinum, id hausit bonus senex tam merum, atque copiosum ut crapulam edormire cogeretur. In ea dum æstuat, ut solent ebrii, detexit imprudens, quod natura pudorque celant. Quod cùm vidisset εἴρων Chanaan jam adultus, cum risu denunciavit parenti suo Chamo; hic fratribus petulanter indicavit; qui pudentiores verecundè, & officiosè cooperuerunt patrem. Is autem evigilans, ac redditus sibi, Semi, Japhetique pietate collaudatâ, iis eorumque posteris bene precatus est; Chanaan nepotem suum maledictione perculit, & in filio quoque nocente, acerbissimè parentem mulctavit reum.

1694.

*Cainan Junior.*

Jam verò ex Arphaxado Cainan junior extitit, de quo magnæ inter Chronologos lites; dum qui prostat apud Lucam & septuaginta Interpretes, ex Hebræis codicibus, & vulgatâ expungitur. Sed nos ajentem Spiritum sanctum, quàm homines, ex ejus silentio negantem conficientes partem, audire malumus.

1723. & 1753.

*Sale.*

Cainam junior suscepit Sale ætatis suæ anno trigesimo: qui eâdem pariter ætate Hebbrem genuit, unde Hebræa gens, atque lingua traxere nomen.

*Heber.*

1787.

*Phaleg.*

Heberi item non multùm provectiori (erat enim tantùm annorum triginta quatuor) natus est Phaleg, cui nomen videtur indidisse sub ejus natales facta gentium, populorumque divisio seu ἀποδασμὸς τῆς οἰκήσεως. Quando videlicet ex præscripto Noemi divisus est terrarum orbis universus in tres portiones. Semo Asia cessit omnis, præter Asiam minorem, & partem Syriæ: Japheto tota Europa cum Asia minore: Chamo Africa universa, cum Palæstina, atque Phœnice; sed ea tum informata divisio, perfecta non est nisi post inchoatam Babylonicam turrim, atque interruptam, & quod pietas incœperat, scelus absolvit.

*Orbis prima divisio*

1818.

*Reu.*

Ex Phalego natus est Reu, quem Septuaginta Interpretes, & ex iis Josephus, Epiphanius, & Augustinus vocant *Ragau*. Is solo nomine cognitus est, eoque apud scriptores misere deformato.

1827.

*Observationes antiquæ Babylonicæ.*

Quidam Chronologi ex hoc anno malè deducunt antiquissimas Chaldæorum observationes annorum 1903. quas ad Aristotelem Babylone misit Callisthenes ejus discipulus, uti scribit Simplicius. Nam anni 1827. & 1903. in unum ducti conficiunt 3730. quo anno Alexander ibidem obiit: at Callisthenes jam anno Alexandri 5. ob libertatem linguæ tortus interierat, & conjurationis reus. Quomodo igitur hæc ingenii monumenta misit ad præceptorem suum, cùm jam mortuus esset. Quare melius supra rejicientur, aut à Callisthene missa non sunt, aut nunquam extitere.

1850.

*Sarug.*

Reu, sive Ragau ætatis suæ anno trigesimo secundo genuit Sarug, sive *Serug*, quod nomen teste Epiphanio *Provocationem* sonat; quia sub eo, ut idem testatur, prima jacta sunt Idololatriæ fundamenta. Tum enim pingi cœperunt homines, eorumque vultus coloribus delineari, atque distingui; maximè qui cæteris præcelluissent, aut de sociis bene meriti, non tantùm vixissent sibi, sed aliis. Iis autem imaginibus cum Principes jus Asyli adjunxissent, & ad eas mira quædam Dæmones factitassent, idola cœperunt esse, quæ antea tantùm fuerant animi grati monumenta.

*Initium Idololatria.*

1854.

*Babylonica Turris.*

Hoc anno mortales spargendi per universum orbem convenerunt in campum Senaar regionis Babylonicæ, & monimentum commune publicis sumptibus excitare decreverunt. Cæterum hoc opus tantæ altitudinis esse voluerunt, ut esset omnibus perfugium, si quando Deus oblitus fœderis cum omnibus initi, novum diluvium moliretur. Turrim itaque hi omnes con-

vena

venæ diligenter ædificant ex lateribus & bitumine quibus hæc abundat regio, vastam in primis atque firmam, dignamque impensis, labore, & industriâ totius generis humani.

1878.

Cedrenus insanos homines in hoc monumento vecordiæ suæ, atque stupiditatis annos quadraginta tres posuisse credit: nos cogitemus de eo meliùs, & asseramus non esse passum tandiu, tam multos Insanire. Dum ergo opus cresceret in immensum, adeoque assurgeret, ut propè nubibus æquaretur (ad duo millia passuum assurrexisse molem, quidam autumant) à Deo momento temporis interruptum est, atque discussum obliterato in plerisque omnibus nativo idiomate, linguisque septuaginta duabus inter superbos illos ridiculosque latomos distributis. Ita volentes nolentes ab se invicem recesserunt sublato linguæ commercio, effusique per universum orbem terrarum varia regna variasque nationes confecerunt. Turris illa ἐκ τῆς περιδιάλεκτον συγχύσεως *Babel* dicta ventisque discussa, & afflata fulminibus, hodie, etiamnum in suis ruderibus durare perhibetur, & homines magna voluisse, Deum magna potuisse loquitur.

*Linguarũ confusio.*

1879.

*Nembrodus author regni Babylonici.*

Tum verò Nembrodus filius Chusi, Chami nepos, ab Imperii cogitatione, quod informarat animo, non destitit. Cùm enim perpulisset omnes ad Turrim & urbem statuendam, quâ ipse postmodum ejectis conditoribus, unus Dominus & Tyrannus frueretur; iisdem jam artificibus in varias orbis partes distributis, utrumque absolvit opus, Babylonicum instituit regnum quod annis tenuit sexaginta quinque, rude & informe, ut omnia solent esse prima, cultius in Assyrio Imperio, cujus fermentum, aut prima delineatio fuit.

*Initia ...norum ...iam re...norum & urbium.*

Ad eadem tempora referas licet initia regnorum Ægypti, & Arabiæ, quorum principia fabulosa in Eusebii Chronico, & Diodori Siciliensis Bibliothecâ τὰ μυθικὰ sapiunt. De urbibus quoque tum statutis Edessa, Nisibi, Thebis, Hebrone Memphi, libera tibi fides erit, quæ tam antiquæ fuerunt, ut huc transferri sine veritatis dispendio queant.

1880.

*Nachor.*

Nachorem avum Abrahami hoc anno genuit Sarus ætatis suæ trigesimo, cui cognominis frater Abrahami nonnullos induxit in fraudem, in hoc enim conveniunt vultus, & nomen, ut similitudine plerumque decipiant.

1890.

*Sicyoniorum regni initia.*

Sicyoniorum regno dedit initium Ægialus, à quo Peloponnesus Ægialia dicta est. Ei successit Europs ex quo nomen Europæ orbis parti minimæ sed pulcherrimæ nonnulli faciunt, longè antequam à Jove Tauro Europa Tyria in fabulis raperetur. Hoc regnum annis undecim post Assyrium fundatum mille circiter annis duravit, pensante ejus angustias, diuturnitate.

1909.

*Thare sub*

Nachor ætatis suæ vigesimo nono suscepit Thare patrem Abrahami, cujus arte & ingenio crevit idololatria. Hic enim ex pictore factus plastes, ut scribit Epiphanius in Panario, homulos ex Argillâ lutoque finxit, unde alii deinceps artifices ex pretiosiore materia statuas conflarunt; quibus cum se Dæmon responsis suis, & oraculis permiscuisset, vanus idolorum cultus eas radices egit, ut ad eum penitus exstirpandum Deus ipse factus hominibus aspectabilis requireretur.

*quo crevit idololatria.*

1944.

Moritur hoc anno Belus in profana historia, in sacra Nembrod, regni sui anno 65. quem successor filius ejus Ninus consecravit; quare & postea cultus ejus ad Syros transiit sub nomine Baal. Nini porrò hujus opus fuit Ninive aliter Ninus ad Tigrim fluvium urbs 480. stadiorum, cujus amplitudini magnificentia respondebat. Hæc tum Assyrii Imperii caput, facta quoque est domina orbis terrarum. Utrum autem Ninus ille, præterea dictus sit Assur lis est adhuc sub judice, & ad causam dirimendam temporis longinquitas, & scriptorum inopia plurimum officiunt.

*Succedit Belo Ninus.*

1979.

Thare anno ætatis suæ septuagesimo Aram genuisse creditur primogenitum suum: frustra enim hanc natalium & naturæ prærogativam, atque dignitatem nonnulli arrogant Abrahamo, quam sanctus Augustinus aliique Patres ei sapientiùs denegarunt. Nos in magnum virum dispendio veritatis esse nolumus officiosi.

*Aram nascitur.*

1992.

Ninus Imperii sui anno quadragesimo octavo bello appetiit Zoroastrem, quem alii Nembrodo σύγχρονον faciunt. Is Rex Bactrianorum fuit, & Magiæ princeps qui fœdum hoc hominis cum Dæmone commercium primus inter mortales sparsit. Is nascens risisse dicitur, & huic cerebrum ita palpitasse, ut admotam repelleret manum. Cum diu, varioque eventu cum Nino Zoroastres ille dimicasset, ab illo demum victus, & cæsus est. Alii afflatum fulmine malunt interiisse, digno planè mortis genere Dæmonis amico, atque convictori.

*Ninus Zoroastrem debellat.*

1996.

Regni sui anno quinquagesimo secundo mortuus est Ninus, cui successit uxor Semiramis virilis animi fœmina. Hæc cùm videret filium suum Ninyam impuberem tali ferendo imperio minus parem, id ementita sexum invertit, ac in se transtulit, annisque quadraginta duobus supra fœminam administravit. Babylonem jam à Belo structam sic amplificavit, ornavitque, ut eam condidisse meritò dixeris. Quæ autem gesserit bella, quos populos aut vicerit, aut saltem tentarit, apud Justinum disces. Neque enim omnia repræsentare possumus, neque sitim omnium satiare: fontes nonnunquam indicare contenti.

*Moritur Ninus, succedit ei Semiramis.*

# LIBER II.

## DIMIDIA MUNDI CHILIAS TERTIA.

### Ab anno 2000. ad 2500.

## CAPUT PRIMUM.

### *Sæculum Mundi Vigesimum Primum.*

*Ab anno* 2000. *ad* 2100.

2001.

*Ortus Nachoris.*



Sequimur in hac parte Salianum, laboriosum in primis Chronologum, & in scripturis apprimè versatum. Is hoc anno putat natum Nachorem alterum fratrem Abrahami. Et vero ejus vendibilis conjectura: cum enim filiam Arami Nachor uxorem duxerit, ut fieret ejus gener, potuit esse annis viginti minor; & hanc distributionem temporum, nemo, ut reor, improbabit.

2006.

*Moritur Noemus.*

Anno ætatis suæ nongentesimo quinquagesimo, obiit humani generis servator Noëmus, ubi vidisset orbem suis nepotibus plenum. Verus is germanusque Christi Typus fuit, cum uterque mundum servarit ligno.

2038.

*Semiramis cæditur à filio suo Ninya.*

Cum Semiramis annis duobus supra quadraginta Ninyæ filii Thronum occupasset, ejus quoque cubile mater impudica tentavit, & de incestu concubitu filium appellavit. At is pudicitiam ementitus, regni tamen sollicitior, quàm castimoniæ interemit matrem, quam nihilominus sub specie columbæ volucris salacissimæ coli, & signis Assyriæ militaribus, utpote bellicosissimam præfigi voluit: sic eo tempore vitia consecrabantur. Is autem castiùs acquisivit, quàm gessit imperium: nam inter pellicum greges inertissimè consenuit; semel tantùm, & in magno scelere fortis.

2039.

*Nascitur Abramus.*

Hoc anno natus est ex Thare anno ætatis ejus 70. tertius ejus filius Abramus, futurus Messiæ Christique parens. Cur autem tandiu distulimus ortum hominis nunquam satis citò nasciturі, scriptura prohibuit, quæ una veros vitæ terminos præfinire potest.

2048.

*Lothus nascitur.*

Aramo septuagenario natus est Lothus ex patruo, quàm ex patre commendatior. Cæterùm nihil hîc moramur Rabinos, qui hunc ex Aramo octenni natum fabulantur; horum enim hominum deliria confutare, prope delirare est.

2049.

Anno sequenti ex eodem Aramo genita est Sara, aliter Sarai, decennio toto minor Abramo, mulier in qua sapientia cum pulchritudine decertavit. Et charissima quidem marito fuit, licet sterilis, tum tamen facta mater, cum prolem fœcundæ desperant. *Sarai natales.*

2097.

Cres Curetum, seu Corybantum unus regnasse tum perhibetur in Creta, cui & suum reliquit nomen. In hac insula Gnosson condidit, Minois Palatio, quam de se celebratiorem. Dicti autem sunt Corybantes, vel à genere tondendi capilli, vel quod Jovem puerum nutriissent, pulsantes æra dum puer ille Deus vagiret, ne à Saturno patre detegeretur, atque voraretur. Tum enim Dii, & fallebantur, atque stringebantur in cunis, & tinnitibus æris, apium more, vitam debebant suam, & incolumitatem. *Cres, unde Creta.*

2100.

Circa hæc igitur tempora, vel paulò post Jovem antiquissimum vixisse veteres historiæ produnt: plures enim fuisse Joves certum est, & Joves Cretenses: is autem creditus Deorum, Hominumque pater, post tot mortales genitos, genitus ipse. Abramo σύγχρονος fuit. Imperium præterea invasisse patris dicitur, non expectasse; fratres habuisse duos Neptunum Classis suæ præfectum, cui ideo cum Tridente maris imperium Poëtæ concessere; & Plutonem funerum, & Libitinarii apparatus inventorem, cui demandabant ideo mortuorum curam. Cæterum ob Jovem dictum Deum Cretenses mendaces habiti. *Iovis tempora antiquissima.*

Κρῆτες ἀεὶ ψευδεῖς,

Quòd ejus quem Deorum maximum prædicarent, in sua insula cunas, & sepulchrum judicarent, inquit Callimachi Scholiastes, absurdissimo quod confingi possit mendacio, de Deo, qui nec nasci queat, nec mori.

CAPUT

## CAPUT II.

### *Sæculum Mundi XXIII. ab anno mundi* 2100. *ad* 2200.

2108.

*Abramus transit in Mesopotamiam.*

DEgebat in urbe Chaldæorum Ur (Urchoam Ptolemæus vocat) Abramus permixtus Idololatris, à quibus abducebatur à verâ numinis religione, Hebræi etiam scribunt tum Sanctum virum in fornacem conjectum esse, spirantem, & vivum, etiam adnitente patre, sed Dei beneficio incolumen evasisse, Aramo fratre primogenito, fideli quidem, sed dubitante, flammis absumpto. Verùm hæc historia sapit somnia delirorum magistrorum, quibus ita somniare inter vigilandum sæpe contigit. Utut se res habuerit, à Deo jussus est inde facescere, & Aran, seu Charram (vulgò Carras) Mesopotamiæ commigrare. Paruit illico vir obsequentissimus, & carere bonis, & patria quàm religione maluit, jam septuagenarius. Filium optimum secutus est Thare pater, non quia Deum, sed quia suum Abramum diligebat, à quo ab idolorum cultu, ad veri Numinis cultum traductum esse, cum plerisque, credimus. Neque verò quæ propter Deum bona sua deseruerat exul familia sensit inopiam: hîc facta armentis, pecore, atque mancipiis ita dives; ut si patria est ubicumque est bene, patriam dicere suam posset Abramus Mesopotamiam.

2114.

*Promittitur Abramo Palæstina, quam adire jubetur.*

Post annos quinque plenos, cum Thare patrem suum fato functum Abramus sepelisset, ulteriùs progredi jussus est, & in Palæstinam proficisci, quæ tum ejus generi promissa, dici cœpit *Terra promissionis*. Paruit statim, deduxitque secum Lothum nepotem suum, & eos omnes quos ad veri Dei cultum cum Sarai, uxore perduxerat, facti ambo eis non corporis, sed animi parentes. Emensus est tum Palæstinam secundum longitudinem; immò & descendit in Ægyptum, exponere compulsus pudicitiam conjugis, ne ipse cum eâ, atque suis emori fame cogeretur. Perducta est enim statim Sarai in Palatium Pharaonis, & ejus thalamis addicta. Jamque nihil propiùs erat quàm ut ei stuprum inferretur, cum morbo acutissimo correptus Pharao, & insuper admonitus à Deo, cur ita castigaretur, mulierem intactam prope ex geniali thoro remisit ad maritum, cum multis muneribus, & amicâ interpellatione. Hoc periculo defunctus Palæstinam repetit, ubi propter Pastorum jurgia à nepote revulsus est suo, & circa Hebronem tabernaculum fixit. Sed hæc omnia non unius anni angustiis, sed plurium intervallo contigere.

2118.

*Captivum Lothum Abramus liberat.*

Separatus ab Abramo Lothus consederat in valle pulcherrimâ Pentapolitanorum, quam Persæ, & Babylonii Assyriorum subditi agressi sunt bello, partâque de imbellibus victoriâ, fœdè vastarunt. Abductus est inter captivos cum suâ familiâ Lothus: tanti stetit ei ab homine Deo acceptissimo recedere. Nihilominus nepoti suo vir ex æquo & bonus, & fortis subvenit, armatisque ex familiâ suâ trecentis octodecim vernulis, assequutus est exercitum victorem, eumque ex variis locis magno tumultu aggressus nocte, & fugere turpissimè compulit, & prædam ei omnem excussit. Redeunti ab eâ expeditione occurrerunt gratulaturi principes vicini, inter reliquos Melchisedechus Regulus Chananæus (simul & Sacerdos: malè hunc Semum, & Henochum quidam fabulantur) qui cum obtulisset Deo sacrificium ἀναίματον ex vino, atque pane, ac victori bene precatus esset, ab eo spoliorum hostilium decimas recepit, unde decimæ natæ videntur esse. Sic suscepta pietatis causâ expeditio, religiosè terminata est.

*Melchisedecho soluta decima.*

2124.

*Agar gravida, & fugitiva, modestior redit.*

Agar facta concubina Abrami cum ex eo concepisset, oblita est servilis conditionis suæ, & Dominam Sarai despexit quâ consentiente, ac perductrice fuerat facta mater. Verum enim verò hera sapiens & fortis ostendit dictis & factis quid in illâ posset. Quæ cum tolerare nollet ambitiosa muliercula, fugit in desertum, ut à se pœnas ipsa exigeret. Sed hîc admonita ab Angelo, & fastum coram Dominâ in præsentiâ & in ejus sinu anno insequenti filium Ismaelem posuit, facta simul, & serva modesta, & fœcunda mater.

2138.

*Circumciditur Abramus.*

Anno ætatis suæ nonagesimo nono imperatur Abramo circumcisio, & ejus extenditur nomen, ab eo tempore dicendus Abrahamus; ut ejus imminuto corpore, nomen, & existimatio crescere viderentur quàm autem esset acceptus Deo, tum Lothus expertus est, qui in ejus gratiam evasit incolumis ex incendio, quod etiam terras, & aquas assumpsit.

*Pentapolitanum incendium ex quo Lothus eximitur.*

Statuerat enim tum Deus incendio perdere Sodomam, Gomorrham, Adamam, Seboim atque Segor, ob præposteram libidinem quinque urbes infames. Indidem igitur nepotem Abrahami educere decrevit, unum duntaxat inter tot sceleratos innocentem. Tres itaque bonos genios venustissimorum juvenum specie immittit Sodomam, qui eum incolumem præstent. In eos statim irruunt impurissimi cives, & ad horrendam, abominandamque libidinem, frustra Lotho reclamante, omniaque moliente, hospites ejus deposcunt, atque ab incœpto vix facinore, perculsi cæcitate, frustra domus januam quærentes absistunt.

Trahitur ergo propè per vim ab Angelis Lothus, cum uxore, duabusque filiis, quibus accuratè præscribitur, ne incendium, & mox comburendos improbos, vel uno dignentur aspectu. Ignis interea de cœlo permixtus sulphure cum horrendo fragore, terræque motibus ruit in urbes quatuor (nam quinta Segor Lothi precibus

bus concessa est ) qui cum incolis totam illam regionem amœnissimam ita depastus est, ut præter paludem aquæ fœtidæ ( Asphaltites lacus, ac mare mortuum vulgo dicitur) reliquerit nihil, & circum cautes exustas, inter quas prognatæ arbores mala ferunt pulchra quidem aspectu, sed tactu putrida, & cinerea, certissimas imagines fœdissimæ voluptatis.

*Uxor Lothi in statuam salis conversa.* Neque verò tota Lothi familia evasit incolumis: ejus uxor victa curiositate fœminis innatâ, cum retrò spectasset, illicò pœnas inobedientiæ dedit in statuam salis conversa. Hæc hactenus perdurare dicitur informis moles, nullis diluta imbribus, nullo pecorum dente, nullis viatorum cultellis detrita; naturâ novam semper sufficiente materiam, & damna externa, vi quâdam interiori, reparante.

*Lothi incœstus.* At Lothus reformidans ne ad urbeculam quoque Segor pertineret incendium, eam reliquit, & fugit ad montes, ubi cavernam pro domo habuit. Hîc ejus filiæ ratæ nullos esse viros, mortalesque omnes ut olim aquis, ita nunc ignibus exterminatos, parenti, quem inebriarant, miscuerunt sese, Ammonemque & Moabum ex eo incœsto concubitu pepererunt, parentes Ammonitarum, & Moabitarum. Ita viro bono, atque justo per imprudentiam filiarum, & intempestivum prolis amorem, innocenti esse non licuit.

*Abrahamus Geraram venit.* Eodem anno Abrahamus ad Abimelechum regnantem Geraris virum frugi, & φιλόξενον transiit, qui etiam plagis, & admonitu divino prohibitus est, ne Sarai conjugio implicaretur, quam Abrahamus sororem dicebat. Questus est amicè de hospite suo Rex minimè malus, quòd ab eo pænè deductus esset ad scelus: Sed gentis illius indoles parum pudica justam Abrahami reddebat excusationem, & metum ejus non inanem fuisse nimis ostendebat.

2159.

*Natales Isaaci.* Hoc anno natus est cum ingenti parentum, & totius familiæ gaudio Isaacus, unde & traxit nomen: Hebræis enim *Isaac*, risus est. Lactatus est ab ipsa parente toto quinquennio, quæque magno Dei beneficio nonagenaria ex patre centenario filium pepererat, non minori, eundem aluit. Quanquam hîc non admittamus fabulam, quæ tantùm Saræ tribuit lactis, ut id pluribus infantibus nutriendis suffecerit. Depromptum id ex Rabbinis, magnis in gratiam gentis suæ miraculorum fictoribus, & quibus non pluris prodigia, quàm ipsi Deo constare solent.

*Lactatur à Sara.*

2144.

*Ablactatur Isaacus.* Anno ætatis suæ quinto ablactatur Isaacus, & in hujusce rei gratiam, ex susceptâ gentis consuetudine instructum est ab Abrahamo nobile convivium, iis omnibus, qui venerant exactam feliciter infantiam filii gratulaturi.

*Ismael cum Agare ejicitur.* Hoc tempore majores animos præ se ferens Ismaël, quàm concubinæ, & ancillæ filius exigebat, Isaacumque excipiens malè, Saram offendit; quæ apud maritum perfecit, ut ille cum parente sua Agare, non improbante cœlo, paternâ domo ejiceretur. Ambobus tamen expulsis à numine provisum est non ita multò post, quanquam sub initium eorum salus deplorata videretur. Charior videlicet erat Deo Abrahamus, quàm ut ejus sanguis, cuicunque tandem sanguini conjunctus esset divinam liberalitatem, & munificentiam non experiretur.

2163.

Vigesimum quintum ætatis annum agebat Isaacus charissimus Abrahamo propter egregiam indolem, præclarasque corporis, & animi dotes, cùm sanctissimum Patriarcham tentare volens Deus, & videre quid posset vir obsequentissimus, imperat parenti ut filium amantissimum jugulet, & sacrum paret ipse, cujus victima sit qui vivebat in oculis ejus Isaacus. Nihil tergiversatur ille, nihil causatur, sed uxore inconsultâ, quæ moras injiceret, ad locum eminentissimum Palæstinæ festinat, ad montem Moriah, quem tum ut scribunt Hebræi, columna ignea denotabat. Ventum erat ad radices montis; hic famuli subsistere jussi cum jumento; ligna quibus comburendus erat imponuntur Isaaci humeris; Pater unâ manu gladium, alterâ ferebat ignem, magna doloris incentiva. Cùm pervenissent ad montis verticem, blandaque sermocinatione viam consumpsissent, causam demum itineris filio aperit Abrahamus, quid Deus jusserit, uno verbo, ipsi statim paternâ manu moriendum. Indicata optimo juveni Dei voluntas, & patris, satis fuit ut sine cunctatione vestimenta poneret, offerret vinculis manus, ascenderet in paratam lignorum struem, ut non coactus, sed sponte, dignaque cœlo victima mori putaretur: jamque filii jugulum pater impetebat, cutemque juvenis perstringebat mucro, cum divina vi, atque voce inhibetur Abrahamus, & filii loco cædere jubetur Arietem, qui vel casu hîc inventus est, vel delatus ab Angelo, cornibus inter vepres impeditis, apparuit. Parere Deo voluisse, etiam cum unici filii jactura, sic Numini placuit, ut innumeris sancti hominis nepotibus Deus filium suum accenseret, & Christus Messias Abrahamum diceret avum, qui Deum ipsum parentem appellaturus erat. *Tentatus Abrahamus, jussus Isaacum immolare.*

2175.

Anno ætatis suæ centesimo vigesimo septimo Sarai vivendi finem fecit Hebrone, sepultaque est à filio, & marito cum multis lacrymis in spelunca, quam ejus conjux ab Hethæo Ephrone siclis argenti quingentis redemit; ne terra illa prophana diceretur quàm ut suam justissimus possidebat Abrahamus. *Moritur Sara.*

2179.

Jam quadragenarius erat Isaac, & uxor illi adjungenda, quò divini Numinis promissiones parenti factæ implerentur: Sed hanc conjugem Chananitidem esse nolebat Abrahamus. Itaque Eliezerum industrium hominem domui suæ præpositum adigit sacramento, ne pateretur unquam semen suum permisceri sanguine Palæstinorum; iret verò in Mesopotamiam, & hinc *Isaacus Rebeccam accipit uxorem.*

hinc virginem Isaaci consanguineam adduceret. Proficiscitur trans Euphratem cum multis muneribus procurator, inciditque, ita Deo volente, in Rebeccam cujus miratur pulchritudinem, amat suavissimos mores, φιλόξενον, & liberalem experitur. Dedit enim aquam illa sitienti, immò & camelis ejus satis laboriosè suffecit potum; quam ille benevolentiam, eligendæ sponsæ domino suo tesseram, Deum rogarat. Unum supererat & maximum, ut Isaaco sanguine jungeretur: cum ergo accepisset eam esse filiam Bathuelis, sororem Labani, Nachoris neptem, nihil cunctandum ratus, admittit hospitium Bathuelis, offert viginti armillas & inaures antidotalia, eamque volentem ad Isaacum deducere parat. Ubi quieti tantisper indulsit, & Rebeccæ muliebris mundus, suppellexque parata est, dat in viam sese, Gerarisque propinquior incidit in deambulantem Isaacum, qui magnâ cum voluptate dignam suis nuptiis Rebeccam accepit uxorem. Suavissimæ mulieris convictu mœror omnis abstergetur, quem ex Sarai parentis obitu jam toto triennio fovebat in pectore, & tam bonæ conjugis aspectus, colloquia, facilitas, cum pristinæ tranquillitati, & administrationi familiæ, lætum & alacrem restituerunt.

2197.

*[A]rgivi re[g]nini in[itium] [a]b Inacho, [u]sque [...] milia.* Tum Argivorum regno Inachus initium dedit, adeo antiquus ut ejus parentes ignorarentur, ideoque κατ' ἐξοχὴν dictus est *Priscus*. Is nomen fluvio dedit qui Argos alluit. Frater ejus Phoroneus fuit ex quo Pelasgus genitus est, ex hoc Lycaon, ex hoc Callisto, ex hac Arcas, & alii deinceps in fabulis illustres.

Inachi filia fuit Jo, vel Jone à Jove compressa, quam cum Juno uxor Jovis Zelotypa in Græciâ malè vexasset, illa deportata in Ægyptum, Isis Dea fuit, quæ in Græciâ & Poëtarum figmentis vacca mugierat.

Inachi uxor Niobe fuit filia Phoronei, apud Mythologos in Scopulum conversa; cui fabulæ locum dedit in continuâ filiorum morte dolor ac stupor.

Ex Jone, atque Jove genitus est Epaphus, cujus Libya filia fuit; hæc Neptuno dedit Belum & Agenorem. Beli filius Danaus fuit, ex hoc Hypermnestra, quæ ex Lynceo Abantem genuit, ex Abante nati Acrisius, & Prœtus; ex Acrisio Danaë, ex hac Perseus. Danai autem frater ex Belo Ægyptus fuit Lyncei pater.

Jam verò Agenori tres filij nati sunt Cadmus, Phœnix, & Cilix, ad hæc Europa à Jove rapta; ex Cadmo Polydorus, ex hoc Labdacus, ex hoc Lajus ex hoc Oedipus deinceps geniti. Phœnicis & Cilicis nulla soboles proditur. Horum plerique suis annis recurrent, quos tamen omnes in hunc locum conjicimus ut Historiæ Græcæ prima tempora notaremus, & magnum τῆς μυθολογίας Seminarium.

2199.

*[Re]becca [con]cipit* Effluxerant jam anni viginti ab Isaaci, & Rebeccæ nuptiis, nec ex illis ulla proles apparebat, magno utriusque mœrore, qui jam sobolem, non ex naturâ, sed ab uno expectabant Deo. Neque ille promissis suis, & Abrahamo defuit. *& parit geminos Esau, & Iacob.* Concepit geminos Rebecca, qui etiam ex utero matris inimicitias videntur inchoasse: hic enim inter se pugnabant, sese invicem protrudebant, tanto prægnantis dolore, ut illa jam concepisse quereretur. Primus exiit ex alvo materna Esau Pilosus, & *Rufus* unde nomen ei *Seir* inditum est: Secutus est glabro corpore Jacob pedem fratris manu tenens, unde dictus *Jacob*, id est, *supplantator*, quod nomen omnis plenum fuisse demonstravit eventus.

---

## CAPUT III.

### *Seculum Mundi XXIII.*

*Ab anno* 2200. *ad* 2300.

2213.

Obiit Abrahamus ætatis suæ anno centesimo septuagesimo quinto, præ senio, & viribus paulatim deficientibus, sepultusque à liberis suis cum Sarai conjuge in spelunca duplici, Patriarcharum tumulo famosissimâ. *Vir planè magnus, & quem votis suis æquare Philosophia non potuit, minusque fuit quod illa finxit, quàm quod ille gessit*, ut de eo scripsit Ambrosius. *Abrahami mors.*

2214.

Circa id temporis apparuit indoles duorum fratrum Esau, & Jacobi. Hic enim naturâ facilis & Cereus in Scholis, quas Hebræi Tabernacula vocant, animum excoluit: Ille venatione, & arte sagittandi corpus exercuit, factus tum venator bonus, & tempore bellicosus miles, sed vitiis militaribus obnoxius, furto & crudelitati. *Adolescentia Iacobi & Esau.*

2218.

Hoc fortassis anno Esau primogenitus vendidit jus suum Jacobo fratri, & vendidit edulio lentis, & pane famelicus, homo solicitior ventris, quàm honoris. Quod cum fecisset per ludum, seriò id factum esse, & approbante Numine miser intellexit, quando per fraudem Jacobus ei paternam benedictionem subripuit. *Esau vendit jus primogeniti.*

2228.

Sub annum Isaaci nonagesimum fames desæviens in regionem quam incolebat illum ad Abimelechum in Geraris Regem divertere compulit. Erat is Regulus patri suo cognominis, sicut & patri suo Picoli, militiæ magister. Ab eo Rege benevolè susceptus est vir bonus, & dives: qui tamen veritus insidias ob Rebeccam tum etiamnum non invenustam, quamquam prope octogenariam, eam Hebræorum more sororem dixit, utpote consanguineam. At cum eâ colludens familiariùs, quàm cum sorore, quod erat detexit imprudens. Nec ideo cum eo actum duriùs, à sapienti, & casto principe, quàm ut blandè, atque amicè corriperetur: *Isaacus descendit in Gerera.*

tur: neque enim majorem pœnam, justus in gente parum pudicâ timor, exigebat.

2238.

*Esau ducit uxores alienigenas.*

Quadragenarius Esau implicuit se nuptiis exterarum muliercularum, duxitque filias duas Hethæorum Regulorum. Id Isaacus & Rebecca vehementer improbarunt, tum quia duas homo mulierosus adsciverat, tum quod exteras, à quibus ἀλλοφυλιῶν periculum erat. Sed homini temerario, atque præcipiti potior fuit voluptas, quam pietas atque religio.

2272.

*Eleusina urbs condita.*

Hoc anno Ogyges in Atticâ Eleusinam condidit, urbem mysteriis Cereris, hoc est occultis, non sacris, sed sceleribus famosam.

2276.

*Iacobus fratri præripit benedictionem.*

Annum centesimum trigesimum septimum decurrebat Isaacus jam decrepitus senex, lippis oculis, & caligantibus, cum ultimam benedictionem impertiri primogenito suo voluit, quam tamen is, officio pietatis in patrem, obtineret. Significat itaque Esau filio ut venatum eat, atque ex prædâ opimum prandium apparet, quo hanc singularem gratiam consequatur. Mora nulla, cum arcu & sagittis venator bonus pergit ad sylvas. Interim Rebecca quæ divinitùs noverat minorem anteponendum esse majori, Jacobum filium mittit ad gregem, atque hinc pinguissimos hœdos duos deferre jubet, quorum pellibus manus, & collum ejus glabra cooperiat, sicque personam Esau ementiatur; coquit ad hæc panes, & pulmentum parat quo vescebatur libenter Isaacus. Præterea injicit ejus humeris primogeniti vestem odoram, & ad celebritates, festaque sepositam: eum denique invitum atque repugnantem compellit ad fraudem, quâ debitam sibi, & primogenito gratiam suffuraretur. Quamquam autem ex brevitate temporis, & voce subodoraretur suspiciosus senex insidias; cum tamen Jacobi manus collumque palpasset hœdinis pellibus amictas, tactui potiùs, quàm auribus credidit. Itaque post sumptos cibos, haustumque vinum, & oscula identidem impressa, Jacobo bene precatus est, eumque suæ præfecit familiæ.

*Fugit Iacob.*

Vix erat peracta fabula cum ex venatione rediit Esau, obtulitque cibos patri, sed jam saturo, & comedere, eique benedicere recusanti, quod indictum esse non posset, quod jam dictum erat. Hinc irâ percitus Esau fratrem perdere decrevit: quare ut malevolentiam ejus, furoremque declinaret Jacobus, ex parentum consilio ad Labanum avunculum in Mesopotamiam proficiscitur.

*Scalam mysticam videt.*

Quo in itinere mysticam in somnis scalam vidit, cujus infima pars adhærebat terræ, summa cœlum attingebat. Distinguebatur hæc Angelis ascendentibus, & descendentibus: hoc itu atque reditu terræ cum cœlo commercia, per Jacobi nepotem Messiam, significabantur.

*Famulatur Labano Iacobus*

Tandem Carras ad avunculum pervenit, à quo susceptus est amicissimè; is vicissim famulatum ei suum obtulit, hac conditione, ut Rachelem filiam post annos septem obtineret uxorem. Illam enim ut vidit, amavit, & ejus gratia, æstus, frigora, adnexosque vitæ pastoritiæ labores patientissimè, ac constantissimè toleravit.

2278.

*Moritur Rebecca.*

Mortua est hoc anno Rebecca ætatis suæ centesimo decimo octavo; cum annis centum uxor Isaaci, duodeviginti virgo vixisset. Obiisse creditur ex mœrore, cum videret exulem Jacobum delicias suas, maritum senem affixum lectulo, Esau filium in se affectum malè, & quod longè gravius erat, Hethæorum, & Ismaëlitarum uxoribus immorigeris & rebellibus irretitum periculosè, in omnibus sibi charis infortunata.

2283.

*Iacob Liam & Rachelem uxorem ducit.*

Evolutis annis septem famulatus pro suo jure Rachelem conjugem Jacobus exigit; acquiescere fingit Labanus ejus justæ petitioni, celebrantur nuptiæ, apparatur convivium; sed concubiâ nocte pro Rachele Lia soror, velata antiquo more supponitur, minus pulchra, & laborans lippitudine. Sequenti diluculo patefactâ fraude graviter Jacobus expostulat; sed Soceri viri impotentis excusationem admittere compellitur, mores hujus regionis non ferre, nempe ut minor natu, nubat ante majorem; si Rachelem habere velit eam altero servitutis septennio redimendum esse; sed post septiduum hanc ipsi daturum uxorem in antecessum, quandoquidem ejus amore flagraret; videret porro ne labori parceret, faceretque, dum bono fruatur, quod fecerat ut eo frueretur. Sic deperibat Rachelem Jacobus, ut eam tam duris conditionibus duceret.

*Augetur magna sobole Iacobus.*

Pascit igitur aliis septem annis Labani greges. Quo tempore numerosam sobolem suscepit. Primo enim anno conjugii Lia Rubenum peperit; sequenti Simeonem; tertio Levi, quarto Judam. Quo item anno ex Balâ Rachelis ancillâ Dan genitus est, sicut ex eadem anno quinto Nephtali; Balam enim Rachel marito suo cum multis lacrymis obtruserat, ut quæ in se non erat, in famulâ fœcunda videretur. Eodem quoque anno quinto Zelpha Jacobo Gadum dedit, ut anno sexto Azerem (Eo enim Liæ processit æmulatio, ut ipsa quoque ad maritum ancillam suam perduceret. Quo item anno incunte Issacharum, exeunte Zabulonem Lia ipsa effudit. Septimus demum annus Josepho filio nobilitatus est quo uno damni numerus à Rachele pensatus est. Lia quoque Dinam filiam eodem anno enixa est, parente suâ magno suæ familiæ damno pulchriorem.

2290.

*Iacobus Labano per vini famulatur sed enim deludit.*

Auctus prole tam numerosâ Jacobus molitur in patriam reditum, ut hîc suæ prospiciat familiæ, neque alteri semper laboret, ac vigilet. At commodior erat Labano Pastor industrius, ut tam facilè dimitteretur. Retinetur ergo per vim

vim, sed pactâ mercede, quæ visa est avaro homini deterrima. Varias enim, & nigras omnes oves filiis suis inde procul pascendas dedit, commisit Jacobo candidas, eâ lege ut agni matribus concolores, domini essent; varii, Pastoris. Verum à sapienti opilione vir iniquus delusus est. Cum enim arietes vere primo oves inirent, calente venere objiciebat eis virgas ex parte decorticas, sicque varias, quarum aspectus, fœtus diversi coloris procurabat. At cum fœtura deterior erat atque serotina, nihil matribus objiciebat in coitu; hoc modo & plures & præstantiores Jacobo nascebantur. Labanus pactum mutavit septies, & mox sibi agnos varios seponebat, mox genero relinquebat: Sed conditionem suam Jacobus submotis virgis variis, adhibitisque vere, vel Autumno semper reddidit meliorem.

2292.

*Diluvium OGYGIVM*

Hoc anno vastavit Helladem, seu Achaiam ingens inundatio, quæ quia Ogygis tempore contigit, Ogygium diluvium audiit. Is in Attica rerum potiebatur indigena princeps, miser tantæ cladis, regnique desolati spectator. Fuit porrò hæc eluvies publicâ & Noëmicâ longè minor, sed major quàm Deucalionæa, quam celebriorem tamen reddidere figmenta Poëtarum.

2296.

*Iacobus fugit à Labano.*

Jam annus abierat sextus, neque discedendi potestatem genero suo faciebat socer, eam sumere Jacobus decrevit, communicatoque cum uxoribus consilio clam in Palæstinam ad parentem Isaacum proficisci. Commodissima tum se dedit occasio; aberat enim tridui itinere occupatus tondendis ovibus Labanus; hoc tempore dat se in viam Jacobus, & tantùm festinat quantùm greges, & magna familia patiuntur. Jamque Euphrate pertransito videbat montem Galaad, cum Labanus auditâ generi fugâ expeditus in equo cum suis advolat, ut aut volentem reducat, aut malè mulctet redire renuentem. Verùm nocte monetur à Deo, ne cum genero agat asperiùs, & hominem acceptissimum cælo abire patiatur. Paruit utcumque Numini Labanus, nec ultra verborum contumeliam processit: excussit tamen ejus impedimenta, ut inveniret Deos suos quos Rachel callidè subripuerat; ii nihilominus inventi non sunt, eadem Rachele insedente cameli clitellis, quibus inditi erant, & menstrua simulante. Verbis ultro citroque jactis & exprobrationibus utrimque veris, inter se socer & gener fœdus ineunt in monte vicino, constructâque ex lapidibus mensâ super eâ, in signum redintegratæ, & nunquam abrumpendæ amicitiæ coram Deo comederunt; unde loci nomen *Galaad*, id est *tumulus testis*. Redit ergo trans Euphratem Labanus: Jacobus cæpto pergit itinere: quando & vidit Angelos, in loco inde dicto *Manahin*, hoc est *castra*, vel gratulantes reditum, vel etiam auxilium pollicentes. Hoc certi mox expertus est; occurrit enim ei Esau bene stipatus armatis, & inferre paratus injuriam: sed ille fratris & muneribus, & animi demissione, &, quod caput fuit, internis Dei monitionibus, placatus, amicissimè Jacobum complexus est. Offerebat & se viæ ducem, sed sapienter, & modestè actis gratiis non admisit comitatum Jacobus, veritus in viâ turbarum causam; suo ergo Esau perrexit itinere, Jacobus suo, spei plenus, quod superiori nocte cum Angelo luctatus, ab eo victus non erat, sed extorserat ab illo benedictionem cum nomine Israëlis, licet eliso femore: quâ ex pugnâ intellexerat, qui genio restiterat, non esse ab hominibus superandum.

---

## CAPUT IV.

### *Sæculum Mundi XXIV.*

*Ab anno* 2300. *ad* 2400.

2305.

*Sichimorum clades ob Dinam violatam.*

Rectè omnia sanctissimo Patriarchæ Jacobo procedebant degenti circa Sichimorum urbem; sed eam tranquillitatem temerarii adolescentis libido turbavit. Dina Jacobi filia pulcherrima liberiùs subibat urbem, & curiosiùs, quàm ut in improbâ, & Veneri addictissimâ gente diu casta posset esse. Et verò in eam cum oculos conjecisset Sichemus filius Hemoris in hac regione principis, tanto illius amore correptus est, ut & eam per vim raperet, & nolenti stuprum inferret. Postea tamen cum præposterus deferbuisset ardor, eam à parente uxorem petiit. Subscripsit ejus petitionibus sapienter Jacobus, sed cum eâ cautione, ut ipse cum suis omnibus circumcideretur, & hanc filiorum Dei reciperet notam. Mora nulla, cum suis omnibus maribus, præputia circumcidit. Ad die tertio, cum dolor esse solet ex vulnere gravior, & acutior, Simeon & Levi cum famulis armati urbem irrumpunt, viros affixos lectulis jugulant, mulieres & pueros captivos, cum multis spoliis abducunt. Hoc facinus universos Chananæos in familiæ unius excidium armare potuerat, nisi metum eis panicum Deus incussisset, & plus valuisset Jacobi pietas ad misericordiam, quàm filiorum improbitas ad ultionem sacrilegæ temeritatis. Certè statim inde sibi demigrandum credidit sapiens Paterfamilias, ibique conflatis omnibus idolis quæ reperiri potuerunt inter prædam, & materiâ sub Terebintho defossâ Luzam perrexit, quam altari excitato Bethelem dixit, sive *domum Dei*, quòd hic peculiari religione à nepotibus suis colendum Deum intellexisset; etiam de futurâ suorum pietate sollicitus.

2306.

*Mors Rachelis.*

Excepit anni superioris tumultum, & trepidationem, hujus anni luctuosa mors Rachelis, quæ verno tempore filium peperit inter tot tormina, ut eum meritò dixerit *Benoni*, id est *filium doloris*. At pater *Benjaminum*, hoc est *filium dexteræ* seu charissimum vocari maluit; ne mœror in morte conjugis dilectæ susceptus, quoties eum appellaret, refricaretur.

*Iacobus [illegible]*

Racheli justa cum accuratè persolvisset Jacobus in agro Bethlemitico, Hebronem ad parentem Isaacum perrexit, ut ejus quoque familiæ prospiceret: quoniam is affixus lectulo, & celebs, ac prope capularis senex rebus suis satis providere non poterat. Atenim pascendis utriusque familiæ gregibus regio erat angustior; quare filios & pecora, per diversa loca, pascuaque dispersit. De iis autem bonus pater cùm solicitior esset Iosephum mittit ut videret, quo in statu sua res esset, quî filii valerent.

*Iosephus mittitur ad fratres.*

Non facile invenit eos patri obsequentissimus adolescens; jam enim relictis Sichimis ubi pascebant greges venerant Dothain: Quod cum accepisset á viatore indigenâ, eò festinus advolavit. Putabat adire fratres innocentissimus juvenis, in acerbissimos inimicos incidit: qui ubi eminus illum accedentem viderunt, iniere consilium de eo tollendo, tum quia se somniis ejus, magnæ fortunæ indicibus, contemptos putabant, tum quod à parente suaviùs amaretur, & sibi videretur anteponi. Spoliatum itaque talari tunicâ non ineleganti, quâ ex amore donatus erat à patre, demittunt in cisternam veterem, tum confractam, & aquis carentem, ut in eâ fame necaretur. At Iudæ genus hoc mortis visum est atrocius, & in puerum, & in fratrem:

*Venditur Iosephus Madianitis.*

Suasit ergo fratribus suis ut Madianitis, seu Ismaëlitis mercatoribus, illac fortè transeuntibus, venderetur potius, à quibus in Ægyptum, & perpetuam servitutem deportaretur, sicque spes omnis de ejus imperio, & principatu in suos fratres infringeretur. Consilium placuit omnibus ut utilius, & honestius: retrahitur Iosephus ex cisternâ, venditur viginti Siclis argenteis, seu decem circiter aureis Francicis, atque inter multas complorationes ab ignotis hominibus & barbaris â patriâ procul abducitur. Facinus tam improbum & audax celare oportebat Iacobum: vestem itaque pretiosam fratris in plerisque locis discissam, & hœdino tinctam sanguine, per certum hominem præmittunt ad patrem, ut supervenientes ipsi lacrymas ejus, & dolorem abstergerent sacrilegi consolatores. Quid cogitaret aliud bonus senex quàm laceratū â ferâ Iosephum? Tot ergo lacrymis amantissimi filii mortem prosecutus est, ut filiis eas abrumpere conantibus negaret, nisi tantùm patris morte, & tumulo posse terminari.

*Iosephus venditur in Ægypto.*

Iosephus interea perductus in Ægyptum cubiculario Pharaonis venditus est, quem ita sibi demeruit adolescens ingeniosus, & solers, ut bonis ejus omnibus præficeretur; dum herus sine solicitudine, ab ejus administratione penderet totus, ipse suo genio indulgere contentus.

2316.

*Iosephi tentatur pudicitia ab Hera.*

Administrabat Iosephus Putipharis domum sapienter, atque fœliciter jam annos decem, & in eâ cum singularis castimoniæ, & integritatis laude versatus erat acceptus Domino suo propter virtutes quas pulchritudo, & palæstra pulchriores efficiebant. Hæc tamen forma castissimum adolescentem tantùm non perdidit.

Ejus enim amore flagrans & mulier Ægyptia, & Hera, non tantùm verbis pollicitationibus, & minis invitabat, sed adhibitâ manu compellebat ad stuprum. Iamque sanctum Iuvenem procax fæmina sic constringebat, ut ab ejus complexibus nisi relicto pallio expedire se nequaquam posset; illud in manibus mulieris imprudentissimæ, reliquit imprudens, quæ eo abusa est, ut in caput innocentis debitam crimini suo pœnam refunderet. Exclamabat ergo sibi propè vim, & dedecus illatum à servo, ostentat ipsam raptoris vestem, miscet clamori quæstus & lacrymas, denique accusationem sic adornat & Hera, & in speciem casta, in servum, & adolescentem, ut illam nulla sceleris afflaret suspicio, hic tentator herilis pudicitiæ flagris conscissus in publicum carcerem compingeretur.

*Detruditur in carcerem.*

Non poterat ultra deprimi virtus quam ut venderetur, laceraretur flagellis, ad furcam, & corvos destinaretur: Inde tamen emersit ad potentiam propè regiam, atque dignitatem.

*Fit quasi præpositus carceris.*

Miserrimus enim in speciem adolescens, suavissimis moribus ita demeruit sibi carceris custodem ut non eum modò vinculis eximeret, sed custodiæ, vinctisque omnibus præficeret. Quo in munere ita se gessit, ita vixit præfectus facinorosis hominibus, atque furciferis, ut jactarent illi publice (inquit Philo) Iosephum divinitus datum sibi, ad solatium turpissimæ, & acerbissimæ calamitatis.

2317.

*Vaticinari incipit Iosephus.*

Inditus etiam Iosepho Prophetiæ spiritus, & ars ex somniis ariolandi hoc anno claruit. Dati erant in vincula jussu Pharaonis Aulici duo, quorum unus ei à poculis, alter pistorum Magister erat. Vidit pocillator in somnis vitem cum triplici palmite sensim frondescentem, unde succrescentes uvæ paulatim maturescerent ex quibus exprimebatur ab ipso mustum in calicem principis. Vidit pistorum præfectus canistra tria suis humeris imposita, & in eorum eminentissimo cupedias, quæ arte pistoria fingi, condirique solent; in eas irruebant volucres, stringebant, rapiebant, efferebant. Ex iis somniis intellexit Josephus rapiendum intra tres dies in furcam pistorem, pocillatorem restituendum officio post tres dies: & vanum conjectorem non fuisse Josephum ostendit tertius exinde dies, hujus restitutione, illius suspendio celebris.

2318.

*Moritur Isaacus.*

Isaacus hoc anno ætatis suæ centesimo octogesimo, luminibus extinctis, jam ab annis quadraginta ex parte mortuus, penitus vivere desiit; egregium Christi patientis, in monte Moriah, & quandiu vixit exemplar.

2319.

*Iosephus enarrat somnia Pharaonis.*

Altero anno ex quo se verum conjectorem probarat Josephus, vidit Pharao somniorum inter dormiendum vaccas septem præpingues emergentes ex Nilo, quas aliæ septem indidem exortæ, sed strigosæ, atque macilentæ confecerunt. Cùm evigilasset Rex, neque multò post indormiisset, vidit septem spicas plenis folliculis, quas totidem tenues, & afflatæ uredine consumpserunt. Cùm accitis Magis Ægyptiis hærere

hæreret aqua, quaſi ad ſe rediens poculorum magiſter ſuggeſſit Joſephum; qui ſtatim evocatus prædixit his ſomniis ſeptem fertilitatis, ac totidem ſterilitatis annos imminere Ægypto ex varii Nili incrementis. Cæterum monuit Regem, ut prioribus annis ſubſequentibus proſpiceret, nec pateretur ſeptem primis annis nata projici, vel profundi, quæ ſeptem poſterioribus erant neceſſaria. Aptiorem putavit Pharao neminem, qui provideret Ægypto, quam vatem cui Deus ejuſmodi ſcientiam indidiſſet. Statuitur ergo Joſephus reclamante nemine, ſecundus à Rege, eique univerſa regni adminiſtratio committitur, quam geſſit eâ integritate & ſapientiâ, ut non modo incolumem præſtaret Ægyptum, & regibus ſuis omnino ſubditam, ſed & vicinas quoque gentes, ſpoliatas tamen divitiis, ab interitu vindicaret. Tantum ad ſalutem multorum unius innocentis virtus afflicta potuit!

*Conſtituitur pro-Rex Ægypti.*

2326.

*Thamaris cum Iuda furtivus concubitus.*

Thamar nurus Judæ perditis duobus maritis Here, & Onano, hominibus nequam, & libidinem potiùs in nuptiis, quàm prolem quærentibus, cum tertius ei frater Sela conjux dari differretur: acceptâ ſcorti perſonâ & cultu ex ſocero ſuo duos concepit uno coitu. Utero ejus intumeſcente poſt aliquot menſes ad pœnam depoſcitur, & adducitur igni. Sed arrhabone repræſentato Judæ, annulo videlicet, baculo, & armillis, ab ipſo ſceleris participe, & judice excuſata, & minus nocens renunciata, dimittitur. Anno exeunte & menſibus novem exactis Gemellos peperit: prior brachium protulit Zara, cui coccineam vittam alligavit obſtetrix unde dictus *Oriens*: Pharez nihilominus fratrem antevertit, ita nominatus, quod primus materni uteri ſepta, membranaſque ſeparaſſet, ambo licet ex furtivo concubitu nati, genealogiam illuſtravere Servatoris.

2326.

*Ioſephi fratres primùm Ægyptum adeunt.*

Eodem tempore perrexerunt in Ægyptum, parente imperante ſimul & fame, Jacobi filii, ut emerent frumenta, quibus Chananitis, vicinæque Ægypto regiones deſtituebantur. Et primò quidem de induſtriâ malè verbis excepti ſunt à Joſepho, & habiti pro exploratoribus. Dumque excuſantes ſe, familiæ ſeriem texunt, & in eâ Benjaminum appellant, eum ipſum, niſi mendaces haberi velint jubentur adducere, vade interim retento in vinculis (ſed in ſpeciem tantùm) Simeone. Referunt autem frumenti non levem copiam, & præterea ejus pretium inditum ſarcinis. Ita cum multo commeatu ad patrem redeunt, ſed inſuper cum triſtiſſimo nuncio; de revellendo ab ejus complexibus Benjamino. Hunc tamen mitigavit utcumque, annona copioſiùs ſubvecta, quæ moras huic acerbiſſimæ ſeparationi pollicebatur.

2328.

*Benjaminus deducitur in Ægyptum.*

Statuerat Jacobus emori fame potiùs, quàm à ſe dimittere Benjaminum: ſed ita loquebatur Satur; cum eſurire cœpit, urgentibus quoque famelicis filiis, & Simeonem in vinculis oſtentantibus, multis tandem cum lacrymis ab ſe delicias ſuas abduci ſinit. Benevolè fratres omnes accipiuntur à Joſepho, immo & adhibentur convivio, ita diſpoſiti ſicut eorum ætas poſtulabat, magnâ in convivas, ſed præcipuâ in Benjaminum amoris ſignificatione. Retulerant ſecum inventum in ſaccis prioris tritici pretium, quò bonâ fide agere viderentur: de hac non dubitabat Joſephus, ſed utrum amarent minorem fratrem; utrum Benjaminus, quam ipſe expertus erat, apud eos laboraret invidiâ. Pecuniam igitur iterum ſingulis imperat reſtitui ſicuti priùs, ſed & præterea Scyphum ſuum condi jubet in ſarcinula Benjamini, ita lætos & alacres remittit ad patrem. Verùm brevis ea voluptas fuit. Paucis enim emenſis ſtadiis, eos equites circumſiſtunt, ut latrones & ingratos magno convicio excipiunt, qui tam benè à prorege optimo accepti ab ejus Scypho in quo vaticinaretur, non abſtinuiſſent manus. Illi, freti ſcilicet innocentiâ ſuâ, deponunt ſarcinas, eaſque ſatellitibus excutiendas objiciunt. Sed cum ad Benjamini ſaccum ventum eſſet, in ejus ore cum pecunia Scyphus apparuit. Quæ conſternatio? Qui queſtus? quæ in latrunculum innocentem convicia, & fortè verbera? Iis tamen neglectis, ut publici graſſatores in urbem, & ad ſupplicium retrahuntur. Miſeri igitur coram prorege abjectis in terram corporibus, omnibus pœnis ſe fatentur dignos, quarum minima fuerit, ſi tam bono principi, duram infortunati homunciones ſerviant ſervitutem. Negat Joſephus ſibi moris eſſe mulctare innocentes; unum ſibi furem famulaturum, nihil ſe morari reliquos, cœptâ porrò viâ ad patrem pergerent, & fratris ſupplicio ſapere diſcerent. Hic Judas, qui fratrem potiſſimùm Jacobo reducendum ſuſceperat, filiis etiam vadibus oblatis, rogat & obteſtatur proregem, ne bono ſeni tantus inuratur dolor, ut filio quem plus ſuis oculis amabat, æternum careat: provideat ne morituro patri renovetur dolor jam ante annos duodecim perdito Joſepho hujus pueri uterino fratre ſuſceptus: abire ſinat corculum patris delicatum adoleſcentem, fortiorē ſe ac vegetiorē utiliùs & conſtantiùs eidē famulaturū. Jacebant interea reliqui fratres, afflictis humi vultibus, feriebant pectora, lacerabant crines, agebant omnia, quæ ultimam deſperationem ſignificarent. Hic ultra continere lacrymas non potuit bonus prorex, & frater, ac famulis ablegatis, Joſephum ſe, & fratrem, & ab iis venditum voce patriâ prodit. Cohorreſcentes ad hæc verba timere vetat; aſſerit ſe Dei conſilio deſtinatum in Ægyptum, ut eorum multorumque ſaluti proſpiceret. Cæterùm quoniam famis adhuc quinque ſupererant anni, illico revolarent ad patrem, eumque cum ſuis omnibus adducerent in Ægyptum, de futurum planè nihil proregis ditiſſimi parenti, & fratribus. Quod cum ore ipſo Pharaonis confirmatum eſſet, abeunt muneribus divites, cum multis curribus, & jumentis, ut quantocyus, patrem, liberos, omnia ſua deportarent. Quibus auditis & viſis quaſi revixiſſet hoc nuncio capularis ſenex, nihil tergiverſatus ad longum iter, & laborioſum accingit ſeſe,

*Agnitio Ioſephi.*

sese, & videre Josephum, aliquot qui vitæ super-erant annis bene redemptum putavit.

2329.

*Israelitæ descendunt in Ægyptum.* Hoc anno qui Jacobi centesimus trigesimus fuit absolutus, Israëlitæ subierunt Ægyptum à Pharaone, Josephoque magnificè susceptı. Collocati sunt porro in terrâ Gessen, quæ & pascendo pecori apta erat, Hebræosque ab idololatris disjungebat, & cum discedendum foret, facilem aperiebat exitum in Palæstinam. Jacobus autem amantissimè suum complexus Josephum, & à Rege, ac aulicis cum multo honore susceptus, & cultus nihil sibi optavit vitæ, quàm ne ob ejusmodi beneficia in Deum, & Regem, ingratus esse videretur.

2330.

*Nascitur Iobus.* Circa hæc tempora natus est in Hussitide regiuncula Jobus, ex Zarâ filio Esau. Sic origine Idumæus vir tantus fuit, magno ejus virtutis argumento, quod inter sceleratos homines contribules suos, ita vixerit, ut statui posset Israëlitis, bonisque omnibus patientiæ, atque pietatis exemplum.

2334.

*Iosephus Ægyptum pen tus subdit Pharaoni.* Ut Ægyptii frumentum fame sæviente reciperent ex horreis publicis & pecora, & agros, & corpora sua, Sacerdotibus exceptis, regio addixerant fisco, quò jam Pharao non tantùm Rex Ægypti, sed etiam Dominus esset. Mutatis ergo colonis ad libitum, ut quid Rex posset, Josephus ostenderet, exeunte ultimo famis anno, gratis dedit agricolis omnibus, & semina, & cibos, unde sererent simul & viverent. Tum assignavit omnibus Ægyptiis agros suos, cum eâ tamen cautione, ut quintam frugum partem quotannis deinceps pensitarent fisco: quod & Regis rationibus utile, & perhonorificum principi, populo non incommodum, immo acceptissimum accidit, quem de mancipio faceret pensionalem, & censuarium. Ita sapientissimus Pharaonis Minister, potentissimũ reddidit principem, nec ejus subditos attrivit; usus liberalitate, quæ multis prodesset, noceret nemini, summamque induceret in Ægyptum fœlicitatem, quam unam spectare debent, non sibi, sed subditis facti, natique principes.

2336.

*Sparta condita.* Sparta nobilis in Peloponneso, & Laconiâ civitas hoc anno vel condita, vel reparata legitur à Sparto, Phoronei filio, qui nomen ei suum imposuit. Alii tamen hoc nomen & structuram ad Spartam Eurotæ filiam transferunt. Sic etiam debita magnis hominibus gratia revocatur in dubium, neque suus est certus honos, etiam urbium magnarum conditoribus.

2342.

*Argus regnat Agis.* Hoc anno Argivorum Regno Argus nomen dedit. Centoculum nobis hunc Poëtæ bubulcum repræsentant, etiam alienissimo tempore. Ita prudentissimi hominis in præveniendis, & prævidendis casibus solertiam venustissimam, inconcinnâ corporis deformitate texerunt.

*Ceres floret in Græcia.* Circa eadem quoque tempora, ut scribit S. Augustinus, Græcia frugibus suis uti cœpit, cum hactenus frumento aliunde importato vixisset, per Cererem agrum colere & serere, ac metere segetem edocta. Quæ res mulierculæ tum divinos honores peperit, cum de multis bene mereri, satis erat ad summam gloriam, & immortalitatem.

2345.

Evolutis septemdecim annis in Ægypto Jacobus in gravem incidit morbum, quo statim sibi moriendum intellexit. Evocat igitur ad se Josephum, ejusque liberos duos Manassem & Ephraim, quos filiis suis, atque familiæ Israëlis per adoptionem accenseri jubet, ut Josephi familia duas inter Hebræos conficeret tribus, si quando Palæstinâ, promissâ Abrahamo regione potirentur. Tum decussatis manibus utrique precatus est bene, quo gestu majorem subdendum minori præcipuit; Ephraimi Tribum in regnorum partitione futuram Israëlitici Regni præcipuam, generandum ex eâ Josue, qui populum in Chananitidis possessionem inducturus esset. Filiis quoque reliquis benedixit, sed maximè Judæ in cujus ditione servandum denunciat sceptrum, donec Dei filius nepos suus Messias, inter homines versaretur. His peractis impetratâque à Josepho ad Hebronem in spelunca duplici sepulturâ, vir optimus, & cœlo acceptissimus obiit. Curatum est funus ejus magnificè, & ex filii dignitate; tantoque apparatu perlatum Hebronem à filiis, & Ægyptiis, ut non ad sepulchrum, sed ad triumphum duci videretur. *Iacobus moritur in Ægypto.*

2359.

Prometheus vir prudentissimus, ut ejus innuit nomen, tum vivebat in Assyria, & ad montem Caucasum, quem conscendebat sæpe, ut inde faciliùs, & accuratiùs siderum observaret motus. Has cœli periodos tantâ sollicitudine spectavit. ut fabulis dederit locum, in quibus per Mercurium alligatus ad Caucasum fingitur, admotâ pectori Aquilâ, quæ cor ejus exederet. Ita Græca vox ἄχος. Latinam Aquilam peperit. Dicitur & furatus esse sacrum ignem applicitâ ad Solis rotam ferulâ, ut ex luto à se fictos Homulos animaret. Usum ignis videlicet mortales edocuit, invenitque modum, quo eliceretur è cœlo, quo igne bene usi homines, quasi novam, & meliorem duxere vitam: molliores tamen exinde redditi, & morbos, & febres sunt experti, quæ mala terris immissa ob raptum ignem à Prometheo Hesiodus, Sappho, alii vates ingeniosè cecinerunt. Ita miserum hominem ex sapiente Poësis fecit, addixitque perperam gravi supplicio virum, qui suis popularibus profuerat, & qui potiùs aram in quâ coleretur, quam saxum, cui vinciretur, promeruerat. *Prometheus inclarescit.*

2399.

Obiit hoc anno ætatis suæ centesimo decimo Josephus, *Orbis servator* appellatus, quod suâ providentiâ, & industriâ Ægyptum vicinasque gentes ab interitu vindicasset. Hunc ideo nonnulli cultum volunt ab Ægyptiis sub nomine Serapidis. Quod si verum est nec prudentiorem, *Moritur Iosephus.*

rem, nec castiorem, nec meliorem Deum idololatria venerata est.

2400.

*Iobus probatur.* Ætatis annum septuagesimum secundum agebat Jobus Arabum, Idumæorumque ditissimus, cui ovium septem millia, tria camelorum, juga boum quingenta, cum totidem Asinis, servulis ac vernis tantæ familiæ respondentibus. Filios quoque septem suos, ac tres filias sic instituerat optimus pater, ut in Deum pii, in parentes obsequentes, inter se concordes viverent, cœlo atque hominibus acceptissimi. Cæterum tot bonis præerat, tantæque fortunæ viri pessimi nepos bonus, & vitæ innocentiâ ac virtutibus, quàm dignitate, & divitiis longè clarior. Quadam ergo die custodes hujus provinciæ Genii convenerunt in unum locum negotiorum causâ, & huic consilio præerat Angelus quidam quasi Dei Vicarius. In eum quoque cœtum irrepsit cacodæmon, quem statim detectum interrogavit præses quid sentiret de Jobo? & utrum inter mortales huic sanctimoniâ invenisset parem? Fassus est quod erat Genius nequam, sed causam virtutis tantæ malitiosè refudit in bona, quibus circumfusus erat, quæ si subducerentur, virtus hominis iis innixa rueret, eodemque tempore Jobus & pius, & dives esse desineret. Qui Dei personam sustinebat & vices cœlestis genius, Satanæ virum justum probandum obtulit, cum amplissima in res ejus externas nocendi potestate. Is autem sic disponit infortunia, sic calamitates miscet, & conglobat, ut quantumvis invicta patientia his labefactari posse videretur.

Uno igitur eodemque die Boves & Asinæ cum Bubulcis, & Agasonibus per Sabæos grassatores sunt abacti: tactæ oves de cœlo cum opilionibus; Chaldæi equites in tres turmas distributi, tribus in diversis locis pascentes camelos omnes abduxerunt: Liberos item ejus omnes cum generis & nuribus, primogeniti fratris domus à fundamentis concussa involvit, & obruit. Quæ omnia eodem tempore, per singulos, ex singulis cladibus superstites sic nunciatæ sunt, ut alter importunè superveniret alteri, nulla viro sanctissimo respirandi, & colligendi sui potestas relinqueretur.

Expectabat hostis vocem aliquam maledicam in Deum, quod calamitatum illarum saltem aliquam aut non amolitus esset, aut non distulisset. At vir patiens juxta ac fortis quis fuisset existens ex utero matris, quis futurus esset post obitum mandandus humi consideravit, atque ita de Deo locutus est summo fortunæ, & infelicitatis arbitro, ut qui ejus manum liberalem amaverat, castigantem osculari crederetur.

Non ita multò post cùm se iterum immisisset in bonorum geniorum cœtum spiritus nequam & invidus, objurgatus à cœlesti præside, quòd irrito conatu Jobum aggressus esset, impudenter conquestus est sibi satis magnam non esse concessam in sanctum virum potestatem. Novam itaque & ampliorem obtinuit, videlicet ut non tantùm in res ejus externas, sed in ejus quoque corpus, seclusâ tamen morte, quàm dirè posset, & atrociter desæviret. Corrumpit igitur puncto temporis optimam alioquin in Jobo corporis habitudinem, sicque humores perturbat, ut ad omnem morbum suscipiendum habiles essent. Ægrotationes deinde sic dispensat ut invicem succederent sibi, leves, gravibus; sanabiles, deploratis; vicissitudinemque inducit omni continuatione graviorem.

Utrum autem ea morborum series parum duraverit, aut ad multùm temporis producta sit, incertum: probabilius est tamen eam septennio toto tenuisse; ne diuturnitas, quâ nullum est ad affligendam patientiam telum potentius, hosti callidissimo, & tergiversationes excusationesque quærenti defuisse videretur. Hoc profectò certissimum principem aliàs virum bonis omnibus spoliatum eò redactum esse, ut cùm totum ejus corpus in unum ulcus abiisset fœdum oculis, naribus tetrius; cùm eam mephitim exhalaret, quam nec famuli, nec ipsa tecta ferre possent, Jobus non jam homo sed putridum cadaver, fœtentis instar jumenti, & tantùm non expirantis, extra urbem portaretur à vespillonibus, & in sterquilinium abjiceretur. Hic nudus sub dio, suoque ac loci pædore squallidus, deficientibus linteis erumpentem ex membris omnibus saniem abradere testâ, & paleis utcumque abstergere cogebatur. Aderat enim domesticorum nemo qui ferret auxilium; tantùm uxor impia & *atrox Diaboli jaculum*, inquit Chrysostomus, identidem accedebat, manu compressis naribus, non ut ei aliquid daret solatii, sed ut maritum ad maledicendum Deo, & inferendas sibi ex desperatione manus invitaret. Sed eam à se leviori convicio vir bonus placidè repellebat, stultitiam & loquacitatem, innata fœminis vitia, sceleratissimæ mulieri exprobrare contentus.

---

## CAPUT V.

## *Sæculum Mundi XXV.*

### *Ab anno Mundi* 2400. *ad* 2500.

2401.

In hunc annum commodè cadit Ephraimitarum clades, cujus mentio 1. Paralypomenon, quando Gethæi prædones irruentes in Ægyptum Hebræorum vicinorum pecora conati sunt abigere. Occurrerunt eis novem fratres, Ephraimi filii, Josephi nepotes, qui dum fortiùs quàm cautiùs in grassatores viros bellicosos irruunt, eorum insidiis intercepti, dum frater fratri fert suppetias, internecione ciciderunt. Pater autem eorum Ephraim, ubi liberos luxit quandiu natura, quantum ratio postularet, aliis edendis statim operam dedit, & mox *Beriam* genuit octogenarius, cujus nomine domus suæ cladem significavit, & ad eam reponendam hosti posteritas ejus invitabatur. *Ephraimitarum clades, à Gethæis latronibus.*

2407.

Spectaverat jam toto septennio Jobum Deus cum *Iobus re[stitutus]*

*stituitur sanitati, & bonis.* cum Dæmone, morbisque teterrimis colluctantem. Cùm itaque amicos ejus insolens morbi genus, & inaudita hactenus calamitas accivisset, ipse eorum colloquio Deus interesse voluit, & suam in regendis hominibus providentiam ab incautis mortalium accusationibus vindicare. Steterunt tunc amici coram amico, sed stupidi, & elingues ad aspectum tanti casus, & famâ, & omni consolatione majoris. Assuetudine tamen, & oratione Jobi miserias suas, & reliquorum hominum deplorantis animati, sermones cum eo contulerunt. In iis disputatum de ærumnis innocentium, & de divinâ Justitiâ. Sed iis contentionibus ulteriùs quàm par esset procedentibus, Deus ipse finem imposuit, locutus ex nube quæ Jobi vertici imminere videbatur. Inde adstantes fortis Magister erudiit, Jobum imprimis erratum suum magnâ animi demissione confitentem: cui tunc se Deus aspectabilem præbuit, eumque uno hoc aspectu pristinæ reddidit sanitati. In ejus quoque gratiam amicis placatus est, cum pro iis sacrificium, jubente Deo, vir Sanctus obtulisset. Quibus auditis in Hussitide factus est magnus ad eum videndum, salutandumque concursus, munera undecumque delata, quæ tam celeriter annuente cœlo multiplicata sunt, ut bona ejus omnia, oves, cameli, boves, asinæ, mancipia multiplicarentur. Edidit ei quoque uxor totidem quot amiserat liberos, animi, & corporis dotibus illustriores, & tantarum divitiarum futuros hæredes. Quibus omnibus ostendit Deus, nec bonam, nec adversam fortunam nocere viro sapienti; huic eripi posse bona, & valetudinem, virtutem non posse; & eam esse nonnunquam in sterquilinio, quàm in purpura clariorem.

2412.

*Atlantis tempora.* Refertur ad hunc annum Atlas Rex magnus, Astrologus major; qui quod plerumque montem Mauritaniæ conscenderet ipsis nubibus superiorem, cœlum fulcire suis humeris creditus est, & huic monti suum reliquit nomen. Nihil porrò hîc moramur fabulas, ut cœlum ab eo susceptum hospitio, & quia ei struebat insidias in Athlanticum mare præcipitatum: ut os Gorgonis in Clypeo Persei Regem hunc indurantis in rupem; quia hîc nos historicum non Mythologum agimus.

2438.

*Amenophis Pharao vexat Israelitas.* Amenophis secundus, seu Amenopses hoc anno Ægyptum administrare cœpit. Is à plerisque putatur esse Memnon, cujus statua Solis afflata radiis aut loquebatur, aut videbatur loqui. Rex iste oblitus Josephi, & exosus Israëlitas eos supra modum afflixit, omnique ratione exterminare conatus est. Principio gravissima tributa extorsit per atroces publicanos: deinde rapuit universos in teterrimam servitutem; tum iis constituit immanes operum præfectos, qui exigerent labores viribus majores, non reddentes pensum constitutum, flagellis acerbissimè & usque ad mortem sæpe conscinderent. Cùm nihilominus Deo sic volente multiplicarentur, perdere mares omnes recens natos decrevit, idque per obstetrices Ægyptias molitus est. Sed illæ Deo piam eis cogitationem inspiranti, quàm Pharaoni crudelitatem imperanti parere maluerunt. Ideo divites sunt effectæ, & fœcundæ, familiasque suas & amplas, & locupletes reliquere. Sic extorris licet à vera religione nulla operam Deo navavit, sine gratia, & beneficio; cœloque adlaborantes etiam improbos sua præmia manent.

2459.

Hoc anno genita soror Mosis Maria ab *Amarore* traxit nomen, quod tempore difficillimo, & inter lacrymas amarissimæ servitutis in lucem exiisset. *Maria nascitur.*

2461.

Natus hoc anno & servatus Ægyptiarum obstetricum operâ frater Mosis Aaron, sicut & plerique alii infantes Hebræi. Quod cum suboluisset Pharaoni, eas à se vocatas graviter increpuit: At eum mulieres subdolæ officioso delusere mendacio; quasi Hebrææ mulieres obstetricibus nihil egerent, earumque in suis partubus operam, & auxilium prævenirent. Inde edictum prodiisse dicitur de mergendis Nilo infantibus Judæis, sed irrito pariter conatu; nam multi neci sunt subducti, & is maximè qui servitutem hanc sustulit, cum magna clade, ac propè ruinâ Ægyptiorum. *Aaron nascitur.*

2464.

Hoc enim anno MOSES editus est ex Amramo, atque Jochabethâ, partu tam facili, & expedito matris, ut observantes Ægyptios, & huic incubantes fefellerit. Servatus est porrò, magna solicitudine domi nonaginta diebus, & donec tempus instaret quo satellites tertio quoque mense, de more, Judæorum domos excuterent. Tum enim ne puer cum tota familia, & parentibus interiret, vanoque & periculoso conatu servatus esset, expositus est ab iisdem in Nili ripa caricibus, & papyris consita, & ubi mollius flumen restagnabat. Eodem fermè tempore accedebat ad fluvium, ut in eo se elueret Thermutis filia Amenophis; quæ conspicata adhærescentem papyro fiscellam, eam ad se per famulam deferri jussit. Inventus infans pulcherrimus & miserrimus accendit in ejus pectore amorem simul, & commiserationem. Eum ergò statuit alere: sed deerat nutrix; puella soror infantis in excubiis à matre posita, & non procul abesse jussa, nunciavit Hebræam mulierem vicinam nutricem bonam sibi notam esse; hæc statim evocatur, ei committitur infans pactâ mercede, & Moses, id est *Extractus* appellatur. Fatale ergò erat Ægyptiis, ut qui eos Rubeo mari involuturus esset, per naufragium ad principatum, & regiam adoptionem promoveretur. *Nascitur Moses.* *Exponitur.* *Liberatur.* *Nutritur à matre.*

2467.

Redditus hoc anno Thermuti Regis filiæ à Jochabeta matre ablactatus Moses, ut in aula deinceps nobiliùs educaretur. Hunc enim filia Pharaonis habuit filii loco; sive verè dixerit suum ut scripsere Philo, Nissenus, & Augustinus; seu ut alii, pluresque malunt, in ejus familiam, tantùm adoptione transierit. Quæ autem *Moses in aula educatur.*

autem de conculcato tum à Mose Pharaonis diademate Flavius Josephus habet, aut de prunis insertis ori, unde impeditioris linguæ sit factus, quæ Rabbini scribunt, meritò inter fabulas computamus. Nec enim in Mosis laudes intenta scriptura, si hæc ita se haberent, unquam tacuisset; nec apparet ulla ratio, cur res tanti momenti scriptor sapientissimus, & fidelissimus dissimulasset.

2466.

*Rhodus frequentata.* Phorbas Rex Argivorum hoc anno regnum iniit; & post annos aliquot (tempus enim ignoratur) Rhodum insulam occupavit, atque industriâ suâ vindicavit à serpentibus. Exinde frequentari cœpta, aëre tam commodo usa est, ut in ea nullo non die Sol appareret. Quare Soli sacra fuit, cui & Colossum excitavit ipsa pari magnitudine, & celebritate.

2469.

*Moritur Amenophis.* Interiit tum crudelis Amenophis, Israëlitarum capitalissimus hostis, cui successit Orus, de cujus moribus scriptores non conveniunt. *Orus ei succedit.* Hunc enim quidam Chronologi, aliter Busirim dictum volunt, hominem crudelem & Barbarum etiam usque ad aras, & Religionem. Hunc quoque pyramidum in Ægypto conditorem arbitrantur, ad quas excitandas contendunt eum operâ Judæorum usum esse, atque servitute. Sed Busiridis tempora Danao συγχρόνε, huc commodè transferri nequeunt. Neque de pyramidum ætate satis prudenter quisquam pronunciare potest, cum authorum hujus insaniæ nomina modis omnibus extinxerint Ægyptii, in eorum odium capitale: Adversùs quos profectò, tantò non flagrassent, si exterorum, & peregrinorum labore conditæ essent, non indigenarum, ut historiæ parens Herodotus innuit. Accedit quòd à plerisque Orus iste mitioris ingenii fuisse perhibeatur, à quo & decretum antiquatum volunt de mergendis Nilo infantibus Hebræis, adnitente Thermuti in gratiam sui Mosis. Alioqui cur tot infantes inventi essent, cùm Judæi mox Ægyptum reliquerunt; certum argumentum imminutæ antea crudelissimæ servitutis.

2471.

*Mosis studia.* Septennis Moses liberalibus disciplinis excoli cœptus, in quibus ita profecit, ut eas non discere, sed reminisci videretur; Magistros præveniret ingenio, dignusque judicaretur, quem verè suum diceret filia Pharaonis.

2491.

*Nascitur Josue.* Hoc anno plerique Josue magnum ducem Hebræorum natum esse volunt, ex Tribu Ephraim, cujus pater in Hebræo textu & vulgatâ *Nun* apud 70. Græcosque scriptores Ναυὴ dicitur. Josue autem primùm à parente suo vocatus est Osee, seu ut Græcus textus habet Αυσῆ, vel Αυσῆς: quod nomen habuit donec emissus est ad Palæstinam explorandam, exinde enim Josue dici cœpit, nomine tantùm in speciem industriore, cum utrumque *Servatorem* sonet: Sed hoc significantiùs fuit atque vulgarius, quo sic appellari placuit hominem de populo benè meritum, ut id esset majoris adhuc benevolentiæ & amoris in gentem suam incentivum.

2495.

In annum trigesimum primum Mosis Fasti Siculi statuunt Hermopolim à Mose conditam, & bellum adversus Æthiopas summâ sapientiâ, & felicitate toto decennio gestum. *Mosis falsæ expeditiones.* Addit Josephus urbem hanc dictam esse Merrhim, ab ea muliere, quæ ipsam ex aquis eduxerat, tunc mortuâ. Bellum autem Æthiopicum cujus potissimum causâ urbem hanc excitatam volunt, Hebræi volunt inchoatum fuisse sapienter, & ingeniosè Ibibus delatis à Mose, quæ serpentes interemerunt in deserto regionis hujus, qua se tutos credebant Æthiopes. Quomodò autem fructum hujus belli Reginam Æthiopissam reduxerit Moses, quàm fortiter, & prudenter se in hoc bello gesserit apud Josephum leges, & fabulas cum Theodoreto, Eugubino, aliisque credes. Hujus autem fabulæ causa putatur esse uxor Mosis Æthiopissa, quam Judæorum Magistri fingentes suo more, ut Augustiorem facerent, & constituerunt Reginam, & ex interiori Æthiopia deduxerunt. Quasi verò vir omni celebritate clarior, ab uxore Reginâ, & ex ultimis orbis partibus accitâ posset accipere gloriam, & commendationem.

2496.

Cecrops vir Ægyptius, Diphyes dictus quòd geminam linguam calleret, Græcam & Ægyptiam, hoc anno Regni Athenienfis fundamenta jecit, sicut & idololatriæ in Græcia. *Cecropis & idololatriæ in Græcia initia.* Hic enim Jovem primus ibidem coluit, eique simulachrum, & aram posuit, ac victimas immolavit, quarum sanguinem nondum hæc regio viderat. Eo regnante Athenis, in arce, olea sponte nata est, Urbi ex Minerva hujus arboris Deâ, inditum nomen. Sic eodem tempore Attica & Regi & Dæmoni subdidit sese; sed hunc tardiùs, quàm illum excussit.

* * * *
* * *
* *
*

LIBER

# LIBER III.
# SÆCULUM MUNDI VIGESIMUM SEXTUM.

## Ab anno 2500. ad 2600.

### CAPUT I.
### PRIMA DECAS.
*Ab anno 2500. ad 2510.*

2503.



*Moses relinquit aulam.* Moses ætatis suæ anno quadragesimo adoptionem Ægyptiacam, & regiam ejuravit, Hebræumque se & dixit, & gessit. Accendebat fratres suos ad patientiam, & ad spem meliorum temporum erigebat. Admonebat præfectos sibi notissimos ut aliquid de immanitate in viros innocentes remitterent. Inter hæc officia charitatis incidit in Ægyptium, qui Judæum immerentem & conviciis & plagis malè mulctabat in loco ab arbitris remoto. Enimvero Mosi visa non est ferenda injuria: Irruit in percussorem, eumque calce interimit (nihil enim moramur Rabbinos cum nomine τετραγραμμάτῳ) & raptim occultat sabulo. *Ægyptium interfecit.* Putabat rem cum cadavere sepultam esse; at sequenti die sensit se expectatione sua delusum. Dum enim rixantes duos Hebræos amicè reconciliare nititur, & eum nominatim arguit, qui fratrem injustè pulsabat, ab eo repulsus est contumeliosè, rogatusque, num quam superiori die fecerat Ægyptii cædem, hodiernâ fratris sui cumulare vellet. Percutit Mosem hæc interrogatio; sibique illico fugiendum ratus, *Fugit ad Iethro. In Arabiam.* secessit in eam Arabiæ partem, quam incolebant Madianitæ, à nonnullis dictam Æthiopiam. Hîc cum officiosè defendisset filias Raguelis, seu Jethro in hac regione Sacerdotis simul, & Reguli, adversus Pastorum injuriam, ab eo est susceptus hospitio, data uxor Sephora filia, ex qua duos liberos suscepit. Interim pavit soceri sui greges, egitque pastoritiam vitam, regiæ dominationis olim rudimentum, donec ad majora, & principe Hebræorum digna vocaretur.

2506.

*Nascitur Calebus.* Hoc anno natus est Calebus fortissimus, & prudentissimus Palestinæ explorator, dignusque habitus propter singularem in Deum fiduciam, qui eam videret, & visâ potiretur.

* * * *

### CAPUT II.
### Altera Decas Saculi XXVI.
*Ab anno 2510. ad 2520.*

2512.

Deucalion uxorem habuit Pyrrham consanguineam suam Epimethei patrui filiam, *Deucalion regnat ad Parnassum* qui cùm ex Ephebis vix egressus, junctus est matrimonio, ut adhuc propiùs jungerentur, Quidam hunc regnasse volunt in Thessalia, alii ad Parnassum: sed eadem dicunt, cùm aliàs Thessalia ad Parnassium montem usque pertinuerit. Hic autem non armis & per vim, sed industriâ & facilitate, consecutus est imperium, qui regnandi modus ad hominem propiùs spectat; ut violentus & armatus ad feram.

2514.

Circa hæc tempora quidam Mosem summo otio perfruentem, scripsisse putant Geneseos librum, & alium quo Jobi patientia exprimitur. *Mosis scripta Genesis & liber Iobi.* Hos tamen alii referunt ad moram in Cadesbarne, ubi tum erat Moses divinis revelationibus illustrior. Utraque opinio probabilitate non caret. Quod enim hic aliqui objiciunt initium collocutionis cum Deo Mosis ad rubum, privatis revelationibus ad scribendam Genesim necessariis non adversatur. Nulla esset de Jobo difficultas, si jam mortuus esset: sed si tum is liber scriptus est postea huic additus finis, quod in libris sacris sæpe contingit, non uno tempore à capite ad calcem scriptis. Tunc autem, & inter Israëlitarum calamitates scriptum non ambigo: sic tamen, ut in eo quem habemus libro Jobi, Moses interpretis tantùm vices expleverit, cùm id opus Arabicam Dialectum sapiat, quo modo ab ipso Jobo compositum plerique eruditorum arbitrantur; sed contractum hunc legimus à Mose, & patria linguâ donatum, ut ad aspectum tantæ patientiæ, miseri Hebræi tolerare fortiter, & constanter ediscerent asperrimam servitutem.

### CAPUT III.
### Decas III. Saculi Mundi XXVI.
*Ab anno 2520. ad 2530.*

2528.

Omissum varios Ægypti Principes, qui ad rem nostram nihil faciunt, ut Acenchrim Regi-

*Pharao Cenchres regnare incipit.* Reginam, quæ Oro succeffit, ficut & qui eam excepit fratrem Achorim, aliter Rathotim, & Rathos. Poft eos creatus eft Pharao Cenchres, cui vulgò anni fexdecim regni tribuuntur. Is eft Pharao obftinatione fua, plagisque inflictis à Deo, ac demum funeftiffimâ morte, quàm fuo regno celebratior. Quo regnante peffimè habitos effe Judæos, fignificant in cœlum eorum voces, ac queftus, quibus tandem permotus Deus illos eripere decrevit, ut homines numini mancipatos, quibus inflictas injurias Deus ipfe graviùs, quàm illatas fibi caftigare plerunque folet.

## CAPUT IV.

### Decas IV. Sæculi XXVI.

#### Ab anno 2530. ad 2540.

2539.

*Moritur Iobus.* Iobus ætatis fuæ anno ducentefimo decimo feptimo, finem vivendi fecit, filiorum nepotum, pronepotum, abnepotum turbâ circumfeptus; de cujus laudibus tacere mortales debent, cùm eum extollendum in facris Codicibus Deus ipfe fufceperit.

2540.

*Phaetontis incendium.* Defævierunt eodem tempore ignis, & aqua incendio Phaëtonteo, & Deucalioneo diluvio, quæ vatibus magnam fingendi, mentiendique licentiam fuffecerunt.

Phaëtonte regnante aër fic incaluit, ut fylvæ paffim, atque meffes incendia conciperent; hinc datus fabulæ locus de eo currus parentis Solis infcitius regente, & dum inflammaret cœlum atque terras, per Jovem fulminato. Eodem quoq; fpectant forores ejus, quæ dum fratrem lugent impenfiùs in populos converfæ, electrum fundunt pro lacrymis, tam diu flere juffæ, quàm pretiosè.

*Diluvium Deucalioneum.* Paulò poft cum ad Parnaffum in Hellade aquæ terras obruiffent, multosque mortales fuftuliffent, Deucalion & Pirrha ejus conjux Parnaffi accolas homines duros, & fylveftres ad certas nuptias, & cultius vivendi genus traduxerunt. Unde nata de lapidibus ab utroque poft tergum jactis fabula, in homines converfis (ficut Themidis oraculum præcinuerat) & matrimonio copulatis. Ita dum fapientes viri loquuntur eruditè, à vulgo audiuntur infcitè, orta μυθολογία eft, pari eruditionis fructu, & difpendio veritatis.

## CAPUT V.

### Decas V. Sæculi XXVI.

#### Ab anno 2540. ad 2550.

2543.

*Mofis præfectura.* HOC anno demum compulfus Deus lacrymis Ifraëlitarum in Ægypto, diriffimaque fervitute gementium, delegit hominem, qui populum ritu peculiari addictum fibi cladibus, & prodigiis ex importuniffimorum hominum manibus eriperet.

Pafcebat in Orebo monte, ac defertis Arabiæ gregem foceri Mofes, cum vidit in ejus cacumine ardentem rubum, fed ardentem diutiùs, quàm rubi, & vulgaris ignis natura poftularet. Statuit igitur accedere propiùs, tantique prodigii caufam accuratiùs inveftigare. Jamque non procul aberat, cùm jubetur calceamenta ponere, & locum quem fibi Deus addixerat, religiosè venerari. Loquebatur autem Dei Vicarius Angelus ex rubo, & Dei nomine loquebatur. *In Rubo Deum alloquitur.* Mox ubi propior eft factus, Ifraëlem ab Ægyptiis attritum imperatur liberare, & in regionem promiffam patribus inducere. Opponit Mofes quidquid vir fapiens objiceret: Nomen jubentis rogat, geminum difcit, unum majus atque auguftius, & quo brevi voculâ natura fupremi Numinis exprimebatur; aliud familiarius, & magis ad captum Judæorum. Imparem fe tanto negotio afferit, tum quòd Blæfus effet, & impeditioris linguæ tum quòd legationis hujus neque apud fuos, neque apud Ægyptios inventurus effet fidem. Adjungitur ei comes Aaron frater, vir facundus & eloquens, datur in manu virga, magnum in edendis prodigiis inftrumentum, & quod erat caput, ac utroque potentiùs, fpondet auxilium Deus; obfequatur tantùm Mofes, reliqua hujus curæ fore, qui nec temerè quidquam fufcipiat, nec præfcribat.

*Iter Mofis.* Accingit fe ad iter Mofes, foceroque falutato, cum uxore & liberis verfus Ægyptum proficifcitur. Sed hic grave periculum adiit ab Angelo, quòd filium fuum non circumcidiffet: hoc tamen difcuffit Sephora, præputio filii refciffo, & ad mariti pedes abjecto ut quantùm diligeret Mofem oftenderet, cujus falutem filii fanguine redemiffet.

*Aaron ei occurrit.* Interea monitus Aaron à Deo venit obviam fratri, quem amantiffimè complexum Mofes focium accipit legationis. Aaronis fuafione remittitur ad patrem cum liberis Sephora, ut maritus ejus expeditior, tanti momenti negotium exfequeretur.

Ingrediuntur Ægyptum ambo, principibus Ifraëlitarum denunciant imminere libertatem, & miraculis faciunt dictis fuis fidem. Hoc primùm exigebatur, ut liberari populus vellet, Mofes princeps agnofceretur, tentaretur ab eo Pharao legitimè, utrum fponte præftare vellet, ad quod invitus, & ingratis cogendus erat. Sed erat Pharao ille Cenchres contumacior, ut ftatim pareret; fuperbior, ut fe demitteret, fceleratior ut folis Dei monitis ad officium revocaretur. Legatos igitur abigit, Hebræam plebem quafi otiofam gravat oneribus, præpofitos gentis flagris dilacerat, & acerbè adeò populum univerfum vexat, ut Judæi de Mofe liberatore fuo, propè meritò queri viderentur, qui dum abrumpere parat, duriorem effeciffet fervitutem.

*Induratur Pharao.* Indurabatur ergo Pharao, & de fe, & per Magos fuos Jannem, & Mambrem, qui fignis opponebant figna; & ficut Mofes virgam fuam mutarat in Draconem, ita fuas illi verterant in colubros, quos tamen Mofaicus Draco devorarat. Molliendus ergo, fubigendusque Rex pla-

gis fuit, ac per vim ad populum laxandum compellendus.

*Plaga Ægypti decem.* *1. Sanguis.* *Principio* Nilus universus vertitur in sanguinem, & sitientibus Ægyptiis cruorem tantùm, & saniem offert; Sed id Magi quoque Ægyptii præstitere, & popularium insuper suorum plagam adauxere.

*2. Ranæ.* *Deinde* incredibilis Ranarum, Buffonumque copia per totam Ægyptum spargitur, coaxatione, & uliginosâ fœditate importuna: Addidere & Mosaicis, Ranas suas Magi, & passus est Deus eos posse, ut gravius Ægyptii mulctarentur.

*3. Sciniphes.* *Tertiò*, virgâ Mosis percussâ tellus, sciniphes edidit, minutum animal, hominibus, & jumentis metuendum, quod videret nemo, sentirent omnes. Id autem prodigium frustra tentarunt Magi, Deo vim Carminum prohibente, ut ipsi confessi sunt.

*4. Musca.* *Quartò*, Sciniphibus supervenerunt Muscæ, quæ alis obstreperent, proboscide pungerent, morsu, & contactu omnia contaminarent. Has facibus abigere (quod aptum videbatur remedium) moliebantur Ægyptii; sed illis, ita volente Deo, nihil nocebat ignis, & integris inter flammas alis, atque corporibus, quasi pyraustæ volitabant. His malis cedere tantisper visus est Pharao; verùm sublato malo, ad ingenium, id est ad contumaciam, statim rediit.

*5. Pestis animalium.* *Quintò* igitur in omnia animalia atroci peste sævitum, valentibus interea, & sanis Israëlitarum pecoribus, & jumentis.

*6. Vlcera hominum.* *Sextò*, pervasit ad ipsos quoque homines lues. Sparsus enim Mosis manu de camino cinis, ulceribus fœdis, & purululentis homines, & animalia cooperuit, & quasi viventibus turpissimis cadaveribus totam implevit Ægyptum.

*7. Grando.* *Septimò*, quia non acquiescebat nisi ad tempus Pharao, grando permixta fulguribus arbores omnes excussit contrivitque.

*8. Locustæ.* *Octavò*, si quid ex grandine, & ignibus superfuit, incredibilis multitudo locustarum depasta est.

*9. Tenebræ.* *Nonò*, tergiversante adhuc Rege tenebræ sunt per totam regionem effusæ, verùm adeò cœcæ, ut eas nec ignes vincerent, nec accensæ faces dissiparent; adeò crassæ ut sentiri, palparique viderentur. Præterea inter has discurrentia cum horrifico strepitu monstra Ægyptios exanimabant metu, consilii inopes, siquidem vicinus & frater vicinum & fratrem non videbat, at tenebrosis omnes quasi conclusi ergastulis, hærere, ubi fors tulerat, compellebantur.

His demum Pharao domitus, visus est acquiescere, & de emittendis Hebræis seriò cogitare. Quo tempore mutuati sunt Judæi vasa aurea, & argentea, pretiosasque vestes ab Ægyptiis, quibus ad festum diem celebrandum uterentur: neque se valdè difficiles famulis abituris, & quos malè metuebant, heri præbuerunt. Non ita Pharao, quem puduit cum suis subditis, ac mancipiis pepigisse.

*10. Primogenitorum nex.* *Decima* ergo plaga atterendus fuit, divinisque flagellis quasi Colophon imponendus; & sanè malum id omnium longè gravissimum extitit. Cum enim Pascha suum Hebræi celebrassent, Agnumque solemni ritu, præscriptoque comedissent, intinctis ejus sanguine superliminaribus, exterminatores Angeli per totam Ægyptum discurrerunt, atque hominum & animalium primogenitos omnes, in domibus quarum portæ sacro carerent cruore, sustulerunt. Sic nulla domus tantæ cladis exsors fuit, præter Hebræas. Quare ubi primum diluxit Ægyptii, metu gravioris mali, obliti etiam præ timore repetere divitias suas, & solliciti potiùs de vita, quàm de fortunis, tergiversantes Hebræos abire compulerunt.

2544.

*Israëlis EXODVS.* Sic exierunt ex Ægypto Israëlitæ sani omnes valentesque ad sexcenta virorum millia cum liberis, & conjugibus, cum in ea ducentis & amplius hæsissent annis ab ingressu Jacobi, vitis instar succisæ, inter cædes & plagas lætius, & uberiùs pubescentes.

*Columna.* Sequenti die bonis viatoribus apparuit columna noctu lucida, ut eos illustraret; opaca interdiu, ut vindicaret ab æstu. Tum ad mare castra posuerunt, ubi Pharao, mutatâ de more voluntate, eos assecutus est, ut ad servitutem acerbiorem, quàm antea, fugitiva mancipia retraheret. Quid ageret inermis multitudo, hinc & inde vallata rupibus inaccessis, objecto à fronte mari, à tergo urgente crudelissimo Rege, cum parato ad vindictam exercitu? Justissima erat timoris causa, nisi hunc Deus inhibuisset. Jubet ille Mosem virgâ Sinum Arabicum percutere, qui nihil cunctatus, hinc & inde submovit fluctus, viamque latissimam quasi crystallino utrimque vallatam muro deduxit. *Via per mare rubrum aperit.* Et ut maris fundus lubricus admitteret vestigia, spirans ventus urens, & siccus sic uliginem, & algam omnem absumpsit, ut neque commodius, neque pulchrius iter ad ambulandum requireretur. Hanc igitur incognitam hactenus mortalibus viam ingrediuntur Israëlitæ: subeunt & Ægyptii, sed interpositâ inter utrumque populum sacrâ nube, quæ luceret illis, his teterrimas tenebras affunderet. Jamque illi oppositum tenebant littus, hi medio maris alveo continebantur, cum ecce emicare è nube fulmina, equos currusque disjicere, turbare ordines tanto tumultu, ut certissima clades expectaretur. *Ægyptii aquis obruuntur cum Pharaone.* Et verò fugere parabant omnes, Deoque pro suis ita pugnanti se negabant pares: cum retenti hactenus divina vi, supervenientes fluctus, impeditos sic obruerunt, ut ex tanto exercitu ne unus quidem cladis nuncius superesset. Projecta ad littus Arabicum Ægyptiorum cadavera, cum armis & impedimentis, Hebræos armavere, atque instruxere.

*Aquæ amaræ factæ dulces.* Inde tridui sine castrametatione confectum est iter, deserto malignè aquas sufficiente; sed terminus longæ hujus viæ difficilior fuit. Substiterunt enim ad aquas adeò amaras, ut iis sedare sitim desperarent. Hinc exorta populi naturâ queruli murmuratio, quæ mirabiliter compressa est. Indicavit enim Mosi Deus lignum, quod ubi primùm aquas attigit, dulces eas ac pota-

potabiles reddidit: ſive tum primùm hæc ei virtus indita eſt, ſive vim eam mirabilem jampridem acceptam ſervabat.

*Deficit commeatus Iſraeli.*

Ubi pervenerunt ad deſertum Sin poſt dies triginta ab exitu, farina commeatusque defecere. Hinc iterum querelæ, quas & præſens fames, & futuræ majoris timor, & ciborum Ægyptiorum recordatio accendebant. Sed tum quoque Deus ingratis non defuit. Nam præter ingentem coturnicum copiam ad eorum caſtra vento delatam, paravit eis cibum exquiſitiſſimum, & delicatiſſimum, formatum in nubibus per Genios bonos, qui quidem dictus eſt *Manna*, quia primùm cum admiratione, & hac voce *Manhu*, id eſt, *quid eſt hoc?* Suſceptus eſt. Hoc manna quotidie paulò ante Solis exortum cadebat in terras, candidâ priùs pruinâ, quaſi mappâ, ſubſtratas. Neque plùs uno durabat die, præterquam pridie Sabbati; tum enim in duos ſeponebatur dies, aliàs ſequenti die computreſcebat, aut minus erat edule. Certa quoque erat ſingulis menſura conſtituta; & ea ſatis erat omnibus; qui plus colligeret, fruſtra laborabat. Exorto verò Sole, quidquid ſupererat, ſolvebatur in rorem, atque diffluebat. Eo autem cibo non tantùm veſcebantur homines, ſed & jumenta, & pecora. Verum tempore ipſo viſus eſt improbis cibus ille levior, & qui nauſeam pareret: at eo ſic uſi ſunt viri boni, & innocentes, ut in eo omnem omnium ciborum ſuavitatem, & ſaporem experirentur.

*Pluit Manna.*

*Petra Oreb percuſſa virgâ ſuſficit aquas.*

Tandem ventum ad extrema Deſerti *Sin*, locumque Raphidim, ubi renovati ſunt, propter deficientes aquas populi turbulenti quæſtus. At hi quoque prodigio ſunt compreſſi. Nam Orebi petra virgâ Moſis coram gentis principibus percuſſa, eos evomuit latices, qui populum per totum deſertum, reliquamque viam ſequerentur, eiſque abundè & pecori aquas ſufficerent.

*Pugnat Joſue adverſus Amalecitas.*

Poſtea pugnatum, Joſue duce, adverſus Amalecitas; ſed Joſue manu, Moſes precibus pugnabat; & erat ejus elatis in cœlum manibus alligata victoria, quam plenam & incruentam, & cum multis ſpoliis Hebræi retulerunt.

*Lex datur in monte Sinai.*

Inde victores pervenerunt ad montem Sinai, ſed eum montem fumantem igne, & fulminibus emicantem duntaxat eminus aſpexerunt. Ex ejus porro ardenti vertice Angelus Dei Vicarius Decalogi præcepta, inter fulgetra, & tubas intonuit; ut intelligeret populus, ejus eſſe mandata exhaurienda, cujus ad imperium, & vocem fulmina reboarent. Tum autem Deum inter, & gentem Hebræam percuſſum eſt fœdus, cæſis victimis in altari ad radices Sinai; unde Moſes vocatus eſt ad Dei colloquium, & in montis cacumine diebus quadraginta, comite Joſue manſit impaſſus. Hic jubetur conficere Tabernaculum, & Sanctuarium apparatu ſingulari, & qui religionem viſu ipſo excitaret; hoc eſt Arcam, propitiatorium, menſam in qua proponerentur panes, candelabrum, Altaria, omnia ex auro ligniſque pretioſis, niſi aliud altaris, ignisque ratio poſtularet. Hæc omnia non malè repræſentabant templum portatile, & erranti populo per deſerta, religioſa hæc machina ſatis erat ad externum cultum religionis. Tum quoque vocatus eſt Aaron ad Pontificatum cum ſuis liberis, eique pretioſæ veſtes ſunt aſſignatæ, tantæ dignitati reſpondentes. De his omnibus in apice Sinai Moſes ſingulatim edoctus eſt à Deo, dignus tali diſciplinâ tantæ gentis Magiſter, & rector.

*Idea Tabernaculi [illegible] Moſi.*

*Vitulus aureus conflatur, & adoratur.*

Sed cum populo videretur ſui Legislatoris abſentia diuturnior, cumque vel periiſſe inter ignes, vel raptum eſſe ſuſpicaretur, petiit ille, immò extorſit ab Aarone, ut ſibi conflaretur Deus, non ille terribilis, & qualem viderat inter ignes & fulmina; ſed mitior & qualem Apim in Ægypto ſpectarat. Conflatur ergò à Pontifice tergiverſante, vitulus ex auro, attollitur, adoratur, victimis, ebrietate, ſaltationibus placatur. Inter hæc adfuit Moſes cum Tabulis lapideis etiam paratis à Deo, ejusque digito exaratis; quas ad aſpectum tantæ impietatis frangit, armat Levitas adverſus idololatras, atque ex iis viginti tria millia inter ludos, choreas, crapulam, religioſè juxta ac fortiter contrucidat. His peractis redit ad montem placaturus Deum, ubi eum aſpexit ut mortalis poteſt, & verſatus eſt cum eo amicè, ac familiariter: unde in ejus fronte remanſerunt radii duo, quaſi duo cornua, indicia divini cum eo colloquii, quibus venerabilior, & auguſtior efficiebatur. Ita deſcendit ex monte cum duabus tabulis, quas pararat ipſe, ſed Deus ſcripſerat, ſuſceptusque eſt cum ſingulari totius populi voluptate, qui ex hoc facto ſibi reconciliatum agnoſcebat Deum: cujus gratiam ſibi tam utilem, quàm pernitioſum furorem toties expertus erat.

2545.

*Aaron conſecratur.*

*Tabernaculum erigitur.*

Sequentis anni principio conſecrati ſunt ſolenni ritu Aaron, ejusque liberi: Tum eodem ductu paratum Sanctuarium, ſingulis Tribubus aurum, & pretioſa quæque ſufficientibus tantâ copiâ, ut ſibi populus nihil ad propria ornamenta reſervaſſe videretur. Neque verò Deus ſe ab hominibus vinci paſſus eſt: infudit enim artificibus ſcientiam ſingularem, ut materiam quantumvis exquiſitam operis forma ſuperaret.

Poſt dies octo à conſecratione Sacerdotum, Aaron Pontificem egit: eoque faciente ignis delapſus è cœlo victimas depaſtus eſt cum magna totius populi voluptate, quæ tamen Nadabi, & Abiuſi filiorum Aaronis morte turbata eſt. Cum enim impoſuiſſent in thuribulis ſuis prophanum ignem, & in eo thus contra Dei vetitum adoleviſſent, erumpente ex altari igne ſacro afflati, integris corporibus & veſtibus interierunt, illatique extra caſtra per conſanguineos ſepulti ſunt imperante Moſe, ut oſtenderetur hoc ſupplicio nunquam in rebus religionis parùm, impuneque peccari. Hebræorum & interpretum quidam eis ebrietatem affingunt, quâ hoc ſupplicio mulctatam volunt: Sed ii, neque de Deo ſatis magnificè, neque de mortuis ſatis honorificè cogitant.

*Mors Nadabi, & Abiuſi.*

*Iethro inviſit Moſem.*

Non ita multò poſt ad Moſen generum ſuum, cum Sephorâ ejusque liberis, Raguel, liberatum Iſraë-

Israelem gratulaturus venit: quem à manè ad vesperam laboriosissimè jus dicentem ab improbo, & supervacaneo labore subtraxit, electis judicibus, qui de levioribus rebus statuerent, dum ipse se ad majora negotia recentem ac vegetum reservaret.

*Ignis in murmuratores desævit.* Inde mota sunt castra, ac triduo toto continuatum iter; qui labor ab ignavis cessatoribus, & contra in Deum columna præcedentem, & adversus Mosem ductorem questus expressit. Sed ignis missus è cœlo, vel existens è terris in torpentes, & ignavos desæviit, ab aliis longiùs sejunctos; & majorem intulisset cladem, nisi hunc Moses suis precibus extinxisset.

*Sepulchra concupiscentiæ.* Ventum postea ad locum, cui à casu inditum est *sepulchrorum* nomen. Hic enim carnes optavit populus, easque per Mosem extorsit à Deo, missis toto mense coturnicibus, quæ captu faciles incredibili copiâ castra circumvallabant. Iis autem ita ingurgitarunt se quidam carnivori, ut ex crapula perirent ad multa millia, totumque hunc locum tumulis distinguerent, unde nomen ei *sepulchra gulosorum.*

*Sanhedrim seu concilium 70. Seniorum.* Eodem tempore Mosis quoque imminutus est labor, additis septuaginta viris, quorum operâ in regendo populo uteretur, quos & Judices, & Prophetas constituit Deus, iis ita communicato Mosis spiritu, ut ipse nihil detrimenti sentiret.

*Rixa de Mosis præstantia.* Publicum jurgium, privatum, & domesticum excepit. Rixatæ enim sunt inter se (quod non est incredibile) fœminæ; sed quod mirum non insipientes; quas qui conciliare debuerat Aaron, dum ipse abit in partes, magis distraxit. Attollebat Mosem uxor Sephora, & meritò reliquis hominibus anteponebat; eum contra deprimebat Maria soror, seu repugnandi studio, seu quod ita putaret; & Mariæ favit Aaron, loquutus de se paulò superbiùs. *Maria mulctatur leprâ.* Displicuisse Numini hanc controversiam ostendit Mariæ, & Aaronis gravis increpatio, cum insigni Mosis laude conjuncta. Neque ultra verba in Pontificem progressus est Deus. At Mariam nocentiorem afflavit leprâ, submovitque castris; quò tamen post septem dies, ob unius Mosis preces, & mente, & corpore sanior revocata est.

*Missi exploratores in Chananæitidem.* Sub idem tempus de exploranda Chananitide consilium sumptum est. Submissi exploratores viri fortes, & industrii, quorum optimi fuerunt Calebus, & Josue, ut ad populum certa referrent. Regionem itaque totam diebus quadraginta lustrarunt, & ex ea retulerunt eximios fructus; inter cæteros botrum ingentem, & prægravem, duorum hominum onus in vecte. Redeuntes terram quidem fertilem dixerunt (id allati satis innuebant fructus) sed cultores alere gigantes, quibus Hebræi compositi nani, & pumiliones viderentur. Inde seditio concitata adversus Mosem, quam repugnantes cæteris exploratoribus Josue, Calebusque frustra moliti sunt compescere. Hanc ergo Deus repressit ipse, non sine gravi nocentium pœnâ. *Hebræi vincuntur ab Amorrhæis.* At miseri dum præposterè scelus emendare volunt, auxerunt. Nam absque monitu Dei, & Mosis imperio Amorrhæos aggressi, fusi, fugatique sunt: didiceruntque damno suo, timorem, & audaciam improborum, ex æquo periculosas esse, & magnarum calamitatum procreatrices.

2546.

Circa hæc tempora Athenis constitutum est judicium, quò celebratiùs, & severiùs nullum orbis vidit. *Areopag. institutus.* Id quoniam in hoc colle Mars judicatus erat, Areopagus dictus, templumque inædificatum, in quo causæ capitales dirimebantur, tanta integritate, ut ne quis fucus fieret, hic neque exordiri, neque perorare liceret Oratoribus, sed nudè, & simpliciter causam explicare. Reddebatur etiam jus in tenebris, & de nocte, ne sordidus reorum cultus, & squallor valeret ad intempestivam commiserationem. Porrò in hoc foro sederunt judices integritatis tantæ, ut eò ex omnibus partibus Græciæ, & Asiæ causæ deferrentur; dignique haberentur, quibus postea summi momenti controversiæ, committerentur.

*Judæus ligna colligens in Sabbato lapidatur.* Apud Hebræos item hoc anno severissimè judicatum est, longè tamen justiùs, quàm in Græcia, quia hujus judicii Deus arbiter fuit. In deserto Pharan deprehensus Judæus homuncio die Sabbati ad coquendos cibos colligens ligna, primùm datus est ab hominibus in vincula, mox Dei jussu lapidibus obrutus, ostendit quàm religiosâ, & accuratâ quiete colendus esset dies ille sacer, cùm labor in speciem necessarius, & sine dubio tenuis, tam gravi supplicio mulctaretur.

2547.

*Seditiosi Core, Dathan, & Abiron vivi terrâ hauriuntur.* Quartus ab exitu Ægyptiaco annus seditiosorum tumultu, & pœnâ memorabilis extitit. Core Levites, Datan & Abiron Rubenitæ, cum ducentis quinquaginta Levitis, aliisque multis improbis, & aliis tribubus Aaronem exuere Pontificatu moliti sunt. Displicuit adeò Numini in sacrum hominem conjuratio, ut tres illos seditionis authores (priùs ab eorum tabernaculis, submoto populo, eorumque liberis innocentibus mirabiliter suspensis in aere) hiatu terræ vivos, & spirantes hauserit, reliquos ignibus ex altari incenderit, & penitus absumpserit. Neque verò mitiùs cum eorum fautoribus, & hanc cladem Mosi exprobrantibus, actum est. Hi enim eodem igne sacro succensi, amoris in sacrilegos homines pœnas luerunt. Aaronis Pontificia dignitas firmata est, cum ejus virga, virgis principum in singulis Tribubus permixta floruisset, & recentes edidisset Amygdalas, reliquis sterilibus, & exsuccis.

---

## CAPUT VI.

## *Decas VI. Sæculi XXVI.*

*Ab anno* 2550. *ad* 2560.

2552.

*Hellen. & Græcæ gentis initium.* Circà hæc tempora referre licet initia Græcæ gentis, cujus author fuit Deucalionis filius

filius Hellen, frater Amphictyonis, à quo Ἕλλη-νες traxere nomen.

Jam verò Hellen tres suscepit filios ex Orseide, Æolum, Dorum, & Xuthum. Ab Æolo Æoles dicti, sicut & Æolica dialectus; à Doro, Dores, & Dorica. Ex Xutho geniti sunt Achæus, & Jon; ab hoc Jones, & Jonica lingua, ab illo Achæi, in quorum nomen postea omnes Græci transfusi sunt. At de his plura Geographi, hic pauca ista delibasse sufficiat, ne magni parentis clarissima in historiis soboles ignoraretur.

2555.

mphi- yon A- enis re- at. Hoc anno regnare cœpit Atheniensium Rex tertius Amphictyon, Helleni frater. Is duxerat uxorem Atthidem filiam Cranai secundi Atheniensium Regis, cui tamen affinitate neglectâ regnum eripuit, dignus qui postea ab Erichthonio conjuratione factâ eodem unde socerum detruserat throno pelleretur. Hujus autem Amphictyonis inventum est Concilium Græciæ ex septem civitatibus, seu populis conflatum, opus eximium, & Græcis facilè inter se diffidentibus omninò necessarium, quo Regionis incolumitas stetit, stetissetque diu, nisi publicis rationibus privata odia, & amores prævaluissent.

---

## CAPUT VII.

## Decas VII. Sæculi XXVI.

*Ab anno 2560. ad 2570.*

2565.

Erichthonius aliter Erechthæus hoc anno Amphictyoni vicem reposuit, & Athenis expulit, unde hic majori crimine socerum gener expulerat.

Hunc Mythologi Vulcani filium faciunt, atque terræ, quæ Dei hujus claudi semen excepit dum Minervâ sibi à Jove per Stygem jurante promissâ, potiri conaretur. Hinc natus Erichthonius cum pedibus Draconis, veriùs obtortis, & informibus. Quam turpitudinem ut tegeret primus junxit currum, assequutus ingenio, ut qui serpebat inter homines super hominum capita & Rex, & Rex egregius emineret.

2568.

thenelus ex Argi- orum. Sthenelus, quem Pausanias Sthenelam vocat hoc anno Inachidarum ultimus obtinuit imperium Argivorum; erat is Crotopi filius, Triopæ nepos. Ejus filius Gelanor hereditarium habere non potuit Imperium, depulsus à Danao Ægyptio, tanto flagrabant odio indigenæ Reges illi, ut illis & peregrinus, & exul anteponeretur.

* * * *
* * *
*

## CAPUT VIII.

## Decas VIII. Sæculi XXVI.

*Ab anno 2570. ad 2580.*

2574.

Hoc anno Troja à Dardano condita, & tum Dardania dicta ab authore. Erat is Dardanus Jovis & Electræ filius, regnabatque in urbe Tusciæ Corytho cum fratre Jasio, seu Jasione. Quidam tamen hunc Arcadem fuisse malunt; quidquid sit de patriâ peractâ cæde fugit in Samothraciam, unde trajecit in Asiam, & ad Oram Hellesponti; ubi Teucer rerum in Troade potiebatur Rex indigena. Alii volunt Teucrum origine Cretensem fuisse, & longè post Dardanum venisse in Troadem. Sed de rebus tam longinquis, & Authorum dissentione diversis nihil certi statui potest. Communior opinio tradit Dardanum à Teucro benignè susceptum datâ etiam huic filiâ Batieâ, ex qua genuit Erichthonium, Teucro autem mortuo ejus regno potitum esse, quod anno uno supra triginta tenuit; initio autem regni sui Trojam seu Dardaniam condidisse. Ita cognatæ urbes Roma, atque Troja conditoribus fratricidis debebantur. *Dardanus Trojam condit.*

2579.

In id temporis videtur incidere Regnum Ramessis Ægyptiorum Regis, qui alio nomine Ægyptus dictus est; quamquam in sacris Literis antea sic vocetur per πρόληψιν. Expuleratis porrò, quò tutiùs regnaret, fratrem suum Danaum; qui præceps ejectus à fratre, ab exteris Argivis & benignè exceptus est, & ad regnum vocatus mortuo Sthenelo, expulsoque ejus filio Behanore. Quare Danai Regis Argivorum initia ab hoc anno mundi 2579. procedunt. Tum Ægyptus qui fratrem privatum, & infœlicem despexerat, eidem & Regi, & beato reconciliari voluit, ac filiabus ejus quinquaginta, filios suos totidem maritos obtulit. At plus valuit apud Danaum veteris injuriæ recordatio; quam augebat quoque mortis metus, sibi ex oraculo, per generum imminentis. Monuit igitur crudelis pater filias suas, ut primâ nuptiarum nocte fessos ex concubitu viros omnes suos jugularent, quod præstitere præter unam Hypermnestram, quæ Lynceum dimisit incolumem: à quo postea Danaus interfectus est. Crudeles illæ Belides ab avo sic dictæ, ob tantum scelus in inferis dolium pertusum, & undecumque perfluens implere frustra haustis ex puteo vicino lymphis perhibentur; leviori utique supplicio, ut aquas duntaxat inaniter effundant æternum, quæ tantùm cognati sanguinis unâ nocte perdiderunt. *Danaus regnat Argis.* *Belides.*

---

## CAPUT IX.

## Decas IX. Sæculi XXVI.

*Ab anno 2580. ad 2590.*

2583.

Hoc anno in Deserto Tsin, non procul à Cades-barne Maria soror Mosis diem clausit extremum, & magnifico publicoque funere *Maria soror Mosis moritur.*

nec in monte Sein, tanquam populi mater tumulata est.

*Aqua contradictionis.*

Sed inter hos luctus accidit Mosi, atque Aaroni casus gravior, & luctuosior. Populus enim destitutus aquis, quæ eum hactenus erant secutæ ex Orebi petrâ defluentes, contra eos insurrexit, & præsens tanto malo remedium, non precibus, sed propè minis flagitavit. Jubetur à Deo bono animo esse Moses, virgâque sumptâ alloqui silicem qui ad ejus imperium sitienti populo esset aquas suffecturus. Paruit dubitans Moses. (Quis enim crederet hac gratiâ dignum rebellem populum, & toties in Deum contumacem) & cum fratre dubitante accessit ad rupem, eamque dubitans interpellavit; immo, & quod imperatum non erat, bis virgâ percussit. Rupes nihilominus aquas populo ejusque jumentis largissimè vomuit. Displicuit adeo Numini in viris tantis diffidentia, ut statim negarit eos in regionem promissam Abrahamo ingressuros, sed morituros in ejus limine; neque multis precibus rogatus, ut sententiam mutaret, exorari voluit.

*Idumæi negant transitum Israelitis.*

Pergit porrò exinde Moses cum populo, & transitum ab Idumæis cognatis suis, quàm potest honestis precibus, & conditionibus rogat: nihil impetrat tamen ab atroci principe, & qui multùm de moribus Esau retinebat. Itaque longiori circuitu (quia per vim ingredi prohibebantur, & irrumpere) Palæstinam Hebræi quærere compelluntur.

*Aaron moritur.*

Cum pervenissent ad montem Hor, imperante Deo, Aaron indumentis Sacerdotalibus spoliatur, iisque magna pompâ filius ejus Eleazarus exornatur; Statimque cum vestibus animam posuit exauthoratus Pontifex, bonis Israëlitis fato functis adlectus, & ibidem cum magno fratris, ac totius populi luctu sepultus est.

*Victus Chananæus Rex Arad.*

Interea contra Hebræos Palæstinam affectantes paravit expeditionem Rex Aradiorum Chananæus, & victor evasisset, si viribus humanis certatum esset. Certè quandiu suis non pugnavit Deus, vincere visus est Aradius, & prædas aliquas de Israëlitis abegit. Sed victi cùm se obstrinxissent voto, ac victoriarum auctori totum hoc regnum addixissent, ita debellarunt Aradios, ut in hac regione nihil relictum sit præter nomen *Horma*, quo Dei omnia superantis potentia, populi ausi Deo resistere internecina clades significabatur.

*Serpentium ignitorum morsus sanati viso serpente æneo.*

Victores Hebræi per mediam Idumæam in promissam patribus suis Palæstinam irrumpere cogitabant; Sed id fieri vetuit Deus, invitis nepotibus Esau, & ferro armisque viam aperiri per cognatam regionem prohibuit. Hinc iterati questus improborum, de longiori itinere, de cibo, de potu, ineptisque fastidiis, quibus per Mosem contemptum ipse Deus impetebatur. Has obmurmurationes represserunt igniti serpentes, hoc est rutili micantesque ignium instar, vel morsu venenum inspirantes, quo inflammata corpora ardentissimâ febre corripiebantur. Hic tandem malo serpens æneus affixus perticæ, & tantùm spectatus ab ægris remedium attulit; ut intelligerent sanitatis hujus auctorem Deum esse, quæ depositis, ac jamjam efferendis, non pluris stetisset, quàm uno oculorum intuitu.

*Iosue Mosis successor eligitur.*

Ab hoc tempore curæ omnes Israëlitarum ad bella conversæ sunt; itaque tum designatus Josue successor Moysis, qui deinceps quasi candidatus præfecturæ, & θεοκρατίας, expeditiones suscIperet Imperator.

*Amorrhæi Og, & Sehon devicti.*

Ac principio tentati Reges Amorrhæi duo Og Basanites, & Sehon Hesebonius: & hic quidem rogatus, ut amicum concederet transitum nihil nocituris, cum suis copiis eum interclusurus adfuit: ille de stirpe Gigantum reliquus, & duodecim pedibus major, cum suis copiis fortissimis, & expeditissimis socio suppetias tulit: sed ambo victi, deleti, trucidati regiones suas omni cultore vacuas victoribus cum ingenti prædâ reliquerunt.

*Bellum in Madianitas.*

Ab iis itum ad vicinos Madianitas, qui timore perculsi, cum suo Rege Balaco in auxilium evocarunt Balahamum vatem Mesopotamenum, ut Hebræis ille malediceret, eosque quasi vinctos anathemate, sibi devincendos, & subjugandos objiceret. Et sapienter primò venire noluit Balahamus, quia id Deus prohibuerat, mox tamen muneribus, & promissis corruptus, ad Balacum perrexit insidens asinæ: Quæ cum à viâ militari recederet, ne trucidaretur Herus ab Angelo occurrente cum ignito gladio, is contra eam verberibus contunderet, ut revocaret in viam, hæc vocibus humanis cum admonuit de periculo suo, quod ipse mox oculis usurpavit.

*Asina Balahami.*

Maledicere autem jussus Israëli eum contra benedictionibus cumulavit, eaque protulit de victoriis Hebræorum, de Christo venturo, de Magis ex suo sanguine eum adoraturis, ut Dei animatus spiritu Prophetes, non à malo genio afflatus ariolus putaretur.

*Balahami impurissimum consilium.*

Postea tamen idem vates consilium Balaco suggessit exæquo turpe, ac impium; nempe ut per meretriculas aggrederetur viros fortes, & illecebris ac lenociniis corruptos à veri numinis cultu abalienarent. Et vero iniquissimis consiliis respondit eventus; Quidam enim Madianiticorum Scortulorum formâ capti cæcatique postquam cum iis turpissimè volutati sunt, non modò epulis, & sacris Madianitarum interfuerunt, sed quod omnem superat fidem, & impietatem, mysteriis Beelphegor, seu Priapi initiati sunt, ut hac professione publicâ veri Dei cultum ejurasse viderentur. Hos igitur jubente Deo Moses à principibus tribuum judicatos in crucem agendos curavit, quo supplicio paratus in populum Dei furor deferbuit. Verùm longè magis eum repressit Phinees filius Eleazari Sacerdotis, cujus pium ardorem Deus, & dictis, & factis probavit.

*Phinees nobile facinus.*

Zambri quidam libidinosus Hebræus Madianiticum scortum coram universo populo in tentorium suum perduxit, idque tantùm non in propatulo inverecundè, ac turpiter iniit. Rem ferendam non putavit esse Pontificis filio Phinees, armatus pugione irruit & uno ictu utrumque configens utriusque sanguine Deo & Castimoniæ, sic candidatus sacerdotii, perlitavit.

Inde

*[M]adiani[tæ] deleti.*

Inde adversus impurissimas copias, & Priapo dignas, ausas etiam concurrere, dimicatum fortiter ab hominibus pietate, & justâ ultione succensis: quo in conflictu cecidere principes omnes Madianitæ, cecidit iis permixtus Balahamus, dignus perire non militis, sed carnificis manu: viri omnes jugulati cum mulieribus, quæ virum noverant; virgines & pueri in servitutem abducti, omnes dedere pœnas acerbissimas suæ, & alienæ impietatis.

2584.

*[M]oritur [M]oses.*

Ubi pervenit Moses ad radicem Abarim montis editissimi, & unde prospectus in Palæstinam datur, partem ejus Nebo dictam, ejusque verticem, cui nomen Phasga, jubetur conscendere, & inde spectare regionem, quam tot laboribus quæsiverat, diffidentiâ suâ pæne in ejus aditu perdiderat. Hic bene precatus populo, legeque divinâ multis, & accuratè commendatâ, ætatis suæ anno vigesimo supra centesimum, sensibus adhuc integris, & corpore sic affectus, ut longam adhuc vitam sperare posset, tantùm quia sic volebat Deus, blandè in ejus complexibus expiravit, & per libitinarios Angelos sepulturæ mandatus in valle, quæ Abarim inter, & Phogor montes inter currebat. Sed quo loco tumulatus fuerit, hactenus latuit: ne apud gentem idololatriæ deditam, vir adeò bene de illâ meritus, divinos honores consequeretur. Id enim maximè curabat Dæmon, locumque portentis celebrem reddere moliebatur, sed ejus conatum Michael Archangelus retudit, & dissipavit improbissimi veteratoris consilia, quæ tantùm eo spectabant, ut contra Dei leges, pro Deo mortalis Moses ab Israëlitis non ingratis haberetur.

*[Se]pultus [ab] Angelis [in] ignoto [loc]o.*

*[Jos]ue Mosi [su]ccedit.*

Finito in tanti viri morte justissimo luctu, Josue à Deo jam, atque Mose sublectus capessit imperium: statim in urbem Hiericuntem præmittit exploratores, qui situm ejus, statumque renuncient. Divertêre illi ad Raab stabulariam mulierem, cujus operâ, atque consilio servati incolumes redierunt ad suos, datâ hospiti salutis tesserâ, vittâ coccineâ, quæ domum ejus, universamque familiam sospitem, tutamque præstaret.

*[Ex]ploratores Hiericuntis à Raab servati.*

*[Tra]nsitus [Jor]danis [e]t transitus [ho]m Hebr.*

Inde ventum ad Jordanem, quem ferentes arcam Sacerdotes vix pedibus attigerant, cum ejus aquæ steterunt, à dextrâ obice, qui aspectabilis non esset, divinitùs objecto, ut à fonte venientes fluctus inhiberentur, & crescentes sensim versus caput retrò agerentur. Interea à lævâ reliqua pars fluminis in lacum Asphaltitem decurrens alveum patentem & siccum aperuit, in eum prægrandes lapides duodecim, à duodecim viris singularum Tribuum comportati sunt, æternum transitus hujusce stupendi monumentum. Postquam autem populus universus ad alteram evasit ad ripam, inde quoque Arca deportata fluvium pristino restituit alveo, & in ejus gratiam pensiles contra naturam suam aquas continuisse se Jordanus ostendit.

*[Po]pulus in [Ga]lgalis [cir]cumci[sus].*

Post hæc in Galgalis defixa sunt Castra, hoc est in *loco separationis*, quod hic populus circumcidi jussus esset acutissimis petris, quibus ager abundat. Hic igitur Israëlitæ filiorum Dei notam suscepere jam annis quadraginta intermissam, per quam Abrahami nepotes à Chananæis incircumcisis distinguerentur.

*Capitur Hiericus.*

Sanatis vulneribus, corporibusque refectis novo bellandi genere, & quasi Choreis tentata Hiericus. Diebus enim septem eam urbem munitissimam, & propugnatoribus plenissimam clangentibus sacerdotum tubis circuierunt Israëlitæ: Septimo etiam die septies; quando tubis acutum insonantibus, & populo ad Ducis jussionem vociferante, muri firmissimi licet omni ex parte ita ceciderunt, ut facilem undecumque in urbem sternerent viam. Hic immaniter etiam in animantes sævitum, parcitum nemini (sic enim jusserat Josue, sic voverat) præterquam iis quos Domus Raab, signo notata continebat: omnes ei facti proselyti; ipsa etiam mater familias Salmoni nupsit, in Tribu Judâ principi; sic jus hospitii servasse suis omnibus saluti, ipsi insuper honori fuit.

*Resistit Hai ob furtum. Acham.*

Captâ hoc portento Hiericunte, quænam civitas non reseraret portas? Restitit tamen Hai πολίχνη, immò populum hactenus terribilem fugientem vidit propter unius hominis culpam. Achamus enim aliquid ex Hiericuntino Anathemate subduxerat; agnitâ tamen sortibus, mali causâ: sacrilegus, lapidibus cum tota familia obrutus, & consumptus igne, supplicio suo reddidit fratribus animos & audaciam, quæ suo crimine extinxisse videbatur.

*Urbs Hai intercipitur.*

Deinceps urbs Hai capta stratagemate, ut Josue non tantùm fortis, sed & prudens Imperator agnosceretur: Rex hujus urbis actus in crucem, in eam Hiericuntinus furor, & clades extensa, ad reliquarum terrorem.

*Gabaonitæ Hebræos fallunt.*

Quominus vicini Gabaonitæ eandem subirent aleam, calliditas impediit. Quasi enim longè dissiti, detritis calceis, & vestibus, jumentisque oppido lassis, cum Israële fœdus jungere postularunt, & impetrarunt interposito Sacramento. Sed patefactâ demum fraude, addicti sunt cædendis lignis, aquisque in domum Domini comportandis, indeque Nathinæi dicti: mollius hoc genus servitutis ad pœnam fraudis, miseris hominibus propè necessariæ Imperatori bono satis visum fuit.

*Liberantur per Iosue Gabaonitæ.*

Verùm in eosdem Gabaonitas gravior à Regibus vicinis quinque pernicies incubuisset, nisi eam & repente, & noctu superveniens Josue discussisset. Adfuit & mancipiis suis Deus: nam fugientes Amorrhæos lapidibus obruit è cœlo, reliqui palantes ferro demessi. Et ut plenior esset victoria, hujus spectator, & adjutor esse ab homine Sol ipse jussus est, & horis totis quatuordecim producere diem; ut desperarent Chananæi resistere Imperatori, cujus ad vocem quos colebant ut Deos, Sol, & Luna, more famulorum obsequerentur. Capti sunt tum quoque in unâ eâdemq; speluncâ delitescentes Reges quinque, qui priùs conculcati à Principibus Israëlitis in cruce penderunt: ut tum se Reges obliviscerentur, qui post serviles contumelias, etiam reservato mancipiis supplicio interirent.

*Sol stare iubetur.*

*Urbes ca[ptæ].*

Inde quasi appendices tantæ victoriæ captæ urbes

*[...]te ab Israelitis & exterminata.* urbes Maceda, Lebna, Lachis, Gazer, Dabira, in quas omnes ſine diſcrimine ſexus, ætatiſque ſævitum; non crudeliter tamen qui ſic imperat Deus, cujus juſſiones aliquando ſeveræ videntur eſſe, numquam ſævitiam redolent; quia multis magniſque criminibus, propriis & alienis, ſupplicia taxant.

2585.

*Victus Jabin cum aliis Regibus ad aquas Meron.* Jabinus Rex Azor, tractûs hujus potentiſſimus, vicinos Regis aliorum Regum clade ſupplicioque territos in auxilium ſuum accivit cum equitatu plurimo, atque peditatu, & cum iis ad aquas Meron caſtra defixit, ut hic de invadendis Hebræis conſultaret: Fruſtra: eos enim incautos invaſit Joſue, oppreſſitque tam ſubitò, ut priùs ſe victos eſſe, quàm hoſtem adeſſe intelligerent. Permixti gregariis militibus trucidati ſunt Reges, equi equiteſque jugulati, incenſi cum ſuis curribus Aurigæ. Atque ut belli ſementis extingueretur; urbs Aſara magni regni caput in cineres abiit. Reparata tamen poſtea & novum bellum, & novum Regem huic cognominem adverſus Iſraëlitas ſuffecit, quando eorum crimina, Phœnicis inſtar hanc ex illius cineribus excitarunt.

2589.

*Palæſtinæ diviſio inter duodecim Tribus, ſeu duodecim filios Iſraelis.* Hic primus annus γεωργίας ſimul, & κληρουχίας aſſignari ſolet, diſtributa per Joſue inter Hebræos Palæſtinâ, cujus pars trans Jordanem Ruben, Gad, & dimidiæ tribus Manaſſis, jam ceſſerat: tum verò cis Jordanem conſederunt Nephtali, Aſer, Zabulon, Iſſachar, altera dimidia pars Manaſſis, Ephraim, Dan, Simeon, Benjamin, & Juda; videlicet à Dan quæ poſtea Cæſarea Philippi, ad Berſabee, ſeu meliùs ad Rhinocoluram, aut fluvium turbidum, vel torrentem Ægypti. Ea Palæſtinæ longitudo non plus ſexaginta Leucarum Aſtronomicarum; latitudo à Petra Arnon ad mare duodeviginti circiter. Tribus Levi ἄκληρος, reliquis tribubus permixta eſt, eique aſſignatæ 48. urbes, ex quibus ſex Aſyli jure donatæ ſunt, cis Jordanem tedes, Sichem, & Hebron, Trans, Boſor, Ramot, & Gaulon, ut ad eas confugerent, qui imprudentes feciſſent cædem, ibique tuti conſiſterent donec negotium componeretur. Ita viri Deo conſecrati per totam Palæſtinam ſparſi, ut pietatem ubique docerent atque tuerentur, nulla pars bonis exemplis vacaret.

*Tabernaculum in Silo locatur.* Tum quoque fixis Iſraëlitis, fixa eſt tabernaculi ſedes, & in Silo collocata: Quaſi Deus eorum peregrinationis comes, in partem quoque quietis venire peroptaret; eorumque ſe fortunæ admirabili facilitate quodammodo accommodaret.

## CAPUT X.

### *Decas X. Sæculi XXVI.*

*Ab anno* 2590. *ad* 2600.

2595.

Cadit in hunc annum eruditorum judicio primus annus Sabbaticus, quoniam terræ cultura per ſex annos qui Sabbaticum annum præcurrere debent, non ab ingreſſu in Palæſtinam, ſed à diviſione ſumi debent. Quomodo enim terram nondum ſuam coluiſſent, aut arma ſimul, ligoneſque tractaſſent. Fuit autem is annus inchoatus à decima die menſis Tiſri anni ſuperioris ab ingreſſu duodecimus, ab Exodo quinquageſimus ſecundus. Et verò is annus accidit annis mundi 3891. 2919. 4017. Quos omnium Chronologorum judicio conſtat eſſe Sabbaticos. Utrum autem Sabbaticus ſemper cum Jubilæo coincideret, tam bene Petavius probat, & tam multos hodie adſtipulatores habet, ut pudeat non ſequi. *Primus annus Sabbaticus.*

2596.

Hoc anno Phœnix, & Cadmus Agenoris filii Thebis Ægyptiis profecti Tyrum, & Sidonem obtinuerunt, & eo uſque Ægyptiacam ditionem extenderunt, rebus nauticis, & maritimis illuſtres. A Phœnice, Phœnicia Syriæ pars nomen traxit, ſic etiam appellanda, quoniam Palmis, & Dactylis abundabat. Cadmus in Græcia, quam in Syriâ memorabilior extitit. Nam à fratre pietatis cauſa revulſus, ut quæreret ſororem Europam, conſedit tantiſper in Græciâ, urbibus paſſim fœliciùs ſtatutis, quàm conſervatis; ſed importatis eò litteris ex Phœniciâ celeberrimus. *Phœnix & Cadmus veniunt ex Ægypto.*

2600.

Joſue centum annorum ac decem, admonito publicè in Comitiis generalibus populo, ut religioni conſtanter adhæreret; & fœdere ſolemni Deum inter, & Hebræos inito atque renovato anno præfecturæ ſuæ decimo ſeptimo obiit placidiſſimè. Vir fortis ac bonus Imperator, & meritò ducibus omnibus anteponendus, utpotè cui non homines modo, ſed & aſtra paruerint, & plures occiderit Reges, quàm plerique alii milites interemerunt. Hoc ſublato ſeniores populum rexerunt ſub ſpecie γερουσιοκρατίας, ſeu verius θεοκρατίας: quibus merito Othonielem annumeres, ut hinc ejus præfecturæ anni octoginta procedant quæ tamen timidè proferimus: Cum ſervitutum & judicum anni, quàm olim Hebræis, tam hodie videantur Chronologis difficilia, atque impedita. *Moritur Joſue.*

LIBER

# LIBER IV.
## SÆCULUM MUNDI VIGESIMUM SEPTIMUM.

*Ab anno* 2600. *ad* 2700.

### CAPUT I.
### *Decas I. Saculi XXVII.*

*Ab anno* 2600. *ad* 2610.

**2601.**



Hoc anno incertum quo duce an Salmone, an Calebo, an Othoniele expeditio suscepta est contra Adonibesec, qui victus ingenti suorum strage, in urbem suam Besec aufugit. In eâ obsessus, dum fugere parat, retractus è fugâ, pedibus manibusque truncatus est pœnâ utique talionis huic inflictâ, quâ in Reges septuaginta usus erat. Hos enim bello captos, pedes manusque mutilatos, canum instar cibis adjectis alebat; hoc illis fœlicior, quod illi vixere diu miseri: hic paulo post ex vulneribus suis interierit. *Adonibesec ...aditur.*

**2602.**

Deinceps captæ sunt urbes nobiles Hierosolyma, Hebron, Dabira, Luza, aliæque nonnullæ. Dabiram, quæ aliter Cariath-Sepher, seu civitas literarum dicebatur, cepit Othoniel, & urbis occupatæ præmium fuit Axa Calebi filia, cum ingenti dote, quam etiam nuptæ preces apud patrem meliorem fecere, & uberiorem. Luza, aliàs Bethel, Ephraimitis, à cive suo prodita est, indicante locum, quo facilè capi posset. Is ideo servatus, & cum opibus suis abire permissus, novam inter Ephraimitas Luzam condidit: Infœlix qui patriam antiquam perdiderat, ut novam multo labore, majori dedecore statueret. *Vrbes ...hana...orum ...ptæ.*

**2603.**

Phlegyas Martis filius, Ixionis pater, Lapitharum in Thessaliâ Rex, cum agnovisset Coronidem filiam suam ab Apolline vitiatam, eo furore exarsit, ut statim Delphico Dei templo subjiceret faces. Quam ob causam ab eo sagittis transverberatus ad inferos dejectus est, suppositusque saxo à monte sic revulso, & pendente ut jam casurus videatur: sic imminentem capiti suo ruinam æternum expectat, & veretur minori damno, quàm timore, sed hoc propter diuturnitatem atrociori. Huic fuere subditi, & cognomines Thessali, latrones sacrilegi, Deorum hominumque contemptores, quos immisso diluvio Neptunus exscidit, Jupiter æternis Tartari pœnis addixit, Principi suo ut sceleribus, ita suppliciis conjunctissimos. *...hlegyas ...mplum ...pollinis ...cendit.*

**2605.**

Mortuo Dardano successit ejus ex Batiæâ Teucri filius Erichthonius, alter Trojanorum Rex qui regnum hoc annis sexaginta quinque gessit, imperio diuturniore, quàm clariore. Hujus filius, ex Astyoche Simoentis filiâ, Tros fuit. *Erichthonius Rex Trojanorum.*

**2606.**

Europæ raptus huc commodius transferri potest, quæ filia Agenoris à Cretensibus rapta est, & exportata navi, cui insigne Taurus esset, idque factum sub auspiciis Jovis tum imperantis in Creta. Alii tamen malunt hanc Europam Asteri Cretensium Regis uxorem fuisse. Sed quid mirum variè sentire, qui fabulas scribunt. *Europæ raptus.*

**2607.**

Cadmus ab Agenore patre jussus Europam quærere, nec redire nisi hac inventâ: ubi hanc aut reperiri, aut reduci posse desperavit, in Bæotiam venit, ibique de suo nomine Cadmeam arcem condidit. Adversus eam conspirantes indigenæ, & in eum repente advolantes locum dedere fabulæ, quasi ex satis dentibus Draconis prognati essent, quos sapienter inter se commissos, nullo negotio Cadmus deleverat. *Cadmus in Bæotiam venit.*

Cadmi filiæ recensentur Autonoë, Ino, Semele Agane. Autonoë nupsit Aristæo Arcadum Regi perditis opibus, & reparatis illustri. Ino maritum Athamantem habuit, cujus furore theatra omnia Græciæ personant. Semelem Jupiter compressit, & ex eâ peperit Bacchum. Agane Echionis uxor Pentheum Thebanorum Regem filium suum in Bacchi Orgiis, Mænas ipsa, manibus suis dilaceravit, omnes suis, vel maritorum sceleribus famosæ. *Filiæ Cadmi.*

Cadmi σύγχρονος, & socius Linus cum eo ex Phœnicia in Græciam litteras transtulit, in Musicâ tam versatus, ut ideo Apollinis, & Terpsicores filius haberetur. Is à Mythologis Orpheum & Herculem docuisse perhibetur, & ab hoc impactâ in caput citharâ mactatus, quod paulò severiùs increpitus esset; & tum Musica, quod maximè decebat, furorem hominis impotentis non compescuit. *Linus Musicus.*

**2608.**

Nati ex Europâ de Jove gravidâ Minos, Rhadamantus & Sarpedon. Priores duo tantâ justitiæ laude floruerunt, ut digni habiti sint qui cum Æaco de æternâ fœlicitate vel calamitate mortuorum statuerent. De tertio non conveniunt *Minos Rhadamantus, Sarpedon.*

nunt tempora, cum ad Trojam occisus esse perhibeatur. Sarpedonem igitur meliùs Laodamiæ Bellerophontis filiæ, filium cecinit Homerus, & ab hac parte veriùs Poëta, quam Herodotus Historicus scripsit.

## CAPUT II.

### Decas II. Sæculi XXVII.

*Ab anno 2610. ad 2620.*

2613.

*IDÆ montis deflagratio.* IDa mons annis à diluvio Deucalionis septuaginta tribus, concepit ignem, quo magna pars sylvarum ejus absumpta est. Tum inventus esse dicitur usus ferri à Dactylis idæis, quomodo excoqui posset, & in laminas duci; cum iidem observassent hoc incendio liquatum, & purgatum scoriâ metallum, terræ rimis quibusdam susceptum abiisse in virgas ductiles, & segmenta, quæ igne deinceps emollita, malleisque contusa in opera quælibet aptarentur. Tum quoque mons ex hoc casu feracior redditus coli cœpit, atque frequentari. Sic ei sua clades profuit, minus utili, celebrique futuros, nisi deflagrasset.

2615.

*Pandion primus Rex Athen.* Pandion Erichthonii filius hoc anno successit patri, regnumque tenuit Athenis annis quadraginta. Duas habuit ille filias, quarum natu majorem Procnen uxorem dedit Tereo Thracum Regi, cujus operâ Regem Ponti debellarat. Cum diu Procne vixisset in Thraciâ, obtinuit à marito, ut Athenas profecturus adduceret secum Philomelam sororem. Adduxit ille; sed *Tereus Procne Philomela Itys.* in viâ virginis formâ captus, eam corrupit: & ne flagitii rumor emanaret, elinguem illam inclusit in turri, ac servo custodiendam tradidit, in mari periisse commentus. Verùm Philomela calamitatem suam, & dedecus in tela expressam, ad sororem deferendam curavit; quæ dissimulato furore, donec celebrarentur Orgia, quibus Threiciæ mulieres per agros impunè vagantur, cum bacchantibus, ad liberandam sororem perrexit, & vinculis solutam in Palatium Terei clam deduxit. Tum filiû Itym jugulavit, & patri edendum apposuit, ultra crimen majori crimine, & atrociori. Omnes deniq; Deorum misericordiâ (ut fabulæ volunt) in aves conversi sunt; Tereus in Upupam, unde adhuc cristatus quasi vir militaris incedit, & assiduè has voces ingeminat πῦ, πῦ, quibus filium aut crudeles fœminas quærit: Itys Phasianus evolavit, ales pulcherrima, & nota Colchis: Procne in hirundinem, Philomela in lusciniam mutatæ calamitates suas adhuc flere videntur. Quamquam Gorgias, & Marcus Varro Philomelam in hirundinem, Procne in Lusciniam transiisse velint, magnâ in re tam falsâ mentiendi, errandive concessâ facultate. Omnes porro etiam post obitum in his volucribus servare videntur odii vestigia, & quid fecerint, quid tentarint homines, factæ volucres ostendunt.

2616.

*Midas Rex Phrygum auribus Asininis.* Temporibus Pandionis vixisse Midas creditur Gordii Bubulci filius, omnium mortalium ditissimus. Obtinuisse fingitur à Baccho, ut quidquid tangeret, in aurum verteretur. Postea cum nihil edere, nihil bibere posset, damnato voto, elui jussus est in Pactolo fluvio Lydiæ, huic arenas aureas dedit evolvere. Midæ aures prægrandes, & Asininas affingunt Poëtæ, vel quod malè de Musicâ pro Pane Deo adversus Apollinem judicasset; vel quod asinos Baccho charissimos malè mulctasset, vel, quod similiùs vero, quia delatoribus præbebat aures, & in suo regno multos haberet quadruplatores. Ita magnæ huic aures datæ, ut longæ dicuntur esse principibus manus. Sed hæc incerta, istud verissimum; Midam divitem fuisse, sed stolidum; Regem, sed nimis credulum, & ad accipiendas accusationes faciliorem; qui mores sic impliciti sunt cognatique, ut ab se invicem nisi ægerrimè divelli nequeant; cum divitias, inscitia, summam fortunam plerumque injustitia comitetur.

## CAPUT III.

### Decas III. Sæculi XXVII.

*Ab anno 2620. ad 2630.*

2622.

*Idolum Micha & Danitarum.* IN hunc annum cadere putatur, quod traditur Judicum cap. 18. de Michâ Ephraimite idolum conflante, & ei filium Sacerdotem adhibente, cum Jonathamo Levita, Mosis nepote sacrificulo. Quod idolum cum Danitis novas sedes quærentibus rite, amiceque respondisset, ab illis bellatoribus vi sublatum est, abductusque Levites Sacerdos in urbem Lais, quam interceptam de nomine Tribus suæ dixere Dan: ibidemque idololatria constituta, quam pietas Samuelis, vix exscindere potuit.

*Historia uxoris Levitæ & Tribus Benjamini fermè deleta.* Contigit & eodem tempore casus, qui tribum Benjamini vehementer afflixit, & cum summo reliquarum tribuum damno, & mœrore tantùm non perdidit. Levites quidam Ephraimites de urbe Sichem, uxorem duxerat Bethlehemiticam, quæ in mariti domum stuprum, ac dedecus intulit. Hæc verita ne ad lapidationem deposceretur ex lege, fugit ad patrem à quo suscepta est perhumaniter. Post menses quatuor eam quoque secutus est conjux uxorius, eique per socerum non difficiliter reconciliatus est. Cum igitur eam reduceret in domum suam, tardiùs egressus è soceri domo, interceptus nocte, in urbem Gabaa divertere compulsus est, in quâ cum invitante nemine pernoctare cogeretur sub dio, demùm à Levita susceptus est hospitio. Vix ejus subierat domum, cum ecce eam scelerati Gabaëni obsidere, pulsare cum convicio fores Levitam ad horrendum flagitium deposcere, vim intentare, nisi amicè dederetur. Negat bonus senex, & potiùs eis filiam suam virginem, cum uxore Levitæ objicit, Levites uxoris probrum iis satis esse docet, nec passurum se asserit, ut hospiti suo tantùm dedecus inferatur. Exponitur igitur iis infortunata mulier, qui & libidine flagrantes,

grantes, & multi eam uſque ad interitum conſtuprarunt. Levites ultionis potius,quàm doloris memor, conjugis cadaver imponit aſino, delatum domum, dividit in duodecim fruſta, mittit ſingula ad Principes Tribuum, ut aſpectu illo terribili, ad vindictam accenderentur. Nec mora, celebrantur populi comitia, in quibus publico conſenſu depoſcuntur ad ſupplicium nocentes Gabaëni.Eos dedere reliqui Benjamitæ negant, parati urbem defendere, ſi appeteretur bello. Igitur adverſus totam Tribum ſacra decernitur expeditio, interpoſito duplici Sacramento, priore de nunquam dandis uxoribus huic tribui, altero, ut occideretur, quiſquis ab hoc bello abfuiſſet. Benjamitæ ſubnixi fortitudine ſua, uni ſe putavere reliquis tribubus pares,& expeditionis hujus initia id innuere videbantur. Nam ſceleris vindices geminâ ſunt affecti clade, viginti millibus in primo certamine, in altero duodeviginti millibus deſideratis.Verùm Deo precibus, & ſacrificiis exorato, placatoque, cùm tertiò pugnatum eſſet, & fortiter, & ex inſidiis, urbs Gabaa capta eſt, & incenſa, Benjamitæ inter urbis expugnatores,& reliquos Iſraëlitas intercepti, ad octodecim millia ceciderunt. Cùm autem reliquiæ ad Petram Remnon confugere niterentur, ad octo millia ceciderunt. Denique de toto exercitu Benjamitarum vix ſexcenti, in hujus Saxi verticem incolumes evaſerunt. Interea omnes tribus hujus urbes, vicique in cineres abierunt, in homines, & jumenta ferro flammâque ſævitum, tanquam anathemati ſubjecta; nec quievit furor,donec in vivis reliquum eſt, nihil præter eos qui vertici Remnonis inſederunt.

Hic cùm & tempore,& ultioni deficiente pabulo, Iſraëlitarum ira deferbuiſſet, de ſervandis infortunatæ hujus tribus reliquiis ſeriò cogitatum. Sed obſtabat ſacramentum de non dandis uxoribus; huic per aliud ſacramentum conſultum eſt. Juraràt populus ſe necaturum, qui ſacro non interfuiſſet bello: hujus ſceleris cùm eſſent convicti incolæ urbis Jabes-Galaad, anathemati ſubjecti ſunt, reſervatæ tantùm ex communi internecione quadringentæ virgines, quadringentis Benjamitis uxores datæ ſunt. Aliis ducentis conceſſum ut ex Siluntinis virginibus uxores peterent, non impetratas raperent per vim, ac ducerent; omnibus tribubus curæ fore, ut Siluntini placarentur, & ſuis generis reconciliarentur. Hic belli pluſquam civilis, & inter fratres ſuſcepti finis luctuoſiſſimus extitit, quod utriusque partis damno, & pœnitentiâ terminatum eſt, utriſque & pervicaciam ſuam, & præcipitem vindictam meritò damnantibus.

2623.

*[P]RIMA [SE]RVITVS [sub] Chuſano [Me]ſopota[mia]no Rege.* Quis crederet populum tot miraculis ereptum ex Ægypto,tot portentis in Palæſtina collocatum à vero Deo, idolis feciſſe thure & victimis; nepotes Abrahami tot ſæculis ad veram ſinceramque pietatem reſervatos? In cauſa fuere Chananæi idololatræ, quos dum exterminare neglexerunt,tandem, quod Deus prævideràt, æmulati ſunt, & ſic homines ſibi mancipatos ſuis capitibus impoſuerunt. Eorum primus Chuſanus Raſathaimus, qui regnavit in Syria, & Meſopotamia, Judæos hactenus Palæſtinis imperare ſolitos duriſſimâ ſervitute contrivit. Quàm acerbè verò exceperit Iſraëlitas ſcriptura tacet: Innuit tantùm graviſſimè vexatos eſſe, quia tum ad Deum cum multis lacrymis, & precibus confugerunt; quod præſtare non ſolebant niſi ad ultimas redacti anguſtias, omnique humano præſidio deſtituti.

---

## CAPUT IV.

## *Decas IV. Saculi XXVII.*

### *Ab anno* 2630. *ad* 2640.

2631.

*Tollitur prima ſervitus ab Othoniele.* Annis igitur octo in peracerba tyrannide contritis, miſerorum gemitu permotus Deus Othonielem Calebi fratrem, ſimul & generum ad jugum crudele atque atrox abrumpendum accendit. Scribit ille militem, quem non tam ſibi,quàm Deo ſubdidit. Hunc itaque Dei fiduciâ promiſſiſque plenum immittit in Chuſanum, quem & acie vicit, & interemit. Copiæ ejus porrò ita diſſipatæ ſunt, ita fractæ atque conciſæ, ut ex iis inveniretur deinceps nemo, qui de vexandis Hebræis cogitaret. Sic hujus victoriæ fructus non tantùm magnus fuit, ſed & diuturnus.

2637.

*Amphion, & Zethes.* Amphion, & Zethes, ſeu Zethus filii Jovis, & Antiopæ, hoc anno Thebis regnare cœperunt Cadmo depulſo, & in Illyricum fugiente. Hic Cadmus & ſenex & pauper cum inopi conjuge Harmoniâ item vetulâ miſerrimè victitavit, & obiit. Ideo ambos Poëtæ nobis eos depingunt in ſerpentes converſos, qui terrâ, & ſuo ſucco malignè victitant. Amphion autem & Zethus rerum potiti indigenarum ope, quos muſicâ, & eloquentiâ ad mitiorem vitam traduxerant, urbis Thebanæ mœnia condiderunt. Fabula eſt, ſponte detractos ex montibus lapides, ſic quaſi Amphioneæ Lyræ fidibus animatos veniſſe ſub latomorum manum, & quo indicaſſent illi loco, ſituque quieviſſe.

Rem paulò aliter alii referunt, hanc hiſtoriam duorum fratrum altiùs exorſi. Lycus & Nyctæus advecti ex Eubœâ Thebanum regnum occuparunt debitum Laio filio Labdaci impuberi. Nyctæo filia fuit Antiopa, quæ à Jove compreſſa, parentis furorem verita, fugit ad Epopeum Sicyone regnantem,cui & nupſit. Nyctæus moriens fratri Lyco ſceleris hujus ultionem mandat, quam & fortiter exſequutus eſt, nam & Sicyonem cepit, & abduxit Antiopam. Hæc in itinere peperit Zethum, & Amphionem ad Eleutheras Bœotiæ, quos bubulcus excepit, & aluit. Interea cum à Lyco malè, & ab ejus uxore Dirce pejus haberetur Antiopa, profugit ad filios jam adultos, & fortes, qui occiderunt Lycum, & Dircen ad caudam Tauri indomiti religatam raptarunt crudeliter, & enecarunt. inde

Inde Thebis potiti sunt, ductisque uxoribus Thebe, & Niobe, absque liberis ambo mortui sunt. Sic Laius Thebanum recepit regnum, ductâque Jocasta Menecœi filia, reliquit familiam ad illustranda theatra,& lacrymas ciendas,quàm ad regnum administrandum magis natam, atque comparatam.

2640.

*Moritur Othoniel.*

Constitutus, & confirmatus victoriâ populi judex Othoniel, post redditam populo pacem, non diu in vivis fuit. Quando autem principatum inierit statui non potest, nisi ab ejus obitu superiores annos quadraginta retexamus. Deo hæc ignorari permittente, ut significaret, parum interesse gentis hujus principum tempora consignari, quæ potiùs à Deo, quàm ab hominibus regebatur.

## CAPUT V.

### *Decas V. Sæculi XXVII.*

#### *Ab anno* 2640. *ad* 2650.

2641.

*Aodi principatus initia.*

AB hoc anno duci debet initium principatus Aodi, ut ad vitæ annum octogesimum extendatur, quem annis decem tranquillè satis administrasse sacri codices innuunt, ante hæc tempora non inchoantes alteram servitutem. De hoc judice nihil commemorant præter unicum facinus sed tam illustre, ut reliquo vitæ tempore quiescere meritò potuerit.

2643.

*Corinthus statuta, vel restituta.*

Corinthus Peloponnesi civitas aliter Ephyra dicta hoc anno primùm aut statuta est, aut reparata in isthmo, inter maria duo Ægeum,& Jonium cum duplicibus navalibus, situ tam commodo, ut meritò alter Græciæ oculus audierit. Fuisse creditur à plerisque opus Sisyphi latronis, à quo saltem restituta est, ut intelligeretur magnas urbes fieri ex magnis latrociniis, easque ditiores, & ampliores esse, quæ plures, majoresque grassatores continuerunt.

2645.

*Minos regnat in Creta.*

Hoc anno Minos in Creta regnasse dicitur, cui fuit uxor Pasiphaë amore Bovis & Tauri in fabulis famosa, cum tamen diligeret illa Ducem Minois Taurum nomine. Itaque fabulosa est illa machina, & bos lignea, in qua inclusa mulier nequam Taurum admisit. Legislator fuit Cretensium Minos iste, legumque authorem suarum fingebat Jovem parentem suum. Sed ex legibus iis confici potest; qui ferebat eas improbum fuisse hominem; qui dictabat scelerato quolibet homine deteriorem.

## CAPUT VI.

### *Decas VI. Sæculi XXVII.*

#### *Ab anno* 2650. *ad* 2660.

2651.

*SECUNDA SERVITUS sub Eglone Moabita.*

EGlon Rex Moabitarum adscitis in belli societatem Ammonitis, & Amalecitis, Israëlitas iterum deficientes à Dei cultu, magnaque levitate, aut incredibili potiùs stupore ad idola conversos, tantâ affecit clade, ut huic subesse cogerentur,& eorum accipere jugum impii, quos tam sæpe boni subjugarant. Eglon in loco ubi steterat Hiericum grande præsidium collocavit, & huc Regiam transtulit suam, ut inde domitis, & attritis Hebræis incubaret. Tum multiplicatis vectigalibus, & portoriis, eos sic oppressit, ut vix haberent unde miserrimè victitarent. Sic erant videlicet castigandi, qui tributo una causa Chananæum incolumem dimiserant contra Dei jussionem, ut avaritiæ, & contumaciæ crimina paupertate, & demissione peccantium sapienter à summo rerum Arbitro castigata viderentur.

2655.

*Mysteria Cereris instituta ab Eumolpo.*

Eumolpus civis Atheniensis, vel Ægyptius advena, hoc anno mysteria Cereris excogitavit & protulit inter paucos sibi fidissimos. Ea aliter dicebantur initia, & majora quidem in honorem Cereris, minora in gratiam Proserpinæ; quæ evulgare nefas, & sæpe mulctatum supplicio à Dæmone. Ideo non licebat cuique interesse præter *initiatum* (sic probatum, & allectum appellabant) virique principes id sibi vertebant gloriæ, quasi virtutis, & innocentiæ illustre testimonium. Sed quæ virtus, & pietas tum adeò occultabant sese, secreti saltem criminis suspicione non carebant.

2656.

*Boreas Orithyiam rapit.*

Orithyam Erechthæi Regis Atheniensium filiam petitam conjugem negatamque Boreas Astræi Thracis filius rapuit: quàm in ventum conversam Poëtæ volunt, ut inter pares nuptiæ conciliatæ esse videantur. Ex eâ suscepisse duos liberos dicitur Calain, & Zetem, viros ambos fortes, alatos ambo quibus usi sunt Argonautæ ad abigendas Harpyias ex mensis Phinei, longiusque submovendas. Sed iis fratribus in expeditionibus celeritas & diligentia potius quàm natura & conditio alas affinxerat.

26[?]7.

*Procris & Cephalus.*

Ad eadem quoque tempora creditur Procris ejusdem Erechthæi filia, & soror Orithyæ quæ Cephalo nupsit, meliori mariro quidem, sed in suis amoribus infortunatiori. Is periculum facturus, utrum uxor sua casta foret, ad eam accessit, ejusque pudicitiam quasi ditissimus mercator immensis muneribus oppugnavit. Jamque eo devenerant ambo, ut hæc magnitudine præmiorum labefactata succumberet, ille magno empta voluptate frueretur, cum repentè quis esset apparuit, & quàm hæc pa[illegible] abfuisset à scelere, exprobrans ostendit. Procri[illegible] non tulit infamiam, sed fugit in sylvas, unde tamen à marito amicè revocata est, qui ubi se placatum præbuit, ut hæc cum eo certaret benevolentiâ dedit illi jaculum inevitabile, dedit & Lælapa canem, semper assequentem prædam, utrumque sibi quondam munus oblatum à Minoë, sed in suam maritique perniciem dedit. Cum enim accepisset illa à rustico Cephalum amore cujusdam Auræ Nymphæ flagrare, occultavit illa se in sylvis in quibus maritus venabatur. Ille sub meridiem æstu, & labore fatigatus vocabat Auram,

ram, & Auram identidem amicè repetebat cum Procris rata mox affuturam pellicem surrexit ex insidiis, commovitque frutices in quibus delitescebat: Torsit ille jaculum nunquam aberrare solitum, quo charissimam sibi conjugem confecit. Sic nimius amor inter conjuges eos primum infelices fecit, deinde perdidit. Usque adeò se plurimum in terris amare etiam legitimè non conceditur.

## CAP. VII.

## *Decas VII. Sæculi XXVII.*

### *Ab anno 2660. ad 2670.*

2669.

*Aodus populum Hebræum liberat Eglone confosso.*

AOd Gerarites de Tribu Benjamin, vir fortis, & ambidexter, selectus à DEO, probatus à populo, ut remedium inveniret malis quibus opprimebantur jam annos duodeviginti à Moabitis Israelitæ, facinus audax suscepit, & planè improbandum nisi authore Deo, atque impulsore susceptum esset. Cùm enim is detulisset ad Eglonem cum sociis vel munera, vel tributa, reductis ad Galgala sociis, unus ad Regem eundem rediit, armatus brevi sicâ, sed ancipiti, ac Eglonem à Deo petit alloqui. Statim admittitur ad colloquium, & quia divinum oraculum prætendebat, etiam remotis arbitris. Hic etiam cum Rex in Dei honorem assurrexisset, sicque se vulneri opportuniorem præbuisset, tam validè in ejus aqualiculum pugionem impegit, ut cum capulo in Regis pinguissimo ventre delitesceret totus, & statim adipe reductâ circumfusâque penitus tegeretur. Rex timore & vulnere exanimatus, ac turpiter egerens excrementa, sine voce, sine gemitu corruit. Fugit Aod per posticum nemine cædis conscio, immò ne suspicante quidem: nec intonuit illa, nisi cum hic in tuto positus insonuit buccinâ, excitoque Israeli rem à se gestam exposuit. Eam cùm probassent omnes, collaudassentque, obtulit ille se ducem ad excutiendam omnino servitutem. Sequuntur illum principem Hebræi, occupatisque Jordani vadis patriam suam tumultuosè repetentes Moabitas ad decem millia ceciderunt qui intra Jordanem Tyrannidem Eglonis fovebant. Nec ultra cædes illas Aodi processit expeditio: sive Deus eam inhibuit, sive Israëlitarum segnities, & amor otii eam breviorem reddiderunt. Certè tam atrox; & tam importunum excusisse jugum, inopi populo exhaustoque, visa fuit legitima causa quiescendi, virum tam audacem & industrium debitis honoribus prosequendi, & præfecturâ judicis, non jam occultâ, sed publicâ exornandi.

2670.

*Tros 3. Rex Trojanorum.*

Ab hoc anno regnandi habuit initium apud Trojanos quibus nomen indidit suum Tros Erichthonii filius, à quo dicta Troja est quia ab eo reparata, vel alio loco statuta est. Regnavit annos septuaginta, nomine suo & filiis, quam rebus gestis illustrior. Huic enim nati ex Callirhoe Scamandri filia Ilus, Assaracus pater Capys avus Anchisis, Ganymedes & filia Cleopatra, de quibus multa Fabulæ & Poetæ.

## CAPUT VIII.

## *Decas VIII. Sæculi XXVII.*

### *Ab anno 2670. ad 2680.*

2671.

TUM Phryxus Athamantis ex Nepheles filius novercalibus appetitus insidiis cum Helle sorore profugit, uti se res habuit, in navi cujus erat insigne Aries aureus; ut fabulæ, insidens vivo arieti, quem uterque inequitabat, acceptum à patre, vellere aureo maximi pretii. Et Helle quidem timore correpta vel ex navi, vel ex fatali ariete, decidens in Angustias Ægæi maris; nomen Hellesponto fecit. Phryxus incolumis cum suo Ariete pervenit in Colchidem ad Æætem, hicque pretiosam pecudem immolavit, vel Jovi, vel Marti, ejusque pellem ex tholo templi suspendit Anathema. Hoc ut reciperetur postea est Argonautarum suscepta expeditio. Aries ille relatus est inter sidera, de quo iterum aliàs: Est enim hæc bestia in fabulosis historiis, quàm multi Reges, & principes celebratior. *Phryxus & Helle.*

2678.

Ganymedes Trois filius annis sexaginta quinque ab Idæ deflagratione, ut vult Vetus Chronologus apud Clementem Alexandrinum, formosissimus hujus ætatis puer, à Jove raptus est, navi cujus Aquila signum erat. Venabatur tum in Ida monte, & in Campo, qui ab hoc casu dictus est Harpagius. Hunc tamen alii raptum volunt à Tantalo Cappadociæ Rege (Eusebius Regem hunc Phrygiæ facit, quæ tum Mœonia dicebatur) unde bellum atrox excitatum volunt Troe repetente filium, Tantalo per vim retinente. Alii tamen hanc ultionem Ilo tribuunt, à quo volunt Tantalum regno spoliatum. Echemenes Cyprius hunc raptum à Minoe scribit ad nefariam libidinem. Quidam ab ignotis plagiariis abductum, dum venaretur; sed ad leniendum patris dolorem, hoc furtum Jovi affictum esse. Probabilius tradit Xenophon hunc à Diis propter eximiam virtutem maturè subductum è terris, & cœlitibus adnumeratum. Hinc à Poetis cani cœpit à poculis Jovi, ejusque catamitus, cujus turpitudinis etiam Ethnicos puduit. Sed quid agas? Tum colebantur Dii ignibus, quàm aris digniores, Postea tamen idem ipse puer à vatibus collocatus est inter sidera, ibique Aquarius dictus, non Jovi pocula, sed mortalibus aquas subministrat, officio minùs turpi, atque indecoro. *Ganymedis raptus.*

* * * *
* * *
* *
*

CAP.

## CAPUT IX.

## *Decas IX. Sæculi XXVII.*

### *Ab anno 2680. ad 2690.*

2682.

*Tantalus regnat in Phrygia.*

HIS temporibus regnabat in Phrygia Tantalus, qui ex Taygete conjuge ſuſceperat Pelopem. Hunc, ut docent Fabulæ Diis epulandum appoſuerat,quo divinitatem eorum exploraret. Sed abſtinuerunt ab immani ferculo Dii; una Ceres guloſior ex humero fruſtum decerpſit, & voravit. Quare poſtea puer revocatus ad vitam,eboris fruſtulum in humero,quoad vixit, habuit. Tantalus ad inferos dejectus æternâ cruciatus eſt fame, æternâ ſiti, pomis in ora pendentibus, & quoties ea decerpere parat in ſublime recedentibus; aquis dum ora diducit, ut eas ebibat, diffluentibus, & evaneſcentibus. Quibus commentis homo avariſſimus depictus eſt, & qui inter opes egeret; dictus meritò Tantalus quaſi ταλάντατος *infortunatiſſimus.* Quæ enim calamitas major, quàm iis non uti divitiis, quæ ad uſum tantùm factæ ſunt, atque comparatæ.

2687.

*Phœmonoe verſibus fundit oracula.*

Phœmonoë circa hæc tempora vaticinabatur Delphis, & oracula verſibus reddebat: quaſi verò parum eſſet fanaticæ mulierculæ uno furore duntaxat exagitari.

---

## CAPUT X.

## *Decas X. Sæculi XXVII.*

### *Ab anno 2690. ad 2700.*

2693.

*Perſei expeditio.*

PErſeus Acriſii nepos, Jovis ex Danaë filius fuit, quam bonus ille Deorum hominumque pater mutatus in imbrem aureum inierat, hoc eſt pecuniâ corruptis ejus cuſtodibus. Cùm pater Acriſius tam matrem,quàm filium ex hoc furto genitum incluſiſſet arcæ, & in mare projeciſſet, hæc mirabiliter ſervata Perſeum reddidit, cujus expeditio verſus meridiem στρατεία Περσέως, nobilem Græcis Chronologis Epochen poſuit. Hic in Æthiopiam profectus Andromedam alligatam Saxo, & jam à monſtro vorandam incolumen reddidit Cepheo patri, à quo viciſſim eam accepit uxorem. Exinde cùm habuiſſet à Vulcano adamantinum gladium dictum Harpen, ope Mercurii Meduſæ uni ex Gorgonibus caput amputavit, quod clypeo ſuo Pallas aptavit. Huic capiti quidquid objiciebatur rigebat in lapidem. Ita Poëtæ & magnum ſtuporem, & ingenium, & peritum fabium appellabant. Sed de Perſeo poſtea recurret ſermo, & de rebus ab eo geſtis in Græcia, ubi minùs quàm in Africa bonus fuit atque fortunatus.

*Iſthmiorum ludorum inſtitutio.*

Eodem quoque anno annis quindecim à Ganymedis raptu, vel à Siſypho, vel à Glauco Bellerophontis patre inſtituta eſt Iſthmiorum ludorum celebritas in honorem Inus, atque Melicertæ. Ita dicti ſunt Ludi ab Iſthmo Peloponneſi, ubi celebrabantur, in quibus victores coronabantur pinu. Poſtea tamen à Theſeo reſtituti, conſecrati ſunt Neptuno, ſacra nocturna in deorum minorum honorem fieri perrexerunt. Erat autem Melicerta filius Athamantis, Inus uxor; utrumque cum furore amens maritus ad mortem depoſceret, dedit illa ſe cum filio, quem complexum ferebat, in mare præcipitem. Horum corpora cùm non comparuiſſent Ino dicta eſt à Græcis Leucothea, à Latinis Matuta; Melicerta apud Græcos Palæmon, apud Latinos Portunus audiit, ambo cœlitibus annumerati. Tumque eis infelicitas profuit ad immortalitatem, quando magnæ calamitates conſecrabantur.

2694.

*Prætidarum virginum furor ſanatus à Melampode.*

Præti Regis Argivorum, & Antiæ filiæ dictæ Προιτίδες formoſiores fuerunt quàm piæ. Auſæ ſunt de pulchritudine cum Junone contendere, & fortè viciſſent, ſi ad humanum judicium provocare potuiſſent. At contempſit mulierculas Dea; ut tamen mentis tumorem ponerent immiſſus eis furor, quo correptæ diſcurrentes per agros fanaticæ ſe vaccas putaverunt, eiſque fuerunt ſylvæ pro Palatio, pro victu herbæ quibus tantùm veſcebantur. Helleboro tandem ſanatæ ſunt à Melampode, quod ab hoc medico dictum eſt Melampodium; purgatoque cerebro, neque ſe Deabus formâ pares, & deformibus vaccis ſe pulchriores agnoverunt, animoque & corpore ſaniores in patris Palatium, ex ſapientis medici domo redierunt.

2696.

*Bellerophon caſtus evolat ex periculis.*

Pertinet ad hæc tempora Bellerophon Glauci filius, Siſyphi nepos, Hipponeus primùm dictus, deinde cùm Belleronem quendam Corinthi civem cecidiſſet, Bellerophon, vel Bellerophontes appellatus. Hic hoſpitio Argis ſuſceptus à Prœto Rege, ſolicitatus eſt de ſtupro ab ejus uxore Stenobæa; at Jovem ille veritus Hoſpitalem eam rejecit. Hæc furore, & amore amens Juvenem accuſavit apud maritum, quaſi is pudicitiam ejus attentaſſet, & à Prœto nimis credulo callidæ mulieri eſt habita fides. At Rex ne datam hoſpiti dextram violaret, ſi eum domi cæderet, mittit ad Jobatem in Lycia Regem ſocerum ſuum, cum literis quæ deinceps τὰ τοῦ Βελλεροφόντου γράμματα audierunt. Iis monebatur ut

*Solymos vincit.*

latorem impudicum, & qui filiæ thorum violare conatus erat in periculis perderet. Mittitur ergo ſtatim Bellerophon ad Solymos debellandos, gentem validam, & ex qua potius clades, quàm victoria expectabatur. De hoc

*Pegaſus.*

populo victor cùm rediiſſet, aliis atque aliis deinceps periculis expoſitus eſt. Demùm objectus eſt monſtro ignivomo, cujus draconis cauda, venter capræ, caput Leonis; quod tamen domuit ope Pegaſi, quem equum illi alatum Neptunus donavit. Hoc autem abuſus, & volare conatus inter ſidera, excuſſus œſtro,

quod

quod in Pegasum Jupiter immisit, cecidit in Aleium campum non procul Tarso, equus inter sidera relatus.

Jobates miratus Bellerophontis fortitudinem, alteram ei filiam concessit uxorem, cum parte regni dotali, ex qua tres ille liberos suscepit Isandrum, Hippolochum, & Laodamiam. Hæc cùm audivisset Stenobæa, & quem perdere voluerat & viventem, & victorem, & Regem sibi affinitate conjunctum, ex desperatione sibi mortem ipsa conscivit, facta ex amante furens, ex furente calumniatrix, ex calumniatrice plusquam parricida.

*Chimera.* Quod autem Chimeram Poetæ monstrum ex triplici animantium genere conflarint, ea causa fuit. Mons erat in Lycia Ignivomus, cujus in vertice Sylvæ Leones alebant, in ejus dorso pascebantur capræ, radix paludibus intersciffa serpentes fovebat, cum Bellerophon Sylvas excidisset, paludesque siccasset, & præterea montis Ignivomi craterem, ab ea parte secuisset, quâ flammarum globos vicinis accolis innoxios redderet, & tum ea fecisset, quando virorum fortium res gestæ, non ex veritate, sed Poeticè depingebantur, atque fabulosè, immanis monstri domitor vix sapiens expressus est, qui industriâ suâ, hanc partem Lyciæ habitabilem reddidisset. Sic tempus hoc μυθικὸν prudentes viros fortes effecit, neque tantum res præclarè gestas, & tempora, sed etiam virtutes permiscuit.

# LIBER V.

## SÆCULUM MUNDI VIGESIMUM OCTAVUM.

### *Ab anno mundi* 2700. *ad* 2800.

## CAPUT I.

### PRIMA DECAS.

*Ab anno* 2700. *ad* 2710.

2704.

*Pelops Hippodamiam ducit uxorem.* PELOPS Tantali filius ex Phrygia venit in Elidem ubi amavit Hippodamiam, excellentissimæ formæ virginem Oenomai Regis filiam, & unicam hæredem regni. Expetebatur illa à multis procis; sed hanc dare renuebat pater, qui didicerat ab oraculo sibi mortem à genero imminere. Itaque prensantibus filiæ suæ nuptias hanc conditionem offerebat, ut curuli certamine cum eo contenderent, victores filia cum regno, victos maneret certissima nex. Jamque sustulerat plures, & superaverat, equis usus incitatissimis, & aurigâ peritissimo Myrtilo. Pelops arte periculum declinare, & votis potiri fine discrimine voluit. Corrupit aurigam grandi pecuniâ, effecitque ut paulò ante initum certamen currui domini sui fragilem axem supponeret, vel ab axe removeret vectem. Quare confractis in ipso cursu curribus, vel rotâ defluente, toto corpore debilitatus Oenomaus & filiam, & regnum, & vitam perdidit. Myrtilus dum reliquum proditionis præmium exigit à Pelope (id autem moriens socer commendarat enixiùs) in mare præcipitatus est, quod ab eo dictum Myrtoum, naufragiis infame, & infidum nautis, ut aliquid ejus à quo nomen acceperat, habere videretur. *Myrtoum mare dictum à Myrtilo.* Pelops non Elide modo, sed & totâ Peloponneso potitus, eam de suo nomine Peloponnesum dixit. Sic ejusdem sceleris ille necem, hic diadema præmium tulit.

2710.

Acrisius Prœti frater hoc anno decimus tertius Argivorum principum regnare cœpit is nequicquam in filiam, ejusque sobolem crudelis fuit, supervixit hæc, &, quod fata decreverant, Avo intulit necem. *Acrisius regnat Argis.*

## CAPUT II.

### *Decas II. Sæculi XXVIII.*

*Ab anno* 2710. *ad* 2720.

2720.

HIC annus Aodi judicis Hebræi morte celebris fuisse creditur. Quo è vivis sublato, inter Israelitas famosissimus extitit Samgar, quem nonnulli, ut Josephus aliique, judicibus accensent; alii communiter, & veriùs eum ex judicum expungunt albo. Ille ex Philistinis tum per latrocinia Hebræos infestantibus vomere impacto sexcentos occidit; seu singillatim, & captato tempore accedentes, vel recedentes adortus; sive, quod mirabilius, & ad Samsonis factum propiùs accedit, latronum magnam manum unus, vomere ex aratro excusso, invaserit, & ad sexcentos in hoc certamine mactarit. Quoniam sacri codices hæc non exprimunt enucleatiùs, quo voles modo, victoriam istam, vel facilem, vel admirabilem interpretaberis. *Moritur Aodus.*

CAP.

## CAPUT III.

## *Decas III. Sæculi XXVIII.*

*Ab anno mundi* 2720. *ad* 2730.

2721.

*TERTIA SERVITUS Sub Iabino Rege Syriæ.*

HEbræos tertiùm oblitos Dei, atque Religionis Jabinus Syriæ Rex, ex ejus prosapia, quem devicerat Josue, magnâ clade devicit, tributa pendere compulit, repofuitque victori populo quam in majoribus paſſus erat ſervitutem. Potentiſſimum hunc fuiſſe innuunt nongenti currus quos ei ſcriptura tribuit, & trecenta peditum, equitum decem millia, quos ei Joſephus aſſignat. Adde principem militiæ Siſaram copiis iſtis regendis parem. His ſuccubuerunt Iſraëlitæ, & ante idola ſtrati, ſuis capitibus Syros, ut ſuis aris Dæmones impoſuerunt.

*Bacchi ad Indos expeditio.*

Circa id quoque tempus contigit Dionyſii ſeu Bacchi ad Indos expeditio. Atque ut hic ejus initia reſumamus Διόνυσος ille Græcis natus erat ex Semele Cadmi filia, quam Jupiter vitiarat. Hæc hominem experta Deum ſuum adulterum, etiam fulminantem videre, & complecti voluit. Sed ejus aſpectu exanimata didicit ſatiùs eſſe mortali amantem experiri Jovem, quàm videre fulminantem. Fœtus ejus nondum perfectus, & maturus, femori patris inſutus, & crevit, & ſuo tempore prodiit; unde Dionyſius, Διμήτωρ, vel διμήτωρ dictus eſt. Sic hominum Deorumque ut pater eſſet Jupiter, non tantùm capite in Minerva, ſed & femore prægnans eſſe debuit; ut capite, femore, toto corpore fœcundum cœlum, & terras Diis & Heroibus impleret. Dionyſius ille porrò magnum τὸ μεθύειν argumentum, cum Bœoticas urbes exſolviſſet ſervitute Liber; cum mulierum inſanientium agmen ad Indos pertraxiſſet, quas Βάκχας, & μαινάδας vocant, dictus eſt Bacchus. Is tamen hoc apparatu totum orbem domuiſſe dicitur, victorque omnium gentium Triumphum, & Diadema inveniſſe; quæ tu in vinum, quàm in delicati, & mulieroſi hominis facta meliùs, & aptiùs transferes.

2722.

*Ianus Biceps in Latio, & Saturni ad eum adventus.*

Regnabat in Italia Janus annis 150. antequam in Italiam Æneas appelleret: ad quem cùm confugiſſet Saturnus expulſus ex Creta à Jove filio, apud hunc hoſpitem latere compulſus, partem ejus Regni, à ſuis latebris, Latium dixit. Tum Dii fallebant atque fallebantur, nequiores hominibus, apud quos tunc temporis Aureum vigebat ſæculum. Cùm autem Janus iſte prudentiſſimus eſſet, nec tantùm præſentia videret, ſed futuris quoque proſpiceret, inde Bifrons eſt depictus, turpique vultu pulcherrimus animus eſt repræſentatus, quando propter nimiam mortalium ſimplicitatem prudentia monſtrum habebatur. Alii volunt id referre ad geminam linguam quam callebat, quod his quoque temporibus portenti ſimile fuit.

2727.

*ILIUM conditum.*

Anno trigeſimo quarto ab expeditione Perſei conditum eſt in Campeſtribus locis Troados Ilium ab Ilo filio Trois, à quo & nomen accepit; ſed quo loco etiam Strabonis tempore dubitabatur; ſic enim urbs illa ceciderat ut etiam ruinæ jampridem interiiſſent. Hæc civitas tum dicta Ilium, nomen nihilominus retinuit Trojæ, quoniam ex Trojæ ruinis condita fuerat. Fuit illa celeberrima inter urbes Aſiæ dum ſtetit, famoſior & cùm cecidit, ut in ejus ἁλώσει videbimus.

---

## CAPUT IV.

## *Decas IV. Sæculi XXVIII.*

*Ab anno* 2730. *ad* 2740.

2731.

*Pelops Olympiis præfuit.*

PElops tum Olympiis præfuiſſe perhibetur ab Euſebio; at ea non concinunt ejuſdem Euſebii dictis, qui poſtea Olympia ab Hercule inſtituta docet: ſed hæc ut alia multa ſunt apud hunc authorem ἀνιςόρητα. qui in ſuo Chronico exſcriptorem potius quàm Chronologum agere viſus eſt, & ex multis aliqua dum excerpit, neque ſatis excutit, non digeſſiſſe tempora in ordinem, ſed magno hiſtoriæ diſpendio confudiſſe judicatur.

2740.

Hoc anno parenti ſuo Troi ſucceſſit Ilus filius, quem regno dignum fuiſſe arguit Ilium jam ejus auſpiciis conſtructum. Huic tantùm obſuit quod perjurum, & impium Laomedontem genuit, cujus fuit impietas, quàm parentis virtus celebratior.

---

## CAPUT V.

## *Decas V. Sæculi XXVIII.*

*Ab anno* 2740. *ad* 2750.

2741.

*Iſraelitæ per Deboram & Baracum liberantur à Syriaca ſervitute.*

ANnis viginti, quia non reſipuerant Iſraëlitæ, Tyranno Syriæ Jabino paruerunt: ubi ſubdiderunt ſe Deo, & lacrymis ſua ſcelera eluerunt, ſupra nongentos currus, & tot armatorum millia erexerunt ſeſe, & (quod mirum videri debet) fœminâ eorum ducem ad prælium accendente, atque deducente. Dei juſſu per Deboram numine afflatum ſignificato Baracus in montem Thabor, minutum ex Zabulonitis deducit exercitum: ſed adfuit illicò Siſara, quaſi dejectui us præſidium, atque ad torrentem Ciſſonem copias extendit. Actum erat de paucis Hebræis coram tanto exercitu, talique duce, niſi panicum terrorem Deus immiſiſſet hoſti; quo ſine cauſa correptus Eques, atque pedes ita turbatus eſt, ut de fuga potius quàm de prælio cogitaret. Auxit & eum timorem, qui cum diſcutere debuerat Siſara: nam deſcendit ex curru ſuo, ut meliùs lateret inter gregarios milites fugitivos. Cùm multùm viæ emenſus eſſet, inſuetus ire pedes, oppidò laſſus, & ſitiens, anhe-

anhelusque, venit ad tabernaculum Heberis Cinæi; ubi amicè ſuſceptus in ſpeciem, potatusque lacte dormire cœpit, ſed æternum. Jahel enim Heberis uxor, ut illatas Hebræis amicis ſuis ulciſceretur injurias, impellente Deo, in dormientis caput trabalem clavum adegit malleo, atque unius hominis fortiſſimi nece Jabinum tali deſtitutum duce, vincendum debellandumque penitùs tradidit Iſraeli. Sic victoria duabus fœminis adjudicata eſt; cum eam expeditionem Debora ſuſcepiſſet, Jahel audaci facto, & quod non ſaperet fœminam feliciter terminaſſet; Baracus dux expeditionis hujus victoriæ laude caruit.

Is porrò *Baracus* populi judex. Primo Regum cap. 12. in vulgata dicitur *Badan*; tum quia facilis litterarum mutatio; tum quia Badan à 70. vocatur Barac; tum denique quia Badan iſte dicitur populum liberaſſe, quod Baraco, non autem Jairo, quem hic aliqui obtrudunt, longè meliùs convenit.

2742.

*[P]erſeus [A]criſium [o]ccidit, ejus [r]egnum [M]ycenas [tr]ansfert.* Acriſius Danaes pater, Prœti frater, cui ſucceſſerat in regnum Argivorum, à nepote ſuo Perſeo, ſicut erat in fatis, & ipſe acceperat ab Oraculo, cæſus eſt; vel ut ajunt fabulæ viſâ Gorgone in Saxum diriguit. Ejus regnum & divitias cùm Perſeus occupaſſet, Argis hærere noluit, ubi ſceleris ſpecies ſemper oculis obſervabatur. Tranſtulit itaque regni ſui ſedem Mycenas, quod per Sthenelum conditoris filium ad Agamemnonem propagatum eſt; Talao interim Argis regnante, cujus filius Adraſtus fuit. Sed hæc regnum ſcelere parta, & ſceleribus ſervata, tandem quoque ſceleribus interierunt.

2745.

*[P]andion [se]cundus [re]x Athe[nie]nsium.* Hoc anno Pandion alter, filius Erechthæi Athenis regnare cœpit, & annis viginti adminiſtravit regnum, donec Metionidarum factione ejectus regno Ægæo reliquit, celebratior perdito regno quam adminiſtrato.

---

## CAPUT VI.

## *Decas VI. Sæculi XXVIII.*

### *Ab anno 2750. ad 2760.*

2757.

*[Pi]cus in [La]tio re[gn]at.* HOC anno Picus Jani filius in Latio regnandi fecit initium, regnavitque annis triginta ſeptem. Fingitur à Poëtis amatus à Circe veneficâ, & in volucrem ſibi cognominem mutatus, inde ductâ fabulâ, quod primus ex hac volucre captarit auguria, hanc primus ſuis prætulerit ſignis, & his temporibus, quibus homines beſtias fieri turpe non erat.

2760.

*[M]oritur [D]ebora.* In hunc annum, cadit mors Deboræ, quæ cum Baracho annis quadraginta populum rexit, hic manu, illa conſilio, quod utile ſemper, & ſalutare fuit, quoniam exiſtebat à Deo. Hac autem ſublatâ ad ingenium ſuum, hoc eſt, ad idololatriam

Deique contemptum redierunt Iſraëlitæ. Itaque Madianitis traditi ſunt annis octo, à quibus experti ſunt, quidquid à Barbaris gens culta poteſt expectare. Quare paſſim deſertis pagis, & oppidis, in ſpeluncis coacti ſunt habitare, hicque belluarum inſtar vivere, convectis raptim in hæc antra frugibus, quas hoſtilis furor, & nequitia reliquiſſet. Serebant aliquid hyeme miſeri Hebræi, ſed cùm adoleviſſent ſata, aderant Madianitæ, qui eorum ſpem & labores, aut demetebant, aut depaſcebantur. Hic vivi relinquebant nihil, quod aut non cæderent, aut auferrent, aut corrumperent, ut jam non legitimum bellum cum hominibus, ſed internecinum cum feris gerere viderentur. Tanta denique ea clades fuit, ut propter acerbitatem viſa Deo non ſint ultra annos octo extendenda, quò paucitas annorum calamitatis magnitudine, atque atrocitate compenſaretur. *QUARTA SERVITUS ſub Madianitis.*

---

## CAPUT VII.

## *Decas VII. Sæculi XXVIII.*

### *Ab anno 2760. ad 2770.*

2768.

HEbræos jam plagis emollitos, & ſubactos adit à Deo Prophetes, qui exprobratâ ingrati animi labe invitaret eos in illius ſinum, in quo majores eorum tuti, ſoſpitesque conſtiterant. Nec inutilis vanaque fuit ſancti Viri adhortatio, omnes enim multis cum lacrymis defleverunt peccata ſua, meliorem frugem deinceps polliciti. Id tantùm poſtulabat Deus, ut eos reciperet in gratiam, atque in priſtinam libertatem aſſereret. Mittitur ergo Angelus qui populi afflictiſſimi malis proſpiceret. Is adit Gedeonem (qui tum Jerobaal dictus eſt, quòd aram Baalis evertiſſet, ac ſuccendiſſet lucum) & hunc gentis ſuæ curam, ſalutemque ſuſcipere jubet de cœlo pollicitus auxilium. Quanquam id erat ſatis ad talem provinciam ſuſcipiendam, ne quid tamen imprudenter vir magnus aggreſſus eſſe videretur, exigit ſigna duo, circa unum idemque vellus ovinum, primum ut ipſum maderet rore, terrâ circumquaque ſiccâ, alterum ut ſiccum remaneret, terrâ undicumque madidâ & elutâ. Id ubi impetravit, ſic quaſi captis auſpiciis, à Deo ſelectus Imperator cogit exercitum. Cùm magnæ copiæ conveniſſent inſtituit delectum, ac principio dimittit omnes ex lege pavidos, & qui necem ac vulnera reformidarent; quâ denunciatione, duo ſupra viginti millia diſceſſerunt. Iterum jubente Deo probati reliqui ad aquas, rejectique qui pronis in fontem bibiſſent corporibus, retenti tantùm trecenti, qui manu hauſiſſent aquam, &, ut decebat honeſtos viros, ſedaſſent ſitim. Satis viſi ſunt Deo hi pauci, ut illuſtriſſimam de infinitis propemodum hoſtibus reportarent victoriam. Animatus eſt & ſomnio quodam Gedeon, quod audivit enarrari à Madianita milite, dum ſe cum famulo in partem hoſtilium caſtro- *Gedeon liberat Iſraelitas parta de Madianitis illuſtri victoria.*

castrorum insinuasset, de pane hordeaceo tabernaculum principis Madianitarum evertente, quod explicatum est à socio somniantis de gladio Gedeonis. Suos igitur in tres turmas distributos immittit in hostium castra, singulos cum tuba, & face in lagena fictili conclusâ, jussos omnes audito Duce clangente, & ipsos inflare tubam, atque interrupto cantu vociferari *gladius Domini, atque Gedeonis.* Imperatum est præterea λαμπαδοφόροις ex composito simul omnes lagenas inter se collisas frangere, ut illicò non expectata lux ostium oculos perstringeret. Quid multa? In hoc tumultu Madianitæ partim mutuis concidere vulneribus, partim à dimissis paulò antea copiis trucidati, confossiq; sunt ad centum viginti millia. Partâ victoriâ tam illustri adversus exteros, pænè commissa est pugna civilis. Nam Ephraimitæ quod expectati non essent magno Gedeonem pulsavere convicio, parati dictis addere facta, nisi sapiens victor molli eos, aptaque ad tempus oratione demulsisset. Sic compositis domesticis rebus, victoriæ reliquias colligere parat, transmissoque Jordane reficere copias, vigiliâ longoque certamine defatigatas, quod tamen ex improbitate Soccotheorum, & Phanuelitarum præstare non potuit, negantium crudeliter, unde victores fessi repararent vires. At languenti exhaustoque militi suo Deus non defuit, & absque cibo potuque præstitit, quod rerum omnium ad victum copia vix fecisset. Tandem Gedeon hostes assecutus est in Carcar, seu Corcor, cum duobus Regibus Zebee & Salmana ex fuga collectos, ad quindecim millia. Hic deleti sunt omnes; capti duo Reges, quos paulò post Gedeon ipse interemit. Sed ante in Soccotheos, & Phanuelitas grave statuit severitatis exemplum. Illorum enim septuaginta septem primarios illustresque viros, sibi dedi jussos, cum spinis deserti contrivit, actis per eorum corpora curribus atque carpentis: horum etiam captam turrim evertit, ostenditque periculosum esse victores exercitum, & imperatorem contemnere, ac justa postulantes rejicere. Exinde collecta sunt hostium spolia, ex auro confectum Ephod, seu Pontificale indumentum, quod in Ephra Gedeonis urbe collocatum, postea in idololatriam conversum est. Ipse Gedeon Judeæ publicâ consensione delectus, cui se ejusque filio populus submisit. Et verò quis ei parere recusasset, quem Deus tot portentis, tam nobili victoriâ populo suo præfecisset.

2769.

*Adrastus regnat Argis.* Adrastus hoc anno Argis regnasse videtur, ubi ad multos annos imperium prorogavit, factus Tydei, & Polynicis gener, lætioribus regni principiis, quàm fine.

2770.

*...li ex ...ant ...m.* Siculi in Italia populi hoc anno in Trinacriã transierunt, eamque de suo nomine dixere Siciliam. Hæc tamen deinceps convenarum omnium præda fuit, à Phrygibus, Græcis, Carthaginiensibus, Romanis non tam habitata, quàm spoliata, & cui plurimùm sua fertilitas obfuit.

Eodem quoque anno Ægæus pulso à Metionidis Pandione Atheniensium Rex creatus regnum tenuit annis duodequinquaginta, quod & filio reliquit suo, ab eodem generosiùs, etiam atque magnificentiùs consecratum, quàm receptum. *Ægeus regnat Athenis.*

---

## CAPUT VIII.

## *Decas VIII. Sæculi XXVIII.*

### *Ab anno 2770. ad 2780.*

2772.

Condita ponitur hoc anno Cizycus; utrum autem à Cizyco nomen acceperit Rege quem Minyæ acie fusum interemerunt, dicere non possumus, nisi ejus ortum, in posteriora tempora rejiciamus. Hæc deinde tam illustris fuit ut ex marmore tota constaret: tam dives ut triplex haberet armamentarium, armorum, frumenti, Balistarum, tam munita, ut Mitridatem magnum, Romanis vincendum objecerit; quando & Regis miserabilis casus eam liberam reddidit, atque fortunatam; sed quam libertatem virtute paraverat, vitiis suis perdidit. *Cizycus condita.*

2779.

Miletus hoc anno item statuta legitur, oraculo clara, primò Branchidarum, deinde Apollinis Didymæi. Hujus civis fuit Thales, sapientum unus, aliique non minus Thalete sapientes, hanc tamen magis lanæ suæ, quàm viri nobilitarunt. Ita magnæ res ex utilitate potius, quàm ex honore penduntur. *Et Miletus.*

---

## CAP. IX.

## *Decas IX. Sæculi XXVIII.*

### *Ab anno 2780. ad 2790.*

2783.

SI Josepho credimus annis 140. ab Exodo, & annis totidem ante templum Salomonis positum statuta est Tyrus, quod in hunc annum sine dubio cadit. Ego verò non primò tunc positam putem, sed ita reparatam, exornatamque, ut recens structa dici posset. Nam à Tyra Japheti septimo filio condita erat, & appellata: temporibusque Josuë jam non incelebris erat. Adde quod eam Strabo Sidoni faciat antiquitate parem; Sidon autem, Mose ipso teste, authorem habuit primogenitum Chanaan. Immò supra vidimus Phœnicem, & Cadmum ex Thebis Ægyptiis profectos ad Tyrum substitisse. Quare jam magnarum familiarum initia, cùm urbes tantæ, & tam illustres, quo tempore primùm coaluerint, dicere nequeant. *Tyrus c... dita, au... potius r... parata.*

2788.

Ad id temporis pertinere videtur Amphitruo; vir fortis, & tamen crimine uxoris suæ, quàm sua virtute notior. Filius is fuit Alcæi, *Amp... truo, Alcm...*

&

& Hippomenes, eique soror fuit Anaxo, quæ Electryoni nupsit, atque ex ea Alcmenam genuit. Erat autem Electryo, & Taphius filii Persei; & Taphius quidem Taphum in Cephalenia condidit, cujus incolas Teleboas dixit. Cùm igitur simul regnarent Taphius, & Electryo Taphii filii partem regni deposcentes orto jurgio Electryonis filios interemerunt; quapropter demortuorum pater atroci hos incessit bello. Hoc ut meliùs procederet Amphitruoni filiam suam Alcmenam dedit uxorem, sed ea lege, ut hanc non attingeret, nisi bello contra Teleboas profligato, atque ita sibi, amorique pugnaret. Sed contra accidit, nam Amphitruo socerum occidit imprudens. Quare cum Alcmena pulsus, Thebas profugit; ubi purgatus à Creonte contra Taphios fœliciter pugnavit. Ex hac Alcmena prodiit Hercules, cujus tanta fuit gloria, ut propter talem alumnum uxorem suam adulteram fuisse non dedignaretur Amphitruo.

---

## CAPUT X.

### *Decas X. Sæculi XXVIII.*

### *Ab anno* 2790. *ad* 2800.

2791.

*[A]RGO[N]AUTAR. [E]XPEDI[T]IO.*

POst Ilium conditum annis sexaginta quatuor, ante ejus ἅλωσιν septuaginta novem, suscepta in Cholchidem expeditio, ad efferendum aureum vellus, quod eò fuerat à Phryxo delatum. Ita fabulæ; sed historia vult hoc Vellus fuisse vel thesauros ingentes, aut vellera infecta purpurâ magni pretii, aut in quibus ramenta auri plurima continebantur, qualia erant quæ fluvii Phasidis alveo substernebantur; aut denique in ovina pelle descripta Ars τῆς χρυσοποιείας, non tantum hoc sæculo, sed & antiquioribus magno ardore quæsita.

*[Q]uid au[re]um vel[lu]s?*

*[Ja]son prin[ce]ps expe[di]tionis.*

Hujus porrò expeditionis Princeps fuit Jason Æsonis filius ex Polymela, vel Alcimede, quem pater moriens commendarat Peliæ fratri, ei etiam tradito regno, sed hac lege, ut id nepoti adulto restitueret; insanus! qui nesciret faciliùs accipi regna, quàm reddi. At mater Alcimede marito sapientior, verita ne Pelias strueret insidias pupillo, Jasonem Chironi alendum submiserat. Ab hoc magistro sic institutus est, ut ab ejus disciplina egressus, non tantùm hæreditario, sed & parto regno dignus haberetur. Cùm igitur paternam hæreditatem reposceret à Pelia, missus est honoris specie, ad eam expeditionem, quæ omnium Græcorum votis expetebatur. Neque verò hanc rejecit Jason, solicitior tum promerendi regni, quàm adeundi. Adhibitis itaque commilitonibus viris magnis, inter quos illustrissimi fuerunt Hercules, Castor, Pollux, Hylas, Orpheus, & militibus ex Thessalia, qui Minyæ dicti sunt, conscendit navem Argo, sic dictam vel à celeritate (ἀργὸς enim Græcis est *velox*) vel ab Argivis, seu Græcis eâ subvectis.

*Hipsipyle recipit Argonautas.*

Ac principio appulere in insulam Lemnum, ubi Jason & socii ab Hipsipyle insulæ dominâ, & Lemniadibus non hospitio modò, sed & lecto suscepti sunt.

Omittimus hîc gesta apud Laomedontem, & ad Ascanium fluvium ab Hercule, quia hæc planè sunt ἀνιστόρητα, & de his suo dicemus loco.

*Ex Phinei mensa abiguntur Harpyæ.*

Venerunt ergo Argonautæ ad Phineum Bithynorum Regem; à quo suscepti sunt, ut decebat Græciæ florem. Neque verò hi se hoc beneficio indignos præbuerunt. Nam ex mensis infortunatissimi hujusce Regis, & cœci excusserunt Harpyas, fœdas volucres, & mensam ejus ingluvie non ferendâ deturpantes; quas ne redirent unquam Calais, & Zetha alati juvenes, ad Plotas usque insulas persecuti sunt, unde, Deorum monitu, jussi reflectere, hic Harpyas, & insulis Strophadum nomen reliquerunt. Phineus hospitibus suis rependit vicem, eosque edocuit quomodo Cyaneas petras tuti transmitterent. Hæ alternis coëuntes, atque recedentes, viam aperiebant, claudebantque: Columbæ laxatæ beneficio agnoverunt, quis futurus esset hujus trajectionis eventus. Ut enim Columba caudam, sic in hoc trajectu navis Argo gubernaculum perdidit.

*Cyaneæ Petræ.*

*Medea favet Iasoni.*

Tandem ad Colchos cum suis sociis, & Minyis Jason pervenit, & regiam urbem Æetæ Phasim, affixam cognomini fluvio; ubi amatus est à Regis filia muliere venefica, & quæ in amasii sui gratiam & patrem, & regnum prodidit. Hujus autem amore & consilio hujus Jason Tauros Æripedes domuit, & vigilem Draconem sopivit; hoc est, ex Taurica milites vicit, quibus erant areæ Calisæ, & custodem thesauri corrupit. Sic aureum rapuit vellus quodcumque illud fuit; quo direpto fugit cum amasio suo Medea, secumque exportans fratrem Absyrtum; quem, cùm pater eos assequeretur, in frusta discerpsit, & per agros sparsit, ut dum ea colligit mœrens Æætes, minùs eos assequeretur. Sed timendæ erant fauces Ponti, & Bosphorus quem Rex furens occupaturus erat. Istrum itaque Argonautæ ingressi cùm pervenissent ad Liburniæ montes Argo navim suis extulerunt humeris, & in fluvium, inde in Hadrianum mare pertraxerunt. Sic incolumes ad Peliam jam senem, effœtumque pervenerunt. Hunc Medea, quasi juventuti redditura per filias suas jugulavit, ac perdidit, earum pietate abusa ad summam impietatem.

*Medea fratrem discerpit.*

*Reditus Argonautarum per Istrum.*

*Pelias occisus.*

*Creusa comburitur.*

Huc usque Jasoni bene cum sua Medea convenerat, qui ex ea duos, tresve susceperat liberos, quam amabat, vicissim ab ea redamatus. Sed postea implicitus amore Creusæ Corinthiorum Regis filiæ, in se amicumque iram impotentis fœminæ convertit. Hîc enim mulier nequam incantationibus suis Creusam, cum Creontis Palatio vivam incendit, & filios suos ac Jasonis, in oculis patris, dum nequicquam vindictam is repetit, jugulavit. Ereptus tamen ex hac cæde Thessalus, & Jolcon repetens hîc regnavit, & de suo nomine Thessalos dixit. Medea curru & serpentibus per aërem vecta fugit Athenas: unde abire compulsa, iterum Jasoni

*Medea fugit Athenas.*

soni suo reconciliata, cum eo rediit in Colchidem, ubi Jason Æatem à fratre regno depulsum solio restituit, ideo honores magnos totâ Asiâ consequutus. Alii tamen malunt eum egentem, & rejectum ab omnibus, ex desperatione sibi consciviſſe manus. Sic expeditio terminata pro bestiæ vellere, sed quæ revexit fœminam omni ferâ nequiorem, & sceleratiorem, quæ inchoata propter avaritiam, & aurum; libidine, crudelitate, veneficiis, omnibus criminibus absoluta est.

2794.

*Faunus in Italia regnat.* Faunus hoc anno regnat in Latio dictus Rex antiquiſſimus Aboriginum, qui & putatur genuiſſe Faunos, Satyros, & illiusmodi caprina, & cornigera numina, quod primus aras eis ac sacra posuiſſet: regnavit autem annis quadraginta quatuor, sed eo tempore quo res Italicæ tam latebant, quàm postea per Romanos innotuerunt.

*Laomedon Ilo succedit.* Eodem anno Trojæ succeſſit Ilo patri impius Laomedon, annisque triginta sex regnavit: genuit ille filios duos Tithonum, & Podarcem filiam Hesionem. Tithonus in Orientem & ad Æthiopas profectus Memnonem hic genuit; Podarces dictus est Priamus ut mox dicetur. Laomedon & hominibus & Diis odiosus fuit, perfidiosus & perjurus & sacrilegus. Cùm Ilium mœnibus careret de iis excitandis cogitavit; sed quia pecuniis indigebat, consecratos Neptuno & Apollini thesauros ex eorum templis rapuit, & ad prophanos usus impendit. Quas autem pœnas hujus sacrilegii dederit, dicemus in ejus obitu, sicut & quomodo Poëtæ hanc historiam in fabulam detorserunt.

2798.

Medeam hoc tempore Athenis vixiſſe quidam referunt, & Ægæo filium Medum dediſſe. Tum ejus operâ nihil propiùs factum est, quam ut Theseüs ab Ægæo admotus aræ cæderetur; sed agnitus vixit deinceps in oculis patris, Medea solum vertere coacta, mulier in regnorum perniciem nata, & quam virorum nemo sine calamitate, & cladibus amaverat. *Medea Athenis ejecta.*

2800.

Hoc anno mortuus est Gedeon, cùm annis quadraginta populo præfuiſſet, ductis tamen iis ab obitu Deboræ. Vir ad salutem gentis suæ genitus cui libertatem tot prodigiis peperit, ut caput populi, Dei manus dici meruerit. *Mors Gedeonis.*

# LIBER VI.
## SÆCULUM MUNDI VIGESIMUM NONUM.
### *Ab anno mundi* 2800. *ad* 2900.

## CAPUT I.
## PRIMA DECAS.
### *Ab anno* 2800. *ad* 2810.

2801.

*Abimelechus fratres cædit: & occupat Tyrannidem.*



Gedeoni optimo parenti succeſſit perditiſſimus filius Abimelechus, ab eo ex pellice Sichimitâ susceptos. Hic patre mortuo patriam ingreſſus popularibus suis persuasit, ut eum principem eligerent, quod & factum magnâ consensione, detractis etiam ex templo Baal septuaginta siclis argenti, quâ ille pecuniâ hominum sceleratorum manum, quasi milites prætorianos adscivit. His stipatus venit in urbem Ephra, in qua degebant fratres, quibus quasi ex juris formula Læsæ Majestatis reis amputavit capita. Septuaginta tum in grandi lapide decollati sunt, effugit omnium minimus Joathamus. Inde peracto facinore Sichimam rediit Abimelechus, ubi Princeps inauguratus est solemni ritu: Joathamo ex monte Garizim hanc inaugurationem exemplo Rhamni sterilis devovente. His diris quasi ex ambone pronunciatis abſceſſit ut lateret, donec Deus Tyrannum & fratricidam abstinuiſſet. Neque verò diu est dilatum supplicium, cœlo iis velociùs adimente vitam, qui homini cuilibet, multò magis consanguineo, & fratri vitam abstulerunt.

Eodem fermè tempore, & initio principatus Abimelechi, cùm fames atrox in Palæstinam incubuiſſet, Elimelechus cum uxore sua Noëmi lectiſſima fœmina perrexit in Moabitidem, seu Arabiam, ut hic iniquiſſima tempora contereret; nec ita multò post obiit. Liberi ejus jam adulti Mahalon, & Chelion mulieres indigenas duxerunt, Orpham, & Rutham, mulierem aliâ Patriâ digniorem, & quam selegerat Deus, ut ex ejus sanguine David adeòque Christus ipse nasceretur. *Elimelechus & Noemi, patriam deserunt. Ruthæ initia.*

2803.

Abimelechus anno tyrannidis suæ tertio, Sichimitas suos rebellantes expertus est; Gaalis enim cujusdam operâ ab eo desciverunt. Sed in eadem urbe Tyranno favebat præfectus Zebul. Venit ergo Abimelechus Zebuli suo laturus suppetias, cæsoque Gaale cum suis urbe potitur, eamque incendit cum maxima turre, in qua fugitivos mille, fumo & igne perdidit. Inde victor perrexit ad oppidum Theben, ad quod rebel- *Abimelechus c... tur.*

rebellionis quoque lues penetraverat: ejus muros occupavit primo impetu. Verùm dum urbis turrim oppugnaret, & portæ jam admoveret faces ipse; in ejus caput fragmen molæ mulier-cula ex pinnis impegit. Ex eo vulnere, fractòque cerebro dum imminere sibi videret mortem, rogavit armigerum suum ut eùm interimeret, ne manu mulieris interiisse dux magnus diceretur. Sed excidit spe suâ: quandiu enim à Deo scripta stabit historia Abimelechus Tyrannus,& septuagies fratricida, & percussus à fœmina, & dignus qui sibi consciscerer necem, perlegetur.

2804.

*Thola judex Hebræorum.* Abimelecho successit Thola filius Phua, fratris Gedeonis; & delectus ab universo populo creditur, ut per eum distracti Israëlitæ in unum revocarentur; neque, quod ab ejus nepote factum erat, vir aliquis factiosus, & audax sibi principatum arrogaret. Sublectus ergo qui meliùs Gedeonem & fortitudine, & consilio, & sanguine simul repræsentaret.

2807.

*Eurystheus Mycenis regnat.* Eurystheus hoc anno Mycenæorum regnum adiit tenuitque annis 43. celeberrimus in fabulosis historiis, quod in servitutem sit ei traditus Hercules, ejus tamen improbis jussionibus factus illustrior.

*Evandri in Italiam adventus* Evander, seu Evandrus Arcas, cum patrem suum cæcidisset imprudens, relictâ patriâ venit in Latium, submotisque Aboriginibus in Palatino monte de proavi sui nomine condidit Palanteum. Mater ejus Nicostrata expeditionis hujus comes fuit, quæ mulier fatidica quod versibus oracula funderet, Carmenta, seu Carmentis est appellata. Fuit autem is Evander φιλόξενος in primis; Cum enim Argum ducem Argivorum suscepisset hospitio, isque ab Arcadibus ob affectati regni suspicionem, se inscio invitoque cæsus esset, Argiletum nemus ei demortuo consecravit, & quo potuit optimo modo, hoc est immortalitate, sarcivit injuriam. Ab eo quoque Trojanus Æneas benignissimè susceptus est, adjutusque bello contra Rutulos, quo tamen infelix pater & senex, cæso Pallante filio suo, spes omnes suas accisas vidit. Urbem Palanteum diu non stetisse Romuli docent tempora; neque verò diuturna esse debuit, quæ urbis Romæ solum ante occupasset.

---

## CAPUT II.

## *Decas II. Sæculi XXIX.*

### *Ab Anno* 2810. *ad* 2820.

2811.

*Booz ducit uxorem Rutham.* HOc anno cum fames in Palæstinâ cessasset, mortuis in Moabitide & urbe Petra Mahalone, & Chelione Elimechi filiis, & mortuis sine prole ad suos Noëmi mœrens redire decrevit. Hanc est sequuta tantisper Orpha, sed admonente socru, paulò post rediit; Rutha ut eam relinqueret nullis rationibus induci potuit. Venerunt igitur ambæ messis tempore in Bethlehem; Rutha in agro Boozi dum spicas post messores legit, iis se moribus conspicuam præbuit, ut Boozi lecto digna judicaretur. Id autem actum castissimè, & facto quod Josephi castimoniæ à Rabbinis adæquaretur. Cum enim Rutha suadente Noëmi ad Boozi pedes accubasset, isque in magnâ peccandi licentiâ, nocte concubiâ, & remotis arbitris, eam dimisisset intactam, ei pollicitus est nuptias, quando primum sibi ex lege liceret. Neque diù fidei datæ spes dilata est. Sequenti die invitat propinquum suum qui sanguine propiùs quam ipse Elimechum contingebat, ut Rutham duceret, & suo consanguineo suscitaret semen: cum is id facere recusasset, eam ipse, plaudentibus omnibus, accepit uxorem. Ex ea anno insequenti suscepit Obed, avum Davidis Regis, qui partus Noëmi lacrymas omnes abstersit, & eam propagare familiam dignus est visus, ex quâ propter utriusque parentis singularem virtutem Christus nasceretur.

2816.

Circa id temporis adventus in Italiam non male statuitur, quando est Heros ab Evandro susceptus hospitio, & dum viveret in terris instar numinis cultus. Hanc venerationem expressit ab eo Cacus interfectus Vulcani filius, homo furiosus, & qui in vicinorum agros igne, ferroque sæviebat: hinc eum vomuisse flammarum globos Poëtæ fabulati sunt, quos reverâ non ore, sed manu spargebat. Tandem damno suo Herculem furtis aggressus est, ejusque rapuit boves quos ex ultimâ Hesperiâ, victo Geryone, abducebat. Eos autem boves sic latro callidus subduxit, ut tractis adversis in speluncam vestigiis occultaret, quò disparuisse viderentur. Sed occultata tam solicitè rapina aliis bobus discedentibus cum admugiisset, Cacus detectus, & speluncâ exutus est, & vitâ. Hic ara Herculi Deo indigeti consecrata, cujus ceremoniæ etiam ad Romanos transiere, Potitiis Pinariisque commissæ. Erant autem Potitius, & Pinarius tum boni senex duo, quos Hercules edocuerat ipse, quomodo manè, ac vespere coleretur; Pinariis tamen ministris, Potitiis epulantibus; quod Pinarius ad sacrum præsente Hercule tardiùs accessisset: tam durâ, & ad posteros transmissâ pœnâ, in rebus sacris, minima olim peccata mulctabantur.

*Herculis adventus in Italiam.* *Cacus de Hercule casus.* *Hercules cultus ut Deus à Potitiis, & Pinariis.*

2818.

*Labores Herculis.* Ad hoc tempus referri possunt egregia Herculis facinora, quæ non unius hominis facta sunt, sed plurimorum, & quæ multos cohonestarent, si inter multos distribuerentur. Cognomines enim fuisse multos Hercules, nec uno loco natos, & tempore, non est dubium. Qui cum omnes fortitudinis laude præcelluissent, unaquæque gens aptavit suo, quod omnium esset. Certe *vir doctissimus undicumque Varro*, quadraginta quatuor Hercules commemorat, ut hoc nomen non unius viri, sed ipsius fortitudinis esse videatur. Et verò dictus est etiam Alcides ab

ἀλκὴ *robur*, quamquam nonnulli ab Alcæo ejus avo derivant. Macrobius non inſcitè Herculem putat eſſe Solem, ejuſque labores duodecim, ad duodecim Zodiaci ſigna ingenioſè transfert; quod & conſtat ex nomine; quid enim Ἡρακλῆς quàm ἥρας κλέος *aeris gloria*. Herculis porrò labores omnes præ numero, & amplitudine dinumerare non licet triginta quatuor vulgò commemorantur. Horum illuſtriſſimus Hydra devicta, multiplex monſtrum, cujus ex uno collo reſecto tria capita ſubnaſcebantur; ideo coactus eſt truncatæ belluæ facem adhibere, & prolificum vulnus igne comburere. Monſtrum hoc fons Lernæus in Argolide fuit, cui providere juſſus Hercules, & eluviem ejus pernicioſam agris reprimere, cum pro uno capite obturato, tres ſalientes emicarent, ſolerter ipſe in hunc fontem magnam lignorum ſtruem comportari juſſit, & incendi, quo incendio repreſſis aquis in terræ præcordia; fons ille ſiccatus nobili fabulæ locum dedit.

Magnum hunc virum dum Juno Zelotypa perdere voluit illuſtravit. Is tamen tantuſque vir Euryſtheo Stheneli filio ſubditus fuit, hoc eſt fortis ignavo, ſtudioſus invido, atque ſcelerato, ut qualis eſſet Hercules non agendo tantùm, ſed & patiendo demonſtraret. Nullum ei objectum eſt periculum vel à Diis vel ab hominibus, ex quo victor non emerſerit; terrâ, cœlo, hoſtibus, invidiâ in ejus gloriam conſpirantibus.

## CAPUT III.

## *Decas III. Sæculi XXIX.*

### *Ab anno* 2820. *ad* 2830.

2821.

*Dædalus & Icarus.* HOc tempore florebat Dædalus Scalptor tam eximius & fictor, ut animum ſtatuis ſuis inſpirare crederetur. Videlicet cum hactenus plaſtæ in imaginibus non diſtinxiſſent membra, ſed pedes & brachia parùm concinnè veſtibus involviſſent, ille ſic aptè diſpoſuit omnia atque ſejunxit, ut jam animum, & motum poſtulare viderentur. Neque verò ars ejus unis imaginibus continebatur: Invenerat enim Serram, Aſciam, perpendiculum, glutinum, Ichthyocollam; ſed omnium inſtar labyrinthus Cretenſis fuit, opus inextricabile, cujus viæ ita in ſe incurrerent, atque recurrerent, ut ἀδύνατον eſſet in eum ingreſſum hominem ſeſe expedire. Digna erat cavea Minotauro, & monſtro quod hominis artem Tauri viribus jungeret, atque feritati. Cum autem Dædalus aperuiſſet modum quo quis ex labyrintho expediret ſeſe, datus eſt cum filio ſuo Icaro in acerrimam cuſtodiam, & ad quam tantùm volucres pertingerent. Sed in eo ipſo loco quis eſſet oſtendit; nam & ſibi & filio ſic aptavit alas ex plumis ceraque compactas, ut earum agitatione, & motu ſic tanquam avis volaret. Et verò uterque iis evolavit ex carcere, docuitque muris includi non poſſe, quorum ingenia ſupra mortalium conditionem aſſurgerent. Atenim ut ſapientior erat pater, ſic filio quoque ſuo fœlicior extitit. Nam ille ſoſpes & incolumis evaſit; hic contra patris monitus dum accedit ad Solem propiùs, liquatis à Sole, caloreque nimio ceris, & plumis defluentibus, ipſe cecidit in mare, cui ſuum cadaver, & nomen reliquit, ab ejus caſu dictum Icarium. Ita Mythologi; at hiſtorici ſuo quemque parvo volunt fugiſſe lembo, adhibitis velis, quæ navigiorum alæ vulgò, ac meritò dicuntur. Hæc vela dum cautè diſpenſat pater, filius nimium extendit ille ad littus appulit, hic inter Sporadas eſt extinctus naufragio. Dædalus autem à Cocalo Rege in Sicilia benignè ſuſceptus eſt: Quem dum bello repetit Minos ipſe prope Camarinam in balneo à filiabus Cocali ſuffocatus eſt. Qualem hunc hominem eſſe oportuit qui à Regibus petebatur bello, bello retinebatur?

2824.

*Theſeus conficit Minotaurum.* Androgeos filius Minois Cretenſium Regis, nepotis hujus, quem Jupiter ex Europâ ſuſceperat, præſtantiſſimæ indolis adoleſcens ab Athenienſibus, & Magarenſibus cæſus erat, quod Palæſtrâ invictus eſſet, & huic omnes compoſiti ſuccumberent. Plerique ab ipſo Ægæo Theſei parente per immiſſos ſicarios confoſſum volunt: grave profectò ſcelus eſſe oportuit, quod homines Diique vindicandum putaverunt. Bellum enim grave utrique populo illatum eſt à Minoë: acceſſit è cœlo fames, & ſiccitas, quæ in agros Athenienſium ſævierunt, ut quibus fames pepercerat, ii Minois gladio interimerentur. Conſultus Apollo ſignificat Æacum deprecatorem adhibendum eſſe, qui precibus & ſacris quibuſdam, fertilitatem agris Græciæ reddidit præterquam Athenienſium; ſive id fecit ex invidiâ, ſive quod illi ſatis graves ſui ſceleris pænas non dependiſſent. Interrogatus ergo Pythius Apollo reſpondet, malis hiſce remedium unum eſſe, ſatisfaciant Minoi Athenienſes, quo ille voluerit modo. Hâc denunciatione Athenæ hoſti ſuo capitaliſſimo, & filii nece ad vindictam accenſo dedi videbantur. Et verò Minos urbi calamitoſæ tributũ imperavit, quod tantùm de Barbaris per Barbaros exigeretur; ſeptem quotannis pueros adoleſcentes, ac puellas totidem Minotauro objiciendos, & monſtri crudeliſſimi dente diſcerpendos, & dilacerandos. Sed quid agerent? Ita ſuperi, Minoſque volebant. Jam ſecundùm ferale vectigal ſubmiſſum erat, cum tertio anno recurrente Theſeus, ſeu ſponte, ſeu ex ſorte victima deſignatur. Conſcendit ille navem cum incredibili dolore patris, navem de more nigris ſubſtratam pannis, nigris velis inſtructam, utpote quæ ad necem juvenes nobiliſſimos quatuordecim veheret. Rogatur tamen ab Ægæo Theſeus, ut ſi quo caſu rediret ſoſpes (omnia enim ſperabat ab ejus egregiâ indole, & fortitudine) alba pro nigris lintea ſupponeret. Ne plura? Ad Cretam Theſeus appellit, videtur ab Ariadne filiâ Minois, quodque ſatis erat, amatur. Et verò accipit ab eâ glomum fili, quo ex labyrintho remea- *Ariadn[e] favet T[he]ſeo.*

ret,

ret, armis probè instruitur, & quod erat armis omnibus potentiùs, sospiti ac reduci filia Regis cum regno dotali promittitur, & ab ea promittitur, quæ promissis stare, etiam nolente patre decreverat, Monstrum itaque interimit Theseus, redit ex labyrintho relictis cum glomo vestigiis, remigrat in patriam incolumis secum revehens salutis causam Ariadnen. Verùm amori ejus ingratus non respondit; veritus enim ne parum æquis illa oculis Athenis videretur, reliquit in insula Naxo, ut deserta hic fame, & inopiâ rerum omnium interiret. Sed quam mortalis contempserat, amavit Deus: hanc enim Bacchus uxorem duxit, atque inter sidera sub nomine Gnosiacæ coronæ retulit. Interea versus Atticam Theseus navigat, at velorum oblitus, & paternæ monitionis, iis utitur linteis, quibus discesserat. Hæc cùm vidisset eminus ex rupe Ægæus, ratus interiisse charissimum filium se in mare præcipitem dedit, quod ab eo dictum est Ægæum. Postea tamen mortuus ab Atheniensibus divinos honores consequutus est, quòd talem filium genuisset; & quem imprudentia filii perdiderat, populi stoliditas, ac vecordia consecravit Deum.

*[A]riadne [i]n Naxo [d]eseritur à Theseo.*

*[Æ]gæus [d]at nomen [...]ium mari [Æ]gæo.*

2827.

In id tempus aut paulò antea Oedipi facta cadere videntur. Is Laji filius fuit Thebanorum Regis, sed expositus, quod didicisset pater ab eo sibi mortem, matri stuprum imminere. Cùm itaque puer vimine trajectus pedes (unde ei nomen) penderet ex arbore, Phorbas Corinthiorum Regis Pastor hâc transiens evocatus pueri vagitu, eum sustulit, ac dono dedit Dominæ suæ, quæ liberis carebat. Vir factus periculorum contemptor, & fortis habitus est, Thebas venit, ibique soluto de homine Ænigmate Sphyngem ad præcipitium compulit. At in rixa forte coortâ, Lajum cæcidit, ejusque invasit regnum, quod stabile Jocastæ reginæ nuptiis reddere voluit, ex ea cùm Etheoclem Polynicem, & Antigonam suscepisset, de suis criminibus admonitus à pastoribus per quos expositus erat atque servatus, ipse sibi oculos eruit, mater sibi intulit manus. Neque satis; Athenas in exilium perrexit ne hic spiritum ducere ubi vitam ademerat ei, à quo recepisset. Sed ejus casum totiusque familiæ ita Scenæ deplorant, ut in hanc domum lacrymas omnes suas insumpsisse videantur.

*[O]edipi [...]tas & [ca]sus.*

2827.

Anno superiori mortuo Tholæ cùm annis viginti tribus populo præfuisset judex, hoc successit Jair Galaadites, vir fœlicissimus, & pater triginta filiorum, qui oppidis triginta in hac regione præerant. Hoc jus dicente Israëlitis, inchoatam esse Hebræorum sub Ammonitis, & Philistæis servitutem, quam partim Jephte, partim Samson discussere; populo tam sæpe ad idololatriam prolapso, neque superioribus damnis & præteritis cladibus erudito.

*[Ja]ir succe[di]t Tholæ [ju]dex Israelis.*

2828.

Hoc anno videtur Hercules, quo casu nescitur, venisse in Troadem, & Hesionem Laomedontis filiam expositam monstro liberasse sibi promissam uxorem cum equis velocissimis. Hoc monstrum emiserant Apollo & Neptunus ulturi Regis impii perfidiam, qui equos illos incitatissimos, pactam utrique Deo mercedem pro muris Ilii constructis, perfidiosè denegarat, Hercules monstri domitor concessam sibi Hesionem, & eosdem equos apud perjurum reliquit dum pergit in Bithyniam, quasi verò Laomedon faciliùs homini quàm Diis servaret fidem.

*[H]ercules [li]berat [H]esionem [à] monstro.*

Inde perrexit Hercules in Bithyniam cum Hylâ puero. Invalescente æstu cum siti premeretur eum mittit cum urna ad fluvium. Erat is Hylas filius Theodamantis Dryopum Regis quem Hercules in tumultu, in quo tantùm non oppressus erat, occiderat, filio ejus abducto, quem ferebat in oculis. Miserandus puer dum haurit aquas in Ascanio fluvio, urnam secutus interiit, ideoque creditus à Nymphis subreptus.

*Hercules perdit Hylam in Bithynia.*

2829.

Hylam amissum cùm frustra diu quæsivisset Hercules, tandem omissâ Bithyniâ rediit in Troadem, quæ hic reliquerat repetiturus Hesionem & Celeres equos ex Solarium semine. Sed Laomedon hæc Herculis esse jam oblitus erat. Malo itaque compellendus erat reddere, quod retinere non poterat. Itaque expugnatum ab Hercule Ilium, cæsus ab eo Laomedon & regnum & vitam perdidit. Redemptus autem à sorore Podarces, unde ei Priami nomen: Hesione præterea non uxor Herculis, sed Telamonis fuit, qui tum Herois comes erat. In hujus tamen gratiam restitutum Priamo regnum, quod ob patris crimen perdiderat. Tumque didicit Laomedontis familia perniciosiùs in unum Herculem, quam contra duo numina peccari, & Trojanos ab Apolline & Neptuno iratis, quàm ab homine violato fuisse tutiores.

*Laomedontem cadit Hercules.*

2830.

Hoc igitur anno, quadraginta annorum Priamus exorsus est imperium, sed cum ipso per Græcos penitus extinguendum: fine adhuc regni quàm initio calamitosiore.

*Regnat Priamus.*

---

## CAPUT IV.

### Decas IV. Sæculi XXIX.

#### Ab anno 2830. ad 2840.

2832.

Inchoata est hoc anno ab Ammonitis Hebræo populo imposita servitus, cum à Deo suo desciviſsent, ut edisceret sacra Deo gens, quàm faciliùs Numini, quàm hominibus parerent: cum ab his, malis omnibus vexaretur; satis esset illud appellare ut omnibus bonis frueretur; Stolida quæ suo damno atque experientiâ, toties erat ad officium, obsequiumque revocanda.

*QUINTA SERVITUS ab Ammonitis.*

2833.

Etheocles & Polynices Oedipodis filii, ambo prensarunt infortunatissimum patris sui regnum, ambo servare non potuerunt. Pacti enim cum essent inter se alternis regnare, Etheocles id

id intervertit, ac Polynicem expulit. Is Adrastum adiit Argivorum regem, à quo filiam Argiam accepit uxorem. Hinc suscepta est expeditio adversus Thebas à principibus septem Adrasto, Capaneo, Hippomedonte, Amphiarao Argivis; Polynice Thebano, Tydeo Ætolo, Parthenopæo Arcade, qui omnes præter Adrastum interierunt, cum luculentâ quisque militum manu. Polynices enim Etheoclesque congressi mutuis vulneribus conciderunt, & post obitum in eundem conjecti rogum, flammarum divortio ostenderunt, etiam post obitum sua durare odia. Amphiaraus ob monile aureum proditus ab uxore, vivus cum curru terræ hiatu absorptus est. Capaneus fulminatus: Tydeus vir sui temporis audacissimus atque fortissimus ad Etheoclem Thebanosque legatus, eorumque omnium ex provocatione, & insidiis victor, ante urbem confixus jaculo, percussoris sui caput mordicus tenens, huic tanquam fera immortuus est; alii alio mortis genere occiderunt. Cum Creon Jocastæ frater, & in regno Thebano successor mortuorum corpora ad sepulturam dare recusaret, eorum sepeliendorum potestatem Theseus armatus extorsit. Sic crudeliter inchoata expeditio, atrociter continuata, pié ac religiosè terminata est.

2834.

*Amicitia Thesei & Pirithoi.* Circa hoc tempus contraxere amicitiam Theseus, & Pirithous Ixionis filius, Poëtarum carminibus sæpe decantatam. Pirithous nosse volens quid hominis esset Theseus, cujus fama vix Græciâ continebatur, in agrum Marathonium irrupit, & inde boves abegit. Adfuit statim in armis Theseus excussurus prædam, nec Pirithous fugit; venere ergo in conspectum ambo, ubi se viderunt, amarunt; erat enim utriusque species, & amore, & imperio digna. Arbitrum damni constituit Theseum Pirithous, Theseus gratis ei prædam dedit omnem; sic qui venerant ut dimicarent armis, benevolentiâ certaverunt, animis conjunctissimi discesserunt datâ acceptâque fide de periculis simul ultrò citroque adeundis. Hoc tempore Pirithous Deidamiam uxorem duxit, neque ab his nuptiis suum abesse voluit Theseum, sed magno utriusque commodo, & gloriâ. Is enim egregiam amico suo & Lapithis adversus Centauros navavit operam. Erant Centauri equites tam periti, ut insistentes equo unum cum eo corpus conflare viderentur. Hi in convivio ebrii invitatas fœminas attrectare, immò ad libidinem rapere voluerunt: sed à Theseo Lapithisque malè mulctati, vinum cum sanguine evomuerunt.

*Nuptiæ Deidamiæ Lapitharum & Centaurorum pugna*

2835.

*Heraclidæ regnant in Lydia.* Circa hunc annum Argon Heraclidarum primus in Lydiâ condidit regnum, quod ejus posteri tenuerunt usque ad Caudalem, per Gigem & Mermnadas sublatum. Ità temporibus hisce satis erat Herculis sanguis ad regna constituenda.

2836.

*Hercules instituit Olympia.* Hoc anno ab Hercule in honorem Jovis σωτῆρος ludicrum certamen institutum est in Elide ad Alpheū amnem. Inde fluxit primum Ludorū Olympicorum initium, quos Iphitus Rex Elidis oriundus ab Hercule post annos 442. instauravit. Velleius tamen Paterculus illorum certaminum facit authorem Atreum, & in omnibus certaminum generibus victorem Herculem memorat. Fortè igitur tùm plus victori quàm authori in his ludis indultum; quin pluris erat in iis vincere, quàm præsidere.

*Mors Herculis.* Eodem quoque anno obiit, ab omnibus, supra modum, & tamen nondum satis laudatus Hercules; quasi Olympicis ludis, vitæ suæ rebusque gestis Colophonem imposuisset, & post habitas cœlo eas gratias, nihil esset dignum Hercule. Sed malum! periit à muliere monstrisomnibus, & Junone ipsâ potentiore. Deianira ejus uxor, ob Jolem superinductam Zelotypiâ furens, delusaque olim à Nesso Centauro, misit ad eum toxicatam vestem, pro amatoriâ. Hanc sacra facturus cum induisset Hercules comburi se intus igne atroci sensit, & qui præcordia crudeliter inflammaret. Cum vim tanti morbi, vir tantus ferre non posset, in Gerâ monte se combussit; neque morte, neque genere mortis Hercule satis dignis.

2838.

*Latinus Latio regnat.* Hoc anno Latinus Fauni filius regnare cœpit in Latio ante Æneæ eodem appulsum annis quinque & triginta. Ex eo deductum Latinorum nomen, Varro etiam Latium dictum ab eo contendit. Verùm nihil illustriùs quam quod ab eo lingua quâ Romani loquuti sunt, & rexerunt Orbem non Romana, sed Latina nominata est; ut quodammodo Regis hujus nomine, & linguâ jus reddi videretur Orbi terrarum.

2840.

*De Carthaginis conditu variæ opiniones.* Annis triginta ante ἅλωσιν Trojæ, ante urbem conditam 460. tradit Eusebius ex Philisto à Xoro, & Carchedone Phœnicibus viris conditam esse Carthaginem. Appianus in Libycis annis 50. ante Trojam eversam: notat tamen Romanos urbis hujus initium in tempora Didonis rejicere, de quibus nihil, nisi temerè pronunciari potest. Tu varias habeto sententias authorum, qui celeberrimæ urbis hujus conditum Romanis Palilibus ita præfixerunt, & ante urbem conditam his annis statutam volunt. Menander apud Josephum annis 140. Ipse Josephus contra Apionem libro primo, annis 135. Solinus 130. Eusebius iterum in Chronico 99. Pomponius Trogus 73. Servius 70. Vellejus Paterculus 65. Quas sententias ita conciliare nituntur Petavius, & Salianus, cum asserunt variis temporibus hanc ædificatam esse, atque dilatatam: Inde natam de conditoribus, & ejus initio sententiarum varietatem. Sed nos iterum de hac urbe anno mundi 3166. quo anno à Didone perfectam putamus.



CAP.

## CAPUT V.

### *Decas V. Sæculi XXIX.*

*Ab anno* 2840. *ad* 2850.

2843.

*Epigoni Patres suos ulciscuntur & Thebas delent.*

EPigoni, seu τῶν ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας liberi, parentum, subditorumque ulcisci necem, sepulturamque decreverunt, post decem annos ab infortunata Polynicis & Adrasti expeditione. Eligunt illi Ducem Alcmæonem filium Amphiarai, qui hanc dignitatem emere visus erat parricidio. Is enim Eriphilem matrem, à qua proditus erat pater, crudeliter interemerat; per tantum scelus videlicet ad atrocem vindictam pergendum erat. Vincuntur demum acie Thebani, urbs diripitur, & incenditur, abducitur Tiresias vates, cum filia Manto item vate: sed pater obiit in itinere, filia Delphos ablegatur; unde quidam eam deducunt in Asiam: alii hic substitisse malunt, dictamque Daphnem carminibus suis oracula reddidisse, ex quibus nonnulla Homerus in Iliada suam, & Odysseam transtulisse creditur. Quid ergo mirum hæc habita fuisse divina opera, quæ ex oraculis, Deique responsis plagia fuerunt.

2845.

*Amazonū irruptio in Atticam.*

Hoc anno Amazones ex Ponto, & Thermodoonte in Atticam Classe pervenerunt, ob raptam Antiopen. Cum iis Theseus conflixit, easque magnâ repulit clade, mense Boedromione, ut quidam autumant. Alii concedunt Amazonum quidem dextrum cornu victum esse, lævum vicisse, & ope Hyppolytæ (quam quidem, non verò Antiopen volunt nupsisse Theseo) fœdus percussum esse. Addunt Theseum ex ea suscepisse filium Hippolytum, pulcherrimum & castissimum, à patre suo devotum, cùm à Phœdra noverca impudica ipse innocens, & purus accusatus esset; cujus indigno casu omnia Græciæ, Latiique theatra personuerunt, & gemitus inutiles Thesei in tam boni filii morte exhibuerunt, cum Phædræ desperatione.

*Hippolyt. devotus à patre.*

2846.

*Helenam Theseus rapit.*

Helenam Theseus rapuit annis viginti quatuor ante desolationem Trojæ, & eam rapuit decennem cum Pirithoo amico, qui sorte duxerunt uter eam haberet. Obvenit illa Theseo, qui eam Aphidnis collocavit, unde bellum atrox adversus Athenienses excitatum est. Dioscuri sororem suam captis Aphidnis recuperarunt, & inter Athenienses magnâ temperantiâ, & æquitate cum suis copiis vixerunt, quod Theseo plurimùm nocuit, & magna ejus ruinæ, & exilii causa fuit.

*Theseus & Pirithous capere conantur Proserpinam.*

Interea adlaborabat Pirithoo socio suo Theseus, eique virginem aliquam rapiendam quærebat uxorem. Indicata est Ædonei Molossorum Regis filia, quæ digna Pirithoi thalamis mortuâ Deidamiâ, digna Thesei labore judicata est. Rex ille uxorem suam, & filiam vocabat Proserpinam, canem autem terribilem Cerberum, cui committebat procos filiæ suæ nuptias ambientes. Is cùm præmonitus esset venire non procos, sed raptores Theseum, & Pirithoum, hunc quidem lacerandum suo objecit Cerbero, illum verò tandiu in vinculis habuit, donec Herculis precibus, concederetur; hunc enim eo usque Mythologi in vivis retinent. Inde nata de inferis Thesei fabula, quasi inde ab Hercule sit reductus; quam fabulam, ut alias plures nominum similitudo procudit.

2848.

*Iephte eligitur judex.*

Hebræis afflictis per Ammonitas simul & Philisthæos, & de more confugientibus ad Deum, datus est judex vir fortis quidem, sed nothus, ideoque olim repulsus à fratribus, & minutâ parte hereditatis aspersus cum contumeliâ. At is neglectâ matre meretrice, & scorto, in patrem Galaad virum eximium adjecit oculos, & materni sanguinis ignobilitatem statuit præclaris facinoribus suis obruere, seque patre suo dignum præbere. Quare collectâ egenorum manu, quam ipse in victam suo reddidit exemplo, & alacritate, idoneus judicatus est, qui majoribus copiis præficeretur, & Dux totius Hebræi populi adversus Ammonitas jam intolerabiles eligeretur. Statim ergo mittit legatos ad hostem, qui ab eo pacem impetrarent, vel indicerent bellum: hoc Ammonitæ damno suo maluerunt; contemptis Hebræis, eorumque Duce, quondam latrone; sed quem mox magnum experientur Imperatorem.

2849.

*Iephte votum nuncupat, & Ammonem vincit.*

Jephte immissis à Deo sibi fortitudine & consilio bene usus, statuit illico ad Ammonitas bellum transferre: ut in eorum regione & viveret, & vinceret, sine suorum detrimento. Res ardua, & quæ Dei plurimùm indigeret auxilio: Itaque obstringit se voto immolaturum se Deo, si victor rediret, quidquid ei primùm occurreret. Voto nuncupato ingreditur Ammonitim, hostem ausum congredi profligat, & tam malè mulctat, ut deficientibus propugnatoribus, eorum urbes viginti caperet, reliquis locis inferret vastitatem. Denique sic afflictus est Ammon, abjectusque, ut lucri duceret loco, si dimitteretur, neque quotannis huic victo reponeret Jephte, quam Israëlitis intulerat populationem.

*Filia Iephte prima Patri occurrens ex Patris voto addicitur morti.*

Victor ergo redit ab eâ expeditione Dux Hebræus. Sed, dolor! filia ejus unica, spes parentis, & amor cum Tympanis, & Choro virginum occurrit patri ex urbe Masphâ ei gratulatura victoriam. Hujus aspectu & voti recordatione exanimatus Imperator agnovit, quàm temerè vovisset. Puella tamen etiam patre generosior, nihil deprecatur mortem cum patris gloria, & salute conjunctam, sed tantùm duos postulat menses, quibus sterilitatem suam, & patris orbitatem lugeret, quos non difficulter impetravit, majori & meliori munere dignior.

*Ephraimitæ contumaces caduntur à Iephte.*

Interea Ephraimitæ tam fortes, quàm superbi, & contumaces, quales se præbuerunt in Gedeonem, in Jephte exhibuerunt sese; intermінati huic arma, & cædem, quod iis quoque usus non esset ad Ammonitas contundendos; nec ejus responsione contenti rationis plenissimâ,

etiam transmisso Jordane, ad eum invadendum perrexerunt. At is stipatus Galaaditis suis & exercitatis, & victoribus, eos sic excepit, ut statim qua via venerant regrederentur. Sed jam vada Jordanis occuparant Galaaditæ. Hic tribum suam victi ejurantes, ut incolumes dimitterentur vocem *Scìboleth* per *Schin*, hoc est *Spicam*, efferre compellebantur; at illi per *Samech* edebant, id est, *decursum aquarum*, & sic illicò jugulabantur, & projiciebantur in flumen, tanto numero, ut tam in acie, quàm in fugâ, quadraginta Ephraimitarum millia interierint. Hâc cæde, eorum iterata contumacia sananda erat; duobus judicibus illata sic castiganda fuit injuria.

*Jephte filiam suam immolat Deo.* Jephte feliciter perfunctus externo, civilique bello in domum suam afflictissimus rediit. Hic enim mensibus duobus evolutis immolare filiam suam coactus est, Deo non voluntatem modo, sed & rem, & factum exigente, ut verum se, summumque vitæ, ac necis arbitrum ostenderet. Neque enim hic audiendi Hebræi, qui hanc non interfectam, sed Deo consecratam volunt. Cur enim virgo duos obtinuisset ad luctum menses? Cur instituta quotannis quatridui celebritas? Si sacrificium verè peractum non est. Sic vani homines dum ab Imperatore suo crudelitatis suspicionem amoliri volunt, nobis voti sponsorem ineptum, ac pæne sacrilegum exhibuerunt.

*Eurystheus cæditur ab Hyllo Heraclida.* Hoc eodem anno Eurystheus posteros Herculis insequens ab eorum uno interfectus est. Hercules enim Eurysthei metu eum ad necem deposcentis Tyrinthe ex Argiâ fugiens ad Ceycem Trachinis in Thessaliâ Regem confugerat. Hercule mortuo liberos ejus à Ceyce Eurystheus repetebat; is autem diffidens viribus suis eos ad Theseum Athenas ablegarat. Hos igitur dum repetit Eurystheus ab Hyllo interemptus est. Eurystheus autem proficiscens ad hoc bellum Atreum avunculum suum præfectum reliquerat; is omnium consensu ex præfecto Rex Mycenarum electus est, quod annis quinque administravit. Noti sunt nimis Atreus Thyestes Pelopis filii, qui inter se fraternis odiis non ut Græci, sed ut Cyclopes decertarunt. Nam Thyestes Æëropen uxorem Atrei vitiavit; huic Atreus filios suos edendos reposuit; Thyestes filiam suam Pelopejam imprudens corrupit, ex qua natus Ægystus Agamemnonem occidit, adulterata prius ejus uxore Clytemnestrâ; omnes Scelerâ, & Scythiâ, quàm throno, Græciaque digniores.

*Atreus Thyestes.*

*Proteus regnat in Ægypto.* Denique circa eadem tempora regnavit in Ægypto Proteus, quem fabulæ in omnes formas conversum depingunt: cujus causam Siculus Bibliothecarius refundit in consuetudinem Regum Ægyptiorum, qui in diademate suo, ignem, aquam, feras, aliaque ejusdem modi ad terrorem, & pompam depicta ferebant; Poëtæ more suo pro imaginibus res ipsas substituerunt, & Proteum nobis mox hominem, mox aquam, mox feram exhibuerunt, nullius formæ, cum omnium esset.

2850.

Superiori anno ex victoriâ resumentes animum Heraclidæ ingressi erant Peloponnesum, sed hominibus non satis repugnantibus, à Diis sunt repressi; vexati, cœlum salubrius repetere coacti sunt. Hoc anno igitur Marathonem Hyllus secedit, ut definitum ab oraculo tempus opperiatur. Sed tum delusi ab Apolline Pythio Heraclidæ, qui magno eorum damno tum λοξίας fuit. Diod Siculus hos ab Atreo Peloponneso exclusos scribit. *Heraclidæ prohibiti Peloponneso.*

# CAPUT VI.

## Decas VI. Sæculi XXIX.

### Ab anno 2850. ad 2860.

2853.

HOc anno Hyllus, cum suis Heraclidis duplici est elusus oraculo. Jubebatur expectare τρίτον καρπὸν, quem malè annum explicabat, cum esset γενεὰ; deinde viam στενόγραφα de Isthmo pejus enarrabat, quæ erat Corinthiacus sinus. Itaque ea expeditio huic infelicissimè cessit. Cum enim Peloponnesii Heraclidis acriùs resisterent, conventum ut bellum singulari certamine dirimeretur, hac positâ lege, ut Peloponnesus cederet Heraclidis, si vinceret Hyllus; abirent, nec redirent ante annos quinquaginta; si Echemus Rex Tegeatarum superior evaderet. Commissum certamen, vicit Echemus, & occidit Hyllum, Peloponneso facessere jussi sunt Heraclidæ, possessione dilatâ, quod eam velociùs adire voluissent. *Hyllus ab Echemo cæsus*

2854.

Mortuus est hoc anno Jephte cum sex annis tantùm populo præfuisset, non diu charissimæ filiæ superstes. Sepultus est in aliqua civitate Galaitidis, aut certè corpus in unâ, intestina fortè & cor in aliis condita, ut Hebræo codici fiat satis, ubi dicitur *sepultus in civitatibus*. Apage enim hinc deliria Rabbinorum, qui propter hæc verba, volunt hunc judicem per partes mortuum esse per partes sepultum, defluentibus & singulatim emorientibus membris, quod Phineem Pontificem de voto suo non interrogasset, qui jam ante ducentos annos è vivis abierat. Sed quid his hominibus facias, qui effutire soleant, quæ nec tempori, nec rationi conveniant. *Moritur Iephtes.*

Eodem anno Atreus regni sui anno quinto moriens filio suo Agamemnoni Mycenarum imperium reliquit, Troicis temporibus, quæ instant, notissimo. *Agamemnon succedit Atreo.*

Tum quoque creditur ab eodem Agamemnone occupatum Sicyoniorum regnum fuisse, relictâ tamen hujus penes Sacerdotes administratione. Tandiu scilicet id hominibus religiosis est demandatum, quandiu illi ob religionem nocere potuerunt; ubi metuendi desierunt esse, ambitio pietati prævaluit. *Sicyoniorum regnum relictum Sacerdotibus.*

2855.

2857.

*Abesan Hebræorum judex.* Jephte judici succedit Abesan, Eusebio Esebon, qui populo septem annis præfuit. Hunc Rabbini volunt esse Booz, & mores optimi, ac patria Bethlehem conveniunt, neque contradicerem, nisi tempora repugnarent. Hic porrò Abesan fœlicissimus extitit, triginta filiis, ac totidem filiabus illustris, cum totidem generis, ac nuribus, quæ videntur ei præfecturam conciliasse.

Eodem quoque anno Dioscuris Atticam infestantibus propter raptam à Theseo Helenam, Mnestheus Petei filius, Erechthei nepos in Theseum absentem Athenienses concitavit. Redux Theseus hanc conjurationem, etiam adhibitâ vi reprimere molitus est, sed ubi pestem vidit esse omni remedio superiorem, plus tribui Mnestea, quam sibi prope urbis parenti, multa imprecatus popularibus suis in loco, qui deinceps dictus est ἀρητήριον, ab urbe discessit, filiis suis priùs ad Elpenorem Eubœæ Regem ablegatis. Navigavit porrò in Scyrum insulam ad Lycomedem, à quo sibi reddi agros suos postulavit. Sed is veritus subditum nimis potentem, & cui par non esset in rebus gerendis, eum ad mare in edita rupe deambulans præcipitem egit. Alii tamen Lycomedem eximunt ab hac nece; & volunt Theseum hic solitarium deambulantem cespitasse in loco lubrico, & inde prono capite in pelagus decidisse. Quidquid sit in insula deserta sepultus est, in qua jacuit annis quadringentis, & donec Cimon, jussus ab oraculo Athenas reportare ejus lipsana ope Aquilæ detexit, magnificeque in prætoria sua nave revexit. Hæc condita in urbe, ac religiosè servata sunt cum Asyli jure, ut qui sibi unius non poterat, aliis mortuus profuisse videretur.

2856.

Hoc anno Hercules factus est Deus cum Menœtius Actoris filius primùm Opuntiis persuasisset ut ei tanquam Heroi sacrificarent; quæ sacra magno ardore Thebani suscepere, ne populari suo defuisse judicarentur. Secuti sunt eos Athenienses, quamquam in aliis omnibus Thebanis inimici, & factum tot ac tantis auctoribus puduit reliquos Græcos non sequi. Sic Bustuarius ille, in quibus deflagraverat, aras promeritus est.

2860.

*Helena raptus à Paride.* Hoc anno Paris aliter dictus Alexander, promissam sibi ob addictum Veneri supra Junonem, & Palladem præmium, pulcherrimam uxorem Helenam, Spartæ, ubi Menelao fratri Agamemnonis nupserat, quæsivit. Videlicet cum Deæ, homine arbitro, nudæ de formâ certarent. Quidam Paridem impulsum volunt à Priamo patre, ut Græcis Hesiones raptoribus vicem rependeret. Susceptus hospitio à Menelao ejus uxorem rapuit adulter, atque sacrilegus, quod factum in ejus patriam homines, ac Deos armavit. Inde Trojam repetentem tempestate delatum illum in Ægyptum scribit Herodotus, unde excussâ prædâ nudus & egens sit ejectus; deletam nihilominus fuisse Trojam, quia tam perfidum tulisset, & emisisset civem. Dictys Cretensis tradit in Cyprum, inde Sidonem delatum, ibi Regem hospitem necavisse, ut qui in Laconiâ adulterium sacrilegio, eidem in Syriâ jungeret homicidium. Asserunt pænè omnes bellum à Græcis in Trojanos propter Helenam conflatum, decem ipsos annos tenuisse, sed & apparatus belli, immo & causa continetur; Ideò sic productum & extensum ab antiquis scriptoribus, ut de se atrox, & cruentum, funestius, ac terribilius, ex diuturnitate temporis appareret.

---

## CAPUT VII.

## *Decas VII. Sæculi XXIX.*

### *Ab anno* 2860. *ad* 2870.

2861.

Hoc anno, denunciatus superiore, utique parenti Sampson nascitur de Tribu Dan, Israëliticæ libertatis fortissimus vindex. Erat ejus sterilis mater, ex quâ tamen hunc Phanue suscepit, eâ lege, ut Nazareus esset, hoc est, vinum, & syceram non biberet, immundi nihil contrectaret, aleret comam. Tum etiam circumcisus dictus est Sampson, id est, *Sol Oriens*, vel quod tenebras servitutis in quibus natus erat (jam enim inchoarat servitus Philisthinorum anno superiori) discussurus esset; vel inter viros præstantes robore, quasi Sol inter sidera futurum esset, ut emicaret. *Nascitur Sampson.*

Eodem anno quo natus est puer futurus populi judex, Abesan è vivis abscessit, ut lacrymæ gaudiis, quod in hominum vitâ perpetuum est, conjungerentur. *Moritur Abesan.*

Hoc quoque anno & sequentibus usque ad annum octavum belli Trojani multa contigerunt quæ etsi in certos annos digeri non possunt, non debent tamen ignorari. *Apparatus belli Trojani usque ad præludia.*

Dum rapta est Helena, Dictys Cretensis negat Menelaum fuisse Spartæ; Dares Phrygius Menelaum incidisse scribit in Paridis Classem, dum ipse pergit Pylum ad Nestorem, ignarum quò, & quorsum illa veniret. Ubi ergò Rex Spartam rediit, accepitque cladem suam, ac dedecus, convocavit vicinos Reges omnes, ut quid opus esset facto statuerent. Mittendos ad Priamum legatos putarunt, & hac legatione perfuncti sunt Ulysses, Palamedes, & cujus maximè intererat Menelaus. Helena tum in concionem Trojæ advocata fuisse dicitur, & eligere jussa quem vellet; sed tum mulier nequam, formosum Paridem suo anteposuit Menelao, & minùs cum vetere marito sibi convenire petulanter asseruit. Nihilominus decretum in Trojanos bellum communi Græcorum consensu, dictus expeditionis hujus Imperator Agamemnon, Aulis Bœotiæ delecta, in quam omnes

omnes convenirent. Ibi juratum est ab omnibus se finem huic non imposituros bello, nisi Trojam, & Trojanum imperium evertissent.
*Ulysses simulans insaniam.* Verùm statim non est expeditio suscepta. Ulysses enim Ithacæ & Dulichii Insularum Rex simulabat amentiam, junctisque ad aratrum diversis duobus jumentis, arabat littus, & in eo salem ridiculè seminabat; sed objecto inter sulcos filio cum aratrum extulisset, eum sapere Palamedes docuit, & renitentem traxit ad bellum.
*Achilles detectus.* Ulysses ipse vicissim Achillem inter Lycomedis filias, in habitu muliebri delitescentem detexit, armis objectis viro forti, ad quorum aspectum, qualem hunc voluerat esse mater Thetys oblitus est, & se Achillem probavit. Herculis quoque sagittas idem Ulysses à Philoterâ obtinuit, Trojæ perdendæ fatales.
*Numerus navium.* Tandem in Aulidem convenerunt mille ducentæ nonaginta quinque, ut vult Dictys, ut Dares, mille ducentæ quadraginta naves, sub ducibus quinque, & nonaginta. In hoc potu substituerunt anno ferè toto, dum venti adversi spirant, dum Ulysses pergit Mycenas ad Clytemnestram, abducturus Iphigeniam filiam Agamemnonis, verbo ad Achillis nuptias,
*Iphigenia mactanda.* reverâ ut pro salute Classis mactaretur. Sed in sacrificandæ Virginis locum à Minervâ supposita est cerva, ipsa in Tauricam Chersonesum delata facta est Sacerdos, quæ ejusdem Deæ feralibus præesset sacrificiis. Tum ventis reddi-
*Telephus Mysiæ Rex.* tis profecta Græcorum Classis, primùm appulit in Mysiam, ubi Telephus armis prohibens in Mysiam, ubi Telephus armis prohibens exscensionem, ab Achille vulneratus hastâ eadem hastâ ab amico admotâ sanatus est. Exinde Classis in Bœtiam redire compulsa, ut hîc hyemaret, & opperiretur idoneam tempestatem. Deus immortalis, quot periculis ad majora pericula homines ultionis amantiores pervenere?

2867.

*Elon judex Hebræorum.* Abesano judici successit Elon, aliter Ajalon prætermissus ab Eusebio, contra sacrorum Codicum fidem, qui ejus annos decem in Josue annos refudit. Hunc enim populo præfuisse ait annis viginti septem, pro septemdecim, quos ei Deus assignat, insigni planè flagitio, & quod hominem sapiat Adrianum.

2868.

*Græci contra Trojanos pugnare incipiunt.* Hoc anno, ut arbitror, Græci appulerunt ad Tenedon insulam, eamque fœdè vastarunt. Inde proficiscuntur ad Sigæum, ibique dum exscendunt vel ab Æneâ, vel ab Hectore Protesilaus occiditur, nomine suo, suum præferens fatum. Is Iphiti filius erat, admonitusque à vatibus, ejus primùm sanguine Troadis solum in-
*Mors Protesilai.* tingendum esse, pluris gloriam fecerat, quàm vitam. Hujus mortem cum accepisset uxor Laodamia, Acasti filia, id optavit unum à Diis, ut conjugis sui umbram posset intueri; voti facta compos inter Vanos hujus umbræ complexus expiravit, digna non meliori conjuge, sed fortunatiore.

*Vulnera[tur] Æne[as].* Tum quoque periculum Æneas adiit à Diomede vulneratus, & ab eo confectus esset, nisi se Venus interposuisset, & nubem, suoque vulnere filii mortem redemisset.

*Achillis [&] Agamem[nonis dis]cordia.* Græcorum nihilominus res male procedebant, quos inter se mulierculæ captivæ, ac pellices distraxerunt, usque adeò cognata sunt & amare, & malè administrare bellum. Achilli Briseidem suam rapuerat Agamemnon, Chryseidem suam peste, & minis Apollinis dimittere, & patri Sacerdoti reddere coactus. Ab hoc tempore vir bellicosus, in armis visus non erat. Quare audentiores facti Trojani Classem Græcorum
*Patrocl[us] caditur.* Hectore duce conantur incendere: Patroclus amicus Achillis, ejus armis indutus, illos reprimere molitus, ostendit arma Achillis, Achillis non tractata manu, Achillis non esse. Congredi enim ausus cum Hectore, & vitam, & amici sui arma perdidit.

*Hector interfic[i]tur.* Dolor ex amici morte susceptus, & ulciscendi cupiditas Achillem castris reddidit; qui novis à matre Thetyde receptis armis Hectorem occidit, & circum muros urbis, religatum ad currum raptavit, non satis Achillis digno furore, in demortuum cadaver Barbari eo ritu sæviente.

*Palam[edes] ab Ulys[se] circum[ve]nitur.* Eodem tempore cùm propter olim detectam insaniam, tum ob præsentem frumentationem Ulysses in Palamedem odii sui virus evomuit. Hunc enim virum fortem, & industrium vocavit in suspicionem proditionis, confectâ ad eum Priami Epistolâ, in qua auri submissi mentionem faciebat. Quod cum Ulysses clam in ejus tabernaculum defodiendum curasset, & quasi eum defensurus petiisset, ut Græci contemptis hostilibus literis tentorium Palamedis scrutarentur, invento auro refossoque, eum lapidibus obruendum curavit. Is Nauplii Regis filius erat eximii vir ingenii, qui primus ostenderat militi ecclipses Solis, & Lunæ nihil reformidandas esse, castrensem insuper disciplinam excubiis, ordinibusque contentam docuerat, Gruibus magistris usos, à quibus hanc bellicam artem didicerat. Ita Græci cum Trojanis ferro, secum invicem odiis disceptabant, & Trojana res, atque Græca prosperam inter & adversam fortunam, quam pariebant virtus, aut odium, fluctuabant.

2869.

*Rhæsu[s] & Pen[the]silea [...] duntu[r].* Nono belli Trojani anno adveniens in auxilium Priami ex Thraciâ Rhæsus ab Ulysse, atque Diomede perimitur, antequam ejus equi bibissent ex fluvio Xantho, seu Scamandro, quod erat ipsi, Trojanisq; fatale. Adfuit & paulò post Pentesilea Amazon cum lectissimis copiis; sed hæc ab Achille cæsâ, à Diomede in Scamandrum præcipitatâ, omnes ejus turmæ, quasi hæc in omni-
*Titho[nus] rem T[ro]janam [re]stitui[t] [...] caditu[r].* bus suis viveret, internecione occiderunt. Actû erat tum de Trojanis nisi Memnon filius Tithoni præfecti in Perside, nomine Regis Assyriorum, cum magno exercitu Indorum, & Æthiopum, res eorum afflictas, ac propè jacentes erexisset. Is rem Græcorum in eas angustias compulit, ut jam illi diffiderent rebus suis, & vinci se posse crederent. Verum cum Tithonus ab Ajace Telamonio vulneratus esset, & ab Achille supervenien-
te ha-

te haſtâ transverberatus, Indos & Æthiopas ſuos Græcis concidendos reliquit. Acceſſit & Trojanis domeſtica clades: Troilus enim Priami fortiſſimus filius, & qui Hectoris locum occupare viſus erat, ab Achille interfectus reliquas ſpes Trojanorum accidit. Sic hoc anno Troja adeò labare cœpit, ſuis, & auxiliatorum viribus deſtituta, ut anno ſequenti facilè in ruinam impelleretur.

*Troilus interficitur.*

2870.

Paris, Hecubâ matre ſuadente, Achilli Polyxenam, quam deperibat offert uxorem. Audit Achilles Paridem, ingrediturque vir fortior, quàm prudentior Apollinis Tymbræi templum: Sed hic proditor collocarat inſidias in quibus cum Archilocho filio Neſtoris tantus Heros occiditur. Ejus arma Ulyſſi ceſſere, Ajace Telamonio fruſtra hæc ſibi depoſcente in publico Græcorum conſeſſu: ſicque viri fortis arma immeritò, vir eloquens obtinuit, pluriſque tum fuit dicere bene, quàm facere.

*Troja ἅλωσις.*

*Achillis caſi arma Ulyſſi ceſſere.*

Advenerat etiam eodem tempore Eurypylus Telephi filius ex Myſia cum lectiſſimis copiis, à Priamo Caſſandræ virginis fatidicæ nuptiis illectus; & Trojani ex proditione ſuâ, adventuque novi ſocii ſperabant omnia, cum ſuperveniens in caſtra Græcorum Pyrrhus, ſeu Neoptolemus, iterum ſpes eorum ſubvertit. Adeò Trojæ metuendus erat Achillis ſanguis, ut in ejus filio vix adulto metueretur. Neque verò vanus Trojanorum metus fuit: Pyrrhus enim non ita multò poſt in acie interemit Eurypylum, ejuſque primum belli rudimentum magna victoria extitit. Depoſcebat inſuper ad necem idem Neoptolemus Paridem, belli hujus teterrimi cauſam; ſed debebatur ille Herculis jaculo, quo à Philoctete confoſſus eſt.

*Pyrrhus rem Græcorum reſtituit.*

*Paris à Philoctete conficitur.*

Sublato Paride, ſperabatur certiſſima pax; at Deiphobi libido, ejuſque patris mollities eam diſcuſſerunt. Helenam enim temerarius juvenis duxit uxorem; has nuptias improbante quidem Priamo, ſed impedire non auſo. Quia tamen pertæſi malorum pacem optabant omnes, ſubmiſſi ſunt Æneas & Antenor, ut eam conciliare niterentur. Verùm hi ex fecialibus facti ſunt proditores; & quia patriam ſervare ſe non poſſe intelligebant, à ſene timido, & juvene præcipiti adminiſtratam, rebus ſuis privatim conſulere decreverunt ambo, quaſi in publico naufragio. Initur ergo fœdus infidum Græcos inter & Trojanos; hi Helenam redderent, aurique pondus ingens, & magnam frumenti copiam; illi placati animi monimentum equum ligneum Palladi in urbe conſecrarent. Verùm tam ingentem eum ædificarunt, ut non per portam urbis, ſed per labefactati muri ruinam tantùm induci poſſet.

*Deiphobus Helenam nubit.*

*Æneas & Antenor Græcis urbem produnt.*

Ulyſſes interea artifices omnes Trojanos accerſit ſapienter, qui reficerent naves, ne iis poſt urbem captam cæſis in Trojano littore hærere Græci cogerentur. Hoc induciarum tempore Antenor deponit in manibus Diomedis Palladium (ſimulacrum id erat exiguum Palladis perantiquum, lapſum de cœlo, aut ut quidam volunt factum ex oſſibus Pelopis, quo urbis fata continebantur, huic erat alligata incolumitas Trojæ) reliqui proceres aurum, frumentumque repræſentant, equus ſacer in urbem per muri labem immittitur, ut Poëtæ volunt, etiam fœtus armatis. Putant tamen nonnulli, Trojam vi captam eſſe, ejuſque muros dirutos eſſe à Græcis bellico inſtrumento qui poſtea Aries appellatus eſt, tum Equus dicebatur. Verùm exponere cogimur fortè, non quod hîc geſtum eſt, ſed quod multi ſcripſere.

*Palladium*

Græci ſub veſperam naves repetere ſimulant; magna pars noctis à Trojanis ſolutis metu inter choreas epulaſque traducitur; iis tandem dormientibus, ſecuriſque, Sinon relictus in urbe dat ſuis ſignum accenſâ face; illi ſtatim adſunt, ſubeunt armati patentem urbem, & in eam ferro flammiſque ſæviunt. Adhibent tamen prius cuſtodes, qui domos Æneæ, & Antenoris incolumes præſtent reliquæ diripiuntur, & incenduntur; obvii ſine diſcrimine armati, inermeſque jugulantur. Antenor Neoptolemum inducit in Regiam, ubi Priamus ejuſque filius Polites conficiuntur. Interea Helena ſuum evocarat Menelaum; is interceptum Deiphobum, auribus naſoque mutilatum inter ſummos cruciatus enecat; non poterat ſcelerata mulier, niſi ſcelere, marito ſuo reconciliari.

*Troja capitur, diripitur, incenditur.*

Ubi dies illuxit conſultatum quid iis ageretur, qui ad Deorum templa confugiſſent, & prenſaſſent aras; decretum ut abducerentur omnes, atque necarentur; uſque adeò cupiditas ultionis in Græcis Religionem omnem extinxerat. Tum diſtributa præda; ſine ſorte reddita ſuo Menelao Helena; data item ἄκληρος Pyrrho Polyxena, ut ad tumulum Achillis, cui cauſa necis extiterat, mactaretur; quo etiam tempore volunt præcipitatum è turre Aſtyanactum Hectoris filium periiſſe: nam ſervatum divinitùs & poſtea dictum Francum fabula eſt, etiam à Francis irriſa. Tum ductæ ſortes; Caſſandra Agamemnoni, Andromache Neoptolemo, Hecuba Ulyſſi obtigerunt. Hæc tamen dum aſſiduis conviciis furioſa Græcos impetit, ab iiſdem eſt obruta lapidibus, ideò à Poëtis in canem mutata fingitur. Palladium quoque Ulyſſes ſibi vindicavit, reclamante, de more, Ajace; cùm is ſequenti die mortuus inventus eſſet, ne necis ejus accuſaretur Ulyſſes, fugit relicto apud Diomedem Palladio. Quidam addunt & cæſum ab eo Orſilochum filium Idomenei, in diviſione prædæ ſibi adverſantem. Sic ille oblitus Trojanorum, & Græcorum ſanguine, fugit, erro miſerabilis diuturno maris aſpectu, tot cædes purgaturus. Ita bellum Trojanum urbis nobiliſſimæ incendio, & excidio terminatum eſt; ſale inſuper aſperſo ſolo, ne locus unquam incoleretur. Cæſi eſſe perhibentur ex Græcis octingenta octoginta ſex millia; & Trojanis ante captam urbem ſexcenta ſeptuaginta ſex millia; Inſanis planè victoribus, & victis, qui propter mulierem impudicam, & libidinoſum raptorem tot hominum millia perdiderunt.

*Dividitur præda.*

*Fugit Ulyſſes.*

Sed

*Æneas & Antenor solum patrium coguntur deserere.*

Sed abeuntibus Græcis; Trojanos relictos inspiciamus. Æneæ iratus Agamemnon propter subductam, servatamque Polyxenam, Antenori reliquerat regnum, ut Æneas vicinis gentibus concitatis, id sibi vindicare conatus est; ideò inter proditores malè conveniunt. Solum itaque viribus inferior vertere cogitur Æneas, consccensisque navibus in Thraciam primùm appellit; ubi casum Polydori discit quem Rex Polymnestor, ut ejus auro frueretur obtruncarat, fide Priamo, diisque violatâ. Interea Antenor, à suis quoque ob proditionem neglectus, & illusus, reliquit patriam, & cum Henetis in intimo sinus Hadriani recessu Patavium condidit, sociosque Paphlagonas pro Henetis Venetos dixit. Sic qui prodiderant ambo patriam ut in ea consisterent, ab ea discedere compulsi sunt ambo. Neque unquam proditio molientibus, sed tantùm utentibus profuit.

## CAPUT VIII.

### *Decas VIII. Sæculi XXIX.*

#### *Ab anno* 2870. *ad* 2880.

2871.

*Græcorum naufragium.*

FUit hic annus Græcorum in patriam infortunato reditu calamitosissimus. Nauplius enim in Eubœa Rex ulturus filii sui Palamedis necem, in Caphareo monte ignes incendit, quibus quasi Pharo illecti Græci, navibus impactis in Scopulos, & brevia, fœdum passi sunt naufragium. Ubi tamen ultor ille miser intellexit abiisse, quos hoc facto maximè petebat Ulyssem, atque Diomedem, doloris impatientiâ, quod gratis iniquus extitisset, in mare se ex eodem Caphareo præcipitem dedit.

*Demophoon Rex Atheniensium, quam Phillidem ...*

Eodem anno Demophoon Thesei filius ex Phædra, dum redit ab expeditione Trojana, coortâ tempestate delatus est in Thraciam, ubi exceptus perhumaniter à Phyllide Lycurgi filia spe conjugii cum ea concubuit. Inde repetit Athenas, mortuoque Mnestheo in insula Melo, Rex ab Atheniensibus constituitur. Potitus regno oblitus est Phyllidis suæ perfidiosè, quæ doloris impatientia ex Amygdalo se suspendit; ut ostenderet amores præproperos, & præposteros sæpe desperatione terminari.

*Æneas venit in Siciliam.*

Æneas quoque emenso Ægæo mari, venit in Ionium, & in Siciliam appulit, ubi charissimum Patrem Anchisem amisit, filii pietate, quàm suâ virtute clariorem.

*Agamemnon interficitur ab Ægysto.*

Hoc denique anno Ægystus qui Clytemnestram Agamemnonis conjugem corruperat absente marito, eo reduce adulterio junxit homicidium. Magnum enim Imperatorem illum sui quiete post tot labores paratum cæcidit, consciâ & adnitente Clytemnestrâ, quæ juniorem maritum vetulo anteponebat. Eodem quoque ductu sublatus esset Orestes, nisi ab Electra sorore sua maturè subductus esset, & sapienter ablegatur: interea Ægystus partis scelere regno & conjuge potitus est. Nempe homini ex incœsto patris cum filia concubitu, incœstæ illæ, crudelesque nuptiæ debebantur.

2872.

*Abdon judex Hebræorum.*

Mortuo superiore anno Eloni, præfecturæ suæ decimo, hoc successit Abdon, Eusebio, & aliis eum secutis Labdon. De eo nihil scriptura memorat, nisi annos 12. quibus præfuit Israëli, & quadraginta ejus filios, nepotesque triginta. Quod autem quidam hunc fecere aut filium Elonis, aut servum, utrobique peccarunt: Nam Illelis filius dicitur Abdon Ephraimites, cùm Elon esset Zabulonius, nec pater & filius ad diversas tribus pertinere queant. Famulatus quoque ejusdem commentitius est non Scripturæ, non Josephi, non ullius probi autoris subnixus testimonio, & qui sapientiùs irridebitur, quàm credetur.

*Æneas appellit Latium & condit Lavinium.*

Eodem anno Æneas Laurentum appellit, & benè suscipitur à Latino cujus filiam Laviniam accipit uxorem. In hujus gratiam urbem Lavinium condit quasi futuram uxori dotem. Hanc autem struxit in eo loco ubi accensum ignem de se, ex Saltu Lupus congestâ materiâ, Aquila alarum plausu excitabat: Vulpes contra conabatur incendium restinguere cauda in vicino fluvio madefactâ, duoque uni prævaluerunt. Unde agnovit Æneas urbis hujus propagationem hominum aliquando invidiam superaturam, huic hominibus & superis allaborantibus. Lavinia porrò despôsata erat Turno Rutulorum Regi; sed denegata est indigenæ audaci, & præcipiti, ut peregrino sapienti, & moderato concederetur. Latinus enim novo non indigebat regno sed hærede optimo, & qui relictum sapienter administraret imperium.

2873.

*Turnus & Latinus cadunt.*

Turnus à Latino contemptus, adversus eum & Generum ejus bellum movet. Fortiter utrimque dimicatur; Turnus enim Latino probare voluit quem neglexisset, Æneas, quem elegisset. At judicii sui fructum Latinus non vidit, occidit enim in hoc bello cum Turno, cùm annis 35. regnasset. Æneas autem superstes inter senem, juvenemque medius, ostendit bella, nec juvenum furore, nec torpere senum satis commodè administrari.

*Regnat Æneas.*

2877.

*Moritur Æneas.*

Æneas bellum contra Tyrrhenos gerit, eorumque Regem Mezentium, impium hominem, atque truculentum, quem ab Ænea cæsum scribit Maro, sed Poëticè. Nam ad Numicum fluvium à Mezentio verè interfectus est Æneas, & à filio suo Ascanio inter Deos indigetes postea relatus. Ascanius cum hoste suo, fœdere prudenter composito, regnum annis duodequadraginta administravit; magno hujus regni bono, pace quàm bello melior.

*Ei succedit Ascanius.*

2878.

*Orestes matrem & Ægysthum interficit.*

Orestes ablegatus ab Electra sorore sua ad Strophium Phocensium principem, qui sororem Agamemnonis duxerat, inde rediens, consciâ eadem Electrâ, sub specie legatorum Phocensium mortem Orestis afferentium, intromissus ad Clytemnestram & Ægystum ostendit se vivere; nam utrumque interemit; Diis approbare visis hanc cædem, cùm ab hoc tempore Orestes annis septuaginta Mycenis regnarit.

Certè

Certè si diu homicida vivere non solet, multò minus matricida, Orestem absolvunt ab utroque crimine anni nonaginta & tanta vitæ diuturnitas.

2879.

*oritur bdon ccedit mson.* Hoc anno præfecturæ octavo obiit Abdon quem obscurare visus est Samson ejus successor; ad miraculum fortis, & qui majora verè præstitit, quàm fabulæ Herculi suis commentis affinxerunt.

2880.

*itia msonis.* Anno ætatis suæ vigesimo Samson constitutus à Deo Hebræorum judex in urbem Thamnata Philistinorum cum suis sociis venit, & hic virginem vidit, amavitque. Frustrà eum rogavere Parentes ne se Allophylorum nuptiis inquinaret, immò ab iis obtinuit ipse, ut eam petituri filio suo conjugem mox ad urbem descenderent. Ad vineas oppido conjunctas cùm pervenissent, recessit tantisper ab iis Samson, *nem dirpit.* incidítque in Leonem paratum ad prædam, in quem Deo plenus irruit, & manibus in frusta discerpsit. Per eandem viam cùm transiret post dies aliquot accessit ad locum ubi cadaver feræ reliquerat, & in ejus ore favum mellis invenit, quo inter eundem cum suis parentibus vescebatur. Inclinante in vesperum die celebratur convivium nuptiale, atque inter bellaria convivis triginta proposuit *nigma nsonis.* Ænigma de ***comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo***, eâ lege, ut si nullus ex convivis id dissolveret à singulis tunicam & indusium acciperet, si explicaret unus, ipse singulis idem præmium repræsentaret. Accepta conditio est: Sed cùm post dies aliquot omnibus hæreret aqua, minis extorserunt à sponsa, ut solutionem ænigmatis rescíret à marito; quod ubi obtinuit, indicavit illa popularibus suis, & præmium numerare convivis impulit. At ille versus Ascalonem digressus obvios triginta Philisthæos vitâ exuit atque vestibus, quas inter convivas distribuit. Iratus itaque uxori garrulæ, fallacique eam tantisper deseruit: at cùm ira deferbuisset, eaque dedisset amori locum, dum eam invisere parat exclusus est, atque alteri nupsisse didicit. Offerebatur ei quidem soror natu minor, sed illam parentesque despexit, grandem aliquam toti genti calamitatem interminatus. Neque verò vanæ fuerunt minæ. *ssesPhithæorum nburit.* Trecentas vulpeculas intercipit & centum quinquaginta faces parat, ac singulis ferarum paribus inter se fune ad caudas religatis unam adjungit facem: tum ignitum illum vulpecularum exercitum immittit in Philisthæorum jam maturas messes, quæ insuper & vineas & oliveta, & in villas ipsas incendia latè sparserunt. Accurrunt Philisthæi, difficiliter restingunt incendium, furore pleni ingrediuntur Thamnata, hicque socerum & uxorem Samsonis primos authores mali cum sua domo incendunt. Parabatur idem incendiario supplicium, at is irruit in accedentes tanto robore & audaciâ, ut ex iis mactaret multos, vulneraret plures, omnes in effusissimam fugam conjiceret, faterenturque unum hunc hominem esse suis exercitibus parem, adeoque superiorem. Ita maximo Philisthæorum damno Samson hoc anno suam auspicatus est præfecturam.

---

## CAP. IX.

## *Decas IX. Sæculi XXVIII.*

### *Ab anno* 2880. *ad* 2890.

2881.

Anno qui proximè secutus est accesserunt ad viros Juda Philisthæi interminati ultimam bonorum omnium vastitatem, nisi sibi vinctum Samsonem dederent, geminæ cladis authorem. Nihil ille vincula deprecatus est, sed ea ipse induit lubens, duplicique ligatus fune ad Philisthæos est perductus. Ad id spectaculum cùm plurimi accurrissent, ut opprobriis vexatum ad satietatem interimerent, repentè hic excussos funes abrupit arreptaque quæ fortè jacebat in campo Asini mandibulâ, ex spectatoribus illis mille mactavit, reliquis fugâ dissipatis. Porrò ex hujus maxillæ dente ad preces Samsonis fons erupit, quo ejus ardentissima sitis ex magno inter cædendum labore contracta extingueretur; & hic fons deinceps perennis fluxit tantæ victoriæ æternum monimentum, dictus voce patriâ *Henhakore* hoc est, *Fons invocantis de Maxilla.* *Samson mandibulâ Asini mille Philisthæos mactat.*

2882.

Ad hunc annum ἀλώσει duodecimum quidam Chronologi referunt Ulyssis errores quosdam ad Syrenas, ad Scyllam & Charybdim, & Siciliam, quo eum in præsentia deducemus, dicturi reliqua cum navigationum ejus exitum anno mundi 2895. inveniemus. *Ulyssis errores à Troade in Siciliam.*

Solvens Ulysses ex Troade statim tempestate delatus est ad oram Thracicam Ciconum: unde vix egressus ventis majoribus à Septentrione perflantibus delatus est ad Lotophagorum insulam Menyngem, unde Loto semper gustatâ socios suos ægerrimè detraxit. Hinc Græciam cogitans deflexit in Siciliam, ubi cum sociis duodecim Polyphemi speluncam ingressus, indidem effosso ei oculo quem unum gerebat in fronte cum sex tantùm sociis tectis ovium pellibus abscessit, reliquis à Cyclope mactatis immaniter, & crudeliùs devoratis. Inde profectus est in Æolias insulas, ubi ab Æolo ventos accepit in folle, quem socii dum imperitè aperiunt, rursus in Æolias insulas est rejectus, quarum tamen aditu, ingressuque prohibitus est. Inde ergò perrexit ad Læstrigonas humanâ victitantes carne circa Formias Campaniæ; à quibus in Latium ad Circeios, Circenque magam navigavit. Hæc socios ejus mutavit in feras, hoc est eos belluinis voluptatibus addixit, à quo vivendi genere eos ægrè abstraxit mulieri veneficæ ferro interminatus necem. Postea tamen eidem reconciliatus, nihilo sociis suis melior suscepit ex ea Telegonum, cui addunt aliqui Agrium, & Latinum. Hac relictâ venit ad insulas Syrenum, quarum blanditias, perniciosumque cantum, obturatis auribus cerâ, & alligatus ad malum navis, ut per vim quodammodo bonus esset,

esset, evitavit. Pertransitis inde solerter Scyllâ, & Charybdi non monstris sed voraginibus Italiæ, & Siciliæ periculosissimo situ adjacentibus, & ita dispositis, ut unâ vitatâ, prope necessarium sit in alteram incidere, Siculum attigit littus, ubi post annos tredecim illum resumemus & revehemus in patriam.

2885.

*Orestes ferè immolatus ab Iphigenia.* Circa hoc tempus fabulæ statuunt Orestis errores, quem cæsa mater nusquam consistere patiebatur. Post quæsitas frustrà totâ Græciâ purgationes venit in Tauricam, ubi ab Iphigenia sorore tantùm non immolatus est, more gentis. Pylades ejus comes erat & amicus, qui ab eo divelli numquam potuit; quare eorum amicitia theatris multùm splendoris attulit. Agnitam demum Iphigeniam cum Palladis imagine, cæso Thoante Rege, abduxerunt. Statuam hanc, *Diana Fascelis.* quia abdiderunt in fasce, deinceps dixere Fascelidem, & huic Iphigenia in Italiam delata in Arecino nemore statuit templum, cujus Sacerdotem Regem Nemorensem dixit, compul- *Rex Nemorensis.* sum cum obviis quibusque de Sacerdotio disceptare ferro. Quæ consuetudo, etiam post Christum viguit, ut iis præesset sacris plurium palmarum gladiator. Talis Sacerdos decebat crudelem Deam, oblitus semper sanguine decessoris.

*Samson portas urbis Gazæ suis humeris effert in montem.* Eodem anno, quinto suæ præfecturæ Samson ingressus Gazam, portis omnibus diligenter obseratis, ad vincula & necem destinatus à Philisthæis, concubiâ nocte, vi fores urbis effregit, & suis impositas humeris ambas cum postibus detulit in cacumen montis qui adjacebat viæ Hebronem ducenti, nemine auso resistere, aut vociferari, ne qui se ipsi objicerent, iisdem ipsis foribus, ab eodem opprimerentur.

2887.

Sicyoniorum regnum quod jam Hippolyto ultimo Regi ab Agamemnone ademptum erat, & Carnii Jovis Sacerdotibus utcunque relictum, hoc anno desiisse creditur, cum annis circiter mille stetisset. Hoc regnum antiquissimum Græciæ vulgò perhibetur, quod planè mirum in gente belli, & novarum rerum cupidâ, tandiu stetisse.

2890.

*Orestes Pyrrhum occidit.* Hoc anno Orestes ope Macarei Sacerdotis, in templo Apollinis Delphici Pyrrhum interfecit, quod repudiatâ Andromachâ, Hectoris primùm conjuge, mox suâ, eademque Heleno servo concessâ, rapuisset sibi desponsatam Hermionem filiam Helenæ atque Menelai, formosam in primis; & plurimùm de pulchritudine matris, nihil de moribus referentem; indignam planè quæ sacrilegio repeteretur.

## CAPUT X.

### *Decas X. Sæculi XXIX.*

*Ab anno* 2890. *ad* 2900.

2895.

*Reliqui errores Ulyssis.* Celebris est hic annus Ulyssis in patriam reditu cùm ab eversa Troja annis quinque supra viginti toto interno mari volitasset, & ut quidam putant externo, ubi Ulyssiponem ab eo conditam putant. Adeamus ergo hominem, ubi relictus est à nobis, in Siciliam. In hac insula tum Phaëtusa Solis greges pascebat, qui jugulati ab ejus sociis esurientibus quanquam id Dux severissimè prohibuisset, & huic & illis naufragium accersiit. In eo fractâ navi, ejus malo insidens, in Ogygiam insulam appulit, à Calipso, tecto, adeoque thalamo susceptus. Ex ea cùm liberos aliquot genuisset, jussu Jovis abire jussus, & emissus in Phæaciam, seu Corcyram navigavit, in cujus conspectu iterum naufragus objectâ sibi à Leucothoë tabulâ, incolumis ad littus enavit. Hic nudus inventus à Nausica Alcinoi filiâ, vestem accepit, quâ utcumque velatus deductus est ad Areten uxorem Alcinoi, cujus in gratiam cùm se ope Palladis, id est, suæ sapientiæ insinuasset, ab ea naves, & socios accepit, qui eum dormientem in Ithacam insulam deportarunt. Hîc mendici habitu, & cultu suam ingressus est domum occupatam à Procis, qui Penelopes ambiebant nuptias, dum eos mulier prudens juxta, atque casta deluderet. Ulysses autem pluribus insidiis appetitus tandem à subulco suo, & nutrice Euryclea cognitus, cæsis omnibus procis suæ Penelope redditus est. Admonitus tamen ab Oraculo sibi mortem imminere à filio in abditis vivebat locis, nec se facilè conspiciendum præbebat. Verum ab appellente Telegono, & patrem suum quærente spinâ venenosâ Trigoni Piscis trajectus interiit: vir post tot homicidia dignus mori diriori genere mortis; nisi parricidio, hoc est, propè suâ manu interiisset.

2899.

Is annus captivitate duplici Samsonis, cœcitate, atque obitu, tam famosus, quàm luctuosus fuit. Principio enim vir tantus, & tot palmarum Imperator à vili scortulo Dalila victus, subjugatusque, ita ei submisit sese, ut arcanum ei proderet suum, & ei proderet, quæ jam ter ipsum prodiderat, & tradiderat Philisthæis. Stupenda planè cœcitas, & unde constet etiam in viris sapientibus amori junctam esse semper insaniam. Rogata enim improba meretrix, & donis promissisque cumulata, ut ab eo, in quo sita esset ejus tanta fortitudo emungeret, bis eam, ac tertiò delusit, dissipatis qui cum comprehensuri venerant Philisthæis. Demum scelerata mulier, & callida precibus importunis, simulato furore, tempestivisque blanditiis effecit, ut indicaret stolidè, se capillatum, semper fortem & invictum fore, polito crine, imbecillum, & aliis hominibus parem. Idque statim demonstravit eventus. Cùm enim amatoriè dormientem illum in sinu suo ista totondisset; excitatus repentè excussusque spoliatum se divinitùs concesso robore miser intellexit. Captus enim faciliter ab hostibus, & nullo negotio excœcatus, in pristinum datus est contumeliosè, ut hîc farinam subigeret. Quidam etiam quasi admissarium equum reservatum volunt, ut Philisthæas fœminas iniret ad prolem invictam, & fortem aufe-

*Samson attonsus Dalila capitur excœcatus à Philisthæis.*

auferendam. Hoc videlicet reliquum erat ad ultimum opprobrium, ut tam fortis Heros quasi jumentum excœcatum, aut invalidum, ad sobolem reservaretur.

Samson cum capillis recuperat vires. Mensibus jam aliquot elapsis, cùm ejus capilli jam succrevissent, festus adfuit dies qui in urbem Gazam præcipuos quosque Philisthæorum accivit. Ibi sacris peractis de more, epulati sunt opiparè, & inter pocula Diis suis habuere gratias, quod adversarium tam formidolosum eis tradidissent. Tum Samsonem quoque ludentem, saltantemque, ut cœci ridiculè solent, spectare voluerunt, & ejus calamitate, & miseriis oblectari. Adfuit ille cum puero rectore oblitus polline ex molendino, & satis diu in domo perampla coram ter mille spectatoribus saltavit, & lusit, cum jam fatigatus videri posset, puerum rogavit ut eum ad columnas deduceret, quibus innitebatur domus, ut ad illas oppidò lassus inniteretur, & tantisper quiesceret. Sed eas utraque manu cùm prehendisset ambas, impetu tam valido concussit, ut eis incumbentem domum penitus subverteret, ejusque ruinâ tria hæc hominum millia florem gentis Philisthææ, & lumina communi secum ruinâ implicaret, & extingueret; morte ejus quàm victoriis hosti damnosiore. Vir nunquam laudandus satis, nisi se libidini vincendum permisisset, quod tamen crimen teterrimâ servitute, sexcentis opprobriis, ac demum spontaneâ morte, sed Deo inspirante, aditâ fortiter eluit. Hujus cadaver à Danitis contribulibus suis è ruderibus erutum, honorificè sepultum est, hostibus ejus & amicis, ex æquo virtutem ejus atque fortitudinem demirantibus.

2900.

Samsone mortuo, Heli Pontifex judiciali quoque potestate populum rexit. Judex bonus, sed malus pater, in cujus caput atque suum improbi filii perniciem accersierunt, sed cum ingenti totius populi clade conjunctam. Usque adeò nonnunquam regnum meliùs & feliciùs, quàm familia regitur, & administratur.

# LIBER VII.

## SÆCULUM MUNDI TRIGESIMUM.

### *Ab anno mundi* 2900. *ad* 3000.

## CAPUT I.

## PRIMA DECAS.

### *Ab anno* 2900. *ad* 2910.

2901.

[Na]scitur [Sa]muel. Crediderim hoc anno natum Samuelem ex Anna sterili matre, & pientissimâ. Hæc, Phenennæ æmulæ, multorum liberorum matris, opprobriis vexata, ab ipso Sacerdote, vel ejus famulo, in templo innocens, crapulam edormire jussa, obtinuit patientiâ suâ adversus homines, & religione in Deum, ut magni Prophetæ mater esset, atque Elcanæ marito viro bono filium daret cœli delicias, & quicum sæpe Deus sermocinaretur.

2902.

[As]canius [Al]bam [lo]ngam [con]dit. Ascanius hoc anno post annos triginta plenos à condito per Æneam Lavinio, Albam longam statuit in monte Albano. Dicta est porrò Alba ab omine Suis candidæ, quàm hic conditor cum triginta suculis albis invenit. Longa autem cognominata est, quòd in longum secundum montis clivum porrigeretur. In hanc urbem cùm deportati essent Dii Penates, & Patrii ex Lavinio, eodem ipsi, clausis foribus, mirabiliter redierunt, neque reportati illic unquam voluerunt consistere. Itaque Lavinium urbs servata est missis Albâ Sacerdotibus, & colonis; & tum Deos non sequi plerisque visum est indignissimum. Alba autem Romæ parens extitit; quando autem desierit, & ad filiam mater applicita sit suo tempore commemorabitur.

2904.

Samuel ablactatus ab Anna parente trimus puer oblatus est Heli Sacerdoti, ac sacrificio solemni consecratus Deo, relictusque Sacerdotum curæ, atque disciplinæ. Neque verò à fœmina vinci se passus est Deus: dedit enim ei ex Elcana marito tres alios filios, & filias duas: dum Phenennæ liberi, propter quos adversus Annam sterilem illa superbiùs insurrexerat, immatura morte sublati, in pœnis, muneribusque distribuendis Deum esse justissimum docuerunt. *Samuel trimus offertur Deo.*

## CAPUT II.

### Decas II. Sæculi XXX.

### *Ab anno* 2910. *ad* 2920.

2915.

HOC anno mortuus est Ascanius, aliter Julus dictus cùm annis duode-quadraginta *Moritur Ascanius*

ginta regnasset. Huic, teste Halicarnasseo (nam de hoc Livius tacere videtur) successit Sylvius Posthumus, Laviniæ filius, Ascanii ex patre frater, ita dictus quod in Sylvis eum peperisset mater, post humatum patrem. Enimverò prægnans Lavinia post Æneæ mortem insidias Ascanii verita, commiserat se Tyrrheno Regii pecoris magistro, cui plurimùm Latinus fidebat. Ille dominam suam in Sylvis, & filium ejus ibidem natum tam magnificè, quàm sapienter aluit. Cùm autem Ascanius in suspicionem vocaretur, quasi utrumq; sustulisset, Pastor utrumque repræsentavit populo, magnumque tumultum discussit. Ascanio autem mortuo Latini Sylvio regnum adjudicarunt; quod ex matre Reginâ suâ, is natus esset, Julio Ascanii filio Sacerdotium reliquerunt, & sacrorum curam, quæ diu in Julia familia stetit; quare Julio Cæsari Pontificatus ad Imperium gradus fuit.

*Sylvius Posthumus ei succedit.*

## CAPUT III.

## *Decas III. Sæculi XXX.*

### *Ab anno* 2920. *ad* 2930.

2921.

Circa hæc tempora contigisse videntur quæ de Samuele, & filiis Heli scriptura commemorat.

Erant Pontificis, & Judicis filii, Ophni, & Phinees ob geminam parentis authoritatem, quâ abutebantur ad omne nefas, maximè invisi. Eorum servi Heris iniquitate pares per vim, neque suo tempore, neque modo exigebant, quæ debebantur ex sacrificio: sic religiosos homines avertebant à templo, rebusque sacris, & pietatem quam in primis fovere debebant, extinguebant. Ophni autem, & Phinees libidinosi, atque turpes mulieribus templo sacris intemperantissimè abutebantur, suo, suorumque sacrilegio infames. Hæc cùm rescivisset pater (neque enim illiusmodi scelera diu occulta potuerunt esse) illos quidem increpuit verbis, sed leniùs quàm eorum culpa, & summi Judicis, atque Pontificis authoritas exigebat. Itaque vir de se bonus alioquin, admonetur à Deo per prophetam, magnaque ejus familiæ, ac propè imminens calamitas denunciatur.

*Improbitas filiorum Heli.*

Verùm ista monitio satis potens visa non est. Nocte enim concubiâ interpellatur à Deo Samuel semel, iterum, tertiùm, obsequioque suo promeritus cum Deo loqui, docetur Pontificis domui tantam in proximo cladem esse, ut qui eam audierit vehementi stupore percellatur. Ubi diluxit hoc Dei cum Samuele colloquium Heli judicem latere non potuit; ingenuè quod audierat adolescens exponit, accipit Heli, quo virum sanctum decebat modo, divinam increpationem atque minas, sed quia non adhibuit, parens indulgentior, sceleribus filiorum, medicinam prænunciatâ bis sibi clade, cum suis liberis involutus est, ut hoc exemplo parentes, vitique potentes intelligant, se eorum criminum reos esse, quæ cùm inhibere, & emendare possent, neglexerunt.

*Heli admonetur per Samuelem.*

## CAPUT IV.

## *Decas IV. Sæculi XXX.*

### *Ab anno* 2930. *ad* 2940.

2939.

HIC annus duplici Hebræorum clade, & Pontificis acerbâ morte fatalis fuit. Philisthæi enim, resumptis animis ex ea ruina, quâ Samson primarios hujus gentis secum involverat, in Hebræorum agros irruperunt, quibus occurrentes Israëlitæ, vix hoste conspecto fugerunt, & in fuga quatuor hominum millia inhonorâ clade perdiderunt. Ubi victi ægrè, in sua redierunt castra, habito inter Principes Tribuum consilio, cladis hujus causam exquirunt, alia occurrit nulla, nisi quòd iis defuisset Deus, quem arguere videbantur: quasi verò idololatris, desertoribus, sceleratis deberet auxilium. Eum itaque, ad suppetias ferendas sibi, prope invitum compellere volunt; accersunt Arcam ex Silo, sicque Deum secum militare cogunt. Committitur illa duobus filiis Heli, ad arma quàm ad sacra magis idoneis, ut eam si minùs religiosè, saltem fortiter tuerentur. Ad Arcæ auditionem trepidavere Philisthæi, quasi Deo Hebræorum impares; sed demùm ex desperatione collegerunt animos, parati mori, vel vincere. Et re verà vincunt, Hebræorum triginta millia cædunt, & inter reliquos, Ophni & Phinees Arcæ custodes fortissimè depugnantes. Sic Arca venit in Allophylorum manus, quoniam sic crimina Sacerdotum exigebant; & Deus ignorari, contemnique ab idololatris, quàm agnosci, & adorari ab impiis Sacerdotibus maluit. Nuncius tantæ calamitatis cùm ad Heli delatus esset in Silo, sic eo perculsus est, ut ex sella, in qua sedebat, retro supinusque caderet, & sibi cervicem decrepitus senex ad murum elideret. Nurus ejus uxor Phinees, ex nimio dolore immaturo partu soluta est, totâ hac familiâ luctu necibusque completâ: ut illa domus quo Deo propinquior esset, furorem ejus, atque justitiam potentiùs experiretur.

*Philisthæi invadunt Hebræos, & vincunt.*

*Vincunt iterum Hebræi, & Arca capitur.*

*Moritur Heli.*

2940.

In tanta perturbatione rerum, & quæ ob scelera principum contigerat, cui se tutius committerent Israëlitæ, quàm Samueli viro sanctissimo, & quem Deus colloquio, & amore dignabatur. Achitob tamen tum putatur unctus fuisse Pontifex, qui, quia totus pendebat à Samuele, mirum de eo in sacris literis silentium. Samuel autem, quâ pollebat apud Deum authoritate precibus suis victores Philisthæos avertit; qui, si tum uti victoriâ voluissent, Hebræorum res hoc motu labefactata corruebat. Virum sanctum tum habuisse præpositum, Israëlitis una causa salutis fuit.

*Samuel judex populi*

Interea potiti Arcâ Philisthæi, eam in Templum Dagonis, Azotum perduxerunt, ut eam quasi captivam Deo suo submitterent. Sed inanem illum Deum, verus Deus ex Arca afflixit humi; mox erectum ac suo repositum loco capite

*Arca mulct... Dagon & Philisthæos*

pite manibusque mutilavit, quæ in templi limine ſunt abjecta. Quare factum ut deinceps Azotii limen templi ſui pedibus non calcarent, ſed in id ſaltu tantùm ingrederentur. Præterea ad Dagonis quoque cultores pervaſit malum: nam anu tumente, ac turpiter defluente, tam ignominioſo, quàm atroci afflati ſunt morbo, & qui ſimul præſentis impietatis, & præteritæ libidinis pœna eſſet. Mures etiam eorum fruges ſegetesque depaſti, ſuperſtitibus famem acerbiorem morte interminabantur. Et quò latiùs ſpargeretur malum, Satrapæ ineptum ſuſcepere conſilium, ut per omnes Philiſthæorum urbes Arca circumduceretur; donec tandem omnes afflati lue, omnes experti damna, & meritas ſe dediſſe pœnas, & ſe indignos Arcæ contubernio, faterentur. Eam itaque cum muneribus, hoc eſt anulis quinque aureis, & totidem muribus ex auro, ſecundum Satrapiarum numerum impoſuerunt plauſtro, quod vaccis vitulos nuper enixis permiſerunt. At illæ nihil moratæ vitulorum queſtus, recta Bethſamen perrexerunt in Leviticam urbem, ubi ritè locaretur, & acquieſceret. Hic peracto ſacrificio ex bobus atque plauſtro Philiſthæi Sacerdotes, ad ſuos magno periculo perfunctos rediere.

*…ethſami… puniun…tur.* Neque melior fermè Bethſamitarum conditio fuit, quàm Philiſthæorum. Auſi enim Arcam audaciùs introſpicere, ut viderent quid ſublatum, quid poſitum eſſet ab hoſtibus, immò & fortaſſis parùm ſanctè contrectare, ſeptuaginta millia interierunt. Tanti ſtetit Philiſthæis, & Hebræis Arcam parum religioſè cepiſſe, atque recepiſſe.

## CAPUT V.

## *Decas V. Sæculi XXX.*

### *Ab anno* 2940. *ad* 2950.

2941.

*…rca in …ariathiarim …aberna…ulum in …obe.* NON ſatis tamen tuta videbatur apud Bethſamitas Arca, quanquam ipſa ſe Majeſtate ſuâ inflictisque pœnis tutabatur. Itaque translata eſt ad urbem munitam, & firmam Cariathiarim, huicque ſervandæ Eleazarus Abinadabi filius Levites præficitur. Ab eo tempore deſerta urbs Silo; maximè cùm indidem quoque deportatum eſſet Tabernaculum, & in urbem Nobe advectum; ut multæ urbes religioſi hujus Choragii aſpectu conſecrarentur.

2944.

*…neas …ylvius …at. Rex 3.* Sylvius Poſthumus cùm annis unde triginta regnaſſet Albæ, locum dedit Æneæ Sylvio, de quo ſilente Dionyſio Halicarnaſſenſi, tacere juvat.

2948.

*…oritur …reſtes.* Oreſte mortuo, regnarunt Mycenis Tiſamenus, & Penthilus ejus filii, qui in tempora difficilima inciderunt, & ab Heraclidis pulſi, alios quoque de ſuis ſedibus expulerunt; Græciâ univerſâ his motibus concuſſâ, dum omnes inferunt, & accipiunt injuriam.



2950.

Hoc anno natus eſt ex Iſai, ſeu Jeſſe, David, quem acceptiſſimum Deo, appellaſſe, laudaſſe eſt. *David naſcitur.*

## CAPUT VI.

## *Decas VI. Sæculi XXX.*

### *Ab anno* 2950. *ad* 2960.

2951.

HEraclidæ ducibus & authoribus tribus filiis Ariſtomachi Temeno, ſeu Temene, Cteſphonte, & Ariſtodemo, annis octoginta ab everſa Troja Peloponneſum majoribus ſuis debitam, & ſæpe fruſtrà tentatam aggredi moliuntur. Dum tamen Claſſem ad Naupactum parant, Ariſtodemus, aut fulminis ictu, aut dolo propinquorum Tiſameni, qui hoc bello maximè petebatur, interiit. Sed ejus locum ſtatim implevere filii Procles & Euryſthenes, ex Argiâ ſuſcepti. Omnes illi τριόφθαλμον ex oraculo Delphico adhibere juſſi principem expeditionis ſuæ, inciderunt in luſcum cui Oxylo nomen erat, vectum mulo, natione Ætolo, cui Elidem laborum præmium polliciti ſunt. Hujus ductu colonis veteribus ejectis, præter Arcadas locorum & montium aſperitate fretos Peloponneſo potiuntur. Temeni Argolis obvenit, Cteſphonti Meſſenia, Oxylo promiſſa Elis, Laconia filiis Ariſtodemi. Quorum regnorum initia commodius in annum ſequentem rejiciuntur. *Heraclidarum reditus.*

Eodem anno Æolica eſt ſuſcepta migratio duce Penthylo Oreſtis filio Notho, qui Laconiâ expulſus cum ſuis Æolibus navigavit in Thraciam: ubi cùm fato functus eſſet, comites ejus nihil deſponderunt animos, ſed eam partem Aſiæ quam cogitarant, occuparunt; quæ Æolis exinde dicta eſt ab Æolibus illis veteribus accolis Laconiæ, in occupata ſede, quàm in relicta notioribus. *Æolica migratio.*

2952.

Ex hoc anno procedunt initia Regum Spartanorum Proclis & Euryſthenis, quorum familiæ diu in Laconia regnavere ſub nomine Proclidarum & Euryſthenidarum, mirabili, & inauditâ concordiâ, quia abrupta non eſt cupiditate regnandi. *Regnum Spartanum Proclis & Euryſthenis.*

Eodem quoque anno Aletes Hippotæ filius, Herculis abnepos Corinthiorum regnum occupavit, plebs auſa reſiſtere ſuis ejecta ſedibus; Reges Doridas & Hyanthidas, ſponte cedentes regno, hic privati divites quietique vixerunt, ultimi Siſyphiorum, & duo ſimul regnantes. Adeò regnis familiisque fatale principes rectoresque duplicari. *Regnum Corinthiorum Aletis.*

2953.

Thymetes Athenienſium Rex jam annos 36. propter ignaviam regnum ac vitam perdidit. Agebatur de urbe Oenoë quam ſibi vindicabant Bœotii, eorumque Rex Xanthus ſingulari certamine hanc controverſiam dirimi volebat; Sed refu- *Melanthus regnat Athenis.*

refugiebat Thymetes, magno Atheniensium probro. Melanthus Andropompi filius origine Pylius, spe regni, conditionem accepit, & Xanthum victor interemit. Quare Rex dictus, Athenienses annis novem sapienter rexit, & Jonas expulsos excepit, non ignarus mali, miseris doctus succurrere.

*Ejecti Iones ab Atheniensibus suscepti.*

Hoc enim anno Tisamenus alter filiorum Orestis, depulsus ab Heraclidis, Achaiam invasit (ea est propriè dicta Achaia) & inde Jonas seu Ægialeos fugavit; Hi confugere in Atticam, Athenisque benignè suscepti sunt à Melantho, peregrini à peregrino. Tisamenus autem expeditionis fructu, & victoriâ usus non est, nam in acie cecidit, beatosque socios ipse infortunatissimus reliquit, tum dignissimus imperio, quando id cum vita perdidit.

2954.

*Comitia populi Hebræi in Maspha.*

Hoc anno Samuel publica gentis Hebrææ Comitia celebravit in Maspha, ut ejus libertati salutique prospiceret. In iis Judex pius, & sapiens aperuit Israëlitis malorum omnium causam, quod videlicet cultum veri Numinis reliquissent, ut superstitiones Syrorum sequerentur. Illi malis domiti, & cladibus, detestari se ex animo idola docuerunt, jejunio, lachrymis, & effusâ coram Deo aquâ pœnitentiam professi. Hos sic affectos per sacrificium Deo reconciliavit Samuel, Deo & populo propter sanctitatem, & justitiam acceptissimus, & quasi inter utrumque interjectus, ac medius. Et ratum esse fœdus statim ostendit eventus. Cum enim audivissent Philisthæi Hebræos convenisse, de libertate recuperanda cogitasse rati, in eos arma irruerunt, ferro flammâque de more sævituri. Sed Deus & populus erga se invicem aliter tum affecti erant. Itaque cum Samuel in vicino lapide raptim obtulisset Agnum, idque totum combussisset, illico Deus suis fœderatis adfuit, immisit hostibus terrorem tantum, ut tumultuosissimâ fugâ dissiparentur. Inditus quoque eodem tempore Hebræis animus, qui effusos palantesque ad satietatem cæciderunt. Redeuntes cum spoliis, & gloria, ut se gratos exhiberent Deo, & huic uni victoriam adscriberent, locum ubi arserat holocaustum *lapidem adjutorii* vocaverunt; ut hunc deinceps Hebræorum appellaret nemo, quin accepti beneficii recordaretur. Hæc autem victoria sic Philisthæos compressit, tantusque à Samuele metus hos ἀλλοφύλους incessit, ut quandiu vixit ille, populum invadere reformidarent, viro subnixum, cujus expeditionibus atque consiliis Deus ipse præesse videretur.

*Victoria Samuelis de Philisthæis.*

1956.

*Filii Samuelis malè populum judicant.*

Samuel tum populo filios suos præficit, tanto parente indignos, & in reddendis judiciis pecuniâ, muneribusque turpiter labefactatos. Eorum scelera, & sordes in patrem innocentissimum, & sanctissimum recidere, cumque suâ spoliavere dignitate, populo ob eorum improbitatem maximè Regem exoptante. Sic plerumque magnis viris fœcunditas nocuit.

2960.

*Israëlitæ petunt Regem.*

Hoc anno Israëlitæ permoti exemplo vicinarum gentium Regem sibi dari à Samuele petunt, qui eos ad bellum deducat, qui aggrediatur hostes, qui populum ab hostibus fortitudine sua incolumes præstet. Frustrà proponit eis damna, & incommoda μοναρχίας, sive νομίμως, sive τυραννικῶς exerceatur, ita postulant, ut extorquere velle videantur. Regem igitur impetrant, & à Deo, & à Samuele invitis, ac repugnantibus. Immò consolatur ipse Deus Samuelem, quòd abjiciatur à populo, qui nec Deum rectorem, nec virum bonum judicem ferre potuerat.

---

## CAPUT VII.

## *Decas VII. Sæculi XXX.*

### *Ab anno 2960. ad 2970.*

2961.

*Destinatur Saul ad Regnum.*

Saul dum parentis Asinas quærit, regnum invenit. Divertens enim ad Samuelem, ut eum de perditis jumentis interroget, ab eo excipitur convivio, & hospitio, ac sequenti die clanculùm sacro inungitur oleo. Hac unctione animum regium, & prudentiam accipit, & ponit mores, & indolem hominis privati. Redit in patriam Gabaa, & incidit in Prophetas, quibuscum ipse divino repente afflatus spiritu vaticinatur, & gratias habet Numini. Rex videlicet constitutus à Deo imperium, à religione atque pietate debuit auspicari.

2962.

*Rex eligitur Saul comitiis.*

Comitia Regni in Maspha Samuel sapienter indicit, in quibus Saul Rex publicè diceretur, & agnosceretur. Sorte ergo ductus, cùm populo propositus esset, dignus visus est qui ab ipso Deo electus esset. Ut enim princeps suprà subditos dignitate assurgit, sic toto capite suprà reliquos Hebræos Saul eminebat. Nihilominus contemptus est à nonnullis, quibus ex iniquitate judicii nihil placere solet; at pluribus placuit, sicque publicè Rex inunctus est. In iisdem comitiis Samuel coram rege administrationis suæ rationem reddere voluit, paratus satisfacere, si cui fecisset injuriam. Cùm adesset nemo qui de eo quereretur, vicissim de iis questus est, quòd immerens, & de omnibus meritus benè, turpiter abdicatus, & exauthoratus esset. Hanc tamen ipse populo condonavit injuriam, inferenti quàm accipienti perniciosiorem, cùm ille ex Theocratico statu ad Regium, hic ex negotio ad otium translatus esset.

2963.

*Saul Ammonitas vicit, & Jabesitas liberat.*

Quamquam adhuc precariò Saul regnare videretur; exorto Ammonitico bello, & Jabesitis obsessis auxilium implorantibus, sese fortissimum præbuit, & dignum qui Hebræis imperaret: conscissis enim bobus suis (tum enim Regibus & magnis viris stivam tractare, & agrum colere

colere indecorum non erat) & inter omnes Iſraëlitas diſtributis, univerſos ad arma vocat, interminatus iis qui non adeſſent parem bobus ſuis cædem, & lanienam. Ex illâ denunciatione metus is populum inceſſit, ut ſtatim in armis eſſet, Regemque trans Jordanem ſequeretur. Hîc cùm Saul hoſtes grandi coronâ implicuiſſet (habebat enim ſub ſignis trecenta triginta millia bellatorum) nocte concubiâ eos aggreſſus cum lectiſſimis copiis, ita concidit, ut hoſte penitùs debellato totam Ammonitin nemine repugnante vaſtaret. Hanc repoſuit cladem ſuperbis hoſtibus, qui Jabeſitas in deditione accipere nollent niſi oculis dextris effoſſis, uti qui deinceps Clypeo uti non poſſent, nec ſe adverſus impotentes dominos defendere. Hæc victoria Sauli firmavit imperium, quæſitis iis qui antè reclamaſſent, & iiſdem iniquitatem judicii ſui pudore, atque taciturnitate fatentibus.

2964.

*[Sa]ul & [Jo]nathas [Ph]iliſthæos [vincu]lent.* Saul aſſumit ſibi turmam prætorianorum militum ex tribus millibus armatorum, hoc præſidio munitus, & ſuis auguſtior, & hoſti formidoloſior fuit. Filius Saulis Jonathas ut dignum ſe Rege parente præberet, hoſtile præſidium aggreditur, & dejecit ex Gabaa Benjamin; id erat hoſti fortiſſimo, & pugnare paratiſſimo bellum indicere, qui ſtatim laceſſitus adfuit. Sed longè paratior erat, qui reponebat, quàm qui inferebat bellum. Immò ex paucis qui aderant cum Saule copiis, jam plerique diffluxerant, reliqui tantum erant ſexcenti imparati & inermes, ac niſi Deus adeſſet certisſima expectabatur clades. Quin nec ille placari poterat abſente Samuele, cujus duntaxat oblatum manu, gratum erat cœlo ſacrificium. His anguſtiis patientia tum boni Regis tentabatur, in quâ retinendâ ſatis conſtans non fuit. Enimverò non expectato Samuele per Pontificem holocauſtum Saul offerri juſſit; quo vix peracto Samuel diu expectatus apparuit à quo Rex graviter correptus eſt, adhibitis etiam de adimendo Regno minis, quas tamen obſequio, & religione poterat avertere. Samuel tamen Regem afflictum, turbatumque deſerendum non putavit, ſed eum cum copiis in locum munitum deduxit, à Deo certum expectans auxilium. Id per Jonathã nõ ita multò poſt adfuit. Hîc enim impellente Numine ſub auroram ingreſſus hoſtium Caſtra, per locum ubi pedibus, & manibus reptandum erat, eos ſic turbavit, ut nullo negotio tota ſtatio à duobus disjiceretur. Reliqui dum reſiſtere parant Andabatarum more pugnaverunt. Acceſſit & terræ motus immiſſus à Deo, qui hiatum, labemque minaretur. Terrâ igitur atque cœlo interitum objicientibus omnes ſine ordine diſſipati fugerunt. Inſtant Hebræi, & qui in armis erant, & qui militiam paulò ante deſeruerant, & qui in vicino degebant, campos hoſtium cadaveribus ſternunt. Ad hæc hoſtium tergo inſtare jubet Saul omnes qui aderant, voto etiam mortis nuncupato adverſus eum qui guſtaſſet aliquid, niſi poſt plenam completamque victoriam, & Sole cum hoſtibus Occidente. Parùm mellis cum ad Bethaven extremâ virgâ Jonathas admoviſſet ori, ferali voto implicitus eſt. Jamque à patre deſtinatus erat ad ſecurim, cum ex parentis manibus ereptus eſt ab exercitu victore, qui juvenem duplici victoriâ nobilem ob tantillum ſcelus mactari paſſus non eſt. Satis ergo viſum eſt Deo non procul à morte Jonathan fuiſſe, Saulem votum difficile ac arduum fortiter complere voluiſſe. *[Jo]nathas à [p]atre ad[d]icitur [m]orti, ſed [a]b exercitu [l]iberatur.*

2965.

Saul hoc anno hoſtiles aliquot regiones non paſſibus, ſed victoriis peragravit. Vicit enim Moabitas, Idumæos, Syros & ex eorum agris, cum multâ gloriâ, prædiſque rediit. Neque enim tantùm in ſe, ſed in ſuis quoque fortunatus fuit. Rubenitæ enim Agarenos populatores aggreſſi, eos cum popularibus ſuis tantâ deleverunt clade, ut in hac regione non infertili deficientibus colonis habitare, & agros colere cogerentur. Sic dilatavere Tribus ſuæ terminos, nõ brevi modò, ſed diuturniore fructu victoriæ. *Victoria Saulis de variis gentibus.*

2966.

Oreſtis liberi Peloponneſo ab Heraclidis excluſi circa Lesbon fixere ſedem, longè meliorem, quàm in patriâ ſuâ regionem fœliciter conſecuti. Ita ſæpè quibuſdam calamitas ſalutaris, & optanda fuit. *Peloponneſii expulſi habitant circa Lesbon.*

2968.

Amalecitæ hactenus intacti remanſerant: hoc anno Deus imperat Sauli gentem impiam delere penitùs, atque anathemati ſubjectam exterminare. Rem aggreditur Saul non fortiter modò, ſed & prudenter: Collocatis enim loco & tempore inſidiis, eorum aciem internecione delet. Regem intercipit, totâ regione victor potitur. Sed obſequens in prælio, in victoriâ contumax fuit. Seponi enim paſſus eſt pretioſiſſima quæque de prædâ, quaſi hæc meliùs conſecrarentur Deo quàm lacerarentur, diſſiparenturque: abduci juſſit pinguisſima armenta, atque greges, quaſi hæc religioſiùs Sacerdotum cultris, quàm militum gladiis interficerentur. Enimverò id grande Deo viſum eſt crimen, qui non prædam & victimas, ſed obſequium volebat. Samuel itaque denunciat Regi, ex acerbitate pœnæ ſceleris eum ſui gravitatem agniturum, perditurumque regnum, qui hoſtem, ejusque regionem perdere noluerat. Et ut oſtenderet quid facere oportuerat, Regem Agag, benè curatâ cute, & nitidum, ad triumphum inaniter reſervatum, trementem interficit, ne huic Saulis in Deum rebellio ſalutaris eſſet. Exinde Regem à Deo deſertum ipſe deſerit, ei lacrymas dare contentus, quem deinceps ut reprobum, & exauthorandum juvare non poſſet. *Saul parcens Amalecitis reprobatur.*

3969.

Samueli Rex alius judicatur à Deo, quem jubet inungere, & populo ſuo ducem, ac principem religioſo ritu conſecrare. Perducitur itaque à Deo bonus ſenex in domum Iſai Betlehemitæ, quaſi ſacrificium peracturus, & in ea regem jubetur invenire. Siſtuntur ex ordine hujus familiæ liberi ſeptem, & ſingulatim repudiantur à Deo. Octavus ergo David qui ruri paſce- *Samuel Davidem inungit regem.*

pascebat gregem evocatur, approbatur, inungitur. Mirum! olei sacri quo caput illinebatur vis divina ad animum, qui ab hoc tempore & fortis, & infractus, & Rege, ac Davide Rege dignus fuit. His ceremoniis peractis jussi rem occultam tenere, donec eam eventus vulgaret omnes abscedunt. David etiam redit ad gregem suum, ut in eo pascendo, regendorum populorum rudimentum poneret. Et verò qualis aliquando futurus esset princeps, tum fortis pastor ostendit. Cum enim ejus gregem aut leo, aut ursus invasisset, irruebat ipse Deo plenus in feras, excutiebat prædam, resistere ausas manibus discerpebat; sic ut adolescens, Samsonem virum jam factis repræsentare videretur.

*David feras discerpit.*

Interea cum Dei spiritu impleretur David, spiritus malus afflabat Saulem, & humori melancholico permixtus, eum nonnunquam furere, atque insanire compellebat. Interrogati medici, hoc morbi genus curari musicâ posse putaverunt. Accersitus ergo David psaltes bonus, citharam jubetur arripere, & pulsare fides quoties insanis illis motibus Saul torqueretur. Et peritè locutos esse medicos usus docuit. Davide enim Dei laudes ad Lyram resonante furens Saul dimitigabatur: sive musices vis ea fuit melancholicum dissipans humorem, cui dæmon illigatus erat; seu Dei laudes ex ore gratiosissimo Deo adolescentis profectas, ferre malus Genius non poterat. Undecumque res venerit Sauli David adeò utilis & acceptus fuit, ut hunc ad tempus commodari sibi ab Isai parente Rex postularit; Deo ita providente, ut is nutriretur in Palatio, & inter aulicos, quem ad solium, & imperium destinasset.

*Agitatus malo spiritu Saul Davide psallente sanatur.*

---

## CAPUT VIII.

## *Decas VIII. Sæculi XXX.*

### *Ab anno* 2970. *ad* 2980.

2971.

Verum hæc diuturna commoratio non fuit. Cum enim accepisset Saul Davidi tres esse fratres, fortissimos viros, qui bellicosos homines ubique perquirebat, eos impetravit ab Isai parente, eâ lege, ut David ad se, ne corrumperetur in aulâ, remitteretur. Acquievit boni senis petitioni Saul, qui jam meliùs se habebat ex morbo, & qui bello à Philisthæis ingruente, faciliùs puero Psalte, quàm tribus generosissimis militibus cariturus erat.

*Remittitur ad patrem David.*

Enimverò Philisthæi hoc anno cum magno exercitu in Hebræorum regionem irruperunt, & cum duce qui magni esset instar exercitus. Dicebatur is Goliathus, genere obscurus, & spurius, sed corporis mole, ac factis illustris. Is erat altus pedes novem cum triente, armatus loricâ ducentarum librarum & ampliùs, cui ponderi reliqua armatura respondebat. Porrò quàm terribilis erat, qui sic instructus curreret ad certamen, vibraret hastam cujus ferrum viginti quinque pondo fuit. Sic factus, sic armatus ante aciem processit, petiitque offerri sibi virum Hebræum, committique, qui utriusque populi controversias singulari certamine dirimeret. Inventus ex Saulis copiis nemo, cui satis esset animi: nam quod attinet ad corpus, Hebræi cum illo compositi nani, & pumiliones videbantur.

*Goliathus Hebræos provocat ad singulare certamen.*

Jam dies quadraginta Israëlitis, eorumque prope Deo Goliathus illudebat, cum missus à parente David ut videret quo in statu res fratrum essent, & ad eos deferret commeatum, venit in castra. Is audito tumultu, depositis intra vallum sub custode sarcinis, vadit ad certaminis locum, ubi Goliathum vidit, & audivit, Hebræos miratus est ad illius aspectum, & provocationem consternatos. Enimverò fortissimo juveni, hæc ignavia ferenda visa non est; paratum se ostendit ad certamen, & increpitus licet à fratribus in eâ voluntate perdurat; ac toties, & coram tam multis id asserit, ut ad Regem tandem aliquando duceretur. Ac primùm visus adolescens opilio contemptus est; sed ubi loqui cœpit, & sua commemorare præclara facinora, atque in Deum fiduciam ostentare, ita probatus est. ut videretur Regi crimen, submissum à Deo bellatorem huic non adhibere certamini. Armis itaque instruitur ex Regis armamentario petitis; sed in iis cum parum expeditus, neque satis habilis sibi videretur, illa deposuit, armatusq; baculo, & quinque lympidissimis ex torrente calculis, atque fundâ, sed longè magis Deo adversus Goliathum progreditur. Visum adolescentem bellulum contempsit Gigas, eique maledixit, quod sic ad eum ut ad canem abigendum, cum baculo accederet. Irridetur vicissim à Davide, quod & tantus, & sic armatus, contra puerum eumque inermen procederet. Verbis omissis, venitur ad certamen, quod primus iniit David. Cumque intra fundæ suæ venisset jactum, lapidem tantâ vi libravit in Goliathi nudam frontem (extulerat enim ille visorium cassidis rete) ut is osse confracto, ad cerebrum pervaderet. Corruit in terram moles carnea, cui superincumbens David, ejus gladium exeruit, & caput nullo negotio secuit. Is casus Hebræorum erexit animos, Philisthæorum depressit; his fugientibus, insequuntur illi; neque finis fugiendi, cædendique fuit nisi ad portas Accaronis, Gethæ, & Ascalonis. Exceptus est David cum spoliis opimis Goliathi capite, à Saule, quo solent excipi modo, qui Rempublicam ex fati faucibus eripuerunt. Huic arma omnia Goliathi, supellexque concessa; quibus addidit Jonathas Regis filius arma sua, atque vestes: quasi parum fuisset huic amorem suum concessisse, atque in suis eum oculis, atque adeò pectore collocasse, nisi quoq; in veste Jonathæ filiique Saulis, hæres, & Hebræi candidatus imperii videretur.

*Goliath. David funda [s]nit.*

Neque tantùm in aulâ David perhonorificè, sed & ubique receptus fuit. Triumphantis modo ingressus est urbem Gabaâ cum Saule, omnium oculis in eum potiùs, quàm in Regem defixis. Egressæ sunt quoque victoribus obviam mulie-

*ufa in- dia Sau- in Da- dem.* mulieres neque in prosperis, neque in adversis casibus modum servare consuetæ. Hæ dum laudare Davidem volunt, hoc intercalare carmen sæpe occinuerunt, *Percussit Saul mille, & David decem millia*, ignaræ quàm laus illa sit imprudens, & temeraria, quæ subditum anteponat Regi. Hæc enim verba cordi Saulis vulnus inflixerunt, quod ejus tantùm morte, & sanguine sanatum est.

29 2.

*ul Da- dem in- ficere natur.* Et verò non malo genio, ut olim, sed invidiâ, dæmone tetriori, exagitari cœpit Saul; cui ut veteri morbo dum David citharâ, & Dei laudibus remedium adhibere parat, Rex eum semel, & iterum lanceâ transverberare conatur, si eum utique interemisset, in morbum cædis causam refusurus. Quare ejus conspectum, furoremque deinceps David prudenter declinavit, neque vitam à Deo addictam populo tuendo, atque regendo, hominis impotentis, & Deo reprobi committendum furori putavit.

2973.

*jicitur iculis vid spe iarum ptia- m.* Saul Davidem, quem suâ non potuerat, hostium manu perdere decernit. Eum enim mille viris Chiliarchum præficit, spondetque majorem natu Merobem filiam, si virum se fortem, & regiâ dignum affinitate præbeat: non quod hanc ei dare statuisset, at ut ejus conjugii spe in pericula rueert tam sæpe, ut aliquando caderet. Sed ex iis omnibus, vir munitus Deo, abscessit incolumis; & unde sperabantur mors, & plagæ, inde gloriam, & populi benevolentiam retulit. Negata ergo Merob, & ut ei inureretur dolor, alteri concessa; oblata tamen soror minor natu *ucit Da- d Michol orem.* Micholis, ut novâ spe oblatâ, ejus quoque mortis pericula durarent. Et verò hæc erat emenda ducentis præputiis Philisthæorum; quæ cum totidem cœsis hostibus Allophylis secuisset, atque numerasset, Regis factus est gener. Id porrò factum magno utriusque conjugis gaudio, qui jam se amabant impensius, at contra Saulis expectationem, sperantis dare Davidi, non thalami sociam, sed odii paterni, & crudelitatis administram.

2974.

Invitat Saul domesticos suos ad Davidis cædem; nihil obtinet: immò & per filium Jonatham ab hac cogitatione deducitur. Eum tum amor adeò fecit eloquentem, ut amicum reconciliaret patri, & in ejus complexum, ac benevolentiam reduceret. Sed si ex eventis rem metiamur, ea reconciliatio ficta fuit. Arreptus enim quasi à Dæmone Saul psallentem de more Davidem lanceâ configere molitus est: Ictum vitavit ille de more solerter, & refugit domum. Et ne à Dæmone id tentatum esse crederetur, obsideri statim jussus est à Rege, ut sequenti die trucidaretur interceptus. At patris impios conatus elusit Micholis, quæ nocte concubiâ per fenestram maritum emisit, & ne, dum fugit, ca- *lichol rvat Da- idem.* peretur ingeniosè prospexit. Nam collocavit in ejus lecto statuam, cujus caput pelle caprina contexit, quod si tangeres in tenebris, quas solerter illa quasi in conjugis morbo curaverat, capillatum diceres jacentis caput; reliquam statuam stragulâ veste cooperuit, huic plena mœroris assedit. Cum ergo David egressurus expectaretur ad multam diem, & negaret militibus aditum in cubiculum filia Regis, causata maritum ægrotum vigilasse totâ nocte; & apparitores à Rege submissi, qui languentem etiam deferrent in lecto ut coram Saule trucidaretur, Micholis detexere fraudem, sed cum jam in tuto David esset. Increpita est graviter à Saule quod Regem & patrem marito rebelli, quondam opilioni, anteposuisset: sed iram ejus officioso sedavit mendacio, quasi verò fecisset per vim, quod ex amore peregerat.

Interea venit David ad Najoth, seu *doctrinæ collem*, ubi Samuel collectos adolescentes ad legem, & bonos mores erudiebat. Eò quoque ad capiendum Davidem lictores emissi divino afflati spiritu, permixti his adolescentibus in Dei laudes eruperunt; quod aliis super alios supervenientibus accidit; immò & ipsi Sauli cum mo- *Saul inter Prophetas.* ræ impatiens eò quoque cucurrisset. Is autem in concinendis Dei laudibus longè quam reliqui commotior visus est: nam posuit vestem, cultumque regium, signum deponendi mox cum vitâ regni. Tum inter se per Samuelem Saul, & David reconciliati videntur fuisse; sed ea concordia brevis fuit. Appetitus est enim statim David Saulis insidiis, de quibus apud Jonathanum conquestus est. Is animum exploravit patris, subodoratusque decretam amico mortem, id ei latenti ex condicto per sagittas significavit. Itaque David fugit Nobem ad Abime- *David venit ad Abimelech in Noben.* lechum Pontificem à quo sanctos panes sibi, & comitibus accepit, sibi insuper gladium Goliathi; quàm liberalitatem posteà Sacerdos & suo, & suorum sanguine luit. Nec diuturna fuit hîc Davidis mora. Fugit enim ad Regem Gethæum Achis, ubi ne interficeretur, simulavit amentiam. Quare hinc ejectus cum contumeliâ *Inde in speluncam Odollam.* venit in speluncam Odollam, in quâ cum suis commilitonibus, parentibus, & affinibus latuit. Per hos casus adversos viro sanctissimo regia dignitas parabatur, cui se parem, dum fortiter patitur, omnium judicio præbuit.

2975.

Inde se recepit ad Moabitarum Regem, ut *Inde in Moabitin.* apud eum parentes senes, & imbellem affinium turbam, quos persequebatur Saul, amicè deponeret. Tum quoque ad eum plurimi viri fortes confluxerunt, rati plus esse sibi præsidii in viro forti & profugo, quam in invido, & Rege. Iis stipatus David per Gadum Prophetam redire jubetur in terram Juda: neque tergiversatus est Dux parendi potiùs cupidus, quàm vivendi. Ante tamen quam abiret parentes perdidit, qui in amantissimi filii complexu spiritum reddiderunt.

Interim furebat Saul in absentem Davidem, & ejus causâ etiam in filium Jonathanum, quem conviciis omnibus pater impotentissimus onerabat. Arguebat & domesticos suos, quasi sibi parum fidos, quod sibi negarent operam in detegendo, perdendoque Davide. Ut ab hac culpâ se probaret immunem vir omnibus sceleribus cooper-

coopertus Doëg patria Idumæus, magnum Pontificiæ familiæ accersiit infortunium. Narravit enim vidisse se non ita pridem apud Abimelechum in urbe Nobe Davidem, quem Pontifex, & cibariis, & armis instruxerat. Evocatur illicò Abimelechus cum universâ familiâ, perduellionis accusatur, indictâ causâ cum suis omnibus addicitur morti. Cum in Sacerdotes manum nemo vellet injicere, accusator Doëgus carnificem egit, & Pontificem cum octoginta quinque Levitis immanissimè jugulavit. Extensus est & in urbem Leviticam furor, nec ei servare Dei Tabernaculum profuit. In eam enim idem Idumæus ferro flammisque sæviit, exterminatis omnibus sine discrimine sexus vel ætatis, armentis etiam pecoribusque mactatis. Ex cæde tamen unus evolavit Abjathar cum veste Sacerdotali ad Davidem, ne Allophylus tortor de excisâ totâ hac familiâ gloriaretur. Tot sacrilegiis Rex impius, dum frustra pium æmulum tollere parat, ad atrocem, dignumque tot sceleribus interitum properabat.

*Nobe urbs Sacerdotalis evertitur ob Davidem.*

Hoc tempore Ceylanum urbs Juda per Philisthæos obsessa petit auxilium à populari suo Davide, qui non procul cum paucis sed lectissimis copiis aderat: Denegatum non est; quia sic amor, Deusque volebant, venit David, obsidentes delet, ingentem recuperat prædam; ut non venisse cum turma, sed cum exercitu videretur. Verùm id factum Saulis auxit invidiam, eò advolat verbo ut belli reliquias conficiat; re, ut Davidem capiat, & trucidet. Sed authore Deo jam David abscesserat; & cùm hîc, tùm sæpe aliàs expertus est Saul, breves esse principibus manus, cùm eas in privatos homines acceptos Deo, atque innocentes extendunt.

*David Ceylanum urbem liberat.*

Eodem anno Albæ Longæ Latinus gentis hujus Rex quartus succedit Æneæ Sylvio; de quo nihil scribitur, præterquam quod imperarit annis uno suprà quinquaginta, longiore regno, quàm celebritate.

*Latinus quartus Rex Latinorum.*

2976.

Hoc anno Abjathar in Pontificatu parenti suo Abimelecho successit, & apud Davidem in honore, pretioque vixit: ut intelligeret Saul mox ad æmulum suum sceptrum transferendum, ad quem jam religionis caput transiisset.

*Abjathar fugit ad Davidem.*

Hoc tamen tempore latebat David in deserto Ziph, ubi eum invisit Jonathas, qui diutiùs absentiam talis amici ferre non poterat: Utriusque lacrymas, amplexus, colloquia, promissiones facilè suspicabitur, qui vim, & naturam amoris perspectam habuerit. Neque verò diu Ziphæis David ignotus esse potuit: illi Saulem adeunt, & apud se cum paucis æmulum suum esse docent. Rex statim cum omnibus copiis advolat; & diu quæsitum hominem jam propè habebat in manibus, cùm Philisthæi agrum Hebræum ingressi, & abegerunt prædas, & quàm longè pluris faciebat, prædam aliam, ei de manibus excusserunt, Davidem.

*David in Deserto Ziph invisitur à Ionatha.*

Liberatus David, dum minùs credebat, pergit in Desertum Engaddi, ubi eum Saul insecutus est cum suâ cohorte prætoriâ, hoc est, tribus millibus electissimorum virorum: inter quos nihilominùs interierat, nisi sanctissimum nactus esset adversarium. Cùm enim David cum suis in grandi speluncâ lateret, eam subiit imprudentissimè solus Saul, ut ventrem purgaret. Hîc quàm facilè confici potuerit Rex impius docuit frustulum ab ejus paludamento per Davidem resectum; quòd cùm eidem mox David repræsentasset, gratias expressit, & amplexus ab invito, confitente hunc esse dignum imperio, qui id expectare sanctè, quàm occupare jure maluisset.

*David in Deserto Engaddi.*

*Sauli ... veste ... vid ... sum ... scindi...*

2977.

Hoc anno mortuus est Samuel, &, ut piè creditur, ex dolore de Regibus suâ inunctis manu, quorum unus scelere ad interitum, alter patientiâ, & casibus adversis, ferebatur ad regnum. Ac primùm sepultus est in urbe Ramathâ; inde posteà translatus in urbem Silo, à Christianis de suo nomine nobilem basilicam habuit. Denique imperantibus Theodosio, & Arcadio, indidem deductus est Constantinopolim eâ pompâ, quæ pænè patrem duorum regum decebat.

*Morit... Samu...*

His temporibus versabatur David circa montem Carmelum Tribus Judæ. Hîc à Nabale cùm amicè postulasset commeatum (& meritò, siquidem pastores ejus in deserto præstiterat incolumes) turpiter in suis legatis est rejectus, & verbis, quæ repulsæ adjungebant contumeliam. Eam injuriam, Dux mitissimus licet, ferro flammaque vindicasset, nisi homo fatuus, & amens uxorem sapientem, & providam nactus esset. Hæc enim clam marito cùm multis cibariis ad Davidem statim profecta, muneribus suis, & suavi oratione conditis, sic eum placavit, ut etiam ei gratias haberet David, quod suâ prudentiâ severiorem vindictam discussisset. Nabale autem paulò post è vivis sublato, hæc Abigail digna visa est, quæ Davidis conscenderet thorum, & marito sapientissimo, regnique candidato, pro privato, vecordique jungeretur.

*Naba... tuus ... dens ... gail.*

2978.

Hoc anno qui præcesserit ejus necem, ad ingenium suum rediit Saul, hoc est ad furorem perdendi Davidis, eumque cum toto exercitu quæsivit ad necem. Sed cum iterum ab eo perire posset, ejus sanctimoniæ, & facilitati vitam hac vice debuit. Cùm enim Deus in Saulis copias profundum soporem immisisset, David in Regis tabernaculum, omnibus altùm dormientibus, cùm Abisai socio ingressus est, unde hastam, poculumque rapuit. Hæc posteà principi militiæ Abneri excitato eminus ostendit, quasi is morte dignus esset, qui tam parum de salute sui principis sollicitus fuisset, & passus esset creditos hostes suos, noctu, armatos, à Rege dormiente tam propè fuisse. Hac facilitate, tum quoque sibi redditus Saul, Davidem filium appellavit suum, & dexteram ei jungere postulavit. Verùm imprudentissimus extitisset, si homini toties infideli adhibuisset fidem. Itaque ad Achis Gethæum Regem secessit cum suis, ratus ad Philisthæum hostem, quàm apud Regem suum, tam perfidiosum, & tam sæpè, vitam suam fore tutiorem.

*Dav... teru... parc... Saul...*

*Fug... Ach...*

2979.

2979.

*-viddu- ur ab his con- Saulem Israeli-.* Versabatur in urbe Siseles David, quam ab Achis dono acceperat, convenientibus ad eum fortissimis Israëlitarum, virtute tanti ducis illectis. Ex hac urbe excurrebat in vicinos populos, unde prædas agebat, cavebatque diligenter ne dignoscerentur, omnibus interfectis, qui eas indicare possent, vel repetere. Quare putabant eum cum suis, ex Hebræorum præda vivere Philisthæi, quibus spoliorum aliquid subinde aspergebat. Itaque hi Davidem jam amabant, & colebant ut suum, & huic Achis caput suum, atque vitam committere non metuit, cum à Philisthæis contra Saulem, & Israëlitas omnium maxima est suscepta expeditio. Adfuerunt tum Satrapæ cum suis quisque copiis, & inter cæteros Achis cum Davide suo, & fortissimis Hebræis ejus commilitonibus ab urbe Siseleg. Hoc tamen auxilium visum est reliquis Philisthæis periculosum; atque Achi nequicquam reclamante cum suis remissius est David, vultu tristior quasi ei minùs fideretur, animo lætissimus, quod adversus suos depugnare non cogeretur. Redit ergo Siseleg; sed vacuam illam, incensamque reperit. *-dit Da- d Sise- , quam tam re- it; præ- ces ca-.* Amalecitæ enim hujus profectionem cum viris bellatoribus subodorati, eam propugnatoribus carentem ceperant, & inflamarant, abductâ imbelli turbâ, & ingenti prædâ tot excursionibus quæsitâ. Dei consilio, & monitu David populatores illos insequitur, & assequitur, ope Ægyptii homuncionis, quem ægrotantem, ac deficientem fame prædones immaniter reliquerant. Hîc adsatietatem grassatores trucidati, vel capti; liberi, conjuges, præda omnis recepta, spolia inter eos qui pugnaverant, & servarant castra legitimè distributa.

*-ul ope thonissæ muelis ibram oquitur.* Sub hoc tempore Saul frustra expectato Dei responso (cur enim cum improbissimo Rege loqueretur) ubi desperavit se superos flectere posse, Acheronta movere, & sollicitare decrevit. Adit mulierem afflatam malo genio, & cum eo solitam exercere commercia, & adit satis malè comitatus, ac dissimulato habitu, quoniam hoc genus hominum alias exterminare conatus erat. Mulieris veneficæ opera excitatur anima ipsa Samuelis, contra Sagæ voluntatem, quæ suis carminibus Dæmonem sub specie Samuelis evocabat: Sed mali Genii adventum prævenit Deus, & veram Samuelis emisit animam, cum aëreo corpore, quod Pythonissam valdè turbavit. Omnibus facessere jussis, graviter increpatus Rex à Samuele, quod crimina criminibus cumularet, ac demum ei necem tribusque liberis ejus in diem sequentem denunciat, & evanescit. Hoc nuncio simul & jejunio exanimatus Saul utcumque recreatur, ac reficitur cibo, ac mox cum suis comitibus castris restituitur.

*-oritur ul cum is in ntibus lboe.* Neque tamen hîc despondet animos; aciem instruit, explicat ordines, ne multitudine hostium involveretur, & in montibus Gelboë ut ex iis tutiùs depugnaret. At primam impressionem Philisthæorum deserti à Deo non sustinuerunt Israëlitæ; nec exemplo filiorum Regis accendi retinerique possunt, qui demum implicati multis acceptis, illatisque vulneribus ceciderunt. Resistebat adhuc cùm paucis Saul, sed à sagittariis in eum unum colineantibus graviter vulneratus, ne veniret in hostium manus & illuderetur, petit occidi ab Armigero, quod cum ei negatum esset, incubuit ipse gladio suo, confectus manu suâ, quoniam vir improbus ac sacrilegus deteriore non poterat interire. Tum Philisthæi victores, Regis filiorumque ejus cadavera, capitibus abscisis, ex muro urbis Betsan ad ludibrium suspenderunt: unde tamen à Iasebitis fortiter sublata sunt, ac perhonorifice multis cum lacrymis, more patrio sepulta. Quare postea habitæ sunt eis à Davide gratiæ quod opus hoc pietatis acceptissimum sibi, perhonorificum genti, ingratissimum hosti, ipsi quondam accepti à Saule beneficii memores piè juxta, ac fortiter præstitissent.

*Hanc cladem magno cum dolore David discit.* Nuncius cladis hujus, atque cædis quarto post die ad Davidem perlatus est. Venit enim ad eum in Siseleg vir Amalecites, vultu ac totius corporis habitu nuncius magnæ calamitatis. Nam pulvere conspersus caput, & veste conscissa, Davidem adoravit ut Regem, & ad eum delato diademate, armillisque Regiis, Saulem cum filio Jonathâ, aliisque duobus liberis, grandique populi clade cecidisse nunciavit. Is tamen quoniam à se cæsum Regem mentitus erat, statim interfectus est Davidis jussu, ut in eo maximi facinoris, id est, Regiæ cædis, etiam voluntas mulctaretur. Tum se totum lacrymis permisit David, & ita se gessit in morte Saulis, quasi non infensissimum hostem, sed unum Jonatham delicias suas, bis terve perdidisset. Verùm questus illos Deus & contribules Davidis paulò post abruperunt; horum enim rogatu, illius imperio, conscendit Hebronem, ibique Rex inunctus semel iterumque (sic enim suscepti regni postulabant initia) imperium adiit sibi promissum à Deo, tam sanctè, atque sapienter expectatum. *David Rex inungitur in Hebron.*

*Isboseth Rex creatur in Manahin.* Neque verò hîc laborum ac patientiæ finis in Davide fuit. Eodem enim tempore, quo Hebrone inaugurabatur David, Abner in urbe Manahin trans Jordanem apud Galaaditas Isbosethum filium Saulis consecrandum curabat. Non quod non meliorem putarat Davidem, & utiliorem regno, sed ne Saulis familiæ, atque sibi defuisse videretur. Sed is conatus mox ipsi, atque Isbosetho vitâ stetit; illustri ad posteros exemplo, regna privato commodo, damnisque publicis parta, atque servata, infœlici atque funesto semper rebellium, & conjuratorum exitu terminari.

2980.

*Colonia in Theram insulam deducta.* Generatione unâ, hoc est, annis triginta ante Jonicam emigrationem, Theras Autesionis filius Polynicis abnepos Minyarum Coloniam deduxit. Erant Minyæ Argonautarum posteri, ex Lemniadum concubitu suscepti, qui ejecti ab insulâ Lemno à Pelasgis, Spartæ sunt suscepti, ubi ex hospitibus, principes esse voluerunt. Ideò dati in custodiam, indidem mutata cum uxoribus veste in Taygetam montem evaserunt. Hos jam addictos supplicio ad Coloniam dari sibi postu-

postulavit Theras, qui eos in Callisten insulam deportavit, de illius nomine postea Theram appellata. Ita vir sapiens ex rebellibus atque furciferis, utiles sibi, commodosque patriæ colonos reddidit.

## CAP. IX.

## Decas IX. Saculi Trigesimi.

### Ab anno 2980. ad 2990.

2981.

*Initia regnâ Davidis felicissima.*

INterea David commissum sibi à Deo regnum eâ ordinabat sapientia, quæ à principe omnium votis quæsito expectabatur. Militiam enim sic digessit, ut neque externum à Philisthæis bellum, neque civile ab Isboseth metueret. At ut non tantùm bello bonus, sed & pace melior esset, adhibuit consultores sibi rerum gerendarum, & publicorum officiorum viros solertes juxta, ac prudentes. Inter eos eminebant Ionathan patruus Regis; Jahiel liberorum regiorum doctor; Achitophel malis postea consiliis, quàm tum bonis famosior, Jojadas ex æquo sapiens, & fortis, Chusai Davidis ἑταῖρος: Abiathar Pontifex, & Joab Regis ex sorore Sarviâ nepos; omnes regendis Imperiis pares: Quos inter sic eminebat David, ut non iis indiguisse, sed prudenter, & ad pompam usus esse videretur.

*Filii Davidis.*

Tum quoque multâ sobole auctus est David, ut qui in se adeò hostibus, & inimicis metuendus erat, etiam in sui similibus post obitum timeretur.

2982.

*Inter Davidem & Isboseth abrupta pax.*

Pacem inter duos ejusdem regni principes durasse supra duos annos mirum fuit: Philisthæorum videlicet, & alternus eos metus continebat; ubi tempore is imminutus est, ab utrisque patris Ducibus, sine Regum authoritate est abrupta pax. Et principio quidem per jocum, deinde seriò; sic Magni ex minutorum cæde, crudelem hauriunt voluptatem. Consiederant nempe ad eandem piscinam Duces ambo Joab, & Abner: eos vicinitas loci invitavit ad colloquium, in quo dum uterque laudat suos, probandum fuit uter veriùs loquutus esset. Selecta sunt ex duobus castris duodecim gladiatorum paria, qui dum vident partium suarum gloriam inniti fortitudine suâ, ita depugnarunt, ut mutuis omnes sese vulneribus confecerint. Neutro exercitu orrogare sibi victoriam auso, eam ut sibi alteruter vindicaret, uterque concurrit. Victæ Abneris copiæ fugere compulsæ sunt. Nec fuit fuga hæc indecora, quàm ipse Dux Abner arripuit. In eâ dum illum assequitur vehementius Azaël Joabi frater, mortem invenit, ubi quærebat gloriam; per Abnerem enim callidiorem, & belli peritiorem confossus interiit. Admonente demum Abnere Joabum dedecere Israelitas fratres bellum internecinum, Joab ipse buccinâ receptui cecinit, victoriâ potitus tum luctuosâ sibi, sed Abneri, & tunc, & posteà longè damnosiori.

2983.

*Codrus se pro patria devovit.*

Hoc anno Codrus Melanthi filius Atheniensium Rex decimus septimus, & ultimus eum jam annis uno, atque viginti regnasset, se pro regno devovit. Is bello inter Athenienses, & Dorienses novos Peloponnesi accolas suscepto, & jam annos tredecim atrociter gesto, cum Pythia respondisset eos victores fore quorum à partibus Dux cecidisset, rustici habitu ingressus hostium castra, cum gregario milite de industriâ rixatus, eum falce vulneravit, à quo vicissim ferro confossus est. Dorienses Regis cadavere agnito, memores oraculi, re infectâ discesserunt. Ille facti sui gloriam immortalem retulit, nobilitatis & generositatis in parœmiâ factus exemplar, & Regum, quibus populi salus, & incolumitas potior debet esse, quam sua.

2984.

*Archon... perpetu... Atheni...*

Sublato Codro Athenienses carere deinceps Rege decreverunt, cui parem se inventuros negabant. Sed quoniam rectore indigebant, Regum loco ἄρχοντας substituerunt, principio quidem perpetuos. Horum primus fuit Medon Codri filius, ne paternam is sibi pietatem, & gloriam nocuisse quereretur.

2985.

*Hiram... Tyrior...*

Hoc anno Hiromus Abibali Tyriorum Regis filius, obtinuisse creditur regnum. Hic diu regnavit Davidi, atque Salomoni σύγχρονος, & percharus, dictus in sacris literis Hiram; cujus operâ Deus usus est ad templi fabricam, quod illi fuit, quam annis 60. regnasse gloriosius.

*Abne... prodi... cædes.*

Eodem anno decrevit Abner excutere solio Isbosethum, cui eum ante sex annos imposuerat, quod ab eo de concubinâ Saulis, quam vitiarat increpitus erat, usque adeò perniciosum Regibus, eò subditos attolli, ut non sine discrimine reprehendi queant errantes. Malè igitur in Isbosethum affectus ad Davidem perrexit Abner, à quo perhonorificè susceptus est, quod secum spem novi regni deferret. Initur fœdus inter utrumque, quo promittitur statim reducenda Micholis, alteri viro, per summam injuriam à Saule tradita, & paulò post reliquæ tribus ab obsequio Isbosethi auctoritate Abneris revellendæ. Nec ita multò post ad Davidem Abner rediit cum Michole, ubi tamen, ignaro Davide, mercedem suæ proditionis accepit; ob interfectum fratrem Azaëlem nuper in prælio, à Joabo pugione confossus perfidiosè, ut perfidus interiret à perfido.

2986.

*Isb... int... tur...*

Neque tamen sublato Abnere conjurationis adversus Isbosethum authore, ruit ipsa conjuratio; immo devenit in sceleratiores manus Rechabi, & Bahanæ, qui non proditores modò, sed & parricidæ esse voluerunt. Ingressi enim domum Regis infelicis, cui prætoria cohors erat ancilla, eaque purgans triticum, eum post meridiem tantisper quiescenten jugularunt, ejusque caput ad Davidem Hebronem detulerunt. Sed recepti sunt à sapientissimo, & studiosissimo Rege, ut proditores, & sicarios decuit.

cuit. Truncatis enim pedibus, & manibus acti sunt in crucem. Atenim in hujus sceleris sanctum ultorem præmium redundavit. Statim enim reliquæ Tribus undecim Davidem Regem salutarunt, & tum tertiùm inunctus est; toties rex dictus, & acclamatus, qui toties, cum posset Rex esse, noluisset.

2987.

*Arx Sion ...pitur à ...avide.*

Israelitarum omnium Rex David de constituenda civitate regni primariâ cogitavit: aptior videbatur nulla, quàm Hierosolyma: sed ejus pars editissima, atque præcipua, Sion dicta, tenebatur à Iebusæis, quibus ratum erat in eâ, aut vivere, aut mori. Et capi non posse vi arbitrabantur: Quare propugnatores ejus cæcos, claudos, & mancos esse voluerant, vana munitionis hujus ostentatione. Pupugit Davidis duces, ea contumelia: scalas undequaque admovent, & in ejus muros editissimos licet tantâ alacritate enituntur, ut non ascendere, sed volare viderentur. Itaque Jebusæos omnes, vel confecerunt vel dederunt ex muro præcipites; addita deinceps lege ut nunquam liceret claudis, cæcis, atque mutilatis in hoc loco degere. Sic in hac consuetudine perpetuo viguit præclari hujusce facti memoria.

2988.

*...incit Da...id gemi...a clade ...hilisth.*

Philisthæos tunc excitavit adversus Davidem, & dilatatum regnum, & Jebusæis Arx Sionis erepta. Bis ausi congredi, bis magna repulsi sunt clade, Deo & hominibus pugnantibus à Davide. Et Rex optimus geminam hanc victoriam in hostes, sui una victoria visus est promereri. Cum enim optasset aquam bibere Bethlehemiticam, & eam Hebræi milites magnanimi, perrupta Philisthæorum statione hausissent, effudit eam ille sitiens coram Deo, & pretium sanguinis tot bellatorum noluit hominis morituri potum esse, sed Dei immortalis sacrificium.

2499.

*...ransfer...ur Arca ...Arcem ...onis.*

Utroque hoc confecto bello, cogitavit David de Arca in Sionem inducendâ, ut huic ornomento esset, atque præsidio. Translata est magnâ pompa, populique concursu ex urbe Cariathiarim, in quâ diu substiterat. Sed ea celebritas unius ex Sacerdotibus repentina morte turbata est. Cum enim Oza, & Ahio Levitæ custodes Arcæ, laboris pertæsi non imposuissent illam ex lege humeris suis, sed Philisthæos imitati admovissent plaustro; calcitrantibus bobus, nihil propius factum est quam ut excuteretur Arca, & in terram parum religiosè decideret. Tum Oza extendens manum ut prohiberet lapsum, repente cecidit mortuus; ut ejus morte doceretur populus quæ adhibendæ essent in rebus sacris, & reverentia, & diligentia, cum alterutrius neglectus (hactenus enim dubitatum est de causa pœnæ) tam gravi supplicio mulctaretur.

*...za eam ...ngens ...oritur.*

*...emanet ...rca in ...omo Obe...edom.*

Hoc casu perculsus David, & similem reveritus, non est ausus Arcam in suam domum inferre, sed eam reliquit in suburbio Hierosolymitano, apud Obededonem Levitam, quondam Davidis in urbe Gethæa comitem, unde sibi fecerat nomen. Hospitem porrò suum ditavit Arca, immissa in ejus domum pecorum, & hominum fœcunditate. Ita fuit Deus in remunerando profusus, in castigando parcior. Cum è duobus unum tantùm sustulerit in pœnam peccati, unius religionem multorum vita pensarit.

## CAPUT X.

### Decas X. Saculi X X X.

*Ab anno 2990. ad 3000.*

2991.

*Arca transfertur in Domum David.*

Obededonis fœlicitas Davidi timorem abstulit, eumque ad audendum invitavit. Nam post menses quatuor Arcam in Palatii, partem augustissimam transferri jussit per Levitas magno apparatu, atque religione. In his cerimoniis cum David regiâ veste positâ, & sacra linea superindutus, coram Arca luderet, atque saltaret, irrisus est ab uxore Michole, & petulanter increpitus. Sed à marito graviter, & fortiter reprehensa est, à Deo insuper castigata gravius in quem redundabat injuria: neque enim umquam fuit ex eo Regina mater, quem numinis causa abjicientem se sanctissimè, dicaciter ipsa scurris ac mediastinis æquasset.

2992.

*David prohibetur Templum statuere.*

Cogitavit tum David de templi fabrica; verùm hæc ejus filio & paci reservata est, ipse abstinere se ab hoc opere jussus, qui tantùm sanguinis, etiam justè profudisset. Tantum absunt pietas atque religio ab omni specie crudelitatis.

2994.

*Philistæi Davidis vectigales.*

Hoc anno jugum accepisse videntur Philisthæi, & tributum Davidi pensitasse, ipsi jam tot annos ab Hebræis exigere soliti. Sic reposuerunt nepotes atque filii, quod parentes, & avi rapuerant; atque hæc vectigalia in templi fabricam adhibita sunt, ut inviti nolentesque Idololatræ ad Deum Hebræorum colendum, & honorandum compellerentur.

2995.

*Victi à Davide Moabitæ.*

Sequens annus Moabitas vidit appetitos bello in quo duobus fortissimis ducibus iisque fratribus (quos scriptura Leones vocat) à Banaja ex provocatione cæsis, ita reliqui sunt repressi, ut arbitrio sese Davidis permitterent. In duas itaque partes distributi sunt omnes Moabitæ; ac sorte ductâ, huic parti concessa vita est: illi adempta, ut universa gens saltem exanimaretur metu.

2996.

*Syria Soba & Damasci subdita Davidi.*

Syria duplex Damasci, atque Soba Davidem Regem victoremque senserunt. In hac regnabat Adarezer adeò dives, ut ejus cohors prætoria ad magnificentiam Clypeis aureis uteretur: In illa Adadus urbe Damasco potens, ac toti Syriæ metuendus, ingenti clade subactus

Adarezer instructissimum belli perdidit apparatum; Adadus etiam libertatem, factus Davidi vectigalis, ambo Hierosolymam, ad templum exornandum statuendumque, divitiis implevere. Fecit idem sed sponte Rex Emath, Thou, per filium Joramum allatis multis vasis aureis, & argenteis: Ita Syri nolentes volentes, magnâ utique Davidis gloria, ad cultum veri Numinis aliquid contulere.

*Idumæi deleti.*

Eodem quoque anno rebellantes Idumæi præsidium Hebræorum recipere coacti sunt, ut in officio continerentur, quod cum postea fraude, atque ex insidiis sustulissent, internecione deleti, ultimo sunt affecti supplicio, qui leviori pœnâ castigari noluerant.

*Miphibosethus perhumaniter excipitur à Davide.*

Tum quoque Miphibosethus Jonathæ filius perhumaniter à Davide in Palatium invitatus est, ibidem vivere jussus est splendide, quamquam utroque pede claudus, & ad aulam parum idoneus esset; sed satis huic erat ut Regis convictor esset patrem habuisse Jonatham, quem etiam in filio deformi, ac propè monstro diligebat, beneficiorum in Deum, & homines Rex omnium mortalium maximè memor.

2997.

*Bellum gestum in Ammonitos ob legatas injuriosius tractatos.*

Bellum exinde gestum est pro jure gentium ac necessarium adversus Ammonitas, quorum Rex Legatos Davidis acceperat injuriosè, ad contumeliam attonsos, & rasos, vestibusque ad summum opprobrium mutilatis. Hi missi erant à Davide, ut Regi novo, & amici demortui filio Regnum gratularetur: Sed adolescens præcipitis ingenii, atque consilii aliò suspicionem vertit, & honestissimos viros pro speculatoribus habet, & tractat. Itaque gravissimo est appetitus bello; neque profuit illi Syros omnes in auxilium suum evocasse; nam cum suis auxiliatoribus terga dare Joabo & Abisai compulsus est; Syri ita repressi, ut libertatem tributo redimere cogerentur. Dilata est de Ammonitis victoria, quia illi facti erant ex crimine fortes, & ex magnitudine injuriæ collegerant desperationem.

2998.

*Adulterium Davidis cum Bersabea.*

Itaque hoc etiam anno Ammoniticum bellum tenuit, & Regia urbs Rabba acerrima obsidione circumvallata. Sed malum! absente Davide, qui Hierosolymis degens in otio, Bersabeam vidit, atque deperiit. Dum videlicet huic urbes oppugnant Duces sui, ipse repentè turpissimus relictarum uxorum pudicitiam expugnabat. Erat Bersabea uxor Uriæ Hethæi viri fortissimi, cui obtigerat mulier formosior, quàm castior. Succubuit enim illa statim primis petitionibus Regis, & ex primo ejus concubitu sobolem suscepit. David autem dum crimen occultare parat, id novo, & majore cumulavit. Evocavit enim è castris Uriam, ut hic rem haberet cum uxore; quod cum impetrare non potuisset, neque etiam, ut noctu dormiret in domo sua, quandiu Dux ejus Joab, & commilitones ad Rabba sub pellibus degerent, remissus est cum Bellorophonteis literis ad Joabum. Iis perlectis miser Urias expositus est certo periculo, atque in eo flagitiosè relictus interiit. Bersabeam non ita multò post David uxorem duxit, quæ sic innupsit ex centurionis conjuge facta Regina Israëlis, præmio tamen non satis digno conjugalis fidei violatæ.

2999.

*Nascitur puer ex adulterio Davidis: pœnitet.*

Susceptus est hoc anno à Davide puer ex adulterio, cujus in partu acerbos Bersabea corpore dolores sensit, paulò post David animo graviores. Missus enim à Deo Nathanus Prophetes oviculæ raptæ parabolâ, Regem ad se redire compulit, & gemini sceleris atrocitatem agnoscere. Dolore quidem suo David obliteravit delicti sui culpam, sed pœnam non extinxit: ea prima fuit, ut natus ex crimine fœtus interiret. Et huic quidem vitam quibus potuit modis jejunio, lacrymis, cilicio postulavit pater, sed non impetravit, quia non decebat tanti facinoris spirans extare monimentum. Promissus est tamen alius infans, ex eadem Bersabea, qui Rex omnium mortalium & sapientissimus, & felicissimus esset. Porrò tantùm mœroris hausit Rex bonus, ex utriusque criminis atrocitate, ut ex eo graviter ægrotaret, cujus morbi levamen, sexto quem nobis reliquit psalmo, dicitur impetrasse. Ita virorum illustrium ut magni casus, ita nobilis pœnitentia; eorumque lapsus ad majorem sanctimoniam gradus est.

*Capta Rabba mulctati graviter Ammonitæ.*

Intereà Rabbâ urbe ad ultimas compulsa angustias, Joabus gloriæ Regis sui sollicitior, quàm suæ, eum evocavit in castra. Is adventu suo militi tantùm addidit alacritatis, ut statim civitas expugnaretur. Sævitum in Ammonitas ut adversus divini humanique juris violatores. Alii dissecti serrâ, alii carpentorum ferratis rotis contriti, alii in lateritias fornaces conjecti, omnes excepti tam atrociter, ut non sua tantùm, sed & majorum crimina, ac tandiu liberos suos idolis oblatos luere viderentur. Prædæ indidem quoque allata incredibilis copia, ex qua sepositum Idoli Melchom Diadema centum viginti quinque librarum, seu unius talenti, ex auro, atque gemmis: ex eo conflata corona Davidi, ut quod fuerat superstitionis insigne, fieret ornamentum legitimæ potestatis.

3000.

*Nascitur Salomon.*

Natus hoc anno Salomon incredibilem utrique parenti peperit voluptatem, ita dicitur à matre quasi *pacificus*, à Nathano *Ieddidiad*, hoc est *Amabilis Domino*, & utrumque huic inditum esse ex numinis afflatu eventus docuit.

*Ammon cum ma[…] cœs[…]*

Sed ut in hac vitâ, læta semper tristibus, fortunata miscentur adversis, eodem anno casus accidit qui Davidis familiam lacrymis cædibusque permiscuit. Ammon Thamarem sororem suam ex parte, Absalonis item sed ex utroque parente, formosissimam virginem deperibat, & eâ potiri per fas, atque nefas decreverat. Is auctore Jonadabo Davidis nepote cui pectus suum aperuerat, simulat morbum, omniumque ciborum nauseam. Invisit primogenitum suum David, rogat amice quibus cibis uti vellet; respondet Ammon iis solis quos Thamar manibus suis parasset, & obtulisset. Credidit bonus pater hanc cupiditatem vanam ægrotantis esse: Permittit

mittit igitur indulgetque ut virgo fratrem invisat, eique quo poterit modo ciborum nauseam auferat. At Ammon solam nactus, & remotam ab arbitris, flagitium deprecatam compressit, vitiavitque. Statimque amore (uti solet) in odium converso, eam quasi vile scortulum, quo libidinem suam explevisset, ejecit ex cubiculo, non tantùm suo indignam lecto, sed & aspectu. Illa aspersa cinere, stolaque disruptâ, ac manibus sic impositis capiti, ut faciem quoque tegerent, Absalonem fratrem de suo dedecore certiorem facit, simul & Davidem patrem, & ab utroque fieri sibi satis rogat. Ultionis desiderium statim Absalonis occupavit animum; David inter filiam, filiumque distractus, & medius inter judicem, & matrem, dum Regis obliviscitur, ostendit amare se liberos suos teneriùs, quàm generosiùs. Thamar mœrore contabescens lugere non desiit; nisi cum dedecus suum vidit ultum fratricidio: utrimque misera, quæ per fratrum crimina honorem perdidit, & recuperavit.

# LIBER VIII.

## SÆCULUM MUNDI TRIGESIMUM PRIMUM.

*Ab anno mundi* 3000, *ad* 3100.

### CAPUT I.

### PRIMA DECAS.

*Ab anno* 3000. *ad* 3001.

3002.

*Ammon occiditur ab Absalone.*



Effluxerunt jam anni duo ab Ammonis cùm Thamare incœsto concubitu, & hujus criminis tam judex, quàm reus obliti esse videbantur. Non ita Absalon, qui tantùm elabi sinebat tempus, ut confidentiâ in paratas insidias Ammonem conjiceret, quibus opportuna tum se dedit occasio. Tondebat gregem suum Absalon (nam pecore ditissimus erat) & de more gentis ad convivium amicos invitaturus erat. A patre cum impetrare non posset, ut huic interesset, Ammonem primogenitum obtinuit, qui parentis sederet loco. Majorem quoque natu secuti sunt reliqui fratres, ut esset publici criminis ultio testatior. Quid plura? inter epulas cum convivæ omnes incaluissent mero, sicut jussi erant ab hero, Gessuræi Absalonis servi Ammonem aggrediuntur, & incautum multis vulneribus conficiunt. Hinc trepidatio, atque fuga: alii fratres quasi magno defuncti periculo confugiunt ad Davidem, Absalon ad socerum Gessuræum Regem, donec iracundia parentis defervesceret.

Intereà fugientes fratres ad Davidem prævenerat nuncius filios Regis omnes in hoc ferali convivio trucidatos esse, unde incredibilis toto palatio mœror; qui tamen statim advenientibus principibus discussus, hæsit in uno Ammone quem parens cum suis filiis uberius flevit, timore jam in lachrymas, questusque converso. Incœsti concubitus is fructus fuit mors fratris à fratre; quoniam inter propinquos magna scelera, non nisi magnis sceleribus vindicari solent..

3005.

*Absalon revocatur.* Cum jam annum tertium exularet Absalon, ei reditum paravit Joabus usus sapienti fœminâ Thecuite. Hæc in speciem deprecata est filio necem, qui cum fratre rixatus eum interemerat, & ab affinibus ad supplicium deposcebatur. Quod cum impediturum se pollicitus esset David? rogatus est in suâ causâ facere, quod in alienâ promisisset. Sic Absalon revocatus est prohibitus tamen aspectu patris, ut se non accepisse sceleris tanti, veniam, sed imminutam duntaxat pœnam audax adolescens intelligeret.

3008.

Hoc demùm anno parenti suo penitus reconciliatus est Absalon, operâ Joabi; quem amicâ interpellatione cùm ad se pellicere non posset, incensâ ejus messe attraxit, eumque ita sibi demeruit adulatione & promissis, ut statim ad opus absolvendum accingeretur. Et vero effecit oratione suâ Joabus, ut pateretur David filium suum ad pedes suos accidere, unde tamen ad osculum, & amplexus surgere jussus est. *Absalon patri suo reconciliatur.*

Verum improbissimus filius hanc patris facilitatem in suam vertit audaciam. Neque enim ita multò post, sine ejus licentiâ paravit currus, & equites, virosque quadraginta antecessores, sicut jam non Ammoni tantùm, sed & Davidi propemodùm insultare videretur. Neque verò hîc ejus impudentia temeritasque substitit, sed ad majus crimen gradus fuit. Nam bene manè accedens ad fores palatii, venientes, ut jus ab Rege peterent, etiam osculo, & complexu excipiebat, singulos interrogabat de suis causis seorsim, & singulis adjudicabat litem, conquerens se non sedere arbitrum ut ab illis pronunciaret. Sic amorem debitum Regi in se derivabat, huic relinquebat invidiam. Nec quievit nisi cum patrem in solio nutantem abalienatis subditis vidit; ad quem inde detrahendum anno sequenti tam strenuè, quàm inutiliter adjecit animum, factus exemplar Tyranni ex æquo impii, atque infœlicis. *Absalon avertit Israelitas à Patre.*

3009.

3009.

*Absalon rebellat in patrem.*

Proditionem adversus Davidem Absalon auspicatus est sacrilegio. Mentitus est enim votum Deo Hebrone persolvendum; ubi Rex inunctus & à populo quem sibi demeruerat, declaratus est. Inde Tyrannus filius ad verum regem & patrem tollendum proficiscitur ad urbem regiam, unde tamen monitus David maturè discesserat pedes, cum paucissimis viris, sed fortissimis, & qui non fugere, sed Regem sequi & comitari viderentur. Dum pergit Jordanem versus incidit in Semei maledicum Benjamitam, à quo & conviciis, & saxis appetitus priùs se vincere dedicit, quàm filium, tumque visus est dignus Deo victoriam de aliis referre. qui de se, suisque motibus tam nobilem reportasset.

*Fugit David Hierosolyma. Quam occupat Absalon.*

Vix egressus erat Hierosolymis David, cum eam urbem vacuam, & patentem subit Absalon. Is authore Achitophele, ut fœderis cum patre ineundi spem omnem elideret, & ejusdem concubinas relictas in Palatio, publice, & coram populo impudentissimè violavit; quo intelligerent eum facilè semel parricidam fore, qui toties sui patris adulter extitisset. Impellebat idem consultor Absalonem, bono sanè rebus suis consilio, ut patrem incautum, neque paratum fatis, opprimeret antequam vada Jordanis transiret: Sed consilium tam utile filio, quam perniciosum patri, discussit Chusai prævaricator bonus, & relictus in aulâ, ut Achitophelis consilia dissueret. Is suasit Juveni Imperatori, ut grandem pararet exercitum; eo patrem aggrederetur paucis stipatum copiis, unoque prælio rem conficeret; quod Absaloni incauto visum est gloriosiùs. Hoc errato cùm videret Achitophel res Davidis in tuto esse, Absalonis desperatas, aulâ relictâ, laqueo sibi vitam ademit, innuens, quam malus principis consiliarius esset, qui tam malè sibi consuluisset.

*Pugnat contra copias patris Absalon & vincitur.*

Non ita multò post perrexit Absalon contra patrem, sed tardiùs: nam is cùm suis resumpserat animum, & receperat auxilia quibus hosti par esse posset, si in locis commodis pugnaretur. Elegit experientissimus Imperator saltum Ephraim, in quo pauci multis facilè repugnarent. Hîc Absalon dux improvidus solâ fretus multitudine parum exercitatâ, lectissimas & assiduo usu bellandi duratas patris copias aggreditur, victus, fugere compulsus est, desideratis in prælio suorum viginti millibus, & pluribus amissis quos fugientes in saltu Leones discerpserunt.

*Suspensus è quercu caditur Absalon.*

Diceres ex totâ Syriâ eo convolasse feras, ut lacerarent filium feris omnibus diriorem. Sed nihil eorum dente, vel unguibus opus fuit. Dum enim Absalon non ultimus fugit mulo insidens, in sylvâ caput inseruit inter condensæ quercus brachia, quorum ramis cum se magni capilli, & fluentes implicuissent, elabente mulo miser suspensus hæsit inter cælum terramque medius. Hîc dum luctatur, ex perturbatione sese magis implicuit. Sic Cæsaries auro appensa, atque æstimata, necis ejus causa fuit. Indicatus enim Joabo, ab eo tribus spiculis confixus, à satellitibus trucidatus, projectus est in grandem fossam, hicque non humo, sed lapidibus obrutus est: indignus planè quem terra communis omnium mater caperet, qui contra tam bonum patrem per tot scelera rebellasset.

*Luget Absalonem David.*

Hujus tamen interitum non ut parricidæ sed ut filii charissimi David luxit impensiùs; atque eum cùm tantâ pertinaciâ flevit, ut propè de victoriâ dolere videretur; nec nisi graviter increpitus à Joabo prodiit in publicum ac se copiis victricibus suis ostendit, ne iis videretur iratus, à quibus imperium recepisset.

Eodem impetu poterat victor Hierosolymam regredi; quis enim tum prohibuisset? Sed amicè revocari maluit, quàm per vim irrumpere, & expectare suorum benevolentiam, quàm obsequium extorquere. Et quoniam in Tribu Juda multùm poterat Amasa, suus ex sorore nepos, magister militiæ sub Absalone, eum blandè interpellavit, factâ spe in legitimo principatu, quem habuerat in rebellione, magistratus. Denique ita se gessit Rex optimus, tantâ amoris significatione undique accersitus est à Tribubus, ut non amisisse regnum, sed de novo ad imperium promotus esse censeretur.

3010.

*David parcit Semei.*

Revocatus ab omnibus Tribubus Hierosolymam nobis reducendus est David. Sed antequam eò perveniat, ejus relegendum est iter. Stravit enim eò sibi viam egregio mansuetudinis exemplo. Semei qui fugientem conviciis & lapidibus exceperat, redeuntem suscepit prono in terram corpore, προσκυνήσας, probavitque non fuisse vanum convicium Abisai, dum eum appellavit canem. Huic tamen ignovit David, aut certè supplicium distulit; quamquam aliter videretur Abisai, qui secari volebat jugulum, unde tot convicia eruperant.

*De M[...] boseth malè [...] cat.*

Miphibosetus autem iniquissimè spoliatus à servo suo Sibâ, dimidiam tantùm bonorum suorum partem recepit, alteram calumniator abstulit, cruce, quàm tali possessione dignior.

*Berz[...] Gala[...] tes.*

Sed justior idem David fuit in Berzellæium, Galaaditem, quem de se exule optimè meritum adhibere sibi perpetuum convivam voluit; verùm is octogenario major, in filium suum hanc gratiam refundi maluit, ut ipse quietiùs viveret, & regio beneficio ejus familia diutiùs frueretur.

*Seb[...] bell[...] Ab[...] urg[...] ext[...] tur*

Jamque non procul erat Rex ab urbe Regiâ, & quietis sede, cùm propè rejectus est in discrimen ambitione Tribus Judæ. Hæc dum exhibere cupit populari suo benevolentiæ testimonia, reliquas à se Tribus, & à Rege pænè abalienavit. Dum enim Tribus reliquæ hanc Regiam increpant, quod reliquas illa prævenisset, & adfuisset tota in reducendo principe, dum cæteræ tantùm id officii exhibuissent ex parte, & durius responsum esset ab hac Tribu Juda, quam temporis ratio, & ad civile bellum inclinatio pateretur; inventi sunt nonnulli qui Sebam novæ factionis, & rebellionis authorem sequerentur. Ad eos opprimendos cùm emisisset David Amasam novum militiæ Magistrum, isque gloriæ suæ, quam extinguendæ seditionis solicitior, luculentiorem scripsisset exercitum, paulò tardius venit, quàm temporis, bellique ratio postularet. Itaque jam eum præcesserat

Abisæus

Abisæus cum iis copiis, quas David habebat ad manum. Aderat tum fratri Abisæo Joabus, alias totius exercitus ductor, nunc unus ex volonibus. Is dolore ardens quòd dignitate suâ spoliatus esset, ut eâ exornaretur Amasa, dum eum salutare fingit, pugione confodit, in hac arte Sicariorum non rudis, utpote qui Abnerem dignitatis hujus candidatum aliàs confixisset. Et duorum militiæ Magistrorum cædem impunitam relinquere coactus est David, in aliud tempus ultione sapienter dilatâ. At Joabus, ut præclaro aliquo facinore suum scelus obrueret, acerrimè persequutus est Sebam, qui demùm inops consilii in urbe Arbelâ Nephtaliticâ conclusus, & obsessus est. Hîc tamen à civibus capite truncatus est, quod diademate dignum judicarat, & tum quidem hoc ejus caput pretiosum fuit, quo redempta sunt urbis hujus eversio, & incendium.

*[I]onica [M]igratio.* Contigit & hoc anno centum quadraginta annis ab eversâ Troiâ Jonica Migratio, quæ ita se habuit. Codrus ultimus Atheniensium Rex reliquit tres filios Medontem, Nileum, & Androclum. Eorum nemo Rex successit patri, sed Medon primogenitus licet uno claudicans pede creatus est perpetuus ἄρχων. Ob id vitium corporis cùm fratri non cederet Nileus, lite ad Apollinem Delphicum delatâ, is à Medonte pronunciavit. Nileus & Androclus sibi subsistendum esse in Atticâ non putarunt, ubi Regum filii, privati vivere compellebantur. Junxerunt ergo sibi Jonas, tum in Atticâ peregrinos, & cùm illis in novam coloniam proficisci decreverunt. Trajecere fœliciter in Asiam, atque infra Ephesum collocavere sedem, Regio nempe de suo nomine dixerunt Joniam. Per eam migrationem fuerunt Jones in alieno solo, quàm in patriâ illustriores, habiti bellicosissimi, inter ignavos, & molles Asiaticos. Sic non arboribus modo, & frugibus, sed & hominibus aliquando cœlum, atque solum mutasse profuit.

---

## CAPUT II.

## Decas II. Sæculi XXXI.

### Ab anno 3010. ad 3020.

3014.

*[Sa]ulis po[ste]ritate fit [Gaba]onitis.* Fames jam tertium annum sæviebat in regno Davidis, & adhuc expectabatur major, cœlo terrâque siccissimis, cum ab eo consultus per Abiatharem Deus respondet Gabaonitis esse faciendum satis, ut pluvia, fertilitasque sperentur. Hos per summam injuriam, animique levitatem, conservatos licet à Josue, ex Amorrhæis, præpostero Religionis zelo, Saul exterminare conatus erat. Tum immerentes filii ac nepotes patris, & avi peccata luerunt. Acti enim tum in crucem sunt septem ex Saulis familia, duo ex Respha ejus Concubinâ, quinque ex Michole Merobo geniti. Ubi Respha insigni charitate juxta cruces vixit, in tuguriolo, ut à filiorum corporibus feras, & volucres abigeret; & tandiu donec superveniente pluviâ (signo exorati Numinis) in sepulchra majorum suorum inferrentur; Mulier viro meliore, & liberis fortunatioribus dignior.

3016.

Quatuor prælia contra Philisthæos, huic anno commodissimè possunt aptari. Primùm Davidis fuit, in quo dum pugnat adversus Jesbibenob gigantem Goliatho parem, vir succubuisset, nisi Abisæus superveniens Gigantis cæde Regis sui periculum discussisset. *Quatuor prælia contra Philisthæos.*

Alterum gestum in Gob, seu Gazer; locus enim is utroque nomine dictus est. Hîc Sobachæus unus è fortibus Davidis Saphum Gigantem occidit de stirpe Arapha; tumque animus, ut sæpè fit, corporis moli prævaluit.

In tertio Elcana, Latinè Adeodatus inter fortissimos Davidis commilitones unus, Goliathum huic cognominem quem cæciderat David immò & fratrem, interemit; eò tantùm fortunatiorem fratre, quod is pastoris manu, atque fundâ, ille à militari viro, & armis interiisset.

Ultimùm confectum est ad urbem Getham, ubi Gigas reliquis magnitudine par, illis hoc superior, quod sex in pedibus, ac manibus digitos habebat, de stirpe Arapha, ex provocatione interemptus est à Jonatha nepote Davidis, ex fratre Samaa, & quæ evomuerat adversus Israëlitas convicia, exprobrantis eluta sanguine, nulli magis, quàm authori nocuerunt. Hoc tantùm dedecoris supererat Philisthæis, ut cum sæpè domiti quatuor Gigantes illos emisissent, ejus gloriæ atque victoriæ quatuor quasi colossos excitasse viderentur.

3017.

Enumerationem populi non sine fastu anno superiori inchoatam, hoc fermè affectam, facti sui pœnitens David abrupit, pœnam nihilominus sensit. Justus enim à Gado prophetâ, quod vellet ex tribus flagellis eligere, tridui prætulit cæteris pestem, quâ esset Dei non in hominum potestate. Eâ porro lue septuaginta hominum millia perierunt, ut populi cùm Seba, & Absalone defectio gravior, simul eum levi boni principis delicto, hujus dolore, illius nece castigaretur. His assumptis placatus est Deus à Davide sacrificio, & in eo loco ubi viderat Angelum terrifico vultu gladium in vaginâ recondentem. Ea erat area Ornan, seu Areuna, olim Abrahami, Isaacique sacro, posteà Templi Salomonici solo longè celebrior. Hanc cùm absque pretio regi offerret loci dominus, pecuniam invitus recipere coactus est, ne David ex alienâ liberalitate, non de suo gratus, & religiosus haberetur. *David ob enumerationem sui populi mulctatur.*

3018.

Seni Davidi effœtoque ac frigido vel ex ætate, vel ex morbo, vel ex vitæ admodum exercitæ laboribus, juncta fuit Abisaga virgo Sunamitis, quæ eum accubans calefaceret. Hanc tamen bonus senex, quamvis uxorem, nunquam agnovit, quod eam morbi, non libidinis remedium accepisset. *Abisaga Davidem calefacit.*

3019.

3019.

*Adonias regnum nititur occupare.*

Hoc anno attollebatur Adonias, ut gravioricasu rueret. Formâ enim, & ambitione propè par Absaloni, ut hic quondam, curribus, equitibus, & antecessoribus quinquaginta stipatus, non expectare, sed invadere regnum, quasi primogenitus, videbatur. Neque verò corripiebatur à patre, quem ætas prope decrepita, & nimis bonum patrem, & molliorem reddebat Regem. Uterque tamen mox castigatus est, cum David rebellionem enascentem vidit: novum, alium à se, constitutum vidit Regem Adoniam, dispari damno, ut longè dissimili culpâ.

3020.

*Salomon jussu Davidis inungitur.*

Tum Adonias tractis in partes suas Joabo, & Abiathare, quasi armis, & religione munitus de regno invadendo cogitavit. Et verò post sacrificium, & ante Regium convivium, ad fontem Regel ab Abiathare inunctus, à suis Rex acclamatus est. Id inscio Davide fiebat: ad eum igitur cum hujusce conspirationis nuncius perlatus esset, per Nathanum, & Bersabeam, evigilans quasi de somno, adhibito jurejurando de vero successore, Salomonem per Sadocum statim inungi jussit ad fontem G hon, locum Regeli prorsus oppositum. Eò Salomon insidens mulâ regiâ deducitur per legiones Cerethi, & Phelethi, duce Banajam, ibidemque ritè inunctus inter lætas populi acclamationes in Aulam reducitur, & in Regio throno collocatur. Hæc cùm adversæ factioni significata essent, reliquis fugâ dilapsis, Adonias perduellionis reus, fugit ad altare Gabaonis; ejusque prehendit cornu; neque hinc abscessit, nisi fide datâ sibi de vitâ, quàm Rex novus liberaliter indulsit, ad se venientem perhumaniter accepit, admonitum duntaxat, ut deinceps cautius viveret. Ita miser Adonias dum nimis festinat ad regnum, ab eo excidit, & jam renunciatus vitæ ac necis arbiter, beneficii loco duxit, ab eo vitam recipere, quem fortassis ad mortem destinarat.

*Cuma Phricotis condita.*

Eodem anno ab Jonicâ migratione decem ab incensâ Trojâ annis centum quinquaginta Cuma Phricotis, seu Phriconis condita est ab Æolibus; qui profecti ex Laconiâ, eodem tempore, quo forti Penthili habitarunt in Locride circa Phricum montem. Pristinæ autem sedis memores eam dixere Phricotidem, vel Phriconidem.

*Cuma Italica.*

Fuit & alia Cuma percelebris in Italiâ, sed quo anno statuta non liquet; dum aliqui eam ante Troicam alii longè post, conditam volunt. Fuit autem hæc Cuma Euboicorum colonia, qui profecti sunt ex Chalcide ducibus Hippocle Cumæo, & Megasthene Chalcidensi. Horum cursum prævolans columba rexisse perhibetur, aut ut alii volunt æris crepitus, quales in nocturnis sacris Cereris audiri solent. Sic autem convenerat inter duos populos hujus authores coloniæ, ut alter imperaret, alter urbi nomen imponeret. Ita factum; urbs Cuma Euboica, civitas Chalcidensium audit, vanisque appellationibus, utriusque populi concordiæ pacique sapienter consultum est.

## CAP. III.

## *Decas III. Sæculi XXXI.*

*Ab anno 3020. ad 3030.*

3021.

*Moritur David.*

Hoc anno celebratis comitiis Salomon iterum Rex. Sadoc ex stirpe Eleazaris Pontifex inunctus est. Tunc itaque Abiathar exauthoratus est, permissus tamen vivere Hierosolymis: Sic primus è conjuratoribus punitus est quem peccare decebat minus. His perfunctus David anno vitæ septuagesimo secundo, Salomone sanctissimis monitis instructo, huicque templi fabricâ accuratissime commendatâ, cum regno vitam posuit; vir acceptissimus Deo, ejus ore non semel laudatus, & de quo facto Rege Deus ipse meritò gloriatus est.

3022.

*Adoni[as] & Ioa[b] interfi[ci]untur.*

Nova hoc anno erupit in Salomonem conjuratio, ab Adonia, Joabo, & Abiathare, Adonias Abisagam quondam uxorem Davidis, sed relictam virginem sperabat conjugem, & in eâ gradum ad regnum. Joabus & Abiathar sic putabant recuperare dignitates suas, quibus erant spoliati; omnes spe sua exciderunt, ac sibi accersiverunt infortunium. Et Bersabea quidem imprudens favebat his nuptiis Adoniæ, at Salomon sagacior, quo spectaret is ambitus prævidebat. Itaque & matrem repulit, & ambitiosum procum, iterum læsæ Majestatis reum per Banajam cædi jussit. Joabus multorum criminum insuper reus, quamquam teneret aram, inde vi ad supplicium abstractus est; nec profuit locus religiosus homini, qui tot hominum nobilium cæde impium se, & irreligiosum præbuisset. Abiatharus in vicum Anatoth relegatus est; hocei Pontificatus, & cum Deo commercium profuit.

*Salom[on] Deo r[ogat] Sapi[en]tiam.*

Non ita multò post invitatus est Gabaonem à Sadoco novo Pontifice; novus Rex Salomon, ubi victimis immolatis à Deo petere jussus est, quod maximè liberet. Omissis ille divitiis, & bellicâ laude, unam petiit sapientiam, quam & obtinuit, & cætera quæ præ illa neglexerat. Quænam autem ex hoc colloquio divino retulisset sagacitatem, judicium in causa duarum meretricum mox ostendit, quarum utraque infantem vivum sibi filium vindicabat, utraque mortuum ejurabat. Veram illam matrem à suppositititiâ solo affectu distinxit. Cum enim plagiaria infantem dividi probaret, ut neutrius esset; mater potius inter alienas manus optaret vivere, quàm interfici; ex hoc pietatis, & crudelitatis sensu, hanc ementitam, illam matrem sapienter judicavit.

*Iudic[ium] duar[um] mere[tri]cum*

*Salo[mon] nup[tiæ] cum Pha[raonis]*

Secutæ sunt nuptiæ filiæ Pharaonis cum Salomone, à Davide vivo longè antea conciliatæ: In cujus gratiam Cantica Canticorum ab hoc Rege tum scripta feruntur esse. Sed iisdem planè verbis homo fragiles, & caducos, Spiritus sanctus amores firmos, & immortales occinebant.

3023.

3023.

*MPLI NDA- ENTA.* Hoc anno post annos quadringentos octoginta ab egressu Israëlis ex Ægypto, celeberrimi in orbe templi jacta sunt fundamenta, in monte Moria petricoso, & ad immortale recipiendum ædificium nato. Hunc plerique omnes in Tribu Benjamin collocant, licet nonnulli ad Juda quoque pertinere putent, limite utriusque Tribus per medium hunc montem perducto. Quia tamen is erat angustior, quàm ut tantam ædem caperet, ingentibus substructionibus dilatandus fuit. Quæ quantæ fuerint post sex annos dicturi sumus, quando hoc opus affectum contemplabimur. Hoc enim tempore immensis sumptibus parata sunt ad tantæ molis fabricam terræ visceribus occultata sapientiam potiùs, & providentiam, quàm magnificentiam atque potentiam Salomonis ostentarunt.

3024.

*nei interficitur.* Hoc anno Semei conviciator ille Davidis afflicti, jussu Salomonis, manu Banaiæ interfectus est, cum urbe prohibitus egredi, pluris servos suos, quam Regis imperia fecisset. Condonata fuerant ei à Davide mortuo scelera, hac lege, ut nunquam Hierosolymis efferret pedem; si faceret reus obliteratorum scelerum statim cæderetur. Excæcatus avaritiâ ne fugitiva mancipia perderet, perrexit ad Gethæum Regem, ex cujus ditione servos infortunatos ipse infortunatior retraxit, cum illi ad servitutem, hic ad necem, & gladium redierit.

3026.

*ba Sylus.* Tum Alba Sylvius Latino præfectus est regno, quod annis undequadraginta tenuit, dictus de nomine urbis suæ primariæ, nec alio in historiâ notus.

3029.

*mplum omonis.* Tum propè effectum erat ab authore dictum Salomonicum Templum, mundi verè miraculum, & cui reliqua composita Apinæ Tricæ videantur.

Ejus Templi peribolus quingentorum calamorum, hoc est, trium millium centum & viginti quinque cubitorum fuit (calamus enim est mensura sex cubitorum & palmi.) Tum intercurrebat via calamorum sex, seu 37. cubitorum cum dimidio, ad primum murum quo *rium ntium.* atrium gentium cingebatur, ita dictum quod id Allophyli subire possent; Is autem murus undicunque quadringentorum quadraginta calamorum erat, seu cubitorum bis mille septingentorum quinquaginta. Sequebatur murus cingens Atria sancta 320. calamorum, seu 2000. *ria cta,* cubitorum; & hæc Atria sancta in novem partes fermè æquales dividebantur. Quarum sex dicebantur exteriora atria, tria ad meridiem scilicet ad Africum, ad Austrum, ad Eurum, tria ad Boream, videlicet ad Aquilonem ad Septentrionem, ad Caurum; septimum denique Orientem versus ad Subsolanum porrigebatur.

Reliqua Atria duo interiora vocabantur, & primum quidem in Occidentem seu Zephyrum vergens appellabatur sancta, & locus ille totus laminis aureis, egregiè cælatis vestitus erat; sed iterum muro dirimebatur in duas partes, superior nominabatur *Sancta Sanctorum*, aliter *oraculum*, seu *propitiatorium*. Hebraice *Dabir*, quod tantùm subibat semel in anno Pontifex, & in eo erat Arca sub alis Cherubin, & egregiâ palmarum, & Cherubinorum cælaturâ: altera pars ἁπλῶς dicebatur *Sancta*. Hebræis *Hecal*, ubi stabat altare incensorum, seu Thymiamatis versus oraculum, & in ejus vestibulo columnæ duæ materiâ, formâque nobiles, *Jachin* & *Booz*, etiam locum vestitum laminis aureis cohonestabant. *Sancta Sanctorum. Sancta.*

Supererat atrium aliud interius Leviticum dictum, in cujus medio visebatur grandis Ara Holocaustorum, candelabra, mensa propositionis, in quâ quotidie panes calidi offerebantur Deo, mare æreum seu labrum, concha ingens item ærea, ad lotiones & purgationes Sacerdotum; & in his omnibus ars cum materiâ certare videbatur. *Atrium Levitarum.*

Nihil hic ago de cubiculis, & exedris Levitarum atque Sacerdotum, quæ aliter Pastophoria; nihil de tecto cujus tegulæ foris ex ære fusili, intus erant ex auro. Nihil hic commemoro decem mensas aureis laminis vestitas, totidemque candelabra unius talenti pondere, & centum viginti quinque aureorum millibus æstimata. Non appello instrumenta aurea qualiter centies mille & viginti; argentea centies decies & quinquaginta millia quorum Josephus meminit. Hoc dico, unde operis hujus magnificentia possit æstimari, quod asserunt Pradus. Villalpandus, Salianus, trigesies centies millia aureorum, seu ut vulgò loquimur tria millia millionum auri in id operis adhibita esse, quam summam intra annos septem ne plures dicam, Reges omnes Asiæ, Africæ, Europæ, quorum divitias novimus, vix possent repræsentare. *Pastophoria. Suppellex. Impensa in templum.*

3030.

Tam illustris basilica hoc anno perfecta ejus obsequio mancipanda erat, qui ejus struendæ voluntatem Davidi dederat, Salomoni facultatem. Verùm id ut fieret eâ celebritate, quæ responderet ædificio, accersitus est universus populus, atque ita dispositus per sapientissimum Regem, ut multitudo pompæ nihil officeret, sed eam redderet amplitudine, & varietate augustiorem. Venit & in partem hujus magnificentiæ duplici miraculo Deus. Nubes enim de cælo defluens totam implevit domum addictam Deo, & sponte conceptus ignis victimas paratas combussit, ut innueret Deus quàm accepta essent ipsa sacrificia, in quibus ipse Sacerdotum faces, & manus prævenisset. His ostentis invitatus populus tam multa obtulit sacrificia, ut intra septem dies bovum viginti duo millia, arietum centum viginti millia religiosè cæderentur; quibus peractis dimissus est populus, cùm ei Rex benè, ille Regi fausta omnia precatus esset. *Dedicatur Templum Salomonicum.*

## CAPUT IV.

## *Decas IV. Sæculi XXXI.*

### *Ab anno* 3030. *ad* 3040.

3031.

*Salomon sibi, & filiæ Pharaonis Domos ædificat.*

HOc anno Salomon ad palatia sibi, ac filiæ Pharaonis construenda adjecit animum, unâ cum domo saltûs Libani, quæ esset ad oblectationem utrique communis, ut urbi atque templo non tantùm ornamento, sed & præsidio essent, simul cum regiâ Davidis arce: quibus dum delicias, & laxiorem habitationem prætexit, sibi ac Pontificibus adversus inopinos casus receptacula præparabat.

3037.

*Naves Salomonis in Ophir.*

Tum paratæ Salomonis classes in Mari rubro ad Aziongabel, in Ophiram vela fecerunt, aut etiam secuti nonnullis placet, indidem redierunt; quæ deinceps tantam auri argentique abundantiam retulerunt, ut argentum Hierosolymis instar lapidum esset. Quâ hyperbole Deus ipse nunquam usus esset, nisi ea copia incredibilis fuisset. Parum enim videbatur quod ope Tyriorum ex Tarsis, seu Tartesso, & ultimâ Hispaniâ parabatur. Ubi autem sita esset hæc Ophira regio, unde aurum, & ebur exportabatur, nondum liquet, aliis malè Peruanam in Americâ obtrudentibus; aliis Taprobanam id est Ceylanum, vel Sumatram in Asiâ; aliis Sophalam in Africâ meliùs offerentibus. Certè si vera sunt quæ Lusitani referunt de Salomonis memoriâ, & monumentis in regno Sophalensi, quæ hactenus perdurant, frustra aliò hæc χρυσοφόρος, & Ἐλεφαντοφόρος, regio quæritur; sed dum nimis aperta, & certa naviculatores illi proferunt, saltem non adimunt omnem imposturæ suspicionem.

3038.

*Smyrna condita.*

Hoc tempore annis duodeviginti à Cumâ Phricotide conditâ Smyrnam iidem Cumæi statuerunt.

*Homeri natales & patria.*

Circa urbis hujus initia Homeri quoque Natales à Chronographis vulgo proponuntur à Troiâ excisâ anno 168. De ætate non minor est, quàm de patriâ controversia. Eam autem hic dirimere non possumus, & malumus in Herodoti opinionem indiscussam abire, quam excutere sententias Philochori, Aristarchì, Apollodori, Euthymenis, Eratosthenis, Theopompi, Euphorionis, Sosibii, & quorundam apud Gellium, qui hunc Ægyptium esse putaverunt. Septem urbes de ejus patriâ disputant.

Κύμη Σμύρνα Χίος, Κολοφὼν, Πύλος, Ἄργος, Ἀθῆναι aut apud Gellium legitur.

Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφὼν Σαλαμὶν, Ἴος Ἄργος, Ἀθῆναι. De ætate verò scriptores decem discreptant: ut innueretur talem, ac tantum virum, & ubique, & semper vivere debuisse.

## CAPUT V.

## *Decas V. Sæculi XXXI.*

### *Ab anno mundi* 3040. *ad* 3050.

3042.

*Absoluta ædificia Salomonis*

HOc anno Salomonis omnia ædificia perfecta sunt, tantâ magnificentiâ, ut non Palatia sed Templa, non ad Regem, Reginasve, sed ad Deum, & cœlites recipiendos comparara esse viderentur. Respondebat ædificiis supellex tota ex auro, argenti hic nulla mentio, quod erat tenuioris notæ virorum hujusce temporis. Eodem pertinent ducentæ hastæ aureæ, singulæ bis mille quingentorum aureorum: trecentæ item peltæ laminis aureis obductæ, singulæ mille ducentorum, & quinquaginta aureorum. Sed inter reliqua opera excelluit Thronus ille ex ebore, auroque confectus, ubi duæ manus humanæ fulciebant sedem juxta Leones duos, ut hic terror cum humanitate jungeretur: Sex gradibus sex utrinque Leunculi quasi ad præsentiam Regis assidebant. Opus eximium planè, & cui in aliis regnis, Deo ipso teste, simile non stetit, ut Regi solium æquaretur.

*Supellex, & Arm[a]*

*Thronus Salomonis.*

3043.

*Salomon dat Hi[ra]mo urbe[s]*

Tum Salomon Hiramo Regi Tyriorum viginti assignavit oppida, unde perciperet fructus annuos donec sibi factum esset satis, ob excisa per Tyrios ligna de Libano, atque deportata ad Templi, & ædificiorum fabricam, & propter plurimum auri appensum ad domorum ornamenta. Tum autem conquestus est de Salomone Hiramus quod civitates assignasset parum fertili loco sitas, & quarum fructu tot nomina non facilè dissolverentur. Verùm fratris interposito nomine, & missis insuper auri talentis centum viginti, ostendit hanc controversiam amicorum fuisse, & qui de benevolentia, & amore potiùs, quàm de pecuniâ disceptarent.

3047.

*Regina Saba a[d]venit*

Circa id temporis venit ex ultimâ Arabiâ Fœlice, atque Sabâ Regina Sabæorum, ad Salomonem Aromata tam pretiosa detulit, ut iis illam non fuisse Æthiopicam, sed Arabissam liceat subodorari. Venit autem illa ex finibus Asiæ versus Austrum, & audita, visâque Sapientiâ Salomonis in dissolvendis ænigmatis, in ordine familiæ, in regni administratione, labores suos non malè collocatos putavit. Multis cumulata muneribus, & ut multi autumant ex eo susceptâ prole rediit in patriam suam, & vivam Salomonis imaginem pudicitiæ suæ, honorisque jacturâ benè emptam existimavit.

3048.

*Uxor[es] conc[ubinæ] Salo[mo]nis.*

In hoc tempus commodè rejicias multiplices nuptias Salomonis, eique junctas uxores tam primarias, quàm secundarias tanto numero, ut vix inveniat fidem. Quis enim crederet uni homini fuisse septingentas uxores, quasi Reginas, trecentas inferioris notæ pellices, & quasi concubinas, nisi is asseruisset qui nec fallere,

lere, nec falli poteſt. Major ergo mulieroſi Regis libido fuit, quàm hominum fides; utique non credenda, niſi hanc Deus ipſe conteſtatam reliquiſſet.

3049.

*Depravatur Salomon per mulieres.* Neque multùm differas ab his nuptiis Salomonis in re majoris momenti deliria; quando ante idola luxurioſus ſenex procubuit, ut mulierculis placeret, ex libidinoſo factus Apoſtata. Duxerat ille alienigenas uxores multas, quas longè magis, quàm populares ſuas deperibat. Eæ factæ Proſelytæ ut marito ſapienti placerent, ubi deprehenderunt quid jam poſſent in amentem, Deorum ſuorum cultum reſumpſerunt, in quem etiam ſenſim hominem uxorium pertraxerunt. Et principio numinibus hiſce falſis ſupplicem tantùm obtulit corporis cultum; mox thura, atque victimas, denique & templa poſuit, ut non jam duntaxat unius ſceleris reus, ſed & alieni, & multiplicis criminis particeps inveniretur. Ita nec mortalium omnium ſapientiſſimo ſimul amare. & ſapere conceſſum eſt.

## CAPUT VI.

## Decas VI. Sæculi XXXI.

### *Ab anno* 3050. *ad* 3060.

3054.

*Salomon ... Templum Diis ... rum.* TUm Abulenſis putat fuiſſe perfecta Templa Aſtartes, ſeu Veneris Sidoniorum Deæ; Melochi ſeu Saturni Dei Ammonitarum; Chamos ſeu Priapi Dei Moabitarum, aliorumque idolorum, quibus uxores illæ Regiæ cum ſuis victimas immolabant, Salomone primum ſpectante, mox etiam faciente, ſed quid mirum idolis obtuliſſe ſacrificia, qui ſe totum mulieribus addixerat, & vile libidinis mancipium, factum eſſe ridiculum Dæmonis ſacrificulum Salomonem.

3055.

*... Salomonem pœnitentiam vocare ...itur.* Ut ad ſe Rex aliquando rediret, quondam acceptiſſimus cœlo per Deum non ſtetit; concitatis adverſus eum hominibus, in quorum rebellione ſuam adverſus Deum animadverteret, & deteſtaretur. Razon Idumæorum Rex, Hebræis tributa pendere ſolitus, ea ejuravit, & auri loco ferrum obtulit: Adadus ex prædone factus Rex Damaſci, & jam à Davidis tempore vectigalis, tum ſui juris cæpit eſſe, deleto præſidio Iſraëlitarum; neque id dedecus Salomon retinere potuit, ad majorem contumeliam ſibi per graſſatorem inuſtum. Denique ut viciniori premeretur malo Jeroboamus belli civilis jecit ſemina, quæ paulo poſt in ejus filii perniciem eruperent Ahius enim Silonites Dei afflatus numine occurrens huic Jeroboamo pallium ſuum novum in duodecim partes ſecuit, quarum decem ei obtulit, cum ſpe decem Tribuum novique Regni. Et quamquam Salomon & Vatem, & novi regni candidatum ad necem perdiligenter quæreret, fugâ tamen in Ægyptum ſibi conſulentes ambo, hic ſe Regem electum à Deo, *...boamo ...dicitur ...gnum.*

ille ſe non vanum fuiſſe Prophetam, tempore demonſtrarunt.

3056.

Hoc tempore tribus circiter annis antequam è vivis abiret, plerique Salomonem ad ſe ſanamque mentem putant rediiſſe. Et verò huic opinioni videntur adſtipulari ſeptuaginta Sapientes Hebræi, quorum textus fermè inſtar ſcripturæ eſt, apud quos *pœnitentiam egiſſe* Salomon dicitur, & *elegiſſe diſciplinam,* Favent etiam huic ſententiæ multi è Sanctis Patribus, qui Eccleſiaſten ab illo Rege pœnitente conſcriptum aſſeruerunt. Quæ cum piè credi, ſanctéque poſſint, ſic irrideri Hebræorum quorundam commenta debent, qui Salomonem per plateas Hieroſolymorum raptatum, nudatum ignominioſè ad verbera, ſuâque ipsâ manu, recuſantibus id ei officii Sacerdotibus, atrociter laceratum nobis repræſentant. *Salomonis pœnitentia.*

3059.

Salomon regni ſui anno quadrageſimo ſexagenarius obiit, ut creditur à quibusdam morbis ex intemperantiâ contractis, vel ut alii volunt ex animi mœrore, quo ultimos vitæ hujus annos Deus peramanter condiit. Sepultus eſt in tumulo, quem ſibi magnificè condiderat juxta patris Davidis tumulum, in quem deinceps, paucis exceptis, Reges Judæ poſt mortem illati ſunt. Vir cujus nec meliora initia optare poſſis, nec deteriores exitus reformidare. *Moritur Salomon.*

3060.

Succeſſit ſapientiſſimo patri, filius inſipientiſſimus Roboamus, qui ſtatim regnum ſtolidè auſpicatus eſt. Cum enim in publicis comitiis regni populus eum rogaſſet, ut de vectigalibus aliquid remitteret, quibus à Salomone attritus erat, inde ſuaderent ſenes, quondam à conſiliis Salomoni; ille contra adhibitis ſibi juvenibus, ac ſui ſimilibus conſiliariis reſpondit ineptiſſimè, digitum auricularem ſuum, eſſe patris ſui dorſo craſſiorem, exceptam à parente plebem verberibus, ſe ſcorpiones adhibiturum. Quæ tam aliena ab homine ſano, & novo Rege, & tempore viſa eſt reſponſio, ut ob eam maxime à pleriſque ſceptro judicaretur indignus. Et verò qui adhibitus fuerat à populo deprecator Jeroboamus, hanc occaſionem elabi paſſus non eſt. Unguis enim factus in ulcere decem Tribus in duas partes diſtraxit, duæ tantùm Juda, & Benjamin, in gratiam patris, & avi fideles adhæſere Roboamo, & Regnum Juda conſtituerunt; reliquæ Iſraëlis Regnum confecere. Tanti ſtetit novo Regi, nondum firmatis imperii rebus imprudens, & malè concocta reſponſio. *Succedit Salomoni Roboamus.* *Roboami ſtolida reſponſio.*

## CAPUT VII.

## Decas VII. Sæculi XXXI.

### *Ab anno mundi* 3060. *ad* 3070.

3061.

IN Regnum Iſraëlis invexit idololatriam amor malus regni, & ejus amittendi pejor metus. Verebatur Jeroboamus, ne, ſi Judæi omnes templum Salomonis adirent, ſenſim abalienarentur *Ieroboamus invehit in regnũ ſuum idololatriam.*

rentur à se, reconciliarentur Roboamo. Vitulos itaque duos aureos conflandos curavit, unum in urbe Dan, alterum in urbe Bethel, falsumque pro vero falsi Numinis instituit cultum. Cum igitur religionem metuit, superstitionem induxit Rex malus, nequior idololatra. Vitulos autem proposuit aureos, memor Apis Ægyptii in quem Hebræi respexere, & præterea ut placeret Sesaco Ægyptio, quem affinitate contingebat. Sed statim audivit Rex impius veri Dei quem deseruerat minas, sensit potentiam. Missus enim est ex Judâ Prophetes qui hoc facinus inciperet, & de altari contra Dei legem excitato vaticinaretur. Nec vana illa, & inanis vaticinatio fuit. Statim altare sacrilegum confractum dissiluit, cinis quem capiebat effusus, sicuti vates præcinuerat, Rex autem dum manum extendit in eum quasi furiosum, ut satellitibus traderet, sensit eandem exarescere, cujus tamen usum ad Sancti viri preces recepit; sicque malo quod promeruerat, & remedio quo indignus erat, verum ad se venisse Prophetam intellexit. His peractis quanquam ad regium prandium invitaretur Vates jejunus, sicuti Deus imperarat, effugit. Verùm ab alio Propheta inductus in fraudem malè periit. Ab eo enim simulante cum Deo colloquium, & aliud Numinis imperium, quo apud sui similem capere cibum permittebatur, retractus est è via, & mendacis hominis assedit mensæ, atque comedit. Sed tum vere huic subdolo Prophetæ locutus est Deus, & imprudenti convivæ, quique se deludi passus erat denunciavit interitum. Et nimiùm verè dixisse monstravit eventus. Redeuntem enim Vatem ad suos Leo interemit, nihil tamen ejus cadaveri, jumentoque nocuit, sed quasi utrumque servaturus, accubuit; ut inde omnes ediscerent, feram Numinis instrumentum fuisse, interfectum hominem à Leone, non famelico, sed Dei jussibus, quàm homo fuerat, obsequentiore. Ita Deus à viris sanctis tum obsequium, vel vitam extorquebat; nec iis vivere licebat nisi subditis Numini, levem etiam imprudentiam morte, ac sanguine luentibus.

*Mittitur ad Ieroboamum Prophetes.*

*Prophetes interficitur à Leone.*

3063.

Roboamus Rex Juda collectis centum octoginta millibus bellatorum & Tribubus Juda, & Benjamin, ereptam sibi à Jeroboamo repetebat armis imperii partem. Verùm eam expeditionem Semeias prophetes impedivit, denunciatâ Dei voluntate ne fratres cum fratribus committerentur. Mirum! ad unius homuli vocem tantus d[i]ffluxit exercitus; adeò tum poterant homines addicti Deo, ut ad eorum nutus bella susciperentur, & abrumperentur; mirantibus etiam obsequium suum qui inviti propè paruissent, & noluisse se quod maximè vellent.

*Roboami expeditio abrumpitur per Prophetam.*

3064.

Certavere igitur inter se Reges Juda, & Israëlis non armis, sed criminibus, hic vitulis aureis, ille Priapi sacris, cujus Dei Maacha Regina erat Antistita. Deus immortalis! quam turpem hanc aulam esse oportuit quæ fœdissimæ superstitionis Sacerdotem Reginam habebat. Ad hanc turpitudinem exterminandam, immissus est à Deo Sesacus Rex Ægypti, etiam ab affine suo Jeroboamo adversus æmulum suum Roboamum evocatus. Sesacus ille porrò ab aliis vulgo Sesostris dicitur, irruitque tum in Palæstinam cum mille ducentis curribus bellicis, equitum millibus sexaginta, peditibus quorum numerus iniri non poterat ex Ægypto, Libyâ, Trogloditide, Æthiopiâ collectis; has enim priùs gentes devicerat, iisque ad alias subjugandas utebatur. Quàm ignaviter, non dicam, pugnarint, sed fugerint tum Hebræi, qui steterunt diu in Syriâ turpissimis notis insculpti cippi, Herodoto teste docuerunt, monimenta Ægyptiacæ, facilisque victoriæ. Sed longè meliùs id innuit, quod urbis suæ regiæ incendium, & vastitatem Thesauris templi sit coactus impedire Roboamus, suam suique populi libertatem pecuniis sacris à victore sacrilego redimere propè necessario compulsus sacrilegio.

*Sesacus spoliat Roboamum.*

Eodem anno Latinorum Rex sextus Capetus regium solium ingressus est Albæ, tenuitque annis viginti sex. Hunc Livius Atym vocare videtur; sic enim filium Albæ nominat, eique filium Capyn subjicit. Sed hæc & remota, & à remotis authoribus scripta, tantùm habent fidei, quantùm benevolus lector voluerit & dederit.

*Capetus 6. Rex Latinorum.*

3066.

Quamquam convenirent inter se vitiis Roboamus, & Jeroboamus, ex levitate potiùs ille, hic ex malitiâ peccabat. Et stabat Hierosolymis vera Religionis sedes, ad quam optimi quique Hebræorum confugiebant. Aderant & hîc Levitæ Deo sacra gens, & addicta pietati, quàm ubique fovebat: cum apud Jeroboamum curarent vitulorum cultum homunciones de populi fæce, quibus erant Dij venter, & crumena, animalibus Diis digni Sacerdotes. Et licet plures subditos in decem tribubus numeraret Jeroboamus, iis tamen ex Juda & Benjamin fortissimos, Roboamus opponebat. Hinc enatum est bellum atrox, iisdem armis, & ordinibus, civilique propiùs, quam externo. Gestum est autem paribus odiis; & obstinatione, cum utrumque ageretur de regno, quo nullum est ad inimicitias telum potentius. Hoc bello & atroci, & diuturno Reges duo suos subditos attrivere, domi exactionibus, foris depopulatione consumptos, à suis, & ab hostibus vexatos; utrimque miseros ac prædæ semper patentes, sive bellum acciperent, sive reponerent.

*Bella inter R[oboamum et] Ieroboamum.*

## CAPUT VIII.

## *Decas VIII. Saculi XXXI.*

### *Ab anno mundi* 3070. *ad* 3080.

3076.

Obiit hoc anno regni sui decimo septimo Roboamus, Rex adhuc contemptâ religione, quàm amissâ regni sui maximâ parte famosior; meritò itaque à Lucifero Calaritano Regibus Apostatis accensetur. Et vero cum ad impietatem erudierat. Naama mater Ammanitis, Maacha Sacerdos Priapi confirmarat; adeò fatales Salomoni ejusque stirpi mulieres extitere.

*Mo[rs] Ro[boami].*

3077.

3077.

*odoamo ccedit Abias.* Roboamo demortuo in Regnum Juda successit Abias, genitus ex Maachâ dilectissimâ conjuge, ideoque fratribus, etiam antiquioribus præpositus. Hîc cùm videret paratum à patre exercitum, ut præberet se dignum imperio, cum quadringentis hominum millibus Jeroboamum est aggressus, licet ille sub signis haberet octingenta hominum millia. Sed multitudini Dei auxilium prævaluit. *Abias vincit Ieroboamu.* Abias enim circumfusus ab Israëlitis divinam imploravit opem, quâ animatus hostem tantâ affecit clade, ut ex ejus exercitu quingenta hominum millia ceciderit, tres ei civitates cum suis pagis eripuerit. At neque victoria neque clades, aut victori, aut victo profuit. Hic enim nihil se submisit Deo; ille vano intumuit fastu. Quid his hominibus facias, qui neque suppliciis timere, neque beneficiis amare discunt?

3078.

*roboamus perdit ium.* Mortuus est hoc anno Abias filius Jeroboami; quem cum ægrotare graviter videret pater, misit ad Ahiam Prophetam decrepitum senem, uxorem suam Ano dissimulato habitu, ut eum interrogaret de filii sui morbo. In tamen monitus à Deo, & Reginam agnovit, & filii denunciavit mortem; neque hoc tantùm, sed & universam Jeroboami familiam mox turpiter abolendam. Verùm Rex improbus, adeò imprudens fuit, ut ex præsenti, & minori malo, conjecturam de futuro, & atrociori non caperet, nec intelligeret filii mortem naturalem, & sepulchrum non inhonorum præludium esse ad reliquorum filiorum carnificinam, eorumque cadavera volucribus & feris objicienda.

3979.

*oritur biat Rex da.* Obiit hoc anno regni sui tertio Abias Rex Juda nihilo melior parente suo Roboamo, neque victoriâ divinitùs relatâ Deo factus addictior, Ideò non diu toleratus est in vivis, ne diutiùs Dei beneficiis abuteretur.

*ccedit bia Aza.* Successit ei filius Aza mali patris optimus filius, & sub quo Hebræa pietas, atque fœlicitas ita refloruere, ut parentis, avique criminibus illata Iudæis damna, filii nepotisque sanctimonia reparasse crederetur.

3080.

*a Regis tas.* Statim enim vir religiosus Aza evertit altaria peregrini cultus, lucosque succidit, ne amœnitas eorum foveret idololatriam. Nulla tum statua constitit, ne Priapi quidem, cujus Sacerdos erat Maacha avia, Hujus autem obsceni Dei turpissimam imaginem contumeliosè combussit ad Cedronem torrentem, in quem mox cineres sparsit, Ad hæc speluncam ejus multorum flagitiorum receptricem evertit; & aviam infami submovit Sacerdotio, quod in regiæ familiæ dedecus redundabat, Præterea quæ pater ejus voverat in periculis, ipse securus obtulit Deo religiosè, neque paternâ contentus voluntate, adjunxit munera sua, quò illam in paternis nominibus dissolvendis moram, propriâ, & diligenti liberalitate sarcisse videretur.

## CAPUT IX.

## *Decas IX. Sæculi XXXI.*

### *Ab anno* 3080. *ad* 3090.

3081.

*Moritur Ieroboamus.* Altero anno Azæ, violento funere raptus est improbissimus Jeroboamus, regni sui anno vigesimo secundo, qui scelere partum imperium, sacrilegio servavit; impietatis tantæ, ut passim in litteris sacris irreligionis proponatur exemplar, & Regibus sceleratis, atque rebellibus Deo signifer & antesignanus statuatur. De ejus porro atroci funere scriptura tacere videtur ad contumeliam, id innuere contenta; ut qui regnare voluerat etiam divini cultus dispendio, dignus non esset de cujus morte, atque supplicio Deus ipse loqueretur.

*Succedit Nadab.* Mali hujus corvi malum ovum fuit filius Nadabus, patre non melior, nisi quod minus vixit, minusque peccavit, non voluntatis defectu, sed temporis: Certe dignus est habitus in quo & propria & paterna crimina statim à Deo castigarentur.

3082.

*Bansa cædit Nadabum & occupat ejus regnum.* Bellum exarserat Israelitas inter, atque Philisthæos ad oppidum Gebbethon. Hîc Baasa de Tribu Issachar tetendit insidias, quibus Rex incautior interceptus occubuit. Particidii hujus præmium fuit in decem tribus imperium; & perduellis divini humanique juris, arbiter vitæ, atque necis apud Israelitas creatus: ita dermittente Deo ut scelera sceleribus vindicarentur.

3083.

*Baasa del & stirpem regiam barbare.* Parum fuit Baasæ Regem interimere, ut regnum occuparet; ut hoc servaret stirpem ejus sustulit universam. Id sanè crudele, & tyrannicum fuit; sed planè barbarum, mortuorum principum cadarera canibus in urbe, in agro feris, & volucribus devoranda objecisse. Quæ cum olim præcinuisset Ahias Prophetes Jeroboamo, hac denunciatione non absolvitur Baasa Tyrannus à crimine, sed Deus omnia prævidens justusque denunciabatur.

3087.

*Nascitur Iosaphatus.* Anno septimo Regni Asæ natus est ei filius Josaphatus ex Azabâ filiâ Salai, & natus ex religioso parente piissimus princeps, ut quæ exulabat ex Israële sanctimonia, optimorum duorum Regum palatio, sic tanquam sanctuario susciperetur.

3088.

*Baasa increpitus à Propheta, eum cædit.* Circa hæc tempora Baasa Rex Israëlis graviter increpitus est à Deo per Prophetam Jehu filium Arani, quod impietatem Jeroboami æmulatus esset, cujus vindex extitisset in ejus liberos, atque familiam. Denunciata est itaque huic pœna gemina, & similis ei, quam in sui principis stirpem exercuisset. Sed Rex & impius, & atrox, scelera sacrilegio cumulavit: Prophetam enim ipsum furiosè jugulavit, quasi effectum vaticinii, exterminato vate sublaturus esset, non accersiturus.

3089.

3089.

*Bellum inter Baasam & Azam.*

Annis decem quievisse in regno suo Asam Scriptura tradit; hoc igitur cum Baasa pugnare cœpit. Israelitam autem expeditionem suscepisse suspicor, ut recuperaret urbes, atque pagos sub Ieroboamo ab Abiâ decerptos. Sed Rex impius dum sarcire damnum, ac dedecus parat, novum incurrit, agnovitque pietatem ad omnia, sed in primis ad bella utilem esse, ac necessariam.

3090.

*Capys septimus Rex Latinorum.*

Hoc anno Capys Latinorum Rex septimus Capeto successit, rexit Albam annis duodetriginta, solo nomine (ut plerique alii Latinorum apud Dionysium Halicarnasseum) notus. Hunc Livius facit Athys filium.

## CAP. X.

## *Decas X. Sæculi XXXI.*

*Ab anno* 3090. *ad* 3100.

3094.

*Aza profligat Zaram Æthiopum Regem.*

Neque tantum adversus domesticos, & vicinos, sed adversus exteros, & longinquos hostes fretus pietate suâ fœlix Asa fuit. Zara Rex Æthiopum cum decies centum millibus armatorum irrupit in Palæstinam, sperans eandem cum Sesaco prædam cujus in exercitu fortè adolescens militarat. Verùm aliter in Deum affectus erat Aza, quàm Roboamus, & certiùs ab eo sperare poterat auxilium. Et verò is Dei, animique plenus occurrit Æthiopi cum trecentis millibus ex Juda, cum ducentis octoginta millibus ex Benjamin. Dimicatum utrimque fortiter ad Meresam in Tribu Juda, ubi precibus suis Aza traxit in partes suas victoriam: hostes ad internecionem deleti, Deo Judæis augente robur, animum & vires hostibus adimente. Quin & in Æthiopum auxiliatores Philisthæos arma conversa, quorum dirutæ urbes, abacta pecora, villæ incensæ, tantum prædæ ex utraque gente collectum, ut à Sesaco illata clades, & damna reparata censerentur. Nec ingratus fuit in Deum de tantâ victoriâ Rex optimus: fœdus enim cum eo renovavit, idola perdiligenter investigata conflavit, aut comminuit; ut quoniam huic bellum gesserat Deus, ipse quoque vicissim contra ejus capitales hostes, idola, militaret.

3095.

*Baasa occupat Rama, & hanc relinquere cogitur.*

Sed hoc anno pietas tam boni Regis, cum summo ejus populique damno labare nonnihil visa fuit. Anno regni ejus decimo sexto, à divisione Israëlis, & Judæ trigesimo sexto, resumpsit animos Baasa, egressusque de Thersa urbe regni sui primariâ, cùm multis copiis occupavit Rama, urbem tantùm stadiis quadraginta Hierosolymis distantem. Eam autem communivit muro; & si munitionem illam, uti animo informarat, absolvisset, securus urbis sanctæ aditus, aut exitus non erat. Asa tum inops consilii, sed pietatis longè magis, qui Deum auxiliatorem toties expertus erat, imprudenter ad Benadadum Syriæ Regem confugit, ejusque amicitiam, etiam Dei thesauris, hoc est sacrilegio redemit, sicque avarum Principem ab Israëlitis abalienavit. Hac nundinatione, nec utili, nec honestâ, abruptâ Ramæ munitio est, Baasa in ditionem suam redire compulso, ne, dum Judaicam unam urbem appetit, suas à Syro perderet; Judæis utcumque noceret, cum ultimo regni sui discrimine. Neque verò diu de libertate suâ gavisus est Aza: missus enim est statim Prophetes, qui graviter eum increparet Dei nomine, quod pecuniis etiam sacris demeruisset Regem, quem, & Baalam, suis copiis & Dei auxilio retundere poterat, atque debellare. Tumque addidit Aza ad diffidentiam, impietatem & crudelitatem. Vatem enim dedit in vincula, & obloquentes de hoc facto multos interemit. Ita sensim devenitur ad scelera; sic pietas ex levibus culpis, ad ima præcipitat.

*Aza ar- guitur Prophet- quem - tit in c- cerem.*

3096.

*Bacch- Rex q- tus C- thi, u- Bacch- da.*

Hoc anno Bacchis Rex quintus Corinthiorum Regnum adiit, qui in hac urbe nomen imposuit tertiæ Dynastiæ Bacchidarum. Hanc familiam Corinthi dominatam esse ducentis annis scribit Strabo, Pausanias centum octoginta quinque, & ultimum in eâ Regem fuisse Automenem. Sed hi Tyranni potiùs erant, quàm Reges; sui, quàm populi amantiores; timeri, quàm amari solicitiores; toleratique quamdiu subditi quid possent, quid non possent infames domini, cognoverunt.



LIBER

# LIBER IX.
## SÆCULUM MUNDI TRIGESIMUM SECUNDUM.
### *Ab anno mundi* 3100. *ad* 3200.

## CAPUT I.
### *Prima Decas.*
#### *Ab anno* 3100. *ad* 3200.

3105.

ritur ... ya.



Baasa Rex Israel principatus sui anno vigesimo tertio abscessit è vivis, nec tanto regno, nec vitatam diuturna dignus; Et quod mirum obiit morte naturali, qui primus in regiam domum & cædes, & jumentorum sepulturam induxerat; qui manum suam fumantem adhuc sanguine Regis sui, filiorumque ejus, sanctissimi Prophetæ cruore contaminarat. Vixit tamen diu, & vixit Rex impius, atque infortunatus; ut ostenderet Deus vita Regis omnia formidantis nullam esse majorem pœnam, & acerbiorem.

edit ...

Baasa reliquit filium Elam successorem regni, & impietatis. Tum enim in Israëlitico imperio crimina, & irreligio hæreditaria esse videbantur.

3106.

inter- ... ur à ... ori.

Anno vigesimo septimo Regis Asæ Ela filius Baasæ finem vivendi, regnandique fecit, cæsus, dum accubat temulentus convivio apud Arsam urbis suæ Regiæ præfectum. Illic animam cum crapula reddidit percussus à Zambri, altero equitum suorum magistro, qui partum regnum uno parricidio, iteratis firmare voluit. Statim enim Regis demortui consanguineos omnes cæcidit, ne quis ultionem propinqui sui cum successione pretexeret. Hæc cum delata essent ad exercitum, qui tum Gebbethon Philisthæorum urbem obsidebat, ne sceleris sui præmio frueretur perduellis, statim prærogativa suffragii præfectum militiæ Amri delegit Regem, eique sui Regis ultionem demandavit. Is statim obsidione soluta, & regni quam urbis sollicitior; ad urbem Thersam cum suis copiis advolavit, & arctissimè cinxit. Imparatus Zambri videns sibi vitam cum regno, & inter tormenta relinquendam, sua manu gloriosè, quam tortoris ignominiosè mori maluit. Ingressus enim Palatium se cum Regiis omnibus thesauris incendit, ut quod servare non poterat, inops & destitutum belli nervis æmulo regnum relinqueret. Nec inops tantùm, sed & dubium æmulo reliquit imperium. Thebni enim à quibusdam regni proceribus, ei oppositus, & sublectus est; de quo nihil habet scriptura præter ambitum regni. Id mali supererat Israëlitis, ut cum Judæis discordes, invicem etiam dissiderent, & jam plusquam civilibus bellis digladiarentur

i Rex ... ur ab ... itu.

3110.

Annis quatuor totis Amri, atque Thebni de Israëlitico regno armis disceptarunt, & eò acrius quo præmium victoriæ erat nobile regnum. Succubuit tandem Thebni ab Amrianis victoribus, ut creditur, interfectus, qui ejus tantùm morte bellum civile finiendum intelligebant; quo exitu civilia ejusmodi bella terminantur, ut victorem, regnum, victum mors & supplicium maneat.

*Amri solus regno potitur.*

## CAP. II.
### *Decas II. Sæculi XXXII.*
#### *Ab anno* 3110. *ad* 3120.

3112.

Amri solus potitus regno, motibusque compositis cum videret Regiam urbem Thersam deprædationibus, & incendiis deformatam, ad aliam condendam animum appulit. Emit ergo duobus talentis, hoc est bis mille septingentis quinquaginta aureis Gallicis montem quendam à Domino *Somer* dicto: qui cum vilissimo pretio non tam venditus, quàm gratis datus esset, pecuniæ loco Rex honorem venditori reponere voluit; unde urbem in eo monte statutam de ejus nomine dixit Samariam. Hæc tum primum huic monti inædificata est. Quare si priùs in sacris Codicibus fit mentio Samariæ, προλῆψις intelligenda est. Hæc est Samaria æmula deinceps Hierosolymæ, ab eâ ut religione sic moribus distracta, facta tum ab improbo Rege Israelitici regni, & multorum criminum sedes.

*Vrbs Samaria condita.*

3117.

Hoc anno patri scelesto successit filius sceleratior Achabus septimus Rex Israelis, quem jam à parente impio depravatum, ad omne facinus impulit Jezabel filia Regis Sidoniorum, mulier impotens, & flagitiosa, quæ marito dedit Athaliam matre etiamnum crudeliorem. Ita ex una Sidone duæ illæ faces Israelitis, & Judæis fatales prodiere.

*Amri mortuo succedit Achab cui uxor Iezabel.*

3118.

Tum Aza Rex Juda imperii sui anno trigesimo nono podagra vehementer afflictus est. Quo in morbo à se desciscere visus est. Totus enim fuit in remediis medicorum perquirendis quæ minus ei levaminis, quàm doloris attulerunt; minorum utrque, aut toleratu faciliorem subiturus morbum, si aspexisset hujus ægrotationis authorem, qui sanam ejus mentem in corpore parum sano cupiebat.

*Aza laborat podagra.*

Tum

*Baali Templum ponitur in urbe Samaria.*

Tum quoque Achabus ut placeret ſuæ Jezabeli fanum Baali Sidoniorum Deo in urbe Samariâ poſuit, plantavitque lucum. Ita idolum ad vitulos aureos acceſſit, & impietas Sidonia Ægyptiacæ eſt adjuncta, pari divinitatis infamiâ, cum hic animantes, illic homines improbiſſimi, & belluis haud abſimiles colerentur.

*Calpetus 8. Rex Latinorum.*

Hoc quoque anno Calpetus Rex Latinorum octavus regnum adiit, tenuitque annis tredecim, nihilo quam ſuperiores celebratior. Hunc Livius, expunctâ liquida, Capetum vocat.

## CAP. III.

## *Decas III. Sæculi XXXII.*

### *Ab anno* 3120. *ad* 3130.

3121.

*Moritur Aza.*

OBiit hoc anno regni ſui quadrageſimo primo ex magnis doloribus Rex Aza, Princeps bonus, quamquam exiſtimationi ſuæ maculas aliquot aſperſerit; quas tamen elutas eſſe ſcriptura innuit cum eum bonis Principibus, ac juſtis accenſet. Certè quem ita laudaverit Deus ipſe, nullæ hunc ſordes, hunc nulla ſcelera poſſunt infamare.

*Succedit Azæ Ioſaphat.*

Qui regnante parente Imperii ſanctiſſimi fundamenta jaceret Joſaphatus, id Aſa mortuo ad ſummum decus extulit. Ac principio illuſtre ſpecimen edidit pietatis in funere patris, quod ad luxum pænè celebravit; ſed in hoc à bonis filiis honeſtè peccatur. In aliis Deo, & hominibus accceptiſſimus fuit, atque in ejus gloriam & divitias cælum atque terra conſpiraſſe videbantur.

312[illegible].

*Hiericus reparatur ab Hiele.*

Sub hæc initia Joſaphati ſuſpicor Hiericontem inſtauratam eſſe ab Hiele Bethelitâ, quem perculit imprecatio facta à Joſue, dum eam ſubvertit. Cum urbis hujus nova fundamenta novus conditor poſuit, filium primogenitum perdidit; portiſque appoſitis & opere abſoluto ultimum filium Segub amiſit, cæteris inter utrumque continenter elatis. Adeò viri Sancti poſt obitum poſſunt, nec eorum imperia violantur impunè, etiam dum fato functi ſunt, qui Dei mandata diligenter exhauſerunt.

3123.

*Elias Achabo prænunciat famem.*

Tunc temporis Achabus totus in ſuam Jezabelem effuſus, & ob eam in Baalem uxorium ſe præbebat, & idololatram, cum magnâ perniciē ſubditorum. Verum tum quoque Iſraëlitis Deus minimè defuit: Suffecit enim eis Eliam genere Sacerdotem novo vivendi genere conſpicuum, dignum qui privatus impii Regis, & Reginæ ſceleratioris conatibus objiceretur. Elias igitur collectâ opinione ſanctitatis, & impetratâ precibus à Deo aliquot annorum ſiccitate, improbum Regem adit, ei minas intentat, ob relictam veri numinis Religionem, aſſeritque ob eam cauſam regionem ejus annis aliquot pluviis, ac rore carituram. Sed ut fanaticus & amens abjectus, metu gravioris mali occuluit ſe, divinoque monitu venit ad torrentem Carith, ut ejus aquâ ſedaret ſitim; cum intereà corvi huic panem & carnes ex menſâ regiâ ſufficerent. Quid non ſperaret ille, cui ex furto vivere ſolitæ volucres cibos ſufficiebant?

3124.

*Ioſaphat tremovet Dei cultum.*

Longè alia erant hoc tempore Joſaphati conſilia, qui tum non ſibi tantùm, ſed & aliis bonus, & plus fuit. Tum enim per univerſam ditionem ſuam, Sacerdotes & Levitas ſparſit, qui populum accuratè Dei cultum edocerent. Is primus ad pietatem gradus erat, ſcire quid poſtularet Deus; at id curare boni Principis fuit, ut exequi ſubditorum. Neque verò Deus ſe à Joſaphato ſuperari paſſus eſt; reddidit enim illum charum ſuis, hoſtibus metuendum. Hi vectigalia penſitarunt domino, ut Arabes, atque Philiſthæi; illi tot in Regem munera effuderunt, ut nunquam Tyranni vi atque metu tot pecunias extorſerint, quot amore, & benevolentiâ Joſaphatus expreſſit.

3125.

*Nuptiæ Athaliæ & Iorami.*

Tum inauſpicatò putantur eſſe celebratæ nuptiæ Jorami filii Joſaphati, cum Athaliâ Achabi filiâ, atque Jezabelis, qua & Deus arguit & funeſtiſſimas familiæ Davidis fuiſſe, mox crudelis eventus docebit, & piorum ſanguinem non eſſe impiorum ſemini permiſcendum.

*Elias venit Sarepta.*

Intereà ſecurus, & abſque ſolicitudine vivebat Elias, fruſtraque ab Achabo quærebatur. Nequicquam item Jezabel viros religioſos exterminare nitebatur, quos Abdias Regiæ præpoſitus familiæ paſcebat, & omnibus ad vitam neceſſariis, deliteſcentes in ſpeluncis inſtruebat. Cum tamen ex nimiâ ſiccitate torrens Carith nullas aquas evolveret, juſſus eſt Elias Sarepta Sidoniorum pergere, ut hîc à paupercula vidua jamjam fame moritura mirabiliter nutriretur. In hanc mulierem colligentem ligna cum incidiſſet, divinitus agnovit hoſpitem ſuam, & ab eâ poſtulavit aquam quâ ſedaret ſitim ex æſtu, viaque collectam; quam cum hæc propenſiſſima voluntate polliceretur, adjunxit & fruſtulum panis, ne aqua noceret æſtuanti. Hic enimverò bona mulier extremas in quibus verſabatur anguſtias expoſuit, nihil ſupereſſe cibariorum penes ſe, præter farinæ pugillum, & olei neſcio quid unde placentam ſibi filioque conficeret, quod ubi comediſſent, utrique mox eſſe fame pereundum. Hic Elias neque hanc farinam, neque hoc oleum conſumendum prædicit, donec agris fertilitas redderetur; quodque promiſerat aſſeveranter, verè certoque præſtitum eſt. Quamdiu enim fames ſæviit in corbe farina pullulavit, ex Lecytho ſemper oleum defluxit, quamquam indidem, quod eſſet ſatis ad tres alendos, quotidie tolleretur.

*Farina oleum deficit.*

*Suſcitatur filius viduæ.*

Dum autem apud hanc viduam ageret Elias, aliud accidit, unde quam eſſet acceptus Deo liquido conſtitit. Hujus enim bonæ hoſpitis filius ex morbo interiit, & à matre ad Prophetam cum multis lacrymis, & ſingultibus allatus eſt. Pupugit ſanctum hominem fœminæ bene de ſe meritæ dolor: poſt fuſas ad Deum ardentiſſimas preces ter in puerum incubuit, tantoque contactu eum vitæ reſtituit, atque matri; quæ

quæ hoc facto demùm agnovit Eliam verum Dei cultorem esse, ad cujus preces fato functi revocarentur ad vitam, quod est primum, & maximum divinæ potestatis argumentum.

3126.

Post tertium siccitatis annum, & menses aliquot, Achabo se repræsentare jubetur Elias, & dictis suis coram Rege facere fidem, se pluviam cum vellet retinere, atque laxare. Ac primùm incidit in Abdiam regium illum procuratorem, & piorum hominum alumnum, qui consentiente Eliâ denunciat Regi adesse, qui tandiu quæsitus erat, Prophetam. Huic, qui plurimùm ejus operâ indigebat. Rex occurrit, ac graviter increpat quòd tandiu regnum suum sterilitate turbari passus esset. Sed Elias hujus calamitatis in eum refundit causam, cujus ipse tantùm denunciator fuisset, Rex & Regina suis criminibus authores. Verùm hæc erant verba, ad rem deveniendum fuit, & probandum uter verus esset Deus an quem Elias, an quem Achabus veneraretur; qui ubi agnitus esset, pluvia copiosior è cœlo laberetur. Itaque cum Rege totoque populo Carmelum montem conscendit; eodem quoque vocantur Baalis sacrificuli, quos inter & Eliam sic convenitur, ut qui elicerent ignem de cœlo ad comburendam victimam, illi veri Dei cultores denunciarentur. Nec mora, paratur à Baalis Sacerdotibus ara, cui ligna, & victima superponuntur; multis precibus rogatur Baal, ut se Deum probet, & emittat ignem. Cùm preces nihil facerent cultris & lanceolis sibi crura, pectus, brachia incidunt, miseri deprecatores; ululantes interea, quasi excitaturi dormientem, aut extracturi latitantem in Culina; sic enim eos ad vociferandum valentiùs Elias εἰρων invitabat. Ibi desperavere sacrum ignem cruenti illi ridiculique Mystæ, Elias ex duodecim lapidibus hìc inventis extruit altare, ligna & victimam imponit, quæ omnia copiosâ perfundit aquâ, ut majus miraculum esset; denique rogat verum, & Hebræorum Deum, ut faceret, quod Baal præstare nequiverat. Vix preces illæ exierant ex ejus ore, jam victimam & ligna sacer ignis afflarat è cœlo; atque ut ostenderet quàm potentior esset vulgari, & nostrate, non tantùm quæ vulgo comburi solent, absumpsit, sed & lapides, & cinerem, & aquam ipsam depastus est, ut verè exiisse de manu Dei, non mortali accensus face videretur. Ad hoc miraculum populus Eliæ submisit sese, authoremque portenti hujus adoravit Deum. At impuros Sycophantas Baalis Sacerdotes abire Prophetes non est passus impunè: Omnes enim ad Cissonem tractos, jugulandos curavit, gratiori Deo ad torrentis ripam, quàm in Carmeli vertice sacrificio. His peractis ingens è cœlo pluvia defluxit, reddita est agris fertilitas, non tranquillitas Eliæ. Auditâ enim Sacerdotum suorum carnificinâ Jezabel in sequentem diem huic intentavit necem; quâ interminatione territus vir alioqui fortis, se dedit in fugam, ut quam Reginam miraculis non domuerat suâ patientiâ frangeret, doceretque viros acceptissimos Deo, esse tolerantiâ quàm rebus supra naturam gestis clariores.

3127.

Cùm Achabus miracula aspectabilia sentiret, alia experiebatur Josaphatus, quæ non cadunt in sensus. Is efferebatur ad tantam potentiam, atque divitias, ut passim magnificas ædes extrueret, urbes firmissimas muniret, undecies centena & sexaginta millia bellatorum in omnem eventum sub signis haberet, quodque mirum ex duabus Tribubus Juda atque Benjamin, quò vix quidquam est in tota scriptura creditu difficilius, si Palæstinæ totius ratio habeatur, quæ secundum longitudinem ad sexaginta leucas, secundùm latitudinem, vix ad duodeviginti pateret. *Deus Josaphatum cumulat bonis.*

Elias inter hæc fugiebat in desertum per avia, & fugiebat jejunus. Cùm tamen dormire cœpisset oppidò lassus sub Junipero, oblatus est ei cum aqua panis, quo iterum cibatus ex Angeli monitu divinum esse intellexit, utpote qui ab hoc tempore, sine ullo cibo ad dies quadraginta expeditè cucurrerit. Venit ergo in montem Orebum, ubi fruitus est divino colloquio, Deumque vidit in Angelo Vicario, quantum homo mortalis videre potest: non in horribili vento, aut terræ motu, sed in sibilo tenuis auræ, & in nube adeò coruscâ, ut spectator oculos velare cogeretur. Ab eo jussus est redire in regnum Israëlis; quando & Damasco transit, ubi Hazaëli prædixit regnum, & Elizæum sibi comitem adscivit, huic injecto pallio suo. Is statim relictis omnibus discipulus magistrum secutus est, bobus etiam quibus arabat terram oblatis Deo, & in ligno aratri coctis, quorum carnes inter obvios distribuit. Non alium, neque aliter habere debuit Elias comitem, sibi, dum viveret inter homines parem, etiam postquam raptus est, superiorem. *Elias Jezabelem fugit.* *Videt Deum.* *Comitem sibi adscit Elisæum.*

---

## CAPUT IV.

## *Decas IV. Sæculi XXXII.*

### *Ab anno* 3130. *ad* 3140.

3134.

CAlpeto Tiberinus successit Rex Latinorum nonus regnavitque tantùm annis octo. Is in prælio secundùm Albulam commisso cum in eum decidisset, ei nomen suum reliquit, & vitam. *Tiberinus 9. Rex Latinorum.*

*R. P. Brietii Annales.* N 3134.

3134.

*Benadadus vincitur à pedissequis.*

Bellum hoc anno indixit Achabo Syriæ Rex Benadadus, fretus triginta duobus Satrapis, seu regibus subditis suis. Is ditionem Israëlitarum ingressus eam impunè vastavit, Samariam obsidione cinxit, cum Achabo, ut mancipio egit, cujus bona diceret esse sua. Desperatus Achabus & intra muros latitans, per Prophetam jubetur animum resumere, & sperare victoriam unde minus expectabat. Pedissequi enim imperante Deo, ducenti triginta duo, ut Rorarii, prælium inchoant; quos vivos dum capere volunt Syri (sic enim jusserat Benadadus) & accipiunt vulnera, nulla reponunt, initium fecere victoriæ. Nam irruentes ex loco superiori, & in turbatos Israëlitæ, & iis superveniens cum fortissimis Prætorianis Achabus, Syrum multis suorum desideratis, multisque relictis spoliis fugere compulit. Ita superbissimi Regis fastus per Ferentarios illos famulos repressus fuit, & adjunctum cladi dedecus, quo nullum est ad contundendos feroces animos, & elatos remedium accommodatius.

3135.

*Benadadus iterum majori clade vincitur.*

Victi Syri anno superiore, hoc majori apparatu redintegrant bellum; neque jam de præda, & spoliis, sed de relinendo dedecore cogitant, accessit & ridicula cogitatio, quòd se victos putarent ab Israelitarum Deo monticolâ, & qui in campestribus, & humilioribus locis nihil posset. Itaque relictâ Samariâ, aliisque urbibus in colle statutis grandem exercitum ad urbem Aphec explicat Benadadus. Adfuit & Achabus, sed cum paucissimis copiis, quibus tamen Deus Syrorum blasphemiam castigare decreverat, quâ potentiam ejus montibus alligarant, excluserant vallibus. Committitur tandem prælium; Deo pro suis pugnante in valle, vincitur Syrus, & centum millia de suis cæsa ab his Israelitarum copiolis miratur. Tantâ cæde, & clade non expectatâ territus Benhadadus, in urbem Aphec cum viginti septem millibus se recipit, quos pro muro stare jubet, & invadentem hostem repellere. Sed vix illi concussa, dirutaque grandi ruinâ miseros illos propugnatores involverunt, & eliserunt. Quâ re cognitâ domestici Benadadi habitu ad miserationem composito Achabum adeunt, & quàm possunt abjectis verbis, pacem vitamque deprecantur. Rex impius præposterâ clementiâ Regi blasphemo, ac scelerato parcit; parum est, appellat fratrem; neque hoc satis, attollit in currum suum, ut impietas in his duobus sceleratis triumphare videretur. Sed non impunè diu tulit. Missus enim statim vates præpositâ parabolâ de milite, qui capitis sui periculo captivum servare jussus, eum elabi passus, denunciat Achabo supplicium, quo Benadadus exemptus erat, mox in ejus caput refundendum esse; & condonatam immerenti blasphemoq; vitam, non ita multò post ineptè liberalis sanguine redimendam.

3137.

*Vinea Naboth.*

Hoc anno privato uni homini illata nex, satis idonea Deo causa visa est cur regnum ex nobili amplaque familiâ paulò post atrociter tolleretur. Achabus ad Jesrael prædium habebat non inamœnum, quod tamen Nabothi, hominis minimè mali, vinea denormare videbatur. Ab hoc homine vineam suam Rex honestè petiit, oblatâ aut meliore, aut ejus pretio. Negat Nabothus sibi liberum esse vendere à majoribus acceptam hæreditatem. Regisque sui non penitus injustam petitionem subrusticè rejicit. Id cùm didicisset Jezabel mulier haud rogare solita sed imperare, nec emere quod placebat, sed per vim extorquere, maritum suum faciliorem irridet, eique gratis spondet vineam quam sibi grandi pretio comparare voluerat. Scribit illa ad Jezraelitas sui similes, jubet ut Nabothum insimulatum blasphemiæ de medio tollant, id sibi cordi esse, id Regis rationibus expedire. Vocatur illicò in judicium miser, falsis testibus adhibitis convincitur, damnatus obruitur lapidibus, vinea ejus regio adjicitur fisco. Lætantibus de hoc fructuoso crimine Reginæ, atque Regi immittitur à Deo Elias, qui mortem utrique denunciet atrocem, eorumque liberis; eodem in loco quem suo sanguine Nabothus innocens tinxisset, Regis sanguinem canibus prædam fore, ubi lapidati cruorem linxissent canes, Jezabelis cadaver, ac filiorum ejus eodem loco discerpendum à canibus Jezraëlitis, atque vorandum. Ita litabitur privati unius hominis interfecti manibus, adeò apud quem pluris non est Princeps quàm Opilio, nisi fortè cùm agitur de Regis mulcta, quæ illius dignitate atque potentiâ, at tenuiorum terrorem sæpè taxatur.

Hoc nuncio perterrefactus Achabus, & qui suo damno veridicum nimis Eliam aliàs expertus erat, saccum induit: atque cilicium, & dolorem de hoc crimine, publicè professus est: itaque tantisper dilatum supplicium est, non sublatum. Quod cùm reformidaret Achabus Ochosiam filium regni consortem adscivit, ut hoc pacto rebus suis provideret, si quid sibi contingeret humanitùs. Id etiam in Joramo suo Josaphatus æmulatus est, ut dispari timoris causâ, sic etiam dissimili electionis effectu.

3138.

Collectis animis ex acerba Eliæ denunciatione Achabus suscipit expeditionem adversus Syros ob Ramoth Galaad, ultimo sibi fœdere promissam nondum redditam, & in belli hujus societatem Josaphatus venit. Hujus hortatu verus Dei Prophetes Micheas accersitus, falsis omnibus Prophetis fausta omnia præcinentibus resistit unus, & sinistrè omnia denunciat, ob id ab uno ex iis alapâ cæditur, ab Achabo detruditur in carcerem, post reditum & victoriam infausti vaticinii daturus pœnas. Ubi ventum ad Ramoth cultum regium ponit Achabus toti exercitui quasi honoris causâ præficitur Josaphatus. Sed dignitas illa, huic pænè vitâ stetit. Jussi enim Syri à suo Rege unum Achabum

petere,

petere, regio incedentem cultu tantùm non interemere Josaphatum, quem tamen tum vocatus Deus incolumem præstitit. Interea dum prælium recrudescit, Syrus miles telum jacit in incertum, id cadit in Achabum, & lethaliter vulneras. Retractus è pugna Rex infelix eodem die interiit. Relatum ejus cadaver Samariam in curru sanguinolento. Is currus dum postea eluitur in Piscina Samariæ, linxerunt regium sanguinem canes, ne Elias falsa cecinisse crederetur. Josaphatus magno defunctus periculo Hierosolymam rediit, sensitque quanto discrimine piorum hominum negotia, rebus sceleratorum misceantur.

*...aditur ...chabus.*

*...chosias ...ccedit ...chabo.*

Parenti suo successit Ochosias septimus Rex Israëlitarum. Inauspicatò solus regnare aggressus. Nam præter paternam cædem & cladem, Moabitæ ab eo defecerunt; classem perdidit sibi atque Josaphato communem, destinatam in Ophiram, quæ in ipso portu Aziongaber naufragium fecit. Hæc quia satis non erant ut revocaretur ad pœnitentiam scelere geminus & similis patri filius, in se graviùs feriendus fuit. Decidit enim ex fenestra cancellata in Cœnaculum, totoque corpore debilitatus ac contusus in gravem incidit morbum. Neque etiam tum confugit ad Deum; imò insolita malitiâ, misit suos Accaronem, qui interrogarent Beelzebuth Philisthæorum Deum, his temporibus Oracula fundentem, quis futurus esset exitus hujus morbi. Sed horum legatorum iter abrupit Elias, eosque certiora responsa ferre jubet Domini sui mortem. Ochosias itaque prophetam accersit, per Pentecontarchum, qui cùm Eliam virum Dei ridens appellasset, cum quinquaginta suis militibus igne cœlesti afflatus interiit. Quod alteri quinquagenario ejusque turmæ contigit. Horum casu tertius sapientior factus, & aliunde bonus (creditur à quibusdam fuisse Abdias procurator Regis) Prophetam religiosè appellavit, à quo vicissim benignè susceptus, cum eo perrexit ad Regem, feralem de ejus morte nuncium firmaturus.

*...hosias ...tit ...caro- ...s ad ...lzebuth ...iciat ei ...tem ...s.*

*...phatus ...regnat.*

Interea Regnum suum sapientissimè Josaphatus administrabat, populoque sanctimoniam inspirabat: Quare tam bene res Judæorum procedebant, quàm Israëlitarum malè. Usque adeò populis boni principes exoptandi sunt, improbi reformidandi, quorum ex scelere vel pietate subditorum ruina, vel incolumitas pendent.

3139.

*...ra- ...igneo ...u.*

Fuit hic annus translato ex hominum oculis Eliâ celeberrimus. Is autem raptus cùm esset homini sanctissimo denunciatus à Deo, suos invisit ultimùm amplexurus, Elisæo comite, pallioque feriens Jordanem & sibi & comiti, inter fluctus viam aperuit. Tum rogavit Elisæum, ut aliquid peteret; is in se augeri duplo magistri spiritum & potentiam postulavit; quod & obtinuit, quamquam rem difficilem optasset; petitionis autem impetratæ signum fuit magister visus in raptu, ejusque pallium decidens. Abreptus est porrò Elias in igneo curru, vel potiùs in rutilis nubibus, & in curruum, equorumque speciem efformatis, quas moderator Angelus agitabat: translatusque est in quemdam amœnum locum, ubi cum Henocho suavissimè vivit, opperiens mundi finem, quando scriptæ legis hic erit præco, ille naturalis.

*Elisæus Eliæ successor.*

Orbatus magistro rediit ad socios Elisæus, & Jordanem transiit factâ sibi viâ per verberatos Eliæ pallio fluctus, non semel tantùm, sed secundò, & habitâ ad Deum oratione: ita viri sancti fides ad miracula probabatur, atque parabatur. Socii porrò illi religiosi viri triduò Eliam quæsivere, ubi non comparuit, vitæ suæ Asceticæ ducem magistrumque Elisæum delegerunt.

*Aquas Hiericuntinas sanat.*

Quod cùm accepissent Hiericuntini Prophetam novum rogaverunt, ut quasdam sui tractus aquas dulces, & potabiles, ex amaris, & insipidis redderet. Quod statim præstitit, admixto iis sale, quo potiùs amaror augendus erat. Verùm in miraculis instrumenti vis, attendenda non est, sed authoris.

*Pueri ab ursis lacerantur Elisæum irrident.*

Exinde vir sanctus perrexit in Bethel, inciditque in petulantium puerorum globum, qui eum ad conscendendum montem contemptim invitabant, ei calvitiem exprobrantes. Cùm iis Prophetes malè precatus esset, eruperunt statim è sylva ursi duo, qui duos suprà quadraginta misellos illos ludiones discerpsere; sive ea fuit malitiosorum puerorum, seu parentum negligentium pœna.

*Ochosiæ succedit Ioram & movet in Moabitas cum Iosaphato.*

Hoc item anno Ochosiæ mortuo successit frater Joramus, qui exemplo patris & fratris sapere doctus, optante insuper Josaphato, nec aliter spondente auxilium, Baalis idolum sustulit. Hoc auxiliatore fretus expeditionem suscepit adversus rebelles Moabitas. Verùm parum prospera ejus initia fuerunt: siti enim pressus exercitus plus aquæ, quàm victoriæ solicitus erat. Evocatus igitur Elisæus graviter increpuit Joramum, sive quòd fictè coleret, sive quòd impiæ matri nimis adhæreret. In gratiam tamen Josaphati per psaltem sedatis animi motibus, & copiosas procreavit aquas, & certam, ingentemque de hostibus præcinuit victoriam. Itaque Moabitæ vanâ delusi aquarum ab aurora rubentium specie, dum Hebræos quasi mutuâ cæde confectos adoriuntur, confusi ordinibus, fusi fugatique, & in regiam urbem suam compulsi sunt. Hæc autem civitas sine dubio capta esset, nisi magno facinore Moabitarum Rex obsidentes terruisset. Frustrà enim tentatâ eruptione, rebusque desperatis filium suum spectantibus Hebræis jugulavit in muro, seu ut placaret stolidè Deos suos, seu ut hostes ad sui misericordiam ingeniosè flecteret. Hoc sanè contigit: statim enim obsidionem solverunt, compositis amicè rebus rati quam intulerat sibi Rex miser, majorem ab hostibus calamitatem accipere non posse. Hoc item Anno Tiberino successit Agrippa, natalibus suis celebris, unde nomen accepit, & regno quod annis 41. tenuit.

*Rex Moabitarum filium suum cædit.*

*Agrippa 10 Rex Latinorum.*

3140.

*Vidua obærata ab Elisæo provisum.*

Hic annus est quoque duplici miraculo Elisæi perillustris. Nam viduam Prophetes servi quondam

*Sunami-tidi filium obtinet.* dam ſui demortui obæratam ex importunitate creditorum exemit, oleo mirabiliter procreato, & in vaſa defluente quandiu illa fuerunt ad manum. Matronæ deinde Sunamitidi hoſpiti ſuæ filium obtinuit precibus ſuis. Utroque autem miraculo ſe gratum Vates præbuit: neque enim paſſus eſt domum, quâ tam ſæpe ſuſceptus erat ſine ſucceſſore ruere; neque liberos ejus hominis, qui in ejus obſequio mortuus erat, æquum eſſe duxit ob paterna nomina perdere libertatem.

---

## CAPUT V.

## *Decas V. Sæculi XXXII.*

### *Ab anno* 3140. *ad* 3150.

3142.

*Mors Homeri.* HOC anno ætatis ſuæ centeſimo quarto facto functus eſt Homerus Poëtarum decus, & gloria, cujus eſt maxima apud Ariſtotelem commendatio, & à tali viro laudari ſumma laus. Meleſigener primo dicebatur, quod ad Meletem fluvium genitus eſſet, deinde quia cœcus erat, & ductore indigeret, quem Jones vocant ὅμηρο, dictus eſt Homerus. Is tamen cœcus plus vidit, quàm reliqui deinceps oculatiſſimi. Quod verò nonnulli mortuum putant ex dolore quia puerorum nautarum ænigma de pulicibus diſſolvere nequiviſſet, tanto viro faciunt injuriam. Certum enim ex morbo interiiſſe, ſed ab Apolline prænunciatum, τῶν παίδων αἴνιγμα φύλαξαι. Sepultus à plerisque doctis creditur in inſula Io, quæ inter Theram, & Naxum jacet, ubi poſtea Iëtæ huic ædiculam, & aram ad ſacrificia poſuere. Vitam ejus ſcripſit Herodotus, & meritò, ut huic parens Hiſtoriæ ſtylum conſecraret ſuum, & ejus gloriæ allaboraret cujus ore dixiſſe, cujus calamo ſcripſiſſe Muſæ putarentur.

3143.

*Ioſaphatus victor de Moabitis, Idumæis, Ammonitis.* Moabitæ, Idumæi, Ammonitæ conjunctis armis, atque conſiliis Joſaphatum invadunt, & in regione Engaddi ad mare mortuum caſtra locant. Rex imparatus confugit ad Deum profectusque cum exercitu ſecum Levitas, & Sacerdotes deducit, in quibus plus præſidii, quàm in armatis cohortibus reponebat. Neque ſpe ſuâ deluſus eſt. Dum enim hoſtium quidam inſidias Judæis tendunt, iis ſocios ſuos intercepere, atque cecidere, turbatisque reliquis omnes ſe mutuâ clade confecere. Ita Joſaphatus non ut pugnaret, ſed ut ſpolia colligeret, venit, bellumque ſacris canticis, non armis confectum eſt, atque profligatum.

*Eliſæus ſuſcitat filium Sunamitidis.* Eodem quoque anno Sunamitidis extinctum filium Eliſæus revocavit ad vitam, id fruſtrà Gieſi per magiſtri baculum moliente. Neque ſtatim Vates id opus peregit, ſed multis adhibitis ceremoniis; nam oravit, puerum impoſuit lectulo ſuo, in eum ſic incubuit membris ut pueri membra viri contrahentis ſeſe reſponderent; quod tandiu repetiit, donec puer ederet ſigna vitæ. Tum vivum, & ſpirantem reſtituit matri, majori gaudio de recepto, quàm de amiſſo, dolore.

Monuit etiam tum quoque Prophetes bonam matronam de fame ſeptem annorum, ut quam vitam reddiderat filio, hac proviſione tueretur, nec ad filium tantùm, ſed ad matrem quoque beneficium pertineret.

3144.

Hic primus annus eſt famis, quæ toto ſeptennio Iſraëlitas, ſicuti rogarat Eliſæus, exercuit. *Edulii amarore[m] farina to[l]lit Eliſæu[s].* Tunc autem ex Prophetæ diſcipulis unus agreſtes cucurbitas (Colocynthidas vocant, & fel terræ) pro ſativis, & edulibus coxit. Hoc cibi genus cùm cæteri guſtaſſent, ſibi moriendum eſſe duxerunt; verum hanc juſculi amaritudinem Eliſæus adhibito farinæ pugillo diſſipavit, inutili remedio, ſi hæc aliâ; quàm tanti Prophetæ manu adhibita foret.

Tum etiam multiplicavit viginti primitiarum panes hordeaceos: ſibi dono datos, qui ſatis centum convivis fuerunt; immò ex iis collectæ reliquiæ ſunt omnibus affatim ſatiatis. *Panes multipli[]cat.* Eo tempore famem diceres ad impiorum pœnam, ad religioſorum hominum delicias, ad ſanctiſſimi Prophetæ gloriam divinitùs eſſe immiſſam.

3145.

Hoc anno regni ſui vigeſimo quinto obiit Joſaphatus, vir planè addictus pietati, & dignus cujus laudes Deus ipſe celebraret. *Moritu[r] Ioſapha[tus].* Fœlix omni ex parte princeps, hoc infortunatus uno, quòd Rex tam bonus filium ſexies fratricidam & centies homicidam reliquiſſet.

Eodem ergo anno regnum patris Joramus occupavit, qui ut regnaret quietiùs ſex è ſuis fratribus ſuſtulit, eorumque fautores primarios viros interemit, luctuque replevit urbem, nondum ſiccatis in morte Joſaphati lacrymis, quæ in hæc triſtiſſima tempora reſervari debuiſſent. *Succe[dit] Ioram[us].*

3146.

Tum quoque Benadadus Syriæ Rex Eliſæum capere decrevit & abducere, cujus divinâ ſcientiâ, conſiliorum ſuorum nihil clauſum erat hoſti Joramo, apertæ erant omnes inſidiæ. *Qui [] volet Eliſ[æum] capi[re] & d[] tun[]* Itaque adverſus unum hominem copias mittit, eumque in urbe Dothain obſidendum curat. Viſo Syrorum exercitu actum de ſe Dominoque ſuo putabat Eliſæi ſervulus; ſed cùm ei mentis oculi ad heri preces reſerati eſſent, reſumpſit animos, ubi vidit montem plenum equitibus, curribus, militibus igneis Eliſæo paratis certare. Mox autem cum eodem ſervo Eliſæus reliquit urbem obſeſſam, ſed priùs Syris invaſoribus ademit aſpectum, quo deſtituti eundem ductorem ſecuti ſunt in medium forum Samariæ. Tum eis reſtitutus eſt viſus, quando ſe ab armatis Iſraëlitis circumfuſos agnoverunt, paratis in eorum cædem; quam tamen Prophetes inhibuit, eoſque potiùs convivio exceptos, blandè dimittendos curavit. Viris enim piis ac ſanctis hoſtibus ſuis nocere poſſe ſatis eſt, neque vindictæ, ſed miſe-

misericordiæ causâ preces suas, & authoritatem apud Deum interponere solent.

3147.

Benadadus hoc anno cum suis Syris obsedit Samariam, ac toti simul regioni magnam vastitatem intulit. Cùm autem bellum, & obsidio ad famem accederent, ea tam gravis incubuit, ut caput asini octoginta argenteis, hoc est centum ac decem Turonicis libris emeretur; quarta pars cabi stercoris columbini veniret argenteis quinque, hoc est libris quinque ferme cum dimidia, ex quibus lautiorum, aut vulgarium ciborum pretium æstimare licet.

Eodem quoque anno Joramus Rex Juda Idumæam perdidit, eam deinceps nunquam recuperaturus. Vicit quidem tum resistere ausos, & congredi, sed levi accepto damno in speluncas se suas, atque Sylvas Idumæi receperunt. Ita metu gravioris cladis, post leves aliquot velitationes, victor Joramus similis victo redire compulsus est. Defecit quoque eodem tempore versus Philisthæos Lobna civitas munita, & potens; an ut sui juris esset, an Philisthæorum, incompertum; hoc certum Jorami esse desiisse. Is, ut intelligeret horum malorum authorem, accepit Epistolam ab Elia plenam minarum, quas statim nimis veras fuisse, intolerabili viscerum dolore tortus agnovit.

3148.

Nec melior erat conditio Jorami Israëlitæ, quem dura obsidio, & acrior obsidione fames premebat. Is cilicio indutus, & sacco imminentem ultimam perniciem conabatur avertere, sed Deus mores, non exteriorem cultum mutari volebat, nec corpus setis, sed conscientiam aculeis pungi cupiebat. Ubi vidit Rex Hypocrita vestes cilicinas nihil attulisse sibi, quàm ut pietatem simulasse crederetur, ad Elisæum convertitur, quem vi, & intentatâ morte ad suppetias ferendas sibi cogere parat. Demens! qui nesciret Deum appeti in Propheta, nihil se in eum posse, qui naturæ quodammodo Dominus esset. Et verò statim consilia in melius retulit, ac se Deo, Prophetæque malis edomitus submisit. Elisæus itaque in sequentem diem solvendam obsidionem denunciat, & cibariorum affluentiam: quod cùm incredibile aulico cuidam videretur, miraculum non vidit oculis ille, qui id sibi mente informare noluerat. Neque ultra noctem vatis promissa sunt dilata. Syri enim audito quasi imminentis exercitus tumultu, sonituque veluti equorum, & curruum divinitùs excitato, Reges Hethæos, hoc est Cyprios Ægyptiis conjunctos adesse putaverunt, qui eos opprimerent, magnis Jorami muneribus solicitatos. Inanis is metus erat, & panicus, sed veram peperit fugam, adeò præcipitem, ut relictis impedimentis, tentoriis, immò & armis, statim omnes diffugerent. Fuga autem hæc innotuit per leprosos quatuor, qui prope enecti fame, dum ad Syros transfugere parant vel ad certam necem, ubi sunt affatim refecti cibis, spoliisque inventis ditati, quod contigerat ad Regem detulere. At Rex stratagema hostium ratus, ex missis exploratoribus qui in urbe tantùm supererant equitibus quinque, veram esse fugam cognovit. Tantùm autem in castris (ut omittam spolia) cibariorum inventum est, ut hoc die sicut Elisæus præcinuerat, modius frumenti uno statere, nec pluris, hordei duo modii distraherentur. Aulicus autem incredulus præpositus portæ, dum tumultum inhibere conatur obtritus à turba pœnas dedit suæ incredulitatis. Urbs Samaria obsidione, non criminibus, quod magis optabat Elisæus, hoc miraculo soluta est.

3149.

Tantùm mœroris contraxit ex hac infœlici expeditione Benadadus, ut gravi corriperetur morbo. Tum autem ire jussus est clam Damascum Elisæus, ut Hazaëlem Ducem inungeret regem Syriæ. Is missus est à Rege suo ægrotante obviam Prophetæ cum multis muneribus (onerabant illa camelos quadraginta) ut eum de morbo, & valetudine Regis interrogaret. Legatum hunc ubi Prophetes vidit, flevit uberiùs, intuitus damna, quæ Rex factus Hebræis illaturus esset. Unxit illum nihilominus, ita volente Deo, & interroganti de vita vel fato Regis, ait hunc quidem responsurum mox recreandum esse Benadadum, quamquam vidisset in cœli decreto huic propediem moriendum esse. Quæ vox non imperantis erat, sed denunciantis quæ mox Hazaël ex ambitione facturus esset. Et verò cùm rediisset ille ad principem ardentem febre, obtulit ei pannum madefactum aquâ (sic enim Rabbini scribunt) verbo quasi eum refrigeraturus, re, ut eum suffocaret, quod & contigit; maluitque invadere regnum scelere, & parricidio, quàm virtute atque prudentiâ expectare.

In Judæa autem Joramus alter computrescentibus intestinis magno dolore torquebatur, fratrumque ac subditorum subditas neces diuturnâ morte pensabat. Sed accesserunt ad corporis dolores ægritudines animi. Tum enim Arabes Madianitis vicini, & ab aliâ parte Philisthæi in ejus regnum irruerunt, ac fœdè crudeliterque vastarunt. In iis depopulationibus ne parcitum est quidem Regiæ soboli, interfecti omnes filii Regis ab Arabibus grassatoribus, præter unum Joachanum, aliter dictum Ochosiam. Josephus quoque filiis uxores adjungit, priùs aliquid pejus morte passas. Ita fratrum suorum funera, etiam vivus, parte sui Joramus luebat, ut in se, & extra se multiplicatâ morte, crudelis fratricida moreretur.

3150.

Tandem hoc anno Rex ille miser obiit cum viscera sua egessisset vivus, à suis neglectus, ideòque à Regum sepulchris exclusus, & quod gravius ac timendum magis, improbatus à Deo.

Successit ei Ochosias annos natus viginti duos ut 4. Regum traditur; non quadraginta duos, ut habetur Paralip. lib. 2. cap. 22. mendosè; alioqui prope biennio patre antiquior esset. Ochosias autem hoc anno Joasum suscepit, à Summo Pontifice vitâ mox, paulò post regno donatum; Hoc & Amita Jojadæ Pontifici nupta profuit.

Apud

*[margin, cut off:] ...mes ob... ...a Sama...*

*[margin, cut off:] ...amus ...x Iuda ...maam ...Lobnam ...idit.*

*[margin, cut off:] ...abili... ...solvi... ...obsi... ...Sama...*

*Hazael inungitur Rex Syriæ.*

*Mors Benadadi.*

*Ioramus Rex Iuda infortunatissimus.*

*Moritur Ioramus Rex Iuda.*

Apud Iſraëlitas autem ſeptimus annus agebatur famis, quando Sunamitis redux, operâ Giezi non tantùm recuperavit prædia, ſed & eorum annuos fructus, quandiu abfuerat, in gratiam filii ab Eliſæo ſuſcitati. Tantùm poterat vates, ut ab eo collata beneficia, valerent ad nova à Regibus impetranda.

*Naaman leproſus ſanatur.*

Venit & hoc tempore ex Syriâ Naamanus, vir fortis, ſed leproſus, cum literis commendatitiis à Rege Syriæ, quibus curari jubebatur. Territus eſt hac denunciatione Joramus, & belli prætextum putavit eſſe; ſed ab Eliſæo depulſus eſt omnis timor. Jubet Prophetes hominem lavari ſepties in Jordane fluvio; quod curationis genus cum diſpliceret ægroto, quaſi aquis Damaſcenis fieret injuria; monitus ſapienter à ſuis ne quid intentatum ad ſanitatem relinqueret, ſepties lotus, ex his aquis ſanus emerſit. Rediit ergo ſanctum medicum, cui ingeſſit munera; ſed ea rejecit Eliſæus eâdem conſtantiâ, quâ offerebantur. Hunc tantùm ſalutaribus monitis inſtructum remiſit in patriam ſuam, & quantùm ferebant hæc tempora, extra ἰουδαϊσμὸν veri Dei cultorem.

*Gieſi fit leproſus.*

Dum autem in Syriam lætus, & ſanus remigrat Naamanus, recurrit ad eum Gieſi ſervus Eliſæi, & ab eo petit aliqua munera, his ex adventu hoſpitum novorum indigenti. Quod cum à Deo reſciviſſet Eliſæus, homini ſacrilego ejuſque poſteris Naamani lepram impegit, ut qui tantùm aberat à magiſtri innocentiâ, ab hominum conſortio dirimeretur; nec in ſe tantùm, ſed & in ſuis, & ad quos morbus ille paternæ teſtis avaritiæ ſordiumque mentis, & corporis juſtiſſimè propagabatur.

Eodem denique anno Joramus, & Ochoſias bellum ad Ramoth-Galaad tranſtulerunt auditâ morte Benadadi; ſed iis acriter reſtitit Hazaël, ſeque dignum regno fortiſſimè, pugnando præbuit. In acie vulneratus Joramus ut faciliùs curaretur deportari ſe voluit, Deus ut faciliùs interimeretur, ut mox videbitur.

---

## CAP. VI.

## *Decas VI. Sæculi XXXII.*

### *Ab anno* 3150. *ad* 3160.

3151.

*Iehu Rex inunctus cadit duos Reges Ioramum & Ochoſiam.*

VErſabatur tum in prædio ſuo Jezraëlitico Joramus, ubi ejus vulnera magnificè curabantur, ubi eum inviſit Ochoſias, ex Athaliâ ſorore nepos. Sed ignorabant ambo Reges miſſum à Deo prophetam in Ramoth-Galaad, occupatam ab exercitu Jorami, qui Jehu filium Namſi inungeret, conſtitueret vindicem cæſorum Prophetarum, & Achabi domus exterminatorem. Inunctus Jehu ſtatim Rex à ſuis commilitonibus acclamatur, qui ſuorum alacritate uſus primo, unoque impetu duos Reges tollere parat, expeditione ita comparatâ, ut incautos occuparet, nullus ad eos nuncius irrepetet. Intercepti itaque Reges duo timorem ſuum in honorem vertunt, eique occurrunt obviam officiosè. Ille contra verbis atrociſſimis hoſtem ſe profitetur, Iſraëlitam ſagittâ conficit ejuſque cadaver in agrum Nabothi projici jubet, Judæum vulneratum, & retractum è fugâ jubet interfici. Ita duo ſublati ſunt veri Reges, ut ſuppoſititius intruderetur. Ingreditur Rex novus cum ſuis copiis urbem Jezraël, ubi viſam Jezabelem comptam diligentiùs, & probra in ipſum jacientem è feneſtra, per ipſos domeſticos præcipitari jubet; & equorum ungulis proculcari. In ejus cadaver mox irruunt canes, dilacerant, & diſcerpunt, ejuſque partem in eandem Nabothi vineam deferunt. Et quamquam ut filia Regis ſepulturam quæreretur, ejus inventum nihil præter calvariam, & ſummas manus, reliquum Ἐπιτάφια canes habuerunt.

*Iezabel cæditur & voratur à canibus.*

Neque verò hic cædium finis fuit: In urbe Samariâ Achabi filii aut nepotes ſeptuaginta jugulati ſunt, eorum capita ad Iehu perlata ſunt in cophinis; ita denique ſævitum in familiam Achabi, ut nemo maſculus in tam amplâ familiâ gladium effugeret, & reſervaretur.

*Familia Achabi penitus extinguitur.*

Pervaſit & ad familiam Ochoſiæ damnum: Hujus enim Regis cognati quadraginta duo, dum tumultus illius ignari inviſunt affines Reges, intercepti in tuguriolo, necati ſunt omnes; adeò tum fatale fuit Achabum vel affinitate contingere.

*Cognati Ochoſiæ cæſi.*

Nec à cædibus quies; quamquam quæ ſecutæ ſunt, viſi ſint magis piæ, atque juſtiores. Sacrificuli enim Baalis omnes, cum ſacris veſtibus adeſſe juſſi, Jehu imperante jugulati ſunt, aut trucidati, everſæ Baalis ſtatuæ atque comminutæ, templum in latrinas converſum ignominiosè. Quæ cum magno animo, & alacritate Rex quantumvis impius, & vitulorum cultor peregiſſet, meruit in familia ſua Iſraelis imperium ad quartam γενεὰν retinere. Nam & improbis Principibus à Deo ſua præmia ſunt, ne quis de regno ſibi plerumque cum ſceleratis communi glorietur.

*Baalis cultus abolitus.*

Neque verò mitiùs actum apud Judæos, quàm inter Iſraelitas; immò atrociùs & crudeliùs quod hîc alieni in alienos, illic propè mater in ſuum ſanguinem ſævivit. Athalia Ochoſiæ cæſi mater, mulier impotens, & ambitioſa, ut omnia ſine metu etiam futuri temporis perageret, nepotes ſuos Ochoſiæ filios jugulandos curavit. Unus in tanta trepidatione ſubductus eſt Ioas anniculus, à quo minus timebatur, & per amitam ſuam Ioſabetham Iojadæ Pontificis uxorem cum nutrice occultatus in Gynæceo, hac tantùm, maritoque conſciis. Verùm hæc nihil profuiſſent adverſus mulieris aſtutiſſimæ conatus, niſi in gratiam Davidis cujus in uno hoc puero vivebat ſanguis, ipſe Deus invigilaſſet: huic enim uni & vitam, & ſceptrum Ioaſus accepta referre debuit.

*Athalia filios Ochoſiæ interficit. Servatur Ioas.*

3152.

Athalia Baal Deum ſuum adeò impenſè coluit, ut liberorum ſuorum loco ejus Sacerdotes habe-

*Athal- Baalem colit impenſius*

haberet, digna turpissimorum hominum mater. Hi freti mulieris impotentis audaciâ, etiam fana sua exornaverunt ex donariis Templi; infœlices qui nescirent in eo latere, qui cum eorum internecione hæc vero Deo cumulatius restitueret.

...ser- ...vitu- ...ureos ...mul- ...ur. Paulò minùs fuit impius Jehu, retinuit enim vitulos aureos, & iis fieri passus est æmulus Jeroboam. Quare & huic illatam pœnam mox sensit. Perdidit enim omnem ditionem suam trans Jordanem, & maximè Galaaditim, tot ac tantis laboribus partam, atque servatam. In eâ porrò regione firmavit imperium suum Hazaël crudelis, quàm boni principis atque diuturni paterentur mores. Quæ importunitas quàm acerba fuerit Israëlitis, lacrymæ Elisæi, hæc tantùm eminus prævidentis, testata reliquerunt.

3157.

...us Rex ...tur. ...aditur ...alia. Joasus ætatis anno septimo latitans in templo, hoc anno ex templi latebris ascendit in solium regni Iuda, operâ Iojadæ Pontificis, per Levitas, & Sacerdotes, quos ille novis supervenientibus retinuerat, & ad vim propulsandam armis instruxerat. Ioaso inuncto acclamatum de more *vivat Rex*; ad quam vocem Athalia currens in templum imprudentissimè, ut impediret conjurationem, frustrà vociferata, Pontificis jussu extra Templi peribolum extracta, grata & Deo, & hominibus victima cecidit. Tum etiam sequestro Pontifice fœdus initum est inter Deum, Regem, populum, cujus hostia fuit Mathanus Sacerdos Baalis coram altari Dei sui, fano diruto jugulatus: *Sic cæso junxerunt fœdera porco.*

3158.

...lana- ...initia. Hoc anno regnare cæpit inter Assyrios ultimus eorum Rex, & 37. secundum Eusebium, Sardanapalus Ancyndaraxis filius, ab Assyriis dictus Thonos connoleros. Quamquam Scaliger Sardanapali vocem Assyriam esse confidenter asserat, non aliâ ductus ratione, quàm quod ita libeat. Is autem Sardanapalus imperium muliebriter administratum, viriliter reliquit ut post annos viginti videbimus.

---

## CAPUT VII.

## Decas VII. Sæculi XXXII.

### *Ab anno* 3160. *ad* 3170.

3166.

...dita ...Abso- ...Car- ...go. PRobabile est hoc anno absolutam esse Carthaginem à Didone annis ante viginti inchoatam. Hæc anno septimo Pygmalionis Carthaginem fugiens mundi 3146. emit ab Iarba vicino Rege: *Taurino quantum posset circumdare tergo*; utique quasi in Aram, non in Coloniam. At mulier callida corium bubulum quod amplissimum invenire potuit in minutissimas ligulas dissecuit, quibus arcis suæ aream circumdedit, cui Carthago hoc tempore accrevit. De variis hujus conditûs annis vide quæ diximus anno mundi 2840. Hæc est Carthago Romæ æmula, ac propè victrix, & cui ad subigendam Romam non fortitudo, aut victoriæ, sed prudentia fortunaque defuere. Vicit enim sæpè Romam, sed quia uti victoriâ nesciit, tandem ipsi victa succubuit.

3168.

Circa hoc tempus Ionas Prophetes filius Amathi, anno ætatis suæ trigesimo missus creditur ad Ninivitas, quibus tum Sardanapalus præerat, nequaquam Rege suo meliores. Sed qui Dei consuetudinem noverat Ionas, sæpe minas intentantis, quas pœnitentia multandorum irritas faciat, provinciam hanc detrectavit, veritus ne mendax haberetur à Ninivitis, quibus vanum interitum denunciaturus esset, sicque minimùm irrisus, & fortè cum plagis, ac verberibus emitteretur. Itaque fugere decrevit, homo vanissimus, quasi quò fugeret non esset inventurus imperantem. Navem igitur conscendit quæ Tharsis, aut Tartessum, & in ultimum Occidentem pergebat, persolvitque naulum. Vix solverat è portu navis, quæ rebellem vehebat, cum ingens & inusitata tempestas concitata docuit Deum Ionæ, & in terris, & in mari omnia posse. Vectores omnes desperati, & naufragio proximi confugiunt ad sortes, ita volente Deo, quæsituri cujus causâ tale discrimen adirent. Iacta sors in Ionam cecidit; ille contumaciæ suæ reus agnoscit se dignum qui præcipitetur in mare, & navis ejus πτέλυμα volens in fluctus dejicitur. Sed cadenti Deus paraverat piscem grandem, qui deglutit uno haustu intactum Prophetam, eumque tribus diebus & noctibus, emenso Mediterraneo mari, & Oceano circa Africam & Arabiam circumnavigato, defert, & evomit ad Euphratis, & Tigris ostium, ut jam esset Ninive propinquior. Monetur ergo iterum subire urbem, & demandatam à Deo, per omnia ejus compita, & anxi portus intonare cantilenam. *Adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur.* Hac terribili denunciatione territi cives de criminibus dolent, signumque conversi animi, fuit cultus corporis mutatus, omnes in Cilicinâ veste, saccoque apparuerunt; ipse etiam Sardanapalus positâ purpurâ, & tantillo tempore bonus. Iejunium ad hæc toti urbi indictum, cujus nec infantes, nec jumenta exsortes esse voluerunt. His placatus est Deus, & condonatum est urbi pœnitenti denunciatum à Prophetâ supplicium. Quod cùm displiceret Ionæ, qui verus optaret vates esse, tantæ urbis dispendio, ac ruinâ, increpitus est à Deo graviter, aspectu hederæ quam plantarat ad umbraculum, à vermiculo in radice corrosæ & exarescentis. De hujus enim plantæ jecturâ cum doleret, rogatus est cur Deum misericordiâ moveri nollet urbis, quæ supra viginti millia

*Ionas prædicat Ninivitis Pœnitentiam.*

millia infantium caperet, & infinita propè jumenta, parentum, ac dominorum clade involvenda. Ita Jonas ex Ninive meliori melior ipse, atque emendatior exiit.

3170.

*Ἐπιτροπία, seu LYCVRGI TVTELA.*

Ab excidio Trojano annis trecentis, antè primam Olympiadem centum & octo, ut tradit Eratosthenes apud Clementem Stromateum, Lycurgus posteriori Spartanorum Regum familia Eunomi filius, Polydectæ frater, rem edidit, omnium ore ac linguis, & nondum satis celebratam.

Hic Lycurgus Polydectæ fratri mortuo successit & se Regem gessit, donec relictam à fratre uxorem gravidam intellexit. Hæc autem pluris faciens Reginam esse, quàm Regis matrem, promisit Lycurgo partum medicamentis abigere, si eam uxorem ducere vellet, & si cum eâ in præsentiâ de nuptiis pacisceretur. Veritus ille mulieris impotentiam cum nequitiâ conjunctam, conditionem de nuptiis accipere simulavit, vetuit tamen haurire pharmacum, ne noceret ipsa sibi, ac duos uno haustu perderet, provisurum se ut natus infans sine periculo matris suo tempore tolleretur. Tum apposuit qui partui ejus invigilarent custodes probos ac fidos, de fœtu, quàm de matre crudeli & ambitiosâ solicitior. Cùm igitur Lycurgus aliquando, ejusque principes accumberent convivio, allatus est recens natus infans, quem statim ipse locavit in solio, Regemque veneratus Charilaum, id est, *populi delicias* dixit, & se tutorem pupilli pro Rege nominavit, clarior reddito regno, quàm servato. Is est cui se Sparta legibus temperandam commisit, dignus etiam habitus qui oraculis laudaretur.

*Initium priorum Olympiadum.*

Eidem quoque anno illigatur initium Olympiadum ab Aristodemo Eliensi, & Polybio, de quo vide quæst. 7. τῆς προθεωρίας.

## CAPUT VIII.

## *Decas VIII. Sæculi XXXII.*

### *Ab anno* 3170. *ad* 3180.

3176.

*Arbaces rebellat adversus Sardanapalum.*

Hoc anno Sardanapali decimo octavo Arbaces Medus causatus principis mores effœminatos, qui oblitus viri inter mulierum greges trahebat pensa, re verâ regni cupiditate accensus, & monitis Belesi Astronomi Chaldæi imperium ei pollicentis, collecto cum eodem Beleso, & Phule quadringentorum millium exercitu Sardanapalum imperio conatur exuere. Et primo quidem impetu parum ei fortuna favere visa est. Ter enim per Ducem suum Rex mulier conjuratos prælio fudit, rebellibusque jam diffluere paratis, Belesus quinque tantùm dies petiit moræ, intra quos astra spondebant victoriam. Et verò intra illud tempus adfuit Bactrianorum exercitus, quem cum in partes suas conjurati pertraxissent, inito certamine Regiæ copiæ victæ, etiam castris exutæ sunt Rex earum reliquias commisit Salæmeni uxoris suæ fratri, quas ille gemino prælio concisus, amisit universas. Itaque Ninives urbis firmissimæ muris credere salutem suam compulsus est, dum in auxilium venirent evocatæ totius imperii vires; quibus tamen diffidens tres filios, & filias duas cum ingenti Gazâ ad præfectum Paphlagoniæ hominem sibi fidum submisit. Neque vanum timorem fuisse, indicarunt copiæ undequaque in conjuratorum castra confluentes, quos audentiores ignavissimi principis efficiebat metus.

3177.

*Rex Ioa[illegible] [illegible] Templi.*

Anno à fundato templo centesimo quinquagesimo quinto, ut habet Hebræorum Chronicon informata fuit instauratio templi Salomonici, non quod ejus parietes vitium facerent, sed quod Levitarum, & Sacerdotum habitacula temporis diuturnitate dissolverentur. Jussit autem pecuniam sacram à Levitis colligi, quorum plurimùm intererat: sed in hoc negotio ita negligenter sese gesserunt, ut à Rege fuerint arguendi, quod divina non satis curarent; essentque domorum in quibus privati viverent, quam ejus sibi cum Deo communis, solicitiores.

3178.

Hoc anno Tigris fluvius (malè hìc quidam Euphratem vocant, intumescens imbribus murorum Ninives viginti stadia abjecit. Quo casu Sardanapalus res suas depositas intellexit, videns impletum Oraculum, quo urbis ruina denunciabatur, quando fluvius hostis factus esset civitati, quam alluebat. Is ergo sibi moriendum ratus animum ex desperatione sumpsit, & paulò tardiùs se professus est virum. Parat in medio Palatio ædiculam ligneam, in eam thesauros congerit suos, includit Eunuchos, uxoresque suas, quibus omnibus submittit faces, ac se Palatiumque fortiter incendit, relicto meliùs imperio quàm administrato. Evolasse tamen dicitur ex his flammis Eunuchorum unus, & monuisse Belesum, ut busti hujus cineres sibi deposceret: Quos cum Babylonem diligenter perferendos curasset pretium vecturæ, & magnas divitias invenisse. Ita vixit, ita periit Sardanapalus, hoc dignus incendio, qui libidinis ignibus assiduè circumfusus vixerat, vivens supra mulierem imbellis, & ignavus, moriens supra virum generosus, & fortis.

*Sardanapalus se incendit in Palatio.*

*Initium Regni Medorum.*

Eodem tempore ad Medos imperium translatum est, cujus Rex Arbaces primus statuitur, Vir ille felicitatis summæ atque prudentiæ, regnum tutius, quàm potentius habere maluit. Quare Beleso præfecturam Babylonicam tradidit. Ninives rudera (hæc enim incendiis deformata fuit) Phuli, ex quibus deinceps Assyrii principes, in magnas Israëlitarum clades emerserunt. Ita deletum Assyriorum imperium, quasi excisum Hydræ caput, in regno triplici redivivum refloruit.

3179.

3179.

Obiit hoc anno regni sui vigesimo octavo Iehu, instrumentum Dei ad familiam Achabi exterminandam, vir fortis, & generosus, quandiu eo Deus usus est; ignavissimus, cum vitulorum aureorum cultor relictus est sibi, ut agnosceret unde vis illa, unde fortitudo veniret; neque præclara facinora existere ex ambitione rebellantis, sed ex obsequio Dei mandata diligenter exsequentis.

*...ritur ...e.*

Successit ei eodem anno Ioachaz filius undecimus Rex Israëlis, anno 23. regni Ioasi. Is neque patre suo melior, nec bellis Syriacis fortunatior fuit: Coluit enim de more decessorum suorum vitulos aureos, quibus regnum Israëlis alligatum putabat. Quam cogitationem jam extinctæ familiæ duæ Regiæ Ieroboami, & Baasani nondum eliserant; ita regni perdendi metus inanis, reverà bis amisso regno sanari non potuit.

*...uccedit ...haz.*

3180.

Alladius vir sceleratus, & hominum ac Deorum hostis hoc anno Latinorum accepit imperium, Rex gentis hujus undecimus. Hunc Romulum dictum esse Livius innuit, qui Agrippæ filium, & patrem Aventini facit: Verùm id nomen dissimulatum ab Halicarnasseo in gratiam Romanorum, ne horum conditor ille cognominis esset; qui cœlo atque terrâ conspirantibus propter scelera extinguendus fuit, ut in ejus funere dicemus.

*...ldius ...ecimus Lati-...um.*

Hoc quoque anno sarta tecta Templi Salomonici diligentius curari cœpta, quæ Sacerdotes à Rege moniti neglexerant, ab ipsomet Rege, cum aliquâ Sacerdotum infamiâ, sed necessaria, ut eorum cunctatio & inertia sic castigaretur. Et verò populus universus Regis factum probavit; nec improbavit Summus Pontifex Jojadas, quâ erat prudentiâ, & pietate. Eventusque docuit hæreditarios illos, atque ex antiquo procuratores iis decedere, qui ut recentes electi, ita se novo munere dignos, probatosque reddere satagunt.

*...pli ...a te- ...uran- ...à Re- ...ajo.*

---

## CAPUT IX.

## Decas IX. Sæculi XXXII.

### *Ab anno* 3180. *ad* 3190.

3184.

Luctuosus est annus ille morte Jojadæ Pontificis anno ætatis suæ trigesimo supra centesimum, cujus opera Ioasus regnavit, & quod caput est piè, ac sapienter regnavit. Servatum regnum in familiâ Davidis, exterminatæ Achabi, ac Iezabelis reliquiæ in Ataliâ, reconciliatus Deo populus Baale sublato effecere, ut vir qui numquam mori debuerat communibus omnium studiis ac lacrymis sepeliretur.

*...itur ...las ...ifex.*

Annis item quatuordecim ab ἐπιτροπία Lycurgus sponte exul, peragratis regionibus multis Apolline ipso per Pythiam dubitante utrum homo, vel Deus esset, à popularibus sæpe revocatus, hoc demum anno in patriam postliminio rediit. Tum dedit civibus suis famosas illas Spartiatarum leges, à plurimis laudatas quidem, sed à sapientibus improbatas. Nam neque fœminarum pudicitiæ satis cavit, & probare visus est adulteria, perductoribus etiam usus maritis ad uxorum stupra: furta quoque laudavit quæ à pueris admitterentur callidè, ac domesticâ rapinâ, docuit prædandi, grassandique licentiam. Ut alia prætermittam, quæ non tam sapiunt leges bene moratæ Reipublicæ, quam inventa Luciferi ad probos hominum mores corrumpendos, & rectam indolem extinguendam. Ut mirum non sit Apollinem, atque Iovem nominibus honestissimis tectos Dæmones, harum legum authores circumferri.

*Lycurgus Legislator Lacedæmoniorum.*

318?.

Patri suo Iojadæ in Pontificatu successit primogenitus filius ejus Pedajas, quem Iosephus Phidiam vocat. Erat is Zachariæ Sacerdotis & Prophetæ frater, de se nomine tantùm notus, & rebus patris sui, à morte fratris illustris.

*Nonus Pontifex Pedaias.*

Hoc item anno depravationis in Ioaso semina jacta sunt. Hic enim jam quasi juris factus morte Iojadæ, quem parentis habebat; & colebat loco, præterea delinitus obsequiis Principum Iuda, tandem eorum petitioni subscripsit, eisque potestatem fecit colendi Baalis, & Astartes. Tumque animadversum est quàm Regi, atque regno Iojadas necessarius esset, cujus vitæ Regis pietas, populi religio fuit alligata, iis tanti viri funere jacentibus, aut extinctis.

*Depravatur Ione.*

3187.

Iratus Deus Ioaso, qui adulatores suos, & Baalem, veræ avitæque religioni anteposuisset, Syrorum animos extulit, Iudæorum depressit, Hazaël enim ingressus regionem Getham, Philisthæorum urbem, eis fortiter eripuit: hac elatus victoriâ regni caput Hierosolymam petit, & cepisset, nisi Ioasus ei pecuniam, non muros objecisset. Huic igitur cum sacra prophanaque pecunia numerata esset, abscessit, mox tamen rediturus, ita certiùs hostis ferro, quàm auro repellitur, quod qui offert, differt captivitatem, non devitat.

*Ioasus mulctatur à Deo.*

* * * *
* * *
* *
*

# CAPUT X.

## *Decas X. Sæculi XXXII.*

*Ab anno* 3190. *ad* 3200.

3192.

*Zacharias lapidibus obruitur.* IGnaviſſimi Rex, & populus adverſus Syros, in Prophetam fortes extiterunt. Zacharias filius Jojadæ (in Evangelio filius Barachiæ dicitur, ſed idem eſt Barachias cum Jojadâ, hoc nomen proprium eſt, illud titulus honoris) in deſertores religionis graviter invehebat, eiſque cœleſtes intentabat minas. Rex ei ſæpe ſilentium impoſuit, ſed major urgebat Dominus, & imperio potentiore. Quare Rex populo poteſtatem facit, ut importunum declamatorem, & [illegible] ſi pergat lapidibus expellat. Ita Princeps ex æquo ingratus & imprudens, multitudinem ſceleratorum, in ſanctum hominem, filium Pontificis optimè de ſe meriti, ſaxis armavit. Et verò hæc populi fæx improba, mali Regis imperia cumulatè perfecit. Prophetam enim intonantem de more in atrio Judæorum, lapidibus uſque in atrium Levitarum inſecuta, & non procul ab altari ſaxis comminutum interemit. Quæ cædes adeò diſplicuit Numini, ut eam Chriſtus Sacrilegorum poſteris objecerit; quaſi verò qui veniſſet in terras omnia eluturus ſcelera, hoc unum crimen excepiſſe videretur.

*Moritur Hazael ei ſuccedit Benadadus.* Eodem quoque anno mortuus eſt Hazaël, virga Domini, quâ cum utrumque populum ſuum pater bonus, Deuſque mulctaſſet, abjecit in ignem, regni ſui anno quadrageſimo tertio. Ei divinos honores à Syris conceſſos aſſerit Joſephus; videlicet cum crudelitas, & parricidia non arcebant cœlo, ſed eò illi ſternebant viam. Succeſſit ei filius Benadadus tandiu, fortunatus & victor, quandiu cum improbis Hebræis bella geſſit; horum impietas illius fælicitas fuit.

3193.

Zachariæ mortem inter ſaxorum grandinem vindictam expoſcentis, antequam evolveretur annus, Syrus graviter ultus eſt. Cum enim novo Regi Benadado tributum ejuraſſet Joaſus, Syros illicò vindices ſenſit. Neque vero bellum, *Ioaſus à Syris vincitur & vulneratur.* inferre perjuro Rex ipſe dignatus eſt; miſit è Ducibus ſuis unum, à quo victi acie Judæi, Principes omnes ſuos amiſerunt. Joaſus quoque venit in eorum manus, nec ab iis ut rebellis Princeps, ſed ut improbus vitiligator, & juris formulâ, vulneribus ignominioſis mulctatus eſt. Quæ licet lethalia non eſſent, ex iis tamen languorem diuturnum contraxit. Cur autem Rex captivus non ſit abductus Damaſcum, cur non capta Hieroſolyma, atque direpta, regni primariis viris internecione deletis, vaticinari non licet. Hoc certum ex ſacris codicibus, Deum iſtas Diſpenſantem pœnas, his contentum fuiſſe, nec, cum poſſet, exegiſſe graviores.

*Ioaſum filium in partem adminiſtrationis vocat Ioachaz.* Fœlicior fuit eodem anno Iſraëlitici regni ſtatus. Cum enim Joachazus Samariæ filium ſuum Joaſum, in partem adminiſtrationis vocaſſet, & tam pater quàm filius, pænè depoſitis rebus ſuis ſapuiſſent ex damno Judæorum, monente inſuper Eliſæo, Numinis implorarunt opem. Id tantùm optabat Deus, ut ex ultimâ & imminente ruinâ traherentur. His enim ſtatim dedit ſervatores duos Joaſum, & filium ejus Jeroboamum, quorum ille ſuperari poſſe Syros docuit, hic penitus debellavit, & quam pater informarat victoriam, filius abſolvit.

3194.

Redire quoque ad ſe viſi ſunt Judæi Iſraëlitarum exemplo, ſucceſſuque. Nam apud eos Amaſias in partem vocatus eſt regni à patre, ex vulneribus languente. Et filii pœnitentiam probavit pater quam inchoare debuerat. Itaque idola confracta, & reſtitutus ubique veri numinis cultus, & patris utcumque dolores mitigarunt, & filio meliorum temporum ſpem injecerunt. *Ioaſus quoque Rex Iuda Amaſiam filium.*

3195.

Hoc anno mortuus eſt Joachazus Rex Iſraëlis 11. cum annis 17. regnaſſet; cujus filius Joaſus longè meliùs ſolium implevit, Eliſæo, ut mox dicetur acceptiſſimus. Porrò Ioachazi laudatur fortitudo, quæ patiendo potiùs, quàm bellando enituit. Hunc profectò generoſum eſſe oportuit, qui tot cladibus attritus animum non deſpondit; victor quoque futurus in bello, ſi ad Deum maturiùs reſpexiſſet. *Moritur Ioachaz: ſuccedit Ioaſus Rex 12. Iſraelis.*

3196.

Qui conſenſerat in Zachariæ mortem Ioaſus Rex Iuda, anno regni 40. à Sicariis in lecto miſerè confoſſus interiit. Potentes fuiſſe perduelles illos oportuit, & genere opibuſque claros; Si quidem in eos ſtatim animadvertere non eſt auſus Amaſias, & patris ulciſci necem, niſi rebus imperii ſui conſtitutis. Hos genere Moabitas, & Ammonitas conſtat, ſed Iudæis malè inſitos: Connubia ſcilicet hæc contracta cum Allophylis illiuſmodi monſtra peperêre. Ioaſus autem non eſt illatus in Regum ſepulchra, quod antea Ioramo contigerat; unde quidam meritò ſuſpicantur, hoc Regio tumulo caruiſſe Principes longâ tabe exeſos. Diuturnus morbus Regibus illis infortunatis, & ante mortem longos dolores, & poſt funera æternam parabat infamiam. *Cæditur Ioaſus Rex Iuda à Sicariis.*

3197.

Parenti ſuo Ioaſo ſucceſſit Amaſias nonus Rex Iuda, cujus principia Regni laudatiſſima, & ſimillima paternis initiis extiterunt. Percuſſores enim Patris jam firmato imperio ſuſtulit, ita tamen ut in eorum filios ex lege divinâ ſupplicium non extenderetur; cum anteà in crimine perduellionis innocentes liberi, reis parentibus *Ioaſo ſuccedit Amaſias Rex 9.*

tibus adjungerentur. Id enim pœnæ genus, ſibi unus reſervavit ſummus vitæ ac mortis arbiter Deus, ut parentum peccata in quartam γενεὰν caſtiget, quò acerbitate, diuturnitate, amplitudine pœnæ, improbi homines, dum ſibi, ac ſuis metuunt, maleficio ſubmoverentur.

3199.

*aſus re- ii con- rtem ad- iſcit fili- n Iero- amum.*

Hoc anno Joaſus Rex Iſraëlis Jeroboamum filium ſuum in regni ſocietatem adſciviſſe creditur, ut anni Regum iſtorum in ſacris Codicibus putati conveniant. Id autem præſtitit ſapiens pater, ut attrito, & cladibus exhauſto provideretur imperio, cui regendo ſub oculis patris filius aſſueſceret. Quod inventum utile ac commodum difficilibus regnorum temporibus, iiſdem florentibus periculoſum eſt, & belli civilis, inteſtinique motus certiſſimum ſeminarium.

3200.

*ladius decimus*

Hoc anno Alladius improbiſſimus Rex Latinorum undecimus, cum annis 20. non tam regnare quam debacchari viſus eſſet, digno ſceleribus ſuis ſupplicio miſerabiliter extinctus eſt, poſtquam enim ſubditorum ſuorum capitibus inſultaſſet impunè, ipſa etiam deſpexit numina, cæliquè fragores, ac tonitrua, primò deſpexit, mox etiam æmulatus eſt. Cum terrorem Latinis ſuis novus Salmoneus incuſſiſſet, pro Deo haberi, colique voluit. Ad eum igitur exterminandum cœlum terraque conſpirarunt. Lacus enim vicinus adeò intumuit, ut palatium ejus abſorberet: & quaſi eluvies parum eſſet ad perdendum illum ſacrilegum, eodem tempore afflatum eſt fulminibus ejus cubiculum, ut geminâ periret morte, qui centies mori debuerat. Hujus Palatii rudera, æſtate deficientibus aquis diu apparuerunt, divinæ Juſtitiæ monimenta in hominem, quem neque Deus, nec homines ferre potuerant; ita comburendum cœleſtibus ignibus, ut etiam ejus cineres aquis dilutos tellus abſorberet.

*Rex Latinorum impiiſſimus.*

Huic ſucceſſit Aventinus de quo annis ab hinc triginta ſeptem dicetur, quo anno defunctus eſt.

*Aventinus Rex duodecimus Latinorum.*

# LIBER X.

## SÆCULUM MUNDI TRIGESIMUM TERTIUM.

*Ab anno mundi 3200. ad 3300.*

### CAPUT I.

### DECAS PRIMA.

*Ab anno 3300. ad 3210.*

3204.

*otat us nviſi- ä Ioa-*



Hoc anno Joaſi decimo Ægrotavit Eliſæus jam centenarius, & hoc morbo, quo paulò poſt elatus eſt. Inviſit autem ſanctum hominem Rex Joaſus, & coram eo flevit uberiùs in tali Prophetâ regni ſui jacturam. Regem ſolaturus Eliſæus arcum & ſagittas capere jubet; cumque Rex telum eduxiſſet è pharetrâ, aptaſſetque nervo, digitis ejus Prophetes impoſuit manum, & jaculatione utrique communi per feneſtram jaculum emiſit. Hoc facto ſalus Iſraëli denunciatur, & victoria in Aphec ubi quondam Achabus favente Deo Syros grandi clade proſtraverat. Juſſit inſuper Prophetes Regem ſagittis terram percutere; quod cum ter tantùm Joaſus feciſſet, indoluit vates, ter duntaxat Syros debellandos, pluribus atterendos cladibus, ſi ſæpiùs terram impetiiſſet. His conditionibus victorias & dona ſua Deus alligabat, quæ quia pendebant ex merâ liberalitate concedentis; ita dari, non aliter, volebat ille, cujus voluntas, prima ac ſumma ratio eſt.

Non ita multo poſt Eliſæus inter ſuorum manus & lacrymas animam reddidit, ſepultuſque in prædio vicino Samariæ. Diu ex tumulo, vel mortuus, (ſicut Hieronymus ſcribit, & canit Eccleſia) Dæmoni terribilis fuit: ut qualis fuiſſet vivus, & quam potens in homines, ex timentis hoſtis conditione, etiam ab obitu poſteritas intelligeret.

*Moritur Eliſæus.*

3205.

Verùm hoc ano longè magis enituit Prophetæ ſanctitas in portento, de quo nulla unquam tacebit ætas, quandiu ſacra ſtabit hiſtoria. Moabitæ prædones Jordane pertranſito, progreſſi erant uſque Samariam: in eorum turmam cum incidiſſent Veſpillones cadaver hominis geſtantes, juxta tumulum Eliſæi, in eo ſarcinam ſuam depoſuerunt, atque diffugerunt. Mirùm! homo mortuus, tactis oſſibus mortui Prophetæ illicò revixit, ſtetit in pedes, domum rediit.

*Eliſæus mortuus mortuum ſuſcitat.*

Hoc prodigio animatus Joaſus, & ſubnixus promiſſione viri, qui mortuus ſolo contactu fato functos revocaret ad vitam, militem ſcribit, ſed eum quem perpetua ferme clades quinquaginta annorum reliquum fecerat. Animatus tamen è cœlo

*Prima Ioaſi de Syris victoria.*

cœlo Syros aggressus fudit, atque dissipavit, multisque ditatus spoliis, etiam amissæ regionis suæ partem recuperavit, ut hac appendice victoriæ magnitudo cladis hostilis denotaretur.

3206.

*Altera Joasi de Syris victoria,*

Contigit hoc anno altera Joasi de Syris victoria. Ii enim dum acceptam relinere volunt ignominiam, suo nomini majorem inusserunt, fracti iterum, debellatique. Israëlitæ enim jam eos reformidare desierant, & præterea illecti prædæ dulcedine, alacres etiam eos aggrediebantur. Sed enim plus proderat occulta vis, Elisæi precibus infusa, quæ tantùm victoribus inspirabat audaciæ, quantùm injiciebat victis ignaviæ, & trepidationis.

3207.

*Tertia Joasi de Syris victoria.*

Hoc demum anno tertiùm victus Benadadus expertus est se non esse parem Israëlitis Deo plenis, & cælitus animatis; quamquam vires omnes suas explicuisset, & ad grandem exercitum artem omnem bellicam adjunxisset. Itaque jam effractis curribus, & equitibus exterminatis triplici certamine, urbes quas occuparat intra Jordanem reliquit, contentus opponere victoribus fluvium qui Israëlitici, atque Syri regnorum limes esset. Sed hunc terminum sustulit Joasi filius Jeroboamus, ostenditque parum esse tutos etiam magnis fluminibus populos, quos suis hostibus debellandos Deus objecit.

3208.

*Amasias vicit Idumæos.*

Amasias Rex Juda regni sui anno duodecimo, Idumæos annis jam sexaginta, rebellione à sua ditione distractos adoritur cum exercitu trecentorum millium electorum. Iis cum adjunxisset centies mille Israëlitas grandi mercede conductos, eos à Propheta dimittere jussus, etiam cum pecuniæ jactura. Sapienter; his enim nummis imperante Deo perditis victoriam emit, quâ multa Idumæorum millia cæcidit. Sed insanus victos hostium Deos egregiè elaboratos, inter spolia repertos seposuit, iisque lararium suum exornavit; ex quibus cum Dæmones responsa darent, & variis præstigiis illuderent Regi, eos tandem adoravit ipse, qui captivi neque se, neque suos Idumæos exemerant servitute.

3209.

*Amasias bellum suscipit in Joasum.*

Dedit hoc anno ingratissimæ adversus Deum insaniæ pœnas Judæorum Rex Amasias. Post neglectos sancti Prophetæ monitus Joasum Israëlis Regem temerario planè consilio, aggredi statuit. Ulcisci nempe volebat actas in regno depopulationes ab Israëlitis, quos anno superiore jubente Deo dimiserat; sed has alieno tempore, & cùm esset invisus Deo ob idololatriam, ulcisci statuit. Et verò antequam resisteret eum irrisit Joasus, seque cum Cedro illum cum Carduo comparavit, quem feræ Libani conculcarent, hoc est Israëlitarum exercitus obtereret. Hac responsione magis incitatus in bellum, & ruinam vehementiùs incubuit, docuitque nunquam à Deo mulctari principes graviùs, quàm cùm in prava consilia sinuntur abire, ex quibus magnæ, & multæ plerumque calamitates existunt.

3210.

*Amasias vincitur Joaso.*

Amasias hoc anno filium suscepit Oziam, seu Azariam: sed voluptatem de successore genito, mox clades ingens temperavit. Cùm prælium inconsultè cum Joaso commisisset, imbelles Judæi, fortissimis Israelitis statim verterunt terga, vivus Amasias venit in hostium manus, perductusque Hierosolymam urbem dedere coactus est. Hanc ingressus est Joasus triumphantium more ingressus est enim per labem muri, ejusque cubitos quadringentos, ut, cùm liberet, eam cum copiis subiret. Tum expilavit thesauros omnes, & Prophanos, & Sacros; & in ea quidem reliquit Amasiam, sed vectigalem, acceptis primariorum civium liberis obsidibus.

*Moritur Joasus.*

Sed diu victoriæ tantæ fructu non est usus Joasus: rediens enim Samariam paulò post interiit: hoc tantùm felix, quòd adversarios nequiores se, & à Deo mulctandos invenisset.

---

## CAPUT II.

## *Decas II. Sæculi XXXIII.*

### *Ab anno 3210. ad 3220.*

3211.

*Jeroboamus 13 Rex Is[raë]lis.*

Samariæ, Joaso patri successit jam candidatus regni Jeroboamus, inter Israelitas principes ejus nominis secundus, & Rex decimus tertius, anno decimo quinto Amasiæ. Fuit is etiam parente suo generosior, & electus à Deo ex precibus Elisæi, ut Syrorum jugum penitùs effringeret: Quare mirum non est ei subditum Amasiam perdurasse, qui se sponte subditorum suorum idolis dementissimè subdiderat.

3215.

*Jonas dicit [vi]ctoria[m de] Syris [Jero]boam[o].*

Jeroboamus invitatus à Jona Propheta filio Amathi, jam ætate provectiori, Syros fortiter est aggressus, & ultrà Jordanem copias suas promovit. Hic variis victoriis, Syrorumque cladibus recuperavit agrum Israelitis assignatum, à Deo atque Mose. Sed plena regionis possessio à Libano, & Emath ad lacum Asphaltitem, quam sacri Codices Jeroboamo tribuunt, neque unius victoriæ, neque unius anni fructus fuit.

3216.

*Cla[des] Syro[rum].*

Hoc quoque anno Jeroboamus Syros variis cladibus afficiebat, eisque eripiebat urbes trans Jordanem sitas; promissis Elisæi adhuc durantibus, neque patris ejus, aut vatis morte exhaustis.

* * * *
* * *
* *
*

CAP.

## CAPUT III.

## *Decas III. Sæculi XXXIII.*

### *Ab anno* 3220. *ad* 3230.

3225.

erfici- r à con- ratis nasias.

POst annos à Joasi Israelitarum Regis morte quindecim, facta est adversus Amasiam Regem Juda, optimatium & populi magna conjuratio. Dolebant plerique omnes nobile regnum ejus imprudentiâ, & ignaviâ factum esse inferiori Regi vectigale, ac tributarium; neque id probrosum tantùm agnoscebant, sed & grave sentiebant pecuniis exhausti. Induxerunt itaque in animum sibi promissiones Amasiæ, eo sublato, irritas fore, tributum quod pensitabant Israeli, illius capiti alligatum esse, & vitæ, quæ si tolleretur illud quoque concideret. Itaque miserum Regem & imparatum obsident in Palatio suo, & ad mortem deposcunt. Fugit ille per posticum, & Lachisam venit; sed ab iisdem copiis urgentibus acriter oppressus, & cæsus est. Ut autem docerent conjurati illatam esse Regi necem, non quod id sua causa, sed publica postularet, corpus ejus reportavere Hierosolymam, ac in sepulchra Regum magnificentiùs intulerunt, vano affinibus ejus, propinquisque solatio.

3226.

as seu rias. 10.

Patri Amasiæ successit Ozias tum annum ætatis agens decimum sextum. Dictus est aliter Azarias; quæ vox cùm significet *auxilium Dei*, fueritque aliis plerisque communis, nihil illa nos morari debet. Innuere autem videntur sacri Codices eum à populo in Davidis thronum esse collocatum, contranitentibus conjuratis, qui ab ultore filio sibi malè metuebant conscii paternæ necis. Sed prævaluit multitudo, cui magis placebat Davidis sanguis, quàm quorumdam perduellium securitas; quæ tamen sapienter tum iisdem videtur esse concessa, per ἀμνηστίαν, necessarium turbulentis Reipub. temporibus remedium, & quoties crimen ad nimis multos pertinuit. Tum autem conjuratis illis, timuisse pœnam, satis esse judicatum est, ab iis qui assidebant principi. Nocentes autem dum abolitam credunt ultionis cogitationem, facti sunt in principem tam bonum & facilem obsequentiores; unde nata est Regi tranquillitas summa, quæ prima est & maxima sapientis Regis cura, & ad quam motus animi suos omnes dirigere, ac flectere debet.

3227.

ariae è t m.

Præpositus tum creditur fuisse instituendo, regendoque principi vix ex ephebis egresso Zacharias, ejus, qui lapidibus mactatus erat in templo, filius posthumus. Is autem à patre non degener, ad omnem sanctimoniam juniorem principem erudiebat; & doctoris culturæ indoles adolescentis respondebat. Itaque sic factus sic institutus Ozias ita se gessit, ut si ultimi vitæ anni prioribus contendissent, non poterat Juda optare sapientiorem Regem, nec miseris hisce temporibus accommodatiorem.

3228.

Sub initium Ozeæ, sed annus non notatur prophetarunt Osee, & Joel, qui primi inter Minores occurrunt, quamquam jam eos antea præcesserit Jonas.

OSEE, id est, *Servator* præcinuit decem Tribubus dispersionem, easque ad Dei cultum factis & dictis revocare conatus est. Enimverò ne turpissima eorum à Deo suo per idololatriam defectio illos deterreret, uxorem ducere jussus est meretriculam Gomer, ex qua etiam liberos suscepit. Ut eo facto Israel intelligeret, quanquam in templis idolorum prostitutus esset, amandum nihilominus à Deo suo, si in ejus confugeret sinum, & atrociores longè adulteriis injurias esse ex ejus animo penitus eradendas. Cùm autem usque ad Ezechiam, sub pluribus Regibus vaticinatus esset, obiit sanctè etiam à Christianis cultus, & quarto Julii inter sanctos adscriptus. *Osee Prophetia.*

JOEL autem non est Samuelis filius, ut delirant Rabbini, similitudine nominum decepti, sed alius Osee σύγχρονον, qui prædixit Judæis Babylonicam captivitatem, ut hic Assyriam Israelitis præcinuerat; in eundem quoque relatus Sanctorum album, & diebus tantùm novem ab eo celebritate disjunctus. *Ioeli Prophetia.*

3230.

Hoc anno ætatis suæ vigesimo Ozias bellum adversus Idumæos suscepit, fuitque nobilis hæc expeditio, primum ejus belli tirocinium. Fructus autem hujus irruptionis fuit Elath jam pridem à Judæ regno divulsa, urbs præclara, tum autem magnæ monimentum victoriæ, quam instauratam diligenter, & ad necessitatem, & ad magnificentiam communiit; reputans urbem hostilem adornatam egregiè, atque vallatam, esse omni arcu triumphali, tropheoque nobiliorem. *Bellum Oziæ in Philisthæos*

---

## CAPUT IV.

## *Decas IV. Sæculi XXXIII.*

### *Ab anno* 3230. *ad* 3240.

3231.

ANNUS etiam insequens Oziam in armis vidit adversus Philisthæos, cum trecentis hominum millibus, quos optimis armis instruxerat, & bis mille sexcentis ducibus attribuerat. Magnus apparatus belli; sed aderat insuper Numinis auxilium, armis omnibus, omnibus copiis longè potentius. Hoc exercitu, & sic animato Iobnam aggreditur, quæ jam à temporibus Iorami vicinorum Philisthæorum armis subnixa quasi sui juris ab Hebræis defecerat. Tum autem fortiter oppugnata recepit jugum, & solatium servi- *Ozias Iobnam recipit.*

servitutis fuit tam generoso principi cessisse, atque subesse. In ea tantum collocatum est luculentum præsidium, quia satis arte, naturaque muniebatur, & plus civis quàm hostis, reformidandus erat.

*Vincit Philisthæos.* Inde movit Ozias, in Jobnæ propugnatores & auxiliatores Philisthæos; quorum minoribus urbibus ambulando captis Getham, Jamniam, Azotum machinis verberatas vi cœpit, ac spoliavit mœnibus, ne unquam eorum fiduciâ rebellarent. Excitavit nihilominus in commodioribus locis firmissima præsidia, quibus Hebræi hîc relicti, agros colerent tuti, ac securi, victi Philisthæi in officio continerentur.

*Item Moabitas & Arabas.* His ad mare, & Occidentem confectis in Orientem, & versus desertum arma convertit. Hic Arabas, & Ammonitas variis cladibus fractos tributum sibi pendere coëgit,& annuatim pecunias repræsentare, quas grassationibus suis, & depopulationibus jampridem Judæis eripuissent. Ita demùm victorem,& tot populorum spoliis locupletatum exercitum reduxit, ordinandis deinceps imperii pacati rebus intentus, nec bella cogitans & expeditiones semper impias,atque sceleratas,nisi cum ex necessitate geruntur, atque suscipiuntur.

3237.

*Mors Aventini.* Obiit hoc anno duodecimus Latinorum Rex Aventinus,anni sui regno trigesimo septimo,cujus nomen illustrius quàm res gestæ. Vivit enim in monte tantùm decantato,qui Romanis mœnibus inclusus fuit; sic huic monti plus situs, quàm is, à quo vocatus est, profuit.

*Procas 13. Rex Latinorum* Successit ei Procas Latinorum Rex decimus tertius liberis suis,ac pronepotibus, quàm seipso famosior; parens videlicet Numitoris,& Amulii, Romuli atque Remi Proavus ex Rhea Sylvia nepte.

*Telecli Regis Lacedæmoniorum cædes.* Circa hæc tempora referri potest Telecli Lacedæmoniorum Regis, vel honesta, vel funesta mors à Messeniis illata, utroque populo à se injuriam deprecante,nec lite adhuc propter longinquitatem temporis diremptâ. Commune erat utrique populo in finibus, Dianæ Limnatidis templum. Narrant Lacedæmonii virgines suas à Messeniis hic corruptas, Teleclum dum dedecus prohibet, interfectum, puellas doloris impatientiâ sibi conscivisse necem. Messenii contra tradunt Teleclum Ephebos, virginum adduxisse loco, pugionibus instructos, ut principes suos confoderent,iisque sublatis agro fertilissimo potirentur; Messenios vim propulsasse fortiter,& Teleclum cum omnibus suis adolescentibus jugulasse. Certè cum ultio tum nulla secuta sit, illiusmodi injuria relicta per viros fortes impunita Messenios à crimine videtur absolvere.

3240.

*Initium regni Macedonici à Carano.* Inchoatum traditur hoc anno regnum Macedonicum à Carano Heraclidâ, qui decimus sextus fuit ab Hercule, si Vellejo Paterculo credimus, si Dexippo, tantùm undecimus. Erat is Caranus Phidonis Argivorum Regis frater, qui potius exul & extorris primus, quàm in patria secundus esse maluit. Itaque collectâ ex iis manu, quorum intererat inveniri novas sedes, & terras, cùm in veteribus parum tuti vel ab inimicis, vel à creditoribus viverent, in Macedoniam venit tum incultam, & hîc potentissimi regni parva tum fundamenta jecit, In Perse desiit hoc imperium, cujus ultimum pænè diem Lunæ nobilis Ecclipsis notat. Itaque facilius & certius est regni hujus finem, quàm initium reperire; quod non regnis modò, sed & magnis familiis fatale.

---

## CAPUT V.

## *Decas V. Sæculi XXXIII.*

### *Ab anno* 3240. *ad* 3250.

3242.

*Ozias H rosolym munit.* HOC anno regni sui decimo sexto Ozias ad urbem Regiam firmandam appulit animum, ita tamen ut munitiones ejus plurimum haberent dignitatis, & elegantiæ. Nam Occidentalem urbis partem turribus pulcherrimis, & solidissimis distinxit,ut hinc hosti, ejus capiendæ,quâ fuerat hactenus infirmior, desperationem injiceret. Errant autem qui eò referunt labem muri refectam, dirutam sub Amasia, cum duæ illæ muri partes loco plurimùm dissideant.

*Vnde ej divitia* At ne in his operibus gravaret oneribus subditos suos, Agriculturam sedulò coluit, & vineas, sparsis etiam per deserta ovium caulis, & turribus in earum præsidium,ex quibus cùm luculentos quotannis proventus colligeret, non minus Rex bonus, quàm sedulus paterfamilias fuit; princeps sanè ditissimus non subditorum suorum labore, sed industriâ suâ, & dignissimus ad cujus exemplum sese omnes principes, Regesque conforment.

3246.

*Hesiod Poetæ* In hunc annum cadere videtur Hesiodi Poëtæ mors,triginta duobus annis ante primam Olympiadem,ut Suidas,aliique tradunt. Licet autem apud Tullium de senectute Hesiodus multis sæculis dicatur Homerum præcessisse,in hac parte tamen vulgò deseritur, & saltem hoc loco vir tantus creditur dormitasse. Obiit autem Hesiodus centenario major & ejusdem ætatis cum Homero, anno vitæ suo 104. Pausanias,& Suidas hunc interfectum volunt ab Antipho, & Ctimeno hospitibus suis sed imprudentibus, dum tollere volunt hominem qui eorum sorori stuprum obtulerat; id Naupacti contigisse Pausanias asserit, ibique sepultum, ossa tamen Orchomenum delata esse. At Plutarchus scribit ejus corpus à percussoribus in mare dejectum esse, sed exceptum à Delphinis, qui id ad Molocryam urbem Ætoliæ detulerunt, ad quam sicarii confugerant: Quod mirati Molocrii magnâ cum veneratione tanti viri cadaver suscepere, & quæstione habitâ de percussoribus, eos tandem

tandem ope canis repererunt, inventos præcipitarunt in mare, disturbatâ eorum domo, quæ tantùm scelus continuisset. Ita varii variè de tanti hominis obitu.

3248.

*os pro- tat vi- s po- s.* Hoc anno Oziæ vigesimo tertio Amos prophetare cœpit, non Isaiæ pater ex Regia familia, cùm hic esset armentarius, & opilio ex oppido Thecue, & duo illi latinè cognomines, Hebraicè nequaquam literis conveniant. Porrò vaticinatur contra Damascum, Tyrios, Syros, Moabitas, Idumæos, Ammonitas, quibus magnam denunciat cladem, & brevis vitæ (nam duos tantùm prophetavit annos) diuturnæ calamitatis, & latè patentis miseriæ vates fuit.

3249.

*s 10. ibus vita- nun-* Sequenti anno idem Amos captivitatem decem Tribubus post annos sexaginta quinque denunciat, tandiu ante indicatam, ut iram numinis prævenirent, & averterent. Sed hæc nihil profuere sceleratis nisi ut graviùs mulctarentur, neque tantùm idololatriæ, sed & rebellionis, atque contumaciæ pœnas darent acerbiores.

3250.

*e] mo- ngens.* Hic annus terræ motu memorabilis est, qui anno Oziæ vigesimo quinto Palæstinam concussit, omnium perculit animos. Ab eo duxit initium vaticinandi Isaias filius Amosi fratris Amasiæ Regis Juda, quare ejus prophetia Regii nescio quid, & excellentis spirat. Is autem motus prænuncius fuit civilium motuum, quibus mox Israël concussus est, qui tanti fuerunt, atque diuturni, ut in miseram ejus, & numquam abrumpendam captivitatem desierint. Neque tamen commota tellus pium ullum in mentibus impiorum concitavit motum.

*Amos eta.* Eodem anno qui Jeroboami mortem præcessit contigit Amos Prophetæ nex, illata non ab Ozee Rege filio Amasiæ item Regis, sed ab Ozee filio Sacerdotis Amasiæ, vel potius sacrificuli idolorum in Bethel, ut distinctè scribit Epiphanius. Hi autem pseudo-Sacerdotes freti authoritate Jeroboami eò proruperunt audaciæ ut in sanctum hominem injicerent manus; & pater quidem eum sæpe cæcidit, filius furiosior vectem ei, vel clavam in caput impegit. Quidam ineptè huic clavum in tempora adactum putant; Quomodo enim huic supplicio duos dies supervixisset. Fracto igitur capite domum relatus biduò post expiravit, inter martyres adscriptus ultimo Maji. Certè (ut hîc omittam Rabbinorum fabulas) neque huic pœna, neque causa ad Martyrium defuit.

---

## CAPUT VI.

## *Decas VI. Sæculi XXXIII.*

### *Ab anno* 3250. *ad* 3260.

3251.

*r m.* JEROBOAMUS hoc anno regni quadragesimo primo, regnandi, impieque vivendi finem fecit; eò reliquis Israëlitis Regibus sceleratior, quò plura receperat à Deo beneficia, quæ huic nihil, ejus populo plurimùm profuere, cujus *servator* in sacris Codicibus legitur; aliis utilior, quàm sibi, miserabili fœlicitate.

3252.

Sequenti anno qui Osiæ vigesimus septimus fuit, Zacharias filius Jeroboami nequaquam successit patri, sed factionibus, & civilibus bellis Imperio distracto, interregnum ortum est ad annos duodecim; quamquam id tempus à quibusdam arctetur, nimis longum afflictis Israelis rebus, quos graviùs hoc civile, quàm ulla alia ab externis bella vexarunt. *Interregnũ duodecim annorum.*

3253.

Hoc anno ante Christum natum octingentesimo ex Vellejanâ supputatione, Capua nobilissima civitas Campaniæ, primùm condita est. Cùm enim Paterculus hanc urbem statutam dicat annis octingentis triginta ante Vinicium consulem; Marci autem hujus Vinicii Quartini, cum C. Cassio Longino consulatus cadat in annum Christi trigesimum, huc sine dubio Capuæ conditus referri debet. Hæc est civitas, cui obfuit in nimis opima regione situs, deliciis etiam frangere solita viros fortes, mollium & effœminatorum virorum parens, & quorum luxuries potiùs apud scriptores, quàm præclara facinora, prostant. *Capua condita.*

Eodem quoque anno natus est Osiæ filius Joathamus, cum hinc ad mortem Oziæ anni viginti defluxerint, quo anno, patre mortuo regnum occupasse in sacris Codicibus dicitur. Utrum autem fuerit is primogenitus Oziæ nec dicere possumus, nec negare, cum hoc tempore hæreditatem non ortus, sed patris adjudicaret electio. *Nascitur Ioatham.*

3256.

Anno Oziæ trigesimo Abdia contra Idumæos vaticinabatur; quem perperam Dorotheus, S. Epiphanius, Isidorus, Eusebius putant vixisse temporibus Eliæ. Neque veriùs hunc nonnulli Idumæum crediderunt, cùm fuerit Sichimita. Undecunque tamen fuerit vir piissimus fuit, sepultusque Samariæ, ut docent Ecclesiasticæ tabulæ, venerationem à Christianis, à Dæmonibus timorem expressit. *Abdiæ Mors.*

3260.

Moriens hoc anno Procas regni sui anno 23. reliquit filios duos Numitorem & Amulium hæredes ambo ex semisse. Amulius bonis omnibus patris in duas partes distributis, hinc unum Regnum, illinc reliqua bona statuit, & copiam eligendi Numitori fecit. Is privatus dives, quàm rex inops esse maluit: demens! qui hæc eripi posse non videret à Rege; & verò longè aliquid bonis pretiosius raptum est. Filius enim ejus statim in venatione necatus, filia Rhea Sylvia, aliter Ilia Vestæ consecrata, quasi id esset imperatum Regi in somnis, spes Numitoris omnes intra ipsum jussæ consistere. Hæc Valerius Antias, ex quo deprompsit Dionysius Halicarnassensis; qui tamen divisionem bonorum non *Moritur Procas succedit illi Amulius.*

non ex composito, sed per vim factam esse putat. Hinc Romæ exspectamus incunabula, quæ ex fraudibus, crudelitate, aliisque vitiis huic urbi congenitis subodoramur.

## CAPUT VII.

## *Decas VII. Saculi XXXIII.*

### *Ab anno* 3260. *ad* 3270.

3264.

*Zacharias Rex 14. Israelis.* ANno trigesimo octavo Oziæ Regis Juda tandem apud Israelitas Zachariæ factio prævaluit, eumque in paterno solio collocavit. Verùm in eo tantùm sedere visus est ut promissio facta Jehu de quarta generatione in regno collocanda servaretur, ob excisam Achabi familiam. Nam Zacharias vix præfuit Israeli, patribus suis haud melior, & dignus in quo nequam familia Jehu statim extingueretur. Hunc enim post sex regni menses Sellum regno privavit, & vitâ. *Sellum Zachariam interfecit Rex decimus quintus.* Qui nuncius cùm ad Manahen præfectum militiæ delatus esset, noluit impietatis & parricidii ejus fructum esse regnum, sed eum cum Regiis copiis aggressum confecit; & invasit imperium, quod pietate, & justitiâ saltem in speciem partum, crudelitate mox firmavit, & avaritiâ.

3265.

*Manahen 16. Rex Israelis.* Hoc anno Manahen imperare cœpit apud Israelitas anno Oziæ trigesimo nono: regnum suum Samariæ stabilivit. Sed eadem sententia aliis urbibus non sedit. Thapsa enim civitas ingens detrectavit imperium, eique venienti portas occlusit, quas ille vi armisque reseravit. Et ut in ea statueret exemplum severitatis, doceretque reliquas urbes, quid eis expectandum esset, si vi ab obsequio revocarentur, non modò, obvios omnes jugulavit, sed & crudeliter prægnantium matrum uteros dissecuit, ut unâ cæde Barbarus carnifex duas neces inferret.

3266.

*Manahen evocat Phul Assyriorum Regem, in auxilium.* Hæc crudelitas Manaheno regnum peperit, non asseruit: Itaque tot hominum insidias reformidans, qui à tam multis timebatur; Phulem Assyriorum Regem in auxilium evocavit: Is autem Phul extincto Sardanapalo relictus in rudeibus Ninives, vir fortis hoc regnum interire non est passus, sed in magnam Hebrææ gentis perniciem curavit reflorescere. Evocavit autem Phulem Manahen mille talentis argenti hoc est decies centenis, trecentis septuaginta quinque nummorum millibus. Quam ut conficeret summam, quinquaginta Syclos argenti, hoc est, octo supra sexaginta nostrates libras in singula ditiorum capita pronunciavit. Utrum hæc mille talenta semel tantùm pensitata sint, an singulis annis numerata fuerint AssyrioPrincipi, certò statui non potest; neque cùm id Deus dissimulandum voluerit, scire aut optamus, aut curamus.

## CAPUT VIII.

## *Decas VIII. Saculi XXXIII.*

### *Ab anno* 3270. *ad* 3280.

3274.

HOC anno natus est Joathamo filio Oziæ Achazus, ut liquet ex annis patris. Itaque videns se & in filio, & in nepote superstitem, superbiâ elatus, eò assurgere voluit, unde turpiter præcipitavit. Ut enim gratias haberet Deo (sic enim quidam scribunt) de nepotis ortu, incensum adolere voluit, in altari Thymiamatis, & munus exequi solis Sacerdotibus reservatum. Verùm ei fortiter obstitit Summus Pontifex Joël, aliter dictus Azarias, cum octoginta Sacerdotibus, qui dignâ ministris Dei libertate peccantem Regem corripuerunt. Perrexit ille nihilò seciùs, minas intentans, oblitus sui, loci, atque Dei; sed hunc illicò vindicem multiplicis criminis agnovit & sensit. Nam statim afflatus est leprâ, quæ sic in fronte ejus apparuit, ut ab omnibus Sacerdotibus videretur: Itaque non ut sacrilegus tantùm, sed & leprosus ex templo atque adeò ex urbe depulsus est, hominum deinceps familiaritate, convictuque cariturus. Justo planè, dignoque supplicio, ut qui Pontificibus æquari voluisset, Rex infra subditos suos vile propudium amandaretur. *Nascitur Achaz.* *Ozias a... lere vo... incensu... fit Lepro...*

Obiit & hoc anno Manahen regni sui decimo, non tantùm idololatra, sed & crudelis Tyrannus, hoc est invisus Deo, & hominibus; elatus tamen eo funere, quod non barbarum, sed bonum Principem decebat; ne ex genere mortis de vita pronuncies; cum boni nonnunquam improborum funere, impii bonorum fato tolli videantur. *Moritu... Manah...*

3275.

Phaccia filius Manaheni, Israelitarum Rex decimus septimus, successit patri; non quia regno dignus erat, sed quia ejus subditi ferre tyrannidis jugum didicerant. Si enim Josepho credimus paternam imitatus est crudelitatem; eò tolerandam faciliùs, quod & minus diuturnam, & adversus assuetos, eam importuni patris, ferox hæres exercuit. *Phacc... 17. Re... Israeli...*

Eodem quoque anno Corinthii exauthoratis Regibus suis, quorum ultimus Automenes fuit, Prytanes annuos substituerunt, faciliore, ut credebant dominatu, quod Princeps ex subdito, subditus ex Principe quotannis creabatur. *Corint... Prytan... annui... Regib...*

3276.

Natus hoc anno existimatur Tobias senior illustre pietatis exemplar in Galilæa superiore ac Tribu Nephthali, urbeque cognomine, ut vulgata legit; ut Græca, ex oppido Thisbe Eliæ patriâ. *Nasci... Tobia... Senio...*

triâ. Is utroque parente orbatus est puer; at cum Debbora patris mater, sic erudit ad virtutem atque religionem, ut hanc institutionis laborisque sui non pœniteret.

3277.

*o Isaia.* Hoc anno qui Oziæ Regis Juda postremus, & quinquagesimus secundus fuit Isaias Propheta in excelso solio Deum vidit, non oculis corporis, sed mentis; & fortassis huic dormienti nobilis hæc imago repræsentata est: quando & Seraphinus carbone ardenti ex altari detracto labra ejus purgavit igne cœlesti, hoc est (ut vult Hieronymus) huic prophetiæ spiritum indidit, habilemque reddidit & ad monitus divinos sapienter accipiendos, & manifestandos, quod impuris hominibus rarò conceditur.

*itur us Rex* Paulò post decimus Regum Juda Ozias defunctus est, sepultusque in agro Regiorum sepulcrorum, non autem illatus in Regum tumulos, quia leprosus obierat; sicque dum vixit & post obitum, ab aliorum exclusus communione, vir alioqui bonus, si Rex tantùm esse voluisset, neque thuribulo manum admovisset. Certè à Deo parente, non judice castigari visus est, quandoquidem qui eum punitus est, eundem laudavit Deus, ut ostenderet hunc acceptum cœlo è vivis abiisse, & inustam corpori turpem criminis notam, cum ipso corpore defecisse.

Eodem quoque anno Phacëe filius Romeliæ Chiliarchus ut ait Josephus, initâ cum viris fortibus quibusdam conjuratione, Phaceiam Manaheni filium post annos regni sui duos interemit in turri Samariæ, ad quam confugerat. Præmium hujus parricidii Regnum fuit; statim enim Phacëe Rex Israëli decimus octavus creatus est; nec antecessore suo melior, quia dololatra, nec eo mitior quia tyrannus, & quia sceleratus ipse sceleratum sustulerat, Deo criminibus utente ad crimina vindicanda.

## OLYMPIADES.

3278. OLYMP. I. *Annus* 1.

Olympiades seu anni Iphiti, celebris Epocha inter Chronologos, hinc procedit: Quando Olympici Agones ad Olympia Pisa juxta Alpheum amnem ab Iphito Elidis Rege magnificè instaurati sunt, atque in iis victor Corœbus est renunciatus: Ex quo deinceps notati sunt perdiligenter Olympionicæ. Vide quæ de Olympiadibus observavimus qu. 7. προθεωρίας.

Eodem anno Joathamus Rex Juda undecimus Oziæ patris occupavit locum; & quem jam ei patris morbus ab annis quatuor adjudicarat, tunc mors patris penitus asseruit.

3279. OLYMP. I. *ann.* 2.

Hoc anno videtur Phacee denegasse tributum Teglath-Phalazari, ab Israelitis ejus patri Phuli pensitari solitum: quæ causa videtur fuisse, cur novus ille Assyriorum Rex, ut se dignum præberet imperio statim cum ingentibus copiis adfuerit, & rebellem Regulum ad turpissimas conditiones pacis compulerit. Occupavit enim totam ejus ditionem trans Jordanem; cis Jordanem autem superiorem Galilæam quæ & gentium dicta est, ibidem positas Tribus Ruben, Gad, & dimidiam Manassè, cum tota Tribu Nephtali abduxit in Mediam, atque hic extorres à patria habitare compulit, ut in hostili regione, & hostibus circumsepti nunquam rebellarent. Hoc, à Deo rebellibus Israelitis, ab hominibus rebellio profuit.

Hoc quoque anno Amulius Ægesto filio Numitoris per insidias, & inter venandum sublato, Rheam Sylviam sororem ejus virginem nubilem Vestalem creavit, ne ex ea susciperetur proles. Sed quarto abhinc anno facta gravida gemellos peperit, ultores tot criminum, quæ ut sibi pararet ac servaret Regnum, Amulius perpetrarat. *Rhea Sylvia fit Vestalis.*

3280. OLYMP. I. *ann.* 3.

Joathamus sub initium regni sui propylæum seu vestibulum, hoc est portam Orientalem templi dicitur novis operibus exornasse: Hinc enim sapienter ædificia sua voluit auspicari. Inde perrexit ad murum Ophel Hierosolymæ reficiendum, & urbes in montibus Juda muniendas, omnia firmissimi operis, quia pietatis, & religionis fundamento substruebantur. *Ioathami ædificia.*

---

## CAPUT IX.

## *Decas IX. Sæculi XXXIII.*

### *Ab anno* 3280. *ad* 3290.

3281. OLYMP. I. *ann.* 4.

HOC anno Rhea Sylvia aliter Ilia dicta virgo Vestalis in luco Martis unde puram aquam hauriebat ad sacrificia corrupta est; sed à quo? Hactenus dubitatum; & fortè Romanorum effecit potentia, ne dubium unquam illud aboleretur. Quidam ab ipso Marte violatam volunt; quidam ab ignoto quodam, nonnulli à proco, qui eam deperibat; multi denique ab ipso patruo Amulio, sed armato, & Martis speciem referente, qui tamen hoc stupro non libidinem sed modum quærebat, quo eam ex legibus perderet. Utut se res habuerit Rhea hoc anno ex furtivo concubitu Romulum, Remumque concepit, quorum patrem incertum Romani fecerunt Deum, ut natalium suorum turpitudinem occultarent. Finxerunt etiam Ecclipsim, & in cœlo tenebras, quibus conditores suos nothos, & spurios nunquam obvelabunt. *Rhea Sylvia concipit Romulum & Remum.*

3282. OLYMP. II. *ann.* 1.

Rhea Sylvia, seu Ilia hoc anno Romulum, ac Remum peperit; statimque in judicium vocata, damnata est ab Amulio ut virgis cæsa viva defoderetur, proles necaretur. Filia tamen Amulii unica dicitur Patrueli suæ vitam impetrasse; ita Livius. At Marcus Octavius, & Licinius major eam necatam volunt; Dionysius Halicarnassensis neutram opinionem improbare audet. Certè nihil matrem vivere, plurimi servari prolem *Romulus & Remus mirabiliter servati.*

lem intercrat; id mirabiliter factum: cum enim in alveo expositi essent infantes in Tiberi fluvio tum restagnante, hæsit cymba ad radices montis Palatini; infantium gemitu accita Lupa distentis ex partu uberibus accurrit, eisque feritatis oblita mammam præbuit. Quod cùm observasset Faustulus Regius pastor, subductos infantulos obtulit uxori suæ, quæ non ita pridem infantem mortuum ediderat. Hæc autem cùm parum pudicè viveret, & inde Lupæ contumeliosum sibi apud pastores fecisset nomen, nata est fabula de Romuli, ac Remi altrice Lupâ bestiâ. Hanc autem Romani complexi sunt avidè, & scriptis Latinis, Græcisque consignarunt, ne parentem urbis suæ, atque conditorem, & nothum, & meretricis alumnum turpiter fateri cogerentur.

3284. OLYMP. II. *ann.* 3.

*Locri & Croto coloniæ Spartanorum.* Hoc anno, regnante Spartæ Polydoro, Lacedæmonii Locros & Crotonem in Italiam deduxere colonias, & à suis conditoribus, & de suis propriis factis inclytas, sed ad luctam tamen & umbram, quàm ad bellum & pulverem aptiores.

3285. OLYMP. II. *ann.* 4.

*Nascitur Ezechias ex Achazo.* Natus est hoc anno Ezechias religiosissimus princeps ex Achazo patre duodenni, in qua vi gignendi tam præcoce, quidam ad Deum, quidam ad naturam Achazi Salacissimam recurrunt, quem ut maturè patrem, sic non diu hominem agnoscunt, mortuum ætatis anno trigesimo sexto. Certè ut optimus Ezechias nunquam satis citò vivere debuit, sic ejus impius pater nunquam satis citò mori.

3286. OLYMP. III. *ann.* 1.

*Abaris ex Scythia venit in Græciam.* Hoc tempore (id tamen quidam referunt ad Olympiadis LIV. annum 1.) Abaris ex Hyperboreis Scythis legatus venit in Græciam donatus ab Apolline sagittâ, quam jaculans cum ea velocissimè ferebatur, percurrens populos sine cibo, sine potu, & per sagittam reddens Oracula. In eo quidam vim Dæmonis agnoscunt hominibus illudentis; alii Dei virtutem mortales ad pœnitentiam invitantis; quæ posterior sententia, meo quidem judicio, plus pietatis habet, quàm veritatis, & Ecclesiastis, quàm Historicis accommodatior.

329.. OLYMP. IV. *ann.* 1.

*Michea Prophetia.* Ad hoc tempus pertinere videtur Micheæ Prophetia, quando jam in aliquot Israelitas divini Numinis furor detonuisset. Admonebantur eâ reliqui, immò & Judæi, ut ex aliorum sapèrent damno, sed surdis omnibus cantatum esse mox per Assyrios, & Babylonios pœna inflicta docuit. Non est igitur Micheas iste qui sub Achabo Rege Israelis vixit, ut putarunt Dorotheus, Epiphanius, aliique complures, & si cæsus est, id non est factum à Joramo Achabi filio. Corpus autem ejus inventum est sub Theodosio Seniore in vico Baratsia, & loco qui tum dicebatur Nephasa Neomena, id est, *anima fidelis*, ut prodit Sozomenus; itaque viri hujus sanctitas, quam genus mortis est exploratior.

## CAPUT X.

## *Decas X. Sæculi XXXIII.*

### *Ab anno* 3290. *ad* 3300.

3292. OLYMP. IV. *ann.* 3.

Romulus, & Remus nati annos decem, egregiè literis Græcis, & Latinis apud Gabios excultos esse, tradit ex Valerio Antiate Aurelius Victor, Numitore affatim eis omnia suppeditante, & in eorum institutionem invigilante: species enim oris, & dignitas corporis eos ex magnis, & ad magna natos indicabat. *Romuli, & Remi studia.*

3293. OLYMP. IV. *ann.* 4.

Joathamus anno regni sui decimo mortuus est princeps optimus, & tam citò inferendus in sepulchra Regum, ne populi sui damna videre cogeretur, quæ in Achazi filii, dignissimum iis caput, mox incubuerunt. *Moritur Ioathan.*

Achazus enim Rex duodecimus Juda patri suo successit anno 17. Regni Phacee; Quo item anno Rex ille Israelis fœdus iniit cum Syris, ut communibus armis Achazum impeterent amicum Assyriorum, & communem hostem utriusque, & sic accepta ab Assyriis damna quoniam aliter non poterant in eorum socios refundere pararunt; quo facto & Judæis perniciem, & sibi ruinam inconsultè nimis accersierunt. *Achaz 12 Rex Iuda.*

3294. OLYMP. V. *ann.* 1.

Tum Ephoros primùm Spartæ constitutos tradunt, regnante hic Theopompo, cum Polydoro. Quinque autem Ephori singulis annis eligebantur, ei ab eorum primo nominabatur annus, qui hoc anno Elatus dicebatur. Hi continebant in officio Regem, ut Tribuni plebis Romæ Consules; Rege hoc pacto minùs potente, sed meliòre, regnoque minus ambitioso, sed diuturniore. *Ephori Spartæ.*

Hoc etiam anno Achazus à Syris, & Israelitis malè acceptus est. Phacee enim ex ejus ditione plurimos cæcidit, spolia multa abduxit, abegit captivorum ducenta millia. Verùm hi omnes ad vocem Oded Prophetæ ex Samaria vaticinantis, etiam cum Viatico liberaliter remissi sunt; adeò potens, etiam apud impios, jussio Prophetæ fuit. Major etiam incubuit in Juda à Razino Rege Syriæ calamitas, non enim tantum Achazi fudit exercitum, sed ipsum ejus ducem vivum cepit, abduxit Damascum; nec liberum dimisit nisi urbe Ailâ ad oram Rubri maris traditâ; quam Rex Syrus, expulsis Judæis tradidit incolendam, & servandam Idumæis. Ita urbe nobili, & firmâ Rex infelix libertatem suam redimere coactus est, & facto, quàm esset ipsa captivitas, turpiore. *Syri, & Israelitæ malè accipiunt Achazum Iudam.*

3295. OLYMP. V. *ann.* 2.

Hoc anno conjunxere vires suas Syri, atque Israëlitæ, Razin & Phacee, ut exercitu maximo Hierosolymam obsiderent. Turbatum Achazum timere vetat Isaias, à Regibus mox interituris, *Obsidet Hierosolyma à S... & Israelitis.*

turis, & titionum instar postremum, fœdumque fumantibus: non credenti signum quodcumque voluerit offert; & maximè Virginem quæ illibatâ castitate conciperet. His tamen fidem non adhibuit imprudens Achazus; Assyrium Regem, vetante Deo, in auxilium suum evocavit, cum hostium quidem pernicie, sed damno suo forte non minori; qua de re mox judicabitur.

3296. OLYMP. V. *ann.* 3.

*ssyrius rt juppe- as Acha-.*

Teglath-Phalazar Assyriorum Rex precibus Achazi solicitatus, ac promissis, in ejus auxilium venit, atque ex itinere agrum Damascenum fœdè vastavit. Obsidione urbis solutâ huic occurrit Razinus, qui cum Assyrio copiis imparib⁹, & fessis congressus exercitum ac vitam perdidit, Rege suo cæso venit in Assyriorum potestatem Damascus, cujus cives in Cyrenen, hoc est inquit Josephus, superiorem Mediam translati, dum aliena incautiùs appetunt, se ac patriam perdiderunt. Interea Phacee de servando regno suo, quàm de occupando Judaico solicitior Hierosolymam relinquit, ut sua tueatur: Sed in Assyrium intentus, dum non sibi satis cavet à suis ab Ozea filio Ela interimitur; hoc uno felix quòd regni sui vastitatem non vidit. Achazus autem ope Assyrii obsidione solutus, atque metu, huic obviam cum multis muneribus Damascum venit; ubi cum altare vidisset exquisiti operis, formam ejus ad Uriam summum Pontificem misit, jussitque huic simile curare, ut in eo mox ipse faceret; quod & perfectum est Rege fatuo illegitima imperante, meticuloso Pontifice resistere non auso, utrimque magno Regni damno, atque civitatis.

3297. OLYMP. V. *ann.* 4.

*ath- lazar osoly- diri-*

Teglath-Phalazar magnificentissimè suscipitur Hierosolymis ab Achazo, à quo multo auro, argentoque donatus est, tum sacro, quàm prophano. Verùm Rex Barbarus in hac urbe non ut hospes, sed ut hostis vixit, rapuit pecuniam omnem, & publicam, & privatam, sibi non oblatam; quasi gratis data ad belli sumptus satis non esset. Hæc prima pœna fuit Achazi, quod in altari novo illegitimè fecisset, sed alia gravior in tributo quod Assyrius imperavit, utpote diuturnior. Tot malis Rex afflictus ad Deum non confugit, sed quasi ab eo tot damnorum repetiturus ultionem Templum direptum, ac omnibus donariis spoliatum claudi jubet; idola per urbem universam spargit, ut his potiùs, quàm tot calamitatum, ut vocabat, authori thura, & victimæ constituerentur. Demens! qui Deum vocaret in certamen à quo obterendus erat, nisi contemptus esset, ac vilitati suæ, & insaniæ suam deberet impunitatem.

*tas z.*

*um m Regis*

Teglath-Phalazar autem relictis Hierosolymis Samariam venit, quam omnibus quoque divitiis spoliavit. Hic Ozeam Phacee percussorem cùm invenisset, eum judicavit idoneum cui spem faceret regni, si fidum illum experiretur, & in exigendis, persolvendisque tributis accuratum. Sic hoc anno Oseas, non tam Rex, quàm Larva Regis cœpit esse; unde duplex in sacris Litteris, ejus regni notatur initium. Assyrius autem locupletissimus triplicis Regni spoliis rediit in ditionem suam; docuitque potentem auxiliatorem evocatum à tenui Principe, esse nonnunquam ipsi, quàm ejus hosti damnosiorem.

3298. OLYMP. VI. *ann.* 1.

Romulus & Remus ex Ephebis egressi spirabant aliquid augustius, quàm pastores solent, ac majoribus animis irruebant, quàm reliqui in feras, & in grassatores: Quare fortissimi quique iis se Ducibus adjungebant, quibus imperabant exemplo, quos in gloriæ & prædæ partem vocabant. Tum autem instituta feruntur ab iis Lupercalia, in honorem Panos Pastorum Dei, quam festivitatem Romanos mundi dominos postea celebrare non puduit. *Lupercalia instituta.*

Hoc item anno Alcmæon apud Athenienses ultimus Ἄρχων perpetuus, cum duobus tantùm annis præfuisset decennalibus his magistratibus locum dedit, probavitque in quibusdam hominibus breviores dignitates esse sine dubio meliores. *Alcmæon Athenis ultimus Archon perpetuus.*

Idumæi hoc anno in Judæos attritos irruentes magnâ illos affecerunt clade, non resistere ausos, & omnium parentes insultibus. Et qui insurgebat Achazus contra Deum, quem suum putabat hostem, illatam ab hoste vero patienter ferebat injuriam; tam insulsus vindex, quàm ignavus tolerator. *Idumæi Judæos vexant.*

3299. OLYMP. VI. *ann.* 2.

Philisthæis quoque hoc anno animus rediit qui bello sua repetentes, à Numinis inimico tam facilè sua recuperarunt, ut ea se non repetiisse maturiùs indignarentur. Tum Getha, Ascalon, Azotus, Accaron repetere libertatem, & odium exercuerunt in Hebræos, paulò antè dominos suos, nunc omnium servos, qui eos appeterent bello; dignos servire omnibus, qui Deo suo subjici ridiculè detrectarent. *Philisthæi sua recuperant à Judæis.*

3300. OLYMP. VI. *ann.* 3.

Athenis Charops primus decennalis Archon hoc anno iniit Magistratum, quia perpetuus aliquid retinebat de Rege, qui cum malè Atheniensibus conveniebat. Igitur electus est, qui privatus, magistratus sui rationem redderet, haberet temporis satis, ut Rempublicam regeret, & administraret. Nec finis fuit apud levem & turbulentum populum hujus immutandi magistratus, nisi cum ad popularem statum status ille recidit, hoc est administratio commissa plebi, & belluæ multorum capitum, à quo regi non potest Respublica, turbari, & everti nullo negotio solet. *Charops primus Archon decennalis Athenis.*

*Romulus & Remus sublato Amulio Avum Numitorem restituunt regno.*

Hoc eodem anno Romulus & Remus Numitorem avum restituerunt regno, Amulium etiam vitâ privarunt. Remus exortâ inter Pastores rixâ in qua se strenuè gessit, interceptus insidiis, vinctus Albam perductus est, absente Romulo. Faustulus eum admonet de periculo fratris, & qui essent ambo aperit. Ille coactâ Pastorum manu vadit ad urbem, quasi repetiturus fratrem, re verâ ulturus avum. Amulius eodem tempore de cunctis certior factus, visoque alveo, in quo expositi fuerant, eos perdere decreverat; eâ de re per nuncium fidum admoniti, illum prævenire statuunt; cum paucis bene animatis, occultantes arma, irrumpunt in Regiam, custodes obtruncant, ipsumque etiam Amulium. Tum ad Numitorem accedunt, qui vocatâ illicò concione fratris in se exponit injurias, duorumque juvenum natales; exclamat populus Amulium jure cæsum videri, Numitorem Regem esse suum, duos juvenes majori ac illustriori regno digniores. Taruntius Mathematicus hoc anno 4. Octobris Sole in libra Romam conditam asserit; alii rejiciunt in annum sequentem atque Palilia; nos plures & doctiores secuti urbem conditam anno proximo referemus, à cujus exortu, pars hujus corporis altera non potest nobiliùs exoriri.

## *Finis Tomi Primi.*



PARS

# PARS ALTERA TOMI PRIMI.

CONTINENS

# OCTO SÆCULA

CUM DIMIDIO,

*SEU*

ANNOS OCTINGENTOS QUINQUAGINTA TRES.

*AB URBE CONDITA AD CHRISTUM NATUM.*

AUTORE

*PHILIPPO BRIETIO*

*ABBAVILLÆO*

*Societatis JEsu Sacerdote.*

## PARS ALTERA TOMI PRIMI.

AB URBE CONDITA AD CHRISTUM NATUM.



*Omana Civitas de se adeò illustris est, ut antequam describantur ab ea res gestæ, quietem meritò capiat scriptor, qui totius orbis historiam decurrendam susceperit. Ideò pausam fecimus antequam hujus urbis fundamenta jacerentur, cujus victoriis capiendis visus est orbis angustior, & quæ mundi caput effecta est, ut Christus veniens in terras, ejus opera doctrinam suam facilius in orbem terrarum disseminaret. Prius enim homines quodammodo Romanos Deus fieri voluit, quàm*

*quàm Christianos, & Augusto parere, ut Petro se submittere discerent; ut qui hominis accepissent jugum, Dei in homine Petro, Petrique successore jubentis non detrectarent imperium; & quæ libertatem corporibus abstulerat Romana dominatio, eam animis cum fœnore feliciùs restitueret.*

Erunt porrò partis hujus ut septem sæcula cum dimidio sic septem libri: Octavus continebit quidquid supra annos septingentos excurrit, hoc est annos quinquaginta tres: quibus evolutis, cum nascente Christo Tomus alter in lucem prodibit.


At quoniam anni ab Urbe condita ad Christum, sicut longè rerum gestarum pleniores quam triginta tria superiora sæcula; Pars ista secunda in duo segmenta dividetur: *Primum* quiescet ad initium primi Belli Punici, annosque decurret quadringentos nonaginta; *Secundum*, reliquos ducentos sexaginta tres à primo bello Punico ad Christum natum prosequetur.

# SEGMENTUM PRIMUM
## PARTIS HUJUS SECUNDÆ
# TOMI PRIMI.
## AB URBE CONDITA AD PRIMUM BELLUM PUNICUM.



T sensim homines, sic etiam imperia crescunt. Ille domitor orbis populus Romanus annis prope quingentis luctatus est, ut unam subjugaret Italiam: tum videlicet in rem militarem adolescebat, quæ ubi punicis certaminibus perfecta est, tam facilè, tam modico tempore reliquas devicit gentes, ut non tam ad bella, quàm ad certas victorias proficisci videretur. Videbis hoc segmento quam laboriosè creverit; sequenti, quam magnificè triumpharit.

LIBER



# LIBER I.

## SÆCULUM MUNDI TRIGESIMUM QUARTUM.

*Ab anno mundi* 3300. *ad* 3400.

### CAPUT I.

### PRIMA DECAS.

*Ab anno* 3300 *ad* 3400.

OLYMP. VI. *ann* 4. *Mundi* 3301. Urb. Cond. 1.



Commigrantes Albâ Romulus,& Remus,cum fortissimis aliquot viris, spe fortunæ majoris illectis, ad Tiberim non procul à Palatino monte consederunt. Placuit locus iste fratribus, ubi primùm servati essent,& nutriti à Lupâ, ut non tam urbem, quàm humanitatis sedem statuisse putarentur. Verùm quoniam à duobus Principibus hæc multitudo regi non poterat, sed distrahi, iis pro sorte Augurium fuit,ut auspicatò Roma conderetur. Duodecim vultures à Romulo visi eum constituerunt Regem huic Remum,qui sex tantùm deprehenderat,submiserunt. Prima tum Regis cura fuit munire locum, qui novos incolas caperet, & ab indigenarum furore tutos præstaret. Ergo in Palilibus xi. Kalend. Maji (qui dies natalis creditur Romæ) designata est aratro fossa, murus ex cespite eductus fuit: utrumque parvum fuisse liquet,utpote quæ saltu per jocum transcenderit Remus; sed is ei ludus vitâ stetit: cæsus est enim à Regis satellite: quæ mors quoniam Romulo fructuosa fuit, ab eo fuisse putatur imperata. Ab hac tamen cæde primi Romanorum historici Romulum purgare conantur, scribuntque in lite de Rege eligendo coortâ Remum cæsum, eique à fratre magnâ amoris significatione parentatum esse. Utut se res habuerit prima Romanorum murorum intrita regio sanguine diluta fuit; ut innueretur quantùm cruoris illa civitas esset profusura, quæ cum muniretur,neque fraterno sanguini pepercisset.

OLYMP. VII. *ann.* 1. *Mundi* 3302. Urb. Cond. 2.

*Asylum Romulus aperit.*

Majoris animi,quam opum & virium Romulus urbem condiderat, quam ubi inter suos distribuit, rarioribus habitatam colonis vidit, & magnum in urbe non magnâ desertum. Eam ut impleret, Asylum aperuit, ad quod confugerent qui tuti in vicinis urbibus propter crimen esse non poterant; ut arbitri essent orbis terrarum non opiliones solum, sed & quos ipsis Romanis posteà nominare pudor fuit. Ita Romulus pluribus, quàm melioribus imperare maluit: ut tamen boni illi ex malis fierent, ipse sanctissimis legibus providit.

*Romanis leges ponit Romulus.*

Principiò quidem multitudinem universam divisit in tres partes, unde eis Tribuum nomen, quas iterum in curias distinxit, iisque præfecit Tribunos,atque Curiones. Inter hos agrum Romanum in 30. partes divisum distribuit. Tum ex iis qui præstarent opibus, & autoritate Patres dixit, ut magistratus gererent,curarent sacra, jus populo dicerent: reliquos tenuioris fortunæ viros, plebejos appellavit, ut agros colerent,& exercerent opificia: Hos clientes vocavit,illos patronos, quos inter se ut filios parentesque conjunxit, quâ affinitate nulla est in terris arctior, atque potentior. Deinde ex patriciis selegit virum fortem & probum, qui regeret urbem dum foras ipse prodiret ad expeditionem; singulas item Tribus jussit eligere tres viros ætate, genere,moribusque præstantes; singulas item curias tres alios patricios,qui omnes simul centenarium numerum confecerunt. Ex iis affecti Patres, seu Senatus, sic dicti à prudentiâ quæ deceret senes, & paterno in tenuiores affectu. Eorum consilio Rex in administrando Imperio utebatur,erantque quasi Reipublicæ capita. Selegit denique Romulus ex reliquis, trecentos viros fortes, & expeditos, qui Regi pro manibus essent; hos Celeres nominavit, qui posteà in Equites transierunt, & equestrem ordinem

*Civitas ordinatur & in partes distribuitur.*

dinem

dinem effecerunt. Ita fortitudine & prudentiâ Romulus urbem suam instruxit, quibus virtutibus ornata omnis civitas ex tenuibus initiis semper pervenit ad summa. Omnibus porrò Romano præcelluit, cujus principio, nullum minus, cujus apice nullus major in terris extitit.

*Annus Romanorum antiquus.*

Huc quoque referas primam anni Romani institutionem mensium decem, quorum primum, à parente suo Marte, Martium Romulus dixit; ut popularibus suis, simul & venerationem sui, & bellicæ virtutis instillaret.

*Olympici Agones illustriores redditi.*

Eodem pariter anno Daicles primus in Elide ad Alpheum coronatus, Olympicos Agones illustriores reddidit. Qui crederet pauca oleæ, vel oleastri folia, celebratissimo Græciæ spectaculo, aliquid splendoris, atque dignitatis attulisse?

OLYMP. VII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3303. 3.

*Legio Romana.*

Hoc anno Chronologi quidam Legionem institutam volunt ex peditibus ter mille, & equitibus trecentis. Quod si verum est Urbs tota vix Legionem fecit. Alii igitur differendam putant ad Sabinos receptos Urbe; Alii paulò antequam Romulus abiret è vivis. Quidquid sit de tempore, inventum fuit dignum filio Martis, & cui Roma imperium totius orbis acceptũ referre debet.

OLYMP. VII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3304. 4.

*Raptæ Sabinæ.*

Qui æternam urbem suam Romulus speraverat, vix unius sæculi videbat esse, si deessent uxores. Eas à vicinis quidem conatus erat obtinere precibus; sed quia spernebantur, vim placuit adhiberi, quam tum necessitas legitimam efficiebat. Numitore itaque in consilium adhibito, votisque nuncupatis Conso arcanorum Deo, ut homines faverent, ac superi, indicitur Romæ Neptuno festus dies, qui equestribus potissimùm certaminibus, ludisque celebraretur. Horum ludorum fama vicinos populos, & maximè Sabinos in urbem cum liberis accivit, & diebus aliquot magnâ cum voluptate distinuit. Ultimo spectaculorum die dispositi juvenes in Virgines irruunt, & per vim domum quasi desponsas abducunt. Sexcentæ octoginta tres tum perhibentur inventæ in Romanorum potestate, quas oratione suâ Romulus sic demulsit, ut illæ darent iis animos, qui sua corpora rapuerant. Itaque patrio ritu celebratæ sunt nuptiæ, & tanto amore exceptæ sunt à Romanis hæ Sabinæ, ut se raptas fuisse non molestè ferrent. Hoc unum videlicet deerat Romanis ad contumeliam, ut non ex perduellibus modo atque sicariis, sed ex Virginum raptoribus editi dicerentur.

OLYMP. VII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3305. 5.

Tantum mœroris raptus ille Sabinis, quantùm gaudii Romanis peperit. Sed is dolor apud viros fortes in iram transiit, quæ statim contra fortes generos, soceros feroces armavit. Inter eos Romæ proximus Acron Rex Cæniensium, spreta Romuli legatione, in agrum Romanum populabundus irrupit, & rapinis cædes, ignesque permiscuit. Sed eos statim invasoris sanguine bonus Imperator restinxit. Quem quia hostium Ducem, Dux ipse Romulus ceciderat,

*Acron Sabinus cæsus opima spolia primus suffecit.*

huic opima spolia detraxit, Jovi Feretrio consecranda, tanta celebritate, ut huic similem bis tantùm deinceps urbs Romana libera viderit.

*Secundum initium Regni Osee Regis Juda.*

Hic quoque Osee Regis Israëlis aliud initium statuitur ab interpretibus sacrorum Codicum, qui aliter pugnantia in speciem scripturæ loca conciliare posse se desperant. Hoc igitur anno Osee relictus à Teglath-Phalazare Samariæ tantùm vicarius, Rex & Princeps dici cœpit, præmiumque duplicis sceleris sui recepit regnum, & quod dominum sustulisset suum, & Israëlitas vectigalibus Assyrio pensitatis attrivisset; laqueo, & lapidatione, quàm diademate dignior. Tum quoque nonnulli putant vitulos aureos ablatos esse, tam qui in Bethel, quàm qui apud Danitas colebatur: abutente Deo exterorum cupiditate, & avaritiâ, ut materiam profani cultus adimeret Israëlitis; qui, etiamsi maximè vellent, esse non possent idololatræ; & nolentes pænè ad Dei religionem compellerentur; quoniam sine vero, falsove numine mortales vivere non solent.

OLYMP. VIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3306. 6.

*Bellum Sabinum*

Bellum Sabinum anno superiore, ut celeriter nimis, sic infeliciter administratum, hoc sapientiùs reparatum: meliùs etiam Sabinis cessit, & Romanos in ultimam perniciem tantùm non induxit. Tatius enim Rex Curum dolos addidit fortitudini, neque tantùm armis sed & præmiis hostem aggressus, arcem occupavit. Nam Tarpejam Tarpeji præfecti filiam corrupit auro, quæ Sabinis aditum in arcem, & ad victoriam aperuit. At viri fortes proditione usi, hujus autorem necavere, ne parum fortiter Romanos vicisse viderentur. Utrum autem ferro cæsa sit, an clypeis obruta, certum non est: hos enim in virginem à Sabinis cum monilibus projectos nonnulli scribunt, ut illi fidem exsolverent suam, quâ Tarpejæ promiserant, sinistræ suæ manus ornamenta; sed addiderunt armillis scuta quibus oppressa Virgo, & monilibus, & vitâ caruit; ac primùm experta est Roma proditionem accipienti, quam facienti utiliorem esse. Ab hoc tempore Romani iniquiori conditione depugnarunt, redditi ex pugnatoribus oppugnatores. Semel etiam fusi, fugatique post Hostilii fortissimi juvenis casum, plenam reliquissent Sabinis victoriam, nisi fugam illorum, voto Jovi Statori facto, Romulus inhibuisset. Hoc enim nuncupato vultum in hostem convertêre, & manu potiùs quàm pedibus salutem quæsivêre. Certamen atrocissimum non abrupit, diluculò mox reparandum, nisi hoc Sabinæ mulieres inhibuissent. Passis enim crinibus illæ nepotes filiosque patribus & maritis ostentantes, sic eos derepente flexerunt, ut non arma modò deponerent, sed in unam gentem, urbemque coalescerent. Sic Roma cladibus suis quàm victoriis facta est fortunatior; bellumque quod huic ultimum periculum intentabat, duplò ampliorem effecit, atque potentiorem.

*Arx Tar- peja Sa- nis pro- dita.*

*Jovis [Sta]toris [tem]plum.*

*Pax [cum] Sabi[nis] inita ... ra m... rum.*

Hoc quoque anno Elæi dum Pisæis potestatem celebrandorum ludorum adimere volunt, Phidonem Argivorum Tyrannum, communi-

*Ano... piæ...*

bus

busGræciæ flagrantem odiis, in auxilium suum evocarunt, ejusque præsidio, & armis subnixi, ludos Olympicos commiserunt. Ideo hæc Olympias (ut & aliæ duæ, 34. scilicet, & 4. supra centesimam) Anolympias dicta, quoniam per vim indicta esset illa celebritas: quâ cum nihil esset in tota Græcia religiosius, nisi concordibus animis ederetur, non autoritatem modò, sed & nomen perdere merebatur.

OLYMP. VIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3307. 7.

*Æra Nabonassaris.* Clarescit hic annus maximè Æra Nabonassaris, qua nulla est in Astronomicis rebus celebratior, cum Babyloniorum illa propria sit, à quibus siderum motus & conversiones, Græcos accepisse liquet. Quis autem fuerit ille Nabonassar incertum: hoc certissimum, esse illum nomine suo, quam rebus gestis illustriorem.

*Sabinorum immigratio et amicitia.* Tum quoque Sabini soceri Romanis generis reconciliati iis officiis excoluerunt amicitiam, ut non jam conspiratione socii, sed naturâ fratres viderentur. Sed & mirandum magis quod duo duarum gentium Reges eandem urbem concordissimis animis regerent, neuter habere parem dedignaretur, uterque ferre superiorem ambiret, rarò etiam inter Principes fratres exemplo concordiæ. Pretium porrò conjunctionis hujus inexpectatæ fuit Romana civitas duplo facta major, auctaque patriciis centum, & novis familiis tribus illustrissimis Volesi, Talli, & Metii Curtii. Quin & urbs ipsa crevit adjectis duobus collibus Quirinali & Cœlio; hic cum Palatino, Romulo cessit; ille cum Capitolio, Tatio. Planities quoque Capitolio subjecta stagno siccato oppletoque & Sylvâ excisâ, forum dedit utrique genti commune. Singuli cives à Romulo dicti Romani, universi à Curibus, Quirites: ut non tantùm homines, sed & ipsa nomina ad pacis, & amicitiæ diuturnitatem commiscerentur.

OLYMP. VIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3308. 8.

*de Pro-…* Is annus celeberrimus est Esaiæ de Cyro Persarum Rege Prophetia, quem ad populi Judaici reliquias conservandas electum præcinuit, & Urbis ac templi Hierosolymitani instaurationem. Cum tamen idem vates rebelli populo paulò ante calamitatem imminentem denunciasset. Sed hoc familiare Deo ut sibi addictos homines ita minis terreat, ut blanditiis quoque pelliciat, quo se non judicem, sed patrem castigando profiteatur.

Eodem tempore Acazus & Oseas suos exactionibus atterebant, cogentibus Assyriis, & extrema quæque nisi tributa accuratè persolverentur, interminantibus. Malum itaque necessarium erat, sed Regum vel iniquitate, vel incuriâ reddebatur intolerandum. Hæc enim onera justè distribuenda, tantùm in pauperes viduas, & pupillos refundebantur, ab iis erant immunes qui facilius ferre poterant. Sive ea suscepit impiorum principum consuetudo, ut minus parcant innocentibus: sive quod eos minus reformident, qui nihil præter lacrymas & questus opponunt injuriæ.

OLYMP. VIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3309. 9.

Obiit hoc anno Rex Assyriorum Teglath-Phalazar, sicut & eodem Achazus inter Judæos impiè, sceleratèque vivendi finem fecit. Rex furiosè nequam, utpote qui contra Deum castigantem stolidè rebellarit, conatus ejus extinguere religionem, quæ unum erat suis calamitatibus certumque remedium. *Mors Achazi.*

Successit impio parenti pientissimus filius Ezechias, amenti principi atque desperato, sapientissimus, atque religiosissimus, cujus primum opus fuit recludere templi fores à parente flagitiosè conclusas, ut inde omnia bona in populum, regnumque defluerent. Ejus quoque jussu mundatum est templum, per mundatos priùs Sacerdotes; qui deinceps sacro fruentes otio, ac bene usi populi ac Regis in se liberalitate, collegerunt parabolas Salomonis, verasque à spuriis secreverunt. Tum quoque Phase seu Pascha celebratum est religiosissime, atque ad exemplum optimi principis, ea pietate populus exarsit, ut omnia idola confringeret, servatis tantùm lucis non jam ad religionem, sed ad oblectationem. Idolis quoque adjecit sapienter Rex Serpentem æneum olim Dei jussu à Mose conflatum; quoniam qui alias signum fuerat Dei sanantis Israelitas à venenatis serpentibus, jam abierat in causam ridiculæ, & otiosæ superstitionis. Sic Ezechias auspicatus est regnum miraculis, ipsaque Dei manu muniendum. *Ezechiæ regnum.*

OLYMP. IX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3310. 10.

Hîc Salmanasaris Assyriorum Regis exordium rectè statuitur, quem nonnulli cum Nabonassare malè confuderunt; cum hic Babylone, ille regnarit apud Assyrios. Huic tributum pendere cum Oseas Rex Israëlitarum cunctaretur, nihil propius factum est, quam ut appeteretur bello. Res tamen amicè composita; quia nec se Assyrio parem Israëlites imparatus vidit: nec Assyrius ad bellum inchoandum, imperio nondum firmato, satis idoneum. *Regnat Salmanazar.*

Hoc quoque anno Ezechias divino fretus auxilio Philisthæos aggressus, ita debellavit, ut ab hoc tempore regem habere desinerent. Gaza etiam munitissima eorum civitas in Regis potestatem venit. Ita Deus levioribus victoriis hominem sibi charissimum excitabat ad audendum aliquid contra Assyrios, quos in ejus gratiam mox obtriturus erat. *Philisthæi victi ab Ezechia.*

Ad hæc quoque tempora pertinent Thymelus (aliter Eumelus) Corinthius versificator, & Arctinus Milesius, uterque epicus vates: item & Sibylla Erythræa, de quorum ætate ambigitur, scriptoribus in varias sententias distractis. Sic eorum non modo scripta, sed & pœnè memoria periit. *Thymelus & Arctinus Poetæ. Sybilla Erythræa.*



## CAP. II.

### *Decas Secunda.*

*Ab anno* 3310. *ad* 3320.

OLYMP. IX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3311. 11.

*Tobias Annam duxit uxorem.*

TObias priùs pietatis, deinde & patientiæ luculentum exemplar, adolescentiâ castissimè traductâ hoc anno Annam de Tribu suâ Nephtali duxit uxorem, mariti sui virtute notiorem quàm suâ; ex quâ anno sequenti genitus Tobias junior, & suâ & parentis sanctitate celebratissimus.

*Amphia capta.*

Amphia Messeniorum urbs à Lacedæmoniis dolo capta bello vicennali dedit initium. Ejus incolæ plerique cæsi, pauci Deorum aras complexi periculum effugerunt. Magnâ utriusque populi clade gestum est hoc bellum, in quo furore potiùs, quàm arte decertatum est.

*Naxus in Sicilia condita.*

Eodem anno condita Naxus in Siciliâ, quæ, quo loco sita fuerit, etiam ab ipsis Siculis ambigitur, ita non urbs modò, sed & ejus quoque ruinæ evanuerunt.

*Oseas excutit jugum Assyriorum.*

Excussit etiam hoc anno Oseas Israëlitarum Rex jugum Assyriorum, fretus auxilio Regis Ægypti, quem alii Suam, alii Sciam, alii So, alii Segorem dicunt. Is est profectò Sabacus Herodoti, quem Assyriis quoque paruisse nonnulli volunt; & conspirasse vicinos Reges duos putant, ut adimerent Assyrio invadendi voluntatem. Neque iis conjunctus est Ezechias, quamquam jugum excutere moliretur, & humana ratio postulabat. Sed obstitit divina, quæ non est passa bonum principem, sceleratis adjungi: immo voluit Assyrios gemini regni prædâ divites, charissimum sibi Regem locupletare.

OLYMP. IX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3312. 12.

*Salmanazar Oseam invadit, & Samariam obsidet.*

Salmanazar ordinatis nascentis regni sui rebus urget adversus rebelles Ægyptios, & Israëlitas expeditionem, & cum eo exercitu ad cujus famam desperatus Oseas fortunam omnem suam Samariæ muris includendam putaret. Hæc statim, ut belli caput, obsidione cincta, ita tamen, ut priùs triennio domaretur fame atque vigiliis, quàm vi, ferroque caperetur.

*Tatius cæsus.*

Hoc quoque anno Tatius Rex Sabinorum cæsus est (si Plutarcho credimus) ejus enim obitum in annum sequentem Dionysius distulit. Hanc autem, fatale malum principibus, injustitia perdidit. Cum enim sui Laurentium legatos spoliare voluissent, & repugnantes enecassent, dediti sunt illicò mortuorum affinibus atque parentibus à Romulo rei, sed iidem mox à Tatio per vim erepti, spondente satisfactionem. Verùm dum Tatius tergiversatur, Laurentes moratum, injuriæque pertæsi eum cum Romulo sacra facientem Lavinii obtruncarunt. Neque cædem, cum posset, vindicavit Romulus, quoniam hanc jure putavit illatam: cæso tantùm justa persolvit magnificentissimè, ne vel officio in socios, vel amori in collegam deesset.

OLYMP. IX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3313. 13.

*Samariæ obsidio continuatur.*

Tenuit & hoc anno obsidio Samariæ quando & illatam esse volunt cladem erumpentibus quibusdam ex urbe Israelitis. Qui autem Assyriorum gladios vitarunt, confugere ad vicinos Arabas, à quibus malè accepti sunt. Displicuit hæc immanitas Deo, qui per Esaiam præcinuit hanc crudelitatem graviter vindicandam, & captâ Samariâ Ismaelitas daturos esse pœnas suæ inhospitalitatis.

*Syracusa condita.*

Syracusæ hoc quoque anno in Siciliâ conditæ per Archiam Heraclidem, cui prænunciatum erat ab Apolline urbem posituram divitiis affluentem. Neque mendax Apollo fuit. In eas enim opes excrevit, ut locum proverbio fecerit de locupletissimis quibusque, non pervenire ad decimam Syracusanorum. Unde factum ut urbis hujus principes nunc Syracusanorum, nunc Siciliæ Reges promiscuè dicerentur. Sita erat ad Syraconem paludem, à quâ nomen traxisse perhibetur.

OLYMP. X. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3314. 14.

*Samaria capta. Tobias abductus.*

Samaria hoc anno venit in Assyriorum manus & per vim capta, ut pœnæ atrocitas innuit. Transportati enim cum Oseâ Rege in Mediam Israelitæ, unde per Septentrionem sparsi, & effusi in Indias, in Americam quoque penetrarunt, si vera sunt Hebræa, quæ jactantur in his regionibus, monimenta. Tum quoque Tobias abductus est cum suis contribulibus relictis à Teglath-Phalazare (bis enim solum vertisse Israelitas liquet) expertus parentem Deum, dum populares sui, eum judicem sentirent.

*Juditha nascitur.*

Huc quoque Judithæ ortum referas ex maximè probabili sententia; de temporibus Holophernis: ut cum de Israelitis triumpharent Assyrii, ex miserorum stirpe, in Dominorum perniciem mulier nasceretur.

OLYMP. X. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3315. 15.

*Tobias Charus Salmanazari.*

Tobiam inter Assyrios Salmanazari gratiosum, Græci Codices factum esse scribunt Regium dispensatorem; qua occasione bene usus vir optimus suis fratribus subvenit, & eorum corporibus pecunia, animis adhortatione prospexit.

*Cuthæi agro Samaritano à Leonibus vexati.*

Interea novi incolæ agri Samaritani Cuthæi, more patrio, hoc est impiè viventes, ultorem illico senfere Israelitarum Deum, qui ad eorum scelera in Perside connivebat. Immissi enim ex omni Syria leones, tam immaniter & tam sæpè illos discerpsere, ut divina manus statim agnosceretur. Jussu itaque Salmanazaris, emissi sunt Sacerdotes Israelitæ, qui legis ignarum populum erudirent. Mirum! cum barbari Deum agnovissent, à leonibus vexari desierunt, quamquam idola quoque colere perrexerint: quoniam non ut idololatræ, sed ut Hebraici, verique Dei contemptores puniebantur,

*Nahum prophet[...] Tobias belo mi[...] am [...] niam [...] dit.*

Tum quoque Nahum Helkesæus contra Ninivem prophetavit, ut ejus fastus, in Israele transportando, hoc saltem metu comprimeretur.

Eodem etiam tempore Tobias Gabelo Gabriæ,

briæ, vel filio, vel patri propinquo suo, indigenti tum pecuniâ, in urbe Rhages Medorum, mutua dedit argenti decem talenta, hoc est suprà quadragies mille libras Turonicas, ablato Chirographo, quæ pecunia dum postmodum à filio repetita est, multis miraculis causam præbuit.

OLYMP. X. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3316. 16.

Hoc anno, profligato contra Camerinos altero bello (primum enim vivente Tatio confectum erat) de iisdem Romulus triumphavit, urbem Cameriam Coloniam Romanam fecit, Camerinis, quotquot voluēre, Romam commigrare, permissis.

Non ita quoque multò post victi Fidenates, agri sui parte multati, Romanam quoque viderunt Coloniam, missis bis mille & quingentis habitatoribus. Sed cum Romæ pestilentia sævi-isset, & tam gravis ut plerique sine morbo, morte subitâ extinguerentur, Camerini Colonos Romanos aut trucidarunt, aut expulerunt. At statim Romulus adfuit, urbem captam militi diripiendam dedit, agri dimidia parte multavit, imposito grandi præsidio. Quibus rebus feliciter juxta, celeriterque confectis, iterum de Camerinis triumphavit, & ex manubiis Vulcano consecratis quadrigas æreas conflari jussit cum rerum à se gestarum Græca Epigraphe.

Bello quoque appetita Tyrus hoc anno à Salmanazare retulit magnam gloriam, Regemque suum Elulæum (si qua Josepho & Menandro fides) magnis heroibus adnumeravit. Rex enim Assyrius tot gentium domitor, hic metas victoriarum suarum invenit, & Tyrios annis quinque aquatione tantùm prohibuit, cum majori ipse eos subjugandi siti torqueretur.

Lacedæmonii iterum hoc anno in Messeniam irruperunt. Stetit anceps utrimque victoria, neutris cædere visis, cum hinc pro libertate, inde pro religione, & juramento pugnaretur, quibus nulla est ad invadendum, vel resistendum causa valentior.

OLYMP. X. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3317. 17.

Messenii de rebus suis desperantes ob deficientem pecuniam, servorum suorum ad hostes fugam, & sævientem atrociter pestilentiam statuunt urbes à mari disjunctas deserere, & Ithomem montem, cui nullus est intra Isthmum superior, commune gentis perfugium communire. Id ut prospere cedat consultus Apollo Delphicus respondet immolandam esse virginem ex Æpytidarum familiâ. Sorte ducitur filia Lycisci; sed cum ea Spartam fugit pater. Aristodemus filiam suam offert fugitivæ loco: sed repugnat ejus sponsus, suam esse asserens, non patris; ubi nihil proficit, mentitur virginem vitiatam esse & de se gravidam. Hoc probrum ut refellat pater filiam interficit, ejus uterum secat, & ostendit non esse prægnantem. Nihil propiùs factum quàm ut procus ille discerperetur. Sed cum Ephai Regi gratiosus esset, ejus authoritate, & oratione tumultus compressus. Decuit enim Virginis cæde, à quocumque tandem esset peracta, patriæ, religionique consultum. Ita infortunatis Messeniis princeps, & Deus principe nequaquam melior, turpiter illusere.

*Catana condita.* Hoc quoque anno in Siciliâ condita est Catana, seu Catina à Naxiis, duce Evarcho. Hæc postea dicta Æthna cum incolas primos amisisset, & ab Hierone novos accepisset Olymp. 76. ann. 1. Urbs Æthnæ monti vicina nimis, cujus ignes nonnumquam sentit, semper reformidat.

OLYMP. XI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1 3318. 18.

*Moritur Salmanazar.* Moritur Salmanazar, de cujus mortis genere scriptura tacet, suspicari tamen licet ex ejus verbis eum miserè periisse & totius Orientis terrorem & fulgur ita repente dissipatum esse, ut eo sublato plerique populi metu solverentur.

OLYMP. XI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3319. 19.

*Sennacherib regnat.* Salmanazari succedit Sennacheribus aliter dictus Sargon superbi parentis superbissimus hæres, dignusque qui sui paternique fastus pœnas daret. Is odio Capitali Israelitas abductos prosecutus est, eosque variis vexavit modis. Quæ Regis impotentia luculentam Tobiæ suggessit patientiæ charitatisque materiam.

*Ezechias rebellare parat.* Tum quoque jugum Assyriorum Numinis impulsu cogitans Ezechias excutere, nihil eorum omisit, quæ sapientem principem, apud homines imprudentiæ coarguerent. Nam & muros refecit Hierosolymitanos, ut arceret hostem, & aquam civibus curavit, ne in urbem statutam in arido loco induceretur sitis, omni hoste truculentior.

OLYMP. XI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3320. 20.

*Ezechias cum Ægyptiis malè conspirat.* Rebellaturus contra Sennacheribum Ezechias, ea fecerat quæ Deo nequaquam displicerent: sed improbata fuit per Esaiam cum Ægyptio Rege societas, etiam muneribus, auroque conciliata. Hanc tamen culpam bono principi condonavit Deus, Judæis exprobrare contentus pecuniarum jacturam, & triumphatos videre Ægyptios, quondam fautores suos, dum ipsi divino tantùm fulti præsidio, & Assyriorum, & Ægyptiorum spoliis fruerentur, amicâ planè, & digna parente bono castigatione.

---

## CAPUT III.

### *Decas Tertia.*

*Ab anno* 3320. *ad* 3330.

OLYMP. XI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3321. 21.

*Sennacherib in Iudæos & Ægyptios movet.* SEnnacheribus Ezechiam tributa sibi persolvere denegantem, cum Ægypti Rege fautore suo aggredi parat, sed eo exercitu quod duos Reges simul attereret, & sic utrumque distineret, ut neuter alteri auxilio posset esse; Medos igitur, Persas, Assyrios, Babylonios Arabas totumque Orientem cogit: quibus copiis dum se parem Hebræorum Deo putat, reguli duorum tribuum præda fuit, ac sine exercitu, cum paucis ducibus fugere compulsus.

OLYMP. XII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1 3322. 22.

*Romulus de Vejentibus triumphat.*

Celebris est hic annus Romuli triumpho de Vejentibus; hi quasi Fidenates ulturi ridiculè, quo subjugari taciti siverant, bellum Romanis victoribus intulere. Sed bis magna victi clade Romulo fortitudinem solertiæ conjungente, agrum qui septem Pagi dicitur, & salinas ad ostia fluminis perdiderunt: compulsi etiam dare obsides 50. ut fœdus centum annorum impetrarent. Captivi itaque sine pretio remissi, qui tamen Romam Vejis prætulere: ideoque civitate donati rem Romanam non spoliis modo, sed viris & civibus auxerunt.

*Sennacherib in Judaam venit.*

Venit & hoc anno in Judæam Sennacheribus, & per Thartam seu Tharatam præfectum suum Azotum cepit, & cum parte copiarum irrupit in Ægyptum obseditque Pelusium, dum ipse quasi ambulando urbes in Judæâ multas ad deditionem compelleret. Quibus permotus Ezechias ad eum legatos misit, ut veniam precaretur, & aliquas conditiones pacis. Neque se durum in speciem Assyrius præbuit: imperavit tantùm mulctæ nomine argenti 300. Talenta, triginta auri reliquas divitias, immo libertatem per vim erepturus, cum liberet. Statim enim Hierosolymam misit Rapsacem, de quo Rabbini multa de more fabulantur, & Esaiæ filium proditorem patrii ritus effingunt. Is Regem & populum ad deditionem invitavit, multaque contra Deum blasphema evomuit. Hebraicè, quamquam Syriace loqui moneretur; reliquit & litteras Ezechiæ minarum, & blasphemiarum plenas, quas rex conscissa veste coram Deo explicuit, ut populi sui, causæque suæ memor esset. Circa idem tempus rex idem incidit in periculosum gravemque morbum, ex labore & sollicitudine contractum. Anthracem fuisse plerique suspicantur, ex quo moriturus, vitam à Deo precibus ac lachrymis impetravit, & quindecim annorum fortunatorum vitam. Esaias enim ficuum massa repente vim morbi depulit, & miraculum miraculo confirmavit. Umbra enim in horologio Achaz decem lineis, Sol in cœlo multis gradibus retrocessit, & diem quinque horis productiorem fecit; quia singulæ lineæ non horis, sed semihoris respondebant, ne diem horarum 20. in Palæstinâ contra Geographorum regulas admittere compellamur.

*Rapsacem mittit Hierosolymam.*

*Ezechias ficubus sanatur ab Esaia, & Sol decem lineis retrocessit in horologio.*

OLYMP. XII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3323. 23.

*Caudales, Rex Lydiæ.*

Lydorum Rex Caudales hoc anno regnare cœpit, cui habere uxorem formosam, & eam oculis Gygis gratiosi sibi satellitis nudam ostentare vita stetit, atque regno.

*Sennacherib Æthiopes, & Ægyptios vincit, & redit in Judæam.*

Sennacheribus veritus, ne sui ad Pelusium opprimerentur, cum toto exercitu relictis Judæis in Ægyptum perrexerat adversus Tharacam Æthiopum Regem qui omnibus refertus copiis adventare nunciabatur. Huic ergo ferociter occurrit, eumque grandi prostravit clade, multis in servitutem abductis, quibus & turpiter illusit, ut ex Esaiæ Prophetiâ constat. Eadem quoque Ægyptiorum fortuna fuit, quos civilibus bellis distractos profligavit, & bonis spoliatos, quasi pecudes in Syriam traxit. Neque enim hic est audienda Herodoti in Euterpe fabula, qui Sethonem Sabaci successorem & Sacerdotem Vulcani ex Sennacheribi manibus ereptum esse, per mures, ab hoc Deo immissos in Assyriorum exercitum, qui una nocte habenas scutorum omnes, pharetras item, & arcuum funes ita corroserunt, ut sequenti die inermis exercitus non sine clade fugere compelleretur. Victor ergo de duplici Rege, duplicique gente Sennacheribus, in Judæam rediit adversus Ezechiam, quem Deus suus vero, certoque miraculo præstitit incolumem.

OLYMP. XII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3324. 24.

*Assyriorum 18[5] millia nocte ab Angelo [cæ]si.*

His annus demùm divinæ in Sennacheribum ultionis adfuit, qui reversus victor, & spoliis dives, jamque spe Hierosolymam devorans, sensit Ezechiæ, Judæorumque Deum. Diis Ægyptiorum, Æthiopumque potentiorem esse, Nocte enim concubia Angelus unus sine strepitu, sine armis, centum octoginta quinque Assyriorum millia interemit, insinuans se in eorum præcordia combustionis instar, & vitalibus singulorum partibus puncto temporis elisis atque suffocatis. Itaque mane vidit Sennacheribus cadaverum grandem exercitum armis instructum & vestibus ad Judæos spoliis Assyriorum, Ægyptiorum, & Æthiopum instruendos, & affatim locupletandos. Quo perculsus casu fugit cum paucis, quos tanti miraculi bonus genius testes reliquerat, & Ninivem ingressus, in ejus Dei populum desæviit, quem suæ cladis autorem esse, nimiùm intelligebat. Judæorum corpora jussu Regis interfecta, & abjecta cum sepelisset Tobias, addictus est neci, & bonis omnibus suis spoliatus. Sed vir Deo & hominibus acceptissimus ab ipsis Assyriis occultatus est, diebus undeviginti dum Sennacheribi furor cum ejus vita evanesceret. Et verò is post dies à clade quinquaginta, vel quinquaginta quinque, dum faceret in Templo Dei sui Nesrochi, seu Arasci, à filiis suis Adramelecho, & Serasaro, vel Selenaro obtruncatus est, quod is in gratiam matris, quam deperibat, Assaradonem juniorem natu, regni successorem anteposuisset. Et caruerunt illi quidem sceleris fructu, in Armeniam fugere compulsi, Assaradon dum mortem ulciscitur patris, ejus hæreditate, regnoque dignus habitus est. Is superbissimi Regis exitus fuit, qui cum tanta & tam admirabili suorum clade emendari non potuisset, vitam duplici perdere debuit parricidio.

*Fugit Sennacherib & sævi[t] in Jud[æos].*

*Tobias [Judæo]rum corpora se[peli]lit, & [neci] addicit[ur].*

*Sennacherib in [tem]plo à [fili]is suis c[æditur].*

OLYMP. XII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann* 4. 3325. 25.

*Pugn[a La]cedæmoniorum [&] Messeniorum [ad] Ithom[en].*

Anno à Lycisci fuga octavo Lacedæmonii cum Messeniis ad Ithomen pugnarunt, furore utrimque magis quàm consilio, neque ordinibus uti statuerant satis accurate servatis. In eo certamine miles quàm dux melior Ephaës, dum aggreditur Theopompum furiosè, multis vulneribus acceptis lethalibus venisset in Lacedæmoniorum manus, nisi suorum desperatione subductus esset: sed paulò post animam reddidit

*Eph[aës] [ca]sus i[n] præ[lio].*

dit inter suorum manus morte gloriosiori dignior, quàm militis gregarii.

Cum is obiisset sine liberis, & regnum arbitrio populi reliquisset, multis prensantibus caducum hoc regnum, antepositus est reliquis Aristodemus, fortitudine suâ, & filiæ quam immolarat, nece suffultus. Is statim se tali regno idoneum præstitit: nam & competitores suos ad primas dignitates promovit, & socios atque populares suos ad communem tuendam causam sic animavit, ut sub eo Rege, nisi aliud postulasset fatalis omnibus regnis inclinatio, melior fortuna speranda videretur.

Ezechias hoc anno aut sub anni superioris finem legatis Babyloniorum ostentavit thesauros suos & templi. Venerant illi à Merodacho Rege, qui Babylonici regni fundamenta jaciebat, re verâ ut cum eo adversus Assaraddonem, amicitiam contraheret, in speciem ut ei gratularetur valetudinem, & de portento solis, viri peritissimi Astronomiæ interrogarent. Sed boni regis factus statim repressus est ab Esaiâ, denunciatumque thesauros quos Babyloniis ostenderat, iisdem omnes esse cessuros. Neque hoc tantum sed ex eo susceptos liberos, aut certè nepotes Eunuchorum loco Regi Babylonis esse servituros. Submisit se Deo piissimus princeps ejusque minantem osculatus manum, rogavit tantùm, ut minarum exitum tantisper differret, neque se vivo calamitas ista contingeret, cujus mentio sibi tantùm terroris intulisset.

OLYMP. XIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* I. 3326. 26.

Natus est hoc anno Manasses boni parentis improbissimus filius; & mirum est, tot precibus impetratum hæredem, tam impium extitisse. Sed quid agas? παῖδες ἡρώων κακὰ, & nonnunquam frumentum in lolium degenerare solet.

OLYMP. XIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3327. 27.

Circa hæc tempora Assaraddon novos in agrum Samaritanum colonos misit, veritus ne hæc regiō ab Ezechiâ spoliis Assyriorum divite, & Babyloniorum amico, tentaretur. Non est tamen tum urbi Samariæ ab Assyriâ voce impositum nomen, ut malè putavit Sulpitius Severus, cum jam temporibus Amri Patris Achabi, emptus esset mons Somer, & huic inædificata Samaria, à quâ & nomen accepit.

OLYMP. XIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3318. 28.

Lacedæmonii cum Aristodemo congressi ejus industriâ, & fortitudine superati sunt. Neque tamen desponderunt animos, aut in patriam, quò invitabantur ab uxoribus, redierunt; sed autore Phalanto easdem uxores suas ad sobolem juvenibus non implicitis sacramento prostituerunt, unde nati sunt Parthenii dicti, ut honesto castoque nomine facinus turpissimum velaretur.

OLYMP. XIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3329. 29.

Circa hæc tempora prophetasse creditur Habacuc, non is profectò (quamquam id dubium putarit S. Hieronymus) qui Danieli in lacu leonum prandium obtulit, sed alter qui minoribus Prophetis duodecim accensetur, de cujus ætate non levis existit controversia. Hunc certè cum Nahum Prophetâ vixisse innuit vaticiniorum similitudo, quæ posterioribus Ezechiæ temporibus aptari possunt, & mox augendæ Babyloniorum potentiæ.

OLYMP. XIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3330. 30.

Duplicatus est hoc anno stadii Olympici cursus quem Græci deinceps δίαυλον dixere. In eo renunciatus victor Hypenus Pisæus laboriosioris certaminis primus præmium retulit. *Duplicatus Olympicus cursus.*

Hippomenes, eodem anno Athenis, Archon decennalis electus est, quem tamen magistratum ultra annos octo non gessit. Cum enim filiam suam stupri cum equo ream enecasset, abdicare se coactus est, quia turpissimum scelus manifestasset supplicio, quod silere, ab amore simul & pudore monebatur. *Hippomenes Athenis Archon filiam cadit.*

Aristodemus multis prodigiis territus & admonitus in somnis à filiâ quàm ceciderat sibi mortem imminere, eam prævenire miser decrevit. Itaque ad ejus tumulum incubuit gladio, quòd huic illata nex nequaquam patriæ profuisset. Vir aptus ad restituendam Messeniorum rem, nisi ejus conatibus obstitisset fortuna, magnis viris, & in patriam bene affectis, ferè semper inimica. *Aristodemus ad filiæ sepulchrum interficit sese.*

---

## CAPUT IV.

### *Decas Quarta.*

*Ab anno* 3330. *ad* 3340.

OLYMP. XIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3331. 31.

TOBIAS annos natus sex & quinquaginta oculorum usum amisit. Dum enim in festo Pentecostes mortuum noctu sepelisset, nec ingressus esset domum, pollutus cadaveris tactu, secundum legem, sed in atrio ad parietem, oppidò lassus obdormisset: dum evigilat primùm & ad cælum oculos attollit de more, hirundinum vel στρουθίων calidum stercus in eos incidit, & lumen penitus extinxit, medicis negantibus ullâ curâ revocari posse. Quam cæcitatem quasi immissam à Deo, probante ejus patientiam, adeò moderatè tulit, ut eam manu propè divinâ sanari, abigique meruerit. *Tobiæ cæcitas.*

Evolutis annis 20. ab inito bello, Ithome diruta est, Messenii eas subire compulsi sunt leges, quæ viris fortibus essent ipsa morte deteriores. Quare eas diu ferre non potuerunt; at ne puncto quidem temporis Alcidamus qui cum aliquot sociis in Italiam navigans Rhegium occupavit, unde suis Messeniis in Siciliam aditum aperuit, ut hic nomen servarent atque potentiam, quam in Peloponneso perdiderant. *Ithome diruta Messenii sese dediderunt. Alcidamas navigat in Italiam.*

OLYMP. XIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3332. 32.

Tobias excœcatus in eam venit inopiam ut cogeretur ejus uxor servilibus operibus sese man- *Tobiæ inopia.*

mancipare, ficque victum pauperculæ familiæ comparare. Cum ergo reddidiffet aliquando dominis fuis penfum, & ab iis, præter mercedem, etiam hœdum recepiffet, ubi balantem audivit Tobias, eumquafi furtivum reddi juffit. Mulierculæ, & inopi, & labori improbo non affuetæ & uxori viri inutilis bilem commovit parum jufta objurgatio: itaque hæc mariti, & Numinis immemor, exprobravit bono Seni inanes eleemofynas, vanamque pietatem. Quæ eò gravior accidit viro fanctiffimo, quòd ea minus ad fe, quàm ad Deum pertineret injuria.

*Vxoris in Tobiam ira.*

OLYMP. XIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3333. 33.

*Merodaci seu Mardokempadi initium.*

Merodacus aliter Mardokempadus hoc anno coegit Affyrios, devictos fibi pendere vectigal, ab iis ante exigi folitum: ficque imperio Babylonico dedit initium quod Affyriorum ditionem includebat ut partem. Quare deinceps Babylonis Reges modò Babylonii, modò Affyrii in facris litteris appellantur. Inde quoque geminum conficies Merodaci regnantis initium, primum cum Babylonis Rex denunciatus eft, alterum cum Affyriorum labefactavit imperium: quæ nifi obfervaveris Ecclipfes à Ptolemæo notatæ, tantùm tibi tenebrarum afferent, quantùm lucis Chronologicis rebus dare folent.

OLYMP. XV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3334. 34.

*In Olympicis nudus primum decurrit Orfippus.*

Orfippus Megarenfis hoc anno primus in agone Olympico nudus decurrit, excuffoque fubligaculo. Quamquam in Catalogo Olympionicarum id Achanto Lacedæmonio dicatur contigiffe: Quando & additum δόλιχον, hoc eft fpatium duodecim, vel ut alii malunt viginti quatuor ftadiorum. Is Orfippus, non modò pedibus, fed & manu quoque valuit, atque à fuis creatus Imperator, finitimis agri partem ademit, lauroque tunc eft coronatum caput, quod antea tantùm oleafter implicuerat.

OLYMP. XV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann* 2. 3335. 35.

*Iuniori Tobiæ cum Raphaele peregrinatio.*

Miffus eft hoc anno ut pecuniam à Gabelo repeteret junior Tobias priùs à parente fanctiffimis monitis inftructus. Dum viæ Comitem quærit atque ducem, offert ipfi fefe Raphaël Angelus fub fpecie juvenis, & nomine Azariæ, ifque cum feniori Tobiâ de filio deducendo, reducendoque pacifcitur. Ad fluvium Tigrim cum perveniffent ambo, & in ejus ripâ Tobias ablueret pedes, nihil propiùs eft factum quàm ut à Callionymo pifce voraretur. Sed fecit huic animos imploratus Raphaël, quo autore pifcem branchiis correptum extraxit ex aquis, ei cor, hepar, & fel detraxit, aliquando ufui futura, carnes falivit in cibum, tempore peregrinationis. Inde veniunt Ecbatana, divertuntque ad Raguëlem confobrinum, à quo amicè, & fplendidè excipiuntur. Erat huic filia Sara nomine feptem maritorum, & nullius uxor, quos primâ nuptiarum nocte libidine flagrantes Dæmon Afmodæus fuffocarat. Res erat omnium fermone ita celebrata, ut id Saræ ab ancillulis iratis objiceretur. Illa tum confugiebat ad lacrymas & preces, atque ab uno Deo ex æquo mifera atque pia virgo fperabat auxilium. Id tunc temporis adfuit. Nam vifam amatamque fibi uxorem dari Tobias poftulavit, & poft aliquot tergiverfationes impetravit. Celebrantur itaque nuptiæ magnificè quidem fed timidè, fimulque & lectus genialis fternitur, & foffa quæ generi mortui cadaver acciperet, aperitur. Fruftra; nam monente Raphaële, corde, & hepate pifcis prunis impofito, fumus exhalans fugavit dæmonem, in defertis Ægypti ne rediret aliquando, per Angelum vinculis conftringendum. Intereà nox prima à piis conjugibus inter preces religiosè traducitur, itemque altera & tertia; quartâ demum, ut decebat fanctos, liberis operam dedere. Dum hæc peragerentur, Raphaël ad Gabelum pergebat Rhages, à quo & pecuniam recepit, oblato Chirographo, immò & Ecbatana eum ad Tobiæ nuptias pertraxit, magnâ omnium voluptate celebratas. Evolutis demum hebdomadis duabus, de reditu Tobias cogitat, ne mora parentibus nimiùm mœroris afferret. Raguël igitur dimidiam bonorum fuorum partem dotis nomine cum filiâ genero tradit, reliquum à morte fuâ expectare jubet. Quid plura? Se viæ committunt, præcurrentibus tamen Tobiâ atque Raphaële, ut priùs boni parentes nuncio, quàm re, effectuque reficerentur. Et prudentiffimè quidem: nam Anna diebus fingulis ex montis fupercilio filii reditum operiebatur. Hunc ubi cum comite vidit eminus, ftatim agnovit, maritoque fuo renunciavit. Ruunt ambo in amantiffimi filii amplexus, eumque multis lacrymis perfundunt. Is ftatim paterntis oculis fel pifcis admovet, quod ubi albuginem exediffet, illa quafi fquamma ex oculis cecidit boni fenis, eique primum objecit medicum fuum afpiciendum. Paulò poft & recepta eft Sara cum ingenti gaudio, cujus pulchritudinem, & divitias fuaviffimis moribus conditas, Tobias parens, & Anna fatis demirari, & amare non poterant. Dum itaque mercedem parens & filius pendere parant Raphaëli, eique omnium quæ fuerunt allata dimidium offerant, ille quis effet oftendit, eosque bonis terrenis, atque cœleftibus divites, ad Deum fubvolans, derelinquit. Hunc finem habuit celebris illa, & nunquam fatis decantata peregrinatio, quæ cæci parentis fanitate, filii fanctiffimis nuptiis, geminæ familiæ gaudio, multisque miraculis fortunatiffimè terminata eft.

*Ducit uxorem Saram.*

*Raphaël pergit ad Gabelum.*

*Redit Tobias, & patrem sanat.*

*Raphael quis effet aperit.*

OLYMP. XV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3336. 36.

*Rabbinorum fabula de Efaia.*

Pertinere videntur ad hunc annum quæ autor imperfecti operis in Matthæum de Efaiâ vate commemorat. Ait ergo Ezechiam ægrotantem, filium fuum Manaffem coram Efaiâ advocaffe, eique falutaria multa fuggeffiffe. Quæ cum negaret Prophetes in cor Adolefcentis defcendere, ut qui improbiffimus futurus effet, & à quo fibi mortem imminere fentiret: Rex fanctiffimus Manaffem fine dubio interfecturus erat, nifi prohibuiffet Efaias, & Dei arbitrio omnia relinquenda fuafiffet. Quam Hiftoriam fi fapere Rabbinorũ fabellas contenderis, nõ vehementer repugnabo.

OLYMP.

OLYMP. XV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3337. 37.

Obiit hoc anno piissimus Ezechias, sibique concessos divinitus dies vitæ decurrit. Illatus est in sepulchra Regum Juda, & magnificentius quam aut Davidis ulli nepotes ac posteri: Vir cui planè defuisset nihil, si aut ex meliori patre genitus esset, aut meliorem ipse filium edidisset. Habuit autem hoc rex studiosissimùs cum virtute geminum ac simile, quod ipse optimus inter sceleratissimos interjectus sit.

OLYMP. XVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann* 1. 3338. 38.

Ezechiæ parenti successit Manasses duodennis, qui statim aulicorum artibus depravatus est, avoque quam parenti similior esse maluit. Nam statim Excelsa restituit, & idololatriæ sementem jecit, quæ cum ejus sceleribus magnis inadolevit, ut jactatæ in parentis progeniem minæ, non ultra tam improbum filium à Deo differendæ viderentur.

Hoc quoque anno Midas sanguinem Taurinum hausit, sibique conscivit necem, alius sine dubio ab eo cujus aures in fabulis etiam ab ipsis arundinibus decantantur. Is autem quis fuerit ignoratur, morte suâ, atque stultitiâ, quam vita, rebusque præclare gestis illustrior.

OLYMP. XVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3339. 39.

Hoc anno ætatis suæ quinquagesimo quinto Romulus in vivis esse desiit, vel ita discerptus à Senatoribus, ut quisque corporis frustum, involutum togâ efferret, aut certè inter tempestates, magnamque caliginem à dæmonibus raptus. Utrum autem tum contigerit Ecclipsis Solis, nondum inter eruditos liquet. Neque item certior est ejus mortis locus, cum alii in æde Vulcani, alii ad Capreæ paludem putent evanuisse. Hinc plerisque occasio data mentiendi, quos inter enituit Julius Proculus, qui à se visum Romulum ascendentem in cælum, & dicendum Quirinum fabulatus est, atque volentibus falli, faciliter imposuit. At quis eum Diis immortalibus accensendum putet, quem Romanorum sapientissimi, inter homines ferre voluerunt?

Extincto Romulo interregnum Romæ primum visum est, & aliquot mensibus tenuit, selectis decem è patribus qui imperitarent, ex iis uno, qui regni ferret insignia: quoniam Romani sine Regis umbrâ, saltem, non putabant posse Rempublicam administrari.

OLYMP. XVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3340. 40.

Cum experientia didicissent Romani ὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, Rex electus est, mirâ suffragiorum consensione, Numa Pompilius, natione Sabinus, eoque fuit omnibus acceptior, quòd modis omnibus hanc excutere dignitatem conatus esset. Eam enim recepit tantùm, quia sic pater, & tres natu majores fratres propemodum imperabant, Neque minùs sapienter administravit, quàm recepit imperium. Statim enim populum arte militari à Romulo efferatum, ad studia pacis, & religionem convertit. Quò spectant Curiones, Flamines, Augures, Vestales, Pontifices Salii, Ancilia, Templa, inter quæ enituit Jani, pace clausum, bello reseratum. Qui Pythagoreum fuisse putant, satis Pythagoræ tempora non intelligunt, qui longè posteà floruit. Denique adeò sanctè Rempub. ordinavit ut dignus haberetur, qui Egeriæ Nymphæ discipulus esset, & convictor, quoniam supra mortalium conditionem sapere videbatur.

Eodem anno, quo datus est Rex Romanis Numa, Lydorum invasit regnum Gyges primus è gente Mermnadarum, & per libidinem, & proditionem partum annis duodequadraginta servavit: de cujus annulo plura fabulæ, quæ tu sapientiùs in ejus prudentiam solertiamque refundes. Qui enim hoc tempore plus cæteris sapiebat, aut Deus, aut Diis propior habebatur. *Gyges in Lydia regnat.*

Esaias vates centenario major jussu Manassis quem graviter cum populo increpabat serrâ ligneâ à vertice per medium umbilicum sectus est. Aquam morituro suffectam divinitùs scribunt Dorotheus, & Epiphanius; Hic etiam addit ad quercum Rogel, non procul à fonte cognomine tumulatum. Vir ille quidem accepto à regibus sanguine magnus & nobilis fuit; sed eodem propter Deum fuso, major & illustrior extitit. *Esaias serra sectus.*

---

## CAPUT V.

### Decas Quinta.

*Ab anno mundi* 3340. *ad* 3350.

OLYMP. XVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3341. 41.

HOc anno Eusebii Chronicon Herophilen Sibyllam Samiam collocat; diversam ab antiquiore cognomine, quæ ante Trojana tempora viguit, & prænunciasse dicitur perniciem Asiæ ab Helenâ imminentem, atque mulierum prima creditur oraculo fudisse, ut scribit Pausanias in Phocicis. Hujus antiquioris quoniam ignoratur tempus, simul utramque appellare nominis similitudo compulit. *Herophile Sibylla.*

OLYMP. XVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann* 1. 3342. 42.

Astacus Megarensium colonia ab Astaco quodam condita est, nomen suum ab Astaco quodam Thebano trahente, ut habet Catalogus Olympionicarum. Hunc tamen Pausanias Zipatem vocat, & Thracem facit. Hæc posteà circa Olymp. 129. à Nicomede reparata Nicomedia dicta est, & ejus prævaluit nomen, qui huic urbi plus splendoris attulisset. *Astacus condita.*

Numa hoc anno regni sui tertio annum Romanum mutavit, additis ei duobus mensibus, Januario, & Februario, aut certè aliter tantùm ordinavit. Putant enim nonnulli iique doctissimi annum semper apud Romanos 12. mensium fuisse, cum annum suum ab Albanis accepissent, apud quos sine dubio duodecim mensium annus fuit. Hunc tamen Romuleum mensium decem, improbare non audeo, à multis autoribus jactatum. Qui si unquam in usu fuit, tum Romani terræ sic addicti erant, ut cæli penitùs obliviscerentur. *Annus Rom. à Numa institutus.*

OLYMP.

OLYMP. XVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3343. 43.

*Numus à Numa dictus.* Numus, aliter Nummus, dictus est hoc anno, quo primùm imago Regis hujus in ære signata fuit. Quamquam alii anteà signatam Romæ monetam æream agnoscant, alii remittant inferiùs, sub Servio Tullo. Sic Numæ memoria, etiam in ære fusa, minùs perennis fuit.

*Croto conditur.* Condita quoque hoc anno in Italia urbs Croto autore quodam Myscillo, cui Apollo locum salubertimum pollicitus erat, ut Archiæ socio ditissimum, Syracusas. Unde factum ut nulla civitas quàm ista plures tulerit Atletas, inter quos Milo celeberrimus extitit. Multos etiam Pythagoreos Philosophos edidit; usque adeò salubritas loci, non corporibus duntaxat, sed animis prodest.

OLYMP. XVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3344. 44.

*Manasse captus à Merodacho.* Hoc anno regni sui septimo captus est Manasses à Merodacho seu Nabuchodonosore Babyloniorum simul, & Assyriorum Principe, abductusque Babylonem cum fratribus, & flore Judaicæ nobilitatis, & adeò duriter exceptus ut se jam non Regem, sed vile mancipium agnosceret. Vinctus enim catenis duabus in carcerem conjectus est, victusque ei malignè suffectus, ut tandem intelligeret se non à Rege castigari, vulgò in alios Reges benè affecto, sed à summo mortalium Arbitro, qui Principes ab opilionibus in pœnâ distinguere non solet.

OLYMP. XVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3345. 45.

*Primus Romæ Pontif. Max.* Romæ creatus est Pontifex maximus Numa Marcius, Marci Marcii filius, quem ad eum honorem Rex extulit, ut ejus parenti, homini sibi carissimo, gratificaretur. Eum autem toti religioni præfecit, immunem à judiciis atque multâ, sed omnino sui juris, & qualem decebat esse qui medius inter Deos & homines, summâ quæ mortalibus contingere potest dignitate frueretur.

*Victus à Merodacho Arphaxadus.* Victus est etiam hoc anno à Merodacho, Arphaxadus Rex Medorum, quem Dejocem Herodoti plerique suspicantur, quamquam multa videantur obsistere, quæ satis à peritis historiæ concoqui nequeant. Sed quid agas? non ita scripsit Herodotus, ut non inter suas Musas aliquando dormitarit. Quidquid sit de Dejoce, Arphaxadus Ecbatana condiderat, aut veriùs repararat, & ad eam magnificentiam provexerat, ut hanc ipse non Principis Palatium, sed Dei sedem arbitraretur. Hunc ut fastum reprimeret Deus, eum cum Merodacho, seu Nabuchodonosore composuit, homine item superbissimo, sed cujus superbia tantisper ferenda videbatur. Is Merodachus videns sibi rem esse cum hoste potentissimo in auxilium suum evocavit populos Occidentales, sibi socios aut vectigales, qui tamen huic adesse recusarunt, ne fortassis diuturno nimis implicarentur bello. Quid plura? Merodachus suis tantùm fretus copiis Arphaxadum invadit, ejus copias delet, & cum ipso Rege in Campis Ragau trucidat & perdit. Neque satis; sed & Ecbatana victor ingreditur, urbemque florentissimam diripit, & locupletem ex eâ reportat exercitum, Babylonem. Hunc nonnihil quiescere cum passus esset, adversus populos Occidentales destinat, qui se implicitum difficili bello flagitiosè reliquissent, unoque & eodem ductu universi orbis imperium affectat fretus potissimùm virtute militari Holophernis experientissimi Ducis. Sed spes ejus tantæ, mox ad vilem urbeculam allisæ, cum magno ejus dedicore conciderunt.

*Manasses à Merodacho levitur.* Intereà miser in vinculis agebat Manasses, & malis edomitus, in eum respectabat, à quo tantùm poterat adjuvari. Neque irrita fuit nequissimi aliàs Regis pœnitentia: sed ut ostenderet Deus soluta Manassis vincula humanum opus non esse, ea momento temporis sic effregit, ut is se vix captivum fuisse meminisset. Nam in regnum suum à Merodacho restitutus est, & cum affinibus atque proceribus remissus Hierosolymam, cum circumpositas regiones Regibus, & libertate spoliare meditabatur. Quare qui ex eo facto Historiam Judithæ ad alia tempora rejiciunt, non satis intelligunt Regum corda in Dei manibus esse, & in eam partem flecti à summo rerum Arbitro, quò mortalium cogitationes pertinere non possunt.

OLYMP. XVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3346. 46.

*Conditur Sybaris.* Hoc anno in Italiâ condita Sybaris, luxu suo famosissima civitas, & olim tam potens ut quatuor vicinis gentibus, & urbibus viginti quinque imperaret, & 300. hominum millia adversus Crotoniatas hostes, educeret. Sed huic potentiæ, luxuries prævaluit, matri filia. Ignoraretur potentia, nisi ejus Strabo meminisset; cum ejus luxus abierit in proverbium, eademque vox & mollem, & Sybaritam significet.

*Holophernis expeditio.* Holophernes hoc anno jussu Merodachi, vel Nabuchodonosoris suscepit expeditionem cum iis copiis, quæ ad orbem terrendum & subjugandum satis esse viderentur. Peragratâ Mesopotamiâ, & Euphrate pertransito, belli nubes in Cilicas primùm detumuit, qui primo impetu malè mulctati jugum recepêre. Inde superatis Amani montis angustiis Holophernes in Syriam flexit, quam non tam passibus, quàm victoriis peragravit. Ubique autem non populis modò, sed & eorum Diis indicebatur bellum, & in cædibus, & depopulationibus sacra prophanis semper miscebantur. In tantâ omnium perturbatione, cæteris populis exanimatis metu, Deus Iudæis, & Israëlitis indidit animum, cujus numen atque potentiam, à cæteris gentium Diis Dux impius. insipienter, non satis distinguebat. Itaque in eos ut in prædam certissimam, tantus est immissus exercitus. Occurrit primum Bethulia πολίχνη, & situ magis, quam munitionibus firma. Eam obsessurus Holophernes consilium militare habuit de more, in quo Achior Ammonitarum Dux interrogatus, unde tanta Israelitis veniret audacia, negavit eos vinci posse, nisi essent à Deo suo criminibus disjuncti, probos, aut pœnitentes, Dei sui præsidio tutos & incolumes fore. Pupugit hæc oratio Holophernem de tot populis; eorumque numini-

numinibus victorem: Itaque Achiorem dedi jubet obsessis, in quos esset mox ferro flammisque sæviturus. Interim huic renunciatur urbem sine suorum cæde capi posse, aquis ei subductis: succisi igitur statim canales aquam devehentes, imposita fontibus præsidia militum, qui cives aquatione prohiberent. Inde plebis in suos magistratus lacrymæ, & lamenta, aquam vel deditionem postulantis. Breve tamen extorquent illi tempus ad auxilium impetrandum de cœlo, cum nullum è terris speraretur. Præfinitur ergo deditioni tempus dierum quinque; quod cum audivisset Juditha conjunctissima Deo mulier & vidua, urbis proceres graviter increpuit, qui Divinæ providentiæ modum tempusque definivissent. Eos ergo populumque universum invitavit ad pœnitentiam & preces, quibus prima ipsa præluxit. Nec mora, huic injicitur divinitus consilium, de quo nulla tacebit ætas, omnis admirabitur. Holophernem ad amorem sui pellectum perdere parat, & huic consilio fortuna, eventusque responderunt. Itaque relinquit urbem quasi fugitiva mulier, & de se & de suis ornamentis, & de Deo formosa, statimque ad Holophernem deducitur. Visam statim deperiit luxuriosus Imperator, & ut eam ad amorem sui quoque pelliceret, nihil denegavit. Passus est enim, quasi ad orationes, exire de castris, ut ipsa jam non captiva, sed pæne ejus uxor esse videretur. Quarto demum die invitatur Juditha specie ad convivium, re verâ ad stuprum: ad cœnam accessit illa, sed cum cibis ab ancillulâ suâ paratis, ne gentilium mensâ pollueretur. Ad ejus aspectum in convivio Holophernes multùm vini, plùs libidinis hausit. Itaque remotis mensis, includitur ab impurissimo cubiculario in ejus tentorio Juditha; sed vino plenus helluo, erat ad somnum, quàm ad venerem paratior. Id cum Juditha deprehendisset, plena Deo, gladium ejus exsolvit, ejusque caput bis graviter percussum amputat, atque Ancillæ suæ in perâ cibariâ occultandum tradit. Tum quasi ad orationem prohibente nemine, de more pergit; accedit ad Bethuliæ portas, quas à custodibus sibi reserari jubet. Civibus ad eam videndam accurrentibus porrigit decollati Holophernis caput, quod præfixum conto hostibus objici jubet, dum expediti in armis milites, cum magnâ vociferatione in eos erumperent. Quis tum Achioris de Deo Hebræorum sensus? Quæ Bethulitarum exultatio? quanta in castris Assyriorum mox futura trepidatio. Jam enim sentiebatur ab Assyriis audax Israëlitarum eruptio. Cui ut consulat Eunuchus dum excitare parat Holophernem in ejus cadaver incidit, sine capite, suo sanguine volutatum. Statim exclamat Assyriorum res perditas Hebræi scortuli manu: quibus verbis fidem statim fecit visum Holophernis ex muro Bethuliæ caput. Quo casu percussi omnes Assyrii effusissimam se dedere in fugam, mox eorum, quos erant depopulati, gladiis impunè concidendi. Excepta Juditha à popularibus suis ea gratulatione quâ populi vindex, & parens; huic fine sorte opima spolia Holophernis assignata, sed hæc Hierosolymis religiosè consecravit. Eò quoque cùm universo populo ipsa perrexit, gratias habitura Deo, qui manu unius fœminæ terrorem orbis ac populi, tam faciliter, quàm sapienter sustulisset.

| OLYMP. XVIII. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann.* 2. | 3347. | 47. |

Instituti sunt hoc anno Romæ Salii Sacerdotes quibus commisit rex Numa brevia scuta Ancilia dicta, quorum unum erat delapsum è cælo. Sed alia undecim cuderat Veturius Mamurius, adeò huic similia, ut verùm à fictitiis nec ipse Rex Numa distingueret. Erat hoc scutum Urbi fatale simul atque salutare; quod ideò falsis permixtum erat sapienter, ut ejus tollendi, furandique voluntas adimeretur. Dicti sunt porrò Salii, non à Salio quodam Samothrace, vel Mantinensi, armatæ saltationis inventore, sed à saltatione, quam obibant mense Martio per urbem decurrentes armati galeis æreis, in puniceâ veste camren occinentes, in quo sæpè Mamurii recurrebat nomen. Ita consecratum ejus nomen qui rem sacram rebus prophanis callidè permiscuisset. *Salii & Ancilia Romæ instituta.*

Juditha non salutem modò populo suo, sed & reliquis quietem peperit Holophernis nece. Hac enim auditâ Merodachus ad se rediit, & memor Sennacheribi cujus obtinebat imperium, benè secum putavit actum, quod Dei tam potentis ipse manus effugisset. Regressa porrò Bethuliam Juditha deinceps ita vixit, ut digna videretur, cujus manu Deus tam egregium facinus edidisset. *Merodachus clade Holophernis repressus; Juditha illustris.*

| OLYMP. XVIII. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann.* 3. | 3348. | 48. |
| 4. | 3349. | 49. |

Manasses his annis totus fuit in operibus pietatis, conatus reparare præteritæ vitæ jacturam. & huic gratus esse volens à quo non ut à judice, sed à parente castigatus erat. Neque verò tantùm vir bonus, sed & princeps optimus fuit. Quæ enim Hierosolymis belli tempore prudenter inchoarat, per otium absolvit; providitque ut qui suis exemplis urbem sanctam effecerat, parsimoniâ suâ, & industriâ munitam filiis suis relinqueret. *Manassis bona opera.*

| OLYMP. XIX. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann.* 1. | 3350. | 50. |

In hunc quoque Olympiadis annum Olympiadum scriptor Archilochum Parium collocat, quem certè ex Herodoto Caudalis, & Gygis temporibus vixisse liquet. Alii tamen eum aliis Olympiadibus assigunt. Is Lycambem inimicum suum adeò gravi, & aculeato carmine pupugit, ut eum ad laqueum, mortemque compulerit, morte suâ, quàm scriptis, atque factis longè ineptiorem. *Archilochus Poeta floret. Lycambem exagitat.*

## CAPUT VI.

### *Decas Sexta.*

*Ab anno* 3350. *ad* 3360.

| OLYMP. XIX. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann* 2. | 3351. | 51. |

CORCYRA à Corinthiis hoc anno Colonia condita traditur, per Chersocratem è genere *Corcyra condita.*

genere Bacchiadarum, ejectis ex eâ Colchis, qui cum Medeâ & Jasone erronibus, eò confugerant opportunissimo loco sita erat, & quasi specula maris hujus, ideoque à multis Græcorum ambitiosè tentata, pari incolarum damno, & prensantium gloriâ.

| OLYMP. XIX. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann.* 3. | 3352. | 52. |
| 4 | 3353. | 53. |

Nihil habent historiæ quod his annis alligetur.

| OLYMP. XX. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann* 1. | 3354. | 54. |

*Tarentum à Partheniis conditum.*

Tarentum, alias & Tarentus dicta hoc anno Phalanti, & Partheniorum de quibus anno mundi 3328. Colonia fuit. Neque tamen hæc mutavit antiquum nomen quod acceperat vel à Tarento aut Neptuni, aut Herculis filio, aut à voce Tereno, quæ apud Sabinos *molle* sonabat, ob vellerum lanarumque mollitiem. Phalantus autem antequam Lacedæmone proficisceretur Apollinem Delphicum interrogarat de loco ubi consisteret; responderat Oraculum, cum sub Æthrâ pluviam sentiret. Domitis ergo Barbaris ad Tarentum cum res ejus parùm consisterent, putaretque sibi ἀδύνατα à Deo prænunciata, neque fieri posse ut ex Æthrâ, seu sudo cælo pluvia deflueret, nihilominùs expertus est Oraculum vera cecinisse. Cùm enim Æthrâ uxor maritum sequuta ex ejus capite pediculos legeret, recolens illa viri sui varios casus adeò ubertim flevit ut ejus lacrymis Phalanti caput perfunderetur. Neque vanus tum Apollo fuit, eodem die Tarentum captum huic atque Partheniis sedem optatissimam dedit, & sub Æthrâ dominâ magnam rerum abundantiam & tranquillitatem.

| OLYMP. XX. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann.* 2. 3. 4. | 3355. | 55. |
| OLYMP. XXI. | 3356. | usque ad |
| *ann.* 1. 2. 3. | usque ad 3360. | 60. |

*Glaucus ferrum glutinare docuit.*

Nihil de his annis invenitur in historia nisi quod Olymp. 21. an. 1. Glaucus ferrum glutinare dedicit, & docuit.

## CAPUT VII.

### *Decas Septima.*

*Ab anno* 3360. *ad* 3370.

| OLYMP. XXI. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann* 4. | 3361. | 61. |
| & tota Olymp. | usque ad | usque ad |
| XXII. & XXIII. | 3367. | 67. |
| *ann.* 1. & 2. | | |

*Gelo & Phaselitis condita.*

NIHIL dignum quod his Annalibus attexatur, nisi quod Gela & Phaselitis conditæ in Siciliâ Olym. 223. ann. 3. Hipponax Poëta Jambicus inclarescebat Olymp. 23. ann. 1. Is vultu adeò turpi, & ridiculo fuit, ut à pictoribus sui temporis vulgò vultus ejus deformissimis hominibus aptaretur. Sed aliis eos coloribus ille depinxit, & Scazonte suo, quem excogitarat, sic eos incessit, & ut nonnullos ad suspendium adegerit. Inde Scazon Hipponacteum Carmen dictum est, idoneum in primis ad jacienda convicia, quibus ars tam divina minùs aptari debuerat.

| OLYMP. XXIII. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann.* 3. | 3368. | 68. |

*Prætores annui Athenis.*

Annuus hoc anno Magistratus Athenis creari cœptus, & novem civibus assignatus, quos alii ἄρχοντας, alii principes, alii prætores vocarunt aut Græcè, aut Latinè, aut Romanorum more locuti. Eorum primus Rex dicebatur, nempe sacrorum, penes quem erat totius Religionis negotium; alter Polemarchus, militiæ præfectus; Tertius Ephorus à quo anno nomen, qui hoc Creon est dictus; reliqui sex Thesmotetæ vocabantur. Quid aliud expectares à Democratico statu & in quo bellua multorum capitum omnia posset, nisi ut Reipublicæ multa capita præficerentur?

| OLYMP. XXIII. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann.* 4. | 3369. | 69. |

*Chalcedon condita.*

Hoc anno Chalcedon à Magarensibus condita, quæ ideò cæcorum civitas dicta, quod cùm locum ubi posteà Byzantium condita est eligere potuissent, elegere deteriorem. Refugiebant enim eorum littus Pisces territi tæniâ candicante, & ad oppositum delati hîc auream & argenteam Piscationem efficiebant. Verum si experientiæ defectio cæcos efficeret, plerique mortalium saltem cæcutirent.

*Rebellant Messenii Duce Aristomene.*

Eodem anno Messenii oppressi à Lacedæmoniis erexerunt se, & adversus impotentes heros arma corripuerunt, Duce Aristomene viro forti, cujus natales Messenii referebant ad Genium, qui Draconis specie cùm ejus matre Nicoteleâ coierat. Verum iji demum experti sunt, rebus suis penitùs collapsis, eoque extincto, se mortalem Imperatorem habuisse.

| OLYMP. XXIV. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann.* 1. | 3370. | 70. |

*Pugna Messeniorum ad Deras.*

Primus Messeniorum cum Lacedæmoniis ad Deras Messeniæ vicem conflictus fuit; in quo Aristomene suprà hominem depugnante, nihilominus victoria dubia fuit. Ei tamen oblatum est regnum, quod ille rejecit in speciem contentus Imperatoris nomine, ut re certiùs regnaret. Lacedæmonii ejus audaciam veriti Pythium Apollinem interrogarunt, quomodò victoriam de eo referre possent; respondet, si Atheniensem ducem sibi constituerent. Athenienses rogati Tyrtæum vatem & ludimagistrum obtrusere, qui egregiam iis navavit operam. Sic dum illi, illudere putant Lacedæmoniis, imprudenter faverunt.

*Tyrtæ[us] ludim[agi]ster La[ce]dæmon[iis] præfe[ctus]*

## CAPUT VIII.

### *Decas Octava.*

*Ab anno* 3370. *ad* 3380.

| OLYMP. XXIV. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann.* 2. | 3371. | 71. |

*Messenii victi ad Apri sepulchrum.*

AD Apri sepulchrum iterum certatum acriter, ubi Lacedæmonii victi constantiâ, & alacritate Aristomenis; qui dum fugientes audacius

dacius insequitur scutum amisit, inventumque in Trophonii Specu ibidem consecravit,& multa subinde Lacedæmoniis importavit damna, dum improvisus adest cum delecta suorum manu, adeò ut non irruere in prædam, sed volare nec uno loco consistere, sed pluribus insidere videretur.

Eodem anno condita vel meliùs restaurata Cyzicus, jam ante annos 600. in Propontide inclyta civitas, & digna quæ à multis, & sæpe propter amplitudinem, & magnificentiam conderetur.

Eodem quoque anno Manassi jam converso atque pio natus est Ammon mortuis jam aliis liberis quos in crimine genuerat, ut ex Ezechiæ stirpe Christus sanctiùs nasceretur.

OLYMP. XXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3372. 72.

Rebus propè deploratis Lacedæmonii ad dolos confugiunt, & pecuniâ corrumpunt Aristocratem Regem Arcadum, ut ex auxiliatore proditor fieret. Is in prælio ad magnam fossam Messenios flagitiose deseruit, & Lacedæmoniis cædendos objecit. Fugit tamen iram Aristomenes cum paucis, nnde annos undecim victores distinuit, neque nisi dolo, & scelere potuit deturbari.

OLYMP. XXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3373. 73.

In hunc annum & sequentes cadunt mira Aristomenis facinora, quæ annis 11. gessit, obsidenti, quàm obsesso similior, & Lacedæmoniorum agros cæde, facibusque desolans. Bis etiam captus, & primò quidem Spartam perductus, conjectus est in Ceadam specum seu voraginem, in quam nocentissimi quique projiciebantur; sed aliqui volunt eum labentem offendisse Aquilam ejusque pennis utcumque sustentatum molliùs cecidisse. Hinc etiam vulpis beneficio erupit, quam caudâ prehensam insecutus, vidit quâ effugeret, cuniculumque sensim dilatans manu, per eum evasit. Iterum captus à Cretensibus sagittariis ligatusque per virginem hospitem solutus est, quam posteà filio suo dedit uxorem. Restituere rem Messeniorum ille profectò debuerat, nisi felicior iis sedes in Siciliâ, quàm in Peloponneso à fortunâ pararetur.

OLYMP. XXV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 33 4. 74.

Additus hoc anno ludis Olympicis cursus equorum adultorum, quo Pagondas Thebanus victor renunciatus est, ut non homines solùm sed & animantes, acclamationes ac plausus excitarent ad gloriam.

Tum quoque à nonnullis floruisse perhibetur Anacreon, quamquam ab aliis ultra Olympiadem sexagesimam differatur. Poëta Lyricus bonus, at Batylli formosissimi pueri amoribus infamis; qui & uvæ passæ acino strangulatus ostendit quam multis modis hominibus aperta sit ad mortem via.

OLYMP. XXV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3375. 75.

Moritur hoc anno ex communi Chronologorum consensu Merodachus cum Babyloniis 52. Assyriis 42. annos imperasset, & inde Imperii Babylonici exordia duceret. Vir sine dubio magnus, ut omnes qui imperia, regnaque constituunt, & semper victor quandiu bellum cum hominibus gessit, sed semel compositus Deo, per ineptum Holophernem, quandiu postea vixit, semper præteritarum victoriarum fructu caruit.

OLYMP. XXV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3376. 76.

Huic successit cognominis filius, sed ad ejus discrimen Ben-Merodach appellatus; qui, si vera sunt quæ ex Beroso Josephus narrat Phœniciam, inferiorem Syriam & Ægyptum recuperavit, quæ cum Holopherne grandique exercitu pater aliàs perdiderat. Vir alioqui solo nomine, & regno duorum & triginta annorum, notus. *Ben-Merodachi initia.*

OLYMP. XXV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3377. 77.

Hoc anno Tobias senior obiit annos natus centum & duos, cum filio suo commendasset eleemosynas, eumque ad charitatem, & suo, & Achiachari cognati, & Manassis exemplo incitasset, Addidit & vaticinia de Ninives proximâ ruinâ, non eâ postremâ quam Nahum, sed de aliâ sub Cyaxare, vel ejus patre Phraone (qui in sacris Codicibus dicitur Assuerus) & quam Jonas Prophetes præcinuisset. Vir sanè acceptissimus Deo, & ab eo probatus inopia, cæcitate, Principis odio, ut quid posset vir bonus, cum malâ fortunâ compositus, ostenderetur. *Mors Tobiæ senioris.*

OLYMP. XXVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3378. 78.

Hoc anno instituta Carnia, ludi in honorem Apollinis, ut iis placaretur Deus ob vatem suum cæsum ab Heraclidis. Peste enim afflicti, tantùm his sacris invenere remedium, in quibus certabant Citharædi. Inter quos primus victoriam Terpander retulit. Celebrabantur ad Lucum Apollinis Carnii, ad fontem perennem, & celebrabantur diebus novem, in 9. tabernaculis, in quorum singulis cœnabant, novem futuri judices Citharœdorum, qui ad judicium sobrii, quàm benè poti longe meliùs cessissent. *Carnia instituta.*

OLYMP. XXVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. & 3. 3379. 3380. 79. & 80.

Nihil suggerunt his annalibus consignandum.

---

## CAPUT IX.
### Decas Nona,
*Ab anno* 3380. *ad* 3390.

OLYMP. XXVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3381. 81.

AD hoc tempus spectat quod de Numâ suo Romani scriptores tradunt, nullam umquam adversam valetudinem expertum esse, sed crudâ vegetaque senectute viguisse, mente sanâ in sano corpore, neque minùs habilem ad administrandam Rempub. cum eam deseruit, quàm cum accepit. *Numæ senectus commoda.*

OLYMP. XXVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3382. 82.

*Numa obitus.*

Hoc anno in vivis esse desit alter Rex Romanorum Numa ætatis annos supra 80. cum annis 43. imperasset, morte facillimâ elatus, & suis moribus suavissimis dignâ. Reliquit liberos quinque, mares quatuor qui nobilissimas familias effecere Pomponiorum, Calpurniorum, Pinariorum & Æmuliorum, filia Martio summo Pontifici nupsit ex qua natus Ancus Martius. Sepultus est in Arcâ lapideâ extra urbem, quia se cremari vetuerat. Eo Roma optare meliorem Regem non potuit, & cui plus, quàm Romulo debet, cùm hic eam muris, ille bonis legibus munierit.

OLYMP. XXVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3383. 83.

*Tullus Hostilius succedit Numæ.*

Tullus Hostilius nepos Hostii Hostilii qui bello Sabino interierat, post aliquot dierum interregnum à Senatu populoque Romano Rex creatus est. Is statim agrum regibus assignatum populo viritim divisit, ratus patrimonii sibi satis esse ad sacra sumptusque domesticos. Addidit & urbi Cœlium montem, quem ædificare volentibus distribuit, & iis ipse præluxit. Quâ liberalitate, & magnificentiâ se regno dignissimum ostendit.

*Ira capta à Lacedemoniis.*

Ira quoque Messeniorum receptaculum hoc anno à Lacedæmoniis oppugnata fuit, & mulier impudica, ut olim Troiæ, sic huic munitioni excidii causâ fuit. Hæc cum Pastori Lacedemonii Emperami se prostituisset, eumque domo sua recepisset, quo die murum servabat maritus, eo maturiùs redeunte, quod statio tempore pluvio deserta foret, modum urbis occupandæ occultato patefecit adultero. Is ad suos Spartanos regressus rem aperuit; sibi creditos milites inter pluvias, atque tempestates in urbem introduxit. Restitit tamen fortiter Aristomenes, & triduo cum victoribus depugnavit; cum suos frigore, inediâ, vulneribus confectos videret eruptionem fecit, & reliquos Messenios collocavit in tuto. Quin &, cum suorum lectissimis, Spartam occupasset eamque incendisset, nisi ab Aristocrate proditus esset, qui ideò à suis Arcadibus, gemina proditione patefactâ, lapidibus obrutus est. Intereà Euergetidas Aristomenis affinis cum o. juvenibus regressus iram, Spartanorum castra luctu cædibusque permiscuit, ipse super ingentem hostium acervum confossus interiit. Petebatur coloniæ deducendæ Dux Aristomenes, sed hujus curam Gorgo, & Manticlo demandare maluit, ipse in Græciâ restitit, in ultionem Lacedæmoniorum intentus. Filias enim suas viris fortissimis uxores tradidit, quarum tertia Jalysi Regi Rhodio nupsit, cum oraculum ei optimi viri inter Græcos filiam assignasset uxorem. Tandem dum Lydiam, & Mediam cogitat Aristomenes, tot periculis perfunctus ex morbo interiit, vir fortunâ bellicisque discriminibus major, quorum cum nullum umquam defugisset, vitam quam pro patriæ salute toties exposuerat, in lectulo satis pacatè naturæ reddidit, magnis honoribus

*Aristomenis obitus.*

ab ipsis hostibus suis, ab amicis, atque suis, cohonestatus divinis.

OLYMP. XXVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3384. 84.

*Messana colonia Messeniorum.*

Hoc anno ad Anaxilam Rhegii Tyrannum filium nepotis Alcidamidæ venere Gorgus & Manticlus cum suis exulibus Messeniis. Perhumaniter excepti sunt ut exules socii ab exulibus, sed statim ducti adversus prædones, qui Zanclen obtinebant. Ii statim terrâ, marique victi urbem Messeniis reliquerunt, quam hi de nomine patriæ Messanam dixerunt, solo non admodùm fertili in uberrimum commutato, factique extra patriam, quàm in patriâ ditiores, & fortunatiores.

OLYMP. XXVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3385. 85.

*Argiv Lace monio vincun*

Hoc anno Argivi, ad Hysias oppidum, Lacedæmonios profligavere, & diu stetere victorum Polyandria qui in eo prælio cecidissent, ne in omnium memoriâ perirent, qui pro salute & gloriâ patriæ quondam interiissent.

*Certam Horatio rum, & Curiatio rum.*

Verùm celebratiùs eodem anno contigit in Italiâ certamen, Tergeminorum fratrum ex duabus sororibus, quas Sequinius Albanus nuptui dederat, unam Albano Curiatio, alteram Horatio Romano Civi. Uterque porrò ex uxore suâ Trigeminos suscepit, ætate, viribus, & armorum exercitatione pares. Placuit itaque Regi Tullo, & Metio Suffetio eorum virtuti gentis suæ gloriam committere: neque juvenes detrectavere certamen. Primo congressu, & impressione duo Horatii cecidere, vulneratis tribus Curiatiis. Tertius Horatius superstes, & integer arti fortitudinem conjunxit, & tribus impar cum fugere simulat, singulatim cum tribus congressus, omnes interficit. Eorum spoliis ornatus urbem ingreditur, ac sororem adit. At illa visis in corpore fratris, sponte spoliis, plus dedit, sponsi cædi, quàm fratris gloriæ, ubertimque flevit. Has lacrymas ut patriæ infestas frater ultus est ferro; vocatusque in judicium damnatus est: sed provocavit ad populum, à quo liberatus est. Sicque tum plus lætitiæ publicæ, quam legibus indultum in hac causâ fuit.

OLYMP. XXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3386. 86.

*Bellum Fidena paratu*

Hoc anno bellum adversus Fidenates paratum, & Metius Suffetius cum suis copiis evocatus. Fidenates etiam Veientium auxilio fulti, pares se Romanis, & Albanis existimarunt. Itaque is annus, dum bellum paratur, sine bello fuit.

OLYMP. XXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3387. 87.

*Anna bia u moriti*

Hoc anno putatur obiisse Anna Tobiæ junioris mater, quæ omnem ex marito, & filio gloriam traxit.

*Nasci ex A ne Jo Meti Suffe prodi discer jussu Tulli.*

Eodem quoque natus est ex Ammone, Josias Manassis nepos, futurus ipse fortunatissimus nisi parentis, & populi crimina, ejus pietati prævaluissent.

Certatum item & hoc anno à Romanis contra Fidenates, & dubia primum victoria, quia Metius Suffetius cum suis Albanis, non suo stetit loco,

loco, & ſpectator certaminis, quàm actor eſſe maluit. Actum erat de Romanis, cum Metius ad hoſtes diſcederet, niſi Tullus in rem præſentem conſilium cepiſſet. Exclamavit enim, hunc diſceſſum à ſe imperatum eſſe, ut hoſtis implicaretur, & à tergo cæderetur, quæ vox & ſuis animos addidit, & hoſtibus fiduciam ademit. Romani ergo tandem victores de Fidenatibus Albanos circumfundunt, petitur ad ſupplicium proditor Metius & ne perirent omnes ſtatim ducitur. Itaque proditionis convictus religatur ad duas Bigas in contrarium incitandas, atque diſcerpitur. Intereà miſſus cum lectiſſimis copiis Albam occupat Horatius, eamque deſtrui jubet civibus priùs Romam ablegatis. Ita rediit ad filiam mater cum annis quadringentis circiter ſtetiſſet, & quas diſcordia & æmulatio disjunxerant, iterum conjunxere.

OLYMP. XXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3388. 88.

Is annus bello Fidenatium finem attulit, iis iterum profligatis, & urbe tam graviter oppreſsâ, ut ad deditionem compelleretur. Itaque de iis triumphavit Tullus, cæterùm cum victis ſatis honeſtis conditionibus pepigit, & ut fortes viri victores, cum fortibus ſuperatis ſolent.

OLYMP. XXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3389. 89.

Hoc anno bellum contra Sabinos inchoatum, qui ad lucum Feroniæ Romanos ſpoliarant, & per legatos moniti, damno riſum adjecerant, atque olim raptas à Romanis Sabinas exprobrarant. Utrimque adeò fortiter dimicatum eſt ad noctem, ut redintegrare hoc anno certamen uterque veritus ſit exercitus; ſicque mutuo & alterno metu hujus anni expeditio terminata ſit.

OLYMP. XXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3390. 90.

Hoc anno Meſſenii adverſus Spartanos tertium rebellavere, occaſione arreptâ ex terræ motu, quo Neptunus Spartam afflixerat, quia ſupplices ex ejus aris ad Tænarum Ephori abduxiſſent. Occuparunt illi rebelles Ithomen montem; neque tamen eos expugnarunt Lacedæmonii, vetiti ab Oraculo Jovis Ithomatæ ſupplices violare. Itaque ii ab Athenienſibus malè jam affectis in Spartanos, accepere Naupactum, unde Acarnanibus multa intulere damna. Exemplo certiſſimo, quàm periculoſum ſit fortes & miſeros hoſtes nimis vicinos habere.

Eodem anno majoribus animis & copiis à Tullo contra Sabinos pugnatum, ad Eretum oppidum, ubi victoria ſtetit à Romanis, non qui fortiores erant, ſed religioſiores. Neutram enim in partem inclinante fortunâ, & multis cadentibus, vincente nemine, vota Opi & Saturno Tullus nuncupavit, pollicitus & duplicare Salios, ſi Sabini vincerentur. Itaque ii ſtatim fugientes regionem ſuam Romanorum populationibus objecerunt: quibus ita detumuerunt ſuperbiſſimorum hominum animi, ut de quærendâ pace ſeriò cogitarent.

## CAPUT X.

## *Decas Decima.*

*Ab anno* 3390. *ad* 3400.

OLYMP. XXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3391. 91.

*Pax Sabinis data.* ANNO igitur ſequenti Sabinorum Legatis petentibus Tullus pacem dedit, & honeſtis quidem conditionibus, eos ſatis domuiſſe ratus, qui ſibi virtute pares in Italiâ nullos populos arbitrabantur. Inciſum etiam in columellis fœdus, quod tamen tenuit donec re ſuâ victi judicarunt. Nihilominus ea victoria Tullo peperit tertium triumphum, cujus erat, ſicut & gloriæ militaris appetentiſſimus.

OLYMP. XXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3392. 92.

*Manaſſis mors.* Mortuus eſt hoc anno Manaſſes Rex Juda, cum annos quinque ſupra quinquaginta regnaſſet, de quo dubites utrum ſcelera majori furore perpetrarit, quàm pœnitentiâ eluerit. Huic tamen hæc crimina ſic condonata ſunt, ut eadem in poſteris ſuis luerit, cùm eorum maximè causâ interiiſſe Judaicum regnum in ſacris Codicibus inveniatur. Neque verò in ſepulchro Regum Juda ejus cadaver illatum eſt, quia nonnunquam Deus, quàm homines faciliùs placari ſolent.

OLYMP. XXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3393. 93.

*Ammonis ſcelera.* Manaſſi ſucceſſit Amon annos natus viginti duos, qui ſtatim patrem peccantem imitatus eſt, nequaquam pœnitentem. Itaque ſtatim ſublatus modum citò & vitæ, & ſceleribus poſuit.

OLYMP. XXX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3394. 94.

*Ammonis cædes.* Anno enim ſequenti Rex ille infelix interfectus eſt, ab hominibus improbis, & à quibus ut ad exitium, ſic ad ſcelera præcipitatus erat. Hi tamen ſtatim parricidii ſui pœnas luerunt, ab ipſo populo ad judicium necemque poſtulati, duplicis graviſſimi ſceleris nocentes, quod Principis ſui criminibus animum priùs, quàm corpus ferro perdidiſſent.

*Ioſias Ammoni ſuccedit.* Eodem igitur anno parentis ſui locum & ſolium occupavit Joſias octennis, indolis optimæ puer, & ad virtutem quodammodo factus, dignusque qui Judaici regni decus repararet, niſi nequiſſimi populi peccata plus valuiſſent apud Deum & vindictam, quàm boni Regis pietas ad indulgentiam.

OLYMP. XXX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3395. 95.

*Phigalenſes ab Oreſthaſiis reſtituti.* Tum à Lacedæmoniis capta eſt, & exciſa Phigalia, nobilis Arcadiæ civitas: cujus incolæ ſolum vertere juſſi Apollinem Delphicum interrogarunt, quo tandem modo poſt liminiò redirent in patriam: reſpondit ille ſi ex Oreſthaſio Oppido centum lectiſſimos viros aſſumerent, qui tamen omnes in eâ expeditione eſſent perituri. Oreſthaſii nihilominus huic militiæ certatim dedere nomen, ex quibus ſelecti centum, commiſſo cum Spartanis prælio, omnes interiere, ſed Phigalenſibus patriam morte ſua reddidere, tam glorioſâ ſibi, quàm utili ſuis ſociis victoria.

O-

OLYMP. XXX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3396. 96.

*Cypselus occupat Tyrannidem.*

Hoc anno Tyrannidem apud Corinthios occupavit Cypſelus, Periandri pater, ita dictus à Ciſtulâ, ſeu menſurâ frumentariâ, in quâ occultatus fuit, dum ad necem à Bacchiadis quæreretur. Sic à matre ſervatus eſt, ut patriæ matri ſuæ potiori, libertatem eriperet.

OLYMP. XXX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3397. 97.

*Demaratus in Etruriam navigat.*

Hoc anno Demaratus Corinthius Cypſeli Tyrannidem peroſus, & ab eo ſibi malè metuens, in Etruriam venit, & ſedem elegit Tarquiniis, urbe filiorum ſuorum nomine, quam proprio, famoſiore.

OLYMP. XXXI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3398. 98.

*Coloniæ aliquot inſtitutæ.*

Conditæ his temporibus notantur à Chronologis pleræque urbes Abderæ, Lampſacus, Clazomenæ, Acanthus, Stagira, Selinus, Iſtrus, Boryſthenes, & Byzantium, quamquam ab aliis ſcriptoribus ad alia tempora referantur. Quæ ſi non omnes hoc anno ſtatutæ certè tum à Colonis Græcis reparatæ, de novo côditæ dici meruerunt.

OLYMP. XXXI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3399. 99.

*Phalaris Tyrann.*

Circa hæc tempora apud Agrigentinos Tyrannus ſtatuitur à nonnullis Phalaris, ſed meliùs rejicitur in Olymp. 52.

OLYMP. XXXI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3400. 100.

*Bellum ... qui ... nale.*

Hoc anno bellum quinquennale contra Latinos exarſit, negantes Romanis parere, qui quondam Albanos dominos agnoviſſent. Itaque in eos eſt immiſſus exercitus, qui tamen plus timoris inferret, quam damni. Una Medullia Romuli Colonia obſidione capta pœnas rebellionis dedit: Cæteri humanitate potiùs, & terribilis ad ſpeciem exercitus tranſvectione ſunt ad obſequium revocati: quia Romani Latinos volebant ſuos eſſe, non exterminatos.

*Sabini bellan...*

Sabini eâ occaſione uſi fœdera, in ære licet inciſa, fregere, & ad maleficam Sylvam, quàm malæ eſſent fidei demonſtrarunt, ſed ab equitatu Romano devicti atque diſſipati, plus ineſſe ſibi malevolentiæ, quàm fortitudinis oſtenderunt.

# LIBER II.

## SÆCULUM MUNDI TRIGESIMUM QVINTUM.

### *Ab anno mundi* 3400. *ad* 3500.

## CAPUT I. PRIMA DECAS.

*Ab anno* 3400. *ad* 3410.

OLYMP. XXXI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3401. 101.

*Filii Ioſiæ.*



HOC anno Ioſiæ 15. natus eſt ei filius à patre dictus Eliacim, ſed à Nechao Ægypti Rege poſteà Joacim, per Coph & Mem apud Hebræos, apud Græcos per κ & μ. Cum ejus filius dictus ſit Joachin apud Hebræos per Caph, & Nun, apud Græcos per χ & ν Sed is Eliacim primogenitus non erat, ut liquet ex 1. Paralipomenon. Joſiæ enim paulò ante ex aliâ uxore, vel concubinâ natus erat Johannam, ſed qui ante patrem obiit. Is autem Johannam aliter quoque dictus eſt Joachaz, immo & Jechonias, ut conſtat ex libro 3. Eſdræ apocrypho; quod Jechoniæ nomen S. Epiphanius in Panario affinxit Joacimo, ut cauſam redderet omiſſæ unius generationis. Quæ quidem hoc loco fuere prænotanda, ut unde lux affulgeret aliquot locis ſcripturæ, magnis alioquin hic tenebris implicatæ.

OLYMP. XXXII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3402. 102.

*Ioſiæ pietas, & nova uxor.*

Ioſias ætatis ſuæ anno 16. pietati ſe totum dedit, ſeque verum Davidis Nepotem eſt profeſſus, virtute cultuque religionis. Tum quoque aliam duxit uxorem Amitalem filiam Hieremiæ, non Prophetæ Anatothini, ſed de Lobnâ viri potentis ac divitis, & qui tum dignus habitus eſt, ut tempore ſatis fœlici Regis ſocer eligeretur.

OLYMP. XXXII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3403. 103.

*Sellum naſcit...*

Hoc anno Joſias ex Amitali uxore novâ tertium filium ſuſcepit Joachazum, qui & aliter dictus eſt Sellum, libro 1. Paralip. non ſuo, hoc eſt tertio, ſed quarto nominatus loco, Is patri ſuo ſucceſſit, ſed abductus in Ægyptum fratri ſuo Joacimo reliquit locum, infelicitate paternâ, & ſuâ, quàm rebus geſtis famoſior.

OLYMP. XXXII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3404. 104.

*Pietas Ioſiæ de...ciata.*

Celebris eſt hic annus denunciatâ Joſiæ pietate, quâ ſic regnum purgavit ſuum, ut in eo nihil prophani deinceps videretur. Tum enim abſtulit impudicos Sacerdotes præpoſtera libidine infames, & eis permixtas mulieres tam labore manuum, quàm quæſtu ſui corporis turpes. Subvertit & aras victimarum toties iniquo ſanguine pollutas. Denique ſic urbem templumque mundavit, ut hæc civitas ſancta, illud Dei ſedes meritò dicerentur.

*Pax Rom... Lati...*

Hoc quoque anno pax Romanos inter, & Latinos, inita, utrimque optata, & quæ tantùm dilata fuerat ut hi lubentiùs obſequerentur, illi modeſtiùs imperarent.

OLYMP. XXXII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3405. 105.

*Hier... incip... prop... re.*

Hoc anno Hieremias prophetare cœpit datus adjutor

adjutor Josiæ Regi, ut hic esset Numinis supremi manus, ille lingua. Josias enim sanctissimi vatis hortatibus opus urgebat; atque hoc anno currus incendit Solis in suburbio Hierosolymitano, more gentium consecratos, & removit equos huic immolari solitos. Insuper destruxit aras singulis Hierosolymorum portis affixas. Locum etiam Tophet funestissimis Melochi, seu Saturni sacrificiis, & humano sanguine violatum, revera pollutum haberi voluit. Omnia denique loca destruxit, quorum aspectu vel recordatione lædi pietas videretur.

OLYMP. XXXIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3406. 106.

Lygdamus vel Lydamis Syracusanus tum omnes sibi compositos Pancratio vicit, cujus monimentum diu Syracusis stetit prope Latomias: Is autem ludus hoc anno restitutus fuit, sicut & equi desultorii quibus anteiit Equa Crauxidæ Cranonii, quorum palmis, ut & Gygis Lacedæmonii Olympionicæ, hæc Olympias cohonestata est.

Hoc quoque anno Selinus in Sicilia à Megarensibus Hyblæis condita, ad fluvium cognominem, ab Apio dictum. Huic adjacebat pestiferum æstate stagnum, cui vim mortiferam ademit Empedocles immissis in illud duobus vicinis fluminibus Selinunte, & Belice, ideoque ab indigenis pro Deo habitus quem Æthnæ montis flammæ consumpserant.

OLYMP. XXXIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3407. 107.

Ben-Merodacus avus magni Nabuchodonosoris hoc anno vivendi finem fecit, cum triginta duobus regnasset annis, solus viginti quatuor, octo cum filio, nepotis rebus gestis, quàm suis celebratior.

OLYMP. XXXIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3408. 108.

Nabopolassar, aliter Nabolassar magni Nabuchodonosoris pater, hoc anno regnare cœpit solus, cum jam annis octo cum patre assuevisset imperio. Ita sensim Babylonis assurgebat imperium, donec idoneum esset ad multandos Judæos, nihil exemplo & pœnâ Israelitarum à peccando deterritos.

OLYMP. XXXIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3409. 109.

Hoc anno Iosias majora adversus idololatras ausus est; delevit enim Aruspices, & Ariolos quorum operâ populus dementabatur. Eos autem vivos esse combustos ex 70. Interpretibus liquet, & fortè in suis aris.

OLYMP. XXXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3410. 110.

Hæc Anolympias dicitur, quod ei præfuissent Pisæi ope Pantaleonis Regis, non Elei de more. In eâ victor est declaratus Stoma, vel Stomius Sicyonius, qui Eleorum equitatum duxit, & ex provocatione hostem cecidit, non tantum pedibus, sed & manu bonus.

Hoc quoque anno Josias in Israelis regnum pietatem suam extendit. Nam in Bethel altare polluit humanis ossibus in eo concrematis; sicque completa sunt verba Jaddi viri Dei ante annos fere trecentos, & quinquaginta coram Jeroboamo pronunciata. Hujus porrò Prophetæ sepulchrum Josiæ jussu conservatum, immò & in ejus gratiam ossa alterius Prophetæ qui mortis ejus extiterat causa, eumque mendacio apud se ad prandium distinuerat. Sic malo Prophetæ profuit, juxta bonum, fuisse tumulatum.

Hoc quoque anno mortuus est Ecbatanis junior Tobias anno ætatis suæ 99. (ut Latini codices habent, quamquam ei Græci 127. vitæ annos affingant) cum prius Raguelem & Annam soceros ibidem sepelisset. Obiit autem circumseptus nepotum suorum grandi turbâ, quos ita vir sanctissimus instituerat, ut essent inter Ethnicos veræ religionis tutores, & propagatores. *Mors Tobiæ junioris.*

---

## CAPUT II.

### *Decas Secunda.*

### *Ab anno* 3410. *ad* 3420.

OLYMP. XXXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3411. 111.

HUNC annum Ezechielis Prophetæ dies natalis illustrat, ut trigesimus ejus ætatis annus cum 5. captivitatis coincidat. Neque enim hic audiendus Josephus Scaliger, qui hos annos 30. Nabopolassari audacter affingit. Fuit porrò Ezechiel visionibus suis mirabilis, sed quæ vidit ipse multis legenda proposuit, perpaucis intelligenda. *Nascitur Ezechiel.*

OLYMP. XXXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3412. 112.

Hic annus Josiæ duodevigesimus tribus rebus nobilis extitit. Templum enim reparatum est, cum jam anni 234. effluxissent ab ejus instauratione facta anno 23. regni Joas: tunc autem est structura interpolata, & vasa sacra decenter curata. Inter hæc inventus est liber legis Mosis ipsius exaratus manu: de eo consulta Olda prophetissa denunciavit populo calamitates, hoc libro contentas, quas tamen Rex bonus suis oculis non usurparet. Quare renovatum à Rege Deum inter & populum fœdus; sed utinam populus Dei, sequestrique votis respondisset. Celebratum tum quoque fuit phase seu Pascha magnificè, quando & Arca sub Ammone exportata in templum relata fuit; quibus omnibus Rex sanctissimus supplicii dilationem obtinuit sibi; supplicium propter sceleratorum crimina numquam potuit deprecari. *Opera sancta Iosiæ.*

OLYMP. XXXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3413. 113.

Si qua Josepho fides tum Josias Judæis censores apposuit (κριτὰς & ἐπισκόπους appellat) qui non tantùm publico juri, sed & privatorum moribus invigilarent, & ab unoquoque vitæ rationem exigerent. Quæ si non sunt à Josepho conficta, censura supra ducentos annos & quinquaginta priùs Hierosolymis, quàm Romæ viguit, atque ejus institutio non prophanis hominibus, sed Regi pientissimo debetur. *Iudæorum Censores.*

O-

OLYMP. XXXV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3414. 114.

*Thales Milesius nascitur.*

Hoc anno natus scribitur Thales Milesius septem Græciæ sapientum unus, à quo fluxit Jonica Philosophiæ disciplina, ut à Pythagorâ, Italica. Is Geometriam & Astrologiam primus induxit in Græciam, Sed speculatus siderum motus, dum in fossam turpiter prolapsus est, meliorem se Astrologum, quam Geometram præbuit.

*Tulli Hostilii mors.*

Eodem quoque anno regni sui 32. obiit Tullus Hostilius, unà cum uxore, & domesticis omnibus igne cælesti crematus. Qui enim has flammas ab Anco Mrtio curatas volunt, communi scriptorum sententiâ, malevolentiæ revincuntur. Optimè enim Tullum fuisse Magum suspicatur Livius, & tum à Jove Elicio, quod ejus sacra non ritè curaret, fulminatum. Veriùs à Dæmone isti sunt emissi ignes, qui initia secum à Magis fœdera, ita plerumque terminare solet.

OLYMP. XXXV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3415. 115.

*Ancus Martius regnat.*

Ancus Martius annos natus 37. Tullo succedens, hunc minùs quàm avum Numam imitari maluit. Nam populum à studiis belli, ad otium pacemque traduxit, vulgatis qui à Numa relicti erant, commentariis, quibus ad religionem invitaretur, quâ nihil est ad pacem curandam, atque conservandam accommodatiùs.

OLYMP. XXXV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3416. 116.

*Nascitur Sedecias.*

Nascitur hoc anno Sedecias quartus Josiæ filius ex Amitali Hieremiæ filiâ, tumque dictus Matthanias, quod ei nomen posteà Nabuchodonosor abstulit, imposito nomine Sedeciæ, ut omnia habere se à victore, usque ad nomen, recordaretur.

OLYMP. XXXV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3417. 117.

*Latini in Martio victi.*

Latini qui anno superiore, Martio contempto, indixerant bellum, sed Politorium oppidum amiserant, eandem urbem hoc anno missis Colonis repararunt. Verùm iterum à Romanis victi, iterum capta civitas; nec ut anno superiore hostes molliter accepti sunt, sed in cives ferro, in domos flammis sævitum, ne minus sapienter conficeret bellum, Ancus Martius quàm fortiter gereret.

OLYMP. XXXVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3418. 118.

*Mors Judithæ.*

Cadit in hunc annum Judithæ mors, ætatis 105. à victoriâ 73. cujus memoria apud Æthiopas in Ecclesiâ recolitur, sed de ea Martyrologium Romanum tacet, licet à sanctis Patribus vulgò sancta nominetur. Sepulta est in agro Bethuliensi cum viro suo, inter Judæorum lachrymas; at ejus fama nunquam intercidet, cujus ipse Deus præco esse voluit.

OLYMP. XXXVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3419. 119.

*Phraortes Medus obit.*

Phraortes Medus hoc anno in obsidione Ninives interiit; quare urbs obsidione soluta resumpsit animos, atque duobus Regibus & omni Medorum potentiæ se parem, immò superiorem credidit.

*Nascitur Joachinus ex Joacimo.*

Tum quoque natus est ex Joacimo Josiæ filio Joachinus, aliter passim dictus Jechonias miseri parentis hæres miserabilis. Cui cave Sedeciam fratrem naturalem adscribas, licet id liber primus paralip. innuere videatur. Sedecias enim ejus patruus erat, sed adoptione factus filius Joacimi, frater quoque Jechoniæ dici potuit.

OLYMP. XXXVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann* 3. 3420. 120.

*Cyaxares Medus regnat ( vexatur a Scythis.*

Cyaxares Medus Phaorti successit, cujus ut regni, sic expeditionis in Ninivem hæres esse voluit. Sed obsidionem quoque solvere compulsus est, propter Scythas in ejus imperium irrumpentes, à quibus etiam victus precariò regnare sub eorum impotentissimo dominatu coactus est annis duodetriginta. Sic Cyaxari non animus, aut opes, sed fortuna defuit ad Ninivem exscindendam.

---

## CAP. III.

## *Decas Tertia.*

### *Ab anno* 3420. *ad* 3430.

OLYMP. XXXVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3421. 121.

*Bellum inter Rom. Latinos reparatur.*

ROMANORUM Colonia Medullia hoc anno à Latinis capta est; sed vice versâ Martius Telenas nobile Latinorum oppidum occupavit, & cives intactos cum bonis omnibus suis Romam transtulit. Idem quoque præstitit cum Facanæ Oppidanis, iisque omnibus novis Colonis Aventinum inhabitandum tradidit. Secutus majorum suorum exempla, qui suis victoriis urbem & majorem, & magis metuendam efficiebant.

OLYMP. XXXVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3422. 122.

*Pueri Olympicis ludis ... nantur.*

Proposita sunt hoc anno extra morem pueris præmia ab Eleis cursus, & luctæ; hujus palmam tulit Hipposthenes, illius Polynices Eleus. Hic est Hipposthenes Heroemodi pater, in quem & virtutem suam Palæstricam transfudit, ambo enim victores multarum palmarum leguntur, pater undecim, filius duodecim. Huic etiam divini honores habiti sunt oraculi jussu, quasi toties adversarium prostrasse aliquid supra mortalem saperet.

*Tarquinius Romam commigrat.*

Eodem anno Tarquinius (Livius Lucumonem vocat) Demarati filius Romam cum suis migravit, & in familiaritatem Anci Martii ita se insinuavit, adeò se fortem, fidumque præstitit, ut dignus haberetur, qui ei succederet, & Romanum obtineret regnum, quod virtute suâ atque prudentiâ amplificasset.

OLYMP. XXXVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3423. 123.

*Pergit certamen Rom. Latin.*

Erepta est hoc anno Latinis ab Anco Medullia. Inde variis excursionibus utrimque pugnatum, sæpe vincentibus Romanis industriâ Tarquinii equitum præfecti, qui non tantum fortiter, sed & callidè pugnabat, loco, & tempore collocatis insidiis,

Bellum quoque cum Fidenatibus gestum. Hi tergiversati dum auxilia expectant astu Martii delusi sunt. Interim enim in eorum urbem cuniculum egit, & dum ab aliâ parte scalis admotis murum transcendere fingit, per illum suos immisit in urbem qui portis effractis, aperuere suis viam. Fidenates affatim cæsi, urbs direpta, huicque impositum præsidium.

Sabini quoque occasione usi Romanos adorti sunt, sed astu quoque debellati. Dum enim eorum plerique ad populandos agros exiissent, Martius eorum invasit castra, & cepit; disposito cum equitibus suis Tarquinio, qui populatores redeuntes exciperet. Nec eum fefellit expectatio; dum enim hi in castra se recipere moliuntur passim cæsi, atque dissipati. Pax nihilominus petentibus data, quia Latini adhuc in armis erant, & Romani tum Sabinos minùs domitos, quàm hostes habere malebant.

OLYMP. XXXVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann*. 3. 3424. 124.

Cyrene Colonia insulæ Theræ hoc anno condita est à Ratto, ex quo Poëta Callimachus ortum traxit; urbs pulcherrima, & loco peramæno sita, posteaque regni Cyrenaici caput; sæpè destructa, sæpè reparata; quia diu stare magna non solent.

Hoc item anno Pharao Nechao adversus Babylonios parans expeditionem, petit à Josiâ transitum; quem ille sapienter negavit; ne utriusque populi excursionibus pateret. Quia periculosum minoribus principibus inter duos hostes magnos interjici, qui in alienâ regione, quàm in suâ bellum gerere malunt.

OLYMP. XXXVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann*. 4. 3425. 125.

Sinope hoc anno à Milesiis statuta est, urbs de se potens, utpote quæ toti Euxino, & usque ad Cyaneas petras imperarit, & extra Euxinum positos Græcos juverit; posteà tamen magni Mitridatis natalibus, Regiâ, immò & sepulchro facta illustrior; tantùm huic urbi valuit Romanorum terrorem, tumulo condidisse.

Eodem anno Nechao Judæam cum copiis ingressus, & ad urbem Medemenam subsistens, à Josiâ transitum rogat, extorturus nisi daretur. Cùm negatus esset, pergit nihilominus usque ad Campum Mageddo: ubi Josias palantes Ægyptios aggressus, in prælio lethaliter vulneratur, relatusque Hierosolymam, ibidem moritur. Non desunt qui Hieremiæ Threnos in Josiæ obitu compositos velint, quos tum in excidium Hierosolymitanum sub Sedeciâ commodiùs reservabis. Josia demortuo, factione populi regnum invadit Joachaz secundo-genitus Josiæ, idque tribus mensibus scelerate administrat, scelere partum. Intereà Nechao ad Euphratem usque pervenit, neque Babylonios usquam consistere passus est. Dum victor in Ægyptum regreditur, occurrit illi Eliacim, regnum à fratre occupatum repetens; adfuit & Joachaz electionem defensurus; sed dum Regem à jure, & à fratre stare videt, arma expedit, at paulò seriùs, & incautiùs: multitudine enim Ægyptiorum oppressus, vivus capitur, & abducitur in Ægyptum ubi paulò post ex mœrore obiit: hoc tantùm notus nomine, quod in fratrem, & Deum, impius interiisset.

OLYMP. XXXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann*. 1. 3426. 126.

Periander Patrem & Socerum imitatus Corinthi Principatum occupat, & militibus circumseptus, jus non linguâ, ut sapiens, sed armatâ manu, ut tyrannus reddidit. *Periander Tyrannus Corinthi.*

Tum etiam videtur natus esse Daniël Propheta ex regio sanguine, quia eum abductum esse pusionem scribit Epiphanius. Is miserrimo tempore natus ostendit magnos viros, ex tenuibus initiis ad summa pervenire. *Nascitur Daniel.*

Eliacim hoc quoque anno regnare cœpit factus Ægyptio Regi vectigalis, à quo ei de more mutatum est nomen, dictusque Joacim, pro Eliacim, quamquam duæ illæ voces idem sonent. Is statim Dei ac Patris immemor sese dedidit impietati; subditos vectigalibus atterens, & in sanctos etiam viros crudeliter desæviens. Nam Uriam Prophetam ex Ægypto retractum interimi jussit; & nihil propiùs factum quàm ut Hieremias eo connivente, à Sacerdotibus interficeretur. Sed lite in judicium vocatâ sub Ahicano principe causam evicit, ad alia mala atque diuturniora à Deo reservatus. *Eliacim regnat Ægyptiorum vectigalis. Ejus in sanctos viros crudelitas.*

OLYMP. XXXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann*. 2. 3427. 127.

Marcius regni sui anno decimo tertio, Veientes suis, & sociorum armis aggressus, magnâ strage editâ fudit, eisque spolia suorum multò sanguine eluta detraxit; quæ tum digna judicata sunt ut cùm rege triumphante per urbem magnificè transveherentur. *Veientes victi.*

Eodem anno Joachinus, qui & Jechonias dictus est, à patre regni collega factus est, ut maturè & sceptro, & calamitatibus assuesceret. Is patre nihilo melior fuit; ideoque in utrumque & populum Regibus suis simillimum intentatæ à Prophetis minæ, quas prudentiâ suâ principes illi se declinaturos stolidè putabant; neque videbant hoc maximè facto, & sceleribus universam familiam Regiam ad interitum ruere. *Ioachinus à patre fit regni particeps.*

OLYMP. XXXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann*. 3. 3428. 128.

Veientes rebellare ausi, iterum hoc anno victi sunt ab Anco ad Salinas. Dediderunt se sponte Velitræ, quorum cives agrum Romanum depopulati fuerant, & demissione suâ, & satisfactione veniam impetrarunt. Condita quoque fuit hoc anno urbs Ostia, ad Tiberis Ostium, Sylvâ adjacente ad naves fabricandas publicatâ. Quo facto sperare cæperunt Romani se futuros domitores orbis, ad quem suæ naves transfretarent. *Veientes iterum victi. Condita Ostia.*

Nabuchodonosor à patre missus est in Judæam, & Syriam, ut hic vires suas accisas repararet, regnumque ibidem caducum restitueret. Nec mora, devictum ad Euphratem Ægyptium acriter persequitur, Syriam Judæamque componit; abducto Joacimo cum filio Joachimo, & multis principibus, inter quos Daniel *Nabuchodonosor à patre mittitur in Syriam, ubi res suas restituit.*

Daniel cum sociis eminebat; quoniam Hosti Nechao submiserant sese, licet invicti. Sed quid agas? Ita minores majorum peccata luere solent.

Sub hujus anni finem Nabopolassar moriens, victoriæ quam filius pepererat fructum degustare non potuit.

OLYMP. XXXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3429. 129.

*Regnat Nabuchodonosor, & remittit Ioacimum cum Ioachino.*

Nabuchodonosor hoc anno Babylonem, & regnum patris ingreditur, & inde regnandi ducit initium. Remittit statim in Judæam Joacimum cum filio, retentis obsidibus Daniele, & aliis principum liberis, Pactum dare tributum, quod tribus annis pependit; cùm jam ab Ægypti Nechao precariò regnare didicisset.

*Victi à Babyloniis Ægyptii.*

Eodem anno bellum Ægyptios inter & Babylonios magnâ contentione gestum: victi Ægyptii intra regnum suum receperunt sese, & Pelusii claustris suam debuerunt incolumitatem.

*Baruch Prophetes à Deo.*

Eodem quoque anno Baruch Prophetes amanuensis Hieremiæ, malè sibi magistroque metuens, benè sibi sperare jussus est, expertusque hunc tutum esse, cui inter inimicos capitales auxilium Deus pollicitus erat.

OLYMP. XXXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3430. 130.

*Rechabitæ jussi Hierosolymis habitare.*

Rechabitæ in tabernaculis hactenus habitare soliti, hoc anno propter belli motus assiduos, Hierosolymam sese receperant. Vinum illi, & syceram non bibebant, & degebant in campis sub pellibus, ut patri suo Rechabo obsequerentur. Nunc in urbe vivere cœperunt, nec Deus eorum improbavit consilium, quoniam causa metus erat legitima, & qui in viros constantes caderet.

## CAPUT IV.

### *Decas Quarta,*

### *Ab anno* 3430. *ad* 3440.

OLYMP. XXXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3431. 131.

*Dracon scribit leges Atheniensibus.*

CIRCA hæc tempora leges Atheniensibus scribebat Dracon, non tam atramento quam sanguine, ob nimiam severitatem, quæ usque ad inanima extendebatur. Eas tamen paulùm diu servatas esse innuit deterrimus hujus Reip. Status, & quia violenta diu durare non possunt.

OLYMP. XXXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3432. 132.

*Hieremiæ conciones.*

Pertinent ad hunc annum & adjacentes, Hieremiæ Prophetæ conciones, populum ad pœnitentiam invitantis; sed his surdis canebat auribus. Immò tum Rex exceptum à Barucho ex ore Hieremiæ Librum conscissum misit in ignem, & utrumque comprehendi jussit. Sed jam illi occultarant sese; & Deus elusâ satellitum industriâ, volumen iterum describi jussit ad memoriam geminati sceleris sempiternam.

OLYMP. XXXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3333. 133.

Sadyaltes circa hæc tempora bellum cum Milesiis sexennio gessit. Sed & hoc bellum & regnum filio suo Alyattæ reliquit hæreditarium. *Sadyaltes pugnat cum Milesiis.*

Hoc anno Joacimus tributum quod jam annis tribus pependerat, Babyloniis negat, fretus Ægyptiorum auxiliis, qui grandem conflare exercitum nuunciabantur: Itaque paratâ tributo solvendo pecuniâ, ad militem conscribendum uti maluit, frustrà reclamante Hieremiâ, & vanos Ægyptii Regis conatus ostentante. Sed apud impium Regem plus ficti Principis promissa, quam Dei minæ valuerunt.

OLYMP. XL. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3334. 134.

Vexatus est hoc anno ab excursoribus Babyloniis Judæa, ut Joacimus ad officium, & persolvenda vectigalia compelleretur, quod etiam suadebat Hieremias. Sed Rex neque præsenti damno, neque majoris expectatione ab insano consilio potuit revocari. *Vexatus Iudæa à Babyloniis.*

OLYMP. XL. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3435. 135.

Venit hoc anno in Syriam cum magnis copiis Nabuchodonosor, ex æquo Tyriis & Judæis infensus, sed illis longè magis quod potentiores essent, & multos populos aut vectigalibus, aut mercibus atterebant. Et verò plus eum belli Tyrii, quam Judaici pungebat cura, ut erat Tyri, quam Hierosolymorum difficilior expugnatio. Igitur urbem sanctam exercitu cinxit, sed ita obsedit, ut regem potiùs terrere velle quàm perdere videretur. *Nabuchodonosor venit in Syriam, Hierosolymam [...]det.*

OLYMP. XL. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3436. 136.

Hac fraude Joacimus delusus, Nabuchodonosorem, icto fœdere, in urbem amicè recipit. Sed statim datam principi fœdifrago fidem frangi posse credidit. Quin & eum interimit hominibus exosum & Deo, utpotè Dæmonis vile mancipium, ut post mortem in ejus corpore stigmata ostenderunt, quæ vocem magicam Chodanasar exhibebant. Statim in locum demortui parentis Joacimi suffectus est Joachinus, quem in subjectionis signum Babylonius Rex Iechoniam dixit. Sed post tres menses, & dies decem, mutato consilio, cum matre, & regni primariis una cum thesauris tam Dei, quàm Regis per suos duces abducendum Babylonem curavit. Constituto Rege Matthaniâ Jechoniæ patruo, quem Sedeciam vocavit & adegit Sacramento nihil se pro Ægyptiis aut Tyriis adversus Babylonios moliturum. Interim Tyrum obsedit, & annis tredecim per se ac suos duces oppugnatam tandem ad deditionem compulit, spoliis tanto labori, ac tempori respondentibus. *Nabuch[...] donos[...] Hieros[...] mis an[...] recipit [...] & Ioa[...] mum c[...] Subsi[...] tur ei [...] chinu[...] ctus I[...] nias. Mox I[...] Iecho[...] abdu[...] Baby[...] nem. [...] stitu[...] Sede[...] patri[...]*

Epidamnus eodem anno à Corcyræis condita scribitur inter Dalmatiam & Macedoniam, quibus *Epi[...] nus [...] dita[...]*

quibus à nonullis adjudicatur. Placuit multùm civitas hæc Romanis ob commodum ex Italiâ & Brundusio in Græciam transitum: sed mutarunt superstitiosè nomen in Dyrrachium, ne ut mali nominis Epidamnus, sic infausti ominis esset navigatio.

OLYMP. XL. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3437. 137.

Hieremias hoc anno scribit ad eos qui transmigrarant Babylonem, eosque monet ut hic quietè viverent, hic fore quàm in sua patriâ fortunatiores. Eadem iteravit anno insequenti; sed populum egit in transversum Semaias, cum aliis Pseudoprophetis, qui grata magis, quàm vera Judæis solebant denunciare.

OLYMP. XLI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3438. 138.

Hac Olympiade pueri primùm commissi sunt in cœstuum pugnâ, in quâ Philetas Sybarita victor denunciatus ostendit, nihil sibi cum patriæ deliciis commune fuisse.

Extinctus est hoc anno Ancus Martius, cum annis 24. regnum ex æquo sapienter & fortiter administrasset. Reliquit liberos duos, puerum unum, alium adolescentem, qui dum à paternis moribus degenerant, admisso teterrimo facinore, in exilium acti, non regno tantùm, sed & civitate Romanâ se indignos præbuerunt.

Denique hoc anno SUSANNA filia Helciæ, uxor Joachimi viri honestissimi & splendidissimi, à duobus senibus nequam, hujus anni apud Judæos Babylone judicibus, in horto suo deprehensa, & de stupro postulata, magnum pudicitiæ, & in Deum confidentiæ exemplar extitit. Nisi enim eorum petitioni succumberet imminebat certissima mors cum dedecore conjuncta: sed in castissimam fœminam plus Dei quàm mortis aut honoris sui cogitatio valuit. Itaque die insequenti accusata coram populo à duobus senibus adulterii cum adolescente commissi, cum viderentur esse testes omni exceptione majores, ad supplicium duci jubetur. Verùm à Daniele tùm puero tam accusatores, quàm rea, ac populus retracti sunt ad judicium; hiscente nemine cum id à Deo curaretur. Hic sedens pro tribunali puer judex, cum malitiosos senes separari jussisset, interrogavit eos seorsum sub quâ arbore flagitium admissum esset. Uno respondente, sub Prino, altero sub Schino, ambo falsi testimonii convicti, iisdem sunt obruti lapidibus, quos in mulierem sanctissimam, & innocentissimam compararant.

OLYMP. XLI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3439. 139.

Hoc anno Lydorum Rex 26. Alyates regnare cœpit, & Milesios atterere, bello magis importuno, quàm crudeli. Post annos quinque Dianæ Assesiæ templum deflagravit; quod dum reficere parat Alyattes, delusus à Thrasibulo, pacem cum diuturnis hostibus fecit, magis utilem Milesiis, quàm sibi gloriosam.

Hoc quoque anno Tarquinius (posteà dictus Priscus, ad discrimen Superbi) regnum sibi, dum Romam veniret ab Aquilâ, & uxore Tanaquilde prænunciatum, accepit. Is statim ducentis Senatoribus, alios centum addidit, qui Minorum gentium dicti, ut à Consilio, & prudentiâ regnum auspicaretur.

Hoc etiam anno, regni sui quarto Sedecias profectus est Babylonem, ut mitiorem nepoti suo custodiam impetraret, & reliquos Judæos consolaretur procul à patriâ amandatos. Interim Hieremias vaticinari pergens à Phassure Sacerdote, & Pseudo-prophetâ malè mulctatus in teterrimum carcerem conjectus est, & horis 24. in crudelissimâ machinâ religatus: nullos passus in causa Dei adversarios graviores, quàm qui erant Deo magis ex officio suo addicti, atque consecrati.

*Sedecias Babylonem pergit. Hieremias à Sacerdotibus malè multatur.*

OLYMP. XLI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3440. 140.

Latini mortuo Anco Martio dum se fœdere, atque metu solutos putant, agrum Romanum depopulantur. Sed statim Romæ mortuum non esse Regem agnoverunt, & Tarquinium in Martio nobiliùs superstitem.

*Latini rebelles victi à Tarquinio.*

Arion Lesbius ex urbe Methymnâ nobilissimus Citharœdus, probè munitus pecuniâ solverat ex Italiâ, portuque Tarentino, & Corinthum cogitans, se navicularis Corinthiis permiserat. Sed ab iis spoliatus pecuniâ, aut sibi violentas inferre manus, aut in mare desilire jussus est. Hoc ultimum elegit, rogavitque ut in quo soleret habitu pulsare Citharam, moreretur. Nec id negatum est ab hominibus avidissimis audiendi Citharistem totâ Græciâ, Italiaque famosissimum. Cum scitissimè pulsasset fides in mare prosiliit; sed illicò est exceptus à Delphino, à quo delatus est molliter ad Tænarum promontorium. Statim quo erat habitu Corinthum ad Periandrum venit, qui eum servavit, donec nautarum adventu, dictis faceret fidem. Illi Arionis, quem haustum fluctibus arbitrabantur, aspectu territi rem fassi sunt, & Arionem Diis acceptissimum, se parato homicidis, & perfidis supplicio dignissimos indicarunt.

*Arion Lesbius servatus à Delphino.*

Nobilitatus est & hic annus primâ visione Ezechielis, quâ nulla est in sacris Codicibus illustrior, nulla supremi Numinis majestatem hominibus aspectabilem meliùs repræsentat.

*Prima visio Ezechielis.*

---

## CAPUT V.

## *Decas Quinta.*

*Ab anno* 3440. *ad* 3450.

OLYMP. XLI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3441. 141.

TARQUINIUS hoc anno contra Sabinos movit, & cum iis acerrimè pugnavit neutram in partem inclinante victoriâ. Itaque ambo exercitus ad sua rediere, spe anno insequenti majoribus copiis redintegrandi prælii, quarum defectu uterque populus hoc anno se non vicisse querebatur.

*Tarquinius Sabinos aggreditur.*

OLYMP. XLII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3442. 142.

*Pythagoras & Pittacus Alcmæon Steſichorus florent.*

Statuitur hac Olympiade Pythagoras Samius & hoc anno, quem ait Plinius tum Luciferi naturam deprehendiſſe. Florebat tum quoque Pittacus Mitylenæus unus ex ſeptem ſapientibus Græciæ, tyrannus tamen, quæ vox Philoſopho malè convenit, ne dicam ſapienti. Alcmæon quoque Philoſophus Grotoniates, Pythagoræ auditor, qui primus de ratione naturæ ſcripſiſſe traditur. Denique Steſichorus Poëta, cujus in infantis ore Luſcinia ceciniſſe dicitur, ei ſuavitatem Lyrici carminis pollicita. Is cum ceciniſſet carmen adverſus Helenam oculos perdidiſſe creditur; cum ejus laudes decantaſſet, recepiſſe; Cui Poëtæ nunquam magis utilis fuit Palinodia.

*Tarquinius vincit Sabinos.*

Hoc anno Tarquinius Sabinos fortiter & callidè vicit, geminis exuit caſtris, atque ita profligavit, ut ad ſexennium inducias petere compulerit. Quæ pœna ſatis gravis viſa in populum, qui cum Romanis de dignitate contendebat.

OLYMP. XLII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3443. 143.

*Etruſci Romanos aggrediuntur.*

Etruſci irati Tarquinio, quod captivos ſuos à legatis repetitos non reddidiſſet, ſed eos obſidum retineret loco, ut eorum parentes, amicos, & affines in officio contineret, communibus civitatum auſpiciis bellum Romanis indixerunt. Et principio Fidenis per proditionem occupatis grande præſidium impoſuerunt: inde in Romanum agrum prædâ locupletes redierunt; belli lætioribus initiis quam fine.

*Deficiunt Judæi, & Sedecias à Babyloniis.*

Eadem fuit Sedeciæ, & Judæorum adverſus Chaldæos ratio: invitantibus enim pſeudo prophetis, & Ægypti Rege, defecerunt à Nabuchodonoſore, reclamante uno Hieremia, qui tum ὑπὸ τῶν πολλῶν audiebat; ſed quàm vera caneret paulò ſerius agnovere.

OLYMP. XLII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3444. 144.

*Anaximenes Sphæra inventor.*

Hoc anno natus eſt Anaximenes Mileſius Thaletis auditor, qui primus maris & terræ circulum deſcripſit, & Sphæram finxit; rudem illam quidem, & abſonam, ſed quæ Coſmographiæ rudimentum fuit.

*Dubio marte pugnat cum Etruſcis Tarquinius.*

Repugnavit hoc anno fortiter Etruſcis Tarquinius, & iis tam grandem oppoſuit exercitum, ut in duos dividi poſſet, unum reſervavit ſibi, alterum Egerio cognato tradidit; qui caſtris parùm commodo loco ſtatutis ad Fidenas oppreſſus eſt, populantibus ſuis antè conciſis. Felicior, ut cautior Tarquinius fuit, qui Veientes aggreſſus multa de iis ſpolia retulit, ſed quæ acceptam ab Egerio cladem non compenſarent.

*Circus Maximus ædificatur.*

Tum quoque inſtituiſſe putatur Tarquinius ludos maximos, ſeu Circenſes, Circo Maximo ex hoſtium manubiis inter montes Aventinum, & Palatinum exædificato, qui ex tenuibus initiis ad eam magnificentiam crevit cum urbis gloriâ, ut huic opus ſimile non videret orbis terrarum.

*Obſidetur Hieroſolyma à Chaldæis, ſed obſidio mox ſolvitur.*

In Judæâ obſidetur à Chaldæis Hieroſolyma, aliis urbibus primo impetu captis, direptiſque. Sed cum huic veniſſet auxilio Vaphree Rex Ægypti cum luculento exercitu, veriti ne iniquo loco pugnare cogerentur, ſolverunt obſidionem, & obviam Ægyptiis occurrerunt, utriſque certare avidè cupientibus acie commiſſum eſt certamen, ex quo ſuperior Babylonius abſceſſit.

*Vincitur Vaphrea à Chaldæis. Fugere conatur Hieremias, & datur in carcerem.*

Intereà metu ſoluti Judæi, ſervos & ancillas ex lege libertate donatas, in ſervitutem retraxere, quæ non ultima dominorum ſervitutis cauſa fuit. Tum quoque exire Hieroſolymis Hieremias conatus eſt, ſed agnitus, quaſi transfuga ad Chaldæos, in teterrimum carcerem conjectus eſt. Mox tamen evocatus à Rege molliorem locum impetravit, in veſtibulo carceris; unde ſolutus non eſt, niſi cum Rex catenas induit, & Judæi omnes libertatem amiſerunt.

OLYMP. XLII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3445. 145.

*Tarquinius pugnat in Veientes, alios Etruſcos.*

Hoc anno & ſequentibus fortiſſimè Tarquinius contra Veientes pugnavit, & eos toto triennio populatus eſt. Pugnavit quoque fœliciter ad Cere, olim à Græcis dictam Agyllinam. Denique Fidenas oppugnavit, deletis priùs Etruſcis, ad opem ferendam accurrentibus; captos præſidiarios conjecit in vincula, proditores virgis cæſos ſecuri ſubjecit, aut ejecit urbe. Quæ omnia non uno anno geſta ſunt, ſed huc ſimul conjicienda fuerunt, confusâ hoc loco Romanorum Hiſtoriâ.

*Obſidio iterum Hieroſolyma, & in ea fames.*

Obſidionem Hieroſolymorum renovarant ſub anni ſuperioris finem Chaldæi, nec comportata fuerant in urbem cibaria regione omni, non cultâ, vel populatâ. Statim ergo in urbe refertiſſimâ deſæviit fames, quæ Sedeciam compulit ut Hieremiam de belli exitu interrogaret. Reſpondet ille faciendam eſſe deditionem huic, populoque neceſſariam. Conqueritur Rex graviter de Prophetâ, quod infauſta ſemper occineret, nec intelligebat ſe intentatæ cladis præcipuum autorem eſſe. Interim jubetur à Deo Hieremias emere agrũ patruelis ſui in Anathot; quo facto, Deus populo poſt captivitatem reditum in patriam pollicebatur, nec perpetuam fore ſervitutem innuebat.

OLYMP. XLIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3446. 146.

*Pittacus Phrynonem vincit.*

Pittacus initio hujus Olympiadis cum Phrynone Athenienſium Duce ſingulari certamine congreſſus, clypeo occultavit rete, quo adverſarium ſic implicuit, ut hic Mirmillonis inſtar, ſapienti Retiario jugulum offerre cogeretur.

*Bias floret.*

Florebat & circa hæc tempora Bias Prienæus unus ex ſapientibus ſeptem, qui ex patriâ captâ, bonis omnibus amiſſis, fugiens nudus, nihil tamen perdidit, quia ſecum portabat omnia, & quæ ſibi eripi ab hoſte poſſent, ſua eſſe non duceret.

*Capitur Hieroſolyma, Sedecias capitur & excæcatur.*

Fames intereà tam atrox Hieroſolymis ſæviebat, ut neque ab humanis carnibus abſtineretur. Graſſabatur & peſtilentia conjunctum ſemper cum ciborum gravi inopiâ malum in frequen-

frequentissimâ civitate, quæ invaderet quoque primarios in urbe viros, suis divitiis à fame tutos. Cùm igitur etiam graviora ex carceris vestibulo Hieremias intentaret, à principibus Iudæorum ad necem postulatus, datus est à Rege, & illicò in lacum obscurum & cænosum fune demissus sine veste, aut veriùs ad certissimam necem atque crudelissimam. Verùm ejus misericordiâ motus Abdemelech Æthiops Eunuchus obtinuit à Rege ut indidem retraheretur; quod factum, ita curante & promittente Deo, homini misericordi saluti, fuit captâ civitate. Interea Chaldæi de statu urbis, & languore propugnatorum probè moniti, muros transcendunt, iisque per vim potiuntur. Inde per plateas & vicos armati discurrunt, & obvios sine discrimine trucidant. Illata passim fœminis & virginibus stupra, adolescentes præposterâ libidine subacti, quæ omnia fuerant distinctissimè à vatibus prænunciata. Inter hæc fugit cum paucis per occultam portam Sedecias, & versus Iordanem carpit iter, sed ab equitibus Babyloniis interceptus, deductus est Reblatha, ubi Nabuchodonosor exitum utriusque obsidionis opperiebatur. Hanc quidam Antiochiam volunt; alii aliam urbem in terrâ Emath. Hic magno exceptus est convicio Sedecias, liberi ejus in conspectu patris necati, tum ei sunt eruti oculi ut tot miserias sanguine lugeret. Addunt & conjectum in caveam instar feræ, quod benefactoris sui oblitus belluam se, non hominem, præstitisset. Is nobilissimi regni exitus fuit, & quod annis 485. steterat, exemplo certissimo, quo loco magna imperia, & acceptissima Deo nonnumquam stare soleant.

OLYMP. XLIII. *ann.* 2. | *Mundi* 3447. | Urb. Cond. 147.

Tyrus hoc anno capta à nonnullis scribitur, post obsidionem diuturnam: quomodo autem venerit in Chaldæorum manus, incertum est, utraque tacente Historiâ propnanâ, atque sacrâ. Quidam deditione captam volunt ita volentibus oppugnatoribus, & propugnatoribus, quos tantæ tædebat moræ.

Intereà mittitur à Nabuchodonosore Princeps militiæ Nabuzardam qui Iudæos omnes superstites alicujus conditionis, autartis sepone ret in servitutem abducendos, urbem inflammaret, & Templum cum annis 424. stetisset, divitiis priùs utriusque collectis, & in Babyloniam deferendis. Inventus captâ civitate in vestibulo carceris Hieremias honorificè deinceps habitus est à Chaldæis, quasi vir acceptissimus Deo, & quò vellet liber abire permissus. Hac ille usus occasione Arcam, & Tabernaculum, & aliqua instrumenta religionis abscondit, usui quondam futurâ, Judæis è captivitate redituris. Quidam tunc temporis codices sacros omnes flammis absumptos volunt, atque ab Esdrâ, qui eos memoriter tenebat posteà reparatos; quod probabiliùs negatur ab aliis, licet utraque sententia SS. Patres autores habeat. Remansit tum Hieremias in Iudæâ Threnis suis occinendis intentus, cum Godoliâ quem Babylonii relictis inopibus præfecere. Ad eum confugere quoque Iudæi degentes in vicinis locis, atque fugitivi in Maspha, & fructus terræ satis uberes collegere. Sed nondum malorum finis. Ismaël enim de regio sanguine cum Ammonitarum Rege consilio communicato novum Principem perdere parat, neque de his insidiis monitus Godolias prævenit parricidam: Immò cum eum legatis decem missis ab Ammonitarum Rege splendidè recepit. Sed ab iis contra jus hospitii in convivio jugulatus est. Interfecti item ejus aliquot amici, qui cædis ejus ignari ad eum ventitabant. Reliquum item populum, in servitutem Ammoniticam Ismaël abducere moliebatur; sed impediit Iohanam filius Caree, qui assumptis aliquot viris militaribus, ei prædam excussit, & vacuum ad Ammonitas fugere compulit. Exinde ergo Iohanam Dux populi electus, qui miseras reliquias in Ægyptum abducere meditabatur, veritus Chaldæos ob Godoliæ necem: tergiversantibus quibusdam consultus est Deus, qui respondit per Hieremiam iis in Iudæâ consistendum, sed tum quoque non est creditus vates sacer, quia sic audientium peccata postulabant.

*Godolias præfectus Iudæis remanentibus, interimitur.*

*Iudæi fugiunt in Ægyptum.*

OLYMP. XLIII. *ann.* 3. | *Mundi* 3448. | Urb. Cond. 148.

Scythæ jam ab annis 28. imperitabant Asiæ, & imperitabant ut Barbari, Scythæque subditis solent. Cyaxares eorum primarios invitatos ad cænam inter vinum & pocula sustulit. Idem quoque variis locis factum; Scythæ de dominis servi facti vicem paulò post Cyaxari reposuerunt.

*Cyaxares jugum Scytharum excutit.*

Intereà trahebatur in Ægyptum, & urbem Regiam Taphnem invitus Hieremias, & ibidem commorari cogebatur: populum itaque invitat ad pœnitentiam, & retrahit ab idolorum cultu. In quem & naturâ suâ, & Ægyptiorum exemplo ferebatur. Sed cum iis importunus monitor videretur, in eum insurgunt, & cælestes intentantem minas lapidibus obruunt. Verùm quàm is gratus esset Deo edita post mortem miracula declararunt: nam ad ejus sepulchrum accedentes, quos aspides pupugerant eraso ex ejus tumulo pulvere statim sanabantur. Sepultus est autem in Palatio Pharaonis, ut homini sanctissimo Princeps prophanus loco cedere videretur. Ejus posteà reliquiæ Alexandri Magni jussu Alexandriam delatæ circumpositam regionem aspidibus purgarunt, quod accepisse se ab Antigoni, & Ptolemæi successoribus profitetur S. Epiphanius. Unde refutatur Victorinus Afer, qui Hieremiam mortuum negat, & ad Antichristi tempora reservandum, meritò refutatus à S. Hilario, cui & reliqui Scripturæ interpretes accinunt. Is finis sanctissimi Prophetæ fuit, in vitâ suâ, morte, tumuli gloriâ, Christum repræsentantis.

*Abducitur in Ægyptum Hieremias ubi lapidibus obruitur.*

*Sepulchrum ejus gloriosum.*

OLYMP. XLIII. *ann.* 4. | *Mundi* 3449. | Urb. Cond. 149.

Fugit ex Ægypto ad Chaldæos Baruch & per Iudæam transit, ubi & in Ioakimum Sacerdotem

*Fugit Baruch*

*ad Chaldæos. Mors Sedeciæ.*

tem incidit, à quo Dei cultus in Judæâ, utcumque reparatus erat. Obiit & eodem anno Babylone captivus Sedecias, de cujus mortis causâ malè olentes & fœtidas Rabbinorum fabulas prætermitto. Mortuus est ut creditur ex mœrore; quando & Nabuchodonosor Hebræum Pontificem vinculis exemit, sed vasa Hierosolymitana Diis suis consecravit, conjunctо cum aliquâ pietate magno sacrilegio.

OLYMP. XLIV. *ann.* 1. *Mundi* 3450. Urb. Cond. 150.

*Victi Etrusci à Tarquinio qui & de iis triumphavit.*

Deleti sunt hoc anno ad Eretum oppidum agri Sabini Etrusci, qui tum sperabant sibi Sabinos auxiliatores fore exactо jam induciarum sexennio. Sed hi nimis utile fœdus agnoverant, bellum in Romanos nimis perniciosum. Etrusci nihilominùs alacriter prælium commisere, in quo tantâ clade affecti sunt à Tarquinio, ut eam triumpho dignam Patres judicarent. Inde pacem per legatos postulant; conceditur modò se subditos, Principem Tarquinium agnoscant. Nec mora, ad eum deferuntur omnia Principatus insignia duodecim civitatum, corona, sceptrum cum Aquilâ, Sella Eburnea, purpurea tunica auro intertexta, cum purpureo amiculo. Addunt & aliqui Lictores XII. cum fascibus, atque securibus. Quæ à Tarquinio recepta, consentiente Senatu populoque Romano, ad Reip. Principes deinceps transiere pari concedentium, & accipientium commodo, atque gloriâ.

*Ægyptus à Chaldæis devicta, unde abducti Iudæi.*

Victi hoc anno à Nabuchodonosore Ægyptii, & toti regno illata vastitas, jampridem à Sanctis vatibus prænunciata, urbibus omnibus, templisque disjectis, aut desolatis. Hic inventæ Iudæorum reliquiæ vel trucidatæ sunt, vel in servitutem abductæ. Tum quoque victos Æthiopas à Chaldæis nonnulli autumant. Id certiùs victos à Nabuchodonosore Idumæos, Moabitas, Ammonitas, Arabes, Agarenos, uno verbo Syriam universam. Quibus rebus gloriosè confectis Babylonem triumphans rediit. In eâ urbe Iudæi à Barucho admoniti jejuniis, orationibus, eleemosynis vacarunt, & in discipulo Hieremiam magistrum, quem veridicum nimis experti fuerant, paulò tardiùs honorarunt.

## CAPUT VI.

### Decas Sexta.

*Ab anno* 3450. *ad* 3460.

OLYMP. XLIV. *ann.* 2. *Mundi* 3451. Urb. Cond. 151.

*Causa belli inter Cyaxarem, & Alyattem crudelitas Scytarum.*

CYAXARES utebatur Scythis ut pueros Medos edocerent artem jaculandi, atque venandi. Sed cum naturâ is peracerbus esset, redeuntes sæpe Scythas sine prædâ gravius increpabat, quàm ab iis susceptus postulabat labor. Cum igitur aliquando totâ die nulla eis fera occurrisset, unum ex Medis pueris interimunt, ejusque frusta instar ferinæ offerunt Regi, quæ sibi apponi in mensâ, atque suis proceribus jussit. Intereà Scythæ ad Alyattem Lydorum Regem supplices confugiunt. Eos repetenti Medo negavit Lydus jus hospitii causatus, quod atrocissimum hinc pietas, inde crimen reddidit.

*Sabini victi à Tarqui...*

Sabini jussi reddere Etruscos incentores belli, armati respondere. Committitur prælium, quo non tantùm victi Sabini, sed & castris exuti multos è suis desiderarunt. Hoc in certamine intellexit Tarquinius quàm sibi fuisset utilis equitatus; unde facilè vocem, quæ irrepsit apud Livium, emendabis.

*Deesse, pro, pre... desse.*

*Nabucho... donoso... victoria... ob quas dictus Magn...*

Nabuchodonosor hoc item anno versus Orientem, & Septentrionem duxit exercitum, ubi Susianos, Persas, Medos oppressit, omnesque Provincias istas fulminis instar percurrit. Tum quoque Niniven obsessam cepit, sicque Prophetarum vaticinia contra superbam urbem atque locupletem totius orbis spoliis, impleta esse sacri Interpretes volunt. His victoriis nomen sibi magni confecit Nabuchodonosor, & se totius orbis dixit Imperatorem, quod nemini unquam concessum est, nisi ab adulatoribus.

OLYMP. XLIV. *ann.* 3. *Mundi* 3452. Urb. Cond. 152.

*Primus annus... porii Na... buchod... nosoris.*

Is est ergo primus annus imperii Nabuchodonosoris, atque hinc ejus anni apud Danielem decurrunt quando Rex superbiâ tumens aliquid sibi esse visus est, & aulicorum assentationibus corruptus se Deum esse suspicatus est, ideo paulò post infra omnes homines amandandus.

*Sabini iterum cere... pu...*

Sabini hoc anno vicem reponere Tarquinio voluerunt, usi novo duce novoque exercitu. Sed is sub initium expeditionis prudentior visus, sub finem infelicissimus extitit. Cum enim in tumulo castro locasset; non faciebat copiam pugnandi Tarquinio; sed tandem cibariorum pressus inopiâ, nocte subobscurâ, reliquit castra, eaque Romanis diripienda reliquit, cum ea adversus omnia, præterquam contra famem munivisset.

OLYMP. XLIV. *ann.* 4. *Mundi* 3453. Urb. Cond. 153.

*Vidit Nabuc... donoso... somni... statua...*

Altero Imperii sui anno vidit Nabuchodonosor in somnis mirabilem statuam, cujus caput ex auro, brachia & pectus ex argento, venter & femora ex ære, tibiæ ferreæ, pedes ex luto, ferroque malè temperati, & coagmentati. In eam porrò statuam irruit, sine manibus hominum, defectus ex vicino lapis, qui in statuæ pedes incidens, eam sic contrivit universam, ut in cinerem vento dissipandum comminuerit. Is postea lapis in montem excrescens amplitudine suâ implevit totum orbem terrarum. Cùm aliis Chaldæis hæreret aqua, Daniel dictus aliter Baltazar ea omnia de Imperiis Babylonio, Persico, Græco, Romano, ac denique de Christo enarravit, ideoque præpositus est omnibus Chaldæis, & Sapientibus: cæro abstinentiæ suæ præmio, ut qui corpus prophanis escis reficere recusasset cum sociis apud Principem Eunuchorum, is divino Sapientiæ reficeretur cibo, & quæ eum supra magistros suos eveheret.

*Dani... visio... solus posui...*

O-

OLYMP. XLV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3454. 154.

Hoc tempore Camarina civitas in Sicilia condita eſt, juxtà Paludem cognominem, quàm commovere vetiti indigenæ, cum oraculo non paruiſſent, ſe ſuamque urbem perdidere.

Contigit & hoc anno Cylonium piaculum, quando Cylon cum fratre, fretus copiis ſoceri ſui MegarenſiumTyranni, aut occupavit Arcem Athenienſem, aut occupare voluit. Statim enim obſeſſus eſt à magiſtratu: tandemque deficiente commeatu, cum ille profugiſſet cum fratre, reliqui ad Aram Palladis confugere, unde exire juſſi propoſitâ veniâ, nihilominus interfecti ſunt omnes. Quare magiſtratus illi cum ſuis poſteris pro impiis habiti, non ſemel urbe depulſi, diuturnas ſacrilegii pœnas exſolvere.

OLYMP. XLV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3455. 155.

Vivebat hac Olympiade Sappho Lesbia, mulier ſuis verſibus, & amoribus celebrata, à quâ dictum carmen Sapphicum. Certè qui hanc decimam Muſarum dixit, non ſatis caſtas fuiſſe Muſas arbitratu eſt.

Huic σύγχρονος, & popularis Alcæus fuit, Poëta quoque Lyricus, magnificus, brevis, & multùm de Homero referens, huicque fortè ſuperior, ſi animum Epicis admoviſſet.

OLYMP. XLV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3456. 156.

Erupit hoc anno Nabuchodonoſoris ſuperbia, quando ſibi grandem conſtituit ſtatuam 70. cubitorum Babylonicorum, hoc eſt Coloſſo deinceps Rhodio parem. Hæc ex lignis coagmentata craſſiſque laminis aureis obducta, ſtabat in campo, eamque juſſi erant præfecti omnes audito muſicæ concentu adorare, qui facere renuerent, eos manebat certiſſimum ardentiſſimæ fornacis incendium. Huic juſſioni cum non paruiſſent ſocii Danielis Sidrac, Miſac, & Abdenago, & adducti ad Regem id præſtare recuſaſſent, vincti miſſi ſunt in fornacem: Quæ tamen projicientes abſumpſit, quia imperante Rege ſeptuplum quàm ſolebat magis erat accenſa. Projectos verò pueros molliter excepit flamma, exuſſit tantùm vincula, ut ambularent in fornace cum Angelo, qui eos ab incendio præſtabat incolumes. Vidit Rex miraculum & obſtupuit, ac blandè ad ſe evocatos ex operum præfectis, voluit eſſe præfectos provinciarum. Eorum item Deum ſaltem verbo, externoque cultu veneratus eſt. Certè vetuit eum à ſuis ullo convicio verberari; quod decretum ſapiebat adhuc Regem tumentem faſtu, neque hoc portento ad ſanam mentem, penitus revocatum.

OLYMP. XLV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3457. 157.

Epimenides Cretenſis Epicus cum puer paſceret parentis gregem in antro annis 77. dormivit, & toto hoc tempore ſapientiam didicit. Is laborantibus Athenis peſte, purgavit urbem, ovibus albis & nigris in Areopago cæſis; oblatamque ob id pecuniam reſpuit, ne ad nundinas, non ad ſacrificium acceſſiſſe videretur.

Hoc item anno Medis Lydiſque acerrimè pugnantibus contigit Eccliplis Solis quam ante prædixerat Thales Mileſius. Hanc tamen defectionem alii referunt ad quartum annum Olympiadis 48. Utut ſit de tempore. Repentinâ hac nocte perterriti exercitus ambo pacem inierunt, rati ſolem non videre libenter armatos homines in perniciem ſuam accenſos, cum ipſe lucis & vitæ pater habeatur. *Ecclipſis Solis Medos & Lydos pugnantes ſeparavit.*

OLYMP. XLVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3458. 158.

Pugna decretoria hoc anno Sabinos inter & Romanos commiſſa eſt, majoribus utrimque quàm anteà copiis. Certatum à mane ad veſperam, tandem victoriâ à Romanis ſtetit quæ tanti facta eſt ut tertius de Sabinis triumphus Tarquinio decerneretur. Is poſt prælium in concione filium, aut nepotem ſuum veriùs, qui ſeſe fortiter, & ſupra puerum geſſerat, annorum quatuordecim publice laudavit, eumque aurea Bullâ, prætextaque purpureâ donavit, quæ deinceps ingenuorum puerorum ornamenta fuerunt. Domiti hac extremâ clade Sabini, arbitrio ſe Tarquinii permiſerunt, idque tantâ animi demiſſione præſtiterunt, ut digni habiti ſint qui pacem iiſdem cum Etruſco conditionibus obtinerent. *Tarquinius de Sabinis triumphat* *Bulla, & prætexta puerorum Romanor.*

OLYMP. XLVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3459. 159.

Hoc anno apud Medos regnare cœpit Aſtyages, Darii Medi (quem Xenophon Cyaxarem vocat) non naturâ, ſed adoptione pater. Porrò Aſtyages filiam habebat unicam Mandanem dictam, quam Cambyſi Perſæ mediocris fortunæ viro dederat in uxorem. ob varia ſomnia urinæ, & vitis, quibus perterritus erat. Hæc cum peperiſſet filium, Rex eum Harpago ſibi fidiſſimo exponendum commiſit, hic Mitridati Regio bubulco, cujus uxor eodem die infantem mortuum enixa erat. Rogat mulier maritum, ut hunc expoſititium pro ſuo alere queat, & id obtinet à marito. Is fuit Cyrus qui inter paſtores enutritus, poſt annos decem, per ludum à ſociis Rex creatus, nobilis Perſæ filium ſibi contumacem virgis cædi juſſit. Re ad Aſtyagem delatâ, venit ſtatim in ſuſpicionem hunc puerum nepotem ſuum eſſe, & id Harpagi, & Mitridatis confeſſio arguunt. Itaque furore percitus Harpago filium ſuum epulandum appoſuit, eodem tenore interfecturus Cyrum, niſi à ſuis Magis impeditus eſſet, qui negarunt quidquam ab eo timendum eſſe, qui jam Rex à ſuis ſociis electus eſſet, ſicque ejus auſpicium de regiâ dignitate evanuiſſe. Ita ſe natales habent hujus hominis, quem Ethnicum licet, Deus per Eſajam longè anteà vocarat ſuum, eoque uſus eſt, ut populum acceptiſſimum ſibi, jam caſtigatum, ex Babyloniorum vinculis eriperet. *Regnat apud Medos. Aſtyages* *Naſcitur Cyrus.*

*Naſcitur Salathiel.* Hoc quoque anno Babylone natus eſt ex Joachimo captivo Rege Salathiel Zorobabelis pater, cui magnam gloriam peperit filius, & nepos Chriſtus omni æſtimatione majorem.

*Tarquinius munit, & exornat urbem.* Hoc quoque anno Tarquinius pace ubique compoſitâ, urbi adornandæ, atque muniendæ navavit operam. Nam eam muro ex grandi lapide præcinxit, quod opus bello Sabino fuerat interruptum. Addidit cloacas, quibus ſordes cum aquis in Tiberim devolverentur, tantâ magnificentia, ut cum poſt plures annos aquæ non deflu erent, cenſores mille talentis eas purgandas locarint.

OLYMP. XLVI. ann. 3. | *Mundi* 3460. | Urb. Cond. 160.

*Viſio Ezechielis de Templo Salomonico.* Hoc anno Templum Salomonicum à Chaldæis incenſum adeò graphicè repræſentatum vidit Ezechiel, ut numquam ex hominum memoria, mundi pulcherrimum opus extermineur.

*Solon leges ſcribit Athenienſibus.* Vivebat hoc tempore Solon, & hoc anno ſcribebat leges Athenienſibus, cum priùs Σεισάχθεια & novas tabulas induxiſſet, & tenuiorum provideret inopiæ. Addidit & tum quaſi Senatum duplicem, unum Areopagum legum, juriſque cuſtodem, & alterum ex quatuor tribubus conflatum, qui populum regeret, neque hunc omnia ſuſcipere temere pateretur. Quæ ſanctiſſimè inſtituta in deterrimam Reip. formam, hoc eſt, Democratiam degenerarunt.

---

## CAP. VII.

## *Decas Septima.*

### *Ab anno* 3460. *ad* 3470.

OLYMP. XLVI. ann. 4. | *Mundi* 3461. | Urb. Cond. 161.

*Ægyptus iterum ſubjecta à Chaldæis.* TURBARUM aliquid exortum hoc anno in Ægypto, eò Nabuchodonoſorem accivit, ut eam omninò faceret ſuam. Quod & ei conceſſum à Deo, quoniam ejus negotiis allaborarat. Ita impii dum aliquid conferunt ad Dei cauſam ſuâ mercede non carent, ſed quæ ut ſervis ad tempus, non ut filiis in æternum proſit.

*Ezechiel cæditur.* Eodem anno in Chaldæâ Ezechiel interfectus eſt à judice populi quem idololatriæ arguebat, ſepultuſque in ſepulchro Sem & Arphaxad, ut habent Romani Martyrologii tabulæ. Autor operis imperfecti ait eum ſuper lapides excerebratum eſſe. Omittimus hic porrò vana de eo Rabbinorum miracula; quia non indiget hominum otioſorum figmentis, cujus ore loqui toties Deus voluit, quod eſt omni miraculo mirabilius.

OLYMP. XLVII. ann. 1. | *Mundi* 3462. | Urb. Cond. 162.

*Anacharſis venit Athenas.* Anacharſis hoc anno Athenas venit ex Scythiâ, maximè ut Græciæ ſapientes videret. Hic Solonem riſiſſe dicitur ferentem leges Athenienſibus, quas Aranearum telis comparabat à veſpis, & majoribus muſcis perfringendas, dum iis minutæ implicarentur. Sed ſapienter reſpondit Solon, ſe leges dare quas ſervari intereſſet tam divitum quam pauperum, tam tenuiorum, quàm potentiorum. Utinam tam verè, quàm magnificè locutus eſſet.

OLYMP. XLVII. ann. 2. | *Mundi* 3463. | Urb. Cond. 163.

Vidit hoc anno Nabuchodonoſor mirabilem arborem, cujus in ramis volucres luderent, ad truncum habitarent feræ, ejus fructibus omnes veſcerentur. Tum exclamatum, ut arbor illa ſuccideretur, alligaretur vinculo ferreo, atque æreo, non tamen ſiccaretur ejus germen, & annis ſeptem pluviis & rore cœli perfunderetur. Id ſomnium explicare juſſus Daniel, turbatus & tremens prænunciavit has in regem minas cadere, itaque peccata ſua eleemoſynis redimeret, ut eas à ſuo capite amoliretur. S. Hieronymus ſcribit regem acquieviſſe conſilio Danielis, ideoque dilatam pœnam ad 12. menſes, & donec novo ſuperbiæ ſcelere intumuiſſet. Contra Theodoretus in ſuo faſtu perſeveraſſe putat, & unum datum ei annum ad pœnitentiam, exemplo utrimque certiſſimo divinæ æquitatis, & miſericordiæ.

OLYMP. XLVII. ann. 3. | *Mundi* 3464. | Urb. Cond. 164.

Cum Babylone deambularet Nabuchodonoſor, quam magnificentiſſimis exornarat ædificiis, muris & turribus etiam ad elegantiam munierat, Hortis penſilibus, & Xyſtis decorarat, convectis in eam Orientis, & Occidentis divitiis, de hac urbe gloriatus, opus manuum ſuarum eſſe dixit, Dei cujus ope tanta præſtiterat prorſus oblitus, cùm voce divinâ increpitus eſt, & in eum de cœlo prolata ſententia, quam ſtatim à Deo eſſe oſtendit eventus. Turbata eſt enim ejus phantaſia, adeò ut ſe belluam putare: Capilli quoque & pili toto corpore excreverunt, cum unguibus, ut aſpectu quoque non malè referret beſtiam. Abſit enim ut cum Origene hæc ad Dæmonem referamus metaphoricè, ne cum eo ſacros codices corrumpere videamur. Et primùm cum immaniter fureret, à ſuis ligatus eſt & claturis incluſus; ſed iis omnibus tandem abruptis fugit in ſylvas, ubi ferarum more herbis, & radicibus vixit. A reliquis tamen beſtiis defendebatur divinitùs, ne ab iis laceraretur, atque voraretur, quia tantùm erat juſtitiæ divinæ ferculum, in quo poſtea Dei miſericordia nobiliùs eluceret.

OLYMP. XLVII. ann. 4. | *Mundi* 3465. | Urb. Cond. 165.

Condita creditur hoc anno à nonnullis à Phocæenſibus Ionicis Maſſilia civitas, non à Phocenſibus Achaicis. De cujus tempore diſceptatur inter ſcriptores, & ferè ad Perſarum tempora differri ſolet. Dicendum igitur coloniam hanc non ſemel ductam fuiſſe, ſed adeò nobilem atque claram, ut iterùm & tertiùm condita dici poſſe mereatur.

O-

OLYMP. XLVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3466. 166.

Hac Olympiade in Pythicis ludis Amphictyones certamina canthus ad citharam, uti pridem, instituerunt: cantus item ad tibiam, & tibias sine cantu solas.

Hac idem Olympiade purpuratur & egregiè comptus Pythagoræus quidam ob corporis elegantiorem cultum irrisus à pueris, Palæstriam professus, eorum convicium egregiè refutavit, reliquis athletis factus robore, & industriâ superior.

OLYMP. XLVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* { 2. 3467. 167.
3. 3468. 168.

His annis historia prophana silet, sicut & sacra. Ex eâ tantùm colligitur Nabuchodonosorem vitam belluinam peregisse, dum fortè ejus filius Evilmerodachus imperium ad tempus administrandum suscepit, ei restituendum, quando sanæ menti, atque valetudini redderetur.

OLYMP. XLVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3469. 169.

Periander Corinthi Tyrannus hoc anno demùm vivere, & regnare desiit, sed eo mortis genere obiit quod non Tyrannum, sed Sapientem deceret.

OLYMP. XLIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3470. 170.

Restitutus est hoc anno Nabuchodonosor sanitati, atque regno. Cum enim tum oculos extulisset in cœlum atque inde sperasset auxilium, redditus ei divinitùs rationis usus, sublataque cerebri, humorumque perturbatio. Grates ille statim habuit Deo; qui etiam perfecit ut statim reciperetur à suis, eodemque die & sibi atque regno cum omnium plausu redderetur.

---

## CAP. VIII.

## *Decas Octava.*

### *Ab anno* 3470. *ad* 3480.

OLYMP. XLIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3471. 171.

CUm publicum edidisset monumentum Nabuchodonosor, sublatæ sibi à Deo, atque redditæ rationis, non diu posteà superstes fuit. Sed paulò antequam moreretur vaticinatus est de Cyro Babylonis eversore, quem semi-asinum appellavit, uti ex Megasthene refert Abydenus apud Eusebium. Salvum autem esse eum regem scribunt Tertullianus, Ambrosius, Augustinus, Theodoretus aliique SS. Patres, quibus assentiri malumus, quàm aliquot Theologis qui damnationem ejus ex suo sensu, atque ratione potiùs, quàm ex tantorum hominum authoritate metiri maluerunt.

OLYMP. XLIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3472. 172.

Evilmerodachus Nabuchodonosoris filius suscepit imperium, cui alii filium Baltzarem, alii fratrem assignant sed primogenitum, & ante parentem mortuum. Alii unum & eundem putant Baltazarem, & Evilmerodachum, sed scripturæ accomodatior est sententia, quæ Evilmerodachum filium Nabuchodonosoris assignat, Baltazarem ejus nepotem putat. Statim ergo atque potitus regno Evilmerodachus Jechoniam seu Joachinum carcere solvit, & quoad vixit ut Regem habuit, perpetuum etiam mensæ suæ convictorem. Unde autem hæc amicitia intercesserit, & an in carcere nata sit, in quem cum Jechoniâ Evilmerodachus conjectus fuerat à patre, statuere non audemus, licet id aliqui scribant, quoniam hujus carceris causam satis legitimam non assignant. *Patri, & solvit Iechoniam.*

OLYMP. XLIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3473. 173.

Neque tantùm charus fuit Evilmerodacho Jechonias, sed & Daniël Prophetes, factus Regis conviva propter denunciatam ejus parenti Dei vindictam finitam septennio. Cùm igitur adiisset aliquando Daniël cum Rege Beli templum Babylone structum magnificè, monitus est à principe, ut hunc Deum coleret. Negavit Daniel sibi licitum esse venerari Deum demortuum. At vivit, inquit Rex, immò comedit & bibit, & plusquam 20. homines solent. Sternebatur enim huic quotidie sub vesperam grandis mensa exquisitis & plurimis referta cibis, qui sequenti die disparebant. Ego verò, inquit Daniel, ostendam tibi mensæ hujus Helluones, & tui, Beli parasitos. Ejectis omnibus præter Regem, & sibi fidissimos homines cinerem allatum cribravit per totum templum, idque claudi jussit, & sigillo Regis communiri. At sequenti die amoto sigillo, nulli quidem apparuerunt cibi, sed vestigia virorum, mulierum, puerorum, qui per templum discurrerant. Sacerdotes itaque in quæstionem dati ostenderunt occultum ostiolum post altare, quo ingrediebantur templum, & totâ nocte Regis sumptibus pergræcabantur. Quare neci traditi, cum uxoribus & liberis populo, Regique illudere desierunt. Sed præterea mortui hujus Dei destructum templum, & statua comminuta, quòd hæc crimina neque vidisset neque puniisset. *Daniel Prophetes ostendit Belum non edere.*

Colebatur quoque in eadem urbe Draco terribilis; cùm eum Deum saltem vivere rex contenderet, offam ei Daniel ex adipe pilisque confectam obtulit, quam cùm vorasset, diu se contorquens, tandem strangulatus, neque se vitæ neque mortis arbitrum ostendit. Hæc cum accepissent Babylonii conspiratione in ipsum Regem factâ ei interminantur incendium, nisi sibi Danielem deorum suorum hostem dedat; ut in leonum lacum injiceretur, ibique discerperetur. Cùm nulla occurreret Regi via expediendæ salutis suæ, Danielem populo dedidit; qui statim in lacum leonum conjectus est, cum subtracta eis essent priùs alimenta, quò celerius Propheta voraretur. Sed leonum ora atque famem Deus per Angelum suum compressit, & ut res esset illustrior atque testatior, ei suffecit per alium Prophetam cibos. Nam cùm Habacuc in Judæam messoribus suis prandium ferret, ab Angelo *Draconem etiam Daniel interficit.* *Leonibus Daniel objicitur, & servatur.*

gelo crine abreptus, & Babylonem celerrimè translatus Danielem refecit. Septimo demùm post die Rex adfuit, ut saltem amico suo lacrymas daret; sed cum eum præter spem vivum & incolumem reperisset, & Danielis laudavit Deum, & conjurationis authores in eandem foveam mitti jussit illicò à feris devorandos. Ita Deus Danielem exemit morte, Regem tristitiâ: qui conspirarant in Deum & principem in foveam, quam pararant vati sanctissimo, justissimè deciderunt.

OLYMP. L. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3474. 174.

*Sapientes Græciæ septem.* Florebant hac maximè Olympiade in Græciâ sapientes, Thales Milesius, Solon Salaminius, aut Atheniensis, Chilon Lacedæmonius Pittacus Mitylenæus, Bias Prienæus, Cleobulus Lindius & Periander Corinthius omnes inter se magno necessitudinis vinculo copulati. Eorum autem auxit nomen moderatio, quæ maximè enituit in Tripode à piscatoribus invento, quem sibi invicem ut sapientiori remiserunt, & ut finis mittendi fieret, consecratus est demum Apollini Ismenio; quia non homini, sed Deo sapientiæ omnis authori debebatur.

OLYMP. L. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3475. 175.

*Moritur Iechonias* Moritur hoc anno Jechonias ætatis suæ undesexagesimo, expertus utramque fortunam, sed infelicitate suâ, quàm restitutione longè celebratior.

*Esdras quidam Prophetes.* Vivebat & ejus tempore Esdras quidam Prophetes vir bonus, & quem de suorum populari um captivitate queritantem Deus per Angelum consolatus est, quamvis non satis sapienter, & demissè de Deo queri videretur.

OLYMP. L. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3476. 176.

*Cæditur à filiis Anci Tarquinius.* Tarquinius priscus anno ætatis suæ octogesimo, regni 38. Capitolii fabricam moliebatur, cum filii Anci Martii expectantes avidiùs regnum, in eum duos sicarios immiserunt, qui habitu pastorali cum falcibus lignariis, mutuis se conviciis coram rege proscinderunt. Horum rixam componere dum moliretur Tarquinius, eum suis falcibus in capite graviter vulnerarunt. Capti & in quæstionem dati, autores cædis hujus appellarunt, qui in exilium acti sunt, percussores ipsi digno tanto scelere supplicio mulctati sunt. Is exitus Tarquinii fuit viri pace belloque boni, sed quem alius cognominis, meliorem in animis Romanorum reddidit, & optabiliorem.

OLYMP. L. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3477. 177.

*Tarquinio succedit Servius Tullus gener.* Tarquinio successit ejus gener Servius Tullus. Is ortus erat ex Ocrisiâ nobili fœminâ, quæ capta in urbe Corniculo fuerat, & extra sortem Tarquinio data, in cujus domo verna natus puer à patre dictus est Tullus, à conditione Servius. Livius tamen vult utrumque nomen à patre traxisse, nec unquam matrem ejus serviisse. Huic puero dormienti visum ardere caput, magnæ fortunæ prænuncium fuit; quare cum ad ejus optimam indolem nobilis accessisset institutio, tam egregia præstitit, ut Tarquinium Socerum habere mereretur. Porrò Tanaquil uxor Tarquinii à Rom. dicta Caja Cecilia eum promovit ad regnum, ut dos ejus liberos Aruntem & Lucium, totamque familiam præstaret incolumes. Utinam quo fuit in Tarquinios animo Servius, Tarquinii in Servium extitissent.

OLYMP. LI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3478. 178.

*Ago Nemæus.* Agon Nemæus primùm hoc anno ab Argivis editus, olim in honorem Archemori infantis occisi à serpente, deinde Herculis, quòd leonem regionis hujus perniciem sustulisset. In hoc Agone armatorum cursus non minùs roboris, quàm velocitatis exigebat.

*Bellum Etruscum repar.* Bellum Etruscum hoc quoque anno inchoatum 20. annos tenuit. Hujus authores fuerunt Vejentes, quos secuti Cæretani & Tarquinienses reliquos in belli communionem traxerunt. Negarunt sibi aliquid esse cum Servio vili homine commercii, principatum in Etruscos morte Tarquinii popularis sui extinctum esse. Hoc bellum tam atrox, quàm diuturnum fuit, tribus triumphis illustre, tandem in inchoantium perniciem, ac servitutem recidit.

OLYMP. LI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. & 3. 3479. 179.
3480. 180.

Nihil habent his Annalibus dignum.

---

## CAPUT IX.

### *Decas Nona.*

*Ab anno* 3480. *ad* 3490.

OLYMP. LI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3481. 181.

*Servius Etruscis triumph.* Etrusci mitiùs habiti à Romanis, contra victores iterum concitarunt bellum, ut gloriæ magis quàm damni sarcirent injuriam. Sed adfuit illicò cum exercitu Servius, qui eos ita retudit, ut hac maximè victoriâ sibi regnum stabiliret hoc anno, primo de Etruscis triumpho nobilitatum.

OLYMP. LII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3482. 182.

*Phalaris tyrannus & Perillus.* Ad hanc Olympiadem verè pertinet Phalaris Agrigentinorum tyrannus homo ex sanguine concretus, & crudelitate; de quo tamen duo laude digna commemorantur. Nam Perillum qui bovem æneum inflammatum ad torquendos homines excogitarat, in machinam feralem, primum exsectâ linguâ conjici jussit, & in eâ ardenti mugire, & dignâ tam atrocis artis mercede. Præterea cùm Menalippum adolescentem luculentâ perculisset injuriâ, is Tyrannum decrevit interimere, sed à Charitone à quo ardentissimè amabatur deterritus est, qui ut vir rem certiùs, & faciliùs perficiendam susceperit, quò amasium suum morte subduceret, & patriæ morte suâ subveniret. At *Men* in

in conatu deprehensus à Tyranni satellitibus, datus est in quæstionem, & crudelissimè tortus, ut sceleris conscios indicaret constantissimè tacuit. Quod non ferens Menalippus ultro fassus est à se susceptum crimen. Quâ denunciatione perculsus Tyrannus eos dimisit liberos, ac bonis suis uti passus est, exulare tamen jussos, ut hujus liberalitatis fructu, sine benefici metu, periculoque fruerentur.

OLYMP. LII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3483. 183.

Servius Viminalem & Esquilinum montes adjecit urbi, eamque laxioribus muris complexus est; tum distribuit in partes quatuor Palatinam, Saburram, Colinam, & Esquilinam. Neque tantùm Romam majorem, sed & meliorem reddere voluit. Nam populum Romanum digessit in Classes, Curias, Collegia, atque civium omnium patrimonia, dignitates, officia, ætates retulit in tabulas publicas, tam accuratè, ut tanta civitas non una Respublica, sed una domus sub uno patre familias vigilantissimo ordinata videretur.

OLYMP. LII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3484. 184.

Pittacus, Mitylæus septuagenario major obiit, etiam à suis Epitaphio laudatus, quamquam in Tyrannide mortuus esset. Ad eum Cræsus, (aut quippiam alius Lydorum Rex) cum pecuniam misisset, eam remisit, duplo plus quàm vellet habere se dictitans, utpote qui mediocri stipendio contentus esset; quæ vox eum nomine Tyrannum, re sapientem declaravit.

OLYMP. LII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3485. 185.

Florebat circa hæc tempora Æsopus, quàm deformis corpore, tam venustus ingenio, servus conditione, dominorum tamen suorum magister; egregius fabulator, & abjectis narratiunculis hominum mores gnarus effingere, magis utili stylo, quàm illustri.

OLYMP. LIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3486. 186.

Hoc anno Athenæ in tres erant divisæ factiones Pediæorum, Paraliorum, & Diacriorum, sub ducibus Lycurgo, Megade, & Pisistrato, quorum ultimus omnium callidissimus erat, & mercenarios ad suam factionem pellexerat. Solon ex suâ peregrinatione decennali redux, eos motus componere molitus est, & turbarum duces aggressus, Pisistratum agnovit ad tyrannidem aspirare, quem ad saniorem mentem revocare conatus est; frustra utpote qui aut primus aut nullus esse in patriâ suâ decrevisset.

OLYMP. LIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3487. 187.

Caret hic annus certis rebus gestis, in triplici Historiâ sacrâ, Græcâ, Romanâ.

OLYMP. LIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann* 3. 3488. 188.

Servius Regni sui anno 12. censum egit, quo ad amplificandam Rempub. nihil excogitari potuit & illustrius, & convenientius. Quare si Numa apud Romanos divini, Servius humani juris inventor, & autor fuit. Lustrum item primum fecit, & universum populum in armis expiavit sacrificio quod ab animalibus cæsis, deinceps Suovetaurilia dictum est. Et statuerat sapienter, ut quinto quoque anno lustrum ageretur: verùm ejus neglectus ostendit facilius esse ferre bonas leges, quàm servare.

OLYMP. LIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3489 189.

Circa hoc tempus excelluisse volunt Æsopum in dissolvendis Gryphis, & Ænigmatis, quæ sibi tum invicem principes missitabant; ideoque à Babyloniis donatus aureâ statuâ. Felix si apud eum Regem apud quem mori decreverat substitisset; sed in Græciâ, Barbariam reperit. *Æsopus colitur.*

OLYMP. LIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3490. 190.

Enimverò hoc anno malis avibus Æsopus Delphos venit, ubi primùm avidè auditus, deinceps etiam contemptus est. Sed cum iis vicissim vir facetus illuderet, eum dolo perdere decreverunt. Itaque in ejus sarniculas vas sacrum intruserunt; excussumque, quasi sacrilegii reum è saxis Phædialibus egere præcipitem. Sed viri boni mortem Dii hominesque ulti sunt. Pestis enim Delphis atrocissima desæviit, & viri principes è totâ Græciâ convenientes, necis autores de medio tollendos curarunt; neque Delphiis suus Apollo profuit, nisi ut nocentiores, & majori supplicio digniores haberentur. *Æsopus à Delphiis interimitur.*

Eodem anno Abaris ex Scythiâ venit in Græciam, qui acceperat ab Apolline sagittam, quam jaculans cum eâ ferebatur, velocissimè populos, gentesque percurrens, & per eam petentibus responsa reddens. Sine dubio magus, & non per sagittam, sed dæmonem delatus, petenti, atque respondenti suis præstigiis illudentem. *Abaris Scriba venit in Græciam.*

---

## CAP. X.

### *Decas Decima.*

*Ab anno* 3490. *ad* 3500.

OLYMP. LIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* { 2. 3491. 191.
{ 3. 3492. 192.

Hi anni duo in historiis omnibus vacui sunt.

OLYMP. LIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann* 4. 3493. 193.

Hoc anno interiit Evilmerodachus Magni Nabuchodonosoris filius; de quo nihil habemus nisi quod habet Berosus apud Josephum eum à sororis suæ marito Niglissoro interceptum insidiis quod tyrannicè imperaret, & se totum libidinibus dederet προσως ἀνόμως, καὶ ἀσελγῶς. Videlicet exemplo, & monitis patris nequaquam factus est sapientior, cujus etiam superbiæ, luxuriam adjunxit. *Moritur Evilmerodachus.*

OLYMP. LV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3494. 194.

*Baltazar regnat.* Evilmerodacho successit Baltazar, ab ethnicis scriptoribus dictus Nabonidus. Quo anno vidit Daniel Prophetes in somnio quatuor ventos in mari Magno, seu Mediterraneo confligere; vidit quoque & quatuor Bestias quæ idem penitus significabant, unde ventis omissis de *Visiones Danielis.* Bestiis duntaxat somnium explicatum est. Prima erat Aquila, quæ Babylonicum imperium repræsentabat: Altera Ursus cum triplici ordine dentium, imago imperii Persarum. Tertia Pardus latus cum capite quadruplici, figura Monarchiæ Græcorum. Quarta animal terribile, obvia quæquæ comedens, reliqua conculcans pedibus, cui decem cornua, in quorum medio parvum cornu, tria ex superioribus cornibus elidens, & hoc cornu oculatum erat: hac autem ultimâ Bestiâ imperium Romanum significabatur. De iis interpretes consule, à quibus etiam invenies aliquid relictum industriæ tuæ, & sagacitati.

*Pisistratus occupat tyrannidem.* Eodem anno Pisistratus Tyrannidem Athenis occupavit, & Lycurgi ac Megaclis partes magna ex parte fregit. Cùm enim se insinuasset in benevolentiam populi, & rem ejus in bello Megarensi fecisset, imposuit sibi domi, & mulis suis vulnera, eaque plebi ostentavit quasi imposita sibi ab adversariis in odium egenorum. Itaque exclamavit plebs ei dandos satellites, qui arcerent injuriam. Ille 50. sibi datis claviger is addidit ducentos quinquaginta, quibus arcem & Tyrannidem occupavit, æmulis fugere compulsis, uno resistente Solone, quem tamen virtus, & senectus, contra Tyranni furorem, & potentiam præstiterunt incolumem.

OLYMP. LV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3495. 195.

*Astyages exautoratus à Cyro.* Astyages hoc anno exautoratus est, avus à nepote, quem Harpagus invitarat, cui filii sui vorata caro adhuc stomachum, nauseamque movebat. Ei porrò imprudentissimè suum exercitum commisit Astyages, quem ille nullo negotio, Cyro vincendum obtulit. Tum ipse Rex copias suas ducendas suscepit; sed victus atque captus, intellexit demùm sibi atque Medis nepotem esse fatalem. Habitus est tamen perhonorificè à Cyro, & secum semper in Palatio habitare jussus, honore tamen pleno servitutis. Absit enim ut eum putemus à Cyro regendis Hyrcanis admotum esse, quod in sapientissimo Imperatore fuisset summæ dementiæ.

*Solon relinquit Athenas.* Solon Athenas quas bonis legibus temperarat captivas videre non potuit, sed abiit in Cyprum, ibique annos 8. natus interiit. Ossa ejus fuisse cremata, & sparsos esse cineres per insulam Palaminam, putat fabulosum Plutarchus, quod tamen ab Aristotele traditum est. Malè *Moritur in Cypro.* audiit Solon quod pæderastiam non sit visus improbare, sed vetuerit tantùm servis amare ingenuos pueros, & prætereà quod senectutem in otio, musicâ, & deliciis traduxerit: unde intelligis quàm insipiens esset Græcorum istorum sapientium sapientia.

OLYMP. LV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3496. 196.

Crœsus hoc anno Lydorum regnum adiisse *Crœsus regnat.* traditur, quem primùm efferre fortuna visa est, ut eum graviùs affligeret. Multas enim huic Asiæ provincias tradidit, & mortalium ditissimum effecit, sed eum tandem filio, divitiis, regnoque privavit & propiùs nihil est factum, quàm ut crematus vivus ad maleficorum conditionem abjiceretur.

Hoc quoque anno pax Etruscis à Servio data *Etruscis data pax à Servio.* iisdem quibus antea conditionibus, licet bellum annorum 20. aliud postulare videretur. Tantùm autoribus belli Veientibus, Cæretanis, & Tarquiniensibus agri pars adempta, & inopibus Romanis civibus donata, ut eorum damno sapere discerent, qui eorum exemplo peccassent.

Celebris quoque est hic tertius annus Balta- *Visio Danielis altera.* zaris mirabili visione in Susis, quò se aulam devitans Daniel contulerat. Vidit is ad Coaspem seu Eulæum amnem, Arietem cui gentes resistere non poterant, quem superveniens ab Occidente, cum cornu insigni inter oculos, Hircus prostravit, effregitque ejus cornua duo. Sic Hircus factus est magnus; verùm fractum est ejus cornu ingens, cujus loco subnata sunt cornua quatuor, atque ex uno ex iis egressum est cornu minutum, à quo etiam stellæ conculcatæ sunt. Quibum omnibus designabantur imperia Persarum, & Græcorum sub Alexandro inter quatuor ejus Duces divisum, ex quorum uno Seleuco ortus Antiochus Epiphanes Deo bellum indixit, ejusque cultum abolere conatus est in animis Judæorum. Quod mirum est non esse intellectum à Judæis, licet meridianâ luce clariùs videatur.

OLYMP. LV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3497. 197.

Hoc anno quo natus est Simonides, ejectus *Pisistr. recup. tyrann. dem... cule.* à Megade, & Lycurgo Pisistratus ex arce, & Tyrannide, eas ridiculo comento recuperavit. Reconciliatus enim cum Megade spe nuptiarum cum ejus filia, currum adornavit, in quo collocavit mulierem proceram, & pulchram Phyam nomine, armis Palladis instructam, eodem quoque curru susceptus Pisistratus, quem vecta per urbem Pallas ista mima recipi jubebat. Eam venerati Athenienses currum arce sua receperunt, unde frænum accipere coacti stoliditatis suæ dedere pœnas.

OLYMP. LVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3498. 198.

Chilon Lacedæmonius hac Olympiade Epho- *Chilon Lacedæmonius* rus fuit, sub Ethydemo, quod munus ei primùm concessum est, ut regem in officio contineret. Quanquam hoc inventum alii ad Lycurgum referant, alii ad sequentia tempora, utile principibus, qui eo minùs potentes, sed meliores erant. Is porrò Chilon Pisistrati Tyrannidem præ-

præcinuerat ejus patri Hippocrati, cui in Olympicis sacrificanti, olla sine igne efferbuerat; quare suaserat illi ne uxorem duceret, aut ab ea non susciperet prolem, aut susceptam necaret.

*ur* *atus.* Eodem autem anno Pisistratus ab Alcmæonicis est ejectus, annitente potissimùm Megade, quòd ejus filiâ improbè abuteretur, nec ex ea prolem suscipere vellet. Itaque miser in Eretriam Thessaliæ, aut Eubœæ concessit, dum ei tertiùm in Arcem aditus pateret, quem totis annis undecim expectavit; sed eam sic aperuit sibi, sic aliis clausit, ut eâ deinceps totâ vitâ potiretur, & filio traderet hæreditariam.

*egus* *zar* *etur* *de* Hic quoque annus Baltazari Babyloniorum Regi postremus fuit; ejusque vita, atque regnum sunt sacrilegio terminata. Cùm enim in convivio splendido Rex assideret, jussit afferri templi Hierosolymitani vasa, ut in iis convivæ viri atque mulieres Diis suis libarent. Nec diutiùs in verum Deum est injuria dissimulata. Ecce manus ad parietem juxta candelabrum, ut videri posset ab omnibus exarat *Mane, Tecel, Phares*, cum omnibus scriptura esset ignota, omnibus mutientibus supervenit mater Regis, quæ Danielem suggessit filio. Hanc nullo negotio evocatus vates perlegit ut erat Hebraicè *Mene, Tequel, Upharsin*, hoc est *numeravit, appendit, divisit*, quorum duo priora verba ad Regis opera pertinebant, tertium ad ejus regnum. Quare Daniel malorum licet vates purpurâ ornatus est, & tertius in regno mox destruendo constitutus. Neque diutiùs dilatæ minæ; eâdem enim nocte à conjuratis in Palatio Baltazar interfectus est; cui substitutus Darius Medus, quicumque ille sit, natus annos 62. Qui fortè est Labynitus Herodoti. Sub hoc Rege ascititio, & effœto, concussum hac cæde Babylonicum imperium in ultimam ruinam impulsum est.

OLYMP. LVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3499. 199.

Ad hunc annum pertinet alia Danielis leonibus objecti historia, quæ hoc modo se habuit. Dario Medo Regi Babyloniorum constituto, ob recens vaticinium Daniel adeò charus extitit, ut statim reliquorum aulicorum commoverit invidiam. Cum calumniis non paterent ejus integritas, & innocentia, extorquent illi decretum à facili, bonoque principe, ne quis ullum hominem aut Deum oret quidquam, ad dies 30. qui secus faceret in lacum leonum conjiceretur. Eam legem cum non servasset Daniel ter de die precare solitus Deum, vultu ad Hierosolymam converso, statim accusatus est apud Regem, & quamquam ille reclamaret supplicio, acquiescere tamen coactus est, & multis, & sæpe idem, propè vi admotâ, postulantibus. Mittitur ergo in foveam Daniel; sed ejus os claudi Rex jusserat, & annulo suo obsignari, ne alio modo necaretur. Sequenti die cum ad lacum Darius accessisset, & Danielem suum vivere comperisset, eductum complexus, ejus Deo se totum devovit, addixitque, accusatoribus talionis constituit pœnam, & Danielem cœlo acceptissimum tam propè tam constanter adhærere sibi voluit, ut tantùm morte alterutrius disjungeretur. *Iterum leonibus objicitur Daniel.*

OLYMP. LVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3500. 200.

Anaximenes Milesius hac Olympiade, & circa hæc tempora floruisse perhibetur, obiitque eodem die quo captæ à Cyro Sardis. Multa in Physicis scripsit absurda de terra, aëre, Sole, sideribus, quibus tamen Philosophi nomen meruit; sed in eo laudatus est potiùs conatus, quàm probata doctrina. *Anaximenes Milesius Physicus.*

# LIBER III.
## SÆCULUM MUNDI TRIGESIMUM SEXTUM.
### *Ab anno mundi* 3500. *ad* 3600.

## CAPUT I.
### PRIMA DECAS.
*Ab anno* 3500. *ad* 3510.

OLYMP. LVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3501. 201.

*Xe-* *s* *a-* FLOREBAT circa hoc tempora Xenophanes Colophonius Philosophus & Poëta. Is dicebat omnia esse Deum, & elegis jambisque incessit Homerum atq; Hesiodum, quòd multa de Diis absurda cecinissent. Diu vixit utpote qui annos natus 25. peregrinationem 67. annorum susceperit. Ejus in primis constantia laudatur à Panætio, quod cùm filios perdidisset, eos suis ipse manibus sepelire voluit, ut plus in eum Philosophia atque fortitudo, quàm natura & pietas valuisse viderentur.

OLYMP. LVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3502. 202.

Hac Olympiade verè suas occinebat odas Simonides Celus, dictus Melicerteo aliter Melicus à suavitate cantus. Memoriæ artem invenit, *Simonides Celus.*

nit, quam perfecit Metrodorus Scepsius, mirabiliter ereptus ex ruina domus in qua epulabatur à Dioscuris quod in eorum laudem Oden occinuisset. Ejus quoque inventum sunt majores Græcæ litteræ, aut certè quatuor Z. H. Ψ. Ω. vixit annos 80. Ideò variis annis aptatur à Chronologis, vir utique dignus omnium annorum memoriâ.

*Eversa Camarina.* Hoc quoque anno eversa est in Sicilia urbs Camarina, adjacens Paludi cognomini quam Hipparis fluvius efficiebat. Hæc cum oblimaretur in dies, atque ex fœtore crearet pestilentiam, consuluerunt cives Apollinem an eam penitus exsiccarent. Respondit Deus.

*μὴ κίνει Καμάριναν ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων.*

Nequaquam tamen vaticinio paruerunt: & lues quidem sævire desiit; at per hunc locum paulò post irruperunt hostes, & urbem exsciderunt, damno, quàm omnis pestis esset, majori atque diuturniori.

OLYMP. LVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* { 2. 3503. :03. / 3. 3504. 204. }

*Lustrum 4. Romæ.* Nihil his annis gestum memoriâ dignum, nisi quod eorum primo Servius lustrum quartum Romæ peregit.

OLYMP. LVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3505. 205.

*Athys cæditur ab Adrasto.* Athys Crœsi filius hoc anno in venatione cæsus, quamquam hoc patri fatum prænunciatum esset, ideoque ab ejus conspectu omne ferrum diligenter amolitus esset. Sed cum eum hoc tempore ad venationem proficisci passus esset, libratum in feram ab Adrasto, juvenis præposito, telum aberravit & pro Apro percussit Athym. Quare percussor sibi consciviт mortem, quamquam à Crœso vitam recepisset, ratus cum non esse dignum veniâ, qui Principi tam bono, tantùm damni, atque doloris, licet imprudens, intulisset.

OLYMP. LVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 35 6. 206.

*Theognis Poeta.* Theognis Poëta Siculus Megaris natus, hac Olympiade scribebat Parænеses ad mores formandos perutiles, nisi iis fœdos amores alligasset. Sic enim quos ad virtutem inducebat juvenes corrumpebat, & aureo eis poculo venenum malitiosè propinabat.

Quidam etiam eò referunt Anaximandrum, de quo supra. Sed cùm is Plinio teste primus obliquitatem Zodiaci deprehenderit, meliùs ad superiora refertur. Ne tandiu Astrologos hebetes fuisse suspicemur.

OLYMP. LVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. :5·7. 207.

*Crœsus deluditur ab oraculo.* Crœsus regni sui anno 12. ab oraculis Græciæ turpiter illuditur. Jussus enim transire fluvium regni sui limitem, si magnum Imperium eversum vellet, ille de subjugandis Persis cogitans transmisit Halym, at suum regnum perdidit, qui alienum sibi vindicare moliebatur. Neq; Apollo mendax dictus sed λοξίας, & hac ambiguitate, mendacii suspicionem sæpe vitavit, magis sagax & callidus, quàm fatidicus, & verax.

OLYMP. LVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3508. 208.

*Pisistratus tertiùm Tyrannidem recuperat.* Pisistratus multis sibi conciliatis urbibus, grandique confectâ pecuniâ parat exercitum, quo Marathonem occupat. Adversus eum progressi Athenienses, dum non ut milites castra servant, sed ut cives ludo & commessationibus pergræcantur, à Pisistrato vigilante, & sobrio invaduntur, & vincuntur. Ille contra fugientes immittit equitatum, non qui eos cædat, sed veniam polliceatur. Quâ humanitate victi Athenienses eum tertiùm receperunt in Arcem. At ille sapientior factus experientiâ, militem numerosum in stipendiis habuit, pecuniam undicumque corrasit, & obsides extortos in Naxum insulam amandavit Athenienses inermes, inopes, ac suis malè metuentes eum quandiu vixit ferre coacti sunt, & eo mortuo, Tyrannidem ægerrimè sustulerunt.

OLYMP. LVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3509. 209.

*Argivorum & Lacedæmoniorum 300. pugna.* Memorabilis est hic annus pugnâ Lacedæmoniorum, atque Argivorum. Cùm enim de suis finibus ambo populi contenderent placuit trecentis ex utraque gente, exercitus fortunam, & victoriam committi. Illi tantâ obstinatione depugnarunt, ut ex sexcentis, tres tantùm relicti sint superstites, reliquis fœdè trucidatis. Argivi duo quasi victores redierunt ad suos: unus Lacon in campo perstitit, & victoriæ monimentum ex Argivorum spoliis excitavit. Sed cum uterque populus sibi arrogaret victoriam, quod Argivi duos superstites ostentarent, Lacedæmonii unum, & triumphantem, prælium committendum fuit, in quo fortuna penes eos fuit, quorum miles trophæum non sibi tam erigere, quàm prænunciare patriæ visus esset.

*Crœsus & Cyrus inter se committi.* Contingit & eodem anno Crœsi contra Cyrum expeditio, magno apparatu utrimque suscepta à duobus æmulis magnarum virium, & majoris spei. Accendebant etiam Crœsum oracula, falsa licet, quæ multâ pecuniâ redemerat; at Cyro fortissimi milites, pro fatidicis erant, qui imperatori suo certiùs poterant occinere victoriam, quàm omnes Apollinis, Jovisque Sacerdotes.

OLYMP. LIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3510. 210.

*Pugna Crœsi & Cyri.* Crœsus hoc demum anno Halym fluvium Lydorum, Persarumque terminum trajecit, & qui trajecit sine pontibus operâ Thabetis, ut quidam ferunt, tum nonagenarii. Cappadociâ vastatâ, populatisque viris ad urbem Pteriorum venit, quam expugnat ac diripit. Sed statim cum copiis adfuit Cyrus ulturus injuriam. Pugnatur à manè ad vesperam, neutram in partem inclinante victoriâ. Sequenti die alter alteri terrori fuit: Quare Crœsus Sardeis regreditur socios evocaturus ad quintum mensem, atque imprudentissimè dimittit exercitum. At Cyrus occasione sibi oblatâ utendum ratus, magnis itineribus Lydiam ingreditur, & Sardeis oppugnat: Immò urbe potitur intra quatuordecim

*Cyrus capit Sardeis & Crœsum.*

cim dies Crœso in potestatem redacto. Miles Persa in Crœsum irruens acinace stricto, prohibitus est his verbis ἄνθρωπε μὴ κτεῖνε Κροῖσον à filio qui reliqua vita vocalis fuit, ut fabulæ docent. Sed aliud & certius periculum Crœsus evasit. Jussu enim Cyri religatus est ad Pyram vivus comburendus cum 14. nobilibus Lydorum filiis. Sed cum Apollinem invocasset subitis imbribus restinctus est ignis; itaque soluti omnes. Crœsus ut diis acceptissimus Cyro à consiliis deinceps fuit. Ineptissimo sanè prudentissimi alioqui Regis consilio, qui consilium à Principe capere voluit, qui tam malè rebus suis consuluisset.

---

## CAP. II.

## *Decas Secunda.*

### *Ab anno* 3510. *ad* 3520.

OLYMP. LIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3511. 211.

PHERECYDES Scyrius Pythagoræ præceptor in hanc Olympiadem vulgò conjicitur. Is, & animum esse immortalem primus dicitur docuisse, & sine ullo præceptore ad summam doctrinam pervenit. Consumptus demum Phthiriasi obiit, animi quàm corporis dotibus illustrior.

Mortuum hoc anno quidam Crœsum volunt, quamquam alii ad Cambysem usque vixisse velint. Creditur autem extabuisse quod ex illustri loco tam facilè quàm turpiter cecidisset: Maximè si verum est eum eodem die filium ferro, uxorem præcipitio, regnum atque libertatem imprudentiâ perdidisse.

Æoles item & Jones legatos hoc anno mittunt ad Cyrum, eidemque se conditionibus iisdem parituros polliciti, quibus obtemperaverant Crœso. Sed eos rejecit Cyrus, utpote qui non tam se, quàm ejus fortunam colerent. Itaque recurrunt ad Græcos Europæos, inter quos Spartani per legatos Cyrum monuerunt, ut se abstineret à Græcis; non passuros, se ut fratres sui impunè violarentur. Respondit Cyrus perfecturum se, ut de se potiùs, quàm de suis essent solliciti, nec aliena curarent damna, cum in suis depellendis, & lugendis propediem occupandi forent.

OLYMP. LIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3512. 212

Pactyas à Cyro relictus in Asia ab eo deficit & Sardeis obsidet. Contra eum Cyrus ex itinere Mazanem Medum mittit, qui Pactyam fugat, & huic adhærentes Lydos; & ne iterum rebellarent, eos deliciis, ludo, & vino fregit, ut viros se fortes fuisse oblivis cerentur; adeò nihil est voluptati cum arte militari commercii.

OLYMP. LIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3513. 213.

Mazani mortuo successit Harpagus, cui commissa Asia inferior fuit. Is Joniæ civitates partim vi, partim deditione occupat, & plerosque adeò malè mulctat, ut Phocæensium plurimi ad suos Massiliam in Gallias confugerent, adeoque coloniam augerent, ut de novo condita dici posse videretur.

OLYMP. LX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3514. 214.

Conjici solet in hanc Olympiadem Zeno Eleates Philosophus, sed longè patientiâ suâ quàm eruditione famosior. Is ut patriam servitute liberaret, adolescentes contra Nearchum Tyrannum concitarat, sed re detectâ in crudelissimam quæstionem, seu lanienam datus est. Nullum tamen ex consciis appellavit, sed amicos duntaxat Tyranni, quem etiam ad se evocatum, ut aliquid arcani diceret, ei autem mordicùs rapuit, & avulsit. Denique cum se imparem deinceps tormentis timeret, civibus suis in Tyranni cædem animatis, linguam dentibus conscissam in os Nearchi expuit. Quo facto adstantes commoti Tyrannum impetu facto trucidarunt, sed paulò tardiùs, quàm Nearchi, importunitas, Zenonis patientia postularent. *Zeno Eleates.*

Eò quoque nonnulli referunt Hipponactem jamborum scriptorem vultu deformissimum, in pictores invectum acerbius quàm sancta Poësis exigeret. *Hipponactes Poeta.*

Cyrus eodem anno contra Babylonios movit, & dum Gyndem fluvium trajicit, cum is sacrum Soli equum vorticibus hausisset, in 360. alveos divisum, etiam mulierculis & pueris transitu facilem reddidit. Ei Babylonii cum exercitu majori, & ditiori, quàm exercitato occurrunt; at primo congressu fracti se urbe includunt suâ, quam 20. annorum commeatu muniverant. Dabat & iis fiduciam murorum firmitas, & magnitudo, quos armatorum incredibilis multitudo defendebat. In tam difficili arduaque oppugnatione, hanc Deus mentem injecit Cyro, & quam à Deo profectam ostendit eventus. Purgandam atque dilatandam curat fossam, quam aut Semiramis, aut Nitocris aperuerat, ut in eam Euphratem derivaret, dum cuniculus sub fluvio occultatus duceretur, quo Reges Babylonii ab una ad alteram ripam Euphratis transibant, & ex lævo ad dextrum Palatium. Interea ad Cyrum Judæi frequentes fugiebant, qui antequam natus esset ab Esaia Hebræorum auxiliator appellatus erat; & ipsi Cyro fecerunt animos prænunciato jam à tot annis miraculo: quod sine dubio facilem placatumque eis reddidit Principem, alioqui bonum, & septuaginta annorum abrupit servitutem, quando est sua Babyloniis injecta. *Cyrus movet in Babylonios. Per Euphratem Cyrus ingredi parat Babylonem*

OLYMP. LX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3515. 215.

Abdera in Thracia tum condita est, aut reparata à Clazomeniis, à quibus etiam dicta Clazomene. Ejus incolæ adeò stupidi fuerunt, ut locum proverbio dederint. Hujus tamen urbis indigena fuit Democritus, ad quem sanandum ut fanaticum cum Abderitæ Hippocratem medicum evocassent; Hunc quidem sapere pronunciavit, evocantes Elleboro indigere, & quibus totæ satis Anticyræ non essent. *Abdera reparata.*

Hoc

*Capitur Babylon anno ultimo desolationis.*

Hoc anno desolationis ultimo, & septuagenariæ servitutis, Babylonem totius Orientis atque adeò terrarum orbis maximam, munitissimam, magnificentissimam non difficiliter cepit Cyrus, & sine suorum jactura. Cum enim Euphratem in fossam antea dictam præcipitante in vesperam nocte derivasset, per siccatum fluminis alveum secundâ, aut tertiâ vigiliâ, immisit dispositos Persas suos; qui tacitè per ostiola utriusq; loricæ in urbem insinuarunt sese eamque cædibus ac sanguine repleverunt. Ubi mors multis illata esset, metus omnibus; per præcones edixit, ut omnes domibus continerent sese, qui prodirent in publicum trucidandos. Tum arma in unum locum comportari jussâ, indictâ domibus internecione in quibus aliquid armorum reperiretur. Quibus magno ordine peractis, suos in prædam effundi passus est à quibus tantùm divitiarum ex domibus atque templis collectum, ut iis servandis vix magnus exercitus sufficeret. Darium Medum seu Nabonidum ferunt fortiter pugnantè cecidisse: Berosus tamen ait se dedidisse Cyro, atque ab eo in Carmaniam amandatum. Incolæ partim abducti captivi, partim relictis omnibus fugientes in alias urbes, ex magna urbe magnum desertum effecerunt.

*Moritur Darius Medus aut amandatur in Carmaniam.*

*Tullia & Tarquinius impiè conveniũt.*

Eodem denique anno consilia impiarum nuptiarum agitata sunt Tulliam inter & Tarquinium. Servius Tullus ex duabus filiis unam dederat optimis moribus Tarquinio, aliam crudelem Arunti Tarquinii primogenito, maritis indole diversissimis. Cùm desperaret Tullia adducere se posse Aruntem ad regnum usurpandum, ad Tarquinium se convertit, qui iisdem cum ea regnandi furoribus exardescebat. Statuunt ergo omnia perficere, quibus inter se matrimonium jungere possint, & inde incipiunt, ubi alii amantes finire solent. Hoc turpi fœdere, copulati, Tullia Aruntem, Tarquinius uxorem suam tollere pollicentur; sic primus ad ultimam impietatem gradus adulterium fuit.

OLYMP. LX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3516. 216.

*IMPERIUM PERSARUM.*

Imperium Persicum inde ducit initium, indeque anni Cyri in sacris Codicibus procurrunt. Tum ille perlectis, ut creditur, de se Esaiæ verbis, atque Prophetiâ, in Judæos optimè affici cœpit. Eorum enim captivitatem solvit, atque in patriam redire passus est, ubi urbem & templum magnificè repararent. Iis remittendis Zorobabel, à Babyloniis dictus Sassabarus filius Salathielis, exulibus reducendis præpositus; cùm Josue seu Jesu Pontifice filio Josedeci, quibus adjunctus Mitridates filius Gabassari ærario præfecti, quoniam tum Judæis Cyrus reddi jussit omnia vasa templi, quæ tum reperiri Babylone potuerunt. Ita cum imperium Babylonicum rapinâ Nabuchodonosoris, & Baltasaris impietate concussum esset, Persicum liberalitate Cyri & pietate constitutum est, atque stabilitum.

*Duplex parricidium.*

Hoc anno Tullia Aruntem, Tarquinius uxorem, uti condixerant veneno sustulerunt; à duplici homicidio, ad parricidium progressuri.

OLYMP. LX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3517. 217.

*Iudæi Babylone discedunt.*

Judæi non diu distulere profectionem; & magnis itineribus Hierosolymam pervenere. Prima eorum cura sunt altaris Deo suo excitandi, exorsi sapienter à Religione, cujus primùm beneficio magna consurgunt.

*Nuptiæ Tulliæ & Tarquinii.*

Coaluerunt hoc anno nuptiæ Tulliæ cum Tarquinio, Servio non prohibente magis, quàm approbante. Ita conjuncta furia homini furioso divina humanaque omnia jura permiscuit.

OLYMP. LXI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3518. 218.

*Thespis Poeta.*

Thespis hac Olympiade primùm Athenis docuit drama, & Tragœdiæ fundamenta jecit usus plaustro pro Theatro, & vini fæcibus pro persona. Rejectus est primùm à Solone qui negabat inducendam esse ἀναφιλῆ τὴν ψευδολογίαν. Sed quæ visa erat inutilis Tragœdia, principibus postea profuit, eosque duritatem, & impietatem dedocuit.

*Templi Hierosolymitani jacta fundamenta.*

Hoc anno jacta sunt fundamenta templi ejusque ædificatio diligenter permota, Levitis eam manu, & verbis urgentibus. Superioris tamen templi recordatio plerosque tangebat, cum novi gloria, cum antiqui splendore conferenda non esset. Verùm & accessit alia doloris causa potentior. Nam Judæorum hostes quos fuisse Samaritas constat, hoc opus etiam per Satrapas regios impedire moliti sunt: quod vivente Cyro fraudibus, extincto etiam apertâ vi prohibuerunt; quoniam magna & ad Dei gloriam comparata, nonnisi ex difficultatibus emergere solent.

OLYMP. LXI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3519. 219.

*Factiones Tulliæ, Tarquinii in Servium.*

Pertinent ad hæc tempora maximè Tarquinii & Tulliæ adversus Servium factiones. Pertraxerant enim jam ad partes suas aliquot patricios offensos Servio, quod is popularis videretur, & ad plebem administrationis partem transtulisset. Emerant quoque inopes è plebe apud quos plus Nummi, quàm divina, humanaque valebant jura. His fretus Tarquinius quod ad eum, & suo & uxoris nomine pertinebat, rapere, quàm expectare regnum maluit.

OLYMP. LXI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3520. 220.

*Servius Tullus interficitur.*

Hoc anno Servius Tullus regni suo anno 44. vivendi, regnandique finem fecit, consilio filiæ, manu generi sublatus. Cùm enim vidisset Tarquinius consilia sua non satis bellè procedere, in speciem cum bono sene, & minùs suspicioso reconciliatus est. Interea sibi plures fautores adsciscit, & absente plebe in colligendis frugibus occupatâ, ipse regnum occupare parat. Igitur stipatus suorum turbâ in Senatum ascendit & Regis solium occupat. Quod cum Servio nunciatum esset, ipse penè solus Senatum ingreditur imprudenter, ratus satis esse majestatem regiam ad comprimendum tumultum, & conjurationem extinguendam. Hîc conviciis ultrò citroque jactis, cum Tarquinium Rex è solio

ſolio exturbare parat, ipſe à valentiore, & vegeto correptus ejicitur è curia, & per gradus præcipitatur. Inde cum ægrè multis acceptis vulneribus, totoque corpore contritus domum reduceretur à ſuis, adfuit Tullia quæ maritum monendum curavit primam duntaxat Tragœdiæ partem actam eſſe, poſtremam ad ejus ſecuritatem expectari. Quibus impulſus immittit percuſſores qui Servium interimant. De cæde patris dubitans filia ad locum ubi mortuus jacebat, acceſſit; & ab auriga monita ſe progredi non poſſe niſi per patris cadaver, porrò pergeret imperavit, unde loco inditum nomen *vicus ſceleratus*. Sepultus eſt Servius ab uxore ſua plebejorum more, & privatim, vetante publicum Regis funus Tarquinio, ne plebis animi concitarentur. Uxor ſequenti die mortua inventa eſt, ſive ipſa ſibi, ſive huic mortem Tyranni conſcivere: Tarquinius tanti ſceleris pretium tulit diadema.

---

## CAP. III.

### *Decas Tertia.*

*Ab anno* 3520 *ad* 3530.

OLYMP. LXI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann* 4. 3521. 221.

TARQUINIUS Priſci nepos partum parricidio hoc anno regnum adiit, quod ſtatim in Tyrannidem vertit, ſtipatus armatorum manu, & parum curans amari dummodò timeretur. Unde huic inditum *Superbi* nomen, quæ vox apud Latinos nonnunquam *iniquum* ſonat; & eo nomine omnium ſceleratorum Principum crimina contineri, ſapienter Romani putaverunt.

OLYMP. LXII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3522. 222.

Polycrates hoc anno Sami inſulæ Tyrannus fuit, fortunæ filiolus, quam ita faventem ſentiebat, ut felicitatem ipſe ſuam temperandam putaret. Itaque annulum magni precii quem in digito ferebat & oculis, projecit in mare, ut ſaltem ſponte aliquid perderet. Verùm paulò poſt idem annulus in ventre piſcis à piſcatore repertus eidem reſtitutus eſt, majori fortunæ beneficio. Captus tamen & crudeliter enecatus à Perſis felicem ante obitum dicendum eſſe neminem oſtendit, & fortunam quos arctiùs complectitur, & ſtringit, ſæpe ſuffocare.

Milonis quoque Crotoniatis Athletæ robur à Chronologis in hunc annum conjicitur, ejuſque multiplices in certaminibus Palmæ notantur. Singularia hæc ſunt quod punicum malum integrum & illibatum, ſibi à pluribus non ſinebat eripi: quod inſiſtens diſco peruncto, à nullo poterat excuti qualibet impreſſione factâ: quod bovem, & ſtatuam æneam ſibi magnitudine parem ſuis humeris efferret, & alia ejuſdemmodi ſtupendarum virium portenta. Quæ tamen à luporum dentibus (ut poſtea dicemus) eum nequaquam exemerunt.

*Tarquinii crudelitas in nobiles Romanos.*

Pertinet ad hoc quoque tempus Tarquinii crudelitas in pleroſque Romanos patricios, inter quos M. Junius, L. Junii Bruti pater enituit. Is Tarquiniam Tarquinii priſci filiam, uxorem duxerat, vir opulentus, & ſapiens, quæ tria fuerunt ad eum interficiendum Tyranno incentiva. Eandem quoque aleam ſubiit ejus filius Marcus: neque Lucius, magnæ expectationis alter filius effugiſſet niſi cautè ſimulaſſet amentiam, in qua ſe ita geſſit ut ad exhilarandos tyranni liberos etiam adhiberetur. Verùm & eos, & eorum patrem deluſit. Cùm enim peſtilentia gravis ſæviret Romæ, miſſi liberi Tarquinii ad Oraculum Delphicum, Brutum comitem habere voluerunt: tum aliis munera ſua offerentibus, ſuum quoque obtulit, in ſpeciem ridiculum, re verâ dives, atque pretioſum; incluſerat enim vili baculo virgam auream quam Deus videre poterat. Tum quoque cum Apollo prænunciaſſet eum futurum Romæ primum qui matri baſium, primus defixiſſet, Tarquiniis magnis itineribus Romam contendentibus, ipſe terram deoſculatus eſt. Et tum demum ſapere publicè cœpit, cum ipſi & patriæ ſapientia ſua utilis fuit.

*L. Iunius Brutus ſimulat amentiam.*

OLYMP. LXII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3523. 223.

Scythicum hoc anno bellum paravit Cyrus & contra Maſſagetas Perſarum ducenta armavit millia; inde cogitans Indiam, & totum orbem terrarum, quem ſibi promiſſum ſuâ geniturâ credebat. Nihilominus hoc bellum ejus ultimum fuit, & ſpes ejus omnes cum vita præſcidit.

*Cyrus Scythicum bellum parat.*

OLYMP. LXII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3524. 224.

Hoc anno, Araxe fluvio tranſito, Cyrus in Maſſagetarum fines irrupit, cui occurrit Tomyris Regina, virilis animi fœmina, & quæ nuptias Cyri vel veras, vel ſimulatas ſpreverat. Ac primùm irrumpenti, de more fortuna, doluſque faverunt. Simulatâ enim fugâ reliquit epulas, & vinum in caſtris, quibus dum ſe Scythæ ingurgitant, mox à ſupervenientibus Perſis trucidati ſunt aut capti. Inter cæteros Tomyris filius Spargapiſes vino ac vinculis ſolutus, ex doloris, & ignominiæ impatientiâ ſibi manus intulit, Tomyris inſidias, inſidiis ulta ducenta Perſarum millia cecidit, ne uno quidem cladis relicto ſuperſtite. Invento Cyri cadavere reſciſum eſt caput, immiſſumque in utrem humano ſanguine plenum, cum hoc Sarcaſmo *Satia te ſanguine quem ſitiſti*, pro ut illa promiſerat. Sic imperii ſui anno ſeptimo, regni trigeſimo, obiit Cyrus Orientis terror, ſub auſpiciis fœminæ; pudendo planè mortis genere niſi hæc fæmina Scythis, hoc eſt mortalium fortiſſimis imperaſſet.

*Cyrus caditur.*

Hoc etiam anno Tarquinius Octavium Mamilium, Latinorum illuſtriſſimum ſelegit generum, ac filiæ ſuæ cum eo nuptias proditione dotavit. Nam Turnum Herdonium ejus æmulum circum-

*Tarquinius dotat filiam ſuam proditione Turni Herdonii.*

circumvenit, insertis in ejus sarcinas armis per ejus servos atque domesticos, auro corruptos. Cùm autem in procerum Latinorum cœtu, asseruisset se invitatum ab Herdonio, ut eos omnes tolleret, & in cujus accusationis fidem ejus sarcinas excuti postulasset, inventis armis, non auditus reus innocens, lapidibus obrutus est, Tarquinio ut de tota gente bene merito principatus delatus à Latinis, ut regnum parricidio, & crudelitate, sic principatum homicidio, & proditione consecutus.

OLYMP. LXII. ann. 4. *Mundi* 3525. Urb. Cond. 225.

Cyro demortuo successit Cambyses filius, ex Cassandana genitus, quam Cyrus ante se mortuam ab omnibus Persis lugeri jusserat. Is Cambyses dictus est quoque Assuerus, primo Esdræ, & Artaxerxes, tertio. Ad eum Judæorum scripserunt hostes, ab eoque etiam auditi sunt, subtractis in templum deinceps impensis, quare opus ita lentè processit, ut meritò eo imperante abruptum videretur. Sub initium regni sui Cambyses ab Amasi Rege Ægypti filiam uxorem sibi dari postularat; at is veritus ne concubinam daret, non uxorem, aliam Ægyptiam virginem (Apriis filiam quidam malè fuisse volunt) substituerat: quam fraudem cùm Cambyses resciisset, bellum intulit Ægypto, ne magni belli causa aliquid præter fœminam esse videretur.

*Cambyses petit uxorem Amasis filiam.*

Tarquinius hoc anno vicit Sabinos, Livius appellat Volscos, ita mixto ex civibus suis & Latinis exercitu, ut de Romanis diffidere videretur. Pometinos aggressus in fugam egit, & urbe Suessá inclusos obsedit. Urbe demum vi captâ omnes armatos trucidavit, reliquos captivos abduxit, seposito omni argento ad Capitolium extruendum. Quasi vir tantæ crudelitatis, & perfidiæ, aliquid religioni tribuendum putaret. Sed pietas etiam nequissimis quibusque magnorum criminum velum esse solet.

*Victoria Tarquinii.*

OLYMP. LXIII. ann. 1. *Mundi* 3526. Urb. Cond. 226.

Hoc anno Pisistratus Athenis finiit vitam, & naturæ reddidit, quam ferro, tormentisve debebat.

*Pisistratus moritur.*

Eodem quoque Tarquinius Sabinos profligavit & ad deditionem ita omnes compulit, ut de iis triumphare mereretur. Jecit tum quoque fundamenta Templi quod ejus Avus voverat, in cujus fasso cùm esset inventum Telli cujusdam recens occisi caput, præcinuit Etruscus vates, huic loco imperium Italiæ esse fatale. Unde huic inditum Capitolii nomen, quod & monti aptatum, qui antea Tarpejus dicebatur; ita Romanæ magnitudinis, & urbis fundamenta humano sanguine dicata sunt.

*Capitolii jacta fundamenta.*

OLYMP. LXIII. ann 2. *Mundi* 3527. Urb. Cond. 227.

Hippias Pisistrato successit filius patri, ad quem dejiciendum Athenienses totis viribus, & animis incubuerunt; sed ita sibi providerat pater, ut filium quoque suum ad tempus securum redderet.

*Hippias Pisistrato succedit.*

OLYMP. LXIII. ann. 3. *Mundi* 3528. Urb. Cond. 228.

Mortuus est hoc anno in Ægypto Rex Amasis qui Aprii seu Vaphri successerat, & regnarat annis 42. aut paulò pluribus. Qui licet satis feliciter vitam, regnumque traduxisset, fuit tamen morte suâ, quam regno fortunatior. Nam Ægypti non vidit excidium, neque sensit, inflictis licet ab eo verberibus, Cambysis crudelitatem, & amentiam.

*Amasis moritur.*

Amasis regnum suscepit Psammenitus, non tam successor imperii, quàm magnæ calamitatis.

*Succedit Amasi Psammenitus.*

OLYMP. LXIII. ann. 4. *Mundi* 3529. Urb. Cond. 229.

Cambyses per Arabiæ deserta invadit Ægyptum, quibus hæc regio tuta videbatur, usus consilio Planis cujusdam Ægyptii, auxilio Regis Arabum, qui confectis ex corio bubulo longis canalibus, aquam Cotys fluminis, in magnas receptam fossas, per desertum sparserunt. His locis difficiliter superatis Persa ingressus est Ægyptum per Pelusii claustra: Cumque nonnihil progressus esset, occurrit ei Psammenitus, quicum acerrimo prælio dimicavit. Huic autem certamini Ægyptii magná crudelitate præluserunt. Planis enim transfugæ filios in conspectu patris necaverunt, ejusque cum vino epoto sanguine se ad pugnandum fortiter accenderunt, ulti scelus, alio scelere. Inde Memphis primaria regni civitas obsessa, quæ missos ad se Persarum caduceatores in frusta discerptos voraverat: sed hæc quoque ad deditionem compulsa, desideratis in hoc bello quingentis Ægyptiorum millibus, viginti tantùm millibus Persarum. Tum Rex Psammenitus exautoratus, visá filii aut filiæ morte, atque amici calamitate, ostendit dolores aliquos esse lacrymis, luctuque majores: cum in illius egestate fleverit, hujus supplicii apparatum cum stupore viderit. Et vivere tum quidem permissus est, sed cùm paulò pòst ad defectionem sollicitare Ægyptios deprehensus esset, taurinum sanguinem calidum haurire jussus, interiit. Ad urbem quoque Saim accessisse Cambysem ferunt, ubi cadaver Amasis conditum ad defatigationem usque suorum cædi verberibus imperavit, & stimulis fodicari donec ferrum hebesceret, majori verberantis quàm vapulantis dedecore. Comburi id denique jussit contra Persarum, & Ægyptiorum consuetudinem; sed quid mirum humanas ab eo leges violatas esse, qui omnia divina jura corruperat.

*Cambyses invadit Ægyptum.* *Victi Ægyptii.* *Capta Memphis.* *Psammenitus visa ... calamitate ... in filii morte.* *Amasis cadaver caeditur.*

Tum quoque in Italia bellum contra Gabinos exortum, quod Pometini, exulesque Romani fovebant, majori gestum damno, quàm gloriâ; siquidem hic annus, ac consequentes septem, in pabulationibus potiùs, quàm præliis abierunt.

*Bellum contra Gabinos.*

OLYMP. LXIV. ann. 1. *Mundi* 3530. Urb. Cond. 230.

Famosus hic est annus duplici Cambysis expeditione Æthiopicâ, & Ammonitica, ex quibus nihil præter infamiam, furoremque collegit.

*Expeditiones Cambysis Æthiopica & Ammonitica.*

git. Ad Æthiopas autem progressus, quos auri ditissimos audierat, sine cibis atque commeatu, suis etiam sorte ductis, & voratis, retrò redire compulsus est, nullo alio operæ pretio, quàm ut se insanum præstaret, atque furiosum. Et verò paulò post Apim bovem, vulneravit in femore, quo ex vulnere bonus ille ac diu quæsitus Ægyptiorum Deus interiit, templis ejus incensis destructisque. Miserat etiam dum ipse pergeret ad Æthiopas suorum 50. millia, qui Jovis Ammonis templum direptum incenderent, sed is exercitus arenis est obrutus ab austro concitatis, nullo tantæ cladis superstite. Sic duos grandes exercitus eodem tempore fames, & ventus, vel potiùs stolidi furentisque Regis impietas, & imprudentia perdidit.

---

## CAP. IV.

### *Decas Quarta.*

*Ab anno* 3530. *ad* 3540.

OLYMP. LXIV. *ann.* 2. — *Mundi* 3531. — Urb. Cond. 231.

HOC anno, ea gessit Cambyses quibus non se hominem & rationis compotem, sed feram immanissimam præbuit. Nam fratrem suum Smerdem (Justino Mergidem; Ctesiæ Tanyoxarcem) quod cùm vidisset per somnium vertice cœlum contingere, per Prexaspem (Justino Concetem) sibi fidissimum curavit interimendum. Addidit mox & incestum parricidio; sororem enim suam duxit uxorem, judicibus ex adulatione dissimulantibus, & regem legibus omnibus esse solutum asseverantibus. Eam autem paulò post interemit, quod ad aspectum Canis auxilium fratri cani ferentis adversus leonem flevisset uberiùs, & interrogata reddidisset imprudens causam, quâ Smerdi fratri illata nex arguebatur. Neque Prexaspes carissimus licet Cambysi ejus amentiam furoremque vitavit. Eum enim cum ebrietatis à Persis insimulari monuisset ut refutaret convicium, ejus filium in corde percussit, uti præcinuerat; & hoc factum elicuit ab Aulico adulatore laudem etiam in filii sui nece, quasi is actus non hominis, sed Dei saperet manum. Alia ejusdemmodi crudeliter perpetravit multa, quæ cum hominum nemo impedire aut auderet, aut posset, adfuit Deus innocentium ultor, & criminum vindex, qui ei vitam ademit, cum ob ejus Tyrannidem, ex ejus subditis nemo de vita securus esset.

OLYMP. LXIV. *ann.* 3. — *Mundi* 3532. — Urb. Cond. 232.

Polycrates Samiorum Tyrannus hoc anno captus ab Oronte Persâ furis instar atque mancipii actus est in crucem, quod Persarum Regi parere renuisset, qui orbem terrarum omnem putabat esse suum, mortales omnes & principes, sibi jure servitutis addictos.

*Moritur Cambyses.*

Hoc item anno Cambyses cùm annis septem, & mensibus aliquot regnasset, suo gladio vulneratus occubuit. Cùm enim accepisset Smerdim fratrem suum quem jugulandum curarat in mago vivere, irâ percitus illicò versus Susa movet, & in equum furiosè conscendens sibi gladium defixit in femore, atque in eo loco quo vulnerarat Apim. Porrò in Ægyptum proficiscens reliquerat procuratorem suæ domus magum quemdam nomine Patizitem, cui frater erat item magus Smerdis dictus, & adeò Smerdi filio Cyri similis, ut exceptis auribus quibus carebat, ovum non esset similius ovo. Patizites igitur fratrem suum collocat in solio Cyri, & per præcones toto regno significat regnare Cambysis loco, cui rationem atque regnum eripuisset amentia. Immò & ad ipsum Cambysem à Smerde caduceator venit qui idem denunciaret. Hic Prexaspem Cambyses rogat, num suum sustulerit fratrem, ille non sustulisse modò, sed & suis manibus tumulasse respondet. Qui insuper interrogat caduceatorem à quo mandatum id accepisset, & an vidisset Smerdem, negat ille & id sibi à Patazite Smerdis nomine injunctum asserit. Hæc suspicio Cambysem jam insanum, in furorem egit, ac sibi mortem inferre compulit, quia deteriore manu quàm suâ non poterat interire. Id autem contigit Ecbatanis Syriæ, qua ambiguitate delusus est Cambyses qui sibi Ecbatanis Mediæ longam senectutem pollicebatur, sed is illam crudelitate, & fuso innocentum sanguine prævenit.

*Patizites fratrem suum pro Smerde mortuo supponit.*

*Pseudo-Smerdes regnat.*

Ei igitur demortuo successit Pseudo-Smerdes & regnum septem mensibus tenuit; diuturniori profectò tempore, quàm homuncionis, & mutili mancipii conditio pateretur.

OLYMP. LXIV. *ann.* 4. — *Mundi* 3533. — Urb. Cond. 2 3.

*Smerdes quis esset agnoscitur.*

Tum detecta est Magorum impostura per Othanem, ejusque filiam Phædimam, quâ tum Smerdes utebatur pro uxore, cùm illa ex monitu patris, deprehendisset ex mutilatis auribus Magum, esse Smerdim suppositititium. Rem igitur aperit duobus aliis Persis, & hi tres sibi singuli socium adsciscunt, quibus superveniens Darius Histaspis filius septimus adjunctus est. Magi quidem in partes suas Prexaspem pertrahere conati erant, rogarantque omnia polliciti, ut Persarum Principibus suaderet, non esse occisum à se Smerdim, sed vivere. Verùm ille Principibus evocatis quos alloquebatur ex edita turri contrarium dixit, ut se res habuerat aperuit, eosque diris omnibus devovit, nisi Magum intrusum exterminarent; Tum se ex illa præcipitem in caput dedit, dignus tali fato qui Regi nefaria jubenti, nefariè paruisset. Igitur conjurati septem Principes irrumpunt in aulam, quam iis Bagapates Eunuchus aperuerat: Patizites se lanceâ fortiter defendit, duosque è conjuratis vulneravit; fugit Smerdis quem assecuti sunt Darius & Gobryas in conclave. Et Magus complexus Gobryam interfici non poterat sine Gobryæ periculo; is igitur Darium monuit, ut sui nihil sollicitus, Magum transverberaret, quod

*Tolluntur Magi.*

quod feliciter exsecutus est, intacto Gobrya. Inde quinque conjurati per urbem discurrunt, Magos interimunt; unde festum Μαγοφώνια eodem die recurrente quotannis celebratum est, quo Magis ex domibus exire non licet. Quintò post die de eligendo Rege convenerunt, hæcque conditio proposita, ut cujus equus ad ortum Solis adhinnisset, Rex ille ab aliis salutaretur. Equisonis operâ equus Darii primus adhinniit, & fulmen insuper sereno emicuit cœlo; quare alii statim ex equis defluunt, & Darium salutant Regem. Is paulò post ut se Regem ostenderet Intaphernem è conjuratis unum, atque electoribus de medio sustulit, quod conditionis suæ atque Darii oblitus esse videretur: in cujus tamen, familiæque ejus supplicio Darius aliquid misericordiæ, & amori, reliqua justitiæ concessit.

*Darius Rex creatur.*

*Zorobabel Dario charus.*

Zorobabel igitur qui aliàs Darii amicus fuerat, per Judæos male acceptos à Cambyse ad novum Regem missus est. Isque tum impetravit, ut cum duobus sociis inter corporis Regii Satellites cooptaretur, quæ dignitas ei viam aperuit ad omnia suis popularibus impetranda, omnia Deo sic disponente, ut neque Zorobabeli difficile esset quæcumque voluit à Rege petere, neque Regi concedere ingratum.

OLYMP. LXV. *ann.* 1. *Mundi* 3534. Urb.Cond. 234.

*Nascitur Pindarus.*

Lyricorum Princeps Pindarus hoc anno natus perhibetur; cujus gratiâ patriam ejus Græci hostes servarunt, familiam ejus Alexander Magnus dum Thebas dirueret. Sicque tanti viri recordatio homines armatos furore, & ferro, non semel repressit.

*Disceptatio coram Dario de vino Rege, muliere, veritate.*

Contigit eodem anno Zorobabelis, & duorum ejus sociorum coram Dario disceptatio, de fortitudine vini, Regis, mulieris, veritatis: quando adjudicata Zorobabeli, pro veritate, sive Deo contendenti, victoria. Ita tum jussus à Rege petere quidquid libitum esset, obtinuit urbem Hierosolymam reparari atque templum, & alia multa quæ Judæis, amici sui gratiâ, Rex liberaliter indulsit. Excitatus est tum quoque ab Aggæo, atque Zachariâ Prophetis ad accelerandum opus, ut ostenderet Deus hanc causam esse suam, quam viris adeò sanctis, & in populum atque Deum benè affectis commisisset.

OLYMP. LXV. *ann.* 2. *Mundi* 3535. Urb.Cond. 235.

*Darius Judæis favet.*

Darius hoc anno pro Judæis trans Euphratem, Jordanemque rescripsit, & ita rescripsit, ut minas intentaret iis qui sanctum opus abrumpendum curarent. Terrendi enim sic erant Samaritæ; ut quos mali Principis excitarat injustitia & furor, Darii æquitas, virtusque comprimerent.

OLYMP. LXV. *ann.* 3. *Mundi* 3536. Urb. Cond. 236.

*Gabii capti à Sexto Tarquinio.*

Terminatum est hoc anno bellum contra Gabinos, cùm annis 7. tenuisset; quod tamen populationibus potiùs, quàm certaminibus gerebatur; unde atrox nata est in urbe utraque fames, sed Romæ major, quàm hac arte Sextus, Tarquinii filius depulit. Finxit se graviter offendisse patrem, quare virgis in foro fœdè laceratus, fidissimos amicorum ad Gabinos misit, qui nunciarent velle se ob contumeliam illatam à patre ab eo deficere. Admissus itaque cum multis amicis specie transfugarum, & inimicorum Tarquinii, ex agro Romano prædas agebat, patre connivente, sicque à Gabinis ob fortitudinem Imperator electus. Tum monitus est à patre, ut eminentissimos quosque Gabinorum tolleret, papaverum exemplo, quæ pater in horto coram nuncio decutiebat; quod & præstitit accurate, Antistio Petrone de proditione insimulato & lapidibus obruto. Cùm in ejus conscios obtinuisset etiam quæstionem, & ne quis eorum fugeret, ad portas fidissimos amicorum custodes constituisset; per eas admisit patrem cum exercitu in urbem. Quæ tamen tum nihil præter libertatem amisit. Sed satis jam damni passa erat, cum ipsa illustrissimos cives suos perdidisset, & Sextum nacta esset Regem, omnium malorum, & calamitatum autorem.

OLYMP. LXV. *ann.* 4. *Mundi* 3537. Urb. Cond. 237.

*Moritur Dani-*

*Ec-*

Obiit hoc anno Daniel Prophetes cùm annis centum & decem vixisset, uti scribit Isidorus; cujus memoriam recolit utrumque Martyrologium Romanum, & Græcum, diversis tamen anni diebus. Tradit ab eo Josephus excitatam Ecbatanis turrim, in qua deinceps sepulti sunt Reges Persarum, Medorum, ac Parthorum, quæ suo tempore adeò integra ac polita erat quasi tum primum condita fuisset. Dorotheus scribit in sepulchris Regiis tumulatum fuisse: de loco nihil certi, cùm alii Ecbatanis, alii Babylone situm esse dicant. Vir non acceptus tantùm Deo, sed & Principibus, quorum plures ex ejus ore pependerunt, & cui servitus ad gloriam gradus fuit.

OLYMP. LXVI. *ann.* 1. *Mundi* 3538. Urb. Cond. 238.

*Abs- Tem- Hiero- mitan-*

Hoc anno & tertio die mensis Adar templum absolutum est, lugentibus tamen plerisque Hebræorum, quod id everso nequaquam responderet. Verùm à Prophetis tum viventibus prænunciatum, hujus quàm illius gloriam majorem fore; cùm antiquum vidisset Dei tantùm gloriam in fumo, novum esset visurum in carne aspectabilem Deum. Quod demùm contigit, quando Christum Virgo mater obtulit templo, cui nec antea neque post par nobilius, templum Hierosolymitanum subjicit.

OLYMP. LXVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3539. 239.
*ann.* 3. 3540. 240.

Anni isti duo Historiarum vacui sunt.

CAP.

## CAP. V.

### *Decas Quinta.*

#### *Ab anno* 3540. *ad* 3550.

OLYMP. LXVI. *ann.* 4. *Mundi* 3541. Urb. Cond. 241.

HArmodius & Ariſtogiton amici duo, ſed impudici, Hipparchum filium Piſiſtrati Hippiæ fratrem ſuſtulerunt, ſpecie quidem ut patriam, reverâ ut privatas injurias ulciſcerentur. Unus in ipſo certamine cæſus, alter paulò poſt ex vulneribus obiit. Leæna meretrix, Ariſtogitonis amica, tamdiu torta eſt ab Hippiâ donec efflaret animam, neque tamen ullum è conjuratis appellavit; ſic jacta libertatis Athenienſis prima fundamenta, turpiſſimis amoribus debentur.

OLYMP. LXVII. *ann.* 1. *Mundi* 3542. Urb. Cond. 242.

Solyſon Polycratis frater, cum aliquando Dario privato dediſſet veſtem, hóc anno ad eum Regem adiit, & principatum Sami obtinuit; ut hic beneficentiæ ſuæ ille egeſtatis priſtinæ recordaretur, magnò utrimque exemplo magnificentiæ, & moderationis, quarum in principibus eſt rara complexio.

OLYMP. LXVII. *ann.* 2. *Mundi* 3543. Urb. Cond. 243.

Darius exercitum mittit in inſulam Samum qui Solyſonem Principem conſtitueret, ut ei redderetur Principatus fratris, quem Orætes affixerat cruci. Et paulò poſt Orætes juſſu Darii cæſus: hoc anno beneficium in Polycratis familiam cumulatum eſt.

Eodem anno Babyloniorum erupit rebellio, quam jam annis aliquot fovebant. Omnibus enim frugibus in urbem comportatis, & mulieribus, ejectis aut ſtrangulatis, unâ ſingulis reſervatâ ad opera domeſtica, ſui ſe juris eſſe non perfici profitentur. Statim igitur adfuit cum exercitu Darius quem illi de ſuis mœnibus irridebant; addebantque tum potiturum urbe, cum mula peperiſſet. Portentum hoc cum paulò poſt contigiſſet, fatidicos ſe fuiſſe damno ſuo experti ſunt.

OLYMP. LXVII. *ann.* 3. *Mundi* 3544. Urb. Cond. 244.

Darii propenſum in Judæos, & veram religionem animum hoc anno Deus remuneratus eſt. Viginti menſibus in obſidione Babylonis contritis cum ejus obtinendæ nulla ſpes affulgeret, Zopyrus videns unam è mulabus ſuis peperiſſe, adveniſſe tempus hujus capiendæ credidit, & facinus aggreſſus eſt dignum filio Magabyzi. Nam ſibi præſcidit aures, naſum, labra, comam circumtotondit, immaniter ſe flagris lacerandum curavit, & ita ſe Dario obtulit, ut ab eo veniam obtineret urbis adeundæ, & ſuis artibus in Perſarum ditionem pertrahendæ. Id tandem extorſit à Dario, & Babylonem ingreſſus, quid à ſuo Rege paſſus eſſet non tam verbis, quàm vulneribus oſtendit. Igitur ut Darii hoſti infenſiſſimo partem ſuarum copiarum tradiderunt cives. Quibus in Perſas irruens ſemper redibat cum prædâ, fuſis hoſtibus, atque deletis, eorum Imperatore ſummo, connivente. Sic adeò potuit Babylone, ut ei portæ ad ſubitas eruptiones committerentur. Quas demùm reſeravit Perſis, cum Babylonii aliis propugnandis eſſent intenti. Urbe occupatâ proceres ad tria millia in crucem acti, everſi muri, turres, portæ quibus Cyrus pepercerat, civibus reliquis venia data. Ita Darius magnâ urbe potitus eſt cum ingenti tamen dolore ex aſpectu Zopyri mutilati, dicere ſolitus ſæpe, ſe Zopyrum integrum viginti Babylonibus libenter redempturum. Sic Darius & Zopyrus inter ſe de amore contendebant, qui Zopyro glorioſior, utilior Dario fuit.

*Hippias Athenis pulſus fugit ad Darium.*

Eodem anno Hippias ab Athenienſibus tandem pulſus, invitatus ab Amyntâ Macedonum Rege aliiſque vicinis, ad Darium confugit, à quo certiorem reditum ſperabat in arcem ſuam atque tyrannidem. Tum quoque Athenis Harmodio, & Ariſtogitoni ſtatuæ poſitæ ſunt, quod hi ad tollendos Tyrannos præluſiſſe viderentur. Leæna quoque area erecta eſt in honorem cognominis meretricis, amicæ Ariſtogitonis, ut quæ eorum causâ cæſa eſſet, eadem cum iis immortalitate donaretur.

*Statuæ poſitæ Harmodio, & Ariſtogitoni.*

OLYMP. LXVII. *ann.* 4. *Mundi* 3545. Urb. Cond. 245.

*Tarquinii expulſi Româ ob ſtuprum Lucretiæ.*

Tarquinios hoc anno illatum Lucretiæ ſtuprum Româ, & Tyrannide expulit. Sextus enim Tarquinius, Superbi filius ab eâ Collatiæ perhumaniter acceptus, dum maritus in caſtris Ardeatinis verſaretur, in ejus amorem exarſit, ejuſque concubitum quem precibus deſperabat, minis extorſit. Huic enim mortem intentavit cum dedecore conjunctam, interminatus ſe cum eâ compoſiturum ſervum, & utrumque in complexu interfecturum. Hac denunciatione territa conſentit flagitio; ſed ſequenti die Romam venit, ubi in publico parentum, & amicorum cœtu, quod in ſe geſtum erat aperuit, & gladium quem abdiderat veſte, ſibi in pectus altè demerſit, obteſtata ultionem. Hac narratione, & cæde efferati Romanorum animi, duce Bruto qui tum depoſuit ementitam amentiam, de ejiciendis urbe Tyrannis ſtatuitur. Eam conjurationem ut Superbus impediret Romam accurrit, ſed ſuſceptus non eſt, immò miſſis Ardeam nunciis à Bruto perfectum, ut neque ſuis caſtris reciperetur. Immutatus ergo Reip. ſtatus, duobus conſulibus per annum duntaxat commiſſa civitas, quorum primi L. Brutus, & Tarquinius Collatinus electi, dies ſextus Kal. Martias à caſu Regi-fugium dictus, abolitum Regis nomen, præterquam in Religione, ac Rege ſacrorum; Neque tamen tum deſpondit animos Tarquinius, ſed legatis Romam miſſis eò ſe ſubmiſit, quò Tyranni dejecti ſolent. Ubi nihil impetravit, bona ſaltem repetit ſua, ne inops & exul vivere cogeretur; id quoque negatum,

*Mutatus Romæ ſtatus Reip.*

tum, ne bonis ſuis contra reddentes uteretur. Hi tamen legati nonnullos corruperunt, & ad recipiendum Tarquinium incitarunt, inter cæteros duos Bruti filios, itemque Aquilios duos Collatini nepotes. Et Brutus quidem nihil moratus ſuos virgis cæſos capite plecti juſſit, Collatinus dum tergiverſatur, & nepotes, & conſulatum perdidit, exulare compulſus. Tum ad arma ventum & certamen, in quo Aruns Tarquinius, & Brutus Conſul, furore magis quàm ratione pugnantes mutuis vulneribus concidere. Ita Valerius Voluſius poſteà dictus Poplicola Collatino, M. Horatius Pulvillus Bruto ſuffecti ſunt. Atque is finis regni Romani fuit, quod tum terminatum eſt; cum qui id adminiſtrarent nullum ſuis cupiditatibus terminum poſuiſſent.

*Duo primi Romæ Conſules.* *Duo Conſules ſuffecti.*

Æginetæ tum potiebantur mari, unius urbis populus, qui tamen metum multis urbibus, & populis incutiebat.

*Æginetæ mari potentes.*

Venit tum quoque in Italiam Pythagoras Solyſonis Tyrannidem non ferens, fuitque hoc exilium Philoſophiæ, atque Occidenti ſalutare.

*Pythagoras in Italiam venit.*

OLYMP. LXVIII. ann. 1. *Mundi* 3546. Urb. Cond. 246.

Nobilitatus eſt annus P. Valerii de Etruſcis & Tarquiniis triumpho; quando & cenſus habitus Romæ centum & triginta peditum millia Tarquinio oſtentavit, quò per tot armatorum millia, eò ſpes redeundi, tolleretur.

*Poplicolæ triumphus.*

Hoc item anno Darius Scythicam aggreſſus expeditionem, Boſphorum & Danubium pontibus junxit, & hunc Jonibus ſervandum commiſit: Ipſe Scythas invadit, qui ſenſim receſſere, donec Darium commeatus defecit, tum eum redire compulſum magnificentiùs comitati ſunt, & totum ejus deleviſſent exercitum, niſi pons fractus ab Jonibus eorum operâ ſtatim refectus eſſet. Itaque magnæ victoriæ duxit loco, quod victus non eſſet, ſtatimque repetiit Aſiam relicto Megabyxo cum 8. Perſarum millibus, ad ſubjugandas Thraciam, atque Macedoniam; quaſi ſuorum auſpiciis feliciùs, quàm ſuis, eſſet pugnaturus.

*Scythica Darii expeditio.*

Hoc denique anno Milo Dux centum Crotoniatarum millia contra ter centies mille Sybaritas eduxit, quos magno prælio delevit; ſed eorum longè plures jam anteà deliciæ perdiderant, quibus urbs ante concuſſa, hoc anno demum everſa fuit.

*Milo Sybaritas vicit.*

OLYMP. LXVIII. ann. 2. *Mundi* 3547. Urb. Cond. 247.

Porſenna Etruſcorum Rex hoc anno Tarquinios armatos Romam tentavit reducere, & quod moliebatur perfeciſſet, niſi hunc C. Mutii Cordi poſteà Scævolæ manum ſibi coram eo amburentis conſtantia, & Horatii Coclitis in ponte pugnantis, donec ſolutus eſſet, fortitudo par exercitui, deterruiſſent. Auſæ ſunt & tum quoque fæminæ, & inter eas Clœlia ſuprà ſexum fortis. Templum quoque Capitolini Jovis à M. Horatio Pulvillo dedicatum eſt, & tum Jupiter dedicantis, quàm ſtatuentis potiorem rationem habuit.

*Porſenna reducere conatur Tarquinios. Deterritus virtute Scævolæ, Coclitis & Clœliæ.*

Hoc anno Barce in Africâ novem menſibus à Perſis, & Pheretimâ Arceſilai matre obſeſſa, capta tandem, direptaque eſt. Fæmina rerum potita, viros omnes crucibus affixit, mulieribus mammas præſcidit; impotentiâ, muliere, & muliere victrice, dignâ.

*Barce capta.*

Megabyzus in Thraciâ, atque Macedoniâ rem ſatis proſperè geſſit: Cum tamen ab eo legati ſubmiſſi in convivio petulantius laſcivirent, interfecti ab Alexandro Amyntæ filio, ſe non omnia poſſe in Macedoniâ demonſtrarunt.

*Megabyzus rem benè gerit in Thracia, & Macedonia.*

Darius denique Hiſtiæum Mileti Tyrannum ſecum prudenter, ut conſiliarium abduxit in Perſidem: ſed eum is Ariſtagoram generum ſuum, atque conſobrinum, Mileto præfeciſſet, Darius nullum ex ſalutari conſilio fructum tulit, quàm ut negotium ſapienter ſuſcepiſſe diceretur.

*Darius ſecum Hiſtiæum abducit.*

OLYMP. LXVIII. ann. 3. *Mundi* 3548. Urb. Cond. 248.

Naxii laborantes ſeditione multos è ſuis civibus expulerunt, qui ad Ariſtagoram, & Artaphernem Darii fratrem confugerunt. Hic eos reduci à re Perſicâ prudenter judicavit; ſed cum id muneris Ariſtagoræ, & Megabizo commiſiſſet, agnovit negotia hujuſmodi duobus committi ſolita, ferè exitu carere, & ſæpè privatas duorum inimicitias, aut æmulationes publico bono prævalere.

*Magna negotia non ſunt duobus committenda.*

OLYMP. LXVIII. ann. 4. *Mundi* 3549. Urb. Cond. 249.

Hiſtiæus miſſo ad Ariſtagoram ſervo capite compuncto: eum monet à Perſis Darioque deficiat. Hoc ut præſtet commodiùs, ipſe ſe Mileſiorum Principatu abdicat, idemque alios Tyrannos facere cogit, neque tamen hac privatâ libertate publicam Perſarum ſervitutem Jones effugere.

*Ariſtagoras ... bellare.*

OLYMP. LXIX. ann. 1. *Mundi* 3550. Urb. Cond. 250.

Vivebat hac Olympiade Heraclitus Epheſius qui evocatus à Dario in Perſidem ire neglexit, nihil eſſe ratus Philoſophis, cum magnis principibus commercii.

*Heraclitus Epheſius.*

Eodem anno Appius Clodius origine Sabinus migravit Romam cum magnâ clientium, & ſociorum turba, quam aliqui ad quinque millia promovent. Ideò à S. P. Q. R. in Senatorum eſt allectus numerum, dignuſq; viſus eſt eſſe patricius, quem tam multi loco parentis habuiſſent.

*Appius Clodius Sabinus Romam migrat.*

Hoc quoque anno ſæculares ludi celebrati ſunt, aut re Valerio Conſule, aliaque multa edita ſpectacula quibus Deorum ira placaretur; quaſi verò eadem placerent Diis, quæ homines oblectare ſolent.

*Sæculares ludi celebrati.*

Ariſtagoras denique fruſtra ſollicitatis Spartanis, Athenas venit, atque ibidem 20. naves impetravit Melanthiumque Navarchum. Quare in Aſiam reverſus palam à Perſis defecit, Sardeis cepit & incendit, præter Arcem quam tutabatur Artaphernes. Verùm ea expeditione Græci oſtenderunt nocendi voluntatem potiùs, quàm poteſtatem; graſſatorum more urbem aggreſſi,

& in

& in reditu ad Ephesum victis quàm victoribus visi similiores.

## CAP. VI.

### *Decas Sexta.*

*Ab anno* 3550. *ad* 3560.

OLYMP. LXIX. *ann.* 2. *Mundi* 3551. Urb. Cond. 251.

HIc annus apud Romanos Ovationi dedit initium, quâ myrtho coronatus, & pedes Postumius Tudertus Consul urbem ingressus in Capitolio non Taurum, sed ovem immolavit Jovi. Ei porrò denegatus est triumphus, quod belli contra Sabinos initia non satis prudenter administrasset, atque à collegâ suo Agrippâ Menenio Lanato obsidione liberandus fuisset, quamquam sequentibus præliis gloriosè sarcisset ignominiam. Ita honore ejus fortitudo decorata est; minori gloriâ punita imprudentia.

Obiit eodem anno P. Valerius Poplicola seu Publicola, ita dictus, quod populum omnibus obsequiis dilinere conaretur. De ejus modestiâ, & moderatione multa narrantur, quibus affectati regni suspicionem amolitus est: sed nullum nobilius, quàm quod tot confectis bellis, partisque triumphis, non suâ, sed alienâ pecuniâ tumulandus fuerit, & pauperrimus obierit, qui tam multos locupletarat. Sepultus est intra urbem ad Veliam, qui honor etiam ejus omni generi concessus est: Sed posteà huc tantùm delata sunt Valeriorum cadavera, & iis admota fax, verùm statim retracta, ut id licere etiam tum ostenderetur, quamvis ex modestiâ omitteretur.

OLYMP. LXIX. *ann.* 3. *Mundi* 3552. Urb. Cond. 252.

Hoc anno Spurius Cassius Viscellinus Consul bellum jam quadriennio magnâ contentione gestum contra Sabinos absolvit, ac de iis triumphavit. Profligavit eos ad Cures, decem millia cecidit, quatuor millia cepit. Itaque reliqui petiere pacem, quam conditionibus satis gravibus obtinuere, & quæ victos, rebelles, desperatosque sapiebat. Alter Consul Opiter Virginius Tricostus Camerinos oppressit, ut scribit Dionysius, quod de Pometinis, & Auruncis Livius scribit: qui etiam addit eos furore potiùs quam arte pugnasse, pluresque facibus quam ferro armatos prodisse, & ab iis Consulem equo dejectum tantùm non esse interemptum, sed demùm Romanam prævaluisse disciplinam desperatorum furori, & restinctas faces accendentium sanguine, eorum tantùm funeribus præluxisse.

Jones quamquam ab Atheniensibus deserti nihilominus suis viribus bellum cum Persis satis feliciter administrarunt, atque ad Hellespontum provecti Byzantium, & alias urbes occuparunt. Defecerunt quoque tum ad eos Cyprii, præter Amathusios, quos terror in officio continuit. Pervenit tum quoque ad Darium Sardensis incendii fama, quo sic inflammatus est adversus Athenienses, ut quotidie sibi ante cœnam deinceps monitorem apposuerit de bello Atheniensibus inferendo. *grediuntur.* *Sardium incendium quàm graviter tulerit Darius*

OLYMP. LXIX. *ann.* 4. *Mundi* 3553. Urb. Cond. 253.

Latini populi 30. ab Octavio Mamilio Tarquinii Genero comitati Romanam societatem ejurarunt, concilio totius Latini nominis Ferentini coacto. Quare M. Valerius singulas lustrans civitates nullas responsiones attulit, nisi hostiles, & ad bellum internecinum spectantes. Eodem quoque tempore Romæ servilis concitatus motus, aliquot nocentium sanguine, & crucibus restinctus fuit. *Latini populi 30 in Rom. conjurant.*

OLYMP. LXX. *ann.* 1. *Mundi* 3554. Urb. Cond. 254.

In Italia Fidenates Tarquiniorum operâ deficiunt à Romanis; contra quas emissus Consul Marius Tullius Longus eos obsidione cinxit. Sed majus negotium reliquit in urbe collegæ suo Servio Sulpitio Camerino. Nam Legati Latinorum concitavere plebem, & servorum reliquias, non satis anno superiore compressas. Perierat Roma nisi vigilantissimum Consulem sortita esset: Is enim statim dimisit Legatos, conjurationem omnem retexuit, armatos circumfuso milite trucidavit; quibus peractis lustravit urbem ἀμνήστειαν utile malis hisce civilibus remediũ, repudiatis deinceps delationibus induxit. Verùm cum ludi gratulatorii ob eam causam Romæ celebrarentur, idem Consul è sacro corrupto lapsus in circo, paulò post obiit, ita tamen ordinatâ Rep. ut huic administrandæ collega ejus Sulpitius satis unus esse videretur. *Roma vigilantia Servii Consulis servatur.* *Moritur Servius Conf.*

OLYMP. LXX. *ann.* 2. *Mundi* 3555. Urb. Cond. 255.

Fidenæ etiam hoc anno à P. Veturio Gemino Consule obsessæ; quæ cum fame premerentur venit eis auxilio Sextus Tarquinius, qui vallum Romanorũ transcendere conatus, est dum Fidenates ex urbe fortiter erumperunt. Verùm & rejecti in urbem suam Fidenates, & aliò vertere curas suas Tarquinius compulsus est. Signiam igitur Romanam coloniam tentavit, unde etiam repulsus ostendit tam vanas ejus esse oppugnationes, quàm propugnationes. *Sextus Tarquinius repellitur.*

Hoc quoque anno Crustumeria capta; Præneste à Latinis ad Romanos defecit, ut læta tristibus fortuna permisceret. *Varia Latinorum fortuna.*

Hoc item anno Aristagoras cum suis Jonibus dimicans contra Persas superatus est, & fugiens per Thraciam ab indigenis interemptus pœnas Tyrannis, atque rebellibus debitas exsolvit. Neque tamen Jones cæso duce animos desponderunt. Tum enim à Dario præpostere missus Histiæus primus autor, & fautor Jonici belli, tempe- *Cæditur Aristagoras.* *Histiaus Iones nihil juvit.*

tempestivè adfuit. Is Miletum nocte concubiâ subire conatus à quodam Milesio in femore vulneratus retrocedere compulsus est; unde se recepit in Chium, deinde in Lesbum insulas, non jam Jonum Princeps, sed Pirata, neque Dario charus, & suis infensus, pœnâ proditoribus dignâ, atque consuetâ.

OLYMP. LXX. *ann.* 3. *Mundi* 3556. Urb. Cond. 256.

*Fidenates se dedunt.*

Fidenæ fame domitæ hoc demùm anno T. Largio Flavio secundùm Consuli deditionem fecere sed ita recepti Fidenates ut suæ rebellionis meminissent. Defectionis enim autores publicè virgis cæsi, necatique sunt, agri dimidium reliquis ademptum, quod inter Præsidiarios sorte divisum est. Verùm hæc deditio Latinos omnes concitavit, ducibus Mamilio, Sextoque Tarquinio, & quod erat caput, Roma gravi seditione laborabat, inopibus militiam detrectantibus nisi debita iis remitterentur, quod ne fieret gravis & Sapiens Appii Clodii impediebat oratio. Itaque quasi in re deplorata primùm electus est Dictator T. Largius a collega suo Q. Clodio Siculo renunciatus. Is statim Sp. Cassium equitum Magistrum dixit, atque censu habito ita composuit res urbanas, ut ab iis nihil timeretur. Itaque cum exercitu ipse Tusculum progressus adversus Sextum atque Mamilium, eorum pabulatores multos cecidit, plures cepit, quos tamen diligenter curatos, sine pretio Tusculum remisit. Qua humanitate obtinuit, ut Latini pactis in annum induciis, ei potestatem facerent ante tempus dimittendi magistratus. Quo facto obtinuit, ut Dictatoribus deinceps prudentiâ, & moderatione prælucere dignus haberetur.

*Primus Dictator T. Largius.*

*Victi Iones ad Ladam.*

Eodem anno ad Ladam insulam juxta Miletum Jonicæ triremes trecentæ sexaginta sex, adversus sexcentas Persicas pugnavere. Victi Jones, & dissipati sunt. Obsessa Miletus, ut Jonici belli fermentum omne tolleretur.

OLYMP. LXX. *ann.* 4. *Mundi* 3557. Urb. Cond. 257.

*Templum Saturno dicatum & Saturnalia.*

Romæ Coss. A. Sempronio Atratino, & M. Minucio Augurino templum Saturno dicatum in Clivo, quo è foro in Capitolium ascenditur, & feriæ decretæ quotannis, quæ deinceps dictæ Saturnalia; primum unius diei 14. Kal. Januar. postremùm ad septem dies propagatæ sunt, ut diutiùs lascivire & pergræcari liceret.

*Histiæus captus caeditur.*

Hoc anno captâ Mileto, Histiæus facta in Harpagi ditionem exscensione vivus in potestatem Persarum venit, & jussu Artaphernis resecto capite in crucem actus. Speraverat ille à Dario veniam, quam obtinuisset si ad eum missus esset. Id veriti Harpagus & Artaphernes caput ejus conditum Susa miserunt: Id Darius sepeliri jussit, testatus se lubentiùs vivum, quàm mortuum, licet hostem, visurum. Hunc vitæ laborumque finem habuit Histiæus, etiam iis quos prodiderat atque fefellerat post obitum propter singularem solertiam charus.

*Obiit Pythagoras.*

Obiit hoc quoque anno Pythagoras Samius cum annos duodecim Crotone exegisset, ætatis suæ anno nonagesimo, quem Metapontini pro Deo coluerunt. Is primus se non sapientem, ut alii, sed Philosophum dixit, hoc est sapientiæ cultorem. Utrum autem aut inediâ, aut bello, aut incendio perierit, incertum. Hoc certum, magum eum extitisse, & non tantùm hominum animis, sed & oculis turpiter illusisse.

OLYMP. LXXI. *ann.* 1. *Mundi* 3558. Urb. Cond. 258.

Mardonius Gobryæ filius Darii gener à socero suo adversus Græcos immissus Tyrannos omnes ex Joniæ civitatibus sustulit ut popularibus imperiis distractæ faciliùs Persarum Tyrannidem, jugumque subirent. Tum Thraciam & Macedoniam Darii subjunxit Imperio, non tamen nisi perdifficiliter. Siquidem hic in nocturno certamine à Thracibus tantùm non cæsus, certè graviter vulneratus abscessit. Accepere quoque tum Persarum jugum Thaxii: sed dum ex eorum portu solvit classis Persica ad montem Athon fœdâ tempestate jactata 300. naves, hominum viginti millia perdidit; sicque rediit victor in Asiam Mardonius, quasi rem malè gessisse videretur.

In Italia evoluto induciarum anno magno utrimque apparatu bellum à Latinis, Romanisque susceptum. Et cum hoc periculosum ancepsque videretur à collega suo T. Virginio Tricosto Consule dictus est Dictator Aulus Postumius Albus. Ambo exercitus ad Regillensem lacum consedere, ac tandem ex vicinitate certamen initum, in quo fortissimè utrimque dimicatum est. Victoria tamen Latinos deseruit qui in acie triginta suorum millia desideravere. Ferunt quoque à Romanis pugnasse Castorem, & Pollucem; sed iis sine dubio fortior pugnavit Marcius, postea dictus Coriolanus, qui ex eo prælio civicam coronam, & alia suæ fortitudinis præmia retulit. Volsci hostes, confecto certamine, quasi auxiliatores ad Romanos accessere, & maluit Dictator mendacibus adhibere fidem. Itaque cum Latinis inita pax, Tarquiniis injecta ultima Romam redeundi desperatio. Certè ultimus omnium Tarquiniorum, obiit Superbus nonagenario major, qui tum ab Aristodemo Cumarum in Italia Tyranno receptus est, & postea sepultus; quia à nullo alio præterquam à Tyranno, vir tantæ improbitatis & impotentiæ & suscipi, & tumulari promeritus erat.

OLYMP. LXXI. *ann.* 2. *Mundi* 3559. Urb. Cond. 259.

Æginetæ à Persis tentati ignis & aquæ petito tributo, responderunt se imperata facturos. Ideò Spartæ accusati ab Atheniensibus eorum veteribus inimicis, quasi Græciæ proditores. Venit igitur Æginam Cleomenes Rex Spartanus, ut facti præcipuos autores abduceret; sed ei restitit Crius quidam, aliique Æginetæ, immò & Regum Spartanorum alter Demaratus. Hinc nata inter duos Reges altercatio, utrique & toti Græciæ perniciosissima. Nam Cleomenes homo flagi-

flagitiosè nequam, ut Demaratum ſubmoveret regno, negavit eum eſſe filium Ariſtonis, & Periàliam Pythoniſſam auro corrupit, ut idem quaſi ab Apolline caneret. Itaque in Demarati locum ſubſtitutus eſt, fraudis hujus particeps & conſcius Leutychides, Demaratus ad Darium confugit, & ſic in Græciâ divina omnia humanaque jura permixta ſunt.

Repreſſi ſunt hoc anno in Latio Volſci à P. Servilio Priſco, plebeis cum eo ad bellum ſponte profectis, quod is in populum benè affectus eſſe videretur. Verùm digreſſo Conſule & dimiſſo exercitu majoribus animis bellum Volſci repararunt; unde tumultus iterum in urbe concitatus eſt major, plebe militiam obſtinatiùs defugiente. Seditionem auxit neſcio quis erumpens ex creditorum ergaſtulis obæratus, vibices in tergo, vulnera in pectore pro patriæ ſalute ſuſcepta miſerabiliter oſtentans. Sed hunc quoque tumultum facilitate ſuâ Servilius diſcuſſit, & Volſcis obviam progreſſus, eos fudit, atque à populo, invito Senatu, triumphum impetravit: victoriâ Romanis tam utili, quàm honoribus triumphi perniciosâ.

OLYMP. LXXI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 356.. 260.

Sabini hoc anno renovarunt bellum, & Medullinis adjuncti agrum Romanum populati ſunt. Aderant & in armis Æqui, atque Volſci, & plebs de more militiam detrectabat. Itaque delectus eſt Dictator M. Valerius Voleſi filius, qui Servilium hominem popularem Magiſtrum equitum dixit. Hujus auxilio & autoritate plebem ad arma pertraxit. Sabinos vicit, & exuit caſtris, ac de iis triumphavit; Statimque populum militiæ ſacramento ſolvens (quod à Senatu vehementer improbatum) magiſtratum abdicavit. Sed paulò poſt cum accuſatus à patriciis ſe coram populo intempeſtivè purgare conatus eſſet, plus oratione ſuâ nocuit Reipub. quàm ſuâ victoriâ profecerat.

## CAP. VII.

## *Decas Septima.*

### *Ab anno* 3560. *ad* 3570.

OLYMP. LXXI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3561. 261.

HOc demùm anno Cleomenis Spartani fraus cum ſacrilegio conjuncta innotuit. Ipſe ſupplicium veritus fugit in Theſſaliam, unde mox in Arcadiam regreſſus Arcadas contra patriam ſuam ſollicitat. Itaque Spartani, ejus deſperationem, & improbitatem veriti, metu majoris mali, eum revocarunt. Verùm deficiente humanâ juſtitiâ, divina non defuit: Statim enim tanto furore correptus eſt, ut inſtar feræ vinciendus eſſet. Sed eo tantiſper intermiſſo, cum ſolutus eſſet, cultrum nactus, eo ſibi tibias, & femora immaniter laceravit; nec finem in ſe ſæviendi fecit donec ventre diſciſſo, ſacrilegam animam expueret. Sceleris hujus conſcii omnes mulctati, Perialla ipſa ex adytis ſubmota, indigna judicata eſt cujus ore prophano deinceps Apollo loqueretur.

Eodem anno Romana plebs ſeceſſionem cogitans, ſponte ſecuta eſt Conſules duos, adverſus Æquos & Sabinos. Verùm ubi ſignis & armis potita eſt apertè defecit à Conſulibus, autore quodam Sicinio Belluto: Huic, & Centurionibus de novo creatis ſummam Reip. detulit, & trans fluvium Anienem, in monte, qui poſtea dictus eſt ſacer, caſtra collocavit. Perierat Roma, niſi ad ſeditioſos cives Menenius Agrippa legationem ſuſcepiſſet. Hic cùm appoſitè propoſuiſſet imperitè multitudini partium corporis adverſus ventrem rebellantium, apologum, hac fabulâ intellexit illa ſibi, cum patriciis conveniendum, quamquam ii plebejorum laboribus divites eſſent. Itaque ſe Agrippæ reducendam plebs dedidit, eâ tamen lege ut Tribuni plebis duo deligerentur, qui eam à ditiorum potentia, & injuriis vindicarent: poſtea alii tres, duobus additi, ut Tribunorum Collegium ex quinque perſonis ſacro-ſanctis conſtaret. Primi creati ſunt Luc. Junius cognomento Brutus, homo turbulentus, & ſuo dignus nomine, & C. Sicinius Bellutus idem projectæ audaciæ, & qui tum magiſtratum ſanctiſſimum obtinuit ſuæ præmium improbitatis. Hac defunctus legatione Agrippa paulò poſt obiit, ſed inops adeò, ut publico ſumptu tumulandus fuerit. Ex ærario igitur in ejus funus ſuffecta pecunia: ſed cum plebs viritim collatis nummis grandem ſummam ad id officii confeciſſet, ea in ejus filios effuſa eſt, ne tota Reſpub. & ſinguli cives hominis tam bene de ſe meriti funere defuiſſe viderentur.

*Populi ſeceſſio in montem ſacrum.*

*Revocatur à Menenio Agrippa.*

*Mors Agrippa & Junus.*

OLYMP. LXXII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3562. 262.

Magna hoc anno Romæ caritas annonæ quam plebis ſeceſſio induxerat. Miſſi ſunt legati in circumpoſitas regiones, parùm felici tamen ſucceſſu, niſi in Siciliam.

*Coriolanus rem proſpere gerit.*

Tum autem cum Martius in Ardeates duxiſſet exercitum, eum locupletem reduxit, gementibus fruſtra ceſſatoribus quibuſdam, quos Tribunorum plebis ſeditioſæ conciones in urbe retinuerant, ubi tum fame, & invidiâ poſtmodum contabuerunt.

OLYMP. LXXII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3563. 263.

Gelo Syracuſis Tyrannidem invaſit, eamque annis 17. tenuit. Hujus liberalitas anno ſuperiori in Romanos eluxerat, quâ vili pretio 25. millia medimnûm Siculorum vendiderat, 25. millia dono dederat, ſed parum felici ſucceſſu; cum hæc annona plus intulerit damni Reipub. quàm ipſa fames.

*Gelo Roman. frumento juvat.*

M. enim Marcius qui à captis incredibili audaciâ Coriolis, Coriolanus dicebatur, repulſam Conſulatus paſſus à plebe, in Senatu Romano ſententiam dixerat de frumento Siculo inter

*Coriolanus ejicitur in exilium.*

egenos dividendo, quæ plus ultionis quàm prudentiæ redolebat. Itaqae à Trib. plebis apud populum accusatus est, & quamquam à Minucio Consule fortiter defensus esset, ipse tamen sibi suâ contumaciâ & judicum contemptu defuit. Quare ejectus est in exilium inter amicos gementes ipse unus inflexus, & vultu tantùm indignationem spirante. Statim ergo perrexit ad Volscos, & Attium Tullum, à quo blandè acceptus, ostendit in viris fortibus magnas virtutes, & magna vitia eminere.

*Persæ Eubœam invadunt.* Hoc quoque anno magno motu Græcia concussa, constitutis novis Ducibus à Dario Dati Medo, & Artapherne filio sui fratris Artaphernis. Hi sexcentis triremibus Ægæum mare contexerunt, quando & territa Delos terræ motu contremuit, Apolline suo adversus homines parùm tuta. In Eubœam tandem belli hujus nubes detonuit; Carystus capta, atque Eretria, ad eam totis sex diebus pugnatum; septimo tandem die proditione tantùm succubuit. In utraque urbe, ne sacris quidem rebus parcitum, in odium Sardensis incendii, & sacrilegia sacrilegiis vindicata.

OLYMP. LXXII. *ann.* 3. *Mundi* 3564. Urb. Cond. 264.

*Miltiadis ad Marathonem de Persis victoria.* Persarum trecenta millia in Atheniensem agrum ad Marathonem deduxit Hippias Pisistrati filius, quibus occurrerunt decem Atheniensium millia, cum mille Platæensibus, nam Spartani, quatridui superstitione non interfuere prælio. Nihilominus Persas aggressus est Miltiades: & in mediâ quidem acie vicere Persæ, atque Sacæ, sed in utroque cornu Athenienses superarunt qui tum sapienter fugere permissis Barbaris cornua sui exercitus contraxerunt, & victores in campo constiterunt. Ferunt quoque tum auxilium cælitus datum, conturbatis panico terrore Barbaris, quorum vix septem millia ceciderant, sed inter eos Datys magni ipse instar exercitus. Periit & in eo prælio Hippias, sed non eâ morte quæ tyrannum & proditorem decebat. Voluerunt & tum Persæ Athenas vacuas occupare, sed suboluit Atheniensibus consilium, qui partâ victoriâ statim in urbem sunt regressi; itaque cum viderent Persæ plenos propugnatoribus Athenarum muros, cum Eretriensi prædâ, & Marathonio dedecore in Asiam turpiter navigarunt.

OLYMP. LXXII. *ann.* 4. *Mundi* 3565. Urb. Cond. 265.

*Miltiades obiit in carcere.* Miltiades hoc anno Parum insulam aggressus & Cereris templum, usus proditione veteris sacrificulæ, partam in agro Marathonio gloriam & vitam perdidit. Graviter enim saucius re infectâ redire compulsus est, ubi accusatus coram populo, damnatus talentis quinquaginta. Quidam eum in vinculis obiisse putant. Hoc certum repræsentatam hanc fuisse à Cimone filio pecuniam ut pater honorificè sepeliretur, majori numerantis, quàm accipientis gloria.

*Coriolanus Volscos Romam ducit: seditio Rom. eget.* Eodem anno Volsci duce Coriolano in Romanos moverunt, vanis inter se altercationibus dissidentes, quorum rixas Marcius ipse malitiose fovebat. Patriciorum enim parcebat villis, plebejorum agros expilabat, & incendebat. Cepit, & aliquot urbes Romanis ad ejus aspectum ita fugientibus, quasi in hoc uno Romana fortitudo vigeret. Apparebant igitur in Volscis sub duce Romano, Romana disciplina, fortitudo, felicitas, quam cum Coriolano urbem reliquisse meritò Romani querebantur. Tantum est regnis atque civitatibus in uno homine damni plerumque, atque præsidii.

OLYMP. LXXIII. *ann.* 1. *Mundi* 3566. Urb. Cond. 266.

*Coriolanum matris flexit.* Hoc anno funditus interierat Roma nisi eam pietas materna servasset. Coriolanus enim ad urbem promovit Volscos suos, desertam à sociis, intestinis etiam discordiis laborantem, & quod erat caput exanimatam metu, & pristinæ virtutis oblitam. Jam irritæ patriciorum legationes duæ cesserant, neque plus Sacerdotum profecerat, jubente Marcio reverti neminem nisi imperata facerent, hoc est exuerent libertatem. Verùm quarta demum victrix extitit ex matronis Romanis conflata, autore Veturiâ sorore Poplicolæ, & matre Coriolani. Hæc juncta Volumniæ uxori, vestitu lugubri, cum liberis sordidatis, ad filii pedes accedit, certa mori, vel filium expugnare precibus. Novam hanc machinam bonus filius ferre non potuit, sed matrem complexus, ejus audivit preces, quamquam eas cum suâ morte conjunctas agnosceret. Neque vanus augur fuit. *Lapi... à V... Con...* Cum enim Volscorum reduxisset exercitum Appii Tulli factione lapidibus obrutus, meliorem se filium præstitit, quàm Imperatorem.

OLYMP. LXXIII. *ann.* 2. *Mundi* 3567. Urb. Cond. 267.

*Æg... jug... s.ir... cip...* Hoc anno Ægyptus Persarum accepit jugum, jam à Cambysis acceptum temporibus. Eâ rebellione excitatus Darius, de successore suo cogitat, cui regnum & hæreditaria bella Ægyptium, Græcumque relinqueret. Dubitabat porrò utrum Artabazanem ex se privato, an Xerxem ex se rege genitum præficeret. Sed nutantem impulit Atossa uxor, filia Cyri, mater Xerxis, & apud Principem uxorium plus amor, quam æquitas potuit.

*Vi... dif...* Romæ T. Sicinius Consul in Volscos progressus, eos Coriolani institutione fortes, tantùm internecione superavit, & Attio Tullo duce interfecto. Deficientibus enim corporibus tantùm, non animis, non incruentam Romanis reliquere victoriam. *Fa... He...* Facilior Aquilii Collegæ de Hernicis victoria fuit: ideò huic Ovatio, illi triumphus decretus, quòd hic minori, ille magno urbem terrore levasset.

OLYMP. LXXIII. *ann.* 3. *Mundi* 3568. Urb. Cond. 268.

*M... ri... Z... liu... su...* Mortuus est hoc anno Darius expletis in imperio triginta sex annis, cujus initia regni quàm finis illustrior fuere. Obiisse etiam eodem anno creduntur Zorobabel, & Josue Pontifex Hebræorum, magnis uterque pro populo defuncti laboribus, neque vitâ, neque morte disjuncti.

Flore-

Florebat circa hæc tempora Epicharmus, quem una cum Phornio inventorem fuisse Comœdiæ putant, & privatorum hominum fingendis moribus non inutilem operam collocasse.

Hoc item anno Spurius Cassius tertiùm Consul Volscos & Hernicos ad pacem petendam compulit. Exinde regnum affectavit, plebem frumento, atque muneribus deliniens. Immò & primus legem tulit de Agro Hernicorum inter socios Latinosque dividendo. Ea lex Agraria dicta, & magnorum motuum causa inter plebejos atque optimates, atque hoc solo nomine respuenda, quòd suspectum Tyrannidis hominem autorem habuisset.

OLYMP. LXXIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3569. 269.

Darii regnum excepit jam regni successor renunciatus Xerxes, & viginti annis tenuit cladibus suis, quàm rebus gestis famosior. Tum obiisse creduntur, Malachias, Aggæus, Zacharias Prophetæ, quos omnes ut sanctos Ecclesia Romana colit, diversis anni temporibus, & fortè eorum mortis diversus annus.

Romæ Spurius Cassius tribus Consulatibus, & duobus triumphis clarus, ad populum Tyrannidis insimulatus est, & re per quæstores diligenter excussâ, capite damnatus, atque ex Rupe Tarpejâ dejectus est coram populo. Sed mox cessante agrorum divisione, plebem judicii sui, & æquitatis pœnituit, & jam secura libertatis doluit eum perdidisse qui suis commodis invigilaret, quamquam à libertate penitus alienis.

OLYMP. LXXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3570. 270.

Ægyptus hoc anno Xerxis auspiciis domita gravius accepit jugum quàm excusserat, deteriorem quàm sub Dario experta dominatum. Huic præpositus est Achemenes Darii filius, & præses è Regio sanguine, ut longiùs à Perside dissita, parum à Rege disjungi videretur.

In Italia autem Æquos, & Volscos Consul L. Æmilius Mamercus fregit, qui nec jugum satis patienter ferre poterant, neque satis fortiter excutere.

---

## CAP. VIII.

### *Decas Octava.*

***Ab anno* 3570. *ad* 3580.**

OLYMP. LXXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3571. 27[illegible].

Hoc anno Aristides quo nullus fuit Athenis, immò in Græcia justior, & melior pœnas justitiæ suæ & virtutis dedit, in sceleratâ injustaque civitate. Ostracismo porrò depulsus est, quod pœnæ genus nimiæ potentiæ, & vergenti ad Tyrannidem inferebatur. Displicebat in eo nomen justi, & quod omnium pæne populariorum suorum lites dirimeret, quæ conjuncta cum invidiâ Themistoclis, tum omnia in urbe potentis, virum optimum, & melioribus temporibus dignum Athenis depulere. Vixit in Æginâ insulâ pauper, nec Daricis Xerxis, neque Calliæ possessionibus motus, & quod utroque præstantius neque civium suorum violatus injuriâ.

Natus est hoc anno Historiæ parens Herodotus, si qua Pamphilæ apud Gellium fides; cujus ore cùm Musæ locutæ perhibeantur, non debent tanti hominis natales præteriri. *Nascitur Herodotus.*

Vejens bellum hoc anno exortum, quod multo sanguine stetit, neque nisi hujus urbis excidio terminatum est. *Vejens bellum oritur*

Denique hoc anno viva defossa est Pompilia Vestalis, & qui ei stuprum intulerant necati verberibus, longas & acerbas leviculæ brevisq; voluptatis pœnas dependere. *Pompilia Vestalis defossa.*

OLYMP. LXXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3572. 272.

Pertinet ad hunc annum Xerxis in Græcos apparatus. Hoc bellum suadebant Thessaliæ reges, & Pisistratidæ subnixi Mardonio: Sed reclamabat Artabanus Darii frater, & patruus Xerxis, qui ex præcedentibus futura conjiciens, certam vaticinabatur cladem. Verùm furor & ulciscendi desiderium, cum nocturnis terriculis prævaluere. Tota Persis in hoc bellum incubuit; vocati etiam in societatem Pœni, qui Græcos, Italicos, & Siculos destinerent, ne venirent auxilio fratribus. Sed hæc omnia Græcos illustriores reddidere; immò iisdem postea fecerunt animos, ut eos perderent, quos tanto apparatu sibi nequaquam nocuisse intelligebant. *Xerxis in Græcos apparatus.*

Æqui hoc anno resumptis armis & animis, cum Vejentibus ex agro Romano prædas abegerant contra eos profecti Coss. Q. Fabius Vibulanus, & C. Junius nihil memorabile gesserunt, quia ambitu potiùs, quàm merito creati videbantur. *Æqui, & Vejentes victores.*

OLYMP. LXXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3573. 273.

Celebris est hic annus publicis totius Græciæ comitiis, & Xerxis hibernis in Lydia, & Sardibus. Et Græci quidem Corinthum convenerunt, ut inter se belli societatem inirent, sublatis inimicitiis non inter urbes & populos modò, sed & inter privatos, qui tum odia patriæ suæ condonarunt, inter quos enituere Themistocles, & Aristides. Xerxes verò tum eduxit in Græcos trecentas hominum Myriadas, seu tricies centena millia, uti scribit Diodorus, vel ut tradit Herodotus quingentas & viginti tres Myriadas, & præterea quinque millia ducentos viginti, Eunuchis, & mulieribus prætermissis, cum Græci omnes simul vix centum & decem millia conscripsissent. Porrò in itinere dum Celenas transiret Xerxes, incidit in Pythium Athys filium, virum supra modum divitem, ut qui terrestrem exercitum totum exceperit hospitio, & huic stipendium ad bellum obtulerit. Sed ejus liberalitatem Rex more Barbarico remuneratus est; *Comitia Græciæ.* *Xerxis copiæ.* *Pythius ditissimus.*

*Filium ejus necat Xerxes.* est; cum filium unum ex quinque (nam reliqui quatuor militabant) quem petebat subsidium senectutis medium discindi jussit, & per ejus medias partes Persicum agi exercitum, hoc facinore contaminatum, ad certissimam cladem properantem.

*Ossa Thesei Athenas relata.* Ossa Thesei tum per Cimenem Athenas delata ex Insulâ Scyro (quamquam alii ad alia tempora referant) ne venirent in Barbarorum manus, aut ut tantus Heros urbi quàm propè condiderat auxilium ferret contra Persas, in ejus maximè perniciem conjuratos.

OLYMP. LXXV. ann. 1. *Mundi* 3574. Urb. Cond. 274.

*Xerxes in Græciam venit.* Hoc anno Prætore Calliade Xerxes trajecit in Græciam, in quâ non tam suæ magnificentiæ, quam amentiæ monimenta defixit. Nam *Athos effossus Hellespontus junctus ponte.* Athon montem confodi jussit ne circumnavigaretur, sed insula fieret. Hellespontum verò ponte junxit; qui cum aquarum impetu fractus esset, Neptuno verbera infligi jussit, & in mare jaci compedes, ne sibi obstitisse glorietur impunè; tum duplici ponte iterùm commissus Hellespontus, Europæ sic conjuncta Asia. *Lacrymæ Xerxis.* Ibi Rex ex Abydeno tumulo copias omnes suas contemplatus, gaudio de tot collectis populis, lacrymas de brevitate vitæ permiscuit. Inde per *Thermopylas turtatur Leonidas.* Thraciam atque Thessaliam ad Thermopylas venit. Eas cum 300. suis Lacedæmoniis Rex Leonidas tutandas susceperat, & verò adversus Persas, Cessios, immortales duobus diebus, Xerxe ipso mirante defendit. Tertio demum die circumductis ab Epialte quodam viginti Persarum millibus, & juga montium occupantibus, Græci illi confixi missilibus, tantùm morte suâ fauces illas apertas reliquerunt.

*Pugnæ navales ad Artemisium & Salaminam.* Navales autem copiæ Persarum & Græcorum primùm ad Artemisium dubiâ victoriâ pugnarunt. Deinde ad Salaminam recessere Græci, ubi astu Themistoclis commissum certamen, in quo victi Persæ, Jonibus deficientibus in portum Atheniensem sese receperunt. Jam enim occuparant Atticam, & Athenas, tectisque omnibus prophanis & sacris injecerant ignes, quos incendium Sardense aliàs accenderat.

*Fugit Xerxe in Asiam.* Xerxes clade suorum animadversâ relicto in Græciâ Mardonio versus Hellespontum fugit, ne cum Græci prævenirent, pontesque rescinderent. Sunt qui Phœniciâ nave delatum velint, quâ intempestate ex onere periclitante, Persarum plures salutato Rege in mare desilierunt, & suâ morte atque naufragio Regis periculum discusserunt. Is demum pavoris, & ignominiæ plenus in Asiam appulit, quam tot sumptibus, tanto apparatu inaniter attriverat.

*Victi à Gelone Carthaginienses.* Neque bellum feliciùs in Siciliâ Carthaginiensibus cessit. Hi Amilcarem cum multis navibus, & luculento exercitu miserant. Sed pare ejus classis naufragio periit, reliqua Panormum occupavit. Inde profectus Amilcar Himeram obsedit, sed statim adfuit Syracusanus Gelo, qui fraudem virtuti permiscuit. Interceptis enim Selinuntiorum litteris, quibus nunciabantur mox affuturi cum classe, ipse eos prævenit, seque Selinuntium mentitus cum multis navibus exceptus est tanquam amicus; sed mox quis esset ostendit; nam & sacrificantem Amilcarem interemit, & Punicis navibus flammas injecit. Interea terrestrem quoque exercitum aggressus ita cecidit, ut centum quinquaginta millia Carthaginiensium in eo prælio desiderati sint. Reliqui paucas naves conscendere, quæ omnes ad scopulos allisæ tristissimo naufragio periere. Scapha una incolumis paucos, & tristissimum tantæ cladis nuncium Cartaginem revexit.

Romæ Consules ambo contra Etruscos profecti diu se continuerunt castris, quia miles detrectabat militiam. Sed demùm hostium probris lacessitas pugnam poposcit, adhibito Sacramento, se nonnisi victorem in patriam rediturum. Et verò pugnatum tantâ obstinatione, ut Consul C. Manlius ceciderit, alter M. Fabius Vibulanus, tam grave vulnus accepit, ut se abdicare coactus sit. Victoria penes Romanos fuisse visa est tantùm, quia hostes sequenti nocte, castris desertis, abiere. *Etrusci victi à Romanis difficili pugna.*

OLYMP. LXXV. ann. 2. *Mundi* 3575. Urb. Cond. 275.

Mardonius hoc anno in Bæotiâ ad Platæas cum Aristide, & Pausania fortiter dimicans occubuit, cum priùs Athenarum reliquias incendisset, atque subruisset. Eodem quoque die Persæ ad Mycalem navali prælio per Leutychidem profligati, & munitiones, & Classem incensam perdiderunt. Tum de Jonibus in Europam deportantis deliberatum, ne crudelitati Persarum, ob defectionem, paterent. Satis tamen visa est belli inter Græcos societas; quæ eos tutos etiam in Asiâ præstaret. His auditis Xerxes relictis ad Sardeis copiis, Ecbatana venit fugienti, quàm victori similior. Sed turpitudinem fugæ mox turpioribus amoribus cumulavit. Athenienses verò incensâ licet urbe suâ Seston in Thraciâ occuparunt, ut patriam suam sperarent, qui etiam hostium urbes invadebant. Atque hic claudit Herodotus historiam suam fabulosam in multis quam Thucydides sapientiùs & lautiùs deinceps excipit. *Persæ victi ad Platæas & Mycalen.* *Fugit Xerxes [...]*

Romæ Consul Fabius Cæso cum gente sua bellum Vejens suscepit, & ad Cremeram fluvium castra communiit, quibus se trecenti sex Fabii, cum quatuor millibus clientium incluserunt: Consilio sane Romanis salutari, si in Fabiis prudentia fortitudini respondisset. *Fabi[...] lum [...] suscep[...]*

OLYMP. LXXV. ann. 3. *Mundi* 3576. Urb. Cond. 276.

Athenarum muri hoc anno diligentiâ civium, Themistoclis prudentiâ perfecti sunt, renitentibus licet Lacedæmoniis, &, ne ii surgerent, lapidem omnem moventibus. Perrexit igitur Spartam Themistocles, cum hi diligentissimè conficerentur, & tandiu tergiversatus est quandiu accepit eos esse absolutos. Tum rogavit Spartanos, mitterent legatos, qui certa referrent: sed ii detenti sunt, donec Themistocles dimit- *Mu[...] the[...] refe[...]*

dimitteretur. Sic communis invidia Lacedæmoniorum, unius Atheniensis industria labefactata est.

Obiit hoc anno in Sicilia Gelo anno septimo sui principatus, cui successit Hiero frater major non tantùm annis, sed & sapientiâ, quâ duodecim annis Siciliam prudentissimè rexit.

OLYMP.LXXV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3577. 277.

Coss. C. Horatio Pulvilio, & T. Menenio Lanato, Fabii ad Cremeram primùm spe prædæ in insidias pertracti missilibus obruti sunt ab Etruscis, deinde internecione deleti, dum vindictam suorum spirantes in hostem fortiùs, quàm cautiùs ruunt. Hac victoriâ animatus hostis Menenium Consulem aggressus etiam exuit castris, & ad urbem pergebat nisi ab altero Consule repressus esset: ita clades cladibus, re semel malè gestâ, solent accumulari.

Athenienses Phalereo tantùm portu hactenus usi, Pyræum 400. navium portum exædificarunt, qui ex tribus quasi portubus conflari videbatur. Eò maximè obtinuerunt Imperium maris, deinceps non Persis modò, sed & reliquis Græcis terribiles facti, & ex Pyræo suo maribus omnibus imminentes.

Hoc anno Pausanias de prodenda Persis Græciâ cogitavit, cum interea Græcos in libertatem assererent Athenienses ducibus Aristide, & Cimone. Hi æquitate, & virtute multos sibi socios conciliarunt, & reliquos impulere Græcos conferre tributa ad bellum Persicum, constituto in insula Delo, publico Gentis ærario: itaque hoc anno primùm creati Ἑλληνοταμίαι, non immani Græciæ fructu, sed Atheniensium præcipuâ gloriâ, & quæstu.

OLYMP.LXXVI. *Mundi* Urb.Cond.
*ann.* 1. 3578. 278.

Pausanias desponsatâ sibi filiâ Regis Persarum, Barbarico insolescebat fastu, tam aditu difficilis, quàm erat facilis Aristides. Inde in eum querelæ, quibus permoti Ephori eum revocarunt; sed substituerunt ei ducem neque suis, neque Græciæ rebus satis idoneum. Ideò Atheniensium potentia crevit, quorum in ducibus fortitudo cum æquitate, & comitate pugnabant.

Hoc anno Romæ Menenius magni Menenii Agrippæ filius Exconsul præter rem malè anno superiore gestam à Tribunis plebis accusatus, damnatusque à populo, ex mœrore obiit; neq; sibi, neque patriæ suæ satis fortis.

OLYMP.LXXVI. *Mundi* Urb.Cond.
*ann.* 2. 3579. 279.

Pausanias inquieti vir ingenii Byzantium injussu Lacedæmoniorum occupat, unde ab Atheniensibus & Cimone depulsus Heracleam perrexit, ubi oraculum sibi fatale accepit. Itaque trajicit in Asiam ubi consilia cum Barbaris agitat, quæ per Aristidem & Cimonem innotuêre. Itaque revocatus Spartam datus est in carcerem. Unde emissus est, sponsione cum juramento datâ, sistendi se magistratibus, quoties ad judicium vocaretur. Imprudentissimè; cum illiusmodi homines aut nunquam constringendi sint, aut nunquam emittendi.

Hiero in Sicilia res suas satis feliciter administravit, Naxiis & Catanensibus ejectis, & novis incolis Catanam inductis, quæ tum Æthna dicta, ut desperatio recipiendæ patriæ Catanensibus injiceretur. *Catana dicta Æthna.*

OLYMP.LXXVI. *Mundi* Urb.Cond.
*ann.* 3. 3580. 280.

Pausanias etiam hoc anno ne quid intentatum relinqueret, cum Helotis adversus patriam conspiravit. Horum autem servorum erat Spartæ tanta multitudo, ut eorum septem cum singulis Lacedæmoniis in bello Persico dimicarint. Detecta res est servorum indiciis, quibus non est adhibita fides, decretumque è rep. esse, de Rege certiora testimonia expectanda videri. *Pausanias conspirat cum Helotis.*

Lacedæmonii inter hæc de recuperando maris imperio cogitant, à quo per Hœtemaridem deterrentur. Athenienses contra multas expeditiones suscipiunt, multasque insulas in servitutem redigunt, quarum divitiis, & viris aucti, reliquis Græcis formidabiles esse cœperunt. *Athenienses Græcis formidabiles.*

---

## CAPUT IX.

### *Decas Nona.*

*Ab anno* 3580. *ad* 3590.

OLYMP.LXXVI. *Mundi* Urb.Cond.
*ann.* 4. 3581. 281.

HOC anno Artaxerxes à Xerxe parente in regni societatem accersitur, prætereito Dario primogenito, quòd hic ex privato, ille ex Rege genitus esset; & voluit Xerxes prærogativam sibi à patre Dario factam, non tam exemplo, quàm lege in Artaxerxem derivari. *Xerxes Artaxerxem in regni societatem vocat.*

Romæ hoc anno census est actus, & lustrum octavum conditum, quo censa sunt tantùm 130. civium millia, ut fasti Capitolini referunt, Romanis inter tot bella fortitudine crescentibus numero deficientibus. *Census Romæ actus.*

OLYMP.LXXVII. *Mundi* Urb.Cond.
*ann.* 1. 3582. 282.

Sophocles hoc anno primùm Athenis Tragœdiam docuit, quâ & de Æschylo multarum palmarum Poëta victoriam retulit, judice Cimone. Porrò ex mœrore secessit in Siciliam Æschylus, aut quod in ejus aliquâ Tragœdiâ tabulata concidissent. Hic autem obiit, cum in ejus caput senile & glabrum Aquila elatam in altum testudinem quasi in saxum impegisset, ut sexcentis modis homines mori posse docerentur. *Sophocles Æschylum vicit. Moritur Æschylus.*

Thero Agrigentinorum Tyrannus hoc anno moritur; cujus filius Thrasybulus, dum regnat impotentiùs, primùm ab Hierone vincitur, deinde à suis civibus occiditur; quo facto Agrigentini sui juris non Tyrannum tantùm, sed & Tyrannidem sustulerunt. *Agrigentini Tyrannidem extingunt.*

Romæ

*Volero Centurio fit tribunus plebis.* Romæ hoc anno Volero factus est Trib. plebis, cui anno superiori Consules injuriâ abstulerant vitem, & repugnantem addixerant lictorum suorum virgis, at ille Centurio Lacertosus lictores malè mulctavit, & seditione populi concitatâ supplicium effugerat, Coss. ægrè in tumultu dilapsis. Ille ergo patriciis infensus legem tulit de plebeis magistratibus creandis, & ut Tribunorum comitia non ut olim curiata, sed tributa essent, sicque potentia divitum infringeretur. Verùm pestilentia superveniens, hoc negotium discussit, & multos mortales sustulit. *Valeria Vestalis defossa.* Valeria Vestalis corrupta, hujus causa fuisse creditur; nam ea defossâ, & ejus amasiis inter verbera necatis, malum omne sublatum est.

OLYMP. LXXVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3583. 283.

*Themistocles Ostracismo depulsus.* Hoc anno Themistocles Ostracismo depulsus est Athenis, Cimone Miltiadis filio in ejus locum subrogato, de tribus accusatus est de nimia potentia, de severitate pænè atroci, & quod Persis favere videretur. Meliùs quia ejus operâ nihil jam Athenienses indigebant. Quare se meritò cum arbore comparabat, sub quo tempore pluvio viatores latent, sereno cœlo, ejus ramos diffringunt.

*Nascitur Euripides.* Hoc quoque anno natus statuitur Euripides ab autore vitæ Sophoclis, quo 24. annis junior fuisse perhibetur, ut funestissimis Græciæ temporibus homo τραγικώτατος interesset.

*Appius repugnat Voleroni.* Hoc anno Romæ denuò creatus Tribunus plebis Volero, legem suam de plebeis Magistratibus, & Comitiis Tributis tulit, Appio Claudio Consule ad id delecto vehementiùs quàm par esset, & ad seditionem usque reclamante, quæ tamen T. Quintii Capitolini sapientiâ, & autoritate compressa est. Inde movit in Æquos Quintius, Appius in Volscos; & Appii milites in ducem malè affecti, castra & ordines adeò *Appii milites victi decimantur* flagitiosè deseruerunt, ut ipsi hostes suspicarentur fraudem. Id tantùm impediit quominus exercitus internecione deleretur. Sed cum eos ex hostico reduxisset Appius, ductores securi aut fustuario mactavit, reliquos more majorum decimavit, ut ad omnes metus, ad paucos pœna pertineret.

OLYMP. LXXVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3584. 284.

*Cimonis victoria* Cimon hoc anno Classem circumtulit magno damno Persarum. Et in Thraciâ quidem Eionum urbem vi cepit, muris ejus aquâ dilutis. Inde venit ad Dolopes in Scyrum insulam, quos omnes servituti mancipavit, & Pyraticam exercere vetuit. Tum quidam ab eo delata putant ossa Thesei Athenas, sed id maturiùs factum fuisse, & deferentis, & accipientis pietas arguit.

*Nascitur Thucydides.* Hoc quoque anno natus perhibetur Thucydides, alter Historiæ parens, & Herodoto longè accuratior, ut omnia procedente tempore meliora fiunt.

*Appius accusatus se interficit.* Hoc item anno dies est dicta Appio Claudio exconsuli ad populum, quòd Agrariam legem asperiùs dissuasisset, atque discussisset, adjunctis asperæ severitatis exemplis quâ in milites sævierat. Ille neque mutavit cultum, neque rogare populum per se, aut alium voluit, sed atroci se virtute involvens violentas sibi intulit manus. Perlato in forum cadavere cum Tribuni plebis impedirent filium quominus ex more de parentis laudibus diceret, restitit plebs, atque ejus exsequias frequens celebravit; quasi satis graves dedisset acerbitatis suæ pœnas, qui mori, quàm rogare populum maluisset.

OLYMP. LXXVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3585. 285.

Cimon gravibus cladibus hoc anno Rem Persicam afflixit. Nam CCCLI. eorum naves ad Cyprum, aut depressit aut cepit. Earum plerasque cum vacuas cepisset propugnatoribus in terram dilapsis, ipse iisdem imposuit milites Græcos Persarum armis, & Tyaris ornatos, sic processit ad ostia Eurymedontis Pamphyliæ fluvii, ubi reliqua Persarum classis stabat in Anchoris egregiè munita. Sed ea cum recepisset Athenienses quasi suos illi in hospites atrociter sævierunt. Cladem auxit ignoratio mali: Putabant enim Persæ Pisidas hostes in vicino tumultus autores esse; dum ergo fugiunt ad naves ut remedium invenirent, ab Atheniensibus cædebantur. In hac pugna, seu veriùs tumultu cæsus Pheredates Xerxis ex fratre nepos. Posterâ luce Cimon duplici auctus victoriâ terrestri, & maritimâ renavigavit in Cyprum. Ubi dubites utrum Dux tantus anceps & dubium excogitarit consilium, aut fortiùs, & prudentiùs executus sit. Hoc certum hac victoriâ Res Athenienses surrexisse, Persicas omnino concidisse. *Cimon ad Cy... & Eu... medon... victor...*

Natus quoque perhibetur hoc anno magnum Philosophiæ lumen Socrates, ut bellicosos Græcorum mores suâ sapientiâ, & virtutibus emolliret. *Nas... Socr...*

Capuam hoc anno à Tuscis conditam referebat Cato apud Paterculum deliciis mox, belloque Annibalico famosam. *Cap... con...*

Romæ T. Numicius Priscus Antiatarum oppidum navale vi cepit, diruit, & incendit, unde & XX. naves longas abduxit, prædâ omni militi concessâ. Postea junctis cum Aulo Virgilio Collegâ copiis, Sabinorum fines ingressus, eos longè, lateque populatus est, unde & militem locupletem reduxit, paulò post tamen agrariis legibus propter egestatem inhiaturum, usque adeò verum est bello, maleque parta, sine latronum commodo dilabi, atque diffluere. *Ant... cap... Ron...*

OLYMP. LXXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3586. 286.

Hoc anno Mycenæ quæ Argivis tum potentibus se submittere noluerant, funditus eversæ pœnas imprudentioris contumaciæ graves dependerunt. *My... ev...*

Tum quoque Simonides obiisse traditur Arte memoriæ celebris, & Dioscuris acceptissimus; quorum laudes cum cecinisset, ab iis vitam accepit, eorum operâ eductus è domo, quæ eo egresso, reliquos convivas oppressit. *Mo... Si...*

Florebat tum quoque Zeuxis pictor egregius, qui naturam sic æmulabatur, ut volucres ipsas deluderet, ad ejus uvas depictas advolantes. *Fl... Z...*

OLYMP.

OLYMP. LXXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3587. 287.

Lapis ingens, si Plinio fides hoc anno de cœlo in Ægospotamum magno naturæ miraculo decidit.

Obiit eodem, Hiero Syracusanorum Tyrannus, cui frater Thrasybulus successit, nec ejus sanguine, nec ejus imperio dignus.

Pausanias mittens ad Arrabazum Persam Bellerophonteas litteras de more, proditus est ab Argilio nuncio. Itaque fugit ad templum Palladis, ubi obstructis muro foribus fame necatus est. Ephori tanquam Asyli violatores ab Oraculo Delphico denunciati, postulati sunt ad supplicium ab Atheniensibus: Sed Spartani vicissim Themistoclem ejusdem criminis cum Pausania reum sibi dedi petierunt. Quare is Argis ubi vivebat in Corcyram fugit. Inde ad Admetum Epirotam, exinde in Asiam ad Persas, ubi est magnificè, & Regis instar exceptus. Nam ei tum numerata sunt 20. Talenta, & concessæ tres urbes, Magnesia pro pane, Lampsacus pro vino, & Myus pro obsonio. Addunt aliqui duas urbes Troadis pro vestibus & stragulis: ut verè filio suo diceret, *periturum se, nisi periisset.* Quæ quidem ostenderunt vanam non fuisse de ejus cum Persis fœdere suspicionem.

OLYMP. LXXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3588. 288.

Thrasybulus primùm contemptus deinde bello appetitus, turpissimis conditionibus cum Siculis pepigit, videlicet uti Locros in exilium proficisceretur. Quare deinceps Syracusani sui juris facti annis 40. ad Dionysium usque felicissimè vixerunt; Hoc bono potiti non suâ industriâ & virtute, sed exauctorati sui Principis stupiditate, & amentiâ.

OLYMP. LXXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3589. 289.

Hoc anno Artabanus Hircanus genere Regiorum satellitum Princeps, inductus in cubiculum à Mitridate Eunucho, Xerxem obtruncavit. Mox perrexit ad Artaxerxem, monuitque cædem à Dario fratre factam, cui & auxilium ad ultionem spopondit. Itaque ut parricida Darius interimitur. Verùm statim in Artaxerxem insurrexit, eumque leviter vulneravit; at is percussorem lethali vulnere percutit, & mox cum septem filiis robustissimis, aliisque conscіis mactari jussit. Ita solus regnavit Artaxerxes dictus μακρόχειρ, quod brachium, seu manum, dextram, lævâ longiorem haberet, ususque est alieno scelere ad regnum securiùs obtinendum.

OLYMP. LXXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3590. 290.

Hoc anno qui rebellaverant contra Athenienses Æginetæ, cum frustra diu Lacedæmoniorum auxilia expectassent dedere se compulsi sunt. Eadem conditio Thassiorum fuit, qui etiam rebellarant adversus Athenienses propter fodinas, & Emporia, ac triennio obsidionem fortiter tolerarunt. Exinde miserunt Athenienses decem millia colonorum ad Strymonem fluvium in eum locum qui tum septem viæ dicebatur, postea ab ambitu fluminis Amphipolis. Sed hi dum ulteriùs progredi volunt coloniâ nondum bene firmatâ à Thracibus Edonis, quibus locus ille infestus erat, debellati, & se & locum naturâ validum imprudenter perdiderunt.

Hoc item anno, primùm missus est subsidio Proconsul T. Quintius Capitolinus in castra contra Æquos, & Volscos, qui adventu suo impediit, quominùs illa expugnarentur. Romani tum non incruentâ potiti sunt victoriâ ac victis non absimiles urbem tres Duces repetierunt. *Pugnatur contra Æquos non satis feliciter.*

---

## CAP. X.

## *Decas Decima.*

*Ab anno* 3590. *ad* 3600.

OLYMP. LXXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3591. 291.

HOC anno Ægyptus cum Inaro Rege suo defecit, in quam Artaxerxes emisit peditum, equitumque trecenta millia Achæmene Duce, patruo suo, Darii filio. Neque tum sibi Inarus defuit adjunctis Africanis & Ægyptiis copiis, cum ducentis Atheniensium triremibus, quæ in Ægyptum appulerunt, quarum maximè operâ victi Persæ, sed lætioribus belli initiis quàm fine. *Rebellat Ægyptus duce Inaro.*

Artaxerxes in sacris Codicibus dictus Assuerus hoc anno suis Satrapis grande convivium stravit. Ab eo vocata Vasthi primaria uxor summæ pulchritudinis, venire renuit, & convivarum oculos pascere. Enimverò id Regi visum est intolerandum: qui adhibito septem sapientum suorum consilio, eam mox repudiavit, & hoc repudium subditis omnibus suis voluit innotescere, ne ex eo Reginæ facto, mulieribus Persicis præberetur occasio in maritos insurgendi. Ita mulier sapiens, quæ negavit pudens spectaculum sui corporis præbere hominibus magna ex parte tumulentis, à marito tam amente, quàm potente per summam injuriam castigata est. *Convivium Assueri.* *Repudiatur Vasthi.*

Eodem anno tanta Romæ pestilentia sæviit ut Senatorum quarta pars absumeretur. Duo tum Consules elati sunt, & magna pars Collegii Tribunorum. Quam occasionem arripientes Volsci, etiam urbem oppugnarunt; à cujus muris tantùm depulsi missilibus, Romanos tum mœnibus suis debere libertatem & incolumitatem suam proclamarunt. *Magna Romæ pestis.*

OLYMP. LXXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3592. 292.

Assuero hoc anno quæsitæ virgines variæ exquisitæ pulchritudinis, ut ex iis seligeretur, quæ Vasthi locum primaria uxor impleret. Selecta est inter reliquas Esther Judæa, quæ adeò placuit Egeo Eunucho, ut statim huic mundus muliebris acceleraretur. Mardochæus patruus summâ prudentiâ curam neptis gerebat, & ad Palatii fores obambulabat sæpe, ut huic, ejusque *Esther inter virgines seligitur.* *Mardochæus nepti suæ prospicit.*

que amplitudini prospiceret, sed longè plus Deo, quàm suæ confidens industriæ, & neptis venustati.

Eodem anno Artaxerxes frustra sollicitatis Lacedæmoniis adversus Athenienses, quorum operâ Persicæ res in Ægypto malè procedebant, suis copiis præficit egregios duces duos Artabazum, atque Megabyzum; sed longè plus industriæ & fortitudini Themistoclis confidebat; hunc igitur evocat, & suis Græcis committere parat. At is operatus sacris coram amicis in splendida veste Taurinum sanguinem calidum ebibit, ne aut deesse Regi optimè de se merito, aut bellum inferre patriæ vel ingratus, vel perduellis cogeretur.

*Themistocles evocatus ab Xerxe interfecit se.*

Hoc quoque anno Romani ultionem meditantes duos Consules adversus Æquos, & Volscos miserunt; qui vicerunt ambo, licet exitu dispari: quare T. Lucretio Tricipitino triumphus, T. Titurio Gemino Ovatio decreta. Domi autem res parum quietæ fuerunt lege Terentiâ promulgatâ de Quinqueviris consulari potestate creandis, ne patricii in Repub. possent omnia, sed ex certis legibus omnia gererentur. Ita legum nomine, & ordine turbulenti cives ad omnia perturbanda abutebantur.

*Bellum in Æquos & Volscos.*

*Turbatur Roma.*

OLYMP. LXXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3593. 293.

Lex Terentia rursum Romæ magna contentione agitata: cui fortiter restitit Cæso Quintius. Hujus audaciâ etiam Tribuni sæpè foro depulsi. Sed is demum populi suffragiis in exilium actus ostendit hunc Sacro Sanctum magistratum à nullo impunè unquam violari.

*Lex Terentia Quintius Cæso exul.*

Siculi item aliàs Catanâ, cæterisque urbibus dejecti ab Hierone, easdem recuperantes hoc anno duce Decetio probarunt Tyrannorum acta non esse diuturna.

*Siculi ejecti restituuntur.*

Athenienses Ægyptiorum auxiliatores, Persas victos Memphim usque persecuti sunt, cujus urbis potentissimæ duas partes occuparunt; tertiam cui Albi muri nomen aggressi, sunt facti ex oppugnatoribus propugnatores.

OLYMP. LXXX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann* 1. 3594. 294.

Ephialtes quidam Periclis suasione Cimonem quasi μισόδημον, & φιλολάκωνα Ostracismo depulit urbe, cum priùs Areopagitarum autoritatem imminuisset. Verùm idem Ephialtes sequenti nocte jugulatus est, cujus cædis suspicionem ægrè à se Pericles depulit.

*Cimon ostracismo pulsus opera Periclis.*

Interea Persæ suis obsessis intra Murum Album trecentas naves miserunt, quibus hærentes Ægypto Athenienses depellerentur, prudentissimo consilio, ut mox res Ægyptiacæ defluentes ostenderunt.

*Persæ suis auxilia mittunt.*

Retinuerunt hoc anno Romæ magistratum suum præter consuetudinem Trib. plebis, & novas fraudes adversus Patricios excogitavere; Sed eas omnes & C. Cladius Regilus tam sapienter quàm fortiter retexuit. Tandem minus malum, majus oppressit.

*Turba Romana.*

Nam Appius Herdonius Sabinus cum Clientibus & servis intempestâ nocte secundo flumine delapsus, Romam subiit, & Capitolium, arcemque Tarpeiam occupavit. Statim oppugnatus est quidem, sed cum ingenti Romanorum damno. Nam P. Valerius Poplicola alter Consulum cæsus. Tandem arx recepta, Herdonius telis obrutus, ejus socii, aut suâ, aut Romanorum manu omnes, sed non inulti perierunt. Cum Tribuni plebis tumultus renovarent, T. Quintius exulis pater, suffectus adeò se facilem, & moderatum populo præstitit, ut is legum oblivisceretur. Exacto tempore magistratus sui, abdicavit, ut exemplo suo Tribunos plebis coargueret, qui jam tertium annum contra morem majorum retinebant; quâ objurgatione tacita, nulla est ad convincendos improbos, atque deterrendos valentior.

*Herdonius Sabinus occupat Capitolium, ægrè depellitur.*

*T. Quin... urbi...*

OLYMP. LXXX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3595. 295.

Athenienses Leocrate duce Corinthios Epidauriis conjunctos debellarunt, & Peloponneso populatâ, iterum congredi ausos, iterum vicere ad Cecricephalum. Æginetæ quoque rebelles eandem aleam subierunt, victi profligatique ab Atheniensibus, quos odio capitali, sed inutili prosequebantur. Hic quoque annus Lysiæ magni Oratoris natalibus notatur, qui pugnaces Atheniensium animos, Orationis suavitate demulceret.

*Victi ... Æg... ab A... niens...*

*Nasci... Lysia... Orat...*

Esther hoc anno in thalamum Assueri introducta, eum sic implicuit, & demulsit, ut Vasthi pristinæ uxoris suæ penitus oblivisceretur.

*Esther uxor ...taxe...*

Census hoc item anno habitus Romæ, civium centum triginta tria millia cum trecentis novem suggessit; sed lustrum habitum non est ob occupatum Capitolium, & alterius Consulis necem, quamvis Dionysius conditum asserat. Volsci & Æqui ad Antium victi, duobus Consulibus, cum multis captivis triumphum reliquerunt.

*Census habi... nehi...*

*Victi & V...*

OLYMP. LXXX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3596. 296.

Megarenses à Corinthiis vexati Atheniensium implorant opem: eò missus Mironydes Corinthios vicit; & ne deinceps vexarentur socii eis μακρὰ τείχη ædificavit, ut essent deinceps ad resistendum, & expectanda Atheniensium auxilia paratiores.

*Meg... ses a... then... tiis.*

Phocenses ejecerunt Dores ex tribus oppidis, sed statim Lacedæmonii expulsis opem tulerunt. Eos redeuntes dum aggrediuntur Athenienses, quàm expectarant paratiores & fortiores experti sunt.

*Com... Ath... ses, ... ceda...*

Ad hunc quoque annum pertinent Eunuchorum insidiæ in Assuerum, quos aut Mardochæi invidia, aut repudium Vasthi ad tantum facinus impulerant, & fortè Amano conscio. Sed detecti parricidarum supplicio vitam terminarunt. De muneribus autem Mardochæo indicii datis ita scriptura loquitur, ut hoc loco negatio pro affirmatione, aut sanè prolepsis ab eruditis admittenda videatur.

*Eun... rum Art... xem... dia.*

Æqui & Sabini in Romanos moverunt; Sabinos submovit & vicit C. Nautius Rutilus. Æqui, duce Graccho Claudio, Minucium in angustias pertraxerunt, ubi erat Romanis fame pereundum, vel facienda deditio. Ideò T. Quintius

*Æq... Sab... Rom... gre... tur.*

tius ab Aratro vocatus ad Dictaturam, qui & Minucium liberavit, & Æquos conclusos jumentorum more sub jugum misit, ideoque triumphavit, Minucium priùs ob imprudentiam submovens Consulatu. Sic intra dies 16. tot rebus confectis Dictaturam posuit, & prædiolum repetiit, sine fructuum jactura, quod unum in tanta dignitate uxor ejus rustica & provida materfamilias reformidarat.

OLYMP. LXXX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3597. 297.

Æqui quiescere nescii Corbionem occupant: mox tamen à C. Horatio Pulvillo Consule devicti, se semper rebelles, non felices esse docuerunt.

Thebani à Bœotis contempti μεδισμοῦ nomine confugiunt ad Lacedæmonios, à quibus honori pristino restituti sunt, nec tributum sceleri, quod erat temporum iniquitati assignandum. Tum nihilominus Lacedæmonios devicit exiguâ manu Dux Atheniensium Myronides, & Bœotiam, Locros, aliasque regiones suis partibus addixit. Sic inter duos illos populos divisa Græcia, vertenda in Persas arma, in se infeliciter absumebat.

OLYMP. LXXXI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3598. 298.

Tolmides Dux Atheniensis Laconicam populatur, & Zacynthum, atque Cephaleniam insulas occupat. Messenios quoque & Helotas qui Ithome deditionem fecerant Lacedæmoniis, eâ lege, ut nunquam nisi ut servi in Peloponnesum redirent, Naupacti collocat; futuros ab hac parte Græciæ præsidio, atque ornamento, cum Atheniensium gloria, & æmulatione Lacedæmoniorum.

Eodem anno Romæ ludos sæculares actos esse scribit Censorinus, quo vigebat Icilius Tribunus plebis autoritate tantâ, ut sibi convocandi Senatus jus arrogaret, quod ad hoc usque tempus Consulum fuerat. Vir fuit ille seditiosæ facundiæ, & dignus è Tarpeja rupe præcipitari, unde tantum non lictorem Consulis resistentem sibi, dejiciendum curavit. Sed tum Romæ magistratus ille sacer, multa scelera contegebat.

OLYMP. LXXXI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3599. 299.

Innotuit hoc anno Esdras, aliter Nehemias dictus, & potestatem accepit ab Assuero Hierosolymam proficiscendi. Is, teste Hieronymo novas excogitavit litteras, cum ad hoc usque tempus fuissent Hebræis, & Samaritanis communes. Profectus est autem cum sociis 1776. & cum summa potestate judicandi, corrigendi, docendique, immò expendendi pecunias quas acceperat ex fisco: ut tum in Dei populum (annitentibus saltem occultè Esthere, atque Mardochæo) Regis Deique procurator constitutus esse videretur.

Hoc anno Pericles ab Atheniensibus dux electus est, qui dum Tolmides in Bœotia occupatus esset, Peloponnesum fœdissimè depopulatus est. Tumque Lacedæmonii ejus manus experti sunt, ut ejus linguæ fulmina sæpe Athenienses noverant. *Pericles Peloponnesum populatur.*

Æqui hoc anno in Italia Tusculanos sunt aggressi. Cumque Romæ tumultuarentur Trib. plebis cum patriciis, nihil propiùs factum, quàm ut Tusculani desererentur. Demum jussi sunt ambo Coss. cum amicis, clientibus, & volonibus obviam hosti procedere. Itaque multi certatim huic militiæ nomen, & inter reliquos Siccius Dentatus, magnus Patriciorum oppugnator, cum cohorte octingentorum emeritorum. Hic autem superveniens hosti fortiter cum Consule pugnanti, potissima victoriæ causa fuit. Facinus tamen gloriosum in odium Consulis flagitiosè convertit, ac malitiæ suæ fraudisque præmium, in annum sequentem abstulit plebis Tribunatum. *Æqui Tusculum aggressi.* *Siccius Dentatus causa victoriæ factus ideò Trib. plebis.*

OLYMP. LXXXI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3600. 300.

Pertinent ad hunc annum quæ Esdras Hierosolymis ordinavit; & maximè connubia Judæorum cum alienigenis dissoluta, quæ eò difficiliora videbantur, quò uxores illæ ardentiùs à maritis suis diligebantur; sed prævaluit divina lex, cum Esdræ sanctissimis monitionibus, Regis etiam authoritate firmatis. *Esdras Hierosolymam ordinat.*

Ad hunc quoque annum spectare videtur initium Hebdomadarum septuaginta Danielis; quæ cum contineant septies septuaginta Decadas, seu annos quadringentos nonaginta: ex iis si dimidium Hebdomadæ, seu tres annos cum dimidio sustuleris, occurret patiens in cruce Christus, & cum hoc verbo *consummatum est*, omnia legalia sacrificia in cruce consummans. De his Hebdomadis, recole quæ quæstione duodecima Prolegomenon observavimus. *Initium Hebdomadarum Danielis.*

Syracusani hoc anno Athenienses stolidè imitati πεταλισμοῦ, seu ὀστρακισμοῦ formam induxerunt: hoc tamen illis sapientiores, quod hoc pœnæ injustissimæ genus vix receptum sustulerunt. *Syracusanorum petalismus.*

Romæ verò lege Terentiâ rejectâ tres legati, Sp. Postumius, Ser. Sulpitius, & A. Manlius missi sunt in Græciam, qui eorum populorum leges explorarent, apud quos tandiu floruisse sapientes existimabantur. *Legati Rom. missi in Græciam*

Ibidem superioris anni Consules C. Veturinus Cicurinus, & T. Romilius Vaticanus hoc anno damnati; hic decem millibus æris, ille quindecim, hoc est 200. & 300. circiter Gallicis Francis, quæ vix postea mediastini mulcta fuit: hac tamen damnatus Romilius, ut tum ingenti pecuniæ summa, in Senatu sententiam valde popularem dixit, & tam pauci eum nummi à Patriciis suis, & à veritate divulserunt. *Damnat superioris anni Consules.*

# LIBER IV.

# SÆCULUM MUNDI TRIGESIMUM SEPTIMUM.

*Ab anno mundi* 3600. *ad* 3700.

## CAPUT I.

## PRIMA DECAS.

*Ab anno* 3600. *ad* 3610.

| OLYMP. LXXXI. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann.* 4. | 3601. | 301. |

*Amani, & Mardochæi caſus.*



CADIT in hunc annum duodecimum Aſſueri ſive Artaxerxis, Amani Tragœdia, qui cum omnia poſſet apud regem, obtinuit ut gens Judæorum univerſa uno die tolleretur. Ille non ſatis cultus à Mardochæo ab eo ſe contemptum putavit, & in tantum furorem exarſit ut tanti populi ſanguine duntaxat extinguendus videretur. Porrò tam certus erat petitionis à Rege obtinendæ, ut cædis etiam diem committeret ſorti; quam Deus ita diſpoſuit, ut in menſem duodecimum, ejuſque diem decimum tertium, vel decimum quartum caderet, quò plus temporis diſturbando injuſtiſſimo conſilio tribueretur. Tandem impetrata eſt ab imprudentiſſimo Rege hac die omnium Judæorum cædes; cujus denunciatio etiam publicis locis affixa mirificè Judæos perturbavit. Principio quidem precibus, & corporis afflictationibus confugerunt ad Deum, deinde humana etiam remedia adhibuerunt. Monuit enim Mardocheus Eſtherem, ut Aſſuerum adiret, & negotium quocumq; tandem poſſet ipſa modo disjiceret: ſed huic quoque periculum imminebat, ſi non vocata, Regem adiret; quia id leges patriæ prohibebant. Tandem illa proprium diſcrimen publico gentis periculo poſthabuit. Splendidè enim veſtita Regis cubiculum ingreſſa eſt, ſed hanc ille reſpexit oculis qui plus majeſtatis, quàm amoris teſtarentur. Hæc ſeu verum fuit, ſeu ſimulatum deliquium velut exanimata cecidit, cui ut opitularetur Rex ipſe deſcendiſſe ſolio, & Regis oblitus, mariti perſonam induit, huic ſceptrum deoſculandum offert, clementiæ ſignum: atque ut omnem timoris ſuſpicionem abſtergeret, ei ſponte offert omnia quæ petitura erat, dimidiâ tantùm excluſâ regni parte. Hic Eſther rogavit Regem duntaxat, ut ſequenti die ad ſe cum Amano cœnam ſumeret, quod ſtatim obtinuit. Itaque Rex cum Amano apud Reginam ſplendido convivio ſunt excepti. Neque tamen tum aperuit Eſther mentem ſuam, ſed eandem convivii, cum eodem comite, gratiam poſtulavit à Rege, quam non difficiliter obtinuit. Dum exit Aman & ex vino, & ex facta ſibi gratia hilarior, incidit in Mardochæum à quo non eſt exceptus honore, quem ſibi debitum homo ſupra modum ambitioſus, putabat; unde tantùm mœroris hauſit, ut is omnes quibus perfruebatur delicias, quaſi felle dilueret. Quâ de re cum queſtus eſſet apud uxorem, & amicos, ſuadent illi ut crucem 50. cubitorum ſtatim Mardochæo excitandam curet, ejuſque mortem die ſequenti à Rege Reginaque obtineat. Eam porrò noctem Aſſuerus traduxit inſomnem, quam ut falleret Annales ſibi prælegi juſſit, & Anagnoſtes fortè in illum locum decidit, quo detectæ per Mardochæum inſidiæ deſcribebantur. Hic petiit Aſſuerus, quid mercedis index ille nobilis recepiſſet, negatumque ab Eunuchis quidquam abſtuliſſe. Itaque quæſivit Rex quis ex aulicis ſtaret in veſtibulo, ſtatimque eſt inventus Amanus Mardochæi petiturus necem, & ſupplicium jam paratæ crucis. Hunc Aſſuerus interrogat quis eſſet hominis honorandi modus, qui Regi acceptiſſimus eſſet, ille quaſi ſuis commodis reſponſurus ait, hunc hominem indutum veſtibus Regiis imponendum eſſe equo regio, per urbem regiam circumducendum primario aulico præcedente, qui vociferaretur præconis inſtar ſic hominem honorari, quem Rex maximè honoratum vellet. Vade (Rex inquit) & hæc ipſe in Mardochæo perfice, & vide, ut accuratè exhaurias quæcumque ſuggeſſiſti. Quid multa? cum inſignibus Regiis per Suſa Mardochæus ab Amano circumducitur: unde invidus ille ſuperbusque præco tantum concepit triſtitiæ, ut ſe abderet domo, vicem ſuam dolentiùs deploraturus. Inde tamen per vim propè ab Eunuchis Regiis ad majorem dolorem abſtractus eſt, conviviumque Reginæ. In eo cùm Rex incaluiſſet mero, & Eſtherem de petitione ſua monuiſſet, illa compoſito ad miſerationem vultu, ſibi vitam populoque ſuo deprecata eſt. Cumque is percitus iracundiâ, autorem tantæ crudelitatis poſtulaſſet, illa oculos & manum intendit in Amanum, quem inſuper hoſtem capitaliſſimum appellavit ſuum. Rex itaque furore, & indignatione concitatus, nec monſtri conſpectum ferens, relictâ ſubitò menſâ pergit in hortum; Amanus turbatior, accedit ad Reginam ſupplex ut eam flecteret, & accedit propiùs quàm ejus conditio pateretur, adeo ut veniret in ſuſpicionem apud Regem Zelotypum attentatæ uxoris pudicitiæ. Quare illicò jubente Aſſuero, ejus quaſi cadaveris, operitur facies, & in crucem quam Mardochæo paraverat, ab Eunuchis indicatam,

catam, tolli jubetur. Mardochæus in ejus locum, ac bona ſubſtituitur, cujus operâ, atque Eſtheris reſciſſum de tollendis omnibus Judæis decretum, in eorum hoſtes converſum eſt. Ita vir impius ex purpura ad furcam delapſus eſt, ut vir innocentiſſimus ex cruce, tantum non ad diadema tolleretur.

Sicyonem cùm fruſtrà tentaſſet Pericles in Acarnaniam arma convertit quàm juris Athenienſis fecit, ne expeditionem irritam ſuſcepiſſe videretur, ad res bene gerendas vir ſupra modum intentus.

Syracuſani quoque hoc anno cum Tyrrhenis bellum geſſerunt, quo condita eſt in Sicilia urbs Palica à Ducetio Siculo juxta Deorum Palicorum lacum, quæ loco fertiliſſimo ſita, tam citò aſſurrexit, quàm defecit, eique ſua amœnitas, & omnium rerum copia, ad diuturnitatem obſuit.

OLYMP. LXXXII. ann. 1. Mundi 3602. Urb. Cond. 302.

Celebris eſt annus Judæorum in ſuos inimicos ultione, eodem menſe, & die quo ipſi ab iiſdem deſignati fuerant ad cædem. Conſtat eorum ſeptuaginta quinque millia ſublata eſſe, præter Amani liberos cum tota familia, eodem etiam tempore in crucem actos. Hunc diem ut feſtum diu Judæi recoluere, & donec eumdem in Chriſtum tranſtulerunt ut liquet ex Impp. reſcriptis: Tum enim quieſcere prohibiti ſunt, cum lætari impiè, & per ſacrilegium voluerunt.

Tum quoque à Crotoniatis everſa Sybaris ante annos duodeſexaginta, duce Theſſalo inſtaurata eſt inter Crathim, & Sybarim fluvios, reliquiis civium undicumque collectis, unde tamen ſexto poſt anno depulſi, hujus urbis nihil præter obſcura veſtigia poſteris reliquerunt.

OLYMP. LXXXII. ann. 2. Mundi 3603. Urb. Cond. 203.

Romæ creati ſunt patriciis, & plebejis conſentientibus decem viri, quorum annuum eſſet imperium, cæteris abolitis magiſtratibus, donec ex novis legibus crearentur. Hi fuere Appius Claudius, & T. Genucius, qui Conſulatum abdicarant, Publius Sextius cum tribus in Græciam legatis, T. denique Romulius cum tribus aliis patriciis. Eorum unus habebat Conſularia inſignia & faſces, cæteri à privatis vix differebant. Reddebant tum etiam privatis jura, æquitate ſummâ, & quam omnes probarent; interim nihilominus vacabant legibus conficiendis, de quibus interrogabant pleroſque omnes, ne cuivis diſplicerent: uno verbo ita ſe geſſere, tunc temporis ut digni cenſerentur, qui tantæ Reipubl. Legiſlatores dicerentur. Ubi demùm confectæ leges, Senatusconſulto probatæ ſunt, & coram Pontificibus Comitiis Curiatis confirmatæ, in æreis columnis 12. inciſæ, locoque eminenti proſtantes, novam civitatis faciem, & ſperatam à bene conſtitutâ Repub. felicitatem pollicebantur.

OLYMP. LXXXII. ann. 3. Mundi 3604. Urb. Cond. 104.

*Induciæ inter Ath. & Peloponneſios.*

Tum induciæ quinquennales inter Athenienſes & Peloponneſios initæ ſunt, autore Cimone; quibus freti Athenienſes ducentarum navium claſſe Perſis formidabiles eſſe cœperunt; ideoque ab Artaxerxe novum conſtitutum vectigal, quo eorum faſtus faciliùs & potentiùs retunderetur. Enimverò miſerant ii in Ægyptum ad Amyrtæum, Perſis nequaquam parentem, ſed regnantem in paluſtribus locis ſexaginta naves; reliquas 140. Cimone duce deſtinarant in Cyprum, ubi & Citium urbem obſederunt, quæ tamen paulò diutiùs reſtitit quàm Cimonis gloria, vitaque pateretur.

*Athenienſes mari potentes.*

*Incendium Templi Argis.*

Argis etiam eodem anno Junonis templum incenſum eſt, tam hoc ſuo incendio quàm ſuis divitiis, ſtructuraque memorabile.

*Decemviri in 10. Tyrannos degenerarunt*

Decemviri Romæ hoc quoque anno non abiere magiſtratu, quod legibus Colophon nondum impoſitus videretur. Paulò poſt tamen Indictis Comitiis Patriciorum nobiliſſimi quique prenſavere Decemviratum. Omnium ore celebratus omnibus candidatis antepoſitus eſt Appius Claudius, cui addictus Q. Fabius Vitulanus cum quinque aliis patriciis, & tribus ex plebe, ut hæc quoque demulceretur. Ii omnes inter ſe perfidioſè conjurarunt de magiſtratu in perpetuum retinendo, & habendis raris admodum Comitiis, & Senatuſconſultis, injecto omnibus terrore. Is autem confirmatus eſt timor, cùm iidem ſine Senatus, & populi conſenſu in magiſtratu permanſiſſent, & flagitiis etiam ſuis & injuriis, ac ſatellitio, tyrannis quàm magiſtratibus facti ſunt ſimiliores.

OLYMP. LXXXII. ann. 4. Mundi 3605. Urb. Cond. 305.

*Cimon moritur.*

Cimon in obſidione Citii moritur, cùm ſibi animo informaſſet Perſarum Imperium, eaque de re legatos ad Jovem Ammonem miſiſſet: ſic una civitas ejus conſiliis metas poſuit. Tum redire compulſi ſunt Athenienſes ob tanti Ducis mortem, aut certè propter famem, quamquam duplicem retuliſſent victoriam de Phænicibus, Cypriis, atque Cilicibus, quando & cepere centum Perſarum naves cum ſuis propugnatoribus. Eam ob cauſam Artaxerxes edixit ſuis ducibus Artabazo, & Megabyzo, ut cum Græcis quibuſcumque conditionibus deciderent: quod & factum, cum ingenti Perſici nominis infamiâ. Juſſi enim Perſæ liberas in Græcia civitates relinquere, neque ad mare propiùs accedere quàm ad equi curſum, neque inter Cyaneas petras, & Chelidonias inſulas longâ aut roſtratâ navi vehi; conditionibus tam duris atque fœdis, ut capti Babylone, Suſis & Ecbatanis vix deteriores accipere nequirent.

*Perſarum Athenienſibus pacem turpiſſimam ineunt.*

*Decemviri dum nimiù poſſunt exautorantur.*

Decemviri cum omnia Romæ poſſe viderentur exautorati ſunt. Suſtulerat enim Appius Claudius pleroſque Decemviratus atque Tyrannidis adverſarios, & inter cæteros Siccium famoſum illum Tribunum plebis, & multarum palmarum virum, quem per ſatellites ſuos interimendum curarat. Sed cùm idem libidinem crudelitati junxiſſet, ferri non potuit. Virginiam

*Virginia cæditur à patre.*

niam enim dignam nomine ſuo Romanam puellam cum ſæpe de ſtupro tentaſſet, ſemper repulſam paſſus eſt: quare amore ſimul & furore concitatus ei calumniatorem oppoſuit de ſuo, qui negaret eam ingenuam eſſe, ſicque libertate privatam Appii Claudii turpiſſimis amoribus ſubmitteret. Sed pater ejus Virginius Miles fortis, & civis bonus, ejus dedecus, & iniquam ſervitutem avertit illatâ nece, maluitque filiam nullam habere, quàm turpem. Itaq; caſto ſanguine perlitus commilitones ad opem ſibi, patriæque ferendam incitavit. Miles ergo regreſſus in urbem Aventinum occupat, quibus juncti ſunt omnes qui jampridem defectionem à Decemviris moliebantur. Erant quoque Decemviris fautores ſui atque ſatellites; ne tamen civile conflaretur bellum L. Valerius Potitus, & M. Horatius ſapienter impedierunt. Eorum igitur operâ, & conſilio decemviri ſponte magiſtratu abierunt, acceptâ tamen cautione nihil cum iis niſi ex judicio, & legibus actum iri. Tum creati de more Conſules, qui concordiæ autores extiterant Valerius, & Horatius, & Tribuni plebis. Ii ſtatim diem dixere decemviris & Appio, qui illicò in carcerem datus eſt, accuſante Virginio. Paulò poſt tamen eliſis faucibus inventus eſt in carcere, ſive is ipſe ſibi, ſeu huic Tribuni laqueum injecerunt. Alius quoque decemvir Oppius in vinculis necatus eſt, alii in exilium ſponte, bonis publicatis, abierunt. Tum eorum adminiſtris, & ſatellitibus data venia, ne in plures ſæviendi, daretur occaſio. Ita legibus optimis Romana civitas temperata eſt, quas Legiſlatores ſceleratiſſimi concinnarant, ex ſuis ipſi legibus, factisque judicati.

*Appius in carcere inventus eſt mortuus.*

*Conſules duo triumphant.*

Conſules deinde ambo in hoſtes profecti de iis retulere victoriam: ſed cùm triumphum à plebe potiùs, quàm à Senatu impetrare maluiſſent, quàm fortes ſe belli Imperatores præbuerant, tam domi ſe turpes adulatores oſtenderunt.

OLYMP. LXXXIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3506. 306.

*Victi Eubœenſes & Megarenſes ab Athen.*

Eubœenſes & Megarenſes deficiunt ab Athenienſibus. Victi omnes à Pericle, atque ad obſequium revocati, oſtenderunt populis minoribus, qui magnam Remp. vicinam habent, neceſſariam eſſe vel ſocietatem, vel ſervitutem.

OLYMP. LXXXIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3607. 307.

*Phocenſes, & Delphici committunt Lacedæm. & Athen.*

Phocenſes tum potiebantur templo Delphico, ejuſque divitiis, quod Delphici cives diutiùs ferendum non putarunt. Hi ergo Lacedæmonios evocarunt, quorum operâ, & armis tutelam Templi receperunt. At Phocenſes accivere ſocios Athenienſes, qui Duce Pericle antiquis dominis reſtituerunt templum. Sic inter fœdera pugnabat uterque populus, & vitiligabatur, negabatque injurias ſociorum vindicatas bello, inter vindices fœdera violare.

*Tolmides cæſus.*

Expugnavit etiam hoc anno Tolmides Athenienſis Cheronæam: Sed idem poſtea à Bœotis cæſus eſt. Quare irati Athenienſes Bœotiam omiſere, quæ univerſa tanti Ducis jacturâ, redimenda nequaquam videbatur.

OLYMP. LXXXIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann* 3. 3608. 308.

Malè tum res Athenienſium procedebant, & defluxiſſent penitus niſi eas Pericles continuiſſet atque erexiſſet. Is Eubœenſes iterum rebellare auſos repreſſit ac domuit. Lacedæmonii quoque irruperunt in Atticam, ſed poſt aliquot velitationes tricennalia fœdera inter utrumque populum compoſita ſunt, cum neutram in partem inclinatura victoria videretur, neutro aut ſatis vegeto, aut ſatis attrito.

Tum quoque Thuriorum urbs inſtaurata eſt à Sybaritis, Athenienſium operâ, eamque Charondas bonis legibus temperare conatus eſt; inter quas illuſtris iſta, ne quis de mutandis legibus ageret, niſi inſerto in collum fune, ut ſi quid injuſtum proponeret ſtatim ſtrangularetur: quia ſatiùs videbatur uti legibus non ita bonis, quàm mutatis.

OLYMP. LXXXIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3609. 309.

Pertinent ad hunc annum vigeſimum Artaxerxis excitati muri Hieroſolymitani duce Nehemiâ, qui ſapienter ac fortiter hoſtium moliones deluſit, & dejecit. Quando & ignis in ſpelunca abſconditus tempore Hieremiæ, & in aquam craſſam converſus ad aſpectum Solis exarſit in templo, cujus rei fama anno inſequenti in Perſide vulgata, jam ſatis propenſos in Judæam Artaxerxis animos, iis penitùs addixit. Inventa fuit eodem tempore Arca, & Religioſa ſupellex, quæ tandiu latuerant, nemine latebrarum conſcio; quoniam eorum inveniendorum curam Deus ipſe ſibi reſervarat.

Romæ C. Canuleius Trib. pleb. legem tulit de connubiis patrum cum plebe miſcendis, & eam tulit impedito delectu, cùm multi ſimul hoſtes inſurgerent. His permoti patres Reip. potiùs quàm dignitatis ſuæ rationem habendam eſſe duxerunt.

OLYMP. LXXXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3610. 310.

Tarentini hoc anno contra Thurios bellum geſſere, quo Thurii novos Athenienſium recepere colonos, inter quos Lyſiam annorum 15. & Herodotum hiſtoriæ parentem nondum duodennem, quem hic libros ſuos ſcripſiſſe nonnulli putant, magnâ Italiæ gloriâ.

Florebat hac Olympiade Meliſſus origine Samius Parmenidis auditor, qui otioſam inertemque Philoſophiam non docuit, ſed regendis civitatibus accommodatam, non domi tantùm, ſed & militiæ bonus.

Florebat eodem tempore Protagoras Abderites, dictus Atheos, quod initio cujuſdam libri ita ſcripſiſſet. *De Diis, ſint ne an non ſint, nequeo ſtatuere: multa enim id ſcire prohibent, rei incertitudo, & brevis hominum vita.* Bajulus quondam fuerat, ſed cum Democrito collocutus, Philoſophiam ſuis humeris impoſuit, cui par ferendo non fuit; itaque Sophiſtes eſſe maluit, abdicato Philoſophi nomine, neutro dignus, ſed ignibus, quibus libri ejus accuſante

cusante quodam Theodoro, Athenis meritò conflagrarunt.

Tribuni Militares hoc anno primùm creati Romæ, potestate consulari: Sed auguribus vitio factos esse denunciantibus, plus fidei volucribus, quàm toti populo Romano habitum est. Itaque in eorum locum post tres menses, suffecti Consules duo L. Papyrius Mugillanus, & L. Sempronius Atrotinus, suum vanissimis homuncionibus debuere consulatum.

---

## CAP. II.

## *Decas Secunda.*

### *Ab anno* 3610. *ad* 3620.

OLYMP. LXXXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3611. 311.

VOlsci hoc anno à M. Geganio Macerino secundùm Consule, non solum victi ad Ardeam, quam non satis concordem obsidebant, sed & sub jugum missi sunt. Verùm non hic malorum finis fuit. Dimissi enim inermes cum in Tusculanos incidissent, trucidati sunt. Itaque consuli decretus triumphus post rebelles cives severè compressos, ob rem non tantùm fortiter, sed & sapienter administratam.

Cum Romani Consules ob frequentia bella sæpe abesse cogerentur, neque lustro & censu suo tempore confectis Remp. satis providè administrarent, Censores creati, qui his ex suo munere defungerentur, Romanosque in officio continerent. Creati sunt hoc anno primi Papyrius, & Sempronius, ut quod ex Consulatu anno superiore his detractum esset, hac novâ dignitate cum fœnore restitueretur.

OLYMP. LXXXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3612. 312.

Samus insula defecit ab Atheniensibus, cujus defectionis præcipua causa fuit Aspasia Milesia Periclis amica, in cujus gratiam favit ille Milesiis impensiùs, quàm æquitas pateretur. Jussi sunt itaque Samii abstinere bello, & controversias suas ad arbitrium Atheniensium componere. Verùm illi parere recusarunt: quare adversus eos missus Pericles cum 40. navium classe, & urbe potitus optimatium statum in popularem vertit; quinquaginta viros nobiles, totidemque pueros obsides extortos in insulâ Lemno deposuit, plus turpibus amoribus suis, quàm patriæ, sociæque civitati concedens.

Hoc anno est à Romanis colonia Ardeam deducta, ut tumultus comprimerentur, qui anno superiori patricios & plebem Ardeatinam distraxerant, quorum hæc Volscos, illi Rom. auxiliatores accersiverant, ut jam omnes effecti Romani Volscis favere dedíscerent.

Ludi quoque à decemviris voti cum Romana plebs secessionem minaretur, hoc anno exhibiti sunt, ne impii & scelerati homines in vovendo, quàm boni cives in exequendo paratiores viderentur.

OLYMP. LXXXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3613. 313.

Samii subreptis obsidibus suis ex Lemno evocatisque auxiliatoribus Persis, adversus Athenienses rebellarunt, & Miletum obsiderunt: Sed adfuit illicò cum decem collegis Pericles. Hujus adventu cognito Samii obsedione solutâ cum 60. navibus huic occurrunt, sed victi in portum suum, urbemque compacti sunt, & obsessi. Intereà ad eorum auxilium Phœnices accurrerunt, quibus dum occurrit Pericles, ne ancipiti prælio, distractusque dimicare cogeretur, Samii duce Melisso Philosopho prætore suo erumpentes, relictos in obsidione Athenienses fugere, & eorum plerisque noctuas captis ferro candenti in fronte inscripserunt. Verùm rediit victor Pericles, & Machinis urbem verberavit, quas ab Artemone Clazomenio in hac obsidione quidam primùm inventas ferunt. Itaque Samii quibusvis conditionibus sese dedere compulsi sunt, & dum vicinos Milesios opprimere moliuntur libertatem suam, atque Remp. perdiderunt.

*Sami rebellant, & iterum vincuntur à Pericle.*

*Artemon machinarum bellicarum inventor.*

OLYMP. LXXXV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3614. 314.

Obiit tum Siculorum Dux Decetius ex morbo, cui neque ingenium, neque prudentia ad res magnas, sed tantùm fortuna defuit.

*Decetius moritur.*

Romæ tanta fames hoc tempore sævIit ut plerique se præcipitarent in Tiberim. Eam occasionem nactus Spurius Melius vir prædives, frumento ex Etruriâ accito, largitiones fecit majores, & majori fastu quàm privatum decebant. Itaque sibi plebem ita devinxit, ut non consulatum modo, sed summam in Urbe potestatem sperare videretur. Insanus qui nesciret plebem famelicam ad omnia se demittere, saturam dominorum inimicissimam esse, & suæ retinentissimam libertatis.

*Fames Romæ Sp. Melius Tyrannidem affectat.*

OLYMP. LXXXV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3615. 315.

Creatus est hoc anno Consul sextùm T. Quintius Capitolinus, magno Reip. bono, utpote qui Spurii Melii disjiciendis consiliis par unus esset. Itaque cum præfectus annonæ ad eum retulisset arma apud Melium comportari, & Tribunos plebis ad prodendam Remp. emptos, is sine cunctatione T. Quintium Cincinnatum Dictatorem dixit, à quo renunciatus Equitum Magister Servilius Ahala. Postero die urbe præsidiis egregiè munitâ descendit in forum Dictator, evocavitque Melium ad suum tribunal per suum Equitum Magistrum. At reus dum tergiversatur, & auxilium suæ plebis implorat à Servilio trucidatus est. Cincinnatus jure cæsum videri pronunciavit, domum ejus everti jussit, ac bona publicari. Rebus autem compositis Ahala à Lucio præfecto annonæ accusatus est, damnatusque vertere solum compulsus est, vir sanè meliori Rep. aut judicibus æquioribus dignior.

*Casus Sp. Melius à Serv. Ahala Cincinnati Equitum Magistro.*

Obsidentes Epidamnum Corcyræi cum accepissent Corinthios parare sexaginta navium clas-

*Epidamnus capta. ... Corinthii.*

classem, ut venirent ad urbis auxilium, cum Lacedæmoniis & Sicyoniis Legatis Corinthum adiere, & suasere, ut res potiùs jure, quàm armis decideretur. Verùm cum convenire non potuissent certatum utrimque pertinacissimè, victi Corinthii, Epidammus capta, Corinthiorum agris atque navalibus illata vastitas. Hoc eis pretio pax repudiata stetit.

OLYMP.LXXXV. *Mundi* Urb.Cond.
*ann.* 3. 3616. 316.

*Corinthii & Corcyræi parant classem.* Corinthii magno studio parabant classem ut acceptum anno superiori dedecus relinerent. Quare Corcyræi legatos misere ad Athenienses, qui peterent auxilia: Misere & Corinthii, qui ea dissuaderent. Frustrà: nam Lacedæmonius Cimonis filius cum decem navibus Corcyram tutari jussus est: videlicet cum ea cautione, ne Corinthios aggrederetur, sed tantùm Corcyræos præstaret tutos, ne trecennalia fœdera violari putarentur. Ita subdolè Græci sibi invicem, ac sanctissimis pactis illudebant.

*Legati Rom. cæsi à Fidenatibus.* Fidenæ colonia populi Romani ad Vejentes, eorumque Regem Tolumnium defecêre. Missi à Rom. legati cum causam defectionis inquirerent à Fidenatibus interfecti sunt, ut hoc pacto spem reconciliationis omnem ejurarent. His legatis statuæ in rostris positæ sunt, ut eos pro patria gloriosè mortuos posteritas sciret.

OLYMP.LXXXV. *Mundi* Urb.Cond.
*ann.* 4. 3617. 317.

*Spolia opima à Corn. Cosso, Tolumnio detracta.* L. Sergius.Fidenas bellum Vejens fortiter inchoavit, at cum huic perficiendo par non videretur, Dictatori Æmilio Mamerco commissum est. Prælio inito cæsus est Rex Tolumnius à Cornelio Cosso, qui & spolia huic opima detraxit, & juxta Romuli spolia defixit: ipse in triumpho Dictatoris, quadrigis invectus, plures in se oculos quam ipse triumphans attraxit.

OLYMP. LXXXVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3618. 318.

*Corcyræi Corinthiorum apparatum inutilem reddunt.* Corcyræi Atheniensium auxilio, Corinthiorum ingentem apparatum inutilem reddidere, unde enata horum in Athenienses malevolentia. Ab hoc enim tempore vias investigarunt omnes quibus Athenis nocerent, etiam Corcyræis, quàm Atheniensibus placatiores: cum illos hostes, hos inimicos capitales suos arbitrarentur.

*Nascitur Isocrates.* Tum natus est Isocrates hoc est annis quinque ante bellum Peloponnesiacum, hujus laudes meliùs scripta, quàm alius quivis celebrare queant.

OLYMP.LXXXVI. *Mundi* Urb.Cond.
*ann.* 2. 3619. 319.

*Potidæa deficit ab Athen.* Corinthii Potidæam Atheniensium coloniam ad defectionem sollicitant, quibus accessit Perdiccas Atheniensibus quoque iratus, quod fratribus suis rebellibus tulissent opem. Quin & idem Rex Athenienses, & Lacedæmonios inter se commisit. Rem subodorati Athenienses 30. naves cum mille viris gravis armaturæ mittunt qui Potidææ mœnia diruerent, & obsides imperarent. Confugere Potidæates ad Lacedæmonios, qui his polliciti sunt irruptionem in Atticam, si Potidæa tentaretur. Quare urbs cum sociis defecit: Chalcidenses tamen reliquere urbem suam, & Olynthum commigrarunt autore Perdiccâ. Sic ancipites dubiique hæsere Athenienses, maximè cum accepenint Corinthios in Thraciam exercitum præmisisse, qui Potidæam hujus belli caput tutaretur. His damnis stetere Atheniensibus auxilia Corcyræis parum sapienter concessa.

*Moritur Pindarus.* Mortuus est hoc anno Pindarus, sua vitate Lyrici Carminis sui in hominum memoria semper victurus.

*Fidenæ captæ incisis Rom.* Fidenates peste grassante Romæ Aniene transmisso ad Urbem castra posuere. Quare dictus est Dictator A. Servilius Priscus, qui statim omnes ad arma idoneos eduxit, hostem fudit, & Fidenas compulit. Cumque se urbem capere, munitam desperaret, egit in arcem cuniculum etiam monte perfosso, qui apertus nec opinantibus civibus & Romanos, & urbem suam esse captam ostendit. Urbs ferro flammisque excisa multo sanguine, multisque facibus legatorum manibus litavit.

OLYMP. LXXXVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3620. 320.

*Athenienses P... eam ...rent.* Athenienses in Macedoniam copias mittunt: Sed iidem statim cum Perdicca fœdus inierunt, quem non tam vincere, quàm terrere volebant, longè Græcis quàm Macedonibus infestiores.

Vejentes & Falisci Fidenarum excidio permoti populos Etruriæ duos supra viginti permovere conantur, quare tum delectus est Dictator Æmilius Mamercus quasi difficillimis Reip. temporibus. Quievêre tum Etrusci, & Vejentum atque Faliscorum consilium improbatum. Dictator tamen, ut magistratus sui momentum relinqueret, censuræ tempus à quinquennio ad sesquiannum contraxit lege à populo latâ. Quæ res ita censores pupugit, ut eundem deposito summo magistratu tribu moverint, & fecerint ærarium. *Ma... Di... cen... tem... con...* Quod adeò absurdum est visum, ut quominus iis à populo vis inferretur, unius Æmilii obstiterit autoritas, qui tum maximè quid in se & alios posset ostendit, cum summa animi moderatione, & magnanimitate.

---

## CAP. III.

## *Decas Tertia.*

### *Ab anno* 3620. *ad* 3630.

OLYMP.LXXXVI. *Mundi* Urb.Cond.
*ann* 4. 3621. 321.

*M... E... ea... se... r...* TUM Meton Pausaniæ filius Enneadecaëteridem publicavit suam, seu annum suum decemnovennalem, quando annis novemdecim lunaribus, solares annos exæquare conatus est, septem intercalationibus, videlicet annis 1. 6. 8. 11. 14. 17. & 19. Quod curriculum per excellentiam *Numerus Aureus* appellatus est & ad nos quoque perseverat, computo Ecclesiastico solitus alligari.

Romæ

Romæ fæviente peſtilentiâ ædes Apollini vota, ſed votum irritum fuit, ſæviente nihilominùs peſtilentiâ. Tarentini quoque Syris incolas aliò tranſtulerunt, & coloniâ ſuorum additâ, Heracliam condiderunt, Græcis hac parte creſcentibus cum in alia ſeſe fœdè lacerarent.

OLYMP. LXXXVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3622. 322.

Phidias Minervæ ſimulacrum Athenis abſolvit ex ebore 26. cubitorum altitudine, variis figuris exornatum. Fuit ipſe Phidias Diis effingendis quàm hominibus melior, inquit Quintilianus, ſed cum Dii tantùm ab hominibus Majeſtate, palæſtrâque diſtarent.

Tum Callias Athenienſium Dux Macedoniam reliquit, & verſus Potidæam perrexit, cum 70. navibus, & tribus Athenienſium millibus, multisque ſociis ac ſexcentis Macedonum equitibus. Potideatæ & Peloponneſii ad Olynthum conſederunt duce peditatus Ariſtæo, equitatus Perdiccâ, qui tum ab Athenienſibus, fide Barbaricâ, defecerat. Tandem conflixerunt hæ copiæ ancipiti prælio. Vincere tamen viſi ſunt Athenienſes quamquam Calliam ducem perdidiſſent, cui Phœmio ſtatim ſubrogatus. victoriam à ſuis ſtetiſſe demonſtravit.

Corinthii populos omnes concitant adverſus Athenienſes, quos violaſſe fœdera Lacedæmonii declararunt. Athenienſes inter bellum nutabant, & pacem; ſed eos ad deteriora conſilia impulit Pericles, conſilio uſus Alcibiadis nepotis ex fratre, ne rationem reddere cogeretur ingentis pecuniæ, quam adminiſtrarat. Itaque reſponſum Lacedæmoniis, Athenienſes non ſuſcepturos bellum, ſed propulſaturos: univerſa Græcia communi conſilio in hoc bellum incumbit; cui cum cauſam dediſſent Athenienſes, ejus quoque damna libertatis ſuæ jacturâ luerunt.

OLYMP. LXXXVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3623. 323.

PELOPONNESIACUM BELLUM annorum duodetriginta hoc anno cœptum eſt Veris initio, à Thebanis 300. qui Platæas urbem Bœotiæ, amicam Athenienſium, occuparunt ſed non retinuerunt, immò 180. è ſuis amiſerunt perfidiosè jugulatos à Platæenſibus, eis cadavera pro vivis reddentibus.

Archidamus interea Lacedæmoniorum Rex Atticam populatus eſt, dum Pericles centum triremium Claſſe Peloponneſum diripiebat. Tandem ambo multis acceptis illatisque damnis prædâ divites, in patriam egentem redierunt.

A. Poſtumius Dictator adverſus Æquos & Volſcos pugnavit, eique fortiſſimè Vectius dux Volſcorum reſtitit, & cruentam tantùm reliquit victoriam. Dictator enim ipſe vulneratus eſt, & plerique Romanorum duces: expugnata tamen etiam hoſtium caſtra non dubiam Romanorum dixere victoriam. Is Poſtumius filium ſuum contra juſſus ſuos pugnare auſum, ſecuri percuſſit, & nobilem triumphum ſuo ſanguine funeſtavit, melior civis, quàm pater.

OLYMP. LXXXVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3624. 324.

Sæviit hoc anno gravis peſtilentia, exorta primùm in Æthiopia, indeque Ægyptum, Perſidem, Græciamque pervagata, cum maximo tamen Athenienſium, levi cæterorum Græcorum damno. Utrimque etiam abactæ prædæ; ſed majores excurſiones inhibuit peſtilentia. Tum quoque Pericles exautoratus, & grandi pecuniâ mulctatus fuit; paulò poſt tamen reſtitutus, quia par ei reperiebatur nemo, majori dedecore infligentis, quàm recipientis infamiam. Legati quoque Lacedæmoniorum cum Ariſtæo Corinthio, euntes ad Perſarum Regem, ab Athenienſibus intercepti, cæſi ſunt, & in foveas projecti, pœnâ ut ajebant Talionis, quæ rarò crudelitate caret. Ita inter Græcos, non tantùm armis, ſed & ſuppliciis pugnabatur.

*Peſtis ſævit Athenis.* *Pericles exautoratus, & reſtitutus.*

OLYMP. LXXXVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3625. 325.

Agon dux Athenienſis hoc anno Potidæam ad deditionem compulit; at urbe tantùm potitus eſt, civibus in urbes & vicina oppida dilapſis. Itaque Athenis miſſa Colonia ex urbe civitatem effecit.

*Agon Athen. Potidæam capit.*

Obiit in hoc anno Pericles, cùm duos annos & ſex menſibus à bello concitato vixiſſet. Lues enim quæ anno ſuperiori duos ei filios & ſororem eripuerat, eidem hoc anno non pepercit. Vir planè magnus, & linguâ manuque potens, omnique celebratione digniſſimus, niſi virtutes ejus malè adminiſtrata pecunia, ideoque concitatum grave bellum, inquinaſſet.

*Moritur Pericles.*

OLYMP. LXXXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3626. 326.

Natus hoc anno Plato extinctum ſuperiori anno Græciæ lumen, ſua luce viſus eſt rurſus accendere.

*Naſcitur Plato.*

Sed item mortuus eſt Anaxagoras, digniſſimus nomine ſapientis, utpote qui ſapientiam bonis omnibus antepoſuit: Rem ergo privatam publicamque contempſit, uni intentus Philoſophiæ, & cœleſtium contemplationi, patriam ſuam ratus eſſe cœlum, quod incolebat animo, non quam pedibus terram calcabat.

*Moritur Anaxagoras.*

Platææ item hoc anno obſeſſæ ab Archidamo, atque Bœotiis: ſed urbs inventa eſt ad reſiſtendum paratiſſima, nec unius anni hujus expugnatio. Athenienſes parum feliciter in Thracia depugnarunt; eodem modo Lacedæmonii adverſus Phormionem in Acarnania, alternis ad eos currente, atque recedente victoriâ.

*Platææ obſeſſæ à Lacedæm.*

OLYMP. LXXXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3627. 327.

Leontini cum Syracuſanis difficili bello implicati, ſuisque rebus diffidentes auxilia petunt ab Athenienſibus per Legatum Gorgiam. Miſerunt hi naves in Siciliam duce Lachete, ſeu Chareade, qui & ab aliis Chabrias dicitur, quæ inſulas aliquot & regiones depopulatæ, prædâ quàm gloriâ auctiores rediere.

*Leontini & Syracuſani diſſident.*

Res Corcyræorum hoc anno fuerunt afflictiſſimæ, cùm eorum aliqui faverent Lacedæmoniis, alii Athenienſibus, alii nulli populo addi-

*Corcyræi diſſidentes rem ſuam evertunt.*

cti sui juris esse vellent. Itaque adeò immanibus odiis in se invicem efferati sunt, ut se & cives & Græcos esse penitùs oblivíscerentur.

*Eruptio illustris Plataeensium.*

Tum quoque Platæenses viginti supra ducentos ex urbe feliciter & fortiter eruperunt, per media obsidentium castra, & deluso hostium insequentium studio ad suos incolumes pervenere. Paulò post tamen reliqui inclusi dediderunt se eâ lege, ne indictâ causâ damnarentur. Auditi sunt accuratè, omnesque addicti neci 200. Platæenses, & Athenienses 25. urbs diruta in gratiam Thebanorum, qui excidium hujus urbis præmii, & rei bene navatæ loco sibi satis esse duxerunt.

*Archidamus Atticam diripit Ath. Acarnaniam.*

Archidamus hoc quoque anno in Atticam irrupit, in eaque tandiu grassatus est, quandiu tulere importata & inventa cibaria. Redierunt quoque ex Acarnania Athenienses re non infeliciter gestâ duce Phormione.

*Mytilenæi rebelles se dedunt Ath. Pachetes & Alcidas.*

Mytilenæi quoque tum ab Atheniensibus ad Lacedæmonios defecere, sed statim à prioribus dominis obsessi duce Pachete. Ad eorum auxilium venerunt etiam Lacedæmonii Alcidâ duce, sed tardius & ignaviùs accesserunt quàm Lacedæmonios decebat, sui Imperatoris culpâ. Itaque sese dedere compulsi sunt Mytilenæi contra quos Athenis severissima primùm dicta est sententia, deinde mitior, quæ tamen priùs allata est quam severiorem Paches executioni mandasset, cum ingenti gaudio & judicum, & reorum.

OLYMP. LXXXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3628. 328.

*Pestis Athenis.*

Pestis hoc quoque anno Athenis atrocissimè sæviit, quod nihil æquè hujus urbis vires afflixit. Huic quoque conjuncti sunt terræ motus ingentes, marisque restagnationes quæ multis Atticæ, & Eubœæ locis vastitatem intulerunt.

*Athenienses non despondent animos.*

Nihilominus Athenienses ita vexati, ac pænè attriti in varia loca Classes miserunt: in Peloponnesum 30. naves; in Melum insulam 50. Tum quoque cum pedestribus copiis in Ætoliam duce Demosthene irruperunt, sed ab Ætolis vexati atque lacessiti, damni minùs intulerunt, quàm acceperunt, atque ad Naupactum victis similes redire sunt compulsi.

*Expiata Delos.*

Tunc etiam Delus expiata est sublatis ex insulâ cadaveribus, & loculis: quia nefas putabatur hîc sepeliri quemquam, ubi Apollo & Diana primùm vixissent.

In Italia tres Tribuni militum parum inter se convenientes à Vejentibus in castra repulsi sunt, minori damno, quàm ignominiâ. Ea res Fidenates ad defectionem impulit, quibus oppositus est Dictator Æmilius Mamercus.

*Fidenates victi, eorum urbs incensa.*

In eum hostes furiarum instar facibus & larvis instructi prodierunt. Ea species primùm Romanos perculit; sed animati voce, manuque Ducis, fanaticorum sanguine faces restinxere. Victi ergo Fidenates, in flumen pleriquc se conjecerunt, unde enatavere pauci; quos insecuti Romani, fugientibus permixti Fidenas irruperunt; ubi Fidenatium faces, ad urbem incendendam adhibitæ sunt.

OLYMP. LXXXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3629. 329.

*Pylus munita Athen.*

Demosthenes dux Atheniensium Pylum dissitam Lacedæmone stadiis quadringentis diligenter communiit, cum incredibili Lacedæmoniorum dolore. In Sphacteria igitur insula Pylo oppositâ delectos viros collocarunt: sed ii mox Cleone Atheniensium Duce in insulam transgresso post diuturnum certamen inediâ fracti sese dedere compulsi sunt, ducenti nonaginta duo; qui mox Athenas translati sunt. Tum quoque mentio aliqua pacis injecta, quæ tamen Atheniensium tumore & fastu dejecta est: iidem tamen mox didicere se nondum satis potentes, Lacedæmonios nondum satis esse depressos.

Anno septimo belli Peloponnesiaci obiit Artaxerxes Longimanus, regni sui anno 40. quando etiam extinctus est ei charissimus Nehemias, de populo suo & religione, si quis alius optimè meritus.

Artaxerxi successit filius unicus Xerxes secundus Rex Persarum, qui degustavit potiùs, quàm rexit imperium intra dies quinque supra quadraginta sublatus: nam Sogdianus, quem alii Secundianum vocant, conciliato sibi Pharnacyo Eunucho, eum in quodam festo temulentum, & dormientem occidit. Sogdianus autem potitus regno Bagorazum Eunuchum sibi jam pridem odiosum lapidibus obrui jussit, quam necem, cum Xerxis morte conjunctam permolestè tulit exercitus, qui mox ad Ochum, aliter Darium Nethum defecit, à quo interceptus Sogdianus, cum sex mensibus, & diebus quindecim regnasset, in cineres conjectus interiit, dignior qui vivus flammis arderet.

OLYMP. LXXXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3630. 330.

Darius Nothus, aliter Dariæus, prius Ochus dictus 9. Rex Persarum occupavit imperium, & ad annos undeviginti rexit. Filius erat Artaxerxis, sed ex Cosmartidene Babyloniâ concubinâ genitus. Is uxorem habuit sororem suam, sed ex alia matre genitam Parysatidem fœminam crudelem, sed callidam, & cujus potissimùm consilio & artibus Sogdianum oppressit. Ex ea porrò privatus Darius suscepit Arsacam qui dictus est Artaxerxes Mnemon, & Amistrim fœminam: Rex autem factus ex eadem uxore genuit Cyrum minorem, & alios tredecim, fœcundioribus nuptiis quàm felicibus.

Nicias Dux Atheniensium cum classe navium sexaginta Lacedæmoniis eripuit Cytheram insulam, qua utebantur quasi portu onerariarum ex Ægypto, & Africa venientium; atque ita erepta sibi commercia peregrina graviter tulere Spartani. Accedebat & desperatio quod sibi deinceps mari certandum esset, cùm tamen inferiores se Atheniensibus in navalibus prœliis nimis sæpe didicissent. Porrò Cythereenses omnes emissi, sparsique per diversa loca, advocati Athenas Coloni, ut majori odio Spartanos, quibus imminebant, vexarent, & attererent.

Ere-

Erexit tamen eorum utcumque animos Braſidas Dux eximius, per quem abductæ ſunt Acanthus, Stagira, Torone, & quæ maximè pupugit Athenienſes Amphipolis. Ab hac parte ſi auxilium à ſuis accepiſſet Braſidas, res Athenienſium conciderant. Erant enim in hoc duce egregiæ corporis, animique dotes, ejuſque fortitudo atque prudentia, manſuetudine, & liberalitate condiebantur. Acceſſit & id Athenienſibus damni, quod Bœoti duce Pagonda eos profligavere mille viris cum eorum duce Hippocrate cæſis. At in Delii oppugnatione Athenienſes viciſſim Bœotos repreſſere, multis eorum captis, atque trucidatis. Quæ clades victoriis permixtæ Lacedæmonios non deſperare omnia, Athenienſes omnia ſperare non debere, tantùm docuerunt.

---

## C A P. IV.

### *Decas Quarta.*

*Ab anno 3630. ad 3640.*

OLYMP. LXXXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3631. 331.

LAmachus Athenienſis ad Heracleam tempeſtate amittit claſſem; quare annuæ inter Lacedæmonios & Athenienſes induciæ confectæ ſunt. De iis priuſquam audiret aliquid Braſidas Scionem cepit, & ad Lacedæmonios urbs Menda defecit: unde omnia turbata, neque Spartanis redditi captivi, quos tamen ut reciperent, pleraſque rei bene gerendæ occaſiones elabi ſiverant, plus civibus pauculis, quàm toti patriæ imprudenter tribuentes.

Tum etiam Perdiccas à Lacedæmoniis abalienatus eſt, vir tempori magis, quàm ſuæ gloriæ ſervire gnarus.

Incenſum quoque Argis templum Chryſidis Sacerdotis incuriâ, cum hæc vittis facem imprudens admoviſſet, & ſtatim ſe ſomno dediſſet. Fugit illa Phliuntem, atque in ejus locum ſubſtituta Phaneis templum inſtaurandum, non adornandum, curandumque ſuſcepit.

Sempronius Conſul adverſus Volſcos malè pugnavit, & victus fuiſſet niſi Sextus Tempanius equitum decurio ex plebe, fortiùs & conſtantiùs quàm ipſe Conſul depugnaſſet. Cùm autem Sempronium Tribuni plebis accuſaſſent, eum defendit Tempanius de ſe modeſtè, de Conſule magnâ cum laude locutus. Quare redux in urbem Conſul gloriam ei quam meruerat reddidit, eo redditam illuſtriorem, quod eam ſibi à Tribunis cum ignominiâ Conſulis, datam, ſapienter rejeciſſet.

OLYMP. LXXXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3632. 332.

Cleon Athenienſis mitti ſe poſtulat adverſus Braſidam, & primo impetu Toronem expugnat, ubi ſæviit acerbiùs quàm magni Ducis fortitudo pateretur. Inde prælio commiſſi duo exercitus, à duobus fortiſſimis ducibus; at victi demùm Athenienſes Braſidâ lethaliter vulnerato; qui & auditâ ſuorum victoriâ præ gaudio expiravit. Cæſus quoque Cleon in fugâ à quodam Myrmecio, lethi genere factis ejus egregiis & animo nequaquam reſpondenti.

*Annorum 50. induciæ inter Athen. & Laced.*

Itaque annorum quinquaginta induciæ initæ ſunt inter utrumque populum, jam decennali bello fatigatum, neque tamen victum, aut victorem. Eas autem maximè procuravit Nicias, non fortis tantùm Imperator, ſed providus adminiſtrator Reipub. Tum ergo redditæ ſunt utrimque urbes & captivi, atque inter reliquos tandiu expectati Sphacterienſes Lacedæmonii: qui tamen Spartam reduces illicò exautorati ſunt, quod arma tradidiſſent, paulò poſt tamen reſtituti, ut pœnæ brevitas, exiguitatem criminis argueret.

*Eudoxus Gnidius.*

Circa hæc quoque tempora florebat Eudoxus Gnidius, Aſtrologus celebris, in Ægypto diu commoratus, ubi ſidera ſpeculatus erat dum ſui Græci terris affixi, ſeſe fœdiſſimè lacerarent.

*Tempanius ſit Trib. pl.*

Accuſatus eſt iterum Romæ Exconſul Sempronius à L. Hortenſio Tribuno plebis ob rem male geſtam in Volſcos. Verùm liberatus favore militum interminantium ſe veſtem illius gratiâ mutaturos. Tempanius etiam creatus eſt Tribunus plebis in annum ſequentem, plebeis atque patriciis in hoc ipſi conferendo magiſtratu, ob ſummam ejus modeſtiam, conjunctiſſimis.

OLYMP. LXXXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3633. 333.

*Nova occaſio belli in Græcos.*

Novi in Græciâ tumultus excitati, quos more ſuo Corinthii curarunt. Hi Argos profecti oſtenderunt fœdera inter Lacedæmonios, & Athenienſes inita, toti Græciæ ſervitutem accerſere, ſi duo illi potentiſſimi populi conſpirarent. Argivi ergo divites, & intacti hactenus hoc bello, cum reliquis Græcis ſocietatem inierunt, excluſis tantùm Athenienſibus & Spartanis. Hi porrò populi duo commercia inter ſe liberè exercebant, qui primus pacis fructus eſſe ſolet, at neutri reddebant urbes, neque ſocias ad recipiendum ſœdus adigebant: pax igitur iſta ſpei plus quàm utilitatis afferebat, & ritè expendentibus bellum portendebat.

*Athen. & Lace. moribus diſſimillimi.*

Erant quoque diſſimillimi horum populorum mores Lacedæmonii faciles, & boni, Athenienſes contra ſævi & arrogantes, itaque quos hi repellebant, ſibi adjungebant illi, unde facta rerum mutatio: quod Athenienſes armis & felicitate acquiſierant, acerbitate ſuâ perdiderunt; quod Lacedæmonii fortunâ, atque incuriâ amiſerant, comitate ſuâ, etiam cum fœnore, recuperarunt.

*Poſtumia Veſtalis liberior accuſata.*

Veſtalis Poſtumia cauſam de inceſtu dixit ob levem ſuſpicionem, ſed hoc tempore non injuſtam. Erat huic ingenium petulantius, & amœnior corporis cultus, quàm virginem ſacram deceret. Abſoluta demùm eſt à Pontifice maximo, ſed admonita ſeriò, ut levitatem poneret, cultum aſſumeret qui virginem Veſtalem ſaperet: religioſa æquè, juſtaque ſententia & Chriſtianis temporibus ac moribus digna.

OLYMP. XC. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3634. 334.

*Alcibiades pacem dissolvit perfidè.*

Pax inter Lacedæmonios & Athenienses à Niciâ sapienter procurata, per Alcibiadis perfidiam, & fraudem dissoluta est. Evocavit enim Athenas legatos Argivorum, eis pollicitus auxilium, sed adfuere quoque legati Lacedæmoniorum cum summâ auctoritate. Alcibiades autem veritus ne si legati illi se profiterentur ad pacem proclives, plebem quoque ad pacem pertraherent, eis suasit ne coram populo faterentur se αὐτοκράτορας esse, promisitque eis Pylum mox reddendam. Habuere fidem homini perfidiosissimo imprudentes legati, unde quasi inconstanter locuti sunt explosi, Alcibiade etiam in eos vociferante. Cum Argivis itaque percussum fœdus, bellum grave Atheniensibus conflatum cum omnium odio in Alcibiadem fraudis hujus, ac belli Architectum.

*Elei exclusi Olympico certamine.*

Elei ab Olympico certamine sunt exclusi quòd per inducias Olympicas oppidum invasissent, quoniam id officere putabant Græci libertati publicæ, quam ipsi atrocissimis bellis extinguere moliebantur.

OLYMP. XC. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3635. 335.

*Græci se mutuis cladibus atterunt.*

Argivi cum Lacedæmoniis manus conseruerunt, ac perdiderunt mille ac centum viros, cum hi trecentos duntaxat amisissent obtulere nihilominus victis pacem victores, quæ & coaluit, Alcibiade lapidem omnem movente, ut eam prohiberet, sed utriusque populi rationes, ejus malitiæ prævaluere. Bæoti quoque Heracleam Trachiniæ occuparunt. Alcibiades in Peloponnesum intulit arma; Epidaurus ab Argivis capta. Ita se mutuis cladibus atterebant Græci, victi etiam, cum se vicisse arbitrarentur.

*Incendium Romæ prohibitum.*

Servitia Romæ de incendiis per urbem spargendis cogitarunt, & occupato Capitolio, omnia inflammare. Sed per indices res detecta est, quibus decem millia æris gravis appensa sunt, hoc est 200. libræ nostrates; adjecta insuper libertas, quam non scelere, sed amore in dominos sapienter quæsiverant.

OLYMP. XC. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3636. 336.

*Argivi & Mantinenses victi à Lacedæmoniis.*

Argivi diu quieti non potuerunt esse, sed Mantineensibus conjuncti Lacedæmonios aggressi. Hi utrumque populum grandi clade mulctarunt, quam ipsi per summam injuriam suis capitibus accersiverant.

*Victi Æqui à Servilio Prisco.*

Æqui Tusculanum agrum depopulati in Algido castra posuerant: contra quos Romani profecti in insidias pertracti sunt, ubi & tam malè pugnarunt, ut vix castra retinerent: Electus itaque Dictator Q. Servilius Priscus, quo duce tanto ardore Romani pugnarunt, ut eos vix tulerint Æqui, sed fugerint castris etiam relictis. Tum obsessum Labicum causa hujus belli, captumque Colonis Romanis impletum est: Dictator intra dies octo majorum modestiam, ut fortitudinem secutus, magistratum abdicavit.

*Labicum Colonia Rom.*

OLYMP. XC. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3637. 337.

*Pax Ag[...] vor. & Laced.*

Lacedæmonii superiores licet, cum Argivis & Mantineensibus belli societatem iniverunt; pluris enim eorum amicitiam, quàm de iis relatam victoriam faciebant.

*Perdicc[...] suspectu[...] Athenie[...]sibus.*

Tum quoque Perdiccas Atheniensibus suspectus cœpit esse, ideò submotus mari, ne Rex perfidus, & ad omnem auram mobilis, eorum rebus, aut sociis incommodaret.

OLYMP. XCI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3638. 338.

*Melos A[...]then. [...]ta, & [...]scissa.*

Athenienses contra Melum insulam profecti sunt cum ingenti classe, quoniam Melienses sui juris vellent esse, omnibus amici, quod ea tempora non ferebant. Obsessi ergo ab Atheniensibus fortiter restituerunt, & duplici eruptione, duplicem obsidentibus intulere cladem: Sed demùm eorum impetus cum numero clanguit: itaque ad deditionem compulsi gravissimè mulctati sunt, puberibus omnibus cæsis, mulieribus & pueris divenditis, atque in urbe, Coloniâ Atheniensium relictâ, ut patriam suam Melienses dediscerent.

*Siculu[...] bellum [...] scipitu[...] Athen[...]*

Susceptum est hoc anno ab Atheniensibus bellum Siciliense, ardentiùs, quàm sapientiùs. Quid mirum? ab Alcibiade promovebatur homine impigro quidem, sed callido magis quàm prudenti, & qui pluris rem suam, quàm publicam faciebat. Huic bello causam dedere Egestæi, & Leontini; Hos Syracusii expulerant patriâ, illos Selinuntij opprimebant: populi ambo miseri ab Atheniensibus auxilium petierunt, & obtinuerunt. Igitur septem armatorum millia cum Classe centum quadraginta navium profecti sunt, quorum Duces Nicias expeditionis dissuasor, Alcibiades Suasor, & Lamachus inter utrumque medius, neque bonus, neque malus, ideò malo propior.

*Trib[...] colleg[...] posit[...]*

Romæ Tribuni plebis aliquid turbavere propter leges Agrarias. Discussit tamen has turbas consilio suo Appius Claudius: persuasit enim aliorum Tribunorum intercessionem, ad infringendam tumultuantium autoritatem. Itaque lex Tribuni à patriciis ad intercedendum permoti, reliquorum quatuor conatus fregerunt: & tum Reipublicæ discordia profuit.

OLYMP. XCI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3639. 339.

*Re[...] Alc[...] des [...] Spa[...] fug[...]*

Antequam classis in Siciliam vela faceret Athenis noctu excisæ sunt Thermæ, nullo alio operæ pretio, quàm ut aliquid malitiosè fieret, & magistratibus displiceret. In hujus facti suspicionem venit Alcibiades, cui posteà & affectata tyrannis adjuncta est. Itaque ad causam dicendam per Salaminiam navim à populo revocatus est. At ipse reliquit classem quidem, sed omissis Athenis, quarum metuebat judicium, Lacedæmonem venit, ex reo, proditor effectus.

*Gy[...] au[...] Syr[...] ni[...]*

Lacedæmonii ne Syracusanis amicis suis deessent, Gylippum iis ducem optimum, & strenuum cum auxilio miserunt; cujus adventu Syracusiorum res in meliorem statum revocatæ sunt. Tantum vel unius hominis industria potest!

| OLYMP. XCI. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann.* 3. | 3640. | 340. |

Athenienses Argivis conjuncti agrum Laconicum vastant, ideoque induciæ solutæ penitus: Sed majori apparatu uterque populus extra veram Græciam, in Sicilia depugnabat. Syracusæ tum erant muro ab Atheniensibus interclusæ: at Gylippo per Epipolas ingresso, murum ex adverso ejus Syracusani extruxerunt: atque ex eo tempore res Atheniensis labare cœpit. Quare Nicias aut revocari petiit, aut sibi subsidia mitti. Itaque præmissus Eurymedon cum 20. Talentis Argenti, ostentatusque Demosthenes, mox affuturus, sed ut cladem augeret.

A. Postumius Regillensis, Tribunus militum Volanos Æquorum pepulos, agro Labicano infestos, novisque Romanis Colonis, uno prælio devicit, atque in eorum oppidum Volas per vim irrupit, prædâ militi promissâ. Verùm urbe captâ cùm mutasset fidem, in odium suorum incurrit. In urbem revocatus cum exercitu suo quiritanti malediceret, & Quæstore lapide icto, magis sævire pergeret, à militibus suis lapidibus obrutus est, exemplo deteriori, quàm damno.

---

## CAP. V.

### *Decas Quinta.*

*Ab anno* 3640. *ad* 3650.

| OLYMP. XCI. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann.* 4. | 3641. | 341. |

CELEBRIS est hic annus Atheniensium in Siciliâ clade. Eò miserant magna auxilia Lacedæmonii, Thebani, Corinthii; neque suis Athenienses defuerant, missis Demosthene & Charide cum tribus & septuaginta navibus. Et initio quidem ambiguâ certatum victoriâ, dum vincunt, vincunturque Syracusani; sed aucti demum hi Carthaginiensium copiis, ad Athenienses invadendos, & opprimendos se comparant. Sæviebat in castris Atheniensium lues: quare statuerunt eorum duces, Syracusis relictis Catanam petere, ubi primùm appulerant. Sed impedivere Syracusani; itaque prælium commissum, quo victi Athenienses ad summam inopiam redacti sunt. Quare plenum desperationis aliud certamen ineunt; quo iterum victi sexaginta naves amisere. Omisso ergò nautico apparatu statuunt terrestri itinere recedere, & abiissent nisi eorum fugam Syracusani fraude distulissent. Cum enim viderent non facilè se posse fessum & comessabundum militem noctu cogere. Hermocrates quidam misit ad Niciam nomine amicorum quos Athenienses Syracusis habebant, qui eum monerent, tantisper consisteret, quod essent ei insidiæ in via positæ. Credidit hosti Nicias, & hic hæsit tribus noctibus. Interea Gylippus equitatu suo atque peditatu vias omnes occluserat: dum igitur pergunt Athenienses ducibus Niciâ, atque Demosthene, sæpe iniquo certare loco coacti, semper victi, tandem ad deditionem compulsi sunt: & duces quidem interfecti à Syracusanis, nequicquam impediente Gylippo, reliqui capti ac venditi, Sicilia Atticis servis impleta est. Ab eo tempore res Atheniensium ad exitium præcipitarunt, factaque civitas omnium Græcorum serva, quæ Græcis omnibus ambitiosiùs voluerat imperare.

Hac auditâ clade multi à victis defecerunt, Lesbii, Chii, Eubœenses. Tissaphernes quoque ac Pharnabazus Persæ sese Lacedæmoniis adjunxerunt. Sollicitabat quoque ad defectionem Hellespontios Alcibiades, uno verbo omnia in perniciem Atheniensium conjurabant. Lacedæmoniis contra plenis velis favebat fortuna, quibus 35. naves Syracusani Hermocrate duce miserant, ut vicem rependerent. Hoc Athenienses sapientiores, quòd moderatè usi fortunâ suâ, multos sibi fautores adsciverunt. *Multi clade Sicula audita deficiunt ab Athen.*

Hoc item anno occupavere Lacedæmonii Agide duce Deceleam, Athenis tantùm 120. stadiis dissitam, & mediam inter Bœotos & Athenienses, & quasi utriusque populi nexum. Hæc autem munita perdiligenter multis damnis Athenienses affecit, atque ex Pylo acceptas clades cum fœnore reposuit. *Decelea capta à Laced.*

Natus est item hoc anno Diogenes Cynicus, mortuus eodem quo Alexander anno, ætatis suæ nonagesimo; vir ambitiosæ paupertatis & fastum aliorum, proprio fastu calcare consuetus. *Nascitur Diogenes Cynicus.*

Restituti sunt hoc anno Romæ Consules, creatique M. Cornelius Cossus, & L. Furius Medullinus qui de Postumianâ cæde quæstionem instituerunt; plebe fremente licet, & hujus memoriam aboleri postulante. Sed erat exemplum atrociùs, quàm ut abiret impunitum. *Romæ Coss. restituti.*

| OLYMP. XCII. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann.* 1. | 3642. | 342. |

Lacedæmonii cum Dario Persarum Rege fœdera ineunt, quando & consilium agitarunt de cædendo Alcibiade, missâ etiam epistolâ ad Astyochum Navarchum qui rem conficeret. Sed id præsensit homo vaferrimus, atque fugit ad Tissaphernem, quem edocuit multa cum Græcorum pernicie conjuncta. Interim dum Chium obsident Athenienses egit cum ducibus, ut revocaretur ab exilio, & Oligarchia Athenis constitueretur, maximè operâ Tissaphernis & spe auxiliorum atque stipendii à Rege Persarum, quibus imponeretur imperitæ multitudini. Restitit acriter hinc Phrynicus; sed is Pisandri criminatione magistratu exutus, in foro etiam pugione confossus est. Venit igitur Pisander Athenas, ubi vir naturâ eloquens Oligarchiam persuasit populo. Quadringenti ergò constituuntur, qui Rempublicam administrarent, inter quos non ultimus fuit Alcibiades jam reconciliatus suis, & hostis Lacedæmoniorum; vir ingenii tam vafri, quàm improbi. *Oligarchia Athenis constituta. Revocatur Alcibiades.*

OLYMP. XCII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3643. 343.

*400. vexant Athenienses tyrannicè.*

Quadringenti tyrannicè vexant Athenas, & Oligarchiæ inimicos tollunt, atque inter cæteros Androclem: Alcibiadem etiam missum faciunt, ac sibi dum nimis prospiciunt, res suas evertunt. Qui enim in castris erant, acceptá eorum dominatione peracerbâ, statuunt eos cum Oligarchia tollere. Tandem igitur à quadringentis admittitur Alcibiades, quia sine illo stare se posse desperabant. Is suscipit eorum causam apud Tissaphernem, ubi tamen nihil proficit, quare monet eos, ut sponte abjiciant, quod servare nequirent; quod & præstare paulò post compulsi sunt. Re desperatá Pisander cum præcipuis ad Lacedæmonios confugit, & patriam credidit hostem, cui non poterat adimere libertatem.

*Exautorantur 400 & fugiunt Spartam.*

*Alcibiadis operá victi Laced. ad sepulchrū canis.*

Tum quoque Atheniensium duces Thrasybulus & Thrasyllus retulere victoriam de Lacedæmoniis quos Pharnabazus fovebat, ad Hellespontum, ac canis sepulchrum, seu Hecubæ monumentum: Hujus victoriæ præcipua causa fuit cum duodeviginti navibus adveniens Alcibiades, vir & manu fortis & consilio melior.

*Pestilentia Romæ.*

Romæ Consulibus Q. Fabio Ambusto, & C. Furio Pacillo L. Icilius Agrarias leges avitas revocavit: sed contentiones illas extinxit pestilentia, cujus tamen metus gravior, quàm damnum fuit.

OLYMP. XCII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3644. 344.

*Carthaginienses favent Egestanis.*

Egestani à Selinuntiis oppressi quòd Athenienses excivissent, itamque Syracusanorum veriti Carthaginienses advocant. In eorum auxilium missus Annibal filius Gisonis nepos Amilcaris quem Gelo ad Himeram ceciderat: quæ res Syracusanos & Carthaginienses commisit.

*Alcibiades vincitur, & fugit ex carcere.*

Alcibiades cum se magnificentiùs quàm par esset ostentaret Tissapherni, ab eo in vincula conjectus est Sardibus, unde tamen post 30. dies nactus equum profugit Clazomenas. Hinc Sestum ad castra venit Atheniensium: ibi cùm audivisset Lacedæmonios Cyzicum navigasse, eo cum Theramene & Thrasybulo ducibus, & 86. navibus venit; & Lacedæmonios circumventos superavit. Myndarus autem eorum dux in terram copias suas eduxit, & certamine inito victus occubuit; sicque ejus naves in potestatem Atheniensium devenerunt, unà cum Cyzico, quæ se grandi pecuniá redemit, sic allata patriæ damna, cum sua res exigeret, Alcibiades sarciebat, sed sibi semper quàm patriæ melior.

*Et Laced. fugat, erat cum Myndaro.*

*Cyzicus dedit.*

*Lacedæm. inopes consilii.*

Quantùm autem Lacedæmonios hæc clades afflixerat docet eorum hæc Epistola Laconica, *Actum de rebus nostris, Myndarus obiit, esuriunt milites, inopia consilii quid sit agendum nescimus.* Eos tamen consolatus est Pharnabazus, veste, navibus, stipendio, liberaliter missis, qui optimus est inopes afflictos consolandi modus.

*Eubœa admota Achaiæ.*

Chalcidenses in Eubœa ab Atheniensibus defecerunt conspiratione cum Bœotiis factâ, & ita fretum obduxerunt ducto aggere, ut uni tantùm navi transitum aperiret: sicque acciperent à terra, & Bœotis auxilium, nec Eubœa insula esse desineret.

*Pacem respu[nt] Athe[n.]*

Tentata quoque pax est à Lacedæmoniis, sed irrito conatu, quod spem eventu majorem de suis rebus Athenienses concepissent.

*Archel. Rex M[ac.]*

Tunc etiam Macedonum Rex 14. Archelaus Principatum adiit quem annis 14. tenuit, Perdiccâ minùs quidem fortis, sed in fide constantior.

Romæ inopiam plebis Coss. M. Æmilius, & C. Valerius industriâ suâ levavere, & peste superioris anni subsecutam: Legatis in omnem partem dimissis, & vicinis populis in Urbem duplici afflictam malo miseratione commotis.

OLYMP. XCII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann* 4. 3645. 345.

Belli Peloponnesiaci anno 23. Annibal cum centum millibus armatorum Siciliam ingressus Selinuntem cepit & evertit cum 242. annis stetisset. Eandem quoque aleam subiit Himera anno à suo conditu 240. quæ duæ clades Syracusanorum de victis Atheniensibus temperarunt; maximè cum jam non sociis tantùm, sed sibi quoque à tanto hoste reformidarent.

Fuit hic quoque annus aliis urbibus obsessis illustris, Lacedæmonii enim Pylum tot sibi malorum causam per annos quindecim, mari terraque oppugnatam, Atheniensibus quo minus auxilio essent tempestate impeditis, ad deditionem compulerunt. Quando & promissa salus dedititiis servata est, plusque apud viros fortissimos fides, quàm odium, & vindicta potuit.

Tum quoque Chalcedon, quæ Lacedæmoniorum præsidium receperat, à Thrasybulo tentata est, quam Hippocrates egregiè defendit. Is cum certamen diu produxisset, superveniente Alcibiade cæsus est. Chalcedonem tamen cum Atheniensibus non iniquis conditionibus Pharnabazus reconciliavit, cui repugnare non est visum victoribus, ne ejus operâ fructu victoriæ carerent.

Byzantium tum etiam Alcibiadi proditum à civibus asperitate Clearchi Lacedæmonii irritatis: Hic enim homo moribus ferus urbem quam comitate retinere poterat, importunitate perdidit.

Romæ plebeji quæstores creati, adeò ut ex quatuor, unus tantùm C. Fabius Ambustus Patricius eligeretur. Tum etiam à Coss. Gn. Cornelio Cosso, & L. Furio Medullo secundùm Arx Carventana tentata est. Frustra; quia plus temporis hosti ad parandum se urbanæ turbæ reliquerant.

OLYMP. XCIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3646. 346.

Hac Olympiade victor fuit Pancratio Polydamas Thessalus, cujus roboris famâ permotus Darius eum videre voluit, & Susa evocavit. Hic tres immortales valentissimos in se simul irruentes pugnis, & calcibus interemit. Scribit de ejus viribus multa Pausanias, ut quod inermis Leonem præferocem confecerit, Taurum calci-

calcitrantem nonnisi relictâ in manibus ungulâ dimiserit; retinuerit currum cujus equos incitabat auriga. Hic demùm speluncæ ruinâ oppressus est, fugientibus aliis, cum se sustinendo monti parem imprudenter crederet.

Alcibiades pænè triumphanti similis Athenas rediit. Paulò post armatus invito Agide sacra Minervæ more prisco, quasi quieta essent omnia duxit, & reduxit, tantâ gloriâ, tali plausu, ut eum populus optaret Regem: quæ causa fuit ut ab urbis Principibus ad expeditionem statim mitteretur. Profectus ergò versus Andrum, deinde versus Samum, nusquam rem benè gessit; sicque in eum populi benevolentia defluxit.

Interim electus à Lacedæmoniis Navarchus Lysander Cyro juniori Darii filio acceptissimus erat, qui tum Sardibus agebat. Ab eo ille pecuniis probè instructus, cum navibus 70. rediit. Verebatur tamen cum Alcibiade confligere cujus calliditatem magis, quàm vires reformidabat. Verùm Legatus Alcibiadis Antiochus quamvis Dux id severè prohibuisset cum Lysandro conflixit, atque in eo prælio vitam & quindecim naves amisit. Quâ clade Athenis auditâ Alcibiades exauctoratus est ignominiosè, & fugere compulsus cum decem ei duces essent suffecti; inconstantissimâ, & populo Atheniensi dignâ levitate.

Tum Plato Socratem audiebat, & ab eo sapientiam hauriebat quam in Græcos feliciùs & eloquentiùs sparsit.

Romæ Tribuni Militares creati sunt tertiùm ad annos quindecim. Quando Æquis & Volscis majori apparatu ad Antium convenientibus dictus est Dictator Cornelius Cossus. Is facili prælio hostem fudit, & castellum ad Fucinum lacum nullo negotio expugnavit, majori felicitate quàm gloriâ.

OLYMP. XCIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3647. 347.

Carthaginienses cum 120. armatorum millibus, ut scribit Xenophon, & Ephorus cum trecentis millibus in Siciliam profecti Agrigentum ad deditionem fame compulerunt, cum eam urbem, victi licet octo mensibus obsedissent. Hujus urbis captæ occasione Dionysius Tyrannidis suæ fundamenta jecit optimates calumniatus apud plebem, quasi ipsi Agrigentum Pœnis prodidisse viderentur, sic tenuissima ejus principatus initia fuerunt, quibus nihilominus 40. annorum Tyrannidem imposuit.

Lysandro apud Lacedæmonios successit Callicratidas, omnium rerum laborans inopiâ, cum ipsi Cyrus defuisset. Nihilominus Methymam urbem Lesbi captam diripuit, & militem locupletavit: Cononem quoque Atheniensium ducem triginta navibus spoliavit. Sic magnis nonnunquam ducibus inopia prodest, quia ea ad magnas res gerendas, & accendendum militem sapienter abutuntur.

Tum Romani in Vejentes, hostes licet suos capitales clementiæ illustre specimen ediderunt. Cum enim elapso induciarum tempore res ab iis per feciales repeterentur, causati sunt illi domesticas discordias. Quam legitimam causam putavere Romani, & temporis satis eis assignarunt, quò & pacem conciliarent inter se, & suis debitoribus satisfacerent: rati satis miseros esse, quos turbæ domesticæ distraherent.

OLYMP. XCIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3648. 348.

*Hermocrates cæsus, Dionysius vulneratus.*

Dionysius cum Hermocrate missus est ad colligenda ossa Syracusanorum, qui ad Himeram ceciderant. Posteà cum idem Hermocrates clam Syracusas ingredi conaretur in foro cæsus est, quando & Dionysius sauciatus, vestem suo sanguine purpuream signum accepit futuræ dominationis.

*Callicratides obit, victi Lacedæm.*

Athenienses comparatâ centum quinquaginta navium classe contra Callicratidam ad Arginusas insulas inter Mytilenem, & Asiam pugnant; quâ in pugnâ delapsus casu in mare Callicratidas nusquam comparuit. Victi itaque Lacedæmonii in Chium & Phocæam confugerunt amissis 70. navibus. Atheniensium duces cum suos naufragos ad sepulturam recipere, tempestate prohibiti non potuissent, à populo capitali supplicio sunt affecti, tantâ injuriâ, ut plebem sui judicii posteà pœniteret. Peloponnesii paulò post Ephesum petiere, unde suo & Cyri nomine Lysandrum sibi dari Ducem optavere, solo adventu res suas restituturum, & terrorem hostibus incussurum.

*Injustitia Atheniensium.*

*Mors Sophoclis & Euripidis.*

Hoc anno magni duo, Tragici Poëtæ elati sunt in Græciâ, Sophocles annos natos octoginta (90. ut quidam volunt) & Euripides 75. Suidas tamen Sophoclem Euripidi superstitem quinque annos facit. Ornatus duode viginti palmis Sophocles, ultimâ acceptâ victoria præ lætitiâ obiit. Euripidem ferunt apud Archelaum Macedoniæ Regem agentem per emissos canes ab Aridæo Macedone, & Cratene Thessalo ejus æmulis laceratum esse, tanto Regis dolore, ut is etiam submiserit crinem. Is enim adeò diligebat vatem, ut huic omnia sua consilia crederet, summâ gloriâ litterarum, & litteratorum.

*Templum Minervæ Athenis deflagravit.*

Templum Minervæ hoc anno Athenis conflagravit, quod certum proximæ cladis augurium fuit, eam defuturam suis, quæ templum suum neglexisset.

*Captum Anxur.*

Cum Volsci tres Romanorum exercitus distraherent, unus Dux Fabius Ambustus oppidum Anxur postea dictum Terracinam oppugnavit, divitiis locuples. Abstinuit tamen à præda, donec alii duo collegarum exercitus advenissent, causatus ab iis quoque oppidum captum esse, qui auxilia prohibuissent: Sic à tribus exercitibus direpta civitas, milites omnes divites remisit. Adjecit Senatus aliud quoque beneficium: dixit enim, ut miles ex ærario deinceps stipendium acciperet, nec suo, sed ære Reipublicæ mereret; quod acceptum ab omnibus cum ingenti voluptate pænè tribunorum invidiâ corruptum est ex sua autoritate, non plebis commodo suos magistratus dimetientium.

*Stipendium Ro. militi persoluta deinceps.*

OLYMP.

OLYMP. XCIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3649. 349.

*Dionysius fit Syracusarum Tyrannus.*

Dionysius hoc anno Tyrannidem Syracusanorum occupat, calumniatus optimates, quasi cum Carthaginiensibus convenirent. Quæ ubi populo cum multis mendaciis proposuisset, fingit se Reip. quasi depositæ curam velle deponere, & ab eodem est acclamatus Imperator, & ejus rebus prospicere jussus cum summa autoritate. Itaque multos armatos educit ex urbe quasi Pœnis resistere pararet. At in itinere finxit sibi paratas insidias; quare satellitium sibi 600. armatorum obtinet; tum præficit homines sibi fidos, inimicos submovet, mercenarium sibi militem devincit. Denique mirati sunt imprudentes Syracusani, & cum resistere ampliùs non possent, se scribam, & vilissimæ conditionis hominem suis capitibus imposuisse.

*Lysander ad Ægos Potamum Cononem vicit.*

Lysander tum venit ad Cyrum cum à patre suo Dario evocaretur: ab eo rebus omnibus instructus est, monitusque ne confligeret nisi numero navium longè superior. Digressus tamen à Cyro Lysander mox Cedream & Lampsacum urbes occupavit, & destruit. Postea ad Ægos Potamum venit, ubi Athenienses versabantur, sed adeò eum contemnentes, ut à navibus suis longè abirent: quod cùm Lysander deprehendisset, renunciari sibi jussit, quando vacuæ essent Atheniensium naves, cum ipse suas plenas & paratas haberet. Monitus igitur irruit in Cononis classem, eamque capit priusquam milites digressi eas subirent, tantùm Cononis navis cum 7. aliis, & Paralo, arma corripuere, sed in tanta rerum perturbatione de fuga potiùs quàm de prælio cogitavere. Paralus Athenas funestissimæ classis hujus nuncium tulit, Conon cum octo navibus fugit in Cyprum, veritus populi furiosum dolorem. Lysander per otium multa recepit oppida, quæ certatim ad victores confugiebant. Ipse incruentâ victoriâ Spartæ dominatum Græciæ dedit, quem Athenis uno hoc certamine abstulit.

*Obit Darius Nothus.*

Obiit eodem anno Darius Nothus, regno ita constituto ut Artaxerxes Mnemon, quem privatus susceperat, ei succederet, Cyrus ex Rege genitus magnâ præfecturâ donaretur; novo plane instituto & magni Darii, Xerxisque factis prorsus opposito, neque, si utriusque spectes exitum, contemnendo.

OLYMP. XCIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3650. 350.

*Victus Dionysius victores Pœnos superat.*

Carthaginienses hoc anno Gelam obsident, ad cujus auxilium veniens Dionysius victus est. Ideò ejus uxori turpiter illusum à Syracusanis, in quos inexpectatus rediit, eosque profligavit, ac jugum recipere coëgit. Indeque omnibus adeò sapienter prospexit, ut impediret quominùs Carthaginienses victoriâ suâ uterentur.

*Artaxerxes Mnemon patri succedit.*

Artaxerxes hoc etiam anno Persicum adiit imperium, cui memoriæ felicitas nomen fecit, dictusque Mnemon. Hujus initia regni propter rebellionem Cyri perturbatiora fuere, sed omnia adeò moderatè, sapienterque composuit, ut quadraginta annorum imperium, & magnam pacem mereretur.

*Belli Peloponnesiaci finis.*

In hunc annum cadit ultimus belli Peloponnesiaci annus, quando Lacedæmonii collectis totius Peloponnesi viribus, præter Argivos ad obsidendas Athenas convolarunt. Adfuit & Lysander cum victrici classe, Pyræumque centum quinquaginta navibus interclusit, dum terrestris exercitus in Academiâ castra collocasset. Magna erat Athenis annonæ caritas, sed in civium animis superbia major; qui demum fame domiti ad Lysandrum legatos miserunt: ii diu dilati, ut qui eos miserant animos ponere discerent. Volebant Thebani & Corinthii urbem exscindére, sed alterum Græciæ oculum suffodere Spartani noluerunt. Itaque Atheniensibus nihil recusantibus pax concessa est eâ lege, ut Pyræus, & longi muri diruerentur; traderentur naves omnes præter duodecim; Spartanis addicti penitus essent, & cum iis hostes, & socios communes haberent, atque in omnibus expeditionibus duces. Ita bellum grave & atrox, quod tenuit 27. annos totos, cum septem mensibus; terminatum est cum Atheniensium principatu.

## CAP. VI.

## *Decas Sexta.*

### *Ab anno 3650. ad 3660.*

OLYMP. XCIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3651. 351.

*Lysan... Athen... ordi...*

LYSANDER Athenis potitus non constituit in hac urbe decem-viros, ut in aliis oppidis quæ se dediderant, sed potiùs triginta quoniam hæc trium urbium speciem præferebat. Arci quoque præsidium imposuit cui præficit Callibium Spartiatam, sic abrogata Democratia; Oligarchia constituta: & initio quidem ab omnibus probata, nam hi xxx. viri improbissimos quosque in judicium vocavere totâ plaudente civitate: mox fictis criminibus, adorti sunt, quos Tyrannidem non laturos putabant; hæc judicia potissimùm urgente Critiâ bipedum flagitiosissimo, & cujus maximè intererat propter sua scelera Tyrannidem conservari.

*Ly... Sa... vi... m... pe... re... ur... Sp... q... L... n...*

Lysander confecturus belli hujus reliquias ad Samum perrexit, ubi urbem ad deditionem compulit, his conditionibus, ut singulis hominibus liberis vestis una relinqueretur, cætera Spartanis cederent. Quibus abire paratis ex urbe suaque omnia bona relinquentibus, his & urbem, & res omnes suas reddidit, decem-viris tantùm qui eos regerent constitutis. Tum socios laudatos & locupletes dimisit omnes, cum suis ipse navibus remigravit Spartam cum incredibili pecuniæ summa, quam fuisse mille & quingentorum talentorum Diodorus scribit. Hanc autem pecuniam ægrè Lacedæmonii admiserunt, legum suarum memores, quas his labefactari posse meritò suspicabantur.

*C... ci...*

Eodem quoque anno cæsus Alcibiades adnitente Critia. Fugerat ille in Bithyniam, inde in Phrygiam ad Pharnabazum. Verùm is rogatus à Lysandro, per fratrem suum & avunculum,

ſum, hominem interemit, flammis priùs in ejus domum injectis: ex qua cum prodiiſſet armatus, neque moriturus ignaviter telis obrutus eſt à Perſis, qui eum cominus aggredi numquam voluerunt. Sic obiit vir magni ingenii & nequitiæ, Lacedæmoniis, Perſis, adeòque patriæ ſuæ, ac Græcis omnibus odioſus.

Tum apud Romanos in Vejenti obſidione milites ſub pellibus hyemem traduxere: quod cum Tribuni plebis reprehenderent: Appius Claudius oratione ſua oſtendit intereſſe militum & Romæ ſic hyeme hoſtes oppugnari, Tribunos eſſe inertiæ & imbecillitatis patronos. Quæ verba horum repreſſit audaciam, illorum fortitudinem accendit. Tum quoque equites Romæ equo publico merere cœperunt, unde Romana militia non leve recepit incrementum, pleniorque deinceps fuit legionum victoria.

OLYMP. XCIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3652. 352.

Dionyſius bellum in Carthaginienſes meditatur, quos invictos non eſſe, jam non ſemel dixerat.

Tum quoque in Perſide concitatæ ſunt turbæ dum Cyrus Artaxerxem ſibi imperantem ferre non patitur. Et verò flagrabat Cyrus incredibili regnandi cupiditate, de qua accuſatus eſt à Tiſſapherne. Itaque eum interimere decreverat Artaxerxes, ſed Paryſatidis precibus eſt conceſſus, immò remiſſus in præfecturam ſuam ad certiſſimam, ex adito necis periculo, rebellionem.

Hoc tempore Lyſander apud Lacedæmonios eo in pretio fuit, ut numinis inſtar coleretur. Hinc Lyſandrea feſta pro Junonis ſubſtituta, hinc aræ & victimæ, quæ in ejus honorem ſtabant, & immolabantur. Quid mirum igitur eum regni agitaſſe conſilia, & id ab Heraclidis in ſe transferre voluiſſe, Oraculis Delphico & Ammonis etiam pecuniâ ſacrilegè labefactatis? Ejusmodi ſcilicet Deos adulatio veneratur.

Tyranni Athenienſes hoc anno demum, qui eſſent, aperuerunt. Nam præter Spartanos milites in arce, eligunt tria civium millia quibus armatis, cæteros omnes exarmant. Cumque unum de ſuis Theramidem obſiſtere durioribus hiſce conſiliis viderent, eum per Critiam paratum ad omnia ſcelera cicutam haurire cogunt. Ita nobilis civitas eorum crudelitati atque libidini deinceps patuit, quæ ſic excrevere, ut ab hominibus, multò minùs à Græcis nequaquam ferendæ viderentur.

In Italia malè res à Tribunis militaribus geſta M. Sergio, atque Virginio, qui inimicitias ſuas etiam ſuæ, ac Romanæ gloriæ prætulerunt. Unus enim ab altero auxilium petere recuſabat; alter niſi petitum offerre nolebat. Itaque ambo victis ſimiles magnâ trepidatione Romam repetiere, ubi ſe mutuis in Senatu laceravere maledictis, quorum pleraque erant cum veritate, quàm par erat, conjunctiora.

OLYMP. XCIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3653. 353.

Celebris eſt hic annus expeditione Junioris Cyri, quam Xenophon αὐτόπτης deſcripſit. Cyrus igitur debitum ſibi, uti putabat, vindicare volens regnum. 95. caſtris ad Fratrem pervenit confidens maximè militibus Græcis, quos hujus rebellionis fuiſſe conſcios, præter unum Clearchum ante Euphratis tranſitum, Xenophon negat. Quid plura? Inter Cyrum & Artaxerxem atrox commiſſum eſt certamen, in quo de regno ſimul agebatur & vita. Et primo quidem impetu Perſas Græci vicerunt, ſed Clearchus dux fortior quàm prudens uti partâ victoriâ neſciit. Turbatiſſimis ergo copiis, & furore potiùs quàm arte pugnantibus, Cyrus in Artaxerxem incidit, quem etiam vulneravit, ſed ipſe viciſſim à neſcio quo, cæſus eſt, eique præciſum caput & dextra, ſimulque ſpes omnis commilitonum Græcorum, quos non jam victoriæ & prædæ, ſed reditus, & ſalutis cura torquebat. Paryſates poſtea crudeliter interimendum curavit Carem, qui à ſe Cyrum interfectum jactabat: Rex quoque Mithridatem quemdam ſupplicio Scapharum ſuſtulit, idem de ſe dicere auſum. Græci porrò in hoſtili regione deprehenſi ſibi Clearchum præficiunt ducem, qui mox cum multis ordinum ductoribus inſidiis Tiſſaphernis interceptus, occidit. Reliquos variis caſibus perfunctos per Cappadociam, & Paphlagoniam reduxit Xenophon, tum prudentis Imperatoris, poſtea ſapientis hiſtorici partes executus.

*Expeditio junioris Cyri.*

*Caditur Cyrus.*

*Redeunt Græci duce Xenophonte cæſo Clearcho.*

Thraſibulus occupato Phylo Atticæ Caſtello deinde etiam Pyræo cum Tyrannis prælium committit, in quo nequiſſimus Critias fortiùs cecidit, quàm ejus vitia paterentur. Victi tyranni fugerunt Spartam, quos ultus eſſet Lyſander niſi Pauſanias impediiſſet. Veritus enim ne ille iterum Athenas ſubjiceret, rem amicè compoſuit, & reſtituit Democratiam. Interea Spartani exterminabant Meſſenios totâ Græciâ, in qua principes erant, neque enim odium in miſeros exules, tot victoriæ, tot res ſecundæ adverſæque compreſſerant.

*Tyranni victi fugiunt Spartam.*

*Laced. Meſſenios exterminant.*

Romæ ſolito maturiùs hoc anno creati ſunt Coſſ. ſcilicet Kal. Octobris, cum idibus Decembris antea tantùm deligerentur, propter ſuperiorum malevolentiam, & imprudentiam; qui etiam in judicium vocati ambo, decem millibus æris gravis ſinguli damnati ſunt, hoc eſt 200. Turonicis Francis, leviori utique in eos pœnâ, quibus ſatis gravis mulcta non poterat irrogari.

*Coſſ. creati maturiùs.*

OLYMP. XCV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3654. 354.

Auxiliares Cyri copiæ Byzantium advenerunt ex decem millibus ad quinque millia redactæ. Cùm urbem hanc diripere molirentur, impediit oratione ſua Xenophon, non minus linguâ, quàm manu potens, ideoque Apis Attica dictus, cujus aculeum Perſæ ſenſerunt, mel Græci frequentiùs deguſtarunt.

*Reditus Græcorum ex Perſide.*

Pharnabazus & Tiſſaphernes Aſiam tum regebant, ſed hic erat illo potentior ob rem benè geſtam adverſus Græcos & Cyrum. Quare ad eum miſere Lacedæmonii legatos, qui rogarent, liberas civitates relinqueret, quæ ab eo ſibi malè

*Perſæ, & Græci hoſtes.*

lè metuebant. Et armatæ missæ sunt preces; supervenit enim Timbro dux Lacedæmonius, qui Magnesiam expugnavit. Vicem ut rependeret ei Tissaphernes obsidione tentavit Cumas, sed irritâ; & se Græcis nolle quidem, sed parum posse demonstravit.

*Mors Socratis.* Socrates eodem anno ἀθεότητος, & παιδαφθορίας accusatus ab Anyto, & Melito, damnatus à populo injustissimè, fortiter cicutam ebibit. Postea tamen judicii sui de more populum pœnituit, qui actorem utrumque mox, per novam injuriam, indictâ causâ damnavit: & Melitum quidem oppressit in tumultu, cui adjunxisset Anytum nisi is fugâ sibi, atque exilio consuluisset. Obiit Socrates annos natus 70. cum Plato Athenis annum trigesimum ageret. Quæ si vera sunt quæ de Deo moriens dixit, de ejus salute, cum aliquot eruditis, dubitare licet.

*Anxur receptum.* Anxur in Volscis oppidum receptum, neglectis die festo per summam imprudentiam custodiis, magnam Romanis lætitiæ, Latinis majorem mœroris causam præbuit.

OLYMP. XCV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3655. 355.

*Dercyllidas Timbroni suffectus.* Cum non satis feliciter rem gereret Timbro, & Larissæ obsidio parum procederet, Spartæ huic suffectus est Dercyllidas, propter ingenium versipelle, Sisyphus dictus. Is statim distractos Tissaphernem, ac Pharnabazum sibi devinxit, & utroque vel consentiente, vel dissimulante urbes Asiaticas Græciæ, quod in omnium votis erat, pristinæ reddidit libertati, plusque ejus ingenium Græciæ, quàm aliorum omnium Ducum fortitudo profuit.

*Conon Persicæ classi præficitur.* Tum quoque Conon agens apud Evagoram in Cypro, adnitente Pharnabazo, à Mnemone Persicæ classi præfectus est, qua dignitate, & sibi ingentem gloriam, & patriæ, cum imperio maris, libertatem pollicebatur.

*Dionysius arma expedit in Pœnos.* Rhegini cum Dionysio bellum, mox pacem faciunt. Is ab hac parte securus in Pœnos arma parat, quando & Penteres (Hirtius Pentiremes vocat) primùm factæ in Sicilia, bellis Maritimis amplitudine, & velocitate sua utiliores.

*Lectisternia primùm Romæ.* Tum pestilentiæ causâ lecti libri Sibyllini lectisternia primùm Romæ constituerunt, lectis in templo, sacrorum gratiâ stratis, ad publicum epulum; ridicula planè superstitione & tantùm ad commoda, gulamque Sacerdotum instituta.

OLYMP. XCV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3656. 356.

*Pœni vexati à Siculis moderatiores* Dionysius conciliatis sibi Mamertinis, & Rheginis, Syracusanos ad bellum Punicum invitat. Pœni atrociter vexati à Siculis, moderatiores effecti sunt, & utrique populo illatæ, acceptæque profuerunt clades. Tum quoque Dionysius duas uxores duxit Doridem Locrensem, & Aristomacham Syracusanam; sed homo non uxorius nuptias ad res suas, non ad libidinem aptabat.

*Dercyllidas Thracicam Chersonesum includit muro.* Tum quoque Dercyllidæ prorogatum est imperium, qui Pharnabazum ad inducias impulit: inter quas Chersonesum Thracicam occupavit, eamque intra annum muro ingenti à Thracibus sejunxit; sicque labore non magno, neque diuturno undecim oppida, plures portus, regionem fertilissimam inclusit, ac suis Spartanis belli pacisque tempore utilissimam peninsulam seposuit, pari solertia, ac fœlicitate.

Prodigia hoc anno multa Romæ contigerunt, inter quæ memorabilius illud, Lacus Albanus supra modum, sine causa intumescens, quo Vejos urbem mox capiendam Aruspex denunciavit. Missi quoque legati ad Apollinem Delphicum, qui cum de portentis interrogarent quibus Roma paulò post à Gallis capienda terrebatur: Sed ita respondit Apollo λοξίας, quasi nihil locutus esse videretur.

OLYMP. XCV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3657. 357.

Agis Lacedæmoniorum Rex moriens regnum fratri suo Agesilao reliquit, repulso Leotychide, quem Alcibiadis filium (is enim Agidis uxorem compresserat) non suum denunciarat. Tum nunciatum Spartæ à Persis trecentarum navium parari classem: itaque, suadente Lysandro, hanc expeditionem Rex novus sibi deposcit, & obtinet. Delusus est tamen à Tissapherne moras nectente de industria, quia nondum satis paratus erat. Cum autem tunc temporis apud Agesilaum omnia posset Lysander, ad eum potiùs confugiebant aliquid petituri, quàm ad Regem. Itaque omnia à Lysandro postulata deinceps denegavit, à se petita statim indulsit, ne amicitiam regno præposuisse videretur, quod à Lysandro viro sapiente non est improbatum: cum autem Agesilaus careret equitatu, quo Tissaphernes abundabat, Phrygiam peditibus accommodatiorem petiit, & interim paravit equites quos sic instituendos curavit, ut iis mox Tissaphernis equitatum dissiparet, non minus consilio, quàm manu bonus Imperator.

Redeuntes Romam Delphis legati, expiandum Albanum lacum, purgandumque retulerunt quod & religiosè, & magnificè factum. Interim Tarquinienses ex agro Romano prædas egerunt, sed statim oppressi à duobus Tribunis militum spolia & impedimenta omnes, multi etiam vitam amisere.

OLYMP. XCVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3658. 358.

Dionysius tum Pœnos appetiit bello, quod cladibus, victorisque permixtum est. Nam Motyam oppugnavit: cujus naves dum invadit Imilco, repulsus est, & Dionysio victoriam, urbemque capiendam reliquit. Paulò post tamen Imilco paratior rediit, à quo recepta Motya, & insuper capta Eryx, & Messana, immò & obsessæ Syracusæ. Quare Siculi à Dionysio defecerunt, qui & navali prælio victus abscessit. Neque Imilconi diu favit victoria; dum enim deprædaretur templa, religione accensi Syracusani in eum irruunt, & magna afficiunt clade. Ii tum poterant recuperare libertatem, sed prohibuere Lacedæmonii, ut iis obsequentioribus uterentur. Accessit insuper Carthaginiensibus novum malum: Pestis enim atrox eorum invasit

exercitum, quâ occasione bene usus Dionysius, eos terrâ marique profligavit, sicque nutantem tyrannidem suam stabilivit.

Agesilaus in Asiâ jam instructus equitatu cum Persis ad Pactolum confligit, neque tantum Persas devicit, sed & eorum castris potitus, opes invenit, quæ septuaginta Talenta superarent. Aberat tum Tissaphernes, & hærebat Sardibus, qui accusatus est à Persis quasi eos flagitiosè deseruisset, atque prodidisset. Quare is adnitente Parysatide ob Cyrum, morte damnatus est, missusque Titraustes ei caput præscindi jussit, cum eadem lætitiâ Persarum, atque Græcorum.

Interea Agesilaus cum Nephreo Ægypti Rege societatem iniit. Is Spartanis apparatum ad centum triremes, & quinquaginta millia modiûm frumenti dono misit. Quæ tamen in Cononis manus devenerunt, & sunt Rhodi deposita. Titraustes cum Agesilao honestis conditionibus pacisci voluit; sed cum hic accepisset Lacedæmone 120. navium classem, cui Pisandrum uxoris suæ fratrem præfecit, sic omnia disposuit, ut bellum potiùs quàm pacem cogitare videretur. Itaque Titraustes ad fraudes conversus Timocratem Rhodium cum talentis quinquaginta misit, qui Thebanos, Corinthios, Argivos adversus Spartanos concitaret, quibus sponte accessere Athenienses satis magno ex se adversus victores suos flagrantes odio. Sicque Bœoticum exarsit bellum Lacedæmoniis perniciosissimum, & quod eorum res tantùm non attrivit.

Tum igitur à Thebanis oppressi Phocenses ad tutores suos Lacedæmonios fugerunt. Ad eorum auxilium præmissus Lysander Haliartum urbem Bœotiæ obsedit; sed Pausaniam Regem cum magnis copiis adventantem dum recusat expectare, ne is in partem veniret victoriæ, hic gloriam omnem suam cum vitâ perdidit. Advenienti paulò post Pausaniæ non sunt reddita cæsorum corpora è Thebanis, nisi finibus suis facesseret; itaque mœrens cum magnis cadaveribus rediit. Sed & alia accessit causa mœroris. Nam damnatus est quasi author rei malè gestæ & in exilium Tegeam profectus, hic vitam supplicem in templo Minervæ miser exegit, pœnasque Lysandreæ imprudentiæ innocens dedit.

Tum Orestes Macedoniæ regnum ad tres annos occupavit, exautorato Archelao; qui posthac restitutus regno, id insuper quatuor annis administravit, ut malam hanc expertus fortunam regni delicias suaviùs degustaret.

Romæ bellum Vejens feliciter est confectum ex occasione acceptæ cladis. Dum enim Titinius, & Genucius Tribuni militum adversus Faliscos & Capenates bellum incautiùs gerunt, in insidias pertracti sunt, ubi Genucius fortiter pugnans occubuit: Titinius in tumulum evasit, ubi terrore compresso restituit aciem. Plus ignominiæ quàm damni hoc factum attulit. Sed Vejentina castra Romamque sic turbavit, ut Dictator M. Furius Camillus crearetur. Is consultiùs cum iisdem hostibus confligens, eos non modò vicit, sed & exuit castris, magnaque potitus est prædâ. Inde Vejos ad obsidionem profectus occultum cuniculum magno labore in urbem duxit, qui apertus in æde Iunonis, & repente fortissimos viros effundens, Romanis etiam per portas aditum aperuit. Hic Vejentes ad satietatem cæsi, tandem inermibus parcitum, capti omnes sub coronâ venierunt. Iuno in Aventinum translata; indicta trium dierum supplicatio, cum Camilli magnifico triumpho, ob expugnationem urbis tamdiu dilatam, tam citò peractam.

OLYMP. XCVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3659. 359.

*Agesilaus revocatur ex Asia.* Cum Bœotiis, Corinthiis, Argivis, Atheniensibus res optimè succederent, & Lacedæmonii non modò desererentur in Thessaliâ, sed & à Conone & Persis vexarentur; revocatus est ex Asiâ Agesilaus, ubi felicissimè, & gloriosè depugnabat. Igitur quasi mox rediturus Euxenum præfectum cum quatuor millibus armatorum reliquit, ipse cum reliquis copiis in Græciam venit. *Victor vulneratur ad Cheronæam.* Et in Thessaliâ equestri certamine Thessalos vicit; deinde ad Cherronæam Thebanos, ubi tamen multis confossus vulneribus Delphos est delatus, ibique de manubiis Deo decimam obtulit. Inde domum navigio revectus hanc victoriam sibi nimis stetisse conquestus est.

*Tumultus Romæ.* Hoc anno Romæ tumultuatum graviter, quia Tribuni plebis Vejos deducere coloniam volebant, non in Volscos, resistentibus acerrimè Patriciis, ne urbs in duas quasi partes scinderetur, & plures ob amœnitatem soli transmigrarent Vejos, quàm Romæ subsisterent.

*Decima Apollini persoluta.* Tum quoque instititCamillus, ut populus decimam Apollini penderet, & votum in Vejenti obsidione nuncupatum. Quod cum fieri non posset absque tumultu plebis, matronæ de suo mundo muliebri, auri quantùm satis esset, suffecere: quapropter iis concessum, ut deinceps Pilento, seu pensili curru ad sacra & ludos, aliàs carpento veherentur: hoc honore perpetuo, unius diei pietas remunerata est: *Cur mulieres Romanæ usæ Pilento.*

OLYMP. XCVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3660. 360.

*Laced. victi ad Gnidum à Conone.* Tum maris dominatum perdidere Lacedæmonii, victi ad Gnidum à Conone Atheniensibus navibus, à Pharnabazo Phœniciis, quando & Periarchum Classis præfectum cum quinquaginta triremibus amiserunt. Inde suâ feliciter usi victoriâ Conon & Pharnabazus multos eis socios abduxerunt; & abstulissent plures, nisi plerosque fortitudine suâ, atque prudentiâ Dercillidas retinuisset.

*Obiit Pausanias Rex exul.* Obiit hoc anno apud Tegeates Pausanias exul, cum regnasset Spartæ annis 14. cui successit totidem annis filius Agesipolis, ambo infelicitate suâ, quàm rebus gestis clariores.

*Bellum Corinthiacum.* Tum inchoatum est bellum Corinthiacum, quod annis octo tenuit; dum exulibus Corinthiis Lacedæmonii, oppidanis Athenienses, & Thebani faverent. Fuerant hi seditione pulsi, & redire majori quàm exierant tumultu conati sunt.

*Falisci se Camillo dedunt justitiam.*

M. Furius Camillus Tribunus militum missus est, ut Falerios obsideret; & primo impetu Faliscos hujus urbis cives victos suis muris inclusit: sed facilè urbs capi non poterat, commeatu, & viris fortibus plena; virtute Camilli in ejus potestatem venit. Cùm enim perfidus Ludimagister pueros sibi commissos ex urbe ludi causâ egressos, in Romanorum castra pertraxisset, eundem Camillus nudatum vinctis post terga manibus ab iisdem pueris probè verberatum, in urbem reducendum curavit. Qui aspectus ita Faliscos permovit ut ejus se virtuti dederent, qui armis restiterant, rati servitutem sub dominis adeò studiosis, atque benevolis, esse quavis libertate meliorem.

*Liparenses Rom. abstricti.*

Missum quoque tum ad Apollinem votum, crater ingens aureus, & à tribus legatis delatum. Hi à Liparensibus Piratis capti Liparam abducti sunt. Sed ex Piratis unus Timasitheus civibus suis persuasit, ut eos cum Cratere suo religiosè dimitterent, priùs hospitio publico exceptos; quod & præstitere. Eos Timasitheus ipse deduxit Delphos, & sospites reduxit Romam. Quare jus hospitii cum eo contractum ex Senatusconsulto, quod ei tum honori, postea ejus posteris commodo fuit, qui deinceps facti sunt ab omnibus tributis immunes.

## CAP. VII.

### *Decas Septima.*

*Ab anno* 3660. *ad* 3670.

OLYMP. XCVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3661. 361.

*Dionysii dubia fortuna.*

MAGO Pœnus Messanam obsidens à Dionysio victus est. At idem Dionysius dum invadit Rhegium, re infectâ abire compulsus est, & contra se Græcos omnes. & Italos magnâ animorum consensione accendit.

*Græci artibus inter se pugnant*

Argivi hoc anno Corinthum occuparunt; quando exautorato Iphicrati Chabrias substitutus est. Conon autem tot rebus feliciter gestis pecuniâ Theribazi (vel Pharnabazi) longos Athenarum muros, & Pyræum reficere aggreditur, in odium Lacedæmoniorum, quod opus modis omnibus hi prohibere conati sunt per Antalcidam, cujus etiam industriâ factum, ut Cononem Theribazus in vincula conjiceret, justitiâ planè Persicâ, & huic geminâ, quâ Tissaphernes sublatus erat.

*Restituti Romæ Coss.*

Restituti sunt Romæ Consules cum plebs magnâ contentione Veios migrare cuperet. Mulctati etiam sunt à populo tribuni plebis, quasi rem parum promovissent, sed maximè obnitente Camillo lex lata non est de colonia Veios deducendâ, tantùm ejus urbis ager viritim divisus, qua divisione plebs delinita conquievit.

*Vitellia col. recepta.*

Occuparunt & tum Æqui Vitelliam coloniam proditione, quam victoriâ de iisdem L. Lucretius recuperavit. Sic oppidum scelere perditum, virtute recuperatum est.

OLYMP. XCVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3662. 362.

*Hierax*

Hierax Lacedæmonius hoc anno Æginates juvit, & Athenienses eorum hostes malè affecit. Pejùs etiam legatus ejus Gorgopas, qui eos obsidionem Æginæ solvere compulit; & deinceps multis eos cladibus perculit Eunomo duce superato. Sed demùm Gorgopas à Chabriâ in Æginâ insidiis interceptus, cum multis insulanis, Athenienses suâ morte, & clade delinivit.

*Res in Ægina gestæ à Laced. & Athen.*

*& in Lesbo.*

Tum quoque Thrasybulus Atheniensis Lesbi oppugnavit urbes, & Therimachum Lacedæmonium sibi obsistentem vicit & interemit.

*Mago victus à Dionysio*

Dionysius Magonem Pœnum in Siciliâ, in eas angustias compulit, ut cum eo quibusvis conditionibus pacisci cogeretur.

*Ludi Megalenses & Templum ...*

Romæ Megalenses ludi celebrati, quos Camillus bello Veienti voverat. Dedicatum ab eodem votum templum Iunoni Reginæ, incredibili studio matronarum exornatum. Novum quoque bellum susceptum in Volscinienses, non tamen gestum, quia id fames pestisque prohibuerunt, & malum duplex unum impediit.

OLYMP. XCVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3663. 363.

*Gorgopæ succedit Teleucias*

Gorgopæ mortuo à Lacedæmoniis suffectus est Agesilai frater Teleucias, optimi ducis magnum exemplar, qui sine pecuniâ, sine stipendio, exemplo tantùm suo, patientiâ, & studio militem in officio continuit, atque exercitum quasi ex liberis conflatum sapienter rexit. Principio consilium suscepit audax, & incredibile, nisi ad exitum perductum esset. Cùm enim accepisset Athenienses in suis navibus solutâ admodum disciplinâ vivere, cum 12. navibus Pyræum ingressus primâ luce, triremes eorum corrupit, aut cepit, onerarias naves mercibus, ad suas triremes alligatas in Æginam abduxit: eodemque impetu oram Atticæ legens naves plurimas frumento, & mercibus oneratas Æginæ quoque deposuit, stupentibus Atheniensibus, nec tantæ audaciæ resistere ausis. Inde stipendium militi in antecessum persolvit, docuitque milites & duces fortissimos, & solertes nullâ re unquam indigere.

*Rh... La... def...*

Rhodii ad Lacedæmonios deficiunt, qui tum visi sunt imperium maris recuperare. Eò dum pergit Teleucias, intercepit naves Atheniensibus ab Evagorâ missas, vir fortissimæ, & sagacissimæ celeritatis.

*Ev... Cy... ap... b... P...*

Pertinet igitur ad hoc tempus Evagoras Cyprius, qui à conditoribus Salaminiis trahebat originem. Seditione expulsus Salamine eam tandem recepit, Abdemone Regulo Persarum Cliente submoto. In eâ autem urbe regiâ sic vixit, tam prudenter eam administravit, ut eas conficeret divitias quibus sibi totam insulam compararet. Huic tamen repugnavere Antathusii, & aliquot urbes, quæ Persarum auxilia implorarunt. Itaque hunc petere bello decrevit Artaxerxes, ille Regi Regum restitit sine temeritate.

Victi sunt hoc anno Volscinienses, & deditione factâ 20. annorum inducias obtinuerunt. Tum quoque L. Apuleius Trib. pleb. diem Camillo dixit de prædâ Vejentanâ: sed cum eodem tempore vir tantus filium suum perdidisset,

ſet, antequam damnaretur ſponte Ardeam in exilium ſeceſſit, precatus Deos, ut ſi innocens accuſatus eſſet, primo quoque tempore ſui deſiderium neceſſarium ingratis civibus injiceret. Ratæ habitæ ſunt viri boni & miſeri preces, ſed ultimam propè urbi perniciem procurarunt.

Obſederunt eodem anno Cluſium Galli; Cluſini Romanorum opem implorarunt, qui primùm legatos tres *filios* M. Ambuſti Fabii miſerunt, ut prohiberent injuriam. Sed Galli de more ferociter reſponderunt. Legatorum unus Q. Fabius, *in eruptione civium*, Gallum quemdam interemit, eique ſpolia detraxit; quod cum Galli cognoviſſent legatos quoque Romam miſere, qui juris gentium violatorem repoſcerent. Nihil reſponderunt Romani, ſed tres illos Fabios Tribunos militum crearunt. Quare Galli ſolutâ Cluſii obſidione verſus Romam movent, obliti expeditionis, ut illatam ſibi ac gentibus omnibus ulciſcerentur injuriam.

OLYMP. XCVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3664. 364.

Fuit hic annus duorum ducum cæde memorabilis quidem, ſed ob Romam à Gallis captam celebrior.

Timbro Lacedæmonius dum oram Perſarum Regi ſubditam audacius, quàm cautiùs populatur, à Struthâ ejuſdem Regis Duce oppreſſus non ut Imperator, ſed uti pirata infeliciter interiit.

Thraſibulus item Athenienſium dux ab Aſpendiis per militum ſuorum culpam interemptus eſt, à quibus minùs diligebatur. Fuit is Teleuciæ æmulus, cui fortitudine par, induſtriâ, & comitate longè inferior fuit.

Hoc item anno capta eſt à Gallis Roma, quæ clades ducum injuſtitiâ, temeritate & ignaviâ contigit. Occurrere Romani Gallis, ubi Allia miſcetur Tiberi, & aciem explicuere, ne hoſtium multitudine circumfunderentur: ſed eorum vix aſpectum clamoremque tulere. Siniſtrum cornu in flumen impulſum eſt, ubi magna cædes, & ab aquæ forticibus clades major, pauci Veijos fugerunt. Dextrum cornu intactum Romam redit, cives omnes per vicinas urbes diſſipati ſunt, pauci ſe Capitolio incluſerunt, portis urbis patentibus tantâ incuriâ, ut inſidiarum metus injiceretur hoſti. Tandem ſubmiſſis exploratoribus Rex Brennus, & Galli urbem ingrediuntur, incidunt que in Senatores cum inſignibus magiſtratuum in ſellis ſuis ſedentes, quorum majeſtate quaſi Deorum, tantiſper inhibiti ſunt, & repreſſi, ſed cum Gallus miles audacior M. Papyrio demulſiſſet barbam, isque ſcipionem in Galli caput impegiſſet, cædis ab eo factum eſt initium, omnes trucidati, urbs ſpoliata, incenſa, deſolata, experta eſt quidquid à Barbaris expectari ſolet. Capitolium interea à Gallis premebatur, & fame, neque ſperebatur auxilium, quod nihilominus adfuit. Cum enim ad Ardeam excurſores Gallos Camillus cecidiſſet, in eum ſunt omnium conjecti oculi, Dictatorque dictus, & probatus etiam ab incluſis in Capitolio. Quod nihilominus captum eſſet, niſi clangore ſacrorum Anſerum excitatus M. Manlius, jam murorum crepidinem prenſantes Gallos deturbaſſet. Tandem Camillus cum exercitu ex fugitivis conflato ad fuit, hoſtem primum inter ſemirutæ urbis parietinas vicit, deinde viâ Gabinâ, quò ſe receperant, penitus delevit. Quamobrem triumphans urbem incenſam ſubiit, eamque ſtatim reparari juſſit, impediâ tranſmigratione Veijos: ideoque Romulus alter ac conditor, & patriæ parens dictus, & ſic ſe innocentem exulem, & Romæ neceſſarium oſtendit. *A Camillo recuperata.*

OLYMP. XCVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3665. 365.

Dionyſius expeditionem adverſus Italos ſuſcepit, quos & ſuperavit, ac demùm potitus eſt Rhegio munitâ civitate, ac ſuis conſiliis opportunâ. *Rhegium occupat Dionyſius.*

Romam vicini hoſtes reſpirare paſſi non ſunt Volſci enim, Æqui, Etruſci, immò & Hernici in armis eſſe nunciati ſunt. Itaque Camillus Dictator electus juſtitium indixit, atque in tres partes diviſo exercitu, ipſe Volſcos ſolo nominis ſui terrore vicit, exuit caſtris, & ad deditionem compulit anno 70. quo bellum inchoarant. Æquos etiam ad Volas fudit, & occupavit eodem impetu urbem. Tum in Etruſcos progreſſus qui jam occuparant Sutrium, eandem urbem cum ingenti hoſtium ſtrage recepit, eodemque die Sutrinis ejectis reſtituit, ac triumphans urbem, trium populorum domitor, cum multis acclamantibus, ingreſſus eſt. *Camillus tres populos vincit.*

OLYMP. XCVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3666. 366.

Dionyſius Hipponiatas tranſtulit Syracuſas & eorum agrum attribuit Locris. Præterea neglectis legibus pacis, Rhegium obſedit. Mafit quoque ad Olympicos agonas quadrigas incitatiſſimas, Scenas magnificas, cum Rapſodiis, quæ primò aſpectu probata ſunt ob magnificentiam, & actorum dignitatem, ac Palæſtram, ſed excuſſa diligentiùs, habita ſunt ludibrio, indignaque quæ coram Græcis recitarentur. Denique eodem anno Lyſias orationem habuit, inſcriptam Olympicam, qua in tyrannum invectus eſt acerrimè, præmium ſanè dignum Tyrannicâ liberalitate. *Dionyſius ſpretus à Græcis* *Lyſias Orator.*

Romæ Capitolium ſtructum eſt ex lapide quadrato, opere magnificentiſſimo, & quod eorum temporum non ſaperet inopiam, & frugalitatem. *Capitolium reparatum.*

OLYMP. XCVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3667. 367.

Rhegini fame domiti, Dionyſio ſeſe dedere compulſi ſunt, in quos is acerbiſſimè ſæviit, & ultione quæ tyrannum, & Dionyſium oleret. *Rhegini ſe dedunt Dionyſio.*

Pertinet ad hunc annum Antalcidæa pax ignominioſa Græcis, quam tamen Xenophon probat, quia erat Græcis, Perſiſque neceſſaria. Artaxerxes enim nolebat duplici implicari bello, Græco ſimul, & Cyprio: Athenienſes Lyſandream expeditionem ab Ageſilao metuebant, erant ſumptibus attriti Lacedæmonii. Itaque ab omnibus probata eſt pax infamis, quæ Græcos in Aſia ſubjiciebat Perſis, quod ne fieret, tot- *Pax Antalcidæa.*

tot erant à Græcis suscepta bella. Ejus pacis cum esset executor Agesilaus ad eam Thebanos, Corinthios, Argivos armorum metu compulit, quæ pacem negantibus, à Persis simul & Lacedæmoniis intentabantur itaque pacem Græci per Teribazum nolentes volentes receperunt.

*Tribus aucta Romæ.* Romæ auctâ civitate, tribus etiam auctæ sunt, & prioribus additæ quatuor; ut ei sua clades profuisse videretur.

OLYMP. XCVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3668. 368.

*Philoxenus.* Dionysii Poëmata merito Philoxenus improbavit, eaque flammarum luce, quàm publicâ, & eruditâ esse digniora judicavit.

*Mantinæi à Lacedæmoniis vexantur.* Lacedæmonii Mantinæis sibi parum fidelibus irati, pacem violant, eosque jubent, muros suos destruere. Recusantes Agesipolis obsidione cinxit; sed cum videret urbem abundantem commeatu, fluvium aggere priùs retentum immisit in urbis muros. Veriti cives, consensere ut dirueretur murus quem labare jam videbant, & ut sparsim habitarent quasi in quatuor urbibus. Urbis sexaginta primarii exulare jussi sunt, Græcis omnibus improbantibus factum, sed non ausis reclamare.

*Evagoras à Persis appetitur bello.* Artaxerxes Mnemon Evagoram bello appetit, cui se multi Persarum hostes conjunxerant: Nam præter Ægyptios, Tyrii & Arabes ei tulerunt opem. Cum ergo is usus prædatoriis navibus onerarias Persarum intercepisset, tantam invexit in Persarum classem annonæ caritatem, ut non fames modo, sed & seditio timeretur. Sed demùm Persæ resumptis animis superiores effecti triremes Evagoræ plures depresserunt, atque corruperunt. Tum obsessa Salamis, & in eâ Evagoras. *Fugit Evagoras in Ægyptum.* Teribazus interea ad Regem profectus est ut pecunias impetraret: Evagoras noctu cum decem triremibus fugit in Ægyptum, ubi ab Achore Rege benevolè susceptus, eundem ad belli societatem incitavit, ne Persa post Cyprum domitam, de Ægypto subjugandâ cogitaret.

*Camillus multos populos vincit.* Tum hostibus multiplicatis Romæ Camillus à quinque Collegis quasi Dictator dictus dum sponte se ipsi subdunt. Latini enim Volsci Hernici, & Etrusci conjurarant, & tantùm conflarant exercitum, ut centum hostes uni Romano militi committerentur. Verùm Camillus exercitum non numeravit suum, sed oratione accendit ad pugnam, quæ atrox, & diuturna fuit; & hanc tantum nox, imberque diremit. Latini, & Hernici domum taciti repetierunt. Volsci relictis castris inclusere se Satrico, sed urbe captâ dedidere sese abjectis armis. His celeriter juxta ac fortiter actis, Camillus in Etruscos exercitum convertit, qui jam aliquot oppida occuparant, sed quæ celeriùs recepta sunt, quàm perdita; sicque dux triumphans urbem ingressus, non uno, sed pluribus triumphis dignus.

OLYMP. XCVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann* 4. 3669. 369.

*Dionysius Epirum cogitat sibi adjungere.* Dionysius Epirum cogitans in Hadriatico littore excitavit urbes, atque inter cæteras Lissum, cum Molossi ab eo & Illyriis vexarentur, tulerunt illis opem Lacedæmonii, qui tum ducem maximum amiserunt.

*Cadit Teleucias.* Nam contra Olynthios pugnans Teleucias primo victor ad muros usque urbis hostes persecutus est, unde imbre telorum obrutus coactus est referre pedem; in quem tum emissus Thrax equitatus, paratus & recens copias ejus certamine fessas dissipavit; ipse dum fugam suorum impedit, cæsus est cum magna Spartanorum strage nec enim tam charus suis Imperator sine magnâ clade potuit interfici.

*Evagoras pacem à Teribazo petit…* Evagoras ex Ægypto redux Salaminam vehementer pressam reperit, itaque pacem à Teribazo petit, sed is vincula ostentat; demens! qui hæc sibi mox injicienda non suspicaretur. Orontes enim Artaxerxis gener eum calumniatus est apud Socerum quasi suspectum rerum novarum, & initæ cum Lacedæmoniis amicitiæ. Quare Regis jussu in vinculis perductus est Susa. Orontes calumniæ suæ præmium ejus præfecturam suscepit, qui veritus novos motus, cum Evagorâ honestis conditionibus, oblatis Teribazo, pepigit, bello fortunatius, quàm sapientiùs suscepto, atque terminato.

*Manlius accus…* M. Manlius qui Capitolium servarat, ardens æmulatione in Camillum cujus erat virtus suâ illustrior, & commendatior, plebem sibi muneribus devincit, & Senatum calumniatur. Dictator dictus Cornelius Cossus, repressis Volscis, Latinis, & Hernicis, diem Manlio dicit, cumque in vincula quasi calumniatorem conjicit. Sed plebs mutavit vestem, & frequens limine carceris excubavit. Itaque cum eis timeretur, emissus est; neque tum compressa seditio, sed dux seditiosis datus.

OLYMP. XCIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3670. 370.

*Sacrilegia Dionysii.* Dionysius ad bellum Punicum se accingit sacrilegio, Agyllæ templo in Etruriâ direpto. Immò & Diis suis illudere solitus erat, atque bonos eos appellare, cum eorum donariis ut ditior sic sceleratior effectus esset.

*Teribazus absolvitur, Orontes mu…* Teribazus in vinculis datus, hæsit in carcere diutiùs, quàm ejus innocentia pateretur. Interim Gaos ejus gener classi Persicæ præfectus, metuens sibi ob communicata cum socero consilia, deficit ab Artaxerxe, & se Lacedæmoniis, Ægyptiisque conjungit. Rex confecto cum Caduleis bello, causam Teribazi tribus integerrimis judicibus committit, apud quos accusatus ita causam agit, ut & innocens, & de Rege benè meritus renunciaretur; quare magnis à Principe muneribus affectus est: Orontes verò ut calumniator ex Regiorum amicorum albo turpiter expunctus, ignominiâ breviori quàm par esset; cum postea Mysiam Satrapiam legatur administrasse.

*Ag… su… Te…* Teleuciæ mortuo suffectus est Agesipolis, sed cum 30. Consiliariis, ut res Thracicas, & Macedonicas administraret, Teleuciæ morte turbatas. Agesilaus quoque Phliasios Sicyonios, exules suos malè tractantes castigavit, eorumque arcem 10. mensibus obsedit, diutiùs quam tanti ducis virtus, & loci tenuitas pateretur.

Tum

Tum quoque natus Aristoteles Diotrephe Athenis prætore, triennio ante Demosthenem, quando maximè florebat Parmenides: Ortus autem Stagira in Macedoniâ patriam suo nomine & gloriâ illustrem reddidit, atque etiam Principibus viris acceptissimam.

Manlius Romæ carcere potiùs efferatus, quàm sanatus, populum ad vim, se ad Tyrannidem parabat. Itaque ad Camillum Romani de more quasi ad sacram anchoram confugiunt. Hic pertractis in partes suas Tribunis plebis diem Manlio dixit, qui sordidatus causam dixit, neque unquam damnari potuit quandiu coram Capitolio peroravit. Sed translato in alium locum judicio, convictus, damnatusque, atque è Saxo Tarpeio, quasi unus è Senonibus, præcipitatus est. Vir fortis, sed nequam, & cui servata patria, ad se opprimendam aperuit viam.

## CAPUT VIII.

### *Decas Octava.*

*Ab anno* 3670. *ad* 3680.

OLYMP. XCIX. *ann.* 2. *Mundi* 3671. Urb. Cond. 371.

PUNICUM bellum à Dionysio gestum vario eventu: In eo perdidit fratrem suum Leotinem, magno sanè damno, nisi Tyranno contigisset. Pax tamen inter eum, & Carthaginienses coaluit, cum neutri se victores dicere, neutri se victos fateri vellent.

Lacedæmonii civitates sibi conciliare conati sunt. Ab iis auxilium etiam petiit Amyntas Rex Macedonum, ut res suas recuperaret, quia tum totius Græciæ arbitri, fautoresque putabantur.

Natus est hoc anno Philippus Historiæ Græcæ decus & ornamentum singulare, dignusque cui filius Alexander nasceretur.

Novi tum Romanis exorti sunt hostes Circeienses, Velitrenses, & Lancevini, contra quos decretum bellum, quod tamen impediere pestis & fames, hostes quovis truculentiores. Interim plerique ex iis ad se redierunt & parabant legationem, cum defectionis autores veriti ne Romanis dederentur, sua commoda posthabuere patriæ, & plebem incitaverunt, ut incurrerent in agrum Romanum, sicque belli atrocissimi sibi necessitatem imponerent.

OLYMP. XCIX. *ann.* 3. *Mundi* 3672. Urb. Cond. 372.

Phœbidas, quem alii Polybiadem, alii Polybidam vocant, missus à Lacedæmoniis per summam injuriam Cadmæam Thebanorum occupavit, operâ Leontiadis, & aliorum quinque proditorum, quæ tum lætitiæ & mœroris attulit utrisque quantùm doloris posteà vicissim pariet, atque voluptatis.

Tum natus est Demosthenes ille dicendi Princeps, cujus fortunatior fuisset eloquentia, si in meliora, & pacatiora tempora incidisset.

Romæ Tribuni militum duo contra Velitras arma movent, quorum auxilio statim conjurati affuere Prænestini. Pugnatum acerrimè contra utrosque qui & sunt in urbem compacti, quæ tamen obsessa non est; quia sperabatur colonia ad obsequium aliter posse revocari. Tum Prænestinis indictum bellum, majori apparatu sequenti anno administrandum.

OLYMP. XCIX. *ann.* 4. *Mundi* 3673. Urb. Cond. 373.

Missus enim est in Volscos Camillus, qui Prænestinis conjuncti Satricum Romanorum coloniam fortiter defensam, fortiùs expugnarunt. Tum collega Camilli L. Furius eum ad pugnam committendam reluctantem impulit: at Volsci fictâ fugâ in locum iniquum Romanos pertractos cecidissent, nisi ex superiori loco suis prospiciens Camillus, eos sapienter retraxisset, & suo tempore prudentiùs deduxisset in hostes, quorum multos interemit, plures cepit. Inter eos cum inventi essent Tusculani eis indictum est bellum; quod etiam Camillo commissum, cum eo collegâ, quem ipse vellet. At is L. Furium imprudentem illum collegam suum selegit, jam experientiâ suâ factum saniorem. Omnia tamen Tusculi pacata sunt reperta: missique à Tusculanis legati culpam ingenuè confessi, non veniam modo, sed & societatem obtinuerunt à Romanis, consuetis parcere hostibus qui se submitterent, superbos debellare. *Volscos Camillus ad Satricum vincit.* *Demissis Tusculanis pacantur Romani.*

OLYMP. C. *ann.* 1. *Mund.* 3674. Urb. Cond. 374.

Agesipolis contra Olynthios missus eos plurimum fatigabat, & socias subtrahebat civitates, quarum præstantissimum Toronem vi expugnavit. Sed calente cælo sub mediam æstatem ardenti morbo correptus est, & in algidum Pallenes locum translatus intra septem dies obiit. Melle conditum ejus corpus Spartam relatum est ad honorificam sepulturam, & Regias exequias. Regnavit ut pater ejus annis quatuordecim, eique ad novem annos Cleombrotus successit. Agesipolis locum statim Phœbidas fortiter implevit, & Olynthios ita repressit, ut de deditione cogitarent. Sæviebat enim apud eos atrocissima fames, cum importari eis frumentum neque mari, neque terrâ victores Lacedæmonii paterentur. Tandem duris pepigere conditionibus, & quibus se Spartanorum subditos faterentur. Ita ad summum felicitatis apicem elati sunt Lacedæmonii, cum iis cessissent Olynthii, Thebani ob Cadmæam interceptam paterent, Corinthii fideles essent, Argivi & Athenienses ægrè libertatem retinerent: Sed timenda fortunæ mutatio dum pervenit ad summa. *Agesipolis moritur.* *Lacedæmonii omnia possunt in Græcia.*

Romæ T. Quintius Cincinnatus Dictator electus est, cum Volsci Prænestinis conjuncti ad portam Collinam signa defixissent. Recessere mox tamen, & ad Alliam fluvium posuere castra, Romanis uti omnes credebant mali ominis. Verùm in pugna ignavissimè hostes se gesserunt, seque grassatores probos malos milites præbuerunt. Nam & perdiderunt castra & munitionem opere tumultuario excitatam propè Præneste, quod etiam ad deditionem compulsum, captis octo aliis eorum oppidis. Eodem ferè impetu Velitræ expugnatæ plenam reddidere victoriam. *Dictator Cincinnatus Volscos vincit Velitras capit.*

ctoriam. Dictator acto triumpho intra vigeſimum diem abdicavit, victoriam tam illuſtrem, quàm ſubitam conſecutus.

OLYMP. C. *Mundi* Urb. Cond.
*ann* 2. 3675. 375.

*Pœni hoc anno fortunati.*

Cartaginienſes hoc anno in Italiâ bellum geſſerunt, ubi Hipponiatas in odium Dionyſii ſuis ſedibus reſtituerunt. Recuperarunt quoque Sardiniam bellis Siculis, & Italicis perutilem. Quando & Libyas repellere auſos jugum recipere compulerunt. Hic igitur annus Pœnis fortunatiſſimus extitit.

*Bellum in Volſcos malè gerũt Manlii.*

Bellum Volſcorum Manliis extra ordinem commiſſum, admodum inordinatè adminiſtratum eſt; Duces impudentiſſimi, ſe in inſidias pertrahi paſſi ſunt: & actum erat de Romano exercitu, ſi Volſci uti victoriâ noviſſent. Vaſtitatem tamen Romanis agris intulere; dum viciſſim in eorum agros duo Romani exercitus excurrunt, ut populatores retraherent; quod profectò cauponari bellum fuit, non belligerare.

OLYMP. C. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3676. 376.

*Bœoticum bellum.*

Bellum Bœoticum hoc anno ſic exortum eſt, Regebant Thebas Polemarchi ſeptem: hos ſeptem exules, quorum caput Phillidas, tollere moliuntur, die veneris Feſto, quo illis promiſſa ſunt ſeptem ſcorta; ſed eorum loco inducti conjuratores [illegible] habitu muliebri, qui ſingulos Polemarchos, ſicâ quæ veſte latebat confoderunt.

*Cadmæa dedita.*

Inde perrexerunt ad carcerem, quaſi adducentes reum, ubi cuſtode cæſo, vinctos ſolvunt & armant, indeque populum ad libertatem vocant. Tum reliqui exules cum Athenienſibus evocati ad expugnandam Cadmæam. Præfectus ejus fide acceptâ ſeſe dedit, quæ tamen ſervata non eſt, Lacedæmoniis omnibus, etiam cum infantibus cæſis. Quare hic Spartæ morte mulctatus eſt ob auxilia non expectata; paratum in Thebanos bellum duce Cleombroto, ſed majori apparatu, quàm fructu.

*Rom. coloniam mittunt in Sardiniam.*

Tum Romani primum colonos in Sardiniam miſere, jam aliquid extra Italiam meditati: ſed civis illi dicendi potiùs exules quàm coloni fuere, quia locus ille erat reis, quam militibus aptior, ob aëris gravitatem.

OLYMP. C. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3677. 377.

*Vario eventu pugnant Græci.*

Cleombrotus verſus Platæas pergens Thebanos 150. cædit, & Sphodriam Platæis præficit, ſtatimque reverſus eſt domum: at Sphodrias corruptus à Thebanis pecuniâ, injuſſus bello tentavit Athenienſes, qui ſe ideò Thebanis conjunxere. Sphodrias nihilominùs operâ Ageſilai abſolutus eſt, qui tum omnia Spartæ poterat. Exinde Ageſilao commiſſum hoc bellum, qui Theſpias communit, iiſque Phæbidam præficit. Is dum Thebanos populatur, in malignum locum pertractus, occiſus eſt inſtar prædonis. Ageſilaus iterùm Thebanos invadit; at hi prudenter cunctantes conſilio uſi Chabriæ, conſilia, & arma Spartanorum eluſerunt.

Interea Thebani trecenti ad Pegaſas capti juſſu Alethis Lacedæmonii in Eubœâ præfecti victores ſuos cepere, & cum decem talentis, ac duabus triremibus ad ſuos ſaſpites rediere, audaci planè conſilio, & cum ſummâ fortitudine, ac felicitate confecto.

Remiſſus eſt iterùm in Thebanos Cleombrotus, Ageſilao ex ruptâ venâ decumbente: qui vidit tantùm hoſtem in munitis locis, & inacceſſis, ac rediit tranſitum deſperans.

Chabrias Dux Athenienſis tum Pollidem cum Lacedæmoniis vicit navali prælio, ex quo illi reſumpſerunt animos, hi dimiſerunt.

*Volſ[ci] La[tini] [vi]cti.*

Volſci & Latini à P. Valerio, & L. Æmilio Tribunis militum victi, Satricum primò, deinde Antium fugerunt. Sed inter Antiates & Latinos, eſt exorta ſeditio, cum hi intacti bellum, illi attriti pacem mallent. Itaque Antiates ſe Romanis dedunt, Latini Satricum petunt; inde Tuſculum capiunt, ſed Tuſculani retinuerunt arcem, unde mox cum Romanis auxiliatoribus erumpentes, Latinos omnes trucidarunt, ereptaſque prædas multo hoſtium ſanguine, glorioſè receperunt.

*Fil[iæ] Fab[ii] [Am]bu[sti] ... ma[...] bar[...]*

M. Fabius Ambuſtus duas filias ſuas collocarat, alteram C. Licinio Stoloni plebeio, alteram patricio. Quæ plebeio nupſerat ſæpe querebatur apud Patrem, qui conſilia agitare cœpit cum genero, & L. Sextio audaci adoleſcente de ſummo magiſtratu plebi communicando: quod ut facerent magnas Romæ concitaverunt turbas, adeò ut unius mulierculæ ambitione tanta civitas periclitaretur.

OLYMP. CI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3678. 378.

*Ch[abrias] ca[...]*

Chabrias Athenienſis ferens auxilium Abderitis contra Illyrios perimitur dolo; vir magnus & dignus caſu illuſtriori.

*Ti[motheus] ren[...] ger[...]*

Rogati ſunt à Thebanis Athenienſes Peloponneſios diſtinere bello: hi ſexaginta navium claſſem inſtruunt duce Timotheo, quæ oram Peloponnenſi circumiit, metum inferens aut vaſtitatem. Tum quoque Corcyra ab eodem Timotheo occupata: Ubi cum ſe geſſiſſet humaniter vicinas ſibi civitates devinxit. Pluſque ſuaviſſimis moribus ſuis, quàm armis profecit. Miſſis in eum Lacedæmoniis cum navibus quinquaginta quinque, Nicolochus homo impiger, & bello ſatis idoneus, nequaquam tamen cum Timotheo comparandus: quare ille ab eo victus eſt. Uterque tamen paulò poſt receſſit, hic ut partum retineret decus, ille ut acceptum dedecus relineret.

*A[narchia] Ro[mana] qu[inque]n[nium]*

Hinc ducitur Romanæ Anarchiæ quinquennium; quo anno Tribuni plebis C. Licinius Stolo, & L. Sextius tres leges promulgavere adverſus Patricios: primam de ære alieno, alteram de quingentis terræ jugeribus, tertiam de Conſulatu plebi communicando; quas impedire conati ſunt patres interceſſione collegarum: at Licinius & Sextius comitia curulia haberi noluerunt. Sic annis quinque Roma magiſtratibus curulibus caruit, nullis tunc appetita bellis, quia hanc ſatis civiles hæ turbæ lacerabant.

OLYMP. CI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3679. 379.

*M[...] co[...] ſi[...] co[...]*

Artaxerxes Mnemon moturus in Ægyptios

conatus

conatus est conciliare Græcos, ut iis auxiliatoribus uteretur; pacem oblatam Græci omnes lubentissimè receperunt, præter Thebanos, qui Epaminondæ suasione permoti aliis adscribi noluerunt, unde ingentes, & diuturni in Græciâ concitati sunt motus. Phocensibus enim per Thebanos appetitis bello adfuere socii Lacedæmonii, duce Cleombroto. Neque diuturna pax inter Athenienses & Lacedæmonios fuit, Timothei classe turbatâ, cui oppositus est Mnasippus item cum Spartanâ classe is Corcyram malè accepit; itaque Corcyræi Athenienses evocant, quibus auxiliatus est primùm Timotheus, deinde Ipsicrates: ab hoc expulsus ex insula Mnasippus homo crudelis, & temerarius, sicut & interceptæ naves decem à Dionysio ad Lacedæmonios missæ. Præterea idem Ipsicrates Cephaleniæ oppida subegit viciniora Peloponneso, ac tantundem Atheniensium extulit gloriam, quantùm depressit imperium Lacedæmoniorum.

OLYMP. CI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3680. 380.

Suscepta est in Ægyptum expeditio ducibus Ipsicrate, & Pharnabazo, quæ illius cunctatione irrita fuit, & paratiores quàm Persica res patiebatur, Ægyptios reddidit.

Perseverarunt quoque in Græcia motus, ut & Romæ; cum hoc tamen discrimine quod hîc odiis & maledictis, illic ferro, ac cædibus pugnaretur.

Hoc quoque anno cæsus à Nicocle Eunucho, seu cubiculario Rex Cypri Evagoras, quod ei aut ipse conjugem suam rapuisset, aut ejus filius Nicocles, qui parenti in Salaminis regno successit. Is tantùm luxu suo famosus fuit, quo decertare solitus erat cum Stratone Tyrio, illiberali plané absurdoque genere certaminis. Utrumque amicum Isocrati fuisse liquet, quem d utroque scripsisse eloquentiùs quàm veriùs omnes meritò suspicantur.

## CAPUT IX.

## *Decas Nona.*

### *Ab anno* 3680. *ad* 3690.

OLYMP. CI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3681. 381.

INgentes terræ motus Peloponnesum concusserunt, quando & duæ urbes in Achaiâ Bura, & Helice hoc motu labefactatæ, insuper & inundatione maris ita obrutæ sunt, ut locorum illorum arbores ex aquâ vix extarent. Cives omnes obruti, aut fluctibus hausti, propter supplices vi abstractos è templo, atque trucidatos. Tum contigit & hoc memorabile, quod diebus quinque antequam Helice concideret, ex eâ visi sint catervatim emigrare mures: quod & in omnibus domibus mox ruinâ collapsuris contingit, nisi physiologi mentiuntur.

OLYMP. CII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3682. 382.

Artaxerxes hoc quoque anno frustra Græcos conciliare nisus est, & Antalcidæam pacem renovare. Ac primùm ita convenerunt inter se Græci in eas conditiones, ut exules revocarentur, dimitterentur exercitus, urbibus libertas redderetur. Hæcque promissa, adhibito etiam jurejurando ab Atheniensibus, Lacedæmoniis, & Thebanis. Sequenti verò die Thebani mutavere sententiam, & pro Thebanis, Bœotos substitui petierunt ab Agesilao: at negavit ille; obtulit tamen expungere Thebanorum nomen, quod illis consentientibus factum, unde magnæ utrique populo clades contigere. *A pace Thebani exclusi.*

Postremus hic annus Romanæ Anarchiæ fuit quando & quies ab armis fuit, quæ fortassis hæc bella domestica depulissent; cùm genius Romanorum inquies aut bello, aut seditione destineretur. *Cessat Romæ Anarchia.*

OLYMP. CII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3683. 383.

Is annus pugnâ Leuctricâ, hoc est ad Leuctra Bœotiæ in finibus Thespiensium illustris fuit, quo Cleombrotus à Spartanis jussus est bello Thebanos invadere, nisi liberas civitates relinquerent. At hi armati duce Epaminondâ responderunt: & utrique ad prælium incitabantur, Thebani publicis, Lacedæmoniorum quidam cum Rege, privatis commodis. Quid plura, pugna conseritur, fugantur Spartani equitandi rudes, à peritis Thebanis, turbatur à fugitivis gravis armatura, cadit Cleombrotus cum Sphodria & aliis nobilibus, ac quatuor millibus Spartanorum, cum Thebani vix trecentos desiderassent: Trophæum est à victoribus excitatum. Hujus victoriæ nuncium suscepere Athenienses cum mœroris significatione; Lacedæmonii, saltem in speciem, cum voluptate, ne intermissis quidem ludis. Immò qui suos amiserant, sequenti die nitidi, & in splendidis vestibus apparuerunt, quorum liberi amicique superstites, aut caruerunt publico, aut vultum tristem, habitumque præ se tuleruut; Laconicâ magnanimitate, quæ mortem honestam semper vitæ turpi ante tulit. *PUGNA LEUCTRICA.*

Creati sunt hoc demùm anno magistratus Curales Tribunis plebis remittentibus intercessionem. L. Furius Tribunus militum in Veliternos grassatores missus, qui etiamnùm Tusculum obsidebat. Statim repressi sunt hostes, & intra Velitras compacti; obsessi tamen capi non potuerunt, tumque satis visum, eos tam citò repressos timuisse jacturam suæ civitatis, atque libertatis. *Creati Curules Romæ magistratus.*

OLYMP. CII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3684. 384.

Jason Phæreorum tyrannus multis præclarè gestis, & quæ non tyrannum, sed optimum saperent principem, per insidias tollitur; & si tempora futura spectes magnum sui desiderium reliquit. In Argivorum item civitate cruenta est concitata seditio, & quæ nihil minùs quàm Græcos sapiebat. *Iason Tyrannus Phæreorũ tollitur.*

Eodem anno cum vix unum regni sui annum complesset, mortuus est Agesipolis; cui diuturnioris regni successit Cleomenes, cujus est ad annos 34. imperium productum. *Agesipoli succedit Cleomenes.*

OLYMP.

OLYMP. CII. *ann.* 4. *Mundi* 3685. Urb. Cond. 385.

*Laced. & Thebani vario exitu pugnant.* Bellum inter Lacedæmonios, & Thebanos, Tegeates accenderunt, cum à Mantinæis Thebanorum amicis, ad Lacedæmonios transiissent, & verò in illorum auxilium statim Agesilaus adfuit. Thebani quoque eo jam profecto adfuerunt, quibus suasere Mantinæi, & Arcades, ut Spartam invaderent. Sed auxilia statim recepere Lacedæmonii, quibus repressi Thebani. Adfuit & à suis missus Iphicrates; sed cum hostem præda gravem abire passus esset, imperitiæ, vel proditionis accusatus est. Thebani tum etiam Messenem à Lacedæmoniis jampridem dirutam excitarunt, in eorum odium, cujus urbis cives, omnesque Messenios illi capitaliter oderant, totaque Græciâ aut expulerant, aut ejicere conati erant. Rursus Epaminondas in Laconiam irrupit, frustra eum aditu prohibere conantibus Lacedæmoniis, & Atheniensibus, ac in interiora regionis pervasit, majori tamen Laconum metu, & dedecore, quàm damno, atque jacturâ.

*Polydorus cæsus.* Tum etiam Polydorus Pheræorum Tyrannus interfectus est à fratre, qui ejus principatum etiamnum manantem fraterno sanguine occupavit & annis undecim tenuit, diutiùs eo potitus quàm fratricidium postularet.

*Mors Amyntæ Macedonum Regis.* Huic quoque annus morte Amyntæ Macedonis luctuosus fuit, qui liberos reliquit Alexandrum, Ptolemæum, Perdiccam, & Philippum, reges futuros omnes, omnes infortunatos, si ultimum exemeris. Successit patri Alexander, quicum Pelopidas societatem inierat, & quâ qualis futurus esset ostendit, si diutius regnâre permissus esset.

OLYMP. CIII. *ann.* 1. *Mundi* 3686. Urb. Cond. 386.

*Arcades victi à Laced.* Lacedæmonii nobilem de Arcadibus retulere victoriam, cæsis eorum decem millibus, nullo suorum desiderato: Hinc Arcades Megalopolim condunt, & quàm possunt diligenter communiunt, ut muris se defenderent, qui tot militares viros amisissent.

Ptolemæus cognomento Alorites regnum invadit fratris, & quatuor annis administrat, ac diutiùs quàm fratricida mereretur.

*Alexander Pheræus Thebanos vincit, capitque Pelopidam.* Victi tum quoque ab Alexandro Phæreorum Tyranno Thebani, qui & per insidias Ismenium, & Pelopidam intercepit, & satis diu in vinculis habuit. In hac clade privatus erat Epaminondas, qui dux electus à Bœotis servavit exercitum, penitus delendum, nisi huic suâ prudentiâ, & fortitudine providisset.

*Moritur Dionysius tyrannus.* Dionysius Siccliotes tyrannus hoc anno regni sui 8. movit in Pœnos; unde rediens accepit se ab Atheniensibus in Lenæis ludis victorem esse renunciatum. Dum igitur fœdus ille victor se permittit totum crapulæ, turpiter suffocatus animam mixtam vino evomuit, & obiit morte etiam quàm Tyranni solent funestiore.

*Aristoteles audit Platonem.* Aristoteles annos natos septemdecim Platonem audiit, & huic adhæsit annis 30. magnâ magistri sui gloriâ, apud quem tantus discipulus, tamdiu proficere potuit.

Romæ cum ad ultimam de legibus Tribunitiis dimicationem ventum esset, Senatus Dictatorem creandum putavit, & rebus quasi deploratis Camillum Dictatorem. Is pro potestate magistratus sui Tribunos plebis seditiosos compescuit, & fovit contra eos paratam intercessionem. Hi veriti tanti viri autoritatem vitio creatum esse, ut creditum est, confinxere; quare is se abdicare compulsus est. Cum autem Tribuni viderent placere plebi legem Agrariam ferri, & de fœnore, jacere legem de plebejo Consulatu, finxerunt recusare se decimum Tribunatum, cum jam nonum administrarent. Unde occasionem arripuit Appius Claudius aculeatæ in eos orationis, quâ eorum ambitionem exagitavit & Plebejarum rerum neglectum: eaque perfecit saltem, ut tempus legum ferendarum proferretur, quod Patriciis satis visum est in negotio penè deposito.

OLYMP. CIII. *ann.* 2. *Mundi* 3687. Urb. Cond. 387.

Epaminondas hoc etiam anno in Peloponnesum jam sibi notam excurrit, & inde prædas abegit. Tum quoque Pelopidas emissus ab Alexandro Pheræorum tyranno Thebas rediit, quò malevolentiam, & odium in tyrannum, cum libertate retulit. Tunc etiam missus fuisse creditur ad Mnemonem, à quo benignissime acceptus, quidquid voluit impetravit, aliis Græcis invidentibus, & frustra renitentibus; sed id tanti viri virtus, & Thebanorum potentiam, nunquam Persis inimica, postulabat. Chares quoque Phliasios ab Achæis obsessos liberavit, solitos propter tenuitatem, omnium patere injuriæ.

Tum Romæ creati Tribuni militares partim ex Patriciis, partim ex plebe, plebem utcumque mitigarunt: Sed longè magis rumor tumultus Gallici. Tum igitur à Senatu, populo Romano quintùm creatus est Camillus Dictator, cujus tantùm nomen Gallis fatale videbatur. Is in agro Albano Romanos jam ad Gallica prælia exercitatos Gallis opposuit, qui tum se Gallos esse non meminere; victi enim & fugati, etiam amisere castra, & ad satietatem cæsi, quocumque sors tulit, evaserunt. Quare decretus est Camillo triumphus summâ omnium ordinum consensione, maximè cum hoc prælio non Gallos vicisset modò, sed eos jam non esse metuendos Romanis ostendisset.

Tum ad res domesticas conversa sunt Dictatoris studia, qui prohibere non potuit quominùs lex de Plebejo Consule promulgaretur. Sed cum tergiversarentur Patres, & plebs secessionem minitaretur, Dictator ædem Concordiæ vovit. Itaque animi utriusque ordinis conciliati sunt electo Prætore Patricio, qui jus in urbe diceret. Adjuncti sunt & Aediles duo, item Patricii; qui cum negotii facesserent aliquid, Senatus demùm assensus, ut alternis annis ex Patriciis & plebeis deligerentur. Itaque is annus per jocum ab ironibus, novorum magistratuum annus appellatus est.

OLYMP.

OLYMP. CIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3688. 388.

Hoc anno Bœoticum bellum terminari visum est post annos quinque, operâ Artaxerxis, cujus hoc videtur postremum fuisse illustre facinus.

Obiit enim paulò post Artaxerxes Mnemon, regni sui quadragesimo; paulò crudelior princeps, si spectes initia regni (quamquam tum patratæ cædes in alios possint derivari) si magna pars ejus administrationis, exemplar clementiæ, & humanitatis. Hanc tamen moderationis laudem quidam eum accepisse ferunt, cum Ocho filio compositum, hominem tantæ atrocitatis, atque sævitiæ, ut patrem suum quantumvis durum absolvisse videretur.

Ei igitur successit filius Artaxerxes cognomento Ochus, nequaquam Mnemonis primogenitus: Is enim Darius dicebatur, quem etiam pater in regni societatem adsriverat. Sed cum is totum regnum expectare nollet & de patre tollendo cogitaret impulsore Teribazo, operâ Eunuchi in deliberato parricidio deprehensus, ex judicii formulâ reus interfectus est. Duo quoque alii sperare poterant regnum, sed horum unum calumniis suis Ochus ad venenum impulit, alterum per Harpalem filium Teribazi sustulit. Exinde in regios cognatos principesque sæviit, regnum à sanguine, & cædibus auspicatus, quod nihilominus 26. annis tenuit, diuturniore imperio quàm ejus crudelitas pateretur.

Romæ gessere hoc anno Consulatum L. Sextius Lateranus è plebe, & L. Aemilius Mamercus, Patricius; fuitque L. Sextio Consulatus præmium seditiosæ ambitionis, ut non tantum corpore & genere, sed & animo, & vitiis indignus tanto magistratu censeretur.

OLYMP. CIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3689. 389.

Athenienses cum Arcadibus Lacedæmoniorum hostibus percussere fœdus, servatâ nihilominus cum his amicitiâ, Lycomede quodam sequestro. Corinthii quoque Thebanis sunt reconciliati, licet hi Lacedæmonios capitaliter odissent; hæc tamen adhibita cautio, ne unquam Corinthii bello Laconico implicarentur.

Tum etiam Dionysius junior Siciliæ Tyrannus triremes ad Lacedæmonios misit, memor paterni cum his fœderis, ut iis si res exigeret, adjutoribus uteretur.

Lacedæmonii quoque Eleos contra Arcadas juverunt, Duce semel & iterum Rege Archidamo: quando hic in femore vulneratus abscedere compulsus est, per inducias priùs elatis suorum cadaveribus; & Arcades non de Eleis modo, sed & de ipsis Lacedæmoniis triumphare visi sunt.

Tum etiam Perdiccas vigesimus primus Rex Macedonum Ptolomæo Alorite cæso, regnum adiit, & sex annis gessit, mortem sui fratris ultus fratricidio.

Camilli denique morte hic annus Romanis luctuosus fuit. Is annos natus octoginta duos, crudus tamen senex & vegetus, elatus est peste, quæ tum Romæ atrocissimè sæviebat. Hac autem & Censorum unus, & Aedilis Curulis unus, cum tribus Tribunis plebis interiere. Tum tamen à bello quies fuit, Romanis tam fatali morbo, sed longè magis tanti viri jacturâ vehementer afflictis.

OLYMP. CIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3690. 390.

*Anolympias.* Numeratur hæc Olympias inter Anolympiadas ab Eleis, quia hæc ab Arcadibus victoribus celebrata est; quando & incidit gravis controversia Arcadas inter & Mantinæos, quod illi sacras pecunias Iovis Olympii, in prophanos usus impendissent. Id autem primi prohibuere Mantinæi suo decreto, quod & probatum in concilio decem millium, statutumque sacrilegos in futurum, etiam in posteris esse castigandos. Sacrilegi ergo Periclem imitati, bello se ab eâ vexatione redimere conati sunt: sicque homines nefarii Athenienses & Lacedæmonios commiserunt, in patriam impii, qui priùs in Deos extitissent. *Arcades sacrilegi committunt Ath. & Laced.*

*Caditur Pelopidas.* Suasit suis Thebanis Epaminondas vindicare sibi maris imperium. Quando & Pelopidas adversus Alexandrum Phæreorum tyrannum lubentissime suscepit expeditionem. Sed in quodam certamine dum magis furore, quàm consilio pugnat multis vulneribus confossus tantus Imperator, uti miles gregarius occubuit.

*Timotheus rem bene gerit.* Tum quoque Timotheus Atheniensis Toronem & Potidæam cepit, atque Cizycenos obsidione liberavit, bonus Imperator & sapiens, ac in bonum Græciæ, ac patriæ suæ natus.

*Ludi Scenici Romæ instituti.* Romæ instituti sunt ludi Scenici ad pestem avertendam: sed eos divinitùs improbatos esse, plerique sapienter crediderunt; cum Ludorum tempore restagnans Tiberis circum ipsum inundasset. Tumque novis malis, nova fuerunt quærenda remedia, cum auxilia ipsa in perniciem Romanorum converterentur.

---

## CAPUT X.

### *Decas Decima.*

*Ab anno* 3690. *ad* 3700.

OLYMP. CIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3691. 391.

*PUGNA AD MANTINEAM.* EPAMINONDAS cogitat de invadendâ Spartâ, tum propugnatoribus vacuâ, absente cum exercitu Agesilao: & eâ potitus esset, nisi Rex per Cretensem quemdam admonitus, supervenisset horâ noctis tertiâ, & cum urbs jam capienda esset. Hic certatum est acriter, dubiâ tamen victoriâ, adeò ut victorem se neuter, neuter victum fateretur. Tum Epaminondas ratus Arcadas in auxilium Spartæ convolaturos, noluit cum utroque populo confligere, immò speravit se Mantinæam vacuam occupaturum. Itaque Tegeam perrexit, & peditatu quiescere jusso, equites in Mantinæos immisit, verùm hi repressi sunt ab Atheniensibus, & cum ignominiâ redire compulsi. Iratus ergo

ergo tantus Imperator bis malè sibi cessisse consilia, Spartanos Lysandreo commento vincere parat. Exercitum suum disciplinâ militari egregiè excultum, & momento temporis in ordinem digestum, speciem hosti jubet offerre castra munientis: quod cum credidissent Spartani ordines suos minùs servavere, & ad castra quoque locanda sese accinxere. In eos igitur turbatos ipse cum lectissimâ manu irruit, & profligat nondum satis compotes sui. Sed in eâ impressione multa accepit in pectore vulnera, & ex iis unum lethale. Igitur relatus est in castra, ubi adsciti medici agunt de ferro ab ejus corpore evellendo, quod hastili confracto penitùs hærebat. At illi pronunciant animam cum ferro extrahendam. Qua denunciatione nihil commotus, interrogat Armigerum, num Clypeus ejus salvus esset; cum ei ostensus esset, quærit an Thebani retulissent victoriam, cum ita esse responsum esset, ferrum evelli jussit. Et lacrymantibus suis quod [illegible] moreretur: filias eis duas ostentavit Leuctricam, & Mantinæensem victorias de quibus nulla unquam taceret ætas, inter quæ verba placidissimè obiit. Vir magno patriæ suæ bono natus, quam ad eum gloriæ cumulum elatam reliquit, ut inde tantùm ruinam timeret, & verò ab eo tempore semper res Thebana defluxit: fuit enim quasi Thebanorum mens & animus, quo destituti etiam in hoc prælio victores, victis propè similes abierunt.

*Caditur Epaminondas.*

*Dictator clavi pangendi causa.*

Romæ dictus est Dictator L. Manlius imperiosus, vili de causâ, & morbi localiter, Agyrtarum more, sanandi gratiâ. Videlicet ut clavum pangeret. Hunc autem defixit idibus Septembris ad dextrum latus Iovis Capitolini quâ parte templum Minervæ stabat. Ridiculo planè commento, Dictatorem factum esse, ut se malleatorem, & Fabrum profiteretur.

OLYMP. CIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3692. 392.

*Satrapæ plures in Ochum rebellant.*

Magni hoc anno in Asiâ concitati sunt motus, qui Persicum labefactassent imperium si Græcia concors fuisset, & tota se tumultibus Persicis immiscuisset. Defecerunt enim ab Ocho Satrapæ simul plures, Ariobarzanes Phrygiæ, Orontes Mysiæ, Autophradates Lydiæ, cum regulo Cariæ Mausolo. Addunt etiam aliqui Lycios, Pamphilios, Pachidas, Cilicas, Syros, & Phænicas. Sed his omnibus prævalebat Tachos Rex Ægypti Achoris successor, qui Græcos sibi auxiliatores adhibuerat. Agesilaum enim præfecerat Mercenario militi Chabriam Atheniensem Cabriæ filium classi, & filium Nectanebum octoginta millibus Ægyptiorum.

*Orontis proditione dissipata conspiratio.*

Verùm tantum bellum proditione inchoatum, proditione dissolutum est. Orontes enim à reliquis Satrapis huic bello præpositus, eorum aliquot vinctos ad Ochum misit, reliquos, cum civitatibus ejus legatis prodidit. Neque se minus perfidiosè gessit Reomithus à rebellibus missus in Ægyptum cum talentis 500. & navibus 50. quæ omnia impendit ad perfidiam, quâ demum Regi suo reconciliatus est, sed uti proditores solent. In Ægypto quoque si initia spectes res sese deteriùs habuere. Profectus enim in Phœnicem contra Persas Tachos, didicit filium Nectanebum contra se rebellasse: quare in Persidem abire compulsus est, ut veniam ab Ocho postularet, quam & impetravit, insuper præpositus bello adversus Ægyptios, quò eadem operâ de patre, filio, Ægyptiis omnibus ultio sumeretur. Tum patrem obsessum Nectanebus ad singulare certamen provocavit, sed detrectavit Tachos, quamquam id probaret Agesilaus. Tandem soluta est obsidio eruptione fortiter & sapienter ab Agesilao, Græcisque factâ, per quam Tachos restitutus est regno. Remissus est ergo Agesilaus donatus Talentis 230. Verùm dum is rediret in patriam obiit in portu Menelai, unde corpus ejus oblitum melle relatum est Spartam ad regiam sepulturam: cujus viri maxima post Lycurgum virtus, & gloria fuit.

*Tacho[s] subjic[itur] Ocho.*

*Ob[it] Agesilaus.*

L. Manlius, T. Manlium filium suum Rus ablegarat, neque ut Romanum adolescentem sed uti opilionem, & servulum tractabat. Ideo duro patri à M. Pomponio dies dictafuit. At filius accessit ad Tribunum plebis tacitè, eique mortem pugione admoto, interminatus est nisi accusationem ejuraret; quod factum pietatis plenissimum nec ipse improbavit, cui vis esset adhibita.

Ibidem cum forum magno specu in summam altitudinem, terrá dehiscente, apertum esset, monuere Dii, ut rima illa occluderetur re, quâ Romani plurimum possent. Itaque M. Curtius egregius bello juvenis, negans quidquam esse apud Romanos bellicâ virtute potentiùs, armatus subjectis equo calcaribus, in hanc rimam irruit, atque uno corpore totius Romæ labem & ruinam miles generosus impediit.

Tum quoque L. Genucius Consul plebejus ab Hernicis interfectus Dictatori locum dedit. Is Appius Claudius fuit qui legem Consularem magno conatu dissuaserat. Hernici quidem repressi sunt, sed cruentâ victoriâ, quâ præter equites, quarta militum pars desiderata est, hostibus ultionem timentibus, Romanis eam furiosè paratis inferre.

OLYMP. CIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3693. 393.

Videntur ad hunc annum Datamis Persarum Satrapæ facta pertinere, quibus nihil illustrius hæc vidit ætas. Is rebus præclarè gestis cum sibi Ochum devinxisset, devictis videlicet Thyo Dynastâ Cappadociæ, Aspi Cataoniæ, etiam in Ægyptiaca expeditione, Pharnabazi loco copiis præfuit. Quamobrem magna in illum tempestas ab æmulis & invidis in aulâ excitata est; quam cum per litteras amicorum accepisset, defecit à Rege, & Cappadociam cum Paphlagoniâ fortiter occupavit. Neque deterritus est filii sui Aridæi morte, aut soceri Mitrobarzanis defectione, sed eâ prudenter usus, proditionem in proditorum perniciem convertit, suscepto bello contra Pisidas, quos etiam debellavit. Solasmus quoque filius ejus alter adversus eum rebellavit, & cum Autophradate Satrapâ Phrygiæ in patrem movit, sed tam fortiter

titer se gessit Datamis, ita sapienter usus est locorum opportunitate, ut Rex Ochus cum eo reconciliatus ei Cappadociam relinquendam existimaret, dignumque judicaret eâ Provinciâ, quam ei virtus sua, & inimicorum invidia pepererat.

Tum Alexander Phæreus Cycladas populatus etiam Athenienses prælio vicit, partamque Tyrannidem, omnibus odiosus, firmavit.

Romæ bellum est Tiburtibus indictum, cui Gallicus tumultus adjunctus est. Galli ergo viâ salariâ trans pontem Anienis castra posuerunt; quibus oppositus est Dictator T. Quintius Pœnus, soloque ponte dirimebantur acies. In eum procedit stupendæ proceritatis Gallus, qui Romanum ad singulare certamen provocavit: T. Manlius qui patrem ab accusatione Tribunitiâ vindicarat potestate sibi à Dictatore factâ, ei occurrit, & industriam virtuti permiscens Gallum interemit, eique Torquem eripiens suæ cervici aptavit, unde sibi ac posteris suis Torquati nomen fecit. Igitur sequenti die recessere Galli, & commeatu à Tiburtibus accepto Campaniam repetiere, professi se victos, qui bellatorem tam [?] etuendum amisissent.

OLYMP. CV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3694. 394.

Datamis cum Ocho tantùm ex necessitate reconciliatus, hoc anno ejusdem insidiis sublatus est, eas curante Mithridate filio Ariobarzanis. Is rebellionem simulavit à Rege, ad quam socium, & amicum Datamim pellexit. Itaque Regias expugnat urbes, prædas abigit, quarum aliquid semper Datami de industriâ aspergebat. Ubi fidem rebellionis fecit, colloquium exposcit à Datami uti vires suas, atque consilia adversus Persas conjungerent. Dies ergo locusque assignati colloquio, immò diligenter ab utroque exploratus locus. Sed in eo, nocte concubia gladios infodit Mithridates, & ubi laterent diligenter observavit. Cum advenisset dies satis diu inter se colloquntur Datamis atque Mithridates, ac tandem abscedit Datamis. At occultè refodit gladium, quem occultat veste, statimque revocat Datamim, ut aliquid quod ei exciderat, adderet; at reversum, & nihil ejusmodi suspicantem excipit ferro, & obtruncat. Is finis magni viri fuit quem ipse Rex Persarum nisi proditione perdere potuit, tanta cæsi gloria quanto cædentis dedecore.

Tiburtes inita anno superiori cum Gallis societate arma in se Romanorum concitarunt, cui expeditioni C. Pœtilius Balbus præpositus est. Sed Galli ex Campania reversi agrum Romanum fœdissimè popularunt. Quare Dictator renunctatus est Q. Servilius Ahala, qui Gallos ad portam Capenam acerrimo vicit certamine. Hi fugerunt ad Tiburtes, qui auxiliatoribus suis nequaquam defuere, sed omnes victi à Pætilio in urbem cum magna cæde retrusi sunt. Alter quoque Consul M Fabius Ambustus Hernicos vicit multis levioribus certaminibus, ac tandem magno prælio, eos fudit, fugavitque: quare de iis ovans urbem ingressus, Petilius de Tiburtibus triumphavit, ambo à Dictatore impensius laudati, quòd ejus victoriam, suis victoriis cumulassent.

OLYMP. CV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3695. 395.

Obiit Corinthii hoc anno Xenophon, relictis duobus filiis Gryllo, & Diodoro, adeò venustis, ut vulgò Dioscuri dicerentur. Videlicet hi facie referebant patrem, cujus vultus orationi, scriptisque respondit. *Mors Xenophontis.*

Perdiccas Macedonum Rex Illyricum jugum excutere molitus, ab Illyriis ingenti prælio victus occisus est. Cujus audita morte Philippus ex custodia Thebanorum elapsus, Macedoniam repetiit, secumque retulit sapientiam quam hauserat ex Epaminondæ convictu. Itaque licet in perturbatissima tempora incidisset, ita suscepit, ita rexit Macedoniam, ut non ejus tantùm, sed & totius Græciæ dignus Imperator haberetur. Principio quidem se non Regem, sed tutorem pupilli, Perdiccæ filii dici voluit: Amphipolim sui juris, & liberam jussit esse, sicque Atheniensium repressit cupiditatem: Pœones muneribus delinivit. Tum ad domestica conversus Pausaniam quemdam ex genere regio regnum affectantem dejecit, Rege Thracum, qui eum reducere parabat, pecuniis corrupto. Argæum insuper, idem prensantem regnum, armis devicit, ejusque socios in colle resistentes ad deditionem compulit, editis ubique humanitatis, prudentiæ, fortitudinis magnæ monumentis. His compositis, aggreditur Pœonas, invitatus morte Agidis eorum Regis, ac regionem ingressus post abactas prædas, relatamque de resistentibus ingentem victoriam, totam sibi subjecit. Invasit quoque Illyrios, Macedonibus ad hoc quoque tempus metuendos, eorumque Regem Bardylem, eique septem armatorum millia uno prælio concidit quibus fortiter juxta, ac sapienter peractis restituit animos Macedonibus, regnum asseruit familiæ suæ, & ad majora deinceps, meditanda, atque perficienda sese prudenter accinxit. *Perdiccas casus ab Illyriis Philippus ei succedit.* *Philippi præclara initia.*

Dionysius junior in Siciliâ pace constituta se totum otio dedidit: sed ne ornamenta pacis omittere videretur, duas urbes in Apuliâ condidit, ut quid etiam extra Siciliam posset, ostenderet. *Dionysius se totum otio dedit.*

Tum quoque Artaxerxes Ochus ingentem Judæorum multitudinem transtulit in Hyrcaniam, quibus Persicum Imperium jam usque à Cyri temporibus abundabat. Gente illâ ubique pullulante, ubique sedes quærente, ut venturo Christo ubique gentium testes invenirentur. *Judæi in Hyrcaniam translati.*

Tiburtes nocte intempestâ Romam accessêrunt, ut veram triumpho materiam darent, qui superioris anni de se triumphum Pætilii irriserant. Nam duos Consules M. Popilium Lænatem, & Cn. Manlium imperiosum vix tulerunt, patriamque celeriter repetentes magnæ sibi tribuerunt gloriæ vidisse Romam, & eam occupare voluisse. *Tiburtium audax factum.*

OLYMP. CV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3696. 396.

Philippi bella & victoriæ ad hunc quoque annum pertinent, quando & Illyrii ab eo pacem *Philippi varia victoria & prudentia*

cem impetrarunt, missâ legatione. Interim Amphipolitæ suam urbem obtulere Athenienſibus, quod ferendum Philippus non putavit, sed eam magnis copiis invasit, vi cepit, inimicos inde expulit, reliquis civibus satis humaniter habitis. Neque ita multò post Pydnam, olim Macedonici juris, occupavit, quam tamen cum toto ejus Agro Olynthiis tradidit. Potidæam quoque cum cepisset, præsidium Athenienſe lautè & humaniter acceptum remisit Athenas, urbemque concessit pariter Olynthiis quorum amicitiam pensabat. Hinc Crenidas profectus, eam missis colonis auxit, ac de suo nomine Philippos dixit; cujus in agro auri fodinas sic aptavit, sic excoluit, ut mille talenta quotannis redderent; quibus & potens & dives effectus multos sibi amicos reddidit, reliquis qui ejus societatem negligerent, metuendus.

*Philippos urbem condit.*

*Moritur Democritur.*

Democritus Abderites anno ætatis suæ centesimo nono juxta quorundam opinionem finem vivendi fecit, dignus tam diu vivere qui nugas hominum seu negotia, risu potius quam sollicitudine digna judicasset.

*Dio Corinthios excitat in Dionysium Tauromenium condit.*

Dio Hipparini filius Corinthios sollicitat adversus Dionysium, & ad tollendam ejus Tyrannidem copias amat. Eodem tempore conditum in Siciliâ Tauromenium in Tauro monte juxta Naxum, ab Andromacho Timæi Historici patre, quæ urbs posteà alicujus nominis fuit.

*Victi Galli à Romanis.*

Contra Gallos hoc anno Dictator est electus Q. Servilius; qui primùm à certamine refugiebat, sive ut suos accenderet, sive ut Gallorum infringeret audaciam. Tandem Romanus exercitus, etiam minis, pugnæ copiam extorsit, immò utraque ruit acies signis à Ducibus non expectatis. Ac primo impetu cessere Gallis Romani, sed Dictatoris increpationibus accensi, fugarunt hostem, ac sibi victoriam, Duci triumphum pepererunt.

*Victi Hernici Tarquinienses victores.*

Tum quoque Hernici à C. Plautio Consule victi: At Consulum alter C. Fabius dum incautè pugnat cum Tarquiniensibus & victus est, & 307. è suis vivos in hostium potestate reliquit, qui Diis Tarquiniensium patriis statim immolati sunt, magno Senatus, populique Romani dolore.

*Petilia lex de ambitu.*

Tum quoque Petilia lex de ambitu lata, & duæ tribus Pomptina & Publicea superioribus additæ, ut eodem tempore & melior, & major Roma esse videretur.

OLYMP. CV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3697. 397.

*Alexander Tyran. Pheræorũ necatur.*

Alexander Pheræorum Tyrannus ab uxore Tisbe necatur à duobus adjutâ fratribus suis Lycophrone, & Tisiphono, qui mox Tyrannidem ipsi occuparunt. Sed à Philippo, per nobiles evocato, depulsi sunt, qui hoc pacto sibi Thessalos universos devinxit, quibus equitibus posteà commodè usus est, sicuti Alexander ejus filius, ambo Thessalico equitatu metuendi.

*Philippus Thessalos juvat.*

*Philippus ducit Olympiadem.*

Idem Philippus hoc anno duxit uxorem Olympiadem, Neoptolemi Molossorum Regis filiam. Nuptias illas conciliavit Rex item Molossorum Arymbas, qui Troadem sororem Olympiadis jam duxerat. Id autm fecerat spe regni sui dilatandi operâ Philippi; verùm ab eodem depulsus regno in exilio consenuit; nuptiis sororis suæ uxoris cum potentiori Principe imprudentissimè procuratis.

*Dio Dionysium Tyrann.*

Dio duabus cum navibus in Siciliam venit & Dionysium qui paratas naves habebat 400. peditum centum millia, equitum millia decem, exuit tyrannide. Aberat Dionysius cum appulit Dio; sed rediens victus est à Syracusanis, & à Dione nequicquam pacem flagitat, quam non poterat extorquere.

*Fal... & Pr... natis...*

Faliscis Romæ indictum est bellum. Contra Privernates qui anno superiori agrum Romanum infestarant copias duxit M. Marcius. Is cum militi urbis Priverni promisisset prædam nullo negotio fusus est hostis; cumque scalæ jam muris admoverentur, trepidi cives se dediderunt, & prædam militi, Consuli triumphum reliquerunt.

OLYMP. CVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3698. 398.

*Bell. Socia. Athen...*

Bellum Sociale conflatum jam ab annis quatuor conjunctis Byzantiis, Rhodiis, Cois, Chiis & Mausolo Cariæ Regulo adversus Athenienses, hoc anno Charetis temeritate discussum est. Hic enim adhæsit Pharnabazo contra Ochum rebellanti, emptus grandi pecuniâ, quâ stipendium militi numeravit. Et primò factum probarunt Athenienses; auditis tamen posteà Ochi querelis & minis, bellum hoc quibusvis conditionibus sustulerunt, ne simul tot haberent adversarios, quibus, si se Persa conjungeret, impares erant. Huic autem sociali bello Athenienses præfecerant tres Duces (mortuo Chabriâ,) Timotheum, Iphicratem, & Charetem; hic duos socios suos exautorandos curarat, ut negotium susciperet tam noxium patriæ, quàm sibi ignominiosum.

Philippus tres Reges Pœonum, Trachum, Illyriorum eodem hoc anno domuit per Parmenionem ducem suum. Hi cum nuper victi essent à Philippo singillatim, tum conjunxere vires suas, & communibus eum copiis aggredi decreverunt; sed unus Parmenio tres illos edomuit, ac de iis clarissimam victoriam retulit, eodem tempore quo Olympias enixa est Alexandrum, scilicet sexto Hecatombeonis quo die templum Ephesinæ Dianæ in tanti infantis natalibus occupatissimæ deflagravit. Eodem enim die tres nuncios Philippus, accepit illustres, victos Illyrios, victrices quadrigas suas in Olympico stadio, & natum Alexandrum qui patrem suum jam de se satis illustrem reddidit illustriorem.

Philistus Dux Dionysii expellitur Syracusis; qui mox prælio navali congressus cum expulsoribus suis, victus interemit sese, neque acceptam ignominiam concoquere potuit. Dionysius variis oblatis conditionibus arcem dedere pollicetur, eâ tantùm lege, ut cum mercenario milite, ac divitiis suis abiret in Italiam. Id probabat Dio, sed improbavere Syracusani. Quare

Quare Dionysius relicto in arce valido præsidio in Italiam abiit. Quin & Dio mercenariis adjunctus, cum Syracusanis pugnat, eosque vincit: quare à Dionysio in Arce relicti, indidem erumpunt, ac variis damnis afficiunt Syracusanos. Itaque Dio prudentissimè revocatus Syracusas malis omnibus sapienter providit. Tumque intellexere Siculi DionemReipublicæ suæ mentem esse, se tantùm membra.

Promiscua multitudo in Lucaniâ Bruttiorum nomine hanc regionem occupavit, quæ ab eâ deinceps Bruttia dicta fuit, uti populus Bruttius, bello Annibalico infamis. Sic autem dicti vel à Samniticâ voce, quæ desertores sonat, vel à voce Lucanâ quæ servos fugitivos significat. Hi pastores adjuvante Dione, qui tum pugnabat in Dionysium, abusi Dominorum suorum indulgentiâ rebellavere, agrosque dixere suos, quos usurpare potuerunt.

Romæ duo consules hoc anno bella gessere; M. Popilius Lænas in Tiburtes, quorum vastavit agros, civibus prius in urbem retrusis, & M. Fabius Ambustus in Faliscos & Tarquinienses. Hi furiali habitu præmissis Sacerdotibus primùm Romanos terruerunt, & verterunt in fugam; at hi ad se redeuntes, videntesque sibi rem non esse cum lemuribus, sed cum hominibus, & Sacerdotes & totam aciem ingenti strage editâ dissiparunt militaribus posteà jocis panicum terrorem suum illudentes. Hac audita clade commota est tota Etruria: Itaque Dictator primus è plebe dictus est C. Martius Regulus, cui ut & Magistro Equitum ejus plebejo populus affatim suggessit omnia ad bellum necessaria. Is autem populi respondit votis, belloque feliciter ad Salinas confecto, urbem triumphans invectus est patribus non rogatis, sed tantùm ex Plebiscito, ad majorem Patriciorum ignominiam.

OLYMP. CVI. ann. 2. *Mundi* 3699. Urb. Cond. 399.

Phocenses duce Philomelo Delphicum templum occupant, unde natum est bellum sacrum cujus hæc origo fuit. Amphyctyonum seu commune Græciæ Concilium quotannis ad Thermopylas convenire solitum damnarat multis talentis Phocenses, quod agri sacri partem occupassent, item & Lacedæmonios quod Cadmæam invasissent. Cum Phocenses solvendo non essent, Philomelus eos excitat ad hæc decreta rescindenda, & templum Delphicum occupandum, atque administrandum. Communicat Lacedæmoniis consilium suum, quod non improbat Archidamus, & clam ei pecunias militesque spondet. Acceptis ergo Spartæ hic quindecim talentis, & totidem additis de suo cum mille Phocensibus, & milite peregrino templum invadit ac cæsis custodibus occupat. Locri statim advolant quasi in Apollinis auxilium, sed à Philomelo male accepti citiùs quàm advenerant rediere. Ergo victor decreta Amphyctyonum ex columnis eradit, abolet damnatorum tabulas, se scriptis, armisque tuetur, audaciâ, & calliditate defendens sacrilegium.

Thebani hoc anno in Asiam suscepere expeditionem ut Artabazum tuerentur (hunc Diodorus Pharnabazum vocat) quem Chares & Athenienses deseruerant. Is ad Thebanos confugit, qui ei Pammenem cum quinque millibus armatorum submittunt. Artabazus hoc auctus præsidio, regios Satrapas profligat, cum magnâ Thebani nominis gloriâ, quorum virtus par amplitudini Persicæ videbatur. *Thebani aven· Pharnabazo.*

OLYMP. CVI. ann. 3. *Mundi* 3700. Urb. Cond. 400.

Philomelus Atheniensium, Lacedæmoniorum, & aliquot Peloponnesiorum fretus auxilio & pecuniis profanis atque sacris, agros Locrensium vastat, eosque licet præsidio Thebanorum subnixos vincit: delevit & Thessalorum sex millia. Sed eum aggressi Bœoti cum tredecim armatorum millibus, victoriarum cursum abruperunt. Post plurimas velitationes, pugna commissa est in silvestribus locis ubi tandem victi Phocenses. Compactus in arctum locum Philomelus fortiter dimicans plurima recepit vulnera, ac tandem ne vivus caperetur, ex prærupto loco se præcipitans, debitum sacrilegis supplicium ipse sacrilegorum maximus exegit. *Philomelus primò victor, mox & vincitur, & se præcipitat.*

Philippus Pagas deditione acceptas spoliat relicto tantùm singulis civibus uno vestimento, hujusque urbis agrum inter milites suos dividit. Cepit & Methonem in Thraciâ, cujus in oppugnatione perdidit oculum ictus sagitta à quodam Astere, qui & nomen suum telo inscripserat; sed enim jaculatorem (sicuti huic per aliam sagittam promiserat) urbe captâ suspendi jussit. Ut autem ostenderet, quantùm doleret oculo, urbem funditus evertit, cives tamen spoliatos dimisit. Quamquam hic clementiam victoris Justinus laudet, falsarum plerumque laudum liberalior historicus. *Philippus Pagas, & Methonem capit.* *Philippus ad Methonem oculum perdit.*

Dio tùm à Zacynthiis mercenariis jugulatus est: cui successit ex conjuratis Calippus, qui mensibus tredecim sibi rerum summam arrogavit, ut scelere partam, sceleribus conservavit dominationem. *Dio cadirut.*

Romæ Consules ambo Patricii creati M. Fabius Ambustus tertiùm, & T. Quintius renitente primùm plebe, mox cedente, quod ære premeretur alieno, sicque pendebat à Patriciis. Ab iis Consulibus appetiti bello Tiburtes, & Tarquinienses. In hos devictos sævitum acerbissimè; plurimis enim in acie cæsis, ex captivis selecti 358. Romam missi in foro virgis cæsi securi percussi sunt, reliqui in castris trucidati sunt, quia sic immolatorum Romanorum manes postulabant. Tiburtum urbe Sassulâ captâ, reliqua oppida positis armis deditionem fecerunt Consuli, qui de iis triumphavit. Ita docuere Romani se subditis parcere, superbos & contumaces debellare. *Tarquinienses victi severissimè castigantur.* *Tiburtes se dedunt.*

Samnites hoc quoque anno amicitiam Romanorum expetierunt, quàm postea tam sæpe non tamen impunè violarunt. *Samnites Rom. amicitiam expetunt.*

LIBER

# LIBER V.
## SÆCULUM MUNDI TRIGESIMUM OCTAVUM.
### *Ab anno mundi* 3700. *ad* 3800.

## CAPUT I.
### PRIMA DECAS.
*Ab anno* 3700. *ad* 3710.

OLYMP. CVI. *Mundi.* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3701. 40.

*Bellum sacrum restaurat Onomarchus.*



ONOMARCHUS (Iustino Oenomaus) bellum sacrum restaurat, improbis quibusvis & facinorosis vocatis ad sua castra, & quibus nulla, nisi in bello, salus. His scilicet copiis erat impietas contra religionem defendenda. Ac primo impetu sibi vicinos populos parere cogit; mox etiam aliis ipse præbet auxilium. Cùm enim Lycophron expulsus à Philippo, Pheræorum Tyrannidem recuperasset, evocatus est iterum à Thessalis contra Tyrannum Philippus. Contra eum missus Phayllus Onomarchi frater cum 7. millibus armatorum, victus est, & ex Thessaliâ exire compulsus. At Onomarchus cum majoribus copiis superveniens & Thessalos, & Philippum superavit, eumque suam Macedoniam repetere ignominiosè compulit. Rediit tamen cùm luculentiori exercitu Philippus, cui & occurrit Onomarchus cum 20. millibus peditum, equitum tribus millibus. Tum victoria Philippo cessit, Onomarchus fugit ad mare cum suis, qui projectis armis ad triremes Atheniensium conati sunt enatare, sed plerique omnes fluctibus hausti pœnas leviores sacrilegii dedere.

*Varia fortuna pugnat.*

*Onomarchus captus agitur in crucem.*

Vivus captus Onomarchus jubente Philippo in crucem actus est. Scribit tamen Pausanias à suis militibus necatum esse, quasi belli rudem, & cladis autorem, pœnâ utique minori quam ejus exigebant sacrilegia, & facta, & tolerata.

*Hipparinus patris Dionysii Tyrannidem recuperat.*

Hipparinus filius Dionysii Tyrannidem recuperat, & eam tantùm degustat, non ultrà duos annos furere permissus.

*Obiit Mausolus. ejus duplex monumentum.*

Obiit & tum Mausolus (quidquid contra Plinius astruat) Cariæ Regulus, cui ad duos annos successit uxor Artemisia. Hæc marito monumentum magnificentissimum excitavit & quod ejusmodi sepulcralibus fabricis nomen indidit. Neque hoc Mausoleo contenta aliud vivum & spirans obtulit; cineres ejus vino dilutos sensim ebibens, ne is unquam vivus aut mortuus à charissimâ sibi conjuge divelleretur.

*Clearchum tyrannum Chion interficit.*

Clearchus Heracleæ Tyrannus, post Imperii annos duodecim, occisus est à Chione Platonis discipulo, à quo didicerat quid patriæ suæ deberet, etiam cum vitæ periculo.

Adjunxere se Tarquiniensibus Cærites & Falisci, & cum iis abactæ de Romanis prædæ in partem venerunt. Missus in eos Dictator adeò Cærites terruit, ut precibus infimis agerent, quibus inducias in centum annos impetrarunt, Faliscorum agri vastati fœdâ populatione: cum se urbibus clausos hi tenerent, uti nocentiorum, in aliud tempus gravior est rejecta vindicta.

OLYMP. CVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3702. 402.

Phayllus Imperator Phocensium electus omnia Dei donaria in pecuniam conflavit, & superiorum ducum calliditatem vicit, atque improbitatem. In ejus auxilium venerunt mille Lacedæmonii, bis mille Achæi, Athenienses quinquies mille duce Nausilo, & Thessali bis mille, cum ejecto Pheris Lycophrone. His instructus copiis superior Bœotis, Philippo par esse videbatur, & feliciter huic omnia cessere, runt initio sui principatus; sed paulò post lentâ peresus tabe, magnisque tortus cruciatibus, exitio suo docuit, quam causam defendendam suscepisset.

Pheræorum igitur hoc anno penitùs est tyrannis sublata. Cum enim à Phocensibus victis relictus esset Lycophron, & à Philippo graviter premeretur, cùm eo demùm pactus est, ut liber quò vellet cum suis abire posset, quod, & præstitit vir nequam, ad nequiorem profectus ducem.

Megalopolitani cum Lacedæmoniis congredi ausi, ab his victi, docuere fortitudinem suam nequaquam sui nominis dignitati respondere. Certatum hoc anno Romæ inter Patricios & plebem, de Plebeio Consule. Tandem P. Valerio Poplicolæ datus est è plebe collega C. Marcius Rutilius. Hi duo concordissimis animis vixerunt, & crearunt Decemviros Mensarios, qui æris alieni curam susciperent, quod ex parte imminutum, & sine cujusquam injuriâ, magno tamen Consulum. & Decemvirorum labore.

Tum quoque vanus de bello Etrusco rumor Dictatorem dedit in castris C. Iunium, sed is magistratus, cum hoc rumore evanuit.

OLYMP. CVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3703. 403.

Thebani belli sacri impensis exhausti commodè à Persis 300. talenta receperunt, ut iis adjutoribus in Aegyptiaco bello uterentur. Cum enim videret Ochus Cyprios & Phœnicas imitari rebellionem Aegyptiorum, quibus hæc impune cessérat, statuit illos appetere bello, & maximè Phœnicas, ubi Sidonii multa in eum contumeliose patrarant. Restitit tamen emissis Satrapis Sidonis Rex Tennes cum quatuor millibus Græcorum, quibus præerat Mentor Rhodius, quando & Persæ ex Phœnicia sunt ejecti. Sed audito Ochi adventu Mentor pactus est per Thessa-

Theſſalionem quemdam cum Perſâ , Sidoniorum proditionem , adducto poſtea in ſententiam ſuam Tenne. Ab utroque igitur proditi Sidonii, ſtrage ingenti trucidati, ſe ſuaque omnia cum navibus incendio perdidere. Tennes juſſu Ochi interemptus pœnam proditionis luit, Mentor reſervatus eſt ad bellum Ægyptiacum , in quo ſe meliùs geſſit quàm proditio tum infamis videbatur exigere.

Tum quoque ad plebem Cenſuram tranſtulit qui Dictaturam invexerat C. Martius illamque per vim à Patriciis extortam : ut plebs non modo ſe regendi gnaram, ſed & corrigendi, emendandique Senatus ſcientem profiteretur.

Phayllus moriens ſucceſſorem reliquit ſibi in principatu Phocenſium , & adminiſtratione belli ſacri Phalæcum , Onomarchi filium , vix dum puberem ; quare huic adjunxit unum de amicis ſuis Mnaſeam virum induſtrium, qui mox cum 200. Phocenſibus à Bœotis cæſus , reliquit ſine rectore juvenem , quia hic maximè, ut & Phocenſes indigebant.

Tum Leptines & Calippus Syracuſanorum duces Rhegio impoſitum à Dionyſio præſidium dejecerunt eamque urbem uti libertate voluerunt, qua nondum patria ſua urbs Syracuſana fruebatur.

Ad bellum Româ profecti ſunt ambo Coſſ. C. Sulpitius Peritus quintùm in Tarquinienſes , & T. Quintius Pœnus in Faliſcos. Tanta utrique agro eſt illata vaſtitas , ut inducias petere ad annos duos illi populi cogerentur , ut tam diuturno temporis ſpatio , rebellionem dediſcerent.

OLYMP. CVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann* 3. 3704. 404.

Bellum Cyprium anno ſuperiori fuerat inchoatum Ocho jubente , à Ducibus Idrico Carum principe Evagora Cyprio, & Phocione Athenienſi cum 40. navibus, & obſeſſa Salamina mari, atque terra, cujus præfecturam ſperabat Evagoras. At cum Rex hujus urbis Protagoras ſeſe Ocho ſubmiſiſſet , eam retinuit, atque Evagores in aliam eſt Satrapiam translatus : quæ de Evagorâ à Diodoro dicta, non ſatis cum ejuſdem Diodori dictis concinunt. Itaque hic ἀνιςέρητόν τι, quod diſſolvi nequit, niſi admittas Diodori σφαλμα.

Ex Cypro Ochus perrexit in Ægyptum , cum magnis Perſarum , & Græcorum copiis; ſed ad Barathra multos è ſuis perdidit, inde Peluſium cepit, & aliquot urbes , quando Nectanebos Memphim recedens imprudentiſſimè Ægyptum perdidit. Mentor enim rumorem ſparſit urbes quæ ſe dederent humaniter tractandas , quæ reſiſterent , eandem cum Sidone ſubituras vicem. Certatim igitur Aegyptus tota ſeſe Ocho dedidit. Nectanebus cum Theſauris ſuis fugit in Aethiopiam. Ochus conſtituto Aegypti præfecto Pherendate Babylonem rediit , ſuperbiâ quàm victoriis auctior.

M. Popilius Lænas è plebe Conſul , ægrotante collegâ , in Gallos profectus, qui in agro Latino caſtra poſuerant , eoſdem gemino prælio vicit, & in tumulo, iniquitate loci , & in planioribus locis, fortitudine ; quare decretus eſt ei triumphus. Cum autem vulneratus idem quoque decumberet , utroque Conſule ægro , creatus eſt Dictator qui ageret comitia , quæ tunc temporis, plus habebant, quam bellum ullum, difficultatis.

OLYMP. CVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3705. 405.

*Mentorem honerat Ochus redditque utiliſſimum Perſis.*

Ochus Mentorem Rhodium cujus maximè operâ confectum erat Aegyptiacum bellum, magnis muneribus afficit. Accepit enim is centum talenta argenti, & præfecturam Oræ Aſianæ, bellique adminiſtrationem adverſus rebelles, cum ſumma autoritate. Hac ille ſapienter uſus Artabazum & Memnonem Perſas, profugos apud Philippum ob rebellionem cum Rege reconciliavit. Hermæam Atarnenſem tyrannum ad Helleſpontum , ſpe colloquii dedit in vincula , potituſque ejus annulo urbibus ejus ingenioſè potitus eſt. Reliquos aut vi , aut dolo ad Regis obſequium compulit, quibus deinceps Perſis acceptiſſimus fuit, & ejus obliterata in Sidonios proditio , nullis unquam rebus præclarè geſtis eluenda.

*Philippus Pheres capit, & Olynthum obſidet.*

Philippus Pheres ſibi vindicat, depulſo inde Pieholao Lycophronis ſocio. Exinde urbes Chalcidicas occupare conatur ; inter quas maximam, & munitiſſimam Olynthum obſidione cingit , quod ſe inconſulto ſocia urbs pacem feciſſet cum Athenienſibus , & tantâ vi oppugnavit, quaſi in urbis hujus oppugnatione agi de regno ſuo crederet.

*Græci oram Romanam vexant.*

Oram Italiæ maritimam ſuis navibus infeſtam habuerunt Græci , qui aliquandiu Romanos diſtinuere, ut eos ſuis littoribus arcerent : Sed illos potius prædones, quàm milites experti ſunt.

*Bellum Latinum & Gallicum.*

Duo quoque bella ſimul concitata ſunt Latinum, & Gallicum,quare decem legiones à Romanis conſcriptæ. L. Furius Camillus, ob fatale Gallis nomen , contra eos Conſul, aut veriùs quaſi Dictator miſſus eſt. Tum inuſitatæ proceritatis Gallus, Romanum ad ſingulare certamen provocavit : huic oppoſitus eſt M. Valerius Tribunus militum qui ope Corvi auxiliatoris, cecîdit hoſtem, unde Corvini nomen , huic acceſſit. Inde commiſſo certamine utriuſque exercitus , victi Galli , diſſipatique per Volſcos, Campaniam , & Apuliam, ut latiùs populationes ſuas , & Romanæ fortitudinis gloriam ſpargerent.

*M. Valerius Corvinus Gallum cadit.*

OLYMP. CVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3706. 406.

*Philippus capit Olynthum.*

Olynthum cepit hoc tandem anno Philippus, ſed proditione potiùs , quàm armis, urbem diripuit , prædam ejus civeſque vendidit , unde ſibi ad alias proditiones pecuniam comparavit. quibus meliùs , & quæſtuoſiùs , quàm armis nonnumquam utebatur. Vnde ejus dictum de Aſino pecuniis onuſto , cui nullam arcem imperviam , negabat eſſe. Tum quoque Philippus celebravit Olympia , coronavit victores,conviviis excepit omnes , quibus ſibi totius Græciæ benevolentiam comparavit. Sic enim erant ineſcandi viri fortes, ut libertate ſpoliarentur.

*Philippus agit pecunia & liberalitate.*

Cadit

*Moritur Plato.* Cadit in hunc annum mors Platonis, ætatis suæ octogesimo primo, cum in nuptiis discumberet. Sepultus est in Academiâ, ex quâ discipuli ejus quidem traxere nomen in quâ ei successit Speusippus; exequiæ ejus honestissimæ, & ut viri, cujus ore Dii loqui potuissent. Ejus autem discipulus Aristoteles perrexit ad Hermæam Atarnei tyrannum, qui fuerat anno superiori spoliatus à Mentore, & tum privatus, & satis dives dabat operam sapientiæ, ut mœrorem suum de amisso principatu demulceret. Tum autem Aristoteles annum ætatis agebat 37. ibique vixit tribus annis, & donec ad erudiendum Alexandrum vocaretur, dignum tali magistro discipulum. *Aristoteles Hermæam adit.*

*Belli sacri finis ex Pausania.* Pausanias hoc anno finem imponit bello sacro, sed Diodorus, id ad duos anno extendit, quod duobus item annis tardiùs inchoarat, quâ de re non est facilè inter duos autores illos statuere.

*Corvinus Consul anno ætatis 23 Fœdus 2. Romæ cum Pœnis.* Romæ M. Valerius Corvinus ætatis suæ anno vigesimo tertio summo populi consensu creatus est Consul, cui adjectus collega M. Popilius Lænas, quando & fœdus secundum cum Carthaginiensibus ictum, cujus Polybius libro 3. meminit. Tum à bellis, & seditionibus quies. quæ, sine dubio, compressit pestilentia, hoc anno in Romanos, vicinosque populos tam atrociter grassata, ut de salute suâ tantùm, nihil de gloriâ cogitarent.

OLYMP. CVIII. *ann.* 2. *Mundi.* 3707. Urb. Cond. 407.

*Phocenses Philippus aggreditur.* Phalæcus hoc anno repetundarum accusatus à suis Phocensibus exautoratus est, ejusque loco substituit tres sacræ pecuniæ quæstores. Interea iidem sacrilegi ex urbibus Orchomeno & Cherronæa quas occupabant, in Bœotios, & Thebanos excurrebant, eosque fœdè vastabant. Quare ad Philippum confugere, qui quamquam Thebanis nollet, iis tamen subsidia misit, quibus victi Phocenses repulsi sunt, Eorum 500. cum in Apollinis templum confugissent, pœnâ sacrilegis debitâ, vivi combusti sunt.

*Dionysius tyrannidem recuperat.* Hoc quoque anno Dionysius junior, decimo quarto, quam ejectus erat anno Syracusas recuperavit, sed tandiu expectato principatu non diu potitus est.

OLYMP. CVIII. *ann* 3. *Mundi* 3708. Urb. Cond. 408.

*Belli sacri finis ex Diodoro.* Hic annus finem bello Phocensi seu Sacro tandem aliquando dedit. Cum enim Lacedæmonii sacrilegis mille armatos, duce etiam Archidamo, misissent, Bœoti ad Philippum confugerunt. Is adjunctis sibi Thessalis, cum grandi exercitu venit; occurrit ei in Locride, jam restitutus, Phalæcus cum octo millibus armatorum. Sed cum se imparem Philippo videret, cum eo pactus est, & cum suis, eu Phocide facesseret, & verò statim in Peloponnesum perrexit. Phocenses ergo omni duce, præsidioque destituti, sese quoque Philippo dediderunt. Tum deliberatum, quid sacrilegis fieret. Re ad concilium Amphyctyonum rejectâ, statutum, ut Philippus deinceps duplici suffragii jure uteretur in hoc concilio, Phocensium loco, trium urbium in Phocide mœnia diruerentur earumque cives vicatim cogerentur habitare, & alia multa severissime decreta adversus sacrilegos, quibus Græci pietatem suam in hoc saltem negotio testati sunt, nequaquam his sacrilegis meliores. *Phocenses se Philippo dedunt.*

Syracusii à Corinthiis Timoleontem Ducem obtinuerunt, qui Timophanem fratrem suum Tyrannidem molientem interemerat, sicque paratior ad opprimendum Dionysium Tyrannum videbatur. *Timol. dux à Syrac.*

Nunciatum Romæ Latinos per Volscos, & Antiatas sollicitari. Missus itaque M. Valerius Corvinus secundùm Consul, ut eorum consilia præveniret. Pugnatur acriter ad Satricum, quâ urbe sese hostes victi inclusere: cumque jam vi capienda urbs esset, sese ad quatuor millia propugnatorum dedidere, quos in triumphum ductos Consul vendidit, atque ex iis redactam pecuniam retulit in ærarium; ut belli hujus expensas victi sarcisse viderentur.

Celebratos hoc anno sæculares ludos vult Censorinus, & his hunc annum urbis conditæ assignat, cui lubentius, quam tabulis vetustate oblitis assentimur. *Ludi sæc. Romæ.*

OLYMP. CVIII. *ann* 4. *Mundi* 3709. Urb. Cond. 409.

Philippus in Macedoniam victor regressus, multas emisit Colonias, quibus mulctabat seditiosos atque turbulentos, iisque sapienter exilia, sub nomine transmigrationis imperabat. Sicque hostes suos opibus, & amicis sapienter expoliabat.

Tum quoque Aristoteles relicto Hermæa Mitylenem Lesbi venit, ut hic Philosophiæ ludum aperiret: ubi tantâ celebritate ejus Schola frequentata est, ut etiam ad Philippi aures ejus nominis fama perveniret. Quem statim Regii adolescentis, & Alexandri magisterio dignum judicavit.

Timoleon in Siciliam appulit Cathaginiensibus eum nequicquam aditu prohibentibus: qui hoc anno in Siculos bellum moverunt. Arcem porrò Syracusanam tenebat Dionysius, Nicetas urbem, nec iis par viribus videbatur Timoleon, sed virtute, & industriâ superior extitit.

Bellum contra Auruncos tantùm terroris intulit Romæ, ut Dictator crearetur, qui templum Iunoni Monetæ vovit. Progressus tamen hic in hostem reperit eum ad fugam, quàm ad prælium paratiorem; ita non difficiliter confectum bellum. Senatus tamen Decemviros creavit qui templum locarent in eâ areâ, ubi M. Manlii Capitolini ædes dirutæ fuerant, ut is locus esset monimentum religionis, & pietatis, qui fuerat justitiæ, & severitatis.

OLYMP. CIX. *ann.* 1. *Mundi* 3710. Urb. Cond. 410.

Philippus rebus in Græciâ, & Thessaliâ compositis, in Illyrios arma convertit, antiquos Macedonum hostes, ac suæ familiæ peculiares inimicos. Eorum agros latè depopulatus est, mul-

multasque eorum cepit urbes; quæ cum Alexandro, jam annorum tredecim nunciarentur, querebatur nihil sibi à parente relinqui, quo se magnum ducem probaret. Hi nempe erant ejus magnanimitatis flores, cujus postea fructus vidit orbis terrarum. Tum quoque Philippus dejecit aliquot in Thessalia tyrannos, quorum urbibus potitus est, sicut & aliquot Græciæ civitatibus, quæ dominatum ejus sanctissimum, quâvis libertate potiorem duxerunt.

Timoleonti in Sicilia primùm fortuna restare visa eum in summas angustias compulit, ex quibus tamen ipse sua virtute, ac prudentiâ tandem emersit; dignusque visus, qui magnæ civitati redderet libertatem.

Diodorus Siculus hoc anno Pœnos primum fœdus cum Romanis pepigisse asserit; sed quanquam eximius illorum fautor, res Punicas parum exploratas habuit, quorum fœdera jam duo cum Romanis ex Polybio commemorata.

---

## CAP. II.

### *Decas Secunda.*

#### *Ab anno* 3710. *ad* 3720.

OLYMP. CIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3711. 411.

TIMOLEONTIS operâ hoc anno Syracusæ Tyrannidem excusserunt, & Dionysius ad deditionem compulsus, Corinthum ab eo missus, in exilio miserabiliter consenuit, inter pueros quos erudiebat; ut sic quoque dum ferulam, sceptrum Pædagogorum tractat, quodammodo regnare videretur. Democraticum quoq; statum in urbe Timoleon constituit quam administrari jussit per Amphipolos Jovis Olympii ἐπωνύμους ἄρχοντας, qui suprà annos 300. ad tempora Diodori Siculi perdurarunt. Ita Tyrannis Dionysiorum tanto ambitu prensata, atque servata, unius hominis virtute, consilioque concidit.

Philippus evocat Aristotelem ad erudiendum Alexandrum jam annorum quatuordecim, apud quem commoratus est quamdiu vixit Philippus, hoc est annis octo. Porrò Rex [illegible] gratiam Stagiram Patriam restauravit, & populares ejus exules, aut servos in urbem reduxit. Ludum quoque huic constituit ad Miezam urbem Macedoniæ, ubi tempore Plutarchi visebantur Xysti, & lapidea sedes ex qua vir tantus docebat, ut tantæ institutionis memoria totis quatuor sæculis ampliùs, servaretur.

Tum quoque evocatus à duobus Regibus Thraciæ, Amadoco & Chersoblepe filiis Cotys item Regis. Philippus, ut litem utriusque de regno dirimeret, utrumque cecidisse causâ pronunciavit, & suum esse, factis ostendit.

Exortum est in Italia bellum Samniticum quod annis duobus supra octoginta tenuit. Ejus causa fuere Samnites, Sidicinis, eorumque auxiliatoribus Campanis inferentes bellum. Hi gemino prælio victi ad Romanos confugerunt; Romani Samnites socios suos rogarunt, ut sociis novis parcerent, quod hi negarunt, & responso duriori addidere contumeliam. Itaque missi ambo Coss. M. Valerius Corvinus tertium in Campaniam, A. Cornelius Cossus in Samnium. Valerius Samnites continuato totâ die prælio vicit, & pertinaciore quàm hactenus visa fuerat congressione, fatentibus Romanis nondum ferociores sibi oppositos hostes: Samnitibus asserentibus ardere sibi visos hostium oculos quibus plus sibi terroris, quàm gladiis illatum. Cornelius Cossus in Samnio pæne ab hoste conclusus P. Decii Trib. militum industriâ, non solùm liber, sed & victor effectus est. Cum sese iterum Samnites collegissent ex fugâ, ad Suessulam iterum victi, & multos è suis, & 170. signa militaria perdiderunt. Consules ambo de Samnitibus gloriosè triumpharunt. Tum certatim populi iniere fœdus cum Rom. qui tam fortiter socios suos defendissent: ipsi quoque Pœni gratulati sunt iis victoriam coronâ aureâ in Capitolium missâ. Denique Sidicinorum, & Campanorum precibus concessum uti Romanum præsidium utrobique constitueretur: quod hospitibus parum salutare fuit, auxiliatoribus etiam perniciosum. *Victi Samnites.*

OLYMP. CIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3712. 412.

Obiit hoc anno Ariymbas Molossorum Rex regni sui anno decimo, relicto filio Æacidâ, postea Pyrrhi patre. Sed ei substitutus Alexander Olympiadis frater, operâ Philippi, qui tum plus uxori, quam æquitati tribuit. *Arymbas moritur.*

Timoleon Nicetâ, & Leptine devictis rem Syracusanam confirmavit; quando & Pœni grandi conflato exercitu, Siciliam subjugare decreverunt, & fecissent nisi incidissent in Timoleontem; cui Sicilia salutem debuit, quæ jam debebat libertatem. *Timoleon Syracusas ordinat.*

Præsidiarii Romani oblectati amœnitate loci, Campani potius, quàm Romani esse voluerunt, & Campaniam suis hospitibus eripere perfidiosè. Quæ cum C. Marcio Rutilo innotuissent purgare exercitum turbulentis militibus conatus est, ejusque conatibus relictus in urbe collega Q. Servilius favebat. Quod cùm factiosis subolu isset, illi relictis castris Tusculum veniunt, ibique sibi ducem eligunt T. Quintium, hic quietam vitam in agris agentem. Dictator itaque dictus M. Valerius qui lenitate suâ, & Quintii industriâ eos ad officium revocavit, & ex seditiosis, utiles Reip. milites reddidit. *Seditiosi Rom. Valerii lenitate correcti.*

OLYMP. CIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3713. 413.

Pexodorus in Caria regnum eripuit sorori suæ Adæ, quod annis quinque administravit; veriùs septem, cum ad Alexandri usque expeditionem, id tenuisse legatur; sed semper diutiùs quàm ejus perfidia, & impietas postulabant. *Pexodorus Rex Cariæ Adæ frater.*

Philippus Perinthum (aliter Heracleam dictam) urbem Thraciæ obsidet, cum triginta millibus armatorum, cui tamen fortiter obsistunt cives conjuncti Byzantiis, fretique auxilio *Perinthus fortiter Philippo resistit.*

lio Regis Perſarum, qui tum metuebat nimiam Macedonum potentiam. Itaque in hujus urbis obſidione hærere diutiùs compulſus eſt Philippus, quàm ejus negotia poſtularent.

*Naſcitur Epicurus*

Tum quoque natus eſt Soſigene Athenis prætore Epicurus, Gamelionis εἰκάδι, hoc eſt vigeſimo primo Januarii, voluptatis maximus fautor, ſed ejus quæ percipitur animo, quam impuri quidam Epicurei ad turpes, & corporeas voluptates ſtolidè tranſtulerunt.

*Cometa inſignis.*

Cometes hoc anno inſignis apparuit cujus meminit Ariſtoteles 1. Meteor. cap. 7. Mortis Philippi, ut vulgò creditum eſt, prænuncius.

*Samnitibus Rom. favent, Sidicinos relinquunt Sidicini confugiunt ad Latinos.*

C. Plautius Conſul ſecundùm, cum Volſcis feliciter pugnat: M. Æmilius Mamercus ejus collega vincit Samnites, qui mox fœdus obtinuerunt à Senatu, immò & facultatem bellandi contra Sidicinos. Hi ſe Romanis dedunt, nec admittuntur tamen; quia tardiùs advenerant, & fide jam Samnitibus datâ. Itaque ad Latinos confugiunt, & Campanis conjuncti, ſpecie in Samnites, reverâ in Romanos arma parant. Quare Conſules ſolitò maturiùs abdicarunt, & per interreges creati Conſules duo qui tanto bello pares eſſe viderentur.

OLYMP. CX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3714. 414.

*Vincit Pœnos Timoleon.*

Carthaginienſes in Siciliam 70. peditum millia, Curruum decem millia inducunt, tantumque apparatum, ut de Sicilia actum putaretur. Sed Timoleontis fortitudine & ſapientiâ tantus disjectus eſt apparatus, victi magnâ clade Pœni, ex qua tantum mœroris hauſerunt, ut de ſubjuganda Sicilia deinceps deſperarent.

*Ochus à Bagao caſus.*

Bagaos Spado, ſed fortis, natione Ægyptius irritus ab Artaxerxe Ocho de Ægyptiacis ſuperſtitionibus, eum per Medicum veneno ſuſtulit, ejuſque corpus in minuta fruſta conciſum felibus vorandum objecit ſubſtituto in ejus locum alio cadavere.

*Arſes ei ſuccedit.*

Tum in locum patris ſuppoſuit natu minimum filium Arſem, aliis ejus fratribus interfectis, quò plus autoritatis haberet in puerum, utpote qui ei deberet regnum. Sic Arſes nomine Rex Perſarum fuit, re Bagaos, & ad ſervitutem natus ſemivir, tuneſtavit veriùs, quàm rexit Imperium Perſarum.

*Philippus malè rem gerit ad Perinthū.*

Philippus ſimul obſidebat Perinthum, & Byzantium, ne duæ urbes ſibi auxilio poſſent eſſe. Verùm utramque obſidionem ſolvere cogitur ab Athenienſibus, eorumque ſociis, cujus auxilii prima cauſa fuit Demoſthenes. Exhauſtus impenſis hujus belli Philippus Piraticam exercet, atque ita utcumque ſuam levat inopiam. Suſcipit quoque prædandi gratiâ in Scythiam expeditionem, evocatus à Macheâ rege, quem Rex Iſtrianorum opprimebat: ſed Scytha hoſtis ſui morte recreatus, eum irriſit; & vanis legationibus deluſum, dedecoris, quàm prædæ pleniorem remiſit in Macedoniam.

*Alexander Epirota in Italiam venit.*

Alexander Rex Epiri transfretat in Italiam, ubi ditionem ſuam parat extendere: ſed mortis locum invenit, quem ſperaverat campum victoriarum.

*Manlius filium necat.*

Conſules duo T. Manlius Torquatus, & P. Decius Mus copias jungunt, & Samnitibus conjuncti ad Capuam caſtra locant. Hic Manlius filium ſuum contra prohibitionem pugnare auſum, victorem licet, capite plecti juſſit, improbatus à pleriſque, inde imperia dura deinceps dicta Manliana, ipſe imperioſus.

*Deciu[s] Mus [...] Latin[...] devo[...]*

Cum P. Decius didiciſſet in ſomnio, hujus partis victoriam fore, cujus dux ſe devoviſſet, ſeſe Diis manibus obtulit, & telis Latinorum obrutus cecidit. Victoriæ tamen potior cauſa fuit Manlius, qui recentes triarios ſuos, feſſis Latinorum triariis ſapienter objecit. Victi itaque Latini tanta clade, ut quartam militum ſuorum partem deſiderarent. Collegerunt ſe tamen ex fuga Latini, & ſpeciem exercitus præbuerunt, ſed iterum à Manlio victi, ſeſe cum Campanis Conſuli dediderunt: Utrique agri parte mulctati. Decio paratæ magnificentiſſimæ exequiæ, Manlio Triumphus, cui & patres obviam effuſi, ſed nulli juvenes, eum deinceps ſemper uti parricidam exſecrati.

*Ma[...] triu[...]*

Fructus is fuit nimiæ in talem filium ſeveritatis, hominiſque qui cum patrem in ſe durum expertus eſſet, ipſe in filium Barbarus eſſe voluit, ut paternâ ſævitiâ, Torquatorum domus eſſet, quàm Torque inſignior.

OLYMP. CX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3715. 415.

*At[...] Th[...] con[...] lip[...] jui[...]*

Philippus prætore Athenis Lyſimachide occupavit oppida duo Athenienſium Elateam, & Cythiam. Quare hi mittunt legatos Thebas, inter quos eminebat Demoſthenes, ut Thebanos ad belli ſocietatem adverſus Philippum invitarent. Eam demùm conjunctionem obtinuit eloquentiâ Demoſthenes, Pithone diſertiſſimo viro, nequicquam pro Philippo perorante. Hoc fœdere deterritus Philippus, tantiſper Græciam, ac Thebas omiſit, converſus ad Scythicum bellum, quando Scythas virtute licet, animiſque præſtantes aſtutiâ devicit, & inde viginti millia puerorum ac fœminarum, cum magna vi pecoris abduxit; nihil tamen auri, argentique inde retulit, quæ maximè deſiderabat. Redeuntem malè excepere Triballi, qui prædam illi omnem excuſſere, & ex quorum manibus vivum effugere, præmii loco duxit.

Speuſippus Platonis ex ſorore nepos, ejusq; annis octo in Academia ſucceſſor, hoc anno vivendi, docendique finem fecit. Is paralyſi afflictus, curru deportabatur in ſcholam, quamobrem irridebatur à Diogene Cynico, & ad ſpontaneam invitabatur mortem, quam ille ſapientiùs expectandam judicavit, ſubſtituto ſibi Xenocrate meliore atque ſapientiore magiſtro, licet ingenii tardioris viro.

Q. Publius Philo, & T. Æmilius Mamercus Conſules Latinos rebellantes vicêre. Philo eos in deditionem accepit, dum ejus collega Pedum urbem obſideret. Itaque Philoni decernitur Triumphus, quem pariter poſtulans Æmilius, ad urbem captam rejicitur. Ideò Senatum reliquo tempore ſui Conſulatus popularibus actionibus turbavit, Tribuno plebis factioſo, quàm bono Conſuli ſimilior. Is juſſus à Senatu Dictatorem creare, collegam ſuum Philonem dixit, qui haud æquior in Patres fuit. Nam Conſul diſſimulavit tantùm collegæ ſui injurias in Sena-

Senatum; Dictator etiam popularibus legibus ferendis Patriciis nocuit, ac Reipublicæ.

OLYMP. CX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3716. 416.

Nobilitatur hic annus prælio Philippi ad Cherronæam adversus Athenienses, & Thebanos; in quo Alexander annorum duodeviginti adolescens, sese fortissimè gessit, & Bœotorum aciem perrupit, quando sacra amicorum ex Thebanis cohors tota cecidit, eo ipso quò posita fuerat loco. Philippus quoque Atheniensium cornu dissipavit, ac plenam victoriam retulit. Ob quam paulò elatior, oratione Damadis captivi increpitus animos posuit, & cum Atheniensibus pacem fecit. At Thebanos tractavit asperiùs, eorumque non modò captivos, sed & demortuorum sepulturam vendidit. Lysicles dux Atheniensium in eo certamine accusatus à Lycurgo, capitis damnatus, infelicitatis patriæ, non culpæ suæ, pœnas luit.

Hoc item anno Philippus repudiavit Olympiadem suspectam adulterii, ac duxit uxorem Cleopatram Attali neptem, vel sororem. In his nuptiis cum ebrius Attalus optasset successorem Philippo ex Cleopatra, ejus temulentiam, & temeritatem ei impacto in caput Scypho repressit: in quem dum irruit Philippus stricto ferro, fallente vestigio inter lectos prolapsus est; cujus casum etiam Alexander Scommate perstrinxit, negans eum ex Europa in Asiam transire posse, qui ex lecto in lectum sine prolapsione transilire non potuisset. Fugit tamen Alexander, matreque in Epiro relictâ ipse perrexit ad Illyrios meliora oppetiens tempora, quæ non diu, ut neque patris imperium expectavit.

Mortuus est hoc anno Isocrates propè centenarius ex quatriduanâ inediâ, patriæ suæ dedecori ac propè captivitati superesse nolens, cum tamen totam ipse vitam inter Græciæ clades, ac bella civilia decurrisset. Sed quid agas! senectus ad desperationem proclivior est. Suidas tamen ei vitæ 106. annos tribuit, & post annos tantùm novem putat obiisse; sed Halicarnasseo & Plutarcho major habenda est fides.

Archidamus Lacedæmoniorum Rex in Italiam profectum ad juvandos Lucanos, obiit regni sui anno vigesimo tertio, cui successit Agis, annis novem; Spartanis insipienter curantibus aliena, dum Græcia libertatem amitteret.

L. Furius Camillus, & C. Manius Coss. missi sunt à Senatu ad bellum Latinum perficiendum. Urbs pedum victis auxiliatoribus, repressique propugnatoribus, capitur, sicut & reliquæ Latii urbes, in quibus disposita præsidia. Tum Rostra ex Antiatarum proris confecta, & exornata sunt: Consules ambo, non triumpharunt modò, sed & statuis in foro positis cohonestati sunt. Sicque non tantùm unius diei pompâ, sed diuturnâ sæculorum memoriâ Romana virtus honorari cœpit.

OLYMP. CX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3717. 417.

Timoleon cùm annis septem cum magna gloria, & æquitate Syracusis præfuisset, & vixisset in omnium Siculorum oculis, obiit, in eorum memoria numquam moriturus.

*Philippus Dux Græcorum eligitur.* Philippus in publico Græciæ conventu Corinthi habito, ab omnibus Græcis, solis repugnantibus Lacedæmoniis Dux Græcorum electus est, ut acceptas à Græcis, & Diis immortalibus injurias bello Persico, armis ulcisceretur. Demaratus ejus hospes, eum ad revocandum Alexandrum impulit, idque ejus operâ, & industriâ perfectum, ne tali successore Græcia careret, si quid Philippo humanitùs contingeret. Ducenta peditum millia, quindecim equitum, Græcis imperata: Macedones non leves copias polliciti sunt, & quod erat caput, ducem, tot copiis regendis idoneum obtulerunt.

*Alexander revocatur à Philippo.* *Aurunci à Rom. deserti.* Sidicini Auruncos Romanorum socios appetierunt bello; qui opem à suis sociis implorarunt. Sed tarditas Consulum obfuit, quominùs eis consuleretur. Itaque Aurunci suam perdiderunt urbem; quæ ut recuperaretur Dictator dictus est G. Claudius Regillensis; sed eum vitio creatum esse Augures renunciaruut. Itaque superstitione factum, quominùs sociis subveniretur.

*Minutia defossa.* Minutia virgo Vestalis suspecta primum ob elegantiorem corporis cultum, mox indice servo accusata stupri, jussu Pontificis maximi in campo scelerato defossa, finem vivendi, luxuriandique fecit.

OLYMP. CXI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3718. 418.

*Philippus à Pausania cæditur.* Philippus præmittit in Asiam tres Duces Amyntam, Attalum, & Parmenionem, qui Græcas civitates Persis eriperent, ac pristinæ restituerent libertati. Tum filiam suam Cleopatram ex Olympiade, Alexandro Epirotarum Regi dedit uxorem; atque hæ nuptiæ ingenti apparatu celebratæ sunt in quibus duodecim signa Deorum delata sunt, & decimum tertium Philippi, quasi jam in Deorum societatem admissi. Sed hujus gaudii extrema luctus occupavit. Pausanias enim nobilis adolescens ebrius ab Attalo, omnium petulantiæ prostitutus erat. Is factus sobrius sibi fieri satis postulavit à Philippo, quem tergiversantem, ne offenderet Attalum, nonnihil à suis stipatoribus semotum interemit, & equo parato pernice fugit. Sed enim collapsus, dum equum rursus ascendere parat, a Perdicca insequente multis ictibus confossus interiit. Ferunt Olympiadem, & Alexandrum saltem ejus cædis suspicione non caruisse, ac sponte jam incitatum Pausaniam, impulisse. Ut ut se res habuerit, qui Diis accenseri voluerat Philippus, infrà homines amandatus est.

*Philippo succedit Alexander* Successit ei filius Alexander, qui statim paternæ necis autores, vel conscios sustulit, ut fucum suis subditis faceret, cum interea in sinu suo, & cum matre rideret. Concilium paulò post coëgit in Peloponneso ubi se Imperatorem Græcorum adversus Persas eligendum curavit, *Dux Græcorum eligitur.* solis de more resistentibus Lacedæmoniis, volentibus Atheniensibus reclamare, sed non ausis, reliquis metu, vel amore deterritis. Sic parentis demortui filius dignior implevit locum, & spem quam conceperat pater de Persico Imperio exscindendo, longè superavit.

*Arses eaditur à Bagoa.* *Darius Arsami F. ei succedit.*

Hoc quoque anno Arsem Persarum Regem pertæsum suæ servitutis & incautiùs volentem ex ea emergere, cum suis liberis Bagoas Eunuchus sustulit, atque in ejus locum Darium Arsami filium, dictum Codomanum substituit. Alexander in Epistola ad eum scriptâ ait eum, per Bagoam, Arsem substulisse. Quis porrò fuerit ille Darius ambigitur. Quidam enim Artaxerxis Ochi fratrem fuisse volunt, alii virum ignobilem, sed propter egregia facta appellatum Darium, & à Bagoa atque Satrapis ad regnum adscitum esse. Quidquid sit, celebratior hic Darius fuit perdito, quàm adito imperio. Quanquam sub initium imperii eo se fortè dignum præstitisset. Nam Bagoam sibi veneno insidiantem, venenum ebibere compulit, & Memnonem Rhodium virum solertem cum exercitu & grandi pecunia in Phrygiam misit ut Macedonibus obsisteret, eorumque consilia dissueret, quod sanè fecisset, si vel auditus esset, aut ejus conatus, mors Persis intempestiva, non abrupisset.

*Bagoa veneno tollitur.* *Mentor mittitur in Phrygiam.*

*Schisma inter Iudæos, & Samaritanos.*

Eodem anno quo Philippus est cæsus exortum est Schisma inter Judæos, & Samaritanos. Sanaballetes missus à Dario ad regendam Samariam, filiam suam Nicaso dedit uxorem Manassi fratri Jeddoæ Judæorum Pontificis. Sed à fratre, & proceribus Judæorum jussus est, aut uxorem alienigenam dimittere, aut ab aris recedere. Id cum ad Socerum retulisset, pollicitus est ei Sanaballetes & Pontificatum, & novum templum Samariæ à Dario excitandum: quibus ille permotus servavit uxorem, magnæ postea & diuturnæ causam inter utrumque populum divisionis, & odii.

*Ausones cum Sidicinis victi.*

Ausones, qui Cales urbem incolebant, arma cum Sidicinis adversus Romanos conjunxerunt, sed ambo populi victi, fugatique plus præsidii in suis urbibus & muris, quam in sua conjunctione, armisque repererunt.

OLYMP. CXI. *ann.* 2. *Mundi* 3719. Urb. Cond. 419.

*Bellum Persicum motibus Græciæ differtur.* *Corruptus auro Persico Demosthenes.*

Parabat expeditionem in Asiam, & Persas Alexander, sed ea turbis Græciæ dilata est. Cùm enim is excurreret per Triballos, & Illyrios, ut eos penitus comprimeret, ne sibi absenti negotium facesserent, Persarum Rex Darius, Demosthenem, aliosque multâ pecuniâ corrupit, ut averterent à societate Alexandri Lacedæmonios, Athenienses, & Thebanos. Et verò statim disseminatus est rumor per totam Græciam Macedonas, & Alexandrum à Triballis esse deletos. Neque satis Demostheni fuit in Græcia obsistere Alexandro; nam & per Epistolam ab eo avertere conatus est Attalum. Quæ cum didicisset Alexander statim misit Hecatæum cum copiis, qui caperet Attalum, aut interimeret. Attalus autem ad se rediens misit Epistolam Demosthenis ad Alexandrum cum defensione sua, sed antequam hæc pervenirent ad Alexandrum, Attalus per Hecatæum sublatus est. Interea cum exercitu venit μηδὲν ἀναβαλλόμενος Alexander, atque ex itinere sibi Thessalos devincit. Ejus adventu territi Athenienses ad eum legatos mittunt de pace; at petiit dedi sibi Oratores decem, quam conditionem Demades industriâ suâ sustulit. Bœoti fortiùs restiterunt Alexandro, quamquam ipse modis omnibus eos ad pacem pellicere conatus esset. At ubi pervicaces vidit copias suas, Thebas admovit. Ibi pugnatum fortiter, & ut Macedonum virtus & exercitatio, ac Thebanorum desperatio, libertasque postulabant; hi tandem victi, in quos est magna acerbitate sævitum. Quin & excisæ Thebæ funditùs, tantùm domus Pindari, ejusque familia reservatæ. Ita Græciæ restituta pax ad bellum Persicum necessaria ad quod nolentes, volentes Græci pertracti sunt. Interrogati Dii quid de hac expeditione sentirent, de more ambiguè responderunt. Tum celebrati ludi diebus novem in Musarum honorem, ut ea susciperetur expeditio, cui collaudandæ Musæ omnes impenderentur.

*Caditur Attalus.*

Hoc quoque tempore Aristoteles Athenas venit, ubi aperuit in Lycæo Scholam, ut loco sic ejus ingenio, & eruditione dignam.

Sidicinis tam sæpè rebellibus infensi Romani M. Valerium Corvinum quartùm Consulem crearunt, cui extra sortem bellum ad Cales commiserunt. Hostis primo impetu fusus; urbs deinde occupata cum ingenti præda, Consuli triumphum, populo Romano magnum gaudium peperit.

Tum Gallos Cisalpinos pacem cum Romanis fecisse scribit Polybius: magnâ eorum gloria ab iis sollicitatos esse de fœdere qui totam Europam suis Coloniis, & victoriis implevissent.

OLYMP. CXI. *ann.* 3. *Mundi* 3720. Urb. Cond. 420.

Primus est hic expeditionis Alexandrinæ annus quando is relicta Græciæ, & Macedoniæ administratione Antipatro, cum triginta peditum, equitum quinque millibus, & navibus quinquaginta per Hellespontum transiit in Asiam. In littore divisit inter suos omnia quæ habebat in Europa, satis sibi esse Asiam dictitans cujus possessionem, immissâ in eam hastâ, adiit. Sapienter negabat Memnon esse cum Alexandro dimicandum, sed vastandam esse regionem per quam huic transeundum esset, & copias Persicas in Europam transmittendas esse, ut revocaretur Alexander suorum, & Græcorum questibus; sed auditus non est, & timiditatis à Satrapis insimulatus. Itaque dimicatum ad Granicum amnem, quem Alexander non sine periculo ac damno transiit. Hic commissum atrox prælium in quo singulari certamine cum Spithrobate genero Darii certavit, & discrimen adiit; tandem victi Persæ maximè ab Alexandro & Thessalis, per urbes sparsi sunt. Mox Sardeis proditæ; à Mithrine; Ephesii, Trallenses, Magnesiani se dedidere: ut captæ Miletus, & Halicarnassus, ubi in Barbaros sævitum. Halicarnasso diffisus Memnon fugit in insulam Co, unde liberos suos ad Darium misit, futuros obsides suæ in Persas fidei, aut certè, in aulâ tutiores. Totâ itaque regione potitus, & ejus urbibus omnibus usque ad Galatiam, & Ciliciam Alexander: tantùm interest invadenti committere prælium, resistenti negare certaminis potestatem.

Hoc

Hoc anno deducta est Cales Romanorum Colonia, quâ Sidicini in officio continerentur. Dictator vitio creatus renunciatus est. Samnium turbari cœptum, quæ turbæ non sunt uno anno sedatæ, & multis præliis ac triumphis materiam præbuerunt.

## CAP. III.

### *Decas Tertia.*

*Ab anno* 3720. *ad* 3730.

OLYMP. CXI. *ann.* 4. *Mundi* 3721. Urb. Cond. 421.

MEmnonis Rhodii Consilium de bello in Græciam transferendo tandem probatur à Persis; itaque ad eum grandis pecunia mittitur, & multæ copiæ mercenariorum, ex quibus 300. navium conficit classem. Hac Chium Lesbum, Cycladas priùs populatas Persis adjungit, Eubœam, & Græciam terret, multosque Græcorum vel metu, vel muneribus ad suas partes trahit. Verùm magno Alexandri bono, damno Darii, vir tantus, Persarum columen, Græcorum pernicies, ex morbo interiit; nec ei suffici potuit tanto oneri, tantisque consiliis par Imperator. Nam Charidemum Atheniensem, ejectum Athenis ab Alexandro virum ad hoc munus idoneum Darius interficiendum curarat, quod negasset è re Persarum esse Regem præliis interesse: & quamquam postea hoc decretum Darius improbasset, cæsus est tamen Charidemus, quia leges Persarum vetant sententiam Regis refigi. Itaque Darius ad exitium præcipitans quadringenta peditum equitum centum millia scribit, quibus occurrit Alexandro, jam in Cilicia versanti. Hic porro duplex grande periculum adiit Alexander, quibus Græcorum consilia disjecta concidissent. Dum enim in Cydno fluvio frigidissimo natat, contrahit morbum; & emptus à Dario regno Macedoniæ, ac mille Talentis Alexander Thessalus, huic necem machinatus est. Verùm morbus à Philippo Medico discussus, cujus manu porrectum Pharmacum hausit, licet à Parmenione monitus esset, per epistolam ut ab eo, ejusque sibi veneno caveret. Insidiæ quoque Thessali per Parmenionem detectæ, nulli præterquam earum autori nocuerunt. Sic sanus & incolumis Alexander Issum venit, & montium angustias per Parmenionem occupari jubet. Tandem commissum est, utrimque optatum certamen, in quo fortiter utrimque dimicatum utpote de totius Asiæ imperio. Quærebat oculis Darium Alexander; incidit in ejus fratrem Oxatrem, ubi utrimque multis cadentibus pugnatum. Darius vulneratis quadrigis currum mutare coactus, immò & cornu; ex quo tandem fugiens signum fugæ dedit. In eâ cæsa peditum Persarum centum millia, equitum millia decem, cum Macedones vix 300. pedites, & 150. equites desiderassent. Reperta in castris Gaza ingens, & superbissimus apparatus, sed mollior, quam bellicosorum virorum exigebat fortitudo. Captæ tum mater Darii Sisygambis, & uxor, & filiæ duæ cum puero sexenni Ocho, quas adeò splendidè ac castè tractavit, ut majorem de se hîc, quàm de Dario in campo victoriam retulerit. Inde mittit Parmenionem Damascum ad opes Darii recipiendas, quas ei præfectus urbis offerebat. Et verò iis potitus est Parmenio; sed proditor à consorte cæsus, ejusque caput ad Darium delatum, miserum perditæ Gazæ solatium. Ita Darius hoc prælio magnam regni sui partem perdidit, & reliquit Alexandro, amissis divitiis suis, reliquam obtinendi facultatem.

*Potitur Alexand. divitiis Darii.*

Memnon quidam scriptor apud Photium Bibliothecarium, scribit missos ab Alexandro legatos Romam, qui significarent Romanis, ut aut occuparent orbem terrarum, aut fortiori cederent; Romanosque, quasi fassos ejus potentiam, ad eum coronam auream misisse. Quæ olere videntur fabulam, & putidos Alexandri adulatores. Plutarchus sanè tribuit Romanæ felicitati, quod in Occidentem arma non convertit Alexander, quamquam Romani tum numerarent centum triginta armatorum millia, in quibus neque virtus bellica, neque militaris industria desideraretur; sed habere Alexandrum adversarium quantumlibet fortibus, periculosum fuit.

*Quid de Ro. & Alex. sentiendum.*

Utrum is annus caruerit Romæ Consulibus ob pestilentiam, incertum: Credit non habuisse Sigonius, Pigghius etiam eos ex Solino nominat, & uterque suos adstipulatores habet, quorum controversiam hic dirimere non licet.

*An Roma hoc anno caruerit Coss.*

OLYMP. CXII. *ann.* 1. *Mundi* 3722. Urb. Cond. 422.

Alexander victor in Phœniciam venit ubi Aradus, Byblus, Sidon ex odio Persarum sese ipsi dedunt. Una restitit Tyrus maris Domina, ut ex ea in Græciam bellum transportaretur. Itaque eam obsidet, & quia erat insula, eam per aggerem continenti jungere conatur. Hæc moles quamquam sæpè fluctibus, ventoque disjecta, tamen semper reparata est, donec attingeret insulam. Itaque post VII. menses urbe potitur Alexander, & Tyriis omnibus interemptis eam incendit: Statim tamen reparata est, eique Hephæstion Ballonymum Regem præfecit. Inde Alexander Hierosolymam pergit, cui iratus erat, ob negata subsidia: sed ei occurrit Jaddus Pontifex cum agmine Sacerdotum Linteato. Dei nomen in ejus fronte descriptum adoravit Alexander, asseruitque Deum à se visum in urbe Dio Macedoniæ, in eodem cum Pontifice cultu. Legit quoque in urbe Prophetiam Danielis, ac de se interpretatus est. Itaque Judæis permisit ex suis legibus vivere, iisque concessit quæ læti victores, benè meritis civibus donare solent.

*Alexander in Phœniciam & Iudæam venit.*

*Capitur Tyrus.*

*Flectitur ipso Iaddo Pontifice.*

Dum oppugnaretur Tyrus Sanaballetes venit in Alexandri castra, cum octo millibus armatorum, & commeatu: benignè exceptus est & potestatem excitandi templi Samariæ obtinuit, ac

*Templum Samariæ excitatum.*

Manassi

Manassi genero suo Pontificatum : quæ facile obtinuit à principe, qui ex suo commodo, religiones omnes metiebatur. Turbatum est tamen aliquid Samariæ præfecto ejus Andromacho trucidato, impositumque urbi Macedonum præsidium: quæ tamen neque templi fabricam, neque Pontificatum Manassis impedierunt.

*Agis Cretam subjugat Dario.* Agis Lacedæmoniorum Rex, Dario insulam Cretam subjugat, ad bellum in Europam transferendum utilem, nihil patriæ periculum metuens, dummodò incommodaret Alexandro.

*Gaza Al. resistit, & capitur.* Batis Eunuchus præfectus Gazæ eam fortiter defendit: & aggeres mœnibus pariter excitati, in quibus dum pugnat Alexander vulneratus est. Urbe tandem captâ viri omnes trucidati, pueri ac fœminæ venditæ, Colonia ex vicinis gentibus inducta. Batis trajectus loro talos,& religatus ad currum, raptatus est & discerptus, quia semivir ausus erat Alexandro resistere.

*Amyntas cæditur.* Amyntas exul Macedo dum bellum parat in Ægypto, interimitur; quia minus poterat, quàm audebat.

*Ale. Epirota Lucanos, & Samnites vincit.* Tum quoque Alexander Epirota vicit in Italiâ Lucanos & Samnites, victorque cum Romanis percussit fœdus ; ut communis iis pax esset, quibus erant communes hostes.

*Metus belli Gallici Rom.* Romæ per Censores duæ sunt additæ Tribus superioribus Metia, & Scaptia. Ibidem tumultu Gallico nunciato, dictus est dictator M. Papyrius Crassus; sed statim nunciatâ pace,& Gallorum quiete, Dictatura abdicata est. Ex agro Sidicino non est abductum præsidium ob vicinos Samnites. Itaque hoc anno Romæ plus timoris, quàm belli fuit.

OLYMP. CXII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3723. 423.

*Ægypto potitur Alex.* Ægypto potitur Alexander, Pelusio ei per Mazacem tradito, Memphi per Astacem Darii præfectos, quos Ægyptii capitaliter oderant,& ipsi copiis carebant. Hinc Jovis Ammonis templum adit, ubi salutatur Jovis filius à Sacerdote vel loquente barbarè, vel auro Macedonico corruptâ. *Alex. salutatur Jovis filius.* Exinde tamen cornua suis imaginibus appingi jussit, quia Jupiter Ammon arietinis cornibus insignis erat. Hoc tamen divinitatis ambitu apud peritos rerum æstimatores nihil obtinuit Rex vanissimus, nisi ut Scorti filius haberetur, quod hæc suspicio in Olympiadem meritò caderet. Tum extruxit Alexandriam *Alexandriam extruit.* Architecto usus Dinochare, inter Paludem Mareotim, & mare in eo loco qui priùs Racotis dicebatur, in Scripturis sacris No. De hujus auguriis multa circumferuntur: hoc certum factam esse civitatem peramplam, & primariam Ægypti, incolis in eam undicumque ab Alexandro submissis. Sed huic minùs debet amplitudinem suam, quàm loco in quo condita fuerat.

*Darius pacisci voluit cum Alex.* Darii uxor hoc anno mortua est apud Alexandrum captiva; cui obtulit filiam suam Rex in uxorem, cum omni regione trans Euphratem, quam retinere non poterat, addebat insuper trecenta talentûm millia dotis nomine, quæ omnia repudiavit Alexander negans in Asiâ duos Reges esse posse, ut in cœlo duos Soles.

Ergo versus Euphratem movet, quem ad Thapsacum jungi imperarat: sed nondum erant pontes perfecti, & facilè poterant impediri. Stabat enim in oppositâ ripâ Mazæus, cum tribus millibus equitum. At is audito adventu Macedonum fugit, pontesque sine periculo diligenter absoluti. Itaque per Mesopotamiam resistente nemine vadit exercitus, sine impedimento, nequidem ad Tigrim fluvium, qui levi præsidio, Alexandrum distinere potuisset. Tandem perventum ad Arbela Assyriæ, ubi Darius stabat cum quadraginta millibus equitum, peditum decies centenis millibus, curribus falcatis ducentis, & indicis Elephantis quindecim. Dum quiescunt ex itinere tantisper Macedones undecim diebus ante pugnam, Kalendis Octobris tota Luna defecit. Tandem dimicatum, primùm dubiâ utrinque fortunâ. Nam Mazæus, ut acceptum ad Euphratem relineret dedecus, ad impedimenta usque Macedonum penetravit; sed Alexander Darium fugere compulit; quem insequitur, revocatus à Parmenione, ut suis turbatis auxilium ferat. Interim ergo fugit Darius in montana Mediæ bellum & copias reparaturus. Inde Alexander Babylonem venit ubi non ut hostis, sed victor receptus est, Sacerdotibus, & proceribus ei obviam effusis. Sicque intellexit Arbellanam victoriam, ultimum gradum ad solium Persicum sibi disposuisse, atque stravisse.

Hoc anno Romæ damnatæ sunt veneficii 170. Matronæ, indice ancillâ. Sed fortè hoc veneficium pestis fuit, quâ etiam sublati sunt Coss. ambo M. Claudius Marcellus, & C. Valerius. Tumque placuit Dictatorem clavi pangendi causâ creati, quasi ferrum hac nobili infixum manu certum esset, contra omnes illius pestes amuletum.

OLYMP. CXII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3724. 424.

Alexander proficiscitur Susa, ubi sedet in solio Darii, ibique matrem ejus, filias, & Ochum puerum relinquit, cum magistris uti linguam Græcam ediscerent. Inde Persidem per ejus angustias,& fauces intrat, usus Susianis ductoribus, atque Persepolim non expectatus intrat, ut fuerat monitus à Teridate urbis præfecto, ne regia Gaza à Præsidiariis militibus diriperetur. Urbem igitur splendidissimam, atque ditissimam, militi Græco spoliandam offert,& incendendam, ut illatam Græcis à Xerxe cladem ulcisceretur, immò & inflammari jussit arcem ejus nobilissimam temulentus, invitatus à Thaide scorto, cujus facti posteà eum pœnituit, cum propter incendium, tum propter autorem. Exinde sequitur Bessum cum Dario fugientem : at is graviter Regem vulnerat, & relinquit in curru pellito, quadrigis etiam ejus vulneratis. Hic ad fontem inventus est à Polystrato Macedone, cujus in complexu regnum apprecatus Alexandro, expiravit. Alexander ejus mox inventum corpus clamyde suâ Regia texit cum multis lacrymis, ac matri Sisygambi more Persico regiis exequiis cohonestandum obtulit. Ab hoc tempore Alexander dictus est Persarum Imperator,

perator, & frui poterat hoc regno, nisi sibi totius orbis imperium informasset.

In Græcia motus ab Antipatro compressi: Pacata item Thracia, quam Memnon dux turbabat. Tum appetiti bello Lacedæmonii, qui cæteros Græcos sollicitabant ad bellum, commissumque cum iis prælium, in quo Rex Agis interfectus imprudenter excitati belli pœnas exsolvit.

Periodus Calippica hoc anno incipit, & ab eo decurrit, cœlestibus observationibus & maximè Ptolemaicis celebris.

Bellum contra Privernates, & Fundanos ortum duce Vitruvio Vacco Fundano, cujus ædes dirutæ, dictæ sunt deinceps Prata Vacciana. Tum quoque Carceres additi Circo, non ad utilitatem modo, sed ad venustatem. Lucani quoque rogarunt Romanos, ut ab armis Samnitium defenderentur: missi itaque legati ad Samnites, qui novorum sociorum prohiberent injuriam, & acquieverunt illi quidem, non quod id Romanis tribuerent, sed quod nondum satis parati essent ad Lucanos opprimendos.

OLYMP. CXII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann* 4. 3725. 425.

Bessus erectam Tyaram, Regiamque induit vestem, & assumpto Artaxerxis nomine sese Regem Asiæ dicit, & concitat, armatque Bactrianos. Alexander in Hyrcaniam venit, ubi Mardos subigit, urbesque omnes usque ad mare Caspium asserit sibi. Exinde in Persicum degenerat luxum, adeo ut ejus ostenderetur exercitus. Sed statim huic malo providit. Tum quoque Reginam Amazonum ad eum venisse prolis gratiâ, quorumdam opinio est, quam tu meritò inter fabulas computabis.

Appetitus est tum domesticis insidiis Alexander, ex quibus mirabiliter emersit. Philotas filius Parmenionis cum aliquot sociis in ejus conjuravit necem: sed ejus detecta consilia, ipse in quæstionem datus inter acerbissima tormenta nec amicis commiserationem expressit, sed indignationem. Miserabilior pater ejus Parmenio Mediæ Satrapa, per charissimum sibi Polydamantem interfici jussus, oblatis ei à Rege, & Philota literis; quod & factum, statimque tumultus militum ob eam cædem, regiis litteris repressus. Alii Philotam minus nocentem faciunt; scribuntque conjuratum à Dimno, & Nicomacho contra Regem, eorumque consilium ad Philotam per Ceballinum quemdam delatum esse; at Philotâ tergiversante, hæc innotuisse Alexandro, ideoque filium & patrem sublatos, quia hæc taciturnitas, adeo perniciosa regno, perduellio videbatur.

Ex Hyrcania profectus est Alexander ad Arimaspos Evergetas dictos, quod annonam indigenti Cyro aliàs suppeditassent. Eorum paucis diebus ordinatæ res, iique novis aucti beneficiis. Exinde subegit Arachosios quibus Satrapam assignavit Memnonem, cum aliquot copiis, quibus bellicosa gens in officio contineretur. Sic Alexander famâ jam magnus, major præsentiâ suâ, ubique Dario dignior imperio videbatur.

Tumultus Gallici hoc quoque anno falsò nunciati cura L. Æmilio Mamerco demandata est: sed huic nihil agendum fuit, bello cum rumore frigescente. Collegæ ejus Gn. Plautio obtigit bellum Privernas. Ab eo captum Privernum, vivusque Vitruvius Vaccus, qui post carcerem, ac Consulis triumphum, cum suis sociis verberibus cæsus in foro securi percussus est. Reliquis Privernatibus parcitum, quamquam id eorum legati prohiberet audacia. Sed utilis erat bello Samnitico civitas illa; itaque adnitente Consule, etiam jure civitatis donata, majus accepit beneficium rea, quàm innocens sperare potuisset. *Tumultus Gallicus* *Bellum Privernas gestum.*

OLYMP. CXIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3726. 426.

Alexander in Bactrianam transiens, ut assequeretur Bessum Paropamisadas vincit gentem genio soli, asperitate similem, ubi plus fuit ei cum naturâ, quàm cum hominibus dimicandum. Inde Caucasum, Taurumque montes transcendit, pervenitque ad famosam illam Promethei rupem, ubi Alexandriam urbem condidit. Tandem post longam fugam Oxo flumine transmisso apud Sogdianos venit Bessus in ejus manus proditus à Spitamene, ubi receptus est uti parricida, flagris conscissus, mutilatisque auribus, & naribus, tandem Oxatri fratri Darii permissus est, à quo minutatim conscissus longas, & atroces atrocissimi sceleris, & numquam satis castigati facinoris pœnas luit. Idem tamen Spitamenes paulò post adversus Alexandrum rebellavit, & Sogdianos atque Bactrianos in partes suas traxit. Verùm eorum statim captæ urbes, quas inter excidit Cyropolim invitus licet propter Cyrum, sic enim atrox ejus pertinacia, ibique acceptum grave vulnus postulabant. Vicit tum etiam Scythas hactenus invictos: quæ victoria huic Persicum firmavit imperium. Verùm nihil celebratius Aorno petrâ, ubi Macedones 300. per scopulos irrepentes, sese ferreis fulcris fulcientes non tam ascendere, quam volare visi sunt. Ob ea fortitudinis & audaciæ portenta Scythæ, Dahæ, Massagetæ ejus amicitiam postularunt. Quæ tamen omnia corrupit Clito illata nex. Eum veterem Philippi patris commilitonem, ebrius ebrium in urbe Maracanda Sogdianorum lanceâ arreptâ interemit, luxitque acerbiùs quàm deceret Alexandrum, pari intemperantiâ ebrii, & sobrii dolore. Non ita multò post apud Dahas cæsus ab uxore suâ Spitamenes, hujus animi ægritudinem utcumque levavit. *Alex. labor in itinere.* *Caditur atrociter Bessus.* *Cyropolim capit Alex. ad quam vulneratur.* *Aornon petram occupat.* *Clitum interficit Alex.* *Spitamenes caditur.*

Emisit Decretum Alexander quo totâ Græciâ revocarentur exules omnes, modò ut non essent sacrilegii, aut homicidii rei: &, quantum fieri posset, nemo in Græcia sub Alexandro miser esset. *Exules omnes Græcia revocat Alex.*

Palæopolitæ Neapolitanis vicini freti auxilio Samnitium Romanorum socios invadunt ac depopulantur. Hi tamen auxiliatores suos experti sunt deteriores, quàm quos injustissimo bello vexaverant. *Palæopolitæ Soc. Rom. vexant.*

OLYMP.

OLYMP. CXIII. *ann.* 2. *Mundi* 3727. Urb. Cond. 427.

*Alex. adorari cupit cæditur Callisthenes.*

Rebus compositis Alexander, ante Indicam profectionem novoque habito delectu adorari se voluit à Macedonibus, more Persarum qui principem suam προσκυνοῦντες venerabantur: sed huic oratione gravi obstitit Callisthenes Aristotelis cognatus, & discipulus. Hic paulò post in Ephebörum conjuratione nominatus, variis tortus suppliciis interiit gementibus bonis omnibus incauti Philosophi vicem, qui adulandi nescius imprudenter in aulam irrepsisset.

*Pugnat cum Poro Alex. Indo transmisso.*

Tandem Alexander solutilibus navigiis, & industria Ptolemæi transmittit Indum fluvium, pugnatque cum Poro fortiter: quo in prælio Bucephalum amisit, de cujus nomine paulò post urbem condidit. Victum Porum captumque perhumaniter accepit, restituitque suæ, & ampliori Satrapiæ, eumque cum Toxile hoste suo reconciliavit, ac duas ibidem urbes condidit.

*Macedones ultra transire negant.*

Exinde Hydaspem, Acesinem, Hydraotem latissimos fluvios, trajicit, tandemque pervenit ad Hypasim, qui victoriarum ejus limes fuit. Negarunt enim ultra transire Macedones, & per Cœnum ducem id Alexandro significarunt. Audiit eorum preces primùm ut fortis Imperator, mox ut parens optimus, & in hoc se vinci à suis passus, qui hactenus fuerat invictus. Hîc igitur excitavit 12. aras, seu lapideas turres, delapsusque

*Vltimum vitæ discrimen adit ad Mallum.*

secundo flumine, debellavit Oxydracas, & Mallos, ad quorum urbem (quorum enim incertum est) ultimum vitæ discrimen adiit, solus inclusus in urbe, & omnium civium appetitus telis, quare hic gravia vulnera recepit. Vicit & Musicanum Regem, quem postea rebellem suspendi jussit, ac sævit in Brachmanas hujus rebellionis autores, nec iis sapientiæ nomen profuit, nisi ut graviùs mulctarentur. Regulus

*Iter Alex. laboriosus.*

quoque Pattalorum huic se dedidit, eumque commeatu juvit. Tandem suum divisit exercitum; pars data Nearcho quæ classe littus legeret: alteram ipse suscepit terrestri itinere per Gedrosiam, & Carmaniam deducendam. Quid autem passus sit hic terrâ, marique exercitus, credibile non esset, nisi ab Alexandro, ejusque militibus toleratum esse scriberetur.

*Harpalus fugit cum auro, & tandem cæditur.*

Harpalus interea, quem Alexander Babylonicis Thesauris, & Regiis vectigalibus præfecerat, cum quinque millibus talentûm, & sex millibus mercenariorum fugit in Græciam, ac primùm in Atticam venit, ubi auro corrupit Demosthenem: at eum populus urbe expulit, & corruptum 50. talentis damnavit, ac carcere: sed ex eo profugit. Harpalus eodem modo Antipatri, & Olympiadis vim effugit dolo, venitque ad suos per promontorium Tænarum, unde transmisit in Cretam, ubi ab uno ex amicis suis Thimbrone perfidiosè cæsus, vitam & thesauros proditor infamis amisit.

*Duo Coss. missi in Palæopolitas, & Samnites.*

Contra Palæopolitas, & Samnites missi duo Consules, Q. Publius, seu Publilius Philo secundùm in Palæopolitas, L. Cornelius Lentulus in Samnites, qui rem adeò benè gesserunt, ut finito magistratu, in iisdem locis, pro Consulari potestate retinendi viderentur.

OLYMP. CXIII. *ann.* 3. *Mundi* 3728. Urb. Cond. 428.

Redit in Persidem Alexander, ubi Cyri sepulchrum dirutum, direptumque videt, & graviter dolet: hujus facti Rex Orsines accusatus ab Eunucho, pœnas innocens exsolvit. Adit quoque Persepolim, ubi arcem incensam per temulentiam suam, & Thaidis procaciam impatienter tulit. Circa hoc tempus Calanus Indus autore Taxite Alexandrum secutus, cum ægrotare cœpisset, quod huic numquam contigerat, coronatus floribus, ac splendidè vestitus, more patrio in ignes insiluit, plus laudatus à Græcis, quàm hoc voluntarium parricidium exigebat.

Susa quoque venit Alexander, ubi præfectos multa se absente ausos castigavit, probos ac sanctos præmiis affecit. Hic duas uxores duxit Barsinem Darii natu maximam, & Parysatin Darii Ochi minimam, nam antea Roxane ejus uxor erat. Tum & Cossæos populos devicit, gentem invictam & hactenus Persis, aut cuique parere nesciam, quæ victoris omnium gentium jugum detrectare non potuit. Adiit & Alexander Ecbatana, ubi Hephæstionem, quem fratris habebat loco, egregium compotorem suum amisit ex Crapula, tum autem impensiùs luxit, & Babylonem deferendum curavit. Denique regressus est versus Tygridis Ostia & Opim urbem, ubi seditiones militum missionem postulantium audacius, oratione repressit & ferro. Pœnitentes autem, & magnâ animi demissione agnoscentes erratum suum, recepit in gratiam, & ex iis quos judicavit remisit in patriam; quando res exigebat aut fortis, aut facilis Imperator.

Eodem anno remissorum ab Alexandro octo millia emeritorum appellunt ad Tænarum Laconiæ promontorium, ubi homines jampriden ex rapto vivere soliti prædas agunt, & Laosthenem sibi præficiunt ducem, quibus se Athenienses quoque conjunxerunt. Opposuit autem s utrisque Antipater; motusq; is utcumque tun compressus, Alexandro mortuo excitatus, graviora mala Græciæ peperit docuitque, quan necessarius esset Alexander ad tot bellicosos homines in officio continendos.

Alexander Rex Epiri à Lucanis occiditur Delusus is fuerat ab Oraculo, admonitus ut sib caveret ab Acheronte fluvio, quare Epirum re fugiebat, per quam fluvius hujus nominis de currit. Sed alius cognominis in Lucania fluvius ad quam interemptus fidem vaticinio fecit ejusque dissolvit ambiguitatem.

Bellum denunciatum est Samnitibus, cùn Lucani, & Bruttii, Romanorum sese fidei com misissent. At mox Lucani per Tarentinos Romanis sunt abducti. Persuaserunt enim Lu canis quibusdam, ut mutuis sese flagris con scinderent, atque ita se mulctatos à Roman mentirentur. Cum fœdè lacerati populo app ruissent, bellum in Romanos decretum, pa cum Samnitibus revocatâ. Interea bellum à Pu blilio in Palæopolitas confectum, qui tande se victori dedidere priùs ejectis ingeniosè Sam nitibus, & Nolanis à quibus plus damni, & i

comm

commodi quàm ab ipsis hostibus patiebantur. Triumphavit de iis Philo, hocque primus honore donatus est, ut & ei prorogaretur imperium, & tantùm Proconsul, triumpharet.

OLYMP. CXIII. ann. 4. *Mundi* 3729. Urb. Cond. 429.

Alexander Craterum mittit in Græciam, ut res ibi turbatas componeret; ad se evocat Antipatrum, cui malè cum Olympiade conveniebat. Quæ res Antipatrum in eum furorem egit, ut de tollendo per venenum Alexandro cogitaret. Sed ultra voluntatem hoc venenum non processit, quidquid aliqui garriant de Stygis aquâ frigidissimâ Alexandro propinata; cujus criminis conscium etiam faciunt Aristotelem, quasi tanti viri ingenio, ad tantum scelus opus esset.

Idem Alexander à Chaldæis ingredi Babylonem prohibetur, proposito certissimæ mortis metu. Sed id ut faceret ab Anaxarcho, hæc irridente vaticinia, invitatus est. Quibus in consiliis hic sapientior, illi feliciores extitere.

Romæ Vestivis bellum indicitur. L. Furio Camillo ægrotante dictus est Dictator in Samnites L. Papyrius cursor, qui Magistrum equitum elegit Q. Fabium Maximum Rutilianum. Cum Papyrius urbem repetiisset revocatus augurio, prohibuit equitum magistro, se absente pugnare; hic tamen oblatâ occasione, pugnavit, & vicit. Dictator redux, cum ad mortem rapi jubet, sed interveniente nocte fugit reus Romam. Eum insequitur Papyrius, & pro potestate, eum mori jubet; tandemque exoratus Senatu, & universo populo, eum ægrè licet, multùmque tergiversatus tot precibus, & tam multorum concedit. Hoc tamen facto milites suos offendit, quibus Fabium denegarat, & minori alacritate ferebantur ad bellum; verùm eos lenitate suâ, & industriâ placavit, Samnites vicit, ac de iis triumphavit, qui prius de exercitu, de populo Romano, de se triumphare visus erat.

OLYMP. CXIV. ann. 1. *Mundi* 3730. Urb. Cond. 430.

Celebris est hic annus morte Alexandri Magni, distractoque ejus imperio. Cum igitur hic Babylonem reclamantibus vatibus, portentisque venisset, hic legatos omnium gentium, etiam Carthaginiensium, suscepit. Hic etiam Hephœstion justa persolvit, cujus in pompâ funebri duodecim millia talentûm feruntur impensa. Obiit porrò Alexander sicut ejus compotor Hephœstion ex intemperantiâ. Cum enim post convivium quo Nearchum exceperat, invitatus ad Thessalum Medium comessatum abiisset, ibique ad sequentem diem perpotasset, in febrim incidit, in quâ cum arderet siti, vinum ebibit, unde incidit in Phrenesim: in quâ tamen aut per lucidum intervallum, aut furens, annulum suum ad Perdiccam deferri jussit, ac paulò post interiit 28. Dæsii mensis qui Hecatombæoni Attico respondet, hoc est 9. Julii, ætatis suæ trigesimo tertio inchoato. Hujus corpus sine aromatis, sine tabe ad diem septimum servatum est, quò maximè veneni suspicio tollitur, quam unus Curtius, cæteris scriptoribus reclamantibus, movit. Vir egregii planè corporis & animi in quo fortitudo mentis, & artuum robur conspirarunt, neque laboribus fracta, neque periculis deterrita: quæ tamen una ebrietatis labe corrupta sunt, & eo vitio, quod in mediastinum potiùs, quàm in principem cadere solet.

Alexandro mortuo de ejus successore deliberatum. Et plerique in Perdiccam inclinabant, tanti erat apud Macedones, Alexandri etiam furentis judicium; sed ille hanc prærogativam modestiâ suâ, & tergiversatione perdidit. Creatur ergo Alexandri successor Philippus Aridæus, Alexandri ex Philippo frater ex Phylinnâ concubinâ, eique comes additur Perdiccas qui copiis præesset. Exinde imperium, cui par Aridæus non erat, in varias est distractum partes: Ptolemæo Lagi cessit Ægyptus; Seleuco Syria, & Babylonia; Antigono Pontus, & Asia; Aridæo & Antipatro denique, Macedonia, & Græcia, cæso Perdiccâ. Verùm hæc postea: hoc autem tempore factam inter Alexandri duces Satrapiarum divisionem, lege apud Siculum Bibliothecarium, quo nullus hanc distinctiùs, & accuratiùs protulit. *Dividitur Imp. Alex. Magni.*

Diogenes eodem anno, immò die quo Alexander obiit, ex quo Cynicorum secta profluxit, & nomen, vel ob impudentiam canibus affingi solitam, vel quod more canum illi morderent; quorum dentem ne Alexander quidem, vitare potuit, Hominum genus ambitiosæ, & affectatæ paupertatis, ac fastum divitem & honestum, abjecto & sordido fastu calcare solitum. *Moritur Diogenes Cynicus.*

Sigonius in hunc annum conjicit Dictaturam, gestaque Papirii, quæ nos in superiorem rejecimus: & fortè ad utrumque pertinent annum, ut Salianus credit, sicque dissidentes autores componit. *Gesta à Papyrio cursore.*

---

## CAP. IV.

## *Decas Quarta.*

*Ab anno* 3730. *ad* 3740.

OLYMP. CXIV. ann. 2. *Mundi* 3731. Urb. Cond. 431.

Græci in superioribus Asiæ partibus collocati jugum Macedonicum ejurant, & sui se esse juris edicunt: Missus est ab Aridæo Pitho, jussusque eos exterminare, eorumque bona inter Macedonas dividere; utrumque præstitum, licet Pithoni ultimum displiceret plurimùm, qui hæc sibi omnia cupiebat arrogare. *Græci exterminati in Asia.*

Rhodus quoque Macedonicum præsidium disjecit, sicque potentiæ suæ fundamenta posuit, cui Alexandri Magni duces aliquot pares esse nequierunt. *Rhodus sui juris effecta.*

Ptolemæus Lagi hoc anno Ægyptiaci regni possessionem adiit, octo millibus talentûm potitus, *Ptolemæorum in Ægypto regnum.*

titus, quibus Mercenariorum confecit exercitum, ut occupatum regnum humanitate, fortitudine defenderet. Hoc regnum accepit ex manu Cleomenis, viri improbi, ac avari, atque Ægyptiis infensissimi; quare statim subditis suis ob liberalitatem, humanitatem, virtutesque omnes gratissimus extitit. Erat is verè ex Arsinoë concubinâ Philippi filius, sed cum hæc uxor Lago tradita esset, apud eum peperit maturiùs, quàm ejus nuptiæ postularent. Ptolemæus porrò Perdiccam metuens in Ægyptum maximè incubantem, societatem cum Antipatro iniit, qui licet minùs, sibi tamen à Perdicca timebat. Erat autem Antipater implicitus Lamiaco bello, cujus originem supra indicavimus. Leosthenes octo millium mercenariorum Græcorum dux; vivente Alexandro, vix ausus attollere caput, eo sublato reliquos Græcos ad libertatem vocavit, ac sibi Thessalos equites adjunxit. Ab eo victus Antipater Lamiam oppidum Thessaliæ fugit, ubi statim est obsessus à Leosthene, sed in ea obsidione & eruptione Leosthenes ictu Saxi periit. Quem Hyperides (exulabat enim tum Athenis Demosthenes) oratione funebri laudavit. Huic successit Antiphilus, qui Antipatrum ursit vehementiùs. Itaque hic ad se cum copiis evocavit Leonatum ducem, quem Græci, solutâ obsidione vicerunt, potissimùm virtute Thessalorum equitum. Sed in hoc prælio Leonatus cæsus; copias autem ejus collegit Antipater, & suis adjunxit; in eo fortunatus quod & socium, aut fortè æmulum perdidisset, solus ingentes copias, ac Græcis resistere pares, habuisset.

*Lamiacum bellum.*

Samnites à Romanis pacem petunt, non impetrant tamen, nisi ad annum, inducias. Apulis tamen mox conjuncti eas contempserunt. Quare in utrosque missi Consules, C. Sulpitius Longus in Samnites, Q. Æmilius Ceretanus in Apulos effecerunt tantùm ne Romani sibi defuisse viderentur. Romæ autem derepente excitus pavor omnes ad arma excivit, nec hujus terroris vel autor, vel causa sequenti die inveniri potuit, quare is timor verè panicus fuit.

*Ro. cum Samnitibus inducia.*

*Terror panicus Romæ.*

OLYMP. CXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3732. 432.

Græci qui classem suam auxerant duce Eëtione Atheniensi cum Clito & Macedonibus bis pugnant ad Echinadas, bis vincuntur. Intereà effecit Demosthenes ut revocaretur ab exilio per Athenienses, à quibus sic acceptus est, ut non exul ex latebris, sed victor ex pugnâ redire videretur, populo universo ei obviam progresso, & fausta omnia apprecante. Sed statim rerum est facta conversio. Craterus enim ingentes Macedonum, Persarumque copias adduxit ad Antipatrum, qui Græcos inferiores copiis, ad Cranonem Thessaliæ compulit ad certamen, eosque profligatos pacem turpissimam petere compulit. Eâ singulatim datâ Græcis civitatibus omnibus, præterquam Atheniensibus, & Ætolis, quos Macedones oderant capitaliter. Hi dum inter se de bello consultant, in Athenienses cum suis omnibus copiis movet Antipater. Mittitur huic obviam Damades orator, ut pacem oret, hic nullam impetrat, nisi se fortiori dedant, & præsidium accipiant, unde intellexere Athenienses quid ab irato victore sibi esset expectandum.

*Revocatur ab exilio Demost.*

*Vincuntur Græci ab Antipatro.*

Imponit præsidium Munychiæ, ac duodecim millia civium (alii scribunt viginti duo millia) Athenis transfert in Thraciam, ut regioni utrique pleniori ac desertæ consuleret.

Antipater potitur Athenis. Tum oratores exules per Archiam quemdam, Phygadotheram ideò dictum, venatur, & indagat. Hyperides & Aristonicus ex Ajacis fano extracti, Cleonas ad Antipatrum missi, ubi cæsi sunt ambo, Hyperidi etiam lingua resecta. Tum in Calauriâ Neptunique hic fano latebat Demosthenes; is scribere ad amicos fingit, at extremum calami tinctum veneno exsugit, ac paulò post ad aram expirat. Vir potens linguâ, sed venalis, & amans patriæ, quantum sua commoda pertulere.

Eodem tempore parum acceptus Macedonibus Aristoteles ob nepotem suum Callisthenem Athenis fugit in Chalcidem Eubœæ, relicto hîc successore suo Theophrasto, ubi & venenum hausisse perhibetur, ob eamdem cum Demosthenes causam. Absit enim, ut hîc eum præcipitem agnoscamus in Euripum, quia ejus refluxus non capiebat causam; neque scorto suo thus in aris adolentem, quæ sunt ab ejus inimicis stolidè conficta. Is autem Bibliothecæ concinnandæ primus author fuit, idque Ptolemæum edocuit, ut deinceps litterati adjunctis sibi mortuis præceptoribus sibi magistri spirantes essent. Sic qui docuerat Alexandrum mund[i] dominum, factus publicus doctor orbis terrarum.

In Asia Perdiccas Ariarathem Cappadociæ Satrapam, quem in distributione Provinciarum prætermiserat Alexander, prælio devicit, ejusque Satrapiam Eumeni viro fortissimo, cui plurimùm confidebat, concessit magno suo pupillorumqu[e] suorum commodo.

In Africa Cyrenenses se Ptolemæo dedide[r]unt, ubi Timbronem Harpali socium, & pe[r]cussorem, per Ophellam copiarum Ægyptia[co]rum ducem cæsum esse victumque didicerun[t]. Ita Ptolemæi ditio extensa est ad Philænoru[m] aras, & extremum Carthaginiensis ditionis l[i]mitem.

Tum verò Perdiccam pœnituit modestiæ su[æ] & Alexandri speravit imperium divisum, q[uod] conjunctum occupare recusarat, maximè ex q[uo] Cleopatram sororem Alexandri duxit uxore[m] rejectâ Nicæâ Antipatri filiâ, sibi desponsatâ, u[n]de inimicitiæ tantùm occultæ, inter utrumq[ue] palam eruperunt. Eo tempore Antipater [&] Craterus Ætolos invadebant, qui desertis ca[m]pis, in montana secesserant inde Macedonas p[ro]pulsabantur. Verùm ad utrumque ducem cu[m] accessisset Antigonus eisque aperuisset consi[lia] Perdiccæ, appetituri mox Ptolemæum, ac [de]inde in eos arma victricia conversuri, cum Æ[to]lis raptim composuere fœdus, tamdiu dura[tu]rum, quamdiu res eorum dubiæ, & nutar[ent] exigerent.

Int[…]

Intereà Aridæus Alexandri Magni corpus jam per biennium apparatâ pompâ Babylone deducit in Ægyptum, cui cum exercitu occurrit *Ptolemæus* in Syriam, unde id comitatus est Alexandriam usque, ubi delubrum quasi Deo excitarat, ejusque exequias ludis omnis generis cohonestavit; hoc pacto Macedonibus propter grati animi significationem acceptissimus.

Hoc autem suorum gratia ei tum apprimè necessaria fuit. Tum enim à Perdiccâ gravi appetitus est bello, qui præmiserat ad Hellespontum Eumenem, ut Antipatrum, & Craterum aditu Asiæ prohiberet. Verùm hi jam cum suis copiis trajecerant. Adjuncti quoque sunt Eumeni, à Perdicca Alceta ejus frater, & Neoptolemus; sed hic, quod Eumeni subditus esset, deficere parabat ad Craterum. Verùm deprehensus, & pugnare compulsus, copiis omnibus amissis, cum 300. tantùm equitibus effugit. Tentatus quoque tum ab Antipatro, & Cratero Eumenes, sed hic constantissimè adhæsit Perdiccæ, commissoque cum iis certamine, victor evasit: Craterus excussus equo cespitante in turbâ oppressus est, Neoptolemus singulari certamine congressus cum Eumene victoriam perdidit, ac vitam.

Inter hæc Perdiccas in Ægypto non procul Pelusio castra posuerat, ubi irrito labore militem fatigavit suum, & ad oppidum cui Mons Camelus nomen est. Hæc loca cum frustra obsedisset pergit versus Memphim, ubi Nili alveum vado transiit. Sed in ea trajectione duo millia suorum cum multis impedimentis amisit. Itaque nocte cæsus est in tentorio à suis, invitatis à Pithone Duce, vel ut alii volunt, à Seleuco & Antigono. Tum quoque Perdiccæ soror Atalanta, uxor Attali, cæsa cum multis amicis; quæ cum accepisset ad Pelusium Attalus Classis præfectus, Tyrum profugit ubi Perdiccæ fautores excepit, & fovit, tam indignâ morte sublati.

Venit paulò post in castra Perdiccæa nuncius Eumenianæ victoriæ, qui si paulò maturiùs advenisset, vixisset Perdiccas. In hac rerum perturbatione Aridæus & Pitho Macedones alloquuntur, à quibus ambo sunt Regum tutores creati (erant hi duo, Hercules ex Barsyna, & Alexander Postumius ex Roxane, filii Alexandri Magni) Eumenes & Alcetas hostes judicati. Sic Perdiccas imperium quando occupare poterat respuit; cum invadere non potuit, magnis se tumultibus, & cladibus implicuit.

Romæ contra Samnites creatus Dictator A. Cornelius Arvina, eos magno prælio profligavit, in quo eorum Dux cecidit. Hac clade, & jacturâ fracti pacem petierunt, quam non obtinuerunt, nisi induciarum violentatum autorem Brutulum Papium traderent; quâ deditione quàm attriti essent, & ad quas angustias redacti viri superbissimi docuerunt.

| OLYMP. CXIV. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann.* 4. | 3733. | 433. |

Ætoli prout convenerant cum Perdiccâ Thessaliam invadunt, eamque populationibus cumulatis territant duce Menone: sed victi à Polysperconte, etiam ducem amiserunt. Tum Euridice Aridæi uxore, fœmina impacatissima tumultuante, Pitho tutela Regum sponte se abdicat, eique substituitur Antipater, qui Antigonum regiis copiis præficit. Hic contra Eumenem pergit cum Cassandro filio Antipatri, & magno exercitu, sed ingentibus quoque copiis adjungit fraudem. *Primùm* spargit libellos, qui centum talentis addicit Eumenis caput; sed à se emissos Eumenes ingeniosè confinxit, obtinuitque, ne unquam illiusmodi scriptis haberetur fides. Corrumpitur deinde Apollonides Equitum Eumenianorum præfectus, qui in pugnâ ad hostem transiit, atque Antigono victoriam dedit. Fugit Eumenes amissis octo millibus suorum, & impedimentis omnibus. Sed in fugâ reperit proditorem suum, quem suspendi jussit. Abstinuit quoque ab impedimentis Antigoni, quæ nullo negotio poterat occupare, clam monito ejus præfecto Menandro, ne sui prædâ graves minùs essent ad fugam idonei, & ut de Macedonibus, sine suorum offensione, benè mereretur. Tandem ad castellum Nora Cappadociæ minutissimum, pervenit atque & ibi plerisque suorum dimissis, paucos sed fortissimos retinet, & cum iis se munitione includit. Eò arctissimè obsesso Antigonus in Alcetam & Attalum convertitur, ac primo prælio utrumque vicit, Attalumque inter suos adscribit, inde pergit in Alcetam qui cum 600. Pisidis fugerat Termessum; verùm antequam is obsessus, à civibus dederetur, sibi conscivit necem: cujus cadaver Antigonus contumeliosè tractavit, hostis in eo parum fortis, qui aliàs generosissimus extitisset.

*am populantur.*

*Antipater pergit contra Eumenem.*

*Victus fugit Eumenes.*

*Obsidetur in castro Nora.*

Ptolemæus Lagides eodem tempore operâ Seleuci Nicanoris Phæniciam, ac Cælesyriam sibi vendicat; immò, si Josepho fides, Judæam, unde abduxit in Ægyptum captivorum centum millia, vel centum viginti millia, quorum armata triginta millia deposuit in præsidiis suis, reliquos vendidit servos, quorum plerosque ejus filius Philadelphus in 70. Interpretum gratiam liberos remisit in patriam.

*Ptolemæus suam ditionem extendit.*

Damades missus ab Atheniensibus ad Antipatrum eum rogaturus, ut præsidium Munychiâ deduceret, ab eo jussus est interfici cum filio, quasi proditionis reus. Plutarchus tamen eam cædem non Antipatro, sed ejus filio Cassandro tribuit. Idem Antipater jam senio gravis, accedente insuper morbo ad negotia parum idoneus, designat Polyspercontem Regum Tutorem, & αὐτοκράτορα, filium suum Cassandrum tantùm, sub eo χιλίαρχον; quæ electio juvenem graviter pupugit, & ad regnum Alexandri turbandum incitavit.

*Damades cæditur.*

*Polysperchon Regum Tutor.*

Romani ad furcas Caudinas gravem acceperunt cladem, cum luculentâ ignominiâ conjunctam. Hos enim cum duobus Consulibus T. Veturio Calvino, & Spurio Postumio Pontius Samnitium dux traxit in fatalem insidiarum locum propè Caudium vicum. Tum Pontius interrogavit Herrennium patrem, quid facto opus esset? Respondit sapienter aut omnes interfi-

*Clades Ro. ad Furcas Caudinas.*

terficiendos ut hoſtes, aut intactos dimittendos, ut amicos. Neutrum præſtitit Pontius ſed omnes exarmatos & ſeminudos ſub jugum miſit; ita dicuntur tres haſtæ quarum una duabus ſuperpoſita eſt inſtar portæ. Hanc conditionem L. Lentulus legatus admittendam putarat, & è Rep. ac patriæ charitate eſſe probaverat, tum multos etiam ignominiosè ſervari. Redierunt ergo omnes dedecoris pleni, primò Capuam, deinde Romam latebras quærentes. Juſſi ſunt tamen Conſules à Senatu Dictatorem dicere, qui comitiis præeſſet, quod & factum, dum Roma ſe ad relinendum dedecus fortiter juxta, ac ſapienter parat.

OLYMP. CXV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3734. 434.

*Olympias Regum Tutrix.*

Mortuo Antipatro Polyſpercon (quam maxime nolebat Antipater) Olympiadem ad Tutelam Regum invitat. Caſſander ob eam cauſam paternos amicos incitat in Polyſpercontem, & injuriam ſibi, patrique factam exaggerat. Invitat & ad partes ſuas Ptolemæum, invitat & Antigonum, qui ſtatim paratior viſus eſt, quia multùm ex eâ diſſenſione ſperabat. Igitur ut meliùs ſuis proſpiceret rebus Antigonus Eumenem obſeſſum modis omnibus ſibi devincere parat. Tandem cum eo bonis conditionibus paciſcitur: verùm Eumenes tractatum fortiter mutavit, adſcripſitque utrumque Regiæ familiæ modis omnibus proſpecturum, quod nolebat Antigonus: Sed quid ageret? emiſſo jam, vel evolaturo per vim Eumene.

*Eumenes ſolvitur.*

*Eumenem inſtruit Polyſpercon in Antigonum.*

Pollyſpercon igitur nullo negotio Eumenem pertrahit ad ſuas partes, jam Regiæ familiæ quam amabat impenſiùs, alligatas. Eum itaque pecuniis egregiè inſtruit, ac milite ut jam par Antigono poſſet eſſe, qui ſe jam Ptolemæo, & Caſſandro adverſus illum conjunxerat. Ad eum igitur quaſi jam Aſiæ Imperatori deſignato mittit Argyraſpidas mille, ducibus Antigono, & Teutamo, quos etiam illi Sacramento obſtringit. Hi ſeſe Eumeni conjunxere in Ciliciâ, in quam migrarat ex Cappadocia, ubi eum magno exercitu per ducem Menandrum opprimere moliebatur Antigonus. Porrò Eumenes delati ſibi honoris declinaret invidiam, Alexandri Thronum in caſtris ſuis collocari juſſit, quaſi is viveret, & imperaret, cujus ipſe tantùm legatus, ac vicarius eſſet; ut ſi quid boni ageret, Alexandri fortunæ, umbræque tribueretur. Inſuper quingenta talenta ſibi à Polyſperconte miſſa accepit quidem, ſed ſtatim in milites ſuos effudit quâ liberalitate ita ſibi devinxit omnes, ut fruſtra adverſus tam bonum Imperatorem ab Antigono, Caſſandroque ſollicitarentur.

*Eumenes prudenter declinat invidiam.*

*Ro. dedecus ſuum ad Caudium relinunt. Poſtumius ex ſententia ſua traditur Samnitibus.*

Romani acceptam anno ſuperiore ignominiam eluere conati ſunt, creatis duobus Conſulibus Q. Publilio Philone, & L. Papyrio curſore, omni exceptione digniſſimis. Poſtumius Exconſul ſententiam rogatus, oſtendit pacem cum Samnitibus antiquandam eſſe eorum deditione qui eam feciſſent, cujus in ſententiam frequens Senatus iit. Itaque Poſtumius author hujus opinionis ejuſque collega pacis Caudinæ ſponſores, vincti per Feciales traditi ſunt Samnitibus, qui tamen eos ſolutos remiſerunt in caſtra Ro. Papyrius Luceriam obſedit, in quâ ſervabantur 600. equites turpis obſides fœderis; Philo in Samnio reſtitit; contra hunc pugnavere Samnites, ſed victi Luceriam receſſere. Pugnatum iterùm ad Luceriam, fruſtrà pugnam inhibere conantibus Tarentinis; iterùm victi Samnites, capta eorum caſtra, in omnes acerbè ſævitum, nec animantibus quidem parcitum. Tandem Papyrius inhibuit cædem, ne 600. Equites, ex deſperatione hoſtium, periculum adirent. Luceria ergo fame compulſa ſe dedidit, remiſſi equites, ſeptem millia Samnitium ſub jugum miſſa, & inter eos, uti ſcribitur, Pontius; Papyrius in annum ſequentem iterùm creatus Conſul, Romani, quorum id maximè intererat, ſibi factum eſſe ſatis putaverunt.

OLYMP. CXV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3735. 435.

Hoc anno Græca tacere videtur Hiſtoria. In hunc tamen annum commodè rejicias conſilium Olympiadis petitum ab Eumene, utrùm ipſa rediret in Macedoniam, an in Epiro ſubſiſteret. Reſpondit ille ſapienter. Si rediret in Macedoniam injuriarum penitùs oblivîſceretur; ſecus hæreret in Epiro. Neutrum illa præſtitit; venit in Macedoniam, & in eos, à quibus offenſa erat, muliebriter & graviter deſævit, quò multorum malevolentiam, ac demum ſibi conſcivit interitum.

Q. Æmilius Ceretanus Conſulum alter Ferentanos uno prælio devicit, & eorum urbem in quam ſe fugâ receperant in deditionem accepit, obſidibus imperatis. Conſulum alter L. Papyrius Satricanos, qui ad Samnites defecerant, ſolo aſpectu terruit, & vix admoto ad eorum muros exercitu. Itaque Conſulem orarunt ut reciperentur in gratiam, ſimulque admoverunt de horâ noctis, quâ Samnitium præſidium, urbe excederet. Id à Papyrio poſitis inſidiis deletum; qui per aliam portam ingreſſus quæſtione habita defectionis autores virgis cæſos ſecuri percuſſit, civibus ademit arma, præſidium impoſuit urbi, triumphum obtinuit, licet in hoc bello plus induſtriæ, quàm fortitudinis oſtendiſſet.

OLYMP. CXV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3736. 436.

Nicanor miſſus à Caſſandro, Menylli loco, quem Antipater Munychiæ præfecerat, eam retinet, orantibus Athenienſibus, ut hoc ſibi jugum excutiat acquieſcit, inſuper & Pyræum occupat, eorumque legatos ad Caſſandrum ablegat.

Alexander Polyſpercontis filius in Atticam mittitur; ad eum confugiunt Phocion, aliique legati, à populo Athenienſi capitis damnati, quaſi Munychiam, Pyræumque prodidiſſent. Eos ipſe commendavit patri; quem cum adiiſſent Athenienſes, Phocionem ille & ſocios comprehenſos in vinculis Athenas mittit, ut populo gratificaretur, eumque ad partes ſuas pelliceret. Hîc non auditus Phocio cicutam bibere cogitur, qui moriens id unum commendavit filio, uti acceptarum à populo Athenienſi injuria-

injuriarum oblivisceretur; vir meliori civitate, ac tempore dignus.

Redit tum ex Antigono Cassander cum classe 3. triremium, & quatuor millibus armatorum, *Pyræumque subit: ad eum obsidendum Polyspercon Alexandrum filium suum mittit, dum ipse Megalopolim in Peloponneso obsidet. Mittit & Clitum classis suæ præfectum, qui se conjungat Aridæo, ut ambo impedirent Antigoni ex Asia transitum. Clitus primùm feliciter pugnat: mox Antigoni supervenientis industriâ superatur, exutusque classe, dum etiam relictâ navi fugit in Macedoniam, à Lysimachi militibus deprehensus, etiam perdidit vitam.

Eumenes Antigonum fugiens non sine periculo versus Babylonem iter intendit, indeque devenit in Persidem, Antigono in via malè accepto, ubi & recreavit copias suas per hyemem; Hic novum exercitum confecit, vir & hosti, & fortunæ cedere nescius, sed nimium suæ virtuti, causæque confidens.

Multæ civitates Græciæ, agnitis conatibus irritis Polyspercontis ad Megalopolim, ab eo ad Cassandrum deficiunt. Tum Athenienses egerunt de pace cum eodem Cassandro his conditionibus, ut is Munychiam cum præsidio teneret, donec Polyspercon debellatus esset, ejus arbitrio præfectus urbis deligeretur, abrogatâ Democratiâ. Selectus est Demetrius Phalereus filius Phanostrati, qui nuper cum Phocione damnatus fuerat. Is pacificè ac sapienter urbem administravit annis decem, & acceptus Cassandro, nec populo gravis. Tum Nicanor victricem de Clito classem reduxit in Pyræum, multis muneribus & honoribus affectus à Cassandro; unde cum insolesceret, & Munychiæ suæ, cui præerat, nimium confideret, Cassandri artibus interceptus & cæsus ostendit, plus posse quam Dominus suus velit, numquam periculo carere.

Eurydice uxor Aridæi, mulier fortior quàm patiebatur sexus, & militaribus etiam artibus erudita, videns à Polysperconte revocatam Olympiadem ex Epiro, cum Alexander Roxanes filio, ex Peloponneso revocat Cassandrum in Macedoniam, & fortissimos quosque Macedonum muneribus & promissis ad suas partes allicit. Polyspercon adjuncto sibi Æacida Rege Epirotarum, contra Eurydicem movet. Macedones Olympiadem reveriti, memoresque Alexandri Magni ad eam transeunt; itaque desertus capitur Aridæus, & paulò post Eurydice dum fugit Amphipolim. Utrumque Olympias in ducum carcerem compingit; Philippum etiam Thracum jaculis configendum curat; ad Eurydice verò mittit gladium, laqueum, & cicutam, ut mortis eligat genus; at hæc ne hostis suæ arbitrio moriatur zonâ suâ se suspendit, similia dona Olympiadi imprecata. Neque in fœmina impotenti finis sæviendi fuit: Nicanorem enim Cassandri fratrem occidit, centum Macedonas primarios viros Cassandri amicos selegit, quos omnes trucidari jubet, ut jam non regnare, sed furere; nec Alexandri mater, sed ex inferis furia extitisse videretur.

Samnitium plerique legati fœdus à Romanis poposcerunt: hoc negavit populus; ad quem erant remissi, datæ tamen annorum duorum induciæ, ut eorum voluntas, animusque probarentur. In Apulia L. Plautius Venox Consul accepit obsides à Theanensibus, & Canusinis, quos crebris populationibus vexatos ad officium sanamque mentem revocavit. *Samnitib suspensa pax.*

OLYMP. CXV. *ann.* 4. *Mundi* 3737. Urb. Cond. 437.

Agathocles Carcini Rhegiensis filius, ibique figlinam edoctus à patre, sæpe ob fortitudinem & industriam Imperator creatus, tyrannidem occupavit, & ostendit illiberales quantumvis artes, nequaquam fortes animos deprimere. *Agathocles Tyrannus.*

Eumenes, ut Polyspercontis mandata exhauriat, mittit legatos ad Pithonem Mediæ, & Seleucum Babyloniæ Satrapas, ut sibi adsint contra Antigonum. Recusant illi, immò Argyraspidas sollicitant de rebellione: frustra tamen. Itaque adversus utrumque Eumenes progreditur versus Susa. Hîc adit discrimen ad fluvium Tigrim, veteri à Satrapis alveo refosso, & factâ inundatione non expectatâ: sed demum perfunctus hoc discrimine, per inducias cum Seleuco fluvium transit. Monetur tamen Antigonus, ut citò contra Eumenem non satis paratum accurrat. At ille se jam sex Satrapis adjunxerat. Inter quos eminebat Peucestes Persidis præfectus, olim Magni Alexandri corporis custos. Itaque Antigonus subsistere cogitur, & majores conficere copias, quibus tam forti, tam fortunato duci resisteret. *Eumenis res præclarè gestæ.*

Theates ad novos Consules accedunt fœderis gratiâ, rogantque ut impertiantur pacem toti Apuliæ; quod & factum, omnesque ejus urbes in ditionem populi Romani acceptæ. Tarentum quoque venit in potestatem Consulis C. Junii Bubulci. Inde Lucani appetiti bello, resque adversus eos feliciter gesta, Romanis jam non armis modò, sed solo nomine metuendis. *Romani Apuliam pacant.*

OLYMP. CXVI. *ann.* I. *Mundi* 3738. Urb. Cond. 438.

Antigonus, initâ cum Seleuco, & Pithone societate, Tigrim fluvium junctis navigiis transire parat; at eum transmittentem eam partem fluminis quæ Pasitigris dicitur, Eumenes tam malè accepit, ut alveum cadaveribus repleret, & militum ejus quatuor millia caperet. Itaque victo similis Antigonus pergit in Mediam, ubi operâ Pithonis ejus recreatur, & augetur exercitus. Progreditur ergò adversus Eumenem. Hic licet ægrotaret, adeò tamen scitè ex lectica ordinat exercitum, ut Antigonus miraretur? pugnatur ancipiti Marte, tota die; plus tamen ex Antigoni parte cæsi, Eumenes potitus est regione opulenta Gabiene, quam uterque prensabat exercitus, ex condicto ambo duces sepeliunt suos; quando Ceneus Indus mortuus rixam inter duas uxores suas excitavit, ultra cum marito, more patrio viva cremaretur; reservata prægnans, plus doloris ex hoc judicio, quàm ex partu toleravit. *Eumenes vincit Antigonum.* *Eumenes æger prudenter pugnat.*

In

*Olympias obsidetur ab Cassandro, & dedita caditur.*

In Græcia Cassander auditâ morte Aridæi & Eurydices, itemque fratris sui, & amicorum, relictâ Tegeæ obsidione venit in Macedoniam, & Pidnam in quam se receperat Olympias, cum Roxane, & Alexandro, obsidione premit, ac Polysperconcis plerosque milites muneribus in suas partes trahit. Æacides Epirota veniebat opem laturus Olympiadi, sed seditione suorum revocatus est, quorum plerique se Cassandro dediderunt. Itaque rerum omnium indiga Olympias sese dedidit, unum rogans, ut in publico cœtu Macedonum judicaretur. Sed à propinquis occisorum in gratiam Cassandri jugulata, pœnas dedit intempestivæ crudelitatis.

*Cassander sperat imperium Alexandri M.*

Tum Cassander Thessalonicem sororem Alexandri Magni duxit uxorem, in spem futuri regni. Roxanem cum filio claudit Amphipoli sublato regio cultu: Aridæum & Eurydicem regio more sepeliri jubet; Alexandrum Polysperconcis filium in Peloponneso persequitur, ubi se multæ illi civitates dedunt, ejus potiùs fortunâ, quàm amore pertractæ.

*Samnites rebellant.*

L. Æmilius Dictator Satriculam urbem adortus Samnites concitavit, qui magnis copiis obsidionem illam abrumpere conati sunt; sed & repressæ Satriculanorum eruptiones, & Samnitium aggressiones. Itaque hi repulsi Plistiam Romanorum coloniam tentarunt, ut vicem reponerent Satriculam obsidentibus.

OLYMP. CXVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3739. 439.

*Agathocles repellitur à Mamertinis.*

Agathocles hoc anno Mamertinis insidiatur, quos sibi subjicere parabat; sed ii paratiores, atque cautiores eum infectâ re abire compulerunt.

*Cassander restaurat Thebas.*

Cassander Thebas restaurat ab Alexandro ante annos 20. excisas: condidit & de suo nomine Cassandriam in Macedonia, ut se non tantùm bello, sed & pace quoque illustrem testaretur.

*Rhodus eluvione aquarum afflicta.*

Rhodus eluvione aquarum magna ex parte hoc anno concidit, quæ nascentem hujus urbis potentiam propemodum elisit, eamque multorum principum objecit cupiditati.

*Pugna Eumenis, & Antigoni.*

Eumenianos dispersos, neque ex militari disciplina viventes per hyemem invadere conatur Antigonus, decem tantùm diebus ab iis dissitus: verùm ejus consilia per Eumenis industriam discussa sunt. Itaque paulò post venitur ad decretorium certamen, in quo Antigonus per equites suos Macedonum impedimenta malè servata diripienda curat. Peucestes Persidis Satrapa, ex condicto cedit Antigono, & cum 1500. equitibus fugit, sicque Eumenianus est dissipatus equitatus; Argyraspides pedestri certamine vicerunt. Collecto equitatu volebat iterum Eumenes confligere, sed id à suis obtinere non potuit, quibus tantùm precariò imperabat: immò Argyraspides ob amissa impedimenta uxoresque ac liberos suos, contra ipsum conjurant, legatos ad Antigonum mittunt, huicque Eumenem victum tradunt.

*Vincitur Eumenes, & proditur à suis, Antigono ac caditur.*

Eum servare cupiebant Demetrius & Antigonus, sed inhibuere proditores: quare tridui domitus fame, immisso percussore necatur anno ætatis 45. Ejus reliquias inclusas in theca argentea remisit Antigonus ad uxorem & liberos in Cappadociam, & quem vivum timuerat, mortuum amavit: in ejus enim gratiam Hieronymo Cardiano Historico ejus comiti donavit vitam. Inde Ecbatana reduxit exercitum, ubi Antigenem Argyraspidarum ducem inclusum in loculo vivum exussit, & turbulentissimos Argyraspidarum Arachosiorum Satrapæ per Bellerophonteas litteras commendavit, variis scilicet, & periculosis belli casibus exterminandos. Præterea Pithonem in Media rebellionem meditatum, ad se pellectum interemit; Peucestem Persidis Satrapiâ exuit, atque ita se gessit, quasi non hostem Eumenem, sed hominem sibi conjunctissimum ulcisceretur, amans proditionis, proditoribus infensissimus.

Paulò post Antigonus confectis in Susiana talentis viginti quinque Babylonem venit. Hic Seleucus Satrapa eum excepit ut Regem, universumque ejus exercitum convivio. Sed cùm ab eo Antigonus administrationis, & vectigalium rationem exegisset, veritus parem cum sociis suis casum, fugit cum equitibus 50. ad Ptolemæum, quem adversus illum incitavit, & in societatem quoque traxit Cassandrum, & Lysimachum, quos jam nimia Antigoni potentia percellebat. Solvens igitur Seleucus cum classe centum navium ex Ægypto, Antigono bellum indicit. Aliunde Alexander filius Polysperconcis spe Peloponnesiacæ præfecturæ ad Cassandrum deficit, cujus Dux Apollonides Arcadiæ civitates subjugat; sed eodem tempore Cassander nisi liberas Græciæ civitates relinquat hostis declaratur; & Ptolemæus huic quoque urbium libertati decreto suo favet, quo facto sibi Græcos impensius conciliavit. Tunc etiam Polyclitus Dux Seleuci, Antigoni classem, imò & terrestrem ejus exercitum dolo circumvenit, & Seleuciani dominatus quodammodo fundamenta jecit.

Romæ Consules duo L. Papyrius quintùm, & Q. Publilius Philo quieverunt, ac bellum Samniticum à Q. Fabio Dictatore gestum. Ejus equitum magister Q. Æmilius Ceretanus illi rependit vicem, & contra ejus imperium pugnavit, sed infeliciùs quàm olim ille sub Papyrio Dictatore fecerat; nam hic victor interfectus est Æmilius. Novus itaque magister Equitum, cum novis copiis ad Satriculam venit. Samnites Plistiæ obsidionem redintegrant ac vi capiunt, dum Satricula ad deditionem compellitur. Inde movet Dictator in Soranos, qui ad Samnites defecerant; ubi iidem Samnites, industriâ Fabii inter duas acies conclusi magnam huic victoriam, cum plerisque suorum mortuis reliquerunt.

OLYMP. CXVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3740. 440.

Agrigentini, aliæque Siculæ civitates Agathoclem bello petunt, & à Lacedæmoniis Acrotatum Cleomenis filium obtinent: Verùm quia se is gerit impotentiùs exautoratur, atque remittitur. Itaque Agrigentini cum Agathocle pacem faciunt: Hic industriâ suâ, ita res promovet,

movet, ut non jam tyrannide, sed magno imperio dignus haberetur.

Antigono denunciant bellum Ptolemæus; Cassander, Lysimachus, nisi sibi provincias aliquas relinquat, & secum thesauros Eumenianos partiatur. Ille legatis eorum ferociùs respondet, seque Olympiadis ultorem profitetur, & Alexandrinæ familiæ fautorem, ac vendicem; quæ Amphipoli captiva detinebatur. Insuper Aristodemum Milesium ad Polyspercontem mittit cum mille talentis, ut hic cum Alexandro filio Cassandrum bello petant; quod & mox fecere. Alexander tamen spe Peloponnesi præfecturæ, relicto patre ad Cassandrum defecit, huicque devincit Dimæos qui adversus eum rebellarent. Sed Alexander à Sycinio quodam proditore necatur; ejus tamen uxor Cratesipolis virilis animi fœmina, sic ejus rexit exercitum, ut is non maximè Alexandrum desideraret.

Cassander prætereà Acarnanas sparsim vivere solitos colligit, & opponit Ætolis, quos Aristodemus Antigono conciliarat. Leucadem insuper capit, & devincit Illyriorum Regem in se ab inimicis concitatum. Sed cum abesset Cassander distractus Illyrico bello, Acarnanes ab Ætolis superati contra datam fidem jugulati sunt. Neque Europæis contentus rebus Cassander in Cariam quoque misit auxilia contra Antigonum; at hic relicto in Syria Demetrio filio cum veteranis militibus, uti Ptolemæum vexaret, in Asiam proficiscitur, quam Cassander tentabat bello. Misit quoque Ptolemæum ex fratre nepotem, qui Cassandri copias ejiceret ex Cappadocia, eumque ipsum in Asiam transgredi volentem ad Hellespontum prohiberet. Ita Magni Alexandri, ab ejus Ducibus lacerabatur imperium.

Mortuus est hoc anno Xenocrates ætatis 82. cùm Academiam rexisset annis viginti quinque; vir amans patriæ, & in respuendis voluptatibus durus, quem sui sæculi Phryne meretrix formosissima in ejus lectum à discipulis immissa, non hominem, sed saxum, aut statuam dicebat esse. Munera sibi ab Alexandro Magno submissa respuit dicens, regibus pecuniâ, non Philosophis opus esse. Obiit autem cùm noctu in sartaginem impegisset, firmis adhuc viribus, ejus indicibus temperantiæ.

Sora à Consulibus C. Sulpitio, & M. Pætelio, civis cujusdam perfidiâ, arce occupatâ, capitur 235. autores cædis colonorum, & defectionis Romam missi, virgis cæsi, in foro securi percussi sunt. Luceria quoque à Samnitibus prodita, sed mox vi à Consulibus recepta, cum Lucerinorum, & Samnitium internecione, in quam missi coloni bis mille ducenti, & purgarunt urbem, & hic utilissimi contra hostes extiterunt.

Capuæ quoque conjuratio primariorum civium detecta est. Ad eam penitus comprimendam missus C. Manius Dictator, rem ita sopiit, ut quidam præ metu sibi manus inferrent. Accesserunt eâ spe Caudium Samnites, ut Capuam tumultuantem occuparent: eos igitur invadunt Consules, & ex iis triginta millia cædunt reliqui Beneventum, verè tum illis, ut olim, Maleventum, fugerunt.

---

## CAP. V.

## *Decas Quinta.*

### *Ab anno* 3740. *ad* 3750.

OLYMP. CXVI. *ann.* 4. *Mundi* 3741. Urb. Cond. 441.

*Tyrus reddita Antigono.* TYRUS jam anno superiori obsideri cœpta (quindecim enim mensibus, ab Antigono tentata est) hoc demum reddita est, magno Ptolemæi dolore; qui hujus urbis jacturâ non tantùm Syriam, & Phœniciam, sed & imperium maris, cujus domina semper Tyrus fuit, amittebat.

*Antigonus & Cassander sibi nocent.* Antigonus in Peloponnesum Teleschorum ducem mittit qui Græciæ libertatem reddere conaretur; sed Cassander, cujus plurimum intererat, eam totis viribus impedit. Vicissim ille obtinuit urbes Cariæ; hoc, quia longius dissitus erat, nequicquam prohibente.

*Æacides Rex cæsus.* Epirotæ tum quoque superati a Philippo duce Cassandri, non tantùm victoriam, sed & regem suum Æacidem perdiderunt, tum interemptum; virum variam expertum fortunam & anceps imperium, multisque exercitum curis.

*Libo Dictator rem benè gerit.* Romæ creatus Dictator C. Pœtilius Libo sub quo arx Fregellana à Samnitibus capta ac noctu deserta, audito Dictatoris adventu, sine sanguine recepta est, huicque validum præsidium impositum est tam utile imponentibus, quàm accipientibus perniciosum. Inde Nolam venit Libo, cujus suburbia primo impetu succendit, mox etiam eam cepit, & milite Romano firmavit. *Coloniæ variæ deductæ.* Tum etiam deductæ coloniæ Suessa ad Auruncos, Pontia ad Volscos, item inter amnum, & Casinum, omnes Romanæ potentiæ, & amplitudinis monimenta.

OLYMP. CXVII. *ann.* 1. *Mundi* 3742. Urb. Cond. 442.

*Agathocles Messanam occupat, & tuetur Siciliam in Pœnos.* Agathocles Messanam occupat, cui jampridem imminebat. Aliunde Pœni Siciliam invadunt atque in eo Punico more desæviunt, in ea cladium acceptarum memores. Hos tamen Agathocles repressit, dum priùs Dinocratem exulum vicisset ducem. Jam enim Siciliam tuebatur ut suam, nec eam vexari sinebat, quam cogitabat opprimere.

*Æacidæ succedit Alcetas.* Æacidæ demortuo succedit Alcetas, quicum Cassander fœdus init: nec enim oderat Epirotas, sed Æacidam Olympiadis fautorem; quo sublato, ejus quoque odium deferbuit.

*Antigonus favet Græcis.* Antigonus per duces suos pluribus Græciæ civitatibus libertatem tribuit; sed ipse dum in Macedoniam transire contendit, rejicitur; per duces suos, quàm per seipsum humanior, & fortunatior.

*Res à Ptolemæo prosperè gestæ.* Ptolemæus deficientes Cyrenæos, & Cyprios suum detrectantes imperium, vi subigit.

In superiori quoque Syria, ac Cilicia res ei prosperè successerunt ob singularem humanitatem quæ militem ad omnia pericula paratum efficiebat. Hæc cum accepisset Antigoni filius Demetrius, ut suis opitularetur magnis itineribus in Ciliciam contendit: sed eos jam oppressos invenit, nihilque ex illa expeditione retulit, quàm ut militem suum fatigasse videretur. Tum etiam Seleucus se cum Ptolemæo conjunxit, ut communibus copiis Demetrius invaderetur. Educta sunt ex Ægypto duodeviginti peditum, equitum quatuor millia, & ad Gazam Palæstinæ hic consedit exercitus. Adfuit illicò Demetrius majori animo quàm copiis instructus, & monebatur à suis ut traheret bellum, ne aleæ unius certaminis committeret rem patris, ac suam, at annorum duorum & viginti juvenis, pugnavit, & tantâ attritus est clade, ut quindecim millia è suis perderet, octo millia Ptolemæi copiis contribuerentur. Amisit eodem impetu Gazam, quam victor hostis cum fugitivis subiit; quare noctu cum multa trepidatione, & periculo confugere coactus est Azotum. Quando non tantùm acie, sed & liberalitate superatus est à Ptolemæo. Hic enim petenti suorum corpora ad sepulturam, non modò faciliter indulsit, sed etiam supellectilem regiam in prælio captam, & plerosque ex aulicis captivos perhumaniter reddidit, ac laudem, & gratias expressit ab hoste. Exinde victor Phæniciæ urbes, etiam Sidonem, & Tyrum recepit. Eam urbem cùm antea emere ab Andronico præfecto voluisset, & ab eo repulsus esset cum contumelia, is cùm postea ob seditionem civium venisset in Ptolemæi manus & procacitatis suæ pœnam expectaret, non modò nihil mali passus est, sed & inter amicos principis ob egregiam fidem adscribi meruit. Sed non ita multò post adversam fortunam Ptolemæus expertus est: Cùm enim misisset Cillenum, seu Cillen Macedonem cum magnis copiis ad Demetrium Cælesyriâ ejiciendum, dux ille captus est vivus injuriâ suâ, totusque exercitus ad Demetrii partes transiit. Ad hæc superveniens in auxilium filii Antigonus Phœniciam sine certamine recepit, Ptolemæo sapienter detrectante prælium, ne Ægyptus vicina periclitaretur. Tum autem Antigonus misit in Arabas Athenæum, qui principio se bonum ac strenuum ducem præbuit, sed victoriis suis nimium confidens, ab expeditissimis hostibus oppressus est. Cum iis tamen amicè composuit Demetrius, quod ejus parens vehementer improbavit, utpote non satis ex Macedonica dignitate.

*Victus Demetrius à Seleuco & Ptolemæo.*

*Ptolemæi humanitas in hostem.*

*Ptolemæi res adversæ.*

*Athenæus Dux Antigoni oppressus ab Arabibus.*

Interea Seleucus acceptis à Ptolemæo peditibus octingentis, & ducentis equitibus, auctusque in itinere copiis Mesopotamenis Babylonem venit, junctusque amicis quot per quadriennium ac tempora suæ præfecturæ, sibi devinxerat humanitate, occupavit Arcem. Huic occurrens cum magnis ex Media copiis Nicanor, dum ad Tigrim negligentiùs sedet, interceptus à Seleuco, fugere compulsus est in deserta loca tantusque exercitus ad victorem totus transiit. Inde humanitate, & liberalitate sibi innatis, quas tamen ex Ptolemæi societate auxerat, Mediam & Susianam suis partibus adjunxit. Quæ cum didicisset Antigonus filium suum cum magnis copiis Babylonem mittit imperans, ut statim compositis rebus ad mare descenderet. Demetrius itaque vacuam præsidiis urbem ingreditur ac diripit, ut ejus defectionem ad Seleucum ulcisceretur. Arcium unam obsessam reliquit. Quo pacto Seleuci firmavit imperium abalienatis Babyloniorum animis, quorum plerique favebant patri; nunc autem efferati bonorum suorum rapinâ sese Seleuco tradiderunt. Itaque verè in hoc tempus Æra Seleucidarum cadit, de qua satis in Prolegomenis diximus.

*Seleucus occupat [illegible] ... sanore.*

Bellum Samniticum hoc anno ab utroque consule ita gestum est, ut profligatum dici posse videretur: cum Etrusci belli famâ, ægrotante P. Decio Mure Consule, & collega ejus Valerio Maximo, Dictator dicitur C. Junius Bubulcus. Sed neuter populus egressus est ex finibus suis, dum neuter inferre bellum, uterque depellere conaretur.

Celebris quoque hic est annus Appii Claudii censurâ, viâ, & aquâ. In ea collegam habuit C. Plautium, alii L. Claudium, alii C. Fabium Venocem, ob venas incisas vocant. Hic collegâ suo longè modestior abdicavit se Magistratu, ob infamem Senatus lectionem, & libertinos inter Patres adscitos, sperans eumdem quoque abdicaturum; sed Appius duriori fronte in censura perseveravit, donec viam illam Appiam nominatissimam à porta Capenâ Capuam usque magnis lapidibus stravisset, & aquam Anienis per 80. stadia in urbem induxisset. Tum Potitia gens extincta, ob sacra aræ maximæ Herculis servis publicis communicata, Romanos servandæ religionis admonuit.

OLYMP. CXVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3743. 443.

Agathocles ad Himeram fluvium tanto prælio victus est à Pœnis, ut de eo actum esse ab hostibus, & Siculis crederetur. Sed ex ea clade resumpsit animos, eamque anno sequenti cum fœnore victori reposuit.

Cassander, Ptolemæus, Lysimachus cum Antigono conveniunt, & Macedonicum imperium inter se partiuntur. Cassander recturus erat Macedoniam donec Alexander filius Roxanes idoneus esset ad regnum capessendum, Lysimachus Thraciam, Ptolemæus Ægyptum & vicinas Africæ Provincias administraturus erat; Antigono reliquum cedebat, Græcis in libertate relictis. Nulla tum Seleuci mentio facta; quia pax ista per Antigonum in ejus tantùm perniciem erat conflata. Verùm cùm Cassander Alexandrum per Glauciam custodem obtruncasset, dum quisque consulit sibi, Seleucus jam par Antigono, Macedonici quoque imperii partem non desperavit.

Romæ Consules inter se Provincias sortiti sunt: Q. Æmilio Barbulæ Etruria, C. Junio Bubulco tertiùm Samnium obtigit. Hic Cluniam urbem recepit, in qua Romani dedititi verberibus erant enecati; quare hic inventi Sam-

Samnites omnes puberes enecati. Inde Bovianum ditissimum regionis oppidum, prædâ militi concessâ, expugnat; unde plus auri, & divitiarum, quàm ex toto Latio egestum. Postea in saltuosis locis deprehensus Romanus fortitudinem auxit ex periculo, Samnitium 20. millia cecidit, eorumque spolia legit. Ad Sutrium obsessum pugnavit Æmilius, ubi obstinatissimè certatum, nox pugnam diremit; Romani multi in acie, plures ex vulneribus interierunt; tum quoque utrique Consuli decretus triumphus Etruscæ victoriæ signum fuit.

OLYMP. CXVII. *ann.* 3. *Mundi* 3744. Urb. Cond. 444.

*...ocles ...m ...m.* Contigit hoc anno Solis defectio tanta, ut dies noctis instar esset, & stellæ ubique apparerent. Contigit ea Augusti 15. feriâ 6. quando Agathocles in Africam transiit, incensisque navibus suis, & spe militi præcisâ redeundi, Carthaginienses sæpe devicit. Hi revocant ex Sicilia Amilcarem, qui tum frustra Syracusas oppugnavit. Victi iterum Pœni ut Deos placarent, suos etiam liberos, ex more veteri, immolarunt Saturno, impii ex infelicibus facti.

*...us, ...ffi-* Ptolemæus in Cypro Nicoclem proditionis reum cædi jubet. Ille tum ab Antigono disjunctus est, quod non relinqueret liberas Græciæ civitates; eique aliquot oppida Ciliciæ asperæ per præfectum suum Leonidem abstulit; sed missus Demetrius Leonidem vicit, atque urbibus exuit. Aliunde Dux Antigoni alter Ptolemæus *...on* ad Cassandrum deficiens res ejus turbavit. Polyspercon autem depulsus Macedoniâ, eam recuperare solertiâ conatus est: Herculem Alexandri M. & Barsines filium in paternum regnum restituere parat; colligit pecunias, & exercitum viginti millium peditum, equitum mille, maximè ex Ætolis, sed majori apparatu, & pompâ, quàm fructu.

Appius Claudius cùm perseverasset in Censura sua sesquianno, gravi oratione increpitus à Tribuno plebis, etiam in vincula conjiciendus erat nisi tres alii Tribuni plebis intercessissent. Remansit igitur in magistratu cum omnium ordinum invidiâ. Tandem perfunctum censurâ oculos perdidisse ob religionis contemptum scribit Valerius Maximus. Alii tamen malunt eum finxisse cœcitatem, veritum lecti Senatus invidiam, quæ fictio ei tantumdem difficultatis propemodum, quàm ipsa cœcitas attulit.

Q. Fabius Consul magnam victoriam ad Sutrium obsessum retulit de Etruscis, captis etiam eorum castris, iisque per Cyminiam Sylvam dissipatis. Eâ victoriâ Romani retulere undequadraginta militaria signa, atque eorum populationibus objecta est regio. Sed rediere mox cum Etruscis Umbri ad idem Sutrium, ubi Consul eos ad noctis quartam vigiliam semisopitos, & fatigatos oppressit tanta clade, ut in ea sexaginta hominum millia desiderati perhibeantur. Ideò pacem Etrusci petiere, quibus induciæ 30. *...io* annorum datæ. In Samnio alter Consul C. Marcius Rutilius Alifas oppidum cepit, pugnavit-*...u-* que eventu dubio. Immò de eo quasi deleto rumor perlatus Romam Dictatorem creandum curavit. Q. Fabius Dictatorem dixit inimicum suum L. Papirium Cursorem, ac patriæ tum simultates suas condonavit.

OLYMP. CXVII. *ann.* 4. *Mundi* 3745. Urb. Cond. 445.

Acceperat à vatibus Amilcar se postridie Syracusis cœnaturum; victus à paucis Syracusanis implevit omen, & hic interfectus est. *Victus Amilcar à Syracusanis.*

Agrigentini turbatæ per Pœnos Siciliæ reddere libertatem moliuntur duce Xenodico, nullo alio operæ pretio, quàm ut magna tentasse dicerentur. Agathocles in Africa militari seditione tantùm non occiditur; sed ita milites placavit suos, ut Carthaginiensibus pergeret esse formidabilis. *Agrigentini victi. Agathocles Pœnos in Africa vexare pergit.*

Cleomenes Rex Lacedæmoniorum moritur cum regnasset annis sexaginta, mensibus decem, dominatu diuturniori, quàm illustriori. *Cleomenes Laced. moritur.*

Ptolemæus in Lycia, Pamphilia, Asia minore urbes incuriâ ducum suorum perditas recuperavit. Item alterum Ptolemæum Antigoni fratris filium, qui ad eum cum exercitu defecerat, ex Chalcide ad se vocatum in insulam Cô perhumaniter excepit: mox ubi vidit insolescere, immò novas res moliri misit in carcerem, ibique cicutâ sustulit, milites ejus inter suos adscripsit. Sic primùm ut de se bene meritum, deinde uti proditorem sapienter excepit. *Ptolemæus rem benè gerit.*

Huic consilio affinis, immò superior perfidiâ fuit Polyspercon. Hic cum exercitu Herculem Alexandri M. & Barsynes filium regem constituere parans, oppositum sibi Cassandrum habuit. Cum essent in proximo castra, monuit Polysperconta Cassander videret ne suo capiti juvenem Regem imponeret; & num ei satiùs esset, eo sublato, secum Græciam, honoresque partiri, ac sibi nominatim retinere Peloponnesum, cujus desiderio hominem flagrare intelligebat. Itaque his permotus, atque insuper grandi pecuniâ, Polyspercon Regium juvenem perfidiosè sustulit, unde auctus exercitu, ac divitiis, Peloponnesum per Bœotios adire tentavit, quo sibi præclusum iter desperabundus intellexit. *Polyspercon filium Alex. M. necat & illuditur à Cassandro.*

Lysimachiam hoc anno in Thraciæ Chersonneso condidit, & de suo nomine dixit Lysimachus, in eo æmulatus magnum Alexandrum, & Cassandrum, postea Seleucum, & Antigonum, habiturus imitatores. *Lysimachia condita.*

Romæ creatus anno superiore à Q. Fabio Dictator Papyrius, hoc feliciter adversus Etruscos, Samnitesque pugnavit. Etrusci ad lacum Vadimonis victi, etiam castra perdiderunt, præter gentis suæ florem. Idem quoque adversus Samnites præstitit, cùm priùs cum magistro Equitum suo C. Junio deposito pignore certasset, uter prior hostium cornu impelleret. Samnites igitur aureis & argenteis clypeis illustres, Romanam tantùm acuerunt fortitudinem. Hæcque scuta magnifica Dictatoris primùm triumphum Cursoris illustrarunt; deinde Argentarii ad exornandum forum concessa sunt, ne semel Papyrius triumphasse videretur. *Victi Samnites à Papyrio Clypeis suis Romam illustrarunt.*

Fabius anni superioris Consul (hic enim suis Coss. caruit) reliquias Etruscorum persecutus Peru- *Perusia capta à Rom.*

Perusiam ad deditionem compulit, Etruscosq; omnes pacem petere compulit; dignusque summo honore judicatus à Senatu, non minori gloria, licet majori pompâ triumphavit.

OLYMP. CXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3746. 446.

*Agathocles Ophellam cadit & prædam Africanam perdit.*

Agathocles Carthaginienses iterum vicit, atque Ophellam regem Cyrenæorum ad se evocatum interemit; virum fortem, nec eo facto dignum. Tum quoque Bomilcar Carthagini tyrannidem affectans, à suis popularibus meritò cæsus est. Agathocles denique remittens in Siciliam naves, prædâ Punicâ onustas, audiit cum dolore dissipatas esse, ac fluctibus haustas, ne de ejus victoriis Siculi nimiùm superbirent.

*Ptolemæus Græcis favet, ut sibi habeat obsequentes.*

Incessit cupido Ptolemæum reddere Græcis libertatem, eamque revera nonnullis Græcanicis urbibus restituit: mox tamen iisdem infensus quod frumentum, & pecuniam suppeditare recusassent, cum Cassandro fœdus iniit cujus intererat plurimùm Græcos servitute in officio contineri. Sicyonem quoque, Andrum, & Corinthum suis præsidiis firmavit: idemque præstitisset Halicarnassi, quam obsederat, nisi à Demetrio prohibitus esset. Sic igitur Ptolemæus volebat sibi Græcos addictos esse, ut nihil ei denegarent, quod est apertâ servitute deterius.

*Cleopatram Cassander cadi: & magnificè ei parentat.*

Cleopatram Philippi filiam sororem Alexandri, ductam aliàs ab avunculo suo Alexandro Epirota Antigonus hoc anno cædi jussit. Ejus nuptias prensabant Lysimachus, & Cassander; sed eam quoque optabant Ptolemæus, & Antigonus, rati imperium Macedonicum ejus dotem esse. Oderat illa Antigonum in cujus erat potestate & ad Ptolemæum Sardibus ubi servabatur, fugere moliebatur. Qua re cognitâ eam per præfectum Sardium jussit interfici: & ut à se sceleris suspicionem amoliretur quasdam ejus domesticas, quasi necis ejus autores plecti voluit, eique more regio cum magna doloris significatione parentavit. Sed erat apertius crimen, quàm ut ullo scelere, aut fictione tegeretur.

Q. Fabius tertiùm Consul secundis aliquot prælіis in Samnio rem Romanam promovit, Marsosque ac Pelignos tum primùm deficientes compressit. P. Decius Mus circumlato per totam Etruriam bello, coëgit eam fœdus postulare; sed obtinuit hæc tantum annuas inducias, easque unius anni stipendio & duabus tunicis in singulos milites redemptas. Umbri tum quoque defecerunt, & tantas descripserunt copias ut urbi timeretur: itaque Decius sponte, Fabius evocatus Romam accurrerunt: Verùm hostes majori apparatu, quàm virtute pugnarunt, ac victi pænè sine sanguine se paratiores ad fugam, quàm ad prælium ostenderunt.

*Bellum in Samnio, & Etruria.*

*Umbri devicti.*

OLYMP. CXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann* 2. 3747. 447.

*Agathocles primum felix in Africa, mox infelicissimus.*

Agathocles Uticam capit ac sibi regium nomen usurpat; filiumque suum Archagathum reliquit in Africa, dum ipse excurrit in Siciliam. Fortuna primùm Archagatho favit, quam postea adeò adversam expertus est, ut patris auxilium implorare cogeretur. Redit igitur in Africam Agathocles; neque tamen suo filio fortunatior extitit: quare Archagatho in Africa flagitiosè deserto, in Siciliam cum altero filio redire parat. Verùm à militibus deprehensus datur in vincula, unde dimissus ex commiseratione, miserabilior in Siciliam fugit, liberis in Africa relictis, quos desperati, atque proditi milites jugulavere. Vicissim in Sicilia Agathocles militum liberos, & conjuges excarnificatas interficit; quo facto, neque se Regem, & plusquàm tyrannum præbuit.

Antigonus statuit reddere Græcis urbibus libertatem, Athenienses ipsos Cassandri jugo oppressos eximere. Mittit itaque Ephesо Demetrium cum ingenti classe qui Pyræum ingressus proclamari jussit per præconem Athenas liberas esse; quare exceptus cum ingenti voluptate, ac propè instar numinis. Inde Munychiam capit, & exscindit: fugit itaque Demetrius Phalereus Athenarum à Cassandro præfectus ad Ptolemæum, fugit & Dinarchus non immeritò accusatus. Decrevere igitur Athenienses, ut is dies Targelionis 26. hoc est XI. Maji deinceps σωτηρ... diceretur, ac populus in putidissimas, ac stolidissimas adulationes effudit sese; propter quas irridendus etiam frumentum ab Antigono accepit, qui tum ineptas laudes ipse ineptior cariùs emere visus est.

*A... A... lib... A... su... la...*

Inde jubente patre, Demetrius in Cyprum classem convertit, ubi multas cepit urbes, ac Menelaum Ptolemæi fratrem insulæ præfectum ad Salaminam vicit, immò & Ptolemæum ipsum, ad ejus auxilium advolantem; quare totâ insulâ potitus est. Ideò Antigonus concessum sibi ab Atheniensibus Regis nomen usurpavit; quem imitati sunt quoque Ptolemæus, victus licet, Cassander, Seleucus, & Lysimachus. Sicque nomen hoc Athenis ex adulatione natum, æmulatione per universum Græcorum imperium effusum est.

*D... Cy... occ...*

Appius Claudius post censuram factus Consul magna cum autoritate Rempub. administravit. Ejus collega L. Volumnius benignè militem tractans, multa adversus Salentinos prælia secunda fecit. Fabius Proconsul ad urbem Alifas Samnites victos sub jugum misit, eorum autem socios sub corona vendidit, Roma hoc anno domui militiæque fortunata fuit.

*Ro... an... tu...*

OLYMP. CXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann* 3. 3748. 448.

Agathocles pessumdatis rebus suis, cum Dinocrate exulum duce pacem tentat componere: sed hic sperabat nimis, ille nimiùm abjectus erat, quàm ut convenire possent. Itaque ad Carthaginienses conversus Agathocles cum iis pacificitur, ne duobus hostibus simul committi cogeretur.

*Ag... cu... pa...*

Antigonum nimis elatum hoc anno fortuna destituit. Nam perdidit natu minimum filium jam rebus gerendis idoneum, utpote quem ante annos quatuor, adversus Phœnicem ducem in Hellespontum miserat. Expeditio item Ægyptiaca hujus infelicissimè cessit. Cùm enim 150. naves

*A... fo... de...*

naves longas, & centum militares armaſſet quibus Demetrium præfecerat, eas immiſit in Ægyptum, ut oram legerent, in qua ipſe ducebat exercitum pedeſtrem octoginta millium peditum, octo millium equitum cum 83. Elephantis. Sed claſſis illa parum opportuno ſolvens tempore, ac renitentibus navarchis, tempeſtate diſſipata eſt; terreſtris exercitus quominus occuparet Ægyptum impeditus eſt Nilo reſtagnante. Quare cùm jam commeatus tantis copiis deficeret, re infectâ Antigonus in Syriam retrocedere compulſus eſt, nihilque tanto hoc apparatu, totque ſumptibus perfecit, quàm ut contra ſe Seleucum, Caſſandrum, Lyſimachum territos Ptolemæi periculo, conjuratos armaret.

Q. Marcius Tremulus Conſul contra Hernicos rebellantes miſſus eos devicit, ac de iis triumphum & ſtatuam equeſtrem in foro ante ædem Caſtoris obtinuit. Contra Samnites qui Calatiam, & Soram expugnarant, atque in præſidiarios Romanos acerbè deſævierant miſſus eſt ejus collega P. Cornelius Arvina. Huic devictis Hernicis, ſtatim Martius ſuppetias tulit; ſed hunc nondum junctum collegæ Samnites aggrediuntur. Cornelius de prælio, clamore, & pulvere monitus, eorum perrumpit aciem, & caſtra expugnat, & incendit: fit undique fuga, & cædes, quâ eorum triginta millia perierunt. Pacem ad Senatum remiſſi Samnites petere compulſi ſunt, ut pluribus eam precibus obtinerent.

Carthaginienſes tertium fœdus renovant cum Romanis, quorum victoriæ licet continerentur Italiâ, fama tamen mare transvolabat, & penetrabat in Africam.

OLYMP. CXVIII. *Mundi ann.* 4. 3749. Urb. Cond. 449.

Agathocles Dinocratem vincit, pacemque cum exulibus icit, ſed infidam: nam eos incautos opprimit, ac trucidat; Dinocrati autem verè reconciliatur, quem virum fortem agnoverat, & ſuis utilem rebus, qualem eum reverâ deinceps expertus eſt; indignum ſanè, qui tyranno famularetur.

Rhodii qui Antigono ad bellum Cyprium ſocietatem recuſarant, & Demetrium privatum offenderant, per hunc bello appetuntur, ſed tot machinis tanta clade, ut lapidem illi moverent omnem, quò utrique reconciliarentur. Rejecti confugiunt ad auxilia Ptolemæi, Caſſandri, ac Lyſimachi; & quod omni auxilio potentiùs fuit, ſeſe acriter defendunt. Urbs numquam oppugnata graviùs, numquam fortiùs propugnata; nunquam machinæ plures, & grandiores verberarunt muros, nunquam everſæ munitiones diligentius reparata ſunt; nunquam ferro & igne in præliis navalibus certatum peritiùs, & obſtinatiùs. Itaque in annum ſequentem protracta eſt obſidio, in qua plus accipiebat damni Demetrius, quàm inferebat.

In Italia victi Samnites à duobus Conſulibus L. Poſtumio, & T. Minutio, qui tandiu ſervabant pacem, quandiu repugnare non poterant, nec eam petebant, niſi ut ad novum bellum repararent vires. Hoc quoque anno Herculis ſimulacrum ingens erectum in Capitolio, huic Deo venerationem attulit, templo ornamentum.

OLYMP. CXIX. *Mundi ann.* 1. 3750. Urb. Cond. 450.

Liparam diripit exſcenſione factâ, captaque urbe Agathocles, ubi etiam Deorum omnia fana diripuit. Spoliis profanis & ſacris implevit naves, quæ tempeſtate disjectæ oſtenderunt etiam falſa ſacrilegia, ſemper ſacrilegis nocuiſſe. *Liparam Agathocles expilat.*

Pergit in oppugnatione Rhodi Demetrius, atque inditum ſibi πολιορκητοῦ nomen vanum non eſſe cupit. Itaque novas machinas excogitat, & tam crebris aſſultibus invadit urbem, ut niſi recepiſſet à Ptolemæo auxilia, huic ceſſura videretur. Cùm itaque ab ea oppugnatione revocaretur a patre Demetrius, & pacem Rhodiis ſuaderet Ptolemæus, & ſeſe legati Athenienſes pacis ſequeſtros offerrent, ea inita eſt honeſtis conditionibus, ut ſcilicet Rhodii cum Antigono armorum ſocietatem jurarent, niſi Ptolemæus appeteretur bello, centumque ipſi obſides darent. Rhodii, conſentiente Ammone, Ptolemæum vindicem ſuum divinis honoribus proſecuti ſunt; & excitarunt ingentem illum Coloſſum Solis 70. cubitorum, longè quàm ipſa Rhodus fuit, memorabiliorem, qui & urbi fuit ornamento, & ſecundùm aliquos recentiores Græcos, urbi nomen impoſuit. *Cum Rhodiis pacem facit Demetrius.* *Coloſſus excitatus Rhodi.*

Demetrius imperante Antigono ad liberandas Græcas civitates animum appulit, ut Græcos ſibi benevolos redderet; neque tantùm in Aſia, ſed & in Europa omnia poſſet. *Demetrius Græcis favere jubetur à patre.*

Tum Seleucus in Syria Antiochiam, Laodiceam, Apameam, Edeſſam, Pellam, aut conſtruxit, aut ampliavit; atque ita ſuam firmavit Syriam, ut inde non poſſet ab æmulis facilè dimoveri, princeps ex æquo fortis, & callidus; Antiochiam tamen ad ejus regni annum 12. differt Euſebius, & Olymp. cxix. an. 4. *Seleucus in Syria multas urbes condit.*

Samnites priſtinum fœdus tam ſæpe à ſe violatum per Romanos acceperunt hoc anno: quo Æqui pertæſi diuturnæ pacis adverſus eoſdem Rom. rebellarunt. Duo Conſules P. Sulpitius Averrio, & P. Sempronius Sophus eorum urbes quadraginta & unam diebus 60. occuparunt: quare permoti vicini Marrucini, Marſi, Peligni, Ferentani Romano fœderi adſcribi petierunt, & obtinuerunt. *Samnites aliique populi pacem à Ro. obtinent victis Æquis.*

Tum etiam primùm C. Flavius Appii Scriba Faſtos in foro propoſuit populo; ideò Ædilis Curulis factus ædem Concordiæ, magna nobilitatis invidiâ, ac dolore dedicavit. Tum quoque Fabius propter forenſem turbam in quatuor conjectam tribus, Maximi cognomen abſtulit, induſtriæ ſuæ populo ſalutaris, monimentum. *Faſti populo Rom. propoſiti.*

Denique hoc anno Gallos Tranſalpinos Ciſalpinis poſt triginta annorum fœdus in Romanorum fines immiſſos ſcribit Polybius; quod iiſdem Romanis ad obtinendam Galliam illam Togatam iter aperuit. *Galli in Ro. immiſſi.*

## CAP. VI.

## *Decas Sexta.*

### *Ab anno* 3750. *ad* 3760.

OLYMP. CXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3751. 451.

*Cassander fugatur à Demetrio.*

CASSANDER tum urgebat Athenas; ad hujus urbis auxilium venit Demetrius cum 330. navibus, & Cassandrum ad Thermopylas usque fugat: quando & Macedonum sex millia ad eundem transierunt. In reditu libertatem urbibus reddidit, Heracleam asseruit sibi, duo præsidia Philen, & Panacton recipit quæ reddidit Atheniensibus antiquis possessoribus: unde turpes horum in Demetrium adulationes, qui tum rcem Minervæ castissimæ sedem homini impurissimo, & meretriciis amoribus addictissimo hospitium assignarunt. Sicyoniis quoque libertatem reddidit, qui urbem suam aliò translatam Demetriadem, nominarunt. Dejecit quoque Ptolemæi præsidia ex arcibus Corinthi, Sysiphio, & Acrocorintho; at Corinthii ejus præsidium habere maluerunt, quandiu in armis Cassander esset, sine quo vix tuti forent.

*Atheniensium in Demetriū adulatio.*

*Cleonymus evocatur à Tarentini.*

Cleonymus à Tarentinis contra Lucanos, & Romanos accitus, illos devicit; immò & Tarentum quod tum rebellarat expugnavit. Oblatam quoq; à Cassandro, & Demetrio amicitiam respuit, tumidior quàm hujus temporis Spartanorum & Græcorum conditio pateretur.

*Colonia deducta.*

A Romanis deductæ sunt Coloniæ Soram, Albam, & in Æquos. In Umbria occuparunt ingentem speluncam latrones, unde vicinas provincias populabantur, multosque interimebant: sed altero aditu speluncæ reperto, & utrisque faucibus admotus ignis, aut fumo suffocavit inclusos, aut erumpentes exussit, digno planè grassatorum supplicio.

*Spelunca latronum à Rom. capta.*

OLYMP. CXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3752. 452.

*Cassandri res malè se habent.*

Cum Cassandri res malè procederent, at tot urbes non in Græcia modò, sed & Macedonià is perdidisset, pacem Antigonum rogat, sed repellitur. Itaque se Ptolemæo, Seleuco, Lysimacho adversus communem hostem conjungit. Præmittitur in Asiam à Cassandro Lysimachus, ubi sibi multas urbes asseruit, eripuitque Antigono. Tum Demetrius in sua Demetriade, seu Sicyone nova morabatur: hic se in Græcorum Comitiis, ut olim Philippus, & Alexander, Ducem Græciæ curavit eligendum. Tum etiam sacris Eleusiniis initiatus, impiè iisdem illusit: Et cum ducenta quinquaginta Talenta ab Atheniensibus extorsisset satis atrociter, ea in Lamiam ac reliquas meretrices suas effudit, cum legitima indignatione eorum à quibus hæc fuerat expressa pecunia. Evocatus igitur à patre componit pacem coactam cum Cassandro, qui ex ea multùm sperabat: neque verò expectatione suâ delusus est: multæ enim urbes Græciæ ejurato Demetrio, ei se dediderunt. Quare nihil jam indigens magnis copiis Plistarchum ducem mittit in Asiam cum duodecim peditum millibus, & equitibus quingentis, quæ omnia in transitu partim ab hoste, partim tempestate perdidit Plistarchus, ipseque naufragus insistens tabulæ ægrè ad Lysimachum appulit, & nocens, & infortunatus.

*Demetrius insolescit.*

*Multæ urbes se Cassandro dedunt.*

De Æquis Coloniam detrectantibus C. Junius Bubulcus diebus octo domitis, triumphavit. Dedicavit & Salutis ædem votam à se Consule, locatam à se Censore. C. Æmilius Consul profectus est adversus Cleonymum, qui Thurias Salentinorum urbem ceperat; camque tam facilè perdidit, quàm expugnarat, coactus ergo repetere classem, ad Patavina littora prædabundus pervenit, ac malè acceptus ab Henetis rediit ad Corcyram cum quinta duntaxat parte suarum copiarum, reliquis bello, vel tempestate absumptis: ita fastus ejus ab hominibùs, Deoque repressus fuit.

OLYMP. CXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3753. 453.

Pugnarunt inter se successores Alexandri, hinc Antigonus, & Demetrius cum 70. peditum, equitum decem millibus, elephantis 7. & tum fuit in eorum castris Pyrrhus cujus sororem Demetrius duxerat: inde Seleucus, Lysimachus, Cassander, Ptolemæus cum septuaginta quinque, peditum, equitum decem millibus, Elephantis quadringentis, curribus bellicis centum viginti. Decertatum porrò ad Ipsum Phrygiæ, ubi culpâ Demetrii, pater ejus Antigonus victus est, & cæsus. Fugit Demetrius Ephesum, deinde in Græciam, ubi repulsus est ab adulatoribus suis Atheniensibus, qui ei Megaram remiserunt uxorem Deidamiam, & classem cum insigni notæ levitatis, & ingrati animi, quandoquidem is non reciperetur eorum mœnibus, quem antea cœlo dignum judicarant.

Hoc anno statuta vulgò ponitur Antiochia Syriæ ad fluvium Orontem, primùm condita ab Antigono, dictaque Antigonia, deinde à Seleuco in gratiam Antiochi patris, qui sub Philippo Alexandri M. patre illustris fuerat, & hæc demum facta est Syriæ, adeoque totius Orientis Metropolis.

Dictatores duo hoc anno Rempublicam administrarunt Romæ. Q. Fabius Marsos uno prælio devicit, & ad pacem compulit. Ejus magister equitum absente Dictatore cùm aliquid damni passus esset in Etruria, creatus est Dictator M. Valerius Corvinus, qui Tuscos ad pacem petendam coëgit; petierunt illi quidem, at induciæ tantùm datæ, & multa iis à M. Valerio irrogari jussà, ut ex pœna; culpam agnoscerent.

OLYMP. CXX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3754. 454.

Agathocles Corcyram à Cassandro obsessam liberat universâ Macedonum classe inflammatâ. Quâ de expeditione rediens in Siciliam incidit in mercenarios milites, à quibus erant filii ejus in Africa jugulati, quos omnes interficit, eorumque sanguine manibus cæsorum litat.

Deme-

Demetrius relicto in Macedoniâ Pyrrho Thraciam Chersonesum Lysimachi ditionem populatur. Illius filiam Stratonicem Seleucus uxorem petit, sicque ei reconciliatur; Demetrius vicissim accipit uxorem Ptolemaidem filiam Ptolemæi, fitque ex ejus hoste gener. Seleucus autem & Demetrius in Ciliciâ versantur tantâ inter se amoris, & fiduciæ significatione, ut fœdus eorum æternum crederetur. Hanc autem provinciam occupavit universam Demetrius, ejecto Plistarcho, qui eam Cassandri fratris nomine tenebat; sed ut Cassandrum leniret utcumque, misit ad eum Philam uxorem quæ hoc factum purgaret suum. Ciliciæ autem avidus Seleucus eam genero suo petiit; cujus repulsam passus, postulavit Tyrum, & Sidonem quas non impetravit; neque enim passus est Demetrius Stratonices pulchritudinem, atque recentis sponsæ calentem amorem rebus suis Asiaticis incommodare, Rex melior, quàm gener.

Romæ ex Dictatore factus est Consul M. Valerius Corvinus; quando de Sacerdotiis plebi communicandis actum est. Contenderunt de hoc negotio inter se Appius Claudius, & P. Decius, satis vehementer dum hic plebi favet, ille reluctatur. Tandem nihilominus perlata lex, ac primis quatuor auguribus additi quinque alii de plebe, ac quatuor veteribus Pontificibus quatuor novi plebei; ut deinceps dignitates omnes tam prophanæ, quàm sacræ essent plebi, patribusque communes.

OLYMP. CXX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3755. 455.

Agathocles vir inquietissimæ fortitudinis trajicit in Italiam & Crotonem expugnat, ubique meliorem fortunam quærens, qui sæpe fuerat adversam expertus.

Demetrius Athenas obsidet, quam tum occupabat Leochares ad Tyrannidem provectus à Cassandro, & quam etiam exercebat impotentissimè. In eâ obsidione Demetrius tam multas naves amisit tempestate, ut eam solvere cogeretur, ac reparare classem; quo tempore data quies aliqua Atheniensibus ab externo hoste, dum internus, & tyrannus atrociùs desæviret.

In Italiâ Nequinum frustra antea obsessum, à Coss. hoc anno proditione captum est, ibique nova Colonia imposita, quæ à fluvio præterfluente dicta est deinceps Narnia, cujus cives dicti Narnienses, & Nequinates. In Etruriâ T. Manlius effusus equo cespitante interiit, cui suffectus est M. Valerius Corvinus: is adventu suo Etruscos ita compressit, ut eorum nemo prodire auderet, licet eorum villæ inflammarentur. Porrò Galli Paulò ante iisdem Etruscis juncti fuerant, & pecuniam acceperant, ut communibus armis Romanos aggrederentur: sed ea pecuniâ receptâ, varios prætextus causati, redierunt in patriam suam, ubi eam partiti non jure, sed armis, ipsi à se violatæ fidei pœnas exegerunt.

OLYMP. CXX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3756. 456.

*Obiit Cassan. er ex Hydrope.* Hoc anno Cassander regni sui unde vigesimo ex hydrope obiit, vermibus etiam ex ejus corpore scaturientibus, homo sceleratus ac perfidus, multarumque perduellionum reus, quæ in ejus quoque familiam mox vindicatæ sunt. Reliquit tres liberos ex Thessalonicâ uxore Philippum, Antipatrum, & Alexandrum, omnes immaturo funere sublatos, ne ejus superesset genus, qui familiæ suæ dignitatem tot cædibus, etiam Regis substruxerat.

*Philippus succedit Cassandro.* Ei demortuo successit natu maximus Philippus Macedoniæ Regum à Carano vigesimus sextus, qui vix toto anno regnum tenuit, ad quod propter corporis imbecillitatem parum idoneus erat.

*Bellum Samniticum renovatur ob Lucanos socios.* Bellum contra Samnites renovatum propter Lucanos, qui se Romanis dediderunt, oblatis etiam pueris nobilissimis ex quaque civitate, ut fidem servare cogerentur. Ab iis igitur, uti sociis abstinere Samnites jussi; quod cum neglexissent appetiti sunt bello à Cneo Fulvio, qui eos ad Rovianum ingenti prælio fudit, ac captis aliquot urbibus de iisdem triumphavit. *Victi Tusci ad Volaterras.* Alteri Consuli L. Cornelio Scipioni obtigerat Etruria; hic ad Volaterras cum Tuscis pugnavit toto die; noctu fugientes hostes, se cum castris reliquisse Romanis victoriam demonstrarunt.

OLYMP. CXX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3757. 457.

*Demetrius iterum Athen. obsidet.* Demetrius iterum Athenas obsidet, & toto anno duravit obsidio; quando Epicurus inter amicos fabas distribuit, ostenditque se non constituere felicitatem, in corporis voluptatibus, sed animi.

*Antipater, & Alex. succedunt fratri suo Philippo.* Mortuus est tum Philippus Macedonum Rex ex tabe, quâ sensim exesus est. Successerunt ei duo fratres Antipater, & Alexander, sed minus conjuncti sanguinei quàm odio discordes. Illi debebatur regnum, huic id procurabat mater Thessalonica, quam ideo interemit Antipater, mortem per ubera materna nequicquam deprecantem. Conatus etiam depellere ex Macedonia Alexandrum, at is ut ulcisceretur matrem, ac imperium sibi retineret magnas in hoc regno Tragœdias concitavit, quarum ipse demum primaria persona fuit.

*Victi Samnites ab utroque Coss.* Romæ Fabius invitus Consul creatus, recusavit magistratum, nisi sibi collega P. Decius Mus adjungeretur. Ambo in Samnium progressi magnam agris vastitatem intulerunt: Samnites sæpe in insidias eos pertrahere sunt conati, quæ tamen solerter vitatæ sunt. Tandem ventum ad decretorium certamen, in quo non cessere Samnites, nisi fraude circumventi. Objecit enim iis Fabius turmas, quas simulavit esse collegam suum cum copiis; quibus visis ne inter duos clauderentur exercitus, effusè fugerunt. Hos subinde ambo Consules subsecuti Margantiam iis, Romuleam, ac Ferentinum urbes eripuerunt, tantamq; hominum multitudinem sustulerunt, ut Samnitium variis temporibus cæsorum numerus,

merus, merito à quibusdam emunctæ naris, in dubium revocetur.

OLYMP. CXXI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3758. 458.

*Athenienses sese Demetrio dedunt.*

Athenæ ingenti fame à Demetrio pressæ sunt ex quo gubernatorem navis frumentum in urbem devehentis ex malo suspendi jussit. Centum quinquaginta naves Ptolemæi circa Æginam, spem aliquam obsessis fecerant; sed cùm eæ non essent ausæ cum Demetrianis pluribus confligere, spes illa statim evanuit. Abierunt illæ naves in Cyprum ut eam insulam eriperent Demetrio, sicque ei majori cum Ptolemæi fructu nocerent. His auditis Leochares fugit ex urbe: deserti Athenienses & enecti fame sese per legatos Demetrio dedunt, à quo tamen acerbè sicut expectabant, tractati non sunt, imò frumentum ab eo, & solatium famis acceperunt, sed cum eo tria præsidia Museum, Munychiam, & Pyræum, ut etiam si maximè vellent, rebellare non possent, quod Athenis necessarium, olim amantissimus patriæ Phocion arbitrabatur.

*Alexander evocat Demetrium mox Pyrrhum.*

Alexander evocat ex Græcia Demetrium adversus Antipatrum; mox eo cunctante, ob Spartanam obsidionem, accersit ex Epiro Pyrrhum. Is aliquot urbes occupat Macedoniæ, quas auxilii sui pretium reservat sibi. Nec enim ægrè carebat urbibus Alexander, dummodo Antipatro fratri eriperentur.

*Samnites in Tuscia, & Patria sua vincuntur.*

Samnites à Proconsule Decio ex Samnio pulsi in Etruriam veniunt, & Etruscos ad bellum contra Rom. accendunt. Horum exulum dux erat Gellius Egnatius. Contra eos missus est Appius Claudius, qui cum militibus non placeret, evocatum ipsi ex Samnio collegam ejus Volumnium; is collegæ adventus Appio ingratissimus accidit. Nihilominus hæc contentio inter Consules effecit, ut ambo contra hostes fortius depugnarent, & Etruscos cum suis auxiliatoribus vincerent. Igitur redeunt in patriam Samnites eodem duce, & Campaniam in itinere populantur: eos insecutus Volumnius reperit in agro Caleno prædis graves; invadit ac dissipat cæsis eorum sex millibus, cum captivi in eos arma convertissent. Capti 500. cum Egnatio, præda recepta dominis legitimis restituta est; Samnites & in patria, & extra patriam fuerunt infelices.

OLYMP. CXXI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3759. 459.

*Pyrrhi exordium.*

Vellejus Paterculus ab hoc anno Pyrrhi regnum exorditur, videlicet quando urbibus aliquot Macedoniæ occupatis, & sibi ab Alexandro datis aliquid potuit.

*Demetrius in Macedoniam vocatus ab Alexandro.*

Antequam veniret in Macedoniam Demetrius captis Athenis, Spartanos appetebat bello, eorumque Regem Archidamum ad Mantineam vicerat, & iterum ad Spartam, jamque eá premebat obsidione Spartam, ut mox deditionem factura videretur, cum crebris Alexandri litteris evocatus, Macedoniæ dominus, quàm Spartæ maluit esse; itaque ad eum cum magnis copiis perrexit. Alii obsidionem solutam volunt, ob Cyprum à Ptolemæo totam pænè captam, & obsessam Salaminam; in qua uxorem, & liberos suos reliquerat. Hoc certum eum hoc anno in Macedoniam ingressum esse, cujus duo Reges distracti Antipater fautorem habebat Lysimachum Thraciæ Regem Socerum suum, Alexander vindicem nactus erat Pyrrhum jam aliquot oppidorum Macedonicorum dominum. Quæ cùm attentè perpenderet Lysimachus, & aliunde adventare in Alexandri auxilium Demetrium audivisset, suasit Antipatro, ut cum fratre pacisceretur potiùs regni sui parte, quàm hostibus suis Pyrrho Demetrioque ad totum prodi sineret. Et jam coalescebat inter fratres amicitia, cum eam adventus Demetrii abrupit. Huic obviam venit Alexander Dion usque, suscepitque perhonorificè; at rogavit ultra pergere ne gravaretur, neque enim ejus præsentiâ se jam indigere. At is qui non juvare Macedoniam sed occupare decreverat, de industria traxit moras, ostenditque potentes illos auxiliatores esse semper infirmis principibus metuendos.

Hic annus vidit Coss. Romæ Q. Fabium quintùm, & P. Decium Murem amantissimos collegas duos, & hunc ille sibi iterum dari voluit, cum Volumnius continuandus offerretur. Volumnio igitur in Samnites imperium prorogatum est, ambo Consules in Etruriam perrexere cum auditum esset L. Scipionem Proprætorem cùm unâ legione in agro Clusino à Senonibus Gallis ita cæsum esse, ut ne nuncius quidem cladis hujus superesset: Conjunxere autem copias suas Etrusci, Umbri, Samnites, Galli, contra quos omnes in agro Sentinati à Coss. certatum. In prælio cùm nutaret acies Romana, & jam aliqui fugerent Decius exemplo patris & avi, se & hostes Diis manibus devovit, & multorū appetitus telis non inultus occubuit. Fabius Etruscos, & reliquos fugere compulit; Gallos stantes adhuc nuncupato Jovi voto à tergo adortus dissipavit. Inventum cadaver Decii eo quo decebat modo Consulem, & hæreditario more devotum, à victore exercitu concrematum est. Cæsa hoc prælio dicuntur fuisse hostium viginti quinque millia. Polybius vocat hanc quartam Gallo expeditionem; Diodorus ait in ea irruptione, Gallorum centum millia periisse. Idem Fabius paulò post Perusinos agrum Romanum deprædantes delevit, cæsi eorum millibus quatuor, & quingentis, captis 1740. qui sub corona vænierunt, pecunia inde redacta, militi distributa est. Volumnius, & Appius quoque Samnitium sedecim millia ceciderunt, ceperunt bis mille septingentos; ut mirum sit aliquem superstitem fuisse post undequinginta annorum tot iteratas clades.

OLYMP. CXXI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3760. 460.

Demetrius & Alexander sibi invicem struunt insidias, ut Plutarchus innuit. Et verò hic illum perdere decreverat in convivio, sed cum Demetrius plures secum adduxisset Umbros, appositi percussores deterriti sunt. Discedere ergo parat hic ex Macedonia, eumque Larissam usque Thessaliæ prosequitur Alexander, qui hic necatus

catus videtur fuisse. Macedonas consternatos sibique ab ejus copiis metuentes oratione confirmat Demetrius; eisque persuadet ut ejecto Antipatro Matricida, se in Regem eligant, quod & factum. Itaque Demetrius Rex 26. Macedonum à Carano renunciatur, ibique sex regnavit annis Antipater ad Lysimachum socerum fugit, regnumque Pyrrho & Demetrio relinquit, de eo posteà certaturis.

Ptolemæus remittit ad Demetrium uxorem suam, ac liberos, quos expugnatâ Salaminâ in Cypro ceperat, agere semper honestissimè, & de gloria potiùs ac dignitate quàm de divitiis, & agris solitus contendere.

Hoc item anno Seleucus uxorem suam Stratonicem, dedit Antigono filio suo, qui eam deperibat uxorem. Hunc amorem deprehendit Erasistratus medicus, venam ægri præsente hac fœminâ contingens. Neque tantum pater privigno dedit uxorem novercam suam, sed & regni partem, quæ duo sibi eripi mariti, & reges minimè solent.

Duo Consules L. Pustumius Megillus, & M. Attilius Regulus ambo in Samnium profecti. Ægrotante Postumio Attilius ducentos triginta suis cum Opimio Quæstore perdidit: Ideò maturat iter vix recreatus è morbo Postumius, & occupat Milioniam urbem, ac vastat, cum multis aliis oppidis. Attilius ad Luceriam pugnavit dubio certamine, immò fugiente Rom. milite donec ædem vovit Jovi Statori tunc enim victor 7300. Samnites sub jugum misit, & tamen negatus est ei triumphus quod Romanorum septem millia in acie cecidissent. Postumius in Etruriâ quoque feliciter pugnavit, tumque datæ induciæ quadraginta annorum Perusiæ, Volsinio, Aretio, Tuscis urbibus: obtinuit tamen triumphum ægrè à plebe, sibi præcisè negatum à patribus, quod ejus victoriæ Cadmeas pere viderentur.

## CAP. VII.

## *Decas Septima.*

*Ab anno* 3760. *ad* 3770.

| OLYMP. CXXI. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann.* 4. | 3761. | 461. |

Agathocles iterum transmittit in Italiam, & Bruttios depopulatus urbem Hipponiatam capit, acceptisque obsidibus in Siciliam redit. At Erutrii, recuperatis obsidibus, ejus præsidium deleverunt, & inutilem reddiderunt expeditionem.

Demetrius exules omnes Athenas hoc anno redire passus est, inter quos Dinarchus patriam quoque revisit suam, vir magnæ, sed seditiosæ facundiæ.

Thebani adversus Demetrium rebellarunt suadente, & opem iis ferente Cleonymo, Acrotati Lacedæmoniorum Regis fratre, & Arci Regis patruo: quam rebellionem fovit quoque Pisides Thespiensis. Verùm ad Thebas oppugnandas statim accurrit Demetrius, & iis machinis, quorum scientissimus erat, verberavit urbem, ut ejus mœnibus diffidens Cleonymus effugeret. Sic tandem pressa civitas, ne vi caperetur, se dedidit, inquam, ultra exactionem pecuniæ victor non sævit. Imposuit tamen huic præsidium, & ἁρμοστὴν Hieronymum Cardianum historicum: immò & Pisidem Thespis captum Polemarchum creavit, tam utilem sibi amicum fore ratus, quàm perniciosum hostem expertus erat.

*Lysimachus paciscitur cum Demetrio, & generum necat.* Lysimachus intereà cæteris urbibus Macedoniæ quibus potiebatur cum Demetrio paciscitur, quoniam per Dromichetem Getarum Regem, à Septentrione premebatur. Quam urbium suarum proditionem cùm molestius quereretur Antipater, & querelis ejus uxor Euridice lacrymas admisceret, importunos hosce questus generi sui morte repressit immanis socer: sicque Cassandri, hominis crudelissimi familia, crudelitate extincta fuit.

*Menander moritur.* Obiit & hoc anno Menander Poëta Comicus discipulus Theophrasti homo mulierosus, ac Salax, & cujus fabulas, amatoriis rebus aspersas, periisse nihil pudicitia doleat.

*Victi ad Aquiloniam Samnites à Papyrio.* Consul L. Papyrius Cursor, Filius L. Papyrii quinquies Consulis, tum gloriosam & Samnitibus victoriam retulit. Convenerant ii ad Aquiloniam quadraginta hominum millia, ex quibus millia sedecim, emisso ad aras juramento, se nonnisi victores è prælio redituros juraverant, assumpto etiam peculiari vestimento lineo, unde legio linteata dicebantur. *Legio linteata.* Verùm Romanus execrationem istam suâ fortitudine vicit, & artem addidit virtuti: Spurium enim Naucium apparere jussit ex vicino colle Papyrius, quem mentitus est, collegam Carvilium, ad se capto oppido Cominio properantem. Ad hujus aspectum fugere omnes, etiam linteati suæ obliti religionis; Cædes plusquā triginta millium fuit, capta signa 97. milites 3870. Interea Carvilius verè cepit Amiternum, Cominium expugnavit, & incendit, cum Aquiloniâ, cæsis utrobique multis armatorum millibus. Nec apud Samnites tantùm Sp. Carvilius, sed & apud Etruscos feliciter pugnavit, eosque rebellantes domuit. Ambo Consules triumpharunt Papyrius votam à Patre ædem Quirini dedicavit, & Samnitiū pulcherrimis spoliis reddidit illustrirem. *Horologium Solare Romæ.* Huic etiam addidit Horologium Solare, quod Romanorum detinuit oculos, tum rerum omnium, præterquam bellandi rudes.

| OLYMP. CXXII. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann.* 1. | 3762. | 462. |

Lysimachus cum Dromichete Getarum rege pugnat infeliciter, & capitur. *Lysimachus captus à Getis.* Liberatur operâ sui filii Agathoclis eâ lege, ut quæ trans Istrum essent relinquerentur Getis. Demetrius auditâ clade Lysimachi ad Thraciam sibi vindicandam properabat: verùm audiit & solutum Lysimachum, & contra se Bœotios rebellasse. Itaque *Demetrius* furo-

furoris plenus in eos redit; invenit tamen jam acie victos ab Antigono filio; itaque ipse urbem obsidet. Sed aliunde Thessaliam ejus ditionem depopulatur Pyrrhus Epirota: quod non ferendum ratus relicto ante Thebas Antigono, ipse contra populatorem pergit, ac fugere compellit, & ne rediret, relinquit in Thessaliâ præsidium, ipse magnis itineribus venit ad urbem obsessam. Cum illa oppugnaretur fortiter, fortiùs propugnaretur, multos misit è suis, frustra ingemiscente Antigono: sed adhuc damno majore perrexit. Dum enim non Imperatorem agit modò, sed militem, sagittâ vulneratus in collo, vitæ periculum adiit. Tandem admotis pluribus machinis, & eâ maximè quam [illegible] Hellepolin appellabat, Thebas ad deditionem compulsit. In Thebano expectantes extrema quæque verbis magis, quàm factis sæviit. Tredecim tantùm interemit, paucos expulit, reliquis pepercit. Quæ facilitas in Græcos levissimos homines, ei plurimùm nocuit.

*Fabius Gurges malè pugnat in Samnites.*

Fabius Gurges malè pugnavit hoc anno cum Samnitibus, adeò ut exercitu dissipato, cæsis tribus Romanorum millibus clam in urbem refugeret. Feliciùs ejus collega Junius Brutus Scæva Faliscos repressit opera Spurii Carvilii ex Consulis.

*Ob pestem accersitur in urbem Æsculapius.*

Tum pestilentiâ Romæ sæviente, consulti libri Sibyllini monuerunt accersendum esse in urbem Æsculapium; quod illicò factum: sed accedit & alia litteraria pestis, deficiente hic Livii Decade secundâ, quam intercidisse cum aliquot aliis, satis doleri non potest.

OLYMP. CXXII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* . 3763. 463.

*Demetrius in bellis non satis constans.*

Demetrius hoc anno Pythia celebravit Athenis, Ætolis huic aditum Delphos prohibentibus: Quapropter statim in eos movet, atque Ætoliam, longè, lateque populatur. Et quoniam paulò ante Thessaliam Pyrrhus populatus erat, Demetrius ei repositurus vicem Epirum ingreditur, relicto in Ætoliâ Pantaucho duce fortissimo. Pyrrhus Pantauchum invadit, & cum eo singulari certamine dimicat. Erat Pantauchus corporis, & animi viribus inclytus; Is tamen duobus acceptis vulneribus, unoque tantùm reposito prostratus est, & ægrè ex Pyrrhi manibus, per suos amicos ereptus. Interea Demetrius ægrotavit; Pyrrhusque Macedoniam prædonis instar ingressus Edessam usque, per Demetrianos duces repulsus est. Convalescens Demetrius cum eo fœdus pepigit, Asiaticam cogitans expeditionem, certamque relinquens prædam in Europa, ut incertam & fictitiam in Asia, Æsopici canis more, venaretur.

*Pater impedit quominus filius amoveretur, & cum eo triumphat*

De amovendo Fabio Gurgite deliberabat Senatus; sed obstitit pater ejus Fabius Maximus, seque filio legatum obtulit. Tum in Samnites ad priorem delendam ignominiam pugnatum acerrimè, quando & filius circumventus, & tantùm non oppressus à patre liberatus est. Cæsa hostium viginti millia, agri vastati, præda ingens collecta militem ærariumque ditavit. Gurges operâ patris triumphavit, quando Fabius Maximus senex currum filii secutus eques omnium in se convertit oculos, & plausum, eo dignior triumpho, quod hunc filio, abolito ejus, ac patriæ dedecore, peperisset.

Æsculapius Romam transfertur Epidauro sub formâ serpentis sponte Romanam navem ingressi Deo fixum est templum in insulâ Tiberis, in quam serpens elapsus è nave se receperat, Dæmone, ut ab initio mundi fecerat, sub imagine serpentis miseris mortalibus illudente.

OLYMP. CXXII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3764. 464.

Agathocles Siculus filium sibi cognominem ad Demetrium mittit. Ille ab eo receptus est honorificè, & Regiâ donatus veste. Vicissim remissus à Demetrio Oxythemis legatus, qui res Siculas exploraret. Ita sibi vicissim Principes insidiantur adulatoriè, amplitudinis, quam honoris sollicitiores.

Demetrius pedites cogit nonaginta octo millia, equitum duodecim, naves quingentas. Hoc apparatu territi Seleucus, Ptolemæus, Lysimachus suas conjungunt vires, ut huic pares esse possent. Tum Seleucus Judæos in urbes à se conditas transtulit, jusque civium concessit, & ordinem municipalem. Eæ porrò urbes fuere, Antiochia de nomine patris dicta, Laodicea de nomine matris, Seleucia de suo, Apamea ab uxore sit appellata, Edessa, Beroea, & Pella ab urbibus Macedoniæ: Ita Seleucus cæteris cautior, non præsentibus modò, & sibi, sed & futuris temporibus, ac posteris suis prospiciebat.

Consules duo P. Cornelius Rufinus, & M. Curius Dentatus in Samnites progressi feliciter pugnaverunt. Curius bis eodem anno triumphavit de Samnitibus, & de Sabinis rebellibus. Paulò post ei rapas ad focum coquenti aurum Samnites obtulerunt, post compositum cum iis quartum fœdus, & datum bello Samnitico finem. quod munus sine dubio gratianimi signum fuit, non corruptelæ incentivum, rejectum tamen ab illo sapienter qui mallet habentibus aurum imperare, quàm aurum possidere.

OLYMP. CXXII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3765. 465.

Mortuus est hoc anno Agathocles Siciliæ tyrannus potatus veneno à Mænone suasu nepotis sui Archagathi, filii Archagathi in Africâ cæsi, quod ei in eligendo successore Agathoclem filium ex Theoxenâ conjuge Ægyptiaca susceptum prætulisset. Agathocles autem regni designatus successor jam ab eodem Archagatho cæsus erat paulò ante Italicam trajectionem ad Bruttios. Quare moriens Tyrannus nepotem duplicis parricidii reum detestatus Syracusanis libertatem restituit; & semivivus ab Oxithemide rogo impositus, ac crematus est, vir in quo fortuna ludum suum insolentem luserat. Mæno Agathocle sublato Archagathum quoque sustulit, & imperium inter mercenarios arripuit fructum duplicis perduellionis.

Immi-

Imminente Aſiæ cum his copiis Demetrio, quantas poſt Alexandrum Magnum pararat nemo, ſocii Reges hortati ſunt Pyrrhum, ut rejecto fœdere Demetrii, Macedoniam ejus occuparet. Quare incenſus tanti regni cupiditate Pyrrhus, & prætereà privatâ perculſus injuriâ (nam Lanaſſa ejus uxor marito repudiato Demetrio nupſerat, eique Corcyram oppidum dotis nomine ſibi à patre Agathocle Syracuſano datum, ei tradiderat, præſidioque tenebat) Macedoniam invadit à Meridie, cum eam à Septentrione Lyſimachus depopularetur. Accenſus eſt & nocturno ſomno Pyrrhus, & viſione Alexandri Magni ſibi omnia fauſta pollicentis, quare hic Berœam urbem Macedoniæ illuſtrem occupat. Demetrius itaque Antigono filio in Græciâ relicto qui Ptolemæo reſiſteret (hic enim profectus in Græciam cum magnâ claſſe, Græcas urbes ad defectionem ſollicitabat) omiſsâ Aſiaticâ expeditione Macedoniam ſervandam ſuſcipit: at veritus ne ſui ad Lyſimachum deficerent, & hunc omiſit, atque in Pyrrhum arma convertit, quem ut alienigenam ſibi putabat eſſe poſthabendum. Verùm Macedones virtute Pyrrhi & regis ſui infelicitate permoti, Pyrrho dedidere ſe tam frequentes, ut Demetrius diſſimulato habitu fugere è caſtris ſuis compulſus ſit, & Macedoniæ regnum Pyrrho relinquere quod ſeptem menſibus, rex conſalutatus, tenuit. Fugit ipſe amiſſo principatu, & exercitu Caſſandream, ubi Phila una de uxoribus, harum miſeriarum pertœſa ſibi veneno conſcivit necem. Athenienſes item ab eo defecere, & ἄρχοντα de more elegerunt, exautorato Diphilo, quem ἐπώνυμον τῶν σωτήρων ἱερέα conſtituerant: Inſuper præſidia impoſita Pyræo, Munychiæ, Muſæo depulere, tumque ſe ſervire tempori turpiſſimos adulatores oſtenderunt. Intereà venit in Macedoniam Lyſimachus, ſed cùm Pyrrhus jam rex ſalutatus eſſet, & omnibus charus: Petit igitur aliquam regni partem, quam extorquere non poterat, & conceſſit aliquid Pyrrhus, ne tota Macedonia recens parta periclitaretur. Demetrius autem reficiebat copias ſuas, & viribus auctus ultionem Athenienſium meditabatur; & vero ſtatim atque potuit eorum urbem obſidione cinxit. Illi ſtatim à Pyrrho ſuppetias petiere, ſed & ſimul legarunt ad Demetrium Craterem, qui ejus ita demulſit ingenium, ut ſolveret obſidionem, opus Demetrii offenſi, & ultoris, atque incumberet in expeditionem Aſianam, dignam Demetrio forti, atque Alexandri ſucceſſore. Pyrrhus autem Athenas venit, jam non indigus auxilii ſui, ubi cum in Arce ſacrificaſſet, dedit hoc Athenienſibus conſilium ſalutare, ne unquam temerè principem inducerent in Arcem ſuam, ſi domino carere vellent, & avitam ſervare libertatem.

Obiit hoc anno Judæorum Pontifex Simon filius Oniæ primi, nepos Jaddi qui ſalutavit, & ſuſcepit Alexandrum Magnum. Is Simon cognomento juſtus à Deo, calamo Jeſu Syracidâ collaudatus, templum aptavit, & aquas induxit in urbem. Onias ſecundus filius ejus fuit, parvulus relictus à patre, ideoque Simoni ſucceſſere Pontifices Eleazar, ejus frater, & Manaſſes patruus. Onias autem hic ſecundus pater fuit Simonis ſecundi, Avus Oniæ tertii ad quem ſcripſit Arius Rex Lacedæmoniorum, & reſtitit Heliodoro. Huic Jaſon & Menelaus ſucceſſere Matathiæ σύγχρονοι, & in libris ſacris famoſi. Atque hos omnes Pontifices congerere in hunc locum duximus, non inutiles, ad intelligentiam divinorum codicum futuros.

| OLYMP. CXXIII. ann. 1. | Mundi 3766. | Urb. Cond. 466. |
|---|---|---|

Demetrius tranſit in Aſiam, & circa Miletum filiam Lagidæ Ptolemaidam ducit uxorem. Vicit & hic Agathoclem Lyſimachi filium, multaſque urbes ab eo occupatas recepit. Mox tamen fame preſſus (erat enim fortior, quàm prudentior) à Seleuco petere commeatum coactus eſt. Eum obtulit libenter primò Seleucus, mox eum beneficii pœnituit, & de ſe benè meritum tractavit ut hoſtem. Demetrius ergo incluſus inter Agathoclem, & Seleucum, illum omi ſit, in hunc convertit copias ſuas, & ſæpe velitationibus vicit. Statuit ergo decretorio certamine rem in Syriâ conficere, in quam pariter Seleucus, aliquandiu tergiverſatus venit. Inito certamine cum Demetrius oppoſitum ſibi fudiſſet Seleuci cornu, Seleucus depoſitâ galeâ cum parmâ Macedonicâ proceſſit in primam aciem, & mercenarios ut ad ſe trajicerent invitavit, quod ſtatim fecere, eumque Regem ſalutavere. Fugit Demetrius, ſed undique ſeptus turmis Seleucianis ſeſe dedere cogitur. Ac primùm ei Seleucus mira per Apollonidem promiſit, mox ne viſum quidem in Syriæ Cherſoneſum ablegavit, quaſi non tantùm ejus manum, ſed & oculos, & vultum reformidaret.

*Tranſit in Aſiam Demetrius.*

*Demetrius rapitur à Seleuco.*

Lyſimachus capto Demetrio movet in Pyrrhum, qui tum Edeſſæ morabatur, ei commeatum adimit, & Macedonas invitat ad exturbandum regno principem alienigenam. Quare aliquid fame graviùs reformidans Pyrrhus, receſſit in Epirum, & regnum Macedoniæ, tam facilè perdidit, quàm conſecutus erat.

*Pyrrhus Macedoniæ regnū amittit, eo potitur Lyſimachus.*

Obiit hoc anno, vitæ ſuæ octogeſimo quinto Theophraſtus ita vocatus ab Ariſtotele, cùm ante diceretur Tyrtamus. Præfuit hic Lyceo annis 36. ad quem nonnunquam duo millia diſcipulorum concurrerunt. Sepultus eſt ab Athenienſibus honorificè, eique datus ſucceſſor Strato, jam magnus quia huic ſuccedere judicatus eſt dignus.

*Moritur Theophraſtus.*

| OLYMP. CXXIII. ann. 2. | Mundi 3767. | Urb. Cond. 467. |
|---|---|---|

Fingebat Seleucus ſe ſolvere velle Demetrium, hic ſuſpectas ejus promiſſiones habuit, & ſignificavit Antigono Gonatæ filio ſuo, ne ſuis unquam Epiſtolis, aut annulo fidem haberet. Movit

*Moritur captivus Demetrius*

vit certè lapidem omnem, Antigonus ut reciperet patrem, sed hic dum se crapulæ, & aleæ otiosus permittit, vir aliàs laboriosus, & impiger decidit in morbum, ex quo obiit. Quidam tamen annis tribus eum in carcere vixisse credunt. Lipsana ejus in aureâ urnâ remissâ condita sunt Demetriade, seu nova Sicyone; vir utramque fortunam sic expertus, ut eo paucos feliciores, paucos miserabiliores invenias.

OLYMP. CXXIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3768. 468.

*Serapis quis? transfertur Alexandriam.*

Serapis à Sinopensibus missus, hoc anno Alexandriam translatus est magnus Ægyptiorum Deus, & semper alienigena, sive Hebræus fuerit Joseph, seu ignotus Cappadox: eorum enim Deorum genealogias non est facilè retexere.

*Seditio Romæ compressa à Dictatore Hortensio.*

Gravi seditione laboravit Roma, plebsque ære alieno oppressa locupletiorum diripuit domos, ac demum quasi patriam exosa Janiculum insedit. Inde revocata est per Q. Hortensium Dictatorem, cui honos hic primùm contigit, ut in tanto magistratu moreretur: dignus utique qui semper Romæ primus esset, cujus operâ factum, ne Roma tot annorum, tot magnorum virorum labor, repentè dissolveretur.

OLYMP. CXXIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3769. 469.

*Agathoclem filium Lysimachus interficit.*

Agathocles filius Lysimachi veneno sublatus est à patre, accusatus à Novercâ Arsinoë filia Lagidæ, quasi eam appellasset de stupro, cum ipsa potius castissimum juvenem de incesto concubitu sollicitasset. Itaque Lysandra cum reliquis filiis suis fugit ad Seleucum.

*Fundamenta regni Pergameni jacit Philetæus Spado.*

Eodem tempore Philetærus Spado præfectus ærario Lysimachi, indignissimè ferens Agathoclis mortem, fugit Pergamum ad Fl. Caycum, ibique novi regni fundamenta jecit, cui viginti annis præfuit, plusquam virilis animi semivir.

*Ptol. Philadelphus cum patre regnat.*

Ptolemæus Philadelphus uno anno priusquàm pater ejus Lagides moreretur in societatem regni adscitus est, uti demonstrari potest ex Ptolemæi Almagesto. Is fuit filius Berenices, comitis Eurydices filiæ Antipatri, quam Ptolemæus Lagi, susceptis jam ex Eurydice liberis, deperit. Dictus est autem Philadelphus κατ' ἀντίφρασιν, quod fratrem suum uterinum sibi parantem insidias, ut vulgò creditum est, interemisset, itemque alterum anonymum, quod Cyprios ad defectionem sollicitaret: Rex profectò melior quàm regni candidatus fuit.

*Dionysius Mathematicus.*

Dionysius quidam Mathematicus ab hoc anno parapegma anni cælestis descripsit, quod æra Dionysii, vel Philadelphi dixit, cujus errores vide apud Petavium Doctr. Temp. lib. 4. cap. 16. si otium est; certè quæcunque ille vel benè, vel malè scripsit, ab hoc anno procedunt.

OLYMP. CXXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3770. 470.

*Versio septuaginta duorum Interpretum.*

Pertinere videtur ad hunc annum, aut etiam ad superiorem versio septuaginta duorum Interpretum, qui numero integro vulgò 70. nominantur, quamquam eam aliqui ad 7. alii ad 18. Philadelphi rejiciant: sed hæc sententia probabilior est, cum ea facta perhibeatur adnitente Demetrio Phalereo, qui à Philadelpho ubi primùm solus regnum adiit, ejectus est. Tum autem è Judæâ à Philadelpho, & fortè à Lagidâ evocati sunt ex singulis tribubus sex, omnino septuaginta duo, gnari linguæ Hebraicæ, atque Græcæ, qui divinam Scripturam Hebraicè scriptam accuratè ederent Græcè. Eam in Pharo insulâ factam esse vulgò ferunt; & quidam malè solum Pentateuchum conversum astruunt. Opinio autem de cellis, in quibus singuli inclusi eandem omninò versionem reddiderunt, non probatur ab eruditis, licet à magnis viris prodita reperiatur. Utut scripta fuerit, magni olim ponderis fuit, & ejusdem olim cum autographo Hebræo autoritatis; quæ autem à nobis hodie teritur, sine dubio, corrupta est. De hac historiâ scripsere plura Aristeas, & Josephus, aliique, ut omittam recentiores qui de versionibus sacrorum Codicum locuti sunt. Rem tanti momenti attigisse sufficiat, historiam totius mundi describenti.

*Phar[os] exci[tatur]*

Tum quoque Sostratus Gnidius, in insulâ Alexandriæ vicinâ excitavit Pharum, præaltam turrim ad dirigendos navium nocturnos maximè cursus, quam Diis servatoribus, Ptolemæis, Lagidæ, atque Philadelpho consecravit; tantæque celebritatis fuit, ut reliquis ejusdem modi turribus suum indiderit nomen.

*Mor[s] Ptol[emæi] Lagi.*

Hoc autem anno Ptolemæus Lagi filius obiit Comitum Alexandri notissimus, & nobilissimus, Ægyptiaci conditor imperii, & cujus nomen ad reliquos deinceps Reges transiit. Magnus appellatus est, aliter Σωτὴρ, hoc etiam nomen filio reliquit suo, vir multis ornatus virtutibus, à quibusdam tamen insimulatus intemperantiæ. Sed difficile est principibus carere hoc vitio, difficiliùs non accusari.

*Dem[etrius] Phal[ereus] à Phi[la]delph[o] [eje]ctus.*

Tum etiam initio sui regni Philadelphus Demetrium Phalereum in desertam regionem ejecit, ubi dolore contabescens, Aspidis morsu periit. Causâ odii fuit quod Lagidæ cui acceptissimus erat persuadere conatus esset, ut ad regnum eveheret potius Eurydices filios quàm Berenices. Philadelphus evectus ad regnum consilium, quo pæne caruerat regno, mali consultoris saltem exilio mulctandum esse judicavit.

*Arre[tium] à Ga[llis] obsess[um].*

Obsidetur hoc anno à Gallis Senonibus Arretium Tusciæ oppidum, quæ obsidio magnæ cladis, invadentibus, & procurantibus causa fuit.

## CAP. VIII.

## *Decas Octava.*

### *Ab anno* 3770. *ad* 3780.

OLYMP. CXXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3771. 471.

*Achæ[orum] societ[as]*

PErtinet ad hunc annum Achæorum societas, cui dederunt initium Patrenses, Dymæi,

Dymæi, & Pheræenses, ac postea ex XII. urbibus constitit. Porrò totis 25. annis scribam unum, & prætores duos in orbem elegerunt, fuissetque cœtus hic diuturnior, nisi in tempora calamitosissima, & perturbatissima incidisset.

Galli Senones evocati à Bruttiis, Lucanis, à Samnitibus, & Etruscis rebellibus Arretium sociam urbem obsidebant. Adversus eos missus L. Cæcilius prætor in acie cæsus est cum 12. Romanorum millibus. Suffectus Cæcilio M. Curius misit legatos ad victores pro redimendis captivis, quos illi contra jus gentium ceciderunt. Quare in sacrilegos Romani movent, eos acie vincunt, senamque deducunt coloniam, quâ perpetuò eos vicisse viderentur.

Galli Boji excitati Senonum clade, armatis omnibus suis ad bellum idoneis, & adscitis sibi Etruscis commilitonibus Romanos aggrediuntur. Hi duce Consule P. Cornelio Dolabella cum illis conferunt manus ad lacum Vadimonis, ubi Etrusci pænè omnes cæsi sunt, ex Bojis pauci fugerunt, tanta utrisque clades illata, ut uno prælio, gemina gens propè tota debellaretur.

OLYMP.CXXIV. *Mundi* Urb.Cond.
*ann.* 3. 3772. 472.

Seleucus & Lysimachus relicti soli ex ducibus Alexandri M. hic 74. ille 77. annorum inter se de Asia armis contendunt, ubi plerique Macedones defecerant ad Seleucum, duce Alexandri filio Lysimacho, qui fratrem Agathoclem interemptum ulcisci volebat parricidio: Prælium inter duos fortissimos duces, & exercitatissimas acies duas commissum est, in quo victus est Lysimachus, atque cæsus. Corpus ejus domesticus canis adversus volucres, ferasque defendit, donec Thorar Pharsalius, aut uti volunt alii Alexander filius tabidum & corruptum ejus cadaver inventum sepulturæ mandavit. Vir stolidæ fortitudinis fuit, & dignus qui Thracibus imperaret, paratus semper inferre bellum, vel accipere. Ab hac victoria Seleucus regnum Macedoniæ 7. mensibus tenuit. Quidam tamen volunt hoc tempore regnum ab Arsinoë uxore Lysimachi liberorum nomine administratum: certè hujus victoriæ fructu, atque regno diu Seleucus potitus non est.

In Italia iterum Galli Boji, Etruscique conspirant, & tantâ internecione deleti, à Q. Æmilio Consule, ut de fœdere cogitarent, quo demùm se victos confessi sunt. Videtur eodem anno C. Fabricius Consul alter Samnites Lucanos, Bruttios, magnis cladibus affecisse, Thuriosque obsidione liberasse, ac multis titulis triumphasse. Hic est Fabricius ob animi magnitudinem, & divitiarum contemptum, à scriptoribus multum, & numquam satis laudatus.

Hoc quoque anno bello Tarentino data est occasio. Tarentini ditissimi commerciis suis, bello adversus Romanos cum Samnitibus & Lucanis implicuerant sese, ita tamen ut auxiliares potiùs, quàm socii viderentur. Appulit ad hanc urbem L. Valerius classis Romanæ præfectus, sociam urbem, amicamque ratus. Hæc cùm visa esset à Theatro, unde prospectus in portum datur, in quo tum sedebant cives, ex scelerum, illatique belli injustè consciencia se appeti bello putarunt, itaque irruunt in Romanos, profligant classem, sex tantùm fugiunt naves. Missus in hanc urbem cum legatis aliis L. Postumius, qui de injuria quereretur, tractatus est ignominiosè, & dedecus, adjectum est damno. Quare contra violatores juris gentium, Senatus pop. Rom. decrevit bellum quod demum Italiam, Græciamque commisit.

OLYMP.CXXIV. *Mundi* Urb.Cond.
*ann.* 4. 3773. 473.

Seleucus cognomento Nicanor, victor victorum, uti se vocari volebat, ac ultimus commilitonum Alexandri, relictus in vivis, per insidias à Ptolemæo Ceraūno Ptolemæi, & Eurydices filio fratre Philadelphi ex patre, interfectus est. Huic successit Antiochus Soter in regno Syriæ. Porrò idem Ceraunus (ita dictus, quia audax manuque promptus, ardenter omnia susciperet, violenter exequeretur) Macedonum Regum trigesimus primus à Carano, invasit imperium, quod sit firmam pacem iniit cum Antiocho Seleuci filio, & Eumene ac Antigono Gonata, filiis Demetrii, cum hunc ex Macedonia depulisset. Exinde sororem suam Arsinoën, uxorem Lysimachi, sibi conjungi nuptiis peroptavit; sed ejus filios duos susceptos ex Lysimacho, Lysimachum annorum sexdecim, & Philippum annorum tredecim jugulavit, uxoremque relegavit in Samothraciam, quibus factis immanis vitricus, non jam fulminantis, sed fulmina cudentis, & Cyclopis promeruit nomen.

*Seleucus cæditur à Ptol. Ceraūno patri succedit Antiochus Soter.*

*Rex Macedonum Ceraunus, crudeliter regnare incipit.*

L. Æmilius Barbula Consul Tarentinos, Samnites, & Salentinos ingenti prælio devicit. Quare Tarentini extrema quæque à victoribus Romanis expectantes Pyrrhum Epirotam in auxilium suum evocarunt, bellum exitiale sibi, Romanis periculosissimum conflaverunt. Præmisit Pyrrhus Milonem ducem instructum copiis, & Cyneam eloquentiâ, rerumque gerendarum peritiâ. Hi Tarentinam arcem occuparunt, civibus non invitis, qui bellum hoc sine labore suo, ac sanguine geri vellent. Juncti tamen auxiliaribus copiis cum Æmilii iter impedire vellent, per eum locum transituri ex quo missilibus malè excipi posset, hic aciem suam captivis Tarentinis vallavit, qui dum sauciare timent suos, Romanos hostes illæsos abire passi sunt.

*A Romanis victi Tarentini Pyrrhum evocant.*

OLYMP.CXXV. *Mundi* Urb.Cond.
*ann.* 1. 3774. 474.

Galli Belgio duce Illyricum, & Macedoniam incursantes Ceraunum sibi obsistentem occidunt. Remiserat ille imprudens viginti millia armatorum, quæ Dardanus offerebat, & pacem oblatam, pecuniâ redimendam superbè rejecerat. Deletus tandem est, multisque vulneribus saucius in Gallorum potestatem venit. Statim ei rescinditur caput quod lanceæ præfixum totâ acie ad terrorem circumlatum est, inde cæsi, sine duce, dissipatique Macedones. Meleager quidem

*Ceraunus à Gallis occiditur.*

*Multi sub-*

*inde Macedonum Reges. Sostenes regnum administrat.*

dem Cerauni frater usurpavit regnum duobus mensibus, quo exautorato, sicut & Antipatro Cassandri fratris filio, qui tantùm diebus 45. solium occupavit, Softeni regnum offertur, quòd armatâ juventute Macedoniam à Gallis vindicasset; id autem administravit prudenter annis duobus, non Regis, sed Ducis nomine, pari sapientiâ, atque modestiâ.

*Pyrrhus transit in Italiam.*

Venit in Italiam Pyrrhus, & Jonium transiit mare, nondum satis apertum, quare tempestate, multas amisit naves. Is Tarenti receptus, primùm cum civibus magnâ humanitate egit, nihilque iis inconsultis gessit, ac recepto milite, tum demum intellexere Tarentini se dominum simul, & auxiliatorem accepisse. Pyrrho autem

*Romani vincuntur opera Elephantorum.*

oppositus est à Ro. P. Valerius Lævinus Consul, tùmque victi Romani, ab elephantis territi, quos Lucas boves appellabant, primùm in Lucania visos. Sed hæc victoria magno, victori stetit: nam ipse vulneratus est Pyrrhus, & longè plures è suis amisit, quàm victi; adeò ut diceret si victoriam similem consequeretur de se actum fore, ac similem suis hostibus apprecaretur. T. Coruncanius Consulum alter evocatur ex Etruriâ ad tuendam urbem cum ab ea Pyrrhus tantùm triginta sex millibus passuum distaret, unde tamen diligenter recessit, veritus ne ab utroque Consule includeretur. Tum missus est ad eum legatus Fabricius, ut captivos redimeret, eosque obtinuit gratis, si pax componeretur, secus in sua castra redirent. Dicitur eum Pyrrhus variis modis tentasse, multa ei munera obtulisse, quæ cum constanter repudiasset, ei etiam obtulit primum inter amicos locum, quibus omnibus irrisis, divitiis se ac honoribus, adeoque Pyrrho superiorem demonstravit.

*Fabritium magni facit Pyrrhus*

*Legio Campana cum Iubellio Rhegium occupat.*

Tum Campana legio cum præfecto Decio Jubellio à Romanis missa Rhegium, ut Rheginos tueretur, & occidit cives quorum ad præsidium venerat, & urbem occupavit. Hic Decius mox etiam à suis ejectus, & lippitudine laborans à medico Rhegino oculis orbatus præmium suo scelere dignum recepit.

OLYMP. CXXV. *ann.* 2. *Mundi* 3775. Urb. Cond. 475.

*Cyneas orator fœdus offert, repellitur.*

Cyneas orator missus Romam cum ornamentis muliebribus, viros eloquentiâ, fœminas muneribus delinivit, & inclinavit ad pacem; quam suadebant quoque Fabricius honoratus à Pyrrho, & captivi gratis remissi, & nisi fœdus iceretur ad vincula redituri. Sed hoc consilium gravi oratione discussit: itaque remissi Romani, Cyneas urbe facessere jussus, immò & Pyrrhus Italiâ, si pacem optaret. Disjecto itaque fœdere, iterùm pugnandum fuit, sed pari fortunâ cum superiori prælio, victorque Pyrrhus victoriam, sed Cadmeam retulit. Amisit enim suorum viginti millia, & signa quinquaginta tria, cum Romani tantùm suorum quinque millia, & undecim signa perdidissent: Verùm cladem eorum auxit Publii Decii Consulis cædes, qui avito patrioque more se devovit, certusque mori multos interemit. Tum quoque Elephantes Romani terrori esse desierunt, cum C. Minutius

*Pyrrhus victoriam iterum Cadmeam refert.*

*Decius se devovet.*

quartæ legionis hastatus, uni proboscidem abscidisset, & eâ parte vulneratas bestias facilè interire docuisset. Admoti quoque ferarum genitalibus ignes, atque curribus, eas in fugam compulere, & inflammatæ cum propugnatoribus turres, plus terroris Epirotis, quàm damni Romanis intulere.

*Eleph[...] tes R[...] mere nunt.*

Census tum habitus Romæ à P. Domitio primo de plebe Censore 278222. capita exhibuit, unde intelligere potuit Pyrrhus, quid sibi ab hac Hydrâ (sic vocabat Romam) expectandum esset.

*Censu[...] Roma[...] habit[...]*

OLYMP. CXXV. *ann.* 3. *Mundi* 3776. Urb. Cond. 476.

*Bren[...] Sosth[...] cadit*

Brennus Dux aut Rex Gallorum cum 150. vel 140. millibus peditum, equitum quindecim, vel decem millibus in Macedoniam irrumpit, Sosthenem obsistere ausum occidit, ejus copias numero obruit. Inde vastitatem magnam intulit regioni, & maximè templis, jlocalariter identidem repetens Deos locupletes, hominibus liberales esse oportere. Hac mente invadit Delphicum templum, planè dives, à quo saxis repulsus ab hominibus, à Diis terræ motu, tempestate, fulminibus, pænè suos omnes perdidit. Vulneratus ipse præ doloris impatientiâ sibi violentas intulit manus, suis ante præmonitis, ut Cichorio sibi Rege creato languentes interimerent, quorum 20. millia immaniter trucidarunt. Sic auspicatus regnum exit ex Græciâ Cichorius, cum decem millibus armatorum, qui à populis omnibus cæsi miserè omnes perierunt. Ita Diis etiam suis inanibus insultare Ethnicis olim perniciosum fuit.

*Ga[...] crile[...] le p[...]*

Sosthenis occupavit locum Demetrii filius Antigonus Gonatas, ita dictus à Gonis urbe Thessaliæ, regnavitque annis 36. cum in Græciâ annis duodecim, sed precariò tantùm imperasset.

*Sos[...] suc[...] An[...] Go[...]*

C. Fabricius Consul contra Pyrrhum missus medicum Pyrrhi pollicentem domini sui mortem toxico, vinctum ad eum remisit, admonitum ut videret quibus amicis fideret, quos hostes haberet. Grates habuit ille, ac sine pretio vicissim captivos abire sivit. Pugnavit tamen ad Asculum sed eventu dubio, & prælio in quo plures desideravit è suis, quàm Romanos interemit.

*Fab[...] Me[...] Pyr[...] acc[...]*

*Pu[...] Ro[...] rhi eve[...]*

Intereà Carthaginienses veriti ne Pyrrhus è vicino evocaretur à Siculis, eorumque res florentes satis in Siciliâ turbaret, centum viginti navium classem Magone duce auxiliatricem Romanis offerunt, ut qui ab hoste externo appeterentur, externis quoque juvarentur auxiliis. Actæ sunt pœnis gratiæ, sed remissa classis, ne, non auxiliatores, sed exploratores accessisse viderentur, aut devicti fortissimi Regis gloriam sibi arrogarent ex parte, quam totam sine alieno auxilio Romani speraverant.

*Ro[...] au[...] Pa[...] rej[...]*

Eodem porrò tempore retinebatur à Tarentinis, & accersebatur à Siculis, & revocabatur à Macedonibus Pyrrhus: & Macedones vacuum ostentabant regnum, Siculi offerebant Syracusas & Agrigentum, si contra Pœnos defenderentur.

*D[...] Py[...] in[...] re[...] M[...] ne[...] ci[...]*

rentur. Tandem prævaluit Sicilia, ut cogitatis ejus accommodatior, & quæ ipsi aditum ad majora patefaceret, essetque Italiæ atque Africæ subigendæ nexus. Incusabat tum nihilominus fortunam suam Pyrrhus improbæ liberalitatis, & quod ei simul nimis multas rei benè gerendæ occasiones offerret, ac quibus arripiendis par Ipse non esset. Reliquit filium suum Alexandrum apud Locros, Milonem Tarenti in arce, dolentibus civibus abire auxiliatorem, dominum remanere.

Discedente autem ex Italia Pyrrho, bellum gessit feliciter adversus Bruttios, Lucanos, Samnites, Tarentinos Fabricius, ut arguit triumphus ejus de his populis, etiam sine Pyrrho, vincere conantibus.

OLYMP. CXXV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3777. 477.

Antiochus Soter Macedoniam quam affectabat, relinquit liberam Antigono, & cum eo fœdus init. Galli eidem Gonatæ pacem sed venalem obtulerunt per legatos, quibus imprudentissimè thesauros suos ostentavit. Horum enim spe accensi Barbari omissâ pace in eum arma converterunt; sed à Ducibus Gonatæ feliciter oppressi sunt. Eorum reliquiæ Commotorio duce Thraciam invadunt, & Byzantium sibi pendere tributum cogunt, mox in Phrygiæ partem transituri, quod de suo nomine Galatiam dicent, victi etiam populis fortibus terribiles.

Pyrrhus adventans in Siciliam multas urbes deditione recipit. Carthaginienses profligat, Erycem expugnat, adeoque eos terret, ut militem Italicum scribere cogerentur. Igitur Rex ipse Siciliæ dictus, filium quoque suum Regem Siciliæ dicit, cui & hoc regnum deberi putabat, quia susceptus erat ex Lanassa filiâ Agathoclis Siciliæ Tyranni. Sed ridiculè Alexandro regnum Italiæ destinabat, à quo tam longè aberat, quàm Sicilia propè adhæret Italiæ.

Romani duce C. Junio Consule Samnitas invadunt, ac vincunt, eorumque agros depopulantur, sed dum incautiùs ad montes Cranitas, fugitivos persequuntur, multos è suis amittunt. Consulum alter P. Cornelius Rufinus ad Crotonem perrexit, evocatus ab amicis Crotoniatis: sed jam eum prævenerat Nicomachus à Milone Tarento missus, qui & Romanos confidentiùs quasi ad urbem jam amicam accedentes malè accepit. Paulò post tamen idem Rufinus, & Crotonem occupavit, & Locris potitus est ejecto Alexandro, quasi fortunâ illatâ priùs ipsi damna sarciente. Hic est Rufinus cui Fabricius Consulatum ut viro forti, sed grassatori detulit, malens compilari, quàm venire.

OLYMP. CXXVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3778. 478.

Pyrrhus in Sicilia prælia adeò multa, secundaque fecit adversus Carthaginienses, ut hi cum illo honestis conditionibus depacisci peroptarent: at eos non aliter audire voluit, quàm si ocyus abirent ex tota Sicilia. Malè etiam tum habuit Mamertinos, quod Græcos Siculos attererent, missosque ab iis vectigalium exactores occidi jussit. Hoc felici rerum suarum statu cœpit insolescere, & iis insultare à quibus accitus erat, quoniam eum sequi in Africam recusarent, aut ei tanquam domino parere. Ex iis Sostratus ab eo defecit, ejusque amicus Phœno quasi particeps ejus consiliorum interfectus. Ab hoc tempore Siculi aut ad Carthaginienses, aut ad Mamertinos respexere. Accessit & irritus ejus Lilybæi occupandi conatus, qui odio contemptum adjunxit. Quibus permotus, & aliunde evocatus à Tarentinis respexit Italiam, magna suscipere solitus, eademque infecta relinquere. *Siculos malè accipit, inde res ejus defluxere.*

OLYMP. CXXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3779. 479.

Hiero filius Heroclis hoc anno στρατηγὸς à militibus creatus est, cujus suffragii prærogativam probavit populus Syracusanus: is hoc munere septem post annis sibi ad Tyrannidem viam muniit. *Hiero dux Syracusanorum.*

Rediit in Italiam, & Tarentum Pyrrhus, cum 20. peditum, tribus equitum millibus. Pergitque adversus Romanos in Samnium, & partem exercitus mittit in Lucaniam, ut Consulem utrumque distineret, nec unus alteri posset esse auxilio. Erant ii M. Curius Dentatus (ita dictus à perpetuo ei osse pro dentibus) & L. Cornelius Lentulus. Contra Curium venit Beneventum, ubi & cladem aliquam accepit in collibus, mox & in campis, ubi & æquo Marte certavit, & victus etiam sua castra perdidit. Quare de Pyrrho triumphavit eodem anno Curius, ductis etiam in pompa elephantis, qui tantum lætitiæ tum Romanis præbuerunt, quantum olim terroris injecerant. *Redit in Italiam Pyrrhus.* *Curius Pyrrhum bis vicit.*

M. Fabricius Censor lustrum condidit quò censa civium capita 271224. nihil imminutum tot bellis populum Rom. docuere. *Lustrum à Fabricio conditum.*

OLYMP. CXXVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3780. 480.

Discedit ex Italia Pyrrhus in Epirum suam quasi mox rediturus Milone Tarenti relicto cui & sellam dedit loris strictam atque stratam ex pelle Niciæ proditoris, terriculum proditionis. Reliquit & Tarenti filium suum Helenum, qui quo posset modo urbem in officio contineret, ipse cum octo millibus peditum, & quingentis equitibus transfretavit. Statim deficiente pecuniâ, in Macedoniam collectâ Mercenariorum manu irruit, militemque onustum spoliis, fecit oblivisci stipendiorum. Tum etiam pleræque urbes ne diriperentur, & vastarentur earum agri, sese sponte dediderunt. Sed nihil æquè res ejus promovit, ac Macedonica Phalanx, præsidium regni, quæ tota ferè in partes ejus transiit. Hujus omnes ductores agnoscebat Pyrrhus, quos nominatim vocatos ad se pellexit, reliquos tergiversantes cecidit. Quare Antigonus undequaque pulsus Thessalonicam recepit sese, pretiique loco duxit aliquas urbes maritimas retinere, reliquis Pyrrho victori relictis. Tum igitur Macedonicum regnum sibi tam facilè paratum, Pyrrhus retinere, ac firmare cupit. Itaque Taren- *Discedit Pyrrhus in Italia.* *Irruit in Macedoniam, & eam occupat.* *Omittit Tarentum Pyrrhus.*

Tarento Milonem, & filium Helenum ad se redire jussit: hic statim paruit, hic tandiu hæsit in arce quandiu per Romanos, & Tarentinos licuit, quorum hi Duce Nicone obsederunt arcem, illi deditionem honestam facere compulerunt. In quo felicior Domino suo fuit; quod dives, & honoratus à Romanis in patriam redierit.

---

## CAP. IX.

## *Decas Nona.*

### *Ab anno* 3780. *ad* 3790.

OLYMP. CXXVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3781. 481.

*Philadelphus init fœdus cum Rom.*

PTOLEMÆUS, Philadelphus cum Romanis societatem iniit, agnitis eorum præclaris facinoribus adversus Pyrrhum. Remisit ad eum Senatus legatos C. Fabium Gurgitem, Q. Fabium Minucium Pictorem, & Q. Ogulnium, seu Gulonem, quos Rex magnis muneribus exornatos, & regiè exceptos reduci curavit. Dona legati in ærarium referre voluerunt, sed Senatus ea sibi retinere jussit, bis eadem meritos, cum patriam potiùs, quàm se locupletem maluissent.

*Gonatas iterum victus.*

Pyrrhus totâ ferè Macedoniâ potitur victo per filium suum Ptolemæum Antigono Gonatâ, qui geminâ prostratus clade, latebras primùm quærere, mox solitudines captare coactus est. Tum ineptissimè huic Pyrrhus insultavit, eique vicissitudinem fortunæ exprobravit, quam ipse mox acerbiorem experturus esset. Inde gratulationes ad Pyrrhum Atheniensium, Messeniorum, Achivorum per legatos suos, quibus elatus vir inquietissimæ superbiæ, Græciæ, sibi atque Asiæ imperium informavit. Hæc se commoda dedit occasio. Cleonymus ex regia familia, sed turbulentus, & Spartanis parum acceptus, dolebat regnum esse in manu Arii; seu Arei, nepotis sui, qui fuerat ipsi prælatus. Præterea Chelidonis ejus uxor quam adolescentulam senior duxerat, frigidum ejus cubile fastidiebat, & se Acrotato Arei filio addicebat: his duabus facibus inflammatus ambitione, & Zelotypiâ Pyrrhum in Laconiam evocavit, & privatas injurias patriæ suæ, regnique Spartani ruinâ ulcisci decrevit.

*Pyrrhus sibi Græciæ, & Asiæ imperium informat.*

*Pyrrhus in Spartanos movet.*

*Vestalis incesta.*

Romæ Consulibus C. Fabio, & C. Claudio Caninâ, mulieres gravidæ moriebantur, priusquam maturos ederent fœtus: eadem quoque pestis in animalia desæviit, quorum malorum causa credita est Sextilia virgo Vestalis, incesti rea; ideò viva defossa ad portam Collinam violatæ pudicitiæ simul & desolatæ patriæ pœnas dedit.

OLYMP. CXXVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3782. 482.

*Spartam invadit Pyrrhus à qua rejicitur.*

Pyrrhus in Laconicum agrum descendit cum viginti quinque millibus peditum, equitum duobus, ac viginti quinque Elephantis. Et Spartam occupasset, si, ut monebat Cleonymus, eam imparatam aggressus esset & carentem muro. Sed imprudentissimè aggressionem distulit in sequentem diem quando reperit urbem, fossâ plaustrisque munitam, atque præcinctam. Nihilominus ea capi poterat, nisi meliùs defensa, quàm oppugnata fuisset. Ideo Chelidonis verita, ne veniret ipsa in Cleonymi manus, restim inseruit collo, & pependit ex trabe. Superavit etiam Pyrrhus vallum semel, sed effusus equo tantùm non captus est. Quam ob causam, & supervenientibus Areo ex Creta, atque Gonatæ auxiliis, spe urbis obtinendæ dejectus Argos venit; eò enim ab Aristia Argivo contra Aristippum popularem suum evocatus erat, urbe in duas factiones distractâ. Dum eò pergit dispositis ab Areo insidiis vexatus est, in quibus Ptolemæum filium fortiter pugnantem amisit. Ipse vicissim immisso in Lacedæmonios equitatu eosdem concidit ad satietatem, multoque sanguine filii manibus verè parentavit.

Argos cum accessisset Antigonum loca superiora insidentem: etiam probris lacessivit ad pugnam, quam ille sapienter detrectavit. Interim aperitur Pyrrho urbis porta ab Aristia, vicissim altera panditur Antigono, & in urbe utrimque pugnatur acriter. Verùm Areo superveniente ensim repellitur Pyrrhus: itaque Helenum filium monet extra urbem cum parte copiarum relictum ut adsit suis, sese ex urbe cum tumultu recipientibus. Hic, malè audito nuncio, vel percepto, urbem imprudenter ingreditur, sicque exitum Epirotis claudit, & patri. Redintegrato certamine Pyrrhus vulneratur ab Argivo, quem ipse dum parat cædere, mater ejus in Pyrrhi caput ingentem molam ex domus fastigio librat, quâ prolapsus, oculis caligantibus ruit. Agnitus mox à Zopyro capite truncatus est; quod oblatum Antigono, is cum reliquo corpore, cremari jussit, atque Heleno reddi, facta eidem Heleno, suis copiis spoliato, in Epirum redeundi potestate. Is exitus Pyrrhi fuit, qui neque victus, neque victor, nisi solâ morte quiescere potuit.

Hoc anno finis impositus est demùm Samnitico bello post annos septuaginta duos. Tum enim victi per Spurium Carvilium Samnites, Lucani ac Brutii per L. Papyrium Cursorem, ambos hujus anni secundùm Consules. Tarentini autem auditâ Pyrrhi nece, Miloni perinfensi Carthaginiensium implorarunt opem, à quibus Arx obsessa maritimis copiis. Sed mox iidem Tarentini se quoque Romanis dediderunt. Pressus igitur utrimque Milo Arcem Romanis reddidit, cum pecuniis abire permissus, & quia Tarentini sponte se subjecerant, iisdem pax, libertasque data. Utrum autem tum fuerit à Romanis, vel Carthaginiensibus peccatum, hi ajunt, illi negant: hoc certissimum, æmulam utrumque populum inde inimicitiarum causam suscepisse.

OLYMP. CXXVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3783. 483.

Aristotimus Epirota Spreto Heleno, quem sine exercitu remiserat Antigonus, in Epirum Tyran-

Tyrannidem invadit, sed quam ultra quintum mensem propter importunitatem non tenuit. Cum enim rogatus esset ab Ætolis, ut exulum conjuges & liberos redderet, eas omnes congregasset, ac postea dirissimè, ac turpissimè excepisset, per Philoxenum quemdam senem, & orbum insigni stratagemate sublatus est, dicitque eos plurimùm reformidandos esse, qui nihil habeant præter vitam, quam amittant.

Epicurus annos natus septuaginta duos obiit ex calculo post quindecim dierum morbum cùm in pelvim calentibus aquis plenam descendisset, haustum meri postulasset, & rogasset amicos ut dictorum à se memores essent: cujus hominis nomen fuit deinceps, quàm doctrina turpius.

Rhegini sibi antea à Pyrrho, atque Carthaginiensibus metuentes obtinuerant à Romanis quatuor millium præsidium, qui mox civitatem sibi vindicarunt, civibus pessimè tractatis Crotonem proditione captum everterunt, & Romanos ibidem inventos trucidarunt. Tum C. Genutius Clepsina secundùm Consul eos obsedit; duravitque obsidio longiùs quàm rebellium numerus postulabat; ideò Romanos esurientes Hiero Siculus ex vicino juvit. Multis in propugnatione murorum, cæsis, trecenti demùm vivi capti sunt, Romamque missi, virgis in foro lacerati, securi percussi sunt, brevi utique, levique supplicio diuturnæ immanitatis.

OLYMP.CXXVII. *Mundi* Urb.Cond.
*ann.* 3. 3784. 484.

Antigonus Gonatas multis urbibus receptis in Græcia post obitum Pyrrhi aggreditur Spartanos, jam Pyrrhi bello concussos. Sed ejus conatum represserere Gallogræci ex Bithynia effusi, qui evocati erant à Bithynorum rege, & partiti, cum eo regionem eam de suo nomine Galatiam, vel Gallogræciam dixerant, quod essent Gallorum, Græcorumque convenæ. Ii igitur in Antigonum arma moverunt; sed priùs quasi placaturi Deos qui malis ominibus infausta portendebant, iis uxores suas, ac liberos immolarunt. At statim tanta internecione, deleti sunt, ut in homines crudeles atque parricidas cœlum cum terra consensisse videretur. Victorem Antigoni exercitum timuere Spartani, timuit Ptolemæus qui in eorum auxilium venerat, itaque bellum ducere ex superioribus, tutisque locis decreverunt, & ejus furorem restinguere patientiâ, cujus ardorem reprimere fortitudine non poterant.

Mortuus est hoc anno Strato Lampsacenus Theophrasti successor, qui posteaquam annis duodeviginti Scholæ Peripateticæ præfuisset, Lyconi reliquit locum. Fuit ille Strato disertissimus, simulque naturæ scientissimus, unde & Physicus ὁ φυσικώτατος dictus est, Demetrio Phalereo familiaris, & Præceptor Ptolemæi Philadelphi, à quo talentis octoginta donatus fuit, Minervali, & dante, & accipiente, digno.

Obiit item Polemon Philosophus Philostrati filius, qui cum temulentus è convivio, atque coronatus in Xenocratis Scholam petulanter irrupisset, eumque audiisset de pudicitia perorantem, ita mores mutavit suos, ut Xenocrati succederet, disertissimusque magister præmium orationis suæ, atque sapientiæ talem discipulum mereretur.

Romæ hyems tam dira sævIit, ut Tiberis ad magnam altitudinem conglaciarit, aruerint arbores, jumenta ac pecudes passim inopiâ pabuli interierint. Eo tamen anno C. Cornelius Blasio Consul de Sassinatibus triumphavit; neque Romanorum militarem ardorem frigus coercuit. *Romæ hyems dirissima.*

OLYMP.CXXVII. *Mundi* Urb.Cond.
*ann.* 4. 3785. 485.

Antigonus convertit exercitum in Atticam & Athenas terrâ, marique acriter oppugnat. Misit tamen in hujus urbis auxilium Ptolemæus Patroclum cum classe, misit & suam Areus Lacedæmonius contra communem hostem: sed hæc auxilia non impedivere quominus civitas ista anno insequenti dederetur Antigono usque adeò hisce temporibus, servitus Atheniensibus erat innata. *Antigonus omissa Sparta invadit Athenas.*

Hiero hactenus tantùm Imperator à Syracusanis acclamatus, hoc demùm anno quod Mamertinos ingenti clade perculisset Rex salutatus est. Itaque Siciliæ quasi jam suæ invigilavit deinceps adversus Carthaginienses, atque Mamertinos, domesticos, & externos hostes. *Hiero creatur Rex Syracusanus.*

Consulibus C. Fabio Maximo Pictore, & Q. Gulone, seu Ogulnio bellum contra Picentes commotum est. Quo etiam tempore cum Ædiles duo contentione quadam exortâ legatos ex urbe Apollonia missos pulsassent, eos dedi Apolloniatis Senatus jussit: tanti jus gentium apud Romanos omnium victores fuit. Tum etiam primùm Romæ argentum signatum ut Plinius scribit (Eusebius biennio ante refert) Romanis scilicet divitibus ex præda Samnitium, Tarentinorum, & maximè Pyrrhi, ac denique imperatis tributis. Mirum tandiu victorem populum argenteâ pecuniâ caruisse, magno utique frugalitatis argumento. *Bellum contra Picentes.* *Primum Romæ argentum signatum.*

OLYMP. CXXVIII. *Mundi* Urb.Cond.
*ann.* 1. 3786. 486.

Premebantur interea Athenæ vehementer à Gonata, neque satis ab auxiliaribus copiis juvabantur. Quamquam enim Patroclus Ægyptiæ classis præfectus victoriam navalem retulisset, terrestri tamen certamine congredi ausus non erat. Areus autem deficiente commeatu Spartam suam repetere coactus erat. Alexander autem Epirota incursarat Macedoniam, & patrem ultus videbatur esse, sed ab obsidione non retraxerat Antigonum. Itaque fracti malis Athenienses, omnique spe dejecti præsidium Macedonum in Museo accipere coacti sunt, & libertatem aliàs quæsitam tam fortiter, nunc tot adulationibus, infeliciter perdidere. *Athenæ se dant Gonatæ.*

P. Sempronius Sophus Consul collega Appii Clodii contra Picentes duxit exercitum. Paratis utrimque, ordinatisque copiis terra contremuit, cui Consul vovit ædem, & vicit. Sed tam victi *Victi Picentes, vota ædes Telluri.*

victi quàm victores pauci ex prælio atroci rediere superstites, tantùm humani sanguinis tum hausit, ut præsago motu, intremuisse crederetur. Ductæ à Consulibus duæ Coloniæ Ariminum in Galliam, Beneventum in Samnium abundasse tum Colonis Romam docuere.

OLYMP. CXXVIII. *ann.* 2. *Mundi* 3787. Urb. Cond. 487.

*Antigonus vincitur ab Alexandro, qui fit Rex Macedonū.*

Compositis in Græcia rebus Antigonus Gonatas revertitur in Macedoniam, unde cum vicem reponere parat Alexandro, militibus suis ad Epirotam transeuntibus exercitum amisit & regnum. Sed id post sex annos Demetrius Gonatæ filius recuperavit Alexandro depulso: tam facilè regnum hoc illustre principes accepit, ac perdidit.

*Bellum contra Salentinos, qui vincuntur.*

Consulibus M. Attilio Regulo, & L. Julio Libone Salentinis indictum est bellum. Prætextus fuit quod recepissent Pyrrhum, & socios infestassent; causa verò ut Rom. Brundusio potirentur unde facilis in Illyricum & Græciam trajectus. Pastoritia Pales ex hoc bello templum sibi votum, Attilius victor triumphum retulit.

OLYMP. CXXVIII. *ann.* 3. *Mundi* 3788. Urb. Cond. 488.

*Salentini bellum reparant cum Sassinatibus.*

Coss. D. Junio Pera, & M. Fabio Pictore rebellavere Salentini, & Sassinatibus juncti in se Romanorum arma concitarunt. Verum belli hujus memoria deleta est, nec nisi in tabulis Capitolinis, & triumphorum albo remanet.

OLYMP. CXXVIII. *ann.* 4. *Mundi* 3789. Urb. Cond. 489.

*Moritur Areus.*

Mortuus est hoc anno Areus, seu Arius Rex Lacedæmoniorum, non tantùm in Historia prophana, sed & sacra & libris Machabæorum notus.

*Lustr. Romæ*

Lustrum hoc anno habitum Romæ civium 292224. capita obtulit.

*Volsin. servi à Rom.*

Volsinienses apud quos Saturnaliorum in morem servi Dominis suis imperabant opem Romanorum semper afflictis paratam implorarunt. Insolentes illos servos Q. Fabius Maximus Gurges tertiùm Consul retudit, & acie victos in urbem Volsinium compulit; verùm eos dum obsidet vulnus accepit, ex quo occubuit, genere mortis, si causam auctoresque spectes, abjectiori.

*Mam... causâ ... mi ... Pun...*

Mamertini latrones, qui Messanam occuparant, vicinis terrori fuere, quandiu iis Præsidiarii Romani ex urbe Rhegio tulerunt opem: Verum iis exterminatis, ab Hierone grandi affecti sunt clade. Cùm indigerent auxilio, eorum quidam Carthaginienses advocavere, qui cum classe non procul aberant; alii Romanos appellavere, à se tantùm freto Siculo disjunctos. Adfuere priores Pœni quibus Arx urbis tradita. Romani autem diu tergiversati an grassatoribus ferrent opem, hærebant ancipites, Senatu hæc auxilia sanctè improbante, populo acriter postulante. Tandem populus evicit, & ex plebiscito Appio Clodio mandatum uti Messanam adiret. Ea res duos populos illustrissimos commisit, ac servorum causâ susceptum bellum, his totius orbis imperium attulit, illis servitutem.

Dum autem bellum utrimque magnis animis parabitur quia jam volumen hoc sic excrevit, ut superiori geminum, & simile esse desierit, hic resecetur, & consistet; sicque ex illustri Epoche *Primi belli Punici*, partis hujus secundæ Segmentum alterum nobilius orietur.

# *Finis Partis Secundæ Tom. I.*



SEG-

# SEGMENTUM ALTERUM PARTIS SECUNDÆ TOMI PRIMI

CONTINENS RES GESTAS A PRIMO BELLO PUNICO,

*AD CHRISTUM NATUM.*

AUTORE

*PHILIPPO BRIETIO*

ABBAVILLÆO

*Societatis JESU Sacerdote.*

## SEGMENTUM ALTERUM PARTIS SECUNDÆ TOMI PRIMI.

HACTENUS *Populus Romanus in Italia quid posset ostenderat, & adolescenti similis abesse ab oculis Matris reformidarat: nunc, quasi vir factus, majora cogitavit, & se non Italiæ modò, sed & orbi regendo putavit parem. Urbes adhuc & non grandes populi fuerant materies multorum triumphorum: deinceps singulatim Provinciæ, atque regna triumphata sunt; nec jam Romæ milites, & ordinum ductores in catenis, sed Dynastæ ipsi atque Reges ostentati sunt: Tumque intellexere nationes, eos verè totius Orbis dominos esse, quorum in oculis, Principes mancipiorum cultum induebant. Verùm tandem quæ orbem universum devicerat Roma, ipsa se vicit, ne quid invictum in terris reliquisse videretur; & quæ tot sustulerat Principes Augusti Cæsaris imperio subdita est, cujus tempore venit in Orbem Christus, verus & unicus hominum Princeps; ut mortales omnes agnoscerent se tantum subditos esse Deo, & hominum imperia, nihil aliud esse præter Dei servitutem.*

# LIBRI V.
# ULTIMA DECAS
## *Ab anno Mundi* 3790. *ad* 3800.

OLYMP. CXXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3790. 490.

*Eumenes post Philetærum Pergami regnat.*



PERGAMI principatum tenuit Eumenes post Philetærum annis duobus supra viginti. Philetæro autem duo fuere fratres hic Eumenes, & Attalus qui ambo duos filios sibi cognomines pepererunt regni Pergameni propagatores. Sic huic Eunucho primo Principi Pergameno soboles fraterna non defuit.

*Zeno Cyprius moritur.*

Mortuus est ætatis suæ anno nonagesimo octavo, cum Stoicorum Scholæ annis quinquaginta octo præfuisset Zeno origine Cyprius. Hunc ferunt è vivis abiisse sine morbo, & tantùm deficiente naturâ: alii tamen eum se strangulasse credunt monitu genii sui; alii fame, alii lapsu periisse. Curatum ejus funus Athenis magnificè, cùm ob diuturnam professionem, tum ob suavissimos, & homine Philosopho dignissimos mores.

*Appius Claudius Caudex inchoat PRIMUM BELLUM PUNICUM.*

Appius Claudius, Caudex cognominatus, quod primus ad bellum navibus, ac classe usus esset, hujus anni Consul PRIMUM PUNICUM BELLUM inchoavit. Trajicere conatus in Siciliam tempestate coortâ, & Pœnis insuper obsistentibus, multas naves amisit. Has tamen reddidere Carthaginienses, ne huic bello causam præbuisse viderentur. Appius tamen exploratâ freti Siculi naturâ, invitis Pœnis Messanam appulit cum copiis, autorque fuit Mamertinis clam evocandi ex arce Hannonis, atque in carcerem compingendi. Quod cum agnovissent Pœni, jubent Romanos facessere Siciliâ, non obsequentibus bellum indicunt, & in suis omnibus castris repertos Italicos milites crudeliter interficiunt. Tum obsident Messanam cum Hierone. Consul autem dum fingit repetere Italiam, mox navigatione conversâ appellit ad Siculum littus non longè à castris Hieronis, eumque devictum in montes compellit. Oppugnavit & Punica castra, immò & Syracusas, sed utrobique irrito conatu; quando tantùm non interceptus est. Tandem peste ac fame pressus relicto Messanæ luculento præsidio Romam rediit, triumphaturus, cum vix bellum esset inchoatum.

*Volsinium captum & eversum à Rom.*

Consulum alter M. Fulvius Flaccus Volsinium cepit & evertit, servos propugnatores urbis, at dominis suis infidos tormentis excruciatos necari jussit, fidos verò alio in loco habitare jussit, ac de his omnibus triumphavit, quando & triumphus servili nomine videtur fuisse funestatus.

*Gladiatores Romæ*

Tum primum Marcus, & Decimus Bruti in honorem patris sui demortui tria gladiatorum paria commisere, impiâ parentatione, & quæ posteà humani sanguinis plurimùm specie pietatis immaniter effudit.

## CAPUT. X.
### *Decas Decima.*
*Ab anno* 3790. *ad* 3800.

OLYMP. CXXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann* 2. 3791. 491.

AMbo Consules Man. Valerius Maximus, & Manius Otacilius in Siciliam cum copiis trajicere jussi sunt, ubi septem atque sexaginta urbes in potestatem suam redegerunt. Collecto igitur ex dedititiis grandi exercitu Syracusas oppugnaturi veniunt: Verùm occurrens illis Hiero pugnavit feliciter, multos captivos abduxit, & servavit urbem. Cum tamen idem Hiero posteà adversus Valerium malè pugnasset, obsessæ iterùm Syracusæ. Itaque videns sibi rem esse cum hominibus cedere nesciis, pacem petiit à Romanis, quam obtinuit urbibus redditis quas occuparat, & centum talentis persolutis, ut servaret regnum. Perstitit autem fidelis annis quinquaginta, magno utique commodo dantis fidem, & accipientium.

OLYMP. CXXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3492. 49[illegible].

Antiochus Soter regni sui anno undevigesimo obiit. Successit ei filius ex Stratonice Antiochus cognomento ὁ Θεός, quod nomen accepit à Milesiis adulatoribus, cum eorum tyrannum Tymarchum sustulisset, opere plane quod saperet Deum, cujus tantùm manu mali populorum rectores debent exterminari.

Tum Demetrius Antigoni Gonatæ filius pænè puer absente patre reparato exercitu non modo amissum regnum Macedoniæ recepit, sed & Alexandrum Epiri regem qui Patrem Gonatam regno spoliarat, exuit suo, atque ad Arcadas fugitivum abire compulit. Idem tamen Alexander paulò post revocatus à suis didicit & lubricam esse principum dignitatem, & miseris spoliatisque Regibus numquam esse desperandum.

Nicomedes Bithyniæ Rex, ut Eusebius tradit, Astacum amplificavit, & de suo nomine Nicomediam dixit, urbem inter Orientales illustrem, & principum deinceps Bithynorum primariam.

Carthaginienses Hannone duce belli sedem adversus Romanos eligunt Agrigentum, quò plurimum commeatum convehunt, & grandes copias mercenariorum advocant. Duo Consules L. Postumius Megillus, & Q. Mamilius Vitulus hanc urbem belli caput obsederunt, ubi tam oppugnatores, quàm propugnatores fame

morbis·

morbisque debilitati prælium atrox ineunt. Romani vincunt, Pœni amissis Elephantis, multisque opibus Heracleam profugiunt. Captum Agrigentum, cives spoliati ac venditi durissimas hospitii pœnas dedere, Consules alterum de Carthaginiensibus triumphum meruerunt.

OLYMP. CXXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3793. 493.

Consules L. Valerius Flaccus & T. Ottacilius Crassus, Siciliam quoque adeunt ambo, multasque mediterraneas civitates sibi adjungunt: at maritimæ metu Punicæ classis in officio continebantur, vel à Rom. deficiebant. Præterea eadem classis Italicam populabatur oram, & in varia loca aut bellum, aut belli metum circumferebat. Romani itaque qui hactenus Locrensium, Rheginorum, & Tarentinorum navibus usi erant, nacti Punicam navem quæ ad oram suam impegerat, huic similes ædificare nituntur. Dum paratur Romana classis Hannoni abrogatur imperium, eique subrogatur Amilcar Barcino, quasi is cladem Agrigentinam sarcire posset: additus quoque huic Annibal senior qui præesset classi, ut duobus Consulibus: duo Pœni duces objicerentur.

OLYMP. CXXX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3794. 494.

C. Cornelius Scipio, & C. Duillius Nepos Coss. paratam à Romanis classem 130. navium conscenderunt. Primus Scipio Messanam appulit, unde ad Liparam proditoriè invitatus, operâ Boodi legati Annibalis oppressus est, vivusque captus cum aliquot Tribunis missus est Carthaginem ubi in vinculis necatus est, expertus in insidiis, capturâ, nece, Punicam fidem. At ejus collega Duillius paratis Corvis in suis triremibus perrexit in Annibalem, ejus naves 50. cepit, & inter reliquas Prætoriam ipsam, cæteras fugavit. Corvis enim suis effecit ut statariam quasi pugnam Pœni inire cogerentur, quâ Romanis inferiores erant. Elapsus Annibal ex Prætoriâ navi in Scapham, atque ut potuit classem reparavit. Consul exscensione factâ in Siciliam Ægestanos obsessos liberavit, oppidum Macellum expugnavit. Vicissim Annibal quatuor millia Romanorum, qui ob enatam in prædæ divisione controversiam, secesserant concidit, ac deinde cum reliquiis suæ classis Carthaginem revolavit. Hic in Concione populum interrogavit, utrum classe pugnaret adversus Romanos, cui cum populus assensus esset, pugnavi, inquit, & victus sum; sicque pœnam crucis non effugit modò, sed & cum novis navibus remissus est in Siciliam. Duillius autem revectus Romam triumphavit, & quandiu vixit retentâ quadam triumphali specie quotidie triumphare conatus est, admotâ sibi tibicine ad cujus cantum quotidie è cœnâ revertebatur.

OLYMP. CXXX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3795. 495.

C. Aquilius Florus in Sicilia impedit quò minus hæc tota veniret in Carthaginiensium manus. Hic enim Amilcar urbes plurimas vi, aliquas proditione cepit, quando & Drepanum muniit, & Etycem, ne usui esset Romanis, evertit.

*L. Cornelius Scipio benè gerit in Corsica vovet ædem tempestati.*

Ejus autem collega L. Cornelius Scipio Barbati filius cum duceret classem in Corsicam, ventis exagitatus ædem Tempestati vovit, ac posteà structam dicavit. In hac cepit Aleriam primariam insulæ civitatem. Inde perrexit in Sardiniam ubi & potitus est Olbia urbe, singulari stratagemate. Porrò in urbis hujus oppugnatione cecidit Hanno, ab eodem Scipione magnifico elatus funere, ut virtute cum Pœnorum furore certaret, qui affinem suum crudeliter sustulerant. Quibus gestis meritò triumphavit, non uno tantùm, sed multiplici triumpho dignus.

*Romæ servi meditantur urbem incendere.*

Eodem anno Romæ servorum tria millia & quatuor millia sociorum navalium, de incendendâ urbe conspirarunt. Patefacta est per Ælium quemdam Potilium conjuratio, qui eam adornarat ut patefaceret, & multorum supplicio perfidè sibi gloriam, mercedemque quæreret.

OLYMP. CXXX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3796. 496.

*Duo Consules vario eventu pugnant in Sicilia.*

Consules A. Atilius Calatinus, & C. Sulpitius Paterculus ambo de more in Siciliam missi, qui & Pœnis prodire non audentibus insultant. Atilius Hippanam, Mytistratum, & Camarinam capit: & Mytistratum obsidione 7. mensium cinxit tertiò repetitâ; ideoque ferro & flammis in obstinatam urbem sævitum. Camarinam quoque cum expugnasset machinis ab Hierone missis, universos ejus cives sub coronâ vendidit. Ad hanc porrò urbem Calatinus perierat insidiis circumventus nisi eum, atque copias M. Calpurnii Tribuni militum virtus periculo liberasset. Hic cum trecentis sociis evasit in tumulum fortiter, omniaque hostium tela in se convertit, occupato adversus eum, distentoque hoste, Consul ex locis iniquis evasit, trecenti milites illi omnes interierunt, Calpurnius vulneribus deformatus inter cadavera inventus diligenter sanatus est, atque in triumpho Atilii nobilissima pars pompæ fuit.

*Calpurn. Trib. mil. servat Consulem & exercitum.*

*Annibal Gisconis filius victus ab Atilio à suis cæditur.*

Consulum alter Sulpitius post vexatam feliciter Sardiniam, Africam invadere cogitat. Annibal Gisconis filius patriæ metuens eodem pergit, sed ambo adversâ tempestate repelluntur. Deinde Annibalem per transfugas subornatos decepit Atilius, quasi Romani iterum Africam tentaturi essent: itaque statim ille solvit è portu: verùm incidit in Sulpitium qui multas ejus naves demersit, alias ipse vacuas reliquit hosti, fugitque Sulcos in urbem Sardiniæ, ubi coortâ seditione à suis interemptus est. Polybius in crucem actum scribit, Orosius lapidibus obrutum, pœnâ utrâque dignâ ignavo, atque fugitivo.

OLYMP. CXXX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3797. 497.

*C. Atilius Seranus Pœnos periculosè vincit.*

C. Atilius Seranus (ita dictus quod missi ad eum Consulem salutandum, semen manu suâ spargentem deprehenderant) ad Tyndaridem Siciliæ portum applicuit. Unde cum vidisset Carthaginiensium classem satis incomposite præternavigantem, eam cum decem navibus aggreditur, reliquis subsequi jussis. Sed eas decem,

cem, pluribus Pœni aggressi corrumpunt, & periculum adibat Prætoria, nisi remigum incredibili contentione subducta foret. At reliquæ naves Romanæ adventantes, eis reposuerunt vicem; decem enim capiunt cum militibus, octo deprimunt, reliquas in Liparam fugant, ita Consulis sui temeritatem fortitudine suâ Romani emendavere.

OLYMP. CXXXI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3798. 948.

*Antigonus Gonatas libertatem Athen. reddit.*

Antigonus Gonatas hoc anno libertatem Atheniensibus reddidit, deducto ex Museo Macedonum præsidio. Eos enim sibi demereri voluit, & astringere, benevolentiâ potius quàm vi; cum illa aut semper, aut diu vigeat, hæc tantùm duret quantùm violentia, quæ non solet esse diuturna.

*Victi Pœni à M. Atilio Regulo & Vulsone Coss.*

M. Atilius Regulus, & L. Manlius Vulso hujus anni Consules cum classe trecentarum, & quadraginta navium in Africam trajicere parant; quibus oppositi Annibal, & Hanno cum triremibus paulò pluribus eos aditu prohibere student. Commissum tandem inter utramque classem certamen, quo Romani superiores extitere amissis tantùm navibus 24. sine vectoribus, cum Pœni triginta è suis demersas, sexaginta sex cum hominibus captas perdidissent. Quare victrix Romana classis versus Africam vela facit, quò tendit quoque Hanno, ut patriam tueatur, sed fugienti quam propugnatori similior.

*Rom. Clypeam capiunt & Africam populantur.*

Consules igitur exscensionem ad Clypeam faciunt, qua urbe statim fortitudine suâ, & formidine oppidanorum potiuntur. Inde vastitatem agris inferunt, corrumpunt ædificia pulcherrima, quæ hostem, & armatum numquam viderant, immensam abigunt vim pecoris & armenti, ac captivorum 20. millia, præter suos, quibus compedes fregerant.

*Relinquitur in Africa Regulus.*

Interea litteræ à Senatu deferuntur quibus imperatur ut Consulum unus maneat in Africa, alter redeat Romam. Manlius cum 27. millibus captivorum pergit ad triumphum de victoriâ navali, Atilius restat in Africa cum navibus 40. quindecim millibus peditum, & equitibus quingentis, sed restat ad vincula, & indignam tam illustri capite carnificinam.

*Regulus rem egregiè gerit in Africa.*

Ac principio oppositos sibi tres Imperatores Asdrubales duos, & Amilcarem repulit: (alii Bostoarum unius Asdrubalis loco substituunt) iisque invitis totam regionem populatus est. Tum ad oppidum Adin, dum ei suppetias ferre cupiunt, magnâ affecit clade, in tumulis pugnare compulsos, ubi nullus equorum, nullus Elephantorum usus, quibus Pœni abundabant. Eo in prælio duodeviginti millia armatorum cæsi, capti cum Elephantis octo, equorum quinque millia, denique septuaginta tres civitates receptæ hujus victoriæ fuere appendices. Ex iis autem oppidis selegit Tunetum, ubi castra posuit, ad divexandos ex proximo Carthaginienses, stationem opportunam.

*Serpens inusitatæ magnitudinis ad Fl. Bagradam.*

Tum quoque ad Bagradam fluvium inusitatæ magnitudinis serpentem interemit. Erat is pedum centum viginti, tam duris squammis, ut hæ resisterent telis. Tandem muralis machinæ saxo confractus, multisque simul appetitus telis interiit. Hujus pellis Romæ suspensa è templi Tholo diu perduravit, ut inventum esse illiusmodi in Africa monstrum, saltem oculis crederetur.

OLYMP. CXXXI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3799. 499.

*Ach... num... tores... gunt*

Achæi hoc anno pro duobus Prætorem unum eligere cœperunt, quorum primus Carynensis fuit. Hic magistratus Vere eligebatur, ut apud Ætolos Autumno, atque unius hominis regimen visum est turbatis hisce Rebuspublicis accommodatius.

*Cart... nien... cem... tunt... stra...*

Carthaginienses pacem à Romanis flagitant; sed tam duras proponit conditiones Regulus, ut quovis bello viris fortibus deteriores viderentur. Pace itaque desperatâ Xantippum Lacedæmonium non ita pridem advectum cum lectâ mercenariorum manu copiis suis præficiunt Imperatorem. Atilius ducem illum quasi Græculum contempsit; verum statim is quis esset ostendit. Deduxit enim Pœnos ex montibus in planiciem ubi eorum equitatus excurreret, atque Elephanti facere possent impressionem. Et verò sic Atilium adortus, non modò devicit, sed & vivum cum quingentis cepit. Duo millia non sine portento Clypeam fugerunt, reliqui interfecti sunt. Eutropius triginta millia cæsa, quindecim millia capta cum Regulo mendaciter asseruit; quia vix sedecim millia Regulus sub signis habebat. Pœni periculo hoc perfuncti Xantippum cum Græcis statim remittunt, ne ab iis servati viderentur, & remittunt stipendio non persoluto, deferendos in insula desertâ, Xantippum etiam in veteri nave, ac rimosa, sed recens ad dolum tegendum picatâ, ut naufragium faceret, quòd ei contigisse nonnulli scribunt, alii tamen asserunt ab eo vitatum, conscensâ aliâ navi. Atilium fame maceratum, & ab Elephante sæpè territum in carcerem teterrimum compegerunt, mortalium omnium ingratissimi homines, & vindictæ appetentissimi, quæ duo ferè scelera cognata sunt, & conjuncta.

*Vict... gul... Xan...*

*Car... nie... gra... Xan... pu... Re... cru...*

*Cos... cum... nos... Clyp... capi...*

Servius Fulvius Nobilior, & M. Æmilius Paulus Consules auditâ suorum clade, cum classe 350. navium Africam petunt. Tempestate jactati Corsuram insulam occupant, ac præsidio muniunt. Inde repetito versus Africam cursu inveniunt objectas sibi ducentas Biremes Punicas, quas vincunt, & ex iis 114. capiunt cum vectoribus. Ad tantam victoriam quidam scribunt multùm profuisse erumpentes ex Clypea Romanos, quos recepere in suis navibus Consules, & ad triumphum festinavere. Verùm ad Siciliæ latus Australe tam fœdum passi sunt naufragium, ut ab urbe Camarina Pachynum usque, littus hominum jumentorumque cadaveribus, & quassatarum navium fragmentis sterneretur, atque prætexeretur. Ducentæ octoginta quatuor naves dicuntur periisse, incolumes tantùm octoginta Romā appulisse. Quam Romanorum cladem more suo Diodorus Siculus amplificat, in Pœnos, quàm in Romanos propensior. Naufragos Hiero benignè suscepit, vestibus texit, cibo aliisque necessariis recreavit, ac Messa-

*Ho... Ro... frag...*

nam perduxit. Quibus Carthagine auditis reparata subito classe Asdrubal cum trecentis navibus, & Elephantis centum sexaginta in Siciliam appellens, eam plurimùm turbat. Carthalus etiam Agrigentum capit, & incendit, ac ejus mœnia penitus evertit. Ita hoc anno Dii atque homines in Romanorum perniciem, & clades conspirasse videbantur.

OLYMP. CXXXI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3800. 500.

Cn. Cornelius Scipio Asina, & A. Atilius Calatinus ambo secundùm Coss. jubentur novam reparare classem. Itaque expediunt 220. triremes, & adjunctis quæ Messanæ erant naufragii reliquiis trecentarum navium classem educunt. Appellunt in Siciliam peropportunè, alioqui tota periclitabatur, urbesque omnes inclinabant in Asdrubalem. Aliis urbibus confirmatis Panormum Consules machinis acerrimè verberatum ad deditionem cogunt, pactis in singula capita dedititiorum duabus minis, idque factum à quadraginta millibus civium, reliqua triginta millia vænierunt. Panormi exemplum secutæ urbes fœderis Punici. Ita res Romana in Sicilia reparari cœpit, atque urbs ejuscemodi capta naufragii memoriam apud Siculos abolevit.

*Panormus à Rom. capitur.*

# LIBER VI.
## SÆCULUM MUNDI TRIGESIMUM NONUM.
### *Ab anno mundi* 3800. *ad* 3900.

## CAPUT I.
## PRIMA DECAS.
### *Ab anno* 3800. *ad* 3810.

OLYMP. CXXXI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3801. 501.

NOVI Coss. Cn. Servilius Cœpio, & C. Sempronius Blæsus in Siciliam, inde in Africam trajicere conantur, ad quam tamen, prohibentibus Pœnis exscensionem numquam facere potuerunt. Quare ad Lotophagorum insulam delati, & inde in brevia Minoris Syrtis, onerum jactura ægrè suas expedierunt naves. Itaque victis miles versus Siciliam direxerunt iter. Verùm ad Lilybæum tam atroci tempestate jactati sunt ut 150. naves amitterent, & ab omni ferè parte Siciliensia littora suis naufragiis Romani stravisse dicerentur.

OLYMP. CXXXII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3802. 502.

Sub initium hujus Olympiadis, uti scribit Arrianus in Parthicis apud Photium, Arsaces cum Teridate fratre, Agathoclem (alii Pherecem vocant) ab Antiocho Θεῷ Parthienes præfectum, ob tentatam alterutrius pudicitiam occidit; tumque Rex Parthorum creatus, posteà Callinicum vicit, sicque firmavit imperium deinceps Romano metuendum, ac prope par. Arsaci autem præluxerat exemplo suo Theodotus Bactrianorum præfectus, qui mille urbes subduxit à Macedonibus, aliosque Principes Orientis ad rebellionem induxit; dum Macedonum in Asia Reges parùm inter se conveniunt, & exemplo suo ad seditiones, ut conspirationes subditos suos erudiunt.

Populus Romanus tot naufragiis perfunctus statuit hoc anno mare, ac naves omittere, & sexaginta tantùm navibus defendere à Carthaginiensibus Siciliam. Sed hoc decretum temere emissum fuisse eventus prodidit. Pœni enim jam Domini maris ex propugnatoribus, facti sunt oppugnatores, ubique Romanos aggressi. Transgressi igitur in Siciliam ambo Consules C. Aurelius Cotta, & P. Servilius Geminus Himeram cepere, sed vacuam, transportatis priùs per Pœnos civibus. Tum etiam Aurelius acceptis ab Hierone navibus in Liparam insulam transiit, & cognominem insulæ obsedit urbem. Ab ea Auspiciorum causâ revocatus Q. Cassium Tribunum militum reliquit legatum suum, sed pugnare prohibitum. Cùm nihilominus oblatâ occasione, is invasisset hostem, & multos è suis amisisset, eum rediens Consul exauctoravit. Frontinus hunc legatum vocat Aurelium, & Consulis cognatum: additque virgis cæsum inter gregarios relatum, severissimo exemplo disciplinæ militaris. Tum quoque urbem Thermas Romani mille, præfecti portæ urbis à se capti, proditione cepissent, nisi nobiliorum obstitisset avaritia: hi enim cum soli urbem locupletem diripere voluissent, ingressi jussere claudi portam, sicque reliquos excludi. At hi pauci à multis civibus concisi consilium Romanis utilissimum, cupiditate suâ, ejusdemque pœnâ, discussere.

*Severitas Rom. in disciplina militari.*

*Rom. vario exitu Sicilia pugnant.*

OLYMP. CXXXII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3803. 503.

Aratus Sicyonius Sicyonem Achæorum societati prudenter adjungit, factus ejus prætor, cum annum ætatis vigesimum vix explesset, sed annos supplente virtute, ac sapientiâ.

*Aratus Prætor Acharum.*

L. Cæcilius Metellus Consul cum collega C. Furio Pacillo cum 60. duntaxat navibus ex S. C. in Siciliam trajiciunt, ac Panormum appellunt, commeatum, legionesque novas deportantes. Asdrubal, cognito regressu Furii cum parte copiarum, ex Lilybæo profectus Metellum

*Metelli de Asdrubale ingens victoria.*

lum aggreditur, maxime confisus suis elephantis 130. quos Romani summoperè reformidabant, atque equitum peditumque triginta millibus. At Romani ex munitionibus suis belluas telis appetitas in Pœnos ipsos converterunt, ac perturbatis hostibus superveniens cum recentibus copiis Metellus plenam retulit victoriam. Capti centum viginti elephantes, & traducti per universam Italiam cum Indis rectoribus, & Romanis ademeruntmetum, & Metelli triumphum nobiliorem reddiderunt. Asdrubal amissis suorum viginti millibus Lilybæum fugit, & absens à Pœnis capite damnatus est. Quidam in patriam revocatum scribunt, ibique actum in crucem dedisse pœnas superbæ suæ stoliditatis.

*Regulus missus Romam pacem dissuadet.*

Hac clade turbati Pœni captivos nobiles Romanos, cum Atilio Regulo mittunt Romam, ut de pace, & permutandis captivis agerent, jurejurando prius astrictos, se redituros Carthaginem, si nihil impetrarent. Atilius pacem & permutationem captivorum dissuasit, quod Punica nobilitas, & juventus in vinculis Romanis esset, senes & jam morituri in Carthaginiensium custodiis. Addidit & mendacium orationi suæ: finxit enim epotum à se venenum, ex quo brevi moriturus esset, sicque pace discussà lætus, & alacer ad vincula rediit. Ingressus Carthaginem habitus est crudelissimè; resectis enim palpebris, vel sursum deorsumque

*Pœnorum in Regulum crudelitas.*

consutis, expositus est ad Solem: Quotidie etiam inclusus in machinâ seu dolio acutis clavis intrinsecus horrente, in quo circumagebatur, machinâ illâ ex loco lubrico defluente. Sic cruciatus, ac prætereà diu vigilare coactus interiit Regulus, vir supra hominem fortis & constans.

*Nec Rom. minus crudeles in Pœnos captivos.*

Aliunde nobiles Pœnos affinibus Atilii Senatus cruciandos obtulit, quod illi quoque atrocissimè præstiterunt, haud satis ex Romanâ fortitudine, quæ crudelitate, cum crudelibus pugnare non debuit.

OLYMP. CXXXII. *Mundi.* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3804. 504.

*Lilybæum fortiter invaditur à Rom. fortiter à Pœnis defenditur.*

Metelli victoria Romanos iterùm navibus committere fortunam suam compulit. Creati igitur Coss. C. Atilius secundùm M. Atilii frater, & L. Manlius Vulso cum classe ducentarum navium Panormum appulere, unde Lilybæum profecti, eò copias omnes Siculas evocarunt, ut hanc urbem obsiderent, eo capto in Africam transgressuri. In hujus urbis auxilium misêre Pœni Annibalem à quo fortiter est propugnata, ut acriter oppugnata, maximè cum uterque populus ex eo oppido fortunam suam prosperam aut adversam pendere crederet.

OLYMP. CXXXII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3805. 505.

*Aratus obtinet pecuniam à Philadelpho.*

Exules Sicyonii bona repetebant sua, nec iis restituendis par erat Aratus. Pergit itaque ad Philadelphum, ad quem per multa pericula pervenit, atque ab eo centum quinquaginta talenta abstulit, magnæ discordiæ inter populares suos amuletum.

In Siciliam novi Consules P. Claudius Appius, & L. Iunius Pullus traiecere ambo ob contemptam religionem infelices, & pullos sacros quia esse nollent, bibere jussos, atque submersos. Claudius cum decem millium supplemento venit Drepanum, quod occuparant Pœni Lilybætani, eoque submiserant equites, unde plurimùm Romanis incommodabant. Hic dum Adherbalem cum 90. navibus, ipse cum centum viginti parat invadere, tam malè classem ad littus disposuit, ut vinceretur, amitteret 90. naves cum propugnatoribus, ipse cum viginti fugeret ex æquo impius, imprudens, & ignavus.

*Coss. infeli[ces ob] conte[m]ptam [reli]gione[m].*

*Iuni[us] Adh[erba]le.*

Alter Consul jussus commeatum deferre Lilybæum cum 60. navibus, eo tempore venit quo Carthalo Pœnus classem Romanam ad eum portum vicerat. Is igitur occurrit Iunio, & inter classem cui Quæstores præerant, & classem quam ducebat ipse Consul subit, alterutram oppressurus. At Romani dum certamen declinant ad periculosa loca confugere, ubi coortâ tempestate eorum naves ita conquassatæ sunt, ut ne tabula quidem ulla integra ex tanto naufragio superesset. Carthalo ægrè evasit Pachyno, cui cælum sine labore, sine sanguine pugnaverat. Iunius conatus est nobili aliquo facinore cladem suam farcire, cepitque Erycem Veneris æde notam in monte, sed proditione, ut aliquid infamiæ rebus ejus gestis semper allineretur; sicque Romam rediit collegæ suo, ut impietate, sic infortunio suppar.

*App. Cart. nec... tur.*

OLYMP. CXXXIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3806. 506.

Superioribus annis Magas Ptolemæi Philadelphi frater, qui Cyrenæis præerat, capitali odio prosequebatur fratrem, ideo Apamen filiam Antiochi Σωτῆρος quem huic infensissimum norat, uxorem duxerat. Suasit igitur ille socero ut Philadelphum bello peteret, & cum exercitu descenderet in Ægyptum. Hanc expeditionem ut averteret Ptolemæus pluribus populis Antiocho infestis subsidia miserat, quorum excursionibus ab Ægyptiaco bello distractus est. Cum igitur istæ inimicitiæ diu perseverassent inter Ægypti Syriæque Reges (nam eas Soter filio suo τῷ reliquerat hæreditarias) eæ tandem hoc anno sopitæ, ac terminatæ sunt. Dedit enim Philadelphus Antiocho Deo uxorem filiam suam Berenicem, licet hic ex Laodice jam duos haberet liberos Seleucum Callinicum, & Antiochum Hieracem. Ac proinde Laodicem ὁ Θεὸς deinceps concubinæ loco habituus esset. Tantùm autem divitiarum dotis nomine attulit Ptolemæus, ut inde φερνοφόρος appellaretur. Sed nuptiæ auro conciliatæ, brevi superioris uxoris amore, auro potentiore, dissolutæ sunt.

*Te... dij... in... Sy... Æ...*

*Be... nu... tio...*

Romani ex tædio tot naufragiorum iterùm maritima neglexerunt bella. Itaque P. Servilius Geminus, & C. Antistius Cotta Coss. sine classe in Siciliam trajecerunt, ubi Lilybæum & Drepanum terrâ vexarunt, & Carthaginienses quominùs in alios portus insulæ facerent exscensionem prohibuerunt. Tum quoque Romani cum Hierone perpetuam firmarant amicitiam, remissis ei tributis, quia jam se socii & amici nomine constanti fide dignum reddiderat. Aliunde Carthalo Pœnus Italicam vexavit oram, sed terroris plus Romanorum sociis, quam damni circumtulit.

*Ro... ru... mi... mi...*

OLYMP.

OLYMP. CXXXIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3807. 507.

Mortuus est hoc anno Ptolemæus Philadelphus, & ex morbo quidem, cum tenui admodum esset valetudine; ideoque novi semper aliquid quæreret, quò se oblectaret. Hoc uno celebratissimus fuit, quod ejus potissimum operâ Deus qui tantùm hactenus Hebraicè locutus erat, versione septuaginta duorum Interpretum Græcè quoque, & pari fide loqueretur. Statim autem patri successit Ptolemæus Evergetes ita dictus ob egregia in Ægyptios merita, eorumque Deos ex Syria relatos, animumque beneficum, & qui verè saperet Regem.

Hoc anno natus creditur Annibal, magna Romanarum victoriarum morâ, atque pernicies, quo Amilcari cognomento Barcæ maris præfecturâ commissâ est. Hic excensione factâ Locrorum, & Bruttiorum agros vastavit. Inde ad Panormum appulit, locumque inter Erycem, & Panormum communiit, unde negotii multum, damnique Romanis exhibuit. Intereà carebant classe Romani pertinaciùs, quàm utiliùs. Privati tamen aliquot cum navibus sibi à Rep. concessis, in Africam navigarunt, Hipponemque subeuntes multas hîc naves, plures ædes incenderunt; & quamquam in portu extensâ catena conclusi viderentur, ex eo tamen feliciter & ingeniosè fugerunt. Consulum verò alter L. Cæcilius Metellus secundùm ad Lilybæum substitit; alius Numerius Fabius Buteo (alii M. Fabium vocant) Drepanum obsedit, ac Peliadem seu Columbariam insulam deleto Pœnorum præsidio occupavit. Quamquam autem careret navibus, eam ductis è terra aggeribus continenti junctam contra Amilcarem tam fortiter, quàm ingeniosè defendit.

OLYMP. CXXXIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3808. 508.

Auditâ Ptolemæi morte Antiochus Deus jam solutus metu, & amore superatus Laodices, eam cum liberis revocavit in Regiam. Hæc vetita mariti levitatem, quam jam ipsa experta erat in suis amoribus, per suos ministros Deum illum ex hominum numero sustulit veneno, filioque Seleuco Callinico ad regnum viam patefecit. Is ingressus regnum statim filium ex Berenice natum cum ipsâ, Icadioni, & Gennæo proceribus interficiendos tradit, matre exhortante. Berenice addicta neci fugit in Asylum Daphnes, sed inde extracta per dolum trucidata est. Verùm unde sperabat Callinicus regno suo securitatem, & tranquillitatem, inde huic bellum, & ultimam propè perniciem accersiit.

Onias Simonis justi filius Pontifex Hierosolymitanus, cum tributa non pensitasset Ptolemæo Evergeti pœnas dedisset rebellionis suæ, & avaritiæ, nisi Iosephus sororis ejus filius, qui se in Regis insinuarat amicitiam eum avunculo suo placasset; profuit ergo huic sui nepotis industriâ, ac ingenium; & didicit quanto periculo pecunia debita principibus denegetur à subditis.

Hoc anno, quo fuere Consules M. Fabius Licinius, & M. Fabius Otacilius Crassus, munitur ab Amilcare Eryx; ad quam cum biennio pugnatum sit, montis ille non Veneris tantùm, sed & Martis sedes fuit.

Filia Appii Claudii Cœci in turba populi compressa, has voces importunas effutiit, *utinam frater meus viveret, & duceret classem*; is erat Appius Pulcher, clade potiùs quàm rebus gestis illustris: ideo hæc mulctata est ab Ædilibus, quod votum impium, & Romanâ fœminâ indignum concepisset. *Claudia ob voces impias multatur.*

OLYMP. CXXXIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3809. 509.

Auditâ morte Berenices, ejusque filii urbes Asiæ in Callinicum exarserunt, & Ptolemæo sese frequentes dediderunt, qui hanc armis prosequebatur injuriam. Hic Syriam cum classe ingressus totam occupavit, unâ cum Cilicia, & spoliis Asiaticis ditavit exercitum. His damnis & majorum metu Laodices & Callinici crudelitas in Berenicen stetit. *Asiæ urbes in Callinicum rebellant & se Evergeti dedunt.*

M. Fabius Buteo Consul Africanam classem tendentem in Italiam, paratâ classe Romanâ ad ejus tutelam propè Ægimurum devicit, & Libycis spoliis naves suas exornavit, quæ tamen disjectæ tempestate atque dissipatæ nobilem triumpho materiam subtraxere. *Pœni victi à Fabio Buteone.*

OLYMP. CXXXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3810. 510.

Concitata est hoc anno gravis in Ægypto seditio, quam ob causam populatâ Callinici ditione Evergetes redire compulsus est. Retulit nihilominus quadraginta millia talentorum auri, vasa preciosa, simulacra Deorum duo millia quingenta, quæ Cambyses olim extulerat ex Ægypto, unde nomen Evergetis apud gentem Diis suis, & idololatriæ addictissimam promeruit. Syriam autem reservavit sibi; Ciliciam amico suo Antiocho gubernandam tradidit, Provincias autem trans Euphratem Xantippo duci suo regendas commisit. Callinicum sanè exuturus regno nisi ex medio victoriarum cursu turbæ eum domesticæ revocassent; quas componere potiùs, quàm hostem perdere princeps bonus voluit. *Seditio in Ægypto, revocat Evergetem ex Syria.*

Coss. A. Manlio Torquato, & C. Sempronio Blæso secundùm Colonia Brundusium deducta est à Romanis, jam suo damno intelligentibus quantò sibi præsidio commodi potius essent. *Brundusium deducta Colonia.*

Ad Erycem quoque acerrimè pugnatum, ubi ex æquo fames & arma nocuerunt; dum sibi invicem Romani atque Pœni commeatus præscindunt, & cibaria utrimque multo sanguine redimuntur. *Ad Erycem pugnatum acerrimè.*

---

## CAPUT II.

### Decas Secunda.

*Ab anno* 3810. *ad* 3820.

OLYMP. CXXXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3811. 511.

Ætoli Macedonum societate relictâ Achæis se conjungunt, unde plus præsidii, minùs damni expectabant. Certè hoc anno Aratus Prætor Achæorum Acrocorinthum occupavit callidè, atque inde Antigoni Gonatæ *Ætoli Achæis junguntur.*

præ-

præsidium dejecit, unde libertas Græciæ quasi ex superiori loco visa est effulgere.

*Callinicus classem amittit tempestate.* Seleucus Callinicus parat ingentem classem adversus urbes quæ ab eo ad Evergetem defecerant, sed eam tempestas dissipavit, & obruit. *Misero principi reconcilian-tur urbes.* Tum misero principi magis calamitas, quàm fortuna profuit: eo enim casu misericordiá permotæ quædam civitates, quasi facinorum jam Diis dedisset pœnas, in ejus obsequium sponte redierunt. Syria tamen semper in potestate Evergetis mansit, non voluntate, sed metu domini potentioris, & vicinioris.

*Rom. primum usi milite stipendiario.* Coss. C. Fundanio, & C. Sulpitio Gallo Romani primùm usi sunt milite mercenario. Galli enim quidam dediderunt se Romanis unaque præsidium quod eis commissum erat quoniam eis stipendia maligne primùm, deinde nullo modo persolvebantur; quo pacto deinceps, iis Gallis nec fides, neque stipendia defuerunt. *Privati Rom. Africam suis navibus vexant.* Tum etiam Romani privati aliquot navibus suis Africam infestavere; ne cum Respublica deesset sibi, relicto mari, Romani omnes Reipublicæ defuisse viderentur.

OLYMP. CXXXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 38 2. 512.

*Moritur Gonatas succedit ei filius Demetrius.* Hoc anno mortuo Antigono Gonatâ, qui fortunæ ludus insolens fuit, regnavit in Macedoniâ Demetrius ejus filius, jam à pueritiâ fortis, & rerum gerendarum gnarus.

*Eumeni succedit Attalus.* In regnum item Pergami Eumeni successit Attalus, quod & annis 43. tenuit. Is cum Gallogræcos devicisset, sibi nomen regis imposuit, eoque se dignum virtutibus regiis præstitit.

*Iterum Seleucus vincitur.* Seleucus urbibus sibi reconciliatis ultionem in Evergetem parat, qui eas ad rebellionem invitarat. At iterùm prælio victus pænè solus fugit, quàm anno superiori, miseratione dignior, Scribit igitur ad Antiochum Hieracem fratrem suum, eique offert Asiam intra Taurum auxilii præmium. At is conductis Gallis in miserum fratrem irruit, eumque toto regno spoliare conatus est, & jam præcipitem impellere. *Hierax fratrem Seleucum spoliare nititur.* Et vero eum primo impetu vicit. Verùm cum iidem auxiliatores Galli in eum arma convertissent, ab illis pacem pecuniâ redimere coactus est, meritò expertus infidos, qui adversus fratrem impius & perfidus extitisset.

*Catulus Pœnos vincit ad in. Ægatem.* Romani Consulibus C. Lutatio Catulo, & A. Postumio Albino classem educunt ducentarum navium, quas privati pararant, & tum eâ lege tradiderant, ut eædem rebus ex sententia confectis iis restituerentur. Ei classi præfuit Catulus cum Prætore, ac Drepanum vi cepisset, nisi in oppugnatione accepisset vulnus. Pœni audito nomine Romanæ classis parant & suam, quam rebus omnibus instructam, & maximè commeatu Hannoni committunt. Is statuerat sibi creditum commeatum ad Erycem deponere, ibique levatis navibus cum Romanis confligere, ac sese Amilcari conjungere, utrumque sapienter impedijt Catulus, atque eum agressus ad Ægatem insulam prælio devicit, demersis 50. navibus, 70. captis cum vectoribus. Hanno cum paucis fugit in vicinam Hieronesum. *Eryx dedita Rom.* Eryx autem cibariis destituta se victori dedidit, Amilcare nihil præter missionem sub jugo detrectante. Ita Pœni propugnatores, duodeviginti denariis in singula capita persolutis liberi dimissi sunt, digni propter fortitudinem & constantiam meliori conditione.

OLYMP. CXXXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3813. 513.

Obiit tum Lacydes Cyrenæus Philosophus autor Academiæ novæ cum Scholam annis sex & viginti rexisset. Hic ab Ansere sic deamatus, vt ab eo volucris neque noctu, neque interdiu divelleretur, ejus perpetuus comes, & assecla. Mirum fuit alitem alioqui stupidam, sic amare potuisse.

Pax hoc anno Carthaginiensibus à Romanis concessa post viginti quatuor annorum bellum atrox; tot enim annis primum bellum Punicum tenuit. Ejus conficiendæ cura Amilcari commissa fuit, qui cum videret eam esse patriæ penitus necessariam, his conditionibus cum Romanis pepigit, ut Pœni Sicilia excederent, Syracusanos non aggrederentur, captivos sine pretio redderent, argenti talenta Euboica bis mille ducenta intra viginti annos penderent, qui tamen posteà ad decem contracti sunt, additaque mille talenta, quæ ad belli sumptus in præsentiâ persolverentur. Quibus legibus acceptis, victam se sine dubio Carthago, Roma gemino triumpho Lutatii exconsulis, & Valerii proprætoris se victricem professa est.

In Africâ statim exortum est bellum Libycum à Mercenariis, quibus adjuncta sunt servitia, ac vicini populi. Id cruentissimum fuit, & Pœnos jam dejectos vehementer afflixit, utpote domesticum & ab hoste suis urbibus, & agris inclusо.

Consules duo Q. Lutatius Cereo, & Aulus Manlius Torquatus secundum bellum gessere contra Faliscos, qui Genucium Tribunum plebis, affecerant contumeliâ. Sex tamen diebus hoc confectum, quindecim millibus eorum cæsis, pax reliquis data, agrique adempta pars.

Tiberis hoc quoque anno intumescens afflixit urbem: secutum mox incendium, quo sævientâ in ædem Vestæ, Lucius Metellus Pontifex Maximus Palladium eripuit, sed inter flammarum vortices oculos amisit, ante præmonitus à duobus corvis ut rediret in urbem: & reliqua vitæ tempore cæcitatem religionis causâ procuratam patientissimè tulit, ipse spirans exemplar pietatis.

OLYMP. CXXXV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3814. 514.

Eumenes Bithiniæ Rex Gallogræcos jam bello fessos, ipse recens aggreditur, ac debellat, sicque & victoriâ suâ, & gentis à se devictæ famâ magnam sibi Asiæ partem vindicavit.

Tum quoque Romani auxilia Evergeti per legatos suos obtulerunt, sed iis actæ gratiæ quia tum offerebantur, cum iis Rex nihil indigeret, plurisque fecit voluntatem Evergetes, quam rem, & Romanos socii diffiti meminisse, magnæ huic gloriæ fuit.

Sicilia à Lutatio Catulo ordinata prima Romano-

manorum provincia fuit hoc est procul ab Italia victa. Tum autem arma Siculis adempta sunt, iis inutilia, sub præsidio Romanorum. Hieroni tamen servatum regnum ob singularem fidem, atque perpetuam, & quia tum ex occasione Floralium ludorum Romam veniens ducenta millia modiorum tritici populo distribuenda curarat. Tum autem initium habuisse videntur infames illi ludi, in quibus publicè meretrix nudabatur in honorem Floræ, quæ quondam quæstum ex corpore fecerat, nunc ut Dea Romæ colebatur. Quare viri frugi semper ab iis abstinuerunt, & putarunt eos institutos fuisse in publicæ honestatis contumeliam.

Hoc item anno Coss. C. Claudio Centone (hic Appii Cæci filius fuit) & M. Sempronio Tuditano Livius Romæ primum fabulam docuit & fortè sordidis illis ac turpibus ludis malus ille Poëta prolusit.

Perseverabat in Africâ bellum Libycum, quando invitati Romani à Mercenariis, ut sibi adessent, & eos repulere, & frumento, quo plurimùm indigebant Carthaginienses juvere; unde magnam sibi humanitatis & clementiæ laudem (quam quærebant unam) etiam apud hostes repererunt, & obtinuerunt.

OLYMP. CXXXV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3815. 515.

Fratres Callinicius, & Hierax perfuncti externo bello, civile ac domesticum excitarunt, in quo tandem victus Antiochus fugere compulsus est ad Artamenem Cappadociæ regem. Neque etiam hic satis tutus fuit, indidem quoque abire coactus, omnia metuens, omnia circumspiciens, posteaquam fratri confidere desiisset.

Coss. C. Mamilio Turrino, & Q. Valerio Falione natus est Ennius Poëta ille famosus, *ingenio maximus, arte rudis*, ex cujus stercore gemmas Virgilius legit.

OLYMP. CXXXV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3816. 516.

Bellum Libycum tribus annis & quatuor mensibus gestum hoc anno, maximè Amilcaris Barcæi industria, terminatum est; hujus authores gravissimas dedere pœnas, sed adhuc sceleribus suis impares.

Tum quoque, Consulibus T. Sempronio Gracco, & P. Valerio Falcone, invitati Romani à mercenariis Libycis, qui pulsi ex Africa venerant in Sardiniam, statuunt in eam navigare, Pœnisque eam sibi vindicare aut retinere paratis bellum decernitur. In quo Romani parum constantes extitere, cum eos defenderent in Sardiniâ, quibus in Africâ negarant auxilium; sed hoc gloriæ, illud Sardiniæ cupiditas postulabat, & tum utile, honesto prævaluit.

Sempronius inchoavit Ligusticum bellum ob Ligurum latrocinia, quod tribus annis tenuit, licet hoc tam malè excepti essent, ut bellum desperare viderentur. Id tamen freti potius locis quàm viribus, pertinaciter continuarunt.

OLYMP. CXXXV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann* 4. 3817. 517.

Galli Coss. L. Cornelio Lentulo, & Q. Fulvio Flacco tumultum in Italia concitarunt post annos quadraginta quinque, ex quo fuerant à Dolabella profligati. Sed accitis Transalpinis arma in Romanos parata in se converterunt, mutuisque se cladibus attriverunt. Ita Consules his auditis rediere, uti Polybius scribit. Alii tamen, qui bellum hoc ad superioris anni Consules referunt, tradunt bis à Valerio cum Gallis pugnatum esse, & primò quidem malè amissis suorum tribus millibus & quingentis: sed cum accepisset adventare sibi auxilia ea prævertisse ac hostium quatuordecim millia in acie cecidisse, duo millia cepisse, neq; tamen triumphasse ob superiorem cladem. Zonaras autem scribit hos Consules in Galliam Cisalpinam conjunctis viribus ingressos, rem gessisse feliciter, sed prædæ cupiditate distractis omnia malè cessisse, & nihil propiùs esse factum, quàm ut castra Flacci caperentur. Sed de his deficiente Livio statuere nihil certi possumus.

*An Rom. cum Gallis tum pugnarint.*

Amilcar Africanis rebus compositis in Hispaniam transit, secumque novennem ducit filium Annibalem jurare compulsum ad Iovis Aras se cum primùm, & quandiu, & quantùm posset Romanis hostem fore, cui voto cumulatissimè satisfecit.

*Amilcar cum Annibale transit in Hispaniam.*

OLYMP. CXXXVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann* 1. 3818. 518.

Consulibus C. Licinio Varo, & P. Cornelio Lentulo Galli multitudine suâ feroces Ariminensem agrum petiere, nec iis negare quidquam sunt ausi Coss. diffisi paucitate copiarum suarum, sed eos ad Senatum remiserunt. Cum nihil Romæ obtinuissent illi rediere ad suos, qui interim se mutuis cædibus oppresserant, vinci quàm vincere paratiores. Gallis igitur omissis, qui jam timendi non erant, sed irridendi, Lentulus movit in Ligures, quorum aliquot castella cepit, majori tumultu, quam damno. Varus Corsicam debellandam suscepit, in quam Claudium Cliniam legatum præmisit. Is Corsis attonitis & pacem petentibus pacem dedit honestissimis utrimque conditionibus: verùm adveniens Varus eas rescidit, neque Corsos expugnare destitit donec penitùs debellasset. Romani, ut violati fœderis à se amolirentur infamiam, Cliniam Corsis dediderunt, non receptum expulerunt, aut, ut volunt alii, necatum in carcere projecerunt in Gemonias Scalas, fœdifragi, simul & crudeles.

*Galli bellum moliuntur, & in sese arma convertunt.*

*Bellum in Ligures & Corsos.*

*Rom. Fœdus in Corsos violant*

Tum quoque ter ii ludi Sæculares celebrati, quamquam alii in alium annum eos rejiciant, sicut & hos Consules. Mirum rem tam publicam certo temporis apud autores carere testimonio.

*Tertii ludi sæculares Romæ.*

OLYMP. CXXXVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3819. 519.

Carthaginienses belli Sardici autores extiterant cum in ejectos Mercenarios, & iis opitulantes Romanos arma convertissent. Cum ergo denunciatum sibi viderent bellum, neque tum se Romanis victoribus pares intelligerent, non modò iis cessere Sardiniam, sed & ducentorum Talentorum mulctam subiere. Tum autem C. Atilii Bubbi collega T. Manlius Torquatus de Sardis triumphasse in tabulis Capitolinis legitur,

*Carthaginiens Sardiniam cedunt & multa subeunt.*

tur, signum utique certum fœdere Punico Sardos non esse comprehensos.

*Iani Gemini clausum Romæ templum.*

Tum Iani Gemini templum iterum clausum est, bellicæ civitatis argumentum, quod semel sub Regibus, iterum sub his Consulibus, tertio Augusto principe certæ pacis signum Ianus Geminus clausus dederit, belli tempore semper apertus.

OLYMP. CXXXVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3820. 520.

*Bellum in Sardos, Corsos Ligures.*

Coss. L. Postumio Albino, & Spurio Carvilio Maximo Rugâ bellum in Sardos, Corsos, ac Ligures gestum, Carvilius de Sardis legitur triumphasse, quorum fuerat victoria difficilior.

*Nævius dat ad populum fabulas.*

Tum quoque C. Nævius Poëta ad populum fabulas dedit, quarum nulla ad posteros memoria docet eas intra famam fuisse.

## CAPUT III.

## *Decas Tertia.*

*Ab anno* 3820. *ad* 3830.

OLYMP. CXXXVI. *Mundi.* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3821. 521.

*Pœni Sardos accendunt ad bellum, ideo hostes judicati.*

COss. Q. Fabio Maximo Verrucoso, & M. seu Manio Pomponio Mathone Sardi ac Ligures rebellarunt, & Sardi quidem excitati à Carthaginiensibus, qui iisdem per Romanos attritis supervenire meditabantur. Quare Pœni hujus belli incantores detecti, hostes judicati sunt, atque ad eos Fabius Consul caduceum & hastam misit, seu tesseras his signis impressas, ut eligerent utrum mallent. Responderunt sapienter & fortiter, se neutrum velle, quod relinquerent Romani se servaturos. Tunc tamen non est inchoatum bellum, quia neutri ad inferendum parati erant. De Liguribus devictis triumphavit Fabius (qui postea *cunctando restituit rem*) & Honoris templum dedicavit: de Sardis Matho, quos fiducia potius locorum, & innata genti ferocia ad bellum potius, quàm Carthaginienses incitarant.

*Fabius Max. de Liguribus triumphat.*

In hunc quoque annum (si Tullius de Senectute bene rationes subduxit) cadunt natales Catonis Majoris, viri numquam satis citò nati.

OLYMP. CXXXVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3822. 522.

*Moritur Demetrius relicto Philippo puero.*

Extinctus est hoc anno Demetrius Antigoni Gonatæ filius, relicto Philippo puerulo ex Phthiâ Alexandri Epirotarum Regis filii Pyrrhi nepte, quæ nupsit postea Antigono Tutori. Is Antigonus quia in exsolvendis promissis cunctabatur dictus est Δώσων item & Evergetes, quod Lacedæmoniis, vi captis, pepercisset. Hoc autem anno regnare cœpit pupilli sui nomine, cujus regnum annis 12. aut ut alii malunt 14. non malè administravit, & modesto nomine regiam suam majestatem occultavit.

*Antigonus Tutor Macedoniam administrat.*

*Coss. in Sardos movent.*

Romæ fuere Consules M. Æmilius Lepidus, & M. Publicius seu Poplicius Malleolus, qui ambo in Sardos moverunt. Ab iis cum ingentem abstulissent prædam, & appulissent in Corsicam, hæc eis erepta est, quare postea ambo populi, spoliati, & vindices, bello sunt appetiti.

Tum quoque ab Æmilio Consule Senatu licet repugnante, immò & patre huic inferente manus, atque ex Rostris detrahente lata lex de dividendo agro Piceno, qui Senonibus devictis ademptus erat. Quæ belli Gallici fax, & causa fuit. Nam ob id maximè Boji, & Insubres statuerunt evocare in auxilium suum Gæsatas intra Rhodanum, & Alpes populos, ita dictos ab ære, quod æra bellando mererent, ut tradunt Polybius & Plutarchus, vel potiùs à teli Gallici genere. Hæc autem Gallorum Cisalpinorum, & Transalpinorum conjuratio Romanos vehementer afflixit, & si nactæ fuisset duces, eos in ultimas angustias conjecisset.

OLYMP. CXXXVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3823. 523.

Repressit hoc anno Antigonus Tutor irrumpentes in Macedoniam Dardanos, & Thessalos, mortuo Demetrio rebellantes. Paulò post in eum quoque concitata est à populo seditio, adeò ut obsideretur in regiâ. Verùm is processit sine satellitio, projectisque in populum purpurâ & diademate, ei dare jussit insignia regni, cui parere vellent. At populus pudore motus, hæc ei restituit, quæ diu recusavit ille, & donec seditionis autores ad supplicium dederentur, tunc maximè judicatus regno dignus, cum id recusasset.

Anno quo Consulatum gessere C. Papyrius Maso, & M. Pomponius Matho secundùm Sardi & Corsi prædones subacti. De Corsis primus in monte Albano triumphavit Papyrius cùm ei triumphus Romæ negatus esset à Patribus, quare & deinceps in omnibus spectaculis coronâ myrthea usus, vel certe quia in campis myrtheis Corsos superasset, quod est similius vero. Is postea triumphandi modus à plerisque usurpatus est, nota ambitionis potius, quàm rei bene gestæ, aut certe minoris honoris argumentum.

Tum etiam Sp. Carvilius ante duos annos Consul, primus Romæ uxorem suam sterilem repudiavit, causatus se eam tantùm duxisse prolis causa. De tempore hujus facti gravis est controversia, & meritò de hujus tempore dubitatur, quod numquam fieri debuit.

Agron Illyrici Rex re bene adversus Ætolos gestâ dum exultat intemperantiùs obiit ex crapulâ: cui successit uxor Teuta mulier impotens, & crudelis, ac tali marito dignissima.

OLYMP. CXXXVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3824. 524.

Coss. M. Aemilio Barbula, & M. Iunio Pera. Teuta Illyricos suos Piraticam exercere sinebat, non jam navibus, sed classibus metuenda Græcis. Italicis etiam mercatoribus multa inferebat damna, maximè captâ Phenice Epiri urbe. Missi itaque ad eam legati qui de injuriâ quererentur C. & L. Coruncani (Plinius P. Iunium, & T. Coruncanum vocat) eam in obsidione urbis Issæ salutarunt; cui cum liberiùs locutus esset Lucius, eum in reditu fanatica mulier interficiendum curavit. Alii plures legatos ejus jussu cæsos volunt, quibus positæ in rostris statuæ, bellumque contra violatricem juris gentium indictum, turpe tamen, quia contra fœminam

minam, & contra fœminam Romanis insultantem.

Eodem anno Galli adversus Romanos parantes bellum, aurum & argentum undequaque corradebant, multamque ex mancipiis conficiebant pecuniam. Quam venditionem, & permutationem Senatus inhibuit causatus servorum multitudinem, esse perniciosam moribus, ac Reip. periculosam.

OLYMP. CXXXVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3825. 525.

L. Postumius Albinus, & Cn. Fulvius Centimalus bellum atrox adversus Teutam suscepere. Fulujus 200 navibus præfuit, Postumius terrestribus copiis. Corcyræ tum præerat nomine Teutæ Demetrius Pharius: is videns quàm impar esset Regina Romanis, & ejus impotentiam insuper veritus, insulam Fulvio tradidit. Postumius Dyrrachium, & Apolloniam cepit; Fulvius Arbonem & Issam; Teuta Rizonem fugit munitissimam urbem magna sui regni parte spoliatâ; ac tum sed seriùs agnovit intentatas ab occiso legato minas nimis veras esse.

OLYMP. CXXXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3826. 526.

Antiochus Hierax relicto Socero ad Ptolemæum Evergetem fugit, recepit eum ut perfidum Ptolemæus, & arctè servari jussit tanquam omnium amicorum suorum hostem, qui timebat omnes, ipse ab omnibus timebatur.

Mortuus est hoc anno in Hispania Amilcar Annibalis pater, de cujus genere mortis non consentiunt scriptores. Alii enim fortiter dimicantem, & in mediam hostium aciem irrumpentem periisse volunt. Alii haustum fluctibus, dum eum fugientem Orisson Rex insequitur. Alii fugatis suis per currus Hispanorum accensos erumpentem gregarii instar militis cecidisse. Hoc certum successisse ei Asdrubalem generum, à quo Nova condita Carthago, & sub quo Annibal magno Romanorum damno, militiam didicit.

Teuta cum Romanis fœdus iniit iis quibus voluerunt hi conditionibus, pauculis tantum relictis urbibus, quas præmii accepit loco, cum non tantùm ditionem suam, sed & vitam perdere debuisset; verùm crimen ejus in proceres derivatum, qui securi percussi, ostenderunt quàm periculosum viris magnis principes fatuos, & rerum ignaros sortiri. Exuta porro est magnis imperio, quod Græcis mirum in modum placuit. Quare Romani legati in Isthmis ludis admissi sunt apud Athenienses ad mysteria, ab Ætolis & Achæis ut Græciæ Σωτῆρ℮ : sic Reginæ stultitia tantùm suis Illyricis nocuit, vicinis læta, ac salutaris fuit.

OLYMP. CXXXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3827. 527.

Hoc anno sublati sunt ambo Antiochi Dei filii, Callinicus & Hierax. Hic in Ægypto operâ meretricis amicæ suæ custodibus deceptis ex vinculis effugit, verùm à latronibus interceptus occisus est. Callinicus amisso regno & rerum omnium egenus, equo effusus interiit, ita impii fratres & sceleribus gemini, eodem mortis violentæ genere conjunctissimi periere.

*Rex 5. Syriæ Seleucus Ceraunus.*

Successit patri Callinico quintus Syriæ Rex Seleucus tertius cognomento Ceraunus, & Pogon: Antiochus qui posteà Magnus dictus est, ejus frater in superioribus Asiæ partibus puer uti privatus vixit, & tribus tantùm annis expectavit regnum.

*Ætoli ab Achæis deficiunt.*

Ætoli cum Cleomene Lacedæmoniorum Rege fœdus iniere contra Achæos, quorum erat vicinis meritò suspecta potentia, at majoribus viribus infringenda. Aratus ergo eorum Prætor ab Antigono Tutore auxilium petiit. Evergetes medius fuit, & amicitias suas de more regum dimensus est.

*Romæ duobus prætoribus additi alii duo.*

Coss. P. Valerio Flacco, & M. Attilio Regulo duobus antiquis Prætoribus additi duo, ut essent omnino quatuor, & ex iis duo in Siciliam, atque Sardiniam proficiscerentur. Hæc M. Valerio, illa C. Flaminio demandata. At Sardi exosi perpetuam Prætoris præsentiam rebellavere: sed domiti, & præsentem semper, & acerbum nonnumquam coacti sunt tolerare.

OLYMP. CXXXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3828. 528.

*Rom. in Gallos arma parant.*

Romæ Coss. L. Apustio Fullone, & M. Valerio Messala paratum est bellum contra Gallos, cujus fama plurimùm terroris afferebat. Quare diversis locis atque temporibus ferè octingenta millia armatorum parata sunt, videlicet peditum septingenta millia, equitum septuaginta Romanis quoque frumentum submisit Hiero, cujus pretium finito bello recepit, amicè utrimque cum is dare voluerit, Romani emere.

*Fœdus Rom. & Pœnorum in Hispania.*

Tum quoque Romani cum Asdrubale fœdus inierunt in Hispaniâ, eâ lege, ut Pœni Ibero fluvio se continerent, reliquum Romanis cederet. Vnde prima nata est Hispaniæ divisio in Regionem cis Iberum, & trans Iberum, limitem duplicis magnæ dominationis.

OLYMP. CXXXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3829. 529.

Coss. C. Atilio Regulo, & L. Aemilio Papo bellum Gallicum magna alacritate, ut magnis sumptibus à Romanis susceptum, nemine exempto, ne emeritis quidem, & sacerdotibus. Atilius transit in Sardiniam, sed mox rediit. Aemilius Ariminum missus, Prætori Etruria commissa in quam irrupere Galli. Et quidem primo impetu Prætoris fusus est exercitus, sexque millia Romanorum cæsi, reliqui in colle obsessi. Sed cum supervenissent ex Arimino Aemilius, & Atilius ex Sardiniâ, fortuna mutata est, Prælium commissum in quo cecidit Atilius. Sed Galli Gæsatarum imprudentia qui nudos se Romanis sagittariis obtulerunt, devicti sunt. Cæsi 40 millia, capti plures decem millibus; inter cæteros Rex Concolitanus. Rex alter Averoëstus fugit in quemdam lucum ubi se cum necessariis suis interemit. Aemilius etiam irrupit in Bojorum agrum, unde prædâ divitem reduxit exercitum; ac triumphavit de Gallis, qui prout juraverant in Capitolio non victores, sed victi thoracas posuerunt: sic bellum magna trepi-

*Galli in Etruria magna clade victi.*

trepidatione susceptum, magno periculo initum, summâ lætitiâ terminatum est.

OLYMP. CXXXIX. *Mundi.* Urb. Cond.
*ann* 1. 3830. 530.

*Ætoli & Achæi commissi.*

Cleomenes cum Aetolis aggreditur Achæos, qui autore Achæo uii auxilio Antigoni Tutoris huic Acrocorinthum tradunt; magno Arati dedecore, qui sic frænum injiciebat Peloponnesi quod ante perfregerat Evergetes Cleomeni, & Arato copias suas ostentabat, sed utrumque deludens, ut suas res ageret.

*Cadit Colossus Rhodius.*

Hoc item anno Caria & Rhodus magno terræ motu concussæ sunt. Eo famosus ille Colossus Rhodius corruit, ac deinceps jacuit quare hoc loco dimetiendus videtur. Fuit is cubitorum 70. ex Plinio, 80. ex Cedreno, annis 12 perfectus 300. talentis. Pauci pollicem majorem amplectebantur, digiti plerisque statuis majores erant.

*Descriptio hujus Colossi.*

In eum inserta erant ingentia saxa, quæ molem fulcirent. In fracturis membrorum apparebant ingentes specus; ex quibus intelligis quantùm fidei sit Plinio tribuendum.

*Seleucus cæditur, ei succedit Antiochus magnus opera Achæi.*

Tum Seleucus Ceraunus Attalum Pergami Regem appetiit bello, qui jam pænè totius Asiæ extra Taurum Dominus erat. Hunc montem cum transcendissent Seleuci copiæ, ipse ab Apaturio Gallo, & Nicanore per dolum interfectus est. Sed Regis mortem statim Achæus ultus est trucidatis sicariis. Is cum nullo negotio regnum usurpare potuisset, maluit id Antiocho puero reddere, cui evocato Babylone, regnum tradidit & exercitum. Itaque pars hæc regni trans Taurum huic Achæo regenda tradita est, superiores provinciæ inter duos præfectos divisæ, Molonem Mediæ Satrapam, & Alexandrum Persidis. Sic impubes Antiochus quas per se regere non poterat provincias, per duces sibi fidos administravit, consilio, & industriâ quæ futuram ejus magnitudinem portenderent.

*Victi Boji, & Insubres.*

Coss. T. Manlius Torquatus, & Q. Fulvius Flaccus secundùm Bojos, & Insubres aggressi sunt; ac primo impetu territos Bojos se dedere compulerunt. Reliquo anno propter immodicos imbres nihil dignum memoriâ gestum. Alii scribunt tum etiam victos Insubres, eorumque cæsa 2. millia, capta quindecim, & agros Bojorum captos occupari: adeò ut non jam Romanos Galli, sed Romani Gallos vicissim solo nomine terrerent.

---

## CAPUT IV.

### *Decas Quarta.*

*Ab anno* 3830 *ad* 3840.

OLYMP. CXXXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3831. 531.

*Bellum in Græcia.*

SOcietatis inter Macedonas, Achæos, Epirotas, Phocenses, Bæotos, Arcadas, Thessalos dux est creatus Antigonus Tutor. Ac primùm Tegeam cepit, tum Mantineam. Aliunde Cleomenes Megalopolim occupavit, quam & pessimè habuit, quia dehortatore Philopæmene noluit renunciare societati Achæorum.

Intereà Cleomenes mittit ad Evergetem matrem suam Cratesicleam, magni animi vetulam, & liberos obsides quos exigebat; nihilque omisit Rex ille Lacedæmonius, quo partes suas tueretur; sed erat animosior ille quam paratior.

Achæus multis subactum cladibus Attalum in ipsam urbem suam Pergamum, ac primos limites regni Pergameni compegit. At ille ubi nullum hostem habuit, fidus Antiocho puero desiit esse, & rapere huic conatus est regnum, quod ante dederat.

Victi à Coss. C. Flaminio Nepote (vel ut alii vocant C. Quintio Flaminio) & P. Furio Philo Insubres qui 50. armatorum millia coëgerant, desperato cum Romanis fœdere, etiam detractis è suis templis deorum simulacris. Vicit tamen eos Flaminius, & multam retulit prædam, contemptis licet auspiciis, & Augurum responsis. Cum enim revocaretur per litteras à Senatu, quasi vitio creatus, servavit eas donec debellatum esset. Ob eam causam pœne triumphus ei denegatus est, quo peracto, se abdicavit cum collegâ, non modò de Gallis, sed de Senatu, deque religione prope visus triumphare.

OLYMP. CXXXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3832. 532.

Cleomenes cum 20. millibus armatorum progreditur adversus Antigonum stipatum 28. millibus peditum, & equitibus mille ducentis. Cum Antigonus revocaretur in regnum ob Barbaros Macedoniam infestantes, committit prælium quod non detrectavit Cleomenes. Sed hic victus fugit Gythium, hinc in Ægyptum, & Alexandriam cum amicis suis, ubi Evergeti acceptissimus fuit. Antigonus intereà Spartâ potitur, in quâ tamen perhumaniter egit. Reliquis enim civibus paucis libertatem reddidit & antiqua restituit instituta, ac tertio post die Macedoniam repetiit illustrior veniâ Spartanis datâ quàm de iis relatâ victoriâ.

Achæus impulsore Syniride quodam exul in urbe Laodiceâ Phrygiæ aliàs neglectum sib impofuit diadema, quando Molo & Alexande in Mediâ & Perside rebellarunt, & Ariarathe usurpatâ Cappadociâ, regni sui fundament jecit. Eas autem rebelliones ne statim extingue ret Antiochus impediere Hermiæ, & Epigen inimicitiæ, quibus oppressus Epigenes tande proditus periit, Hermias Regi turpiter illusit exemplo perillustri quo improborum ministro rum, pervadat impotentia.

Romæ Coss. M. Claudius Marcellus, & C Cornelius Scipio, impediere quominùs pax co cederetur Gallis, quascumque conditiones bire paratis. Sed triumphum sperabant illi, fi que fuit illis sua gloria, quam patriæ dignit potior: evocant igitur Galli Gæsatas, & cum Acerras obsident. Ubi ad se venire audiu Marcellum ei occurrunt & ad Clastidium co fligunt: vincuntur; ac de eorum Rege Virid maro Marcellus tertia opima spolia retulit, q vel Jovi Feretrio, vel Quirino consecravit, liciori successu quàm susceptum ambitiosè b lum flagitabat.

OLYM

OLYMP. CXXXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3833. 533.

Ptolemæus Evergetes hoc anno moritur regni sui 26. quem aliqui veneno sublatum scribunt, alii morbo periisse. Ei successit filius Ptolemæus Philopator, ita dictus, ut Iustinus putat, quia patrem, & matrem interemisset; vir in quo Ptolemæorum dignitas visa marcessere, libidinis & omnium turpium voluptatum vile mancipium, dignusque quem bis parricidam suspicemur, atque fratricidam.

Tum Antiochus Magnus uxorem duxit Laodicen filiam Mitridatis Cappadocis; dum Molo contra se missos duces Xenonem, & Theodotum profligaret. Quorum malorum Hermias causa fuit Antiochi Regis quodammodo Pædagogus, ejusque bonæ vel malæ fortunæ, prout res exigebant suæ, malitiosus dispensator.

Antigonus Tutor, celebratis Nemæis in Macedoniam reversus, Illyrios vicit: at in prælio æger, & gloriæ quàm vitæ sollicitior, dum vociferatur, sibi venam abrumpit, & moritur partâ victoriâ subinde in has voces erumpens, *Olatum diem!* Successit ei Philippus, Demetrii filius jam annos 14. natus, sed ita institutus à Tutore, ut ejus ætatem contemneret nemo: Quod Dardani vicinique populi statim experti sunt, & Antigonum boni tutoris in eo partes explevisse.

Consules P. Cornelius Scipio Asina, & M. Minucius Rufus Istros hoc anno domuerunt Dalmatiæ populos. In quorum historiâ cum fiat mentio Istri fluvii, noli cogitare Danubium, sed fluviolum, qui cadit in mare Hadrianum: quæ ambiguitas multos induxit in fraudem, & victorias Romanorum ab hac parte longiùs quàm par erat, extendit.

OLYMP. CXL. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3834. 534.

Antiochus Magnus adversus Molonem ipse exercitum ducere parat, & licet inhiberetur ab Hermiâ (qui hoc anno Epigenem ob epistolam à Molone supposititiam tollendum curavit) perrexit tamen, & diu grassantem rebellionem extinguere conatus est præsentiâ suâ, quâ nullum aptius principi solet esse remedium.

Contra Philopator in Aegypto in omnem se lasciviam effudit, omniaque negotia regni per Agathocliam amicam, & Lænam Oenanthem curari passus est, dum ipse μητραγύρτην ageret in aulâ, unde & dictus est Gallus, moribus quàm corpore effœminatior. Quare apud ignavum Regem Cleomenis Regis fortissimi causa jacuit, quæ visa erat sub Evergete exsurgere. Itaque missionem petiit, sed retentus est muneribus & industriâ Sosibii, qui tum apud Ptolemæum omnia poterat, & cui permiserat regnum, dum ipse ludis, vino, ac libidini tantùm indulgeret.

In Hispaniâ Asdrubal post annos octo præfecturæ lenitatis, & humanitatis plenissimæ, quibus sibi multas urbes, multosque regulos devinxit, à Gallo quodam, privatas injurias ulciscente, interemptus est noctu. Correptus Sicarius in tormentis excarnificatus ridentis semper speciem tulit, minusque eum corporis dolores affecere, quàm diu quæsita, tandemque peractæ ultionis recordatio.

Successit Asdrubali Annibal, qui statim Oleapum gentem invasit, eorumque urbem Althæam opulentam in primis, & dux, & miles bonus occupavit; metuque vicinis injecto fodinarum dominus effectus est quibus divenditis magnam sibi pecuniam confecit, quâ sibi ad majora paravit viam. *Annibal succedit Asdrubali.*

Romæ Consulibus L. Veturio Philone, & Lutatio Catulo lustrum conditum civium capita exhibuit 270213. Tum quoque Libertini anteà per tribus sparsi ad quatuor revocati sunt Palatinam, Esquilinam, Saburranam, Collinam. Consules ad Alpes progressi multos sibi, sine cæde, populos adjunxere. Denique C. Flaminius censor, & viam Flaminiam stravit, & Circum Romæ construxit, ne Romanus miles otio torperet, & qui patriæ præsidio non esset, esset utilitati, atque ornamento. *Lustrum Romæ conditum.* *Flaminia via & Circus Romæ.*

OLYMP. CXL. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3835. 535.

Cleomenes in Ægypto jam per vim detentus, & in custodiâ jussu Sosibii, atque Regis, proditus anteà à Nicagarâ, è carcere cum tredecim comitibus erumpit, absente tum Rege, & populum ad libertatem vocat. Sed iis nemo adjungit; quare illi ex desperatione interimunt sese: Cleomenis corpus excoriatum actum est in crucem, mater ejus Crateficlea cum nepotibus necata. Is Cleomenis viri fortissimi exitus fuit, qui tamen furiosè potiùs, quàm fortiter interiit. Eo mortuo Spartæ Agesipolis, & Lycurgus regnavêre, quos concordes fecit, temporum calamitas, potens necessitudinis & concordiæ magistra. *Cleomenes erumpit & caditur.* *Cleomeni succedunt Agesipolis, & Lycurgus.*

Antiochus Molonem persequitur ac vincit; hic victus cum omnibus conjurationis sociis sibi manus infert. Neolaus ejus frater fugit in Persidem ad Alexandrum fratrem, ubi Molonis uxores, ac liberos obtruncat, tum sibi manus infert, idemque ut faciat, exemplo suo, persuadet Alexandro. Antiochus victor inde movet in Artabarzanem; sed is decrepitus qua suis oblatas conditiones accipit. Auctus tum filio Antiochus suspectum jampridem sibi Hermiam interim jubet aut sinit ab amicis, leviori utique supplicioquàm ejus perfidia, crudelitasque postulabant. Uxorem quoque ejus & liberos Apameensium uxores lapidibus obruerunt, ne quid perfidæ familiæ superesset, natæ in excidium Orientis. *Antiochus Molonis partes tollit.* *Hermias interficitur.*

Tum Prusias Rex Bithyniæ Gallos oram Hellesponti vexantes delevit, partaque sibi ac vicinis suis tranquillitate stabiliit regnum. Byzantini quoq; solvere coacti Gallis tributa portoria quædam navibus imposuerunt, unde conflatum iis à Rhodiis bellum, quibus se quoque Prusias immiscuit, sicque res promovit suas. *Prusias Gallos delet.*

In Græcia bellum Sociale hoc anno ab Achæis & Philippo contra Ætolos gestum, sed statim revocatus est Macedo in regnum suum quod Dardani populabantur, anno sequenti persecuturus bellum. Ætoli autem Dorymachum *Bellum sociale in Græcia.*

chum

chum prætorem crearunt, qui in Epirum copias duxit, ac omnibus diruitis & incensis, Dodonæum quoque templum evertit, magnæ in Græciâ & ubique gentium venerationis: sed furor qui misericordiæ oculos occluserat, clausit quoque religioni.

*Dodoneum templum eversum.*

Romæ Consules M. Livius Salinator, & C. Æmilius Paulus adversus Illyrios, & Demetrium Pharium rebellantem bellum gessere. Ubique victus Demetrius totum Illyrium perdidit, & fugit ad Philippum, ubi vitæ reliquum traduxit inglorius. Ambo Coss. triumpharunt: Mulctatus tamen Livius à populo quod prædam inæqualiter divisisset, rus secessit, unde non nisi post annos octo, & compulsus à Consulibus rediit, ac tandem iterum factus est Consul ut præteritæ ignominiæ prorsus oblivisceretur.

*Victus Demetrius Pharius fugit ad Philippum.*

Tum primus Romam venit ex Peloponneso Medicus Archagatus Lysaniæ filius: quando & cognovere Romani se Medicis indigere, quibus antea caruerant, ubi eorum corrumpi cœpere mores, sicut & corpora.

*Primus Romæ Medicus Archagathus.*

*Annibalis res gestæ in Hispania.*

Annibal in Vaccæos expeditionem suscipit, eorum urbem Hermandicam, vel Salmanticam occupat. Capit & Arbucalam, sed non nisi difficiliter. In reditu quoque Carpetanos oppressit ad Tagum fluvium, quamvis cum vicinis ad centum armatorum millia coëgissent: quibus devictis omnes ultra Iberum populi huic se submittunt præter Saguntinos: qui tum crebris nunciis Romanos admonuerunt, ut sibi, ac sociis providerent. Quod cum perfecissent tardiùs, & perdidere Saguntum, & in ultimum discrimen devenerunt.

*Annibal Saguntum obsidet & capit.*

Annibal enim statim Saguntum invasit; quem frustra Romani per legatos ab obsidione sociæ urbis deterrere conati sunt. Ille enim eos remisit Carthaginem. Interim urbem oppugnat tantâ vi, ut desperati cives jam octo mensibus frustra Romanorum expectantes auxilia, & ab Annibale ultima quæque, obtruncatis liberis ac uxoribus, interficiunt sese, & cum omnibus divitiis cremant. Quod factum secundi belli Punici non tam fax, quam bustum fuit.

| OLYMP. CXL. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann.* 3. | 3836. | 536. |

*Antiochus in Syriam arma convertit.*

Antiochus omisso tantisper Achæo, quem tantùm per litteras admonet, & revocat ad officium, in bellum Syriacum convertitur, & contra Philopatorem. Ille primo impetu Seleuciam capit, immò & ferè Cælesyriam totam proditione Theodoti Aetoli hujus præfecti qui deinceps in hoc bello meliorem illi navavit operam, quàm vulgò proditores solent. Frustra tamen obsidet Doram; dum se parant ad resistendum Aegyptii ducibus Agathocle & Sosibio penes quos tota Aegyptus erat, in dormiente suis deliciis Philopatore. Intereà fiunt induciæ inter utrumque Regem ad quatuor menses, ut videretur an res Syriacæ amicè componi possent, & erant illæ utrique regi necessariæ, utrique regno salutares.

*BELLUM PUNICUM SECUNDUM.*

SECUNDUM PUNICUM BELLUM omnium quæ Romani gessere atrocissimum inchoatur, Hispani & Galli à Pœnis & Romanis sollicitantur; illos compulit capta Saguntus à Pœnis stare, hos refugere à Romanis malè habiti Galli Cisalpini induxere. Legati Carthaginem missi nihil inde nisi bellum à se & Carthaginiensibus oblatum acceptumque tetulerunt.

Sortiuntur itaque Consules Provincias P. Cornelio Scipioni Hispania, T. Sempronio Longo obtigit Sicilia cum Africâ. Et Scipio quidem in Galliam transiit, ut opponeret sese venienti ex Hispaniis Annibali: at hic à Gallis transitum obtinuit, & Rhodanum trajecit, aliosque Gallos obsistentes vicit. P. Scipio in Galliâ cum Annibale congredi decreverat, sed certamen refugit Annibal, ut copias integras transferret in Italiam, maximè Bojorum litteris sollicitatus, qui tum à Romanis defecerant ob colonias Placentiam, Cremonamque deductas. Annibal itaque Alpes ægerrimè trajicit, naturâ locorum transitum denegante, quem invenit, ubi nullus erat, sed multos è suis amisit. Scipio excepturus Annibalem in Italiam redit, misso fratre suo Cn. Cornelio in Hispaniam contra Asdrubalem; ipse à Manlio prætore accepit exercitum jam anteà à Bojis, & Insubribus victum, & pergit ad fluvium Ticinum. Hic prælium atrox committitur, in quo vulneratus P. Scipio à Iuniore filio qui posteà Africanus dictus est, morte subductus est; alii à servo ereptum volunt; Romani victis similes Placentiam recedunt. Scipio ad Trebiam se deferri jubet, ubi & castra diligenter communiit. Sed malùm! adfuit T. Sempronius evocatus è Sicilia ubi rem non malè gesserat contra Pœnos, eosque jam classe ab Hierone victos iterùm classe superarat. Is igitur rebus gestis tumens, & quasi omnia reparaturus, cum Annibale congredi statuit, & Scipione frustrà renitente militem suum frigore rigidum, opponit Pœnorum, & Numidarum benè curatis corporibus. Quare cæsi fugatique Romani maximè Placentiam confugere; reliquias exercitus; decem millia, Scipio Cremonam deduxit. Neque ea victoria incruenta fuit Annibali, multos enim ex suis militibus, etiam aliquot elephantes amisit. Sempronius se victorem simulans, comitiorum causâ Romam venit, pœne audacius, & stolidiùs per medios hostes transiens, quàm anteà prælium commiserat.

| OLYMP. CXL. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann.* 4. | 3837. | 537. |

Legati Antiochi & Philopatoris diu de pace consultarunt, cujus mora Achæus fuit, quem includi volebant Ægyptii, Syri prætermitti: itaque ad arma deveniunt. Præerat Ægyptiis copiis terrestribus Nicolaus Ætolus, classi Perigenes, Syros ducebat Antiochus ipse cum Theodoto, & Menedemo. Tandem Antiochus terrâ, marique vincit, ac multas urbes occupat in Iudæâ. Auxere damnum defectiones Hippolochi, & Chereæ ducum Ptolemæi cum copiis: quibus successibus sic intumuit Antiochus, ut anno sequenti fuerit deprimendus.

Annibal ex hibernis plurimùm Romanos vexat aliquot oppida capit in quæ crudeliter desævit;

sævit; Apenninum frustrà transire conatur. Iterùm cum Sempronio confligit dubio eventu, unde uterque se victorem putavit; Pœni plures, Romani nobiliores amiserunt.

Intereà Cn. Scipio in Hispaniam venit, & cum Hannone fœliciter, cum Asdrubale alternante fortunâ certavit, remque Romanam hic collapsam penitùs restituere conatus est.

Coss. hoc anno creati Cn. Servilius Geminus & C. Flaminius secundùm, cui cæso suffectus est M. Atilius Regulus. Flaminius Consulatum iniit cum signis terrificis, & quibus ei clades morsque denunciata est. Annibal à Gallis proceribus periculum adiit, ideoque maturiùs quàm par erat Apenninum transiit, quando multos milites, pleraque impedimenta, & quod gravius fuit oculum perdidit. Tandem cum ægrè emersisset ex palustribus locis ad Perusiam venit, ubi cupidum pugnæ Flaminium, etiam magis accendit. Tandem in locum iniquum deduxit imprudentem, & ad Lacum Trasimenum, ubi commissum est atrox prælium. In eo cæsus Consul dum ferociùs pugnat cum 15. millibus Romanorum, alii dissipati vel capti. A. Servilio quoque missa quatuor equitum millia cum C. Centronio Proprætore à Pœnis oppressa sunt. Roma plurimùm hac clade turbata, Consulum alio cæso, altero absente Q. Fabium Maximum prodictatorem dixit, cui adjunctus equitum Magister M. Minucius. Illi data potestas quem vellet exercitum conscribendi. Servilius tamen paulò ad tutandam urbem accessit, hac clade non satis tutam, & Annibali, si cognovisset, & ausus esset, haud imperviam.

Tum jacta sunt belli Macedonici semina. Annibal enim tum rescripsit ad Philippum hoc tempore Nemæos Ludos celebrantem, qui Epistolam uni demetrio Phario ostendit, à quo impulsus est omissis bellis, Aetolico, & Illyrico, de Romano cogitare; quo eventu mox ipse, posteà ejus filius expertus est.

Intereà Fabius Maximus alio pugnandi genere, & tergiversatione frangere decrevit Annibalem, unde & Cunctator dictus, quâ tamen rem Romanam restituit, Ea tamen multis displicuit. Quare L. Hostilius Mancinus exploraturus cum 400. sociorum equitibus, contra voluntatem Fabii congressus, cum suis omnibus interiit. Vicissim Fabius Maximus Annibalem in locum iniquum compulit, unde tantùm stratagemate, & accensis boum cornibus ad terrorem Romanorum, incolumis cum suis evasit. Sed cunctatio Fabii longè magis ab ejus equitum Magistro Minucio improbabatur, & cum majori periculo, nisi cautiorem sortitus esset Dictatorem. Relictus enim ille in castris à Fabio dum hic ad sacra Romam pergeret, & pugnare prohibitus, Annibalis populationibus irritatus, pugnavit & vicit. Ob eam victoriam propter quam melioribus temporibus castigandus erat, æquatus est Fabio, & partem exercitus ac lictorum jussus est accipere: Quæ tamen omnia perdidisset nisi potiùs rei Romanæ consulens quàm suæ Fabius ei periclitanti subvenisset. Hic enim & cecidit Annibalem, & exemit periculo Minucium; qui hoc facto redditus est cautior & Fabio conjunctior, etiam ei redditis sponte fascibus & exercitu. Paulò post quoque abdicavit se magistratu Fabius, reddidit que copias suas Coss. Servilio, & Atilio, Annibale tamen sic edomito fame, ut de repetendâ Galliâ cogitaret. Ita res Romana ducum temeritate graviter vulnerata, unius hominis prudentiâ sanata est.

Tum quoque Romani in summâ rei pecuniariæ penuriâ missas ad se pateras aureas, à Neapolitanis, & Pæstanis constanter repudiavere, & ex muneribus tantùm admisere, quantùm satis esset ne mittentes offendisse viderentur, in suis calamitatibus, quàm victoriis generosiores. *Romanorum fortitudo.*

P. Cornelius Scipio Cneo fratri conjungitur in Hispania, cujus ipse Proprætor erat. Et Cneus ante Publii adventum rem prosperè gesserat, Pœnos terrâ marique vicerat, Honosiam & Ebusum expugnarat, Mandonium Regulum rebellantem fregerat, Celtiberis cum eo adversus Pœnos fortiter, ac fideliter depugnantibus. Tum conjunctis copiis & animis duo fratres Iberum transgressi obsides Hispanorum Sagunti servatos ab Asdrubale occupant. Redditi sunt illi liberi parentibus suis; quo facto populi ita conciliati sunt, ut cum Romanis societatem inirent adversus Pœnos, quorum res hic inclinare cæperunt. *Duo Scipiones in Hispania vires jungunt.*

OLYMP. CXLI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3838. 538.

Philopator cum peditum 70. millibus, equitum quinque, elephantis 73. exit Alexandriâ contra Antiochum, qui in suis castris numerabat peditum 70. millia, equitum sex, elephantes duos supra centum. Ac Philopator primum Gazam, inde Rapiam venit, ubi eum noctu perdere Theodotus Ætolus decrevit; sed aberravit & Andrea Archiatro occiso, ac duobus aliis vulneratis incolumis ad suos rediit, cum comite facinoris hujus Dositheo Iudæo. Hic ex condicto committuntur exercitus, & Antiochus primùm visus vincere elephantis hujus Indicis, Africanos Ptolemæi superantibus, sed statim victoria reflexit ad Ptolemæum, qui victor tam facile recepit urbes, quàm perdiderat. Antiochus primùm inducias obtinet, & posteà pacem quam Sosibius confecit, Achæi rebellio exigebat. Ptolemæus venit in Judæam, & Hierosolymam subit, ibique Sancta Sanctorum intrare volens, nihil oratione Simonis Sacerdotis, sed divinitus prohibetur membris repente omnibus dissolutis, atque trementibus. Sed inde Rex impius castigatus, non melior abscessit. *Vincitur à Philopatore Antiochus ad Rapiam.* *Pax inter Philip. & Antiochū.* *Ptolemæus divinitus castigatur.*

Romæ delecti Consules L. Æmilius Paulus secundùm & C. Terentius Varro sub signis habuere 80. peditum millia, equitum novem millia atque sexcentos, & quidem Æmilius sapiens, & Fabio geminus, Varro temerarius, & qui Fabii cunctationem carperet. Annibali vix ad decem dies commeatus suppetebat, ideò pugna erat illi necessaria; qui & castris suis desertis inescare Romanos voluit, & capti essent, si Varroni fides habita esset, immò potiùs nisi auspicia

cia prohibuissent. Annibal igitur in Apuliam deflectit, & cum eo Consules Cannas veniunt locum sua clade nobilitaturi. Pugnam ambiebat Varro, detrectabat Æmilius. Sed evicit Varro eo die quo imperabat, eum secutus collega, ne huic defuisse videretur. Instruitur utrimque acies; sed ab Annibale peritissimè, qui pulverem, ventum, Solem, Numidas transfugas objecit Romanis, sola fortitudine suâ fretis, quæ tamen illis parum profuit. Victi enim profligatique sunt: Æmilius cum fugere posset, mori fortiter maluit; peditum 40. millia ceciderunt, bis mille septingenti equites, adeo ut fluvius Gelo ponte ex cadaveribus jungeretur. Desiderati sunt quoque duo superioris anni Consules, quæstores duo, Tribuni militum undeviginti, cum octoginta Senatoribus. Tantâ illatâ Romanis clade, si uti victoriâ novisset, Annibal uti monebat Maharbal magister ejus equitum, Roma capta erat, sed ille vincere, uti victoria nesciebat. Imperium ab iis qui Canusium proximum oppidum refugerunt Appio Claudio, & P. Scipioni delatum, qui omnes confirmavit, & jurejurando in Italia, quam deserere plerique cogitabant, continuit, jam supra ætatem fortis & prudens. Romæ Dictator creatus M. Iunius Pera, Mag. equitum T. Sempronius: hi armant servitia ad octo millia, cum intereà captivos redimere negaverint, & qui fugerant, aut non redierant notarint ignominiâ, alios fugitivos in Siciliam relegarint; ita servos ordinum desertoribus sapienter antepofuerunt. Terentio tamen Varroni obviam à Senatu itum, quod de Repub. non desperasset. Sed is quandiu vixit corporis neglecto cultu cladis hujus meminisse voluit, nec ut umquam partem Reip. attingeret, adduci potuit. Capua interim à Romanis defecit, uno repugnante Decio Magio, qui deditus Annibali Carthaginem missus est. Sed navis qua vehebatur tempestate est delata in portum Cyrenarum, unde fugit ad Ptolemæi statuam, indeque deportatus est à custodibus templi Alexandriam, ubi reliquum vitæ tempus traduxit, neque Capuæ neque Romæ securus, quia fugisset. Annibal misit quoque Carthaginem modium annulorum aureorum (alii tres modios scribunt) ideo ei submissa auxilia, 40. scilicet millia Numidarum, elephantes quadraginta, multaque pecunia. Accepit tamen ad Nolam cladem à Marcello qui eum vinci posse docuit. Sed vicissim ille cepit Acerras, Casilinum obsedit, quod fame domare decrevit; quibus gestis Capuam in hiberna concessit. Sed deliciis enervata civitas quæ Annibalem durum, & invictum receperat, mollem & vincendum Romanis dedidit, adeo ut plus Annibali Campanæ voluptates, & amœnitates nocuerint, quàm arma Romanorum.

*CLADES CANNENSIS. Caditur Æmilius, fugit Varro.*

*Dictator M. Iunius Pera.*

*Varroni obvium Senatus ivit.*

*Capua deficit à Rom.*

*Modius annulorum Carthag. missus.*

*Deliciis Campanis fractus Annibal.*

OLYMP. CXLI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3839. 539.

*Philopator Iudæos vexat, & divinitus deterretur.*

Philopator Iudæos servilibus notis compungendos curat, quare eorum multi veri Dei cultum ejurant, alii firmi in religione perstant: hi rapiuntur in Hippodromum, & tribus elephantis conculcandi disponuntur, atque huic spectaculo Rex interesse decrevérat. Sed hic primùm somno, deinde alienatione animi, denique visis geniis bonis ab hoc consilio deterretur; quare deinceps meliùs Iudæi in Ægypto habiti sunt. Quæ 3. Macchabæorum libro Apocrypho contenta, Iosephus ad Physconem transtulit, quem à crudelitate precibus suæ concubinæ revocatum scribit, vir in prodigiis recensendis, plus Romanis lectoribus Ethnicis, quam historiæ veritati solitus indulgere.

Antiochus Magnus Taurum transgressus, factâ cum Attalo pace Achæum aggreditur. Hic se recipit Sardeis, ubi obsidetur biennio in arce munitissimâ, unde exitum à suis amicis expectat, quorum industriam Antiochus, & mala Achæi fortuna delusit.

Philippus Macedo legatos ad Annibalem mittit de fœdere, quorum Princeps Xenophanes. Hi à Romanis capti mentiuntur se missos esse ad fœdus cum iis renovandum. Sed mox Xenophanes fugit ad Annibalem, & cum eo percutit fœdus nomine Philippi, eâ lege ut hic cum 200. navibus in Italiam naviget, ad Romanos opprimendos. Redit ergo Xenophanes cum sociis, atque Pœnis. Sed capitur à M. Valerio classis præfecto. Et quamquam mentiretur de more Xenophanes, detectus tamen ex comitatu Punico cum sociis datur in vincula, comites sub hasta veneunt, Romani per Q. Fulvium. & M. Valerium provident, ne iis imparatis Philippus aggrediatur Italiam.

In Sicilia moritur Hiero, relinquitque nepotem Hieronymum successorem suum sub quindecim tutoribus: eorum unus Andronodorus fictè se tutelâ abdicat, cujus exemplum alii sequuntur, sed Andronodoro Hieronymus se regendum permittit: Syracusæ & Hieronymus ad Annibalem deficiunt: Rex juvenis dum move in Leontinos à conjuratis interemptus est, Syracusæ Carthaginiensibus nequicquam reclamãte Appio Claudio faverunt, hostemque Romanum sibi imprudentissime accersiverunt.

In Hispaniâ rem prosperè gesserunt duo Scipiones, ibidemque retinuerunt Asdrubalem in Italiam festinantem, immò & magnâ clad vicerunt. Itaque mittendus fuit in Hispanian Mago frater Annibalis, qui in Italiam destina batur ad fratrem. Asdrubal autem Calvus mittitur in Sardiniam, sed tempestate jactatus ad Baleares insulas appulit, ubi laceras refecit naves. Interim Q. Fulvius Flaccus in Sardiniam quoque cum legione mittitur, administraturu insulam, donec Mutius Proprætor convalescat. Posteà T. Manlius Prætor eamdem insulam re xit, vicitque Annibalem Calvum. Quæ dum fiunt Scipiones in Hispania ad Illiturgim vincunt tres duces Asdrubalem, Magonem, atqu Amilcarem, & cum sexdecim millibus sexa ginta millia profligant, tribusque eorum castr eodem die potiuntur. Iterùm ad Incibile, se Indibile oppidum Mago ab iisdem fusus, cæ hostium tredecim millia, capta tria, ob qua victorias tantas atque multiplices, Hispania a Romanos, desertis Pœnis adeò infœlicibus inclinavit.

Ca

Casilinum expugnatur fame, modis omnibus à Romanis propulsatâ. Tandem cum obsessis pepigit Annibal, qui se pecuniâ redemêre, Cumasque perrexere, adeò eorum virtus etiam hosti, alioqui crudeli, placuit.

Romæ creati Consules L. Postumius Albinus tertiùm, eoque mortuo Q. Fabius Maximus tertiùm, & T. Sempronius Gracchus. Postumius autem in Sylva Litana arboribus succisis, & artificiosè sustentatis implicitus à Bojis deletus ac cæsus est. T. autem Sempronius ad urbem Grumentum in Lucanis Hannonem vicit, atque in Bruttios compulit. Marcellus tribus continuis ad Nolam diebus cum Annibale pugnavit, ertio certamine victus Annibal, ac cæsorum polia Vulcano cremata sunt, atque consecrata. Ad eumdem Marcellum 1272. equites Numidæ Hispanique defecerunt, eique deinceps utilissinam navarunt operam, pari fide ac fortitudie, neque ab iis gentibus expectatâ.

OLYMP. CXLI. *ann.* 3. *Mundi* 3840. Urb. Cond. 540.

Ab Antiocho Magno capiuntur Sardeis opea Lagoræ, qui per locum incustoditum miliem immisit in urbem. In arcem refugit Achæus, ed tandem proditus à Bolide, & Cambylo veit in Antiochi manus miserabili stratagemate, quod fabulam sapiat, sed venit tamen. Sosiius enim Alexandriæ Bolidi homini cauto, ac afro suadet, ut ex arce in quâ obsidebatur eriiat Achæum, quem maximè salvum volebat, hilopator eique decem talenta numerat. Hunc einde mittit ad Nicomachum Rhodium, & Melancomam Ephesinum amicos Achæi, à quius accipit tesseras, de quibus inter se conveneınt. Habebat Bolis in castris Antiochi cognaım Cretensem nomine Cambylum, ad eum nittit Arianum quemdam utrique notum, & um eo colloquium petit, & impetrat. Conveiunt; sed in colloquio statuunt vivum Achæum ntiocho tradere. Inducitur ergo conscio Anocho in arcem Arianus: Achæus excussis omibus, exire statuit ex arce; sed ignotus Bolidi; ngit enim se tres aut quatuor è suis velle enittere, qui explorarent an in tuto essent omia: sed ille ex iis unus erat qui tamen agnitus t à Bolide, ob nimia comitum in eum officia, vinctus est traditus Antiocho, vix captum se credenti. Damnatus est autem neci Achæus proceribus, & membris extremis mutilato rectum caput quod in utrem Asininum insutum t, corpus in crucem actum. Laodice uxor Aıæi, & Aribazus dum sibi invicem diffidunt, cem Antiocho tradunt. Ita proditor sui prinpis, proditione captus interiit.

Philopator contentus urbibus suis in Syriâ ceptis, se totum rursus in luxuriam immergit: se Agathocliæ meretrici regendum permit-t, vile Venerisscortique mancipium.

Consules hujus anni creati Q. Fabius Maxius Verrucosus quartùm, & M. Claudius Marellus tertiùm. Hic ad Nolam victus semel, bis icit Annibalem, & reposita tum fuisset pœnis lades Cannensis, si emissus Claudius Nero cum quitatu tempore adfuisset; quare graviter est increpitus à Marcello, aut tarditatis, aut imprudentiæ.

Q. Fabius Maximus Cassilinum oppidum per Marcum Marcellum Nolâ evocatum capit, sed stratagemate potiùs, quàm vi. Campani ad Fabium confugiebant ut tutò ex pacto Capuam deducerentur, dum exeunt Marcellus occupavit portam, indeque subivit urbem. Post hac idem Marcellus Nolæ ægrotus decubuit. Fabius Samnium ingressus hostium viginti quinque millia cecidit, aut cepit: inter eos perfugæ 370. deprehensi Romam missi virgis cæsi & de saxo dejecti, se plusquam hostium haberi loco didicerunt.

*T. Sempr. Gracchus Hannonem vincit.*

T. Sempronius Gracchus cum suis Volonibus, seu servis armatis, egregiè pugnavit contra Hannonem ad Beneventum, ubi pugnatum obstinatissimè; Pœni multos è suis amiserunt, Volones omnes libertate donati, quam eo prælio egregiè promeriti sunt.

*Marcellus obsidet Syracusas, resistit ei Archim.*

Misera erat id temporis Siciliæ facies, miserior Syracusarum, occiso Hieronymo, ubi demùm in familiam Hieronis acerbè sævitum: ab Annibale missi Legati etiam Prætores facti, quare urbs à Romanis omninò defecit, quam Marcellus obsedit, & oppugnavit vehementissimè; sed quominùs caperetur obstitere machinamenta Archimedis, quem Romani meritò novum Briareum nominavere.

*Philippus malè accipitur à Rom.*

Philippus malè acceptus est à M. Valerio Lævino prætore Brundusinæ classis præfecto. Ad hunc enim venere legati ex urbe Epiri Orico, questi sibi præsidium à Philippo impositum: eò profectus prætor Macedonas expulit. Legati quoq; Apolloniates accessere rogantes auxilium adversus eundem Regem, urbem suam obsidentem. Missus à Valerio Nævius Crispus mille viros per occultos tramites in urbem induxit, qui die sequenti in Philippum incautum erumpentes eum tantùm non cepêre vivum: immò superveniens cum classe Valerius eum in portu obsedit. Quare Rex incensis navibus cum egente, ac spoliato exercitu pedestri, itinere repetiit Macedoniam, tumque intellexit nondum Annibalem, Romanos obtrivisse.

*Philippus tollit veneno Aratum.*

Idem Philippus paulò post turbantibus Messeniis Peloponnesum, eò venit. Hîc Aratum decies septies apud Achæos præturâ cum laude perfunctum veneno sustulit, quod improbasset ab eo contra Messenios perperam gesta. Sic Philippus ex humano facilique Rege, efferatus suis cladibus in Tyrannum sensim degenerabat.

*Pœni, & Rom. in Hispania dubia fortuna pugnant.*

In Hispaniâ variè res à Scipionibus gesta. Primùm enim visi sunt respirare Carthaginienses fusis Hispanis per tres duces suos. Posteà Castulo se Romanis tradidit. Ad Illiturgim cæsi quoque Pœni, & ad Mundam ubi vulneratus est Cn. Scipio, tum ad Aurigem, & paulò post majori quoque clade affecti. Denique Saguntum receptum, ac veteribus incolis, qui inventi sunt redditum; adeò ut Carthaginiensibus omnia in Hispaniâ, præter animum, & spem, deesse viderentur.

## CAPUT V.

### Decas Quinta.

*Ab anno* 3840. *ad* 3850.

OLYMP. CXLI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3841. 541.

*Philippum Rom. detinere nituntur.*

PHilippus in Illyrico Liſſum occupat, ejuſque arcem Acroliſſum: Agebat tum ætatis annum vigeſimum ſecundum multùm ab eo mutatus quem tam diligenter Antigonus Tutor excoluerat. In eum porrò invigilabat Lævinus Prætor ne auxilio eſset Annibali. Tentati quoque à Romanis Ætoli, ut bello Philippum aggrederentur, ſed recentiùs erat fœdus, quàm ut tam citò ſolveretur, & hoc ut ſervaretur Macedones omni curâ providebant.

Conſules Romæ fuerunt Q. Fabius Maximus filius, & T. Sempronius Gracchus ſecundùm. Fabius ad ſe accedentem patrem equitem, ex equo per lictorem deſcendere juſſit, & à Patre, quod Conſulem agere noſſet, laudatus eſt. Altinius ad Romanos fugit, & quia transfuga datus in vincula, ejus autem liberos & uxorem Annibal vivos exuſſit. Fabius Arpos nocte pluviâ occupavit, & junctus Arpinis Pœnos oppreſſit; tum & Hiſpani mille Annibalici ſe Romanis dediderunt, in quibus hi levitatis nihil, multùm fortitudinis experti ſunt.

*Coss. & Anibal sibi invicem nocent.*

*Lex Oppia de cultu muliebri.*

Romæ incendium atrox multas ædes ſacras, & prophanas abſumpſit. Tum lex Oppia ſanctiſſimè, & opportuniſſimè lata de ſumptu muliebri, quâ cautum neque mulier plus ſemiunciâ haberet auri, ne veſte verſicolori uteretur, ne juncto vehiculo in urbe veheretur, aut propiùs mille paſſus, niſi causâ ſacrorum; quæ lex his temporibus accomodatiſſima judicata eſt, & quam tum duram nulla fæmina putavit.

*Syphax Rom. conciliatur à Scipionibus.*

Initatum à Scipionibus cum Syphace ſocietas qui & unum de Legatis à ſe miſſis retinuit Q. Statorium, ut ſuos pedeſtrem, & ſtatariam pugnam edoceret. Carthaginienſes ab eo victi, huic oppoſuere Gelam cui filius erat Maſſiniſſa annorum ſeptemdecim: is junctus Punicis peditibus Syphacem ſemel iterumque vicit; ita Numidis inter Pœnos Romanoſque diſtractis, ne pars alterutra prævaleret.

*Maſſiniſſa Pœnos juvat.*

OLYMP. CXLII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3842. 542.

*Non multos à Philippo disjungunt.*

M. Valerius Lævinus non modo ſibi devinxit Ætolos, ſed & Attalum ſibi jam ab Antiocho, ſublato Achæo, reformidantem; duos inſuper regulos Illyrios Pleuratum, & Sardiletum; Eleos denique & Spartanos fœdere cum Ætolis conjunctos. Acarnanes à Philippo disjungi non potuerunt; tum inchoatum eſt bellum in Philippum, cujus maximè his ſocietatibus petebatur caput.

Romæ Coſſ. creati Q. Fulvius Flaccus tertiùm & Appius Claudius Pulcher; qui dum agrum Campanum populantur à Mangone malè accepti ſunt: iis perturbatis animos raddidit Criſpinus Romanus de Badio Campano ſingulari certamine ex provocatione victor. Iterum ergo conſules cum Annibale certarunt ad Beneventum, ſed Sempronianus exercitus viſus ab utriſque copiis, & hoſtis creditus certamen abrupit. Tum etiam obſeſſa eſt ab Appio Capua deluſo Annibale, qui tamen Romanos in Lucanis, & Apuliâ cecidit. Capuani porro obſidendi commeatum ab Annibale petierant, & impetrarant; ſed eum perdiderant ſocordiâ ſuâ, Hannone profligato, & captis eorum curribus, quæ clades certum iis interitum attulit. Aliunde Metapontini, Thurii, & Lucani ſeſe Pœnis dediderunt. Capua obſeſſa eſt tribus exercitibus duorum Conſulum, & Prætoris Neronis, in quorum caſtra tantùm commeatus convectum, ut nulla rei in Hibernis Romanus miles egeret.

Flavius quidam Lucanus T. Sempronium Gracchum hoſpitem ſuum, evocatum à Conſulibus, deduxit in inſidias ipſi à Mangone collocatas ex condicto; Gracchus fortiter pugnans cæſus eſt. Demortui corpus etiam ab Annibale honoratum; Volonum exercitus duce ſublato diſſolutus eſt, cujus ipſe animus erat.

Tarentini deficiunt ad Annibalem propter obſides ſuos fugitivos Romæ, quamquam juſtè, ſeverè tamen necatos. Proditores fuere cives Nico, & Philomenes ſpecie venationis cum Annibale collocutus, & cui porta ut venator ſemper patebat. Admiſſi igitur noctu in urbem Pœni, trucidati Romani, direptæ eorum domus: Livius ſeminudus refugit in Arcem qua ſtatim accepit à Metapontino præſidio auxilium. Itaque eam Annibal fruſtrà occupare conatus eſt, traductis per urbem navibus, majori labore, quam fructu.

Syracuſæ poſt trium annorum obſidionem M. Marcello captæ in feſto Dianæ, quand noctu ſcalis admotis ad humiliorem muri par tem in eam Romani ſubierunt; captæ urbi ill crymatus eſt Marcellus, luxitque crudelitatem & rapinam quam impetrabat. Fugit Bomilc Carthaginem cum 35. navibus, unde revex urbi auxilium, ſed irritum, & intempeſtivu Archimedes quem maximè ſervatum Marce lus optabat, dum lineas in pulvere deſcribit neque ſatis attendit ad imperium militis, ab cæſus eſt. Honorificè ergo ſepultus eſt, quo ta tum modo poterat ejus celebrari memor Multùm prædæ in hac urbe inventum eſt, aliquanto plus quam in deleta Carthagi Compoſitis Siciliæ rebus Marcellus Agrigent venit, ubi Hanno, Epicides, & Hipponia collegerant copias ſuas. Abſente Hipponi duo alii victi à Marcello, quam cladem ſec Numidarum defectio, Romanis Siciliam a ruit.

Scipiones Publius, & Cneus deſerti à C tiberis, exagitati à Maſſiniſſa, proditi à ſo ambo cæduntur. Ac primò Publius ab Aſdru le, & Mangone circumfuſus à Numidis in fectus eſt, ejuſque deletæ copiæ. Mo al Aſdrubale evocato junctis omnibus copiis I aggrediuntur Cneum; ſed ille fugit in col ubi diſſipato exercitu, in turri ad quam co gerat exuſtus eſt. Tum perierant Romanis ſpaniæ, niſi L. Martius, Septimii filius, E Romanus militem collegiſſet ex fuga. Hi

tim ab exercitu suffragii prærogativâ creatus Imperator, Asdrubalem Gisconis filium ad castra sua probè munita incautiùs accedentem delevit. Insuper unâ eademque nocte gemina Pœnorum castra expugnavit, & tum rem Romanam, non cunctando, sed accelerando vir fortis, & suo dignus nomine, restituit.

OLYMP. CXLII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3843. 543.

Antiochus Magnus devicto Philopatore sibi Iudæam sociat, jampridem Ægyptio propter impietatem, & improbos mores infensam.

Bellum cum Philippo gestum ab Ætolis quibus Romani occupatam Zacynthum attribuerunt ex fœdere. Is nuncius Philippum perculit, ac Pœnorum, Annibalis, & Italiæ cogitationem huic excussit.

Hoc anno quo consulatum iniere Cn. Fulvius Centimalus, & P. Sulpitius Galba, Annibal ut averteret Romanos à Capuâ, perrexit Romam, Appio ægro in obsidione remanente, eum insecutus est Q. Fulvius, & pugnassent duo exercitus cujus victoriæ præmium fuisset Roma, nisi iterum effusus imber pugnam inhibuisset; itaque ingemiscens Annibal ex Anienis ripa unde Romam videbat, & Cannas identidem repetens, in Bruttios est regressus. Tum Capua se dedidit viginti septem Senatores hujus urbis suadente Vibio Virio venenum in epulis hauserunt, reliqui 80. jussu Fulvii necati, Appio, immo & Populo Romano revitente: urbs auro, argentoque omni spoliata. Vicinæ quæque urbes receptæ, ubi sævitum ubique in autores rebellionis; tumque intellexere Campani quàm parum Pœnis fidendum esset, quàm metuendi Romani, seu victi, seu victores.

M. Marcellus redit ex Sicilia Romam ubi negatus est ei triumphus, Ovatio concessa, sed triumpho nobilior, ob signa, divitias, machinas allatas Syracusis; tumque Myrthus Lauro, & tibiæ tubis visæ sunt prævalere.

Claudius Nero missus est in Hispaniam ubi recepit exercitum à L. Martio, cujus res gestæ laudatæ, improbatum Proprætoris nomen sibi tantùm à milite datum, ac suis litteris ad Senatum perperam adscriptum. Inde quæsitus ad bellum Hispanicum Imperator: mussantibus omnibus, & offerente se nemine, ex superiori loco P. Cornelius Scipio Publii cæsi in Hispania filius, hanc sibi provinciam depoposcit, ad quam statim electus est communibus Urbis suffragiis. Hic confectis statim copiis Empurias venit, inde Tarraconem, ubi à Nerone recepit exercitum, atque ita se primo aditu in provinciâ gessit, ut omnia ab ejus prudentiâ & fortitudine fausta sperarentur.

OLYMP. CXLII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3844. 544.

Antiochus Arsacem Parthorum Regem expulsum ex Mediâ, ad Hyrcaniam usque persequitur, & finem insequendi fecit, quod laboribus esset ejus attritus exercitus. Satis igitur victor duxit tunc temporis, virum tam fortem fugisse.

Legatio à Romanis ad Reges Africæ, & potissimum ad Philopatorem missa cum muneribus Rege, ac ejus uxore dignis, ut Africa ab hac parte Pœnis incommodaret, & vires eorum distineret.

Philippus auspicaturus bellum adversus Ætolos, in Oricinos, & Apolloniates movet, vastat Illyricorum agros, inde pergit in Thraciam & Mardos populos Macedoniam populari solitos. Interea Aetoli prætore Scopa Acarnanes amicos fautoresque Philippi aggrediuntur; hi ex desperatione resistere parant, & conjurationem dignam viris fortissimis ineunt. Valerius cùm classe junctus Aetolis Naupactum expugnat, & tradit Aetolis, prædâ ex condicto Romanis reservatâ. Hic litteras accipit quibus se Consulem designatum discit cum M. Marcello quartùm. At diuturno implicitus morbo tardiùs consulatum iniit, quàm res Romana postularet. *Philippus Ætolis parat resistere.*

Duo Romani duces accusati sunt in Senatu, Marcellus à Siculis, Fulvius à Campanis. Hæ causæ à Lævino, Senatuque finitæ sunt: Siculi cum Marcello reconciliati in ejus quoque clientelam transiere: Campani duriùs habiti, maximè cum incendium Romæ excitatum per interfectorum parentes deprehensum esset: acerbius enim accepti à Senatu, quàm ab ipso Fulvio fuerant. Edixit enim ille bona eorum publicanda, ipsos cum liberis, & conjugibus vendendos. Ita dum Scyllam Q. Fulvium fugiunt in Carybdim Senatum Romanum infelices inciderunt. *Accusati duo Coss. Marcellus à Siculis Fulvius à Campanis.*

Marcellus Consul Salapiam per Blasium primarium ejus civem recepit, cæso præsidio Punico. Maroneam quoque Meles vi Samnitibus eripuit, ubi multos Carthaginenses occidit, amplissimum commeatum cepit. Sed eodem tempore Cn. Fulvius se, & duodecim Tribunos militum, & tredecim millia Romanorum perdidit ab Annibale victa. Ab eodem Annibale malè habita Herdonia, quia ad Romanos inclinare videbatur: cum eo quoque Marcellus ad Numistronem incerto eventu bis pugnavit, sed tacitè discedens Pœnus, se fassus est inferiorem. *Rom. cum Annibale vario eventu certant.*

Ad Tarentum quoque non semper feliciter pugnatum. Nam T. Quintius in arcem commeatum immittere parans, à Nicone Tarentino rebellionis autore cæsus est in prælio, victa tamen classis illius auffugit cum onerariis. Livius autem erumpens opportunè ex arce multos è Tarentinis ad populandum effusos cecidit, ac nihil propiùs absuit, quàm ut Tarentum reciperet. *Ad Tarentum vario exitu quoque pugnatur.*

In Sicilia Agrigentum à Lævino consule diu expectato, captum. Urbem Romanis prodidit Hipponiates dux, aliter Mutines dictus, aperta iis per Numidas porta, quod ab Hannone exautoratus esset. Fugêre per adversam portam Hanno & Epicides, cæsi Pœni ac Siculi, præcipui Agrigentinorum virgis cæsi, securi percussi sunt, reliqui venditi, pecuniâ in ærarium relatâ. Deinde tota est recepta Sicilia, proditis oppidis 20. vi captis sex, deditis 40. Siculi terram arare jussi, qui turbas concitare possent ad Bruttios populandos immissi, ad perpetuam insulæ pacem, & tranquillitatem. *Agrigentum à Lævino recipitur.*

*P. Scipio Carthaginem Novam capit.*

In Hiſpaniâ P. Cornelius Scipio Novam Carthaginem vi ſimul, & conſilio capit cum arce; Hic inventos obſides Hiſpanis civitatibus reddit, cum inſigni laude moderationis in Mandonii uxorem, & liberos Indibilis; liberalitatis, & caſtimoniæ in virginem pulcherrimam Allucio Celtibero deſponſatam, cui inſuper à parentibus oblatum pretium redemptionis dedit in dotem. Ingens præda, ex urbe tot prædarum receptatrice collecta. Tum præmia viris fortibus diſtribuit, ac multiplicat ſapienter, ut ſtudium partium in terreſtri, & maritimo exercitu tolleret, quorum uterque ſibi gloriam captæ arcis arrogabat; totamque ſic compoſuit Hiſpaniam, ut jam Pœni in eâ de rebus ſuis diffiderent, & vaſa colligere viderentur. Punica claſſis in Sardiniâ Olbienſem, & Calaritanum agros depopulata, ſociis damnoſior, quàm Romanis fuit.

OLYMP. CXLII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann* 4. 3845. 545.

*Naſcitur Ptol. Epiphanes.*

Natus eſt hoc anno Philopatori ex Eurydice ſorore ſua & conjuge (alii Arſinoem vocant) Ptolemæus poſtea Epiphanes dictus, annis quinque antequam pater interiret, & paulò antequam mater Philopatoris juſſu propter Agathocliæ amores inſanos cæderetur.

*Apparatus magnus Pœnorum, & Rom.*

Meſſala in Africam miſſus agrum Uticenſem depopulatur, ac cum multâ prædâ in Siciliam tendit. Per hunc & per C. Lælium diſcitur magnum apparatum Carthagine fieri, cui dum ſimilem Romani opponere volunt 12. Coloniæ Latini nominis queruntur; duodeviginti offerũt omnia bona ſua; hæ laudatæ, illæ præteritæ, hoc ſilentio caſtigatæ ſunt, & ad officium revocatæ.

*Luſtrum Romæ actum.*

Luſtrum hoc anno conditum Romæ Cenſoribus M. Cornelio Cethego, & P. Sempronio Tuditano exhibuit tantùm civium capita 127107. ſignum urbis Romanæ hoc belli Punici ſecundi anno decimo vehementer attritæ.

Conſules creati ſunt Q. Fabius Max. quintùm & Q. Fulvius Flaccus quartùm: ad hunc multi defecere, tantùm verbis increpiti, ut reliqui invitarentur; ille Tarentum oppugnare parat, ideoque Marcello mandat ut acerrimo bello diſtineat Annibalem; paret Marcellus, & primo certamine neuter victor, altero Annibal tertio Marcellus abſcedit, quo magna ſtrage Pœni conciſi ſunt. Idem Marcellus ſub anni finem accuſatus à Bibulo Trib. plebis ejus inimico, non eſt abſolutus modo, ſed & in annum ſequentem, conſulatum præmium ſuæ innocentiæ meruit.

*Marcellus diſtinet Annibalem.*

*Accuſatur, & fit Conſul.*

*Fabius Maximus Tarentum cœpit.*

Fabius Maximus Manduriam urbem capit, inde & Tarentum, quà vi, quà proditione, in quam conſenſit præfectus Punici præſidii Carthalo, captus amore mulieris cujus frater in caſtris Fabii militabat. Ejus operâ perfractis portis Romani ſubeunt urbem: duces duo Nico & Democrates fortiter pugnantes cæſi, Philomenes quondam proditor cum equo in puteum inſilit, Carthalo, dum ſecurus pergit ad Conſulem, trucidatur, aliique multi armati, inermeſque, ut urbs vi capta diceretur; quæ etiam direpta eſt, ſtatuæ deorum iratorum Tarentis relictæ, unus elatus Hercules. Nec ita multò poſt idem Fabius, Metaponti ſibi paratas inſidias ſive Prudentiâ, ſive cunctatione ſibi innatâ vitavit, quæ tum huic, ut antea, Romanis profuit.

In Hiſpaniâ paſſim omnes ad Scipionem deficiunt. Hic ad Bætulam urbem cum Aſdrubale confligit, eumque vincit, captis etiam ejus caſtris, in quibus inventos obſides parentibus gratis reſtituit, inter reliquos Maſſivam puerum nepotem Maſſiniſſæ, quem ſplendidè veſtitum in equo ad avunculum remiſit, quod primum ejus in Romanos, ac Scipione incentivum amoris fuit. Fugit ad Pyrenæum Aſdrubal, ad cujus auxilium ſeriùs veniunt Aſdrubal Giſconis, & Mago ex Ulteriore Hiſpaniâ, atque ſic inter ſe ſtatuunt, ut Aſdrubal tranſeat in Italiam cum Hiſpanis deficere parantibus, alii duo in Hiſpania Ulteriore conſiſtant, Maſſiniſſa Citeriorem cum ſuis Numidis equitibus depopuletur, ſed iis conſiliis fortuna Romana, ac virtus Scipionis prævaluit.

OLYMP. CXLIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3846. 546.

Antiochus Magnus in Bactrianâ regione, ad Arium amnem de Euthydemo rebelli nobilem victoriam refert, in quâ regio equo occiſo Rex pedes pugnare compulſus in ore accepit vulnus, quo ei excuſſi ſunt aliquot dentes, atque ita pugnavit, ut ſtrenui militis etiam laudem mereretur.

Philippus Achæis fert opem contra Ætolos Attali & Romanorum præſidio fultos, item & adverſus Machanidem Lacedæmoniorum Tyrannum Achaiæ fines vaſtantem. Atque Ætolos Philippus adeo fortiter repulit, ut ſe Lami[æ] incluſi continerent. Inter eos & Regem, Ægyptii, Athenienſes, Rhodii, Chii pacem conciliare conati ſunt, ideoque triginta dierum induciæ à Philippo conceſſæ; ſed hæc omnia Aetolorum audaciâ, & temeritate diſcuſſa ſunt audito maximè Attali, & Romanæ claſſis adventu. P. Sulpitius agrum inter Corinthum, & Sicyonem vaſtavit, unde tamen repulſus à Philippo, excuſſâ prædâ, qui tùm Nemæis lud[is] vacabat, & ubi ſe parum pudicum oſtendit.

Poſtea idem Philippus contra auxilium Romanum pro Eleis, & in Achæos eorumdem fautores pugnavit ad Dymam, ubi excuſſus e[st] ex equo, & ægrè Romanis ereptus. Redintegra[tum] tum poſtea certamen ad Meſſenen, ubi Ele[os] victores Livius ſcribit, Plutarchus & Pauſani[as] Achæos opera Philopæmenis, cum hic Dem[o]phontem magiſtrum equitum Eleorum ex pr[o]vocatione interemiſſet. Porro ſtatim rediit in r[e]gnum Philippus ob Dardanos illud depopula[n]tes, qui eum mortuum crediderant; ſed vivere ſe magnâ impoſitâ clade victor oſte[n]dit.

M. Valerius Proconſul cum centum navib[us] ex Siciliâ in Africam tranſmiſit, ubi ad Cl[u]peam exſcendens prohibente nemine omnia [de]populatus eſt. Hinc raptim recurrit ad na[ves] cum prædâ audito Punicæ claſſis adventu c[um] octoginta tribus navibus. De eâ autem vic[to]ri[...]

riam retulit, auctusque spoliis terrestribus ac maritimis Lilybæum fœliciter repetiit.

Scipio ex Hispaniensibus navibus quas habebat 50. mittere in Sardiniam jussus est, quia iis minùs indigere victor credebatur. Et verò fusum Asdrubalem ex Hispania fugere compulit, nusquam satis fortunatum.

Consules creati M. Marcellus quintùm, & T. Quintius Crispinus. Marcellus inspicere jussus est Etruriam unde aliquid timebatur; & verò Aretio præsidium impositum est. Hic autem bello Gallico voverat ædem Honori, & Virtuti: sed negarunt Pontifices idem templum duos capere Deos posse, addita est ergo ædi Honoris Virtutis ædes, verùm opere approperato, & fanis ita conjunctis (sic quidam ferunt) ut per templum Virtutis, ad templum Honoris aditus esset. Sed neutrum templum dedicavit Marcellus morte præventus, & magis pius, quam fortunatus.

Agitata Romæ Tarentinorum causa, quos defendebat, qui ceperat Fabius Maximus, accusantibus multis, eosq; Campanis uti rebellione, sic & pœnâ æquare volentibus. Verùm hoc judicium prudenter dilatum donec Italiæ reddita tranquillitas esset. Agitata quoque C. Livii Macati præfecti causa, quia perdiderat Tarentum incuriâ suâ, sed suâ item constantiâ & fortitudine diù servarat arcem, aliis præmio, aliis pœnâ hominem dignum, esse vociferantibus. Hic etiam Livius à Fabio repressus est: cum jactaret operâ suâ Tarentum receptum esse, *neque enim recepissem*, inquit, *nisi tu perdidisses*.

Hoc denique anno Marcellus, & Crispinus ad tumulum Petelliæ dum exploratores agunt non Consules, ab Annibalico equitatu oppressi sunt. Marcellus interfectus est, filius ejus ægrè effugit, Crispinus vulneratus. Annibal cæsum Consulem honestissimè cremari jussit, & in urna argentea reportari ad collegam: sed Numidæ equites urnam rapuere, ossa projecere; eos quidem multavit Annibal, sed Marcellus mansit insepultus qui tanto ambitu, vivus honorem, & gloriam quæsierat. Marcelli annulo Annibal ad Salapiam uti callide voluit, sed præventus à callidiore Crispino cladem accepit. Idem Crispinus ex vulneribus mortuus est Capuæ, dicto comitiorum causa Dictatore L. Manlio Torquato: sicque Reipub. curis vir fortis immortuus est,

OLYMP. CXLIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3847. 547.

Pergebat cum Euthydemo pugnare Magnus Antiochus lente tamen procedebat, dum ille cum suis Bactrianis fortiter resisteret Syris, & diutiùs quàm res Syriacæ postularent.

Pugnatum à P. Sulpitio proconsule adversus Philippum. Romani in Euboea Oreum cepere, Chalcidem frustra tentavere: Opuntem quoque occupavit Attalus, quia utrique urbi Philippus tardius est auxiliatus. Hic tamen Toronen cepit, & Machanidam Lacedæmoniorum Tyrannum inhibuit, ne noceret Eleis dum Olympici ludi celebrarentur. Recepit & Oreum civibus fugâ dilapsis, ne Romanis parere cogerentur, ubi & exules restituit; & Cassandreæ classe ædificari jussâ in Dardanos movit, regnum suum, dum abesset, depopulari solitos. Tumque se victorem putavit, quoniam à tot hostibus, & Romanis maximè, non esset superatus,

M. Valerius Lævinus hoc anno Uticensem, & Carthaginiensem agrum populatione vexaxit; dumque cum prædâ Siciliam repetit, incidit in Punicam classem, cujus naves quatuor demersit, septemdecim cepit, reliquis fugatis, & Lilybæum, ut anno superiore, auctus multis spoliis feliciter tenuit. *Iterum Lævinus vexat Africam.*

Massiliensium legati monuere Romanos venisse cum exercitu in Galliam Asdrubalem Barchinonem, ejusque adventu Gallos excitatos. Et verò mox ille in Italiam transiit. atque ambulando magnum exercitum ex Gallis, & Liguribus, Romanorum hostibus, confecit, eumque Annibali fratri conjungere conatus est, certo Reip Romanæ interitu. *Asdrubal Barchino transit Italiam.*

Consules creati sunt Romæ M. Livius posteà dictus Salinator (quem malè aliqui cum C. Livio Tarenti præfecto confundunt) jam ab annis duodecim exconsul, & in causâ cognati C. Livii, Senatum ægrè repetere coactus. Recusavit initio magistratum, & ut id acciperet vi propè compellendus fuit. Datus est ei collega C. Claudius Nero, inimicissimus, sed statim eos donasse patriæ inimicitias ferunt. Alii inimicos mansisse putant, allaborasse tamen patriæ, ut amicos. Livius Asdrubali, Nero Annibali oppositus, amboque totâ Italia divisi. Sed cum interceptæ essent Asdrubalis litteræ ad fratrem, copias collegæ suo jungendas esse in Umbria credidit Nero, etiam non expectatâ voluntate Senatus. Itaque relicto in castris T. Quintio legato, qui speciem totius exercitus ostentaret Annibali, ipse cum sex peditum millibus, & mille equitibus, occultis itineribus, diligenter ad collegam pergit. Ab eo autem ita exceptus est ut Dux Ducem, tribunus tribunum, centurio centurionem, miles militem hospitio exciperet, castris nihil dilatatis. Sed Asdrubal visis equis strigosioribus, suspicatus est auctum auxiliis Livium; itaque recessit; verùm ad Metaurum flumen pugnare compulsus, & Elephantos, & exercitum, & vitam amisit. Itaque Neronis industriâ maximè, & virtute reposita Pœno Cannensis clades: quinquaginta sex millia cæsi, capti quinque millia quingenti: Gallos & Ligures aliquot Livius fugere permisit, ut superessent victoriæ suæ testes. Porrò iisdem itineribus, atque adhuc diligentiùs rediit in castra sua Nero, & Annibali casum sui fratris, oblato ejus capite, ac missis captivis indicavit. Utrique consuli oblatus est triumphus, recusavit Nero, quoniam in Provincia collegæ relata esset victoriâ; ipse eques triumphantem in curru Livium secutus est, nobilior modestiâ suâ quàm victoriâ. *Coss. Nero & Livius oppositi Annibali, & Asdrubali.* *Nero vadit ad Liviũ, & cum eo Asdrubalem cædit.*

In Hispania suffectus est Asdrubali in Italiam transgresso, Carthagine missus Hanno. Hunc cum Celtiberis M. Syllanus à Scipione legatus, celerrimè assecutus, nec opinantem aggressus vicit, ac vivum cepit, Magonem ad Asdrubalem *Scipio Pœnos in Hispania sæpe vincit.*

balem Gisconem fugere compulit. Ad utrumque oppugnandum, Syllano collaudato, ipse Scipio pergit. Verùm ii per oppida suum sparserunt exercitum. Itaque urbem Oringem per L. Scipionem oppugnat, & vi capit; multi etiam dextram tendentes jugulati. His peractis Publius mittit Romam fratrem Lucium cum Hannone, ut quo statu Hispana res esset, ex nobili captivo demonstraret.

OLYMP. CXLIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3848. 548.

*Philopæmen Machanidam vadit, ei succedit Nabis.*

Philopæmen Achæorum Prætor & Imperator Machanidam jam ferè potitum victoriâ, & repulit, & suâ manu interemit. Quo facto Spartani libertatem consequuti sunt, sed non diuturnam. Nabis enim ei mox suffectus est, neque sublata tyrannis, sed tyrannus.

*Pœni grandi clade à Scipione victi.*

In Hispaniâ Asdrubal Gisconis filius profectus à Gadibus, & Mago Amilcaris filius quinquaginta millia peditum, equitum quatuor millia, & quingentos parant, & ad Salapiam urbem, aliter Elingam, copias ducunt. Polybius 70. millia peditum, equitum 4. millia, & elephantes 30. numerat. Commissa pugna in quâ ducem egregium se Scipio præbuit, recedentes Pœni se victos fassi sunt: & verò eos insecutus Scipio sic profligavit, ut pecudum more fugerent cum ducibus, neque quiescerent nisi ad Gades, & donec mari à Romanis separarentur.

*Scipio se Syphaci committit periculosè.*

Tum primùm tentatus à Syllano Massinissa, tentatus & ab ipso Scipione Scyphax, cui se periculosè Scipio commisit in Africâ, cum apud eum ageret Asdrubal. Et verò hic cum illo in eodem lecto ad mensam accubuit. Scipionis autem tanta virtus tanta humanitas erat, ut Asdrubalem ipsum in admirationem, Syphacem in Romanorum partes nullo negotio raperet. Redux ex Africâ Illyturgim capit, atque in eam ut rebellem, & crudelem atrociter sævit. Idem erat expectandum Castuloni, nisi hæc se dedidisset: Astapenses ejusdem sceleris rei, in se crudeliores, quàm fuissent ipsi Romani, extiterunt; nam se cremarunt vivos pauci erumpentes ferarum more concidendi fuerunt, aut mactandi. Gadeis quoque proditione tentatæ, à Lælio, sed hæc proditio à Magone impotentissimè vindicata est.

*Ægrotat Scipio, recreatus seditiosos mulctat.*

Exinde periculosè decubuit Scipio, quando turbavere milites Romani, quos sanus mulctavit ut fortis Imperator, & bonus, præcipuis seditionis autoribus cæsis, aliis tantùm territis oculo, & oratione. Mandonio quoque & Indibili Regulis pepercit magnificè, ac fortiter, atque ut Scipionem decebat; Massinissam autem allocutus à Carthaginiensibus retraxit, sibique ac Romanis asseruit. Mago autem cum non posset ultra in Hispania consistere, jubetur ipsâ pecuniâ in Italiam transire: & verò exclusus est Gadibus, exclusus ex majori Balearidum magno semper animo, sed semper deficiente fortunâ.

*Scipio Romam redit Lævita Hispania.*

Quibus peractis tandem Scipio Romam venit. Traditâ Syllano, & Marcio provinciâ, & venit cum C. Lælio amicorum suorum primario; pecuniæ vim incredibilem in ærarium intulit, exceptusque est quo honore debuit, negatus tamen ei triumphus, qui nonnisi constitutis in magistratu decernebatur. Subiit igitur urbem sine pompâ ipse omni triumpho major, dignumque totius Italiæ, adeoque orbis spectaculum.

OLYMP. CXLIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3849. 549.

Antiochus cum Euthydemo Bactrianorum Satrapa componit fœdus, sequestro, & interprete Teleâ. Mittit Euthydemus ad Regem filium suum, cujus hic indole delectatus cum judicavit idoneum regno, eique unam ex filiabus suis despondet, patri reliquit regnum acceptis tantum ab eo Elephantis. Ingressus tum quoque Antiochus Indiam Caucaso superato, iniit cum Cophogaseno Rege amicitiam, ab eo quoque suscepit Elephantes, adeo ut jam centum quinquaginta Indicos in suis copiis numeraret. Inde in Arachosiam venit, ex hac in Drangianam, ex hac in Carmaniam, eodem quo Alexander itinere, sed fœliciori, ac minus incommodo.

Romæ autem lectum in libris Sibyllinis Alienigenam (hoc est Annibalem) ejici ex Italia posse si Mater Idæa Pessinunte Romam deveheretur. Missus itaque ad Attalum Pergami Regem M. Valerius, cum quatuor aliis legatis. Delphos adit, Apollinem de suo itinere rogaturus: respondet hic, rem per Attalum conficiendam, parandum Romæ hospitium Dea apud eum; qui vir optimus esset. Devectus est ergo Romam lapis ille sacer delapsus è cœlo quem incolæ dicebant Deam. Verùm ad depellendum ex Italia Annibalem plus Scipio, quàm brutus ille lapis profuit.

Mago ex Balearicis insuli transit in Italiam ac primò impetu Genuam capit, Ligurum oran diripit, ac prædâ Savone deposita, ex Gallis co git exercitum. Quare eò Urbanæ, & Etrusca legiones mittuntur, territâ plusquam par esse Romanâ civitate.

In Hispaniâ absente Scipione Indibilis & Mandonius, populis ac vicinis regibus ad liber tatem vocatis armant 30. peditum, equitun quatuor millia: sed mox oppressi sunt à L. Len tulo, & L. Manlio; Indibilis in prælio occubu cum 13. millibus, capti 800. reliqui, dedito a supplicium Mandonio, pacem obtinuere. Ita i Hispaniâ non tantùm bellum, sed & magni be li sementis sublata est.

Romam confluxit ingens civium ex totâ It liâ multitudo, non tantùm ut crearet Scipi nem Consulem sed ut videret. Et verò fact est Consul, cui P. Licinius Crassus de industr datus collega, ut hic in Italiâ, quia Pontif Maximus erat. remaneret, Scipio bellum Africam deportaret; itaque decreta est ei Sicil Fabius Maximus quantùm potuit obstitit, apparatum quidem belli imminuit autorita suâ, bellum non discussit: sed satis erat Scipio mandasse expeditionem, ut huic nihil deess Principiò igitur mittit in Africam C. Læliu ut inde prædas agat. Hic Hipponem Regiu appulit, multas prædas abegit, omnia ter re complevit. Tum quoque ad eum Massinissa nit, de Scipionis tarditate conquestus; mo

...ue Syphaci confidat uxoris suæ deliciis demen-...tato, ipse paucos Numidas spondet, sed offert sese magni instar exercitus.

Intereà Scipio accipit Locros se Romanis dedidisse, quibus ingens ab Annibale periculum immineret. Itaque relicto fratre Lucio qui classem expediret in Sicilia, ipse trajicit in Italiam, ac Locros subit. Eò quoque venit Annibal, sed statim damno suo expertus est adesse Scipionem, qui & eum fortiter repulit, & arcem, quam reliquam habebat Pœnus occupavit. Plemminium legatum suum urbis præfectum reliquit, qui multa avarè; multa sacrilegè perpetravit, direptis etiam Proserpinæ thesauris. Cum ergo miles ex domo cujusdam poculum argenteum efferret, & civis cum eo luctaretur. Affuere Tribuni qui prohibuerunt injuriam, & poculum domino restituerunt. Rixa igitur inter milites Plemminii, & Tribunos ortâ, illi male habiti, & obliti sanguine præfecto se sistunt. Hic furore excandescens Tribunos nudari, ac virgas expediri jubet: implorant illi militum opem, ad arma concurritur, lictores malè mulctantur, Plemminius ipse auribus nasoque mutilatus pro mortuo relinquitur. His acceptis Scipio Locros redit, Plemminium eximit noxâ, relinquitque urbis præfectum, Tribunos conjicit in vincula, ad Senatum submittendos. At in eos Plemminius debacchatus impotentissimè, quàm potuit crudeliter interemit, ac præcipuos Locrensium de ejus sceleribus apud Scipionem questos. Quæ crudelitas huic posteà infamiam cum morte conjunctam, Scipioni multam calumniarum materiam peperit.

| OLYMP. CXLIV. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann.* 1. | 3850. | 550. |

Antiochus Magnus, & Philippus societatem ineunt adversus Philopatorem, & Ægyptum quam inter se partiuntur. Philopator enim ad extremum dementiæ, atque luxuriæ devenerat, seque totum permiserat Agathoclæ psaltriæ meretrici & Agathocli ejus fratri Catamito, & eorum matri Oenanthe, utroque nequiori. Hi distribuebant magistratus, atque præfecturas, hi totius Aegypti arbitri omnium vitæ, atque fortunis imminebant. Inter hæc stupra, atque turbas Philopator moritur relicto filio quinquenni, vel quadrimo Epiphane. Sed mors ejus diu celata est, dum mulieres ejus thesauros rapiunt, postea cum fratre, & filio graves pœnas depensuræ.

Ætoli jam ferè duobus annis à Romanis deserti, pacem cum Philippo facere compulsi sunt. Eâ vix denunciatâ adfuit P. Sempronius cum decem millibus peditum, ac mille equitibus, Dymatumque Illyrici urbem occupavit. Philippus Apolloniam accurrit, ut motus populorum inhiberet. Sempronius missis in Ætoliam quindecim navibus pacem disturbare conatus est; sed adnitentibus Epirotis in urbe Phœnice Philippus cum Sempronio collocutus pacem cum Romanis fecit, sociis utrimque comprehensis. Quam pacem bellum Africanum, & Annibal hærens visceribus Italiæ, & Philippi cum Antiocho conjunctio suadebant.

Cum jam Terracinæ Idæa mater esset, quæsitum de ejus hospitio. P. Scipio Nasica Cnei in Hispania cæsi filius adolescens nondum quæstorius vir optimus à Senatu judicatus est, qui cum matronis, Deæ, Ostiam usque processit. Cum navis quæ Deam portabat hæsisset in Tiberi, Q. Claudia Vestalis eam zonâ facilè traxit, ut pudicitiam suam, quæ revocabatur in dubium, testaretur. Dea reposita est primùm in æde Victoriæ in Palatio, quia adventus ejus de Annibale certam spondebat victoriam. *Recipitur à Scipione Nasica mater Idæa.* *Claudia Vestalis probat suam pudicitiam.*


Consules hujus anni fuere P. Sempronius Tuditanus, & M. Cornelius Cethegus. Sempronius primùm ab Annibale juxta Crotonem victus, accitis Licinii Proconsulis copiis victor evasit, votâ æde Fortunæ Primogeniæ: cum ejus collega Cornelius Etruriam ad Magonem inclinantem judiciorum terrore compesceret. *Duo Coss. benè rem gerunt.*

Censores creati M. Livius, & Claudius Nero collegæ Consulatus. Ab his vectigal impositum sali, quod populus inventum Livii putavit, quem olim damnaverat innocentem, ideoque eum deinceps Salinatorem dixit. Censores duo quas Consules deposuerant, resumpserunt inimicitias: sibi enim invicem publicum ademerunt equum. M. item Livius triginta quatuor tribus ærarias fecit, quod se innocentem condemnassent, damnatum Consulem, & Censorem fecissent, Metiam solam reliquit intactam quod illa neque se absolvisset, neque damnasset. Sed hæc nota nihil tribubus nocuit, eum ridiculum populo, atque odii sui nimis tenacem docuit. *Censura Livii Salinatoris, & Neronis infamis.*

Locrorum causa in Senatu agitata est, quâ Pleminius, & Scipio involvebantur, & huic maximè Q. Fabius conflabat invidiam. Tandem missi legati decem quorum Princeps T. Pomponius, ut visis Locris, Scipionis quoque copias inspicerent, cui socordiæ inurebatur nota. Per hos restituti Proserpinæ thesauri, Locris reddita pristina libertas, Plemminius ejusque socii 30. vincti Romam submissi. Inspectâ Scipionis classe in Sicilia, eum ita purgarunt, ut ad profligandum bellum Annibalicum, eo aptiorem judicarent neminem. *Causa Locrorum & Scipionis agitatur.*

Tum quoq; Cato Major non Prætor, sed Quæstor fuit; sic emendandus Tullii locus, qui hoc anno eum perperam Prætorem facit. *Catonis Majoris quæstura.*

P. Cornelius Scipio hoc demum anno in Africam appulit. Venit ad eum Massinissa cum 200. equitibus. Illis opponuntur Asdrubal toties victus in Hispaniâ, & Syphax cum centum millibus armatorum. Scipio Uticam frustra tentavit, & hoc anno satis habuit Carthaginem vidisse, atque terruisse. *Scipio appelit in Africam.*



CA

## CAP. VI.
### *Decas Sexta.*

*Ab anno* 3850. *ad* 3860.

OLYMP. CXLIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3851. 551.

*Syria assferta Epiphani.*

SCopas Ptolemæi Epiphanis Princeps militia in Cœlesyriam profectus multas subegit urbes, & Iudæam universam Ægyptiaco adjunxit imperio, potitusque Hierosolumis, ejus Arci præsidium imposuit. Quæ facta esse antequam tumultus Alexandrini exorirentur, prudenter suspicari licet.

*Coss in Italia retinentur.*

Consules Cn. Servilius Cæpio, & C. Servilius Geminus, aliis Cn. Servilius Nepos, inter se Bruttios, & Etruriam sortiti sunt, ut viderent ne Respublica ab Annibale, & Hannone detrimentum pateretur.

*Mago victus, & vulneratus obit.*

In Liguriâ à Quintilio Prætore, & Cornelio Lentulo Proconsule pugnatum in Magonem Annibalis fratrem. Mago vulneratus victoriam Romanis reliquit, sed cruentam, & fugit ad Ligures; unde evocatus à suis Carthaginem, dum eò navigat obiit ex vulnere, in eo, fratre Annibale fœlicior, quod patriæ funeri non interfuit.

*Vincuntur à Scipione Syphax & Pœni.*

In Africâ Syphax offert pacem Scipioni; hic eâ occasione usus castra Syphacis, & Asdrubalis callidiùs explorat, & mox illa incendit, atque expugnat. Cæsi eo prælio 40. millia, aut cremati, capti sex millia Duces difficiliter effugêre. Mox tamen iidem repararunt exercitum, adjunctis sibi quatuor millibus Celtiberorum; quos cum iterùm aggressus esset Scipio, profligavit, jussitque C. Lælio eos insequi fugientes in Numidiam. At Scipio Tunetum occupat relictum à custodibus oppidum 12. passuum millibus dissitum à Carthagine, & unde in eam prospectus patet. Is locus diligenter à Scipione munitus, & quasi belli constituta sedes. Pugnatum deinde navali prælio, in quo Scipio imparatus vinci poterat, nisi Pœni certamen distulissent, tempusque colligendi sui naucleris dedissent. Interim Lælius, & Massinissa iterùm Syphacem vicêre, quem in urbem Cirtham compulsum Massinissa vivum cepit; sed vicissim ab ejus uxore Sophonisba captus est, quam eodem die duxit uxorem, unde graviter increpitus est à Lælio, graviùs à Scipione. Cum ei vitam à Romanis impetrare non posset, venenum uti pepierat misit, quod hausit confidentiùs, quàm ejus cubile conscenderat. Desperatus propè Massinissa Scipionis laudibus, promissis, increpationibus ad sanam mentem revocatus est. Lælius cum captivo Syphace Romam præmissus. Tum pacem rogarant Carthaginienses, sed Romam remissi Annibalem ex Italia ad tuendam patriam revocant, & dum fœdus loquuntur hostilia cogitant, quod legatis eorum exprobravit Scipio, neque armis, neque virtute passus se à Carthaginiensibus superari.

*Capit Syphacem Massinissa, & à Sophonisba ipse capitur.*

*Moritur Fabius Maximus*

Obiit hoc anno Q. Fabius Maximus invidus Scipioni, quâ malignitate plurimùm gloriæ suæ detraxit. Hoc uno fœlix quod profligatum à Scipione bellum non didicerit; de Annibale vanus augur quem in patriâ suâ majorem hostem, & formidabiliorem, quàm in Italiâ, malè vaticinatus erat.

Hoc quoque anno Nævius Uticæ mortuus est, Româ factione Metelli depulsus, Poëta jam solo notus nomine, fabulis nullo modo, quarũ etiam fragmenta perierunt.

OLYMP. CXLIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3852. 552.

Alexandriæ interfectus est Agathocles in seditione cui Motragenes quidam fugiens nudus è tormentis, dedit initium: Agathocles extractus est ex Syringe, in quam cum Rege confugerat: Agathoclea quoque & Oenanthe à populo morsu, acubus, saxis, fustibus lacerantur, & comminuuntur in frusta cum comitibus. Philamon, cui cædendæ Eurydices, seu Arsinoës, uxoris Philopatoris cura demandata fuerat, à puellis cum ipsa educatis saxis, & fustibus mactatus est: ejus occupata domus, filius strangulatus; fugiens uxor in plateâ trucidata est. Sic meretricia domus absumpta, leviores sceleribus suis pœnas luit.

Tum missi Romam ab Alexandrinis legati, qui pupillum Ptolemæum Epiphanem Senatui populoque commendarent, cujus regnum Antiochus & Philippus Romanorum hostes appetebant. Amicè suscepti sunt, & ut pupilli suscepta defensio, quæ tum his Regibus multùm doloris, postea damni plus attulit.

Consules hujus anni renunciati sunt M. Servilius Geminus, & T. Claudius Nero. Hic missus est in Africam cum classe, ejusque cum Scipione æquatum imperium, certo hujus expeditionis damno, nisi Scipio datis sibi collegis nimium præcelluisset.

Recesserat tum ex Italiâ Annibal, eam identidem respectans, & Carthaginem, fortunam seque justiùs incusans, quod Cannensi victoriâ non esset usus. Appulit ergo in Africam ad Leptim aversatus ex omine locum, cui *Sepulchrum dirutum* nomen, unde magnis itineribus Zamam contendit. Venit & tum ad Scipionem Massinissa cum sex peditum, & quatuor equitum millibus. Cum Scipione Annibal colloqui voluit & eum ad pacem invitare, sed eam ferociù[s] Romanus rejecit, non satis demissè postulavi[t] Pœnus. Itaque utrimque expediuntur acies, [&] quàm scientissimè. Pugnatur acerrimè, hin[c] pro libertate, hic pro belli fine atque coronid[e]. Victus Annibal, Pœnorum viginti millia cæsi totidem capti cum Elephantis undecim, & 1[...] signis militaribus, cum vix 1500. ex Roman[is] cecidissent. Capta quoque eodem impetu P[u]nica castra, unde quidam scribunt fugisse Ann[i]balem Adrumetum, inde ad Antiochum. Sed [si]milius vero est eum accitum à civibus veni[sse] Carthaginem, & fassum se non tantùm præl[io] victum esse, sed & bello, nihilque cunctandu[m] admittere quibusvis conditionibus pacem, n[isi] urbem suam perditam vellent.

Rumor interea nunciavit adesse Vermina[m] filium Syphacis, cum multo peditatu, plurib[us] equitibus pars Romani exercitus, eum equita[tu] h[...]

huic obviam venit, funditur Numida, & quindecim millibus cæsis, captis mille ducentis, ac mille Numidicis equis, Vermina rem Punicam deteriori reliquit loco, quàm invenerat.

Pœni itaque penitus victi triginta legatos Tunetum mittunt miserabiliori cultu (nam ante hanc ultimam pugnam miseri venerant oleæ ramos de more prætendentes) quibus pax, iis conditionibus oblata, omnia erepta Romanis redderent, captivos, & transfugas darent, naves omnes adducerent, & Elephantos præter decem, nulli bellum inferrent injussu populi Romani, omnia Massinissæ restituerent, quæ majorum suorum fuissent, darent frumentum Romanis, donec pax Romæ firmata esset, ducenta Talenta Euboica annis singulis per annos 50. persolvent. Hæc cum dissuadere voluisset Gisco, eum detraxit ex loco unde loqui volebat Annibal; quod cum populo displicuisset, prætexuit hic vitam suam 36. annis bello contritam, ac juris civilis oblitam. Inter hæc legati Carthaginienses cum L. Scipione, & L. Veturio Philone Romam pergunt ad pacem firmandam tanto sanguine, annisque septendecim, vel potius virtute unius Scipionis redemptam.

T. Claudius Nero Cónsul auditâ Pœnorum clade moras traxit, maximè quod unius Scipionis arbitrio permissa pax esset. Tempestate jactatus Caralim appulit in Sardiniam, ubi dum reficit naves annus Consulatus abiit, privatusque reducens classem, & inglorius infectâ re, pœnas tarditatis, & ambitionis dedit.

OLYMP. CXLIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann* 4. 3853. 553.

Missi in Ægyptum legati tres Claudius Nero, M. Æmilius Lepidus, & P. Sempronius Tuditanus nunciantes bellum Punicum confectum esse, decretum Philippo bellum, Legati suscepti perhumaniter, & honorificè Regis nomine à Sosibio prioris Sosibii filio, & qui Regem in Agathocleanâ cæde eripuerat. Quidam volunt Lepidum datum regi tutorem, alii negant, cum nulla sit ejus facti apud Polybium & Appianum mentio. Creditur id tamen vulgò, quia plures Livium quam Polybium, & Appianum legunt.

Hujus anni Consules creati Cn. Cornelius Lentulus, & P. Ælius Pætus. Hic in Bojos per Umbriam C. Appium præfectum misit cum copiis, qui à Gallis circumfusus, & se, & suorum septem millia perdidit. Neque Consul aliter hanc cladem ultus est, quam depopulationibus, solatio Romanis indigno.

A Philippo missi legati Romæ auditi sunt in Senatu excusantes Regem, accusantes M. Aurelium, quod Macedoniam bello vexasset, & captivos in Africa sibi reddi postulantes. Quibus responsum, Philippum bis violasse fœdus, & socios Romanorum vexando, & Annibalem pecuniâ & copiis Duce Sopatro ex regio ejus sanguine, juvando; ritè auxiliatores à Scipione conjectos in vincula; M. Aurelium suis sociis benè auxilium tulisse. Sic ei tacitè bellum denunciatum est. Sub finem autem anni missus in Macedoniam Lævinus cum 38. navibus didicit quo apparatu Philippus susciperet bellum. Itaque majori classe opus esse denunciavit, ne in Philippo Romani Pyrrhum alterum experirentur.

Idem Senatus à Scipione pacem factam probavit, & legatos Pœnos satis liberaliter habuit, atque potestatem eis fecit ducentos captivos redimendi, qui gratis posteà donarentur, ubi conditiones pacis admissæ essent utrimque, quod & factum. Itaque naves exustæ, elephantes cæsi, perfugæ Latini securi percussi, Romani in crucem acti, Massinissæ regnum Syphacis attributum, ut ab hac parte Pœnorum excubitor esset. His peractis Romam Scipio venit ubi magnificè triumphavit, producto Syphace, qui paulò post obiit; quamquam aliqui ante triumphum velint periisse. Scipio ob eam expeditionem dictus Africanus, quod nomen primum ei impositum ab amicis ex adulatione, deinde huic tam aptè convenire judicatum est, ut esset ejus posteris hæreditarium. *Pacem cum Pœnis Rom. ratam habent.* *Scipio triumphat & dicitur Africanus.*

OLYMP. CXLV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* I. 3854. 554.

Scopas Aetolus Ptolemæi dux in Aetoliam veniens Alexandriâ cum magno auri pondere sex millia peditum, & aliquot equites mercede conduxit; nec ullum juvenum reliquisset in patriâ, nisi Damocritus Prætor delectum impediisset; adeò auri cupiditas Græcos urgebat. *Ætolus Ægyptii in auxilium accersunt.*

Atheniensibus dare auxilium adversus Philippum cupit Ptolemæus, & mittendi exercitus facultatem à Romanis petit. Gratiæ huic habitæ, legat exornati muneribus, Athenienses sibi curæ fore Senatus respondit. *Athenienses juvare Ptolemæus cupit.*

Abydeni in Hellesponto à Philippo graviter oppugnati sunt; muro eorum cuniculis diruto honestis conditionibus deditionem facere volunt, at sine conditionibus offerre se, vel defendere se jubentur. Itaque matronas omnes in templis, liberos in Gymnasio includunt. Seligunt 50. viros crudæ senectutis, qui omnes interimant; pecuniam, & pretiosam vestem in duas naves congestam projiciant in mare, eosque sacramento adigunt; reliqui fortiter, & non inulti parant occumbere. Muro diruto Macedones urbem subire volunt, sed toto die repelluntur. Sequenti nocte se quidam Philippo dedunt, & benignè suscipiuntur, reliqui se, suos, urbem perdunt, & eripiunt hosti, desperati magis dicendi, quàm fortes. *Abydeni ad desperationem adiguntur à Philippo.*

Coss. hujus anni notantur in fastis P. Sulpitius Galba, & C. Aurelius Cotta; huic Etruria, illi Macedonia obtigit, & utrique triumphorum seges. *Coss. hujus anni.*

In Gallia Cisalpina Insubres, Boji, Cenomani, Ligures duce Amilcare tumultum excitarunt, occupatâ Placentiâ, & obsessâ Cremonâ. L. Furius in eos processit, processit & Consul Aurelius: Sed antequam is adveniret, Furius pugnavit, & vicit. Cæsa sunt aut capta Gallorum 35. millia; Amilcar dux Pœnus cecidit; alii tamen negant, & iterum pugnasse volunt. Aurelius molestissimè tulit sibi materiam triumphi ereptam esse. Petiit sibi dari, & à populo triumphum Furius obtinuit. Pompa tamen vilis fuit, *Tumultus in Gallia Cisalpina & Ligur.*

carens milite & captivis, quos Aurelius retinuerat. Sed tum genti Gallos vincere solitæ potiùs, quàm huic Furio videtur indultum esse.

*Verminæ concessa pax.* Verminæ legati pacem, & fœdus petiere; illa oblata, hoc negatum. Missi tamen ad illum legati, quos liberaliter accepit. Pacis tum scriptæ leges Romam uti probarentur missæ sunt. Sic erat arbiter Regum Senatus Populusque Romanus.

*Rom. Athen. contra Philippum juvant.* Atheniensibus à Romanis auxilium datum, navibus in Pyræum missis adversus Philippum. Hoc bellum levibus de causis exarsit; & hujus causa Philippus non satis prudens fuit, passus vastari fines Atheniensium, quibus faverunt Attalus Rhodii, & quod erat auxilii caput, Romani. Consul ergo Sulpicius C. Claudium Centonem cum viginti navibus in Pyræum mittit; hinc Chalcidem cum Rhodiis, & Attalo occupat, negligentiùs â Macedonibus custoditam, eamque incensam dimittit. Accurrit Philippus, & Athenas pœne occupat; circa urbem semel iterumque omnia corrumpit, & vastat. Conatur idem Achæos Romanis frustra committere, quos Nabis Lacedæmonius vexabat. Quibus gestis redit in Hiberna Philippus in Chalcidem, acceptam parum honestè ultus injuriam.

*Moritur Plautus.* Obiisse hoc anno M. Accium Plautum scribit Hieronymus. Hic mercaturam primùm fecit, ac decoquere coactus Romæ se versandis molis addixit: tumque fabulas aliquot scripsit, quas illiberalibus, & scurrilibus jocis aspersas nemo miretur, qui putaverit eas in pistrino scriptas esse.

OLYMP. CXLV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3855. 555.

*Philippus cum Rom. & eorum sociis pugnat.* Sub initium hujus anni Sulpitius per legatum suum Macedoniam populatur, & prædas inde abigit nequicquam reclamante Athenagorâ. Philippus & Romani in Pantætolio, sibi conciliare conantur Ætolos; sed sapienter cunctatur eorum Prætor Damocritus, & quo inclinet belli alea, prudenter expectat. Philippus semel, iterum, ac tertiò pugnat cum Romanis, parum fæliciter, quamvis sub initium certaminum huic fortuna videretur arridere. Ad Octolophum autem excussus equo, pœne interfectus est, eo cæso qui huic equum suum tradiderat, victoque similis noctu abscedit. Pugnavit contra Dardanos per Athenagoram fœlicius, qui excussit eis Macedonicam prædam. Item & contra Aetolos, qui ad Romanos victores conversi erant, quando & castra sua perdidere, immò & gloriam, cum fugisse in hoc prælio potiùs, quam pugnasse viderentur. Posteà tamen iidem Aetoli receperunt animos ad Thaumacon, seu Thamasiam in Malliaco sinu, quam Philippus obsidebat duce Archidamo. Nam per munitiones Regis irruperunt in urbem, unde posteà tam sæpè tam fortiter eruperunt, ut cum abire compulerint, specie in hiberna, reverà ut suum dedecus occultaret.

*P. Villius in Macedoniam venit.* Creati Romæ Consules L. Cornelius Lentulus, & P. Villius Tapulus. Villio Macedonia obtigit cui Sulpitius exercitum tradidit, in quo seditionem de missione motam sapienter sopivit, nihilque deinceps laude dignum gessit: alii vicisse cum scribunt Philippum, & magnâ clade affecisse, cujus victoriæ nulla apud scriptores mentio.

In Galliâ Cisalpinâ C. Bæbius Pamphilus Prætor ingressus temerè Insubrium fines, cum exercitu circumvuentus sex millia suorum atque sexcentos amisit. Ea clades evocavit ex urbe Lentulum, qui Prætorem graviter increpuit, sed usus milite timido turbatoque neque huic animum, neque ordinem reddere potuit.

OLYMP. CXLV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3856. 556.

Antiochus Magnus pacem cum Ptolemæo Epiphane sancit, ei filiâ suâ Cleopatra per Euclem Rhodium desponsatâ; his tamen nuptiis generi sui affectabat regnum, Syriam, Ciliciam Lyciam, & si se daret occasio Aegyptum. Sicque pax ista Æntiochi simulata fuit, licet rerum temporumque mutatio, veram illam, solidamque reddiderit.

Mortuus etiam hoc anno amicus Romanorum Attalus, reliquit filio suo Eumeni Regnum suum Pergami, quod annis 40. non infœliciter administravit. Habuit hic Eumenes ex eodem Attalo tres fratres Attalum, Philetærum, & Athenæum, adeò conjunctos, ut eorum concordia à scriptoribus laudata sit, inter fratres ac maximè principes, ac divites, rarior.

Consulatum hoc anno iniere T. Quintius Flamininus (malè vulgò ex Plutarcho dictus Flaminius) & Sextus Aelius Pœtus. Hic in Galliâ nihil gessit, tantùm Placentinos, & Cremonenses in Colonias reduxit, vir pace quàm bello melior. Sub hujus tamen auspiciis L. Cornelius Lentulus Prætor Urbanus servilem tumultum detexit, & oppressit, maximè exortum à Punicis servis, quibus tum abundabat Italia: Ideò Carthaginiensium obsides centum adolescentes à Scipione delecti, servati diligentiùs, ne ab ingenuis hæc conspiratio profecta, novo bello causam præberet.

T. Quintius Flamininus in Macedoniam transit, & à Villio recipit exercitum. Ac primo Philippum vincit in faucibus Epiri, ad fluvium Aoum, indicato itinere à pastore quodam, quem Charopus princeps Epirotarum submiserat. Fugit in Thessaliam Philippus, immò eam populandam objicit tribus exercitibus, Romano Aetolico, & Athamanico, cujus dux erat Amander. Tres quoque classes in Philippi ditionem irruerunt, Romana duce Lucio Quintii fratre, Attalica 24. navium sub Attalo, & Rhodia viginti triremium sub Agesimbroto. Attalica Rhodia circa Andrum insulam innotæ ad Eubæam applicant, ubi frustra Carystum tentant. Tum his junctus Lucius Eretriam invadit: dum autem Philocles ejus præfectus agit cum Attalo à Romanis capitur, atque diripitur. Carystus quoque iterum tentata se dedidit; Philippus terrâ marique infortunatus fuit.

Consul quoque Romanis Achæos acquisivit & à Philippo distraxit, maximè oratione Aristenis eorum Prætoris. Obsessa ergo Corinth

iis ex pacto tradenda, sed acriter adeò defensa est, maximè à Italicis desertoribus, quos crux aut securis manebat, ut obsidionem Romani, Rhodii, Attalici solvere compulsi sint & Cenchreas navale relinquere, quod jam occuparant. Tum etiam Philippus per Philoclem Argos proditione occupavit; Quintius in Phocide Elateam vi cepit, ne alterutri fortuna defuisse videretur.

M. Porcius Cato Censorius dictus, Prætor sanctissimè Sardiniam administravit, sublatis omnino, aut levatis sumptibus sociorum in Romanos magistratus: adeò asper in fœneratores, ut ex eâ insulâ sponte diffugerent, genus hominum cælo terrisque detestandum, & ex aliorum inopiâ dives.

OLYMP. CXLV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3857. 557.

Antiochus hoc anno Scopam Ætolum Ducem Ptolemæi, ad Paneadem vicit, obseditque Sidone. Eum ut liberaret Epiphanes misit duces Eropum, Menecleam, & Damoxenum, sed nihil illi potuere; Scopas igitur cum suis spoliatus abiit. Exinde Antiochus multas in Cœlesyriâ recepit urbes; Hierosolymis autem susceptus perhonorificè cum Iudæis obsedit arcem in quâ Scopas præsidium reliquerat; unde optimè est affectus in Iudæos, quòd ejus copiis omnia affatim suggessissent, sed ex necessitate liberales.

Consulibus Cn. Cornelio Cethego, & Q. Minucio Rufo, continuatur imperium T. Quintio amicis ejus adnitentibus, & huic fratrique novum subsidium terra marique submittitur. Colloquuntur inter se Philippus, & Quintius, nihil agunt, quia hic nondum satis elatus, ille nondum satis depressus erat. Philippus Argos concedit Nabidi, qui eam urbem deprædatur, viros per se, fœminas per uxorem suam Apegam, & acerbius ac crudelius per ejus Apegæ simulacrum, amplectendo fodicans ferreis verubus viros, & fœminas à quibus pecuniam extorquere solebat, modis omnibus crudeliter ingeniosus, & in alienis malis immaniter facetus.

T. Quintius Flaminius ad Cynoscephalas in Thessalia cum Philippo prælium detrectante ex occasione pugnat, diuque ambiguo marte certatum. Tandem vicit Quintius, ac Philippum castris exuit: in hoc certamine Macedonum octo millia cæsi, quinque millia capti, tantus reliquis injectus metus, ut ad pacem petendam Philippus impelleretur.

Neque segnius Lucius Titi frater egit in Acarnaniâ, ubi Leucadem urbem expugnavit: Hic mirabilis eluxit civium constantia, & fortitudo in reficiendis muris assiduo machinarum motu labefactatis. Et nisi exules quidam Itali Romanos recepissent, solvenda fuisset obsidio. Domestico igitur, externoque hoste pressi Leucadii se dediderunt, & secuta est primariam urbem tota Acarnania.

Tum quoque Rhodii Peræam regionem sibi à Philippo ereptam receperunt, depulso Macedonum præsidio, eorumque præfecto Dinocrate: immò & Stratoniceti urbem occupassent, si hanc eodem impetu invasissent; sed tum egregiè munitam à Dinocrate, posteà nequicquam tentarunt.

Ne tamen Philippus planè desperaret Dardanos superiora Macedoniæ depopulantes oppressit, & tam malè multavit, ut se iis nequaquam devictum à Romanis ostenderet. *Dardani à Philippo victi.*

In Italia Q. Minucio Ligurum se viginti millia dediderunt, cum oppidis viginti. Cornelius Cethegus Bojos, Cenomanos, Insubres à se invicem distraxit, factaque in Insubres impressione eorum triginta quinque millia cecidit septingentos cepit, & inter eos alterum Amilcarem, quem Consul in triumphum duxit. Minucius Bojos quoque ad deditionem compulit, & de iis tantùm in Albano monte triumphavit; quia fœlicius quàm fortiùs rem gessisse visus erat. *Coss. rem bene in Italia gerunt.*

OLYMP. CXLVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3858. 558.

In Aegypto turbatum aliquid: Scopas enim Aetolus venit in suspicionem aliquid moliri contra Regem, evocatusque per Aristomenem, venire recusat, vis in eum paratur; accedit, in carcerem conjicitur ab Aristomene, & veneno necatur. Tormentis quoque excruciatus circa idem tempus tollitur Dicæarchus præfectus navium Philippo, qui Cycladas vexans duas aras statuerat Impietati, & Iniquitati, sic Diis & hominibus impudenter, & irreligiosè insultans. *Scopas in Ægypto necatur.* *Dicæarchus Pœnas impietatis luit.*

Pax Philippo data missis decem legatis ad Quintium, qui eam componerent, & conditionibus quidem satis duris si Alexandri Magni successorem spectes, sed ferendis tamen quia victo datæ, & à Romanis victoribus. Cum eo tamen egit liberaliter Quintius: nam & imperatam ei pecuniam remisit, & filium Demetrium obsidem reddidit ut primo victoriæ fructu etiam victus ipse frueretur. Tum de tribus urbibus Græciæ compedibus, deliberatum Corintho, Chalcide, Demetriade; Corinthus Achæis reddita, imposito tamen in Arce præsidio: aliæ duæ servatæ, donec Antiochus nocere non posset. Denique promulgata est in Isthmiis ludis libertas Græciæ per præconem, jussu Quintii præsentis, tantâ lætitiæ significatione, tantis acclamationibus, ut corvi supervolantes concioni, deciderent, Quintius non jam ut Barbarus haberetur, sed ut propè Deus, à Græcis adulandi peritissimis, coleretur. *Pax Philippo concessa.* *Græciæ in Quintium laudes.*

Bœoti à Romanis defecere: sed eæ turbæ nullo negotio compressæ sunt; tumultusque potiùs, & seditio, quàm bellum fuit. *Bœoti repressi.*

Antiochus in Asiâ multas subigit urbes, Lysimachiam in Europâ instaurat. Monitus à Romanis ut abstineret à vexandis Asiaticis, & urbe munienda ferociùs respondet. Interim vulgato rumore falso de morte Ptolemæi Epiphanis, Aegyptum sibi parat asserere, eoque festinat. Verum cum vivere Regem accepisset in Lyciâ, omissâ Aegypto, cogitat Cyprum, ad quam fœdum naufragium passus, nihil propiùs factum quàm ut victoriis modum poneret. Venit igitur Antiochiam, ut animum reficiat, ac corpus; sed homini ambitioso diu quieto esse non licuit. *Sementis belli Rom. in Antiochum.*

*Bellum in Boios feliciter gerit Marcellus.*

In Italia facti Consules L. Furius Purpureo, & M. Claudius Marcellus. Hic prosperè rem gessit contra Bojos, mox Padum transgressus Insubres & Comenses invasit, eorumque 40. millia cecidit, & de iis triumphavit. Furius etiam in Bojos irruit, magnaque affecit clade, neque tamen eos debellavit; quare de iis non triumphavit, collegâ suo non minùs fortis, sed minus fortunatus.

*Rom. in Hispania victi.*

In Hispaniâ C. Sempronius Tuditanus Proconsul in Citeriore provinciâ prælio victus est, cæsi plures viri illustres, ipse Sempronius paulò post ex vulneribus acceptis obiit. Missi sunt ergo in Hispaniam tum Prætores duo Fabius Buteo, & Minutius Thermus: tumque divisa

*Hispaniarum novi limites.*

vidi verè cœpta Hispania in Citeriorem & Ulteriorem, sublato tum Iberi fluvii limite, & Hispanis non jam pro Pœnis, sed pro suâ libertate pugnantibus.

OLYMP. CXLVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3859. 559.

*Quintius Nabidem appetit bello eique pacem concedit.*

Nabidis Tyranni debellandi datur cura T. Quintio: Concilium Græcorum ille convocat, ubi variæ sententiæ Atheniensium, Achæorum, Aetolorum. Bellum communibus suffragiis indicitur Nabidi. Argos primò circumvallatum, mox Spartam obsidere satius putat Flaminius. Gytheum igitur invadit, ac proditione capit. Mox obsidetur Sparta. Nabidi pacis conditiones tum offeruntur, quas improbat. Sparta tantùm non capitur, & tantùm subjecto quibusdam ædibus incendio per Pythagoram liberatur. Hoc perfunctus periculo Nabis, pacis conditiones recipit, Argos reddit, at Spartam retinet frementibus Aetolis, gementibus Achæis libertatis amantissimam urbem unam in Græcia à Romanis in Tyranni impotentissimi manu relinqui. Sed aliud Græcia, aliud Quintii res postulabant, metuentis ne sibi mitteretur successor, qui laborum suorum colligeret fructum; malum tum apud Romanos nimis familiare.

*Accusatur apud Rom. Annibal.*

Annibal, quasi huic cum Antiocho conveniret, eumque in Romanos accenderet, Carthagine ab inimicis exagitatur. Hi porrò peculatu diripuerant urbem, & vectigalia turpissimè administrarant, quod detexerat Annibal, atque impedierat. Hi igitur ereptam sibi furandi occasionem dolentes, indicem apud Romanos criminantur, quorum calumniis diu restitit Scipio. Tandem Senatus non putavit spernendum indicium, mittitque legatos Carthaginem, qui Annibalem speculentur. Hic sibi diffidens,

*Fugit Annibal ad Antiochū.*

& magis inimicos metuens Tapsum fugit, inde Tyrum, Antiochiam, & Ephesum; ubi Antiochum nutantem, ad bellum contra Romanos impulit, ne sacramento quod puer ad aras ediderat, defuisse putaretur.

*Ver Sacrum Romæ.*

Consulibus M. Portio Catone, & L. Valerio Flacco, Ver Sacrum Romæ editum, votum olim per M. Aemilium Prætorem, præeunte L. Cornelio Pontifice; quo videlicet nata à Kalendis Martii ad Kal. Majas licet profana Diis offerebantur. Tum etiam propugnavit legem Oppiam

*Lex Oppia abrogata.*

Cato, de ornamentis mulierum, quam Tribuni plebis abrogare conabantur, & mulieres lapidem movebant omnem, ut antiquaretur. Hanc autem Consul alter Valerius impugnavit & vicit, precibus, & concursatione matronarum armatus.

M. Cato in Hispaniam transiit ubi afflictissimum Romanorum statum reperit, quem industriâ suâ, fortitudine, continentiâ, æquitate unus erexit. Exemplo suo restitutâ militari disciplinâ Celtiberos, Lacetanos, & alios sæpè vicit, ac delevit, aliter jam pugnantibus Romanis, quia aliter imperabatur. Ejus quoque collega Valerius Bojorum octo millia interemit, reliquos sic fugavit, aut compescuit, ut Placentini, & Cremonenses coloni quiescerent.

OLYMP. CXLVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3860. 560.

T. Quintius Flaminius ut Græciam omnino componeret, conventu indicto, Corinthum venit, ubi omnia ejus acta præterquam de Nabide, probata sunt: hæc ut potuit excusavit, videlicet ne Sparta periret. Inde Thessaliæ quoque res ordinat: tollit insuper præsidia ex Acrocorintho, Chalcide, Demetriade, Oreo, Eretriâ, Græcis plaudentibus, & passim jactantibus, Romanos non prædæ, sed unius honoris cupiditate moveri. Soluti tum captivi Romani quotquot inventi sunt in Græciâ. Quibus peractis T. Quintius cum exercitu Romam venit, ibique toto triduo triumphavit. Nobile spectaculum fuerunt præter Quintium obsides illustres Demetrius Philippi, & Armenes Nabidis filius hic expressus, ille oblatus à patre. Neque minus gratiosam reddidere pompam Romani in Græcia ab Annibale venditi, qui capitibus ra[...] sis, ac pileati hunc triumphum Romanæ, Græ[...] cæque libertatis cohonestarunt.

Creati Consules hoc anno P. Cornelius Scipi[...] Africanus secundùm, & T. Sempronius Lon[...] gus, quando ludis curulibus ædilitiis loca Sena[...] toria in spectaculis, à plebe secreta sunt. Ea r[...] ut benevolentiam Senatus, ita odium popu[...] Scipioni creavit, Plemminius ejus legatus, L[...] crensis præfectus in vinculis jampridem dete[...] tus, partem urbis incendere conatus est, ut [...] eo tumultu carcer ejus infringeretur. Quare [...] duriorem carcerem compactus, paulò post n[...] catus est; homo indignus tamdiu vivere, nisi [...] dilato supplicio, se mori sentiret.

In Galliâ Valerius Proconsul feliciter p[...] gnavit in Bojos, & Insubres. Succedens [...] Consul Sempronius magnitudine Bojorum ex[...] citus territus collegam in auxilium suum evo[...] vit. Interim ejus castra invadunt Boji, ubi [...] rio eventu pugnatum; Gallorum cæsa unde[...] millia, Romanorum quinq; millia, neutrius [...] tis, aut certè cadmeam fuisse victoriam argu[...]

## CAP. VII.
## DECAS SEPTIMA.

*Ab anno* 3860. *ad* 3870.

OLYMP. CXLVI. *Mundi* Urb. Con[...]
*ann.* 4. 3861. 561.

HIc annus celebris est legatione Ant[...] ad Romanos, quam obiere Menip[...]

Hegesianax, & (ut volunt aliqui) Lysias. Auditi sunt in Senatu & à T. Quintio confutati. Tum admissa Græcorum legatio, meliùs accepta, utpote quæ tantùm gratias referebat. Missi quoque ad Antiochum legati P. Sulpitius, P. Villius, & P. Aelius qui eum Lysimachiæ repererunt, ita recepti ut solent qui parum gratos Regibus nuncios deferunt.

Carthaginiensium legati nunciant Annibalem belli agitare consilia cum Antiocho, & cives suos per Aristonem ab eo missum sollicitatos, qui tentatis quibusdam fugerit. Iidem de Massinissâ questi sunt, eorum fines invadente. Qui dirimere hanc controversiam solo nutu poterat Scipio Africanus, integram reliquit, quòd Carthaginienses Aristonem elabi permisissent. Itaque in hac causâ, vir alias æquissimus, non satis justus fuit, & quorumdam in Pœnos odio, suo in Nammidam amori nimis indulsit.

In Hispania rem malè gessit Sextus Digitius, & mediam partem sui exercitus perdidit. Melius pugnavit, & fœlicius P. Cornelius Scipio Cn. filius, ad quem 50. oppida defecerunt: & Proprætor Lusitanos grassatores ad 12. millia cecîdit, multos equites, & signa cepit. Flaminius Prætor non egit quod ejus belli apparatus exigebat; Illuciam tantùm Oretanorum occupavit. Meliùs se gessit Fulvius Nobilior; nam fudit hostem ad Toletum, & Hilermum Regem vivum cepit.

Consules hujus anni fuere L. Cornelius Merula, & Q. Minucius Thermus. Huic obtigit Liguria, bellumque exorsus est prudentiùs quam fortiùs. Posteà tamen ad Pisas novem hostium millia delevit; castra oppugnavit interdiu, quæ noctu illi reliquerunt. Cornelio obvenit Gallia in qua 14. millia Bojorum conscidit, multos cepit cum signis 212. non obtinuit tamen triumphum, quia quinque millia suorum perdiderat, multosque ordinum ductores; signum tamen non ejus socordiæ, sed hostium fortitudinis.

OLYMP. CXLVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3862. 562.

Antiochus bellum suscipit in Romanos impulsoribus potissimùm Thoante Aetolo & Annibale: hujus sententia melior deseritur, de ipso mittendo cum classe in Italiam: illius admittitur de Græciâ per regem invadendâ. Ac principio Antiochus imprudentiâ suâ Philippum à se avertit, dum sepelit ad Cynoscephalas corpora Macedonum insepulta, cum tacitâ Regis exprobratione. Filiam suam Cleopatram pulcherrimam Virginem uxorem tradit Epiphani Raphiæ, Antiochidem Ariaratho Regi Cappadocum, ultimam offert Eumeni Pergameno, quam ille sapienter recusat, ne cum eâ bellum dotale reciperet. Cleopatra autem dotis nomine detulit Cœlesyriam, Phœnicen, Iudæam, Samariam: sed his nuptiis sperabat Antiochus Aegyptum; in quo delusus est, cum Cleopatra maritum antepofuerit patri.

Pisidas intereà Antiochus oppugnabat, & expugnabat, quando & recepit Legatos Romanos, quibus nonnulli malè Scipionem accensent, sicut & ejus colloquium cum Annibale, & de viris magnis judicium. Certè Villius hoc tempore sæpe cum Annibale de industriâ colloquium miscuit, ut aut traheret ad Romanorum partes, aut ei conflaret invidiam. Denique ab Antiochi consiliariis, quorum infensissimi erant plerique Romanorum hostes, Romanis indicitur bellum, malum petenti consilium: consultoribus pejus. *An Scipio legatus ad Antiochū.*

Nabis Gytheum expugnat, & navali prælio Achæos cum Philopœmene inexercitato vincit: sed vicissim terrestri ab eodem vincitur, & multis amissis Spartam redit victus; dum victor agrum Laconicum depopulatur, & Achæi majora moliuntur. *Nabis, & Achai commissi.*

Demetriadem Achæi occupant per Dioclem, Spartam tentant per Alexamenem, qui urbem ingressus Nabim occidit; verùm dum non liberatorem sed grassatorem agit Alexamenes, à Spartanis occiditur. Erratum ejus emendare conatus est Philopæmen, Spartamque adjecit Achæorum societati, damnato Alexamene. Thoas Aetolus Chalcidem frustra tentavit, quam præsidio Eumenis firmavit T. Quintius, qui & Demetriadem frustra quoque per Villium occupare voluit. Achæi se Romanis adjungunt, magno Antiochi dolore, qui iterùm tentat Chalcidem, & in eam admittitur. Capit prætereà Pheras; Larissam autem dum oppugnat obsidionem solvere à Philippo, Romanisque compellitur. Chalcide autem hyemem exegit, ibique nuptias cum hospitis sui filia contraxit, nec Rege, nec sene, nec bellatore satis dignas. *Nabis casus.* *Achai se Rom. adjungunt.*

Consules Romæ creati sunt T. Quintius Flaminius, & Cneus Domitius Aenobarbus, rejecti P. Cornelius Scipio Cnei filius qui nuper in Hispaniâ tam fortiter bellum gesserat; item & C. Lælius licet utrique faveret impensè Africanus: sed discretæ ab eo plebis sedes à Senatoribus, & fautori, & candidatis illis nocuit. *Scipionum nomen invisum plebi.*

OLYMP. CXLVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3863. 563.

Consulatum inierunt Romæ P. Cornelius Scipio Nasica, & M. Acilius Glabrio: huic Græcia, illi Italia forte obvenit. Adjectus Glabrioni T. Quintius, & forte M. Portius Cato, quem aliqui Tribunum militū faciunt. Romanis obtulere auxilia Ptolemæus, Philippus, Carthaginienses, Massinissa; sed suis tantùm viribus Antiochum debellare voluerunt. Consul Acilius venit in Macedoniam, cui se dedidit Larissa, & aliquot aliæ urbes. Philippus sibi vindicat Athamaniam; fugit ejus regulus Animander, cum conjuge & liberis Ambraciam. Antiochus egressus Chalcide, intelligit se delusum esse vanis pollicitationibus Ætolorum: itaque Thermopylas adit, ut se non satis magnis cinctum copiis naturâ loci tutaretur. Sed Glabrio emittit L. Valerium, qui Tychiuntem, & M. Catonem qui Callidromum montem ab Ætolis servatum occuparent. Valerius repulsus est; Cato Ætolos dormientes, & incautos oppressit; descendensque ex monte commisso jam per Consulem prælio, & non expectatus, victoriæ causa fuit. Fugit Antiochus ictus saxo in facie, & dentibus excussis; obiit ex vulneribus Ale- *Vincitur ab Acilio Antiochus.*

xander

xander Acarnan. Accessit & ad terrestrem, maritima clades. Aulus enim Atilius classem regiam ferentem Antiocho commeatum, aut depressit, aut cepit. Romam mittit Acilius Consul hujus victoriæ præcipuam causam Catonem, (præmisso tamen ante L. Scipione) & obsidet Heracleam quam tuebantur Ætoli, atque capit. Philippus autem relinquere jubetur obsidionem Lamiæ ne nimium ex Romanâ victoriâ proficeret. Ætoli se dedere volunt, sed irritati à Consule iterùm cogitant bellum; obsidetur ergo Naupactus in qua se inertissimè gerunt. Tandem miseretur eorum Quintius, & Romanis eos reconciliat qui sibi alias utilem navarant operam. Philippo quoque qui se iis non inimicum præbuerat, Antiocho hostem, redditus est filius Demetrius, sed ex institutione, convictuque Romano melior, quàm datus erat.

*Victus iterum mari Antiochus.*

Iterùm navali prælio conflixit Romana classis cum Antiochenâ ad Corycum; ubi Polyxenidas ductor victus est à Livio, & Eumene; qui eum insecuti sunt Ephesum usque. Post certamen adfuere naves Rhodiæ, quæ ante portum stetere; sed regiis exire non audentibus, dimissæ Rhodiæ naves, dimissus Eumenes: quia ad conficiendas belli hujus reliquias Romana classis satis erat.

*Fulvii oratio.*

Fulvius Nobilior urbem est ingressus ovans aurique multùm, & argenti præ se tulit, gratissimum tum Romanis spectaculum, ex quo corrumpi cœpere mores.

*Scipio Nasica de Bojis triumphat.*

Scipio Nasica devicit Bojos, eorumque viginti octo millia interemit: capti 3400. signa militaria 124. equi bellici 1230. carpenta 247. pax petentibus data, sed agri adempta dimidia pars, quò Romani si vellent colonias deducerent. Itaque de iis triumphavit, neque auditus est reclamans Sempronius Blæsus Tribunus plebis; quia ex odio repugnabat.

*Victi à Minucio Insubres.*

Q. Minucius Proconsul contra Insubres feliciter quoque pugnavit, qui lege sacratâ coacto exercitu, ejus castra sunt aggressi, conjuncti Liguribus. Ea cum defendisset fortiter duobus diebus, erupit in fessos, ac palantes fudit, quatuor millibus interfectis; timorem simulans, ut certiùs vinceret.

OLYMP. CXLVII. *Mundi* Urb.Cond.
*ann.* 4. - 3864. 564.

*Consulis Scipionis legatus Africanus.*

Datus demum hoc anno Consulatus L. Cornelio Scipioni, & C. Lælio, quem aliqui ineptissimè Scipionis nepotem vocant. Scipioni assignatur Græcia à Senatu, quia ei se legatum Africanus obtulit; Lælio igitur relicta Italia, quando ostendit Scipio sibi pluris esse fratrem, quàm amicum.

*Ætoli Ro. infensi.*

Ætoli Antiochi socii in Romano Senatu exagitati sunt; ac demùm ita iis responsum ut intelligerent sibi Romanos iratos esse. Iis itaque in patriam regressis paratur bellum. Acilius Lamiam capit, Amphissam obsidet. Athenienses coram Scipione Aetolos Romanis reconciliare conati sunt nequicquam, neutris cedere aliquid de jure renuentibus.

*Rhodii victi.*

Antiochus reparat classem evocatis per Annibalem Phœnicum navibus. Romani ad Hellespontum navigant, ut Scipio transeat in Asiam. Polyxenidas Pausistratum Rhodiæ classis præfectum (aliter Pausimachum dictum) decipit, profligat, ac necat; quâ clade impedita Abydi deditio. Rhodii reparant classem suam, & huic præficiunt Eudamum cautiorem, non fortiorem ducem,

Livius attrahere ad pugnam juxta Ephesum nititur Polyxenidam; ubi successorem accipit Aemilium Regillum. Eripit nihilominùs Antiocho multas urbes in Asiâ. Tandem post tempestatem ad Lyciam venit ad Scipiones in Græciam, inde in Italiam navigaturus, plus relaturus gloriæ, si huic relictum esset classis imperium.

Seleucus Antiochi filius Eumenem vexat: Elæam occupat, & dimittit. Eumeni auxiliantur Romani, Rhodii, Achæi, eumque tutum, & incolumen præstant. Antiochus iterùm de pace cogitat, sed ut nondum satis domitus rejicitur.

Contigit & tum navalis pugna ad Eurymedontem Pamphyliæ fluvium inter Annibalem & Eudamum. Rhodii vicere; fugit Annibal in terrestri quàm maritimâ pugnâ exercitatior, & melior.

Antiochus Prusiam Bithyniæ Regem à Romanis conatur avertere, sed hic litteris African confirmatur. Repulsus Antiochus à Bithyno per Polyxenidam Notium Colophoniorum urbem oppugnat. Accurrunt Æmilius, & Eudamus: Verùm in Tejorum portu dum Polyxenidam vivum intercipere volunt, nihil propiùs factum, quàm ut ipsi caperentur: se Æmilii audacia, & dexteritate Eudami di cussum periculum. Victus deinde Polyxen das ad Myonesum, fugit Ephesum, amiss 42. navibus. Inde secuta Phocææ Antioch deditæ, & à Romanis oppugnatæ deditio Antiochus imprudentissimè deserit Lysimach quam Consul occupat rerum omnium copia ci cumfluentem, & moram belli in Europâ, si ea Rex defendere ausus esset.

Trajicit demum per Hellespontum in Asia operâ Eumenis L. Scipio; remanet in Europ & loco ubi festus inciderat dies Africanus 3 dies, quia Salius. Pacem petit Antiochus, se ab ejus spe responso Consulis abducitur. R mittit tum ad Africanum ægrum Elææ, filiu suum captum, à quo gratiarum loco monetu ne pugnet antequam ipse sanus in castra redea Romanis tamen urgentibus, prælio decernit Magnesiam cum 70. peditum, equitum 12. mil bus, ac multis falcatis curribus. Romani vix 3 aut 28. millia armatorum numerabant. Inita p gna vicit Antiochus in dextro cornu; sed ab h parte pugna ab Aemilio restituitur. Itaque ctus fugit Antiochus, cæsis 50. peditum, 4. equ tum millibus: capti tantùm 1400. cum elepha tis quindecim. Hunc ei fructum appropera pugna peperit.

Antiochus victus pacem seriò petit, & du admodùm conditionibus, & ante ferociter re ctis; videlicet ut abstineret penitùs Europâ, siâ omni cis Taurum decederet, 5. millia Tale tûm Euboicorum pro belli impensis persolver

Eume

umeni ablata & debita redderet, Annibalem
: Thoantem belli incentores dederet, & alia
jusdemmodi, quibus se penitùs victum fate-
etur.
Amynander ex Athamaniâ pulsus restituitur,
b præfectos Philippi hic acerbius imperantes.
etoli quoque varia recuperant loca, quibus &
se Dolopes dedidere. Legati Aetolorum dum
omam pergunt ab Epirotis in carcerem dati,
se redimere jussi sunt. Dum de pretio disce-
atur Romanorum jussu sine pretio liberati
nt; quando eorum uni Alexandro seni, & ava-
suæ sordes profuere.
Minutio negatur de Liguribus triumphus,
ties triumphatis: conceditur Acilio Glabrioni
Antiocho, & Aetolis. Damocritus tamen Ae-
lorum dux, ab eo triumpho abfuit, qui fugâ
ipsus ad Tiberim sese gladio interemit.
Aemilius Paulus primò rem malè in Lusita-
â gessit, amissis sex millibus suorum: sed eam
aculam mox suâ virtute delevit, fecitque mi-
es ex damno suo cautiores, & generosiores.

OLYMP. CXLVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3865. 565.

Roma hoc anno habuit Consules, M. Ful-
um Nobiliorem, & Cn. Manlium Volsonem:
ic Asia, illi Ætolia sorte obvenit. Tum enim
etoli rejecti erant à Senatu, atque hostes ju-
cati. Legati deinde ab Eumene, & Rhodiis
sceptantes auditi. Sic eorum sapienter com-
ositalis, ut urbes quæ Attali fuissent, ab An-
ocho occupatæ, Eumeni redderentur; quæ An-
ochi fuissent, Rhodiis cederent. Denique af-
ere Antiocheni, quibus pax confirmata est 12.
nditionibus satis acerbis. Aetoli denuo adhi-
ere deprecatores Athenienses, & Rhodios, &
rè auditi Philippo eis resistente. Fulvius Con-
l intereà Cephaleniam occupat, & Ambra-
am capit, magno labore, nec sine periculo;
ndemque dat Aetolis pacem conditionibus
is duris, sed quam iidem à Senatu non impe-
assent: ita iis domitis esse subactisque profuit.
Manlius alter Consul Gallogræcos aggredi-
r. Tolistobogii, & Trocmii refugerunt in
ontes Olympum, & Taganam; sed hic sagittis
jaculis confixi, tandem fugati sunt, eorum-
e cædes incredibilis facta; nihilominùs qua-
aginta millia capta sunt. Deinde contra Te-
osages Ancyram venit; ubi uxor reguli cu-
sdam passa vim à centurione, dum se redimit
ro, quod servi detulerant stupratorem ab iis
cidi jussit, ejusque caput ad maritum detulit.
ectosages autem dum pacis commercia simu-
nt, Romanos invadunt ex insidiis, atque uni-
rsos trucidassent, nisi à Tribunis malo sub-
entum esset. Tum ergo oppugnantur in monte,
deque deturbantur, funduntur, capiuntur; re-
ui trans Halym fluvium fugiunt. Mittunt
de legatos ad Consulem, & Romam; mittit
Ariarathes Cappadox petiturus veniam ob
xilia Antiocho præstita: omnes mulctati pe-
niâ, cujus jam avidior erat Populus Roma-
us. Itaque iis non data, sed vendita pax.
L. Scipio de Antiocho magnificè triumpha-
it pridie Kal. Martias mense intercalario, de
quo consule Censorinum; hujus non levis pars
Africanus fuit, ut legatus Ducis & fratris pom-
pam cohonestans. Antea quoque navali trium-
pho invectus erat Aemilius Regillus, Antio-
chus enim Magnus multiplicis triumphi mate-
ries esse debuit.

Bœbius Prætor dum proficiscitur in Hispa-
niam, à Liguribus cum supplemento deletus
fugit Massiliam, ubi ex vulneribus obiit. Ei suf-
fectus est ex Etruriâ P. Iunius Brutus. *Bœbius à Liguribus cæsus.*

Aemilius Paulus cladem anni superioris cor-
rexit, & collecto raptim exercitu, Lusitanos ag-
gressus eorum duodeviginti millia cecîdit, cepit
tria millia, & trecentos, eorum expugnavit ca-
stra; ita denique eos retudit, ut ab iis se quon-
dam victum esse meritò posset inficiari. *Æmilius rem bene gerit in Lusitanos.*

Diffident inter se Achæi, & Lacedæmonii
quia hi ab illis eorumque duce Philopæmene ve-
xabantur. Miseri ergo confugiunt ad Romanos,
eorumque societati se cupiunt adjungere; ideoq;
iis Achæi minitantur bellum: inhibuit Nobi-
lior, & populum utrumque Romam mittere le-
gatos jubet; quo ipse quoque venit de Aetolis
triumphaturus, quos ad petendam quamlibet
pacem impulerat. *Nobilior de Ætolis triumphat.*

OLYMP. CXLVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3866. 566.

Consulibus M. Livio Salinatore, & M. Vale-
rio Messala, Manlius Proconsul ordinatis in
Asiâ rebus, & pace Antiochi cum decem legatis
recognitâ, conscissaque aut incensâ ejus classe
ad terrorem, & Elephantis traditis Eumeni, re-
dit Romam. Verùm in itinere ejus impedimen-
ta Thraces adoriuntur, uti creditur, non incon-
sulto Philippo; in hoc tumultu Q. Minucius
Thermus, unus ex legatis decem, cæsus; nocte
superveniente Thraces, non metu, sed quia præ-
dæ satis collegerant, recesserunt. *Manlius rediens male acceptus à Tracibus.*

Legati Achæorum, atque Spartanorum Romæ
disceptarunt; Senatus ita respondit, ut utrique
populo videretur adjudicasse litem; sic Achæi
sibi permissos Lacedæmonios, Lacedæmonii in
se Achæos nihil posse crediderunt. Itaq; Achæi
creant Prætorem Philopœmenem, qui ducto in
Laconicam exercitu multos interemit, muros
Spartæ dirui jussit, leges Lycurgi abrogavit,
substitutis Achæorum institutis, quæ posteà à
Romanis improbata sunt, & provisum deinceps
ne quid simile aut auderent Achæi, aut Lacedæ-
monii paterentur. *Achæi & Lacedæm. commissi.*

OLYMP. CXLVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3867. 567.

Hoc anno Antiochus Magnus moritur, sed
quo mortis genere non liquet. Plerique cæsum
esse volunt cum exercitu, dum templum Din-
dymæi Iovis, aut Beli apud Elymæos in Susianâ
conatur diripere, concursu in eum ab oppidanis
facto. Alii à sodalibus quos in convivio te-
mulentus pulsaverat. Eo viri hujus qui O-
rientem armis, Occidentem metu terruerat,
magnitudo recidit. *Moritur Antiochus Magnus.*

Successit ei filius natu major Seleucus cogno-
mento Philopator, Iosepho σωτὴρ, Antiochi
Epiphanis frater, tum Romæ obsidis. Seleuci
hujus *Succedit patri Seleuc. Philopator.*

hujus regnum inglorium fuit, bellique à patre in Romanos imprudenter ſuſcepti pœnas luit.

Conſules hujus anni M. Aemilius Lepidus, & C. Flaminius Nepos ambo ad bellum Liguſticum deſtinantur. Interceſſit Aemilius indignum vociferans Conſulem utrumq; in Ligurum compingi valles, dum Proconſules in Aſiâ, Græciaque regnarent. Nihil tamen immutatum, juſſi ſunt tantùm Fulvius & Manlius exercitum reportare in Italiam, ne meritò Conſules queſti eſſe viderentur.

*Triumphant Manlius, & Fulvius.* Manlius ergo redux petit triumphum: ſed repugnavere legati, & quod bellum inconſultò Senatu geſſiſſet in Gallogræcos, & quod impedimenta in Thracia perdidiſſet. Aegrè igitur triumphum obtinuit. Petiit quoque triumphum Fulvius: ſed huic interceſſit Tribunus Plebis M. Abutius, & adventum Conſulis Aemilii, Fulvio inimiciſſimi voluit præſtolari. Sed tamen triumphavit; immò & è pecunia quam illaturus erat in ærarium ex Senatuſconſulto votos à ſe celebravit ludos, non de hoſtibus modo, ſed de inimicis victoriam conſequutus.

*Accuſatur Scipio Africanus.* Duo Quinti Petilii Tribuni plebis P. Scipioni Africano dixere diem, eumque accuſavere peculatus, & quod filium ſuum ſine pretio recepiſſet ab Antiocho, & ab eodem plurimùm cultus eſſet. Adfuit Scipio, & ut adverſarios refutaret, à ſe geſta commemoravit. Sequenti quoque die adfuit, ſed concionem monuit eo die ſe in Africâ viciſſe Annibalem; quare Romanos in Capitolium ad gratias invitavit; itaque à populo Romano per omnia Deorum templa circumductus eſt, majori propemodum gloriâ, quàm cum triumphavit. Poſteà tamen, dilato judicio, exoſus haſce Tribunitias tricas ſponte Linternum exul abiit. *Sponte exulat Linterni.* Repreſſit etiam Tribunos, & magno pulſavit convitio Tiberius Sempronius Gracchus, licet Scipioni privatim inimicus, quare huic à bonis omnibus actæ gratiæ; indeque reconciliati ambo, & Gracchus Corneliam filiam Scipionis duxit, ex quâ duæ Reip. faces, ac propè funera duo Gracchi prodiere.

*Accuſatur quoque L. Scipio.* Africani quoque frater L. Scipio, accuſatus eſt à Catone, damnatuſque interverſæ pecuniæ: cum duceretur in carcerem, interceſſit quoque ejus inimicus Gracchus, idque factum, ac vim oratione ſuâ Scipio Naſica diſcuſſit: cum tamen quæſtores ex Prætoris ſententia involaſſent, in ejus bona, innocens ex paupertate apparuit, magnâ cum infamiâ Q. Terentii Culeonis judicis, majore in Catonem invidiâ.

*Rom. æquitas.* Ligures hoc quoque anno cis & trans Apenninum à duobus Conſulibus domiti, & armis exuti. M. Furius materiam belli, ac gloriæ quærens cum quietos, & inſontes Cenomanos ſpoliaſſet armis, hi apud Senatum queſti, judice Aemilio Conſule arma receperunt, cum innocentiæ ſuæ publico teſtimonio.

OLYMP. CXLVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3868. 568.

*Marcius Philippus Conſul rem malè gerit in Ligures.* Annus hic Conſules habuit Sp. Poſtumium Albinum, & Q. Marcium Philippum. Hic progreſſus in Ligures Apuanos, eos dum quærit in ſaltibus ſuis, quatuor ſuorum millia amiſit, & aliquot ſigna; atque ex eâ expeditione nihil retulit, niſi quod ex ejus nomine ad perpetuam infamiam, hic ſaltus eſt Marcius appellatus

C. Catinius in Hiſpaniâ Ulteriore Luſitanos vicit ſemel, & iterùm; ſed ad Aſtam oppidum dum muros ſubit incautiùs, lapide ictus paulò poſt obiit. L. Manlius in Citeriore cum Celtiberis, bis pugnavit; primùm incertâ victoriâ, deinde ad Calagurrim tam inſigni, ut tum hoſtes debellari potuerint, niſi ſucceſſoris expectatio conatus ejus repreſſiſſet.

Tum Bacchanalia Græcum ſacrum nocturnumque multis flagitiis infame abolitum Romæ. Multi hic ingenui pueri multæ matronæ ad ululatus, & Cymbalorum, Tympanorumque pulſus invitis ſtupris corrumpebantur: hæc initiandi primùm patiebantur, mox infanda faciebant. Qui autem minus dedecoris, ac turpitudinis patientes erant, uti victimæ cædebantur, poſteà ſic abrepti machinis, ut eorum nihil extaret, & quaſi rapientibus Diis exterminabantur. Res detecta eſt ab mulierculâ Ebutio adoleſcenti, ab hoc, Senatui, qui negotium diligentius inveſtigavit, detectos meritis ſuppliciis affecit; multi tamen fugêre, aliqui etiam ſibi intulere manus; ſicque hæc nequitiæ, ac improbitatis officina penitus ſublata eſt.

OLYMP. CXLVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann* 4. 3869. 569.

Conſulibus Appio Claudio Pulchro, & M. Sempronio Tuditano Legati Eumenis, itemque Theſſalorum, ac Perrhœbiorum in Senatu de Philippo queſti ſunt, hi quod eorum urbes poſſideret, ille quod Ænum, & Maroneam in Thracia ambiret. Criminationes diluere conati ſunt legati à Philippo miſſi; nihilominus Senatus in Theſſaliam legatos ire juſſit, quorum Princeps Q. Cæcilius Metellus, à quibus ad Theſſalica Tempe res agitata eſt, Philippo etiam intentante minas, quas legati moderatione ſua ac ſapientiâ prudenter eluſere.

Conſules duo in Ligures profecti, incendio ſibi viam in ſaltus aperuere ſine periculo, bellique autores deprehenſos ſecuri percuſſerunt fatis fuit, hoc ſupplicium ad eos continendos, jam incendio ſylvarum ſuarum territos.

In Apuliâ L. Poſtumius Prætor paſtorum, ſervorumque tumultum ſeverâ quæſtione, & animadverſione repreſſit, & paucorum pœnâ, multorum vitæ, ac ſanguini pepercit.

L. Manlius ex Hiſpaniâ redux, Triumphum petiit, obtinuit tantùm Ovationem, ob res præclarè geſtas triumpho digniſſimus; ſed huic in Hiſpaniâ bellorum & victoriarum obfuit multitudo, & nimis crebra materies triumphorum.

In eadem Hiſpaniâ Prætores duo L. Calpurnius, & L. Quintius primùm infœliciter ad Toletum pugnaverunt: poſteà ad Tagum nobilem retulere victoriam, caſtris etiam hoſtium potiti, ex quorum 35. millibus vix quatuor millia in propinquum collem effugerunt. Ita non tantùm bellum, ſed etiam belli materiam ſuſtulerunt.

OLYMP

OLYMP. CXLIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3870. 570.

In hunc annum quartum Seleuci Philopato- ris cadunt Heliodori plagæ quarum meminit facer textus cap. 3. libri fecundi Machabæo- um. Simon quidam præpofitus templi de Tri- )u Benjamin vir fceleratus & audax cum Oniâ ertio Summo Pontifice litigans, ab eo ejectus x urbe, venit ad Apollonium Cœlefyriæ ac 'hœnices præfectum, eique indicavit in templo hefauros effe, qui fifco commodè poffent ad- udicari. Ea re ad Seleucum delatâ mittit Hiero- olymam Heliodorum negotiis fuis præpofitum. s licet admoneretur ab Oniâ thefauros illos ef- e Dei, pauperum, & quorumdam privatorum, ergit nihilominus, & Regis mandata per fa- ellites fuos exhauriri curat. Veritus feditionem 'ontifex & civitas univerfa fqualIore luctuque onfecta recurrunt ad Deum, qui neque fibi, ne- ue fuis defuit. Ecce enim equus terribilis cum effore fpecie humanâ auguftiore in Heliodo- um irruit, & equi calcibus obterendum obji- it. Aderant & pedites duo ejufdem cum equite najeftatis, qui in proftrati Heliodori latera lo- is acerbè fævierunt. Ereptus ex eorum manibus Pontifice prædo exanimis & geftatus in fellâ nortui potiùs quàm viventis fpeciem exhibe- at. Verùm cum pro eo Pontifex oraffet, vale- udini reftitutus eft, & admonitus ab iifdem uvenibus quibus dederat pœnas, ut gratias age- et Oniæ, verbera & plagas præmii loco duxit, qui mortem certiffimam expectabat. Itaque He- odorus rediens ad Seleucum Dei Hebræorum ictus eft præco, oravitq; Regem ut fimilem fuis oftibus committeret provinciam. Verùm hoc ortentum reddidit Simonem deteriorem; jacta- it enim hæc à Pontifice conficta effe, plufque illum malevolentia in Oniam pofuit, quàm ominis Ethnici vapulantis, vimque divinam fuo fupplicio admittentis, teftimonium.

Romæ Confulatum inierunt P. Claudius Pul- her & L. Porcius Licinius, hic plebejus, ille atricius à fratre fuo Appio Claudio magna renfatione & ambitu promotus. Idem Appius Exconful Princeps Legationis miffus eft in Ma- edoniam à Senatu, ut Philippus ad urbes red- endas compelleretur. Rex furore percitus in Maronitas iram fuam effudit, & Thracibus in anc urbem cum Caffandro Maronita fed fibi cceptiffimo, & Onomafto oræ maritimæ præfe- to immiffis, in principes civitatis fibi adver- antes fæviit multofque trucidavit. Cum id fa- tum Philippus inficiaretur, & eluderet, Appius Caffandrum, & Onomaftum cædis autores dedi ubet Romam fubmittendos. Rex offert Caffan- lrum, negat Onomaftum penes fe effe, legati ab o quafi facinoris reo difceffere.

Inde uti juffi erant, legati veniunt in Pelo- onnefum, & ad conventum Achæorum, ubi Prætor Lycortas factum in Lacedæmonios pro- are conatus eft, & quædam de Romanis dixit, quæ à fuis, non ab aliis probarentur. Verùm Appius eum monuit, fponte ut faceret, quò per vim adigendus effet; quod cum gemitu au- lierunt Achæi, & rogarunt Romanos ut de

Spartanis prout liberet ftatuerent, facti jam ex neceffitate jufti, atque obfequentes.

Geffere hoc anno Romæ cenfuram M. Por- cius Cato, & L. Valerius Flaccus, plurimis me- tuendam. Et verò feptem moverunt Senatu, & in iis L. Quintium Flaminium T. Quintii fra- trem, quia Conful in Gallia orante fcorto Pla- centino (alii Catamitum Pœnum fubftituunt) in convivio reum, aut transfugam fecuri per- cuffiffet. Alii cæfum illum volunt fuiffe nobi- lem Bojum transfugam cum liberis ad Roma- nos, & eorum opem implorantem ipsâ Confu- lis manu interemptum. Sed quid opus amplifi- care factum, quod ex fe fatis habuit atrocitatis? Cato infuper L. Cornelio Scipioni Afiatico pu- blicum ademit equum, dum equites recogno- fcit; ex quâ tamen fententiâ plus dedecoris ju- dex, quam damnatus tulit.

*Cenfura Catonis & Va erii Flacci metuenda.*

*Scipio Afiatico equus ademptus à Catone.*

Annibal à Romanis petitur ab Antiocho. Monente Rege ille fugit in Cretam, ubi quietè vixit, repofitis amphoris plumbo deaurato ple- nis in Templo Dianæ quafi pignoris loco. Sed aurum fuum in ftatuas callide infuderat quas ipfe fecum extulit. Pergit itaque ad Prufiam Bithynum qui tum cum Eumene gerebat bel- lum. Terreftri prælio Eumenes victor fuit, na- vali victus eft ab Annibale, qui fictiles lagenas ferpentibus plenas in naves Eumenianas inje- cit; dum ergo fibi milites à reptilibus cavent, Prufiæ victoriam reliquere, & de Annibale ad- mirationem.

*Annibal fugit in Cretã, inde ad Prufiam.*

---

## CAP. VIII.

## *Decas Octava.*

*Ab anno* 3870. *ad* 3880.

OLYMP. CXLIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3671. 571.

Onias Pontifex adit Seleucum Regem ut Si- mon ille publica religionis peftis Hiero- folymis ejiceretur, neque fultus autoritate præ- fecti Cœlefyriæ popularium fuorum conatus eluderet. Id videtur Onias per Heliodorum ob- tinuiffe, & hunc ei faviffe apud Regem, cujus precibus vitam impetrarat.

*Onias Pontifex Simonem exagitat.*

Legationes hoc anno multæ miffæ funt Ro- mam adverfus Philippum, quas Senatus puta- vit non negligenter audiendas effe. Querebatur fupra reliquos eminens Eumenes, non effe de- ducta ex Thraciâ præfidia, immò Prufiam ejus viribus adjutum effe; alii multa ejufdemmodi in eum congerebant, quibus permotus Philip- pus Demetrium filium Romam mifit in cujus gratiam multa Senatus condonavit patri, fed ita condonavit, ut hic intelligeret fe hæc filio fuo debere, quod demum adolefcentem opti- mum, in ultimam perniciem impulit. Miffi quo- que ad Prufiam Legati T. Quintius Flamininus, Lucius Scipio Afiaticus, & P. Scipio Nafica, qui ejus controverfias cum Eumene componerent, & dedi fibi poftularent Annibalem, cujus odium nullis cladibus, neque fuis, neque alienis com- primebatur.

*Legationes Romæ in Philippum auditæ.*

*Casus Philopæmen. à Messenus.*

Postremus hic annus Philopæmenis fuit, isque Achæorum Reip. tanti viri jacturâ luctuosus. Dinocrates cum Messeniis Coronam occupare moliebatur; eam ut defenderet perrexit febre licet implicitus Philopæmen, cum civium suorum nobilissimis. Et primo impetu Dinocratem avertit in fugam; sed pluribus in ejus agmen irruentibus, recipit sese, & ne circumfunderetur agmen, recipit se per impedita loca. In hoc regressu dum claudit agmen, ac sæpe vultu converso hostem repellit ac detinet, ab equo suo effusus est, & captus Messenem est pertractus in vinculis & cum contumeliâ: inde datus in carcerem teterrimum, quem Messenii Thesaurum vocabant, ubi jussu Dinocratis venenum haurire compulsus est annos natus 70. vir cujus fortitudine Achœorum Resp. stetit, & si hæc tulissent tempora, toti Græciæ imperasset.

*Moritur Linternis Africanus.*

Obiit & hoc anno P. Cornelius Scipio Africanus Linternis, ubi & sepeliri voluit, & tumulum ei ab uxore excitari, ne ejus ossibus ingrata patria frueretur. Huic Roma debuit incolumitatem suam, & extractum ex Italiæ visceribus Annibalem, cui ejiciendo debellandoque par unus fuit, & quem si vicisset Annibal, ut ipse fatebatur, se Alexandro Magno anteposuisset.

*Demetrius Rom acceptior fit invisus patri per fratrem Perseum.*

Rediit ad patrem Demetrius cum Q. Marcio legato, omniumque in se Macedonum oculos convertit, ac benevolentiam, ob impetratas gratias, jam Philippo denegatas. Hæc Persei fratris in eum odia concitarunt, qui licet natu major (quod tamen aliqui negant) erat tamen eo Demetrius illustrior, ac vultu patrem referens, utpote susceptus ex legitimâ, nobilique matre, cum ille susceptus esset ex Gnathenio Argivâ saltatrice, & nihil similis patri. Veritus ergo Perseus ne sibi frater dignior anteponeretur, suspiciones de eo patris, fovit & auxit. Philippus autem ut Demetrium deprimeret de fratris ejus nomine Perseidem urbem in Thraciâ condidit, ostenditque passim, quam infenso esset in Romanos animo, qui filium odisset amore dignissimum, quod à Romanis amaretur.

*Rom. in Gallos Transalpinos æquitas.*

Consules hujus anni fuere Q. Fabius Labeo & M. Claudius Marcellus. Hic in Gallos Alpes transgressos, & jam statuentes urbem movit; at illi non expectata vi, se Consuli dediderunt; pacem orantes. Eis erepta sunt arma, & postea unde venerant redire jussi. Questi sunt illi in Senatu: respondere Patres inconsulto Populo Romano urbem ab iis condi non debere; reddi tamen eis arma jussere, & in patriam per legatos reduci; quos muneribus cumulatos Galli remisere, sapientiâ Romanorum ac æquitate collaudatâ.

OLYMP. CXLIX. *ann* 3. *Mundi* 3872. Urb. Cond. 572.

*Romæ variæ legationes auditæ.*

Auditæ sunt in Senatu Eumenis, Pharnacis, Rhodiorum, Achæorum, Lacedæmoniorum ac Philippi Legationes. Provisurum se Eumeni promisit Senatus, missis legatis: Achæos paulò durius habuit, & vicinis populis ab iis deficiendi quasi potestatem fecit: laudatus Philippus quod paruisset, admonitus, ne quid ejusdemmodi tentaret. Exinde hic odiosus suis cœpit esse cum ob populorum transmigrationes, tum ob crudelitatem quâ in sibi suspectos sæviit, nec iis nec eorum liberis parcens. Eam porro mulier Thessala Philoxena famosam reddidit, & in Philippi familiam suis imprecationibus diras accersiit, quas inanes non fuisse ostendit eventus.

Eodem anno Perseus Demetrium patri suspectum reddidit, quasi illum interimere voluisset in lustratione exercitus Macedonici. Quare deinceps Philippus Perseum ut regni successorem Demetrium uti exclusum respexit, immò & Legatos Romam misit qui de eo curiosiùs inquirerent; qui à Perseo labefactati pecuniâ, jam præcipitem juvenem impulere.

Achæi Prætore ac duce Lycortâ in Messeniorum agrum irrumpunt, eorumque fines fœdissimè vastant, ac tandem eos ad deditioner compellunt. Dinocrates, & quotquot in necer Philopæmenis consenserant, sibi mortem con sciverunt; qui vinxerant, compedibus astric sunt. Corpus Philopæmenis magnâ pompâ com bustum, cineres repositi in urnâ pretiosâ relat sunt in patriam, adeo ut non pompa funebris sed triumphus videretur. Denique tot in eu honores congesti, ut ne divinis quidem parce retur, quibus mortis ejus deleretur infami Tum quoque Sparta in concilium Achæoru recepta, quod ei favere Romani viderentur eamque magis habere sociam, quàm à se distra ctam Achæi maluerunt.

Consulibus L. Æmilio Paulo, & Cn. seù M Bœbio Tamphilo mortuus est Annibal, quer à Prusia, T. Quintius Flaminius repetebat. Eu offerre Romanis Prusias recusavit hospiter suum, capi tamen ab iis permisit. Struxerat h ille in terrâ quæ Libyssa dicebatur domum, c septem exitus essent, & ex iis quidam occul Cum igitur accepisset à puero suo, omnes ill exitus armatis septos esse, venenum quod ser per gerebat sub anuli gemmâ, statim hausit; a jussisse volunt servum ipsi constringere gulan eumque suffocare, alii taurinum sanguine calidum ebibisse. De annis ejus vitæ dubitatur cum ei quidam 70. tribuant, alii meo judic veriùs 64. Vir dignus orbis imperio si aliam Carthagine patriam, aut alios à Romanis h stes nactus esset, neque posthabendus Pyrrh aut Alexandro, ut sentiebat ipse, sed longo intervallo anteferendus.

OLYMP. CXLIX. *ann* 4. *Mundi* 3873. Urb. Cond. 573.

Bellum in Asiâ gessere Eumenes, & Ariar thes, cui Pharnaces adjunctus est. Induciæ m inter illos initæ quando Attalus aliique fratr Eumenis Romam perrexere, ut ejus causa tuerentur, Romanorum uti Demetrius fecera prensarent amicitiam, quæ illis longè qu Demetrio fœliciùs cessit.

Obiit hoc anno in Ægypto Ptolemæus E phanes, ministrorum suorum, ambitione, exitu, quam regno suo, ac morte celebrati Huic successit Ptolemæus Philometor, ita ctus quod eum mater odisset, ac paulò ante m t

em patris in Cyprum relegâsset, antepoſito huic
ratre Alexandro. Sed ille ab Alexandrinis in-
vitâ matre Cleopatrâ revocatus eſt, dataque ei
uxor de more ſoror; neque patre ſuo melior,
neque fortunatior.

Ingauni Ligures in Proconſulem Æmilium
Paulum bellum movent, eumque primò ſpecie
egationis decipiunt, & oppugnant caſtra, non
ine ejus periculo. Sumit ille animos ex deſpe-
ratione, cum obſeſſus à nemine juvaretur. Re-
mittente ergo oppugnatione in hoſtem erum-
pit, eorum 15. millia cædit, capit 2500. & in-
ra tres dies ad deditionem omnes cogit. Emiſ-
æ circa idem tempus ex ora Liguſtica 32. Pi-
ratarum naves, à C. Matieno captæ, terrâ ma-
ique pacata Liguria; ſic de ea triumphavit Pau-
us, ut nullus deinceps ex eâ triumphus ſpera-
etur.

Conſulibus P. Cornelio Lentulo Cethego, &
M. Bœbio Tamphilo, ſeu Pamphilo, ſuperioris
Conſulis fratre, in agro L. Petilii ſcribæ in-
venti ſunt vel à foſſoribus, vel eluvie, libri Nu-
mæ (ejus corpore nuſquam comparente) in
duabus arculis lapideis, cum plumbeis opercu-
lis. Eos libros cum legiſſet Q. Petilius Prætor
juravit eos pernicioſos eſſe, irreligioſos, atque
comburendos, & huic juranti à Senatu habita
fides. Itaque à victimariis cremati, aut omnes,
aut ſaltem Græci; erant enim 7. Græci totidem-
que Latini. Hos magicos fuiſſe ſuſpicio eſt, ex
quibus de eorum autore judicium feres.

Res quoque bene geſta à Q. Fulvio Flacco
contra Celtiberos, multa eorum millia cæſi,
capta Contrebia, iterumque victi hoſtes. Ne-
que minùs fœliciter pugnavit adverſus Luſita-
nos Manlius, ut Pinarius in Corſos. Bellum
etiam inter Pœnos atque Maſſiniſſam termina-
tum Romanis autoribus; quorum urbem adeo
extra lues afflixit, ut ægrè milites conſcriberen-
tur, vix tumulandis mortuis, vivi pares eſſent.

| OLYMP. CL. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann.* 1. | 3874. | 574. |

Exules Lacedæmonii apud Romanos de
Achæis queruntur, illorum ſuſcipitur cauſa, &
ab Achæis facta damnantur. Itaque horum Reſ-
publica declinare cœpit, orbata ſuo Philopæ-
mene, qui dum vixit Achæorum vita fuit.

Demetrius quibus poteſt modis patrem ſibi
placare ac demereri ſtudet; fruſtra, obluctante
Perſeo. Philippus comite Perſeo Æmum mon-
tem editiſſimum conſcendere cogitat, ut inde
viam per Illyricum, & Iſtriam in Italiam ex-
ploraret; remittitur in Macedoniam Deme-
trius, cui datur comes, & excubitor Didas.
Huic incautus juvenis confidit, & fugæ ſuæ ad
Romanos conſilium aperit, de quâ ſtatim Phi-
lippus fit certior. Interim falſas litteras quaſi à
T. Quintio in patrem Perſeus confingit, his mi-
ſerè Philippus adhibet fidem. Herodotus De-
metrio fideliſſimus in quæſtione necatur; hic
juſſu parentis Heracleæ in convivio venenum
accipit, & patrem incuſans atque fratrem, in-
geſtis tapetibus ſuffocatur. Mortis ejus nuncius
tantùm lætitiæ tum Philippo dedit, quantùm
poſteà retecta fraus, mæroris inducet.

Conſolatum hujus anni obtinuêre A. Poſtu-
mius Albinus Luſcus, & C. Calpurnius Piſo.
Hunc Quarta Hoſtilia uxor occidit, ut per Vitri-
ci mortem Q. Fulvius Flaccus jam tertiùm re-
pulſam paſſus in comitiis fieret Conſul. Impor-
tuna mulier affecta ſupplicio, filium ſuum Con-
ſulem non vidit. *Hoſtilia maritum Conſ. necat.*

Hoc anno translati ſunt in Samnium Apuani
Ligures, datâ eis à Senatu pecuniâ, & commea-
tu, per Proconſules Cornelium, & Bœbium.
His, licet bellum confeciſſent ſine ſanguine, de
Apuanis tamen domitis, novo more triumphus
conceſſus eſt: hoc anno primùm non fortitudo
tantùm, ſed & prudentia à Senatu digna trium-
pho judicata eſt. Iiſdem paulò poſt in Samnio
comites dati Apuani alii ad fluvium Macram,
quos Poſtumius armis poſitis ad deditionem
compulerat. Iis quoque externus diviſus eſt
ager, ut rebellionis, ſicut & patriæ oblivifce-
rentur. *Tranſlati in Samniũ Ligures.*

Q. Fulvius Flaccus de Celtiberis triumpha-
vit. Tumque perlatæ in Gentium Illyricorum
Regem querelæ ob latrocinia, & multis Roma-
nis atque Latinis factas injurias. Dicebatur hic
in Corcyra eorum quoſdam retinere in vincu-
lis, & legatis negaſſe adeundi ſui facultatem.
Cum hic miſiſſet legatos qui facta iſta excuſa-
rent, inſtarentque accuſatores, nihil certi Gen-
tio reſponſum, donec ejus pateret innocentia. *In Gentium querelæ.*

| OLYMP. CL. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann.* 2. | 3875. | 575. |

Eumenes recreatus ex morbo perculoſo mit-
tit fratres omnes ſuos Romam, ut ejus cum
Pharnace, & Ariarathe controverſias dirime-
rent. Suſcepti ſunt Romæ magnificè, & à pri-
vatiſqui eos bello Antiocheno noverant, & à
Senatu qui eis legatos pollicitus eſt magnos hu-
jus pacis arbitros, & ſi hi nihil conficerent, Po-
pulum Romanum auxiliatorem. *Eumenis fratres Romæ magnificè ſuſcepti.*

Callicrates Prætor Achæorum exules Lace-
dæmonios reſtituit, quos opprimi Romani non
ſinebant; idque ſponte præſtare viſus, quò mox
neceſſario adigendus erat. *Lacedæmoni exules reſtituti.*

Conſules hujus anni creati ſunt L. Manlius
Acidinus, & C. Fulvius Flaccus. Hic de victis
Liguribus triumphavit, & is honos gratiæ po-
tiùs, quam merito rebuſque geſtis conceſſus eſt. *Ligures triumphati.*

Cenſores electi M. Æmilius Lepidus Ponti-
fex Maximus, & M. Fulvius Nobilior inimici,
opera Q. Cæcilii Metelli reconciliati illuſtrem
multis egregiis monimentis Cenſuram relique-
runt, quæ ſanctæ hujus concordiæ, ſuique vi-
ctoriæ fructus extitere. *Cenſura Illuſtris.*

Bellum feliciter adminiſtrarunt in Hiſpania
Proprætores L. Poſtumius, & T. Sempronius
Gracchus. Ille bis fortiter cum Vaccæis pugna-
vit: hic oppida Celtiberorum trecenta delevit,
quatuor nobiles civitates cepit. Quando &
Galli Alpes tranſgreſſi locum quem incolerent à
Senatu petierunt; ſed per Q. Fulvium remiſſi
ſunt pœna inſuper iis imperata qui tranſmigra-
tionis autores extitiſſent. Tanta erat id tempo-
ris etiam apud Barbaros Romani nominis auto-
ritas, & potentia. *In Hiſpania feliciter Rom. pugnant.*

OLYMP. CL. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3876. 576.

*Demetrii serius agnita innocentia.*

Demetriade hibernans Philippus sui Demetrii seriùs agnovit innocentiam, quam Antigonus, Antigoni Tutoris ex fratre nepos tandem detexit. Litteræ falsæ quasi à T. Quintio datæ per Xychum scribam patefactæ sunt, Philocles quæstione tortus omnia aperuit, Apelles in Italiam fugit. His agnitis Perseus à patre quantùm potest recedit & in Thraciam se recipit non fugiens sed similis fugienti, & speciem timentis tantùm præ se ferens, quia res suas collocarat in tuto. Philippus tamen Antigonum sibi successorem destinat, & percurrens urbes Macedoniæ, eum omnibus commendat. Sicque Antigono cessisset regnum, Perseo exautorato, nisi maturiùs quàm par esset Philippus obiisset. Is enim Amphipoli diem clausit extremum; at salus ejus deposita à Calligene medico statim denunciata Perseo, immò tantisper cælata mors, dum ipse adesset. Igitur ille non expectatus adveniens fautores Antigoni oppressit; Hic autem jam à Philippo ad Bastarnas præmissus erat. Itaque Perseus partum fratricidio regnum, etiam contra patris voluntatem invasit; quod sibi à Romanis confirmari petiit, nec hi recusarunt, quia nonnisi maximo conflato bello, poterat denegari.

*Philippus omisso Perseo sibi Antigonum successorem designat.*

*Bellum in Istros.*

Romæ Consulibus M. Iunio Bruto, & A. Manlio Volsone bellum ab eodem Manlio susceptum est adversus Istros. Is ad fluvium Timavum castra posuit, adjutus navibus C. Furii eò commeatum deferentis. Sed Carmelus Regulus cum suis Istris intentus ut noceret Romanis, eorum castra nocturno, ac repentino incursu turbavit. Ea sunt à Romanis flagitiosè deserta, rebus omnibus plena ob commodissimam subvectionem. In iis ergo castris dum pergræcantur victores, Romani in eos irruunt, & eorum octo millia cædunt. Rex temulentus equo impositus ægrè aufugit. Nuncius primæ cladis turbavit Romam, & magnam Manlio conflavit invidiam, quod inconsulto Senatu bellum Istris intulisset; sed ad victoriæ nuncium omnia placata, ei insuper prorogatum imperium, quia ignominiam cum fœnore sarcisse videbatur.

*Gracchi & Postumii de Celtiberis & Lusitanis triumphus.*

Sempronius Gracchus, & L. Postumius de Celtiberis ac Lusitanis triumpharunt: Gracchus etiam urbem Gracchurim de suo nomine condidit nobile victoriæ suæ monimentum, unamque tot eversis reposuit.

*Repressa Rhodiorũ in Lycios duritas.*

Motus etiam in Sardiniâ ad Senatum relatus, ad vicinos magistratus rejectus est. Scriptum autem pro Lyciis ad Rhodios quibus erant contributi, non placere sibi eorum in subditos duritatem, ideoque legati missi qui rem inspicerent, summo dolore, & iracundiâ Rhodiorum.

OLYMP. CL. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3877. 577.

Consulibus C. Claudio Pulchro Gallia, T. Sempronio Graccho Sardinia obtigere. Concitatus enim fuerat in hac insulâ motus, de quo T. Ebutius Prætor retulerat. In Provinciam suam & in Istriam cum præceps advenisset Appius, & inauspicatò, redire in urbem compulsus est, neque militi, neque Senatui probatus. Rediit tamen & comitatior & sapientior, ac Nesatiam urbem obsedit, à quâ fluvium, stupentibus accolis, avertit: qui ex muro coram Romanis uxores liberosque suos jugulabant. Urbs tandem vi capta, Rex sibi intulit manus, duæ urbes Mutilia, & Faveria continenter occupatæ, reliquis deditis oppidis tota Istria pacata est. Inde victor progressus est in Ligures rebellantes. Quorum 15. millia interemit, ac totam provinciam pacavit, de gente duplici magnificentissimum triumphum consecutus, & lætiore belli fine, quàm principio.

In Sardiniâ Sempronius duodecim millia Iliensium, & Balarorum fudit, exuit castris, eorum arma Vulcano consecravit. Ei tamen imperium prorogatum, quia utraque gens victa erat, non debellata.

Legati Romani veniunt Rhodum, ad quorum adventum cives tumultuantur. Remiserunt statim legatum Lycophronem qui Senatum dedoceret; multùm veriti, ne Lycii, quod erant interminati, rebellarent, & à Romanis eorum arma non improbarentur.

OLYMP. CLI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3878. 578.

Seleucus Asiæ Rex revocat fratrem suum Epiphanem Româ, ejusque loco filium suum ἐπινήπιον submittit, ut sub Romanis assuesceret, & insinuaret se in eorum gratiam tum Regibus necessariam. Susceptus ergo Demetrius, remissus Epiphanes; sed hic in itinere Athenis audit fratrem suum per Heliodorum cæsum esse. Hic affectabat regnum unde tamen depulsus est ab Eumene, & Attalo, qui Antiochum in fratris regnum restituerunt. Hic autem moderationis affectans laudem non se Regem, sed Demetrii tutorem dixit; atque ob res præclarè gesta[s] *Epiphanes* dictus, seu *illustris*, à quibusdam ta[men] *Epimanes* ob importunam crudelitatem Iudæis notiorem.

Iason, aliter dictus Iesus Oniæ summi Pon[tificis] frater, emit ejus Sacerdotium, & potesta[tem] constituendi Gymnasii Epheborum, aut a[d] corporis exercitationem, aut ad abominanda[m] libidinem, unaque jura civitatis Antiochen[a] talentis argentis 590. hoc est 2433000. Turon[i]cis libris. Onias fugit Antiochiam sec[undum] Daphnem, non satis Hierosolymis tutus vir op[timus], ab homine qui tot crimina, uno crimin[e] implicuisset.

Dardani Romæ queruntur de Perseo, qu[od] bella iis sereret adversus Bastarnas, Gallica[m] gentem, sibique ac Romanis metuendam; [sed] Perseum ostentabant longè magis utrisque [r]formidandum, quod & legati Thessaloru[m] confirmarunt. Itaque missi A. Postumius, aliquot alii, qui de hoc negotio diligentiùs i[n]quirerent, atque ita providerent Dardanis, suis rebus magis præcaverent.

Romæ Consules electi Q. Petilius Spurin[us] & Cn. Cornelius Scipio Hispalus. Hic ex A[l]bano monte rediens toto corpore debilitatus, aq[...]

quas Cumanas delatus, ibidem obiit. Ei suffectus est Valerius Lævinus. Petilius in Ligures movet, eosque primo impetu delet sed dum eos insequitur vulneratus est ad Balistæ, & Leti juga, ac paulò post ex vulnere mortuus est. Fuit igitur hic annus gemini Consulis morte luctuosus.

OLYMP. CLI. *ann.* 2. | *Mundi* 3879. | Urb. Cond. 579.

Perseus Carthaginem legatos mittit, quibus senatus est noctu datus in Æde Æsculapii; legatos quoque Carthagine ad se missos Perseus missus est; qui miserant inconstanter negarunt. Quare Romani censuerunt legatos mittendos in Macedoniam, qui consilia Persei subodorarentur, quod præstitere C. Lælius, M. Valerius Messala, & Sextus Digitius; neque se frustra missos esse probaverunt.

Romæ tum Coss. erant M. Aemilius secundum, & P. Mutius Scævola, qui ambo tumultus Gallicum, & Ligusticum facilè oppresserunt. Sed Romanos major futuri belli quàm præsentis vexabat cura. Bastarnas enim & Dardanos inter se committebat Perseus, eorumque damnis ut victoriis uti conabatur. Legati etiam ab eo missi excusandi causa, eum non satis esse innocentem ostenderant; atque ab ejus ingenio jam potentiâ (quamquam hæc negligenda non esset) sibi meritò Romanus Populus reformidabat.

OLYMP. CLI. *ann.* 3. | *Mundi* 3880. | Urb. Cond. 580.

Antiochus Epiphanes mittit in Aegyptum Apollonium, qui tutelam nepotis sui Philometoris exigeret, sed repellitur. Rex itaque Hierosolymam venit, ubi ab impio Iasone cum multo honore suscipitur. Inde divertit in Phœniciam, ut ibi pararet classem adversus Aegyptios, regnumque sibi pararet armis, cujus administrationem non potuerat precibus impetrare.

Perseus Dolopum quosdam sibi parere recusantes, & de controversiis Romanos appellantes, vincit, & jugum Macedonicum subire cogit. Deinde cum exercitu sine cujusquam damno per Græciam habet iter, invitat Græcos omnes saltem litteris, & legatis ut deponant inimicitias, & secum ineant armorum societatem. Ita multorum sibi benevolentiam parit, quorumdam etiam amicitiam, & conjunctionem.

Tum etiam nisus est componere Atheniensium & Achæorum cum Macedonibus inveterata diffidia. Iampridem enim erant hostili in se invicem animo, ac sese finibus suis excludebant, recipiebantque reos, ac fugitiva mancipia. Scripsit ad utrumque populum accurate Perseus, ac primus ipse fugitivos omnes remisit. In Achæorum Senatu lectæ litteræ quibus societas petebatur à plerisque probatæ sunt; sed obstitit Callicrates, docuitque è sua Repub. esse à Romanis numquam divelli. Postea in conventu Megalopolitano licet ab eo exclusi essent, qui offensionem Romanorum nimis verebantur, nihilominus decretum antiquatum non est de arcendis Achaiâ Macedonibus. Venerunt tum quoque in Macedoniam Romanorum legati, quos rejicere non est ausus Perseus, iis tamen adeundi sui potestatem numquam fecit, homo fallendi, ac tergiversandi scientissimus.

Consulibus Spurio Postumio Albino Paululo, & Q. Mutio Scævolâ gravis Pestilentia sævit, primùm à bobus exorta, quæ mortales plurimos, & maximè servos sustulit. Insepulta ubique jacebant cadavera, canum ac vulturum præda, sed plura tabes absumebat, nova pestilentiæ futura materies. *Magna pestis in Italia.*

Postumius hujus anni Consul cæteris deinceps Magistratibus præluxit, ad onera imponenda civitatibus ad quas divertebant. Prænestinis enim quibus erat infensus imperavit, ut sibi de hospitio, jumentisque providerent; unde cæteris deinceps præbita est occasio furandi, atque prædandi. *Onera civitatibus à Magist. Rom. imposita.*

Censores hujus anni Q. Fulvius Flaccus, & A. Postumius Albinus, Senatu moverunt L. Cornelium Scipionem, tum Prætorem Urbanum immò & L. Fulvium Censoris fratrem. Cum iidem primi vias in Urbe silice sternendas, & extra Urbem firmandas glareâ atque marginandas curassent, Romam & pulchriorem & aditu faciliorem reddidere. *Censura gravis.*

Appius Claudius Celtiberos rebellantes devicit, quindecim millia interemit, reliquos pacavit: quibus gestis Ovans ingressus est urbem, quia Romanos pudebat de eodem hoste toties triumphari. *De Celtiberis Ovatio Appii.*

---

## CAP. IX.

## *Decas Nona.*

### *Ab anno* 3880. *ad* 3890.

OLYMP. CLI. *ann.* 4. | *Mundi* 3881. | Urb. Cond. 581.

Eumenes ipse hoc anno Romam venit, denunciavitq; quanto apparatu, Perseus bellum in Romanos moliretur. Itaque Legati deinde audiri sunt jam infensis animis. Odium etjam in eum auxit Harpalus feroci oratione suâ in Senatu, quâ Perseum nec optare bellum, nec timere professus est, statimque fugienti similis regressus est in Macedoniam, tam exitu suo bellum minitans, quàm oratione. *Eumenes venit Romam. Perseus bellum in Rom. cogitat.*

Consulibus L. Postumio Albino, & M. Popilio Lænati attributa est Liguria. Lænas Ligures rebellantes vicit, victi sine ullâ conditione dediderunt sese; sed ille iis ademit arma, urbem diruit, eosque ac eorum bona vendidit. Hæc severitas in dedititios à Senatu improbata est; itaque ab eodem restitui in libertatem jussi antequam inde deportaret exercitum; quia semper parcere subjectis Romanorum consuetudo fuit. *Ligures se dedunt, & malè accepti restituuntur.*

OLYMP. CLII. *ann.* 1. | *Mundi.* 3882. | Urb. Cond. 582.

In Ægypto moritur Cleopatra; quâ sublatâ Philometoris tutores ab Antiocho repetunt Syriam, Cælesyriam, Phœnicem, & Iudæam; hic contra spe Ægyptum devorarat. Quare primam expeditionem suscepit in hoc regnum, & cum *Epiphanes Ægyptum sibi vendicare tentat.*

& cum iis copiis quæ hosti metum injicerent; itaque Ptolemæi duces primo impetu vicit, quam victoriam secuta est multarum urbium deditio, nominatim Mempheos, atque Pelusii. Accessit & externo bello domesticum: Nam duo fratres Ptolemæus Philometor, & Evergetes parum consenserunt; quorum ille fugit ad Antiochum, hic cum sorore Cleopatra se inclusit Alexandriæ. Antiochus statim hanc urbem obsidet: sed cum esset munitissima, & commeatu ac propugnatoribus abundaret, obsidionem solvere coactus est. Itaque Memphi, & reliquâ Aegypto, quæ se dediderant Philometori traditâ, Pelusio imposuit præsidium: quando aditu & quasi clave Aegypti servatâ ostendit, se non omnem regni hujus subeundi, atque subjugandi posuisse voluntatem.

*Dissidium in Ægypto.*

*Perseus Eumenem tollere conatur, & Rom. legatos.*

Perseus Eumeni redeunti in Asiam, & Delphis sacrificare volenti struit insidias, atque deprehensum in angusto loco per Cretensem unum, & tres Macedonas sicarios saxis obruit, ac semivivum relinquit; unde mors ejus Romæ, & in Græciâ, Asiaque vulgata est. Id acriter Romanos pupugit, sed hoc etiam acriùs. Conatus est enim corrumpere Rammium civem Brundusinum Romanorum & Regiorum legatorum hospitem, ut veneno quotquot posset Romanos tolleret, submisso etiam veneno præsentissimo: sed Rammius hoc consilium aperuit C. Valerio, ac Senatui. Itaque Populus Romanus deinceps non putavit agendum cum Perseo, ut cum Rege, sed cum publico humani generis inimico.

*Rom. legati malè habiti à Perseo.*

Agebant etiamtum apud Perseum Romanorum legati Cn. Servilius Cæpio & alii, qui diu exclusi, tandem obiter admissi sunt ut Regem in Romanos debacchantem audirent, eorumque societati impotentissimè renunciantem: quæ jam inclinantem in bellum Macedonicum Populum Romanum impulerunt.

Romæ Consulatum iniere C. Popilius Lænas, & P. Aelius Ligur, de quibus nihil præter nomen fastis adscriptum invenimus.

*Pœni de Massinissa querruntur.*

Venerunt denique hoc anno Carthaginiensium Legati, quærentes de Massinissâ, à quo sibi erepta esse intra biennium supra ducenta oppida vel castella contendebant. Aderat tum Romæ Gulussa Regis accusati filius; sed cum eâ de re nihil sibi à patre mandatum diceret, propterea quod ea clam à Pœnis esset missa legatio, remissus est in Numidiam, ut inde paratior ad patris causam defendendam rediret: sic amicè de Massinissâ, de Carthaginiensibus non iniquè Senatus statuit.

| OLYMP. CLII. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann.* 2. | 3883. | 583. |

*Menelaus fit Iudæorum Pontif.*

Menelaus Simonis hujus frater, quem turbulentum ejecerat Onias, jussus à Pseudo Pontifice Iasone deferre pecunias Antiocho, eas suo nomine obtulit, additis 300. talentis, quibus emit summum Pontificatum, ipse non Levites, sed ex tribu Benjamini. Verùm cum idem paulò post pactas pecunias non repræsentaret regiis præfectis exautoratus est, & ad tempus vicarius ei substitutus frater Lysimachus, donec stetisset pactis, & fisco debita persolvisset. Hæc rerum sacrarum nundinatio, majorum calamitatum prænuncia fuit.

Interea evocatus Antiochus seditione Cilicum qui ferebant ægerrimè se Regis concubinæ datos, eò perrexit, & præfectum Antiochiæ reliquit Andronicum. In ejus amicitiam adulatione, & pecuniâ insinuavit se Menelaus, eique suasit, ut Oniam Pontificem interimeret. Ille sanctissimum virum datâ fide ex Asylo Daphnes extractum jugulandum curavit. Quam mortem cum accepisset, etiam cum lacrymis rediens Antiochus (ei enim ob sanctimonian Onias charus erat) Andronicum exutum pur purâ, scissisque vestibus per urbem imperavi circumduci, & eodem in loco quo cecidera Oniam immolari. Hoc saltem in casu injustil simus Princeps æquus fuit.

Lysimachus interea templo potitus, & Hie rosolymis, in utroque fœdè grassatur, nequ rebus sacris, neque profanis abstinet, con scio fratre Menelao. Quæ cum Iudæis intole randa viderentur in eum surgunt armati; vi cissim hic iis opponit tria militum millia cum duce sene, sed amente, quem nonnul Auranum vocant. At cives exhausti bonis majoribus animis & viribus restiterunt, in cohortes iniquas, lapides, fustes, cinere projiciunt, easque multis cæsis, pluribus vu neratis, aut excæcatis expellunt. Quin etia captus ad sacrum ærarium Lysimachus inte fectus est, ut intelligeretur ex loco mors hu potissimùm propter sacrilegium irrogata.

Tum in Cœlesyriam cum exercitu profect erat Antiochus; ad quem miserant Ptolemæ jam de reconciliatione cogitantes, legatos suo uti is abstineret bello, sed omnia amicè con ponerentur. Respondet ille se pacem admiss rum, si Pelusium sibi, Cælesyria, Cyprusque r linquantur. Re infectâ, factis tamen induc legati proficiscuntur Romam. Interim Anti chus ut suis copiis uteretur, divertit ad Arabas quibus subjugatis, & induciarum tempore ev luto Ægyptum ingreditur, totaque potitus r gione inter Pelusium & Alexandriam, ha etiam urbem regiam obsidet. Iam autem Sen tus precibus Ptolemæi motus in Ægyptum di gentissimè miserat C. Popilium Lænatem, c aliis legatis. Hi statim advolant ad Antiochu duce Popilio; cui cum Antiochus, ut aliàs an co manum offerret, ille priùs tabulam obtul eamque legere jussit. Cum Rex legere tergiv saretur, eum Lænas radio virgæ, quam tene manu circumducto, respondere imperat pri quam exiret è circulo. Rex ea denunciatio perculsus, respondit facturum se quidquid R manis visum esset. Itaq; Popilius Antiocho amico suo atque Romanorum porrexit manu Rex constitutâ per legatos die recessit ex Ae pto, subductis navibus Cyprum restituit: t tùm unius hominis in tantum principem c stantia valuit.

Tum Hierosolymis visa sunt in cœlo port ta per quadraginta dies magnæ cladis prænu cia: equites videlicet in aëre discurrentes,

exe

ercitus inter se congressi, adeò ut reapse hic
ellum geri videretur; cujus repræsentatio
antùm terroris, quantùm postea bellum ipsum
ttulit damni.

Hoc etiam anno susceptum est contra Per-
eum hostem Populi Romani denunciatum gra-
e bellum, cura demandata est P. Licinio Craf-
o Consuli, dum hujus collega C. Cassius Lon-
inus in Galliâ Cisalpinâ moraretur. Ac prin-
pio pugnatum in Thessaliâ, ubi equestri cer-
amine Perseus superior evasit; qui tum si vi-
oria usus esset, bellum profligarat. Sed Evan-
roCretensi nimiùm credidit, qui eum specie
acis avertit. Eodem tempore victa ad Oreum
omana classis & naves multas, & commeatus
lurimùm perdidit. Verùm aliunde Lucretius
rætor Haliartum urbem Bœotiæ, quamvis resi-
entem fortiter vi cepit, obvios sine discrimine
ecidit, deditios in arce vendidit, urbem à
indamentis destruxit. Faciliùs captæ Thebæ,
eò exulibus redditæ, Romanorumque fauto-
bus, reliquis sub coronâ venditis, ut hoc
templo pœnæ, atque gratiæ reliqui Græci in
fficio continerentur. Inter hæc Consul acce-
tis auxiliis Numidarum duce Misagene filio
Iassinissæ, resumpsit animum, & cum Mace-
onibus ad Crannonium iterum conflixit; ubi
iperiores Romani visi sunt aut certè repressus
ostium ardor. Cæsi tum Regii duces duo Sosi-
ater, & Antipater cum octo millibus armato-
ûm, capti bis mille quadringenti, Pompejus
ribunus cum præsidio octingentorũ legiona-
orum à Rege obsessus, tum retractus incolu-
is, victoriam à Crasso stetisse demonstrarunt.

Consulum alter C. Cassius in Galliâ nihil di-
num memoriâ egit, & consilium temeritatis
lenum inconsulto Senatu suscepit, in Macedo-
iam videlicet per Illyricum suas copias tradu-
endi. Quod cum Senatui renunciatum esset,
ussus est statim retrocedere, ne ferocibus po-
ulis viam in Italiam aperuisse videretur. Neq;
elius confecit iter, quàm susceperat: multo-
im enim sociorum expilavit agros; quare
ultæ ad Senatum de latæ querelæ, meliorem
jus causam nequaquam reddiderunt.

Eodem etiam tempore delatæ sunt populorum
liquot accusationes de magistratuum exactio-
ibus & rapinis in Hispaniâ, quas sibi displi-
ere plurimùm, conflatus licet ex multis viris
niquissimis, Senatus ostendit.

Obiit denique hoc anno Q. Fulvius Flaccus
Pontifex, qui non ita pridem tegulas ex tem-
plo Laciniæ Iunonis in Bruttiis exportarat,
d obtegendam ædem Fortunæ Equestris à se
otam, atque consecratam. Et quamquam
enatus eas reportari jussisset, ipse Censor
nno superiori hoc demùm intellexit sibi gra-
e aliquid imminere. Audivit enim unum
x filiis in Illyrico militantibus obiisse, al-
erum periculosè decumbere; quibus acceptis
unciis, è mente dimotus, quâ parum con-
tabat, jam ex quo sacrilegium admisisset,
equenti die à servis suspensus inventus est
x trabe, dignâ planè pœnâ sacrilegio.

OLYMP. CLII. *Mundi.* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3884. 584.

Ptolemæi Philometor, & Evergetes, adniten- *Duo fratres Ægyptii reconciliantur.*
te sorore Cleopatrâ in gratiam redeunt, Antio-
chi metu; qui eos inter se committebat, ut attri-
tis superveniret, eorumque ditione potiretur.
Itaque Alexandriæ recipitur Philometor. Mit-
tunt quoque illi fratres ad Achæos qui petant
auxilia, & promittuntur ducibus Lycortâ, atque
Polybio. Tum etiam iidem Achæi in gratiam
Evergetis celebravere Anacleteria, in Ægypto *Anacleteria ab Achais celebrata.*
celebrari solita, quando Reges ad legitimam
regnandi ætatem pervenissent. Quæ omnia An-
tiocho ingratissima acciderunt; tumque perso-
nam tutoris, & avunculi, quam hactenus assum-
pserat, deposuit, induit invasoris.

Iason vulgato rumore falso de morte Antio- *Iasoni in Iudæos furor, & fuga, & mors.*
chi, mille viris stipatus Hierosolymam occu-
pat, ab amicis inductus, Menelao in arcem cum
Sacerdotibus refugiente. Multæ tum perpetra-
tæ cædes, multa sacra prophanaque direpta: sed
cum civibus rediisset animus, fugatur Iason, &
in Ammonitim unde venerat redire compelli-
tur. Inde pergit ad Arabas, ubi seditionis reus
datur in vincula, ex quibus elapsus fugit in
Ægyptum, ubi, absoluto bello, veritus ne re-
posceretur, Lacedæmonem venit, ac in eâ mise-
rè periit, sine sepulturâ abjectus, & post mortem
etiam durante calamitate.

Hæc cum essent Antiocho denunciata Hiero- *Epiphanes Hierosolymam ingreditur & in eam sævit.*
solymam cum exercitu venit, quasi ea ad Ægy-
ptios defecisse videretur, & lætata mortis ejus
audito nuncio. Restitere nonnihil cives, tan-
dem occupata civitas, in quam triduo sævitum
est ferro: quadraginta millia cæsi, totidem ven-
diti, multi in Ægyptum fugerunt. Inter eos O-
nias fuit, Oniæ justi minimus filius, qui sibi be-
nevolentiam Ptolemæi, atque Cleopatræ conci-
liavit. Tum Antiochus ingressus templum duce *Templum spoliat.*
Menelao, aurea vasa rapuit, sacramque supelle-
ctilem, quibus sacrilegiis & criminibus onustus
Antiochiam rediit, etiam postea graviùs in Iu-
dæos, & periculosiùs sæviturus. Utrum autem
inter cætera ornamenta templi caput aureum
Asini repererit, quod scripsit Apion, credat cui
cor Asininum erit.

Romæ Consules erant A. Hostilius Manci- *Querela de avaritia Rom. magistrat.*
nus, & A. Atilius Seranus; quibus Coss. dela-
tæ sunt quoque ad Senatum de magistratuum
avaritiâ graviores querelæ Græcorum, & Ab-
deritarum contra Crassum Consulem, & Lucre-
tium atque Hortensium Prætores, Carnorum,
Istrorum, Iapydum adversus Longinum, quæ
compescenda furta Senatus judicavit, numquam
ferenda, sed hoc tempore multò minus; cum
Pop. Rom. gravi bello implicitus esset, & eo-
rum socii ubique ab hostibus tentarentur.

Seranus Consul cui obtigerat Liguria, cum *Serani Consulis moderatio.*
omnia pacata reperisset intra 60. dies ex quo
venisset in provinciam dimisit exercitum, ma-
gnam laudem moderationis, atque modestiæ
consequutus. *Appius Claudius malè rem gerit ad Uscanam, mox benè rem gerit.*

Alter Consul Hostilius in Macedoniâ sapien-
ter militem sub disciplinâ continuit, socios
cum fide coluit, atque ab iis omnem arcuit in-
juriam,

juriam, virtute hiſce temporibus non vulgari. Miſit quoque in Illyricum Appium Claudium qui eam provinciam adverſus Gentium terrâ tutaretur; nam C. Furius Iſſenſibus juſſu Senatus cum octo navibus erat præſidio, contra regem eundem. Verùm Appius Claudius ſuis copiis non contentus confecit exercitum ex ſociis, quo Uſcanam urbem invaſit, ad quam perfidioſè invitabatur. Eò profectus, etiam incompoſito agmine magnam accepit cladem. Capta nihilominus Uſcana fuit, eamdemque recepit poſteà Perſeus licet Romano præſidio munitam; quãdo Romanos armis exuit, Uſcanenſes, & Illyrios vendidit. Quâ expeditione, & fœlicitate multas recepit urbes. Sed eo fortunæ proſpero flatu Rex elatus eſt, ut poſtea graviore caſu attereretur.

OLYMP. CLII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann* 4. 3885. 585.

*Legation. ad Rom.*

Hoc anno legationes multæ ſuſceptæ ſunt à Romanis, Gallorum, Pamphylorum, Bithynorum offerentium auxilia adverſus Perſen. Pamphyli nobilem coronam obtulere Iovi Capitolino; Bithyni etiam preces offerebant ad conficiendam inter Romanos, & Macedonas pacem; at Rhodii minas, quæ Senatui vehementer diſplicuere. Ideò Cares, & Lycii liberi renunciati ſunt. Oblatum tamen Ageſipoli & Cleombroto legatis Rhodiis à Senatu munus, quod ii recuſarunt. Quæ legatio poſteà Rhodiis magni ſtetit.

*Martius Perſeum fugere cogit & omnia deſperare.*

Conſules Romæ creati ſunt Q. Martius Philippus, & Cn. Servilius Cœpio, Martio commiſſa eſt cura Macedonici belli, in quam gnaviter, & fortiter incubuit. Ac primùm omiſsâ Theſſaliâ Macedoniam per loca difficillima ingreditur, in quibus victus eſſet, ſi Perſeo mens non fuiſſet læva. Tandem cum ad urbem regiam propiùs acceſſiſſet Conſul, ita Perſeum turbavit, ut hic de fugâ potiùs, quàm de prælio cogitaret, ſe victum ſine certamine miſerabiliter, & muliebriter quiritans. Martius quoque Dium cepit, deditione tam inexpectatâ, ut inſidias meritò ſuſpicaretur; ſed paulò poſt inopiâ commeatus regredi coactus eſt. Tum ſolutus metu Perſeus reſumpſit animos, ſed à ſe abjectiùs facta crudeliter emendavit: cum enim Navalia Theſſalonicæ Rex imprudens per Andronicum juſſiſſet incendi, tergiverſatus eſt ille, ſapienter, & ſtolido principi ſuo claſſem conſervavit. At Nicias incautior Pellæ ſervatas pecunias juſſus in mare projicere, citiùs paruit, quàm regni negotia flagitabant; ita ſparſæ ſunt in mare pecuniæ, quæ mox per urinatores collectæ ſunt. Quorum ita Perſeum puduit, ut præfectum utrumque cum urinatoribus curaret interficiendos. Hic igitur hæſit Romanorum fortuna, atque hi fruſtra Theſſalonicam, & Caſſandriam tentarunt, fortiſſimè propugnatas. Quæ quidem animos fecerunt Perſeo, ut cum iis auderet congredi, ac victoriam, ac ſe mox triumphandum Romanis offerret.

*Perſeus reſumit animos.*

*Perſeus Gentium callide implicat bello.*

Gentium Illyriorum Regem callidè bello ſuo implicuit Perſeus, ei pollicitus 300. talenta, quæ Pellæ numerari legatis ejus juſſit, decem præſentia miſit, aliis lentè ſubſequi juſſis. Gentius acceptis talentis decem ſollicitatus à Pantauco Macedone, ut aliquid auderet in Romanos, M. Perpennam, & L. Petilium legatos Rom. conjicit in vincula. Quo audito Perſeus 290. talenta revocavit, non neceſſaria Gentio, jam bello adverſus Romanos implicito.

Legati tum Romam ex Macedoniâ reverſi, docuere quo ſtatu res eſſent Perſei; qui nuncius ſuſpenſos Patres tenuit, ut digni Conſules crearentur, qui his bellis pares eſſent.

Miſſi quoque in Ægyptum Popilius Lenas Decimus & Hoſtilius qui bella inter Antiochum, atque Ptolemæos ſopirent; ne amici populi Romani Reges in ſeſe abſumerent vires quorum auxiliis indigere videbatur.

Obiit tum Ennius Calaber Rudiis natus, ann[o] ætatis ſeptuageſimo, & ſepultus in Scipionis A fricani ſepulchro, ubi ſtatua ejus, juſſu Scipio nis, poſita: vir cui rudimenta ſua Latina Poëſi debet, & cujus verſus tanti Virgilius fecit, u eorum aliquos ſuæ alligaret Æneidi.

OLYMP. CLIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3886. 586.

Tam funeſtus hic annus Iudæis fuit, quà Romanis lætus. Hic enim Perſen cum Macedo niâ in ſuam poteſtatem redegerunt; illi liber tatem, & quod graviùs eſt, propè religione perdiderunt.

Atque ut ab Hebræis, rebuſque ſacris ordi mur, hoc anno Græcorum 145. die 15. menſ Casleu, ſeu 16 Novembris, Antiochus mi Apollonium Quæſtorem ſuum cum 20. arm torum millibus qui in urbem Hieroſolyman rapinis, ferro, flammaque ſæviit, in eam i greſſus pacificè, mox facta ſuis poteſtate, fura di, atque cædendi. Inter hos tumultus & cæd multi fugerunt, atque inter reliquos cum ſ liberis Mattathias. Tumque aboleri juſſa M ſaica lex, ad eam rem inſtituto præfecto, qu dam Antiochæno ſene, vetita ſacrificia, cib rum delectus, & circumciſio, ſublati feſti die ſacri Codices lacerati, combuſtique, Templu Olympio Iovi conſecratum, ejus Idolo in alt Thymiamatis collocato, Iudæi ad ritus genti traducti, propoſitâ iis morte, qui non obte peraſſent. Contempſere nihilominus aliqui crilega juſſa; & matres aliquot ob liberos c cumciſos flagris laceratæ, in crucem actæ ſ ſuſpenſis è collo filiis; aliæ cum iiſdem præci tatæ de muro, quidam in ſpeluncas religio cauſa ſecedentes exuſti, non auſi ob feſtor religionem reſiſtere; tam miſerabilis fuit fac Hieroſolymæ, ut non urbem ſanctam, ſed lan nam Scytharum repræſentaret.

Reverſus Antiochiam Antiochus, in Iuda hic quoque crudeliter deſæviit. Eleazarum en ſenem porcinam edere, immò ejus ſceleris mulationem recuſantem, flagris interemit. H etiam ſeptem Macchabæi fratres ætate puer ſed conſtantiâ viri, teterrimis ſuppliciis exc nificati coram Rege, adhortante Salomonâ m tre, glorioſum agonem conſummarunt. Hos cuta mater octies martyr, omnes de Tyran fremente nobilem triumphum retulere, eti

ad mortem pro lege occumbere parati, antequam eos Christus Deus pro lege mori docuisset. Et verò pro martyribus deinceps à Christianis habiti sunt, primumque eorum Lipsana Antiochiæ, mox etiam eorum capita Coloniæ venerationem consequi meruerunt. Dicti porrò sunt Macchabæi, vel quia eorum primogenitus ita dicebatur, vel quod Macchabæos & Assamonæos affinitate contingerent, iisdem virtute, ut sanguine conjunctissimi.

Contigit & hoc anno Mattathiæ cum suis liberis quinque Ioanne, Simone, Iudâ Macchabæo, Eleazaro, atque Ionathâ ab Antiocho Rege defectio. Iosephus scribit Mattathiæ proavum Assamonæum dictum esse, cujus nomen ad familiam Macchabæorum transiit. Mattathias porrò elapsus Hierosolymis in suâ civitate Modino degebat, in quam missus præfectus aut Bacchides, aut Apelles dictus, edictum impium Regis proposuit Modinitis. Id non modo contempsit bonus senex, sed & Iudæum publicè sacrificantem in arâ trucidavit, eodemque impetu filiorum cinctus agmine præfectum interemit. Hoc impiorum sanguine quasi sacro oleo unctus Iudæorum Dux & summus Pontifex, populum ad religionis defensionem vocavit, ac primùm cum viris Deum metuentibus in loca deserta secessit. Quosdam eorum insecuti Regii duces, die Sabbathi non resistentes interemere. Quod cum ad ultimam gentis perniciem vergeret, edixit Mattathias summus jam arbiter religionis, ut hoc quoque die Iudæi resisterent invadentibus, quod deinceps gloriosè atque feliciter præstitere, & labor ille in hoste invadente, cædendo, deinceps religiosus apud Iudæos habitus est.

Romæ creati sunt Consules L. Aemilius Paulus secundùm, & C. Licinius Crassus. Aemilio sorte obtigit Macedonia, cui adjunctus Cn. Octavius classis præfectus; bellum contra Gentium Anicio Prætori demandatum, omnes ob virtutem electi, quia sic periculosa negotia postulabant.

Tum Eumenes à Perseo sollicitatus oblatis mille quingentis talentis, pœnè oblitus est sui ac Romanorum amicitiæ. Hæc talenta præsentia sibi dari volebat Eumenes, Perses cum hic defecisset, meritò de se invicem diffidentes. Ita nihil effectum; Eumeni tamen hæsit infamia, & inconstantiæ nota. Rhodii sese Perseo conjunxere audito Gentii cum eo fœdere, & Gallorum auxiliis in Macedoniam evocatis. Hi porrò Rhodii confectæ pacis gloriam sibi superbius ambiebant, verùm & eam, & Romanam insuper amicitiam perdiderunt. Ita Antenori, & Calippo Macedonicæ classis præfectis cum Cretensibus comitibus suis adjuncti sunt. Gallos quominus haberet auxiliatores, avaritia Regis impediit, dum stipendia ab eorum Rege postulata Perseus recusavit, maluitque pecuniam suam hostibus reservare, quam in suos usus impendere. Sed hactenus de mercimoniis, jam ad manus veniendum est.

Anicius primo impetu Gentium Regem fudit, ideoque urbes Illyrici passim se Romanis dedidere. Tandem ad Seodram gentis caput ventum est, quâ se Rex incluserat. Ad hujus urbis mœnia iterum victi Illyrii. Gentius inducias petiit, & tribus diebus frustra expectato fratre suo auxiliatore, se cum uxore, liberis, fratre, ac regni principibus dedidit, futurus illustris materies triumphi, atque belli intra dies triginta confecti.

Hujus victoriæ nuncio perculsus est Perses, sed Rhodii multò magis; qui statim legatos ad Paulum Consulem miserunt; verùm hi propè sunt præcipites è castris ejecti. Tum Scipio Nasica cum Milone Persei duce pugnavit feliciter, & mox se Aemilio ad Pydnam conjunxit. Oblatam nihilominus è Perseo pugnam detrectavit Paulus, quia iniquiore loco ac tempore certandum fuisset. Itaque permunita diligenter castra, perfectumque ut nonnisi commode pugnaretur. Nocte quæ pugnam decretoriam præcessit, Luna est Ecclipsin passa, quam cum futuram prædixisset Sulpitius Gallus Tribunus militum, ejusque causam Romano militi exposuisset, visa excitavit ejus animos, Macedonas contra inexpectata terruit, eisque cladem portendere credita est. Sequenti ergo die prælium commissum ex occasione jumenti Thracis, ad alteram fluminis ripam transeuntis; quod cum Romani abducerent, reliqui Thraces in auxilium accurrere, & ita sensim totus exercitus. Pugnatum utrimque acriter, donec Macedonica Phalanx à fronte invicta, per latus lancinata, & dissipata est. Fugit Rex transmissâ Pieriâ sylvâ, amissis viginti suorum millibus; sex millia cum Pydna capti, errantium ac dissipatorum quinque millia. Perseus interea fugiens eum intempestivè admonentes Euctum & Eudæum aulicos pugione confecit, quo facto à se amicos omnes suos abalienavit. Itaque desertus ab omnibus Macedonibus, ac veritus ne Romanis dederetur cum 500. Cretensibus Amphipolim fugit. Hic in concione populi dum neque ipse loqui præ lacrymis, nec Evander ejus comes, jussi sunt facessere, ne clade suâ urbem involverent. Quare cum duobus talentum millibus, lembis in Samothraciam fugit; inde misit legatos nescio quos cum litteris, quas lacrymans recepit Consul; sed rejecit quia Regis præferebant nomen, quod numquam Perseus obliterare voluit, etiam cum regnum omnino perdidisset.

*Prælium quo victus Perseus.*

*Fugit Perseus in Samothraciam.*

Peractâ pugnâ recepit Paulus filium suum adolescentem, quem credebat periisse in prælio, posteà dictum Scipionem Æmilianum. Pellam deinde, mox Amphipolim venit, utrobique amicè receptus, atque magnificè: inde Romam legatos mittit, & inter alios filium suum Q. Fabium Maximum Aemilianum: excepti sunt à Senatu cum singulari gaudio, simul & admissi legati Rhodiorum, ut iis vanitas exprobraretur, statimque cum indignatione remissi, quia victoriam ore tenus gratulabantur, ipsi in Persei partibus.

*Omnia se Paulo dedunt.*

Interea Octavius ad Samothraciam cum classe appulit, in quâ Perseus se religione templi tutum putabat. Questus tum L. Atilius apud magistratum insulæ templi sanctitatem violari, quod

quod Evander Eumenis homicida in eo servaretur, & dedi postulat. At Rex veritus ne secreta sua proderet eum clam jussit interimi, vulgavitque sibi manus intulisse: amici tamen, qui factum noverant, ab eo fugere, maximè ubi denunciata est omnibus libertas, etiam Regiis pueris. Rex itaque fugere conatur opera Oroandri Cretensis, quia acceptâ Regis pecuniâ fugit, eumque reliquit in insulâ. Ita miser Perseus ab omnibus desertus aut proditus, se Octavio dedidit, statimque missus Amphipolim ubi à Paulò magnificè exceptus, sed reprehensus quod hanc victoriam suam animi dejectione deterere videretur. Is exitus Macedonici regni fuit, quod ad tantam potentiam pervenerat, quâ major sperari nequit; ad tantam decidit infamiam, quâ turpior non potest deformidari.

*Perseus se dedit Æmilio.*

OLYMP. CLIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3887. 587.

Anno regni Græcorum 146. (non vitæ) obiit Mattathias, ita dispositis Iudæorum afflictissimis rebus, ut Macchabæus populum regeret (quem & sua manu in Ducem & Pontificem creditur inunxisse) Simon ei esset à consiliis; & filiis suis in Deum benè sperare jussis, iisque bene precatus spiritum reddidit: vir cujus spes magna, atque zelus in ejus posteà liberis à Deo præmium recepere.

*Moritur Mattathias.*

Romæ Consulibus Q. Aelio Pœto, & M. Iunio Penno legatio Eumenis Attalo fratri sapienter demandata; benignè suscepta est propter legatum, aliàs propter mittentem rejicienda. Et verò Attalus fratris loco Rex electus esset, & urbibus à Romanis donatus, nisi à Strato medico, quem huic comitem Eumenes addiderat, deterritus esset; ideò propter modestiam, & amorem in fratrem ipsis deinceps Romanis acceptior. Susceptus quoque Masgabus filius Massinissæ, eâ magnificentiâ, quæ & patrem ejus, & victores Romanos decebat. Rhodii primùm usi candidâ veste quasi gratulaturi victoriam; mox ut rei Senatorum domos concursare compulsi sunt, ne hostes populi Romani dicerentur: iis insuper adempta Caria, & Lycia; ita responsum, ut neque socii neque hostes dicerentur. Hi verò qui graviora expectabant, oratione ad tempus accommodatâ usi sunt; visi osculari manum, quâ graviter feriebantur.

*Eumenes odio Romanis.*

*Rhodii à Rom. mulctati.*

Legati ad Anicium missi qui cum eo Illyricum componerent: missi & decem ad Paulum Consulem, qui cum eo Macedoniam ordinarent, eam in quatuor partes dividerent, liberas facerent urbes, remissâ parte dimidiâ vectigalium quæ Regi pendebantur, iisque esset commune Amphipoli concilium. Sed antequam legati advenirent multas urbes Macedoniæ militi diripiendas ducibus Q. Fabio filio, atque L. Postumio, objecerat Consul, liberalior, quàm justior. Posteà tamen cum legatis tam bene Macedoniam disposuit, ut non hostilis provincia, sed socia videretur. Quidam procerum in Italiam venire jussi, ne turbarent, pœna mortis iis propositâ qui patriâ consisterent. Neque tamen spoliis Macedonum milites contenti fuere, adjungendæ fuerunt 70. Epiri atque Illyrici urbes eorum cupiditati, & rapinis objiciendæ; adeò ut Pauli victor exercitus inde centum quinquaginta mancipiorum millia abduxerit. Ita videlicet impleta voluntas Senatus fuit, ut in Macedoniâ urbes liberæ relinquerentur, quarum tot cives in vincula rapiebantur.

*Divisio Macedoniæ, & ordinatio.*

Anicius Prætor nullo negotio, de Gentio quem habebat in catenis triumphavit, inde cum conjuge ac liberis hic Spoletii in custodiam datus. Majori cum difficultate triumphum obtinuit Æmilius, contradicente milite, rapinis nequaquam satiato, & Sulpitio Gallo Mathescos, quam honestatis peritiore. Solus Paulus egens ex locupletissimâ provinciâ rediit: neque pauper tantùm, sed & infortunatus: Nam diebus quinque ante triumphum, filium duodennem perdidit, triduo post alium annorum quatuordecim; sicque auditæ preces viri boni rogantis ut si tanta fœlicitas calamitate aliqua temperanda Diis videretur, id privata potiùs domus sua clade, quam publico Reip. infortunio fieret. Perseus post triumphum omnium quos Roma vidit magnificentissimum Albam perductus liberâ custodiâ usus deprecante Paulo, inedi spontaneâ vitam finiit, qui Consulem ant triumphum ad mortem eum invitantem dicte riis, audire noluerat; ut plures majoresque mi serias degustaret, quas omnium maximâ cumu laret.

OLYMP. CLIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3888. 588.

Iudas Macchabæus collectis sex Volonum millibus in hostes Iudæorum irruit, ac primum Apollonium ducem cum Samaritis in se erum pentem vicit, & interfecit, ejusque gladi deinceps usus est. Apollonii necem successo Sero ulcisci voluit; cui Iudas occurrit ad B thoron cum suis de viâ fessis, & ex jejunio rel gioso languentibus: sed Deus his suffecit vires itaque octingentos hostes interemerunt, rel quos in terram Philisthinorum fugarunt. Ha prima tanti ducis militiæ fuere rudimenta, e dem tempore & fortis militis, & boni Imper toris.

Romæ facti Consules M. Claudius Marcelli & C. Sulpitius Gallus: huic Gallia, illi L guria obtigit; & utrumque rem benè gessi tantùm ex eorum triumphis intelligimus.

Venit tum Romam Bithyniæ Rex Prusi turpissimus si quis fuit umquam inter Reges R manorum adulator, servum se Populi Roma professus, Senatores verò Deos suos servatore & alia ejusdemmodi, quæ Polybius narrat, irridet. Venit igitur gratulaturus Romanis ctum Persen, cujus tamen sororem habebat u rem, & Nicomedem filium suum Senatui co mendaturus. Qui ei obviam Capuam usque p cesserat L. Scipio Quæstor, eundem usq; ad r re reducere jussus est, multis ornatum benefic adeò magnis nonnumquâ viris placet adula

Eumenes contra pessimè acceptus est, ne Romam accedere permissus, edito priùs adv sus omnes Reges ne Romam venirent Sena consulto; quod ei plurimùm in Gallogræcos b lum molienti nocuit; sic dubia fides ejus b

Ma

Macedonio mulctata est. Cum autem eundem Eumenem Tiberius post obitum ad Antiochum legationem adiisset, adeò comiter, & magnificè hic exceptus est, ut ei Rex non tantùm Palatium, sed propè diadema reliquisse videretur; tam formidabiles Regibus Romanos fortuna Macedonica fecerat.

| OLYMP. CLIII. | *Mundi* | Urb. Cond. |
| --- | --- | --- |
| *ann.* 4. | 3889. | 589. |

Antiochus auditâ suorum in Iudæâ clade, grandem exercitum, hoc est octoginta millia peditum, equitum quatuordecim millia scribit, quibus omnibus annuum stipendium numeravit, quod ejus thesauros exhausit. Veritus ergo ne sibi deinceps pecunia deesset ad sumptus regios, & munera in quibus hactenus profusus fuerat, statuit in superiores regni partes, Persidem, & reliquas intactas bello provincias proficisci, ut hic pecunias conficeret. Reliquit autem in Syriâ Lysiam nobilem virum, & de sanguine regio, cui & filium Antiochum Eupatorem instituendum tradidit, & belli Iudaici, atque gentis Hebrææ penitùs exscindendæ curam commisit cum dimidiâ tanti exercitus parte. Nec mora Lysias seligit adversus Macchabæum tres egregios duces Ptolemæum, Nicanorem, & Gorgiam, quibus tradit quadraginta peditum, septem equitum millia, ut Iudam obtererent. Præmissus igitur Nicanor cum viginti armatorum millibus, qui ineptissimâ confidentiâ sibi informavit animo regiorum nominum dissolutionem ex mancipiis Iudaicis, ideoque accivit undicumque mercatores, quibus vilissimo pretio servos Hebræos addixit. At Iudas septem millia suorum eduxit, ac fretos magis oratione, & in Deum fiduciâ quam armis, tantis copiis opposuit. Nicanoris autem comes Gorgias vir bellator, statuit sine cæde Iudam opprimere: quare assumptis sibi quinque peditum millibus, & equitibus mille ducibus præsidiariis Sionis, & Apostatis, ad invadenda noctu Iudæ castra clam proficiscitur. Iudas captatâ occasione divisi exercitus, deserit & sua castra, pergitque ad Emmauntem contra Nicanorem, & cum eo non expectatus confligit; victus Nicanor & multos ex suis, & sua castra perdidit, in quibus mercatores omnes amisere pecunias suas, plerique etiam vitam. Hic suos continuit Iudas, & superesse Gorgiam indicavit, belli ducem non imperitum. Et verò is statim cum suis apparuit: in quem progressus Iudas cum suis victricibus copiis, tantùm ei terroris injecit, ut is fugeret in vicinam Philistæorum regionem, aliquot è suis, & victoriam plenam Iudæis relinqueret. Hi Sabbatho collegerunt spolia, eoque inter se partiti, aliquid etiam, inopibus, viduis, & orphanis asperserunt. Nec ita multò post Ptolemæus Cœlesyriæ, ac Phœniciæ præfectus misit in Iudæos Timotheum, & Bacchidem, ut acceptam à Nicanore, & Gorgiâ sarcirent cladem, ac dedecus; at commisso iterum prælio, ex eorum copiis, Iudas viginti millia cecidit, reliquos dissipavit, auctâ jam, cum cæsorum numero, ignominiâ.

*Lysiam quoque vincit Iudas.* Neque Lysias suis, quàm Ducum auspiciis fœlicior fuit: certus enim Iudæos exscindere, & infamiam abolere, 60. peditum, quinque equitum millia in eos deduxit ad Bethoron: sed Iudas eadem fortitudine ac in Deum fiduciâ eum adortus in fugam egit, cæsis quinque millibus armatorum, ac Lysiam cum reliquis copiis repetere compulit Antiochiam, quasi quæsiturum auxilia, reverâ ut suam ignominiam occultaret.

*Templum purgat Iudas, & celebrat Encænia.* His peractis statuit Iudas reparare Dei cultum Hierosolymis, at uti Pontifex curare religionem, qui uti Dux administrarat bellum. Itaque purgat templum idolis eversis atque comminutis. Altaria sancta restituit sacramque supellectilem, ac celebrat Encœnia, & Scenopegias mensis Casleu 25. hoc est 22. Novembris, perpetuo deinceps ritu à Iudæis recolenda, à Scenopegiis Mosis, & Encœniis Salomonis, atque Zorobabelis diversa, diversisque mensibus Tisri scilicet, & Adar quotannis usurpanda. *Betsuram munit.* Muniit insuper Iudas Templum muro firmissimo, & contra Idumæos Betsuram; reparandos etiam curavit libros sacros Antiochi jussu laceratos, & exustos, atque ita restituit apud Hebræos veri Dei propè abolitum cultum, ut ab hoc anno, duntaxat plerique credant eum verè gessisse Pontificatum.

*Templum in Ægypto conditum.* Cadere videtur in hunc annum ædificatum in Ægypto ab Oniâ Oniæ, sanctissimi viri ac Pontificis filio, templum. Suasit enim tum Cleopatræ cui charus erat, & Philometori cui gratiosus, ut simile extrueret Hierosolymitano, quod profanarat Antiochus, eoque pacto Iudæi meliùs in res Ægyptiacas afficerentur. Quare assignatus est ei locus 180. stadiis à Memphi dissitus in tractu Heliopolitano apud Leontopolim, ubi statutum est fanum dispar quidem magnitudine Hierosolymitano, sed huic quoad ornamenta geminum ac simile. Id ad tempus usque Vespasiani perduravit annis 237. quæ tamen fabrica religionis specie procurata, magnæ inter Iudæos dissensionis causa fuit.

*Pestis Romæ & querela in Eumenem.* Roma, Consulibus Cn. Octavio, & T. Manlio Torquato, pestilentiâ atque fame vexata, insuper multis portentis territa est. Tum Pytho aliique Legati Prusiæ regis de Eumene questi sunt quod Bithyniæ popularetur fines, non abstineret à Galatiâ, Senatui non pareret, Romanorum fautores opprimeret; quibus insuper adjungebant tacitam cum Antiocho societatem, Senatus non sprevit indicium, sibique ab utroque Rege cavendum putavit. *Rhodii societatem à Rom. obtinent.* Quâ occasione usi Rhodii per Astymedem legatum suum virum industrium societatem obtinuerunt, bello Macedonico suâ superbiâ abruptam, ac nonnisi multo labore, multisque concoctis opprobriis impetratam.

*An Philometor tum pulsus Ægypto.* Putant & quidam tum Philometorem regno pulsum à minore suo fratre Alexandro (sic Evergetem Pausanias vocat) qui matrem tum etiam interemit; quare ut impius ab Alexandrinis ejectus, restitutusque Philometor. Is statim Thebanos (Thebæos melius) qui ab eo defecerant tam graviter mulctavit ut ex mortalium ditissimis, pauperrimos redderet. Florus putat

putat tum Ægypti Regem à Romanis, reſtitutum. Quæ cum de ſe valdè confuſa ſint, fiunt etiam tempore ipſo turbatiora.

OLYMP. CLIV. *Mundi.* Urb. Cond.
*ann.* I. 3890. 590.

*Templum Iovis diripere conatur Epiphanes.* Antiochus Epiphanes adverſus Artaxiam Regem Armenorum bellum geſſit, quem & vivum cepit. Sed inſuper quærebat pecunias quibus plurimùm egebat. Audit ergo in urbe Elyma, quæ Perſepolis quoque dicta, templum eſſe locupletiſſimum jam ab Alexandri Magni temporibus variis donariis auctum; id diripere parat, atq; ex ejus divitiis ærarium ſuum reficere. Sed cum ſacrilegum ejùs conſilium innotuiſſet Elymitis, arma hi corripiunt, & religione, quam animis fortiores Antiochum re infectâ abire cogunt. Itaque verſus Babylonem mœſtus intendit iter. Ad Ecbatana cum divertiſſet dicit acceptas à ſuis in Iudæâ clades, ac Hierosolymam templumque reparata. *Divinitus multatur Epiphanes.* Spirans ergo furorem & minas, feſtinabat in Iudæam ut eam penitus exſcinderet, cum repente tam incredibili viſcerum cruciatu tortus eſt, ut in eo divinam manum poſſet agnoſcere. Quo quidem ſanatus non eſt, immò diligentiùs currum ſuum agitari jubet, ut ad deſtinatum furori ſuo locum citius accederet; verùm ex eodem gravi caſu excuſſus, toto corpore debilitatus eſt, adeò ut in humili ſellâ militibus invicem ſuccollantibus ferri cogeretur. Sed malum vehementius ſubſecutum eſt; ſanguis enim è venis caſu excuſſus, & ſparſus per univerſum corpus, computruit, ac mutatus in ſaniem, deinde in vermes, cutem abrupit, cum fœtore tam intolerando, ut hic jam neque ſe, nec eum exercitus ferre poſſet. Hic demùm Antiochus ultorem agnovit Deum, cui mira pollicitus eſt ſi valetudini reſtitueretur: verùm exauditus non eſt qui tot miſerorum querelis aures occluſerat. Itaque deſperatus, & dolore amens Philippum ad ſe unum ex amicis vocat, anulum ei, purpuram, ac diadema committit, atque imprudentiſſimè inter eum & Lyſiam filii ſui nutritium, magnum diſcordiæ fomitem excitat. *Moritur Epiphanes.* Sic extorris Antiochus Epiphanes vermibus arroſus, & fœtens vivum cadaver, animum de fœtenti corpore fœtentiorem evomuit, magnum in blaſphemos, crudeles, ac ſacrilegos Principes divini furoris atque juſtitiæ monimentum.

*Multa bella proſperè geritIudas.* Intereà multa bella proſperè Judas in Syriâ geſſit, primum contra Idumæos Acrabatanos, deinde in Bœanitas, quos in turribus ſuis incluſos combuſſit: adhæc in Ammonitas eorumque ducem Timotheum; denique in Gallaaditas, miſſo in Galilæam fratre Simone adverſus Tyrios, & Sidonios. Inde tamen Iudæos putavit Macchabæus transferendos, ſcilicet è medio gentium, cùm ut tutiores eſſent, tum religioſiores, & inſuper Iudæam incultam colerent. Cum Ephronitæ ei tranſitum denegaſſent, & portas etiam obturaſſent ſuas, expugnatâ urbe Iudas mares omnes interemit, ſuoſque incolumes Hieroſolymam reduxit ſimul & bonus, & fortis, ac juſtus Imperator. Hæc tamen fœlicitas clade Ioſephi, & Azariæ turbata eſt, qui æmuli gloriæ Aſſamonæorum, dum in ejus quoque partem venire volunt, ad Iamniam à Gorgia fugati ſunt, aliquot cæſis. Statim tamen Iudas rem Hebræam erexit, ereptâ Idumæis Hebrone, & aliquot in Samatitide civitatibus. Cepit & tum aliquot Philiſtinorum urbeculas, & nobilem Azotum, in quibus tam ſe religioſum in deſtruendis aris Sacerdotem, quam fortem in muris tranſcendendis Ducem præbuit.

Interea Philippus corpus Antiochi referens & inſignia regia, veritus Lyſiam, non eſt auſus venire Antiochiam, ſed fugit in Ægyptum, ut eum inimicitiæ ab Ægyptiis in Syros ſuſceptæ præſtarent incolumen.

Antiochus puer aliunde regnum adiit dictus Eupatorà Lyſiâ in gratiam patris, qui de filio tam benè meritus erat, à quo etiam omnibus regni negotiis præpoſitus eſt. In Cypro autem Ptolemæus quidam cognomento Macer, qui inſulam ſibi à Philometore commiſſam tradidera Epiphani, cum ſperneretur ut proditor, 8 aliunde Cypriis odioſus eſſet, atque Syris ho ſtibus Iudæorum, quibus in calamitate com paſſus erat, ad mortem voluntariam impulſu eſt, hauſto ſponte veneno, digno proditioni ſupplicio

Neque otioſus in Iudæâ Macchabæus vixi Gorgiam enim elatum victoriâ ſuâ cum Idu mæis vicit eorumque viginti millia trucidavi Tum ex Timothei copiis viginti quinque mi lia, & ſexcentos equites confecit, quando duc bus ſtipatus bonis Geniis non humano tantùm ſed divino fultus auxilio depugnavit. Eande quoque cæleſtem opem mox expertus eſt adve ſus Lyſiam, qui cum octoginta millibus arm torum Bethſuram oppugnabat. Nam equ ſpecie humanâ major, & auguſtior Iudæ pr cedere copias viſus eſt, cujus aſpectu anim Iupæi peditum undecim millia, equites mi ſexcentos ceciderunt, reliquis fugâ diſſipat Hinc Lyſias Iudæ obtulit pacem, quam & Iu accepit, litteris ſuper eâ re à Philopatore da Verùm ut hæc eſſet diuturnior confugêre Romanos Iudæi, qui per Q. Memmium, Manilium (collegas C. Sulpitii, & M. Serg quos tantùm Polybius nominat) evocati ſ Antiochiam ad res ſuas cum Antiocho com nendas. Nihilominùs pax illa diuturna n fuit. Tum enim Ioppitas & Iamnitas, ſuis ſultantes, reprimere compulſus eſt Iudas. gnavit quoque adverſus Arabas graſſatores, Timotheum, atque Corgiam; in qua tamen peditione ſuorum aliquos perdidit. Eos au dum ſepelit, reperit inter eorum veſtes oc tata donaria idolorum, mortis eorum cert mam cauſam. Eos nihilo ſeciùs ſepelit, & iis, Hieroſolymis orandum curavit, ne q hac vitâ erroris ſui luiſſent pœnas, in a quoque graviores pendere diutiùs cogeren

Romæ Conſulatum geſſere A. Manlius quatus, & Q. Caſſius Longinus: hic in ſuo ſulatu obiit, neque tamen huic alius ſuffe legitur. Celebris eſt quoque hic annus cen L. Æmilii Pauli, & Martii Philippi qu cenſa ſunt civium capita 337452. vel 32

rinceps Senatus lectus quintùm M. Æmilius Le-
idus, singulari indubitatæ virtutis testimonio.

## CAP. X.

## Decas Decima.

### Ab anno 3890. ad 3900.

OLYMP. CLIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3891. 591.

PRæsidium Sionis erat Iudæis grave, propter frequentes Syrorum eruptiones. Id itur obsedit Iudas; obsessi ab Eupatore peunt auxilium; Rex cum Lysiâ ingenti coacto xercitu venit in Iudæam; cui occurrens Menelaus Pseudo pontifex, quasi malorum omnium ausa, autore Lysiâ à Rege Berœam amandatur. ique ex turre in subjectos cineres præcipitais interiit, minori utique pœnâ, quàm ejus acrilegia, ac cædes exigebant. Iudas ne iniquo oco certare cogeretur, Hierosolymam relinuit. Rex Bethsuram obsidet; at hujus propugnatores acriter resistunt, & machinas regias ncendunt. Intereà Iudas noctu præsidium Eupatoris aggreditur, & quatuor millia armatorum cædit: sequenti die Eupator ulturus injuriam Iudam invadit cum suis omnibus copiis & lephantis: verùm in eo conflictu sexcentos peridit, Iudas fratrem suum Eleazarum. Hic ratus maximo elephanto insidere Regem, ad eum sibi erro limitem aperuit, & sub ventrem belluæ accedens, eam confodit ferro, sed morientis ondere interceptus & oppressus interiit, morte non indignâ virtute Macchabæorum. Recedere tamen tum compulsus est Iudas, non nimo, sed exercitu inferior: Itaque sese dedidit Bethsura ob alimentorum inopiam; idemue templo contigisset, nisi accepisset nuntium Antiochus, Philippum occupasse Antiochiam, & regni negotia, exautorato Lysiâ, uscepisse. Itaque Lysias, cujus maximè res agebatur, persuasit Regi, ut pacem cum Iuda faceret. Is virum fortem complexus donavit præfecturâ, & in templo obtulit sacrificia: mox tamen perfidiosè templi munitiones dirui jussit, eliquas fœderis conditiones satis accuratè servavit. Immò Lysias tumultuantes Ptolemæenses ob Iudæ datam urbis suæ præfecturam, oratione suâ compescuit. Quidam scribunt Iudæos djuvisse Eupatorem, ut recuperaret Antiochiam, ac Philippum perderet; ideoque necaam Menelaum Regis jussu. Certè pacem minùs xpectatam, non suis armis, sed Deo, Iudæi cceptam referre debuerunt.

Missi in Syriam legati Cn. Octavius, Sp. Luretius, & L. Aurelius, adito Ariarathe, & compositâ Cappadociâ venerunt Antiochiam. Hic um plures naves, & elephantes invenissent, quam optabat Senatus, illas comburendas, hos nterficiendos curaverunt. Miserabile fuit Antiochenis spectaculum, quo concitatus Leptines quidam confidenter furiosus, Octavium in Balneo interemit, & deinceps Laodiceæ apparuit in publico, paratus Romam, ad causam dicendam, proficisci. Inventus quoque Isocrates Rhetor, Leptine stultior, qui hanc cædem oratione defenderet, & assereret reliquos quoque legatos interimendos esse, ut modestiùs imperare Romani discerent; qua oratione nihil confecit, quam ut se morte dignum demonstraret. Lysias autem statim legatos Romam misit, qui docerent hanc legati cædem, nihil ad Regem pertinere: at Senatus nulla prolatâ sententiâ eos remisit, atque ita dubios Eupatorem, & Lysiam tenuit; hac lite, ut eorum innocentiâ semper pendente.

Hoc accepto nuncio Demetrius Seleuci filius, & auditâ patrui sui Antiochi morte, qui debitum sibi regnum occupabat, à Senatu petiit ut in Syriam, ac regnum suum remitteretur. Sed cum hic esset annorum viginti trium, Antiochus puer, judicavit Senatus è Republica esse Demetrium Romæ detinere, & Eupatori favere. Ita Demetrius quos appellabat Senatores Romanos patres suos, ne æquos quidem judices expertus est. *Demetrius regnum sibi debitum occupare nititur, sed retinetur Romæ.*

Utriusque Ptolemæi legati egerunt pro dominis suis in Senatu, de insulâ Cypro. Hæc adjudicata Evergeti, uti Philometor minùs posset. Sic Romani tum in suis sententiis plus Reipub. suæ, quam æquitatis habuere rationem. *Rom. injustitia.*

Consules hujus anni proponuntur T. Sempronius Gracchus secundùm, & M. Iuventius Thalna. Gracchus meritus est hunc magistratum ob egregiam cum collega suo consentionem. Iuventius cum re benè gestâ in Corsicâ sacrificaret, acceptis à Senatu gratulatoriis litteris, eas dum legit, præ voluptate obiit; vitâ quasi per ejus oculos in hanc gratissimam epistolam, devolante.

OLYMP. CLIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann* 3. 3892. 592.

Demetrius cognomento Soter (quod posteà nomen huic à Babyloniis inditum est, Timarcho rebelli occiso, qui eorum regionem fœdissimè administrarat) monitus à Polybio, ne bis in eundem lapidem impingeret, operâ Menithylli Philometoris legati, qui ei pararat navim, tam occultè fugit, ut ante quartum diem de ejus exitu nihil Romæ resciretur. Scripsit ergo ex Lyciâ ad Senatum. Inde Tripolim Syriæ appellit, ubi Rex salutatus, coactis copiis potitus Apameâ, Antiochiam venit, ubi se ei dedidit exercitus, ejus gratiam morte Antiochi, ac Lysiæ consecutus: quidam tamen scribunt, procedentes obviam Demetrio, Romanorum metu, ab eodem esse interemptos. Sublato ergo æmulo Demetrius nihil potiùs habuit quàm Romanos, arbitros Regum, placare. Magnificè igitur excipit legatum Tiberium, sibi amicum, & cujus opera maximè consecutus est regnum. Ac principio, ex ejus consilio professus est, se Eupatorem, & Lysiam sustulisse, Octavianæ necis autores: deinde Leptinem & Isocratem Romam misit, hunc visis vinculis in amentiam versum; illum liberum, quia id se fecisse Diis impellentibus profitebatur. Denique coronam auream ingentis ponderis Romam deferri jussit, simulque Romanæ superbiæ atque avaritiæ satisfecit. *Demetrius Soter suum regnum recipit.* *Se. Rom. submittit demississimè.*

Statim

*Alcimus obtinet à Demetrio Pontificatum.*

Statim Demetrius tentatus est muneribus ab Alcimo, qui multa de Judâ questus obtinet summum Pontificatum, eique adjungitur Bacchides, qui eum cum ingenti exercitu Hierosolymam reduceret. Hic primum Judam insidiis tollere conatus est; sed eæ sagaci Pontifici suboluerunt; sublatis ergo Judæis aliquot autore Alcimo, relictisque huic copiis, ac collectitiâ facinorosorum manu, recedit Bacchides, & Alcimum Pontificem, fugatum Judam Demetrio renunciat. Sed statim reidit Judas, atque satellites illos Pseudopontificios ita dissipat, ut Alcimus ad Regem iterùm abire compelleretur. Mittitur ergo cum eo Nicanor; sed is agnitum Judam sic amavit, ut cum eo iniret amicitiam, eique Alcimum posthaberet. Tertium igitur redit ad Regem Pseudopontifex; jubeturque Nicanor exterminato Macchabæo, Alcimum restituere dignitati. Ille Judam comprehendere nititur, sed hunc, amicum licet, prudenter ille declinavit; quare missæ sunt Antiochiâ ingentes copiæ, ut vi Nicanor perageret, quod dolo præstare non potuerat. Igitur cum magno exercitu Hierosolymam subit; frustraque quæsitum fraude Macchabæum, apertâ vi capere destinat. Collatis ergo signis, de Syris quinque millia perierunt, cæteri in arcem compulsi. Tum Nicanor dedi sibi postulabat Judam, quod nisi fiat æquaturum se templum, aut Libero consecraturum minitatur. Verùm minas, Sacerdotes suis precibus in caput ejus converterunt.

*Razia fortitudo.*

Tum quoque Nicanor Raziam vulgò populi parentem dictum, apud quem latere putabat Judam; capi jussit: at is satellitibus Syris restitit fortiter, effractaque demum januâ incubuit gladio, atque ex solario, se præcipitavit in turbas; semianimisque exsurgens in eas viscera ac sanguinem sparsit, generosiùs moriens, quàm divina lex vulgaris patiebatur. Inde Nicanor sequitur Judam, qui cum tribus armatorum millibus, in agro Samaritano versabatur: at nocte priusquam pugnaretur, vidit in somnis Macchabæus Oniam mortuum expansis manibus pro populo deprecantem; cujus visi narratione milites hausere plurimùm alacritatis.

*Nicanor à Iuda vincitur, & caditur.*

Initur ergo pugna circa Bethoron; ubi triginta quinque Syrorum millia, vel in acie, vel in fugâ ceciderunt; jacuit inter reliquos Nicanor cui amputatum caput, ut Sionitis præsidiariis ostentaretur; item & furiosa manus in templum elata, ante templum affixa est, denique lingua blasphema particulatim conscissa avibus, objecta est. Ideo festus dies mense Adar hujus prælii memoriam deinceps apud Judæos servavit, docuitque impunè in Hebræorum Deum locutum esse neminem, multò minus minas intentasse.

*Coss. vitio creati se abdicant.*

Hoc anno Consulatum inierunt P. Cornelius Scipio Nasica, cognomento Corculum, ejus filius, qui Cybelen receperat, & C. Martius Figulus. Sed cum Tiberius Gracchus in iis eligendis vitiosè tabernaculum cepisset, re ad Augures delatâ, Figulus è Gallia, Scipio ex Corsicâ revocati, abdicarunt; & in eorum locum suffecti P. Cornelius Lentulus, & Cn. Domitius Ænobarbus. Ita circulatores illi Augures viris honestissimis illudebant, & quod mirum, id patie-
bantur viri, alioqui sapientes.

OLYMP. CLIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3893. 593.

Consulibus M. Valerio Messala, & C. Fannio
Strabone lata Fannia lex, sumptuaria, quâ veri-
tum ne plus quàm centeni & viceni æris, hoc
est quinquaginta circiter solidi Turonici in cœ-
nis publicis insumerentur. Tum etiam editum
putant Senatusconsultum, de Philosophis, ac
Rhetoribus urbe pellendis, quod etiam in bel-
latrici civitate, vix speciem rationis habuit.

Tum Judas Macchabæus, suo atque fratrum
nomine confugit ad Romanos legatione, quâ
functi sunt Eupolemus, & Jason. Ij benè su-
scepti sunt, & amicè, armorum societas init
cum Judæis à jugo Demetrii Regumque Syria
liberatis, adjectis etiam minis, si quis amico
Populi Romani lacesseret. Quam cum Ethnici
amicitiam, quidam nimis superstitiosè redar
guunt, & qui de rerum eventis potiùs, quàm d
consiliis judicant.

Demetrius auditâ Nicanoris clade, atque cæ
de, Bacchidem remittit in Judæam cum Alcim
ac numeroso exercitu. Tum Judas relinqu
quoque Hierosolymam, cum tribus millibu
armatorum: eumque insequitur Bacchides cu
viginti, peditum, ac duobus equitum millibu
Quo viso exercitu, panico terrore correp
Judæi, dissipati sunt, tantùm octingenti vi
flagitio duxere, deserere ducem. Et suad
bant ji quidem Judæ, ut se reciperet, ac tem
pori cederet, at ille confidens Deo, ac fatu
viris militaribus, de more, inculcans, præliu
commisit. Dextrum cornu, cui præerat Bacch
des, ipse cum fortissimis suorum invadit,
vincit; & insequitur fortasse longiùs, quàm r
militaris ratio pateretur: hunc enim lævu
cornu à tergo aggreditur; ubi cum fortiter p
gnat, & totâ die, vulneribus confectus occubu
cadaver tamen à suis fratribus relatum, Ba
chides cruentâ, & Cadmæâ victoriâ potitus e
Luxere Hebræi Judam, quo luctu decebat Pri
cipem, Pontificem, atque Patrem; qui cum v
derent improbos insolescere sub Alcimo,
Bacchide, elegêre Jonatham, ut is locum occ
paret fratris, cui fortitudine similis ac gemin
esset. Quod cum Bacchides accepisset, eum i
tercipere cum fratribus conatus est. Sed fug
re illi in desertum Thecue, missis priùs imp
dimentis suis ad Nabuthæos amicos suos, du
Joanne. Hæc intercepere filii Jambri ex M
dabâ Arabes & diripuerunt, etiam Ioanne
terfecto. Verùm hi diu impunè non tulere
pinam atque cædem. In conjugio enim Pr
cipis Medabeni, quod mox initum est, Ionat
cædis fraternæ memor, in pompam nuptial
ex insidiis irruit, quadringentos occidit, & p
ratos ad voluptatem, luctu, doloreque consp
sit. Quod cum Bacchides didicisset, eum inv
die Sabbathi; sed Iudæi hunc religioso prælio c
secrarunt, quo mille Syros trucidarunt. Nat
tamen Iordanem mox cum suis Ionathas trans
ne multitudine opprimeretur, non tantùm f
tis, sed & prudens Imperator.

OLYM

OLYMP. CLV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3894. 324.

Hoc anno Regni Græcorum 153. Alcimus
Pseudopontifex murum templi extructum à
rophetis Aggæo, & Zacharia, Gisonem dictum
irui jussit. Huic operi dum intendit, repentè
erdidit vocis usum, tactusque paralysi inter
agnos cruciatus obit, qui majoribus, æternis-
ue prælusere.

Consules Romæ creati L. Anicius Gallus, &
I. Cornelius Cethegus, quo anno L. Æmilius
aulus Macedoniæ domitor è vivis abscessit,
iam morte suâ, quàm vitâ, atque factis illu-
rior. Nam cultus est mortuus ab iis quos vivus
evicerat, juvenesque Hispanorum, Ligurum,
lacedonum, ultro feretrum ejus subierunt, &
l bustum deportarunt. Obiit autem tam inops,
: vix ex bonorum ejus auctione satis inven-
m sit ad dotem uxoris conficiendam. Certè
fides iis adhibenda est scriptoribus; qui eum
ulò ditiorem efficiunt, vix octo Francorum
illibus bona ejus æstimata sunt; cum tamen
se locupletasset ærarium. Filios tres reliquit
lustres, duos ab aliis adoptatos, Q. Fabium
laximum, & P. Cornelium Scipionem Æmi-
nos; atque Aemilius sanguis tribus nobilis-
mis familiis Romanorum sustinendis, & illu-
andis satisfuit.

OLYMP. CLV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3895. 59[illegible].

Bacchides tum agebat apud Demetrium, nul-
Hierosolymis constituto Pseudopontifice,
natas trans Iordanem errabat; erat miser
eip. Iudaicæ status, cum in ea improbi possent
nnia, legitimus ejus rector exulare cogere-
r, ac suis latebris deberet vitam.

Consulibus Cn. Cornelio Dolabellâ, & M.
lvio Nobiliore, Censuram egerunt P. Sci-
o Nasica, & M. Popilius Lænas. Hi cum
dissent in traductione equitem bene curatâ
te, cujus equus strigosus esset, & causam
ddidisset, quod curaret ipse se, equum
um Statius famulus, ut parum reverens,
que loco ac tempore ἀγὼν equum perdidit,
relatus est inter Ærarios. Iidem quoque
ensores statuas omnes circa forum sustule-
nt, sine autoritate Senatus, aut Populi fa-
ltate positas, ut ambitio in ære vivere vo-
ntium, tolleretur. Idem quoq; Scipio Na-
ca tum primus Romæ divisit horas, & Ho-
logium dedicavit sub tecto; tandiu scili-
t Romanis indiscreta lux fuerat; videlicet
le nubibus obducto.

Obiit hoc anno P. Terentius Afer, olim
rvus, at manumissus, ac liberalibus disci-
inis excultus, ideo Scipioni, ac C. Lælio
rcharus. Quare teste Tullio plerique fabu-
s ejus à Lælio scriptas esse putaverunt, qui-
m etiam à Scipione. Mortuus est autem in
ppido Stymphalo Arcadiæ quo secesserat, aut
ufragio dum rediret Romam cum centum
cto fabulis ex Menandro Latinè conversis,
aximo rei litterariæ damno, seu vecturam,
u vectorem spectaveris.

OLYMP. CLV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3896. 569.

Coss. M. Æmilio Lepido secundùm, & C. Popilio Lænate, legati Demetrii venerunt Romam cum coronâ aureâ magni ponderis, & simul advexêre Leptinem, & Isocratem Octavianæ necis autorem & approbatorem. Senatus coronam recepit, dimisit reos, ut cum vellet de jure gentium violato statueret, neque tantum Demetrium, sed & Syriam in officio contineret. *Demetrius coronam offert cum reis eadis Octaviana.*

Tum quoque Romam venit Attalus ab Eumene fratre missus, ut populo Romano faceret satis nomine fratris, cui veniam ab eodem propter singularem benevolentiam impetravit. Neque ultra hoc tempus Eumenes vixit, regnique sui annum quadragesimum primum, relicto parvulo filio sibi cognomine, cujus tutelam Attalus, postulante patre, suscepit, servavitque annis uno & viginti, tam gratiosus Romanis, quàm Eumenes suspectus fuit; cui titubasse semel in amicitiâ populi Romani bello Macedonico, ultimam ferme perniciem intulit. *Moritur Eumenes Attalus tutor Eumenis nepotis sui.*

Ariarathes Rex Cappadocum, operâ Demetrii Syriæ Regis à fratre Oropherne pellitur regno. Hic Orophernes adoptatus erat ab uxore Ariarathi sterili; sed cum ea postmodum peperisset, adoptivus ob suspicionem insidiarum pulsus est regno. De quâ historiâ certi aliquid statuere non licet; ita depugnantibus de illâ scriptoribus, ut nequeant post tam diuturnum tempus conciliari. *Turbæ in Cappadocia ejecto Ariarathe.*

OLYMP. CLV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 389[illegible]. 597.

In Iudæâ anno Græcorum 156. renovatum est bellum: Bacchidem enim impii sollicitarunt ut Ionatham insidiis interciperet. Itaque ad eum comprehendendum perrexit Syrus, & omnia disposuit ut hic in suas veniret manus. Verùm Ionathas ex proditoribus quinquaginta interemit, fugitque in tutum locum Bethbessem agri Hiericontini, quem adeò diligenter communiit, ut non facilè posset expugnari. Eò nihilominùs venit cum copiis Bacchides. At Ionathas relicto Simone qui locum tueretur, militem cogit, & identidem invadit Syrorum castra, ac viros primarios aliquot interimit. Simon aliunde frequenter erumpebat, & jam machinas oppugnantium incenderat. Ancipiti ergo hoste distractus Bacchides, pacem cum Ionatha fecit, impiosque Israëlitas, consultores malos interfecit; ipse regressus Antiochiam Judæam magnâ ex parte liberam reliquit. Ionathas autem secessit Machmas, unde jus populo dixit, religionisque desertores sic excepit, ut exemplo suo saltem aliis non nocerent. *Bacchides Ionatham invadit, & cum eo percutit fœdus.*

Roma Consules habuit Sex. Iulium Cæsarem, & L. Aurelium Orestem, quibus Ariarathes Cappadox ejectus regno venit in urbem, & venit sordidatus, ac eo habitu, qui causam ejus peroraret. Sed Demetrius præmiserat legatum Miltiadem, Orophernes Timotheum; & Diogenem, qui miserum Regem mendaciis suis & calumniis obruerunt. Videtur tamen paulò post resti- *Ariarathes nihil obtinet Romæ.*

restitutus, ac rebus ejus obscurissimis & turbatissimis à Senatu reddita lux, atque tranquillitas.

*Bellum in Dalmatas susceptum.* Tum quoque C. Fannius legatus missus in Dalmatiam omnia inimica retulit, occlusas paci inventas aures, superbè responsum, nullum sibi hospitii signum, nullum humanitatis datum; insuper equos comitibus ademptos; se, ne vis adhiberetur, silentio discessisse. Itaque magna animorum consensione indictum Dalmatis bellum, quo etiam vicini terrerentur, ne quid simile auderent. Quid autem tum Romæ fuerit pecuniæ in ærario non est facilè statuere; novies decies centies mille libras Turonicas fuisse quidam asserunt; nos certè quidquam pronunciare non audemus, quia hic Plinianorum codicum vacillat fides.

OLYMP. CLVI. *ann.* 1. *Mundi* 3898. Urb. Cond. 598.

*Bellum Dalmaticum malè inchoatum bene terminatum.* Consulibus L. Cornelio Lentulo, & C. Martio Figulo secundùm, bellum Dalmaticum susceptum est; ac primo impetu repressus Figulus, adeò ut copiarum ejus fuga, fluvio tantùm Narone cohiberetur. Sed resumptis animis Romanus Dalmatas oppressit, dissipatos, & eorum reliquias compulit in urbem Delminium unde regioni nomen. Urbis hujus tam erant edita, tam firma mœnia, ut nec æquari vallo, nec labefactri machinis possent. Itaque Consul bicubitales sudes, pice, & sulphure cum stuppâ illitas, in urbem spargendas curavit; quæ etiam accensæ motu, magnam perniciem civibus intulerunt. Hic est Figulus cujus filius vir consultissimus repulsam consulatus passus, posteà se consulentem Populum acerbiùs repulit; neque tamen aut prensatione, aut intempestivâ suâ iracundiâ, hunc magistratum est unquam consecutus.

OLYMP. CLVI. *ann.* 2. *Mundi* 3899. Urb. Cond. 599.

*Marcelli singularis modestia.* Consulatum hujus anni gessere P. Cornelius Scipio Nasica secundùm, & M. Marcellus item secundùm: hic triumphasse dicitur, sed de quibus hostibus, non liquet; ille sine dubio de Dalmatis, cum ei se Delminium dedidisset. Scribitur tamen recusasse triumphum, & nomen Imperatoris, magna laude moderationis, quia Figuli laboribus usus erat, & alienæ messis fructum collegisse videbatur.

*Legatio à Rom. audita, & missa.* Auditi sunt hoc anno legati Attali, Athenæus ejus frater, & P. Lentulus ob Prusiæ victoriam. Missi legati in Asiam, qui Prusiam à vi revocarent. Excepti quoque Massiliniensium legati, quos vexabant Ligures, illorumque urbes Nicæam, & Antipolim obsidebant. Missi Flaminius, Lænas, & Puppius experti sunt se ad barbaros legationem suscepisse.

OLYMP. CLVI. *ann.* 3. *Mundi* 3900. Urb. Cond. 600.

Creati sunt hoc anno Romæ Consules Q. Opimius, & L. Postumius Albinus. Postumio Lusitania sorte cessit, ad quam dum proficiscitur inauspicato (nam in puribus victimis jecur inventum non erat) intra dies septem Romam relatus expiravit; eique suffectus M. Acilius Glabrio magistratus, & expeditionis suc[cessor] fuit.

Opimio Liguria obvenit, in quâ bellum atro[x] licet breve, concitatum est. Legati Romanorum Ægitnam in agrum Oxybiorum appulerant cum accepissent incolæ venisse eos ad impe[...] diendam duarum urbium obsidionem, vetar[e] eos exscensionem facere. Flaminius jam expo[...] sitis in littore sarcinis, vulneribus afficitur, [...] direptis impedimentis prope semivivus à su[is] Massiliam deportatur; ubi curatus est eâ dil[i]gentiâ quæ & Romanum, & amicum, & Leg[a]tum decebat.

Opimius itaque eos aggredi jussus Ægitna[m] vi capit & evertit, cives ejus vendit, autor[es] seditionis vinclis graves Romam mittit. Ox[y]bii & Deceatæ ita pugnarunt quasi veniam [...] tamque desperarent. Tandem plerisque c[æ]sis, arbitrio se victoris reliqui permiserunt q[ui]bus adempta arma, agri etiam pars Massilie[n]sibus contributa; amicis, & hostibus fact[um] satis.

Tum Iunior Ptolemæus Evergetes Rom[am] venit ostentansque cicatrices in insidiis acc[e]ptas, vulnerum autorem Philometorem di[x]. Itaque hujus legati ne sunt auditi quidem, [...] attributa Cyprus, permissumque Græcis, [...] Asiaticis illum juvare contra fratrem. Has p[la]gas forte acceperat ad Cyrenen, ubi victus er[at] & uti Tyrannus expulsus; præmium nihilo[mi]nùs vulnerum, quæ jure promeruerat, magn[am] insulam tulit.

Pertinet ad hunc annum Heraclidis le[ga]tio adducentis filios Antiochi Epiphanis A[le]xandrum & sororem ejus Laodicen, qui li[...] essent suppositititii, atque nothi (erant enim [...] concubinæ à quâ Alexander iste, ante Prom[...] nes dictus, Veles vel Balas posteà vocatus [...] gratiam tamen invenere in Senatu operâ h[...] veteratoris, cujus ingenio nota est Deme[...] tela, quam diffuere non potuit.

Iisdem Consulibus gessere censuram M. [Va]lerius Messala, & C. Cassius Longinus, [...] autores fuere extruendi theatri ex lapide. [...] rùm intercessit sapienter P. Scipio Nasica, [...] contra bonos mores docuit esse, spectacu[...] & otio certam ac stabilem Romæ stationem [...] ædificari.



LIBE[R]

# LIBER VII.

## SÆCULUM MUNDI QUADRAGESIMUM.

*Ab anno mundi* 3900. *ad* 4000.

### CAPUT I.

### PRIMA DECAS.

*Ab anno* 3900. *ad* 3910.

OLYMP. CLVI. *ann.* 4. *Mundi* 3901. Urb. Cond. 601.



Consules Q. Fulvius Nobilior, & T. Annius initium fecere magistratus ineundi à Kal. Januarii, cùm antea ferè semper à Kalend. Martiis inciperent, ob bellum Celtibericum hoc anno ıchoatum. Hispania porrò obtigerat Fulvio, ui Segedæ urbis amplificandæ studium dejiere conatus, contra Carum ducem pugnavit ·quatis fermè damnis. Celtiberi Caro mortuo mbonem, & Leuconem duces crearunt, & Nuıantiam munierunt. Hos adortus Fulvius cum ecem Elephantis Massinissæ, grandem acceit cladem, cujus causa belluæ fuerunt; accet & alia minutiora damna, quibus ab eo abienatæ sunt urbes, & inter reliquas Ocilis, ubi omanorum commeatus, & pecuniæ; quare ıfelix Fulvius rediit in hiberna, cladibus uàm nomine Nobilior.

Neque in Lusitania feliciùs pugnatum; L. nim Mummius per duces suos clades accepit, uas ipse emendare non potuit. Satisque fuit ispanis hoc anno populo Romano ostendere, m ubique non esse victorem.

Benevolè suscepti sunt Romæ Attalus Eumes filius, & Demetrius filius Soteris; sed maıificè etiam Attalus, & urbibus Græciæ comendatus; Demetrio & pueritia, & commeatus rum splendidus nocuit.

Heraclides Patribus sibi conciliatis Senatusnsultum abstulit, in gratiam sui Alexandri. fretus militem scribit, ac sibi Epiphanis amios adjungit. Populo Romano dissimulante, i discordia horum principum magis, quàm x arridebat. Alexandrum ergo Velem, vel lam, Heraclides deducit Ptolemaidem; ubi tim receptus est à militibus qui Demetrium lerant ob socordiam cum superbia conjunam. Demetrius ei resistere parat; & conatur i devincire Jonatham, remissis obsidibus. Hic m rediit Hierosolymam, urbem ordinavit, & tavit; fugêre ex Arce Apostatæ, ac se muniione Bethsuræ continuerunt. Aliunde Alexaner Jonathæ coronam, & purpuram cum Pontificatu obtulit; & in eum potiùs propendêre Judæi, à quo nihil acceperant damni, Demetrio infensi, quem acerbissimum hostem erant experti. Hic frustrà promissis ingentibus eos retinere conatus est; sed nimis multa, magnaque pollicebatur, ut huic haberetur fides.

OLYMP. CLVII. *ann.* 1. *Mundi* 3902. Urb. Cond. 602.

Consulibus M. Claudio Marcello, & L. Valerio Flacco in Hispania continuatum est bellum. Marcellus Nobiliori successit, prudenterque vitatis insidiis Ocilim ad deditionem compulit. Ei quoque se submisere sponte Nectobriges, sed statim bello appetendi fuere; mox tamen iterum se subjecissent, & alios ad eandem deditionem induxissent, quod Marcellus postularat; verùm à Senatu est improbata illa pax, neque satis visa ex Romana dignitate. *Marcellus melius rem in Hispania gerit.*

In Lusitania successor Mummii, M. Attilius 700. Lusitanos interemit, maximam eorum urbem cepit, & exscidit, quibus reliqui territi se dediderunt. Sed cum mox se recepisset in hiberna, rebellarunt; adeò ut pacem fecisse tantùm ad animos viresque colligendas viderentur. *Lusitani se dedunt Attilio mox rebellant.*

In Asia Prusias per tres Romanos legatos duris satis conditionibus cum Attalo depacisci compulsus est; sed quid aliud ageret, cum de eo statuerent jam arbitri pænè totius orbis terrarum? *Prusias cum Attalo pacisci cogitur.*

Non adeò se faciles præbuere Pœni. Cùm enim Cato iis bellum denunciari vellet, pervicit sententia Scipionis Nasicæ, ut legati potiùs mitterentur. Ii componere pacem inter illos & Massinissam studuerunt, nec inhonestam Pœnis, Rege iis agrum controversum cedente. Eam probabant sapientes quique; sed Gisco Amilcaris homo seditiosus ac potens, & præterea armatus autoritate sui magistratus, populum concitavit; quare nihil propius factum quàm ut Legati discerperentur. Qui nuncius Catonem affecit voluptate, quam temperavit ejus filii mors in Prætura. Is eum tenui sepulturâ, & pro sua paupertate, fortiter constanterque donavit, vir & divitiis, & omni calamitate superior. Neque tamen ideò indictum Carthaginiensibus bellum, sed denuò legati missi qui rem diligentiùs exquirerent, & viderent utrum tempore sanati essent multitudinis concitatæ motus, quibus nihil faciliùs excitari solet, nihil faciliùs quiescere, si ratione regantur. *De bello Pœnis inferendo Rom. cunctantur.* *Catonis filius moritur.*

OLYMP. CLVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3903. 603.

*Alexander vincit & cadit Demetrium.*

Conflixerunt hoc anno Demetrius, & Alexander Balæus vel uno, vel duobus præliis. In altero fortiter dimicans Demetrius interemptus victoriam, regnumque ſuum reliquit Alexandro. Is ut partum ſolium affinitate firmaret, petit à Philometore filiam ſuam Cleopatram, cujus nuptiæ Ptolemaide celebratæ ſunt. Iis interfuit Jonathas indutus purpurâ, & Judææ prorex conſtitutus, Regibus ac novæ ſponſæ acceptiſſimus. Quo aſpectu territi impii Judæi qui cum accuſaturi convenerant, ſtatim diffugêre, & de pœna potius ſuâ, quàm de Jonathæ judicio cogitarunt.

*Jonathas amicè exceptus ab Alex.*

*Rom. milites refugiunt Hiſpanicum bellum.*

Romæ Conſules L. Licinius Lucullus, & A. Poſtumius Albinus militem acerbiori conquiſitione ſcribebant; inde ſunt concitatæ turbæ, inter quas Tribunorum plebis juſſu tantùm non in carcerem detruſi ſunt. Milites enim abhorrebant ab Hiſpanico bello, quia Nobilioris milites de eo formidoloſa referebant, & mendaciis ſuam excuſabant ignaviam. Marcellus quamquam nihil timeret, tamen ut triumphum obtineret, timere videbatur. Cum ergo belli omnes munera defugerent, P. Scipio Æmilianus obtulit ſe ſponte, & ſua fortitudine magiſtratuum ſollicitudinem levavit, tum exſcindendæ Numantiæ candidatus.

*Marcellus bellum Celtibericum componit. Obiit naufragio.*

Dum autem Lucullus feſtinat in Celtiberos, Marcellus prudentiâ ſuâ bello finem imponit, facitque ut populi fortiſſimi ſua omnia ejus arbitrio permitterent, quod neque recuſavere Numantini. Ita videtur de iis triumphaſſe, cum ter triumphum egiſſe ſcribatur. Idem, ſed quo tempore neſcitur, paulò ante Punicum tertium bellum naufragio ad Africam periit, Romanis carus, & adhuc Celtiberis acceptior quorum cædes inhibuerat, ſi conſiliis ejus ſequentes Imperatores acquieviſſent.

*Lucullus bellum renovat.*

Lucullus inops & ſuperbus, quærebat unde ſibi gloriam, nummoſque conficeret; itaque Vaccæos innoxios aggreditur, ſine autoritate Senatus. Cumque eorum urbem Caucam deditione accepiſſet, receptis centum talentis, & obſidibus, eam ingreſſus, contra pacta fœdè depopulatus eſt cum ingenti non tantùm ſuo, ſed & Populi Romani dedecore. Ad Intercatiam res meliùs proceſſit; nam Scipio Barbarum Romanos omnes ad ſingulare certamen provocantem interemit, & Intercatios qui ſe dediderant fortitudine ſuâ incolumes præſtitit. Pallantiam item Lucullus obſedit; à qua re infectâ diſcedere compulſus, at in Turdetaniam profectus multos Luſitanos cecîdit, multos cepit. Sic à Romanis ſpargebatur bellum, non finiebatur, Lucullus non populo Romano, ſed ſibi præliabatur.

*Scipio Barbarum ex provocatione cadit.*

*Galba perfidè cadit hoſtem.*

At Galba Prætor, Atilii ſucceſſor, dum avidus pugnæ, atque prædæ cum milite fatigato pugnat, ſeptem millia ſuorum amiſit: at fraude, ſeu verius perfidiâ, abolevit ignominiam. Cum enim hoſtes ad eum legatos de fœdere miſiſſent, ille iis regionem optimam pollicitus eſt, ſi ſe autore demigrare vellent. Cum acquieviſſent miſeri, in tres turmas diſtributos, ut faciliùs irent, omnes concidit, Deorum hominumque fidem implorantes. Pauci tamen effugerunt, inter quos Viriathus; qui perfidioſam hanc cladem multo ſanguine Romano vindicavit, oſtendit-que ſe fortitudine Romanis nonnunquam pa-rem, calliditate ſemper ſuperiorem. Galba au-tem ditiſſimus, & avariſſimus in judicium tra-ctus, accuſante etiam Catone, ex judicum ma-nibus pennis aureis evolavit, oſtenditque Roma-nocentem futurum neminem, qui ſibi ac ſui judicibus prædatus eſſet.

Tum quoq; Guluſſa Maſſiniſſæ filius renun-ciavit claſſem, & exercitum à Pœnis parari bellum omnium votis expeti: rurſusque autor Naſicâ miſſi legati, qui certiora referrent r hoſti tantùm Carthaginienſium fides habita v deretur. Sic ad bellum tanti momenti len feſtinandum Romani ſapienter putavere.

OLYMP. CLVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3904. 604.

Macedonia turbata eſt ab Andriſco quoda Adramyteno, qui ſe Philippum Perſei filiu mentiebatur. Cùm in Macedonia reciperet à nemine, fugit in Syriam ad Demetrium; ſ ab eo captus, Romam miſſus eſt. Verùm p contemptum dimiſſus, rediit in Macedonia collectoque ex Thracibus exercitu, negotii m tùm Romanis exhibuit, neque ſe contemne dum fuiſſe, factis oſtendit.

Conſulatum hujus anni inierunt L. Quinct Flaminius, & M. Acilius Balbus, quando Cel bericum bellum quaſi jam ſopitum Viria virtute, & induſtriâ renovatum eſt. Conve rant Hiſpanorum decem millia, qui Turde niam incurſionibus vaſtabant. In eos proce C. Vetilius Præto, pabulatores illos vicit, de de in anguſtum compulit locum, ubi dedi facienda, aut pereundum fame. Viriathus rum unus illam fieri prohibuit, objecta commilitonibus Galbæ, Lucullique perfi Quare ſtatim ab omnibus Dux electus, m equites optimos elegit, reliquos variis itin bus Tribolam equis conſcenſis confugere ju quos mox ipſe ſecuturus eſſet. Non eſt a Prætor diſſipatos inſequi, maximè cum ei mineret Viriathus cum lectiſſimo globo. C ris dilapſis, ipſe demum, poſtquam variis c bus, ac recurſibus Romanos deluſiſſet, Tribo venit, atque ita incolumem præſtitit exerci Pergit ad eum Vetilius; ſed in itinere inv ſtructas inſidias, in quibus cum quatuor ſuo millibus, incognitus interiit; alii tamen ptum, & gladio cæſum volunt extra pugi Vetilii Quæſtor fugitivos recepit, miſitque riatho obviam ſociorum quinque millia, ille ſic delevit, ut ne nuncius quidem cladi pereſſet. Romani ergo ſeſe urbibus conti coacti ſunt, donec auxilia ſubmitterentu Plautio duce: verùm paulò tardiora, quàm mana dignitas, atque potentia flagitarent.

Legati Carthagine redeunt cum Gul nunciantque ſe hic vidiſſe claſſem cum exe Tum ficus in Senatum tuliſſe dicitur Cato

P

Patres accenderet; sed prævaluit Nasica decretumque abstinere bello, si classis exureretur. Bellum interea gestum inter Massinissam & Carthaginienses à Boëtarcho Asdrubale, qui post aliquot velitationes, in locum iniquum compulsus, præsente Scipione, iniquissimis conditionibus sese cum suis dedidit. Qui cum ibirent inermes, & à Numidico equitatu assiduè carperentur, quinquaginta octo millia paucis cum Asdrubale fugâ elapsis) ferro, aut nediâ periere.

OLYMP. CLVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3905. 605.

Romani permoti Andrisci successibus miserunt in Græciam Nasicam, qui tumultus illos utoritate suâ compescere conaretur. Sed præterea missus P. Juventius cum copiis, adversus Regem illum Theatralem. At hic Prætorem ggressus & interemit, & ex ejus copiis omnes, isi quos gladio victoris nox eripuit: magnâ omani nominis infamiâ, victam esse gentem ui Alexandri successores pares non fuissent, & ictam ab eo qui nihil Regis præter nomen haeret, & audaciam.

In Hispania Viriathus C. Plancium Prætoem semel iterumque vicit, ac in sua hiberna igidum compulit. Tum in aliam Hispaniæ artem transgressus cum Quintio primum iniuo marte, deinde feliciori conflixit, atque trobique rem Hispanam erexit, Romanam afixit.

Consulibus L. Marcio Censorino, & M. Malio inchoatum est TERTIUM BELLUM UNICUM, Carthaginis excidio terminatum; que ambo Consules præfecti ut hic pedestribus e navalibus copiis imperaret. Tum autem eni afflicti clade à Massinissa sibi allatâ, modis nnibus Romanorum animos demulcere coti sunt, negantes publico consilio gestum esse llum in socios Populi Romani, sed à privatis, i jam exilio mulctati essent. Cum res fluctua-, & ægrè Romani plenum periculi suscipent bellum, eos jam nutantes impulit Uticenm deditio, tam Romanis utilis, quàm Caraginiensibus perniciosa. Itaque hi quasi desitis rebus suis legatos cum summa potestate serunt Romam, qui quàm possent honestis nditionibus, & minùs gravibus deciderent. d jam pervenerant in Africam sub utroque onsule octoginta peditum, equitum quatuor illia multis ad id bellum tam utile, quàm oriosum, properantibus. Itaque legati Pœni suaque omnia arbitrio Populi Romani perserunt. Laudati sunt à Patribus qui polliciti nt agrum suum, leges, libertatem, eâ lege ut o. obsides principum civitatis liberos intra ginta dies Lilybæum mitterent, & facerent æ Consules imperassent. Obsides statim missi, gati veniunt Uticam imperia Censorini Conlis excepturi. Hic arma omnia tradi jussit, & inndi naves: utrumque, ægrè licet, peractum, ma devecta plaustris, classis incensa, gementis omnibus. His exhaustis jussionibus, aliam peresse addidit Consul, ut quo vellent loco à mari octoginta stadiis remoto, urbem suam transferrent; eo loco stare Carthaginem, maris speculam Senatui non placere. Hic miserrimi cives atque in ultimam perturbationem adducti, vociferari se proditos à Romanis atque suis, legatos suos discerpere, Italos ad supplicia rapere præstare omnia quæ fanatici solent atque desperati. Ubi nonnihil deferbuit furor; servi vocantur ad militiam, arma ubique producuntur, mulieribus etiam crines suos ad machinarum funes sufficientibus; accersitus denique Asdrubal Massinissæ ex filia nepos, licet exul, cum suis viginti millibus armatorum. Romani autem quievere tantisper, donec Pœni ad se rediissent; ubi crescere furorem vident, verberant muros; sed unde ita repelluntur, ut intelligerent non esse facilem Carthaginis expugnationem. Adhæc Himilco eorum naves, scaphis ardentibus secundo vento immissis, incendit. Quibus facti animosiores oppidani obsessi eruperunt, absente Comitiorum causa Censorino, & Manilii castra cepissent, nisi eos Scipio cum equitatu in urbem repulisset, quod iterum præstitit dum navalia conati sunt inflammare, quæ fortitudo magnam illi apud hostes laudem, magnam apud suos benevolentiam comparavit: Aliunde Himilco equitum præfectus obsidentibus multas intulit clades; & Asdrubal Manilium in iniqua loca compulsum fermè oppressit; quibus Romani dimiserunt animos, ut Carthaginienses extulerunt.

*Statuunt potiùs omnia experiri.*

*Pœnis fortuna favere videtur.*

OLYMP. CLVIII. *Mundi* Urb.Cond.
*ann.* 1. 3906. 606.

In Syria Demetrius filius Demetrii Soteris turbas concitavit. Miserat eum pater in insulam Cretam ad Lasthenem apud quem educabatur; excitatus autem à nutritio suo, & socordiâ Alexandri Bilæi inter scorta turpiter ætatem conterentis, milite Cretensi stipatus in Ciliciam venit, unde ab Antiochenis, novarum rerum semper cupidis, evocatus est. Is Cœlesyriæ ducem Apollonium constituit, qui Jonatham bis aggressus, bis superatus est; quando idem Jonathas Joppen ad deditionem compulit, Ascalonem, & Azotum cepit, succenditque fanum Dagonis; quâ in expeditione tam ferro quàm incendio Apollonius octo millia suorum perdidit. Ideoque Jonathas ab Alexandro aureâ fibulâ, seu torque donatus est, quod erat tum insigne cognatorum regis; factumque fortitudinis insigne, quod antea tantum sanguinis erat.

*Demetrius in Syria turbat.*

*Ionathas bis Apollonium vincit.*

Massinissa æger Scipionem Æmilianum avitum amicum evocat, ut in ejus complexu animum reddat, & de ejus regno, ac liberis statuat. Missus illicò Scipio à Consule Manilio, invenit eum mortuum, sed suis omnibus relictis in arbitrio Scipionis, cujus voluntas pro testamento liberis esset. Nonagenario major obiit, viribus tamen adhuc firmis, & equitans de more gentis. Suscepisse scribitur ex variis uxoribus liberos quinquaginta quatuor, quorum decem reliquit vivos. Spuriis Scipio munera dedit, legitimorum autem natu maximo Micipsæ regia insignia cum urbe regiâ Cyrthâ, Gulussæ arma,

*Massinissa Scipionem ad se vocat & moritur.*

arma, Mastanabali viro litterato jurisdicundi potestatem. Ita mortuus est Massinissa vir planè fortis & felix, Romanorum primùm hostis, deinde constans amicus, ac fautor, & cui hoc unum defuit, aut Carthaginem excisam, aut ejus saltem expugnatorem videre.

*Scipio in Rom. partes Himilconem trahit.*

Scipio in castra Manilii redux cum Gulussa in suas partes traduxit Himilconem cognomento Phameam, cum suis militibus: quæ defectio multùm Romanis profuit, sine dubio penitùs profligandis, si in conflictu cum Asdrubale inito, qui malè Manilio cessit, Phameas cum suis equitibus adfuisset. Præterea idem cum Gulussa & Scipione, commeatus copiam intulit in castra, quo Romani caruissent. Nihilominus Scipionem cum Phamea mox Romam misit: illi abeunti Consulatum miles apprecatus est, huic Romam appulso & multa Senatus dedit, & plura, majoraque promisit.

*Consules novi Carthaginem attingere non audent*

Romæ Consules creati Spurius Postumius Albinus, & L. Calpurnius Piso: huic Africa commissa cum L. Mancino classis præfecto; qui tamen non sunt ausi tentare Asdrubalem, aut Carthaginem, sed bellum per oppida Punica circumtulerunt. A Clypeâ repulsi sunt: Neapolim cepere; ad Hippogretam (quidam Hipponem vocant) mediam inter Uticam, & Carthaginem tota æstate nequicquam stetere; quando & quidam Numidæ à Romanis & Gulussa defecere, liberique Massinissæ visi sunt explorare, quam in partem se belli hujus fortuna daret, eam secuturi.

*Andriscus Rom. tremendus.*

Q. Cæcilius Metellus Prætor in Macedoniam movit. hic cùm suas copias ineptissimè bifariam divisisset, nullo labore victus est. Voluit & reparare exercitum, sed proditus à Byzo Thrace pœnas dedit amentiæ suæ, ac temeritatis. Idem Metellus alium Alexandrum se Persei filium mentientem, ad Dardanos usque insecutus est. Tum quoque semina jacta sunt belli Achaici, cum in Græciam missi legati, quorum princeps erat Aurelius vitæ periculum adiissent; adeò nothus ille Macedonum Rex Andriscus Græcos efferarat.

*Achæi Rom. spernunt.*

Missi sunt ergo legati qui eos emollirent Fannius, Gabinius, Papyrius, & qui Lacedæmonios & Corinthum à cœtu Achæorum separare niterentur, quia societas illa Romanis incutiebat metum. Sed Achæi, præsentibus legatis Romanis, Spartanos in vincula conjecerunt; Bœotos, grandi pecuniâ damnatos à Metello, in belli societatem adsciverunt constituto sibi duce Critolao; qui contemptus atque defectio, Corinthi eversione mulctata sunt.

*Victi à Viriatho Romani.*

In Hispania C. Plantio successit Claudius Unimanus, cujus exercitum pæne ad internecionem delevit Viriathus. Hîc trophæa sua Romanorum trabeis, & fascibus illustravit, ut eorum infamia ac dedecus eminus videretur.

*Nascitur Lucilius.*

Hoc anno natus creditur Lucilius Poëta Patria Auruncanus, primus Satyræ Latinæ scriptor, quâ hæc tempora, propter corruptos mores, indiguerunt.

OLYMP. CLVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3907. 607.

Pertinere videtur ad hæc tempora controversia Alexandriæ excitata inter Judæos, & Samaritanos coram Philometore pœnâ mortis propositâ huic parti quæ lite cecidisset. Quærebatur utrum esset legitimum templum Hierosolymitanum, an Garizitanum, hoc propugnaban[t] Sabbæus, & Theodosius, illud Andronius. Victoria Judæo cessit; res visa est clarior, quàm ut caderet in controversiam.

Ptolemæus Philometor quasi suppetias latu[rus] Alexandro genero suo in Syriam venit cu[m] luculento exercitu, & honorificè in omnib[us] urbibus susceptus, præsidium iis Ægyptiacu[m] imposuit. Occurrit ei quoque Jonathas ad flu[vium] Eleutherum, cum magnifico apparatu, ideoque benignè susceptus est à Rege. Cùm d[e]mum Philometor Seleuciam pervenisset, oste[n]dit quo sua spectarent consilia: unde Alexand[er] eum per Ammonium amicum suum Ptolemai[…] curavit interficiendum, irrito tamen conat[u]. Quare Ptolemæus, ei filiam eripuit suam, ea[m]que obtulit Demetrio, patri suo filiam, qu[…] maritis uxorem accommodatiorem.

Romæ lecti Consules P. Cornelius Scip[io] Æmilianus, & C. Livius Drusus; & Scipio[ni] à Populo Africa sine sorte data, solutusque le[…] anni Consularis, quâ erat decennario min[or] tantumque prensabat Ædilitatem; sed obic[…] hujus magistratus res præclaræ ejus gestæ p[…] fregere. Ubi primùm venit in Africam Scip[io] Mancinum circumclusum cum 3500. erip[uit] certissimæ neci, eumque remisit Romam, Se[…]no ei substituto. Tum accessit ad Carthagin[em] ubi Asdrubal ut suis adimeret pacis voluntat[em] Romanos captivos, in Romanorum oculis [in] mœnibus crudeliter enecavit. Deinde gra[n…]bus saxis Scipio portum occlusit: at Pœni n[…] alium portum effoderunt, & ex domibus e[…]sis construxerunt naves; itaque certatum pu[gnâ] navali, pari utrimque damno. Sed agge[re] mox occupavit Scipio unde urbem mach[inis] quateret, ubi certatum obstinatissimè, mach[…] etiam Romanorum quibusdam incensis; ve[…] tandem hunc locum 4. armatorum millia o[…]parunt, unde in urbem machinis & jaculis c[on]tinuo propè jactu sæviit. Occupavit mo[x] vicinam urbem Nephirim, unde comme[atus] sufficiebatur urbi, ubi incredibilem homin[um] multitudinem occidit, aut cepit; & reliqua [..] oppida compulit ad deditionem. Quibus r[ebus] gestis prælusit ad Carthaginis excidium.

Viriathus in Hispania C. Migidium Unim[…] successorem pariter oppressi; novique Pr[…] res Romani, totidem erant hujus Præ[…] triumphus.

OLYMP. CLVIII. *Mundi* Urb. Con[d.]
*ann.* 3. 3908. 608.

Alexander Bala cum paucis copiis occ[…] Philometori: certatum utrimque fortiter[…] meroque tantùm Ptolemæus superior fuit.[…] ergo victus in Arabiam, ut à Zebdiele Dy[…] defenderetur; sed proditor amicum Rege[m] hosp[…]

hospitem interemit, ejusque caput ad Ptolemæum misit. Neque felicius Philometori cessit expeditio; nam excussus equo, & graviter in capite saucius, paulò post obiit, viso Alexandri capite cum ingenti voluptate, ex qua interiisse putatur, dum ei medici terebrâ caput aperirent: homo luxuriâ marcidus, & indignus qui inter viros bellatores ex vulnere moreretur. Sed etiam Alexander, per fraudem occupati regni, pœnas dedit, quod etiam perdidit, antequam morte defungeretur, quo indignus erat ob genus, ob turpissimos mores indignior.

Philometori successit frater ejus Evergetes Physcon seu Ventriosus, ab aqualiculo, seu ventre prominente sic dictus; item ab aliis Philologus, ab Alexandrinis Cacergetes. Alexandri item occupavit solium Demetrius cognomento Nicator (non autem Nicanor, ut aliqui scribunt) dignus uterque qui inter tumultus ad regna promoveretur.

Consulibus L. Cornelio Lentulo, & L. Mummio, prorogatum est Scipioni in Africa imperium. Primo vere hic in Carthaginiense forum irrupit; inde in Byrsam ascendere per tecta conatus est, novas sibi per tecta moliens vias, dum infra obvii quique jugulabantur. Templum Apollinis tunc direptum, tam dives, ut præda ejus fuerit mille talentûm; erat enim fastigium ejus obductum laminis aureis. Tandem septimo die Arx se dedidit, ac mulierum viginti quinque, virorum triginta millia: transfugæ in templum Æsculapii cum Asdrubale se receperunt: unde & in summam ejus crepidinem paulò post ascendêre, ac se descendêre, donec Asdrubal sese Scipioni dederet. Ejus uxor animosior, secuta transfugas in ejus conspectu liberis occisis, Scipioni benè precata, se cum iis in subjectos ignes conjecit; transfugæ quoque incenso templo se cremaverunt. Urbs incensa, diruta, permixtique mortuis viventes, spirantes extinctis, omnes equorum ungulis, aut fossorum ligonibus tam triste spectaculum exhibuerunt, ut ipsi qui hæc imperabat, lacrymas eliceret Scipioni; prædæ pars incensa, pars seposita reddita est Siculis, vicinisque populis quibus erepta fuerat, restituta. Deinceps ordinata est per decem legatos Provincia; Scipio ad magnificentissimum triumphum venit, cohonestatus nomine Africani; quod cùm hæreditarium accepisset, proprium sibi effecit fortitudine, avo suo tantùm tempore inferior.

Bellum Achaicum demandatum est Metello Prætori, qui Macedoniam administrabat, ei prorogato in omnem Græciam, extensoque imperio. Is ad Thermopylas primùm feliciter conflixit, & Achæos junctos Bœotiis, & Chalcidensibus profligavit; quando & victus Critolaus Dux sibi conscivit necem. Ei tamen successit Diæus collectoque ex Arcadia milite, reparavit bellum. Itaque Lucium Mummium Consulem cum novis copiis eò Senatus misit. Is principio re parum feliciter cum Diæo gestâ, eundem postea profligavit, & ad mortem compulit. Diæus enim rem Achaicam restituere desperans, domum suam incendit, uxorem à se cæsam in ignes mittit, ipse venenum haurit bis parricida. Corinthii hoc territi spectaculo suam urbem deseruerunt, quam Consul ex Senatus consulto exscidit, & inflammavit, quia in ea legati fuerant violati. Utrum ex metallis tum confluentibus natum sit æs Corinthiacum, putaverunt aliqui, alii doctiùs negaverunt. Omnia hujus urbis donaria, tabulæ, statuæ, arma elata. Ita alter Græciæ oculus effossus, quæ jampridem cæca præcipitabat in ruinam. Dirutæ quoque sunt eodem tempore Thebæ ac Chalcis auxiliatrices urbes. Mummii pater ad Achaiam ordinandam missus, Achæos omnes liberos jussit esse, Corinthios tamen omnes sub corona vendidit; adeò altè Ro. animis legatorum insidebat contumelia, ut non tantùm suam, sed & publicam totius orbis terrarum, cujus se dominos appellabant, existimarent injuriam.

*Corinthum capit.*

*Æs Corinthium quid?*

OLYMP. CLVIII. *ann.* 4. *Mundi* 3909. Urb. Cond. 609.

Jonathas, inter hos tumultus Regum Syriæ, rem suam promovere nititur, & Hierosolymitanam Arcem expugnare. Præsidiarii petunt sibi auxilium à Demetrio; hic ad se Jonatham venire jubet Ptolemaidem, & perhumaniter accipit. Soluta tamen Arcis obsidio, tum quia difficilis, tum quia non probabatur à Rege. His compositis rebus Demetrius militem veteranum dimittit, tantumque retinet peregrinum. Veteranis copiis præerat Tryphon, qui exautoratum se molestissimè tulit, perrexitque in Arabiam, ac suasit Emalcueli Arabi, nutritio pueruli Antiochi (qui Philopator, & Θεὸς dictus est) filii Alexandri Balæ, dare hunc sibi regno paterno restituendum, quòd magnos in Syria concitavit motus.

*Ionathas acceptus Demetrio.*

Interea Demetrius gravi quoque Antiochenorum seditione vexatus est. Is confugit ad Jonatham, à quo tria millia Judæorum accepit. Cùm ergò Rex in arcem confugisset, Judæi irruentes Antiochenos fortiter exceperunt, eorum centum millia trucidarunt, succensaque urbis parte, spoliis locupletes in patriam suam redierunt. Verùm perfunctus periculo Rex ingratus Jonatham contempsit, factas ei promissiones elusit, illaturus bellum, nisi Tryphon impediisset. Is enim Antiocho Rege Syriæ coronato, Demetrium fugavit in Ciliciam, obtinuit Antiochiam, & pepigit fœdus cum Jonatha, quem cum Simone fratre constituit ducem Palestinæ. Hac occasione usus Pontifex Bethsuram munitissimam per Simonem occupavit, ac Duces Demetrii, in agro Azor, paucis instructus copiis cecidit, fugavitque; ita denique Judæam constituit, ut omninò jam sui juris esse videretur.

*Iuvat Demetrium Ionathas Antiochiæ*

*Tryphon Antiochū opponit Demetrio.*

*Ionathas rem suam gerit.*

Celebris quoque est hic annus renovato fœdere Jonathæ cum Romanis & Spartanis, quorum hoc erat honestum, illud etiam Judæorum rebus adhuc fluctuantibus necessarium.

*Ionathas cum Rom. renovat fœdus.*

In Hispania C. Lælius Prætor cognomento Sapiens, qui in Africa cum Scipione amico suo militarat, Viriathum ita fregit, ut ejus ed mareret ferociam, & bellum Celtibericum secuturis Præto-

*Lælius Viriathum vincit, & Celtiberos abjicit.*

Prætoribus expediret. Is antequàm in Provinciam veniret suam, rogationem dissuaserat quâ nonnulli Sacerdotum electionem à collegis ad Populum transferre nitebantur. At ille sapienter ostendit nullos meliùs statuere posse de Sacerdotii candidatis, quàm qui Sacerdotium profiterentur.

*Fabii comitas.*

Consules hujus anni fuere Q. Fabius Maximus Æmilianus, & L. Hostilius Mancinus. Fabius erat filius Pauli Æmilii, Scipionis frater, qui obtinuit hanc dignitatem comitate sua; cujus repulsam passus est Q. Cæcilius Metellus; quia ut sibi debitam arrogabat.

*Fabius emendat militarem disciplinam.*

Hic Fabius Consul oppositus Viriatho, & parcens veteranis jam diuturno bello fatigatis, duas tironum legiones secum deduxit, has diligenter exercuit, correxitque autoritate consulari jam laxatam militarem disciplinam: neque priùs est congressus cum Viriatho, quòd hic urgebat, nisi paratissimum ad prælia militem haberet, ac dignum qui legionarius exercitus diceretur.

*Mummii triumphus*

Cadit & in hunc annum L. Mummii de Achaja, & deletâ Corintho triumphus, quo statuis & tabellis totam implevit Italiam, nihil sibi de tot exquisitis ornamentis retinens, sive ex animi moderatione, sive quia rudis erat ingenio, ac imperitus harum æstimator; siquidem conducentibus eas Romam devehendas prædici jubebat per præconem, novas reddituros, si antiquas perdidissent.

OLYMP. CLIX. ann. 1. *Mundi* 3910. Urb. Cond. 610.

*Ionathas Hierosolymam munit.*

Demetrianos iterùm Jonathas fugere compellit metu territos ad Epiphaniam. Vincit & Zabudæos Arabas, ex rapto vivere solitos; dum Joppen ad Demetrium inclinantem Simon frater retinet. Quibus confectis aggreditur muros Hierosolymitanos, ne sancta civitas, Syrorum semper incursionibus pateret. Tum quoque Judæi rescripsere ad fratres suos in Ægyptum, & invitarunt eos ad celebritatem mensis Casleu, qua die templum à Juda instauratum erat, & Antiochi sordibus repurgatum. Hactenus omnia Ionathæ fluebant ex voto, sed hanc felicitatem Tryphonis improbitas abrupit. Cum enim Tryphon iste exuere regno pupillum suum decrevisset, sibi veritus à Ionathâ viro forti, & iniquitatis inimico, eum Scythopolim invitavit. Adfuit hic sed cum quadraginta hominum millibus. Quibus perterritus Tryphon, qui statuerat vi agere, eum dolo perdere statuit; suadet ei dimittere exercitum, & cum paucis venire Ptolemaidem, quam ei traditurus erat. Remittit copias suas Ionathas imprudentissimè, missis tantùm duobus millibus in Galilæam, ipse mille stipatus cum Tryphone Ptolemaidem ingreditur. Verùm statim, clausis portis, datus est in vincula, comites ejus cæsi, missique equites quibus mille in Galilæam dimissos cæderent. At ii admoniti de periculo suo ita se paratos ad ultionem commilitonum suorum, & prælium ostenderunt, ut visi sint omittendi tanquam desperati, & quorum à partibus, propter audaciam, stare posset victoria.

*Tryphon Ionatham capit.*

Romæ Consules Servius Sulpitius Galba, & C. L. Aurelius Cotta non sunt in Hispaniam missi, quia huic omnia deerant, illi nihil satis erat. Continuata ergo Fabio præfectura qui Viriathum vicit, ac fugere compulit. Tumque ostendit Romanos milites invictos esse, cum militarem disciplinam, à majoribus acceptam, servarent.

---

## CAP. II.

## *Decas Secunda.*

### *Ab anno* 3910. *ad* 3920.

OLYMP. CLIX. ann. 2. *Mundi* 3911. Urb. Cond. 611.

UBi respirare Iudæi cœperunt Simonem Ionathæ loco Pontificem esse voluerunt, ac ducem. Tryphon enim collegerat exercitum, ut Mattathiæ reliquum germen tolleret, sicque Iudæis, quod excusserant jugum, reponeret. At Simon ita disposuit omnia, ut Tryphon sibi potiùs dolo quàm vi, agendum censeret. Habebat hic in vinculis Ionatham, quem dimittere spondet, si centum talenta fisco debita persolvantur, & duo filii Ionathæ obsides offerantur. Prævidebat Simon fraudem; veritus tamen maledicorum linguas, pecuniam, & obsides misit. Verùm perfidus Tryphon retinuit omnia, ac paulò post in oppido Bascaman Ionathan, & filios ejus interemit, quorum corpora ad sepulturam non negavit, eaque magnificentissimo funere elata sunt, solatio Simonis tristissimo, sed ho[c] tempore necessariò.

Consulatum Romæ gessere Appius Claudius & Q. Cæcilius Metellus. Claudius adversus Salassos bellum gessit, cladibus aliquot illatis, & acceptis. Itaque cum ei negaretur triumphus privatis sumptibus triumphare instituit. Se[d] eum in ipsa pompâ Tribunus plebis de curru detrahere conatus est; fecissetque nisi Quinti[a] Claudia Virgo Vestalis soror ejus (aut ut volun[t] alii filia) sese interposuisset. Hæc detrahi fratrem de curru passa non est, neque est ausus Tribunus plebis obsistere; tanta erat Romæ virginum sacrarum reverentia. Tumque dubitatum quis plus gloriæ retulerit, quibusdam fratrem in Capitolium, quibusdam sororem in Ædem Vestæ deducentibus.

In Celtiberiâ Viriathus cum Quintio Prætore signa contulit, & victus Montem Veneris repetiit: inde iterum in Romanos conversus, eorum mille cecidit, aliquot eripuit signa, reliquos in castra compulit. Tum Itucæ præsidium dejecit, & Bastitanorum regionem depopulatus e[st] Quintio Itucæ incluso, & C. Marcium, per eruptiones emittente. Quare Metellus Consul venire compulsus est, ubi aliquot severitatis, aliquot humanitatis exempla edidit, quibus & fortiorem militem reddidit, & hostem ad recipiendos amicè Romanos paratiorem.

OLYM[P.]

OLYMP. CLIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3912. 612.

Hoc anno Simon Gazam quæ mortuo Jonahâ rebellarat obſedit,& machinis acerrimè ver-
eratam, ad deditionem compulit. Hanc pur-
gatam idolis, & ſeditioſis, elegit ſibi ſedem,ut-
ote ad bella peroportunam. Arx quoque Sio-
is, poſt triennii obſidionem, fame compulſa ſe
edidit. Quare in ea deinceps habitavit Simon,
azâ filio ſuo Ioanni bellicorum negotiorum
ræfecto relictâ; quia ſic belli rationes, & pacis
xigebant.

Cenſuram geſſerunt Romæ P. Cornelius Sci-
io Africanus Æmilianus,& L. Mummius Achai-
us, ex æquo moderati, ac fortes: Luſtrum ex-
ibuit Romanorum civium 328342. Conſula-
um inierunt L. Cæcilius Metellus, & Q. Fa-
ius Maximus Servilianus. Hic in Celtiberi-
n profectus cum 16. millibus peditum & equi-
bus mille ſexcentis, additis à Micipsâ ele-
hantis decem, & 300. equitibus: his fretus co-
is primùm ſuſtinuit fortiter Viriathum, mox
repulit; ſed dum eum ſequitur turbatis ordi-
bus, tria millia ſuorum amiſit, & in caſtra re-
ulſus, ea potiùs noctis beneficio, quàm virtute
ilitum defendit. Tandem remigrare Itucam
actus, paulò poſt in Bæturiam, tranſlato bello,
uinque oppida, quæ hoſtis fuerant, diripuit, &
uneos hyematurus venit, victori quam victo
opior.

Metellus in alterâ parte Hiſpaniæ ſe egregiè
eſſit, & maximè ad Contrebiam; quæ tamen
orrupit odio, quo in Pompejum ſucceſſorem
arſit. Horrea enim diripi paſſus eſt, ſubmo-
s cuſtodibus,arcus ſagittaſque Cretenſium fre-
t, elephantes fame amiſit, quibus trium-
um, quem promeruerat, perdidit. Neque e-
m Patres eum dignum judicarunt illâ gloriâ,
ui ſe tam turpiter ſuâ cupiditate,ac invidiâ vin-
paſſus eſſet.

In Macedoniâ tumultus eſt exortus à quon-
m pſeudo-Philippo, qui ſe Perſei filium men-
batur, & jam hominum ſeptendecim millia
ëgerat. Hunc aggreſſus Trebellius Quæſtor,
o ei prælio & exercitum, & Regis larvam eri-
it.

OLYMP. CLIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3913. 613.

Diodotus Tryphon pupillum ſuum Antio-
um vix decennem calculo laborare finxit apud
opulum; itaque medicis corruptis eum ſecun-
m obtulit, à quibus puer infœlix dirè tortus
teriit. Eo mortuo ſibi tyrannus impoſuit dia-
ema; quare Simon ab eo defecit; miſſiſque le-
atis ac muneribus ad Demetrium, eum legiti-
um Principem agnovit. Ab hoc vectigalibus
empti Iudæi, ſuis juris eſſe cœperunt, nec jam
egum Syriæ ſubditi, ſed ſocii dicti: quare de-
ceps hoc anno quaſi principio ſuæ libertatis,in
ntractibus uſi ſunt.

Paulò poſt Demetrius Nicator profectus in
ediam ac Perſidem, & ſuperiores regni ſui
artes ad auxilia contrahenda,temerè Phraatem
arthorum Regem aggreſſus eſt. Invitatus enim crebris legationibus Græcorum atque Macedonum Aſiaticorum, quos opprimebant Parthi, eò perrexit cum paucis copiis, ſperans eorum auxilia à quibus evocabatur. Sed immiſit in eum è principibus ſuis unum Phraates cum valido exercitu, à quo victus Demetrius, in caſtra compulſus, ac iiſdem mox exutus eſt. Immo & mox venit in Parthorum manus, juſſuſque traduci ad ludibrium per omnes civitates qui ejus implorarant opem. Poſteà tamen ſic immutatus eſt in eundem Phraatis animus, ut ei dederit uxorem filiam ſuam Rhodogunam, & regio cultu exornarit; felicem ſi ſorte ſuâ & inventâ conjuge contentus eſſet. *Demetrius ducit Rhodogunam.*

Conſulatum hujus anni geſſerunt Cn. Servilius Cæpio, & Q. Pompejus Rufus Auli filius, anteceſſoribus ſuis, neque conſilio,neque fortitudine pares.

Servilianus Proconſul inſequitur Viriathum, ſed in itinere à duobus prædonum ducibus Curio, & Apulejo turbatus eſt: tum periit Curius, alter prædam Romanis ereptam abduxit, quam tamen mox Proconſul recuperavit. Tum multa oppida cepit, multos item hoſtes, quorum quingentos ſecuri percuſſit, alios ſub coronâ vendidit, quibuſdam amputavit manus,in ſignum rebellionis. Verùm cum Eriſanem urbem aggrederetur, eam ſubiit noctu Viriathus, unde erumpens, non modo foſſores expulit,ſed & Serviliani copias in loca iniqua deduxit. Hic cum delere poſſet Romanum exercitum, & capere Servilianum, honeſtis tamen maluit conditionibus cum eo depaciſci; quod fœdus non modo probatum à Senatu, ſed & dictus amicus Viriathus, ejuſque ſociis agri relicti. Dignus eſt enim viſus Românâ amicitiâ vir fortis, qui virorum fortium amicitiam, eorum internecioni prætuliſſet. *Viriathus Ro. parcit, & cum eis fœdus init.*

Bellum Numantinum tum exortum, quando Numantini ſocios ſuos Segidenſes, ex Romanorum manibus elapſos, neque reddere voluiſſent, nec arma deponere. Immò eadem contra Metellum expedierunt, & cum Romanorum ſummo dedecore, diutiùs quàm par erat, retinuerunt. *Belli Numantini exordium.*

OLYMP. CLX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3914. 614.

Cleopatra tum Seleuciam cum filiis ſuis tenebat, & utcumque Syriæ regnum turbatum, diſcerptumque adminiſtrabat. Ut ergo accepit maritum ſuum, captum à Parthis, & quod eam pungebat magis, Rhodogunæ amoribus implicitum,ejuſdem fratrê Antiochum Sidetem (aliis Soterem) evocat, eique regnum, ac thalamum offert. Sidetes ſub initium regni ſui literas,ad Simonem dedit, eique immunitates omnes à fratre conceſſas confirmavit, quas libenter accepit Simon, quaſi à legitimo Rege, & Tryphonis hoſte condonatas. *Cleopatra Sideti nubit.* *Sidetes Syriæ Rex favet Simoni.*

Conſulatum inierunt Q. Servilius Cæpio & C. Lælius cognomento Sapiens. Cæpioni commiſſa Hiſpania cum proconſule Pompejo. Sed Cæpio factam à fratre Serviliano pacem ſæpe criminatus, Senatum adduxit, ut eam abrumpe-

rumperet. Itaque de industriâ fugientem Viriathum ille sequebatur, cui pax cum Serviliano magis placebat, quam cum Cæpione bellum. Quare misit amicos suos ad Consulem ut cum eo renovarent fœdus; sed hic muneribus, promissisque eos corrupit, ut ducem suum interimerent: & verò mox eum dormientem interfecerunt, gloriosum planè, ut quem Romanorum fortitudo non perdiderat, & qui nonnisi suorum perfidiâ, ac scelere potuit exterminari. Successit ei suffectus Tantalus, quem subsequutus Cæpio ad conditiones pacis perpulit positis tamen armis, & regione non infertili ei, ac suis assignatâ, in quâ bonos agricolas ex malis prædonibus effecit.

*Viriathus à suis cæsus, adnitente Cæpione.*

Q. Pompejo locum suum Metellus dederat, sed non reliquerat ei fortitudinem, & industriam suam. Supererant tantùm urbes duæ expugnandæ Numantia, & Termantia, reliquis à Metello captis. Dum ergo ad Numantiam Pompejus ignaviter sedet, locum munitum, & generosis propugnatoribus plenum, eorum eruptionibus ita fatigatus est, ut iis omissis Termantiam aggrederetur. Ad hanc cum malè quoque pugnasset, rediit ad Numantiam; ubi cum fluvium derivare conatur, multos è suis perdidit. Itaque cum suos insuper urgerent morbi, pacem cum Numantinis fecit, à Senatu improbatam, utpote quàm Imperatoris sui socordia, & metus expresserat.

*Pompeius malè rem gerit ad Numantiam.*

Floruit circa hæc tempora Accius Poëta Tragœdiarum scriptor, cujus carminibus aditus templorum, & monumentorum propylæa Decius Brutus exornavit, melioribus utique, quàm tempora illa incultiora patiebantur.

*Accius Poeta floret.*

OLYMP. CLX. ann. 2. *Mundi* 3915. Urb. Cond. 615.

Numenius & Antipater cum Clypeo aureo minarum mille, seu centum millium aureorum, à Simone missi ad Romanos hoc anno rediere cum litteris L. Calpurnii Pisonis (alii vocant Cajum, alii etiam ejus loco substituunt L. Cæcilium Metellum) ad diversos Principes in gratiam Judæorum. Iis prohibebatur aliquid eis inferri damni, jubebantur reddi transfugæ. Simon in Judæâ legitimè rerum potiri significabatur. Quæ quidem tantùm terroris injecerunt improbis, quantùm Simoni, bonisque omnibus attulere voluptatis.

*Simon renovat fœdus cum Rom.*

Tryphonem Diodotum desertum à suis Antiochus insequitur, & obsidet in urbe Dorâ maritimâ, cum centum viginti peditum, equitum octo millibus, & aliquot navibus, ne elabi posset; duos annos tenuit obsidio; quibus evolutis fugit Tryphon sparsis per iter pecuniis, quas dum colligunt Demetriani equites, ipse venit primum Orthosiada, vel Antaradum: inde Apameam patriam suam; quâ captâ, aut interfectus est, aut violentas sibi intulit manus; & leviori supplicio tot parricidia, ac perduelliones luit.

*Tryphon obsidetur, & tandem ceditur.*

Consules Romæ dicti L. Calpurnius Piso, & M. Popilius Lænas. Huic Celtibericum commissum est bellum, & à Quinto Pompejo corrigenda pax. Negabat à se pacem factam Pompejus; sed eum revincebant multi testes omni exceptione majores; itaque Romam ad judicium remissus est; decretum à Senatu bellum Numantinis, in hoc tantùm nocentibus, quod de Pompejo victores extitissent, ac nimis fortes.

*Pacem à Pompejo cum Nu-*

OLYMP. CLX. ann. 3. *Mundi* 3916. Urb. Cond. 616.

Antiochus Sidetes jam potitus totius Syriæ regno, interfecto Tryphone, mittit ad Simonem legatum Athenobium, qui ab eo repetat Gazam, Joppem ac arcem Sionis, regia, ut ajebat, loca, cum mille talentis. Obtulit centum talenta Simon exosus bellum, quæ legatus recusavit. Rex ergo mittit statim in Judæos Cendebeum, quem & Gedorem urbem firmare jubet. Egressus Joannes Simonis filius ex urbe Gaza cum aggreditur, transmisso etiam in ejus conspectu torrente, congreditur ac vincit, multis hostium interemptis: sed in eo prælio Judas ejus frater vulneratus, victoriam minuit. Gedorem cum expugnare desperaret Joannes, in agrum Azotium deflexit, ubi hostium turres, ac munitiones exussit; quibus fortiter gestis Hierosolymam rediit, principatus Judaici, hoc belli rudimento, candidatus.

Consulibus P. Cornelio Nasica Serapione, & Decio Junio Bruto, multæ turbæ Romam exagitarunt. Volebant Consules curare rem frumentariam, Tribuni plebis obsistebant, Scipio Nasica autoritatis tantæ fuit, ut hanc legem contemptu rejecerit, aliis tantùm propositis, & plebi obstrepenti silentium imposuerit. Propterea ei Curiatius Tribunus plebis cognomen indidit turpe Serapionis, hominis nequam, & mancipii cujusdam Suarii, quem vultu non malè referebat. Edidit autem tum Curiatius ille utile severitatis exemplum, adversus C. Matienum, militiæ in Hispaniâ desertorem: diu enim virgis sub furcâ cæsum, sestertio nummo venire jussit. Sed parum constans idem Tribunus in recto fuit. Nam mox Consules acquiescere nolentes ut decem milites, ex iis quos vellent Tribuni plebis, delectu eximerent, in carcerem ignominiosè detrusit, cum summo primi Magistratus dedecore, quod tamen postea meritò in autorem recidit.

Bellum gessere in Hispaniâ Popilius Lænas Proconsul, & Consul Junius Brutus: hic adversus Lusitanos inchoavit bellum quod Proconsul pari fœlicitate, ac fortitudine confecit; ille contra Numantinos perrexit. Quos dum obsidet, continent hi se muris, nec aciem dirigunt, adeo ut in eorum muros Popilius erigeret scalas. Verùm dum hic recedit, veritus insidias, eruptione illi factâ recedentem vicerunt, fugaruntque. Qui facto docuerunt causam suam meliorem esse quam Romanorum, à quibus post initam pacem bello injusto vexabantur.

Hoc item anno Attalus cum aulam suam cædibus amicorum, & cognatorum funestasset, nun

unc matremanum, nunc sponsam Berenicem orum maleficiis extinctas criminatus, ex iis ostea tantùm doloris hausit, ut insanire videetur, ac mortuis pœnas dependere. Tandem uriis quasi exagitatus obiit cum annis uno, & iginti regnasset sub nomine Tutoris, tumque mperium reliquit invitus Attalo Eumenis filio d annos quinque. Cujus regni initium fœliius quàm finis fuit.

Referunt quidam ad hunc annum legationem . Cornelii Scipionis Æmiliani, cum L. Metel-, & L. Mummio. Lustravêre tum hi legati Egyptum, Syriam, Asiam, Græciam. Ægytum Ptolemæi Physconis sævitia vexabat, qui uos ad exilium voluntarium compellebat, acitis peregrinis, homo turpis vultu, & sagia ventris belluæ, quàm homini similior. Atlus quoque cædibus grassabatur in suos, in Macedoniâ Pseudoperseus turbabat. His mobus componendis missi sunt tres viri, quos oti Senatui Romano prævaluisse meritò dixes.

| OLYMP. LX. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann.* 4. | 3917. | 617. |

Romæ Consules creati M. Æmilius Lepidus, C. Hostilius Mancinus. Hic adversus Nuantinos missus Popilii loco, & rem Romaam, satis infelicem, reddidit desperatam. Et erò inauspicatò hoc susceperat bellum: nam o sacrificante pulli sacri ex caveâ evolarunt; & onscendenti navem audita vox *Mancine mane.* Congressus itaque cum quatuor Numantiorum millibus, ipse cum triginta Ro. millibus ictus, ac sæpe iterata clades, donec in sua caa compulsus est. Ubi cum falso rumore jaatum esset venire contra eum Vaccæos, & Canbros, fugit in desertum locum, ubi imparatus b omnibus, pacem minantibus Numantinis edit, & ad eam servandam sponsione sanctissiâ se obstrinxit. Quæ pax Senatum vehemenr afflixit: quare statim ei suffectus Consul alr Æmilius, ut facinus emendaret, Manino Romam evocato, quem Numantini leati secuti sunt, pace bis per vim extortâ, feoces.

Intereà Lepidus dum expectaret ab urbe reonsum. Vaccæos appetiit bello, & Palentim obsedit Junio Bruto in societatem expeditiois accito. Hanc prohibuit Senatus per legaos suos Cinnam, atque Cæcilium; nihilomius duces obstinati perstiterunt, quasi de gloriâ Romani nominis ageretur, donec inopiâ coacti ecessere, eosque adorti Palentini multis affecere lamnis, adeò ut in eâ obsidione intempestivâ erierint sex millia Romanorum. Quare Æmius ut privatus revocatus est, atque insuper nultatus pecuniâ, quod injusto bello jam occuatum Populum Rom. implicuisset, cum damno, atque dedecore.

| OLYMP. CLXI. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann.* 1. | 3918. | 618. |

D. Junius Brutus Proconsul adversus Callæcos fœliciter pugnavit. Veniebant hi in auxilium Lusitanorum, cum sexaginta millibus armatorum; circumventos oppressit Brutus acerrimo prælio; quo quinquaginta millia cepit, pauci fugêre; unde Callæci retulit nomen. Transiit quoque fluvium Lethen à Romanis superstitiosè formidatum, quasi rerum omnium oblivionem induceret; sed ostendit Brutus audaciâ suâ, fabulosa esse quæ de his aquis jactabantur, & ipse memoriæ, ac gloriæ plenus Romam ad nobilem triumphum rediit.

Coss. P. Furio Pilo, & Sexto Aurelio Serano causa Mancini in Senatu exagitata est. Hic primum autorem fœderis sui turpissimi jactabat esse Pompejum, qui militem ignavum ei, & contumacem tradiderat: adhæc injustitiæ Senatum insimulabat, qui sancitum fœdus sæpe turpiter abrupisset. Tandem ex lege, quam ipse Mancinus tulerat, deditus est Numantinis nudus, vinctis post terga manibus, à Furio Consule: neque tamen receptus ab hoste, & desertus à suis usque ad noctem concubiam constitit; spectaculum suis, atque hostibus lacrymabile. *Mancinus deditur Numantinis.*

| OLYMP. CLXI. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann.* 2. | 3919. | 619. |

Ptolemæus filius Aboli vir ditissimus, cui Simon filiam suam uxorem dederat, præpositus Hiericontinæ Provinciæ socerum suum Simonem cum filiis suis Judâ, atque Matthathiâ, dum hanc Provinciam lustrat, in munitione Docho convivio exceptum perfidiosè interemit, mense Scebat seu undecimo. Statim ergo significavit Sideti, ut ad se mitteret exercitum. Joannem quoque tollere conatus est, missis percussoribus, & Hierosolymam occupare submisso milite; sed præmonitus Joannes, eos interfecit, sibique Hierosolymam, & huic Pontificem conservavit. Is Joannes ab expeditione in superiorem Asiam cum Sidete postea dictus Hyrcanus, populum annis uno, & triginta rexit, primusque successor fratrum Macchabæorum, quasi hæreditarium regnum suscepit & Pontificatum. Hic porrò sacrorum Codicum veteris instrumenti desinit historia, cujus certissimi luce deinceps, magno etiam humanæ fidei damno, carebimus. *Simon à Ptolemæo cæditur.* *Ioannes Simoni succedit.*

Statim, si qua Josephus fides, Ioannes Ptolemæum obsidet, cum annus Sabbathicus immineret; cumque munitionem jamjam expugnaturus esset, Ptolemæus matrem ejus in muro curabat acerrimè verberari, quo aspectu miserabili permotus filius militem reducebat; idque præstitit crudelis Tyrannus donec Sabbathicus advenit annus; tumque Ioannis matrem, ac duos ejus fratres interemit, nulloque insequente recedens, pœnam suis sceleribus debitam callidissimâ crudelitate defugit. *Ioannes inultum Ptolemæum ex pietate finit.*

Eodem anno Antiochus Sidetes senis castris Hierosolymam obsedit, eamque diu circumvallatam tenuit. Fame urgente, emissa est ex urbe imbellis turba; repulsa tamen à Syris, miserabiliter conficiebatur. Eandem adveniente festo Scenopegiæ recepta est in urbem, & à Rege impetratæ induciæ, qui & victimas, & aromata addidit; *Sidetes Hierosolymam obsidet.*

addidit; quare inde nomen Pii consecutus est apud Judæos. Hinc quoque nata pacis occasio, honestis conditionibus data, acceptaque, oblato fratre Joannis obside, numeratisque quingentis talentis, quamquam ad exscindendam insociabilem gentem Rex ab aulicis impellerent. Sed cogitabat hic Parthicam expeditionem, majoris momenti, neque poterat extinguere Judæos, sine ærarii sui damno, ac Romanorum offensione. Metu ergo, cupiditate, & gloriâ deterritus est ab excidio Judæorum.

*Joannes honestis conditionibus paciscitur.*

Consulatum inierunt hoc anno Servius Fulvius Flaccus, & Q. Calpurnius Piso. Hic in Hispaniam profectus non attigit Numantiam, sed Palentinum agrum populatus cum magna cautione, maturè se recepit in hibernâ, exemplo Pompei & Mancini sapere doctus. Ejus collega Fulvius cui Illyricum obvenerat fortunatior fuit: cum enim finitimæ gentes Illyrios vexarent, nec missis legatis facerent satis omnes subactæ victori triumphum nobilem pepererunt.

*Ro. timent Numantinos.*

Hic annus in Siciliâ incendio Æthnæ montis famosus fuit, sed longè magis Servili bello, quod Eunus servus natione Syrus concitavit, & servorum septuaginta millia, ex suis ergastulis traxit, præstigiis suis invitatos. Sola urbs Messana, ubi servi humaniter habebantur, incendii hujus immunis fuit. Ab his mancipiis victi Prætores Manilius, Lentulus, Piso, Hipsæus, adeò ut sequenti anno Consuli fuerit hæc Provincia, cum bello Servili, demandanda; magno opprobrio Romanæ gentis, apud quam tot Prætores satis non erant ad furcas mancipiis imperandas.

*Bellum Servile in Siciliâ sub Euno.*

OLYMP. CLXI. ann. 3. *Mundi* 3920. Urb. Cond. 620.

P. Cornelius Scipio Africanus Æmilianus hoc anno suo tempore factus est Consul secundùm, ætatis suæ anno 49. sed solutus lege, quam Cato tulerat, ne quis iterùm fieret Consul. Et verò à quinto Consulatu M. Claudii Marcelli anno v. c. 546. ad secundum Consulatum C. Martii v. c. 649. nemo bis Consul præter hunc Æmilianum legitur. Datus est ei collega C. Fulvius Flaccus, at sine sorte data Hispania Scipioni, qui unus exscindendæ Numantiæ par videbatur. Hic maturè progressus in suam Provinciam, militarem disciplinam correxit, mulierculas, lixas, calones, sacrificulos, ariolos ex castris expulit; militem omni die in opere exercuit, & ad 30. dierum frumentum septenos vallos ferre jussit, pollicitus se amoturum vallos, cum se ferro nossent defendere. Extra ordinem si militem deprehenderet, Romanum, vite; extraneum virgis cædebat. Jumenta omnia vendi jussit, ratus legionarios his non indigere. Ubi patientem, & obsequentem militem nactus est, eum in hostem deduxit, & Vaccæos Palentinosque populatus commeatum in castra transtulit, reliquum corrupit. Denique vitatis semel iterumque insidiis, receptoque Jugurthâ cum duodecim Elephantis, & sagittariis, quantus esse Imperator ostendit, quem mali reformidarent, amarent boni, hostes atque cives ex æquo venerarentur.

*Secundus Scipionis Consulatus.*

*Numantinum bellum ei commissum.*

*Militarem disciplinam corrigit.*

## CAP. III.

## *Decas Tertia.*

### *Ab anno* 3920. *ad* 3930.

OLYMP. CLXI. *ann.* 4. *Mundi* 3921. Urb. Cond. 621.

Consulibus P. Minucio Scævola, & L. Calpurnio Pisone obiit Attalus Pergami Rex dum matri suæ sepulchrum parat, cui operi dum assiduus intendit, ex ardore solis morbum contraxit, quo intra septem dies elatus est. Is populum Ro. regni sui scripsit hæredem, ejusque pecunia Romam convecta cum tabulis ab Eudemo Pergameno. Statim Tiberius Gracchus legem tulit ut ea pecunia distribueretur iis, qui ad novos agros incolendos mittebatur; sed intercessit & fortiter obstitit collega Octavius, quem magistratu exautoravit. Volebat & alias Agrarias perferre leges, quibus totam turbabat Italiam. Tum P. Cornelius Scipio Nasica nepos ejus qui Matrem Idæam receperat, consobrinus Tiberii Gracchi, sed patriam cognationi præferens, implicita lævo brachio togæ lacinia, bonos omnes ad audendum impulit. Hac impressione fugatus cum suis seditiosis Tiberius, & in clivo Capitolii fragmine subselii ictus, vitam quam patriæ debebat, seditioni profudit. Protractum est ejus cadaver cum aliis in Tiberim, ne terra communis omnium parens eum gremio susciperet, qui contra patriam ingratus insurrexisset.

Bellum in Siciliâ fortiter Piso gessit, adversus servos, quos captos patibulis suffigebat. Quàm fuerit is accuratus in servandâ militari disciplinâ docet Titii Præfecti, quòd loco cessisset, ignominia publica; ejus exemplo reliqui fortiùs pugnare didicerunt. Docet quoq; collatū filio virtutis causa præmium, quod tamen non à Repub. sed à patre post ejus obitum expectare jussus est; ut à patriâ honorem, à patre pretium reciperet.

Interea Scipio Æmilianus fame domare Numantinos decrevit; ac principio duobus castris urbem sepsit, unis Fabium fratrem præfecit, altera sibi reservavit; coactoque exercitu sexaginta millium armatorum, urbem 24. stadiorum ambitu, duplici munitione circumclusit, vallo utrimque excitato cum loricis, & turribus adversus Numantinos, & auxiliatores. Tentarunt obsessi Scipionem de pacis conditionibus per legatos quinque, quos sine pace redeuntes, desperati ipsi discerpserunt. Pressi fame ne cadaveribus quidem Romanorum, & suorum abstinuerunt. Tandem se Scipioni sine conditionibus dediderunt, unum tamen impetrarunt diem, quo qui vellent, in libertate emori possent; reliqui sub coronâ venierunt; quinquaginta tantùm

rùm ad triumphum reſervati. Quidam tamen ſcribunt nec viros, nec prædam, nec arma incendio Numantino ſuperfuiſſe, & de ſolo nomine :riumphatum. Quomodo igitur Scipio 17. ›ondo argenti militi diſtribuit, ſi præda omnis ›eriit incendio? Numantia autem à victore pe- ıitus exſciſa eſt, magnâ ejus civium gloriâ, ut qui ₹omanorum armis & duce Scipione, ſed tan- ùm fame potuerint edomari. Huic obſidioni nterfuit Jugurtha Romanis propter fortitudi- ıem, & induſtriam acceptiſſimus, ideoque inter iberos ſuos à Micipſa ſcriptus hæres; ſed vipe- a ingreſſa domum, legitimos hæredes ſuſtu- it.

OLYMP. CLXII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3922. 622.

Conſules Romæ delecti P. Popilius Lænas, & '. Rupilius Nepos: huic Servile bellum in Sici- â demandatum eſt, quod & penitus ſuſtulit. ıc primùm obſedit Taurominium, ubi ſervi ne- ue liberorum, neque uxorum, neque ſuis ipſi ıdaveribus pepercerunt, dum alter alterum orat. Tandem proditâ per Serapionem Syrum rcé, omnes in poteſtatem Conſulis venerunt, mnes præcipites dejecti perierunt. Inde ten- ıta quoque Enna, ubi Cleon dux fortiter pu- nans captus, mox ex vulneribus interiit. Eâ uoque urbe Rupilius potitus eſt; ſed fugit Eu- us cum ſexcentis ſtipatoribus, quos aſſequutus ſt Conſul in præruptis locis, ubi ſibi invicem ervices præſciderunt. Eunus cum quatuor ımulis inventus in carcerem datus eſt, ac paulò oſt ex Phthiriaſi obiit, ſupplicio quod rebel- m, & fugitivum decebat. Inde percurrens in- ılam Rupilius cum delectâ militum manu, eam c purgavit, & ordinavit, ut in eâ paulò poſt rvos excitaſſe bellum ambigeretur.

Hoc quoque anno triumpharunt de Hiſpaniâ uo Imperatores; de Numantinis Scipio, Junius rutus de Callæcis, & ex utroque triumpho ſuo ›gnomen Numantini, & Caliæci ſuis titulis dideruut.

OLYMP. CLXII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3923. 623.

Conſulibus *P.* Licinio Craſſo, & L. Valerio laccobellum geſtum eſt adverſus Ariſtonicum. : Eumenis filius erat ex Epheſiâ pellice; Eu- ienes autem Attali frater, qui teſtamento ſuo ›pulum Romanum hæredem ſcripſerat. No- ıus ille, ſibi ſubjunctis multis urbibus Roma- orum ſociis, ſe Regem Pergami dixit. Adver- ıs eum miſſus eſt Craſſus Conſul, qui ſollici- or prædæ, quàm militiæ, dum inordinatè pu- ıat, victus eſt; ac propè captus, virgam quâ egebat equum in oculum Thracis, eum com- rehendere volentis impegit; Barbarus dolo- em ſuum ultus, Craſſi latus gladio hauſit. Sic biit vir ſui temporis ditiſſimus, nobiliſſimus, e- ›quentiſſimus, Juriſconſultiſſimus, ac Pontifex ſaximus, & vitam tam illuſtrem avaritiâ perdi- lit; caputque, Romanæ gentis oraculum, Bar- arus ad ludibrium ſecuit.

OLYMP. CLXII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3924. 624.

Movet contra Parthos Antiochus Sidetes, & ad Lycum Aſſyriæ fluvium Indatem Parthorum ducem ſuperat, & eo loco trophæum ſtatuit. Hic biduum hæſit ad preces Joannis Hyrcani ob feſtum Pentecoſtes. Tumque urbes Parthicum jugum exoſæ, ſeſe Sideti tradiderunt. Tribus demum confectis præliis occupata Babylon, exercitus commodiſſimè per novam ditionem diſtributus, adeò ut Antiochus non pugnaturus, ſed occupaturus regnum veniſſe videretur. *Sidetes Parthiarum occupat regnum.*

Conſulatum Romæ inierunt Appius Claudius, & M. Perperna: huic bellum in Ariſtonicum demandatum; qui & ſtatim adoritur ſpurium Regem, ac vertit in fugam. Cum Stratonicem urbem, ad quam confugerat, fame ad deditionem compuliſſet, captum Romam miſit, ubi juſſu Senatus in carcere huic ſunt eliſæ fauces. Perperna autem Pergami dum regnum ordinat morbo interiit, non diu victoriæ fructu, ac vitâ potitus. *Perperna Ariſtonicum capit.*

Cenſuram geſſere Q. Pompejus, & Q. Metellus Macedonicus, quando cenſa ſunt civium capita 368800. Paulò poſt C. Atinius Labeo Trib. Plebis Q. Metellum, à quo in legendo Senatu præteritus eſſet de Saxo præcipitari juſſit, niſi reliqui collegæ impediiſſent, hominis inſaniam, atque poteſtatem execrati. *Cenſura Metelli Macedonici.*

Hoc anno videtur intentata fuiſſe Scipioni Naſicæ, ob Tiberii Gracchi cædem, judicia; quando huic licet ſummo Pontifici, invidiæ vitandæ causâ, à Senatu commiſſa eſt libera in Aſiam legatio. Is quaſi deploratis rebus ſuis, ad Ariſtonicum ſe contulit; cujus ubi regnum & fortunam labefactatam vidit, ſibi violentas intulit manus, ac morte ærumnas finiit, quæ parum Scipionem, & ſummum Pontificem decebat. *Scipionis Naſicæ exilium, & mors.*

OLYMP. CLXII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3925. 625.

Phraates in ſuperiore Aſia tantùm non oppreſſus ab Antiocho, Demetrium cum copiis remittit in Syriam, ut hoc pacto Sidetes ex Parthico regno retraheretur. Interim exercitus Syrus per urbes ſparſus, indigenis gravis eſſe cœpit; quare hunc diviſum aggrediuntur, & cedunt. Antiochus dum ſuis opem parat, incidit in Phraatem, cum quo congreſſus copiis imparibus, occubuit in prælio. Alii volunt ex deſperatione ſibi intuliſſe manus: Quidam arbitrantur eum in templo Nannææ per Sacerdotes lapidibus obrutum eſſe, dum Deæ ejus nuptias ambiret, ſed magis ejus divitias, dotis nomine. Ita dum Parthicum regnum affectat; & Syriacum, & vitam perdidit. *Sidetes Parthicum regnum & vitam perdit.*

Hoc metu liberatus Phraates, mittit qui Demetrium retrahant; ſed hic illud ſubodoratus, magnis itineribus jam pervenerat in Syriam. Hic cum regnum humanitate, & comitate ſibi retinere debuiſſet, multa turpiter, multa crudeliter fecit, iterumque duxit fatalem illam Cleo-

patram, multorum maritorum uxorem. Primùm enim nupserat Alexandro Balæ ex quo genuerat Antiochum Philopatorem, aliter θεὸν; deinde huic Demetrio Nicatori cui dederat Seleucum; & Antiochum Grypum. Tum Antiocho Sideti, cui pepererat Antiochum Cizycenum; ac demùm iterum Nicatori ex Parthia reduci, quem tamen capitaliter oderat, propter superinductam Rhodogunam. Incitatus ergo Demetrius partim innato furore, partim ab hac furiâ, multa præstitit, quibus se Parthicum animum ex carcere suo retulisse demonstravit.

*Demetrius recipit Syria regnũ, & Cleopatram.*

Eodem tempore turbatum in Ægypto; Evergetes enim incensâ ab Alexandrinis regiâ suâ, exul fugit in Cyprum; filium suum ex Cleopatrâ interemit, cujus manus, & caput remisit ad matrem, quam repudiarat, mulieris impotentissimæ crimen ipse ultus parricidio.

*Evergetis expulsi crudelitas.*

Coss. hujus anni notantur M. Aquilius, & C. Sempronius Tuditanus. Aquilio commissa est Asia, ubi reliquias belli Pergameni confecit celeriùs, quam Romana virtus patiebatur. Veneno enim fontes aliquot infecit, ut iis utentes urbes ad deditionem compelleret; legitur tamen veneficus iste triumphasse; ita tum triumphus rebus gestis, non virtuti tribuebatur. Consul alter Tuditanus aggressus dirimere lites de agris obortas, deterritus earum difficultate perrexit in Illyricum, ubi primùm rem malè gessit, mox tamen fœliciter operâ usus D. Junii Bruti Callæci; & tandem inde triumphum retulit, ubi priùs invenerat ignominiam.

*Coss. hujus anni parum digni suo magistratu.*

Hoc item anno sublatus est Scipio Africanus Æmilianus, non sine suspicione veneni quod ei miscuerat Sempronia uxor ejus, & Gracchorum soror. Hujus mortis causa Carbo Tribunus plebis fuit. Is cum obsistentem haberet sibi Scipionem, eum interrogavit in concione; quid de Tiberii morte sentiret. Ille nihil tergiversatus respondit, *si is ruinam Reip. molitus esset jure cæsum videri*; & obstrepenti populo; *sileant*, inquit, *quibus Italia Noverca est, non mater*; ac paulò post Scipio, sine suspicione morbi, inventus est in lecto mortuus. Nihilominus de tanti viri morte non est instituta quæstio, Tribunitiis controversiis, ac legibus Agrariis pœne pessundata Republica, cujus nullum potest argumentum proferri certius, quam Scipionis Carthaginis ac Numantiæ eversoris inulta nex.

*Æmilianus Scipio inventus est mortuus.*

OLYMP. CLXIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3926. 626.

Joannes Hyrcanus hoc anno Adoram, & Marissam urbes Idumæorum cepit, & omnes Idumæos subjugavit; mox his circumcisionem imperavit, nisi patriam mallent relinquere. Illi ergo regionis amore potiùs quam religionis, sibi secure præputia, & Judaicis moribus vivere decreverunt. Tum quoque idem Hyrcanus misit tres legatos Romam, Simonem, Apollonium, & Diodorum qui societatem revocarent; tum à principibus, votis omnibus, atque muneribus expetitam.

*Jo. Hyrcanus Idumæos subjugat.*

*Renovat fœdus cum Rom.*

Carneades autor Academiæ Novæ, patria Cyrenæus mirabili celeritate ingenii, ac in singulari præditus eloquentia, hausto sponte veneno obiit: tum maximè indigens Elleboro, quo sæpè ad purgandum cerebrum, dum vixit, utebatur.

Consulatum Romæ consecuti sunt, Cn. Octavius, & T. Annius Rufus, seu Luscus, solo nomine cogniti.

OLYMP. CLXIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3927. 627.

Consulibus L. Cassio Longino Ravilâ, & I
Cornelio Cinna, spectrum Tiberi Gracchi appa
ruit fratri suo Cajo, otiosam vitam respectanti
ac defugienti Tribunitios tumultus, à quo mo
nitus est, in fatis esse, ut eodem cum fratre exitu
pro Populo defungeretur. Quo spectaculo, qua
si quodam stygio furore afflatus, ad turbandam
Rempub. exitiumque suum præcipitavit.

OLYMP. CLXIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3928. 628.

Sub Consulatu M. Æmilii Lepidi, & L. Au
relii Orestis ludi sæculares quarti, teste Censori
no Romæ celebrati sunt; quando mons Æt
na magno primùm motu concussus postea gl
bos igneos ingentes, scopulis ignitis permixto
evomuit. At paulò post mare circa Lipara
insulam sic efferbuit, ut adustas rupes dissolv
rit, navium ceram, picemque liquefecerit, ex
nimarit pisces, atque nautas, nisi qui statim eff
gerunt, cum ingenti insulanorum metu, ac st
pore.

Tum profectus est in Sardos Orestes Con
Quæstore usus C. Graccho, qui se omnium v
tutum exemplar ostendit. Quanta autem
loquentiâ floruerit, inde constat, quod ab url
bus, hyeme militi vestes constanter recusan
bus, oratione suâ expresserit. Cum Micipsa
temporis frumentum in Sardiniam misisset, i
in gratiam Caji fecisse rescripsit ad Senatu
quæ litteræ Patres offendêre, jam in Gracch
malè affectos. Atque hæc causa fuit cur Or
in triennium propagaretur imperium, Quæs
ram tamen suam Gracchus ad biennium cont
xit, accusatusque deserti sui Proconsulis fact
suum è Republica fuisse Populo demonstra
metuentibus meritò bonis omnibus, quò ta
potentia vergeret.

OLYMP. CLXIII. *Mundi* Urb. Cond
*ann.* 4. 3929. 629.

Demetrius Nicator evocatus à Cleop
uxore Evergetis in Ægyptum venerat, eam q
dotem accepturus: quando ad Evergetem
lantem in insulâ Cypro miserunt Syri qui p
rent aliquem sibi ex genere Seleuci, qui S
regnum occuparet. Misit ille statim Ægyp
quemdam filium Protarchi negotiatoris, ad
scentem acrem, & ad hanc fabulam idone
Is magno ardore susceptus est à Syris, quar
modò is Demetrius non esset, regem exop
tibus. Alexander Zebina dictus est præstig
iste, eique copiæ Ægyptiacæ adjunctæ sunt
contemnendæ. His auditis Demetrius r

Ægypto, revolat in Syriam. Cleopatra quoque Ægyptia eum mox sequitur, imposita navibus gazâ Ægyptiaca; meritò enim furorem Evergetis, quem offenderat graviter, mulier scelesta reformidabat. Tandem commissum est certamen decretorium inter Alexandrum, & Demetrium, quo hic victus dum fugit ad suam uxorem Cleopatram, ab ea cæsus est in odium Rhodogunes. Alii tantùm ab ea exclusum scribunt, Tyrumque appulisse, & ab inimicis captum, diu vexatum interiisse: alii venisse Tyrum volunt, ut se templi religione, Asyloque tueretur; sed egredientem è navi, ab ejus præfecto cæsum esse. Certè scribunt omnes consentiente Cleopatrâ, fatali maritis suis furiâ, interfectum esse.

Demetrio mortuo Alexander Zebina usurpavit diadema, à quo & Hyrcanus multa obtinuit: nam in ejus quoque partes Judæi transierunt. Demereri enim eos conatus est rex insititius, & cui odium duntaxat Demetrii pepererat regnum.

Hoc quoque anno, quo Consules fuerunt M. Plautius Hypsæus, & M. Fulvius Flaccus, bellari cœptum contra transalpinos Gallos, Salyas, & Allobrogas: neque jam inde Romani timuere bellum, sed duce Fulvio Consule quæsiere. Idem Consul se in magistratu suo seditiosè gessit, & Italos spe civitatis concitavit, quo facto suæ patriæ pessimè consuluit.

Eodem anno Fregellæ Colonia rebellis, ab Opimio Prætore ad deditionem compulsa est. Pulli cujusdam Numitoris proditione. De Fregellanis tamen non triumphavit Prætor, quia triumphus non servatæ, sed amplificatæ Reipublicæ munus erat.

OLYMP. CLXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3930. 930.

Seleucus Quintus, Regum Syriæ decimus quintus, inconsultâ matre Cleopatrâ occupavit imperium, ideoque ab ea interfectus est sagittâ; hæc enim non tantùm venena, sed & tela spargere noverat. Substitutus est ei frater Antiochus, à magnitudine Nasi cognomento Grypus, qui tum Athenis versabatur, unde à matre revocatus est, ut nomine filii imperaret mulier crudelis ex æquo, & ambitiosa.

Aliunde Alexander Zebina magnâ Syriæ potitus parte, ex insolentia regni vix mentis compos negligere cœpit Ptolemæum, cujus operâ regnabat. Itaq; Rex neglectus ad Grypum convertitur, eique filiam Gryphinam mittit uxorem & copias. Exercitu quoque Syriaco ab Alexandro sensim diffluente, eum Antiochus aggreditur ac vincit. Fugit victus Antiochiam, ubi egens pecuniæ, victoriam auream ex templo Jovis rapuit, jocatus sibi superato à Jove datam esse victoriam. Sed cum paulò post Jovis quoque ipsius statuam revellere conaretur, deprehensus in sacrilegio, à multitudine obrutus fugit; verùm in fuga deprehensus à grassatoribus, ad Grypum perductus, ejus jussu vitam, & Regis larvam posuit.

Coss. Romæ dicti C. Cassius Longinus, & C. Sextius Calvinus. Sextius penitus debellavit Sylvas, Coloniam Aquas Sextias deduxit, quam urbem voluit esse perpetuam victoriæ suæ ac nominis monimentum. *Aquæ Sextiæ Colonia Ro.*

---

## CAP. IV.

## *Decas Quarta.*

*Ab anno* 3930. *ad* 3940.

OLYMP. CLXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3931. 631.

COss. Q. Cæcilio Metello, & T. Quintio Flaminio susceptum est Balearicum bellum à Consule Metello adversus Piratas, inconditis navibus pugnantes, sed fundarum jactibus terribiles. Primo impetu latrones illi devicti, repressique in insulas suas, quærendi fuerunt, ut subjugarentur. *Bellum Balearicũ.*

Obiisse creditur hoc anno Polybius Megalopolitanus, anno ætatis suæ 81. Scipionis perpetuus hic comes fuit, cum Panætio Philosopho, & utriusque consilio omnia feliciter Scipioni cesserant; quia semper magna fuit inter arma, litterasque cognatio. *Moritur Polybius.*

Tum Carthaginem deducta est Colonia, annis 22. ab ejus excidio autore C. Graccho, qui eò etiam navigavit, & diebus 70. substitit in Africa. Sed inauspicatò urbs condita videtur fuisse, Stipites enim terminorum indices Lupi revulserunt; unde injecta hæsitatio, quæ etiam perterruit Gracchum ipsum, nihil solitum reformidare. *Colonia deducta Carthaginem autore C. Graccho.*

OLYMP. CLXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3932. 632.

Consules Romæ fuerunt Cn. Domitius Ænobarbus, & C. Fannius Strabo; huic Consulatum dedit Gracchus autoritate suâ, immò eundem deduxit in campum. Sed Fannius potitus magistratu, statim ad optimates transiit, & contra perductorem habuit orationem de asciscendis in civitatem Latinis. Senatus quoque Graccho alium objecit adversarium Livium Drusum hominem popularem, bonis omnibus intentis ad infringendam Gracchi potentiam, unde certa Reip. pernicies expectabatur. *Roma turba ob C. Gracchũ.* *Drusus oppositus C. Graccho.*

Domitius in Arvernos, & Allobrogas movit, quos devicit, ita tamen ut aliis Romanis ducibus materiam relinqueret triumphorum. *Arverni, & Allobroges victi.*

OLYMP. CLXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3933. 633.

Cleopatra Grypi mater ambitiosa cum videret filium suum de Zebinâ victorem, quasi sui juris factum esse, eum tollere veneno destinat. At is de insidiis admonitus, eam ad poculum prægustandum invitat, mox etiam cogit, mulierem propriâ manu perire dignam, quæ tot sibi affinitate, ac sanguine junctos sustulisset. *Grypus Cleopatram venenum bibere cogit.*

Con-

*Vina Opimiana.*

Conſules hoc anno Romæ facti Q. Fabius Maximus, & L. Opimius Nepos; quo tanta cœli ſerenitas, & calor extitit, ut his Conſulibus, collecta vina, ad annos ducentos ſervarentur.

*Fab. M. Allobroges vincit.*

Fabius Maximus bellum confecit adverſus Allobrogas, quibus mixti erant Arverni, eorumque Rex Bituitus. De hujus exercitu cæſi cxx. millia. Ipſe ſponte Romam ut purgaret ſeſe profectus, Albæ in cuſtodia detentus eſt, ejuſq; filius Congentianus Romam mitti juſſus. Pugnatum fuerat ad Iſaram fluvium, & fermè ad ejus confluentias in Rhodanum defixa trophea, ſeu ſaxeæ turres, contra Romanorum morem, qui numquam hactenus ſuis hoſtibus devictis inſultarant. Verùm ſapientiùs Narbonenſem Galliam in provinciam redegerunt dixeruntque Romanorum provinciam, cujus nobiliſſima pars etiamnum hodie retinet nomen. Fabius ex hoc bello triumphum, & nomen Allobrogici retulit, ut quoties appellaretur, rei tam fortiter geſtæ recordaretur.

*Narbonenſis Provincia Rom.*

Opimius alter Conſul in urbe reſtitit ad tumultus Gracchi compeſcendos. Hic Conſul ut vidit C. Gracchi languere gratiam, eam penitus exterminare conatus eſt. Hujus leges pleraſque jam antiquarat Minutius Tribunus plebis, & tum turbabat Carthaginienſium Coloniam. Cùm verba ſatis eſſe non putaret ad Gracchi potentiam fulciendam, Fulvius Flaccus antea Conſul, homo factioſus & præceps, eum ad vim, & ultima conſilia impulit. Quo ergo die Opimius revulſurus erat Gracchanas leges utraque factio primâ luce Capitolium inſedit: cumque rem divinam faceret Conſul, & lictor ejus aliò transferret exta, ſubmovit Fulvii cohortem his verbis, ***date locum bonis, improbi cives***; nec mora longis in ſtylis in eum uſum paratis configitur. Hanc cædem ſtatim refert ad Senatum convocatum Opimius, decerniturque magnâ conſentione, ut videret Conſul ne Reſpubl. detrimentum caperet. Hic Senatores fermè omnes, omnes equites duobus ſingulos ſervis ſtipatos armat, & educit. Mittit Fulvius minorem Filium ſuum, ut pacem à Senatu peteret, ſed remiſſus eſt, ac redire prohibitus, niſi Fulvius, & Cajus ad judicium ſubeundum deſcenderent. Cùm rediiſſet nihilominus, datus eſt in cuſtodiam. Sic facta impreſſio quâ dejecti Fulviani, Fulvius ipſe captus, cum majore filio in balneo trucidatus eſt. Fugit ergo C. Gracchus in Dianæ fanum, inde in Lucum Furinæ, ubi ſe per ſervulum interficiendum curavit. Ejus caput Septimulejus retulit ad Opimium, eique repenſum, ex pacto, par auri pondus, licet pro cerebro in hoc caput plumbum infuſum eſſet. Exinde de ſeditioſis durior habita eſt quæſtio, tria hominum millia cæſi, abjecta pleraque in amnem cæſorum cadavera, urbs luſtrata, conditumque Concordiæ fanum, ad facti hujus memoriam, non tam abolendam, quàm conſervandam, uti Popul. Rom. interpretabatur.

*Opimius Conſul arma expedit in Gracchum.*

*Caditur Gracchus.*

OLYMP. CLXV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3934. 634.

Conſules Romæ P. Manlius, & C. Papyrius Carbo: hic quanquam antea popularis eſſet factus Conſul ad optimates tranſiit, & L. Opimium fortiter defendit. Quintus enim Decius Tribunus plebis Exconſuli dixerat diem; ſed oſtendit Papyrius datum fuiſſe Opimio Dictatoriam poteſtatem à Senatu Populoque Romano. Itaque abſolutus Lucius, probris tamen impetitus à populo: quare poſtea in cauſa Ju-gurthinâ vocatus in judicium, licet innocen damnatus eſt, & ſolum vertere compulſus adeò Gracchorum nex altè Populi mentibus ir hæſerat.

OLYMP. CLXV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3935. 635.

Coſſ. L. Cæcilio Metello, & L. Aurelio Cot
factus eſt Tribunus plebis C. Marius, qui r
pulſarum patientiâ in Curiam potius irrupi
quàm venit. Is erat in Clientela Metellorun
& à Cæcilio Metello ad Tribunatum promot
erat: Cùm tamen iniquam legem ferret de p
morum ſuffragiis, repugnantem habuit L. Co
tam, cui etiam Metellus aſſenſus eſt. Mari
utrumque rapi juſſit in carcerem, nullo col
garum intercedente, pari audaciâ, & ingr
animi labe. Sic eſt injuſta perlata lex, Mar
de Senatu, de Metello, de juſtitia profligatis t
umphavit.

Jampridem exorti erant Numidici tumul
ex quibus bellum Jugurthinum enatum
Jugurtha, Hiempſalis verbo, de adoptione
commotus, eundem in Palatio ſuo necat, ur
occupat, Adherbalem alterum Micipſæ filiu
vincit, ac Romam fugere compellit. Tum
ſperaſſet de rebus ſuis Jugurtha, niſi jamprid
didiciſſet omnia Romæ eſſe vænalia. Hoc i
tur anno miſſus videtur L. Opimius ad inſ
ciendam Numidiam, & motus illos ſapien
ſuâ compeſcendos. Et ſapienter id à Senatu
ctum, ut ab oculis populi Opimius odioſus an
veretur. Verùm ejus ſociis pecuniâ labefact
pars regni melior adjudicata eſt Jugurthæ,
mulcta debuerat irrogari.

OLYMP. CLXV. *Mundi* Urb. Cond
*ann.* 3. 3936. 636.

Conſules dicti ſunt Romæ M. Portius C
& Q. Martius Rex. Hic Narbonam Colon
deduxit, quæ ab eo Narbo Martius dicta. Hu
Martii fortitudo in filii ſui unici morte t
randâ laudatur ab autoribus, ut eum non
tùm in præliis fortem agnoſcas.

Cato autem ejus collega nepos fuit Cenſ
ni, & filius ejus qui Prætor deſignatus patr
vo obiit. Hic Cato vir eloquentiſſimus ext
& in Africam Conſul profectus ibidem o
cui ſuffectum fuiſſe Q. Ælium Tuberonem
Piggio ſuſpicari licet, qui commodus occ
ejus collocandi locus.

OLYMP. CLXV. *Mundi* Urb. Co
*ann.* 4. 3937. 637.

Ptolemæus Evergetes, ſeu Phyſcon in
omnibus, tamque animo quàm corpore d
mis, hoc anno obiit relinquens filios duo
thurum, & Alexandrum, ex Cleopatra ſ

; uxore, aliumque ex pellice dictum Appio-
em, cui regnum Cyrenarum addixit. Porrò
vergetes iste jam reconciliatus Cleopatræ re-
quit ei regnum, simulque potestatem collo-
ndi in solio ex liberis quem ipsa mallet. In-
inabat hæc in minorem Alexandrum; sed
ajorem deligere à populo compulsa est La-
urum, ita vocatum à Ciceroulâ, quâ in facie
tatus erat. Dictus est etiam à quibusdam &
ter, & Pothinus. Huic mater dato regno, u-
rem suam & sororem Cleopatram eripuit, ut
norem Seleucen, seu Selenen substitueret, si-
ulque ostenderet furiosa mater, quo odio in
jores liberos flagraret, quos non nisi invita
gnare patiebatur.

Q. Martius Proconsul in Gallia Sarnos devi-
ad radices Alpium sitos, sed quo loco; ne-
hactenus pronuntiare ausus est. Sarni cum
Romanis impares viderent, occisis liberis atq;
njugibus præcipitarunt in flammas: præoc-
pati autem, & capti aut ferro, aut laqueo, aut
diâ se necaverunt, superstite qui servus vi-
e vellet nemine; tantus, & tam ferox in hac
nte libertatis amor fuit.

Consulatum anni hujus inierunt L. Cæcilius
etellus, & Q. Mutius Scævola Augur, quo
amque Ædilitatem prensavit C. Marius, eo-
nque die, ut ambitiosus bis repulsus est. Me-
ius Consul à devictis postea Dalmatis appel-
us est Dalmaticus, item & Diadematus, quia
prodiit obligatâ facie, propter ulcus. Is ni-
delinquenti populo intulit bellum, & tan-
n ex triumphandi libidine; cumque in ex-
gnanda Salonâ magnam anni partem contri-
et, triumphans in urbem rediit, supplicio
m triumpho dignior.

OLYMP. CLXVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3938. 638.

Consules hujus anni fuere C. Licinius Geta,
Q. Fabius Maximus (aliis Q. Maximus Ebur-
s) quando Adherbal videns sibi regnum
nquendum, aut armis defendendum, copias
at, & ad Cirtham castra locat: verùm hæc
adit noctu Jugurtha, & Adherbalis exer-
m delet, aut fugat. Fugit Cirtham Ad-
bal, illicò obsidetur, victore festinante
conficere, antequam legatorum Roma-
um adventu aut prohiberetur, aut hostis
puli Romani diceretur.

OLYMP. CLXVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3939. 639.

Consules delecti M. Æmilius Scaurus, & M.
cilius Metellus. Scaurus bellum in Ligures
it, ac de iis triumphavit, quanquam ejus pa-
Carbonariam exercuisset, & majores omnes
buisset inglorios; eloquentiâ tamen suâ emer-
ex sordibus, factus & Consul, & Princeps
natus. Quam autem dignitatem solerter as-
utus erat, tam fortiter tutatus est: nam P.
cium Prætorem sibi non assurgentem sur-
e jussit, vestem ejus conscidit, fregit sel-
n, edixitque ne quis ad eum in jus iret;
quanta esset dignitas Consulatus, ex Præ-
toris magni pœna, atque dedecore omnes in-
telligerent.

Senatus admonitus de motu Numidico, mittit tres juvenes in Africam, qui Jugurtham quiescere jubeant. Hic ludificatus Romanos variis in fratrem calumniis, obsidionem urget, certus ubi cepisset Cirtham, ac Adherbalem sustulisset se pecuniis pacem, immò & amicitiam à Romanis impetraturum: usque adeò huic explorati erant Romanorum mores. *Jugurtha jubetur fratrem emittere.*

OLYMP. CLXVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3940. 640.

Hic annus Coss. M. Acilio Balbo, & C. Catone nepote Catonis Censorini, & Africani sororis filio, notatus reperitur in Fastis. Pugnavit is Cato contra pugnacissimos Thracum Scordiscos, qui feritati jungentes industriam, totum ejus exercitum conciderunt. Didius tamen Prætor Consulis ignominiam correxit, ac liberâ populatione vagos Barbaros in suam repulit Thraciam, de quibus & triumphavit, tantâ Prætoris gloriâ, quanto Consulis dedecore. *Catonis Consulis ignaviam Prætor Didius corrigit.*

Adherbal Cirthæ obsessus Romanorum fidem implorat, & auxilium. Mittuntur ad eum nobiles legati, ac inter reliquos Senatus Princeps M. Æmilius Scaurus. Hi cum appulissent Uticam litteras ad Jugurtham mittunt, eumque nomine Senatus ad se vocant. Tergiversatur ille sperans se mox occupaturum urbem. Tandem quia Cirtha defendebatur animosiùs, venire compellitur, ubi & in Scauro se Romanorum integerrimos, pecuniâ labefactasse gloriatus est. *Jugurtha auro corrumpit Scaurum.*

Lustrum conditum est à L. Metello, & Cneo Domitio, quo censa sunt civium Rom. capita 393326. crescente extra modum civitate, neque tot coloniis missis exhaustâ.

---

## CAP. V.

## *Decas Quinta.*

### *Ab anno* 3940. *ad* 3950.

OLYMP. CLXVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3941. 641.

Antiochus Cyzicenus hoc anno contra Antiochum Grypum insurgit, ductâ Cleopatrâ Lathuri uxore, quæ huic dotalem exercitum in Cypro dedit. His copiis auctus Cyzicenus Antiochiâ potitur, & in ea urbe cum uxore magnificè recipitur: Antiochenis semper ad rebellionem, novosque reges excipiendos paratissimis. *Antiochus Cyzicenus in Grypum insurgit.*

Cum legati Romam rediissent, & Cirthæ obsidionem animosiùs urgeret Jugurtha Italici milites quorum maximè virtute urbs defendebatur, Adherbalem invitum ad deditionem faciendam compulerunt, vitâ tantùm impetratâ. Urbe deditâ Adherbal statim excruciatus necatur, multæque parantur in Numidia cædes; quibus permotus Senatus graviter in perfidiosum Regem animadvertere decernebat; sed arti- *Jugurtha cæso Adherbale tantùm non Senatum corrumpit.*

artibus suis & pecuniâ ministri Jugurthæ rem discussissent, nisi C. Memmius Trib. plebis Populum incitasset, cujus tantùm metu repressi Senatores æquitatem Romanam potiùs, quàm Numidicum aurum respectarunt.

*Metellus integerrimus.*

Consulatum Romæ susceperunt C. Cæcilius Metellus Macedonici filius, & Cn. Papyrius Carbo. Metellus Catonis successor rem benè gessit in Macedonia ac de Thracibus irrumpentibus triumphavit. Is postea repetundarum accusatus præclarum accepit à judicibus suis innocentiæ testimonium, utpote cujus tabulas nunquam inspicere voluerint illi, ne de integritate tanti viri dubitasse viderentur.

*Cimbri & Teutones primum visi.*

Eodem anno Cimbri ac Teutones Rhenum fluvium transgressi quod terras eorum Oceanus inundasset, juncti Tugurinis novos quærebant agros. Alpibus ergo superatis fœdam Romanorum, & sociorum stragem edidere. Quidam tamen à Cn. Papyrio victos scribunt, alii eos vicisse volunt Carbonem in Illyrico ad Nerejam oppidum. Verùm quies ad annos aliquot, gentem inquietam nequaquam extitisse victricem, faciliter arguit.

OLYMP. CLXVII. *ann.* 1. *Mundi* 3942. Urb. Cond. 642.

*Cyzicenus victus cæsa Cleopatra à Gryphin.*

Antiochus Cyzicenus, à quibusdam Aspendios, seu Aspendos dictus, quod à fratre Grypo oblata fœdera recusasset, hoc anno victus est prælio, & ab eodem obsessus Antiochiæ. Ad hanc urbem iterum victus, fugere compulsus est Gryphina urbem ingressa Cleopatram quæri jubet, inventamque, reclamante licet marito, interfici, quamquam hæc in templum confugisset. Itaque reginæ amplexanti Deæ simulachrum, primùm abscissæ sunt manus, mox multis est confossa vulneribus; ne sorores fratribus crudelitate cessisse viderentur.

*Livius Drusus Thraces vincit.*

Consules Romæ fuerunt M. Livius Drusus, & C. Calpurnius Piso Cæsoninus. Livio obtigit sorte Macedonia, unde Thraces ita retudit, ut Istrum transire prohiberet: quare de iis triumphavit, quos non timuisse, hactenus triumphi loco ducebatur.

OLYMP. CLXVII. *ann.* 2. *Mundi* 3943. Urb. Cond. 643.

*Cyzicenus victor Gryphinam necat.*

Antiochus Cyzicenus repetito certamine Grypum vincit, ejusque uxorem Gryphinam vivam capit. Quare mox ejus sanguine Cleopatræ suæ manibus parentavit; turpi utique vindictâ, sed hoc tempore, locoque necessariâ.

*Bellum in Iugurtham decernitur.*

Romæ Consulibus P. Scipione Nasicâ, & L. Calpurnio Bestia indictum est Jugurthæ bellum ob crudelitatem in propinquos, & delusum cum legatis Senatum. Africa obtigit sorte Calpurnio, homini ad hoc bellum minimè omnium idoneo, quod auri incredibili cupiditate flagraret. Hoc etiam malè, quod unum ex comitibus suis delegit Scaurum, cujus oculos aurum Jugurthinum jam perstrixerat. Hi itaque ex fictâ deditione Regis, & Elephantorum, pace non factâ, sed venditâ injussu Populi Rom. ex Numidia recesserunt. Relictus exercitus in Africa

*Jugurtha Bestiam Consul. auro vincit.*

grassationibus & rapinis, se sub duce grassatore militasse nimis ostendit.

OLYMP. CLXVII. *ann.* 3. *Mundi* 3944. Urb. Cond. 944.

Consules Romæ creati Spurius Postumius Albinus, & Q. seu M. Minucius Rufus, quando Mummius Trib. plebis Romanum Populum ad vindictam in Jugurtham incitavit. Ita mis sus in Africam L. Cassius Prætor, qui Reger adduceret Romam. Venit ille miserabili cultu sed corrupto priùs Bæbio Trib. plebis, quer opposuit Memmio: sicque, Populo fremen licet, accusatio tota deferbuit. Addidit & a tiquis sceleribus novum crimen, & priora fac nora, de more crimine obvelare conatus e Cum enim Albinus Consul suasisset Massiv filio Gulussæ, nepoti Massinissæ, ut regnu Numidiæ, quasi caducum peteret à Senatu, eu Jugurtha per Bomilcarem sustulit, & sicariu statim remisit in Africam, Quare Rex perfid & crudelis statim Urbe, & Italiâ facessere jussi Albinus cum exercitu properat in Africam, q cum appulisset, adeò se segniter gessit, ut sus cio injecta sit, eum quoque nummis Jugurthi victum succubuisse.

Minucius sortitus Macedoniam Scordis ad Hebrum extensos vastavit: multos tame suis perdidit dum fluvium rigentem glacie c exercitu transit incautiùs: quæ tamen clade triumphi gloriam non ademit.

OLYMP. CLXVII. *ann.* 4. *Mundi* 3945. Urb. Cond 645.

Joannes Hyrcanus Samaritis infensus ob i tas injurias Marissenis, colonis Judæorum, mariam obsidet, eamque duplici muro, ac sâ, per stadia 80. cingit, suisque castris f Antigonum, & Aristobulum præficit. F pressi Samaritani, jamque in vetitos conv cibos, Cyziceni implorant opem: qui eum cessisset ad Judæos ita repulsus est à duobus tribus, ut ægrè effugerit eorum manus, vic bus ejus tergo Scythopolim usque seu Be constanter inhærentibus. Rediit tamen p post acceptis à Lathuro sex armatorum n bus, quibus tamen prædas agebat potius, c aderat obsessis. Tandem veritus adversam tunam, copias suas tradidit Callimacho, & crati, quorum ille dum pugnat incautius Judæis, interfectus est; hic auro Judaico ruptus Scythopolim, & alia oppida frat prodidit. Itaque Hyrcanus deditam Sam sic diruit, & exæquavit solo, ut intellig principem non tantùm suas, sed gentis su jurias ultum esse.

Consulibus Q. Cæcilio Numidico, & M lio Syllano, exclusi Galliis & Hispaniis bri, se in Italiam infuderunt, & à Sena dari postularunt agros; sed rejecti, arm tinere conati sunt, quod precibus non im rant. Itaque Syllanum Consulem sibi obj primo impetu profligarunt, & docuerun cilius Romanis Senatusconsultis, quàm repelli.

A. Albinus Proconsul, Proprætore in castris elicto fratre suo, statim ineunte Januario co-pias educit ad urbem Suthul, in qua Regii thesauri latebant. Verùm inde abstractus à Jugurtha, & in loca periniqua compulsus, sub jugum missus, inter decem dies ex Numidiâ præceps dicitur. Frater ejus P. Albinus abolere meditabatur ignominiam, sed militi solutissimæ disciplinæ confidere ausus non est: itaque metu propriæ cladis, frater nam patienter tulit. Romæ Mamilio Tribuno plebis autore instituta quæstio est de corruptis auro Jugurthino: Sed cum in hoc judicium se Scaurus intrusisset, in ...ntos abiit; cum de latronibus, prædo pronunciatus esset.

Itaque una Populo Romano spes in Metello Consule fuit, cui sorte obtigerat Numidia. Is primum militarem disciplinam in suo correxit exercitu; quod cum didicisset Jugurtha, sicut Ducis sibi objecti integritatem, de vera deditione cogitavit. Sed cautè cum eo agebat Metellus, neque spem adimebat ei, neque injiciebat desperationem. Multa oppida cepit, inter ...tera Vaccam; totamque regionem populatus, etiam Zamam Regiam urbem obsedit, irrito tamen conatu. Tandem Jugurtha suadente Bomilcare deditionem veram fecit: atenim ...oliatus viris, armis, pecuniâ imprudentissimè ...iliit, & bellum de integro reparavit. In eo ...e fortissimè gesserunt Rutilius, & Marius, ...i tam egregiam operam navarunt Metello, ...àm Jugurthæ nocuerunt.

OLYMP. CLXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3946. 646.

Consulibus Servio Sulpitio Galbâ, & M. Au...io Scauro prorogatum est Metello in Numi... imperium. Marius ad Consulatum obti...ndum cum Numidia, missionem petit à Me...o, & tandem impetrat, cum ei jam utilis ... non posset propter invidiam. Vaccenses in...a Romanum præsidium interficiunt; mox à ...tello subacti atrociter castigantur. Jugurtha ...quot suorum cæsis, qui proditionem molie...atur, de suis omnibus diffidere incipit. Me...us Thallam oppidum obsidet; victo priùs in ...ere Jugurthâ; sed urbs incenditur ab oppi...is cum omnibus divitiis ac civibus. Tandem ...urtha fugit ad Getulos, inde ad Bocchum ...erum quos ad belli consortium invitavit. Ab instructus novis copiis redit ad Cirtham ur...n adversus Metellum, jam segnius bellum ...entem, quia Marium expectabat successo...n, nec inimico suo materiam triumphi para...aldè cupiebat.

Scaurus cui obtigerat Gallia tertiam à Cym...s accepit cladem, victus ab iis, & exutus ...rcitu. Meliùs Q. Servilius Cæpio pugnavit ...rebelles Lusitanos, de quibus Proprætor ...mphavit. Ita Romanis fortuna lætis adversa ...miscebat.

OLYMP. CLXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3947. 647.

Romæ Consulatum gessere L. Cassius, & C. ...arius; quorum hic sine sorte Metello subrogatus est, fremente totâ nobilitate. Quæ res sic Metellum pupugit ut ejus aspectu carere voluerit, parum fortiter sibi factam ferens injuriam. Receptus tamen Romæ magnificè, concessusque ei triumphus cum titulo Numidici, licet Numidiâ nondum devictâ, quibus honoribus Populus Romanus ei utcunque satisfecit.

Marius bellum exorsus, duos Reges sibi insidiantes devicit; Capsum oppidum cepit, ac diripuit, Mulacham munitissimam urbem operâ Liguris per saxa enitentis occupavit: Bocchum denique & Jugurtham primùm repulit, deinde semisopitos devicit ac profligavit. Tum L. Sylla Quæstor in ejus castra cum equitatu veniens, quis aliquando futurus esset ostendit, eumque Marius expertus est, qualem se in Metellum ipse præstiterat. *Marius rem benè gerit.*

Consulum alter Cassius in Gallia rem pessimè gessit. Nam Tigurinos aggressus ab iis cæsus est cum magna exercitus parte, superstites sub jugum missi, datis obsidibus, & dimidiâ parte rerum suarum oblata, dimissi sunt incolumes ad externam ignominiam. *Cassius cæsus à Tigurinis.*

OLYMP. CLXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3948. 648.

Consulibus Q. Servilio Cæpione, & C. seu Q. Atilio Serrano, in Numidia continuatum est C. Mario imperium. Is Jugurtham, & Bocchum ad Cirtham devicit, maximè opera Syllæ; quo tamen in prælio victoriam tantùm non retulit Jugurtha, à se occisum Marium mentitus. Sylla deinde legatus missus ad Bocchum, ei persuasit, ut sibi generum traderet. Diu fluctuavit Bocchus utrum Syllam Jugurthæ, an hunc Romanis traderet; tandem virorum fortium amicitiam, Numidicæ perfidiæ anteponendam duxit, vinctum Jugurtham obtulit Syllæ, ut is confecti belli Numidici gloriâ frueretur, quam ingratè Metello Marius abstulerat; sicque ingratus per ingratum dependit pœnas. *Iugurtha à Boccho traditur Syllæ.*

Q. Cæpio cui obtigerat Gallia, Thesauros ex templo Apollinis Delphici raptos quondam à Gallis, & in Tolosates lacus, ad pestem arcendam projectos colligi jussit, ac tandem sublatis custodibus sibi vindicavit, centum millia pondo auri, argenti centum decem millia, seu in genere ad quindecies centum millia talentûm, hoc est fermè duodecim milliones librarum Turonicarum. Sed ea pecunia & Duci, & militibus suis fatalis fuit, hanc quisquis attigit, malè periit, quare inter fatalia numeratum est *Aurum Tolosanum*. *Aurum Tolosanum Cæpioni funestum.*

Hoc anno nata sunt magna duo Reip. Romanæ lumina M. Tullius Cicero Arpini, ex matre Helvia, patre equite, non ex genere Tulli Regis quod nonnulli fabulati sunt; neque enim vix appetentissimus gloriæ, id de se prætermisisset; immò negat se ad familiam M. Tullii patricii pertinuisse, qui decennio post exactos Reges cum Servio Sulpitio Camerino Consul fuit. Natus item novem mensibus post Ciceronem Cn. Pompejus, cognomento Magnus, quo anno I. Crassus legem Serviliam suasit de communicandis Senatui, & equitibus, judiciis. Horum sane ortu hic annus notandus fuit, quorum nomine *Nascitur Cicero.* *Nascitur M. Pompejus.*

mine Romana deinceps hiſtoria perſonabit.

OLYMP. CLXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3949. 649.

*Clades Luſitanica Rom.*

Conſules hujus anni fuere P. Rutilius Rufus, & C. Manilius, aliis Cn. Mallius, quando Romanam urbem magnus luctus implevit. Cæſus eſt enim in Luſitania Romanus exercitus; deletus eſt & in Gallia in qua Conſules duo provinciam Rhodano fluvio partiti fuerant: ſed dum inter ſe invidiâ, & contentione potiùs quàm armis cum hoſte pugnant, victi ſunt ambo à Cymbris, Teutonibus, & Tigurinis qui in excidium Urbis convenerant. Cæſi ſunt præter M. Aurelium Scaurum, duo Conſulis liberi, octoginta Romanorum, & ſociorum millia, quadraginta millia lixarum, & calonum, atque ex tanto exercitu vix decem ſuperfuere; adeò ut nihil prædæ victor, nihil miſericordiæ victus agnoſceret. Maxima odii pars in Cæpionem derivata eſt, in quem C. Norbanus inſurrexit, effecitque ut illi abrogaretur imperium, conjiceretur in carcerem, laceraretur carnificis manu, corpus in Gemonias Scalas abjiceretur. Alii in exilium abiiſſe malunt, & ab eo relicta bona filios ejus inter ſcorta turpiter abliguriviſſe. Is ſcilicet caſus Auri Toloſani poſſeſſorem manebat.

*Major in Gallia à Cymbris victis Scauro, & Cæpione.*
*Cæpio caditur manu tortoris.*

*Marius ordinat Numidiam.*

Marius Numidiam provinciam ordinavit jam ante multis bellis concuſſam, exhauſtamque, & in apparando triumpho temporis aliquid inſumpſit, cum ei nobiliorem Populi Romani fortuna pararet.

OLYMP. CLXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3950. 650.

*Hyrcanus moritur.*

Mortuus eſt hoc anno Joannes Hyrcanus Pontifex, Dux & Prophetes Hebræorum, à quo primum Macchabæorum librum ſcriptum ferunt. Succeſſit ei filiorum natu maximus Ariſtobulus, qui ſibi primus impoſuit Diadema. Hic matrem à patre ſibi regni conſortem relictam in vinculis enecavit fame: fratrem ſuum Antigonum ſecundo loco genitum ſic amavit, ut eum vocaret in regni partem, reliquis fratribus detentis in cuſtodia. Hunc tamen paulò poſt, alienatus ab eo, per calumnias Salomes, ſeu Alexandræ uxoris ſuæ, quaſi is totum ſibi affectaret regnum, crudeliter ſuſtulit. Ariſtobuli conſilio, & fortitudine Ituræi accepere circumciſionem, & Judæis aggregati ſunt. Tum cæſi fratris eum cœpit pœnitentiâ, & ſanguinem ſuum, eo evomuit in loco quo fratris ſanguinem effuderat. Rex tantùm unius anni, & diuturniori potitus vitâ, quàm exigeret fratricida ſimul atque matricida.

*Ariſtobulus ei ſuccedit.*

*Antigonus fratrem necat & matrem.*

*Triumphanti Mario, datur Conſulatus cum bello Cymbrico.*

Romæ creatus eſt ſecundùm C. Marius, eique ſine ſorte decreta Provincia Gallia, cum bello Cymbrico, ejus collegâ C. Flavio Fimbriâ nihil reclamante. Eodem ergo die quo Conſulatum iniit, triumphavit de Jugurtha, quem Populo Romano, cum duobus liberis propoſuit, paulò poſt in carcere ſtrangulandum, vel ſextidui fame necandum. Is Romæ finis fuit hujus Regis, qui pollicitus erat ſe venditurus Romam, ſi reperiret emptorem.

*Jugurtha necatur.*

Barbari victores in Hiſpaniam reflexerun
iter, magno Marii commodo, qui militem tot
hoc tempore induravit, & exercuit; quando &
magnæ æquitatis ſpecimen edidit. Cum enim
Trebonius adoleſcens Luſium Marii ex ſoror
nepotem à quo de ſtupro interpellatus erat in
teremiſſet, coram Mario vocatus in judicium
non modo innocens judicatus eſt, ſed & coron
virtutis ergo donatus; pudicitiâ tum inter ho
mines inquinatiſſimos triumphante: quæ æqu
tas cum fortitudine, & caſtimonia conjunct
judici tertium peperit Conſulatum.

---

## C A P. VI.

## *Decas Sexta.*

### *Ab anno* 3950. *ad* 3960.

OLYMP. CLXIX. *Mundi* Urb. Cond
*ann.* 2. 3951. 651.

ARiſtobulo fratri ſucceſſit Alexander Ja
næus, quem ſtatim Salome demortui R
gis uxor, ætate ac modeſtiâ cæteris præcelle
tem vinculis ſolvit. Eum pater Hyrcanus oc
rat; quia huic oranti pro duobus aliis libe
Ariſtobulo, & Antigono, Deus eis Jannæu
ſucceſſorem indicarat, ideoque eum in Gallila
procul à ſuis oculis nutriendum curarat. Is
principatus initio fratrem ſuum inſidiantem
bi interemit (nomen Joſephus tacet) alter
Abſalonem privatâ contentum vitâ in deli
habuit; ex æquo ſeverus, & juſtus.

Romæ tertium Conſulatum geſſit C. Mari
cui adjunctus eſt collega L. Aurelius Oreſt
eodem anno vitâ functus. Barbari in Hiſpa
pugnantes à Celtiberis repreſſi, verſus Itali
dirigunt iter, quam ſuâ fortitudine dignam
dem judicabant.

Cn. Domitius Trib. plebis legem tulit ut
cerdotes quos antea collegæ ſufficiebant, Po
lus crearet; ipſe primus Pontificatum Ma
mum novi hujuſce tumultus præmium à
pulo retulit.

Servile bellum gliſcebat in Sicilia part
Prætorum ſocordiâ, partim nequitiâ ſervoru
partim dominorum ſeveritate. Itaque Salv
neſcio quis ſe Tryphonem nominans, aſſum
regni inſignia, & militiæ ſuæ Principem At
nionem alium ſervum dixit. Mox tamen d
ab eo ſibi timet, captum conjecit in vincula
Salvium miſſus à Senatu Lucullus cum ſept
decim armatorum millibus, ut hunc tumult
compeſceret. Hoc apparatu territus Sal
Athenionem ſolvit, eumque quadraginta
rum millibus præficit. Pugna committitur,
in ea Athenio 20. millia ſuorum perdidit,
multis debilitatus vulneribus, jacuit i
mortuos; reliqui Tricalam fugerunt; ubi
ſtra obſeſſi à Lucullo, qui meliùs hoc incho
bellum, quàm geſſit.

Turpilius Comicus mortuus eſt Sinue
Neapoli item obiit Lucilius ætatis ſuæ 46. fu

e publico elatus, quamquam ſcripſiſſet Saty-
as; quia tum malos mores carpere, periculo-
um non erat.

OLYMP.CLXIX. *ann.* 3. *Mundi* 3952. Urb.Cond. 652.

Creatus eſt quartùm Conſul C. Marius fin-
ens recuſare conſulatum, & à Saturnino Trib.
lebis, hiſtrionicâ colluſione, patriæ proditor
pellatus, niſi dignitatem oblatam acceptaret,
iam vehementer exoptabat. Huic collega ad-
nctus eſt Q. Lutatius Catulus. Cumque biſa-
um diviſi eſſent Barbari, Cymbri per Nori-
m Italiam ſubirent, Teutones verò per Gal-
s; his Marius objectus eſt. Statim ergo in
lliam provinciam ſuam venit, caſtraque ad
odani oſtium communit, foſsâ ingenti ad
mmeatum ductâ. Hunc Teutones ad certa-
en provocant, & pugnare detrectantem in ca-
is adoriuntur, ubi tamen malè accepti, per-
nt verſus Italiam Romanis incluſis inſultan-
. Hos tamen mox inſecutus Marius ad Aquas
tias captato commodiore loco aggreſſus de-
it. In eo certamine virtus mulierum Teuto-
arum enituit, quæ caſtra acerrimè defende-
it: miſerunt & ad Marium legatos, vitam tan-
n deprecatæ ut Veſtalibus ſervirent; ſed re-
liatæ prius eliſis, aut trucidatis liberis om-
ſeſe peremerunt. Reliqua pars Barbarorum
a Marcello iniquiore loco congreſſa pri-
m, mox etiam in patentibus campis, & æquo
rte, ita deleta eſt, ut plus ducentis millibus
ierint, octoginta millibus in ſervitutem
uctis. Tantaque hîc edita eſt ſtrages, ut diu
tea cæſorum oſſibus vites ſuas indigenæ ſep-
nt.

n Italia Catulus par Cymbris non erat. Hi
n Romanos terruerant audaciâ ſuâ ex mon-
s ſuper clypeos ſuos inter nives devoluti.
trà iis Athiſonem fluvium (quem malè qui-
cum Atheſi confuderunt) Catulus objecit:
enim fluminis perfregerunt pontem. Et
ne fugiſſe Romani tumultuariò recedentes
rentur, Conſul iis præmiſit Aquilam, ut ab-
ubente duce, non fugere metu compellen-
derentur. Ita regio fertiliſſima Barbarorum
ılationibus objecta eſt, tanta infamiâ, ut
lus à collega ſuo Mario auxilium poſtula-
geretur.

ucullus ob ignaviam, aut avaritiam nihil
um laude deinceps geſſit in Sicilia; ideò
tundarum accuſatus, quaſi plus Siculis,
n ſervis nocuiſſet. Neque ſeſe meliùs geſ-
ervilius; ideò pœnas dependit exilio. Mor-
inter hæc Salvio, ſeu Tryphone, Athenio
ſubſtitutus oppugnavit urbes, univerſam-
Siciliam depopulatus, tantâ potitus eſt præ-
t regio more viveret, & adminiſtraret bel-

. Antonius Prætor in Ciliciam prædones
utus, eos ad fugam, quàm ad prælium ex-
s eſt aptiores.

LYMP.CLXIX. *ann.* 4. *Mundi* 3953. Urb. Cond. 653.

onſulatus quintus Mario tum quoque ne-
rio delatus eſt, eique adjectus Marcus, vel
Manius Aquilius collega. Hujus dignitatis nuncium Marius accepit, cum devictorum Teutonum armis facem ſubjecturus eſſet. Immò & in Urbem revocatus, triumphare noluit, ſed ad Catulum profectus, evocatis copiis cum Cymbris conſtituto loco ad Vercellas conflixit, eoſdemque vicit. Ita tamen, ut ad ejus milites præda, ad Catulianos ſpolia, ſigna militaria, tubæque pertinerent; unde intellectum ab iis maximè relatam eſſe victoriam. Mario tamen hujus facti attributa laus, dictuſque eſt tertius urbis conditor, & huic ſoli triumphus oblatus eſt, cujus voluit participem eſſe Catulum, minus ex modeſtia, quàm ex timore Catulianorum militum, quos non credebat Ducis ſui toleraturos injuriam.

*Cimbri ad Vercellas profligati.*

*Triumphat Marius, & Catullus.*

Aquilius Marii collega Servile bellum in Sicilia poſt quadriennium confecit ſervis ingenti prælio devictis, & Athenione ſingulari certamine proſtrato, atque cæſo, ubi tamen in capite luculentam plagam accepit. Multi ex ſervis ad publicas aras ſeſe ferro confecere, multi ad beſtias damnati; adeò ut ſcribat Athenæus hoc bello centum myriadas ſervorum interiiſſe.

*Aquilius conficit bellum Siculum.*

Hoc item anno L. Apulejus Saturninus, homo nequam, & à Metello Cenſore aliàs merito notatus, A. Nonio competitore ſuo cæſo, fit Tribun. plebis, cui ſe ſtatim adjunxit ſpe ſexti Conſulatus C. Marius, dignum tali patellâ operculum.

*Apulejus Trib. pleb.*

OLYMP. CLXX. *ann.* I. *Mundi* 3954. Urb. Cond. 654.

Ptolemæus Lathurus à Cleopatra matre pulſus Alexandriâ in Cyprum profectus eſt. Eripuit inſuper ei mater Seleucen uxorem, ex qua jam duos liberos ſuſceperat: Sed & ſubſtituit eidem natu minorem filium Alexandrum, ſeu Alexan, improbæ matris amore ſcelerato digniſſimum.

*Lathurus Alexandria pellitur à matre.*

Romæ C. Marius ſextum Conſulatum magnâ vi pecuniæ per tribus pronunciatâ, conſecutus eſt, quando & L. Valerium Flaccum aſſeclam potius, quàm collegam obtinuit. Tum autem decrevit evertere Metellum Numidicum, ex bello Jugurthino, aut veriùs ex virtutis odio inimicum, ideoque ſibi Apulejum, & Glauciam Tribunos plebis factioſos, & quondam à Metello Cenſore notatos adjunxit. Ab iis lata lex de diviſione agri Gallici, adjectâ pœnâ, ut qui in eam intra dies quinque, non juraret, 20. Talentis, pulſus è Senatu, mulctaretur. Finxit ſe huic rogationi obſiſtere Marius, ſed mox prævaricatus eſt: Metellus conſtans in propoſito quamvis videret bonos omnes à ſe ſtare, veritus tamen cædem, Urbe ceſſit, oſtenditque cives, ſibi honore ſuo eſſe chariores. Hoc facto elati Apulejus, & Glaucias, adjuncto ſibi Graccho neſcio quo adſcititio, qui ſe Tiberii Gracchi filium mentiebatur, Memmium Glauciæ competitorem in Tribunatu per ſatellites ſuos in foro fuſtibus necant; ſed mox ab ipſo Mario in Capitolio obſeſſi, tegulis è curia projectis interfecti ſunt; atrociori ſupplicio digniores.

*6. Marii Conſulatus emptus pecunia.*

*Marius Metellum Numidicũ ejicit.*

*Apulejus & Glaucias à Mario caſi.*

*Ovat. Aquilius.* Ovationem tantùm retulit ex Servili bello M. Aquilius, ne triumphi dignitas Servili inscriptione vilesceret.

*Nascitur Iul. Cæsar.* Tum quoque natus est C. Julius Cæsar, de quo dubium an plus patriæ nocuerit quàm profuerit; habuit enim in suis moribus aliquid simile & geminum ventis, atque tempestati.

OLYMP. CLXX. *ann.* 2. *Mundi* 3955. Urb. Cond. 655.

*Alexander Iannæus Ptolemaide obsidet.* Alexander Jannæus benè usus contentione Cyziceni atque Grypi ad Ptolemaidem copias admovet, relatâque de civibus victoriâ, eos intra mœnia compulsos obsidet. Evocant illi in auxilium suum Laturum tum in Cypro regnantem: sed autore Demeneto mox consilium mutant, & venientem quoque excludunt Ptolemæum. *Evocatur Lathurus.* Jannæus in Zoilum & Gazæos arma convertit: illi confugiunt ad Lathurum; sed Jannæus eos prævenit, pacemque cum Lathuro fecit eâ lege, ut agros Zoyli Judææ attribueret, quod & præstitit. Interea idem Jannæus perfidiosissimè Cleopatram ad Lathurum opprimendum advocat. *Perfidè agit cum Lathuro Iannæus.* Quo agnito Lathurus cum proditore fœdus abrumpit, & Judæis infensissimus, ne Ptolemais veniret in Judæorum manus, eam obsidet. Pacem etiam init cum Cyziceno, quod verita Cleopatra submittit ingens auxilium Grypo, & filiam suam Seleucen ereptam Lathuro. *Cleopatra Grypo favet.* Sic crudelis mater, & impia liberorum suorum nuptiis turpiter abutebatur.

*Metellus revocatur ab exilio.* Romæ sub Consulatu M. Antonii, & Auli Postumii Albini, interemptis Tribunis plebis factiosis, Metellus acclamationibus populi revocabatur ab exilio: & de ejus reditu jam rogationem tulerat Q. Calidius Tribunus plebis; cum Marius opposuit Furium quendam, qui huic legi intercederet. Ad hujus Tribuni plebis pedes abjectus Metelli filius, & lacrymans, nihil tum quidem obtinuit; sed à Populo Pii nomen accepit. Immò & mox accusatus coram Populo per Canulejum Tribunum plebis idem Furius, non expectatâ defensione à suis ipsis judicibus discerptus, majores pœnas Metellis dedit, quam ipsi peroptaffent. Metellus itaque exul communibus Populi suffragiis, & gaudiis revocatus est. *Marius exit ex urbe & semina jacit belli Mitridatici.* Quam ob rem iratus Marius statim in Cappadociam navigavit, specie ut Matri Deûm vota persolveret, revera ut Metelli conspectum vitaret. Hîc quoque Marius semina belli Mitridatici jecisse dicitur, dum Regem monuit aut Romanos colere, vel delere; iisdemque vel plus posse, vel subesse: neque enim Romanos Mitridatem tam potentem, diu intactum laturos.

*Elephantes in circo pugnant.* Tum Dolabella de Lusitanis triumphum retulit ex Hispania. Tum quoque primum in Ædilitate Claudii Pulchri pugnarunt elephantes in circo: ne deessent illæ feræ voluptati Romani Populi, quæ aliàs huic tanto terrori, damnoque fuerant.

OLYMP. CLXX. *ann.* 3. *Mundi* 3956. Urb. Cond. 656.

*Victus Iannæus à Lathuro.* Ptolemæus Lathurus relictis ducibus in obsidione Ptolemaidis, contra Jannæum ducit ipse copias suas, ejusque aliquot urbes occupat. Occurrit ei ad Jordanem Alexander cum 50. mil[...] libus Judæorum, consertoque prælio, tam mult[...] ab Ægyptiis confecti Judæi, ut cedentium hebe[...] scerent gladii & præter captivos, triginta mil[...] lia cæsi jacerent. Hujus victoriæ fuere fructu[...] Ptolemais & Gaza Ptolemæo redditæ; perfidi[...] suæ pœnas ingentes Jannæus dedit.

His acceptis nunciis Cleopatra conflato exe[...] citu cum Alexandro filio, Phœnicem appellit & Ptolemaidem subire cogitat; verùm à Ptol[...] maide præsidio repellitur. Irata mulier urbe[...] oppugnari jubet. Quibus auditis Lathurus r[...] lictâ Syriâ venit in Ægyptum quasi eam rec[...] peraturus. Sed inde fugatus est ab exercitu Cle[...] patræ, & Gazæ hyemare compulsus. Inter[...] Cleopatra Ptolemaidem occupat, ad quam Ja[...] næus accessit cum muneribus, & in urbe Sc[...] thopoli cum ea contraxit amicitiam, quæ in[...] infidos solet coalescere.

Romæ consequutus est Consulatum op[...] Metelli Numidici, reducis. Q. Cæcilius M[...] tellus nepos, cui datus est collega T. Didiu[...] horum operâ lata lex dicta Cæcilia-Didia, [...] legibus non ferendis per Saturam, tum eti[...] de iisdem trinundino promulgandis; qui[...] improborum temeritas, quoad licuit, repr[...] est atque castigata.

Hic est T. Didius, qui Thraces Prætor [...] muerat; neque minùs in Consulatu felix f[...] Nam missus in Hispaniam Vaccæorum [...] millia delevit; Termissum oppidum, sem[...] infidum transtulit in planitiem, & sine mœ[...] bus jussit esse; Colendam aliam urbem 7.m[...] sium obsidione ad deditionem compulit, c[...] cives ex rapto vivere solitos partim vendid[...] partim trucidavit. Sub hoc Consule Serto[...] rudimenta militiæ posuit, & quis aliquando [...] turus esset Imperator, tum miles ostendit.

M. Aquilius repetundarum accusatus à [...] Antonio ita defensus est, ut suis vulner[...] aliquid, cætera patroni sui deberet eloqu[...] tiæ.

OLYMP. CLXX. *ann.* 4. *Mundi* 3957. Urb. Cond. 657.

Jannæus nihil jam sibi à Lathuro refor[...] dans ingreditur Cœlesyriam, ibique Gada[...] post decem mensium obsidionem, & Amat[...] ta capit; cum tamen priùs suorum decem [...] lia perdidisset & impedimenta, exitu læti[...] quàm principio.

Iratus item Gazæis quod contra se Lathu[...] accivissent Raphiam & Anthedonem in e[...] agro sitas occupavit: unde intellexere Gaz[...] sibi cladem imminere, antemuralibus e[...] exscisis, aut occupatis.

Romæ Consules fuere Cn. Cornelius L[...] lus, & C. Licinius Crassus: hic in Lus[...] rem tam feliciter gessit ut triumphum m[...] tur. Censuram hoc anno gessere M. Ant[...] orator, & L. Valerius Flaccus, à quibus S[...] motus est M. Duronius, quod legem de su[...] bus conviviorum Tribunus plebis abrog[...] sed postea vicissim ambitus postulavit [...] nium tam malus civis, quàm accusator.

Tum quoque Romæ accuratè prohibita ſunt
iumana ſacrificia, & nefariæ magorum ſuper-
titiones, aliaque ejuſmodi in perniciem huma-
ii generis à Dæmone, aut ejus aſſeclis compa-
ata.

OLYMP. CLXXI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3958. 658.

Ptolemæus Apion Lathuri nothus frater Rex
yrenarum, moriens regni ſui hæredem Popul.
omanum ſcripſit: quare Senatus ut oſtende-
et legantis prudentiam, & quam ſanctos hæ-
edes elegiſſet, omnes hujus regni civitates libe-
is eſſe juſſit. Quidam tamen hoc regnum tum
provinciæ formam redactum volunt; neque
commodo regni, neque ex honore Romano-
im.

Gazam obſedit Jannæus, & eam Lyſimachi
ujuſdam proditione occupavit. Primum e-
im pacatè urbem ingreſſus, deinde locis publi-
is potitus, in eam milites immiſit cum omni li-
entiâ furandi atque cædendi. Sed Gazenſes
on inulti periere. Quidam enim incende-
int ædes ſuas, ne bonis eorum miles frueretur,
uidam mactarunt liberos, uxoreſque ſuas ne in
rvitutem abducerentur; denique Rex victor
uingentos Senatores qui in Apollinis tem-
lum confugerant jugulavit, totam urbem di-
uit civibus vacuam & incenſam; in quam du-
itari poſſit, an victi, an victores atrociùs ſævie-
nt.

Reducem in urbem Hieroſolymam Jannæ-
n excepit ſeditio, in quâ & Dux & Pontifex
pularibus jocis appetitus eſt, quos tamen ſex
illium ſanguine ultus eſt; ultione quæ ne-
ie Principem, multò minùs Pontificem ſa-
eret.

Antiochus Grypus inſidiis Heracleonis cujuſ-
im interceptus finem regnandi, vivendique
cit. Succeſſit ei filiorum natu maximus Se-
ucus ſextus, hæres paternæ ditionis; & infeli-
itatis.

Romæ Conſulatum inierunt Cn. Domitius
nobarbus, & C. Caſſius Longinus, quorum
omina duntaxat appellantur in Faſtis.

OLYMP. CLXXI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3959. 659.

Antiochus Cyzicenus egens pecuniæ ſtatuam
ovis auream cubitorum quindecim conflari
iſſit, aliamque ex viliori materia, inauratam
intùm, Antiochiæ reponi, paulò antequam vi-
im amitteret, & regnum. Statim enim præ-
o cum ſuo nepote Seleuco congreſſus, victus,
que captus juſſu victoris cæſus, & vitam, & pe-
inias perdidit. Parenti ſucceſſit Antiochus
uſebes, ſive Pius, ita dictus, quod ſe paternæ
ecis vindicem profeſſus eſſet; alii tamen ſic iro-
icè vocatum volunt, quod Selenen nuptam
rius parenti Cyziceno, & patruo Grypo duxiſ-
et uxorem. Is Aradum ingreſſus impoſuit ſibi
iadema: fruſtra eum perdere conatus eſt Seleu-
us; nam & ejus vitavit dolos, & ad vim quoque
rcendam copias comparavit.

*Licinia-Mutia lex.*

Conſules anni hujus L. Licinius Craſſus, & Q. Mutius Scævola tulere legem quæ Licinia. Mutia dicta eſt, de redigendis in ſuas civitates ſociis, qui paſſim ſe pro Romanis civibus gerebant. Quæ licet utilis, originem bello Sociali dedit. Craſſo obtigit Gallia citerior, in quâ graſſatores Provinciam infeſtantes ſuſtulit, neque tamen de iis triumphavit, ei collegâ jure ac meritò repugnante. Aſia verò Scævolæ obvenit, quam tam ſanctè, caſteque adminiſtravit, uti etiam Prætor tribus ab hinc annis rexerat, ut vulgo in exemplum aliis magiſtratibus proponeretur, atque in ejus honorem Mutia feſta; totâ Aſia celebrarentur.

*Scævolæ in Aſia ſanctimonia.*

OLYMP. CLXXI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3960. 660.

*Seleucus victus ab Euſebe, exuritur à Mopſueſtenis.*

Antiochus Euſebes Seleucum vincit, atque expellit ex Syriâ. Hîc delatus in Ciliciam à Mopſueſtenis recipitur. Verùm dum tributa à civibus exigit, eorum concurſu facto in Regiâ, vel Gymnaſio crematus cum amicis, nec ſatis cautus, neque ſatis fortis interiit.

*Iannæus ſuis odioſus.*

Alexander Jannæus ob inauditam in ſuos crudelitatem Piſidis, & Cilicibus ſatellitibus latus ſuum vallat; deinde ne otium pareret civilem ac domeſticam diſſentionem, ſuſcipit expeditionem, in Arabiam adverſus Moabitas, & Galaaditas. His igitur populis ſubactis, imperatoque tributo Amathuntem regreſſus, ejus caſtellum diruit, quod non ita pridem Theodorus Zenonis filius cum decem millium Judæorum cæde occuparat. His confectis ulteriùs etiam pergere decrevit, & Obedam Arabum Regem appetere bello; verùm ab ejus Camelis obtritus totum ferè amiſit, exercitum, ac timoris atque dedecoris plenus ægrè Hieroſolymam repetiit, jam minùs timendus, neque tamen minùs odioſus.

*Belli Mitridatici fermentum.*

L. Sylla Proprætor ex Senatuſconſulto Ariobarzanem Cappadociæ regno reſtituit, ejecto Gordio duce Mitridatis. Huic regno Rex ille Ponticus filium ſuum præfecerat, cæſo Ariarathe. Quæ expeditio Mitridatici belli fermentum fuit.

*Flacci res geſtæ in Celtiberia.*

Romæ Conſulatum obtinuere C. Cælius Caldus, & L. Domitius Ænobarbus, de quorum rebus geſtis nihil habemus, ſed multa de Flacco Prætore, qui tum regebat Celtiberiam. In urbe Belgidâ populus ad rebellionem ſpectans, cunctantem Senatum exuſſit: accurrit Flaccus, multitudinis armatæ viginti millia cædit, eorumque ſanguine accenſam ſeditionem reſtinguit. Aliquot item urbes diruit ad rebellionem ſpectantes, cæſis earum Principibus; unde Romam reverſus Conſulatum ſuæ fortitudinis, & Induſtriæ præmium retulit.

* * * *
* * *
* *
*

CAP.

## CAP. VII.

### Decas Septima.

*Ab anno* 3960 *ad* 3970.

OLYMP. CLXXI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3961. 661.

*Antiochus victus ab Eusebe.*

SEleuco sublato succedit frater ejus Antiochus, alter Grypi filius, qui regnum eripere Eusebi conatus est; sed uno prælio victus, & vitam, & regnandi voluntatem perdidit. Frater ejus Philippus, damno propinqui sui factus sapientior, non ausus cum Pio congredi partem duntaxat Syriæ occupavit, & in ea placidè vixit, plus vitæ, & otii, quam honoris, & regni sollicitus.

*Philippus ejus frater cautior.*

*Iudicium Rutilii celebre.*

Romæ Consules dicti C. Valerius Flaccus, & M. Herennius nepos, sub quibus P. Rutilii Ruffi judicium celebratum est, magna rei gloriâ, judicantium dedecore, opprobrio Romanæ civitatis. Is summæ innocentiæ, & integritatis vir legatus Q. Mutii (non C. Marii ut aliqui perperam legunt) Asiam à Publicanorum injuriis & rapinis defenderat. Ab iis accusatus coram Equitibus, ejusdem farinæ hominibus, nullum demissi animi indicium præ se tulit, & damnatus injustissimè Smyrnam secessit, ubi in litterarum studio consenuit, nactus in suo infortunio felicitatem.

OLYMP. CLXXII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3962. 662.

*Demetrii Eucari regnum.*

Tertius Antiochi Grypi filius Demetrius cognomento Eucærus, exemplum fratris sui Philippi secutus, & fretus auxilio Lathuri Cypriorum Regis Damascum occupat, & in hac parte Syriæ regni sui sedem figit. Tum conjunctis cum fratre viribus aggreditur Eusebem; sed hic fratres fortiter repulit, & penitùs obtrivisset, nisi aliena quàm sua curare maluisset.

*Censura Crassi & Domitii contentiosa.*

Consules erant Romæ C. Claudius Pulcher & M. Peperna seu Perperna nepos, sub quibus Censuram gessere Cn. Domitius Ænobarbus, & L. Crassus orator, sed propter dissimilitudinem morum contentiosissimam. Domitius exprobravit Crasso domum, quam emere voluit ab eo sexagies festertiûm, & acquieverat Crassus, si sex loti eximerentur, sed conditionem recusavit Domitius; unde Crassus illi insultavit, quasi sex lotos sestertiûm sexagies æstimaret. Objecit ille vicissim Crasso Hymetias Columnas sex, & quod atratus luxisset Murænam piscem in suâ piscinâ mortuam, quod fassus est Crassus in Senatu, atque ex hoc dolore suo gloriam traxit. Contra ut erat facetus Crassus, ait mirum non esse si Domitius nutriret barbam æneam, cui esset eos ferreum, & cor plumbeum. Ita mutuis conviciis traducta Censura, cujus sanè notâ ambo erant dignissimi propter intempestivam discordiam. Mirum autem tantùm oratorem Rhetores, quibus adhærebant otiosi adolescentes, Urbe ejecisse neque potiùs discipulos emendasse, quàm magistros alioquin utilissimos castigasse.

*Rhetores Crassus ejicit urbe.*

OLYMP. CLXXII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3963. 663.

Consulibus L. Martio Philippo, & Sexto Julio Cæsare Marsicum bellum, seu Sociale, seu Itali cum exortum est. Et Italicum dictum quod in Italiâ gestum esse, munitâ urbe Corfinio, qua tum Italica vocata, ut esset societatis caput: Sociale quod à Sociis Populi Romani, & perpetui comitibus in bellis: Marsicum denique quod Marsi duce Popedio Silone defectionis autore extitissent. Hujus belli causa proxima fuit M Livius Drusus, qui dum judicia quorum infa miâ laborabant equites, transferre cupit, socio Italicos spe Romanæ civitatis obtinendæ conci tavit. Tandem cum tulisset legem de Judicii inter Equites, & Senatores communicandis, u trumque offendit ordinem; itaque apud socio pactis stare non potuit: immò ab ignoto quodar occisus est domi, cultro in vulnere relicto. Ne que verò de ejus morte habita quæstio est; con tra vero leges ejus omnes, referente L. Martic uno Senatusconsulto sublatæ, aliaque perlat lex adversus eos qui sociis Italicis jus civitatis e. sent polliciti; ideoque damnati Cotta, Bestia Mummius Achaicus exularunt. His auditis Se cii in Romanos conspirant, & utrumque Con sulem Feriis Latinis intercipere moliuntur. Ro mani legatos miserunt qui rem exploraren Servilius Proconsul, capto qui mittebatur a Asculanis obside, eos ad saniora consilia revoca re voluit, sed ab iis cæsus est cum legato suo For tejo, eodemque impetu Ro. omnes trucidati c ves: malum statim à Marsis exceptum, & ad lios celeriter traductum. Hinc conspiratio po pulorum, qui tamen Romam misere legatos, u jus civitatis precibus obtinerent, quod armis po terant occupare: sed rejecti sunt; audiendi, cu resipuissent. Itaque magnis utrimque sumpt bus & animis paratum bellum, quo periculosiu & atrocius Roma nullum sensit, eo sane eve tenda, nisi sociis defuissent duces, hæc peritiss mos Imperatores nacta, ex damnis suis mirabil ter emersisset.

OLYMP. CLXXII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3964. 664.

Alexander seu Alexas Ptolemæus Cleop tram matrem, cujus occultis consiliis petebatu interficit. Morte digna jampridem erat scel rata mulier, & ab omnibus probanda, nisi à lio esset illata.

Tum quoque Nicomedes à Socrate fratre ej ctus, in regnum Bithyniæ restitutus est, ut Ari barzanes in regnum Cappadociæ, & uterq Senatusconsulto, ac invito Mitridate, quod alt ra belli Mitridatici fax fuit.

Consulibus hujus anni C. Junio Cæsare, P. Rutilio Lupo bellum Sociale demandatu est; adjunctique legati Rutilio quidem C Pompejus Magni pater, Q. Cæpio, C. Mariu C. Perperna, & Valerius Messala; Cæsaria tem Sextus ejus frater, P. Lentulus, T. Didiu Licinius Crassus, L. Cornelius Sylla, M. Ma cellus, utrimque supra centum armatorum mi lia scripta, divisæ Provinciæ inter duces utriu

q

que partis, à Sociis Confinium belli constructa
sedes, ut in eâ quotannis duo Consules, duodecim Imperatores eligerentur. Rutilius Consul cum Vetrio Catone in transitu Liris depugnans, multos ferro, plures fluvii vorticibus perdidit: ipse saucius è pugnâ relatus in Urbem paulò post interiit. Unde magna Romæ perturbatio; ideo statutum, ut quo quisque cecidisset loco ibidem sepeliretur. Alter Consulum Cæsar cum triginta millibus peditum, equitum quinque millibus, à Marco Enatio interceptus insidiis, ægrè se intra mœnia Theani recepit. Bellum igitur hoc anno malè Romanis cessit, quia ab eorum hostibus prudentiùs illatum, quam ab his susceptum est, atque propulsatum.

OLYMP. CLXXII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3965. 665.

Alexander Ptolemæus concursu populi, ob cæsam matrem, primùm expellitur, deindè à Chereâ Navarcho interimitur. Revocatur ergo Lathurus in regnum, omnibus acceptus, quod patienter illatam à matre tulisset injuriam, & ereptum sibi à fratre regnum expectare, quàm recuperare maluisset. Jactatum vulgò Romæ Alexandrum reliquisse hæredem regni sui Pop. Romanum: verùm statim tumor ille consenuit, Lathurus duplici titulo Ægyptum verè suam, repugnante nemine, administravit.

Alexander Jannæus variis tumultibus exercitus est, adeò ut à clade Arabicâ efferatior plusquam quinquaginta Judæorum millia ciderit. Pertæsus ergo tot cædium cum Populo redire voluit in gratiam, & quæsivit à suis publicè, quid à se postularent: illi uno ore, responderunt, ut se interimeret: statimque ad Demetrium Eucærum legatos miserunt qui auxilia peterent, animis ita exulceratis, ut omnia vergerent ad desperationem.

Romæ Consulibus L. Porcio Catoni, & Cneo Pompejo Straboni ita bellum Sociale commissum, ut tamen Cæsari prorogaretur imperium. Cato ad Asculum cæsis octo millibus hostium interiit, ex morbo. Tum Umbri, & Etrusci ad defectionem inclinabant: quare Senatus remanentes in fide Socios admisit ad militiam, & jus civium iis prudenter dedit, sicque multos in officio continuit. Superioris maris accolæ ignari mutatæ Etruscorum sententiæ, dum ad eos per calles devios se conferunt cum quindecim armatorum millibus, in Pompejum inciderunt, quorum quinque millia in certamine perdiderunt, reliqui palantes fame, & frigore malè perierunt. Idem Pompejus Marsos, Vestinos, Marrucinos magnis cladibus affecit, atque de iis triumphum meruit, quia hi jam exterorum hostium loco cœperant esse. Consulum alter Cato, a C. Mario filio magni Marii dicitur in prælio esse cæsus, quod se ejus patri exæquasset. L. Sylla primùm cum Cluentio, & Samnitibus male pugnavit, mox adeo feliciter, ut anno sequenti Consulatum mereretur.

OLYMP. CLXXIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3966. 666.

Demetrius Eucærus à Judæis evocatus, Judæam ingreditur, junctisque rebellibus conficit peditum quadraginta millia, equitum tria. Occurrit huic Iannæus cum 20. millibus Judæorum, & sex millibus mercenariorum. Ad Sicima cum ambo exercitus aliquando consedissent, tandem conseruerunt manus; victoria Demetrio cessit, qui tamen eâ non est usus, quod à fratre Philippo sibi vereretur: itaque vicisse contentus recessit, hostique reliquit suæ victoriæ fructum. *Demetrius Eucærus Iannæum vincit.*

Consulibus L. Cornelio Sylla, & Q. Pompejo Ruffo bellum indicitur Mitridati (Mitridatem hunc nummi vocant) quod Nicomedem Bithyniâ, Ariobarzanem Cappadociâ exuisset, & cura tanti belli demandatur Syllæ, cujus virtus anno superiori enituerat. *BELLUM MITRIDATICUM.*

Bellum Italicum jam remissius à Sociis geri videbatur. Cosconio enim Prætori se plerique populi dediderant, & successor ejus Cæcilius Metellus Apulos devicerat, quo in prælio Popedius unus de autoribus rebellionis occiderat. Quare de Sociis quidam in Italiam Mitridatem evocarunt: at ille dum tergiversatur, & de acquirendâ sibi Asiâ cogitat, occasionem elabi passus est, quam posteà calvam esse deprehendit. *Bellum Sociale geritur remissius.* *Evocatur à Sociis Mitridates.*

Intereà Sylla Consul Urbe cum copiis egressus circa Nolam morabatur; & languentis belli reliquias conficiebat; cum Sulpitius Trib. plebis, lege ad populum latâ, Syllæ abrogat imperium, & belli Mitridatici curam C. Mario, id vehementer exoptanti, committit. Redit ergo ad Urbem Sylla cum sex Legionibus, initaque cum Marianis pugnâ, eam victor ingreditur; duodecim turbarum autores proscribit inter quos Sulpitium & Marios patrem ac filium. Sulpitius fugiens ab equitibus cæsus est. Marius pater in paludibus Minturnensibus ita latens ut oculis & naribus tantùm extaret, mortis certissimum periculum adiit, etiam detrusus in carcerem, submissoque servo publico, quem oculo suo terruit. Emissus tandem à Senatu Minturnensi, cum filio, qui ei ad Ænariam insulam occurrit, in Africam transfretavit, ubi vixit in Carthaginis ruinis, ut miseræ urbis aspectu, miserias suas deliniret. *Sulpitius Trib. pleb. bellum Mitridaticum Mario committit.* *Sylla Romam veniens Marianos vincit, & fugat.*

Senatus metuens alteri Consuli Q. Pompejo Ruffo ei decrevit Italiam cum exercitu Cn. Pompei Proconsulis: sed hæ copiæ tantum tumultum excitarunt, ut in eo Consul cæderetur; ita dum Q. Pompei incolumitati nimium studet Senatus, eum imprudenter perdidit. *Pompejus ab exercitu cæditur.*

Mitridates interea bene usus discordiâ Romanorum, & à Cassio, Oppio, Aquilio in suo Oratore Pelopidâ male acceptus, qui bellum ei inconsulto Senatu indixerant, Nicomedem, & Romanorum exercitum aggreditur, & operâ maximè curruum falcatorum eos profligat. Ad hæc Q. Oppium à Laodicenis proditum instar feræ circunduxit; Manium etiam Aquilium captum, *Mitridates Rom. vincit.* *Aquilio capto illudit, eum que necat.*

captum, aſino impoſitum, omnibus Aſiæ urbibus objecit, ac tandem auro in os inſuſo interemit, ut ſatiaretur auro mortuus, qui eodem vivus nunquam expletus fuerat. Denique unâ litterarum ſignificatione per totam Aſiam incredibilem civium Rom. multitudinem interfecit, quâ centum quinquaginta millia interiiſſe perhibentur: & hâc cæde nullam loculentiorem unquam civitas Romana ſenſerat.

*Ro per totam Aſiam cadit.*

Poſtea Rhodum magno apparatu tentavit idem Mitridates, unde tamen repulſus eſt cum damno, & ignominiâ. In ſuis ducibus felicior fuit: Pelopidas enim in Lycia, Archelaus in Græcia, Ariarathes filius in Thracia, Metaphernes in Eubæa & Magneſia rem non malè geſſerunt; quia iis Romani non obſiſtebant, domeſticis tumultibus impliciti.

*Mitridates à Rhodo depellitur.*

OLYMP. CLXXIII. *ann.* 2. *Mundi* 3967. Urb. Cond. 667.

Judæi deſerti à Demetrio in Jannæum ſuis tantùm viribus pugnant, & facilè ſuperantur; is tandem in munitionem Bethomam compulſos vi capit, atque eorum potentiſſimos Hieroſolymam vinctos trahit. Hic epulans cum ſuis concubinis eorum octingentos crucibus affigi jubet & in eorum conſpectu conjuges liberoſque trucidari, unde ei inditum Thracidæ nomen, ac deinceps non Pontifex, ſed popa Judæorum audiit.

*Jannæus Judæos vincit, ex eis 800. affigit cruci.*

Demetrius relictâ Judæa in Berœam movet, ubi & fratrem Philippum obſidet; verùm ſupervenientibus Arabum, Parthorumque auxiliis non tantùm victus, ſed & vinctus ad Mitridatem Parthorum Regem deductus eſt. Hic interiit ex morbo, ac Philippo fratri, quem capitaliter oderat, regnum integrum, pacatumque reliquit.

*Demetrius captus interiit.*

Romæ Conſules creati Cn. Octavius, & L. Cornelius Cinna. Hic dum pernicioſas patriæ ferre conatur leges ab Octavio collega urbe pellitur, & cum Italos ad defectionem ſollicitaret exautoratur, ejuſque loco Conſul renunciatur L. Cornelius Merula Flamen Dialis. Cinna tamen receptus ab exercitu ad Nolam retinet inſignia Conſulatus, & accedit ad Urbem, quam Conſules munierant. Sed mox eadem tribus caſtris circumſeſſa eſt Marii, Sertorii, Cinnæ & Carbonis. Evocatur Sylla, ſed longius diſtabat ut ferre poſſet opem. Evocatur & Metellus pugnans in Samnites; verùm cum tergiverſatur cum iis inire pacem, Marius eum prævenit; itaque neque Samnites debellavit, neque conſuluit patriæ. Interea ab Appio Claudio aperta eſt Mario porta Janiculi, qui per eam cum Cinna in urbem irrupit; ſed uterque repulſus eſt ab Octavio, & Q. Pompejo. Moxque Pompejus fulmine, aut peſtilentiâ interiit. Urbs tandem famæ compulſa ſe dedidit, cæſi Conſul Octavius, & M. Antonius Orator, ægrè à ſubmiſſis ſatellitibus interfectus; Merula Conſul Q. Catulus, & P. Craſſus ſibi manus intulerunt, Urbs tota cædibus fœdata, inſepultiſque cadaveribus ſterquilinio, quam urbi ſimilior fuit.

*Conſul Cinna exautoratus, cum Mario Romam ſubit.*

*Cæſi Octavius & M. Antonius.*

Interea Sylla oppugnabat Pyræum quod tutabatur Archelaus: Ariarathes filius Mitridatis Macedoniam occupat; inde dum venit ad f[...] rendam opem Archelao in itinere moritur, pari gaudio & dolore Romanorum, atque Ponticorum.

Plotius Gallus tum primus Romæ docuit Rhetoricam, atque inter arma civileſque diſcordias eloquentiæ Profeſſor auditus eſt.

OLYMP. CLXXIII. *ann.* 3. *Mundi* 3968. Urb. Cond. 668.

Philippi quintus frater, filius Grypi Antiochus Dionyſius invaſit regnum Cœleſyriæ, & ſe Damaſci Regem dixit. Mox in Arabas duxit exercitum; quando Mileſius Arcis præfectus Urbem Damaſcum Philippo tradidit: at hic cum videri cupit eam vi, non proditione cepiſſe, perdidit. Dionyſius invito Jannæo per Judæam tranſit adverſus Arabas, quibuſcum dun[...] pugnat, & cornu laborans reſtituere nititur interimitur. Sicque Syria Damaſcena Aretæ [...] ſubmiſit, atque Arabibus nobilis victoriæ præmium fuit.

L. Sylla poſt diuturnam obſidionem capi[...] Athenas, & Ariſtonem qui ei reſtiterat inter[...]ficit, ac urbem liberam jubet eſſe, quia fuer[...] multorum eruditorum mater. Mox Arche[...]laus ingenti prælio vicit, ex quo vix dece[...] hoſtium millia ſubduxerunt ſeſe ex centum mi[...]libus peditum, & Equitum decem millibu[...] Mitridates auditâ ſuorum clade Dorylau[...] mittit in Græciam, cum octoginta armatoru[...] millibus, quibuſcum etiam certavit felicit[...] Sylla, quanquam milites ejus detrectarent cert[...]men; quod tamen impulſi ſui ducis audaci[...] inire compulſi ſunt. Quindecim hoſtium m[...]lia cæſi in prælio, ſequenti die caſtris expugna[...] plures, inter alios Diogenes filius Archela[...] ipſe Archelaus fugit Chalcidem, Græcia Syl[...] victoris arbitrio relicta. Quis enim huic p[...] tantas victorias obſiſteret?

Romæ Conſules ſine comitiis dixerunt ſ[...] C. Marius ſeptimùm, & L. Cornelius Cin[...] ſecundùm. Quo die de more Conſulatum in[...] Kal. Januarii C. Marius Sextum Licinium Se[...]torem de Saxo Tarpejo dejici juſſit, ac poſt d[...] tredecim, aut ſexdecim, ex ſuſceptâ ultrò inte[...]perantia, metu Syllanæ vindictæ obiit. Vir[...] quo dubites, an bello utilior fuerit patriæ, [...] pace deterior. Suffectus ei Valerius Flac[...] Conſul, belli Mitridatici curam ſuſcepit, [...] minus Mitridates, quàm legatus ſuus Fimb[...] timendus fuit.

Hoc anno C. Valerium Catullum Veron[...]ſem Poëtam C. Julii Cæſaris hoſpitem natum [...]runt, in quo Latina Poëſis florere cœpit.

OLYMP. CLXXIII. *ann.* 4. *Mundi* 3969. Urb. Cond. 669.

Valerius Flaccus à C. Fimbria legato ſu[...] puteo in quo latebat extractus, interemptus[...] Ipſe Fimbria ducem ſe exercitus ſine Senat[...] aut Populi autoritate dixit, ac tranſiens in A[...]

ip

ipſum etiam Mitridatem compulit in fugam; manu, quàm animo melior.

Archelaus juſſu Mitridatis quàm poteſt honeſtis conditionibus cum Syllâ pacem compoit, quam hic quoque peroptabat, indigens pecuniâ, & cogitans ultionem. Sicque terminatum eſt primum bellum Mitridaticum, quo tentavit Rex ille magnus Pop. Romani vires, futurus ſuperior ſi relictâ Aſiâ cum ſuis copiis, & pecuniâ ranſiiſſet in Italiam.

Romæ Conſules erant L. Cornelius Cinna ertium, & Cneus Papyrius Carbo in locum Vaerii ſuffectus. Hi adverſus Syllam bellum paant, excepturi eum ut peſtem patriæ, non de Mitridate victorem. Tum quoque luſtrum conitum eſt atque inter tot clades, atque cædes 63000. civium capita numerata ſunt.

Tigranes Rex Armeniæ ditiſſimus, & ſubniis Parthicâ, ac Mitridaticâ ſocietate hoc anno yriæ Rex renunciatus eſt à Syris, mortuo Phippo Grypi filio. Miſeros enim Syros tædebat t præliorum, atque direptionum. Filius taen Antiochi Euſebis latuit in aliquo Aſiæ loco, nde cognominatus Aſiaticus, cui præter ſpem hil relictum eſt. Sicque defecit imperium Seucidarum, quod deguſtavit tantùm Tigranes, id Romanis melioribus & fortioribus domis relinqueret.

OLYMP. CLXXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3970. 670.

Ilienſes à Fimbriâ vexati confugiunt ad Syln. Hic pollicetur opem, & Fimbriam à turndis ſociis abſiſtere jubet. At Fimbria quaſi icus Ilium ingreſſus urbem diripit ac cremat nè funeſtiùs, quàm à Græcis fuerat everſa; letos ad Syllam in templo Minervæ interceptos udeliter enecat. In eum ergo Sylla progredi, quem omnia molientem ſui deſeruere, & Syllam fortiorem confugere; Fimbria in nplo Æſculapii ſibi violentas manus infert. de Sylla veriùs diripit, quam componit Aſiam. m enim eam in 44. partes diſtribuiſſet, his cuniam imperavit omni bello, ac direptione riorem, & intolerabiliorem. Nicomedem nen, & Ariobarzanem in ſua regna per Cunem reduci juſſit, populos aliquot ſociis Poli Romani adſcripſit, ſervos à Mitridate manu ſſos prioribus heris reddidit. Et ne quid turrum hic oriretur Murenam cum duabus lenibus Fimbrianis ibidem reliquit. Ita jam oris vacuus, pecuniæ, & ultionis plenus Itan repetere cogitat.

Romæ Conſulatum tenuerunt L. Cornelius nna quartùm, & Cn. Papyrius Carbo ſecunm. Cinna in Dalmatiam proficiſci parat, ut curat Syllæ, ex Aſiâ cum exercitu redeunti: l ſuos parum obſequentes experitur; quos m etiam minis intempeſtinis exaſperat, cæur. Itaque reliquo anno ſolus Carbo Conſul t. Tum legati à Senatu ad Syllam miſſi de pa; petit Sylla ut ejecti à Cinna reſtituerentur, od erat pacis initium, ſed diſcuſſum à Carbomagno ejus, & Reip. damno.

Tum quoque Libertini in triginta quinque tribus diviſi ſunt, ut hoc beneficio fierent, ad tutandam Urbem, quaſi jam ſuam, alacriores.

---

## CAP. VIII.

## *Decas Octava.*

### *Ab anno* 3970. *ad* 3980.

OLYMP. CLXXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3971. 671.

Hoc anno Templum Delphicum deflagravit, eodem quo Capitolium Romæ, non ſine portento magnæ calamitatis. *Templa Delphicum & Capitolium deflagrant.*

Conſulibus L. Cornelio Scipione Aſiatico, & Cn. Norbano Flacco, Sylla cum claſſe mille ſexcentarum navium Brunduſium appulit, ibique triginta millia armatorum expoſuit, adjunctis in itinere Metelli Pii, Cn. Pompeji, & Cethegi copiis. Tum agebat Proconſulem Sylla, cum neque ipſe neque Metellus dignitatem depoſuiſſent. Progrediebatur autem per Italiam innoxius, ut ſibi populos conciliaret, & pacem honeſtam ubique loquebatur. Norbanum tamen ad Canuſium vicit, ex cujus exercitu ſex millia cecidit, paucis ſuorum deſideratis. Inde ad Scipionem progreſſus, ejus copias, injectâ pacis mentione ad ſe ita pellexit, ut ſolus ipſe Conſul cum filio remaneret in caſtris, quos tamen Sylla dimiſit incolumes; at hi obliti patriæ in exilio Maſſiliæ vixere. Inde venit ad Urbem, ſed eum Carbo prævenit, effecitque ut & Metellus, & alii Syllanarum partium ſectatores, hoſtes patriæ judicarentur. *Sylla appellit in Italiam.* *Carbo ſubit urbem, ac turbat.*

Eodem tempore Pompejus tribus Volonum legionibus copias Syllanas auxit, natus tantùm anno 23. unde chariſſimus deinceps extitit Syllæ, & ſubvehi altiùs cœptus, quàm Romana libertas poſtularet. *Pompejus occurrit Syllæ.*

Q. quoq; Sertorius ſortitus Hiſpaniam Sueſſam Syllanæ factionis urbem occupavit; cum tamen Scipionis exercitus defeciſſet ad Syllam, fugit in ſuam provinciam, ubi cum ei non ſuccederetur, telam cum ſuis Hiſpanis texuit, quàm Populus Romanus ægrè, & non niſi poſt multos annos retexuit. *Sertorius fugit in Hiſpaniam ſuam provinciam.*

OLYMP. CLXXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3972. 672.

Jannæus expeditis rationibus ſuis cum Aretâ multa recepit loca Dion, Eſſam, Gamala, & aliquot regulos atque inter cæteros Theodotum Zenonis filium, & Demetrium ſibi ſubjunxit, reduxque in patriam, ita receptus eſt, ut res illæ proſperè geſtæ omnia in eum populi ſui odia reſtinxiſſe viderentur. Uſque adeò principes de ſubditorum amore deſperare non debent. *Iannæus à Iudæis amicè recipitur.*

Romæ facti Conſules Cn. Papyrius Carbo tertium, & C. Marius Gratulianus viginti quinque tantùm annos natus, adoptatus à C. Mario, qui liberis carebat. Hic Marius parum fœlici- *C. Marius victus obſidetur Præneſte.*

ter cum Syllâ pugnavit, & copiarum parte ad victorem transeunte Præneste compulsus, ibidemque obsessus est. Obsidionem solvere non semel aggressus est Carbo, Lucani item, Samnites, atque Capuani cum septuaginta millibus armatorum, semper irrito conatu. Ipse Marius sæpè tentatâ eruptione, repulsus est semper. Itaque demandatâ Prætori oppidi curâ, & aliquot virorum illustrium cæde, sibi violentas intulit manus, adolescens fortis, & dignus C. Marii septies Consulis adoptione, quem moribus truculentis repræsentabat.

*Sylla ad urbem venit, & omnes vincit Rom. & Samnites.*

Damasippus interea Prætor Romæ vocato Senatu nobilitatem omnem Syllæ faventem trucidavit. Quibus auditis Sylla venit ad Urbem, & cum Lamponio, ac Carinatis reliquiis ad octoginta millia, fortiter pugnat ac vincit, duodecim millia sese ipsi dedunt. Tum subit Urbem, & ordinat. Mox cum Carbone ad Clusium totâ die certat. Sed Carbo auditâ suorum aliquot ducum defectione, vel fugâ, ipse fugit in Africam, partibus suis flagitiosè desertis. Carboniani tamen duces Damasippus, Carinas, & Martius Telesinus invadere tentant Urbem tum imparatam. Verùm rediit properè Sylla: pugnatur ad portam Collinam dubiâ victoriâ, quâ & Sylla vitæ discrimen adiit; mox tamen dilapsi Carboniani audaciùs, quàm constantiùs suas tutati sunt partes. Cum à Samnitibus potissimùm ea esset suscepta expeditio, eorum captivorum duodecim millia Sylla suis sagittariis objecit conficienda. Tum quoque Præneste se dedit Lucretio: Romanis data venia, reliqui ad duodecim millia telis confixi, urbs direpta, & hostilem in modum vexata, quamquam passa esset potiùs, quàm intulisset injuriam.

*Proscriptio Romæ.*

Inde Metellus in Hispaniam Pompejus adversus Carbonem in Siciliam, & Africam missi; ipse Sylla Romæ immanem proscriptionem edidit primùm mille sexcentorum, deinde octuaginta, denique ducentorum viginti: populi quoque tum integri vexati sunt, urbium multarum diruta mœnia, tota municipia sub hastâ venierunt; ipse Dictator creatus, eique posita in Rostris statua, nomine Principi, revera Tyranno. Hoc superat Romanis post amissam libertatem, ut ejus quoque eversorem venerari cogerentur.

*Mitridates à Ro. ad bellum compellitur.*

Mitridates gesto cum Colchis, & Bosphoranis bello, cæsoque filio suo Mitridate, quem illi sibi dari Regem petierant, magnam habebat classem, magnas pedestres copias. Quare injecta Murænæ suspicio eum de bello cogitare. Tum quoque fugit ad Romanos Archelaus veritus Regis odium, cujus negotia in pace cum Romanis initâ parum fideliter administrasse videbatur. Is Murænam impulit ut potiùs inferret, quàm expectaret bellum; & verò hic Comanam urbem in Cappadociâ cepit, quod secundi hujus belli classicum fuit.

*Nascitur Terentius Varro.*

Hoc anno natus est in Narbonensi provinciâ, vico Atace, P. Terentius Varro, vir sui sæculi posteà scientissimus, & doctissimus undicumque.

OLYMP. CLXXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3973. 673.

Ptolemæus Lathurus hoc anno vivendi regnandique finem fecit, cum jam secundùm annis octo imperaret Ægypto. Huic Sylla sufficisse videtur Alexandrum, Laturi ex fratre Alexandro nepotem, in insulâ Conutritum, & à Cois Mitridati datum, ex quo fugerat ad Syllam. Sed Syllæ spes accisæ sunt, eo post dies undeviginti ab Alexandrinis trucidato. Ei ergo successit alius cognominis Alexander, de quo reducendo postea cogitavit Julius Cæsar; nam hic quoque ab Alexandrinis ejectus est, ut suo dicetur loco. Itaque hoc tempore series Ptolemæorum, ut eorum quoque regnum perturbatissima sunt.

Murena in Asia Mitridaticum bellum persequitur, Rege certamen sapienter detrectante. Eò cum venisset ab Urbe Callidius, omnibus audientibus bello appeti Regem prohibuit; mox tamen privatim Murenam allocutus, cum visu est excitare, uti pergeret. Mitridates igitur patefactâ fraude recurrit ad arma, vicos Romanorum plurimos vastavit, Murenam vicit, & com
pegit in Phrygiam; unde revocatus est à Syllâ
& ut Romana ignominia tegeretur, uti quidar
volunt, triumphare permissus. Gabinio tame
interprete, jussu Syllæ pax cum Mitridate renc
vata est, quâ tamen irritatus potiùs quàm delin
tus Mitridates, factus est hostis Romanorum im
placabilis.

Hoc anno Consulibus M. Tullio Decula,
Cneo Cornelio Dolabella, Dictatore L. Corn
lio Sylla ipse magnificè de Mitridate triumph
vit, seque Felicem dici jussit, quasi jam fortun
tos omnes longè superasset.

Tum quoque triumphavit Pompejus de Afi
câ ob res in Domitium, & Jarbam fortiter g
stas. Tacuit tamen Carbonem, & socios qu
jugulari jusserat, illum etiam ad suos pedes a
jectum. Pompejo redeunti, obviam ipse qu
que Sylla processit, eumque amicissimè co
plexus, Magnum appellavit, quod nomer
deinceps perpetuum fuit. Obstitit tamen e
triumpho, quod neque Consul, neque Præt
esset, eumque passus est potiùs, quàm probav
Pompejus ad currum suum junxerat Elepha
tos, sed quia iis ingressum porta Triumpha
non aperiebat, juncti equi eum, viginti t
tùm & sex annorum natum, in Capitolium
tulerunt.

Hoc anno dixit pro Quintio M. Tullius Ci
ro, primamque emisit orationem, quam præ
nibus habemus; opus adolescentis, sed jam p
fecti, & consummati Oratoris.

OLYMP. CLXV. *Mundi* Urb. Cond
*ann.* 1. 3974. 674.

Consules hoc anno creati L. Cornelius S
secundùm, & Q. Cæcilius Metellus, quo Se
rius in Hispaniâ invalescens, reprimendus
Cura hujus belli Metello Consuli demand
qui tamen paulò seriùs in Hispaniam venit.
torius ergo desperans in Urbem reditum, pa
decrevit Marianis partibus in Hispaniam
fugium. Gentes igitur illas abalienatas à
m

anis Prætorum injuriis, & rapinis, ſibi conci-
ıvit; & quia ſe mox petendum à Sylla intelle-
t, Livium Salinatorem præmiſit qui Pyrenæi
ontis fauces occuparet: ſed hunc miſſus à Syl-
C. Annius interemit. Sertorius ergo traje-
t in Africam, unde rediens cum copiis, Annii
æſidium oppreſſit: mox & Pacianum alterum
llæ ducem exterminavit; atque electus Impe-
tor à Luſitanis, reliquis certatim populis ad
ſum deficientibus, partes ſuas in Hiſpaniâ vi-
s eſt reparare.

M. Tullius Sextum Roſcium Amerinum, par-
idii reum, ita defendit, adverſus Chryſogo-
m, hominem Syllæ gratioſum, ut illum ab-
vendum curaret; verùm ſibi odium concilia-
Syllæ; quare ſeceſſit in Aſiam; in qua
m excolit ingenium ſuum, ipſis etiam Græ-
, naturâ eloquentibus, injecit admiratio-
m.

Mitridates otium nactus ſubegit Boſphorum,
Boſphoranis gentibus Macharem filium ſu-
Regem dedit. Tum legatos Romam miſit,
i fœdus firmarent, ejuſque ſcriberent leges.
l Syllâ demortuo concidit iſta legatio, docuit-
e, Mitridatem minus Romanos, quam Syl-
n reformidaſſe.

OLYMP. CLXXV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3975. 675.

Populus hoc quoque anno Syllam deſignavit
nſulem; at ipſe creandos obtulit Publium
vilium Vatiam Iſauricum, & Appium Pul-
um anno tertio ſuæ Dictaturæ, quo & illam
oſuit. Vir incredibilis audaciæ, qui nihil
uerit, centum millibus armatorum hoc bel-
civili abſumptis, jugulatis Senatoribus octo-
ta Marianæ factionis, Conſularibus quinde-
, Equitibus bis mille ſexcentis, præter innu-
os exules: ut omittam urbes, & arces diru-
ſublatas immunitates, gentes ſub haſtâ ven-
s. Itaque dimiſſis lictoribus, & ſatelliti-
, in publico cum amicis apparuit, paratus
m factorum ſuorum reddere rationem; quam
cauſam eum neſciiſſe litteras poſteà Julius
ſar judicavit. Verùm parata habebat in Ita-
centum viginti ſuorum millia quos ditave-
oſſeſſionibus Marianorum, præter decem
lia Corneliorum Libertinorum, quos per
us ſparſerat, alioſque facinoroſos, quibus
ere, & incolumem eſſe Syllam expediebat.
hoc tempore profectus in Cumanum ſuum
ationi, & venatibus indulſit, inter mimos, ex-
tos, & ſcorta, dignum exautorato Tyranno
oragium.

Hoc anno M. Tullius Athenas venit, ubi tan-
n eloquentiæ ſuæ dedit ſpecimen, ut cum
ecia Romanis fortitudine eſſet inferior, eiſ-
n quoque eloquentiâ decedere videretur.

Adverſus Sertorium jam Hiſpanum à Roma-
pugnatum infeliciter. Nam Domitius, &
Manilius Proconſul Galliæ, itemque M. An-
nius legatus, ab Herculejo Sertorii duce op-
eſſi ſunt. Metellus ipſe à Sertorio multùm,
que vexatus, immò vocatus ad ſingulare cer-
men, utroque probante exercitu. Sed ille ſapienter profeſſus velle ſe ducem mori, non gregarium militem, maluit ſe & exercitum ad Pompeji adventum, certamque victoriam reſervare.

OLYMP. CLXXV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3976. 676.

Obiit hoc anno Alexander Jannæus, jam tertium annum laborans febri quartanâ, quam ex temulentiâ contraxerat. Obſidebat tum Caſtellum Rageba in finibus Geraſenorum. Igitur fato proximus monuit Alexandram uxorem ſuam, ut capto caſtro, morte ſuâ tantiſper celatâ, Phariſæos ſibi demereretur, quod accuratè præſtitit. Sic callida mulier ſibi reſervavit imperium, Hyrcano homini ignavo Pontificatum permiſit, Ariſtobulo acri & impigro, militiæ præfecturam, uſa ſapienter, & ubique Phariſæorum conſilio, qui huic populi gratiam collegerunt. Quo facto oſtendit mulieres ad imperia regenda non eſſe penitus ineptas, ſi non ſuo, ſed aliorum conſilio regi velint.

*Mors Alex. Iann.*

*Alexandra ejus uxor ſapiens.*

Conſules Marcus Æmilius Lepidus, & Q. Lutatius Catulus Conſules creati: & ille quidem favore Pompeji, Syllâ reclamante, qui eum ſtolidum, & Marianæ factionis fautorem norat. Tum idem Sylla decimam bonorum ſuorum ſacravit Herculi; at dùm intemperantiùs in ſuo Cumano vivit, contraxit morbum, quo ejus viſcera exulcerata ſunt. Ex iis pediculi tantâ copiâ eruperunt, ut iis tollendis, famuli ejus impares eſſent. Pridie quàm moreretur, Granniuum tergiverſantem ſolvere quod debebat Reip. ſpe ejus mortis; in ſuo cubiculo ſtrangulari juſſit; dumque vociferatur, vomicâ ruptâ, ſanguinem, ac ſaniem evomens, morte Tyranno digniſſimâ obiit, annos natus ſexaginta. Sepultus eſt in Campo Martio, primuſque ex Corneliis Patriciis igne cremari voluit. Dum combureretur cœlum pluviam minabatur; ea ſuſpenſa eſt, donec conſumpto cadavere, ejus cineres abluendi fuere; cui lotioni ſuâ pluviâ cœlum quoque favit. Sic Sylla etiam poſt obitum Felix, atque hoc nomine dignus eſt viſus. Duo Conſules ex ejus funere redeuntes vehementiùs, quàm ſapientius jurgati ſunt, dum Catulus Syllæ favet, Æmilius eum execratur; hic volebat à Sylla latas leges irritas fieri, ille ſervare. Itaque Senatus metuens civile bellum utrumque jurejurando devinxit, neutrum jus ſuum, & opinionem armis proſecuturum. Nihilominus paulò poſt Lepidus in Galliam Ulteriorem profectus eſt, ubi dum copias cogit, oſtendit ſe, & malum Conſulem, & juramenti ſui prævaricatorem.

*Sylla moritur.*

*Etiam poſt obitum fœlix.*

*Ro. civitas diſtracta ejus morte.*

Sertorius hoc quoque anno Metellum exagitavit. Nam hic dum Latobrigas expugnare parat ſiti; iis ille aquas ſuffecit, & Aquinum cum ſex Romanorum millibus, dum frumentatum exit incautiùs, fortiter, & prudenter delevit. Quare obſidionem ſolvere coactus eſt Metellus, à ſuis & Hiſpanis irriſus. Acceptiſſimus contra factus eſt Sertorius, qui tum Oſcæ Academiam inſtituit, ubi nobiles liberos Hiſpanorum linguis Græca, & Romana erudiendos curavit in ſpeciem;

*Sertorius Metellum exagitat.*

*Oſcæ Academiam ſtatuit Sertorius.*

ſpeciem; reverâ ut eos obſides haberet, ac parentes, filiorum metu, in officio contineret.

*Tigranes occupat Cappadociam.*

Mitridates quoque Tigranem generum ſuum ad occupandum Cappadociam incitavit. Itaque hic trecenta millia Cappadocum in Armeniam tranſtulit, & ſuam condidit magnificè Tigranocertam. Tumque impoſuit capiti ſuo diadema, jam duorum regnorum princeps, Syriæ, & Armeniæ, quibus Cappadociam quaſi appendicem adjunxerat. Sed hæc Cappadocia perdendæ Syriæ cauſa fuit; Armeniæ vix, ac precariò tantum retinendæ.

OLYMP. CLXXV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3977. 677.

*Æmilius Lepidus victus fugit, & obit.*

Conſulibus D. Junio Bruto, & Marco Æmilio Lepido Liviano nullius nominis viro, jurgium inter Conſules ſuperioris anni excitatum in apertum erupit bellum. M. enim Lepidus ex Etruriâ urbi admovit exercitum; cui occurrentes ad Pontem Milvium Catulus, & Pompejus, eum ſubmoverunt, fugaruntque. Cox is à Senatu hoſtis patriæ judicatus, primum in Etruriam, deinde in Sardiniam conceſſit, ubi ex dolore rei malè geſtæ, aut ut alii credunt, ex ſtupro uxori illato, interiit. Supererat Brutus in Gallia Ciſalpina; ſed cum ejus exercitus ſe Pompejo dediſſet, & Dux ſe quoque fidei Pompeji commiſiſſet, ejus nihilominus juſſu necatus eſt; quæ nex plus infamiæ Pompejo, quàm ejus partibus commodi attulit.

*Brutus à Pompejo cæſus.*

*Domitii triumphus Appius Claudius rem malè gerit.*

Eodem anno de Macedoniâ Domitius Proconſul triumphavit: cui ſucceſſor datus Appius Claudius rem ſatis malè geſſit adverſus Rhodopes montis accolas; ibidemque paulò poſt morbo correptus interiit, ut majoris animi, quàm conſilii, & felicitatis.

*Pompejus in Sertorium mittitur.*

Pompejus tum quoque contra Sertorium miſſus, quia huic par eſſe Metellus non videbatur. Ac primùm eundem cum ſuis Hiſpanis tentantem Italiam, ex Alpibus ſubmovit, & ad ſua tutanda redire in Hiſpaniam compulit. Huic ſe Perperna cum parte exercitus Lepidi conjunxit, invitus licet, quia ſuis auſpiciis bellum gerere non poterat. Adventu Pompeji nutabant aliquot urbes in Hiſpaniâ. Sed cum Pompejus à Sertorio ad Lauronem victus eſſet, mutavere ſententiam. Spectante ergo Pompejo Magno, neque congredi audenti, Lauro civitas ſeſe dedidit. Et ejus quidem civibus pepercit Sertorius, ſed ut ſtomachum Pompejo moveret, eam in ejus oculis incendit.

*Pompejus victus ad Lauronem.*

OLYMP. CLXXVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3978. 678.

*Pharisæi amicos Jannæi tollunt.*

Jannæi veteres amici alii poſt alios à Phariſæis, Regina diſſimulante, tollebantur; quare qui ſupererant in Regiam cum Ariſtobulo conveniunt, & Reginam rogant ut per caſtella Judææ diſtribuantur, ſicque vitam ſuam tueantur; idque impetrant & quia multi, & quia Ariſtobulo freti, & quia rem non injuſtam poſtulabant.

Conſulibus Cn. Octavio Nepote, & C. Scribonio Curione, Pompejus contra Herennium, & Perpernam Sertorii legatos ad Valentiam feliciter pugnavit, & iis decem armatorum millia concidit. Ad Sucronem verò fluvium Sertorius ipſe, & Pompejus ſigna contulerunt præcipitante in Veſperum die, & non expectato Metello; à Pompejo quidem ne ille veniret in partem gloriæ, à Sertorio verò ne cum hoſte duplici congredi cogeretur. Sed ancipiti victoria ambo diſceſſere; majore tamen Sertorii gloria, cujus cornu Pompejum vicit; at Africanii cornu depulit Hiſpanos, & eorum caſtra cepit. In campis verò Saguntinis ſine dubio victus eſt Pompejus, ibi ſuorum ſex millia perdidit. Victus quoque à Metello Perperna, ſed minori damno. Sequenti verò die Pompeji caſtra victor expugnaſſet Sertorius, niſi commodè Metellus adfuiſſet; ejus adventu diſcuſſum periculum, repreſſuſque Sertorius; ſed oſtendit recedendo opus eſſe duobus tantis ducibus, ut ejus fortitudo retunderetur.

Tum quoque miſſi Erythras legati ad quærenda Sibyllina carmina quibus uterentur Romani, eorum loco, quæ in Capitolio deflagrarant. Tanti faciebat Roma hos Sibyllarum verſus, ut ſine iis ſe incolumem ſtare poſſe deſperaret.

OLYMP. CLXXVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3979. 679.

Nicomedes Rex Bithyniæ hoc anno morie[ns] Populum Romanum reliquit hæredem. Tu[m] enim Reges honoris ducebant loco Populum [si]bi ſubſtituere, cujus potentiam ſuis ſubditis n[e]ceſſariam intelligebant, & ſponte Romanis c[e]bant, quod ſi erant armis occupaturi.

P. Servilius Vatia à domitis Iſauris, dictus [I]ſauricus, multas in Cilicia expugnavit urbes, latrones per hos tractus diſſipatos hactenus raticis ſuis excurſionibus vicinis omnibus me[tu]endos ita compreſſit, vi jam vitæ atque liber[ta]tis ſuæ, quam excurſionum, & prædarum ſo[lli]citiores eſſent.

M. Antonius Triumviri Pater gratiâ Co[n]ſulis, & factione Cethegi obtinuit à Sen[atu] Præfecturam nullis clauſam terminis, hoc eſt rationem oræ maritimæ. Hac occaſione Cretenſes invaſit, ſed cum nimiâ ſpe victo[riæ] Plures enim in navibus cathenas, quàm a[rma] portavit. Quare bellum infeliciter geſſit, mò & malè periit, multique Romanoru[m] ſuis antennis ſuſpenſi illuſtre ſpectaculum umphantibus Cretenſibus præbuere.

Adminiſtravere Romæ Conſulatum L. O[cta]vius, & C. Aurelius Cotta cujus celebratur tio ad Quirites, de pecuniâ, frumento, armi[s] Pompejo ſubmittendis, ſine quibus in Hiſp[ania] Romani conſiſtere non poterant, victis quà[m vi]ctoribus ſimiliores.

Metellus tamen Sertorii aliquot occu[pavit] oppida; ideoque Hiſpanorum plurimi con[fuge]runt ad Romanos; quâ re exacerbatus Ser[torius] in multos ſæviit. Submotis etiam Ro[manis] Celtiberico ſatellitio vallavit latus ſuum, in ejus caput grandem pecuniam pronun[tiavit].

*Vario*

[M]etellus, licitatione Romanis turpiori, quàm [d]amnosâ Sertorio. Nam hic Calagurrim in op-[p]idum montanum se recepit, unde Duces suos [a]d novos delectus habendos dimisit, quibus per [m]edios hostes elapsus adjunxit sese, adeoque [M]etellum, Pompejumque fatigavit, ut hic in [V]accæis magnâ rerum omnium affectus penu-[ri]â hærere cogeretur, Metellus regrederetur in [G]alliam, ne fame cum suo conficeretur exercitu. [Ce]rtè tum Pompejus scripsit ad Senatum nisi sti-[pe]ndium, frumentumque mitteretur se prope-[di]em in Italiam suas copias deportaturum; & [ju]stus Romanos incessebat metus, ne eum Ro-[m]am usque malè multatum, Sertorius reduce-[re]t, atque sequeretur.

| OLYMP. CLXXVI. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann.* 3. | 3980. | 680. |

Consulibus L. Licinio Lucullo, & M. Aurelio [Co]tta Mitridates fœdus iniit cum Sertorio, & [ab] eo accepit C. Marium ducem, quem cum li-[ct]oribus per urbes Asiæ à Publicanis attritas [ci]rcumducebat, aliis libertatem, aliis immunita-[te]m, nomine Sertorii, pollicitus. Piratas insu-[pe]r ex toto mari interno evocavit, & in Roma-[no]s eorumque socios immisit; denique inva-[sit] Bithyniam, cui Cotta Consul præerat. Hunc [er]go terra, marique victum, amissâque classe [Cy]zicum compulit, & obsedit, ac continere se [mœ]nibus coëgit, donec à collega Lucullo libe-[ra]retur; hujus enim adventu soluta obsidio, [no]nnihil repressus Mitridates.

In Hispania Sertorius res suas animo magis [&] industriâ, quàm armis, & viribus tuebatur; [qu]em etiam Perperna Romanis odiosum redde-[re] moliebatur. Ille nihilominus ortis & felix [s]e ex tumultibus domesticis, & externis expe-[die]bat; adeò ut à Celtiberis alter Annibal no-[mi]naretur. Et verò cùm Pompejus id temporis [Pa]llantiam obsedisset, superveniens Sertorius, [eu]m coëgit obsidionem turpiter abrumpere, ne [s]e vicissim obsideretur, & grandem acciperet [cla]dem.

P. Servilius Vacia Isauricus domitis Isauris [pi]ratis, Ciliciaque & Cretâ in formam provin-[ci]æ redactis hoc anno nobilem de invictis ad-[hu]c gentibus triumphum egit, rebus Romanis [ib]idem constitutis, ut jam non armis, & Pro-[co]nsule, sed judice, & accensis egerent.

---

## CAP. IX.

## *Decas Nona,*

### *Ab anno* 3980. *ad* 3990.

| OLYMP. CLXXVI. | *Mundi* | Urb. Cond. |
|---|---|---|
| *ann.* 4. | 3981. | 681. |

Mitridates Cyzicum obsidet cum trecen-tis hominum millibus, urbem Roma-[ni]s amicissimam, & fidelissimam. Contempla-[tu]s Lucullus tantam hostium multitudinem eam [fa]me domare decrevit; verùm unum oberat, quod jam Mitridates montem Adrastiam inse-derat, ex quo Pontifici facilè dejici non pote-rant. Rem perficit L. Manius, qui nuncio ad Lucullum misso ab eoque accepta fide Mitrida-ti persuasit, ut montem hunc relinqueret, ac fineret à Romanis occupari, quod Fimbrianæ legiones quæ sub Sertorio militarant, Regi se dedere vellent. Rex imprudens fidem adhi-buit proditori: Romani montem occuparunt, ac diligentissimè munierunt, eoque facto com-meatum omnem ademerunt Mitridati. Nihil tamen Rex despondit animos, sed urbem machi-nis acerrimè verberavit: misericordiâ etiam captivorum eos tangere conatus est; verùm ni-hil vi, nihil arte profecit. Inedia itaque præva-lente remittit è castris plurimos in Bithyniam deviis itineribus, quos in vado fluminis assecu-tus Lucullus ad satietatem cecidit captis pedi-tum quindecim, Equitum sex millibus, & in-credibili multitudine jumentorum. Ignorabant Cizyceni ubi gentium esset Lucullus, quam-quam esset in proximo. Ejus enim castra dice-bat Mitridates esse Tigranis & Armenorum. Fraude itaque patefactâ erumpunt obsessi & fa-melicum exercitum (jam enim cadaveribus vi-ctitabat) ita vexant, ut Rex solvere cogeretur obsidionem. Regia classis appellit incolumis Pa-rium: terrestres copiæ Lampsacum pergunt; sed in transitu Æsepi fluvii, tum intumescentis, multi conciduntur à Lucullo, reliquiæ obsiden-tur Lampsaci. Eas tamen classe suâ Rex tran-stulit in Bithyniam, relictis tantùm in urbe de-cem millibus electorum sub tribus ducibus, quos tamen omnes Lucullus aut perdidit, aut ad sibi consciscendam necem compulit, aut ad suum triumphum reservavit. Mitridates magno perfunctus periculo recessit in Pontum: nam ingenti exceptus tempestate decem virorum millia, sexaginta naves amisit. Itaque scribit ad Macharem filium, & Tigranem generum, ut sibi auxilia cogerent. Misit & ad vicinos Scythas auri plurimum, sed qui id ferebat Diocles con-fugit ad Lucullum. Nihilominus fecit industriâ suâ Mitridates, ut statim Lucullo par, aut supe-rior videretur, instar Hydræ ex damnis suis ac cladibus fortior, atque paratior.

*Solvit Rex obsidionem.*

*Fugit in Pontum.*

Sertorius in suos sævit, & Oseæ servatos ob-sides nonnullos interimit, Perpernâ de more in ejus castris tumultus serente, à quo tandem per-fidiosè cæsus est. Hic cum sibi arrogasset impe-rium, cui ferendo par non esset, & aliunde in-currisset in suorum odium, quod inter hæredes à Sertorio, quem interemerat, scriptus esset, non diu sceleris sui præmio potitus est. Pugnans enim in Pompejum victus est, & retractus è fu-ga, nec visus, nec auditus jugulatus est. Hispa-nia universa statim se victori dedidit, quæ nun-quam Romana fuisset si vixisset Sertorius, Ro-manis non armis, sed tantùm perfidiâ infe-rior.

*Sertorius caeditur à Perperna.*

*Cæditur à Rom. Perperna.*

Eodem anno Consulibus M. Terentio Lu-cullo Varrone, & C. Cassio Varo Servile bellum exarsit in Italia duce Spartaco, qui quondam Romanam militiam secutus, deinde captivus, postremùm gladiator persuasit sociis suis se-

*Servile bellum in Italia duce Spartaco.*

ptua-

ptuaginta,aut paulò pluribus (conficiebant illi Capuæ Lentuli Batiani ludum) ut pro libertate sua potius,quàm pro voluptate spectantium pugnarent. Raptis ergo verubus & cultris ex popina fugiunt, quos cum sequuti essent Capuani, victi eis arma suffecerunt. Missi contra eos tres Prætores subinde, Clodius, Varinus, & Cossinius, victi omnes, armisque spoliati, quorum armis septuaginta millia armatorum instruxerunt Gladiatores. Tres quoque electi duces,primarius Spartacus Thrax, & duo ei subditi Oenomaus,& Crixus Galli, qui totam primùm Italiam terruerunt metu, mox ingentibus damnis affecerunt.

*Spartacus tres Prætores vincit.*

*Tres ejus Duces.*

OLYMP. CLXXVII. *Mundi* Urb.Cond.
*ann.* 1. 3982. 682.

*Lucullus multas urbes capit.*

Tum Lucullus Mitridatis obsidebat,& expugnabat urbes, pugnam tamen detrectabat in campis,quia Rex equitatu prævalebat. Quatuor enim equitum millia numerabat, cum quadraginta millibus peditum. Nihilominus Romani cepere Amisum, Eupatoriam, Themiscyram nobiles urbes, à Lucullo tam fortiter oppugnatas, quàm à Regiis flagitiosè defensas.

*Spartacus duos Consules semel, & iterum vincit.*

Romæ Consules erant L. Gellius Poplicola, & Cn. Cornelius Lentulus Clodianus, quando C. Curio de Macedonia, victisque Dardanis triumphavit. Magnus tamen mœror occupabat urbem ob Spartaci victorias & felicitatem. Itaque ambo contra eum missi Consules. Et Gellius quidem congressus cum Crixo, qui Germanicas cohortes à Spartaco distraxerat, eum interemit & vicit cum viginti suorum millibus; quæ tamen victoria ab aliis Q. Arrio Prætori tribuitur. At Spartacus res suas, hoc casu afflictas restituit, moxque Gellium, & Arrium superavit. Dumque versus Alpes progreditur, cum uterque Consul à tergo, & à fronte aggrediuntur: at Spartacus eos singulatim invadens fortiter repulit,ac trecentorum Romanorum cæde Crixi manibus parentavit. Inde auctus novis copiis (merebant enim tum sub ejus signis centum viginti armatorum millia) urbem petit; verùm eum detinuerunt ambo Consules, quos magno prælio vicit; dumque multis amissis è suis deflectit ad Taurinos, ut novas copias paret, aut Cassium Prætorem vincit, aut ab eo superatur, hic enim inconstanter Historici loquuntur: sive victus tamen, sive victor, Romanis gentium victoribus, metuendus fuit.

OLYMP. CLXXVII. *Mundi* Urb.Cond.
*ann.* 2. 3983. 683.

*Mitridates bis victor vincitur à Lucullo.*

*Rex fugit ad Tigranem.*

Mitridates bis equestri prælio Lucullum vicit, tertio, eoque maximo victus abscessit, sed tantâ trepidatione, orto tumultu Panico, ut Rex fugeret ad Tigranem, & Eunuchum mitteret, qui suis conjugibus inferret necem. Hanc ut singulare à marito beneficium receperunt. Tum Lucullus legavit ad Tigrannem Appium Clodium uxoris suæ fratrem, qui Mitridatem suo triumpho debitum repeteret. Sed nondum satis erectus erat Lucullus, ut id obtineret, nondum satis abjecti Reges conjunctissimi; ut id concedendum putarent.

Romæ Consulibus Cn. Aufidio Oreste, & P. Cornelio Lentulo Sura(quod nomen ex contumeliâ, jocoque traxerat) M. Terentius Lucullus de Bessis, ac Thracibus triumphavit. Hic etiam ausus erat Scythis monstrare Romanorum arma, quod magnæ victoriæ loco, orbis illi victores duxere.

Bellum Gladiatorium hoc anno fortitudin suâ Crassus, præsentiâ suâ Pompejus ex Hispa nia redux absolvit. M. ergo Licinius Crassu Præturam suscepit, & bellum; ac sex legioni bus Prætoriis quæ Spartaco resistebant, du Consulares adjunxit. Tum omnes illas dec mavit, quatuor quia sæpe fugissent, duas quo injussu Mummii legati pugnassent, ac fugissen multis cæsis. Hac decimatione quatuor mill sustulit, cæteris tantùm exanimatis metu, red didit animos, & alacritatem. Itaque Spartacu vicit, transire parantem in Siciliam inhibuit conantem in Samnium ingredi gemino præl manè ad vesperum repressit, cæsis duodeci millibus; sed abeuntem Spartacum dum inca tùs sequitur Crassi Quæstor, agmine conver obsistentem sensit, à quo vulneratus, ægrè ejus manibus ereptus est. Ita Spartacus à Rom nis etiam non impune vincebatur.

Tum Pompejus ad conficiendum hoc bellu missus est: sed antequam accederet Crassus Spartacus de summa decernere voluerunt; hic cum geminis pugnare, ille victoriæ laud cum alio partiri cogeretur. Acerrimè igi utrimque pugnatum,vulneratus Spartacus p gnans,& circumventus interiit. Socii ejus m gna ex parte cæsi, sex millia capti totâ Ap Viâ ad terriculum pependerunt.

OLYMP.CLXXVII. *Mundi* Urb.Cond.
*ann.* 3. 3984. 684.

Appius Clodius Antiochiam pervenit,ibi diutiùs moratus est, quod Ptolemaidem Tig nes obsideret. Hic tamen multos Dynastas R manis devinxit, multas item urbes, quas q scere jussit, donec in Syriam Romani cum ex citu venissent. Tigranem demum redeun liberè allocutus est, eique Mitridatem red neganti denunciavit bellum, quod ille pari daciâ recepit, quâ oblatum erat. Interea cullus in Asia fœneratorum Romanorum cru litatem reprimebat, quamobrem postea a in judicium Romæ vocatus est. Is verò tun sanguisugas istas retudit, ut intra quadrienn omnia nomina dissolverentur, & possessio liberatæ fœnore, suis dominis restituere Quare Lucullea festa in ejus honorem hîc i tuta sunt, Ephesi eo præsente celebrata; ludorum magnificentiâ, egregiisque spectac ipse pensavit.

Hoc anno Consulibus Cn. Pompejo Ma & M. Licinio Crasso, est restituta censur interrupta ab anno v. c. 668. eamque L. Gel & C. Lentulus, magnâ omnium expectat gesserunt, & Senatores sexaginta quatuor S

moverunt. Tum quoque concessus Pompejo onsulatus, neque Quæstorio, neque Prætorio, uod lege Corneliâ prohibebatur, sed datus est ne vi extorqueret. Tum etiam ambo Consu junxere dextras; ambo dimisere exercitum, em adhuc retinebant cum magno Populi me ex Syllani dominatus recordatione.

Eodem anno judicia per M. Aurelium Prætem, à Senatoribus ad Equites translata sunt, æ hic ordo magnâ ambitione prensaverat, nitentibus maximè Publicanis quorum intert, se per suos judicari; non sine magno pronciarum detrimento, quæ sic eorum avaritiæ, inisque patebant.

Tum Cicero Hortensio jam Consule designa C. Verrem accusavit, cum ille prensaret Ædiitem annos natus triginta sex, quam & obtiit, & perfecit eloquentiâ suâ, ut nummi qui n Romæ poterant omnia, nihil depeculatori odessent.

Natus denique hoc anno Idibus Octobris Virgilius Maro, ex vico Andino, propè antuam, patre figulo, *Magna spes altera næ*, ut legitur à ipso Cicerone fuisse pronuntum, cum ab eo scriptam Eclogam audivisset; æ vox si vera est, non tantùm laudantis, sed vaticinantis fuit.

OLYMP. CLXXVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3985. 685.

Lucullus potitus regno Mitridatis in Armem irrumpit, ubi Tigranes peditum ducenta lia, equitum sexaginta collegerat. Leviora t aliqua facta certamina, in quibus victus cæus dux Tigranis intra Tigranocertam npulsus, obsessus est primùm à Lucullo, dee à Muræna. Tum committitur ingens pu, in qua Luculli prudentia, Tigranis stupis apparuit. Hic enim cum in montis clivo licuisset exercitum, vertice non servato, ille n occupavit, unde irruens, ingentes illas ias impulit in sese atque permiscuit, adeò ut potiùs intulerint cladem, quam à Romanis eperint. Cæsa supra centum & octo millia, itum pauci effugerunt, inter quos Tigranes ectis Tiarâ, & Diademate, ne agnosceretur, des ad centum viginti stadia continuata. Midates Tigranem consolatus est, eique regium m comitatum obtulit. Capta deinde à Lulo Tigranocerta, mercenariis Græcis à Ma exarmatis, qui Romanos in aliquas turres niserunt. In ea urbe inventa octo millia lentûm pecuniæ signatæ; Græci cum viatico patriam remissi, conjuges optimatium inta servatæ jussu Luculli, & maritis redditæ nt; Lucullo plus hoc factum, quàm victoria ofuit.

Lucius Metellus Prætor in Sicilia contra Pias benè pugnavit, & Pyrganionem eorum cem, qui Romanâ classe depulsâ Syracusam portum obtinebat. Hic terrâ marique vis majori ignominiâ exiit è Sicilia, quàm gloriâ gressus erat.

Consulibus Q. Hortensio Oratore, & Q. Cæio Metello Cretico, Cicero Ædilis Curulis fuit; quam ei dignitatem non tantùm eloquentiâ, sed gesti castè, ac sanctè præcedentes magistratus pepererunt.

OLYMP. CLXXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3986. 686.

Consules hujus anni creati L. Cæcilius Metellus & Q. Marcius Rex: hic Marcius solus toto ferè anno Consulatum gessit, cum collega Metellus sub anni initium obiisset, immò & qui eidem suffectus erat. *Vnus Consul Marcius.*

Tum tentatus est à Tigrane, & Mitridate Rex Parthorum, tentatus & à Lucullo: sed ille sapienter neutri parti adhæsit, & eorum clades suam putavit esse securitatem. Lucullus non est secutus Tigranem, sed huic spatium exercitus colligendi dedit, ut cum eo statariâ pugnâ, non velitationibus, & erronum more congredi cogeretur. Expertus est autem suos contumaces, seu cum Parthos aggredi voluit; seu alteram Tigranis urbem invadere, ac totius Armeniæ primariam Artaxatam. Obsedit ergo Nisibin, quàm tota æstate tentatam, hyeme tandem cepit, & cum se ferè tutos Nisibeni arbitrarentur, Aliunde Mitridatem Fanium Luculli ducem delevit; sed ille vicissim victus à Triario, cum eum delere potuisset. Putavit enim omnes adesse Romanorum copias, pars erat duntaxat, ad cujus aspectum Rex, grandi instructus exercitu, fugit, jam ex usu solitus potiùs fugere, quàm pugnare. *Lucullus sequitur Mitridatem & Nisibin capit.*

Eodem anno Lucullus Antiochum Asiaticum filium Eusebis, qui diu latuerat in Asia ex latebris extraxit, regemque salutatum opposuit Tigrani æmulum, de se infirmum, sed fretum Romanâ potentiâ, ei parem, aut etiam superiorem. *Antiochus Asiaticus opponitur Tigrani à Lucullo.*

Metellus Proconsul jussus est vindicare ignominiam olim ab Antonio Triumviri patre in Creta acceptam, qui temerè illato Cretensibus bello, morbo extinctus erat. Initium expeditionis hujus ductum ab obsidione Cydoniæ urbis magnæ atque munitæ, quæ prima Metelli gloriæ palmam defixit. *Metellus Cretam invadit.*

OLYMP. CLXXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3987. 687.

Celebris est hic annus clade Triarii. Is gloriæ avidus, non expectato Lucullo, quem mox affuturum sentiebat, pugnam affectavit cum Mitridate, à quo in locum cœnosum compulsus, luculentam cladem accepit. Nam septem millia suorum perdidit, viginti quatuor Tribunos, centum quinquaginta Centuriones, & nisi miles Romanus quidam Mitridatem sub speciem colloqui vulnerasset, omnes ad unum essent trucidati. Tum quoque Attilius quidam Romanus Regem appetivit insidiis; quibus detectis, ipse cum sociis excruciatus periit, & causa fuit cur Romani plurimi, qui in Regis castra confugerant, in unum locum congregati, trucidarentur. Nec melior accurrentis Luculli quam Triarii fortuna fuit; quem suus destituit exercitus, maximè ex quo Acilius Glabrio ei successor adesse denunciatus est. Interea Mitridates *Triarii clades.* *Lucullus à suis destituitur.*

dates suum recepit regnum, neque impediente Lucullo, neque inhibente Acilio, quod hic rem Romanam deploratam videret, ille alteri laborare nollet. Neque etiam Q. Martius petenti Lucullo tulit auxilia, recepit tamen Clodium, eumque rei navali præfecit, qui mox captus à Piratis pœnas cognationis violatæ, desertique ducis sui pœnas dedit.

*Leges Calpurnia & Roscia.*

Romæ facti sunt Consules C. Calpurnius Piso, & M. Acilius Glabrio, quo anno nobiles latæ sunt leges Calpurnia quidem de ambitu, quia tum magistratus emebantur potiùs, quàm à populo donabantur: Roscia verò ab Othone Roscio Trib. plebis, qui jussus Populus Romanus ordinem in Theatro servare, & duodeviginti primos ordines Equitibus relinquere: Tertia à Gabinio lata est de extraordinaria potestate Pompejo concedenda, ut mare Piratis purgaret, qui jam totis classibus formidabiles, oras omnes maritimas deprædabantur, & in Urbem rerum omnium penuriam invexerant, captis etiam Romanis Prætoribus. Concessa ad hoc bellum talentûm Atticorum sex millia, peditum 120. millia, Equitum quatuor, naves ducentæ septuaginta, cum multis legatis, qui Proprætores essent, singulique suis navibus imperarent, ut eodem tempore Piratæ simul invaderentur, simul opprimerentur. Belli hujusce profligati summam Tullius expressit, cum ait *hyeme apparatum esse, ineunte vere susceptum, media æstate confectum.* Cilices ipse Pompejus cum sexaginta navibus domuit, & ad aliud vitæ traduxit genus, reliqui ita compressi ut mare Internum liberum esset, omnibus tam sapienter quàm feliciter, ac celeriter administratis.

*Bellum Piraticum mandatur Pompejo.*

*Victi Piratæ celerrimè.*

*Pompejus se immiscet bello Cretico.*

Eodem tempore Metellus Creticus administrabat bellum, & ab hac parte alium Piratarum fontem exsiccabat. Cui expeditioni dum se immiscere, per legatum suum Octavium conatur Pompejus, neque Cretensibus profuit, ideò duriùs habitis à Metello, & magnam sibi conflavit invidiam, quasi in alienam messem injiceret falcem, neque suis tantùm, sed alienis victoriis inhiaret.

OLYMP. CLXXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3988. 688.

*Alexandra moritur.*

Alexandra Jannæi uxor difficili implicita morbo regnum Hyrcano commisit, quod vindicare sibi nitebatur Aristobulus, jam aliquot regni castellis occupatis. Interea obiit mulier ingeniosa, & sagax, in hoc tantùm improvida, quod sibi nimiùm arrogare passa est Pharisæos, hominum genus malitiosum, & concretum ex fastu, ideò paulò post ab Herode factis; à Christo dictis exagitatum. Eâ demortuâ Aristobulus Hyrcanum fratrem appetit bello, eumque ad Hiericuntem vicit. Tandem sic initum inter utrumque fœdus, ut Hyrcanus Pontificatu, & divitiis contentus esset, regnum Aristobulo cederet; quod fœdus Antipatri, & Herodis malitiâ, magnarum postea turbarum causa fuit.

*Hyrcanus Pontifex, Rex Aristobulus.*

*Cicero Prætor*

Romæ Consulibus M. Æmilio Lepido, & L. Volcatio Tullo, Cicero Præturam gessit, quando & orationem Manilianam habuit, pr[o] Lege, seu Rogatione C. Manilii Tribun. plebi[s]. Per eam assignabantur Cn. Pompejo Magno C[i]licia, & Bithynia cum administratione bel[li] Mitridatici. Ea tandem lex perlata est, mult[is] licet reclamantibus, & rata habita est maxi[mè] curâ Cæsaris, atque Ciceronis. Insuper eide[m] Pompejo datum imperium in omnes exercit[us] extra Italiam, itemque potestas concessa qu[os] vellet socios adsciscendi, hostesque declarand[i]; quod profectò fuit totum imperium Romanu[m] uni viro periculosè subjicere.

Metellus Creticum absolvit bellum, qu[um] Aristion, cum suis desertus ab Octavio, fugiss[et]. Ordinata Creta per decem legatos, atque ex Metellus triumphum, & Cretici nomen retu[lit] in familiam suam, multarum jam provinciaru[m] nominibus cohonestatam.

Pompejus ad opprimendum Mitridatem c[opi]ras omnes adhibet suas, qui licet instructus t[ri]ginta peditum millibus, equitum tribus pac[em] à Pompejo nihilominus postulavit: sed se a[rma] sua dedere jussus, in interiora regni sui se re[ce]pit, à Pompejo eum acriter insequente, ad mentorum esum compulsus. Tandem decre[to]rio certamine pugnatum, in quo Regii vano more perculsi, victoriam Pompejo, castra si[mul] & suorum decem millia cæsa reliquerunt. [Mi]tridates in arcem Synoregem se recepit; [in]de ad Tigranem accedere statuit, à quo reject[us], quod filio ejus Tigrani rebellanti favisse vide[ba]tur. Tigranes autem ille junior Parthorum [...]sione fugit ad Pompejum; ad quem venit q[uo]que pater judicium experturus. Is cum mu[ne]ribus multis Romanos delinivisset, veniam p[ræ]teritorum obtinuit. Reconciliatus quoque f[ilio] est: cum filius judicio Pompeji non acquie[sce]ret, in vincula datus est atque triumphatus. T[um] quoque Antiocho Asiatico Pompejus ademi[t re]gnum ipsi à Lucullo concessum, Syria & hu[ic] Tigrani adempta in provinciæ formam red[acta] est; ut Romanorum esset quieta, de quibus [re]ges tandiu tumultuosè contendissent.

Mitridates interea Dioscuriade in Col[chide] hyemabat, unde reparare bellum meditabat[ur], immò & in Italiam id itinere terrestri trans[ferre]: quibus agnitis Machares ejus filius pe[r le]gates ab eo veniam petit, quod necessitate [a]ctus Romanos victores coluisset: ubi pat[rem] implacabilem videt, sibi violentas infert ma[nus]. Mitridates ei quos dederat amicos interim domesticos ejus dimittit incolumes; hos vis juvenis consiliis ex necessitate, illos ex [ma]litia favisse arbitratus.

Romæ tumultus excitatus est prævius C[ati]linario. Nam Autronius Pœtus, & Sylla m[...] Syllæ nepos convicti sunt ambitus damnat[i], eorum accusatores Aurelius, & Cotta desig[nati] sunt Consules. Hos designant ad cædem [Au]tronius, & Sylla, adjectis sibi sociis Cn. Pis[one] & L. Catilinâ. Verùm re patefactâ datum [præ]sidium periclitantibus. Piso in Hispaniam [spe]cie honoris ablegatus est, ubi vir naturâ f[...] dum incolis infert injuriam, eam morte suâ [...] Hujus conjurationis quoque participes &

:ii fuiſſe perhibentur M. Craſſus, & Julius Cæ-
ar, hic Magiſter Equitum, ille Dictator deſignan-
us: ſed malè coalitam conjurationem, dum
ipienter ejurant, ad commodiora ſe tempora
eſervarunt.

OLYMP. CLXXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3989. 689.

Alexander Rex Ægypti ſuis inviſus ab Ale-
andrinis pellitur, ſeceditque Tyrum, ubi mo-
ens populum Romanum ſcripſit hæredem,
on ejus amore, ſed ſuorum odio, quos poten-
orum avaritiæ, ac rapinis objiciebat.

Huic ſucceſſit ad annos tredecim Cleopatræ
ujus famoſæ pater Ptolemæus Auletes, ita di-
us quod Choraulam exercuiſſet, & hâc ſe adeò
ctaret, ut eum non pigeret in aula ejuſmodi
rtamina celebrare, in quibus ſe nonnunquam
rtaturis permiſcebat; Theatro utique quam
lio Rex dignior.

Mitridates ad Ponti fretrum Xypharem filium
um interficit, ejuſque cadaver abjicit inſepul-
n matre Stratonice ſpectante, quod ea Pom-
jo caſtellum cum opibus tradidiſſet, ut inco-
mem ſervaret filium. Pompejus tum Iberos
bellavit, eorumque Regem Artorem; deinde
Albanos dum Mitridatem nuſquam conſi-
ntem inſequitur, & inter ambulandum vi-
orias colligit. Inde in Syriam transgredi pa-
, quò jam ſuos duces Scaurum, Afranium,
Gabinum præmiſerat. Hic Antiochum Co-
genum recipit in amicitiam; Darium verò
edum profligat, quia Tigranem antea juve-
, nunc Antiocho Aſiatico favere putabatur;
n non ſociorum modo, ſed & Regum arbiter
nſtitutus.

Conſulibus L. Aurelio Cotta, & Manlio
rquato natus eſt Horatius Venuſinus Poëta
ricus, quâ Poëſi nullus inter Latinos meliùs
oncinnè magis cecinit.

OLYMP. CLXXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3990. 690.

Res erant apud Judæos ſatis quietæ, quia Hyr-
ius Pontificatu contentus erat. Sed eum An-
ater genere Idumæus, homo potens, & fa-
ſus, ideoque inviſus Ariſtobulo, concitavit in
rem. Ei igitur ſuaſit, ut ſi vitæ ſuæ con-
um vellet ad Aretam in Arabiam fugeret;
& Arabi ſuaſit eum quaſi legitimum Regem
eroſolymis reſtituere, pactus duodecim urbes
annæo ereptas Arabibus. Ariſtobulus Hiero-
ymam compellitur, & obſidetur in Templo.
l Scaurus qui tum agebat Damaſci, emptus
centis talentis ab Ariſtobulo, ab eo pronun-
vit; Aretas faceſſere juſſus, Hyrcanus &
tipater Ariſtobulo ſubditi. Verùm hi ſupe-
s tribunal cogitabant, atque Pompejum, à
o Judæa libertatem amiſit ac legitimum Re-
n.

Phraates Parthus in Tigranem bellum mo-
, hic à Pompejo petit auxilium: ſed cum tar-
is adveniret, quàm res Armenæ paterentur,
n Parthis iniit fœdus Tigranes, ratus eos non
i tantùm, ſed & Romanis tergiverſantibus
tuendos.

*Pompejus Antiochenis favet.*

Pompejus Antiochenis obſides ſuos reddidit. Daphnenſibus quoque ſuburbicariis Antiochiæ dedit agrum, quo eorum celebris lucus dilataretur, mirificè delectatus amœnitate loci, quo nullus fuit in orbe venuſtior.

*Catilinæ conjuratio.*

Romæ Conſulibus L. Julio Cæſare, & C. Marcio Figulo, inſtaurata eſt Catilinæ conjuratio circa Kalendas Junias. Advocat homo perditiſſimus unum in locum ſocios ſuos (ex quibus plerique Equites atque Senatores) libidine prius, vino, ac omni turpitudine corruptos, atque delinitos. Eos autem nefando ſacrificio, hauſtoque etiam humano ſanguine, inter ſe devinxit, & invitavit ad mutandum Reip. ſtatum, novasque tabulas inducendas. Hic diſtribuuntur Magiſtratus, & Sacerdotia, boni & divites deſignantur ad cædem, ipſe Catilina eligitur Conſul habiturus collegam C. Antonium, ſibi non inimicum. Quod cum plerique viri amantes patriæ ſuboluiſſent, accenſi ſunt plerique boni omnes ad demandandum Tullio Conſulatum. Neque tamen ideò Catilina deſpondit animos, ſed arma, viros, pecuniam ſtudioſiùs comparavit, illaturus patriæ bellum, & vi peracturus, quod conſilio, & fraude præſtare non poterat.

*Tullius fit Conſul.*

---

## CAP. X.

## *Decas Decima.*

### *Ab anno* 3990. *ad* 4000.

OLYMP. CLXXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3991. 691.

*Mitridates petit pacem, dum bellum cogitat.*

Mitridates ad Pompejum de pace legatos mittit, ſed ipſe jubetur venire, & præſtare quod Tigranes fecerat. Interea tamen parabat bellum, & pecunias adeò acerbè extorquebat, ut à ſe ſuorum pleroſque abalienaret. Certè Phanagorenſes, & pleræque in utraque Boſphoro urbes defecere. Filiæ quoque ejus, quas ad Regulos auxiliatores mittebat ſponſas, ad Pompejum ab ipſis ductoribus pertractæ ſunt. Ipſe inops conſilii nihilominus cogitabat bellum, imò & Gallias, in quas itinere pedeſtri tranſire meditabatur. Quibus permotus, pertæſusque periculorum Pharnaces filius deſignatus hæres parat inſidias patri. Iis patefactis etiam huic à patre data venia, autore Menophane: ſed ingratus mox ſollicitavit exercitum, à quo Rex poſtulatus, atque coronatus eſt ſpectante patre.

*Pharnaces rebellat in patrem.*

Mitridates, ne Romanis dederetur vivus, cum venena, ob conſuetudinem, & ſæpe ſumpta antidota non procederent, primùm ſuo, deinde alieno gladio periit, ſexagenario major. Pharnaces corpus patris muriâ conditum miſit ad Pompejum, ideò regnum Boſphori, & Romanorum amicitiam præmium parricidii retulit. Ita extinctus Mitridates Dionyſius, & Eupator, quo diuturniorem hoſtem Roma non habuit, neque potentiorem; & damnoſiorem expertura, ſi ſe Italicis & Socialibus tumultibus permiſcuiſſet.

*Moritur Mitridates.*

*Pompejus Hier[illegible] mam obſidet, & capitur.*

Damaſcum convenerunt ad Pompejum duo fratres Hyrcanus, & Ariſtobulus iterùm de regno diſceptaturi. Pompejus damnatâ Ariſtobuli violentia, utrumque fratrem apud ſe manere jubet, donec bellum cum Nabathæis confeciſſet. Sed Ariſtobulus fugit in Judæam. Inſequitur eum cum exercitu Pompejus, hortantibus Hyrcano, atque Antipatro. Ariſtobulus Alexandrio arce ſe continet: inde vocatus acceſſit, jus ſuum jure in ſpeciem, defenſurus, cum interea vim & arma expediret. Quare eum Hieroſolymis obſidet Pompejus. Facti pœnitens Ariſtobulus obviam occurrit Pompejo, & pecuniam pollicetur: dum eam numeret retinetur in vinculis. Sed pecuniam negarunt cives; quare urbs obſeditur, quæ tandem Pompejo traditur ab inimicis Ariſtobuli. Fautores quoque Romanorum occupant Templum, quod à Romanis capitur die Sabbathi. Templum ingreſſus Pompejus ſacræ ſupellectilis attigit nihil: volunt tamen quidam tum templi pecunias ad eo direptas. Deinde Hyrcano redditus Pontificatus, autores belli ſecuri percuſſi, præter Antipatrum cruce quàm ſecuri digniorem. Hieroſolyma facta Romanis ſtipendiaria, cujus everſi muri, Judæa in Provinciæ formam redacta, juſſaque proprio parere Præſidi. Et ne ſementis belli relinqueretur, Ariſtobulus cum duobus filiis, & filiabus totidem Romam abductus. Ita pax à Pompejo toti Orienti data, compoſitis etiam Armenorum, Parthorumque controverſiis; Romanum Imperium ad Euphratem uſque promotum, ut Aſia, unde bellum inchoarat Pompejus, fieret Romani Imperii umbilicus, qui antea limes, & terminus fuerat.

*Judæa fit Ro. ſtipendiaria Rege abducto.*

*Roma à Tullio detecta Catilinæ conjuratio.*

Romæ Conſules erant M. Tullius Cicero, & C. Antonius Nepos, quem omnibus ſibi modis collega devinxerat, ut eum ad ſuas, & patriæ partes pertraheret. Ei enim Macedoniam ſorte ſibi datam, ſponte conceſſit, utpote fertilem triumphorum, ſicque abduxit à Catilina. Curavit etiam Galliam Ciſalpinam dari Metello Celeri, ne hanc invaderent conjurati, inde in Tranſalpinam trajecturi: ipſe per Fulviam omnem conjurationem retegit. Ab ea admonitus mortem etiam vitat ſibi per C. Cornelium Equitem, & L. Varguntejum inferendam. Jam Manlii Catilinarii ducis in Italia fremebant arma, cum Tullius Catilinam publicè exagitavit in Senatu, atque ex Urbe exire ad ſuos compulit. Statim hic aſſumit ſibi nomen Conſulis & ornamenta, ſtipatus viginti millibus conjuratorum; ſed hoſtis à Senatu dictus, cura C. Antonio demandata eum cum exercitu inſequendi. Romæ verò relictus Tullius detectos conjuratores ab Allobrogibus conjicit in carcerem, licet primarios viros Lentulum, Cethegum, Statilium, & alios, quibus omnibus gulam elidendam curavit; quæ ſeveritas patriam incolumen præſtitit, magnarum Ciceroni ſervatori calamitatum cauſa poſtmodum fuit.

*Conjuratos in carcere necat Tullius.*

*Naſcitur Octavius.*

Hoc anno natus C. Octavius, poſtea Octavianus, & Auguſtus 9. Kal. Octobris, ſeu 23. Septembris, cui Roma ſervire compulſa, experta eſt meliorem libertate ſervitutem.

OLYMP. CLXXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3992. 692.

Confectum eſt hoc anno ſuſceptum à Scauro
contra Aretam bellum, induſtria Antipatri, qui
& Romanis frumentum, atque neceſſaria ſuffe-
cit, & autor fuit Aretæ redimendi pecuniâ agri
ſui vaſtitatem, cujus pecuniæ ſponſor fuit pro
300. talentis: eoque facto ſibi Aretæ, atq; Scauri
benevolentiam conciliavit, viamque filio ſuo
Herodi ad majora ſtravit.

Pompejus tum quoque urbes aliquas in Aſia
condidit Pompejopolim, Magnopolim, Nic
polim nominis, atque victoriarum indices ſem-
piternas.

Romæ Conſulibus D. Junio Syllano, & L.
Licinio Murenâ, triumphavit de Creta Metel-
lus Creticus, qui priùs de Pompejo, ejuſque am
bitione viſus erat triumphare.

Debellatus tum quoque Catilina fuit, quer
ſequebatur C. Antonius cum lectiſſimis, & exer
citatiſſimis legionibus: quare ille detrectaba
certamen opperiens quid ſui agerent Romæ
qui Urbem ad incendium diviſerant. Sed u
patefactam conjurationem, & ſuorum morte
audiit, in agrum Piſtorium tranſiit, unde moli
batur ad Alpes viam; qua prohibitus eſt
Metello Celere. Tandem ergo interceptus à
Antonio ſtatuit aut vincere, aut mori. Ant
nius cauſatus morbum cum eo non conſer
manum, ſed legatus ejus Petrejus: victi Cati
narii, eodem quo ſteterant loco cecidere, a
verſis omnes vulneribus, vivus eorum capt
eſt nemo; Catilina ipſe obrutus telis trucic
tus eſt, caput ejus Romam delatum. Petrejo q
que victoria magni ſtetit, ſtrenuiſſimi quic
militum ejus, aut morte, aut vulneribus ſa
tem patriæ ſuæ pepererunt.

C. Antonius ſtatim cum laureatis faſcil
perrexit in Macedoniam, ubi victus à Darda
turpiter fugit, adverſus cives ſuos quàm ho
fortunatior.

Cadit & in hunc annum C. Cæſaris Præt
Urbana, qua abſtergere conatus eſt ſuſpicior
quam ei cum Catilina conſuetudo inuſſerat.
palam deteſtabatur ei crimen, quod ipſe
quando, licet cautiùs, perfecturus erat.

OLYMP. CLXXIX. *Mundi* Urb. Conc
*ann.* 4. 3993. 693.

Conſulatum Romæ gerebant M. Pupius
ſo, & M. Valerius Meſſala Niger, quando P
pejus in Italiam rediit. Militibus ſuis ad
decim Talentum millia diſtribuit, Mityl
immunitate donavit, in gratiam Theopl
liberti ſui: Rhodi & Athenis omnes Phi
phos, & Sophiſtas audivit, ac ſingulos ta
donavit; Athenis ad ejus inſtaurationem c
quaginta talenta dedit. Cum autem Bru
ſium appuliſſet; ut ſiniſtros de ſe rumore
ſiparet, dimiſit exercitum, admonitis t
militibus ſuis, ne triumpho ſuo deeſſent.
univerſus populus, totuſque adeò Senatus
viam ſic effuſus eſt, ut non Imperator Ron
ex Aſia rediiſſe, ſed Deus è cœlo lapſus e
deretur. Triumphavit eodem die quo na

ante annos 43. & quo post dies tredecim in
ɜypto cæsus est. Nunquam triumphus visus
splendidior, seu devictæ gentes, seu reges,
gumque filii, ac Principes, seu pretiosa su-
lex, seu coronarum, & donariorum multitu-
spectaretur; quibus tamen omnibus præcel-
ipse Pompejus, qui aliàs de Europa, & A-
a, nunc de Asia, ac proinde de toto terrarum
e triumphare jactabatur.

Tum quoq; idem Pompejus Theatri sui fun-
nenta jecit, cujus ideam Mitylene detulerat,
s quod non Urbi modò, sed & orbi terrarum
amento esse posset.

Circa hæc tempora vocatus est in judicium
lodius ob violata sacra Bonæ Deæ, in qui-
sub habitu Psaltriæ uxori Cæsaris stuprum
rre voluerat. Probare nitebatur Clodius ab-
iam suam ab Urbe; sed eam testimonio suo
ero rejecit, Cæsar non est ausus dicere quid
iret. Itaque reus à 25. judicibus damnatus
absolutus à triginta partim pecuniâ, partim
u labefactatis. Hos populus Romanus con-
psit, illos facetè Catulus irrisit eos admo-
s rectè sibi præsidium petiisse, ne illis pecu-
eriperetur. Sic homo improbus & sacrilegus
cit litem, quia profusus, & audax fuit.

Bellum Allobrogicum contra Catugnatum
em gentis ad Isaram fluvium gestum à C.
nptino Prætore, quo post varias excursiones,
elitationes legatorum, hostis ita devictus, ut
nes Allobroges præter unum Catugnatum,
cæsi, aut manu capti viderentur.

C. Cæsar in Lusitaniam proficisci parat, sed à
litoribus detinetur. Ejus enim nomina om-
octingentis triginta Talentis tantùm dissol-
oterant. Itaque molestissimis ejus credito-
is sponsorem se obtulit Crassus; utcumque
r in Provinciam sibi commissam profectus
Cæsar. Hic Hermonii montis incolas in pla-
em deducere conatus est, unde ortum bel-
, in quo eos oppressit, vicinos diripuit, ac
is triumphasset nisi Consulatum, Triumpho
tulisset.

OLYMP. CLXXX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann* 1. 3994. 694.

Syriam hoc anno administravit M. Æmilius
urus, quando Alexander Aristobuli filius
nogenitus videtur in Judæam pervenisse, in
nihil præter vanos tumultus movere potuit,
onis afflictæ Princeps calamitosus.

Romæ Consulibus Q. Cæcilio Metello Ce-
, & L. Afranio, Pompeji favor visus est
orescere. Cum enim hic in Afranii Con-
tu posuisset omnia, adeò ut pro magistratu
omparando etiam pecuniam parasset, ille
ationibus quàm rebus gerendis aptior nihil
erat Romæ, sibi & amicis suis prorsus inuti-
. Habebat autem Pompejus adversantes sibi
Crassum, Julium Cæsarem, Catonem, sed ma-
è Lucullum, atque Metellum. Hujus enim
orem Mutiam susceptis etiam ex ea liberis,
suspicionem vitæ liberioris repudiarat: il-
offenderat in bello Mitridatico, ejusque in-
er resciderat acta. Itaque tum sensit Pompejus



se ocyus quàm par esset exercitum suum dimi-
sisse. Quare adjungere sibi conatus est Tribunos
plebis, & adolescentulos audaces, quorum im-
pudentissimus, & flagitiosissimus erat P. Clo-
dius, quem ut sibi devinciret, vir tantus, Cice-
ronem amicum suum iniquissimè prodidit. Ni-
hil minus L. Flacco Tribuno plebis legem fe-
renti de agris Pompejano militi dividendis,
ejusque actis confirmandis, tantâ contentio-
ne restitit Metellus, ut eum Flaccus in car-
cerem duxerit; sed cum in eundem transire
pararet Senatus, veritus facti hujus invidiam
Pompejus, eum retraxit, finxitque se tribue-
re Metelli constantiæ, quod suis tantùm com-
modis aptabat.

*Pompejus vexatus à viris magnis adhæret P. Clodio.*

Tum quoque P. Clodius per aliquot Tribu-
nos legem tulit de Tribunatu Patriciis commu-
nicando, quem ipse Patricius avidissimè prensa-
bat. Sed cum ea lex rejecta esset, ipse ejuratâ
domus suæ nobilitate ad Plebejos transire cona-
tus est. Rem tamen discussit ad tempus Metel-
lus, ut Patriciis omnibus ignominiosam.

*Clodius Tribunatũ pl. quærit.*

Ambiit sub hujus anni finem Consulatum C.
Julius Cæsar, hujusque gratiâ, quia utriusque
prensationi vacare non poterat, Triumphum
omisit. Præterea Lucerium competitorem suum
induxit, ut communi nomine, de suo, num-
mos per centurias pronunciarat. Quare Bibulus
ex optimatium consilio, tantundem pollicitus
est, factumque, ut è Republica, probavit Cato.
Itaque cum de se Cæsar non satis posset Cras-
sum sibi, atque Pompejum adjunxit, quibus
etiam juramento confirmavit, se nihil nisi ex
eorum consilio gesturum. Verùm eos inter se
parabat committere, totamque sibi in Rep. au-
toritatem arrogare, quod non sine labore, ac
sanguine præstitit.

*Cæsar ambit & emit Consulatũ.*

OLYMP. CLXXX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3995. 695.

Alexander, L. Martio Philippo Syriæ Præto-
re, clam novas res moliebatur, Romanarum vi-
rium metu, ac vinculorum patris sui Aristobu-
li, qui errata filii sui capite luere poterat. Itaque
tentabat potiùs quid sibi agendum esset, quàm
operi manum admovebat.

*Alexander in Syria turbat.*

Ptolemæus Auletes amicitiam Populi Ro-
mani non tam obtinuit, quàm emit, cum pro-
pe sex millia talentûm Cæsari numerasset: tanti
tum stabat Principibus, ac Regibus Romanos
amicos habere.

*Auletes emit Pop. Rom. amicitiam.*

Hujus ergo anni Consules fuere C. Julius
Cæsar, & M. Calpurnius Bibulus, quo tem-
pore Cæsar suæ Tyrannidis fundamenta jecit.
Ac primùm cum indigeret pecuniâ tria millia
pondo auri furatus in Capitolio, tantundem
inaurati æris reposuit: omnia addixit pretio,
quæ ante donari consueverant, eò potentior
quò sceleratior, & tantùm religiosus quantùm
sua fineret ambitio.

*Cæsar Consul Tyrannidis suæ fundamenta jacit.*

Tum quoque idem Cæsar filiam suam Pom-
pejo dedit uxorem, ipse Calpurniam filiam Pi-
sonis duxit, ut potentiam suam hisce conjugiis
firmaret. Ciceroni quoque, & Lucullo confla-
vit calumniam per L. Vectium, quasi ii mortem

*Cæsar nuptiis potentiam suam firmat.*

sibi, atque Pompejo machinati essent: sed cum patefacta esset calumnia, atque revicta, Vectius in carcere strangulatus, pœnas dedit suæ temeritatis.

*Gallia conceditur Cæsari.*

Obtinuit & Cæsar rogante Vatinio Illyricum, Galliamque Cisalpinam, cum tribus legionibus, ac potestate Proconsulari, quibus addidit Senatus Galliam Transalpinam, legionemque unam, gratiam Populi superare volens, à quo præventus erat. Et verò jam omnibus metuendus erat, Catone ipso in carcerem misso, & Bibulo collega ita retuso, ut reliquo tempore sui Consulatus publico careret; quare per jocum pars hujus anni notata est Julio, & Cæsare Consulibus.

*Bibulus publico caret.*

*Clodio favet Cæsar infensus Ciceroni.*

C. Antonius hoc anno repetundarum accusatus, licet cum Tullius, quondam collega, defenderet, damnatus est. Cum idem Orator Cæsarem quasi autorem hujus judicii perstrinxisset verbo, illi Cæsar iratus Clodii patrocinium suscepit, eumque à Patriciis ad plebem transire volentem, adnitente Cn. Pompejo traduxit. Mirum! à P. Fontejo natu minore & Plebejo, adoptatus est natu major & Patricius P. Clodius; indeque nullo negotio Tribunus plebis factus, data tamen priùs cautione, additoque jurejurando Pompejo, se nihil in Tribunatu contra Ciceronem facturum. Sed perturbator divini humanique juris, contra datam fidem, contra jusjurandum, ea in Ciceronem perpetravit, quæ ab inimico furioso & amente, ac publicâ autoritate armato, expectari potuerunt.

OLYMP. CLXXX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 3996. 696.

*P. Clodius [illegible]*

P. Clodius Ciceronem primùm aggreditur fraude, deinde apertâ vi, lege rogatâ de iis, qui civem Romanum indictâ causâ interemissent. Tullius Cæsarem adit, qui ei legationem offert in suo exercitu, ut Clodii furorem vitaret: sed eam dissuasit Pompejus, pollicitus auxilium Ciceroni, quem tamen flagitiosè deseruit, & ludificavit. Lucullus amicus sincerior eum armis parabat defendere; sed cum inhibuere Cato, & Hortensius. Itaque sponte abiit in exilium, minus animi præ se ferens, quàm ejus superiora facta postulabant. Absenti interdictum aquâ, & igni, domus eversa, expilata, incensa, area etiam Diis consecrata L. Calpurnio Pisone Cæsonino, & A. Gabinio Consulibus dissimulantibus, vel etiam Clodium stimulantibus. Has conservatæ patriæ vir optimus, homini scelerato pœnas luit.

*Clodius in Ptol. Cyprium sævit.*

A Cicerone, Clodius in Ptolemæum Cyprium irruit, à quo non fuerat aliàs adjutus pecuniâ. Hujus enim Regis bona publicavit ejusque regnum in Provinciæ formam redegit, cujus injuriæ curam Catoni demandandam curavit, ut eum ejiceret Roma, nec haberet suis iniquis legibus semper obsistentem integerrimum hominem. Tum ergo nihil sibi jam metuens Clodius, etiam Pompejum contempsit, eique juniorem Tigranem captivum per vim eripuit, & reluctantem Consulem Gabinium etiam cum dedecore repulit. Illi ergo statuunt Ciceronem ab exilio revocare, ut furorem Clodii frangeret. Nec mora de reditu Ciceronis rogationem tulit L. Mummius Tribunus plebis, & is prævaluit quanquam animosè ei resisteret Ælius Ligus, moveret omnem lapidem Clodius totoque furore repugnaret. Sed tandem succubuit, maximè ex quo Senatus decrevit de nulla re consultare, nisi priùs ab exilio revocaretur Cicero, pari Tullii gloriâ & laude, & Clodii furore atque insaniâ.

*Clodius Pompejum contemnit.*

Julius Cæsar hoc anno Bellum Gallicum auspicatus est. Ac primùm Helvetios, quærentes novas sedes, & Romanorum Provinciæ hostiliter imminentes, vicit ad Ararim fluvium; paulò post compulit & deditionem facere, & pristinas sedes repetere, ultus egregiè ab Tigurinis aliàs Romanis illatas clades, ac cæsos Lucium Cassium Consulem, ejusque legatum Lucium Pisonem.

Exinde Ariovistum è Germania transgressum, & socios Populi Romani Æduos infestantem tantâ clade delevit, ut per trigint
millia passuum & ad Rhenum usque fluviun
campi cadaveribus Germanicis sternerentur
reliquos haurirent fluminis vortices. Ario
vistus cum paucis ægrè trajecit fluvium, re
lictis suorum octoginta millibus, & ampliu
Quibus gestis rediit Cæsar in Galliam Cisalp
nam, unde muneribus & promissis res suas fi
mavit Romæ, hyeme populares suos, æstate ho
stes labefactans, vel auro, vel armis.

OLYMP. CLXXX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 3997. 697.

Ptolemæus Auletes Rex Ægypti, dum pec
niam exigit à suis, quam Romanis, & Cæsa
antea numerarat, tantam seditionem expert
est ab Alexandrinis, gravitatem tributoru
ferre recusantibus, ut sibi fugiendum esse R
mam crederet. In Cypro cùm incidisset in C
tonem, deterritus est adire Romam, cujus av
ritiam Ægyptus universa in pecuniam reda
explere non posset. Suadetur itaque potiùs
redeat Alexandriam, & cum suis redeat in g
tiam; sed & eidem se comitem obtulit: vi
Rex hæc meliora esse consilia, verùm suor
pravis suasionibus abductus, deteriora secu
est. Interea Alexandrini filiam Auletis Bere
cem ad regnum promovent, cui maritum
scio quem ex Syria Cybiosactem adjungu
Eum cum Regina sustulisset, duxit Archela
Comanorum in Ponto Sacerdotem & reguli
filium Archelai, qui dux Mitridatis in Ro
nos pugnaverat. Advenerat jam Auletes
mam, subnixusque Pompejo legatos Alex
drinorum, aut occiderat, aut tacere comp
rat; sed tandem intellexit Catonem menti
non esse, & indoluit tanti viri, non tam ve
quàm oraculis se minus paruisse.

Hoc quoque anno Coss. P. Cornelio Len
Spinthere, & Q. Cæcilio Metello Nepote,
Tullius Cicero ab exilio revocatus est, adni
tibus maximè Lentulo, Pompejo, & T. A
Milone, inter quos hic non tantùm linguâ,
& manu pugnavit. Gladiatores enim suos
p

iit Clodianis Gladiatoribus, per quos magna mque facta nonnunquam cædes, quando & Cicero Marci frater pro mortuo relictus est. cum tandem Clodius à Metello Consule re-is esset, Miloni jam fortiori cædere coactus jam vitæ suæ, quam injuriæ Tullio inferen-sollicitior. Sicque non tam reductus in pa-n Tullius, quàm totius Italiæ humeris rela-recuperavit bona sua; & ut gratiam referret npejo ei in quinquennium totius rei frumen-e, ac pecuniariæ potestatem committendam vit, non sine periculo Romanæ liberta-

Cæsar hoc anno Belgas aggressus multos ex òmuit, videlicet Bellovacos, Ambianos, A-ates, Nervios. In hos tamen periculosè navit, & nonnunquam potiùs de vitâ, quàm oriâ. Rhemos etiam sponte dedentes sese dem Populi Romani recepit. P. Crassus etos subegit, & alios Armoricæ populos, ex us tantùm auri collegit Cæsar, ut haberet emeret Romam, cujus libertatem minus Cæsaris, quàm pecuniæ Gallicæ everte-

OLYMP. CLXXXI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 3998. 698.

um in Judæa magnus excitatus est motus Alexandrum Aristobuli filium, qui cum de-millibus armatorum regionem depopula-r. Ad hæc dejecerat Hyrcanum ex Ponti-u, cum Gabinius in Syriam lege sibi Clodiâ natam venit. Hic ergo reduxit Hyrcanum, bsedit in Alexandrio castro Alexandrum, e dedere compulsus est, veniamque impe-t interventu matris fœminæ solertissimæ. eractis Gabinius Judæam ordinavit, eam-in quinque juridicos conventus distribuit, natis urbibus Hierosolymâ, Gadaris, Ama-te, Hiericonte, & Sepphori unde jura pete-Ita Judæi dum libertatem quærunt, ser-is suæ vincula fortiùs adstrinxerunt.

omæ Consulatum administravere Cn. Cor-is Lentulus Marcellinus, & L. Marcius Phi-is; quando M. Cato Cyprum ordinavit, eaquam Ptolemæus Cyprius ipse sibi consci-tnecem. Ex hac insula septem millia Ta-ùm argenti retulit Cato, quæ veritus ne ma-rirent imposita navibus, singulis vasis lon-funem alligavit, ac suberis frustum, ut in-geretur, quo loco factum esset naufragium, pecunia lateret. Receptus est Cato trium-ntis in morem, eique decreta est à Senatu tura, quam tamen repudiavit. Ita vir opti-ex iniquissimo munere gloriam retulit, quo-n iniquitatem Clodii in patriæ commodum vertisset.

Ptolemæus Auletes reduci jussus à Lentulo nctere Proconsule, non est reductus tamen, tatuam Jovis de cœlo tactam in Albano, & yllinum carmen, quo prohibebatur Rex cum rcitu reduci; sed maximè quia Cato huic re-utioni obstitit. Sic Auletes reditu desperato iit Ephesum, cum Romæ multùm temporis, is pecuniæ perdidisset.

In Galliam Cæsar & per se, & per legatos suos rem feliciter gessit: ipse Menapios Morinosque subegit, Serg. Galba populos Inalpinos, Titurius Sabinus Lexobios, vicinosque populos, P. Crassus Marci filius Aquitanos, D. Brutus denique Venetos quos iterùm jugum accipere compulit. His peractis, de more hyeme rediit in Italiam, ad quem convenerunt Lucam, præstantissimi quique Romanorum, Pompejus etiam, & Crassus. Inter eos statutum ut Pompejus, & Crassus iterùm Consules fierent, stipendium, & aliud quinquennium Cæsari in Galliâ prorogaretur. Quibus auditis Cato Præturam ambiit, ut majori autoritate resisteret Tyrannidi: verùm pecuniâ depulsus est, & in ejus locum inductus Vaticinius, homo concretus ex sceleribus omnibus gementibus bonis, & certam Reip. jacturam expectantibus.

*Rem in Gallia Cæsar per se, ac suos benegerit.*

*Comitia habet Lucæ.*

OLYMP. CLXXXI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 3999. 699.

Ptolemæus Auletes videns sibi nihil esse in Senatu Præsidii, ut regnum Ægypti recuperaret Gabinium adit cum litteris Pompeji comendatitiis, sed iis insuper adjunxit decem millia Talentûm, quibus inescatus Gabinius copias in Parthos & Arabas paratas in Ægyptum ducere parat, relicto in Syriâ filio Sisenna cum paucis militibus. Primo cum Ægyptiis conflictu Gabinius Archelaum capit, eratque confecta res, nisi eam homo avarissimus inchoasset. Nummis enim plurimis acceptis Archelaum laxat, quasi hic è custodia evolasset; inde Pelusium venit, & hinc Alexandriam, quando gemino prælio Ægyptios fudit, quorum in postremo cæsus est Archelaus. Sic Auletes restitutus est regno, moxque Berenicem filiam jam duorum Regum uxorem interficit, & locupletissimos quosque Alexandrinorum, quos mortis reos non crimina, sed opes efficiebant. Et verò Rex avarus pluribus egebat nummis, quos in Romanos effuderat. Certè, ex Catonis consilio subditorum suorum bonis, & sanguini, omissis Romanis, sapientiùs pepercisset.

*Auletes per Gabinium restitutus est regno.*

Absente Gabinio magni sunt concitati in Judæâ motus, quos Aristobulus, elapsus ex vinculis Romanorum, concitavit, cum Antigono filio, fugæ comite. Is munire conatus Alexandrium, jam ante dirutum, prohibitus est; itaque Macheruntem occupavit: sed cum hic octo millia suorum perdidisset, in munitionem retrusus post biduum dedere se Gabinio compulsus est, diligentiùs deinceps asservandus.

*Aristobulus fugiens Iudæam turbat.*

Romæ Consules renunciati sunt Cn. Pompejus Magnus secundùm, & M. Licinius Crassus, qui nullos passi sunt ad magistratus promoveri, nisi sibi addictos. Exinde per C. Trebonium Trib. plebis perlata lex, quâ utraque Hispania Pompejo, Syria Crasso adjudicabantur in quinquennium, cum potestate colligendi exercitum quantum vellent, & populis ac Regibus quibus vellent inferendi belli. Cui rogationi cum Cæsariani resisterent; Cæsari in triennium prorogatum Imperium, eos demulsit. Statim ergo Crassus ex æquo avidus belli, atque auri Parthici

*Coss Pompeius & Crassus.*

*Crassus in Parthos movet.*

thici in provinciam proficiſcitur, Atejo Tribuno plebis nequicquam impediente, atque etiam ei injiciente manum, donec qui eum perducebat Pompejus autoritate ſuâ populum placavit. Ita ſuſceptum in Parthos bellum infœlicibus auſpiciis, Romanis perniciosum, M. Craſſo fatale, eoque funeſtiùs Reip. quod Craſſum belli civilis moram ſuſtulit, eoque ſublato Imperium Romanum in duas partes ſecuit, quarum utraque libertatem evertendam ſpectabat.

*Theatrum Pompeji dedicatum*

Pompeji Theatrum hoc anno dedicatum eſt ab ejus liberto Demetrio conſtructum, qui pecunias in ejus obſequio comparatas impendit, domini gloriæ, quàm ſui commodi ſollicitior. In hac celebritate multi ſunt exhibiti ludi, Muſici, Gymnici, bellici; quingenti leones occiſi, duodeviginti Elephantes, reliquis contra Pompeji voluntatem ſervatis, jubente populo, cujus miſericordiam videbantur implorare. Tumque Romana plebs in gladiatores, & homines vulgò immitis, in belluas miſericors fuit.

*Cæſar vincit Germanos.*

Cæſar contra Suevos Germanos fœliciter pugnavit, eoſque in Ubiis magnâ proſtravit clade. Mox Rheno ponte juncto Sicambros quoque devicit, & eorum agris magnam intulit vaſtitatem, nemine repugnare auſo, omnibus effusè per avia effugientibus. Inde regreſſus, ponte reſciſſo, Britanniam cogitavit, nihil territus interjecto mari, quem Rhenus non inhibuiſſet. In eâ insulâ cum magnum diſcrimen adiiſſet, & Romanam claſſem tempeſtate perdidiſſet, oſtenſis tantùm Romanorum armis pacem à Barbaris extorſit, rediensque in Gallias Morinos ac Menapios ſpe cladis ejus atque mortis, rebellantes malè accepit, quibus neque ſe victum, neque cæſum in expeditione Britannicâ demonſtravit.

*Britanniam ingreditur.*

## OLYMP. CLXXXI. *Mundi* Urb. Cond.
### *ann.* 3. 4000. 700.

*Craſſus Euphratem trajicit.*

Craſſus in Parthos ducit exercitum, atque Euphratem fluvium, non difficiliter, ponte jungit. Nicephorium deditione accipit, & aliquot urbes Meſopotamiæ; Zenodotiam autem quæ præſidium Romanum ceciderat captam diripuit, ejuſque cives ſub coronâ vendidit, urbibus omnibus intra Tigrim potiturus, ſine dubio, ſi uti voluiſſet terrore Barbarorum. Sed Syriæ delicias & aurum dum avidiùs reſpicit res ſuas evertit. Regreſſus ergo in hanc Provinciam, Judæam adiit, ubi duo Talentum millia ex templo Hieroſolymitano abſtulit. Deæ quoque Hierapolitanæ, hoc eſt Veneris, vel Junonis diripuit fanum, atque ita ſe in Syria geſſit, quaſi non de bello, ſed de prædâ cogitaret.

Conſulatum Romæ adminiſtrarunt L. Domitius Ænobarbus, & Appius Claudius Pulcher, quo anno C. Pomptinus de Allobrogibus triumphavit. Tum quoque accuſatus eſt repetundarum, & violatæ religionis Gabinius ill[e] ſacrilegus Syriæ depeculator. Verùm judiciu[m] de religione, & majeſtate, operâ Pompeji, & co[-] piosè effuſis nummis effugit, abſolutus à judici[-] bus corruptis, quos populus tantùm non diſcer[-] pſit. At in actione repetundarum quam ei indi[-] xerat Domitius Conſul, ſuccubuit, quamqua[m] à Cicerone defenderetur; tum quia Pompeju[s] aberat, tum quia pecuniæ non ſatis effuderat quoniam minus nocentem ſe in hoc judicio quam in ſuperiori credebat. Ita cauſa cecid[it] & in exilium abire compulſus, unde poſtea Cæſare revocatus, omnia Pompejo, & Cæ[-] ſari, nihil reconciliato inimico Ciceroni de[-] buit.

Cæſar ingentem adverſus Britannos par[at] claſſem: intereà Trevirorum comprimit mo[-] tus, & turbas Æduorum Dumnorigis cæde ant[e-] vertit. Dum tranſit in Britanniam naves ami[ſit] plures tempeſtate, atque æſtu maris abſo[r-] ptas. In bello quàm in navigatione fœlici[or] fuit: Mandubratium enim Principem ejectu[m] reſtituit, multiſque populis in fidem accept[is] multis edomitis, Britanniam Populi Roma[ni] vectigalem fecit. Refectis igitur navibus r[e-] dit in Galliam cum magnâ turba captivoru[m]. Hic tamen ob inopiam frumenti coactus div[i-] dere legiones, nonnullas clades accepit. Sa[bi-] nus & Cotta Ambiorigis inſidiis intercepti, ſu[...] amiſerunt & vitam. Idem Q. Ciceroni con[ti-] giſſet, niſi ab eo periculum Cæſar ipſe depul[iſ-] ſet, hoſte inſuper profligato, conſciſſoque. S[e-] nones quoque à Labieno per fraudem victi, c[æ-] ſo Induciomaro Principe. Reliquos motus t[o-] tâ Galliâ erupturos Cæſar præſentiâ ſuâ, ac[ di-] ligentiâ repreſſit, ſemper, & ubique victor, quia nihil procraſtinabat.



LIBE[R]

# LIBER VIII.

# SÆCULUM MUNDI QUADRAGESIMUM PRIMUM.

*Ab anno mundi 4000. ad 4053. seu ad Christum natum.*

# SÆCULUM ROMANUM VIII.

*à 700. Urbis conditæ ad v. c. annum 753.*

## CAPUT I.

## PRIMA DECAS.

*Ab anno 4000. ad 4010.*

OLYMP. CLXXXI. *ann.* 4. *Mundi* 4001. Urb. Cond. 701.



Rassus rejectis monitionibus Q. Cassii Quæstoris sui, & Artabazi Regis Armeniæ suadentium ut per Armeniam Parthos invaderet, Andromachum Arabem potiùs audiit, à quo deductus in patentes campos, ubi eum dux Surenes ite suo circumfundebat, & conficiebat emi- sagittis, denegatâ cominus pugnandi faate. Anceps ergo Marcus Crassus quid age- filium suum Publium in eos impressionem re jubet: simulant illi fugam, & abstractum tre, atque implicitum interimunt, ejus cain hasta Romanis ostentant. Habito con- Cassius & Octavius (nam Marcus Crassus ens filii sui casum, huic non interfuit) Car- exercitum reducunt, relictis quatuor vultorum millibus, quos Parthi trucidarunt. nes postea cum omnibus copiis Parthicis it, & Crassum, ac Cassium sibi dari vinctos ilavit: Romani de fuga cogitant, eamque piunt duce Andromacho proditore, à quo ongos circuitus deducuntur. Fraudem deratus Cassius Carrhas repetiit; pergen- orrò Crassus, & Octavius tandem interce- int, atque cæsi. In os Crassi demortui auliquatum injectum est, viginti millia Roorum cæsi, decem millia capti, nusquam ani victi ignominiosiùs.

Crassi demortui locum suffectus est Au- M. Tullius Cicero, & utrique hæc dignitas s fuit.

omæ magni tum fremebant motus, quibushorrentibus Dictaturam. Eam dignitatem fugiebat Pompejus, re prensabat. Lu- Tribunus plebis huic dignitati favebat, eidem animosè refragabatur. Hujus itaententia pervicit, ob recordationem Sylcrudelitatis; illi tantùm non est abrogatus Tribunatus. Tandem Pompejo vel adnitente vel permittente creati Consules jam magnâ anni parte emensâ Cn. Domitius Calvinus, & M. Valerius Messala, sopitæque sunt tantisper turbæ, ut anno sequenti ferociùs recrudescerent.

Cæsar hoc anno duas à Pompejo legiones accepit, ipse tertiam in Gallia Circumpadana conscripsit; jamque auctus quatuor legionibus, motus Senonum, Carnutensium, Nerviorum, nullo negotio compressit. Adiit quoque Treviros contra quos rem prosperè gesserat Labienus, licet auxilio Germanorum fultos. Tum quoque iterum Rhenum ponte conjunxit: at Germanis resistere paratis, & inopiâ frumenti oculis obversante, abrupta est expeditio, bellumque in Eburones translatum, ubi Decimaquarta legio periclitata est, Ambiorix frustra quæsitus. Quibus confectis, legiones decem in hibernis collocatæ sunt, dum Cæsar redit in Italiam, conventus Reip. perniciosissimos habiturus, atque inde perturbaturus Romam. *Cæsar accipit 2. legiones, & iterum Rhenum ponte jungit.*

OLYMP. CLXXXII. *ann.* 1. *Mundi* 4002. Urb. Cond. 702.

C. Cassius Longinus cum quingentis equitibus ex Mesopotamia, Carrisque redux, oblatum sibi aliàs Imperium ab exercitu, adeoque ab ipso Crasso, tum ex necessitate suscepit, irrumpentibus in Syriam Parthis, sed cum modico exercitu, ex Romanorum contemptu. Verùm eos fortiter submovit Cassius, ostenditque quid Romani possent adversus Parthos etiam victores, cum bonum nacti essent Imperatorem. Tum etiam idem Cassius Syriam ordinavit, venitque Tyrum, unde profectus est in Palæstinam ubi Taricheas urbem cepit, abduxitque 30. millia captivorum, interfecto Pitholao Aristobuli fautore. Hæc porrò cædes facta suadente Antipatro, qui tum liberos suos atque familiam apud Arabas deposuerat, unde & uxorem Cypron duxerat, ut ex Idumæis, & Arabibus, hominibus nequam, familia nequissima propagaretur. *Parthos ex Syria submovet Cassius.*

Romæ prensabant Consulatum Milo, Hipsæus, & Metellus, atque sic emebant Tribus, ut venditores non tantùm suffragia, sed & ar-

ma pollicerentur. Itaque paſſim in Urbe cædes, nec in Urbe tantùm, ſed & extra Urbem. Tum enim *P.* Clodius à Milone cæſus Romanos in duas partes diſtraxit. Cum itaque perturbatiſſima Reſp. egeret ſummo magiſtratu, neque placeret Dictator, conſentientibus Catone, & Bibulo dictus eſt unus Conſul Cn. Pompejus, qui poſtea in quinque menſes aſſumpſit ſibi collegam Q. Metellum Scipionem ſocerum ſuum, ductâ ejus filia, à Publio Craſſo relictâ. P. Clodii cadaver in Curiam inductum à plebe, fractis ſubſelliorum fragmentis combuſtum eſt, quo incendio Curia ipſa, ædeſque vicinæ conflagrarunt. Inde patratæ ſunt utrimque cædes Clodianis audacter vim inferentibus, Milionianis eam fortiter propulſantibus, adeò ut in Urbe, quaſi ab hoſte captâ ſæviretur. Pompejus itaque in eam copias ſuas induxit. Miloniſque judicium exerceri curavit. Hunc accuſaverunt tres Clodiani de vi; his reſpondit unus Tullius, par & ſuperior, niſi turbatus Clodianorum clamore, & præſidii militaris aſpectu languidiùs dixiſſet, & breviùs quàm tanta cauſa poſtularet. Itaque tum *Armis Toga ceſſit*; damnatus Milo, in exilium abiit Maſſiliam; ubi orationem legens quam pro eo Tullius ſcripſerat, optavit eum meliorem Oratorem eſſe, quam ſcriptorem.

*Clodius à Milone cæſus.*
*Unus Conſul Pompejus.*
*Cicero Milonem malè defendit.*
*Exulat Milo.*

Cæſar ubi accepit ſibi prorogatum in Gallias Imperium, & novos concitari in Gallia Tranſalpinâ motus, in eam rediit. Hanc enim Vercingentorix pænè univerſam ad arma compulerat, initio à Carnutibus ducto. Ægerrimè tamen Cæſar ad ſuas copias pervenit, eaſque in unum corpus contraxit. His Avaricum, Gergobiam, Alexiam improbo labore, & operibus egregiis capit, & captas crudeliter exſcindit. Victo demum Vercingentorige Galliam univerſam in Provinciæ formam redigit, eamque plus ſtipendii Pop. Romano pendere compellit, quàm reliquus orbis perſolvebat. Tantùm denique divitiarum ex devictis Galliis in Italiam retulit quantùm ſatis eſſet ad emendam Romam, ejuſque libertatem exterminandam.

*Cæſaris res geſtæ ad Gergobiam, Avaricum Alexiam.*

OLYMP. CLXXXII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 4003. 703.

Obiit hoc anno Ptolemæus Auletes, relictis duobus filiis, & filiabus totidem, quarum major natu famoſa illa Cleopatra fuit. Patri quoque ſucceſſit filiorum natu major Ptolemæus cognomento [illegible] cui nupſit de more Ægyptiorum Cleopatra, ſed hic malitioſam mulierem dum expulit thalamo, atque regno, vitam ipſe atque regnum poſt annos quinque perdidit.

*Moritur Ptol. Auletes.*
*Succedit Ptol. Dionyſius.*

Q. Caſſius hoc quoque anno Parthos majori exercitu, Oſace duce, Syriam tentantes, & Antiochiam uſque progreſſos fortiter repulit, atque in inſidias pertractos, cæſo Oſace, tanta clade affecit, ut eis in Syriam redeundi adimeret voluntatem.

*Caſſius vincit Parthos.*

M. Tullius hoc quoque anno Proconſul in Ciliciam abiit, ubi rem non malè geſſit, quam & ipſe fortiùs deſcripſit, quàm geſſit. Ideò ab exercitu ſuo acclamatus Imperator: quem honorem eloquentiæ potius ſuæ, ac humanita[...] quàm rebus geſtis debuit.

*Cicero Ciliciam adminiſtrat.*

Tres hoc anno petiere Conſulatum M. Cat[...] M. Marcellus, & Sulpitius Rufus: & Cato qu[...] dem in gratiam patriæ, ut Pompejo atque Cæſ[...] ri, ad tyrannidem enitentibus obſiſteret, ful[...] autoritate tanti magiſtratus. Verùm ei ſua a[...] ſteritas obfuit, dumque nimiùm bonus cupit e[...] ipſe ſpe Conſulatus, patria ſpe libertatis exci[...] Creati ergo Servius Sulpitius Rufus, & [...] Claudius Marcellus; quorum hic addic[...] Pompejo lapidem movit omnem, uti Cæſar m[...] turiùs Imperio, & armis ſpoliaretur. Con[...] obſtitit Cæſar per ſuos, ac Marcello proro[...] tionem Imperii acerbiùs deneganti Centu[...] legatus, admotâ capulo manu indicavit, c[...] tandem eam modo Cæſar impetraturus eſſet[...]

Intereà idem Cæſar & per ſe, & per lega[...] ſuos Caninium, & Fabium, & Labienum in G[...] lia fœliciſſimè pugnavit; quando & Uxello[...] num in Cadurcis oppidum permunitum cep[...] ac Provinciam univerſam ſic ordinavit, u[...] maximè vellet, rebellare non poſſet, legioni[...] ita per regionem ſparſis, ut altera alteri aux[...] poſſet eſſe, nullam provinciæ partem Rom[...] gravaret exercitus, omni metuendus imm[...] ret.

OLYMP. CLXXXII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 4004. 704.

Inimici Cæſaris duo hoc anno Conſula[...] inierunt L. Æmilius Paulus, & C. Clau[...] Marcellus, quos Cæſar pecuniâ trahere ad [...] tes ſuas conatus eſt, ne Provinciam, atque e[...] citum dimittere compelleretur. Fruſtra [...] tatus eſt Marcellus, Paulus mille & quing[...] talentis vendidit autoritatem ſuam, ſed ea[...] tùm lege; ne Cæſari adverſaretur; tanti[...] Romæ æſtimabatur poſſe nocere. Tum Tr[...] nus plebis erat C. Curio homo plebi grati[...] & linguâ potens, qui ut ex inimico Cæſari[...] ret ejus fautor, majori pecuniâ labefacta[...] fuit. Et verò egregiam emptori ſuo navav[...] peram dum ſe fingit Cæſaris adverſarium, [...] que inimicorum ejus conſilia ſubodoratur. [...] autem vidiſſet legiones duas à Cæſare miſſ[...] bellum Parthicum, & Bibulo Syriæ præſic[...] buendas, à Marcello Conſule in Italiâ ret[...] eſſe, immò & Pompejo adjudicatas, tum [...] quis eſſet aperuit, neque jam arte, & clancu[...] ſed vi, & apertè favere cœpit ei, cujus capu[...] blicè petebatur.

Cæſar verò in Galliâ ita ſibi devinxit c[...] tes, & populos, ut ab omnibus quaſi delap[...] cælo genius reciperetur. Itaque ingreſſu[...] in urbes ſpeciem triumphantis ferebat. [...] quoque erat ejus in militem indulgentia, [...] que rebus ſuis addictum habebat, ut ei p[...] quàm Conſulibus pareret. Dimiſſis etia[...] ritim millenos nummos diſtribuerat, ut ev[...] cui aliquando paruiſſent duci, memin[...] Hæc ignorabat Pompejus, putabatque [...] Cæſaris, militiâ feſſas, ſtatim ad parte[...] quas Reip. dicebat eſſe, transvolaturas: [...] re nullos milites ſcripſit, ſatis eſſe ſibi[...]

ans si pede supploderet terram , ex qua ar-
nat legiones erumperent. Sed paulò post in-
ellexit miser, & sapientiùs esse susceptum Ci-
ile bellum à Cæsare, & prudentiùs administra-
um.

Censores tum erant Appius Claudius, & L.
so, sub quibus civium capita trecenta viginti
illia censa sunt , ut mox intelligeretur quod
mnum intulisset patriæ Civile bellum. Tum
tem ab Appio notati ad Cæsarem confugêre ,
conjuncti sunt Curioni , quem belli Civilis
bam meritò dixeris.

OLYMP. CLXXXII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.*4. 4005. 705.

Consulibus C. Claudio Marcello , & L. Cor-
lio Lentulo exarsit Civile bellum Cæsarem
er & Pompejum, cui causam uterque dedit,
m ille superiorem , hic parem ferre noluit.
amquam autem Cæsar ingenti flagraret cu-
itate imperandi,& Etheoclis apud Euripidem
tum idemtidem usurparet *regni causa jus*
*andum esse* , tamen habito Ravennæ conci-
, cui C. Curio interfuit , mitiorem senten-
n secutus est, & pacem exoptare se , saltem
ulavit. Verùm cum rescripsisset ad Senatum,
uitatis plenissimas litteras , quia tamen sub
em Epistolæ adhibuerat minas, rejectæ sunt,
pro hoste habitus est. Mittitur ergo ei suc-
or L. Domitius Ænobarbus , reclamantibus
t Tribunis plebis , ac rebus demùm fœdissi-
urbatis, emittitur illud Decretum adhiberi
um, Rep. desperatâ , *viderent magistratus*
*uid Respublica detrimenti caperet.*
Cum ergo jam Tribuni plebis quasi violati ad
arem confugissent,habitum est extra Urbem
atusconsultum,cui Pompejus aderat. In eo
etum , ut totâ Italiâ delectus haberetur à
pejo, eique ad hoc bellum pecunia ex æra-
ribueretur. Tum Labienus à Cæsare defe-
d Pompejum ; an ex amore patriæ, an Cæ-
odio , etiamnum ambigitur. Quibus audi-
æsar orationem ad suos habuit , etiam cum
mis,quas militum alacritas absterfit. Sta-
rgo cum legione decimaquarta Rubiconem
cit , *jactamque esse aleam* , exclamat ; ac
o impetu multas urbes occupat, Ariminum,
urum, Anconam, Fanum , quas ambulando
, reliquis idem paratis facere , ad quas
tus accessisset. Quibus acceptis Urbs de-
ur à Consulibus & Optimatibus plerisque ,
insecutus Pompejus Brundusium venit. In
rbe obsessus est, donec naves quæ detule-
Consules revertissent. Tum enim ipse quo-
Pompejus in Macedoniam fugit, & Brundu-
occupandum Cæsari relinquit. Cæsar
n jam Italiæ dominus in Urbem regreditur,
niam publicam frustra renitente L. Metello
cipit, ærarioque ex rapinis conflato utitur
is prædo ; ut sic malè parta, malè dilabe-
r.

s Romæ peractis in Hispaniam pergit &
liæ ingressu prohibitus eam urbem terrâ ,
que obsideri curat per Trebonium & Bru-
egatos. Deinde dejecto ex Pyrenæis jugis

præsidio per Fabium legatum venit ad Ilerdam. adversus Afranium & Petrejum , duces Pompejanos, quos demum ipse varias expertus fortunæ, bellique vices,ad deditionem compulit,& sine copiis emisit ex Hispania. Interea Massilienses bis mari victi deditionem simulant , & machinas obsidentium incendunt : verùm cum ad obsidionem venisset ipse Cæsar , hi sine dissimulatione sese dedunt, Domitio qui urbem propugnabat, inter tempestates elapso.

*Afranium & Petrejum in Hispania vincit.*

*Massilia capta.*

Inde redit in urbem Cæsar , ubi Dictaturam init , & tantùm diebus undecim retinet , quia ejus magistratus nimis erat odiosum nomen. Ne tamen insolesceret , milites ejus Placentiæ tumultuati sunt , quem motum oratione gravi , multorum metu , paucorum sanguine restinxit. In Africa C. Curio per Jubam oppressus est : in Dalmatia quoque profligatus Dolabella , cujus auxilio dum adesse festinat C. Antonius , in desertam insulam retrusus , sese dedere compulsus est cum suis, præter paucos, qui sibi intulere manus. Hæc fuere Civilis belli cruenta præludia , cujus exitus , sine dubio , respondit initiis.

*Cæsar Dictator.*

*Curio oppressus in Africa.*

Remissus à Cæsare in Judæam Aristobulus,ut res Pompejanas turbaret, cum duabus legionibus, à Pompeji fautoribus veneno sublatus est , melle conditum ejus cadaver , postea Cæsaris jussu in sepulchrum patris relatum est. Neque felicior fuit filius ejus Alexander : dum enim proficiscitur in Syriam à præside Scipione Metello interceptus, Pompeji jussu securi percussus est, atque ambo in Cæsaris causa, plus voluisse, quàm potuisse demonstrarunt.

*Aristobul. & Alex. Judæi interfecti.*

Tum quoq; turbata Ægyptus domesticâ dissensione , dum Ptolemæus Dionysius à sorore Cleopatra dissidet. Has turbas foverunt Alexandrini semper ad seditionem parati, qui fœminæ parêre recusabant. Itaque gemina castra principum suorum tum Ægyptus distracta vidit, hinc mulieris , inde pueri , ducibus civili bello planè dignissimis.

*Turbatur Ægyptus.*

OLYMP. CLXXXIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.*1. 40 6. 706.

Consulatum gessit hoc anno C. Julius Cæsar secundum , absumpto sibi collega P. Servilio Vatiâ Isaurico , quando & trajecit in Epirum cum viginti millibus legionariorum, & sexcentis equitibus tantùm,quoniam ei deerant naves, & omnia littora à Pompejanis tenebantur. Nihilominus occupavit Oricum, & Apolloniam ; inde certatim se huic Epirus tota dedidit. His auditis Pompejus sibi à Dyrrhachio metuens, in quod belli commeatum omnem convexerat, eò celerrimè venit , Thessalonicâ profectus ; eodemque quoque venit Cæsar , adeò ut Apso tantum flumine utriusque copiæ dirimerentur. Sed erat diversa utriusque exercitus conditio: Pompejani enim rebus omnibus abundabant , ob Bibuli classem : Cæsarianis contra deerant omnia,quod in eorum interceptas naves Bibulus ferro, flammaque sæviret. Sicque licet evocatus à Cæsare Antonius, mari se committere non audebat. Quando Cæsar lembum ascendit , ut

*Cæsar Consul trajicit in Epirum.*

*Ad Dyrrachium venit cum Pompejo.*

*Cæsaris audacia.*

copias ipse suas adduceret ex Italia, & territo Nauclero quis esset, & quantùm fortunæ confideret, aperuit. Sed in littus unde solverat rejectus est tempestate, quæ etiam Bibulo, ac Pompejanis navibus admodum perniciosa fuit.

*Victus ad Dyrrachium Cæsar.*

Mox tamen utrique adfuerunt auxilia, Antonii ex Italia, Metelli Scipionis ex Asia, quibus aucti partium duces, post varias velitationes ad Dyrrhachium obstinatissimè dimicarunt. In eâ pugnâ Cæsar multos è suis amisit, & bellum confectum erat, si victoriâ suâ uti novisset Pompejus. Cæsar ergo laborans commeatus inopiâ in Thessaliam recedit; eum insequitur Pompejus imprudentissimè, & in Pharsalicis campis homini desperato pugnæ copiam facit. Hic sex cohortes à tota acie divulsæ, & in vultus juvenum Pompejanorum vibrantes tela Cæsari victoriam peperere. Pompejus perditis castris, & quindecim suorum millibus Larissam fugit, inde Amphipolim, ubi conscensâ navi Mitylenem ad uxorem suam appulit. Inde cum eâ in Ciliciam, Cyprumque navigavit. Ubi auditâ Antiochenorum defectione, versus Ægyptum deflexit, ubi omnia amica sperabat à Ptolemæo. At Regis junioris consiliarii, eum accersitum per Achillam, & Septimium, susceptumque in lembo, divulsum à suis immaniter occiderunt. Viderunt eminus mortem ejus amici frustraque Deorum appellantes opem & hostilia littora refugientes ad Catonem in Africam navigarunt. Pompeji corpus à liberto Philippo fragmentis naviculæ veteris, utcumque combustum, ibidemque miserrimè tumulatum; ut cui terra ad victorias, eidem ad tumulum pænè defuisse videretur, incredibili ac planè insolenti ludo fortunæ.

*Pugna Pharsalica.*

*Pompeius in Ægypti littore caditur.*

*ÆRA ANTIOCHENA.*

Cadit in hunc annum Æra Antiochena de quâ in Prolegomenis diximus. Cæsar mox Alexandriam venit, ibique viso Pompeji capite collacrymavit, seu veræ hæ lacrymæ soceri, seu hostis fictitiæ fuerunt. Hic dissidium inter fratrem, & sororem tollere, ex Auletis testamento conatur: sed in Cleopatram propensior fuit, quæ eum copiâ sui corporis credita est demeruisse. Verum omnia turbavit Pothinus Regis nutritius, advocato Achilla; qui cum viginti armatorum millibus occupare conatus est eam Alexandriæ partem, quam Cæsar tenebat. Hic pugnatum acriter, incensæ centum viginti Ægyptiæ naves, cum luculenta Ptolemæorum Bibliothecâ, ingenti rei litterariæ damno. Exinde Cæsar ut tutior esset occupavit Pharum, unde effugit Arsinoë, altera soror Ptolemæi, quæ ab Alexandrinis Regina salutata est, ideò Cæsar Pothinum quem retinebat hujus belli incentorem interimi jussit, quam ei pœnam interceptæ litteræ procurarunt.

*Turba Ægyptiaca.*

*Bibliotheca Alexandrina exuritur.*

*Motus in Italia per Cælium & Milonem, qui caduntur.*

In Italiâ quoque turbatum à M. Cœlio viro facundo, & Curioni moribus simillimo. Is egestate perditus novas tabulas inducere paravit Prætor, nec autoritate Senatus potuit à cœptis deterreri. Immò T. Annium Milonem ad se evocavit, qui non impetrato reditu, parum æquus erat Cæsari. Utriusque par fortuna, ut consilium fuit: Cælius enim Consularibus armis, autore Senatu, circa Thurios oppressus est; Milo dum Compsam in Hirpinis obsidet ictus lapide, & Clodio quem justè interemerat, & patriæ quam injuriâ vexabat. pœnas dependit.

OLYMP. CLXXXIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 4007. 707.

Agebat Alexandriæ Cæsar, cum alteram in-
iit Dictaturam, dicto Equitum Magistro M.
Antonio, quando bellum Alexandrinum majori
contentione gestum est. Arsinoë enim per
Ganymedem nutritium suum Achillam intere-
mit, illumque copiis Ægyptiacis præfecit, ulta
dolorem suum, & Pompeji necem. In eo bel-
lo magnum adiit periculum Cæsar, nave ac
Pharum degravata, enatare coactus inter ho
stium tela, & perdito paludamento. Petiere tun
Ægyptii pacé, eâ lege ut Ptolemæus dimitterere
dimissus est: at inconsideratus juvenis, larvan
pacis deposuit, & contra Cæsarem venit infe
stus. Sed venit quoque in auxilium Cæsari
Mitridates Pergamenus, cui & adfuit Antipa
ter cum tribus Judæorum millibus, missis a
Hyrcano Pontifice. Hoc præsidio auctus M
tridates, & Pelusium cepit, & Alexandrin
sibi obsistentes vicit, seque Cæsari victor adju
xit. Tunc oppugnata sunt Ptolemæi castra,
quibus dùm Rex ipse fugit, interiit aquis ha
stus, agnitus postea ex aureâ loricâ. Sic Cæ
sar est potitus Alexandriâ, & Cleopatram alt
ri Ptolemæo juniori dedit uxorem, de se t
men gravidam, ideò mox ex ea natum infa
tem Cæsarionem appellarunt Ægyptii. Ar
noë ad triumphum in Italiam missa, ne quid
Ægypto turbaret. Inde Cæsar in Palæstina
transiit, ubi Antipatrum Procuratorem Juda
creavit sub Præside Sexto Cæsare, eumque R
manâ civitate donavit, & Dynastiâ quàm v
let, quibus ad Judææ regnum suis viam a
ruit.

His constitutis Cæsar pergit ad Pharnac
turbas in Ponto moventem, & jam de Domit
ac Dejotaro victorem. Hunc tamen prælio
levit uno; ideò in suo de Ponticis triump
hunc titulum prætulit: *Veni, vidi, v*
Pharnaces autem Sinopem fugit, ac paulò p
contra Ansandrum rebellem dimicans inte
Mitridati ergo Pergameno, vacua ditio Phar
cis concessa, cum parte Gallogræciæ Dejot
erepta, quem non nisi sic mulctatum Cæsar
cepit in gratiam.

Sic ordinatis rebus Asiaticis Cæsar Rom
rediit, ubi Consules suffecit Q. Fusium Calen
& P. Vatinium. Tumque annum emen
per Sosigenem Ægyptium Astrologum agg
sus, præsentem *confusionis* dixit, & fecit ex
bus 445. constantem: multos quoque sibi de
ruit, aucto Magistratuum, & Collegiorum
mero, Equitibus autem in Senatum allecti
hic plenior esset. Seditiosos verò milites
& missionem intempestivè flagitantes, pr
expectationem sacramento solvit: quâ illi
nun

nunciatione perculſi, & ſe ſubmiſerunt Duci,& ægrè in gratiam recepti, facti ſunt deinceps in omnibus bellis obſequentiores. *Sic præmia pœ*nis Cæſar ſapienter permiſcebat, quibus tantùm ſubditi continentur in officio.

OLYMP. CLXXXIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 4008. 708.

Hujus anni Conſules fuere C. Julius Cæſar rtiùm, & M. Æmilius Lepidus,& inſuper Cær tertiam Dictaturam geſſit, ſuſcepitque belm Africanum. Africam obtinebant Varus, ba, Scipio, Cato, cui ſe adjunxerant M. Octaus, Cn. Pompejus Magni filius, C. Caſſius, Peejus, Afranius, Labienus, aliique omnes hoſtes æſaris. Orta eſt inter tot duces, de ſummo du- controverſia: delatum eſt tandem imperium ipioni, quaſi fatale eſſet Scipionibus in Afri- vincere. Vicit tamen hoc quoque fatum eſar, & poſt velitationes aliquas, omnes illos ces cum magno exercitu ad Thapſum delevit, inquaginta millibus hoſtium cæſis. Cato Uæ ſibi conſcivit necem, præmiſſo ad Cæſarem o, qui ut junior jugo ſervitutis faciliùs aſſueret. Juba excluſus à ſuis, Petrejo ſingulari tamine cæſo, ſibi per ſervum vitam eripuit. ſtus & Afranius capti à P. Sittio jugulati ſunt: ius quoque victus ad Hipponem Scipio; ma dedita, Numidia in provinciæ form redacta, Africa copiis in Hiſpaniam ableis, penitus conquievit.

Cæſar reverſus Romam, quater triumphavit, ous quatuor, de Galliâ, Ægypto, Pharnace, ıe Juba. Cenſum quoque egit, quo dimidio ciores cives repetit, quàm ante bellum. Ex quoque anno procedunt anni Juliani,& qui ximè ſequitur, primus annus Julianus eſt, qui ſtans ex diebus 365. & ſex circiter horis, rto quoque anno diem unum interſerit ex llis circiter horis quater in unum ductis conm, quem Biſſextilem vocant, magno Chrogiæ, ac rei temporariæ commodo.

Iæc præclarè Cæſar, id turpiſſimè; quod nam evocarit Cleopatram, quæ cum marito lCæſarem cum ſummâ infamiâ, ac dedecore tavit. Hæc autem poſteà cum multis donis ſſa, & filium ſibi natum de nomine Cæſaris llari paſſa oſtendit quàm parum caſtè tali uſa contubernio.

mnia tum poterat in Judæa Antipater connte præ ſtupiditate Hyrcano: quare illius ſ Phaſaëlus Hieroſolymis, ac circumpoſitæ oni dux præpoſitus eſt, alter minor natu odes, Galileæ. Hic occiſis Syriæ latronibus, tus eſt in judicium: venit, ſed cum lecta mi- manu, & litteris Præſidis, quibus ita judiıos terruit, præter unum Sameam (hic enim odem de vi, Hyrcanum nimiæ lenitatis, ju- timiditatis accuſavit) ut incolumis dimitur. Empta igitur Cœleſyriæ præfecturâ i- exercitum admovit Hieroſolymis; verum à e,& fratre blandè cohibitus receſſit, terruiſntentus.

LYMP. CLXXXIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 4009. 709.

Dictator hoc anno quartùm Julius Cæſar, quartùm quoque Conſul fuit, habuitque M. Lepidum, Equitum magiſtrum ſimul & collegam: ſuperiori enim anno ei in decennium Dictatura collata erat; ipſe ſibi hoc quoque anno Conſulatum aſſumpſit. Nec mora in Hiſpanias profectus, ubi Cneus, & Sextus Pompejus reparabant bellum, nec eis pares erant legati Pædius,& Fabius. Cæſaris adventu res ejus reſtitutæ ſunt; Varus à Didio navali prælio ad Crumiam ſuperatus eſt. Inde levibus præliis inter ſe Cæſariani, acque Pompejani conflixerunt ad Bœtim fluvium, ad Abecam, ad Salſum flumen: denique decretorio certamini ſumma belli commiſſa eſt ad Mundam urbem Bœticæ. Hic dum neutri cedunt, parati omnes aut vincere, aut mori: Bogud ad caſtra Pompejanorum oppugnanda pergit; quibus dum Labienus opem ferre parat feſtinantiùs, fugere viſus eſt: hinc Cæſarianis animus crevit, cecidit Pompejanis. Cæſi ad triginta peditum millia, equitum tria, inter alios Attius Varus, & Labienus, belli duces tredecim capti. Cæſar aliàs pro victoriâ, hoc prælio ſe pro vitâ dimicaſſe profeſſus eſt. Obſeſſa Munda cadaveribus & pilis inter ſe connexis pro vallo, paulò poſt à Q. Fabio capta eſt. Clade hac auditâ Cordubæ, Sextus Pompejus, diſtributâ ſuis equitibus pecuniâ, fugit; fugit & Cneus Cartejam, ubi proditus eſt Cæſari. Cæſare ergo Cartejam advolante commiſſum eſt atrox inter cives diſtractos certamen, Pompejus ſaucius 30. naves occupat, & fugit; at Didius eum inſequitur; naves ejus incendit; dumque in ſpelunca latet ſaucius humero, & crure, indicatus à captivis occiditur. Neque diu de hac cæde lætatus eſt Didius; nam viciſſim ipſe navibus incenſis à Luſitanis, cæſus eſt. Cæſar Hiſpaniam adminiſtrandam relinquit Antonio, ipſe redit in Urbem, ubi non tantùm triumphat, ſed ejus quoque legati Pædius, & Fabius. Mox abdicat ſe Conſulatu, ſufficitque ſibi ac collegæ Q. Fabium Maximum, & C. Trebonium. Fabio autem extremo die Conſulatus ſui mortuo, ſubſtitutus eſt C. Caninius Rebilus, vir tantæ vigilantiæ, uti jocatus eſt Tullius, ut toto tempore ſui Conſulatus non viderit ſomnum.

*Cæſar quartum Dictator in filios Pompei pergit.*

*Prælium ad Mundam.*

*Cn. Pompejus caditur.*

Inde effuſæ ſunt in victorem ac Reip. dominum gratulationes, & adulationes; tum ei poſita templa, aræ imagines inter Deos, aliaque ejuſmodi, quibus ſupra mortalium conditionem efferebatur, mox infra vivos amandandus.

*Adulationes in Cæſarem.*

Motus quoque in Syria concitatus eſt Sexto Cæſare à militibus interfecto, dum Baſſum legatum virum fortem, & bonum, ipſe ignavus, & libidinoſus tractat ignominioſiùs. Hinc metus à Cæſare, & conſpiratio ſe ad obitum uſque decertaturos, niſi venia ſibi concederetur, in quam Baſſum quoque pertraxerunt. Miſſus contra legionem rebellem Sextius Murcus cum tribus legionibus, cui ſe Antipatri auxilia conjunxerunt. Sed repulſi ſunt circa Apameam, reſque malè proceſſerunt donec Minucius Criſpus ex Bithynia cum tribus aliis legionibus advenit. Verùm Cæſare demortuo evanuerunt illi motus, majorque tumultus minorem oppreſſit.

*In Syria motus ob Baſſum.*

OLYMP.CLXXXIV. *Mundi* Urb.Cond.
*ann.* 1. 4010. 710.

Hic annus Dictatorem habuit quintùm, C. Julium, Cæsarem, cum Equitum Magistro M. Antonio, qui ei quoque collega in quinto Consulatu fuit, quando Cæsar de bello Parthis inferendo, & vindicandâ morte Crassi cogitavit. Sed huic expeditioni credebatur Rex esse præficiendus (sic enim ferebant Oracula) & eam dignitatem ambiebat Cæsar, dum eam recusabat. Id aliaque multa facta ambitiosiùs summum ei conflarunt odium. Itaque est in eum à sexaginta viris conjuratum, ducibus M. Bruto, Cassio, Marcello, & Decimo Bruto, & constituta dies ejus cædi Idibus Martiis. Hanc diem ut declinaret, & ab ea sibi caveret admonitus, neglexit; quare eodem die veniens in Senatum, ibidem ad Pompeji statuam viginti tribus plagis confossus est. Vir omnino magnus, & tanto major Alexandro, quantò Persis ab hoc domitis, Romani ab illo exuti libertate, præcelluerunt. Hac cæde perpetratâ statim M. Lepidus forum, conjurati Capitolium occupant, libertatem inclamantes. Antonius quamquam initio veste Consulari depositâ fugerat, mox tamen resumptis animis convocavit Senatum in æde Telluris, ubi M. Tullij sentētia prævaluit ut ἀμνηςία saluberrimum turbatæ Reip. remedium induceretur. Sic pax inter duas partes coaluit, quæ mox lecto publicè Cæsaris testamento sublata est ab Antonio. Is etiam multa per vim, multa perfidiosè fecit, adulteratis actis Cæsaris Lepido enim conjunxerat sese per affinitatem, Octavii autem spernebat adolescentiam; quem tamen & virum, & sapientem expertus est.


*Cæsar in Senatu cæditur.*

*Octavian. adoptatus à Cæsare.*

Is enim Octavius adoptatus à Cæsare ex dodrante communicato etiam ei nomine (unde deinceps dictus est C. Julius Cæsar Octavianus) usus pecuniâ ad Parthicum bellum paratâ militem cogit, Antonii violentiam patientiâ suâ frangit, Ciceroni se atque optimatibus dissimulanter regendum permittit, denique adjungit se D. Bruto, quem angue pejus oderat, sed quo indigebat adversus Antonium; hæ virtutes Octaviani fuere, non adolescentis temerarii, sed viri consummatæ prudentiæ. Senatus intereà Antonio Macedoniam, Dolabellæ Syriam assignat: Antonius autem à Populo Galliam impetrat, quam cum copiis tenebat D. Brutus. Is tum & Mutinam validam urbem occupavit, in quâ statim obsessus est ab Antonio, eam provinciam vehementer exoptante, quoniam ab eâ Cæsar suæ potentiæ duxerat initium.

*Trebonius cæsus.*

In Asiâ C. Trebonius Dolabellam exclusit Smyrnâ, in quam hic occultè ingressus illum intercipit in lecto & crudeliter interimit, atque in ejus cadaver sævire passus est. Ita primus interiit Cæsaris percussor, ostenditque susceptas privatis consiliis cædes istas, neque patriæ, neque aggredientibus esse salutares.



CAP. II.

# *Decas Secunda,*

## *Ab anno* 4010. *ad* 4020.

OLYMP. CLXXXIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 4011. 711.

COnsules C. Vibius Pansa, & A. Hirtius, e
Senatusconsulto, cum Octaviano adversu
Antonium profecti sunt; quoniam hic jussus
Senatu obsidionem Mutinæ solvere, spectanti
bus legatis, urbis hujus mœnia tormentis verbe
rasset. Itaque hostis declaratus erat, cum Do
labella, Trebonii percussore. Quæ licet esse
parum grata Octaviano, dissimulabat ipse ta
men, seque Senatusconsultis omnibus accom
modabat. Hirtius itaque Consul cum Octa
viano ad Mutinam accedit, neque tamen pu
gnare decernit, nisi cum Pansa collegisset exe
citum. Id ubi factum, Cæsariani huic occu
rerunt; pugna conseritur, in qua Prætoriani An
tonii, Octaviani Prætorianos ad unum delev
runt, quando & Pansa graviter vulneratus Bo
noniam delatus est. Ejus autem collega Hirti
incidens in fessos Antonianos, eos facilè devic
Iterum Antonius invitus ad pugnam compu
sus, superatus est; quo in prælio conatus Hirti
irrumpere in ejus castra cæsus est. Sed obsid
soluta, ac versus Alpes fugere coactus est Ant
nius, ut tutus esset loco, quem suæ copiæ dele
non satis tutabantur.

Intereà Romæ furebat in Antonium Tulli
& amicos ejus pecuniarum exactione vexab
Ventidius Antonianæ familiæ quondam vern
id ferendum non putavit, peragratisque col
niis vel à Cæsare, vel sub ejus auspiciis deduct
duas veteranorum legiones confecit, quibuscu
accessit ad Urbem ut Ciceronem comprehend
ret. Sed Cicerone cum plerisque adversaru
partium fugâ dilapsis, auditâ solutione obsidi
nis Mutinæ, Antonio se conjunxit, ejusque vi
utcumque refecit.

D. Brutus liber reconciliari Octaviano v
luit, quod sibi per pietatem licere negavit fo
adolescens, venitque Bononiam ad Pansam, c
ei unguis fuit in ulcere adversus Senatum. D
cuit enim tantùm hujus consilia eò spectare, u
jus opera uteretur, postmodum potentiam e
everteret: quod jam satis intelligebat cautus
sagax juvenis, videns Macedoniam M. Bruto, S
riam Cassio, rem navalem cum Siciliâ Pomp
ejus inimicis capitalibus concessas. His e
cerbatus, & quod D. Brutus adversus Anto
um se neglecto constitutus esset Imperator,
tit triumphum primò, deinde Consulatu
ab utroque repulsam passus, cum Antoni
Lepido reconciliari nititur. Lepidus tum c
junctis cum Antonio septendecim legionib
à Senatu hostis patriæ declaratus erat, qu
bellum pæne profligatum reparasset: Se
tus itaque sibi ab utroque metuens Octa
num pari potestate cum D. Bruto adversus A
tonium crearat Imperatorem. Verùm cum
na

atívi nomine ab eo duas legiones abducere
onatus esset, ille nihil cunctandum ratus mili-
es suos in Senatum exasperat : mittuntur itá-
ue in Urbem Centuriones, qui Duci suo pete-
ent Consulatum. Secutus est mox & Cæsar cum
opiis, quibus permotus Senatus eum Consulem
eari passus est. Is adjúnxit sibi collegam Q.
edium. Cumque jam omnia Romæ posset,
lasque legiones à Senatu paratas sibi adjun-
sset, lege Curiatâ in adoptionem Cæsaris tran-
, percussores avunculi sui damnandos curat,
olabellam jam mortuum absolvi, Lepidum, &
tonium ex hostibus, de patria bene meritos
clarari, quibuscum etiam affinitatem con-
xit; unde percussorum Cæsaris res antea
rentes, penitus concidêre.

Accessit & partibus his id incommodi quod
tonio D. Brutum persequente Asinius Pollio
cum duabus legionibus, L. Plancus cum tri-
s se conjungeret. Itaque dum D. Brutus ad
rcum Brutum, amissis legionibus decem in
cedoniam se recipit, interceptus ad Aqui-
m, interfectus est, ejusque caput ad Anto-
m missum, quod tantis laboribus antè frustrà
esiverat.

Ex hoc tempore initus Triumviratus inter
tavianum, Antonium, & Lepidum. Convene-
t illi porrò in parvam insulam, quam infra
oniam efficit Rhenus Italicus. Hic partiti
t inter se Imperium Romanum atque digni-
s, & immanem proscriptionem informarunt
eò Syllanâ crudelior fuit, quod hac Syllæ
ùm inimici, illâ etiam Triumvirorum ami-
ldicebantur neci. Et verò tanta impietate
cta est ista proscriptio, ut Cæsar Ciceronem
mè de se meritum proderet Antonio, Anto-
Cæsari Lucium Avunculum suum, Lepidus
em suum Paulum, quorum sanguine pacem
stissimam orbi terrarum sanciendam puta-
. Tum Cicero annos natus 64. Popilii
n defenderat, ferro periit, & prostitit in ro-
cum manibus sacrum illud caput Eloquen-
Romanæ sacrarium, unde toties pro liber-
erorarat. Adjecti feruntur Tullio trecenti
tores, equites bis mille, quorum tamen ali-
d Brutum & Cassium in Macedoniam, alii
ompejum in Siciliam, alii ad Cornificium
ricam profugerunt; reliqui immaniter ju-
i scenis, atque Tragœdiis luctuosam mate-
suffecerunt.

terea Cassius in Syria reliquias exercitus
ameam occupavit, quibus præerant Mur-
Bassus; exegitque à Judæis plusquam se-
ginta argenti Talenta, quam pecuniam ex-
partim per liberos suos Antipater, partim
chus, aliique. Herodes cum egregiè suo
re perfunctus esset, magnam apud Cassium
m iniit; Malichus tantùm non interfe-
ægrè redemptus est centum talentis ab
ano & Antipatro de suo missis. Tum quoq;
es ad Dolabellam ex Ægypto missas Al-
ad Cassium adjunxit, quibus hic Dola-
n obsidet Laodiceæ, & à suis Centurioni-
oditum ad mortem voluntariam compel-
ogitabat etiam idem Cassius Ægyptum, &

ultionem Cleopatræ, ob missas ad Dolabellam quatuor legiones, sed evocatus à Bruto, obvia quæque diripiens, & immanitate summâ pecunias sacras & prophanas extorquens ubique, in Macedoniam, atque ad interitum perrexit.

*Antipater Herodis pater moritur.*

Hoc tempore Malichus Antipatrum Herodis patrem veneno sustulit: sed hunc Herodes interimendum curavit, scelere ultus patris mortem, & facinorosus in ipsa pietate.

*Nascitur Ovidius.*

Tum quoque natus est Ovidius qui se vidisse lucem cecinit.

*Cum cecidit fato Consul uterque pari.*

*Lugdunum reparatum.*

Tum etiam à L. Planco conditum, seu veriùs reparatum Lugdunum ad confluentias Araris, & Rhodani, futurum deinceps caput eruditionis, atque Galliarum.

OLYMP. CLXXXIV. *ann.* 3. *Mundi* 4012. Urb. Cond. 712.

*Brutus & Cassius ingentes pecunias extorquent.*

Consulibus M. Æmilio Lepido, & L. Munatio Planco, post exhibitos C. Julio Cæsari demortuo singulares honores, Antonius, & Octavianus in Brutum, & Cassium movent. Distinentur tamen nonnihil à Sexti Pompeji, & Murci classibus, quorum hic Cleopatram in Ægyptum cum classe, tempestate jactatâ redire compulit. Cassius & Brutus Smyrnam convenere, ubi adnitente maximè Cassio in Lycios Rhodiosque est paratum bellum. Ab his devictis ingens est exorta pecunia, in veteranos Cæsaris milites maximè profundenda. Inde in Macedoniam ventum est: in Bruti & Cassii exercitu numerabantur undeviginti legiones hoc est octoginta peditum, equitum duodecim millia; plures etiam Antonius, & Octavianus habuere.

*Ad Philippos pugnatur.*

Circa Philippos urbem duplex consedit exercitus, ubi ex occasione pugnatum ancipiti prælio. Victoriâ enim Brutus potitus est, & castris Octaviani: Antonius vice versa Cassium vicit, ejusque occupavit castra; quando Cassius res suas perditas ratus, ignarusque Brutinæ victoriæ sibi manus intulit, certo utique partium damno, quod in officio & suum & Bruti, vir acer, continere posset exercitum, quod à Bruto molliore expectandum non erat. Hic tamen suorum animos oratione, & largitione refecit, eisque Lacedæmonem, & Thessalonicam diripiendas promisit. Exinde sapienter statuit bellum ducere, quod sui hostes rebus omnibus indigerent, & Sextus Pompejus immineret Italiæ.

*Brutus à suis pugnare cogitur, vincitur, & gladio suo incumbit.*

Sed pugnam à Bruto milites lacessiti hostium supervacaneis probris stolidè extorserunt, in qua victi profligatique sunt à desperatis, immò & castris opulentis exuti. Brutus ipse desertus à suis, ac virtutem incusans Stratoni servo suo se interficiendum obtulit. Tanta obstinatione utrimque certatum est, ut centum quinquaginta millia Romanorum in hac pugna interiisse perhibeantur. Hic finis Bruti, ac Cassii fuit, qui cum dominum Cæsarem ferre nollent, aliàs beneficium sibi, atque uni eorum propè patrem, servili gladio interire meruerunt.

*Nascitur Tiberius.*

Natus est hoc anno Tiberius Octaviani successor paulo post prælium Philippense 16. Kal. Decembris ex Tiberio Claudio Nerone, &

Livia

Livia Drusilla, qui matri debuit non tantùm vitam, sed & felicitatem.

*Herodis in Judæa res gesta.*

Relicti in Syria à Cassio legati in Tyrannos conversi sunt, Felix Hierosolymis, Fabius Damasci, Mario Tyri. Ortâ Hierosolymis seditione Phasaëlus Herodis frater Felicem vicit, licet reclamante, ex Romanorum metu, Hyrcano. Tum Herodes morbo præpeditus adesse fratri non potuit, postea tamen valetudini restitutus in Judæam irrumpens castella quæ Malichi frater occuparat, recepit, & Marionem ex Galilæa repulit. Adhæc filium Aristobuli, fretum auxiliis Marionis & Fabii, devictum expulit è Judæa. Quare susceptus Hierosolymis perhonorificè, despondit sibi uxorem Mariamnem filiam Alexandri. filii Aristobuli, & Hyrcani neptem, licet antea Doridem Idumæam duxisset uxorem, ex qua Antipatrum filiorum maximum susceperat. Hic rebus gestis, & artibus, quibus semper felicitas summa conjuncta fuit, Herodes ad Judææ regnum pervenit.

*Ducit uxorem Mariamnem.*

## OLYMP. CLXXXIV. *Mundi* Urb. Cond. *ann.* 4. 4013. 713.

*Octav. & Anton. Imperium partiuntur*

Consules hujus anni inveniuntur P. Isauricus Vatia secundùm, & L. Antonius Triumviri frater, quando Cæsar & Antonius ita partiti sunt inter se Romanum Imperium, ut huic Oriens cum sex legionibus, & equitum decem millibus; illi Occidens cum quinq; legionibus, & equitum quinque millibus, cum Fufii Caleni copiis cederet. Jam enim despiciebant Lepidum, & exautorare, uti Pompeji fautorem, meditabantur; ac duobus ambitiosissimis viris vix totus orbis sufficiebat.

*Antonius Asiam expilat.*

Antonius itaque pergit in Græciam, ubi viros doctos Athenis coluit, & muneribus affecit. Inde transiit in Asiam, ubi Cassianos supplices, qui in Dianæ Ephesinæ azylum se receperant, liberos dimisit, iis tantùm exceptis quos alia scelera tali gratiâ reddebant indignos. Hic autem populis Asiaticis grandem indixit pecuniam, quâ mulctati sunt, quia miseri fuerant, & fortunis penè omnibus per vim spoliati. Jussi enim sunt tantundem dare quantùm ab iis Cassius expresserat. Enimverò multis egebant pecuniis Antonius, & Octavianus, utpote qui singulis militibus quinque Dragmarum millia, seu libras Turonicas ferè octingentas, præter stipendia, promiserant.

*Antonium sibi devincit Cleopatra.*

Hic etiam benignè suscepta est Hyrcani, ac Judæorum legatio; suscepta & majori amoris significatione Cleopatra ab eo in Ciliciam evocata: eam enim accusabat Antonius auxilium non præstitisse Cæsari, ut erat pollicita. Sed hæc hominem mulierosum ita sibi devinxit, ut apud eum posset omnia, & ejus potestate etiam ad cædes domesticas abuteretur. Tum enim Arsinoëm sororem suam interemit, cum priùs fratrem suum & maritum annorum quindecim puerum, infuso manu sua veneno, sustulisset. Ita disperso in hiberna exercitu, Antonius eam secutus est in Ægyptum sic dementatus, ad hujus mulieris aspectum, ut & Romani Imperii, & pænè sui oblivisceretur.

Octavianus verò dum Urbem reperit, tam gravi implicitus est morbo, ut pro mortuo haberetur. Recreatus legiones Caleni recipit, & Africam à Sextio, visis Antonii litteris, quam Lepido, pro Hispaniis dedit. Tum difficilem suscepit provinciam inter milites dividendorū agrorum, prioribus dominis expulsis iniquissimè, nec eis pretio avitarum possessionum restituto. Itaque multæ delatæ sunt ad L. Antonium Consulem querelæ: suscepit & ejectorum patrocinium Fulvia uxor Antonii, virilis animi
fœmina, ut maritum ex complexibus Cleopatræ
retraheret, aliunde irata Cæsari, quod Fulviæ
filiam suam repudiasset. Itaque bellum in Cæs
rem cum septemdecim legionibus susceptum
Urbs ipsa occupata. Verùm superveniente Cæ
sare fugatus, ac Perusiæ sic obsessus est Lucius
ut neque à Ventidio, neque auxiliis Fulviæ ju
vari potuerit, Cæsarianis ita vigilantibus, ut a
Perusiam impunè nemo posset accedere.

## OLYMP. CLXXXV. *Mundi* Urb. Cond *ann.* 1. 4014. 714.

Consulatum hujus anni gessere Cn. Domiti
Calvinus secundùm, & C. Asinius Pollio, q
L. Antonius Perusiæ validâ premebatur fam
sæpeque conatus erumpere, semper repul
est: ergo dedere sese cum suis coactus est: V
terani increpiti à Cæsare concessi sunt comm
litonibus suis, civibus concessâ venia, excep
Decurionibus; sed furore Cestii sponte su
ædes incendentis urbs tota deflagravit.
Perusinum bellum ex æquitate, ut videbat
susceptum, atrociter terminatum est.

Inde dispersi sunt Antoniani duces; admo
tusque de re Perusianâ Antonius graviter inc
puit fratrem, Fulviam, & Manium præcipu
belli hujusce tubam. Mox Fulviam Athenis
venit, ubi & paulò post recepit matrem à Po
pejo sibi magnificè remissam, cui tamen nega
adhærescere. Non ita Octavianus, intentu
Antonii ruinam: nam ut Pompeji gratiam ini
Scriboniam Libonis soceri Pompeji filiam du
uxorem, omnesque Antonianos ablegavit. Q
& Antonius Brundusium appellens, non est
ceptus à præsidiariis Cæsarianis; quare obs
urbem: ad quam cum accurrisset Cæsar cum
piis, per amicos reconciliati sunt, & M. A
nius Octaviam sororem Cæsaris duxit uxor
mortua jam ex ægritudine Fulviâ. Ambo ig
redierunt in urbem, quam urgebat fames à
to Pompejo procurata: dum ergo populun
dare volunt, etiam lapidibus appetiti sunt,
rumque dejectæ statuæ. Pacem ergò inviti
tercedente Libone cum Pompejo inierunt, c
bratis utrimque conviviis, non tamen sine p
culo. Quibus peractis & Urbe quietâ Cæsa
Galliam ad sopiendos tumultus, Antoniu
bellum Parthicum profectus est.

Antonius in Orientem cum venisset pro
bitratu suo Reges ac Dynastas constituit. Tu
que Herodes ab eodem Rex Judæorum, &
ma

aritanorum creatus eſt; Ponti, Darius Phar-
cis filius, Mitridatis nepos; Amyntas Piſida-
m; Polemon partis Ciliciæ. Sic Antonius
e Orientis arbitrum, non tamen ſine invidia,
ſit.

Eodem anno Parthi à Labieno, filio Labieni,
iti in Syriam irrumpunt. Is miſſus erat à
ſſio ad Orodem Parthorum Regem, ut inde
erferet auxilia. At Rex tergiverſatus eſt,
nec Caſſius debellatus eſt. Tumq; Labienus
peravit veniam, & reditum in patriam ſuam,
atoque Romano nomine apud Parthos vi-
e decrevit. Tunc autem Orodi occupandæ
æ autor fuit, ſeque hujus expeditionis du-
obtulit. Rex committit ei Pacorum filium,
opias, quibus Syriam omnem, præter Ty-
,vi,vel deditione accepit. Pacorus Judæam
eſſus Hyrcanum Romanorum amicum,mu-
is auribus, ne unquam Pontificatu frui poſ-
captivum abduxit: Phaſaëlo item injecta
ula, in quibus hic ſibi caput ad ſaxum alli-
Antigonus Hyrcani nepos promiſſis mille
ntis Rex renunciatus eſt. Fugit Herodes ad
bum Regem, à quo Parthorum metu repul-
venit Romam, ubi blandè acceptus eſt ab
nio, & Cæſare, propter Antipatrum pa-
, & pecuniæ vim ingentem, quam pollice-
r. Itaque, ut bello Parthico utilis, Rex à
tu denunciatus eſt, Antigonus dictus ho-
Herodes medius inter Antonium, & Cæ-
n cum Conſulibus in Capitolium deductus
indeque in Antonii domum ad publicum
um. Hinc igitur regnum Herodis pro-
, ſicque regnum in Juda, ſeu Judæa
it, conſtituto principe alienigenâ, per
genas.

erodes ſic donatus regno à Romanis intra
m dies appellit Ptolemaidem, collectoque
e per Galilæam Joſephum fratrem obſeſ-
in caſtro Maſſada liberavit. Statimque
oſolymam obſeſſurus ipſe advolat cum Si-
At hic pecuniâ corruptus ab Antigono
batur commeatus inopiam; cui mox He-
abundè providit. Obſidio tamen illa mox
videtur fuiſſe; quoniam ita Silonis ne-
poſtulabant, atque corruptelæ.

erea Ventidius Parthos magno prælio vi-
quo & cecidit Labienus, & Phraates dux
is eximius. Itaque Romanis facilè Cili-
recepit, atque Syriam, atque ab indigenis
am pecuniæ ſummam expreſſit, qui Par-
verant: tum enim Parthos metuiſſe, & iis
d ſuffeciſſe, capitale fuit.

YMP. CLXXXV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 4015. 715.

nſulibus L. Martio Cenſorino, & C. Cal-
Sabino pax à Pompejo turbari cœpta, quia
iſſa ſibi Peloponneſus non reddebatur:
s enim immiſit, qui rem frumentariam
n in anguſtias conjecerunt. Hyemabat tum
is Antonius, cui cum adulatores Athenien-
orem Palladem obtuliſſent, accepit ille
am, ſed dotis nomine quadragies ſeſter-
ſeu ducenta millia librarum Turonica-
rum exegit; ſicque admodùm pretioſa fuit hæc
adulatio.

Cæſari hoc anno nata eſt Julia, quæ Marcel-
lo, Agrippæ, ac poſtremùm Tiberio nupſit. Pa-
rabat tum ſe Cæſar ad bellum Pompejanum, ad
quod etiam evocarat Antonium. Hic autem
Brunduſium venit: at cum Cæſarem non inve-
niſſet, ſtatim receſſit, aut veritus inſidias, aut
improbans Siculam expeditionem. *Cæſari naſcitur Iulia filia.*

Inter hæc Ventidius Pacorum multis refer-
tum copiis in Cyrrheſticam irruentem grandi
clade delevit, in qua, & ipſe Pacorus cecidit:
rurſumque tribus aliis præliis Parthos attrivit.
Cumque Samoſatis obſideret Antiochum Co-
magenum, eò venit Antonius, & quaſi ejus in-
videns gloriæ ad triumphum remiſit. Herodes
tum inviſit Antonium, à quo ſplendidè habitus,
& laudatus ob fortitudinem: quòd multis ad
Antonium venire, ob graſſatores, reformidan-
tibus, ipſe ſe viæ Ducem obtuliſſet. Urbe red-
ditâ, Soſio provincia cum exercitu committi-
tur, cui in primis commendatur Herodes. Inde
veniunt ambo Antonius, & Herodes Antio-
chiam; eodem quoque venit Cleopatra, cui to-
tas donavit provincias; ab ea enim uno partu
duos liberos ſuſtulerat Alexandrum, & Cleopa-
tram, quibus indidit nomina Solis, atque Lunæ;
quaſi is non tantùm Deus, ſed & Deorum parens
eſſet. *Ventidius Pacorum vincit, ac cadit.* *Antonio carus Herodes.* *Suſcipit Antonius duos ex Cleopatra liberos.*

In eadem urbe Herodes nuncium accepit de
caſu fratris ſui Joſephi. Is ad Hiericontem op-
preſſus eſt ab Antigono, amiſſis ſex cohortibus,
eique reſciſſum caput, quod talentis quinqua-
ginta Pheroras frater redemit. Qua clade He-
rodes plus mœroris, quàm damni vel ignominiæ
recepit. *Ioſephus ad Hiericontem cæditur.*

OLYMP. CLXXXV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 4016. 716.

Æra Hiſpanica à Conſulatu Appii Pulchri, &
C. Norbani Flacci procedit, quo anno Prætores
ſexaginta ſeptem creati, & Octavianus Scribo-
niâ repudiatâ Liviam prægnantem duxit ere-
ptam marito ſuo, ut homini feliciſſimo παιδίον
τρίμηνον naſceretur. *Æra Hiſpanica.*

Bellum quoque Siculum hoc anno inchoatum
eſt, & magna contentione geſtum. Ad hoc
non leve momentum attulit Mænas, ſeu Meno-
dorus Pompeji libertus, quem cum Romani no-
biles odioſum Pompejo reddidiſſent, is ad Cæ-
ſarem defecit cum parte claſſis in qua tres legio-
nes militabant. Acceptus eſt honorificè à Cæ-
ſare, & Equeſtri dignitate donatus, profectus eſt
cum iiſdem navibus ſub Calviſio totius claſſis
Cæſarianæ præfecto. Ita Cæſar non tantùm
proditionem, ſed & proditorem rebus ſuis uti-
liſſimum dilexit. *Bellum Siculum, vario eventu geſtum.*

Pompejus autem Cæſari Menecratem liber-
tum oppoſuit, inimicum Menodori capitalem.
Qui malè mulctatus licet initio certaminis, ita
tamen inſtruxerat claſſem, ut victoriam refer-
ret. Cæſar dum Calviſio duci ſuo ſuppetias ferre
parat, ab ipſo Pompejo, ejusque duce Democha-
re malè accipitur, ſed longè pejus à tempeſtate.
Et ſi Pompejus uti victoriâ ſuâ noviſſet & in Ita-
liam *Cæſar & Antonius naves & legiones permutant*

liam irruere, actum erat de Cæsare. At Cæsar opera Mecœnatis ad se pellexit Antonium qui cum 300. navibus Tarentum appulit, & per Agrippam ipse reparavit classem. Opera insuper Octaviæ factum uti naves Antonius cum legionibus permutaret. Dedit itaque centum viginti naves Cæsari, huic Cæsar misit viginti millia legionariorum ad bellum, quibus magis indigebat quàm navibus. Tum etiam Triumviratum in aliud quinquennium prorogarunt, omisso Lepido, quem jam uti ignavum, & stolidum contemnebant. Octaviam quoque cum filiola apud Cæsarem reliquit Antonius, intentus in suam Cleopatram, cujus convictum & consuetudinem victoriis omnibus, & imperiis anteponebat.

*Ventidius de Parthis triumphat.*

Hoc quoque anno de Parthis triumphavit Ventidius, ita probatus ab omnibus ob magnitudinem rerum gestarum, ut conditio propè servilis ejus fortitudine, ac felicitate obrueretur.

*Herodes ducit uxorem Mariamnem.*

Herodes quoque tum vultus est fratrem, Puppo Antigoni duce in Galilæa cæso, cujus caput ad Pheroram misit, miserum amissi fratris solatium. Exinde Hierosolymam obsidet, & dum illa vallo præcingitur diligenter, ipse Samariam venit, ubi Mariamnem desponsatam sibi ducit uxorem, quam ad se deferre dotale regnum, mortuo Antigono, callidus princeps intelligebat.

OLYMP. CLXXXV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 4017. 717.

*Capta Hierosolyma.*

Consulibus M. Vipsanio Agrippa, & L. Caninio Gallo capta est à Sosio, & Herode Hierosolyma, oppidanis fame pressis parum resistentibus, primoque ac secundo muro expugnatis. In cives ex æquo à Romanis, & Herode sævitum. Antigonus descendit ex turri, atque ad Sosii genua provolutus, missus est vinctus Antiochiam ad Antonium. Hic licet eum ad triumphum suum

*Casus Antigonus Antiochiæ.*

reservatum volebat, exoratus tamen precibus Herodis, atque pecuniâ, negantis se regem fore quandiu viveret, ad palum alligatus securi percussus est, aut ut volunt alii, datus in crucem, jugulatus est. In hoc principe defecit Assamonæorum familia, & crudeliter cæsus est non aliam ob causam, quàm quod avitam hæreditatem servare adversus Romanorum & Herodis Tyrannidem conatus esset.

*Herodes sua & Romanorum cupiditate satisfacit.*

Herodes jam sine timore dominis urbem rapinis ac cædibus replet, ut Romanis atque sibi faceret satis. Sublati sunt optimates quotquot Antigono favisse suspicio fuit, appositis ad portas custodibus, qui etiam Sandapilas mortuorum scrutarentur, ne quis effugeret. His auditis Hyrcanum subiit apud Parthos patriæ revisendæ desiderium, in qua reperit Tyrannum sibi, atque familiæ suæ longè quàm apud Parthos truculentiorem. Sed quoniam Pontificatum exercere

*Revocatur Hyrcanus.*

mutilatus Hyrcanus non poterat, Herodes Ananelum quemdam ex Babylonia accitum Pontificem creat, Judæis omnibus frementibus, & injuriam sibi Deoque fieri, non obscurè significantibus.

Orodes Rex Parthorum luctu confectus & mœrore ex nece filii sui Pacori, regnum suum filiorum natu maximo Phraati tradidit. Is statim fratres suos ex Antiochi Comageni filia natos, ut nobiliores & meliores, interemit. Quod cum indignissimè ferrent Rex, & optimates, hos sustulit, illi etiam intercute laboranti aconitum miscuit. Quod cum nihil noceret, immò remedium morbo afferre videretur, eundem præfocavit, unius hominis morte bis factu parricida.

Cæsar per se atque suos in Italia, & extra Italiam comparabat naves, pecunias, milites, remi ges undique expediebat, ut non tam Pompejum, quàm naturam ipsam, ac propè elementa vincere velle videretur.

OLYMP. CLXXXVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 4018. 718.

Redit hoc anno Hierosolymam Hyrcanu ab Herode honorificè revocatus, quem apu Parthos hærere nec gentis dignitas, nec utilit Herodis patiebatur. Volebat enim penes se h bere totam familiam Regiam; & capularis il senex, si non turbare, materies certè turbaru poterat esse.

Canidius Crassus Antonii legatus in Iber deduxit exercitum, eorumque Regem Pharn bazum, ad belli societatem compulit, sicut Zobetem Regem Albanorum. Artabazes qu que Rex Armeniæ equitum sex millia, peditu septem Romanis præbebat. Numerabantur a tem in Antonii exercitu civium, ac Latini n minis sexaginta millia, equitum Gallorum, Hispanorum decem, ex aliis gentibus tam p ditum, quàm Equitum triginta millia. Hu porrò apparatum Bactris, adeoque Indis n tuendum amor Cleopatræ inutilem reddic Antonius enim de ea magis, quàm de expe tione cogitans, bellum adeò perturbatè suscep ut non amare, sed insanire videretur, nihilo aliud spectare, quàm ut ad eam maturiùs re ret. Itaque duodeviginti præliis rem malè g sit, & vix tertiam copiarum partem reduxit, eas nonnunquam compulsus angustias, ut à armigero peteret mortem. Tandem quasi ctor, quoniam non perdiderat omnia, rediit Syriam, statimque accurrit cum vestibus, pecuniis Cleopatra, ut languentem refice exercitum. Ferunt Antonium huic pecuni suggessisse, ac suo & Cleopatræ nomine e distribuisse, ratus parum esse si huic honor committeret suum, nisi & pecuniam ei su adeoque Romanum Imperium largiretur.

Hoc item anno, quo Consules notantu Gellius Poplicola, & M. Coccejus Nerva, Ca Siciliam invasit cum triplici exercitu, eam quoque expeditionem tempestas disje Menodorus item iterùm defecit ad Pompej cum aliquot navibus, quibus multa damna sarianis intulit. Ubi tamen vidit sibi parum dei adhiberi, neque reddi totam classem, qu rexerat, ad Cæsarem rediit, eam habituru dem, quæ perfidis, ac levibus hominibus solet.

Int

Interea Cæsar reparavit classem, sed ad Tau-
omenium magnum periculum adiit. Cornifi-
us item ægrè ad Agrippam Milas evasit. Ex-
de variè varioq; eventu certatum utrimque,
llo tamen memorabili prælio, donec Pom-
jus sibi à commeatu veritus decretoriam pu-
am committere statuit, eamque navalem,
ectantibus tamen utrimque terrestribus co-
s. Pugnatum utrimque acerrimè, at tandem
erâ Agrippæ victoria penes Cæsarem fuit.
mochares seipsum occidit, Apollophanes ad
esarem fugit, itemque Tisienus Gallus cum
o equitatu. Pompejus omnium oblitus, de-
sito Imperatorio cultu fugit ad Antonium;
i si hæsisset in Sicilia, nullo negotio res suas
arare potuisset: sed dum citiùs desperat, se
sque perdidit.

Supererat Plennius cum octo legionibus. Is
essanâ occupatâ sese Lepido dedidit, qui pas-
est urbem non inimicam à suis, & Plennii
itibus diripi, ut eorum animos demereretur.
nque Lepidus viginti duabus legionibus tu-
lus insolescebat: sed ejus statim fastum re-
it Cæsar, abductis ab eo legionibus. Quare
vitæ, quàm Imperii sollicitior, ad Cæsarem
essit, à quo non sine custodia, sed cum Pon-
atu in Urbem remissus est, iis futurus ob-
ius, quos Triumvir proscripsisset. Itaque
lò post sponte abiit in exilium, cum ex me-
um, ne visâ Cæsaris fortuna, quid perdidis-
ontinuò spectare cogeretur.

æsar in Urbem rediens compositâ Siciliâ,
r is est exceptus honoribus, eamque ovans
taxat ingressus est, ne de Romano sanguine
nphasse videretur. Statim etiam per Stati-
Taurum Africam recepit, pollicitus Po-
pacem, & miseriarum finem, qui tamen
e Antonio expectandus non erat.

LYMP. CLXXXVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 4019. 719.

lexandra Mariamnes mater videns Pontifi-
m esse ad Ananelum translatum, quem filio
ristobulo debitum credebat, id impatien-
è tulit. Immò & rescribit ad Cleopatram,
m dignitatem filio suo impetraret ab Anto-
Quod cum uterque fecisset, negat Hero-
à se fieri posse sine tumultu, sicque Anto-
ecit satis. Postea tamen socru sua, & uxore
ter increpitis, ipse Pontificatum transfert
istobulum, & sponte præstat, quò ne adi-
ur summopere reformidabat.

onsules hujus anni fuere Sextus Pompejus,
Cornificius: quando idem Pompejus fu-
è Sicilia ad Lacinium Promontorium Ju-
templum locuples diripuit; indeque de-
in Lesbum insulam. Hic cum spargeretur
r de victo Antonio, sic amicitiam quæsivit
nii, ut tamen de fuga ad ejus hostes
aret; quibus agnitis, nihilominus est illi
tus Antonius. Sed imprudentissimè re-
sit in Asia Imperatorium nomen, & dum
n petit ab Antonio cum ejus ducibus bel-
gerit. Quare in eum magnæ mittuntur co-
quibus dum resistere parat, à suis atque

etiam à Libone socero desertus est, & dum fugit, Mileti à Titio est interfectus. De ejus nece lætati sunt ambo Cæsar, & Antonius quasi sublato pacis perturbatore, & concitatore belli civilis, cum ipsi tamen in speciem concordes, & pacis amantes, nihil aliud quàm bellum spirarent.

Tum etiam Octavia ad Antonium navigavit cum multa veste, multis jumentis, & delectâ militum manu: verùm hæc subsistere Athenis jussa in speciem, quoniam ejus in Syriam adventum, Parthicum bellum non patiebatur; reverâ, quod impuris Cleopatræ complexibus irretitus esset. Sed aliam rei bene gerendæ occasionem perdidit. Medus enim equitem, & sagittarios quibus potissimùm indigebat obtulit & se socium expeditionis. Sed ille amorum, quàm rei bene gerendæ sollicitior, hanc occasionem passus est elabi, quam postea calvam esse intellexit.

*Octavia ad Antonium navigat.*

*Antonius occasionem rei benè gerendæ perdit.*

Obiit denique hoc anno Sallustius Crispus, quadriennio ante Actiacum bellum, cui historia Romana plus deberet, si ad nos integra pervenisset. Quid potuerit, ejus loquuntur fragmenta; duoque de Catilinario, & Jugurthino tumultu relicti nobis libelli, cæterorum ejus operum legendorum accendunt sitim.

*Sallustius moritur.*

OLYMP. CLXXXVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 4020. 720.

Herodes Alexandram, & Aristobulum Pontificem vexat, adhibens utrique observatores importunos, & qui eos quiescere non sinerent. Quare mulier aliquid sibi, ac filio gravius verita, fugere cogitat ad Cleopatram, à qua benignè invitabatur. Duas itaque Sandapilas parat, quibus ipsa cum filio efferatur ex aula. Sed re per indices Herodi patefactâ deprehenduntur in fuga, verbisque tantùm increpiti diligentiùs custodiuntur, ne offenderetur Cleopatra, cujus iram, furore Dei, magis Herodes reformidabat.

*Alexandra & Aristobulus ab Herode vexantur.*

Consulatum iniit hoc anno M. Antonius secundùm cum collega L. Scribonio Libone: verùm eâdem die Kal. Januarii suffectus est Antonio L. Sempronius Atratinus. Tum autem idem Antonius iratus Artavasdæ Armeniæ Regi quod sexdecim millia equitum suorum abduxisset è Media, quibus tum plurimùm indigebat, eum castigare decrevit. Sed cum diuturnitatem belli, & absentiam à sua Cleopatra vereretur, agere dolo statuit. Eum ergo Regem ad se evocatum comprehendit, ac aureis compedibus vinctum traxit Alexandriam, ac de eo ibidem cum offensione Pop. Romani triumphavit. At Armeni, captivi Regis sui filium natu maximum Artaxam constituerunt Regem, qui congressus cum Antonianis, victus ad Parthos confugit, unoque prælio & exercitum, & regnum perdidit.

*Antonius Regem Armeniæ capit.*

Tum Antonius epulum dedit Alexandrinis, & in duobus Thronis aureis, super argenteo tabulato sedens ipse cum Cleopatra ac suis liberis ad populum concionem habuit, quâ Cleopatram Reginam Regum, Cæsarionem Regem

*Antonius in suis amoribus amens.*

Regum appellari juſſit. Suis item ex Cleopatra
liberis aſſignavit regna, Ptolemæo Syriam, &
Aſiam Minorem, Cleopatræ Africam, & Cyre-
naicam, Alexandro denique Armeniam & Par-
thiam, cum hæ jugum accepiſſent. Quâ pro-
fuſione oſtendit, quid ſit ab iis principibus ex-
pectandum, & timendum, qui ſe mulierculatum
amoribus irretiri ſinunt.

---

## CAP. III.

## *Decas Tertia.*

*Ab anno* 4020 *ad* 4030.

OLYMP. CLXXXVI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 4021. 721.

*Ariſtobulum Herodes necat.* ARiſtobulus Pontifex in feſto Scenopegiæ
tam decenter, tantâ palæſtrâ cæremonias
obiit, ut in ſe omnium oculos converteret;
quod iis invidiæ facibus Herodem inflamma-
vit, ut peragendum curaret ſcelus, quod
jam pridem meditabatur. Exceptus enim
convivio ab Alexandra, die quodam ferven-
tiſſimo, remotis epulis invitatus eſt ab ado-
leſcentibus Ariſtobulus ad vicinas piſcinas.
Hîc dum inter ſe ludunt, tandiu à nebulo-
nibus corruptis ab Herode detentus eſt juve-
nis, ut efflaret animam. Herodes ab hac ne-
ce, & lacrymis, & magnificentiſſimo funere,
purgare ſe conatus eſt: Sed hæc ſuſpicionem
extinguere non potuerunt. Et verò Alexan-
dra egit apud Cleopatram ut facti hujus ratio-
*Herodes accuſatur apud Antonium.* nem coram Antonio redderet Herodes. Hic
metuens odium Cleopatræ, ſed magis amores
Antonii, dedit in mandatis Joſepho patruo,
cui commiſerat uxorem, ut ſi quid ei humani-
tus contingeret, interficeret Mariamnem. Jo-
ſephus imprudenter hoc ſecretum aperuit
Mariamne, ſed imprudentiam ſuam capite luit.
Herodes tamen effecit artibus ſuis & pecuniâ,
ut abſolveretur, immò ne deinceps ejus rebus
Cleopatra implicaretur. Ita tum ſibi non tan-
tùm conſuluit in præſentiâ, ſed in futurum.

*Antonius cum Medo pacem init.* Antonius verò ad bellum Parthicum profe-
ctus uſque ad Araxen fluvium, nihil aliud per-
fecit, quàm ut ſocietatem iniret cum Rege Me-
dorum, filiumque ſuum Alexandrum ex Cleopa-
tra, Jotape Medi filiæ deſponderet, eâ lege ut
ſibi mutuo hic contra Cæſarem, ille contra
Phraatem auxilio eſſent. Id enim cogitabat An-
tonius ut Cæſarem tolleret, quod fortè præſti-
tiſſet, niſi ſe turpibus amoribus inquinaſſet: a-
mor enim unus in eo Imperatoriam ſcientiam,
atque felicitatem detrivit.

*Ædilitas Agrippæ.* Romæ Conſulatum geſſere C. Cæſar Octa-
vianus ſecundùm, & L. Volcatius Tullus, qui
annus ædilitate Agrippæ magnificentiſſimè ce-
lebratus eſt. Tum etiam Bocchi regnum in for-
mam Provinciæ redactum eſt: Dalmatis quoque
devictis ex eorum manubiis porticum ſtruxit
Cæſar, & Octavianas Bibliothecas, etiam ope-
rum pacis in bello memor.

OLYMP. CLXXXVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 4022. 722.

Cum Rex Arabum malignè tributa Cleopa-
træ perſolveret, juſſus eſt Herodes eum aggredi
bello, ut ſeſe mutuis cladibus attererent. Id
enim unum ex ea expeditione ſperabat malitioſa
mulier, & in utriuſque perniciem intenta. Cum
autem à Judæis bis victi eſſent Arabes ad Lid-
dam, & ad Cana Cœleſyriæ, Athenio dux Cleo-
patræ venit in horum auxilium, eorumque rem
ita reſtituit, ut Judæi etiam ferè ſua caſtra per-
derent. Quod damnum miſer Herodes diſſimu-
lare coactus eſt, metu majoris.

Romæ Conſules Cn. Domitius Ænobarbus
& C. Soſius favebant Antonio. Hic Kalendi
ipſis Januarii multa in Cæſaris dedecus dixit
multa in Antonii laudem: quæ paulò poſt Octa
vianus redux in Urbem, & milite ſeptus refu
tavit, contra hiſcere auſo nemine. Indixit
certam diem Cæſar, quâ dicta ſua Antonian
litteris confirmaturus erat; ſed ante diem Co
ſules, & multi Senatores ad Antonium confi
gerunt. Itaque quidquid voluit in abſente
Antonium Cæſar evomuit liberè, cum tantù
coram inimicis Antonii, Antonii probra, atq
dedecora explicaret.

His acceptis Antonius habito præſentium
natu in Cæſarem ſuſcipit bellum, Octaviam
pudiat, & per certos homines ejicit domo,
minam Cleopatræ moribus diſſimillimam,
quâ indignus erat Antonius. Undecim Re
huic favebant, quorum ſex aderant, alii quin
miſerant auxilia. Dubitavit plurimùm An
nius an ſecum Cleopatram ad bellum trahe
quamvis ipſa ducentas haberet naves, & vig
millia talentûm portaret, multumque comm
tum: tandémque evicit ſententia Domitii,
tii, & Planci, ut illa dimitteretur. At hæc
rita ne Antonius reconciliaretur Octaviæ,
nidium tum ſexdecim legionum ducem i
xit multâ mercede, ut pro ſe ageret; Ti
autem atque Plancum tam malè accepit,
ad Cæſarem deficerent. Itaque ex Canidii
ſilio Antonius fatalem fœminam ſecum E
ſum deduxit, nactus infidos amicos, & ac
mos inimicos.

Cæſar amicos Antonii ſuaviter excep
quibus didicit ejus Teſtamentum penes V
les eſſe. Hoc itaque tam in Senatu, quà
populi concione recitavit, ut ei faceret
diam. Neque vanus ejus conatus fuit. S
enim anni ſequentis Conſulatus ademptu
Antonio, bellum indictum Cleopatræ
Antonii nomine, quam tamen, contempt
triâ, ipſe defendendam ſuſcipit. Sed im
dentiſſimè in ejus gratiam commiſit ſe ma
quo Cæſar prævalebat, pugnamque terre
refugit in qua præcellebat, & copiarum n
ro, & propriâ induſtriâ. Acceſſit & aliud
de peccatum, quod Cæſari dederit mora
colligendi, quem ſi invaſiſſet egentem pe
& Italicis populis odioſum, ſine dubio d
ſet. Sed dum aptatur, dum comitur C
tra, annus fuit.

OL

OLYMP. CLXXXVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.*2. 4023. 723.

Judæa hoc anno ingenti terræ motu concussa
ignam hominum, pecudumq; jacturam passa
, adeò ut decem virorum millia ruinæ domo-
n oppresserint. Itaque Arabes occasionem
cti Judæos invadunt. Verùm his occurrit He-
les etiam ultra Jordanem, bisque conflixit, &
tor cum multis captivis Hierosolymam re-
; ita dejectis Arabibus, ut deinceps abstine-
t bello, nisi provocati.

Consulibus C. Cæsare tertiùm, & M. Messa-
orvino, gestum est Actiacum bellum, arbi-
n Romanæ servitutis, aut libertatis. Victo-
Cæsarianæ ad Actium prælusit suis victoriis
ippa ad Patras & Corinthum, devictis Q.
io, & Sosio: inter quas Domitius, Amyntas,
ue Demetrius Antonium reliquere, & defe-
ad Cæsarem, cujus & sapientiam, & fœlici-
n experiebantur; quare deinceps omnes
ectos habere cœpit Antonius. Tum etiam
idius mutavit sententiam, ut Cleopatram
itteret, & terrestri certamine in Thracia, ac-
Getis, dimicaret; sed prævaluit Cleopa-
succensæ naves Ægyptiæ præter 60. quibus
nti millia peditum, & duo millia sagittario-
impositi sunt. Tum utroque duce quæ-
e certamen, commissum est ad Actium in
racio sinu, ubi cum inter utramque clas-
luctuaret victoria, fugit cum suis navibus
patra, quam est secutus Antonius sui, ac
um oblitus. Antoniani nihilominus fortiter
gnabant, neque cessere nisi cum igne cer-
n est à Cæsarianis: ancipiti enim malo
næ, vel submersionis distracti Classiarii,
lerunt sese; neque se quidquam debere fu-
o Imperatori putaverunt.

abant autem in littore undeviginti legio-
& duodecim equitum millia, quibus An-
is res suas reparare poterat, nisi mentem
disset. Hæ igitur copiæ in officio perstitere
s septem, missosque ab Octaviano lega-
jecere. Sed cum eorum dux Canidius no-
tofugisset, ab omnibus deserti, & quasi
ti, in castra Cæsaris transierunt. Hoc in
nulta reliquit tantæ victoriæ monimenta,
um Apollinis, ludos Nicopolim urbem in
astrorum, ac res ita suas constituit in
a, Asiâ, atque Romæ, ut tantâ victoriâ u-
dignus haberetur.

tonius & Cleopatra elapsi cum ad Pelo-
esum simul navigassent, deinde divisi sunt.
n Ægyptum quasi victrix contendit, sicq;
is suis illusit, à quibus sibi reformidabat:
hil imminere periculi ex clade intellexit,
ltos sævit, eorumque bona diripuit, ut
erarium exhaustum reficeret. Ut Medum
ue sibi demereretur caput Regis Armeniæ
n misit. Antonius à Pinario Scarpo exclu-
biâ, & parte Occidentali Ægypti, Ale-
am venit, ubi Cæsarionem & Antyllum
via filium, inter viros retulit, ut Ægyptii
ubentiùs parerent. Sed infortunatos ado-
tes parentum scelera, non tantùm Impe-
d & vita indignos reddiderunt.

OLYMP. CLXXXVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.*3. 4024. 724.

Herodes auditâ M. Antonii fugâ, atque clade statim de rebus ejus prudenter desperavit, atq; ut erat fortunæ mancipium, eum adoravit, quem supra mortales omnes tanta evehebat victoria. Itaque adire statuit Octavianum, & quem fidem aliàs servarat Antonio, eidem polliceri. Sed antequam ad eum accederet in insulam Rhodum, consilium suscepit Herode dignissimum. Hyrcanum enim quasi affectati regni reum interemit, hominem octogenarium, de ipso optimè meritum, & qui nihil peccaverat, nisi quod Antipatrum & Herodem ad regnum enitentes, non sustulisset. Insuper Alexandram, atque Mariamnem in castro Alexandrio inclusit, dato quæstori mandato, ut si damnaretur à Cæsare, utramque tolleret, regnumque Pheroræ fratri, suisque liberis conservaret. His imperatis pergit ad Cæsarem, ad quem admissus, posito ad ejus pedes diademate, exposuit quid Antonii causâ gessisset, & quam ei servasset fidem, ubi hanc utrimque utilem agnovisset, pollicitus eandem se servaturum Principi, quem sibi fortuna præfecisset. Oblectatus hac libertate Cæsar, ejus capiti reposuit diadema, eumque rogavit qui fuisset in Antonium, is in Cæsarem esset. Profuit autem Herodi plurimùm, quod auxilio fuisset Didio contra gladiatores, transitum quærentes ad Antonium. Itaque remissus cum laude atque sceptro in Judæam rediit, majori gloria, quàm timore excesserat.

*Herodes submittit se Cæs.*

*Hyrcanus cæditur.*

*Cæsar Herodi dat regnum.*

Cæsar autem hoc anno quartùm iniit Consulatum, cum M. Licinio Crasso, quamquam hic Pompejum & Antonium secutus esset; sed id fecisse ex iniquitate temporis, non voluntatis putabatur. Statim Cæsar ordinatis in Occidente, & Asiâ rebus ipse per Syriam, duces ejus per Africam in Ægyptum pergunt. Ex quibus Cornelius Gallus, recepto Pinarii exercitu Parætonium Ægypti terminum occupavit. Quod ubi audiit Antonius, quanquam ad gladiatores recipiendos pergeret in Syriam, reflexit iter, ut Parætonium recuperaret. Et verò sperabat se militem Galli oratione flexurum; quod prudenter inhibuit Gallus, tubis ex muro dum loqueretur concinere jussis, immò & factâ eruptione aliquot naves perdidit Antonius, simul Parætonio, gladiatoribus, & parte classis amissis.

*Antonius omni spe sua frustravit.*

Antonius & Cleopatra his visis, & auditis, pacem petunt à Cæsare, rebus suis planè deploratis. Ipsa etiam Cleopatra res suas agere voluit sui Antonii oblita: Immò etiam ipsum prodidit, resque ejus penitus afflixit in Ægypto, dum ei auxilia terrestria, & navalia malitiosè subtraxit. Denique eum ad mortem compulit tumulum suum ingressa, ex quo ad eum fictum mortis suæ nuncium misit. Tum enim ille mori decrevit, extinctis deliciis suis, incubuitque gladio, ac pænè exspirans ad Cleopatram funibus attractus, in ejus gremio expiravit. Vir futurus orbis dominus, nisi se mulieri subdidisset. Cleopatra autem ubi sensit nihil se flectere potuisse animum Cæsaris (eo enim quoque pervadere

*Antonius & Cleopatra pacem orant à Cæsare.*

*Antonius se interficit.*

*Cleopatra sibi aspidem admovet.*

vadere adhibitis omnibus lenociniis ſperaverat) ſeque triumpho deſtinatam, per Aſpidem allatam inter fructus, aut acu diſcriminatoriâ veneno illitâ ſibi levem inflixit plagam, ex qua ferè ſine dolore obiit. Antyllus Antonii ex Fulvia filius, ex ſacello Julii Cæſaris retractus jugulatus eſt, licet ei filia Cæſaris eſſet deſponſata: Cæſario item dum fugit in Æthiopiam interceptus à Cæſarianis, necatus eſt. Alexandriæ direptio pecuniis redempta, unde, ſicut & ex regia pecunia, ſoluta ſunt ſtipendia, & viritim militi 250. dragmæ perſolutæ. Hic finis Ptolemæorum fuit, quos ſapientia ad regnum promoverat; rapinæ, cædes, libido penitus exterminarunt.

*Cæſario cæditur.*

*Cæſar excipitur ab Herode.*

Cæſar Ægypto conſtitutâ per Syriam in Aſiam rediit, ubi acceptus eſt ab Herode ſecundum dignitatem recepti, ſed ſupra recipientis divitias: donatus octingentis talentis, præter magnam vim pecuniæ in optimates Romanos effuſam. Quæ magnificentia Herodi omnem furandi, atque prædandi licentiam dedit.

*Anni Actiaci.*

Ab hoc quoque anno procedunt Anni Actiaci, quod victoriæ Actiacæ tum Cæſar perceperit fructum, Antoniumque perdiderit, quo ſtante fruſtra ad Actiacum viciſſet.

OLYMP. CLXXXVII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 4025. 725.

*Cæſaris triumphi.*

C. Cæſare Octaviano quintùm, & Sexto Apulejo Conſulibus idem Cæſar ſexto, ſeptimo, & octavo die Auguſti, qui tum Sextilis dicebatur de Pannoniis ac Dalmatis, de Actiaca victoria, ſeu Macedoniâ, de Ægypto ſeu Cleopatra triumphavit, quos triumphos magnis largitionibus illuſtravit, ſicut & Urbem magnificis ædificiis. Acceſſere quoque varia ſpectacula, quibus delinita plebs, ſicut & clauſo Jani Templo, libertatis quam perdiderat, oblita eſt.

*Cæſaris cum Agrippa cenſura.*

Tum quoque Cæſar cum M. Agrippa Cenſuram egit, quâ purgavit Senatum, & patriciorum familias auxit: Senatores tum quoque injuſſu ſuo exire ex Italia vetuit. Carthaginem quoque colonia iterum deducta, hujus etiam anni opus fuit, ſicut & Antiochus Comagenus evocatus Romam, necatusque, quod fratris ſui legatum dolo intereniſſet. Tum denique M. Lepidus Triumviri filius conjurationem conflavit in Octavianum, ſed eam Mecœnas Urbis cuſtodiæ præfectus deprehendit, & extinxit, pari gloria, & facilitate.

*Carthaginienſis Colonia.*

*Conjuratio extincta.*

OLYMP. CLXXXVIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 4026. 726.

Herodes profectus ad Cæſarem Mariamnem uxorem ſuam incluſerat carcere, ejuſque curam Sohemo demandarat; cum mandatis hoſte potiùs, quàm marito dignis. Hæc imprudentiſſimè aperuerat Mariamne Sohemus, eorumque quædam hæc dederat Herodi indicia. Cum ergo Eunuchus Reginæ tormentis adhibitus Sohemi cum Mariamne familiaritatem faſſus eſſet, ille quidem necatus eſt, hanc ut adulterii ſuſpectam, ac veneficii ream per improbum Senatum ſuum Rex damnandam curavit. Sed ex ejus morte poſtea tantùm doloris hauſit, ut morbum contraheret. Is cum periculoſus eſſet, ita ſe geſſit Alexandra quaſi mox Herodes moriturus eſſet; quare illicò necata pœnas dedit intempeſtivæ proviſionis.

*Herodes Mariamnem necat.*

Hic annus ſexto Cæſaris Conſulatu, & ſecundo Agrippæ illuſtris fuit, quo & cenſus anno ſuperiori inchoatus peractus eſt, inventaque civium Romanorum capita quadragies centum, & ſexaginta tria millia. Tum quoque Actiaci ludi à M. Agrippa primùm exhibiti, à Cæſare excitata Apollinis ædes in Palatio, cum Porticu & Bibliothecâ, ut non tantùm Martem, ſed & Muſas, quas amabat impenſiùs, coluiſ[ſe] videretur.

Tum quoque Cæſar cum amicis Agrippa, & Mecœnate egit de Imperio deponendo, vel conſtituendo: Agrippa abjiciendum, Mecœna[s] ſervandum contendebat; potiores viſæ ſu[nt] Mecœnatis rationes, ac Reipublicæ turbis ſ[e]dandis accommodatiores. Fuit autem Agrip[pa] addictiſſimus Cæſari, ſine quo ille multa pr[æ]ſtitit, hic ferè nihil ſine Agrippa, ideo cumul[a]tus honoribus, quos ille ſemper in largitore[m] refudit, exemplo ſingulari modeſtiæ, & hum[a]nitatis.

Hoc quoque anno Reſp. conſtituta eſt rem[iſ]ſis fiſco nominibus, abrogatisque quæ malè f[ue]rant Triumviratu decreta. Tum quoque aper[tæ] Jani Gemini portæ bello contra Cantabros, Aſtures indicto, quos ſuis legibus vivere, nec Imperio Romano tum pacifico parere viſ[um] eſt indignius.

OLYMP. CLXXXVIII. *Mundi* Urb. Co[nd.]
*ann.* 2. 4027. 627.

Cæſar ſeptimùm Conſul, cum M. Agri[ppa] tertiùm coram Senatu deponere voluit, aut [ab]jicere ſimulavit Imperium. Senatus tamen [...] verſus ſive ita credidit, ſive ita ſe finxit cred[...] id fieri prohibuit, ſtatimque Cæſaris ſtipat[o]bus, uti diligentiùs cuſtodiretur duplex ſtip[en]dium perſolvi juſſit. Itaque cum rogatus [ſu]ſcepiſſet adminiſtrandas Imperii Provinci[as] pacatas Senatui regendas tradidit, ipſe la[bo]rioſas & obnoxias bello ſibi reſervavit; ſe[d ad] decennium, & citiùs, ſi eas ante pacare po[tuiſ]ſet. Quo facto prudentiæ pleniſſimo, Sena[tum] exarmavit, ſibi vires omnes Imperii reſerv[avit.] Inde quoque profectum ut reliqui qui ſ[ecuti] ſunt Imperatores ſingula Decennia, quaſ[i] Imperii renovatione celebrarent.

Tum etiam 16. Kal. Februarii L. Mun[atius] Planeus in Senatu ſententiam dixit, quâ C[æſa]rem Auguſtum appellari cenſuit. Ea vox ſa[crum] & venerandum ſonat, & hominum c[ondi]tione ſuperiorem; ex hoc igitur anni Aug[uſto]rum decurrunt. Adhæc poteſtate Trib[unitia] auctus eſt, ut Sacroſanctus, & inviolabilis [habe]retur, atque in omnes Romanos, eoru[mque] ſubditos legum, vitæ, necis poteſtatem ha[beret.] Regis autem ac Romuli declinavit nomen [quæ] invidiæ aliquid continere videbantur, cu[m] tamen ipſe eſſet major invidiâ.

E

Eodem anno transiturus in Britanniam venit
Gallias Cæsar, ut has componeret, illam edo-
aret; nullo negotio utrumque perstitit, re-
n ante gestarum fama, quàm armis potentior.
le transiit in Hispaniam, ut huic quoque pro-
eret, ac bello adversus Cantabros, & Astures
mori aut in libertate vivere paratos. Tum
mæ substitit Agrippa, ac Diis omnibus Pan-
on ædificavit, opus mirabile ad similitudi-
n cœli fastigiatum, quod tertiò abhinc anno
fectum hujus tamen anni, & tertii Consula-
ab Agrippa gesti præfert Epigraphen, quia
strius erat à Consule inchoatum, quàm à
vato absolutum.

LYMP.CLXXXVIII. *Mundi* Urb.Cond.
*ann.* 3. 4028. 728.

Ierodes multas in Judæa peregit cædes:
lquid enim erat ex cognatione Hyrca-
& Hassamonæorum sustulit, ut seditionum,
orumque civilium fomitem. Costobarum
que Idumæam cui sororem suam Salomen
rem dederat, orto inter eos jurgio intere-
, sicut & Dositheum, Antipatrum, Lysi-
hum ab hac importuna muliere initæ cum
ito adversus Herodem conjurationis accu-
s. Ita sublatis omnibus fortunæ suæ impe-
entis se putavit Regem, cum ab omnibus
annus infamis haberetur.

ugustus hoc anno octavum Consulatum
t cum T. Statilius Taurus secundum age-
Hunc autem sicut & sequentem in Hispa-
raduxit, bellum parans contra Cantabros,
stures, qui non contenti libertate sua,
ios etiam vexabant, ut eos ad se transire
pellerent. Sed conatus eorum inanis fuit
rsus Romanam potentiam, quam in eos u-
rsam Augustus adhibuit.

oc item anno Cornelius Gallus Ægypti
ectus abusus autoritate sua, cum multa im-
nter egisset, jussu Augusti in exilium actus,
em sibi ipse conscivit, tam ignavus ad fe-
um, quam fortis fuerat ad infligendam in-
m.

YMP.CLXXXVIII. *Mundi* Urb.Cond.
*ann.* 4. 4029. 729.

erodis regnantis anno 13. fames ingens pe-
njuncta Palæstinam afflixit, cum tamen
iste opera magnifica Hierosolymis excita-
& Theatrum in honorem Augusti, ac quin-
nales ludos, quod ei Judæorum conflavit
m. Sed cum postea rei frumentariæ provi-
, missis etiam in Ægyptum & ad C. Petro-
è sua suppellectili aureis & argenteis vasis,
n in benevolentiam conversum est. Tum
ue Herodes quingentos milites è suis præ-
is misit Ælio Largo ad Arabicam expedi-
m: quando & Ægyptii Anno Juliano uti
runt, ut Romanis dominis suis omnino
ordes essent.

gusto nonùm Consule cum M. Iunio Si-
M. Terentius Varro Salassos Populos In-
os domuit, quorum agri partem militibus
Prætorianis dedit, ubi condita Augusta Præto-
ria. Altera quoque missa est in Lusitaniam Co-
lonia dicta Augusta Emerita, quod eam Emeri-
ti milites conflassent; ita militibus ubique fa-
ctum satis.

Sed nihil celebriùs fuit hoc anno, bellis Cantabrico, & Asturico. Cæsar enim ipse apud Segisamam castra posuit, & tribus agminibus totam est complexus Cantabriam. Insuper admota littori classis, & expositi milites, ut hostes circumfunderentur. Itaque victi ad Begedam Cantabri in Vindium montem confugêre, in quo pæne omnes inediâ confecti sunt. Hoc in bello cum ex nimio labore morbum contraxisset Augustus, Tarraconem delatus bellum C. Antistio absolvendum reliquit, cui cum exercitu commisit suam felicitatem. *Bellum Asturicum, & Cantabricum.*

Astures aliunde ad Asturam fluvium positis castris Romanos oppressissent, nisi eorum consilia essent patefacta. Vicit eos cruento prælio Carisius, & confugere Lanciam compulit; quæ capta tantùm non incensa est, id enim miles deposcebat: sed dux sapientior maluit eam stantem potiùs quàm eversam esse Romanæ victoriæ monimentum. *Astures victi.*

Interim Romæ præclara opera extruebat Agrippa, ut enim Pantheon taceam, Septa comitiis Tributis addicta, quæ Lepidus inchoarat, in Campo Martio perfecit; hæc autem tabulis exornata; Septa Iulia in honorem Cæsaris dixit. Excitavit & Porticum Neptuni, Argonautarum picturâ decoratam, ob navales victorias, ita tamen ut omnia in honorem Augusti cederent. Sic enim inter se benevolentiâ, & gratiâ Cæsar & Agrippa decertarunt, ut dubium reliquerint an hic fuerit modestior, an ille liberalior. *Agrippæ opera.*

OLYMP.CLXXXIX. *Mundi* Urb.Cond.
*ann.* 1. 4030. 730.

Herodes duas Hierosolymis hoc anno ædes extruxit, unam Augusto, alteram Agrippæ, Cæsaream, & Agrippam dictas, amoris in eos sui monimentum, quos Θεῶν Σωτήρων habebat loco, ipse Cæsari post Agrippam, post Cæsarem Agrippæ charissimus. Condidit & templa in honorem Augusti Samariæ, & ad fontes Iordanis; denique Herodium castrum, ne sui nominis ipse oblivisci videretur. *Herodis opera.*

Tum autem captus est amore puellæ cujusdam Simonis filiæ, quam Iosephus Mariamnem vocat. At ne hæ nuptiæ Rege viderentur indignæ, ejus patrem, exautorato Iesu Phabetis filio, Ananeli successore, Pontificem creavit; sic amoribus suis res etiam sacras Rex sceleratus aptabat. *Herodes aliam uxorem ducit.*

Augusto decimùm Consule cum C. Norbano Flacco Marcellus creatus est Ædilis, statutum à Senatu ut inter Prætorios sederet, & decennio maturiùs peteret Consulatum. Permissum quoque Tiberio Augusti privigno, ut quinquennio maturiùs singulos magistratus iniret, quare hoc anno factus est. Quæstor ætatis anno *Marcellus Ædilis.*

decimo

decimo octavo, vel decimo nono, ut quotquot ad Augustum pertinerent legibus soluti esse viderentur.

*Ælii Largi expeditio in Arabiam.*

Hoc anno in Arabiam Felicem suscepit expeditionem infelicem Ælius Largus, exercitu morbis infestato ex qua nihil ipse præter ægros milites, & ignominiam reportavit.

*Victi iterum Astures & Cantabri.*

Fortunatiores in Occidente Romani fuerunt. Astures & Cantabri post Augusti discessum non tantùm rebellarant, sed & addiderant rebellioni proditionem. Nam præsidiarios evocatos ad frumentum exportandum perimerant incautos. Sed cæsorum manibus L. Æmilius præfectus abundè ferro facibusque litavit, agro vastato, incensis oppidis, obviisque cæsis; ut longas etiam absenti Augusto manus esse intelligerent isti proditores.

---

## CAP. IV.

## *Decas Quarta.*

### *Ab anno* 4030. *ad* 4040.

OLYMP.CLXXXIX. *Mundi* Urb.Cond.
*ann.* 2. 4031. 731.

*Ægrotat Augustus, sanatur ab Antonio Musa.*

AUgusti Consulatus undecimus cum Cn. Calpurnio Pisone, ejusdem morbo celeberrimus fuit. Tum enim proximum se putavit morti, tradiditque Agrippæ anulum suum, Pisoni collegæ Rationarium Imperii. Sed opera Antonii Musæ lavacris ac potionibus frigidis valetudini restitutus est. Ideoque eidem Musæ, ut alteri Æsculapio posita statua à Po. Romanæ, quæ paulò post disturbanda fuit cum iisdem remediis Marcellum perdidit.

*Agrippa secedit Roma.*

Sanus Augustus ut tolleret natum ex traditione anuli odium Marcelli in Agrippam, hunc amandavit in Syriam ut eam regeret. Remansit tamen in insulâ Lesbo, & provinciam sibi creditam per legatos administravit. Hunc adiit Herodes Mitylenem, à quo est susceptus amantissimè: cumque Gadareni Herodem accusaturi eò quoque venissent, Agrippa neauditos quidem vinctos compedibus remisit ad Herodem, cum summo injustitiæ periculo, plus amicitiæ tribuens, quam æquitati.

*Marcellus moritur.*

Hoc item anno magnificentissimè edito munere suæ ædilitatis M. Marcellus Octaviæ sororis Augusti filius obiit natus anno 20. ut Propertius canit, ut scribunt alii anno ætatis suæ vigesimo quarto. Hic est Marcellus celebratus à Virgilio versibus sine metaphorâ aureis, magnæ fortunæ destinatus adolescens, & cui ingenio, fortitudine, & dignitate corporis, par esse videbatur.

*Parthi Augustum timent.*

Teridatem diffidentem à fratre Rege Parthorum Romæ benevolè suscepit Augustus. Venêre & cum eo Phraatis legati illum reposcentes: cum reddere prudenter negavit Augustus, sed Phraatis ipsius remisit filium, quem habebat jamdudum à Teridate obsidem: ea tamen lege, ut sibi signa Crassi restituerentur. Ita fratrum discordiâ in Reip. commodum sapienter usus est Augustus.

OLYMP. CLXXXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 4032. 732.

Turbatum est aliquid hoc anno Hierosolymis, ob trophæa Judæis proposita, quæ ut idola detestabatur: tantùm aberant hi ab imaginum cultu, ut eorum umbras, & rudimenta ferre non possent. Detractis tandem ornamentis & propositis plebi stipitibus, sedatus est tumultus. Tum quoque cives decem Religionis prætextu in Herodem conspiravere, quorum supplicio est extincta conjuratio. Ob eam cau[sam] Regiam suam, & Antoniam arcem communivit Herodes, ut haberet plura in subditi[s] seditionibus receptacula. Tum quoque instauravit Samariam, quam de Augusti nomine Sebasten dixit: condidit & in littore maris Cæsaream, ubi olim erat Turris Stratonis, in qu[a] adornanda duodecim ipsos annos posuit, tant[a] magnificentia, ut si qua Josepho fides, nulla fuerit in toto orbe civitas pulchrior & magnificentior.

Consulibus M. Claudio Marcello, & L. Arun[tio] Nepote detecta est in Augustum conjurati[o] Fannii Cæpionis, & Murenæ jam coalita. Cu[m] hi fugâ dilapsi essent, absentes damnati su[nt] exilio, ac paulò post necati. Murenam n[ec] frater Proculejus Augusto charissimus, nec so[ro]ris maritus Mecœnas exemêre supplicio; ad[eo] visum est atrox, in Principem tam commodu[m] scelus.

Censores hoc anno creati P. Æmilius Le[pidus], & L. Munatius Plancus, hic proscripti fra[ter], ille à fratre Triumviro proscriptus; hi qu[i] privatorum ultimi gessere Censuram; quam quam in ejus quoque partem Augustus veneri[t]. Hic tum sapienter quædam collegiorum conv[i]via sustulit, ludorum omnium curam certis h[o]minibus attribuit, gladiatorum munus edi vetu[it] injussu Senatus, nec sæpius quàm bis in anno, n[e]que parium plurium, quam sexaginta. Tum qu[o]que Galliam Narbonensem, & Cyprum Pop[u]lo regendas reddidit, quia pacatæ jam nihil e[j]us curâ indigebant, sicq; reliquarum regendaru[m] Populo Romano spes injiciebatur.

Cantabri, & Astures duriùs habiti à Caris[io] virorum fortium more, rebellarunt. Venien[tes] tamen in auxilium C. Furnio repressi sunt, & acerbiorem servitutem redacti. Pauci tam[en] Cantabrorum venere in Romanorum man[us] quia ex desperatione, & libertatis amore ince[n]sis munitionibus suis, alii incendio, alii publ[i] sumpto veneno perierunt.

Tum etiam Romæ propter crebra incen[dia] Ædiles præfecit Augustus, qui ea attributis se[x]centis servis scienter restinguerent; ac hi dei[n]ceps utilissimam Urbi operam navarunt, ali[o]quin his frequentibus incendiis periclitanti.

Denique C. Petronius Ægypti præfectus Æthiopicâ expeditione feliciter ac gloriosè f[e]ce[...]

ɔtâ rediit, Candace Reginâ ad fœdus pe-
ıdum compulsâ. Et probatum eſt ab Augu-
, Populoque Romano ſuſceptum, quam-
am in fœminam bellum, quia hæc virilis e-
animi, neque ſuum regnum muliebriter ad-
ıiſtrabat.

OLYMP.CLXXXIX. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 4033. 733.

Romæ ut crearentur Conſules Q. Æmilius
ɔidus, & M. Lollius nonnihil turbatum eſt.
Lollio nulla difficultas qui collega datus e-
Auguſto, ſed hoc non admittente magi-
tum, de Lepido & Sillano ingens plebis
ıultus fuit. Ideoque revocatus eſt in ur-
n ex Græciâ ab optimatibus Auguſtus; qui
ıen ſapienter venire recuſavit, ſed candi-
os illos verbis increpitos abeſſe voluit ab
be dum iretur in ſuffragia. Ægrè tandem
nſul ſeditione redintegratâ creatus eſt Lepi-
.

Has turbas ut deinceps compeſceret Cæſar,
rippam in Urbem remittere ſtatuit; atque
plus poſſet, uxore repudiatâ (quamquam
eſſet Auguſti ſororis filia) filiam ſuam Juli-
ducere præcepit. Dum autem verſatur
guſtus in Græcia Lacedæmonios honoribus,
ɔræmiis affecit, Athenienſes contra multa-
, quod viſi eſſent in Antonium propenſio-
Sic miſeris adulatoribus ſua magni ſtetit
latio. Rebus autem in Græcia compoſitis
amum perrexit, ubi traduxit hyemem, ut
e invigilaret Orienti, & propinquior, Par-
s non tantùm legionibus, ſed & præſentiâ
territaret.

OLYMP. CXC. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 4034. 734.

Conſulibus M. Apulejo Nepote, & P. Silio
rva Auguſtus ex Samo tranſiit in Bithyniam,
e ordinaturus Aſiam. Hic Cyzicenos quod
uadam ſeditione Ro. cives flagris cæſos ne-
ent, in ſervitutem redegit, ut iiſdem fla-
objici poſſent. Idem quoque ſupplicium
ıgreſſus in Syriam Tyriis, & Sidoniis ir-
avit propter factiones, & ſeditiones ſuas.
ritus autem vicinitate Auguſti Phraates, &
onibus multis, quas erat facilè infundere
arthiam, remiſit ſigna erepta Craſſo, ca-
oſque omnes, præter eos qui dedecoris
u ſibi intulere manus aut ſponte latere vo-
unt. Dedit etiam idem Phraates Titio Sy-
præfecto quatuor legitimos filios obſides,
ectis ubique excitatis in regno ſuo de Craſſo
phæis. Quare iterùm clauſum eſt Iani Ge-
ıi templum, quaſi hoc facto orbi Romano
ditâ tranquillitate.

nde reverſus eſt in Urbem Auguſtus, unde
erium in Armeniam miſit. Turbata enim
t hæc Provincia, irataque Regi Artabazo
s loco Tigranem repetebat. Juſſus eſt ergo
berius Tigranem Romæ obiiдem reducere
n exercitu. Sed cum Artabazus intereà

cæſus eſſet, bellicus ille apparatus eva-
nuit.

Auguſtus paulò poſt repetiit Samum, ubi variis Principibus, varias regiones attribuit, ſed præcipuè Herodi Zenodori cujuſdam Te-trarchiam, quod is latrones foviſſe diceretur, quos expugnarat Herodes, reddita Damaſcenis ſecuritate. Quare tum in honorem Auguſti Panium templum ædificavit in Zenodori ditione, ideoque tumultuati ſunt Iudæi, quos pacavit remiſsâ tertiâ parte vectigalium, ob ſuperiorum annorum ſterilitatem. Dedit quoque Samiis libertatem Auguſtus præmium hoſpitii. Sami quoque Indi miſſis legatis cum Auguſto ſanxère fœdus, adduxeruntque Tygres Indicas nondum in Græcia, & Occidente viſas; quando & legatorum unus Zamarus Gymnoſophiſtes Deorum ſuorum ſacris initiatus ſponte in ignes inſiluit, ac vanæ gloriæ obtulit ferale ſacrificium.

*Panium ab Herode ædificatum.*

*Indi cum Auguſto fœdus faciunt.*

Hoc quoque anno Agrippæ natus eſt ex Iulia Cajus Auguſto chariſſimus, & in ſpem Imperii nutritus, non quia dignus, ſed quia talis eſſe debuerat.

*Cajus naſcitur ex Iulia.*

OLYMP. CXC. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 4035. 735.

Herodes regni ſui anno duodevigeſimo templum Hieroſolymitanum inſtauravit, ejus dilatavit ſpatia, porticus exornavit. Sed à fundamentis illud nequaquam excitavit; remanſit enim à Zorobabele conditum, cujus gloria, viſo Chriſto, quam Salomonici ex Prophetâ futura erat celebratior: ideoque hic à Ioſepho fabuloſè conficta de Herodiano templo, cum omnibus Catholicis meritò explodimus.

*Inſtaurat templum Hieroſol. Herodes.*

Romæ Conſul eſt factus Q. Sentius Saturninus, cujus collega Auguſtus eſſe recuſavit. Ideò concitatæ ſunt iterùm in comitiis turbæ, quas ut compeſceret Auguſtus ipſe nominavit. Quintum Lucretium Veſpillonem, quem Euſebius Cinnam cognominat. His Coſſ. Romam rediens Auguſtus, ex multis honoribus recepit tantùm, ut Ara Fortunæ reduci conſecraretur, ejus reditûs dies inter ferias relatus Auguſtalia diceretur. Tum autem ad turbas Romæ comprimendas idem Auguſtus dictus eſt Magiſter Morum in quinquennium, cum poteſtate condendi leges quas vellet, quæ dicerentur Auguſtales. Quibus privilegiis licet dignus Auguſtus eſſet, poſteà tamen idem jus ſibi arrogarunt alii indigni Imperatores, quo Imperium Romanum penitùs labefactarunt.

*Auguſtus magiſter morum.*

*Leges Auguſtales.*

Tum adminiſtrandis Galliis, quas Germani vexabant præpoſitus eſt Agrippa; quibus compoſitis idem tranſiit in Hiſpaniam ad Cantabros edomandos, qui ſervi, dominis ſuis interfectis, redierant domum, indidemque Romanos, eorumque ſubditos adoriebantur. Contra eos progreſſus Agrippa multos è ſuis perdidit; inviti enim contra deſperatos, & certos mori

*Agrippa Gallias & Hiſpaniam componit.*

mori pugnabant. Tandem multitudine ſuperiori, omnes qui arma ferre poſſent trucidavit, & reliquos exarmavit, atque ex montanis in campos deduxit, ubi omnium patentes injuriis ferociam dedidicêre. Neque tamen de iis triumphare voluit, quoniam non ſuis, ſed Auguſti auſpiciis pugnaverat, cui uni colligebat gloriam, ſuis ipſe laboribus, ac virtute contentus.

*Auguſtus Senatum purgat.*

Auguſtus Agrippæ reduci Tribunitiam poteſtatem in quinquennium conceſſit, & cum eo Senatum purgavit in quo Lepidus olim Triumvir ægrè retentus eſt. Statuerat trecentos tantum ſervare, ſed ob difficultatem ſexcentos toleravit; non quod digni omnes, ſed quod plerique non omnino indigni videbantur.

*Virgilius moritur.*

Hoc denique anno Virgilius Poëta Brundusii obiit, Auguſto percharus, cujus oſſa Neapolim delata, nobilem illam de ſe urbem etiam cohoneſtarunt.

OLYMP. CXC. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 4036. 736.

*Herodes Rom. filios mittit.*

Conſulibus P. Cornelio Lentulo Marcellino, & Cn. Cornelio Lentulo Herodes Romam miſit filios duos ex Mariamne ſuſceptos Alexandrum, & Ariſtobulum, ut apud Cæſarem erudirentur cujus domus tum erat ſapientiæ, ac virtutis officina. Excepti ſunt ſummâ humanitate ab Auguſto propter parentem, cui & poteſtatem fecit quem vellet ex filiis Regem eligendi, ut ſic haberet obſequentiores, ſpe propoſitâ tantâ hæreditatis.

OLYMP. CXC. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 4037. 737.

*Lucius naſcitur ex Iulia.*

Conſules hujus anni creati ſunt C. Furnius, & C. Junius Silanus, quando Lucius filius Agrippæ natus eſt alter ex Julia. Itaque Auguſtus ad ejus ortum celebrandum feſtum Honoris & Virtutis ad quartum Kal. Junias tranſtulit, in ejus diem natalem. Tum quoque ludi ſæculares Romæ celebrati ſunt ingenti apparatu, non quod ſic temporis, ſed Auguſti voluntas exigeret, auctâ firmataque familiâ ſuâ, vix ſeſe capientis.

OLYMP. CXCI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 4038. 738.

*Auguſtus relinquit Urbem.*

Conſulibus L. Domitio Ænobarbo, & P. Cornelio Scipione profectus eſt in Galliam Auguſtus, ſpecie ut hanc provinciam ordinaret, reverà quia eum Urbis tædium ceperat, ubi parum leges ſervabantur, nec niſi multorum pœnâ, unde odium in Legislatorem & Principem accendebatur. Antequam Urbem relinqueret, templum Quirini dedicavit, in quo ſeptuaginta ſex columnæ ſtabant, ejus annorum totidem indices. Urbis curam Statilio Tauro reliquit, quia jam Mecœnatem minùs amabat, Agrippam rurſum mittebat in Syriam; ubi acceptus eſt ab Herode uti Cæſar alter, ac ſibi nominatim amicus. Inde tamen maturè diſceſſit in Joniam plus Hyemis tempeſtates reformidans, quàm oblectatus Judæorum acclamationibus.

OLYMP. CXCI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 4039. 739.

Herodes hoc anno inviſit Agrippam degentem Sinope, atque inde Aſiam ordinantem, ubi & negotium componebat Scribonii aſſerentis ſibi regnum Ponti traditum ab Auguſto. Inde ambo Epheſum terreſtri itinere rediere, & in omnibus urbibus Joniæ Agrippa multa Judæis conceſſit in gratiam ſui Herodis, inter cæter remiſit eis quartam vectigalium partem, p ri gaudio Herodis, atque Judæorum utili tatis.

Conſulibus M. Livio Druſo, & L. Calpurnio Piſone Galliæ ſunt ab Auguſto compoſitæ cum ab eo Germani pacem impetraſſent. Sed tur batus eſt idem Auguſtus Gallorum querelis, & expoſtulationibus adverſus Licinium à quo fue rant expilati. Hic cum ſibi videret iratum Au guſtum, deduxit eum in domum ſuam, indica vitque ſepoſitos Gallorum theſauros, eique re ſervatos. Quo aſpectu refrixit ira Cæſaris, t paſſus eſt furem, qui non ſibi ſed Principi ſu furatus eſt, ut majorem criminis partem in ſe de rivaret.

Hoc anno Auguſtus aliquot Colonias in Ga liam, Hiſpaniamque deduxit: Cyzicenis reſt tuit libertatem, neque diuturniorem eſſe vo luit eorum ſervitutem, quam paucorum ſcele perdiderant. Paphiis terræ motu afflictis pecu nias ſuffecit, eorumque urbem de ſuo nomi vocari paſſus eſt, quia id enixiùs, quàm pecun flagitabant.

Obiit hoc anno Vedius Pollio Eques Rom nus ditiſſimus, libertini generis, qui Murænas piſcina humanâ carne paſcebat. Is cum aliqua ao excepiſſet Auguſtum convivio, & in eo ſe vulum ob vas Cryſtallinum fractum addixiſ crudeliſſimæ neci, & huic Cæſar ægrè venia ab eo impetraret, omnia ejuſdem generis v juſſit illico confringi, ut humanitatem, atq ſubmiſſionem in hac jactura diſceret, grav utique caſtigandus, ſi in ſeveriorem princip incidiſſet.

Tum domiti ſunt à Druſo atque Tibe Rhæti Alpibus Tridentinis affixi, nec montes ſui, locaque naturâ permunita tu ſunt.

Auxit quoque gaudium Druſi patris na Germanicus, ex quo natus poſtea Caligula, ad ptatus ipſe juſſu Auguſti à Tiberio, eidem tam exoſus propter diſſimilitudinem morum, n gno utique damno Romanorum.

Nata quoque Beatiſſima Maria Virgo ſanctis Ioachimo & Anna, patre vetulo, & A na ſterili, ut ad ſummum miraculum, nat ſcilicet hominem Deum, via per miracula ſt neretur.

OLYM

OLYMP. CXCI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 4040. 740.

Hujus anni Consules fuere Cn. Lentulus, & M. Licinius Crassus; Lentulus ille cognomento Augur divitiarum maximum exemplum fuit, antequam eum libertini pauperem facerent, ut qui quater millies Sestertiûm sibi videretur esse. Sed semper indiguit opibus homo avarissimus, dignusque qui postea ad mortem à Tiberio compelleretur.

Tum etiam contigit magnum incendium Romæ, quo Æmilii Pauli Porticus tota deflagravit, & mali labes ad Vestæ templum usque pervasit, sacris per Vestales in domum Flaminis Dialis exportatis. Sed hæc postea Porticus ab Augusto, & amicis Pauli refecta est magnificè, & visa est ex hoc igne prodire splendidior.

Decretus quoque tum Agrippæ triumphus ob res in Ponto gestas, quem tamen ille repudiavit, atque exemplo suo cæteris Imperatorum legatis ad modestiam præluxit.

## CAP. V.

### *Decas Quinta.*

*Ab anno* 4040. *ad* 4050.

OLYMP. CXCI. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 4041. 741.

Consulibus Tiberio Claudio Nerone, & P. Quintilio Varo Augustus rediit Romam noctu, ac sine pompâ, neque passus est Populum sibi obviam progredi. Tum etiam militiam ordinavit, & stipendiorum definivit tempus, Prætorianorum quidem annis duodecim, reliquorum sexdecim, quibus evolutis, non agros, sed pecuniæ certam summam reciperent; postea tamen id immutatum est anno v. c. 758. & demum, Romanis militibus non semper satis obsequentibus Imperatori.

Eodem anno Theatra Balbi, & Marcelli dedicata: in hoc Trojam C. puer octennis lusit, variaque sunt edita spectacula. Cum autem tum Lepidus summus Pontifex obiisset, ejus locum Augustus assumpsit, ut duplici nomine sacer esset. Hoc insignis honore, fatidicos libros combussit, Sibyllinos repurgavit, ita permittente Deo, ut iis deinceps castigatoribus uterentur Christiani, neque Ethnici eorum versibus conditi, tergiversarentur.

Rediit tum ex Syriâ Agrippa, quando & ab Augusto Tribunitiâ potestate in aliud quinquennium auctus est; missus insuper in Pannoniam cum summa potestate, ut bellum grave suis armis compesceret. Sed huic hostis parabatur à Deo, cujus impetum non declinaret, & qui omnes ejus honores deleret.



OLYMP. CXCII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 4042. 742.

Beata Virgo in templo trimula à parentibus oblata est Deo, juxta Genitricis suæ votum, ipsique inditum nomen, quod gratiam habendam esse Deo de tanto munere testaretur. Nutrita est porrò donec Josepho traderetur, in sacris ædibus, seu exedris cum aliis virginibus numini consecratis, quas quidam inter sanctos Patres impropriè τὰ ἅγια τῶν ἁγίων appellarunt, magis ad loci hujus inquilinam, quàm ad locum attendentes. Reliqua quæ de B. Virgine hîc degente dicuntur, neque sunt hujus operis, neque ab eruditis satis certa esse judicantur. *Præsentatio B. V.*

Consules hujus anni creati sunt M. Valerius Messala Barbarus, & P. Sulpitius Quirinus, seu Quirinius, quando Messala nomine totius Senatus Augustum Patrem patriæ nominavit, cui lacrymans optavit ut perpetuò ea appellatione dignus esset, neque unquam eam factis refelleret; quæ lacrhymæ atque responsio eum hoc nomine dignissimum probaverunt. *Augustus pater patriæ dictus.*

Venit & tum Romam Herodes ab Augusto humanissimè habitus, à quo & liberos in regnum reducendos accepit, omnibus dotibus animi, ac corporis illustres, quæ apud suspiciosum senem, & calumniatoribus aures præbere assuetum, eis vehementer nocuere. *Herodes reducit filios suos.*

Agrippa, solo adventu suo Pannoniis exterritis, & rebellionem deponentibus, reversus in Campaniam æger decubuit; ad eum statim advolavit Augustus, sed mortuum reperit. Reductum igitur in Urbem ipse oratione funebri laudavit, in suo sepulchro condidit, ac ejus nomine viritim populo pecuniam dedit. Ei mortuo enixa est Julia postumum Agrippam, solo nomine Patri geminum, moribus dissimillimum. Porrò Agrippa hoc mortuo Augustus meliorem habere generum non potuit, immò non exoptare. *Moritur Agrippa.* *Nascitur ex Julia Agrippa.*

Cum nihilominus altero genero indigeret, in Tiberium conjecit oculos, cui despondit Juliam, rejectâ priore, quam ei ipse dederat Augustus, Agrippæ ex priore matrimonio filiâ, & quæ jam dederat filiam. Tum eum immisit in Pannonios auditâ morte Agrippæ rebellantes, quos ope Scordiscorum domuit, ac vendidit armis spoliatos, ut libertatis obliviscerentur. *Iulia datur uxor Tiberio.*

Drusus quoque eodem tempore cum Sicambris, & Chaucis bellum fortiter gessit, ostenditque Gallis, quandiu ipse trans Rhenum ageret, nihil esse ipsis à Germanis reformidandum. *Drusi expeditio in Germanos.*

Denique in aliud quinquennium Augustus Magister Morum renunciatus est; quando edixit ut Senatores priusquam Curiam subirent Diis Thus adolerent, & tanquam adoraturi Senatum ingrederentur. Cum autem Asia terræ motu vehementer afflicta fuisset, ex suis ipse pecuniis tributum a miseris pensitari solitum, ærario pensitavit; ne cum Reipublicæ detrimento ipse misericors fuisse videretur. *Augustus iterum magister morum.*

OLYMP. CXCII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 4043. 743.

*Herodes filiis dat uxores.*

Herodes hoc anno dedit filiis ſuis uxores, Alexandro Glaphyram Archelai Cappadocis filiam, Ariſtobulo Berenicem filiam Salomes, quæ matris quàm mariti amantior, multas in Herodis familiam turbas, & clades invexit.

*Druſi in Germania res geſta.*

Hic annus qui Conſules habuit Fabium Maximum, & Q. Ælium Tuberonem, Prætorem quoque Urbanum vidit fratrem Tiberii Druſum, qui mox in Germaniam rediit, ubi licet rem bene contra Uſipetas geſſiſſet, & ad Viſurgim uſque fluvium duxiſſet exercitum, ſummum tamen periculum adiit in loco concavo, & anguſto ab hoſte concluſus, unde eum duntaxat hoſtium temeritas, & Romanorum contemptus eripuerunt. His compreſſis, ut diuturnius eis jugum imponeret caſtellum ad Aliſonis, & Luppiæ confluentias communivit, & aliud in Chattis ad Rhenum fluvium, quibus aſſiduè vexarentur.

*Germanicarum mulierum furor.*

Quis autem fuerit earum gentium in bellis furor, inde patet, quod mulieres caſtra propugnantes deficientibus telis in Romanorum ora priùs colliſos humi liberos projicerent, in ſingulis filiorum necibus bis parricidæ.

*Tiberius vincit Dalmatas, & Pannonios.*

Tiberius quoque Dalmatas, & Pannonios, ſimul utriſque illato bello, perdomuit, ac redegit in ſuam poteſtatem, quare tum huic quàm fratri Druſo honores triumphales decreti: Imperatoris autem nomen utrique à milite datum Auguſtus improbavit, ut rebus geſtis majus, & amplius.

*L. Piſonis res geſta.*

Eodem quoque tempore L. Piſo, qui tum Pamphiliæ præerat, in Thraces, eorumque ducem Vologæſum natione Beſſum primò parum feliciter pugnavit, mox fortunatiùs, adeò ut eum expugnaret; ſic Aſiæ ſecuritatem, Macedoniæ pacem, Thracibus quietem attulit, ideò magnis auctus honoribus, & amplioribus dignior.

OLYMP. CXCII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 4044. 744.

*Herodis opera.*

Abſolutis hoc anno ab Herode Cæſareâ & Sebaſte, renovavit quoque oppidum Capharſalama, dixitque de Patris nomine Antipatrida, ut caſtrum Cypron in gratiam matris, & alia ejuſdemmodi opera, quæ à Joſepho, non ſine [illegible] ſuſpicione, commemorantur.

*Herodis turbata domus.*

Verùm ejus domus inteſtinis eſt turbata motibus, per Salomen & Pheroram qui veriti ne Herodis ex Mariamne filii maternæ necis ultores exiſterent, ab iis incautis, & imprudentibus exprimebant voces in Mariamnes interfectores, quibus Herodes ipſe involvi videbatur. Quæ cum ad patrem malitioſè relata eſſent, ipſe ut filiorum retunderet animos, Antipatrum quaſi deſignatum ſucceſſorem Romam miſit, & impenſiùs commendavit Auguſto: quo facto dum familiæ ſuæ vult odium reſtinguere, magis inflammavit.

*Ara Lugdunenſis Auguſto poſita.*

Conſules hujus anni fuere Julius Antonius Africanus, filius M. Antonii Triumviri, & pater Lucii Antonii, qui poſteà ob adulterium Iuliæ cæſus eſt. Iulio datus eſt collega Q. Fabius Maximus; quo anno ſtatuta Auguſto à 40. Galliæ populis Ara Lugdunenſis: natus Claudius, Imperator quartus ab Auguſto: mortua denique Octavia ſoror Auguſti anno ætatis 54. ab eodem Auguſto funebri oratione laudata. Sicque lætis triſtia permixta ſunt.

Iani quoque templum tum clauſum eſt, ſed ſubinde reſeratum Dacis in Pannonias per Iſtrum frigore concretum tranſgreſſis, & propter Dalmatas, ob exactum acerbiùs tributum, rebellantes: hos compreſſit Tiberius, ſicut tumultuantes Germanos Druſus, quorum oculi ſatis erant ad populos iſtos retundendos, quos crebræ eorum Ducum victoriæ exuiſſe ferociâ videbantur.

OLYMP. CXCII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 4045. 745.

Inſignis eſt hic annus Claudii Druſi Neroni morte ac Conſulatu, cui datus eſt collega L Quintius Criſpinus. Druſus autem bellum contra Chattos & Cheruſcos feliciter gerens, ho ſtem frequenter cæſum in intimas penitus ſoli tudines egit, nec perſequi deſtitit, donec ſpecie mulieris Barbaræ, humana major, eum ulteriu tendere prohibuit, Latio uſa ſermone, quod eju operum, ac vitæ terminus inſtaret. Itaque du redit antequam perveniret ad Rhenum, mortuu eſt intra 30. dies, anno ætatis item trigeſimo, ſe morbo, ſeu ex fracturâ, equo ſupra crus eju collapſo. Accurrit ad eum ex vicino Tiberiu ſed eum efflantem animam reperit, ejuſque co pus retulit Romam, ibidemque laudavit, ſicu & Auguſtus ipſe fecit. Magnificentiſſimè ſe pultus eſt in Auguſti ſepulcro, inditumque ej familiæ Germanici nomen. Fuit autem Aug ſto acceptiſſimus, cujus & filius jactabatur, nimiam ejus cum Livia conſuetudinem, certè dignum præclarè factis præbuerat, qui Auguſt quaſi filius, hæreſque ſuccederet.

OLYMP. CXCIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 1. 4046. 746.

Herodes hoc anno filios ſuos accuſaturus Italiam venit ad Auguſtum, eumque Aquile reperit. Sed ſtatim agnovit ſagaciſſimus Cæ calumniam, & innocentiam filiorum, quos pr bè noverat, utpote apud ſe educatos, idque corum lacrymis, & oratione detexit. Itaq litem hanc ſapienter diremit, filiis ad patris p des juſſis accedere, quod non ita ſe geſſiſſent, patri ſuſpicionem omnem tollerent, Herode iam molliter increpito, quod id temerè de bo liberis ſuſpicatus eſſet. Tum inter ſe mun bus Auguſtus, Herodeſque certarunt; hic H roſolymam redit, ubi in concione dum ſuos minat hæredes, ſopitam invidiæ flammam prudentiſſimè accendit, quæ tres ejus filios p didit.

Conſulibus C. Marcio Cenſorino, & C. nio Gallo, menſi Sextili inditum eſt Auguſti

m

…n, quod ipſe probavit, quia hoc primùm …enſe ipſe factus eſſet Conſul, multaſque victo…s retuliſſet. Neque enim deerant aliqui, qui … nominis tribuere vellent Septembri, quod …c menſe natus eſſet. Tum quoque ab Augu… correctum eſt Kalendarium, culpâ Pontifi…n depravatum, ac duodecim anni ſine Biſſex… menſe abire juſſi ſunt; quia intra triginta ſex …os dies duodecim pro novem intercalarant, …oniam interferebant diem quadriennio in…ante, non autem abſoluto. Simulavit quo… tum Cæſar deponere principatum, certè …cto decennio, in novum decennium eum ſu…pit, quem nonniſi cum vitâ poſiturus e…

Tum etiam idem condidit luſtrum quo cenſa … civium Romanorum capita quadragies …tum & ducenta triginta millia.

Hoc item anno Tiberius trajecto Rheno Bar…os ita terruit, ut ad eum omnes præter Chat…ios mitterent legatos de pace; quam non …etrarunt tamen, quia ad tempus tantùm & …repararent vires, eam flagitare videban…

Obiit etiam hoc anno Mecœnas litteratorum …ſidium & decus, cujus etiam nomen ad eos …ſiit, qui viros eruditos amant, ac fovent. … is in primis charus Auguſto, ejuſque fortis …onitor, quem etiam ſcripſit hæredem, vir …mbitione alienus, utpote qui in Equeſtri …ine conſenuerit, ſed ſibi corporique ſuo par…m indulgentior.

Neque diu ſuo Mecœnati ſupervixit Hora… Flaccus Poëta Lyricus: obiit enim non æta… …nno 60. ut aliqui, non 50. ut alii, ſed 57. biſ… Conſulibus. Vir ingenio melior, quàm vi…ujus tumulo inſcribi potuit, eo non repu…nte, *Epicuri de grege Porcus*, & qui omnia …uia, quamdiu vixit, præter ingenium ada…it.

OLYMP. CXCIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 2. 4047. 747.

…ertinet ad hunc quod ſcribit Joſephus de …idis ſepulchro ab Herode refoſſo, ſpe pecu… apertiſque conditoriis Davidis & Salomo…, quando Regis hujus cupiditas flammâ ex …s prodeunte, & duobus ejus ſatellitibus ſuf…tis repreſſa eſt; quare idem Rex in aditu ſe…hri monimentum poſuit; quod nonnulli …mentum Antiquarii hujus Judæi meritò ſu…ntur.

…terum concitatæ ſunt in Herodis domo tur…per Antipatrum, qui fratres ſuos apud patrem …icionibus obnoxium, criminatus eſt, unde …, eorumque uxores Rex ſenex averſatus eſt: …d dum illi moleſtiùs ferunt, & verba effu…t domi non concocta ſatis, ea delata ad pa…n & amplificata, hunc propè ad inſaniam u… exacerbarunt. Quare Alexandrum dedit …incula, quæ tamen induſtriâ ſuâ, & apien…regit ſocer Archelaus, qui & totam Herodis …onciliaſſet domum, niſi fuiſſet ſedes malitiæ, …iquitatis.

Conſulatum hoc anno geſſit Tiberius Claudius Nero ſecundum, cum collegâ Cn. Calpurnio Piſone, quo idem Tiberius veteri more de Germanis triumphavit, deditque epulum Senatui in Capitolio, Livia mater ſeorſim Matronis. Mox tamen novis coortis motibus in Germaniam rediit. Auguſtus Romæ in memoriam Agrippæ edidit Gladiatorum munus, in quo pullati omnes ſpectatores, præter unum Auguſtum, crudelem oculis voluptatem hauſerunt. *Tiberius de Germanis triumphat.*

OLYMP. CXCIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 3. 4048. 748.

Herodes hoc quoque anno Romam venit, ſed quid geſturus incompertum tacente Ioſepho à quo tantùm de rebus illis geſtis poſſumus edoceri. In Iudæam cum rediiſſet à latrunculis vexatus eſt, receptatore Syllæo. Injuriam detulit ad Saturninum & Volumnium præſides ab Auguſto miſſos, & ſimul ſexaginta talenta mutuo Arabiæ Regi data Præſides ab Herode pronunciarunt, quorum ſententiæ acquieſcere Syllæus noluit. Ergo permittentibus præſidibus cum exercitu in Arabiam Herodes irrupit, caſtellum latronum cepit, eorumque ducem interemit. Quæ cum Auguſto renunciata eſſent, immò amplificata per Syllæum, excanduit Auguſtus, quod Herodes extra regnum ſuum duxiſſet exercitum, verùm Imperatoris ira ultra minaces, & acerbas litteras non proceſſit. *Auguſtus iratus Herodi.*

Conſulibus D. Læbio Balbo, & C. Antiſtio Vetere, Auguſtus ut Caji, & Lucii Cæſarum audaciam reprimeret, qui in nobili fortunâ educati majores animos ſumebant, petitis etiam ante tempus Conſulatibus, Tiberio in quinquennium Tribunitiam poteſtatem conceſſit, ſimul & Armeniam deficientem mandavit: Quod eorum iram in Tiberium accendit. Hanc ille naturâ ſagax ſubodoratus, ſeceſſit Rhodum quaſi diſciplinæ cauſa, reverâ ut ſe eorum oculis, & manibus ſubduceret, quos norat omnia impunè poſſe. Stimulos etiam addidit Iulia libidinoſa mulier, cujus jam improbos, fœdoſque mores, neque ferre poterat, neque diſſimulare. *Cajus & Lucius inſoleſcunt.* *Tiberius Rhodum ſeceàit.*

OLYMP. CXCIII. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 4049. 749.

Herodem vexabant Arabes, nec ille Auguſti metu audebat repugnare. Ejus enim legati Romam miſſi, primum repulſi, deinde re infectâ redierant ſine honore dimiſſi. Ejus quoque domus magis turbabatur in dies opera Euryclis Lacedæmonii qui ſe in filiorum gratiam inſinuans omnem Herodis domum perdere ſtatuerat. Dantur itaque in vincula Alexander, & Ariſtobulus, quaſi patri tetendiſſent inſidias. Hi cum falſi eſſent ſe tantùm ad Archelaum meditatos fugam, quâ ſe ab iis tumultibus expedirent, Herodes & filios Archelaum apud Cæſarem accuſare decernit per Nicolaum Damaſcenũ, quem legatum mittebat Romam, virum non eloquentem modò, ſed & prudentem, cujus opera Herodes Auguſto reconciliatus eſt. *Herodem vexant Arabes.* *Magis turbatur domus Herodis.*

*Chius togam virilem sumit.*

Augustus Consulatum duodecimum cum L. Cornelio Sylla gessit, ut Cajum Cæsarem annos sexdecim natum majori pompâ in forum deduceret, eique virilem togam daret, quod 17. Martii seu 16. Kal. Aprilis præstitit. Mox Tiberius secessit Rhodum. Cum autem auditâ Augusti adversâ valetudine nonnihil in orâ Campaniæ substitisset, veritus Cæsares, quasi nuncios expectaret de morte Augusti, ut arriperet imperium, etiam adversâ tempestate solvit, & appulit in insulam, cujus amœnitate captus erat, & cui debere volebat suam incolumitatem.

OLYMP. CXCIV. *ann.* 1. *Mundi* 4050. Urb. Cond. 750.

*Herodi reconciliatur Augustus.*

Herodi hoc anno omnino reconciliatus est Augustus operâ Nicolai Damasceni, qui primo aspectu non est professus Herodis defensionem, ne rejiceretur, sed accusationem Syllæi, quam ita adoravit, ita convicit hominem, aliunde nequam, ut is à Cæsare capitis damnaretur. Insinuavit tamen idem Nicolaus quomodo Herodem homo perfidus circumvenisset; quibus permotus Augustus illum recepit in gratiam, factâ insuper ei potestate in filios animadvertendi. Cogit Herodes concilium Beryti, sed omittit Archelaum, qui judex apponebatur à Cæsare cum cæteris Herodis amicis. Itaque Herodes simul agens accusatorem & judicem, alios assessores impulit ad injustissimam sententiam, quâ damnati sunt capitis juvenes ob frivolas conjecturas. Tum iidem Tyrum translati, inde Sebastem, ubi Herodis jussu strangulati sunt, & in Alexandrio sepulti, matris Mariamnes innocentiæ, & calamitatis hæredes infortunati.

*Herodes filios suos addicit neci.*

*Tiberius Rhodi modestè vivit.*

Hoc anno, qui Consules vidit C. Calvisium secundùm, & L. Passienum Rufum, seu Ruffinum, Tiberius modestè & humaniter degebat Rhodi, modicis ædibus inhabitans, & nihil à privato dissimilis, gymnasia frequentabat, mutua cum Græculis ex æquo usurpans officia, sapienterque se demittens, ut altiùs assurgeret.

---

## CAP. VI.

## *Decas Sexta.*

### *Ab anno* 4050. *ad* 4053. *seu Christum natum.*

OLYMP. CXCIV. *ann.* 2. *Mundi* 4051. Urb. Cond. 751.

*Antipater in patrem conspirat.*

Romæ Consulibus Cneo, vel Lucio Cornelio Lentulo, & M. Valerio Messalino, Antipater jam hæreditatis securus, filiis Mariamnes exterminatis, rapere, quàm expectare maluit regnum Judæorum. Ac primùm devincire conatus est sibi Saturninum tum Præsidem Syriæ, & Salomem Sororem Herodis, & utrumque magnis muneribs perfecit. Cumque videret Herodem bene affectum in filios demortuorum Alexandri, & Aristobuli, eum perdere decrevit, ne ejus in se benevolentia infida esset, & inconstans. Quod ut faciliùs præstaret, effecit apud amicos patris, ut Romam evocaretur ab Augusto. Eò itaque missús est à patre cum regio comitatu, & magnis muneribus, quæ posse omnia apud Romanos jampridem Rex ingeniosus agnoverat. Misit cum eo quoque testamentum suum Romam, quo Rex Antipater scribebatur, aut is si prior fato fungeretur, Herodis filius ex Mariamne Simonis Pontificis filiâ. Sic senex incautus viperam fovebat in sinu, quæ de ejus tantùm morte cogitabat.

OLYMP. CXCIV. *ann.* 3. *Mundi* 4052. Urb. Cond. 752.

Frater Herodis Pheroras hoc anno sublatu
est veneno, quod ei per Doridem Antipat
matrem mixtum erat, filio suo moribus, 
importunitate geminam atque similem. N
que hoc veneno contentus Antipater, etia
aliud offerri curavit patri suo per procuratore
suum. Ferunt & Mariamnem posteriore
Herodis uxorem, hujus veneni consciam fuis
atque participem, ideoque filium ejus ex t
stamento patris obliteratum esse, ac patre
Simonem Pontificatu exautoratum, substitu
huic Matthiâ Theophili filio. Hæc per libe
tos Pheroræ detecta sunt, cum jam Antipa
aliud venenum potentius ad patrem necandu
per Bathyllum libertum misisset. Quo te
pore & duos alios filios Herodis educatos Ron
apud patrem calumniis perdere nitebatur, q
bus omnibus & præsens, & præterita Anti
tri nequitia detecta est. Pater igitur quanqu
eum capitaliter oderat, fingebat amare tam
& malevolentiam suam callidè dissimulab
donec eum haberet in potestate, & secur
videret paratam in sceleratissimum caput
tionem.

Augustus hoc anno decimum tertium C
sulatum iniit, cum M. Plautio Sylvano,
suffectus est C. Caninius Gallus. Hunc au
magistratum in hunc annum sibi seposu
Cæsar, ut Lucium nepotem in Forum, ad V
lem togam deduceret, quam celebritatem r
tis ludis, atque spectaculis celebravit. Iis or
bus præcelluit Naumachia, aquâ in circum
minium inductâ, in qua triginta sex Croc
concisi, plurimæ triremes, ac triginta rost
naves depugnarunt, spectaculo tam crud
quàm inusitato.

Inter has voluptates fœda tempestas A
sti domum concussit. Filiæ enim ejus Ju
absente Tiberio, libidines, eruperunt, q
involuti aliquot viri nobiles, capite luer
inter quos L. Antonii filius, Triumviri n
Id adeò pupugit Augustum, ut præ pudor
publico caruerit, & de ea necanda consul
Certè hanc relegavit in insulam desertam
vino, ac delicatiori omni cultu interdixit

uitque ad eam ullum liberum, aut servum, se
nconsulto accedere. Eadem quoque à marito
Tiberio, Augusti autoritate, repudiata est. Ita-
que nobilissima mulier, Imperatoris filia, Cæsa-
um mater, eò dejecta est, ut non aliter, quàm
arcinoma domus suæ ab Augusto patre voca-
etur.

Non ita multò post missus est in Orientem
Cajus Cæsar, ad res Armeniæ componendas,
uam Parthus invaserat. Juveni rector adjun-
tus est M. Lollius, comesque additus Sulpi-
us Quirinius, aliter Cyrinus, qui brevi ex ho-
orario socio, Lollio demortuo, factus est Caji
oderator, ex provisione, uti creditur, Augusti.
um Cajus Rhodum ad vitricum suum accessit,
que submisit sese, ut Paterculus scribit. Alii
ontra narrant Tiberium ad Cajum venisse in
sulam Samum, eumque à se alienatum exper-
im esse, ex criminationibus M. Lollii. Utut
res habuerit, pervenit tandem in Syriam
ajus, ubi Judæorum templum adire neglexit,
uod plurimùm probavit Augustus. Ubi autem
raates nobilem adolescentem, & in quo vi-
re videbatur Augustus, sibi viciniorem sen-
, veritus turbas in regno suo, dum alienum
vadit, Armeniâ cessit; sicque inter Romanos
Parthos, non telis & cæde, sed poculis, con-
viisque certatum est.

Hoc quoque anno Joannes Christi Prodro-
us denunciatus est ab Archangelo Gabriele
achariæ, non summo Pontifici (ut quidam
agni viri putaverunt) sed Sacerdoti de vice
biæ, cui ex sorte obtigerat incensum offerre.
uic nuncio cum fidem non adhibuisset senex,
um linguæ perdidit, quem non nisi filio nato
cepit. Concepit autem Elizabeth, 24. Sep-
mbris Joannem, virum magnum, etiam ore
ei cæteris hominibus antiquæ legis antepos-
m, & utriusque Testamenti Veteris, ac Novi
rizontem.

Sub anni quoque hujus finem Beata Virgo S.
sepho à Sacerdotibus desponsata est, qui pau-
post cum eâdem verum ratumque matrimo-
um contraxit, *non permixto sexu, sed custo-
to mentis affectu.* Itaque Josephus Virginis
rè maritus fuit, quanquam ea priùs virgini-
tem vovisset Deo. Quod cum negant aliqui SS.
tres, solam carnis commixtionem excludunt.
sephus autem erat de Tribu Juda, virgo, &
atis commodæ, ad multos labores Christi cau-
, ejusque matris, obeundos. Qui autem octo-
enarium, & viduum eum fuisse putant, loquun-
r quidem cum plurimis SS. Patribus; sed eo-
m jam est explosa sententia; & in hoc ne-
otio, cum paucis emunctæ naris, quàm cum
ultis, minus accuratis, sentire licet.

OLYMP. CXCIV. *Mundi* Urb. Cond.
*ann.* 4. 4053. 753.

Antipater in Judæam advocatus à parente,
uasi ad regnum revolat, venitque Hierosoly-
am, cùm in hac urbe jam esset Quintilius Va-
us, Saturnino in Syriam successor missus. Se-
ebat is cum Herode quando supervenit Anti-
pater, qui patrem exosculari conatus, rejectus
est cum furore, audiitque fremens se parricidii
reum, & Varum sui criminis in sequentem diem
quæsitorem. Postridie ergo parati veneni fa-
ctum est periculum, excussaque capita omnia
accusationis, quibus ipse convictus in carcerem
detrusus est, summaque judicii Cæsari signifi-
cata est. Ob tantam filii improbitatem, totque
sceleribus cumulatam pater septuagenarius in
morbum incidit, neque satis miser intellexit,
ferè semper ex malo ovo, malum corvum pro-
generari.

Hoc anno 8. Kal. Aprilis seu 25. Martii, mis- *Gabriel ad B. V. missus.*
sus est à Deo Gabriel Archangelus Nazarethum,
in domunculam ad B. Virginem, ut ab ea pete-
ret utrum Dei mater esse vellet. Hæc cum pru-
denter & demissè respondisset, ac præstitisset
assensum, in ejus castissimis visceribus, opera
Spiritus sancti ex purissimo ejus sanguine Deus
homo formatus est, rationis compos, omnibus
naturæ, ac gratiæ donis exornatus, Angelorum
hominumque caput & rector, & cui acceptam
referre debent felicitatem, quotquot creati ævo
sempiterno perfruentur.

Non ita multò post eadem Virgo ad cogna- *B. Virgo visitat Elizabetham*
tam Elizabetham, in montana Judææ festina
perrexit, quam ubi salutavit, qui latebat in vi-
sceribus ejus infans exsiliit, dominique sui præ-
sentiam testatus, & ejus antecessor, ac Prophe-
tes, etiam vaticinii spiritum inspiravit matri.
Mansit autem hîc Maria tribus ferè mensibus,
& in ipso partu, qui 24. Junii contigit, ei ne-
quaquam defuit, cujus gratiâ tam longum iter
susceperat. Eâ demum purgatâ, & valetudini
restitutâ in domum suam Virgo ad Josephum
rediit, à quo facultatem peregrinationis & mo-
ræ, plena demissionis uxor obtinuerat.

Verùm ad eum magnam doloris, & pertur- *S. Josephi ob B. V. prægnantem anxietas.*
bationis causam retulit; vidit enim uxorem
suam uterum ferre, conscius ipse suæ continen-
tiæ. Itaque ne eam repudiare, & judicibus
castigandam offerre cogeretur, quam aliundè
castissimam noverat, deserere cogitat. Sed id
ne faciat in somnis deterretur ab Angelo, &
qualis ac quantus infans in uxoris utero lateat,
ediscit. Quare, qui antea Virginem ut spon-
sam castissimam dilexerat, eam ut parentem
Dei sanctissimam, religiosiùs deinceps vene-
ratus est.

Consulibus Cosso Cornelio Lentulo, & L. *Descriptio sub Cyrino.*
Calpurnio Pisone Palæstina descripta est à Sul-
pitio Quirino, seu Cyrino, Caji moderatore, &
aliqua pecunia omnibus Judæis in singula ca-
pita pronunciata, quâ bello Parthico, saltem in
speciem, provideretur. Hanc descriptionem
licet non impetrasset Augustus, ejus tamen no-
mine vulgata est. Jactatumque omnibus gen-
tibus Imperio Romano subditis communem
esse, ne Judæi ad rebellionem proclives, tumul-
tuarentur. Cunctis igitur Judæis proficiscen-
tibus in urbes assignatas tribubus suis, Joseph *Venit B. Virgo Bethlehemum.*
cum conjuge prægnante Bethlehemum perrexit,
frustraque quæsito hospitio (advenis enim ur-
becula

becula refertissima erat) sponsam suam partui vicinam, in speluncam urbi conjunctam adduxit, in quam animalia, hominesque, noctu muros subire prohibiti, divertere solebant. In eo loco cœli terræque Regina, sine dolore filium suum atque Deum peperit, uti sine voluptate conceperat, & pannis involutum, substrato fœno in præsepio ligneo, lutatoque reposuit. At ne rigeret frigore (erat enim 25. Decembris) fovendum anhelitu bovis, & asini subjecit. Dum autem sic abjectus Dei filius lateret inter brutas animantes, Angelorum chorus in aëre ejus occinebat laudes, quorum à vocibus admoniti Pastores speluncam adierunt, collustratique divino lumine, coluerunt ut Deum, quem infra mortalium conditionem devolutum egestas abjecerat. Nos quoque iisdem opilionibus adjuncti, & stupore defixi tantisper hærebimus, & tacente Dei Verbo, ad tomum usque secundum, religiosum nobis silentium indicemus.

*Parit Christum in stabulo.*

*F I N I S.*



A N

# ANNALES
# MUNDI,
*SEU*
# CHRONICON
# UNIVERSALE.
# TOMUS SECUNDUS

A CHRISTO NATO ad annum ejuſdem 1663. exeuntem.

AUTORE
*HILIPPO BRIETIO*
ABBAVILLÆO
*Societatis JESU Sacerdote.*
Cum ſupplemento uſque ad annum 1692.

## TOMI SECUNDI
ΓΡΟΘΕΩΡΙΑ.



*Vanquam longè pauciores anni decurrant à Natalibus Chriſti ad hac noſtra tempora, quàm qui ab Orbe condito ad hanc nobilem Epocham, & utriuſque hiſtoriæ* ὁρίζοντα *defluxere: nihilominus coacti ſumus Tomum iſtum alterum & ſpiſſiorem edere, & ut membra ejus ſingula eſſent* εὔμετα χείριστα, καὶ χειροπληθῆ, *illum in plures partes, & corpora ſeparare. Fecit id ubertas materiæ, & rerum, quæ nos propiùs attingunt cognitio longè diſtinctior, & accu-r: quam qui revocare vellet ad antiquam notitiam, eamque contrahere ad ejus for-, quæ nobis à veteribus ſcriptoribus tradita eſt, ignoraret profectò perfici ſæcula, & -minuuntur lapſu temporis corpora, ſic & ingenia magis corroborari.*

*Porrò in quatuor partes Tomus iſte ſecundus diſtribuetur, quibus dabunt ini- celeberrimæ quatuor Epochæ,* Chriſtus naſcens, Francus regnans, Chriſtianus -alens, Conſtantinopolis Mahumetana.

*PRIMA ab exorto Chriſto, vel potius Circumciſo ad naſcentem Francorum Mo- -iam, & Pharamundum his imperantem (hoc eſt à vivente primùm Chriſto ad annum 420.) progredietur.*

*SECUNDA ab his Francici Regni cunabulis, ad primam, & celeberrimam eo- -em Francorum, Godefrido Bullionio Duce, in Palæſtinam expeditionem, ſeu ab 420. ad 1095.*

*TERTIA à felici hac* ἀναβάσει *Chriſtianorum inchoata, ad infortunatam ſub -humete II. & Turcis cladem, capta Conſtantinopoli, hoc eſt ab anno 1095. ad deducetur.*

*QVARTA denique, & quæ verè noſtra dici poteſt, cujus aliqua vidimus, -ſtes* αὐτόπται *ſumus, ab Imperii Orientalis hoc funeſto interitu (hoc eſt ab anno ſa- 1453. ad 1663. præſentem, ac propè labentem) promovebitur; verùm ea ubique fide, -acilitate, ut in hoc opere neque veritas, neque perſpicuitas, quæ duæ ſunt præcipuæ vir- -s hiſtoriæ, uſpiam à nobis deſideretur.*

SYN-

# SYNOPSIS ILLUSTRIUM HOMINUM DE QUIBUS SÆPIUS AGETUR IN HOC TOMO.

## *ROMANI PONTIFICES.*

### SÆCUL. I.

S. Petrus.
S. Linus.
S. Cletus.
S. Clemens.

### SÆCUL. II.

S. Anacletus.
S. Evariſtus.
S. Alexander.
S. Sixtus I.
S. Teleſphorus.
S. Higinus.
S. Pius I.
S. Anicetus.
S. Soter.
S. Eleutherius.
S. Victor I.

### SÆCUL. III.

S. Zephyrinus.
S. Calliſtus I.
S. Urbanus I.
S. Pontianus.
S. Anterus.
S. Fabianus.
S. Cornelius.
S. Lucius.
S. Stephanus I.
S. Sixtus II.
S. Dionyſius.
S. Felix I.
S. Eutychianus.
S. Cajus.
S. Marcellinus.

### SÆCUL. IV.

S. Marcellus I.
S. Euſebius.
S. Melchiades.
S. Sylveſter I.
S. Marcus.
S. Julius I.
Liberius.
S. Felix II.
S. Damaſus.
Siricius.
S. Anaſtaſius I.

### SÆCUL. V.

S. Innocentius I.
S. Zozimus.
S. Bonifacius I.
S. Cœleſtinus I.
S. Sixtus III.
S. Leo I.
S. Hilarus.
S. Simplicius.
S. Felix III.
S. Gelaſius I.
Anaſtaſius II.
S. Symmachus.

### SÆCUL. VI.

S. Hormiſdas.
S. Joannes I.
S. Felix IV.
Bonifacius II.
Joannes II.
S. Agapetus.
S. Silverius.
Vigilius.
Pelagius I.
Joannes III.
Benedictus I.
Pelagius II.
S. Gregorius I. ſeu Magnus.
Sabinianus.

### SÆCUL. VII.

Bonifacius III.
Bonifacius IV.
S. Deuſdedit.
Bonifacius V.
Honorius I.
Severinus.
Joannes IV.
Theodorus.
S. Martinus.
S. Eugenius I.
S. Vitalianus.
Adeodatus.
Domnus I.
S. Agatho.
S. Leo II.
S. Benedictus II.
Joannes V.
Conon.
S. Sergius I.

### SÆCUL. VIII.

Joannes VI.
Joannes VII.
Siſinnius.
Conſtantinus.
S. Gregorius II.
Gregorius III.
S. Zacharias.
Stephanus II.
Stephanus. III.
S. Paulus I.
Stephanus IV.
Hadrianus I.
Leo III.

S

## SÆCUL. IX.

Stephanus V.
S. Paſchalis.
Eugenius II.
Valentinus.
Gregorius IV.
Sergius II.
Leo IV.
Benedictus III.
Nicolaus I.
Hadrianus II.
Joannes VIII.
Marinus I.
Hadrianus III.
Stephanus VI.
Formoſus.
Stephanus VII.

## SÆCUL. X.

Romanus.
Theodorus II.
Joannes IX.
Benedictus IV.
Leo V.
Chriſtophorus.
ergius III.
Anaſtaſius III.
ando.
oannes X.
Leo VI.
Stephanus VIII.
Joannes XI.
Leo VII.
Stephanus IX.
Marinus II.
Agapetus II.
Joannes XII.
Benedictus V.
Joannes XIII.
Domnus II.
Benedictus VI.
Benedictus VII.
Joannes XIV.
Joannes XV.
Joannes XVI.
Gregorius V.
Sylveſter II.

## SÆCUL. XI.

oannes XVII.
oannes XVIII.
ergius V.
enedictus VIII.
oannes XIX.
enedictus IX.
Gregorius VI.
Clemens II.
Damaſus II.
S. Leo IX.
Victor II.
Stephanus X.
Nicolaus II.
Alexander II.
S. Gregorius VII.
Victor III.
Urbanus II.
Paſchalis II.

## SÆCUL. XII.

elaſius II.
alliſtus II.
onorius II.
nnocentius II.
œleſtinus II.
ucius II.
Eugenius III.
Anaſtaſius IV.
Hadrianus IV.
Alexander III.
Lucius III.
Urbanus III.
Gregorius VIII.
Clemens III.
Cœleſtinus III.
S. Innocentius III.

## SÆCUL. XIII.

onorius III.
regorius IX.
œleſtinus IV.
nocentius IV.
lexander IV.
rbanus IV.
Clemens IV.
Gregorius X.
Innocentius V.
Hadrianus V.
Joannes XX.
Nicolaus III.
Martinus II. ſeu IV.
Honorius IV.
S. Cœleſtinus V.
Bonifacius VIII.

## SÆCUL. XIV.

enedictus XI.
lemens V.
oannes XXI.
Benedictus XII.
Clemens VI.
Innocentius VI.
Urbanus V.
Gregorius XI.
Urbanus VI.
Bonifacius IX.

## SÆCUL. XV.

nocentius VII.
regorius XII.
lexander V.
oannes XXII.
Martinus III.
ſeu V.
Eugenius IV.
Nicolaus V.
Calliſtus III.
Pius II.
Paulus II.
Sixtus IV.
Innocentius VIII.
Alexander VI.

## SÆCUL. XVI.

us III.
lius II.
eo X.
adrianus VI.
Clemens VII.
Paulus III.
Julius III.
Marcellus II.
Paulus IV.
Pius IV. Pius V.
Gregorius XIII.
Sixtus V.
Urbanus VII.
Gregorius XIV.
Innocentius IX.
Clemens VIII.

## SÆCUL. XVII.

eo XI.
aulus V.
regorius XV.
Urbanus VIII.
Innocentius X.
Alexander VII.
Clemens IX.
Clemens X.
Innocentius XI.
Alexander VIII.
Innocentius XII.

# IMPERATORES ROMANI.

## SÆCUL. I.

Julius Cæſar.
Auguſtus.
Tiberius.
Cajus Caligula.
Claudius.
Nero.
Galba.
Otho.
Vitellius.
Veſpaſianus.
Titus.
Domitianus.
Nerva.

## SÆCUL. II.

Trajanus
Hadrianus.
Antoninus Pius.
M. Aurelius Philoſophus.
Lucius Verus.
Commodus.
Pertinax.
Didius Julianus.
Severus.

## SÆCUL. III.

Caracalla.
Macrinus.
Alexander Severus.
Maximinus.
Pupienus & Balbinus.
Gordianus.
Philippus.
Decius.
Gallus, & Voluſianus.
Valerianus.
Galienus.
Claudius II.
Quintillus.
Aurelianus.
Tacitus.
Florianus.
Probus.
Carinus.
Carus, & Numerianus.
Diocletianus.
Maximianus Herculius.

## SÆCUL. IV.

Conſtantius Chlorus.
Galerius Maximianus.
Conſtantinus Magnus.
Maximinus in Oriente.
Maxentius in Occidente.
Licinius.
Conſtantinus Junior.
Conſtans.
Conſtantius.
Julianus Apoſtata.
Jovianus.
Valentinianus, & Valens.
Gratianus.
Maximus Tyrannus.
Valentinianus Junior.
Theodoſius Magnus.
Arcadius, & Honorius.

## IMPERATORES OCCIDENTIS.

Honorius.

## SÆCUL. V.

Valentinianus.
Avitus.
Majorianus.
Severus.
Anthemius.
Olybrius.
Glycerius.
Julius Nepos.
Momylus, ſeu Auguſtulus,
In quo defecit Imperium Romanum in Occidente.

## IMPERATORES ORIENTIS.

Theodoſius Junior.
Martianus.
Leo Magnus.
Zeno.
Baſiliſcus.
Anaſtaſius.

## SÆCUL. VI.

Juſtinus Senior.
Juſtinianus Magnus.
Juſtinus II.
Tiberius.
Mauritius.

## SÆCUL. VII.

Phocas.
Heraclius.
Conſtantinus Heraclius.
Heracleonas.
Conſtans Junior.
Conſtantinus Pogonatus.
Juſtinianus Junior.
Leontius.
Tiberius Abſimarus.

## SÆCUL. VIII.

Artemius Anaſtaſius.
Theodoſius Adramitenus.
Leo III. Iſauricus.
Conſtantinus Copronymus.
Leo IV.
Conſtantinus Porphyrogenetus.
Irene.

## SÆCUL. IX.

Nicephorus Logotheta.
Stauracius.

Iichaël Curopalates.
eo Armenus.
Iichaël Balbus, ſeu II.
heophilus.
ichaël III.
ſilius Macedo.
o Philoſophus, ſeu VI.

SÆCUL. X.

exander II.
nſtantinus Porphyrogene-
us.
manus Leucapenus.
manus II.
ephorus Phocas.
nnes Zemiſces.
lius.
nſtantinus V.

SÆCUL. XI.

nanus Argyropitus.
haël Paphlago, ſeu IV.
haël Calephates, ſeu V.
nſtantinus Monomachus,
eu VI.
odora, & Zoë.
haël Stratonicus, ſeu VI.
us Comnenus.
ſtantinus Ducas.
nanus Diogenes, ſeu III.
haël Ducas, ſeu Parapina-
us, & VII.
phorus Botoniates.
ius Comnenus I.

SÆCUL. XII.

Comnenus, ſeu Calo
annes.
ël Comnenus.
us Comnenus II.
onicus Tyrannus.

Iſaacius Angelus, ſeu III.

SÆCUL. XIII.

Alexius Angelus, ſeu IV.
Alexius V. Ducas, qui & Mar-
zuphlus.

IMPERATORES
Orientis Franci.

Balduinus I.
Henricus.
Petrus Antiſſiodorenſis.
Robertus.
Balduinus II.

IMPERATORES
Orientis Græci.

Michael Paleologus.
Andronicus Senior.
Andronicus Junior.
Joannes Cantacuzenus.
Joannes Palæologus.

SÆCUL. XV.

Manuel Palæologus.
Joannes Palæologus.
Conſtantinus VIII. ſub quo
capta Conſtantinopolis à
Mahomete anno Chriſti
1453.

ITALIÆ REGES
Gothi.

Odoacer.
Theodoricus.
Athalaricus.
Theodathus.
Vitiges.
Eldibaldus.
Eraricus.
Totilas.
Tegus.

## IMPERATORES OCCIDENTIS.

SÆCUL. IX.

lus Magnus.
vicus Pius.
arius.
vicus Junior, ſeu II.
lus Calvus, ſeu II.
lus Craſſus, ſeu III.
lphus.
o, ſeu Vido.
ertus.

SÆCUL. X.

vicus Bozonis, ſeu IV.
adus.
garius.
icus Auceps.

Otho Magnus.
Otho II.
Otho III.

SÆCUL. XI.

Henricus Claudus, ſponſus S. Kunegundis.
Conradus.
Henricus Niger, ſeu II.
Henricus Senior, ſeu III.

SÆCUL. XII.

Henricus Junior, ſeu IV.
Lotharius II.
Conradus III.
Fridericus Ænobarbus.
Henricus V.
Philippus.
Otho IV.

SÆCUL. XIII.

Fridericus II.
Henricus Raſpen. ſeu VI.
Guillelmus Hollandus.
Conradus.
Ricardus Anglus.
Alphonſus Hiſpanus.
Rodolphus Habſpurgenſis.
Adolphus Naſſovius.
Albertus.

SÆCUL. XIV.

Henricus Lutzemburgenſis.
Fridericus Auſtrius.
Lud. Bavarus, ſeu IV.
Guntherus Schwartburg.
Carolus Bohemus ſeu IV.
Venceslaus.

SÆCUL. XV.

Rupertus Parvus.
Sigiſmundus.
Albertus II.
Fridericus Auſtrius.
Maximilianus.

SÆCUL. XVI.

Carolus V.
Ferdinandus.
Maximilianus II.
Rudolphus II.
Matthias.

SÆCUL. XVII.

Ferdinandus II.
Ferdinandus III.
Leopoldus Ignatius.

# FRANCORUM REGES.

*MEROVINGI.*

SÆCUL. V.

Pharamundus.
Clodio.
Merovæus.
Childericus I.
Merovæus.

SÆCUL. VI.

Childebertus I.
Clotarius I.
Charibertus.
Chilpericus I.
Clotarius II.
Dagobertus I.
Clodovæus II.
Clotarius III.
Childericus II.
Chilpericus II.
Theodoricus I.
Clodovæus III.
Childebertus II.

SÆCUL. VIII.

Dagobertus II.
Chilpericus III.
Theodoricus II.
Childericus III.

*CAROLOVINGI.*

Pippinus Brevis.
Carolus Magnus.

SÆCUL. IX.

Ludovicus Pius.
Carolus Calvus, ſeu II.
Lud. Balbus, ſeu II.
Ludovicus III.
Carolomannus.
Carolus Craſſus, ſeu III.
Carolus Simplex, ſeu IV.

SÆCUL. X.

Lud. Transmarinus, ſeu IV.
Lotharius.
Lud. V. ultimus Rex Carolovingorum.

*CAPETII.*

Hugo Capetius.
Robertus.

SÆCUL. XI.

Hugo II.
Henricus I.
Philippus I.

SÆCUL. XII.

Lud. Craſſus, ſeu VI.
Philippus.
Lud. Junior, ſeu VII.
Philippus Auguſtus, ſeu II.

SÆCUL. XIII.

Lud. VIII. ſeu Leo.
S. Ludovicus.
Philippus Audax, ſeu III.
Philippus Bellus, ſeu IV.

SÆ

SÆCUL. XIV.

ld. Hutinus, seu X.
annes I.
ilippus V. seu Longus.
rolus Pulcher, seu IV.
ilippus Valesius, seu VI.
nnes II.
rolus Sapiens, seu V.
rolus Beneamatus, seu VI.

SÆCUL. XV.

rolus Victor, seu VII.
lovicus XI.
Carolus VIII.
Ludovicus XII. seu pop. Pater.

SÆCUL. XVI.

Franciscus I.
Henricus II
Franciscus II.
Carolus IX.
Henricus III.
Henricus Magnus, seu IV.

SÆCUL. XVII.

Ludovicus XIII.
Ludovicus XIV. seu Adeodatus.

## TURCICI PRINCIPES.

SÆCUL. XIV.

omanus, seu Osmanes.
hanes.
urathes Gazis.
zethes Gilderun.
hometes I.
urathes II.
hometes II. à quo capta Constantinopolis.
zethes II.

SÆCUL. XVI.

nus I.
manus II.
Selimus II.
Amurathes III.
Mahometes III.

SÆCUL. XVII.

Acsimetes. I.
Mustapha.
Osmanes.
Mustapha, iterum.
Amurathes IV.
Ibraimus frater, seu I.
Mahometes IV.
Solimanus III.

## CONCILIA GENERALIA.

ORIENTIS.

cænum I. anno Christi 325. de Arianis, & Pasch.
onstantinopolitanum I. 390. de Macedonianis.
hesinum 431. de Nestorio.
alcedonense 451. de Eutychete.
nstantinopolitanum II. seu V. Synodus, de 3. Capitulis.
onstantinopolitanum III. seu ut Synodus 680. de Monothelitis.
icænum II. 787. de Imaginibus.
onstantinopolitanum IV. seu VIII. Synodus contra Photium.

OCCIDENTIS.

teranense I. 1122. de *Palæstinæ* recuperatione.

10. Lateranense II. 1139. contra Schismata.
11. Lateranense III. 1179. contra Valdenses.
12. Lateranense IV. 1215. contra Albigenses.
13. Lugdunense I. 1245. contra Fridericum, & de Palæstina.
14. Lugdunense II. 1274. de conjunctione Græcorum, & Latinorum.
15. Viennense 1311. de Templariis extinguendis &c.
16. Florentinum 1449. de concordiâ Ecclesiæ Orient. & Occident.
17. Lateranense V. à 1512. ad 1517. ad extinguendum Schisma.
18. Tridentinum à 1545. ad 1563. contra hæreses Lutheri, Calvini &c.

# PATRES & SCRIPTORES GRÆCI.

SÆCUL. I.

Philo.
Josephus.
Hermes.
Clemens Papa.

SÆCUL. II.

S. Ignatius.
S. Polycarpus.
S. Dionysius.
S. Justinus.
S. Melito.
Athenagoras.
S. Theophilus Alex.
Tatianus.
Egesippus.
S. Irenæus.

SÆCUL. III.

Clemens Alexandrinus.
Julius Africanus.
S. Hippolytus.
Origenes.
Ammonius Alex.
S. Greg. Neocæs. Thaumaturgus.
S. Dionysius Alex.
S. Methodius Tyrensis.
S. Dorotheus Tyrensis.

SÆCUL. IV.

S. Antonius Magnus.
S. Pachomius.
S. Oresiesis.
S. Macarius Senior.
S. Athanasius.
Titus Bostrensis.
Dydimus Alex.
S. Cyrillus Hierosf.
Apollinarius.
S. Ephrem.
S. Basilius.
S. Greg. Nazianzenus.
S. Andreas Cæsariensis.
S. Epiphanius.
Philo Carpathius.
S. Gregorius Nyssenus.
Amphilochius.
Theophilus.
S. Joan. Chrysostomus.

SÆCUL. V.

Synesius.
S. Cyrillus Alex.
Theodoretus.
Proclus.
Socrates.
Sozomenus.
Isidorus Pelusiota.
S. Nilus.
S. Simeon Stylites.
Theodorus Presbyter.
Æneas Gazæus.
Gelasius Cyzicenus.
Theodulus Presbyter.

SÆCUL. VI.

Joannes Maxentius.
Leontius Byzantinus.
Anastasius Sinaita.
Procopius Gazæus.
Joannes Climacus.
Evagrius Scholasticus.

SÆCUL. VII.

Hesychius Hierosf.
S. Sophronius.
Jo. Moschus, seu Eviratus.
Leontius.
Antiochus Monachus.
S. Maximus Martyr.
Anastasius Nicænus.

SÆCUL. VIII.

S. Germanus Constantinop.
S. Joan. Damascenus.
Antonius Melissa.

SÆCUL. IX.

S. Nicephorus Constantin.
Simeon Metaphrastes.
Photius Constantinop.

SÆCUL. X.

Leo Sapiens.
Marcus Eremita.
Moses Bar-Cephas.

SÆCUL. XI.

Georgius Cedrenus.
Joannes Curopalates.
Theophylactus.
Oecumenius.
Olympiodorus.

SÆCUL. XII.

Euthymius Zigabenus.
Joannes Zonaras.

SÆCUL. XIII.

Nicetas Choniates.

SÆCUL. XIV.

Balahamus Hieracensis.
Nicephorus Callistus.
Nicephorus Gregoras.
Jo. Cabasilas.

SÆCUL. XV.

Laonycus Chalcondylas.
Georgius Scholarius.
Josephus Methoneasis.
Georgius Protosyncellus.

# PATRES & SCRIPTORES LATINI.

SÆCUL. III.

ertullianus.
inucius Felix.
Cornelius Papa.
Cyprianus.
ntius Diaconus.
Zeno Veronensis.
Victorinus.
nobius.
ctantius Firmianus.

SÆCUL. IV.

vencus Presbyter.
ius Maternus.
ifer Calaritanus.
Marius Victorinus.
Hilarius.
gorius Bæticus.
adius.
ianus.
Damasus.
stinus Diaconus.
mbrosius.
hilastrius.
ius Clarus.
Hieronymus.
finus.
adius Galata.
audentius Brixianus.
l. Prudentius.
hromatius.
rianus.

SÆCUL. V.

ugustinus.
aximus Taurinensis.
nius Poëta.
ulinus Nolanus.
tius Severus.
us Orosius.
dulius.
bius Emesenus.
cherius.
lianus Mamertus.
ius Apollinaris.
nes Cassianus.
ntius Lerinensis.
trus Chrysologus.
o Magnus.
arius Arelatensis.
sper.
bius Junior.
nus.
ius.
us Regiensis.
lis.
r Uticensis.
adius Massiliensis.
ius Pomerius.
asius Papa.
s Sapiens.
us Papa.
asius Diac. Card.

S. Cæsarius Arel.

SÆCUL. VI.

S. Fulgentius.
Ennodius Ticinensis.
Petrus Diaconus.
Ferrandus.
Eugippius Abbas.
Marcellinus Comes.
Alcimus Avitus.
Boetius Severinus.
Dionysius Exiguus.
Victor Africanus.
Aurelius Cassiodorus.
S. Victor Capuanus.
S. Justus Urgelitanus.
Arator.
Junilius.
Martinus Dumiensis.
S. Dacius Mediol.
Liberatus Diaconus.
Venantius Fortunatus.
Gregorius Turonensis.
S. Gregorius Magnus Papa.

SÆCUL. VII.

Jonas Anglus.
S. Isidorus Hispalensis.
S. Eligius Noviomensis.
S. Ildephonsus Toletanus.
S. Julianus Episc. Tolet.

SÆCUL. VIII.

S. Anthelmus.
Beda.
S. Bonifacius Mogunt.
Hadrianus Papa.
Paulus Diaconus.
Paulus Aquilejensis.
Eginhardus.
Albinus, seu Alevinus.

SÆCUL. IX.

Usuardus.
Apponius.
Paschasius Ratbertus.
Claudius Scotus.
Jonas Aurelianensis Episc.
Amalarius Fortunatus.
Nithardus.
Freculphus Lexoviensis.
Hilduinus Abbas.
Theodulphus Aurel.
Rabanus Maurus.
Strabus Fuldensis.
S. Eulogius Tolet.
Haymo.
Angelomus.
Valafridus Strabo.
Nicolaus I. Papa.
Anastasius Bibliothecarius.
Hincmarus.
Joannes Diaconus.
Aimoinus.

Ado Viennensis.
Remigius Antiliod.
Ambrof. Ansbertus.

S. Æ. C U L. X.

Idiota.
Rhegino Abbas.
Radulphus.
Luitprandus.
Witichindus.
Stephanus Æduenfis.
Frodoardus.

S Æ C U L. XI.

Fulbertus Carnotenfis.
S Burchardus Vormat.
Berno Abbas.
Glaber Rodulphus.
Hermannus Contractus.
S Leo IX. Papa.
Humbertus Card.
Petrus Damiani.
Lanfrancus Cantuar. Arch.
Adelmanus Brixienfis.
Guitmundus Averfanus.
S Anfelmus Lucenfis.
S. Anfelmus Cant Arch.
Anfelmus Laudunenfis.
Bertoldus.
Micrologus.
Marianus Scotus.
S. Bruno Carthuf. Pater.
Yvo Carnotenfis.

S Æ C U L. XII.

Leo Oftienfis.
Sigebertus.
Gaufridus, Vindocinenfis.
Rupertus Abbas Tuitienfis.
Algerus.
S. Bernardus.
Petrus venerabilis.
Hugo à S Victore.
Richardus à S. Victore.
Gratianus.
Petrus Lombardus.
Otho Frifingenfis.
Petrus Comeftor.
Theotianus.
Hugo Etherianus.
Arnoldus Carnotenfis.
Joannes Sarisberienfis.
Petrus Blefenfis.
Guillelmus Tyrius.

S Æ C U L. XIII.

Innocentius III.
Helinandus Monachus.
S. Antonius Patavinus.
S Raymundus de Pennaforti.
Jacobus à Vitriaco.
Alexander Alenfis.
Hugo de S. Caro.
Matthæus Parifienfis.
Martinus Polonus
Vincentius Bellovacenfis.
Henricus Card. Oftienfis.
Albertus Magnus.
Thomas Cantipratenfis.
S. Bonaventura.
S. Thomas Aquinas.
Petrus Tarentafienfis.
Guillelmus Durantes.
Ægidius Romanus.
Raymundus Lulius.
Henricus Gandavenfis.

S Æ C U L. XIV.

Joannes Duns Scotus.
Auguftinus Triumphus.
Petrus Aureolus.
Durandus à S. Portiano.
Guill. Ochamus.
Nicolaus Liranus.
Pelagius Alvarus.
Petrus Paludanus.
Guido Carmelita.
Ludolphus Cartufianus.
Joannes de Baccone.
Simon de Caffia.
Henricus Sufo.
Francifcus Petrarcha.
Gregorius Ariminenfis.

S. Æ C U L. XV.

Joannes Capreolus.
S. Vincentius Ferrerius.
Petrus de Alliaco.
Joannes Gerfon.
Thomas Valdenfis.
Auguftinus de Roma.
Paulus Burgenfis.
S. Bernardinus Senenfis.
Æneas Sylvius.
B. Laurentius Juftinianus.
Nicolaus de Cufa.
Dionyfius Carthufianus.
Thomas à Kempis.
Henricus Harphius.
Gabriel Biel.

S Æ C U L. XVI.

Robertus Gaguinus.
Sabellicus.
Joannes Trithemius.
Jo. Bapt. Mantuanus.
Jacobus Sannazarius.
Jo. Francifc. Picus.
Joannes Major.
Jo. Fifcherus Roffenfis Ep.
Thomas Morus.
Martinus Alpilcueta Navarrus.

S Æ C U L. XVII.

Baronius Cardinalis.
Bellarminus Card.
Francifcus Suarez.
B. Salefius.
Richardus Card.
Dionyfius Petavius, & innumeri alii.

# HÆRETICI PRÆCIPUI.

SÆCUL. I.

mon Magus.
icolaitæ.
enander.
turninus.
silides.
herinthus.
ion.

SÆCUL. II.

iliastæ.
ostici.
raocratiani.
jani.

SÆCUL. III.

lentinus.
rcion.
rmogenes.
ntanus, seu Cataphryges.
genes.
baptizantes.
vatiani.
elliani.
lus Samosatenus.
nes.

SÆCUL. IV.

atus.
s.
tinus.
cedonius.
omius.
us.
us.
llinarius.
ropomorphitæ.
idius.

SÆCUL. V.

illianus.
nianus.
lantius.
gius.
orius.
ches.
s Gnapheus, seu Fullo.

SÆCUL. VI.

s Halicarnasseus.
itæ.
bus Syrus.

SÆCUL. VII.

eni.
othelitæ, quorum parentes, Cyrus, & Sergius.

SÆCUL. VIII.

omachi.
Urgelitanus.
ndus.

SÆCUL. IX.

Claudius Taurinensis.
Michaël Balbus.

SÆCUL. X.

Hæresibus Caruit.

SÆCUL. XI.

Græci.
Berengarius.
Bogomiles.

SÆCUL. XII.

Petrus Bruisius.
Henricus.
Petrus Abailardus.
Arnoldus Brixiensis.
Cathari, seu Patareni.
Valdus, & Valdenses.
Petrus Joannis.
Almaricus.

SÆCUL. XIII.

Albigenses.
Guill. de Sancto Amore.
Fratricelli.

SÆCUL. XIV.

Beguardi, & Beguinæ.
Lollardus Gualterus.
Marsilius de Padua.
Joan. de Janduno.
Flagellantes.
Joannes Wicleffus.

SÆCUL. XV.

Joannes Huz.
Hieronymus Pragensis.
Pikardi.
Adamitæ.
Orebitæ.
Calixtini.

SÆCUL. XVI.

Martinus Lutherus.
Andreas Carlostadius.
Ulricus Zwinglius.
Oecolampadius.
Baltazar Pacimontanus.
Philippus Melanchthon.
Joannes Calvinus.
Michaël Servetus.
David Georgius.
Andreas Osiander.
Joannes Brentius.
Matthias Flaccius Illyricus.
Valentinus Gentilis.

SÆCUL. XVII.

Arminiani.
Gomariani.
Vorstiani.
Janseniani.

# PERSECUTIONES.

SÆCUL. I.

1. ſub Nerone.
2. ſub Domitiano.

SÆCUL. II.

3. ſub Trajano.
4. ſub Antonio Pio.

SÆCUL. III.

5. ſub Severo.
6. ſub Maximino.
7. ſub Decio.
8. ſub Valeriano.
9. ſub Aureliano.
10. ſub Diocletiano, & Maximiano.

SÆCUL. IV.

11. ſub Conſtantio Ariano.
12. ſub Juliano Apoſtata.

SÆCUL. V.

13. Perſecutio Vandalica.

SÆCUL. VI.

Caruit.

SÆCUL. VII.

14. ſub Monothelitis.

SÆCUL. VIII.

15. ſub Iconoclaſtis.

# SCHISMATA & ANTIPAPÆ.

SÆCUL. III.

Novatianus in Cornelium.

SÆCUL. IV.

Felix in Liberium.
3. Urſicinus in Damaſum.

SÆCUL. V.

4. Eulalius in Bonifacium I.
5. Laurentius in Symmachum.

SÆCUL. VI.

6. Dioſcorus in Bonifacium II.
7. Vigilius in S. Sylverium.

SÆCUL. VII.

S. Theodorus, ſeu Theodoretus in Joannem V.

SÆCUL. VIII.

9. Theophilactus in Stephanum II.
10. Conſtantinus, Philippus } in S. Paulum I.

SÆCUL. IX.

11. Zizinnius in Paſchalem I.
12. Anaſtaſius III. in Hadr. III.
13. Bonifac. VI. in Formoſum.

SÆCUL. X.

14. Leo VIII. in Benedictum V.
15. Bonifacius VII. in Benedictum VI.
16. Joannes in Gregor. V.

SÆCUL. XI.

17. Gregorius in Benedictum VIII.
18. Stephanus II. in Greg. VI.
19. Benedictus X. in Stephanum IV.
20. Cadalous, ſeu Honorius II. in Alexandrum. II.
21. Guibertus de Corrigia, ſeu Clemens III. in Greg. VII.

SÆCUL. XII.

22. Sylveſter III. in Paſch. II.
23. Gregor. VIII. in Gelaſium II.
24. Cœleſtinus II. in Honorium II.
25. { Petrus Leo, ſeu Anacletus II. in Innocentium II. / Victor III. in Innocent. II. }
26. { Victor. IV. in Alex. III. / Paſchalis III. in Alex. III. / Calliſtus III. in Alex. III. / Innocentius III. in Alex. III. }

SÆCUL. XIII.

Caruit Schiſmate.

SÆCUL. XIV.

27. Nicol. V. in Joannem. XXII.
28. Clemens VII. in Urbanum VI.
29. Benedictus XIII. ſeu Petrus de Luna in multos.

SÆCUL. XV.

30. Clemens VIII. in Bonifacium IX.
31. Felix V. in Martinum V.

OR

# ORDINES RELIGIOSI.

SÆCUL. IV.

Clerici Regulares.

SÆCUL. V.

.Equitii & aliorum.

SÆCUL. VI.

. Benedicti.

SÆCUL. X.

luniacensis.

SÆCUL. XI.

amaldulensis.
allis Umbrosæ.

SÆCUL. XII.

istercienſis.
nonici Regulares.
æmonſtratenſis.
rmelitarum.

SÆCUL. XIII.

norum.
demptionis Captivorum.
ædicatorum.
Claræ.
emitarum S. Auguſtini.
veſtrinorum.
Cæleſtinorum.
Servitarum.

SÆCUL. XIV.

Jeſuitarum.
Montis Oliveti.

SÆCUL. XV.

S. Hieronymi.
S. Georgii in Alga.
Minimorum.

SÆCUL. XVI.

Clericorum Regularium.
Capucinorum.
Clericorum S. Pauli.
Societatis Jeſu.
Carmelitarum Diſcalceatorum.
Oratorii Jeſu.
Clericorum Minorum.
Miniſtrantium infirmis.

SÆCUL. XVII.

Presbyterorum Oratorii in Francia.
Miſſionariorum.
Urſulinarum.
Viſitationis.
S. Mariæ, 2. generis.

# ORDINES MILITARES.

SÆCUL. IV.

uitum Conſtantinianorum S. Georgii.
epulchri, in Hieruſalem.
azari.
ntonii, in Etiopia.

SÆCUL. V.

pullæ S. Remigii, in Gallia.

SÆCUL. XII.

o. Hieroſol.
nplariorum.
itonicorum.
ſiorum.
atravæ.
acobi.
aciferorum, ſeu Livonicorum.

SÆCUL. XIII.

Virginis de Mercede.
De Monteſia.
Equitum Chriſti, in Luſit.
Stellæ, in Gallia.
Periſcelidis, in Anglia.
Annunciationis, in Sabaudia.

SÆCUL. XV.


S. Lazari, & Mauritii.
S. Michaëlis, in Francia.
Velleris Aurei, in Burgundia.
Elephantum, in Dania.
Muris Pontici, in Armorica.

SÆCUL. XVI.

S. Stephani Epiſc. in Tuſcia.
S. Spiritus, in Francia.

SÆCUL. XVII.

S. Mariæ de Monte Carmelo.
Sanguinis Chriſti, Mantuæ.
Conceptionis B. Virginis, & plures alii.




# PARTIS PRIMÆ TOMI SECUNDI PROOEMIUM.



Anta est partis hujus, quæ proximè Christum attingit, copia; ut ea sæpe justam nobis injecerit desperationem. Quis enim, amabo, paucis exequatur Christi vitam, atque mortem, res gestas Apostolorum, Ecclesiam tam citò per orbem terrarum sparsum ac diffusam, aliaque ejusdemmodi, qu[æ] longe citiùs facta sunt, quàm dici queant? Fa[ciemus] ciemus hic tamen quod Geographi solent, qui ma[gnas] gnas urbes punctis, grandes fluvios lineolis, lon[gos] gos montium æquorumque tractus parvis intervallis descibunt: Inter[ea] relinquunt animo multa cogitanda, qui ex minutiis illis assurgens ea sibi info[r]mat, quæ vix ullis terminis, ac finibus continentur. Quod si aliqua nobis e[xci]ciderint, egregia licet æqui bonique consulet Lector, quandoquidem non [o]mnia illustria suscepimus commemoranda (quis enim id sanus audeat, ac te[ntet]) sed aliqua tantum quæ à non illiteratis vulgò non solent ignorari. Qu[od] si tres illæ quæ Christum sequuntur partes, minus amænitatis habeant, qua[m] tres aliæ quæ eundem præcesserunt, facilè, opinor, ignoscetur nobis, cùm p[lu]ra in illis, quam in his compingere conati simus; quæ autem pressa sunt, minus explicata, minus habent pulchritudinis, quæ in multis scitè dispositis suo collocatis loco cõnsistit. Hoc spondeo at recipio Lectorem nequaqu[am] horum libellorum cariturum fructu, quem eruditi pluris faciunt, quam vo[lu]ptatem; cum hæc delinire, ille reficere possit; illo animi vita, hæc tantùm [de]lectatio contineatur.

LIB[ER]



# LIBER I.

## A CHRISTI NATALIBUS AD EJUS ANNUM 100.

### CAPUT I.

### PRIMA DECAS.

*nato Christo ad ejus annum decimum.*

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4054. | 754. | 1. |



UM octavus à Christo nato dies illuxisset Kal. Januarii, recisum à S. Josepho, vel B. Virgine infantulo præputium,ut se verum Abrahami filium profiteretur. Id autem utrum factum spelunca, vel in aliqua domo, credes uti erit, cùm utraque sententia magnos adstitores habeat. Sexto exinde die ex Arabia ta, urbique Sabæ adjacentibus locis, Bala- nepotes Dynastæ seu Reguli stellâ duce re Hierosolymam, & recens natum quæs Regem,addictam Tyranno urbem miri- perculerunt. Interrogati Scribæ, ex Mi- enarrato testimonio Bethlehemum oppi- indicarunt, quo statim perrexere Magi, quæ Hierosolymis disparuerat stellâ, col- atique diviniori luce in infantulo adorave- Deum, Myrrhâ hominem, Auro Regem, re conditorem suum contestati. Moniti que per somnum ut aliâ in patriam regre- ntur viâ, callidam Herodis crudelitatem erunt.

lapsis aliis diebus viginti septem Maria cum pho Hierosolymam venit, redemptura pri- genitum suum ex lege,& subitura ipsa puer- rum legem,à qua tamen Legislatoris ipsius is eximebatur. Utrumque præstitit magnâ pertatis, demissionis, & obsequii significa- e: inter quas tamen virtutes homines duo, & fœmina, Simeon & Anna, aliud quàm d ab aliis cernebatur, deprehenderunt; & phetico afflati ambo spiritu, matris & filii ellentiam humanâ majorem populis attoni- cecinerunt.

Hæc cùm Herodi denunciata essent,delusum nimvero à Magis intellexit,infantemque,cæ- terràque testibus, magnum, exterminare de- nit. Sed jam ex ejus sævitia subductus erat,& ssus in Ægyptum, quò manus ejus,quantum- longæ,non pertingebant. Quia tamen latere putabat eum in Judæa, pueros omnes ante biennium natos interimi jussit, non quod tam multi exigerentur in agro Bethlehemico, sed quod tutiùs ab hac parte peccaretur. Addidit etiam filium suum non ita pridem natum,si qua Macrobio, etiam Ethnico, fides: quod cum perlatum esset ad Augustum, malle se Herodis porcum esse quàm filium scitè dixit,cum apud Judæos sues nequaquam cæderentur. Culti sunt deinceps ab Ecclesia pueri isti tanquam Martyres; non quod id passi, sed quod is propter quem p. ssi essent, abundè mereretur.

*Herodis mors & impia jussa.* Neque diu tamen immanis cædes impunè Herodi cessit. Posteaquam enim Antipatrum filium impunitatem ex morte patris sperantem interfici jussisset, ipse sibi violentas afferre manus conatus esset,vermibus arrosus,expertusque vitam acerbiorem omni morte, turpiorem animam, ex turpi corpore vivum cadaver,exhalavit. Homo corroboratæ improbitatis, & qui non tantùm in vita, sed & post mortem sceleratus esse voluit. Nam coactos in unum locum Judæorum nobilissimos quosque jugulari jusserat, statim atque obiisset, ut gaudium de morte sua, Judæorum temperaret necessarius in morte propinquorum suorum luctus. Verùm impiæ jussiones exitu caruerunt, non tamen Judæis causa tristitiæ: tunc enim tumultuati sunt eorum parentes & affines, quos ob Aquilam auream perdiderat Herodes, in mortuum jacientes convicia, & ad supplicium nonnullos Regis amicos deposcentes. Cumque illos placare verbis Archelaus, designatus regni successor haud posset, immisso exercitu eorum tria millia concìdit, ut Tyranni filius à crudelitate regnum auspicaretur. *Archelai initia.*

*Lucii mors & Tiberii Rhodi secessus.* Tum Lucius exierat Româ, & ad Hispanicos exercitus proficiscebatur, cum in morbum incidit Massiliæ,ex quo nunquam convaluit.Quod cum Tiberius Rhodi invitus accola didicisset, impetrare reditum in Urbem conatus est ad revisendos amicos, quem haud obtinuit etiam acerbè rejectus, sed opera Liviæ matris, legati duntaxat nomen ut honestiùs exulare videretur. Spem tamen, ejus jacentem erexit Aquila tum Rhodi, nunquam antea visa, quâ sibi portendi putavit imperium; nec eum malum fuisse Augurem ostendit eventus.

MUNDI

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4055. 755. 2.

*Chriſti reditus ex Ægypto.* Rediit hoc anno Chriſtus in Judæam, neque diutiùs videtur in Ægypto retinendus, cùm nullus deinceps immineret metus ab Herode; ſucceſſoris minus potentis furor, facilè poſſet declinari.

*Herodis ditio inter filios ejus diviſa.* Tum ergo Coſſ. C. Julio Cæſare abſente, & L. Æmilio Paulo, exorta de Herodis teſtamento lis tta dirempta eſt ab Auguſto, ut Herodis ditio in duas partes divideretur, quarum una cederet Archelao, non Regi ſed Tetrarchæ; alia inter Philippum & Antipam fratres illius diſtribueretur; ut ſic omnibus fieret ſatis ab eo, qui non partiri, ſed dare poterat hæreditatem. Interim cùm rurſus Hieroſolymis eſſet concitata ſeditio, bis mille crucibus, & quorundam incendio à Quintilio Varo ægrè reſtincta eſt, & permiſsâ legatione Romam, ut ſuis legibus uterentur Judæi, Romanis uſque aras obſequerentur.

*Lucius moritur.* Moritur Lucius Maſſiliæ ſenſim contabeſcens & moritur cum minus ille, ſuique putarent. Obiit autem inglorius, deque eo nihil ſcriptum, niſi quod ad magnam fortunam natus, immaturo extinctus ſit fato. Sed paulò antequam interiret revocatus in Urbem ab Auguſto redierat Tiberius, ea tamen lege, ut nullam attingeret partem Reip. privatus tantùm viveret, faceretque Romæ ex neceſſitate, quod Rhodi ſponte præſtiterat.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4056. 756. 3.

*Chriſtus Nazaræus.* Ex commoratione Nazarethanâ dictus eſt Chriſtus *Nazaræus*, quod nomen quoque ad primos ejus fautores tranſiit, hæſitque tandiu donec iidem Chriſtiani dicerentur. Tum hoc nomen relictum eſt iis qui ſimul & Chriſtum colerent, & legalia vetera retinerent, neq; Judæi, neque Chriſtiani.

*Claudiæ ſtatua inter ignes illæſa.* Romæ, Matris Deûm ædes incenſa eſt, quando ſtatuis aliis diſſilientibus, aut liquatis, una Quintæ Claudiæ Veſtalis illæſa perſtitit, indicavitque Deus, quod jam ſemel & iterum fecerat, quàm ſibi chara eſſet, etiam in prophanis hominibus, illibata caſtitas. *Pſeudo-Alexander.* Pſeudo-Alexander quidam veterator, ex ſimilitudine vultus & nominis in familiam Herodis ſe conabatur inſinuare, coactusque ab Auguſto confiteri fabulam, ad infelicia tranſtra ignominioſè damnatus, remum tractare meruit, qui ſceptrum immerens affectarat.

*Tiberius reclamat ſuæ adoptioni.* Auguſtus de adoptando Tiberio ſollicitatus à Liviâ, ſeriò cogitat; verùm reclamavit adoptandus; non quod non id vehementer exoptaret, ſed quod ſibi à Cajo, impotenti juvene, metueret; cujus erat facilè concitare iracundiam; reſtinguere vel devitare, operoſum.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4057. 757. 4.

*Cajus moritur.* Cajus in Orientem profectus, ad urbem Artageram vel Artaxatam à quodam Adduo, vel Domne perfidioſè vulneratus, corpore utcumq; ſanatus fuerat, non autem mente, factus deinceps ad Remp. adminiſtrandam habilis parum: Dum ergo redit in Italiam, Lymiræ in Lycia obiit, non ſine ſuſpicione veneni, operâ Liviæ propinati, ſi qua Tacito fides homini in principum vitiis nimium credulo.

Tiberio adoptato per Auguſtum tota plaudente civitate Tribunitia poteſtas in decennium communicata eſt. At ne is ſuperbiret venit in communionem adoptionis poſtumus Agrippa, quod poſtulabant natales ejus, licet repugnarent mores. Tum quoque mater hujus Julia illa ſtupris infamis, reducta in continentem mitius exilium experta eſt, quàm ejus præterita crimina, ac turpitudines paterentur: quoniam irrogatæ liberis à parentibus, quantumvis duris pœnæ, non ſolent eſſe diuturnæ.

Tiberius ab adoptione ſtatim in Germaniam profectus eſt, ut eâ ſe dignum probaret; quando comitem habuit Vellejum Paterculum, tun Equitum præfectum, antea Tribunum Caſtrorum, hominem nimis addictum Tiberio, & me liorem amicum, quàm ſcriptorem.

Auguſtus hoc anno inſidiis appetitus, qu rum caput erat & princeps Cn. Cornelius Ci na, filiâ Magni Pompeji genitus. Huic, auto Livia, vitam condonavit Auguſtus, neq; tantù ſed & inter amicos adſcriptum in annum quentem deſignavit Conſulem, eaque huma tate conſecutus eſt, quod tot cædibus non er ut in eum deinceps conjuraret nemo; quia cilitas potius quàm terror Principes tutos incolumes præſtat.

Pertinet ad hoc tempus Dionyſius Alexa drinus Periergetes, malè vulgo cognomina Afer, ortus ex urbe Charace Elymaidis, quæ dicta eſt Alexandria: is enim, ut conſtat ex P nio lib. 6. cap. 27. ab Auguſto in Orientem c ejus nepote Cajo præmiſſus eſt. Ex quo Pli loco omnes de hoc Dionyſio ſententiæ va corruunt.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4058. 758. 5.

Coſſ. Cn. Cornelio Cinnâ Magno, & L. lerio Meſſala Valæſo, magni terræ motus co gerunt, Tiberiſque ſic intumuit, ut in die ſeptem totis Urbem navigabilem redderet; etiam lumen perdere viſus eſt, ut Cœlum, te aquæ minas intentare viderentur.

Tum autem Togam virilem ſumpſit Agri anno ætatis 17. & quo alii adoleſcentes puer mores cum prætextâ exuere ſolebant, tum aſperos, & horridos auxit; nihil de patre, pl mùm de matre referens.

Proviſum quoque tunc Collegio Veſtal Virginum, quibus accenſeri permiſſæ fun bertinæ, quoniam nobiles ægrè hoc inſtituti nus ſectarentur, neque proſapiam & genu virtutem & caſtimoniam honorandam ſapie Auguſtus judicavit.

Rediit denique in Germaniam Tiberius rem proſperè geſſit, ſolo jam nomine, q armis antea, ferocibus populis mage metu dus.

MU

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4359. 759. 6.

...imes, quæ anno superiori Romæ sævierat, ita ...iduit, ut Gladiatores ab Urbe submoveren... ...lauderetur Curia, Senatoribus quò se cum... ...ransferre vellent potestas fieret. Tum enim ...enti modius Romæ 27. aureis distraheba...

...djecta sunt fami incendia, quæ tum Romæ ...requentia fuerunt, ut iis curandis septem ...tini præficerentur, quibus Eques Rom. ...rat. Accedebat & intestinum malum, tri...rum exactio gravis, verbo ut ærarium mi... ...conflaretur, re ut prætoriis tribus magnis ...nibus, aliisque sexcentis minoribus furibus ...stas fieret rapiendi atque furandi. Quibus ...phonem imposuit Marcomannicum bel... Tum enim Marobauduus Marcomannus ...is in societatem belli Pannoniis, & Dalma...on tantùm vastavit Macedoniam, sed & ...c prædabundus imminebat; cui retunden...ır non fuisset Tiberius, nisi Sentium Satur...m, & Valerium Messalam Consulares viros ...ores habuisset, à quibus victus repressusq; ...oboduus ostendit tantùm se tribus Roma...lucibus parem non fuisse.

...ornelius Cossus aliunde in Gætulos rem be...essit, qui in Jubam rebellarant, & Romano... plurimos huic regi ferentes opem, interne...e deleverant. Tanti autem fecit de iis vi...iam Augustus, ut Cosso ornamenta trium...ia, cum Gætulici nomine, victori decerne...unde quàm metuendi essent hi barbari Ro...is ingenuè professus est.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4060. 760. 7.

...iberius suspectus esse cœpit Augusto, quasi ...um de industria traheret, ut diutiùs in armis ..., quæ etiam parenti ostentaret. Missus est ...ır in Pannoniam cum copiis Quæstor Ger...icus, ubi Macæos gentem Dalmaticam præ...ricit, quò sibi ad liberas pabulationes viam ...uit.

...nterea ob feroces, stolidos, servilesque mores ...gatur Agrippa in Planasiam, Insulam Corsi... ...roximam; ut hîc indulgeret piscationi, cui ...lementiam usque addictus erat, iram per ...m concoqueret; Juliæque matri, convi...; Augusto exprobatione molestus esse desi...et. Non aliter domari posse credidit Avus ...ens bonarum artium rudem, & robore cor...is stolidè ferocem adolescentem.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4061 761. 8.

Archelaus accusatus à Judæis, & Samaritanis, ...no dejectus est ab Augusto, & missus in exi...m Viennam Galliæ, ejusque ditio Syriæ per ...intilium Varum contributa. Hic pauper di...em provinciam ingressus, dives pauperem ...quit: ita Romanus orbis non tam magistra...us, quàm prædonibus, administrandus man...atur.

Dalmatæ ac Pannonii rerum penuriâ magis quàm armis domiti pacem petiere. Interrogatus Baro Dux Dalmata quare sui rebellassent, scitè respondit quòd *lupos, non canes, ad regendos populares suos Rom. adhibuissent*; quando veriùs dixit homo non planè barbarus, quàm ab Augusto desideraretur. *Rom. mala administrati.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4062. 762. 9.

Census hoc anno habitus est in Judæa à Quirinio, seu Cyrino, & Coponio Procuratore; cujus causa fuit Archelaus exautoratus, ejusque ditio Syriæ contributa, pecunia omnis adjudicata fisco. Philippo tamen Tetrarchiæ Trachonitidis & Bataneæ, Herodi Antipæ Galilæa reservatæ sunt: Sicque magni Herodis familia utcumque rerum potita est in Palæstina: metuens tamen ne per vim Romanis reddere cogeretur, quod per adulationem, & injuriam receperat. *Census alter Cyrini.*

Natus hoc anno Vespasianus in vico Phalacrine, postea Augustus, & magnam in perniciem Judæorum natus. *Vespasian. nascitur.*

Cladem hoc anno aliquam Germanicus accepit in Dalmatia, ubi aliquot Romani hostium fraude ignibus absumpti sunt: hi tamen ignes postea eorum qui accenderant sanguine fortiter sunt restincti. *Clades Dalmatica.*

Varianâ clade in Germania hic notatur annus, magis quàm Coss. Sulpitio Camerino, & Poppæo Sabino. Quando Quintilius Varus negligentius se gerens quàm populus ferox & attritus exigeret, ab Arminio Sigimeri filio cum tribus legionibus, & totidem aliis equitum oppressus est. Ipse sibi violentas intulit manus, reliqui trucidati spoliis Ro. Barbaros ditavere. Quæ cædes sic Augustum afflixit, ut muliebriter ejulans, & sibi caput ad postes allidens, identidem inclamaret, *Quintili Vare legiones redde.* Postea tamen imminutus est dolor, ut à Germanis metus, cum auditum est à L. Asprenate Vari nepote duas legiones retractas esse, majorem ignominiam, quàm damnum receptam esse. *Variana clades.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4063. 763. 10.

Seditio ingens, aut veriùs tumultus à Juda Galilæo, Gaulonite ex oppido Gamalâ, concitatur. Is putatur fuisse auctor sectæ Galilæorum, negabatque à Judæis Dei filiis, esse Romanis Dei servis tributa persolvenda. Cæsus est tandem ab iisdem Rom. iste Judas, immò duo ejus filii in crucem acti; ut se servos, Romanos verò dominos agnoscerent. *Iuda Galilai tumultus.*

Herodes Antipas Sephorin urbem mœnibus cinxit, eamque Metropolim ditionis suæ constituit. Aliud quoque oppidum Bataramba ita communiit & exornavit, ut nomine Juliæ uxoris Augusti dignum haberetur. Quæ enim Livia quondam, postea Julia dicta fuit, ut nummi veteres loquuntur; quod qui nescierunt, erroris veteres scriptores imprudenter arguerunt. *Antipas urbes extruit.*

Tiberius militarem disciplinam Ro. in Germania correxit, & magnam Barbarorum agris intulit vastitatem, si qua Vellejo fides, in gratiâ sui Tiberii sæpe turpiter & imprudenter mentienti. *Tiberius Germanos populatur.*

## CAP. II.

## *Decas Secunda.*

*Ab anno Christi* 10. *ad* 20.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4064. 764. 11.

*Salomes mors.* HOC anno mortua est Salome Herodis soror, ejusque impietate & crudelitate magis quàm genere & sanguine germana. Juliam seu Liviam Toparchiæ suæ Jamnianæ reliquit hæredem; hoc est, in mare paucas aquas effudit.

*Tiberii periculum à quodam Bructero.* Tiberius atque Germanicus latè Germaniam populati sunt, hic fortitudine magnus, ille æmulatione prope par. Sed periculum ingens adiit Tiberius, ab hoste quidem, sed qui ad eum occidendum in ejus propè tentorium irrepserat. Agnitus tamen ex trepidatione Bructerus ille, atque admotus quæstioni, statim fassus est, se Duci Romano parasse necem, ut de popularibus omnibus suis benè mereretur. Ita plerumque viri magni homulorum furori vel insaniæ patent.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4065. 765. 12.

*Christus duodennis amittitur.* Hoc anno Coss. Germanico Cæsare, & C. Fontejo Capitone, Christus Jesus à parentibus deductus Hierosolymam ad Festum Paschæ, ab iisdem amissus, & triduò cum magno animi mœrore quæsitus, inventus est inter Doctores, eos interrogans, & ita respondens ut omnes in admirationem sui raperet. Utrùm autem hoc tempore mendicarit, asseruit nescio quis, qui sub Bernardi nomine sermonem edidit, vir minimè malus, & pius: negant tamen alii, quòd mendicare lege divinâ prohibitum videretur.

*Vita Christi latens.* Hoc perfunctus casu Christus rediit Nazarethum, ubi subditus parentibus vixit, atque ita latuit ut duodeviginti annorum vitam ejus, tribus verbulis Evangelistæ complexi sint, exemplo mirabili profundissimæ demissionis.

*Caligula nascitur.* Natus est hoc anno Caligula in urbe Antio, Germanico patre, matre Agrippinâ, tam improbus ut etiam Tiberium, cui successit, absolverit.

*Tiberius æquatur Augusto.* Jus datum Tiberio idem cum Augusto in omnibus Provinciis, & exercitibus, ita postulante Senatu, ut ille assuesceret imperio, neque post mortem Augusti huic gravaretur obsequi populus, quem Augusto parem jam ante coluisset. Debuerat & de Pannoniis triumphare; sed obstitit Variana clades, cujus nuncius Romæ voluptatis omnem umbram eliserat.

*Exulum luxus cohibitus.* Et verò tum legem tulit Augustus de luxu exulum cohibendo, cum ipsis ad curandam cutem nihil deesset, & *diis iratis frui* viderentur.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4066. 766. 13.

Augustus quintùm Reip. administrationem in decennium suscepit, simulq; Tiberio in aliud decennium Tribunitiam potestatem concessit, ut tantùm à se annorum numero, atque ætate distingueretur.

Prævidens tamen imminere sibi extremum diem, testamentum fecit Coss. C. Silio nepote, & L. Munatio Planco, duobus exaratum codicibus, partim manu sua partim Libertorum, quod apud Vestales deposuerat; quia id adulterare tam grande peccatum volebat esse, quàm Vestali Virgini stuprum inferre.

Pensitatione vicesimæ, *du sol pour livre*, offensus populus, summam transtulit Augustus in prædia rustica & urbana; cùm id quoq; improbaret plebs, & vigesimam præoptaret, utrumque sustulit, & amorem subditorum (quod boni Principes faciunt) pecuniis omnibus anteposuit.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4067. 867. 14.

Coss. duobus Sextis Pompejo, & Apulejo, moritur Augustus Nolæ in Campania; an naturali fato, aut ficubus veneno illitis, dubium faciunt Dio, atque Tacitus. Post ejus obitum defecit Luna, Solis autem Eclipsis ridicula est, & ab otiosis in honorem Augusti excogitata. Susceptus est magnâ pompâ, crematusque, quasi patriæ Orbisque parens. Sed & Servilius Numerius, vir prætorius, ut quondam Proculus Romulum, sic Augustum se vidisse ascendentem in cœlum jurejurando affirmavit; ideoque recepit à Livia decies sestertiûm; sicq; mendacium ejus non tantùm officiosum fuit, sed & pretiosum.

Statim autem, quasi ex Augusti voluntate, cæsus est exul Agrippa, ne quis ejus ingenio ad res novas abuteretur. Julia quoque relegata, primò in Pandatariam insulam, deinde Rhegium inopiâ ac tabe confecta est, quæ Tiberius procurarat; nec eam vivere passus est Imperii candidatus, quæ privato sibi tantum dedecoris intulisset.

Recusabat interea Tiberius Imperium annos jam natus quinquaginta quinque, cui se parem negabat esse, cùm ejus insanâ cupiditate flagraret. Quare sapienter à quodam acclamatum *Aut agat, aut desistat.* Tandem quasi renitens & invitus supposuit humeros oneri pretioso quod annis duobus & viginti, mensibus sex, & viginti sex diebus tulit, diutiùs si cum antecessore, breviùs si cum successore componatur.

Pannonicas legiones tumultuantes visa Eclipsis sedavit; Germanicas metus, & defectu ducis, qui si adfuisset non deerant qui sequerentur, & novam optarent Reip. faciem.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4068. 768. 15.

Tiberius legata persolvit Augusti, cum p[...] jocum à nescio quo admonitus esset, in aure[...] demortui insusurrante, uti diceret Augusto [...] inferis nondum ejus testamento factum esse [...]tis. Sed is jocus faceto homini vitâ stetit; jussu[s] est enim ipse statim hunc nuncium Imperato[ri] defuncto portare, jugulatus. Viritim ergo p[o]pulo distributi sunt 75. denarii, hoc est circit[er] decem aurei, vel triginta libræ Turonicæ; [...] hac publicâ liberalitate publicus mœror utcun[...]que levaretur.

Co

Coss. Druso Cæsare, & C. Norbano Flacco, ermanicus junctis cum Cecinna copiis Germaos terret, ac Segesti per Arminium obsesso fert ixilium, ut eodem impetu & socium Po. Ro. varet, & capitalem ejus hostem perderet, si pectaret impressionem. Neque expectatione à delusus est; fugere enim compulsus Armius, nunquam suos revocare potuit; obsidio luta turpiter, recepta spolia Romanorum; & od caput fuit, abolita Varianæ cladis ignomii, majori prope dedecore latentis Arminii at-e fugientis.

Fuit hoc opus fortitudinis, illud Religiosæ etatis. Venit enim ad locum Variani certami-, collectaque Romanorum ossa tumulo redlit, magnâ pompâ, & quæ plus triumphi, àm funebris ceremoniæ referebat. Pium tamen c officium Tiberius improbavit; vel quia rmanico invidebat, vel quia factum hoc tacia ejus exprobrationem continere videbatur.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4069. 769. 16.

Statuit ergo Tiberius Germanicum revocare Germania, atque in Orientem amandare, ut toriarum ejus cursum abrumperet. Quod n huic suboluisset festinavit magis, & dilintiâ suâ prævenire voluit Imperatoris invim. Construi ergo jubet mille naves, & iis positum militem deponit in Batavia. Ausus nfligere Armenius, profligatus est, & venisset Romanorum manus, nisi oblitus cruore fam, eorum oculos fefellisset. Inventæ sunt in s castris catenæ, quasi ad capiendum hostem, n vincendum pergeret. Excitatum hic de vi-Trophæum, quod ita viros fortes pupugit, ut mori, aut id dejicere statuerent; pugnant ur iterùm, sed eventu pari, cæsi ad satieta-n, Cæsare passim vociferante *nihil opus esse tivis, sola gentis internecione finiri posse bel-.* Itaque interfecti omnes, nisi quos aut ræ, aut latebræ texerunt. Cùm autem Rona classis naufragium passa esset, & multæ es sine vectoribus, aliquæ etiam cum militi-haustæ periissent; accurrere quasi ad præn Germani; sed tertiùm malè mulctati, avere felicitatem deesse nonnunquam Romanunquam fortitudinem.

Revocatus ergo in urbem Germanicus, reverâ nvidia, in speciem ut aliquid vincendum ipso relinqueret, accingit se ad iter Orientale, oniam hîc Parthi in armis erant, semper Ronis metuendi, ex quo profligarant Crassum, similem exitum Germanico Tiberius appreatur, etiam cum Reip. jacturâ: quia majori o in æmulum, quàm amore in patriam fereir.

Scribonius Libo impulsus à Mathematicis jurat in Tiberium; sed patefactâ conjurae Libo cæsus, Mathematici Urbe pulsi denstrarunt stellas non semper veraces esse; iis ibendam fidem non esse, qui in alienis atque rebus tam stolidè cæcutirent.

Agrippæ cæsi servus quidam Clemens se Appam esse mentitus est, quòd eum vultu non male referret. Tandem interceptus Tiberii jussu jugulatus est, ne à Domini, in quo vivere cupiebat, fato disjungeretur.

Tum Tiberius usum sericeæ vestis interdixit, sicut & aureorum vasorum, utrumque officere moribus bonis dictitans; quos in aliis, quàm in se puriores exoptabat. Misit tum etiam in Judæâ Valerium Gratum Procuratorem, successorem Annii Rufi, neque miseræ regionis hujus, neque famæ suæ admodum sollicitus. *Tiberii leges.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4070. 770. 17.

Antequam Germanicus proficisceretur in Orientem, de Cattis, Cheruscis, & aliis populis magnificentissimè triumphavit. Et verò destinata invidiæ victima, his honoribus, quasi floribus ornabatur. *Germanici Triumphus.*

Exinde cum amplissima & extraordinaria potestate mittitur in Orientem, simul & Cn. Piso Syriæ Præses, cui cura demandata est Germanicum vexandi vel perdendi: utrumque hic cumulatissimè præstitit; sed demum miser intellexit imperata privatis à Principibus crimina, ferè semper obsequentium exitio terminari. *Mittitur in Orientem cum Pisone.*

Eodem tempore missus in Illyricum Drusus ut hîc imperii rudimenta poneret, & legiones faciliùs Imperator regeret, inter quas dux quondam adolevisset. *Drusi rudimenta militia.*

Archelaus, Rex Cappadocum jam annos quinquaginta, sed invisus Tiberio quod eum exulem Rhodi contemnere visus esset, neque ei salutem impertiisset, evocatus Romam operâ Liviæ, in Senatu tam vehementer accusatus est, ut sibi mortem imminere præsagiret. Senex itaque & podagrâ laborans, neque satis compos mentis, adactus est ad mortem, quæ minus ei pœna, quàm gravium malorum terminus fuit. *Archelaus Cappadox tollitur.*

Tacfarinatem rebellantem in Africa Camillus compressit: ideò consecutus ornamenta triumphalia, majori victi quàm vincentis honore. *Tacfarinas vincitur.*

Duodecim urbes hoc anno in Asia conciderunt terræ motibus, inter quos visi scintillare ignes tantùm terroris, quantùm motus ipsi detrimenti intulerunt. Iis urbibus remisit tributa Tiberius contra indolem liberalis; usque adeò grandes calamitates à duris etiam hominibus extorquent commiserationem. *Terræ motus in Asia.*

Mortuus est hoc anno Titus Livius historiæ Latinæ parens, & qui spectatores sui ab usque Gadibus accersiverat. Obiit & Tomis in Scythia exul Ovidius, etiam à Barbaris honoratus sepulchro, dignus tamen exuri saltem ignibus mortuus, qui tandiu vivus flammis impudicis arsisset. Hujus exilii causa fuit, ut ipse innuit, quod vidisset aliquid, quod visum esse nolebat Augustus. *Moriuntur T. Livius, & Ovidius*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4071. 771. 18.

Germanicus secundùm Consul, cum collega Tiberio tantùm. Nicopoli iniit magistratum in Achaia, exceptus ubique magnificè, quia in eo natales rebus fortissimè gestis respondebant; Quando & Athenienses adulandi latissimum invenerunt *Germanici & Pisonis inimicitia.*

venerunt campum,& ſpargendi laudes quarum nunquam parci fuere. Germanicum ſtatim inſecutus eſt Cn. Piſo, qui ſibi legiones demereri conatus eſt largitionibus, & militari licentiâ, adeò ut à militibus vulgò Pater legionum diceretur. Tum id quidem diſſimulavit Germanicus; quia cum res Armenæ appellabant. Hîc amoto Venone nec ſibi ob Piſonem, neque ſubditis ob ſordes & rapinas charo, Zenonem conſtituit Regem, unde nova odii in Piſonem materies, hoc audaciùs repugnante, quàm Germanici virtus ac dignitas poſtulabant. Fruſtra eos amici reconciliare conati ſunt, cùm Piſo ſtolidè & ferociter ageret omnia, huic cedere Germanicus gravaretur; & Plancina Piſonis uxor etiam aggrederetur impotenter Agrippinam, quæ fuit Germanico quàm ſua gravior, & minus ferenda injuria.

*Vrbs Tiberias condita.* Herodes Antipas Tetrarcha in honorem Tiberii urbem Tiberiadem condidit ad ripam lacus Genezarethi, quam ſic exornavit, tam multis privilegiis auxit, ut Imperatoris Romani nomine digna videretur.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4072. 772. 19.

*Cayphas Pontifex.* Joſephus Cajaphas, ſeu Cayphas, hoc anno à Valerio Grato Pontificatum conſecutus eſt, quem annis ſeptemdecim aut duodeviginti tenuit, homo ſceleratus & impius, cujus tamen ore Spiritus Sanctus loqui non refugit; ut innueret oracula alligata eſſe dignitati, non ſanctimoniæ.

*Arminius ceditur.* Arminius ille Ro. terror, & aſſertor Germanicæ libertatis, ſi ſibi pares ſubditos inveniſſet, à ſuis interemptus eſt anno ætatis ſuæ 37. Principatus XII. felix, ſi aut hoſtem minus fortem nactus eſſet, aut militem magis obſequentem.

*Luſtrat Ægyptum Germanicus.* Germanicus Ægyptum luſtrat, inviſitque famoſas illas pyramides, & ſtatuam Memnonis ad radios Solares vocalem. Vidit & Apim bovem Deum, qui cum ejus manu porrectas eſcas recuſaſſet, mortem ei præcinere viſus eſt. Multa quoque fecit in Ægypto populariter, quæ Tiberius improbavit; non quod mala eſſent, ſed quia Germanicum reddebant populis acceptiorem. Ex Ægypto rediit in Syriam ubi vidit omnia à ſe conſtituta in urbibus, & legionibus antiquata; unde ſic exarſit in Piſonem, ut huic immortales denunciaret inimicitias. Paulò poſt in gravem incidit morbum, non ſine ſuſpicione veneni ſibi à Piſone dati; quare ultionem ab amicis exigens de Præſide venefico Antiochiæ parum fortiter obiit, in vita ſua, quàm morte, longè generoſior. Tum reliquerat Syriam Piſo, locumque ſuum dederat Cn. Sentio Saturnino: *& moritur.* Auditâ igitur morte Germanici in eam redire voluit; ſed à ſucceſſore ſuo repulſus agnovit magiſtratum relinqui faciliùs, quàm recuperari. Mortis hujus, quæ totum afflixit orbem, ſcriptores omnes Tiberium autorem faciunt, præter unum Paterculum juratum Tiberii aſſentatorem; cujus una laus eſt quod ingenioſè ſcripſerit, placendi Principi ſuo, quam veritatis ſollicitior.

Judæorum & Ægyptiorum ſacra hoc anno Romæ exagitata ſunt; hæc quidem ob Paulinam Matronam nobilem corruptam à Decio Mundo ſub Annis ſpecie, operâ Lenonis Sacerdotis: illa verò ob Fulviam item Romanam, cui veterator quidam Judæus purpuram & aurum Hieroſolymam mittendum emunxerat, quæ in ſuos uſus flagitioſè verterat. Derivatum eſt in totam gentem unius hominis crimen, quatuor Judæorum millia in Sardiniam ablegata, ut aëris gravitate conficerentur, cùm hæc inſula miſſos ad ſe colonos conficere; ægrè apud ſe natos homines tolerare crederetur.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4073. 773. 20.

Agrippina Romam redit cum cineribus Ger-
manici, ac renovat publicum luctum, quem edi-
cto ſuo comprimere Tiberius compulſus erat
Statim accuſatus eſt Piſo, populo alioqui parat
eum diſcerpere: & ille cogitabat ſe defender
litteris Tiberii; verùm ſpe oblitâ veniæ à Sej
no, ab hoc conſilio revocatus eſt. Interim eju
cauſa ſejuncta eſt à cauſa Plancinæ uxoris, cù
ea ſibi Tiberium turpiter conciliaſſet, & honor
jacturâ redemiſſet vitam: quare res ſuas dep
ſitas videns Piſo, ipſe ſe jugulat, incuſans fort
nam ſuam, & quod Principi ex æquo crudeli a
que turpi paruiſſet.

Tacfarinas bellum renovat in Africa, & c
hortem Romanam agit in fugam duce ejus tr
cidato. Lucius Apronius, emendare juſſus h
flagitium, atque eam relinere ignominiam, d
cimatione in fugitivos cives animadvertit, q
Romanus miles quaſi miſſione ſanguinis fact
alacrior, hoſtem ita devicit, ut eum in deſe
compelleret, de vitâ quàm de victoria ſollicit
rem.

---

## CAP. III.

## *Decas Tertia.*

### *Ab anno Chriſti 20. ad 30.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4074. 774. 21.

CONSULATUM hoc anno geſſere T
rius IV. & Druſus ſecùndùm; ſed
malè ominis: cùm hactenus collegæ Ti
ſemper fuiſſent infortunati, Piſo, Germanic
poſtea Druſus atq; Sejanus; adeò ut Conſu
cum Tiberio jam fatalibus poſſet accenſeri

Imperator ſeceſſit in Campaniam, quaſi
tudinem ſuam firmaturus; ſed jam longi
ſeceſſum cogitans, & ut Druſus Conſul R
ſolus adminiſtraret, atque ejus imperio Po
Romanus aſſueſceret.

Motum in Africa renovavit Tacfarinas
Gallicus uti vicinior, ita majoris momenti
eſt. Treviri enim atque Ædui ob magn
nem æris alieni, & tributorum maxim
acerbiſſimam exactionem rebellarunt, d
Floro, atque Sacroviro. Uterque bello vic

ulit ſibi manus, Tiberio ignaviter trepidante, ed prudenter occultante metum, metu mali najoris.

Tum obiit Sulpitius Quirinus in ſordida ac ræpotente ſenectâ, poſt repudiatam ante mul- os annos Æmiliam Lepidam uxorem ſuam; ir cui neque nummi neq; dedecora defuere.

C. Lutatius, Ro. Eques ob funebre Carmen, ruſo ægrotante compoſitum, capitis damna- us eſt, cum parem ex eo mercedem ſperaret, uâ in funere Germanici donatus erat. Pœna men ejus multis exinde profuit; nam ex oc- ſione necis ejus, Tiberius juſſit ſemper abire ecem dies à prolata ſententia, antequam reus mnatus neci dederetur, remedio ad compe- endos potentiorum motus planè ſalutari.

Horum quæque Conſulum titulo prænotan- r Acta, Pilati nomine circumlata, cùm tamen x poſt quatuor annos in Judæam Pilatus e- iſſus ſit; ut intelligas cujus notæ fuerit hoc mmentum, quod in primo limine tam turpi- r aberrabat.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4075. 775. 22.

In Syria novus Præſes legitur L. Pomponius accus, ut novâ dignitate auctus Druſus, Tribu- tiâ poteſtate donatus, quæ quaſi imperii teſſera debatur.

Incenſum hoc anno Pompeji Theatrum plus iſtitiæ attulit populo, quàm à Tacfarinate ellum renovatum; hoc enim non difficiliter mpreſſit Junius Blæſus Proconſul, copiis in ulta agmina partitis; quibus innuitur Tac- rinatem prædonis potiùs more, quam Ducis epugnaſſe.

Livia, ſeu Julia, mater Auguſti hoc anno, tam aviter ægrotavit, ut ob hunc morbum rediret iberius in Urbem, ne mulieri per quam omnia oterat defuiſſe diceretur. Tempore Tiberii flo- uit Cornelius Celſus Medicus excellentiſſimus, ujus tamen ſtylus atque Latinitas etiam arti us Medicæ longè præfertur.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4076. 776. 23.

Ælius Sejanus natus patre Sejo Strabone, ſed doptione translatus in Æliorum familiam (ideo e more Sejanus dictus) factus præfectus Præ- rio, tantùm potuit apud Tiberium, ut eo plus oſſe putaretur. Hoc aſſentiente caſtra præto- ana collocarat in Urbe, verbo ut Imperator ilites haberet ad manum, reverâ ut iis ille ad pprimendum Imperatorem & Romanam li- ertatem uteretur. Cumque inter eum & Ti- erium unus tantùm Druſus interjectus eſſet, um perdere deſtinat. Accedebat ambitioni rivata injuria: orto enim jurgio in eum Dru- us intenderat manum, & os c. ntra nitentis, & ihil timere viſi, ignominioſè verberarat. Ut gitur dedecus dedecore repelleret, principiò ivillam uxorem Druſi adulterio polluerat, de- nde ſpe nuptiarum impulerat ad propinandum Druſo venenum, ejectâ uxore ſuâ Apicatâ, ex qua jam tres liberos ſuſtulerat. Venenum ergo entum Druſo propinatur, ex quo ſenſim conta-

beſcens, candidatus Imperii moritur. Laudatus eſt à Tiberio pro Roſtris, ploratus à popul. fi- ctis lacrymis, qui eum propter libidinem, & ſæ- vitiam oderat, ideoque acutiſſimos gladios, & ad vitam tollendam maximè idoneos, Druſianos appellarat. Neque ita multò poſt alter ex Druſi Geminis obiit. Supererat Agrippina cum libe- ris; eam ambitionis calumniatur apud Tibe- rium, atque ſic abjiciendum curat, ut vitæ ſuæ potius, quàm filiorum dignitati provideret.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4077. 777. 24.

Agrippinæ favebant Romani duo primarii viri, C. Silius, & Calpurnius Piſo; hos accu- ſandos curat Sejanus, & actionem ſic adornat, ut ambo prævenirent morte voluntariâ ſenten- tiam, in eorum perniciem nimis certam, atque paratam. *Agrippinæ fautores tolluntur.*

Tacfarinas à Dolabella Africæ Proconſule incluſus, in tela irruens non inultus obiit, quia non abire ſolerter, ſed fortiter mori decreverat. Non ita ſervi ſe in Italia geſſerunt, quibus non voluntas, ſed animus defuit: hi oppreſſi à Curtio Lupo Quæſtore, in cruce & inter torto- res mori, quàm in armis, & acie maluerunt. *Tacfarinas tollitur.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4078. 778. 25.

Cremutius Cordus Hiſtoricus non ignobilis accuſatus eſt, quòd in ſuis Annalibus laudaſſet Brutum, Caſſium ultimum Romanorum appel- laſſet; hæc ſcripſiſſet impunè, niſi Sejanum per- ſtringere viſus eſſet. Egreſſus è Senatu vitam in- ediâ finiit, ejus libri prohibiti ſunt; quos nihi- lominus edidit Marcia filia, ſicque patrem ſuum in multorum animis vivere voluit. *Cremutii Cordi mors.*

Sejanus hoc anno nuptias cum Livillâ obti- nere à Tiberio conatus eſt; ſed eas obliquè ne- gavit ad tempus Imperator, cauſatus invidiam ex imparibus nuptiis. Interim Sejanus ex Urbe Tiberium retrahit, ut hic in ea nihil poſſet, ille faciliùs occuparet imperium, quod eum matri- monio Livillæ prenſabat. *Sejanus nuptias Livillæ prenſat.*

Florebat hoc tempore Strabo Geographus pa- tria Amaſenus, oriundus tamen ex Urbe Gnoſſo, Stoicus Philoſophus amicus Ælii Cornelii Galli, cum quo vidit Ægyptum ſuperiorem, & Mem- nonis ſtatuam de cujus locutione dubitat. Mi- nimùm ſcribebat 4. anno Tiberii, aut etiam an- te 12. quod ex privilegiis & libertate Cyzice- norum demonſtratur. Præter Geographiam, au- reum opus, multa ſcripſerat, quæ intercidiſſe meritò res litteraria queritur. *Strabo Geographus.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4079. 779. 26.

Valerio Grato Judææ Præſidi ſucceſſit Pon- tius Pilatus, vile mancipium Imperatoris, cujus ut ſibi benevolentiam conciliaret, intulit in Ju- dæam ſigna; quorum clypeis imagines Cæſaris inſculptæ erant. Huic obſtitere fortiter Judæi, & divinam cauſati legem, ſe pro ea mori paratos oſtenderunt. Quare eorum vel conſtantiam vel deſperationem metuens Pilatus, amovit imagi- *Pilatus Judææ Præſes.* *Motus in Judæa.*

nes, neque tanto gentis sibi commissæ periculo Cæsari voluit adulari.

*Thraces domiti.* Pompejus Sabinus rem bene gessit in Thracas rebellantes ob onera, & servitutem viris fortibus non ferendam. Hi dum eam imprudenter emolire volunt, effecere duriorem.

*Agrippinæ odio, a Tiberio.* Claudia Pulchra Agrippinæ consobrina adulterii damnata, mulctata est, nequicquam deprecante eâdem Agrippinâ, quæ tunc temporis aliam quoque repulsam passa est. Petebat illa sibi maritum dari; præcisè Tiberius negavit veritus ne huic nobilis mulier attolleret animos, tantisque nuptiis fretus, ad res novas moliendas paratus esset. Ubi sensit Sejanus iratam in Cæsarem Agrippinam, fuit ei unguis in ulcere. Suspectum enim ei Tiberium reddidit, quasi venenum parasset; quod dum imprudentiùs in convivio devitat illa, Cæsarem ita pupugit, ut de eâ apud Liviam matrem graviter quereretur, & falsum sibi crimen molestissimè ferret impingi, qui verum toties perpetrasset.

*Tiberii ultimus secessus.* Tiberius prætexens dedicare Augusto templum, secedit Nolam, unde nunquam rediit Romam. Libidines occultare voluisse hoc secessu quidam credunt, alii matrem vitasse imperantem filio impotentiùs. Sejanus interea Germanici familiam extinguere conabatur, mox Neronem & Drusum committens, mox utrumque reddens odiosum Tiberio, parùm sollicitus, an suo, an alieno scelere interirent.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4080. 780. 27.

*Herodiadis nuptiæ.* Herodes Antipas Herodiadem ducit uxorem, quæ sponte Philippum maritum, Herodis fratrem deseruit, licet ei filiam Salomen jam edidisset. Herodes igitur ab hac muliere nequam dementatus Aretæ Regis filiam uxorem suam repudiavit, unde natum inter Hebræos & Arabas acerrimum bellum, cujus causa amor impudicus fuit, magni semper belli seminarium.

*Fidenis Amphitheatrum corruit.* Coss. M. Licinio Crasso, & L. Calpurnio Pisone. Fidenis Amphitheatrum à quodam Atilio non satis bene fundatum, & colligatum corruit, cujus casu hominum 50. millia vel obtrita vel debilitata sunt. Suetonius viginti tantùm millia periisse scribit. Nunquam in pace accepta clades major; Ideò veritum ne quis Gladiatorum ludum ederet, cui minor quadringentorum millium res esset, ne populi ruinâ quisquam ambitiosiùs usus esse videretur.

*Mons Cælius incensus.* Mons Cœlius tum incensus est, cujus in incolas contra morem Tiberius liberalis fuit, voluit tamen tum de Imperatoris nomine Augustum vocari, ut locus non tantùm domos, sed & nomen hoc casu amisisse censeretur.

*Tiberius se Capreis nequiter abdit.* Tiberius statutis Augusto templis Nolæ, & Capuæ, se Capreis suis, omnium voluptatum sede, turpiter abdidit, ubi Reip. curam omnem planè deposuit. Præsides & Præfectos deinceps non mutavit, unde eis data est tacita licentia furandi atque prædandi. Armenia à Parthis occupata est, neglexit: Mœsiam Daci & Sarmatæ invaserunt, dissimulavit: Galliam Germani depopulati sunt, eorum audaciam & vires crescere nihili fecit: interim in turpissimas quasque libidines volutabatur, homo ad dementiam usque turpis, & obscœnus, quas hic referre pudor vetat, & quas taceri honestas publica jusserat, si hæc ætas satis pudicos scriptores habuisset.

Sejanus in Neronis & Drusi perniciem tum intentus erat, duas ambitionis suæ moras; quos suspectos habebat Tiberio, illis Tiberium, appositis è sinu delatoribus qui miserorum adolescentum consilia subodorarentur, immò in pravum deflecterent, ut in eorum capita infeliciter reciderent.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4081. 781. 28.

S. Josephus è vivis hoc anno creditur abiisse quanquam aliqui maturiùs mortuum esse ve[lint], & anno Christi duodecimo, ut S. Epipha[nius], qui eum valde senem, & viduum B. Virg[i]nem duxisse putat: alii etiam patientis Chri[sti] superstitem scribant, ut Ambrosius, Cyprianu[s] atque Chrysostomus. Sed cum ejus mentio [in] nuptiis Cana Galilææ nulla fiat, multi sapient[es] conjiciunt ante hoc tempus, & hoc ferè an[no] in vivis esse desiisse.

Titius Sabinus Eques amicus German[ici] dum viveret, & ejus familiæ addictissimus, quatuor Prætoriis viris accusatus, quasi liber[ius] locutus de Principe, in carcerem datus, ibid[em] cæsus est. Hinc tractus in Gemonias sca[las] ignominiosè, indeque in Tiberim, nunquam [à] cane suo disjungi potuit, qui demum se cu[m] projecto cadavere in fluvium præcipitem de[dit], auxitque in ejus herum Populi Romani comm[i]serationem.

Julia Augusti neptis, quæ Paulo Æmilio n[u]pserat, matris suæ Juliæ imitata adulterium, [re]legata fuerat ab Augusto in Insulam Tremet[i] ad Apuliæ littora; hic rerum omnium eg[ens] sustentabatur ope Liviæ Tiberii matris, ex co[m]miseratione. Cum ibi 20. annos exilii acerbi contrivisset, hoc anno non tam vitæ, quàm [mi]seriarum finem invenit.

Hoc item anno à Frisiis malè accepti [sunt] Romani, eorum enim nongenti ad Lucum [Ba]duhennæ concisi sunt; ac rursum quadring[enti] mutuis se confecere vulneribus, ne venire[nt in] hostium manus. Hanc tamen ignominiam [dissi]mulavit Tiberius, ne copiis præficere quemp[iam] cogeretur qui in eum insurgeret, & dum Ro[ma]norum dedecus reliquit, publicam Orbis terra[rum] ulcisci conaretur injuriam.

Agrippina Germanici filia hoc demum [anno] Cn. Domitio nupsit, ex quâ natus Nero p[ostea] Imperator, nuptiis tam matri, quam Orbi [Ro]mano parum faustis.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4082. 782. 29.

Anno decimo Tiberii Imperatoris jam à [men]sibus minimùm sex inchoato Joannes Zac[hariæ] filius prodit ex deserto in quo prope ab in[fantia] vixerat, & mortales ad pœnitentiam i[nvitat] elutos aquâ Jordanis, ut paratiores essent [ad sus]cipiendum Messiam, quia puriores. Id [...] contigisse notant veteres Ecclesiæ Proceres

Rebellio, & C. Fusio Geminis, quâ nulla est
re Chronologicâ certior, quia Dei testimonio
nata est, atque stabilita.

Anno ætatis suæ 86. obiit Romæ Livia, seu Iu-
Tiberii mater, cui jam pridem infensus erat,
oniam in ea saltem tacitam morum suorum
isuram reformidabat. Mulier sanè non tan-
n utilis filio, sed & toti Reip. utpote quæ Ti-
ium utcumque continuerit, Sejanum omni-
qui eam aggredi nunquam ausus est, plusque
ım Tiberium ipsum reformidaret; tantùm
dquid Augustum attingeret apud Romanos
ebat cultus & venerationis.

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4083. | 783. | 30. |

*Primus annus.* τῆς κηρύξεως

Coss. L. Cassio Longino, & M. Vinicio Quar-
o, cùm jam Tiberius annum Imperii decimum
um ageret, Christus annos præter propter
inta natus ad Joannem venit, ut ejus manu
Jordane baptizaretur. Recusavit id opus
nnes, & Christi potiùs elui postulavit manu;
uievit tandem ejus petitioni, ut virtutis opus
rceret uterque, hic obsequendo, ille se de-
tendo. Sed dum Christus quasi peccator
r publicanos & sceleratos versaretur, Spiri-
S. sub columbæ specie, quis esset ostendit; &
d satis esset, Æternus pater filium suum esse
t, ut testimonio divino, eoque duplici, res
t testatior.

ecedit exinde in solitudinem Christus, in
cum dies quadraginta sine potu atque cibo
segisset, adfuit tentator Cacodæmon qui
triplici quasi machinâ labefactare conatus
gulæ, confidentiæ, atque superbiæ; quem
verbis, ex sacris codicibus petitis, retudis-
fugit Diabolus, accessere boni Genii cum
ibus, ut Dominum reficerent suum, eique
oriam gratularentur.

Ibi turbis indicatus est à Joanne, vocat A-
olos aliquot, inter quos primas tenuere Pe-
& Andreas. Cum iis atque Matre nuptiis
fuit in Canâ Galileæ celebratis, ubi aquis in
m conversis, primum ostendit quantùm su-
homines posset. Venit posteà Hierosoly-
n, ad celebrandum Pascha, obitòque hoc o-
religioso Judæam peragravit, in qua mi-
lis, sacrisque concionibus, animis atque
oribus providit.

Joannes interea missus est in carcerem, quo-
liberiùs reprehenderat Herodem, vir qui
ue mollibus vestibus neque verbis utebatur:
n ergo mulierosum Principem accusat ...ul-
i, effecit apud uxorium maritum Herodias,
lippi fratris uxor, ut vir sanctus in custodiam
pingeretur. Lustratâ itaque Samariâ, ac par-
udææ, venit in urbem Capharnaum Chri-
, in qua tandiu, sicque vixit, ut eam meritò
riam appellaret suam; graviùs tamen à Deo
igandam quòd ejus exemplis, sermonibus,
ue miraculis non esset facta melior, atque ex
diuturnâ amicâque commoratione Chri-
nihil præter opprobria, contemptusque re-
isset.

In hanc urbem cum veniret, dum per Samariam transit, incidit in mulierem Samaritanam, à quâ primùm contemptus quasi Judæus, posteà ut magnus Prophetes & honoratus, & Samaritis popularibus suis nunciatus est. Sic obtinuit cœlestem aquam mulier, dum terrenam quærit, Christusque tum sitiens atque fame licus ostendit se majori torqueri fame atque siti, videlicet homines patri suo reconciliandi, atque conjungendi. *Samaritana cum Christo colloquitur.*

Tum quoque sanatus videtur Reguli filius periculosè decumbens, licet abesset à Medico, ejusque pater cum universâ familiâ addictus est Christo, qui hoc facto & unius corpori, & multorum animis profuit. *Reguli filius sanatus.*

Circa hoc etiam tempus litteræ inter Christum & Abgarum Edessæ dynastam ultrò, citròque missæ sunt, quæ licet à Gelaso inter Apocrypha rejectæ, magnos tamen olim laudatores, & vindices habuere. Cum iis quoque ad Principem misit Christus imaginem suam impressam Sindoni, quam vultui suo frigidâ perfuso admoverat, pollicitus illi à morte suâ Apostolum, qui eum ad veram religionem erudiret: ita pius Regulus Christum vidit & coluit, neque tamen fidei suæ præmio caruit. *Abgarus Christum noscit.*

Tiberius Afinium Gallum ad se missum, ac primò comiter acceptum, diuturnis deinde vinculis maceravit, quo modo & in alios multos sæviit. Neque enim statim interficiebat, quos addixerat neci; sed ita mulctabat, ut se sentirent mori. Quare cum invitaretur ad perdendum reum, respondere solitus erat, se nondum cum eo reconciliatum esse; morte videlicet habebat aliquid crudelius; diuturnam scilicet mortis inter longa supplicia expectationem, quam super cæteros miser ille Gallus expertus est. *Tiberii crudelitas.*

Honores in Sejanum tam multi congeruntur, ut huic nihil deesset præter Tribunitiam potestatem, proximum ad Imperium gradum. Quod invidiam in eum Tiberii movit, quasi evigilantis ex somno. Eum itaque destinat Consulem in annum sequentem, in speciem ut attolleret, reverâ ut perderet. Sed ut eum callidiùs perduceret in insidias, appellabat suum Sejanum, in publicis diplomatis ejus nomen apponi curabat cum Imperatoris nomine; in tabulis, Sejani imaginem cum Tiberiana copulari, amborum currus aureos in Theatrum ut hi, quibus tamen homo vanissimus ad interitum properabat; usque adeò honores summi, cum ultimâ ruinâ copulati sunt. *Sejani summa potentia.*

## CAP. IV.

### *Decas Quarta.*

*Ab anno Christi 30. ad 40.*

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4084. | 784. | 31. |

*Secundus annus* τῆς κηρύξεως.

Christus Galilæam lustrat, & in eâ multorum varias ægrotationes sanat; neque enim curationes *Christus Galilæam lustrans multos sanat.*

rationes istæ pluris huic stabant quàm unâ voculâ, aut levi contactu; ut qui præstaret tam facilè, Deus aspectabilis crederetur. Hoc quoque anno secundum celebravit Pascha, quòd quia Joannes appellavit tantùm *diem Festum*, inde factum ut à nonnullis ex numero Paschatum expungeretur; quasi vero Pascha, dies Festus κατ' ἐξοχὴν vocari non possit.

*Paralyticus annorum 38. sanatur.*

Circa hoc tempus Paralyticus jam annos duodequadraginta hominem expectabat à quo conjiceretur in piscinam, in quam victimarum & ovium defluebat cruor, unde ei nomen *Probaticæ*, cujus aquam quotannis Angelus commovebat, quam ubi ægrotus unus attigisset, illicò sanabatur. Sed imperante Christo, nec Angelos venire, nec aquam commovere, nec immitti in hanc piscinam languenti homuncioni opus fuit statim se hic erexit in pedes expeditus, grabatumque cui tandiu affixus fuerat, in humeros impositum deportavit domum, mirante universo populo, Archisynagogo Hypocritâ, duntaxat ex invidia reclamante, quasi Sabbathi Dominus curare non deberet in Sabbatho; & qui mirabiliter sanatus erat, tanti miraculi fidem publicam facere die ipso Sabbathi prohiberetur.

*Apostoli spicas revellunt in Sabbatho.*

Sed in Christi quoque discipulos Scribarum & Pharisæorum exarsit invidia. Hi esurientes die Sabbathi dum ambularent per sata, vellebant spicas, & excussis granis, manuum attritu vescebantur; visum est id grande nefas hominibus tumentibus fastu, quem tamen Christus egregiè retulit, allatoque Davidis exemplo discipulos excusavit, docuitque ignaros esse illos Mosaicæ legis Interpretes, plus esse in iis invidiæ, atque malevolentiæ, quàm doctrinæ, & eruditionis.

*Sermo habitus in monte.*

Igitur, iis omissis, cum Apostolis conscendit in montem, in quo mirabilem concionem illam habuit, docuitque in quo sita esset vera mortalium felicitas, neque hanc ex corpore & sensibus, sed ex animo, quem cœlestis extulisset gratia, æstimandam esse.

*Leprosus curatur.*

Non ita multò post Leprosum ad pedes suos accidentem sanavit, jussum offerre se Sacerdotibus, ut hi judicarent eum valetudini restitutum, sic enim lex Mosaica postulabat; sed insuper, ut eum agnoscerent qui Mose superior esset.

*Servus Centurionis sanatur. Hæmorrhoissa.*

Tum quoque expertus est eamdem vim servulus Centurionis, digni qui Dei loquentis ore laudaretur, & qui militis haberet nihil, præter fortitudinem. Sanavit & Hæmorrhoissam, sed dum aliud agere videtur, & quasi fluxus ille sanguinis tot pharmacis frustra prohibitus, eo minus cogitante repressus esset. Sed fidei plena mulier fimbriâ ejus vestimenti religiosè contigerat, qui tactus m d c mentis omnibus longè prævaluit. Nec ejus beneficii pia mulier immemor fuit; simulachrum enim ex ære Christo posuit, cujus illa ad pedes accidebat. Ad Basim statuæ subnascebantur flores atque herbæ, quæ ubi fimbriam vestis Christi osculabantur, & lambebant, fiebant Panaceæ; perstititque vis illa divina, donec Julianus Apostata huic statuæ revulso Christi capite, suum imposuit; tum ènim cælestibus ignibus afflari meruit, quæ hòminis impurissimi vultum momento temporis ferre potuisset.

Porrò cum mulierem illam valetudini pristinæ restituit, pergebat in Jairi Archisynagogi domum ut hic filiam mortuam excitaret: & sanè ejecto priùs apparatu libitinario, puellam restituit vitæ, atque patri, tantâ facilitate, ut non mortua fuisse, sed de somno evigilasse vi[deretur].

Indidem dum redit cæcos illuminavit duos muto energumeno, usum linguæ restituit ac totum hoc iter multis miraculis illustratum est.

Id temporis Simonis Socrus magnis febribus æstuabat, in qua sic vim omnem morbi sub[ito] Christus extinxit, ut illa mox discumbentib[us] ministraret, atque hoc pietatis officio se penitus sanam esse demonstraret.

Suscitatus est deinde filius viduæ qui jam i[n]clusus loculo à Vespillonibus ad tumulum po[r]tabatur. Turba stare jussa, revixit adolesce[ns] ac redditus est matri, præ gaudio morituræ, n[...] qui ex mortis faucibus eripuerat filium, eò m[a]trem progredi vetuisset; pompa funebris in t[ri]umphalem versa, Christi laudes celebravit, q[...] lessum, & næniam occinebat.

Missi sunt quoque tum ad prædicandum [...] scipuli, qui quantumvis rudes, magistro [...] men suo pleni saluberrimas conciones hab[ue]runt, eo potentiores quò etiam miraculis, [...] sanationibus subditis jungebantur. Aliu[d] Joannes Prodromus discipulos suos ad Cl[hri]stum ablegavit, mortis suæ vicinæ præscius, [...] eo mortuo magistrum præstantiorem nanci[sce]rentur.

Et verò non ita multò post Salome, filia [He]rodiadis ex Philippo, in natalitiis Herodi[...] trici, tanta palæstra tam concinnè saltavit [...] ei Rex offerret cum juramento, quod max[imè] collibitum esset. Petiit illa, suadente m[atre] Baptistæ caput in disco, quod ab impio reg[e] que sacrilego obtinuit. Sæviit in sacrum c[...] Herodias & acu discriminatoria violavit [...] muliebriter ulta conciones viri Sancti, quæ [...] dinosam ejus vitam acerbioribus aculeis p[un]gerant.

Is annus, qui Coss. habuit Tiberium Cæs[arem] quintum, & L. Ælium Sejanum, hujus e[...] celeberrimus extitit. Eò conscenderat h[...] superbissimus ut jam se pro Imperatore g[e]ret, Tiberium rectorem Caprearum, inter[...] cos, appellaret. Eum ut securiùs Impe[rator] perderet (neque enim sine periculo hic for[...] filiolus potuit exterminari) quasi pertenta[...] gna aliqua minùs benevoli in eum animi e[...] tum præficit occultè Prætorianis militibus [...] vium Sertorium Macronem hominem [...] ctum sibi, & Sciano privatim inimicum. [...] illum dat litteras Imperator ad Regulum [Con]sulem suffectum, sicque disponuntur omn[ia] Prætoriani castris inclusi nihil tumultuar[entur]. Cum venisset nihil sibi metuens Sejanus [in Se]natum, publicè Tiberii legitur Epistola, [...]

:erem compingi jubebatur; statim repugnan-
:emine conjicitur, eodemque ductu Senatus
:etur in æde vicinâ Concordiæ: hic lectâ in
i Tiberii accusatione addicitur morti; cædi-
:arnificis manu, ejusque corpus unco in Ge-
:nias scalas trahitur; statuæ omnes ejus e-
:æ, filii ex Senatusconsulto cæsi, filia licet de-
:nsata Claudio, prius à carnifice corrupta, de
:e, strangulata est. Apicata autem uxor,
:s patefacto Drusi veneno, & Livillæ nequi-
:sibi ex desperatione violentas intulit manus.
:ulus denique in ejus amicos sæviit, cui se
:niscuere Prætoriani, ut se innocentes o-
:derent; quibus cædibus, de more, nocenti-
:innocentes permixti sunt. Cæsus tum Fu-
: Geminus amicus Sejani, necata & anus ma-
:ejus Vitia, quòd filium defleret; tanto enim
:tuus odio flagrabat, ut hunc, aut huic ami-
:è conjunctos lugere esset tum Romæ capita-
: Hic finis Sejani fuit, fortunæ alumni, quo
:tenus magis extulerat neminem, neminem
:ressit magis, & exemplum eum statuit Prin-
:um ἑταίροι: ut videant quid in magnâ fortu-
:lebeant reformidare.

:Pertinere videtur ad hoc tempus Valerius
:ximus: nuncupat enim opus suum Tiberio,
:post Sejani obitum scribit, quem *dignum in-*
*: recipi* asserit. Habet aliqua quæ latinita-
: jam corruptam innuant, ut *mea parvitas*;
:re eum ait Erasmus *tam similem Ciceroni,*
*:m mulum homini*. Hinc aliqui eum ad an-
:n Christi 254. rejiciunt, & cum Volusiano
:peratore Consulem faciunt; sed laudatur à
:lio & Plutarcho, & rectè ostendit Vossius ad
: tempus spectare: hunc perlege, vel nobis
:de. Dubitatur an sit ejus integrum o-
:, an tantùm Epitome à Par de concinnata;
:utrimque rationes, dubium rationi conso-
:n arguunt.]

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4085. | 785. | 32. |

*Tertius annus κηρύξεως Christi.*

:Secedit Christus in desertum trans mare Ti-
:iadis, quo proficiscens tempestatem sedat, ac
:ventorum ac naturæ dominum probat: sed
:lò post longè evidentiùs, cum incredibilem
:puli multitudinem paucis panibus, & paucio-
:us piscibus pascit, escis etiam redundantibus,
:repositis ad futuram famem; quod non semel
:stitit; bis enim hoc edi miraculum populi in
:ristum benevolentia, hujusque vicissim in il-
:n amor flagitavit.

:Monitus ire ad tertium Pascha, negavit itu-
:m se; ivit tamen, non publicè, sed occultè,
:que adhiberi posse ex causâ ἀμειβολογίαν, &
:quivoca docuit, sine mendacii notâ, & suspi-
:one.

:Postea in finibus Tyri & Sidonis Chananeæ
:l Syrophænissæ filiam à dæmone obsessam li-
:eravit, ubi matris fides atque demissio, iratum
: speciem, sedavit Christum, & mulieris licet
:hnicæ ab eo laudes expressit.

: Prope Cæsaream Philippi, ubi Jor & Dan fluvioli commissi Jordanem conjunctis aquis efficiunt, Petrum divinitatem magistri sui publicè professum prædicit fore caput Ecclesiæ, atque fundamentum quod frustrà inferi concutere, ac labefactare niterentur; & id verum esse hactenus demonstravit eventus.

In monte Ataburio, seu Thabor 8. Idus Augusti Christus Petrum, Jacobum ac Joannem Apostolos deduxit, ibique à reliquis disjunctus ostendit quis semper esset, nisi miraculo comprimeret vim divinitatis. Elatus enim super terram instar Solis emicuit; qui radii vestem ejus illustrantes nivis instar eam candidam effecere, ut corpus ejus fulgentissimum sidus, toga instar nubis esset, quâ obvelaretur. Moses & Elias ejus quoque stipabant latus, & innuebant utramque legem naturalem atque scriptam, ei tanquam principi subditas esse; qui aspectus testes Apostolos ita perstrinxit; ut raperentur in ecstasim, atque ita loquerentur, ut quæ dicerent, non hominum ratione utentium, sed extra se raptorum esse verba viderentur. *Christi Transfiguratio.*

Ex hoc monte cum descendisset Christus, oblata est ei mulier in adulterio deprehensa, rogatusque uti ejus arbiter esset. Accusatores Scribæ atque Pharisæi credebant à se Christum sic implicatum esse, ut periculum adiret violatæ vel mansuetudinis suæ, vel legalis justitiæ: sed ità se expediit Christus, ut hunc supra mortales sapere confiterentur. Suspendit enim judicium suum, & rogavit aliquem ex adstantibus in turpem mulierculam primùm lapidem jacere, qui exsors hujus criminis esset; interim eorum crimina exarabat in pulvere, quæ cum legissent, & eorum essent conscii, unus post alium dilapsi omnes, Christum cum reâ deseruerunt; quam sic admonuit, ut ostenderet neque sibi scientiam ut internosceret, neque justitiam uti castigaret, neque facilitatem ut condonaret, homini simul atque Deo defuisse. *Mulier in adulterio deprehensa.*

Exinde cæco à nativitate restituit oculos cùm eos, uti jussus erat, in natatoriâ Siloë abluisset: Hic homuncio aliunde firmioris ingenii fuit, & hujus rationes Scribæ nonnisi convicio rejicere potuerunt. Quare Christus Dominus expulsum injuriâ à Synagogâ, etiam laude putavit dignum, ostenditque homulos Dei spiritu plenos, etiam Legisperitis esse doctiores nonnunquam, & constantiores. *Cæcus à Nativitate sanatur.*

Designati septuaginta duo Discipuli Magistro suo venienti parant viam, atque ita populos instituunt, ut illi se ejus magisterio, hi se dignos ejus societate atque consortio profiterentur. Interim multa obiit Judææ loca, ubi & animis & corporibus profuit, & his valetudinem, illis virtutem sapienter restituit. *Discipuli à Christo missi.*

Ad Encœnia cum venisset Christus nihil propius factum est, quàm ut lapidibus obrueretur; quos tamen declinavit: neque enim Prophetæ afflati divino spiritu ei lapides, sed crucem intentarant. *Christus lapidibus appetitur.*

Consul Domitius Ænobarbus, Collegam habuit Furium Camillum Scribonianum, non ordinarium, sed suffectum; ejus enim collega Aulus Vitellius fuit, quando clades Sejani amico-
rum

rum nonnihil interruptus est; mox tamen recrudunt; luctus tamen in morte cæsorum permissus, qui antea vetitus erat, atque capitalis. Tum autem accusatus M. Varro de amicitiâ Sejani egregiè se defendit, quasi sibi præluxisset Tiberius, à quo impensiùs amatus erat; cujus oratio tam æqua Senatui visa est, ut ab eo hæc amicitia probaretur, etiam ipso non improbante Tiberio; qui licet rationis inimicus, hac ratione tamen se convictum putavit.

*M. Varro amicus Sejani absolvitur.*

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4086. | 786. | 33. |

*Quartus annus κηρύξεως, & Passionis.*

*Christi parabolæ.*

Multas hoc anno parabolas Christus dissеruit quibus discipulos erudiret; Syrorum more; apud quos hæ erant in usu, ad erudiendos homines propter facilitatem aptissimæ.

*Lazarus suscitatus.*

Lazarus inter hæc ægrotavit Bethaniæ, atque ita ægrotavit, ut de ejus salute sorores Martha, & Maria desperarent. Mittunt ergo ad eum nuncium, eumque admonent de periculo fratris, nihil addunt ultra, de Christi in eum amore certiores. Ac primùm dissimulare visus est Dominus periculum, neque se dedit in viam, nisi quando eum mortuum esse vidit. Tum verò Bethaniam venit, non quasi Lazaro vitam, sed sororibus ejus solatium allaturus. Cum non procul abesset à Bethaniâ mortuum esse Lazarum didicit, quod jam noverat; atque ad ejus tumulum se deducendum curavit. Fœtebat jam quatriduò inclusus tumulo, sed id exoptabat Christus, ut quid posset, indicaret. Verbo enim triplici eum extraxit è tumulo vivum, ac suis sororibus spirantem reddidit. Quod cum Pharisæorum multi oculis, reliqui auditione didicissent, Christum perdere decreverunt, inepti qui non intelligerent Christum præstiturum sibi, quod in Lazaro perfecisset. Quia tamen mori nondum decreverat, secessit in oppidum Ephrem, non tam uti vitaret mortem, quam ut iis ostenderet sibi tectum esse nihil, & jam sibi eorum consilia innotuisse. Neque verò hic diutiùs substitit, venit enim paulò post Hierosolymam, & tanto ardore venit, ut ægrè eum discipuli sequerentur, quibus & imminentem aperuit mortem suam tam enucleatè, ut agnoscerent eam illi liberam esse; neque mori nisi quia vellet. Dum autem Hiericonte transit, incidit in Zachæum, quem visum in arbore, quia parvum ad se venire jussit, hospes ejus voluit esse, eumque ita sibi devinxit, ut de publicano justum faceret Dei contubernio & amore dignissimum.

*Christus secedit in urbem Ephrem.*

*Redit Hierosolymam*

*Incidit in Zachæum.*

*Magdalena ejus pedes illinit.*

Diebus sex ante Festum Paschæ in domo Simonis Leprosi cibum sumpsit, quando Magdalena peccatrix ad cœnantem accessit, pretiosissimo unguento pedes ejus illivit, capillis abstersit eum habere aliquid supra hominem professa, cui se infra fœminam subjiceret. Quod cum Judæ proditori displicuisset, & Christus ejus avaritiam corripuit, & Magdalenæ factum omnibus retro sæculis probandum occinuit, præmiorum ex æquo pœnarumque justus distributor. Utrum autem eadem & hic Christum, & apud Lazarum, & in sepulchro perunxerit, fueritque una, & peccatrix, & Christo Domino acceptissima, non est hujus loci statuere. Hoc tantùm dico, uti tres Magdalenas admittere cum quibusdam non indoctis mihi durius semper visum est, sic amantem Christi à peccatrice distinguere pium atque religiosum censeri.

Mox Hierosolymam ingressus est triumphantis instar, insidens Asello substratis Apostolorum vestimentis, dum populus non ramos modo, sed & vestes suas, ei calcandas objiceret, atque ejus adventum verbis tantùm Deo debitis honoraret. Nihilominus inter faustas illas acclamationes Christus lacrymas profudit uberes, atque urbis excidio sic indoluit, ut non tam id prævidere dissitum, quàm præsens spectare videretur. Neque tamen ultra voces & ostentationem, honor ille redditus Christo processit; nullus enim eum hospitio, nullus eum tecto, mensàque dignatu est: quare Bethaniam redire compulsus est, ub exceptus de more à religiosis sororibus, atqu Lazaro ostendit, verum Dei cultum paucorun esse, & magnificos illos conventus plus nonnun quam habere pompæ, quàm veræ, synceræq religionis.

*Feria quarta* Majoris, & Sanctioris Hebdo madæ, venit ad Pharisæos Judas, eisque se pro diturum Magistrum spondet, si pecuniæ nonn hil sibi numeraretur. Argentei triginta promi si sunt, summa non exigua, ut quæ ad emendu agrum Figuli, in peregrinorum sepulturam sa esset. Plus igitur obtinuit, quàm petebat; era enim venditor & emptores excœcati, hi invid ille avaritiâ, quibus animi pravis motibus hon nes concitati nihil unquam sapienter facere lent.

*Feria quinta* discipulos emisit duos qui pa rent Pascha, & Cœnam illam Mosaicam in c religiosè comedebatur Agnus; oblatum est à gato Patrefamilias, viro bono, grande cœnac lum, & dignum præstantiori sacrificio, qu quod eo die Lunâ decimâ quartâ primo Azyn rum die à Judæis celebrabatur. Nam post gni mystici comestionem legalem, Christus stem cœnatoriam deposuit, lavit Apostolor pedes, auspicatus à Petro tergiversante prim sed deinde ob minas acquiescente; perfunct que hoc magnæ demissionis opere, omni æ matione majus, atque excellentius perfecit. C pus enim suum & sanguinem sub speciebus nis atque vini mirabiliter occultavit, adeò ut perditam panis & vini naturam Christi Cor & Sanguis explerent, quibus adhærerent c taxat accidentia panis & vini, non inhære divinâ carne, atque sanguine, admirabili c dam modo, sustentata. Quod amoris sui ar tissimi in homines monimentum singulare, tantùm hujus diei voluit esse, sed quandiu c ceps stabit orbis terrarum, Sacerdotibus su de creatis, qui operantis Dei instrumenta fo divinamque potentiam quotiescumque vellent ad hoc miraculum quodammodo gerent.

Post habitam ad Apostolos suos admirab Deoque dignam concionem, fusasque de r ad parentem suum religiosas preces, in ho

C

livetanum processit, adhibitisque tribus dun-
xat arbitris, lapidis tamen jactu revulsus ab
is, tristitiæ, aliisque perturbationibus, animi
œrentis habenas laxavit. Terribiles fuisse, &
usitatas liquet, quòd ab ejus corpore sangui-
s sudorem, cruorisque rivos expresserint, qui-
is circumposita madebat humus, inusitato pla-
: portento, & cui simile nulla unquam ætas
dit. Inter hæc prostratus humi Christus, ac
to corpore in terram religiosè provolutus ro-
bat patrem; neque enim ab Apostolis sperabat
xilium, quos gravis sopor oppresserat, neque
n tertium excitati amicis ejus adhortationi-
s, evigilarant. Peractâ demum oratione a-
oris, fiduciæ, demissionisque plenissimâ, eâque
tiùm repetitâ, Judam cum Pontificis satelliti-
s adesse videt: his fortiter occurrit, accepto-
e proditoris osculo, verbulo cohortem uni-
rsam affligit humi, ut quid in eam posset, o-
nderet. Cæteris Apostolis animosior Petrus
dium eduxit, Malchoque rescidisset caput
i manus aberrasset, auriculam tantùm infelix
nuncio perdidit, quam tamen illico divino
ntactu sanavit Christus, etiam in hostes suos
ericors. Increpitæ demum huic multitudi-
otestatem sui capiendi facit, quâ tamen cru-
iter abusi sunt homines isti, jam dæmonis in-
umenta, atque Pontificum, à quibus ad tor-
ndum Christum suggestione, verbis, atque
uniis incitabantur. Posteaquam igitur eum
ictum humi calcibus ac fustuario malè mul-
unt vinctis post terga manibus cum magna
iferatione, etiam per occurrentes Cedronis
as in urbem raptant ad Annam Principem
gni Concilii septuaginta duorum, quod *Sy-
rim* vulgò vocitabant. Hic interrogatus de
trinâ suâ discipulisque Christus, de his quia
itivi erant, atque desertores, tacuit; de doctri-
uâ tam sapienter respondit, ut interroganti
orem injiceret; quæ tamen responsio divina,
c alapâ, atque dedecore stetit, Annâ crudele-
stumque factum, suâ taciturnitate saltem ap-
bante.

nde pertrahitur ad Cayphæ Pontificis do-
m, in quam Scribæ Pharisæique convene-
, omnes Christi denunciati inimici, & qui
sanguinem sitiebant. Testibus aliquot in-
ogatis, cùm ii non satis sibi, accusationique
starent, Cayphas ab eo quærit, interposito
nomine, utrum Dei filius esset, quod cum
nuè fassus esset, vestem ille discidit suam,
ra divinam legem, flagitiosus Pontifex, ut
in Christum indulgeret suo, quâ tamen la-
tione ostendit Pontificatum genti suæ mox
iendum esse, non verbo tantùm, sed & factis
dicus vates. Hic cum ab omnibus pronun-
us esset reus Christus, & nondum aurora lu-
et, dant se quieti nequissimi judices operien-
diem, Christum in servorum suorum mani-
relinquunt, à quibus reliqua passus est no-
, quidquid à servulis afflatis malo genio vir
ctus & honestus tolerare potest.

Sed in hac domo aliquid accidit Christo om-
us illis opprobriis gravius. Negatus est enim
etro licet admonito, & ter negatus antequam
bis cantasset Gallus. Cujus cantu monitus Pe-
trus ad lacrymas secessit, tam uberes, ut his elui
triplex crimen mereretur.

Ubi primùm illuxit dies à Pontificibus atque Scribis ad Pilati Præsidis tribunal, magna ambitione perductus est, die ipso Parasceves. Cùm Pilatus accusationem ex odio factam statim subodoratus esset, causam à se rejicere conatus est, & quia reus Galilæus dicebatur, ad Herodem remittere. Ad regem ergo pertrahitur Christus; sed cum huic nullum respondisset verbum, Joannis viri Sancti percussorem impium nullo dignatus alloquio, quasi fanaticus aut insanus ad Pilatum remissus est in veste candidâ, quâ tamen ejus innocentia ab imprudenti judice significabatur.

*Hinc ad Pilatum, & Herodem ducitur.*

Ad Romanum igitur tribunal actio omnis revocata est: quam cùm ex odio vel invidiâ conflatam Pilatus videret, consilium suscepit ex pietate, plenum acerbissimæ crudelitatis. Christum tam malè mulctare parat, ut ejus accusatores ipsos mulctati misericordia caperet. Verberibus itaque eum addicit, sed tam sævis & atrocibus, ut ex iis nihil integrum in corpore, solam ex prætorio referret vitam, imperatis verberibus etiam satellites addidere crudeliorem ignominiam, spineam enim coronam ejus imposuerunt capiti, decussatisque pilis prope ad cerebrum vi adegerunt; ad hæc pro veste vilem detritamque adhibuere purpuram, cum arnndine in manu, ut theatralem regem apparatu illo scenico exhiberet. In hoc cultu proponitur populo à Præside ex umbone; verùm multitudo per Pontifices huc illucque discurrentes incitata crucem his suppliciis adjici postulavit, atque à Pilato invito licet, & ab uxore, & conscientia prohibito sententiam iniquissimâ extorsit. Frustra judex abluit manus suas, quasi ex aquali guttæ aliquot crimen obliterarent, quod mare totũ non posset eluere.

*Reducitur ad Pilatum.*

*Laceratur flagris, & spinea corona ac purpura exornatur.*

*Damnatur à Pilato.*

Ducitur ergo in Calvariæ locum cruci suffigendus Christus medius inter latrones, & sicarios duos, ut eorum sceleratissimus haberetur; sed cum crucem ferre non posset, de more, ad eam portandam compulsus est villicus quidam Simon Cyrenæus, bajulus felix, dignusque cujus prosapia à Scriptoribus sacris appelletur.

*Ducitur in Calvariam.*

Hora diei sexta trabalibus clavis affixus cruci elatus est; cujus ad aspectum Sol lucere desiit, terra motibus insolitis concussa, natura ad pristinum chaos redire visa, ut conditoris sui ulciscerentur injuriam: tandem sub horam nonam post septem prolatas in cruce sententias, pietatis plenissimas, aceto potatus & felle spiritum emisit, & morte sua crudelissimam Dæmonis servitutem extinxit in ligno, quæ ex ligno, esu fatali pomi, contracta fuerat.

*Affigitur cruci.*

*Moritur.*

Cum igitur magni Sabbathi dies immineret, hoc est Pascha cum die Sabbathi concurrens, ne reorum corpora remanerent in cruce, latronibus comitibus Christi crura confracta sunt, ut citiùs morerentur, Christi jam mortui haustum lancea latus, ne quid in eo spiritus resideret. Exinde permittente Pilato per Nicodemum unguentis delibutum ejus corpus in tumulo novo conditũ est, cui adhibiti sunt custodes Præsidis, ita postulan-

*Sepelitur.*

ſtulantibus Scribis, non ut Apoſtolorum ejus prohiberetur furtum, ſed ut ejus ſurgentes è tumulo vita eſſet omnibus deinceps populis teſtatior.

*Reſurgit.* Poſt alterum enim integrum diem, ſub auroram diei hujus qui nobis Dominicus eſt, & apud Chriſtianos in Sabbathi ſucceſſit locum, redivivus ex inferis Chriſtus, ſtipatusque Patriarcharum choro, quem ex Dæmonis unguibus eripuerat, proceſſit ex tumulo, ita turbatis cuſtodibus ut vitæ ſuæ, quàm ſepulchri ſervandi ſollicitiores eſſent. Ab hoc tempore per dies quadraginta cum matre, atque ſuis verſatus eſt, ita tamen, ut jam mortalitatem ſuam exuiſſe videretur. *Aſcendit in cœlum.* Quibus evolutis, ſpectantibus multis ex Olivetano monte vi propriâ conſcendit in cœlum, per duos Genios ſuis admonitis, rediturum ſe Judicem in terras, quas ad tempus duntaxat relinquebat, ut ultimorum Comitiorum recordatione Chriſtiani omnes in officio continerentur. Hic autem dum recedit, pedum ſuorum veſtigia reliquit, nullo tempore, nullis peregrinorum oſculis, nullâ ſcalpturâ eradenda; ſicut & nunquam obtegi potuit aeris locus, per quem evolarat in cœlum, templi, quod ibidem à Chriſtianis conditum eſt, fornice dehiſcente ſemper, & nunquam lapides, quibus hiatus ille clauderetur, admittente.

*Iudæ loco eligitur Matthias.* Regreſſi Hieroſolymam Apoſtoli de alio in locum proditoris Judæ ſubſtituendo deliberarunt. Hic enim impiè facti ſui impii pœnitens, relatis argenteis triginta, exploſusque à ſuis emptoribus contumelioſè, ſibi fregerat laqueo gulam, & ſuſpenſus ex arbore ſua viſcera voranda corvis egeſſerat. Propoſiti ergò duo ex diſcipulis Joſephus Barſabas, & Matthias, permiſſi ſunt ſorti; ſed quam regebat Deus; Electus Matthias, rejectus Joſephus, quamvis huic Juſti nomen homines indidiſſent; quia aliter plerumque Deus, aliter homines dijudicant.

Die ſacro Pentecoſtes, quo in monte Sinai lex data fuerat Iſraelitis, alia longè mitior atque facilior hominibus conceſſa eſt. *Mittit Spiritum ſanctum.* Spiritum enim Sanctum, atque ſuum effudit Chriſtus in ſuos, quo animati dignam Chriſti aſſeclis vitam inſtituerunt. Hoc pleni, linguis variis locuti ſunt Apoſtoli, atque vi miraculorum præpotentes multos adjunxerunt ſibi. *Sanatur Claudus.* Claudum enim mendicare ſolitum ad portam templi, ideoque notum omnibus, Chriſti interpoſito nomine, rectum effecere; cujuſdam firmant veſtigia, plurimos Chriſtianam viam, ipſis præeunte loripede illo, decurrere compulerunt. Fruſtra Pontifices eos ab officio ſuo minis priùs, deinde etiam *Apoſtoli Chriſtum prædicant.* verberibus deterrere voluerunt; contempſere minas, etiam riſerunt inter plagas, & aliquid pati pro Magiſtro laudibus omnibus & voluptatibus antepoſuerunt.

*Primorum Chriſtianorum vita.* Sic autem tum vivebant qui Chriſti profitebantur fidem, ut eodem omnes animati ſpiritu viderentur, vellent idem, idem nollent, ab iis verba illa *meum* atque *tuum*, rixarum omnium ſeminaria, tollerentur. Vendebant ergo patrimonia ſua, depoſitoque ad pedes Apoſtolorum pretio, accipiebant in dies ſingulos unde viverent, nullius rei præterquam ſanctioris vitæ ſolliciti. *Ananias Saphira moriuntur.* Cum tamen Ananias & Saphira, pretii partem ſepoſuiſſent; & coram Petro mentiti eſſent non homini ſed Deo; continuò expirantes didicerunt in eos numen animadvertere durius, & acerbiùs qui vota liberè concepiſſent, eademque ſervare malitioſè neglexiſſent.

Interea tamen inter credentes turbarum aliquid exortum eſt, ob Græcorum viduas, quibus Hebræi non ut ſuis providere dicebantur. *Stephanus lapidatur.* Cum ea curantia dedeceret Apoſtolos, electi ſunt Diaconi ſeptem qui rebus externis invigilarent. Inter eos eminebat S. Stephanus, qui plenus divino Spiritu cum obſiſtentes Judæos confunderet, & huic compoſiti hiſcere non auderent, ei calumniam conflavère, & damnatum iniquiſſimo judicio, quaſi ſacrilegum lapidibus obruêre. Sed hujus ſanguis Chriſtianorum ſemen fuit, ex quo exortus videtur eſſe Paulus, qui lapidantium veſtimenta ſervans, unus ipſe in multis ſæviebat. Ex ſeptem quoque Diaconis unus fuit Nicolaus, *Ni...* unde Nicolaitæ ob hæreſim ſuam infames, quâ nonnulli Nicolaum infectum volunt; alii virum bonum fuiſſe contendunt, & tantùm ob diſcipulos ſuos infamatum. Tum diſperſi ſunt diſcipuli, Apoſtolis tantùm Hieroſolymæ remanentibus à quibus urbis Epiſcopus creatus eſt Jacobus Domini frater, ſive conſobrinus, vir Sanctiſſimus, & ab inimicis ſuis atque Chriſti, etiam cum veneratione cultuque ſuſceptus.

*La... M... na... th...* Tum ferunt Lazarum, Mariam, atque Martham alioſque veteri navigio à Judæis impoſitos, appuliſſe ad Maſſilienſium littus, ibique diſſeminaſſe fidem. Quod cum inter eruditos ſit controverſum, & negantem partem pauci quidam eruditione ac ſcriptis, ajentem multi etiam diplomatis, atque judiciis tueantur; taceatur in hoc negotio tutiùs, neque cum tanto periculo viris prudentibus, eruditis eſſe licet. Quod autem aliqui Græculi confinxere Magdalenam veniſſe Romam ut Pilatum de Chriſti nece accuſaret, tam abſurdum eſt, ut mirum ſit inveniri potuiſſe homines qui tam ſtolidè inſanirent in gente olim tam ingenioſâ.

*G... e...* Romæ Coſſ. Servio Sulpitio Galbâ, & L. Cornelio Syllâ multa per Senatum adulatorem in honorem Tiberii decernuntur; ſed in iis immodicus Junius Gallio damnatus exilio didicit, conceſſas principibus falſas laudes ſemper in accipientium dedecus, in concedentium nonnunquam damnum redundare.

Crudelitas hoc anno Tiberii publica privataque fuit; hâc ſuſtulit Druſum, ejuſque matrem Agrippinam, acerbiſſimâ fame; illâ mille homines in foro jugulati ſunt unâ nocte, reliquis Romanis exanimatis metu, ne idem ſibi contingeret. Tiberius tamen ne in omnes ſævus appareret, neque ſe exterminatorem Germanici familiæ profiteretur, ejus filiabus duos ſponſos deſtinavit, Druſillæ L. Caſſium, Juliæ M. Vinicium, cum ab iis nihil ſibi metueret, earumque contemptu boni principis nomen aucuparetur.

MUNDI

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4087. 787. 34.

Saulus Hieroſolymis furens, etiam extendere rabiem forâs in Chriſtianos voluit, extortiſque à Pontifice litteris Damaſcum perrexit, ut Chriſti fautores in vincula datos pertraheret Hieroſolymam, 72. ſeniorum judicio condemnandos. Eò cùm feſtinaret probè ſtipatus, circumfuſus divinâ luce, ex equo dejectus lumen amiſit, didicitque hac expeditione non homines, ſed Deum ipſi peti. Submiſit illico ſe loquenti Numini, & eos deinceps ſequi & amare decrevit, quorum injurias illatas ſibi Deus exiſtimaret. Monitus intereà à Deo Ananias, ei ferre jubetur opem, ejuſque animo, ac corpori providere; reſtitit ille primùm audito Sauli nomine; ſed ubi deſtinatum novit à Chriſto ad multa agenda, atque perferenda, religionis causâ, ad eum acceſſit, ſacrâ intinxit aquâ, eumque Chriſti diſcipulis accenſit. Recepit illico viſum Saulus, epuliſque refectus docuit crimina ex errore ſuſcepta nihil nocere viris magnis, propter quæ dum ſe demittunt & abjiciunt, redduntur ad magna ſubeunda pericula paratiores.

Eodem tempore Philippus Samariæ tam multos adducebat in Chriſti ovile, ut huic auxiliatores mittendi fuerint Petrus & Joannes, qui Chriſtianis inſuper Spiritum S. pæne aſpectabilem procurarent. Apoſtolis ergò in hac urbe ſubſiſtentibus idem Philippus à Deo juſſus eſt adire Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum, eumque ſalutari lavacro eluere. Statim ergo in eum incidit redeuntem Hieroſolymis, & legentem in curru Iſaiæ dictum de Chriſto; quò aſcendere invitatus, cum enarraſſet locum, virum tam paratum vidit ad veram ſynceramque religionem capeſſendam, ut in fonte occurrenti baptizari meruerit, factus deinceps apud Æthiopas præco Chriſtianitatis, immò in Arabia Felice, atque Taprobanâ: tandemque martyrio coronatus, miraculis vivus ac mortuus claruit.

Tum quoque Samariæ primùm pugnare cœpit Petrus cum Simone Mago homine Dæmonibus addicto, à quo Simoniæ abominandum nomen deductum eſt. Gratiam enim Spiritus Sancti emere pecuniâ voluerat, ac Dei donorem augere ſuam. Quare increpitus à Petro, & valere cum ſuis pecuniis juſſus, huic tanquam adverſario bellum indixit, quem amicum habere non potuerat. Sed eum ſic exagitavit Petrus, ut ſolum vertere compelleret, & Romam pergere, ubi vivendi atque inſaniendi finem fecit.

Coſſ. Paulo Fabio Priſco & Lucio Vitellio Nepote, Phœnix volucris in Ægyptum venit, multamque mentiendi materiam otioſis ſcriptoribus præbuit.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4088. 788. 35.

Philippus Tetrarcha, Herodis magni filius, mortuus eſt hoc anno, regni ſui duodequadrageſimo. Imperii ſui diuturnitate, & malis nuptiis, quam rebus geſtis illuſtrior.

Parthi Regis ſui Artabani pertæſi veniunt Romam Phraatem Principem petitum: obtinuerunt eum facilè, quaſi motuum in Perſide ſeminarium. Sed is obiit in itinere; quare ei ſuffectus à Romanis Teridates, ejuſque deducendi cura Vitellio commiſſa, qui tum Præſes in Syriam mittebatur; Tiberio aliquid de ignaviâ ſuâ remittente, quia hoc facto deinceps ſecurius ignavus, & deſes poterat eſſe.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4089. 789. 36.

Paulus poſt annos à ſua converſione tres emiſſus Damaſco in ſporta, quia Urbis portæ à Judæis, conſentiente Aretâ, ſervabantur, Hieroſolymam venit viſurus Petrum; neque diu hic moratus eſt: poſt dies enim undecim Cæſaream abiit, indeque Tarſum patriam ſuam, ubique diſſeminans Chriſti fidem tantâ alacritate, ut Apoſtolorum ultimus tempore, labore primus eſſe videretur. *Paulus odit Petrum.*

Vitellius Syriæ Præſes Marcellum Judææ Procuratorem mittit in Pilati locum, quem à Judæis graviter accuſatum Romam navigare jubet. Amovetur tum quoque Pontificatu Cayphas, eique Jonathas Anani filius ſubrogatur; cui occupaſſe locum tam mali Pontificis ſumma eſſet infamia, niſi tum venalis fuiſſet ſacer ille magiſtratus; ad quem capeſſendum non ſcientia, vel virtus; ſed pecunia nummique flagitabantur. *Cayphas exautoratus.*

Teridati Parthorum Regi primùm ridere viſa eſt fortuna, paulò poſt tamen ab Artabano expulſus eſt regno: agnovitque ſeriùs, Principes novos à populis ſemper expeti; veteres ejici difficiliùs, & corroborata tempore regna nonniſi magnis viribus labefactari. *Teridates expellitur ab Artabano.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4090. 790. 37.

Petrus varias provincias peragrat, ubique verbo ac miraculis potens. Celebratur Liddæ ſeu Dioſpoli Æneas paralyticus ſanatus, cujus aſpectu Liddæ urbis, & Saronæ regionis incolæ adjuncti ſunt Chriſto. Inde vocatus eſt Joppen, ubi ſanctiſſimam fœminam Tabitham revocatam ex morte, pauperibus, viduiſque reſtituit, quorum mater habebatur. In hac urbe cum diutius commoratus eſſet apud Simonem Coriarium, viſione primùm divinâ admonitus ut gentiles quoque adjungeret Chriſto, vocatus eſt Cæſaream ut Cornelium Centurionem cohortis Italicæ Ferratæ, ſeu ſextæ legionis, ſacris aquis elueret. Quod & præſtitit; utrum autem is poſtea Cæſareæ creatus ſit Epiſcopus, aut Ilii; non audemus aſſerere, ſicut nec proponere volumus fabulas quæ huc ex apocryphis congeruntur. Hoc certiùs, domum ubi hæc facta ſunt poſtmodum in Eccleſiam eſſe converſam, ut hic haberentur Deo gratiæ, ubi primùm Ethnicis ad Chriſtum accedendi via patuiſſet. *Æneas ſanatus. Tabitha ſuſcitata. Cornelius Centurio baptizatus.*

Petrus cùm facti hujus rationem Hebræis tumultuantibus reddidiſſet (cujus ſeditionis cauſa, & author Cherinthus fuit, poſtea hæreſeos alter à Simone parens) Antiochiâ perrexit, ubi Eccleſiam condidit, quæ poſt Alexandrinam prima olim Orientis ſedes fuit. Certè hujus ſedis inſtitutæ memoria recolitur ab Eccleſia 8. Kal. Martii, *Sedes Antiochena à S. Petro condita.*

Martii, & quæ à Novatoribus hic proferuntur non est operosum convellere. Selecta autem ab Apostolorum Principe sedes hæc fuit, quæ tum erat Orientis caput, & cui tot Provinciæ subjacebant, adeòque ipsa Palæstina; ut civilem potentiam Ecclesiastica sequeretur.

*Mors Tiberii.* Thrasyllus Mathematicus Tiberio decem vitæ pollicitus annos multos exemit morte, quos Tyrannus sublaturus erat, etiam nepotes suos, quos jam æger destinabat neci. Tandem 17. Kal. Aprilis obiit, cùm imperasset annis 22. mensibus 6. diebus 26. ut creditur veneno potatus, atque etiam suffocatus à Caligulâ. Huic mortuo populus & Tiberim, & Gemonias scalas imprecatus est, quas toties innoxio sanguine funestarat, & majori etiam flagrasset apud posteros odio, nisi Natricem, ut præsagiebat ipse, fovisset sinu; nec successorem dedisset *in quo ostendit natura quid vitia possent, cum summa autoritate conjuncta.*

*Cajus Caligula Imperat.* Successit ergo Tiberio, Germanici & Agrippinæ filius, frater Neronis & Drusi, Cajus Caligula, ita Tiberio, quoad nocere potuit, subditus, ut de eo ritè pronunciatum sit, *eo nec meliorem servum, nec deteriorem dominum extitisse.* Nomen autem Caligulæ traxit, quod inter legiones enutritus, Caligâ militari puer usus esset. Susceptus est porrò novus Imperator tantâ benevolentiæ significatione, ut delapsus è cœlo genius videretur; & verò in eo vivebat suavissima Germanici patris memoria, quem moribus repræsentare videbatur; adeo ut si ejus Imperii spectes initia, meliorem Imperatorem Roma non viderit; si exitum, nullum Principem senserit deteriorem.

*Agrippa Judæus liberatur à Cajo.* Statim autem atq; rerū potitus est Cajus, Agrippa Judæus, filius Aristobuli, nepos Herodis, versatus primò in officiis Drusi, postea verò Caji, delatione Eutychi sui liberti, quasi Tiberio mortem, Cajo Imperium apprecatus esset, in vincula datus sex mensibus ante Imperatoris obitum, vinculis exsolutus est, repositâ huic catenâ aurea pro ferreâ, assignatisque Tetrarchiis Philippi atque Lysaniæ funere nuper elatorum, ut eum carceris, & vinculorum non puderet, quæ sic Imperator deaurasset, atque exornasset.

*Morbus Caji.* Hoc anno abdicatis Consulatu C. Acerronio Proculo, & C. Pontio Nigrono, suffectus est cum Claudio patruo suo Cajus, quando hic in periculosum incidit morbum. In eo quàm Populo charus esset intellectum est; nam cuncti circa palatium pernoctarunt, & pro ejus salute quidam se devoverunt, armis depugnaturi si convalesceret. *Tiberii Drusi mors.* Verùm statim atque respirare cœpit, Tiberium Drusi filium, prætextatum, cohæredem sibi à Tiberio datum testamento, tolli jussit, ut se vivere, & securiùs imperare omnes intelligerent.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4091. 791. 38.

*Agrippa Alexandriæ irrisus.* Herodes Agrippa Caligulæ charissimus, veniens in Judæam, Alexandriam appulit, ubi magno est exceptus convicio, & per Ludionem honores ejus ad ludibrium traducti.

Tum mortuus putatur Cayphas exautoratus Pontificatu, eodemque in se odio flagrans, quo in Christum exarserat. Sibi enim conscivit necem propriâ manu, quia mori non poterat deteriore.

Hoc anno quis esset Cajus, ostendit; hactenus enim vitia sua subdolè texerat: exinde autem in omnem libidinem, & petulantiam effusus occasionem credendi dedit eum amatorio poculo à Cæsonia uxore dementatum esse. Inter magnos viros quos sustulit, eminebat Macro præfectus prætorio, cujus operâ ad Imperium evectus erat, qui tum meritas pœnas dedit, sicut & ejus uxor Ennia violatæ in Tiberium fidei, hæc etiam pudicitiæ prostitutæ.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4092. 792. 39.

Hoc anno post Marcellum Judææ præfuit Cuspius Fadus successore suo deterior, quia sic declinantes Romanorum mores exigebant.

Tum Cajus exhaustis per summam insaniam opibus, totoque illo Tiberii vicies ac septies millies sestertium, ad rapinas per cædes, & proscriptiones conversus est. Socios etiam & vectigales Po. Ro. tributis, atque exactionibus sic attribuit, ut ad perdendum Orbem Romanum natus videretur. Opera moliebatur difficilia semper, & quæ ἀδύνατα videbantur; dejiciebat montes, adæquabat valles, rupes exscindebat in id intentus ut naturam ipsam quodammodo vinceret. Sed inter hæc opera nullum illustrius quàm pons seu moles trium millium & sexcentorum passuum, quâ medium intervallum inter Bajas, & Puteolos conjunxit, sive ut superaret Xerxem, qui aliàs Hellespontum junxerat ponte, sive ut fatidicum faceret Tiberium, alias asserentem, Cajum prius hoc intervallum decursurum in equis quàm imperaturum: tuncque judicium Tiberii magno Romanis stetit.

Cajus ipse Domitium Afrum Oratorem celeberrimum accusavit; at hic vivere quàm bonus orator esse maluit. Simulans enim se actori eloquentiâ inferiorem esse, non modo veniam, sed & in annum sequentem, Consulatum meruit. Ita pretium simulatæ ignorantiæ, vel potiùs calliditatis, tantus magistratus fuit.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4093. 793. 40.

Vitellio successit P. Petronius, cui accuratè mandarat Cajus, ut imaginem suam in templo Hierosolymitano collocaret; sed Judæis ad mortem usque resistere paratis, dum tergiversatur Petronius, statua locata non est, & consilium insani Principis morâ discussum est.

Pontius Pilatus Viennam Galliæ, uti creditur, relegatus, variasque expertus calamitates αὐτόχειρ ἑαυτοῦ ἐγένετο, ac morte voluntariâ, æternæ prælusit, qui autorem vitæ Deū addixerat neci.

Flaccus Avillius, quo dissimulante Herodes Agrippa contumeliosè ab Alexandrinis exceptus erat, in Judæos omnes crudeliter desæviit; ideò Philo missus ad Cajum, ut de Alexandrinorum furore, Flaccique dissimulatione quereretur:

tur: Sed quid erat expectandum ab eo, cui furere ac cædere jocus erat.

Herodes Antipas sollicitatus ab uxore Herodiade ut Regis nomen impetrare conaretur, cum eâdem Romam navigat; sed Agrippæ litteris accusatus proditionis apud Cajum, etiam in exilium missus est Lugdunum cum uxore: cui licet in gratiam Agrippæ fratris Cæsar remitteret exilium, maritum illa fortiter sequi maluit, negans eos, qui felices conjunctissimi fuerant, in calamitate disjungendos. Fugisse hic Herodes in Hispanias creditur, atque ex mœrore hîc contabuisse; quis fuerit Herodiadis exitus ignoratur: ejus autem filia Salome, dum hyeme rigentem transit fluvium, glacie sub pedibus subsidente, tandiu saltavit sub aquis donec ei caput glacies acuta rescinderet, præmio utique digno crudelissimæ saltatricis. Is nimirum casus manebat principem qui Joannem prodromum perdiderat, illuserat Christo, ut saltem privatus in exilio moreretur.

Matthæus hoc anno 4. Olymp. 204. scripsisse Hierosolymis perhibetur Evangelium, Judæis fidelibus exposcentibus, injungentibus reliquis Apostolis; idemque, uti putatur vulgò, hebraico sermone, quod SS. Bartholomæus & Barnabas tanti fecere, ut hic manu sua descriptum ἐπὶ στέρνῳ sepeliri voluerit, ille secum ad Indos, Armenosque deportarit.

Barnabas Antiochiam missus ab Apostolis, inde profectus est Tarsum ad quærendum Paulum; qui cum Antiochiam regressus, ibidem annum totum commoratus est. Hîc autem Christi fides sic excrevit, ut ejus fautores non jam Nazaræi, sed *Christiani* dicerentur; usque adeò bonus hic religionis, & Christi odor omnes afflavit.

Cajus insaniens de more occasiones triumphi quæsiit de Batavis, de Germanis, de Britannis; sed superat alia ridicula, quæ in Galliis gessit. Cum enim ad Oceanum pervenisset, ad ejus littus disponi machinas jussit, quasi pugnaturus, omnibusque suspensis quid agendum esset, statim edixit ut milites conchylia, atque ejusmodi maris purgamenta legerent, quibus se, & Capitolium ditarent. Excitavit hic tamen Pharum ad regendas naves, quasi victoriæ monimentum; atque in hoc tantum ejus insania profuit.

---

## CAP. V.

## *Decas Quinta.*

*Ab anno Christi* 40. *ad* 50.

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4094. | 794. | 41. |

Agrippæ regnum hoc anno amplificavit Cajus, adjectis Judæâ atque Samariâ; quibus jam sibi, Judæisque magnus Hierosolymam venit, timidus tamen, ut omnes ambitiosi solent, ideoque Judæorum benevolentiam amoremque captans. Cum videret igitur hos capitaliter odisse Christianos, eos exagitandos exterminandosque suscepit. Quare comprehensum Jacobum, Zebedæi filium capite minuit, cum eo à quo fuerat accusatus. Illius corpus primùm Iriam Flaviam, deinde cum hic diu latuisset Compostellam translatum, ibidem etiamnum magnâ religione colitur. Petri quoque necem gratissimam fore Judæis intelligebat: eum itaque carceri mancipat, post Pascha immolaturus inimicorum furori. Sed ad eum missus Angelus, & catenas exolvit & aperuit carcerem, & liberum suique juris oranti reddidit Ecclesiæ; atque ostendit regum ministros compositos Dei famulis nullius esse virtutis & industriæ. *Petrus ex carcere liberatur.*

Cum igitur jam Hierosolymis tuti non essent Apostoli, ediderunt inter se Fidei Symbolum (unde deinceps Apostolicum dictum est) primam regulam Christianitatis, nostræque Religionis fundamentum. Inde per orbem universum distributi viles homuli; sed Deo ejusque virtute pleni, antiquam superstitionem, amicam sensibus Principibus invitis totoque furore repugnantibus everterunt, ut hominem Deum affixum cruci, autoremque religionis naturæ corruptæ adversantis adorandum proponerent; quod ab iis & tam citò factum esse, videtur omni miraculo mirabilius. *Symbolum Apostolicū.*

Circa hoc tempus, Christi Abgaro promissiones factæ exhaustæ sunt, quando ad eum Thadæus non Apostolus, sed discipulus venit; à quo non tantùm corpore sanus factus est, sed & animo, subditis omnibus suis Edessenis ad Christi jugum accipiendum præluxit. *Abgari conversio.*

Tum nihilominus Saulus comite Barnaba Antiochiâ Hierosolymam venit, ut collatitiam pecuniam deferret, quâ juvari possent Hierosolymitani Christiani; tum valdè inopes, sævientibus in eos Judæis autoritate Regis armatis, atque potentibus. *Paulus cum Barnaba Hierosolymam venit.*

Obtinuit à Cajo Rex Agrippa, ne quæ fiebat Sidone Imperatoris Colossea statua dedicaretur in templo Hierosolymitano. Venit tum Legatus ad Cæsarem Philo pro Judæis, cui oppositus ab Alexandrinis Apion Grammaticus ille dictus à Tiberio *Cymbalum mundi*, propter superbiam, qui contra Judæos multa excogitavit, à Josepho refutata; quale est asini caput inventum in templo, dignum asinino capite commentum. Is cum circumcisionem sæpe Judæorum irrisisset, genitalibus turpiter putrefactis, ex necessitate, non religione, miserè mutilatus, & circumcisus interiit.

Caligulam furentem usque ad insaniam, omnibusque metuendum Chereas vir fortis, & amans patriæ interficiendum suscipit, cum Cornelio Sabino & aliis conjuratoribus. Nono Kal. Februarii cum imperasset annis tribus, mensibus decem, diebus octo, anno vitæ suæ undetrigesimo, triginta vulneribus confossus est. Cæsa tum quoque Cæsonia ejus uxor filia ad parietem allisa, ipse semiustulatus levi cespite obrutus est, dignus ob flagitia, qui à canibus saltem mortuus voraretur. Ita sola morte hæc furia, ac generis humani portentum, furere desiit. *Caligulæ mors.*

Locum

*Succedit Cajo Claudius.* Locum ejusdum minùs putaret, ac potiùs expectaret mortem, occupavit Tiberius Claudius Drusus Cæsar, Caligulæ patruus. Is Drusi Neronis filius erat, quem Livia tertio à nuptiis mense Augusto dederat ut ostenderet τοῖς ἐυτυχοῦσι τὰ τρίμηνα παιδία. In quo eligendo generis tantùm ratio habita est; cum rector orbis Romani se mulierculis, ac libertis regendum permiserit, capistro quàm solio dignior.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4095. 795. 42.

*Fames ingens.* Ingenti fame laboravit Romanus Orbis, quam Agabus Prophetes, Christi discipulus, præcinuerat, quo malo domitæ gentes ad recipiendam fidem paratiores extitere.

Hoc fortè anno raptus est ad tertium cœlum Saulus, quod quomodo factum sit, cum ipse se nescire profiteatur, quid opus est cum otiosis interpretibus investigare modum, & docere *Pauli raptus.* velle quod vir tantus aut ignorarit, & ignorari voluerit.

*Pauli & Barnabæ peregrinationes.* Saulus & Barnabas Antiochiam Hierosolymis redeunt, unde SpirituSancto jubente Seleuciam, hinc in Cyprum sunt profecti. In hac insula Saulus Sergium Paulum Proconsulem asseruit Christo, Elymâ Mago priùs excœcato. A Sergio Paulo quasi devicto nomen deinceps accepit, non Saulus deinceps Apostolus, sed Paulus appellandus. Hinc transmisso mari Pergem venere, inde Iconium, Derbem, Attaliam. Lystra, ubi primùm ut Dii habiti, postea lapidibus apperiti pro mortuis relicti sunt; ac tandem inde digressi Antiochiam fracti laboribus, sed pleni meritis redierunt.

Iconii porrò Paulus asseruit Theclam Christo, quæ prima inter Martyres fœminas colitur. Hæc postea accusata per sponsum suum, quem posthabebat Christo, leonibus ac feris exposita, atque in ignem conjecta, incolumis ex Amphitheatro bustoque prodiit. Utrùm autem tum perierit Martyr, an in solitudine octuagenaria mortua sit, dubitare sapienter potes.

*Petrus Romam venit.* Cum accepisset Petrus Simonem Magum venisse Romam, ut hic populum dementaret, eò quoque proficiscitur, relictâ Evodio, Antiochiâ. Neque enim æquum putabat esse Imperii tunc sedem, & postea suam, malis artibus hominis nequissimi labefactari.

*Ostia portus exornatus.* Claudius ad Ostia Tiberina portum extruxit cum pharo, tantâ magnificentiâ, ut tantæ urbis portus & alumnus deinceps meruerit appellari.

*Sub Claudio cædes.* Tum Claudius à conjuge sua Messelianâ impudentissimâ, crudelissimâque fœminâ, atque à Narcisso & Pallante, aliisque Libertis assuefactus ad cædes, multos interemit, adeò plerumque stolidè, ut satis huic esset admoneri, visum esse aliquem per somnium, qui eum interficeret. Sic Appius Silanus interfectus est, consentientibus Messalinâ, & Narcisso. Usque adeò miserum est sortiri principem qui neque se, neque suos regere queat.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4096. 796. 43.

Coss. Claudio Cæsare tertiùm, & L. Vitellio secundùm, relictâ Antiochiâ Petrus sedem Episcopalem constituit Romæ xv. kal. Febr. ubi & sedit annos circiter 24. atque inde dedit primam Epistolam suam, quæ data scribitur Babylone, propter magnæ Urbis hujus magnificentiam cùm multis vitiis conjunctam, & in ea tum divini humanique juris perturbationem. Quam vocem dum Novatores in Romam, uti nunc est, contumeliosè derivant, nihil aliud efficiunt quàm ut contumeliosi, & furentes esse videantur.

S. Marcus tum Evangelium vulgavit suum, Latinè, & venit Alexandriam, jussu Sancti Petri cui comes hactenus adhæserat. Cur autem constituerit primam Orientis Patriarchalem sedem & Antiochena cui præfuerat Petrus secundum duntaxat obtinuerit locum, nulla ratio afferri potest, quàm quia sic voluerit magnus arbiter Ecclesiæ Petrus, qui sic Discipulum suum, urbemque tum à Roma maximam voluit honorare.

Claudius hoc anno multos abstulit Festos dies, & Ferias quibus totus absumebatur annus à Romanis, naturâ suâ satis otiosis, & quibus panis & Circenses satis erant. Tum quoque, idem Imperator Lycios in servitutem redegit, atque præfecturæ Pamphyliæ contribuit, ob cives Romanos: in quodam tumultu necatos; paucorumque culpa in omnium pœnam redundavit.

Interea Messalina, conjux Augusti, stupris omnia cædibusq; miscebat, noctu instar scortuli discurrens, matronisque Romanis ad omnem lasciviam atque turpitudinem prælucens, cum maritus ejus stolidè sterteret, atque ipse nesciret unus, quod in omnium ore, & oculis erat. Imò eò impudentiæ devenit impudica mulier, ut mariti imperio ad suas libidines uteretur; Sic Mnester Pantomimus jussus ab Imperatore ei in omnibus parere, jussionem hanc usque ad concubitum putavit extendi; Sic multos alios in lectum suum pertraxit, quasi volente & jubente marito, quo nullus unquam sibi ab uxore turpiùs illudi passus est.

Interea Aulus Plautius bellum fortiter gerebat in Britannia: hic cum barbaros egregiè retudisset, ubi iisdem vidit neque animos deesse, nec copias, Claudium in auxilium suum evocavit. Eò venit cum ingentibus copiis, adjunctis etiam elephantis: quare intra dies 16. Barbaros omnes domuit, indeque Britannici nomen sibi atque suis, cum triumpho reportavit. Ea erat Imperatoris majestas, ut etiam in homine stolidissimo tantùm posset.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4097. 797. 44.

Hoc anno ineunte, Herodes Agrippa cum regnasset annis septem, Judææ tantùm tribus, Cæsareæ dum in veste splendidâ orationem habet, & se tanquam Deum honorari sinit, ab Angelo percussus est; ex quo corpus ejus ita computruit uti totum in vermes abiret, indignus jam hominibus

minibus ac viventibus annumerari qui Deus esse voluisset. Regno ejus Procurator Cuspius Fadus assignatus est, cum solitâ Romanis facultate furandi, atque rapiendi.

Marcus Evangelistes Alexandriæ tam sanctam Ecclesiam condidit, ut in Christianorum laudem sub Essenorum nomine librum scripserit Philo. Qui autem hunc Marcum cum alio Marco Eremita sibi pollicem abscindente confuderunt, digni sunt potiùs, qui rideantur, quàm refutentur.

Claudius cum tantùm sex mensibus abfuisset ab Urbe, in eam de Britannis triumphaturus rediit. Et verò non tantùm ipse, sed cum eo duces ejus quodammodo visi sunt triumphare; ipse genibus per gradus Capitolii conscendit, generis utrimque subnixus, ut in gremio Jovis, de more, laurum deponeret, pecudibus longè stolidior, quæ cum Tauro in hoc templo affatim mactatæ sunt.

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4098. | 798. | 45. |

Quoniam Urbs imaginibus replebatur, plerasque submovit Claudius, vetuitque ne quis privatus statuam deinceps suam collocaret sine potestate Senatus: infelix qui non videret Mnesteri adultero suò à Messalina ex ære etiam publico conflari.

Idem Claudius natali suo Kal. Augusti cum Sol Ecclipsim passurus esset, ne ea turbaret Romam jussit antea edicto denunciari, ejusque causas rudi plebeculæ explicari: quoniam tam vera quàm falsa, minùs provisa, populum terrere solent.

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4099. | 799. | 46. |

Sabinus sub Cajo Galliæ præpositus, à populo in gladiatoriis ludis petitus ad necem, ereptus est à Messalina, cujus adulter erat, fremente populo, & Principis sui socordiam admirante. Quæ etiam in Mnestere magis apparuit, quem eadem lupa ex orchestrâ traxit in lectum suum, ejusque saltatione, quâ excellebat, ut forma, spectatores privavit, ne id quidem animadvertente Claudio, cum ab omnibus pænè videretur.

Asinius Gallus frater uterinus Drusi, licet insidiatus Claudio, non morte sed exilio tantùm mulctatus est; quia corpore turpis ut animo risum magis quàm periculum ultimum merebatur. Sic ei sua deformitas, & stoliditas profuere.

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4100. | 800. | 47. |

Paulus & Barnabas Antiochiæ subsistunt, ac de more promovent, tuenturque Christi fidem in hac urbe egregiè florentem.

Procurator Judææ post Alexandrum, fuit Ventidius Cumanus, quo tempore Pallantis frater Samariam administrabat, ad rapiendum ambo, quàm ad dicendum jus aptiores.

Hoc anno juxta Theram insulam, parva insula ante non visa repentè apparuit; mare enim hoc Ægæum in hac parte sui, fertile fuit novarum insularum subinde ex fundo æquoris erumpentium.

*Ludi sæculares.* Ludi Sæculares Romæ exhibiti sunt sexaginta quatuor annis posteaquam ab Augusto celebrati essent; ita tum neque juris, neque temporis habebatur ratio.

*Valerii Asiatici mors.* Valerius Asiaticus anni superioris Consul, qui se abdicarat Consulatu ut vitaret invidiam, hoc anno non vitavit necem. Accusatus enim operâ Messalinæ, cum nihil propiùs esset quàm ut absolveretur, mentiente Vitellio eum petiisse mortis genus quo facilè periret, mori jussus est, quasi conscientiâ victus jam se prædamnasset; nullam ob rem aliam nocens, nisi quia dives erat.

*Venicii mors.* Periit enim veneno vir illustris Venicius, licet rebus suis egregiè cavisset; sed quia ejus uxor Julia à Messalina necata fuerat, ipseque ei turpiter parere recusasset, occisus est; laudatione tamen publicâ laudatus, quam singulariter promeritus erat, eo tempore quo omnibus promiscuè concedebatur.

*Messalina se Silio addicit.* Messalina se totam addicit Cajo Silio Equiti Romano, qui tum omnia Romæ poterat, quia Romæ dominam habebat in potestate.

Titus patrem Vespasianum in Britannia circumventum, perrupto Barbarorum agmine fortiter eripuit, recepitque coronam civicam; uti Plautius triumphalia ornamenta, ob Britannos sæpe, non tamen penitus edomitos.

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4101. | 801. | 48. |

*B. Virginis obitus, & Assumptio.* Hic annus celebris est B. Virginis obitu (de quo tamen dubitavit S. Epiphanius) ejusque in cœlum Assumptione, quæ huic propria est, sicut filii Ascensio. Hic autem prætermittimus multa quæ tum contigisse putantur, quoniam hæc vulgata sunt à scriptoribus, aut incertis, aut parvæ fidei, quorum testimonio nihil unquam certi conficietur.

*Messalina nubit Silio, & cæditur.* Hoc demum anno Messalinæ libido in ultimam amentiam venit. Nupsit enim publicè suo C. Silio, palatium ei amplissimum dedit, in quod pretiosissimam quamque Claudii supellectilem convexit, eum denique in annum sequentem designavit Consulem. Ferunt & Claudium ipsum instrumentum ejus Matrimonii obsignasse, quasi è sua re esset, eoque periculum ab ejus capite depelleretur. Sed demum admonitus de totâ fabulâ, à Narcisso ægrè & nonnisi impulsus à libertis eam interemit, quando & Silium, & Mnesterem, & alios Messalinæ adulteros notiores cædi passus est; ne enim omnes agnoscerentur, incredibilis libido spurcissimæ hujus mulieris impediit.

*Fossa Corbulonis.* Pertinere videtur etiam ad hunc annum Fossa Corbulonis à Rheno ad Mosam per millia passuum unum & viginti, ne hi fluvii Oceano æstuante in caput acti restagnarent; opus magni viri, & meliori tempore dignioris.

*Census actus.* Census denique hoc anno habitus sexagies novies centena quadraginta quatuor civium Romanorum capita exhibuit; hoc est, uti jam loquimur, *sex milliones nongenta quadraginta quatuor millia.* 6944000. quo nullus unquam antea fuerat numerosior.

MUNDI

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4102. 802. 49.

*Iudæi Roma pulsi.* Claudius hoc anno Judæos expellit Româ, quibuscum ejectus Petrus Hierosolymam venit; Aquila verò & Priscilla Corinthum, quorum doctrina fuit utilior Ecclesiæ, quàm mores.

*Concilium primum Apostolorum.* Celebratum est hoc anno primum illud Generale Concilium Hierosolymis in causa legalium, an ea essent à Gentilibus ad Christi fidem conversis observanda; cui occasionem dedisse Cherinthum scribit Epiphanius. Causa inter Petrum, Jacobum, Joannem, Paulum, Barnabam aliosque discussa, loquente per os Petri Spiritu Sancto, ita definita est, ut fideles abstinentes ab immolatis, sanguine, ac suffocato, & fornicatione, à cæteris legalibus liberi essent. Utrùm autem *suffocatum* tum ab Apostolis prohibitum, an postea additum, quidam hoc putaverunt, quidam illud; quæ lis non est hujus loci. Hoc certum, abstinentiam à suffocato diu in Ecclesia viguisse, eamque à quibusdam ocyùs, ab aliis tardiùs abolitam esse.

*Lis inter Petrum & Paulum.* Post aliquod tempus contigit illa Petri atque Pauli Antiochiæ altercatio, in qua correptus à Paulo Petrus, quia *reprehensibilis* erat; quæ cum Augustinum atque Hieronymum commiserit an ea esset vera vel ficta, cum utraque pars magnos adstipulatores habuerit, non videtur à nobis dissolvenda. Hoc tantùm dico, altercationem fictam faciliorem esse, veram sinceriorem, atque meliorem.

*Item inter Paulum, & Barnabam.* Disceptaverunt quoque Paulus & Barnabas, quæ lis eos ab invicem disjunxit; Paulus cum Syla, Barnabas cum Marco perrexit, qui causa hujus controversiæ fuerat, sed qualis inter viros sanctos esse solet.

Exinde Paulus cum Silâ peregrinatur, sed ambo siderum instar, cursu hominibus valdè salutari: Lystra autem cum venissent, Paulus circumcidit Timotheum patre gentili natum, quem sibi comitem adjunxit, hoc facto ad prædicandum Judæis paratiorem.

Non ita multò post invitatus Paulus ire in Macedoniam, eò perrexit, comite Lucâ Actorum scriptore, qui ab hoc tempore res gestas Pauli testis αὐτόπτης enarrat.

*Agrippina nubit Claudio patruo.* Agrippina filia Germanici, Neronis ex Domitio mater, ita patruum suum delinivit, ut eam uxorem duceret, contra Romanas leges, quæ tum ab hac parte antiquatæ sunt. Hæc statim omnia in aula potuit; Senecam revocavit ab exilio, eumque Neroni filio præceptorem adhibuit; Octaviam, Claudii ex Messalina filiam, Neroni despondit, atque se ita gessit mulier callida, ut non tantùm in Claudii thalamum, sed in ejus quoque solium conscendisse videretur.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4103. 803. 50.

*Paulus in Areopago.* Paulus Philippis ac Thessalonicâ pulsus Athenas venit, ubi in Areopagum tractus (is erat collis consecratus Marti, ubi Deum hunc indicatum esse veteres fabulati sunt) orationem suam exorsus est ab arâ inscripta *Ignoto Deo*; utrùm autem sic inscripta sit, an *ignotis Diis*, ut alii malunt, non est hujus operis statuere. Cùm ergò Judicibus illis annunciasset Christum à mortuis excitatum, à quibusdam irrisus, ab aliis in alium diem iterum audiendus rejectus est. Inter eos stabat Dionysius, qui patiente Christo visâ Heliopoli obtenebratione supra omnem ordinem naturæ, exclamarat *aut naturam everti, aut naturæ Deum pati*; is statim dedit Paulo manus, & mulier pia nomine Damaris quam Dionysii uxorem plerique credunt. Cætera quæ hîc Hilduinus habet, parum certa sunt, & videntur ab otiosis Græculis conficta in gratiam Francæ gentis, quam sibi demereri conabantur. Hoc certius relictum eum à Paulo Episcopum Athenarum, ubi vivus exustus est, sicut vetera sinceraque Græcorum Menœa loquuntur. Irridenda enim nova, quæ vivum Athenis exustum habent, & postea Parisios in Galliam venisse, quo quid fingi potest inconsiderantius; Sed de hoc iterùm sub Decio, & de ejus scriptis ad annum Christi 532. quando primùm citata sunt.

Claudius Pallantis operâ, quem sibi devinxerat Agrippina, Neronem adoptat, cùm Britannicum filium haberet; sicque viperam immittit in domum suam, per quam exterminaretur, vile servorum suorum, uxorisque mancipium.

In oppidum Ubiorum deducta Colonia, ab uxore Claudii nomen traxit, dicta Agrippinensis ad Rhenum, satis de se nobilis, quamquam ab Imperatoris veriùs dominâ, quàm uxore, non accepisset nomen.

---

## CAP. VI.

## *Decas Sexta.*

### *Ab anno Christi* 50. *ad* 60.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4104. 804. 51.

NERONI virilis toga datur, simulque ei paratur Imperium ab Agrippina, dum Britannicus sæpe ab oculis Claudii subducitur, semper proponitur Nero; qui excultus à Senecâ in stolidi Senis gratiam se insinuabat non inscitè. Tum ergo factus est Princeps juventutis, sicque propositus Romanis, uti jam eum quasi candidatum Imperii venerarentur. Et ne vis à milite ingrueret, Agrippina Burrhum Afranium, virum tali munere aliunde dignissimum præfectum Prætorio creandum curavit, ut duobus illis viris Senecâ atque Burrho, suffultus Nero securiùs Claudii, quandocumque ipsa vellet, occuparet locum.

Bellum hoc anno inter Armenos & Iberos ex vicinia concitatum est; quo excitati Parthi Armeniam ingressi sunt, sed appetente hyeme virtus eorum frigere visa est; itaque victis similes recessere. Rhadamistus autem dum eam quasi vacuam possessionem adire cogitat, inde expulsus, plus se voluisse quàm potuisse demonstravit.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4105. 805. 52.

Philippus Apostolus apud Hierapolim Phrygiæ affixus cruci, lapidibus insuper obrutus est, ut bis quasi martyr haberetur. Huic multa affinguntur quæ sunt Philippi Diaconi, quasi verò ille alienis laudibus indigeret.

Tum Gallioni Achaiæ Proconsuli sistitur Paulus, à quo, quia de religione agebatur, remittitur; expulsis Judæis. Paulus ergò Corintho profectus Ephesum pergit, inde Cæsaream, Antiochiam, Hierosolymam jam quartùm; inde Galatiam & Phrygiam venit, quibus peragratis rediit Ephesum, ubi ad tertium substitit annum, sive dum peregrinatur, sive dum quiescit in Ecclesia Dei, syderis aut facis instar collucens.

Apollo quidam Alexandrinus vir eloquens, & in scripturis versatus satis, cùm peregrinaretur Paulus per Asiam atque Syriam, Ephesum venit. Ibique ab Aquila & Priscillâ, quos hîc Paulus reliquerat, fidem Christi edoctus accuratiùs, Corinthum adit, uti jam doctior, ita melior præco religionis.

Ventidius Cumanus Judææ atque Galilææ Procurator apud Quadratum Syriæ Præsidem accusatus, Romamque missus, exilio damnatus est: Qui verò criminum ejus particeps fuerat Felix, relictus est Judææ Procurator; hoc est uti lupus ovile regeret, magnum specimen æquitatis Romanæ.

Mathematici atroci Senatusconsulto Italiâ depulsi, quòd ex syderibus futura inquirerent, ac multorum ambitioni velificarent.

Pallanti liberto Claudii Prætoria ornamenta, & centies quinquagesies sestertiûm decreta, præmium suæ proditionis in Principem, atque in Neronem & Agrippinam benevolentiæ.

Inter Fucinum lacum, & Lirim fluvium Claudius Naumachiam edidit antequam lacum illum emitteret, in qua Rhodia classis, & Sicula ad internecionem depugnaturæ erant; Sed cum imprudenter decertaturos salvere jussisset, ii depugnare noluerunt, neque nisi vi ad certandum adacti sunt, quasi esset hoc verbo venia data. Quo in negotio dubitatum an majus specimen dederit Claudius magnificentiæ suæ, & divitiarum, an stoliditatis, atque dementiæ.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4106. 806. 53.

Paulus Ephesi cum bestiis pugnat; non quòd feris objectus sit, ut putavit Nicephorus, falsis actis Pauli inductus in fraudem; sed quòd cum ferinis hominibus atque crudelibus sæpe pro fide certaverit. Tum etiam ejus sudaria, & alia ejusdemmodi, quæ corpus illius attigerant, languentibus, & energumenis admota ab iisdem morbos ac dæmonas abigebant; adeò ut cùm ab hominibus exagitaretur, ipsis etiam malis geniis metuendus, atque ipsâ naturâ major videretur.

Ad hunc annum pertinet factum septem filiorum Scevæ Sacerdotis, qui exorcistas agentes inter Hebræos; & alieni à fide, adversus Dæmones sacrum Jesu nomen usurpantes, eos expulerunt quidem; sed damno suo, ab iis quos ejecerant malè mulctati; ut hinc vis hujus nominis, inde eorum infidelitas agnosceretur.

Nero annos sexdecim natus Octaviam ducit uxorem, & cum eâ quasi dotale accipit imperium. Tum Iliensibus immunitatem impetravit, ut quid posset, ostenderet. Tum etiam Procuratorum Cæsaris aucta potentia, hoc est licentia magis impunè prædandi. *Nero ducit Octaviam.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4107. 807. 54.

Paulus Timotheum, quem antea Lystris circumciderat, & Erastum, mittit in Macedoniam, ut per eos hîc adesse videretur. Paulò post autem contigit gravis in Paulum exorta seditio, cujus author fuit Demetrius, ædiculas Dianæ ex argento cudere solitus cum sibi subditis artificibus. Hâc per Alexandrum Judæum scribam sapienter sedatâ, seceditin Macedoniam & Græciam Paulus, priùs tamen indidem Epistolâ primâ datâ ad Corinthios, quos diligebat impensiùs, atque invicem distractos propter se, doctoresque alios, dolebat. *Seditio Ephesi in Paulum.*

Tum Claudius dedit signa pœnitentis de matrimonio Agrippinæ, & adoptione Neronis, ac majora amoris in Britannicum edidit testimonia. Quare impotens mulier per Locustam veneficam infectum veneno Boletum parat, quo cibi genere Claudius avidissimè vescebatur; hoc cùm edisset, nihil amplius edit, obiitque elatus è convivio quasi temulentus 3. Idus Octobris, cùm vixisset annos 63. imperasset 13. menses 8. dies 20. vir quo stolidiorem & hebetiorem Orbis Romanus haud vidit, & cujus μετεωρία & ἀβλεψία fidem omnem superare videntur. Scripsit, injuriæ ab eo acceptæ, quàm beneficii recepti, magis memor Seneca ἀποκολοκύντωσιν hoc est, *de immortalitate fungo parta*, ac deinceps Nero fungos Deorum appellavit cibum, quo factum esset uti Claudius Diis inaniter accenseretur. *Claudius fungo tollitur.*

Morte Claudii tantisper celatâ ingenti dissimulatione, donec omnia circa successorem ordinarentur, imperium invadit Nero Claudius Cæsar, initio tam bonus, ut rogatus à Burrho subsignare latronum neci optaret *nescire litteras*. Omnia interim Agrippina administrabat; cujus quasi regni initium fuit Junius Syllanus Asiæ Proconsul veneno sublatus, & Narcisso Liberto, amplius quater millies sestertiûm diviti, Claudioque à libellis, imperata nex. Quid enim aliud ab illa expectaretur, quæ filio optarat imperium, etiam conjunctum matricidio. *Nero imperat.*

Parthi tum occuparunt Armeniam, mox tamen reliquerunt, sed ut paratiores redirent; quare eò mittendus fuit Domitius Corbulo, magnus copiarum ductor, & Orientis terror; qui tamen minus Parthos, quàm Neronem terruit. *Corbulo missus in Orientem.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4108. 808. 55.

Paulus ineunte anno in Macedoniam venit, ubi alteram ad Corinthios Epistolam exarat, & priorem ad Timotheum, fortè & ad Titum: quæ enim ad Romanos data est, Corintho venit. *Pauli Epistolæ.*

*Paulus captus Hierosolymis.* Post prænunciata ab Agabo vincula, circa Festum Pentecostes Hierosolymam Paulus ingreditur, ubi captus à Judæis iis ereptus est à Lysiâ Tribuno, à quo cum verberandus esset, lege Porciâ atque Semproniâ à se virgas amovit, se civem Romanum, utpote Tarsis Ciliciæ ortum, testatus. Inde cum præsidio, ne necaretur in via, ad Felicem Præsidem Cæsaream perductus est, ubi & huic, licet scelerato, & Drusillæ uxori Judææ, dum de judicio loquitur, incussit metum.

*Provocat ad Neronem.* Sed tum Felici successit Porcius Festus, & coram eo atque Agrippâ Rege, & ejus uxore Berenice ubi locutus est Paulus, cum videret judicem in Judæos inimicos propensiorem esse, ad Cæsaris tribunal provocavit; Itaque Centurioni traditus est deportandus Romam, ut hanc non tantùm verbis suis, sed & sanguine redderet illustriorem.

*Fœdus cum Parthis.* Vologeses Rex Parthorum cum Romanis paciscitur, & obsides offert Corbuloni, cujus fortitudinem verebatur.

Acten Libertam, emptam ex Asia, Nero sic diligit, ut eam sibi copulare matrimonio cogitaret, submissis Consularibus viris, qui ortam eam sanguine regio & Attali pejerarent. Id impediit quantum potuit Agrippina mater, etiam intentato Britannico, sicque necis ejus imprudens causa fuit. *Britannicum tollit Nero.* Eum enim statim Nero parato per Locustam præsentissimo, probatoque veneno sustulit, assignatis veneficæ amplis prædiis atque discipulis, quos ad suam artem erudiret. Matrem exinde satellitio, & ornamentis Augustalibus exutam redegit in ordinem, ac nihil propiùs abfuit quàm ut insidiarum in se accusatam de medio tolleret, jam voluntate, postea facto matricida.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4109. 809. 56.

*Paulus navigat Romam.* Paulus vinctus perducitur Romam, appellitque Sidonem, & in Cyprum: Lystra videt; conscensâque iterum nave ad Melitam insulam naufragium patitur; ejus tamen precibus vectores concessi sunt. *Melitam venit.* Hic admorsus à vipera non modò nihil est passus, sed exinde factum ut serpentes hîc veneno carerent, & tantùm nocerent dente. Hujus quoq; Insulæ rectorem addictum Christo creavit Episcopum Publium, si vera quæ Martyrologia scribunt: Sed hoc verius quàm quòd ab aliis scribitur, eundem Publium Dionysio Areopagitæ in Episcopatu Atheniensi successisse, quem errorem nominum confusio peperit.

*Neronis lascivia.* Nero tum Romæ noctu per omnem lasciviam grassabatur, corruptus ab adulatoribus aulicis suis. Redeuntes è cœna verberabat, vulnerabat repugnantes, ac mergebat cloacis, Tabernas effringebat; quamquam sæpe in iis rixis poculorum, aliquando etiam vitæ periculum adiret. Eò Principes insanos adolescentia, excusso rectorum jugo, nonnunquam adigit.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4110. 810. 57.

*Paulus Romæ.* Paulus post primam coram Nerone defensionem, alteram ad Timotheum Epistolam scribit, atque ad Ephesios; tum Ecclesiarum quàm sui sollicitior.

Qui B. Virginem annos 72. vixisse putant, hoc anno & obiisse & assumptam esse dicere debent, cum ætatis suæ anno 15. Evodio teste, peperit Christum. Sed hæc ita certa non sunt, ut non liceat iis refragari.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4111. 811. 58.

Paulus tum Epistolas dedisse putatur ad Philippenses, Collossenses Phrygas, Philemonem, Hebræos, & Galatas; hoc enim ordine quidam emissas arbitrantur: quanquam de duabus ultimis major controversia, utra alteri posterior.

S. Lucas Evangelium scribit adversus Cherinthum, Merinthum, aliosque ejusdem furfuris homines, & scribit adhortante Paulo, quare id etiam hic vocat suum Evangelium. Illud autem nuncupavit Theophilo; utrùm autem is sit Christianus quilibet, an vir clarissimus, Antiochenus civis, hospes Sancti Petri, cujus meminit in Recognitionibus Clemens, non est nostri otii statuere.

Parthi de Armenia cum Romanis acriter contendunt; ut iis par esset Corbulo legiones suas diligenter exercet, & veterem disciplinam militarem servare cogit. Sic instructis copiis Armeniam ingressus, expugnatis pluribus castellis etiam Artaxata incendit, ut hoc exemplo cæteras urbes terreret.

Ruminalis Ficus quæ Romuli & Remi infantiam jam ab annis 831. texerat, atq; ab hoc tempore steterat incolumis, hoc demum anno exaruit, sed paulò post in novis fœtibus revixit, portento quod Romanos distinuit ac distraxit, quasi Urbi exigui temporis pernicies immineret.

Nero Poppeam Sabinam meretricis ejus lenociniis devinctus deperit, ideoque maritum ejus Othonem sibi mollitie & nequitiâ parem amandat in Lusitaniam, quasi eam administraturus, Agrippinâ nequicquam eos amores abrumpere conante, qui conatus ei vitâ stetit.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4112. 812. 59.

Hoc anno quo contigit Solis Eclipsis pridie Kal. Majas, S. Judas, qui & Thadæus dicitur, Jacobi Minoris frater Catholicam Epistolam scripsisse perhibetur, tam utilem Ecclesiæ, quàm Heterodoxis odiosam.

Lugduni tantum deſæviit incendium, ut nihil ejus sequenti die inventum sit; adeò ut inter urbem tantam, & nullam nox una duntaxat interfuerit.

Agrippina modis omnibus sibi reconciliare Neronem filium conatur, ei etiam sui corporis potestatem nequiter ostentans; sed impulsus à Poppæâ (cui quoque Dio Senecam adjungit, & in eum impotentissimè debacchatur) primùm ter veneno tentatam frustrà, laxatis lacunaribus cubiculi per quandam machinam perdere parat. Cùm id quoq; non successisset, solutilem ei paravit navem, datâ Aniceto Liberto curâ, uti hanc cum matre perderet; verùm hac solutâ atque demersâ, Agrippina licet nautæ in eam remis contisque sævirent, nihilominus emersit incolumis. Quod cùm Anicetus renunciasset Neroni, cum remisit cum suis nautis ut hanc interimeret. Ad

Ad ejus lectum cùm percussor accessisset, proripuit illa se ex grabato, nudatâque alvo, ***percute ventrem***, inquit, ***qui monstrum tulit.*** Sic obiit Germanici filia, Agrippæ neptis, abneptis Augusti, à filio suo, cui dederat imperium, etiam admonita potestatem quam ei parabat sibi exitio fore; sed misera & insana parens matricidam esse maluit, quàm non esse Imperatorem.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4113. 813. 60.

Andreas Petri frater Patris Achaiæ, profitens publicè Christum affixum cruci, Ægeæ Proconsulis jussu, decussatæ figitur cruci, quam peramanter osculatus erat; & in ea mori voluit, inhibitis Fidelibus, qui eum eripere supplicio moliebantur, longè pluris faciens crucem Domini sui tinctam sanguine, quàm fragilem vitam.

Festo Procuratori Judææ, successit Albinus, latroni grassator; res enim Judæorum, uti Romanorum mores ruebant in pejus.

Domitius Corbulo Tigranocertam in deditionem accipit, & Romanis totam subjicit Armeniam; huic præficit Tigranem, Archelai quondam Cappadociæ Regis nepotem, à quo tutiùs & faciliùs servari posset. Inde venit Corbulo in Syriam, ut ei prospiceret; quoniam, morte Vinidii Quadrati, qui ei legatus præerat; periculum erat, ne in eam Parthus irrumperet, Corbulonis tamen præsentiâ, quam quolibet exercitu tutiorem.

Tum quoque Nero quinquennale certamen Romæ, ad morem Græci certaminis, instituit; in quo non spectator, & Brabeutes, sed actor, & aliqua pars ejus fuit, in magnum tanti hujus Imperii dedecus.

---

## CAP. VII.

### *Decas Septima.*

*Ab anno Christi 60. ad 70.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4014. 814. 61.

Sanctus Barnabas hoc anno Martyrii palmam invenit in insula Cypro, ubi sepultus est cum Matthæi Evangelio, quod sua manu descripserat, & in suo complexu condi voluerat, ut ostenderet quanti non tantùm vivus, sed & mortuus id faceret.

Alexandriæ quoque Sanctus Marcus raptatus ab Ethnicis, ac pessimè habitus expiravit sanctissimè, factus ipse Idea perfectissimæ Christianitatis.

Simon Chananæus, qui & Zelotes, Thadæusque, qui & Judas Jacobi frater, cùm hic Mesopotamiam; ille Ægyptum decurrissent, annunciantes Christum, tandem in Persidem convenerunt, veræque religioni innumerabiles populos adjunxerunt; quorum conciones ut plus posset, dicentium sanguine irrigatæ, mirabilem Ecclesiæ sementem protulerunt.

*R. P. Brietii Annales.*

Hoc anno S. Jacobus Epistolam suam dedisse putatur in quinque capita digestam, sed quibus vita omnis Christiana continetur. *Epistola S. Iacobi.*

Bunduica Britanna, virilis animi fœmina, dum Paulinus versaretur in Insulâ Monâ, coactis centum viginti bellatorum millibus, duas cepit urbes, & octoginta millia civium Rom. cecidit, atque in fœminas maximè sævijt. Eam rediens Paulinus aggreditur licet ducentis triginta millibus stipatam, quando & Barbaros ad satietatem interemit, eisque cladem cum fœnore reposuit. Bunduica dum reparare conatur bellum, extincta morbo plenam Romanis reliquit victoriam, probrosam tamen quòd à fœmina victi, tantùm fœminam superassent. *Britannica Paulini victoria.*

Præfecto Urbis Pædanio per servum cæso, universa quæ sub eodem tecto vivebat familia addicta est neci, ut gravitate supplicii, atrocitas sceleris inhiberetur, nec ii putarentur innocentes qui vitæ domini sui, salutique tam negligenter prospexissent. *Servi crudeliter necati.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4115. 815. 62.

Trigesimo à Christi morte anno, & octavo Neronis, S. Jacobus, Minor dictus, & Domini frater, jubente Anano Pontifice, homine feroci, ac sævo; Christum publicè profitens ex pinnis templi dejectus, lapidibus obrutus, ac demum fullonis vecte percussus, pro suis percussoribus orans, animum Deo reddidit. Vir cultu etiam corporis pius, semper in lineâ veste, nunquam tonsus, nunquam unctus oleo, aut balneo usus; tam deditus orationi, uti ejus genua atque frons instar pellis cameli occalluerint. Certè tanti factum esse à Judæis, scripsit Josephus, ut ob ejus maximè cædem Hierosolymitanam cladem contigisse putaverint. Successor ejus Simeon in Episcopatu Christi cognatus atque Discipulus, mœrorem utcumque levavit, magnum tamen in viri jacturâ, quem ex æquo boni malique, inimici amicique diligerent. *S. Iacobi Minoris Martyrium.*

Eodem anno, quarto ante bellum Judaicum, Jesus quidam Anani filius, homo plebejus, ac rusticus cladem Hierosolymitanam præcinuit, væ illud fatale suis popularibus intentans, neque monitis atque sævis verberibus silere potens, donec obsesso ballista Romanorum vocem ei cum vita eripuit. *Cladis Hierosolymitanæ prænuncius.*

Vologæsus Rex Parthorum Teridatem fratrem suum Armeniâ depulsum restituere conatus est. Sed statim adfuit Corbulo Tigrani allaturus opem. Cùm ergò hic rem Romanam in tuto collocasset, eam Sennius Pæstus Cappadociæ præfectus evertit. Victus enim turpiter à Vologæso, obsessusque in urbe Rhandeâ, se parum honestis conditionibus dedere compulsus est. Corbulo præsentiâ suâ rem utcumque restituit, sed ignominiam omnino abstergere non potuit. *Parthi Ro. vincunt.*

Persius Satyricus hoc anno ætatis undetrigesimo mortuus est; qui adeò obscurè cecinit, ut sub tyranno & Nerone scripsisse satis intelligatur. *Persius Satyricus.*

Burrhus præfectus Prætorio, magnum Reip. virtutisque columen, atque una Neronianorum criminum mora, ab eodem Nerone veneno extinctus est. Ejus loco substituti sunt duo præfecti *Burrhus tollitur.*

Prætorio, ut minus possent, Fennius Rufus, & Tigillinus moribus tam inter se gemini, quàm dissimiles Burrho. Hi Senecam apud Neronem criminantur; quod cùm ille prævidisset missionem petiit, at non impetravit, sapientior quàm felicior.

*Seneca petit missionem.*

Octaviam jampridem expellere cogitabat Nero, sed ei reddendum Imperium Burrhus contendebat; hoc sublato monitore eam ejecit Cæsar; verùm exortâ Romæ seditione revocare compulsus est. Mox tamen in Insulam relegatam interemit, etiam impudenter insimulatam adulterii, sanctissimam alioquin fœminam, atque alio marito digniorem.

*Octaviam necat Nero.*

Tum quoque Pallas libertus, cujus operâ à Claudio adoptatus erat Nero, sublatus est, propter ingentes divitias, sed malis artibus quæsitas, & semper dominis suis infructuosas.

*Pallas interimitur.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4116. 816. 63.

Hoc anno S. Matthias martyrio coronatus etiam meliorem quàm cum factus est Apostolus consecutus est sortem.

*S. Matthiæ Martyrium.*

Corbulo tantâ felicitate ac virtute bellum gessit in Parthos; ut Teridatem, haud repugnante Vologæso, in castra Romanorum venire compulerit, atque imaginibus Neronis subjicere diadema, majore tamen Corbulonis, quàm Neronis gloriâ.

*Corbulonis fortitudo.*

Nero Equitum Romanorum loca sedilibus plebis anteposuit; non quod illum ordinem honoratum vellet, sed materiam rixarum sufficeret, homo ad insaniam malitiosus.

*Neronis malitia.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4117. 817. 64.

Cestius Gallus tum Syriam legatus rexit, cùm Gessius Florus Judææ Procurator renunciatus est; cujus operâ maximè Judæi in ultimam acti desperationem, rebellionem secuturis sæculis prope legitimam reddiderunt. Jus enim hic publicè vendidit, atque impunè vexandi quemlibet, spoliandique licentiam; quod tantùm occultè Albinus fecerat, & parciùs. Urbem militi non semel diripiendam objecit, facta potestate suis uti in Urbe per vim captâ rapiendi, atque corrumpendi. Uno verbo se non Cæsaris Procuratorem, sed alterum Neronem præbuit.

*Cestius Florus Syriæ Procurator.*

Nero trajectus in Græciam Neapolin venit; sed repente mutato consilio, non tam in Urbem, quàm ad suas libidines rediit. Tum enim Pythagoræ exoleto nupsit, & Sporum adolescentem formosum, vultuque Poppeæ simillimum, ipse duxit uxorem, huic assignatâ dote, obitisque ceremoniis omnibus quæ tum in nuptiis solebant adhiberi. Eum etiam sævâ & atroci dementiâ in fœminam transformare conatus est, eaque præstitit quæ pudor commemorari vetat, nec invenirent fidem, nisi de Nerone dicerentur.

*Neronis improbitas.*

Verùm hæc paucis nocuere; quæ deinceps egit pænè Romam in ultimam ruinam impulere. Ardentem Trojam, uti depingitur à vatibus, spectare voluit; itaq; variis Urbis partibus curavit admoveri faces, atq; ita domibus ignes subjici, ut Romani ancipiti distracti malo, de se potius quàm de aliis cogitarent. Tum mons Palatinus universus exarsit, ac duæ Urbis partes totæ conflagrarunt, cùm in Smaragdo, ut pulcrius esset, ac minus oculos offenderet, id spectaret incendium, turpi habitu Citarædi Trojæ ἅλωσιν occinens, & in malis exultans, quibus à Roma per Gallos incensâ Urbs paria nòn viderat. Cùm igitur se ob eos ignes impeti conviciis populi videret Nero, culpam voluit in alios refundere, atque iis crimen suum affingere. Nam in Christianos, quorum erat tum Romæ non exigua multitudo, hæc incendia derivavit, quorum aliquos ferarum pellibus tectos à bestiis lacerandos curavit, alios pice ac sulphure illitos pro facibus ardere jussit, & crudelem nocturnis spectaculis exhibere lucem. Tum igitur contigit Religionis Christianæ

*Nero urbem incendit.*

PRIMA PERSECUTIO.

Cujus author fuit Nero, aptum dæmonis instrumentum ad torquendos homines Sanctissimos, & qui tantum ab ejus moribus disjuncti erant, quantùm à terra dissidet cœlum.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4118. 818. 65.

Visa Hierosolymis signa ultimam urbi calamitatem portenderunt. Xanthici mensis octavo die, horâ noctis nonâ, lux ingens circa altare per mediam horam effulsit. In festo Azymorum, porta Orientalis ærea, quam ægrè multi homines solebant impellere, sponte patefacta est circa horam noctis sextam. In ipso die Pentecostes cùm Sacerdotes in templo nocte versarentur, fusuri de more ad Deum preces, auditus est strepitus ingens, cum his vocibus, *migremus hinc*: quibus admoniti Judæi, nisi mens eis fuisset læva minantis opem implorare debuerunt.

Neque diu dilata sunt cladis imminentis exordia. Nero enim, petente Batyllo, qui ejus olim ex saltatore fuerat Pædagogus, nunc verò ei à Græcis epistolis erat, Judæis Cæsareæ degentibus jus civitatis abrogavit, ac totum gentilibus concessit; unde mali Judaici prima labes. Cùm enim utrimque grassationibus ageretur, & Gessium Florum diriori morte dignum interemissent Judæi, venit ad Hierosolymam Cestius Gallus cum exercitu, unde fugatus, Romanorum & Arabum peditum quinque millia, ac trecentos cum Aquila Romanâ perdidit, equites verò nongentos octoginta; quod dedecus totius gentis sanguine relinendum fuit.

Romæ autem ingens est concitata adversus Neronem conspiratio Pisoniana, aliaq; Beneventi Viniciana, quibus nobiles quique impliciti amplam Cæsaris crudelitati, & rapacitati materiam suggesserunt. Cæsi omnes quotquot appellati sunt, in iis Lucanus Poëta, cui uti Poëtæ bono, malus vates Nero aliunde invidebat; Seneca ejus Præceptor & qui ejus ad virtutem formarat mores, ut ab hac parte parricida vocaretur; Plautius, Lateranus, Sulpitius Aper Centurio, Subius Flavius Tribunus, adeoque ipse præfectus Prætorio Rufus. Neque tantùm in conjuratos sævitum, sed & in alios quosque innoxios pœna derivata est; risisse tum, plorasse, nutum aliquem edidisse, capitale fuit, sic præbitæ aures delatoribus,

ribus, ut nemo tutus videretur. Tum Thraseas Pœtus, & Soranus Romanorum honestissimi studiosissimiq; perierunt, hic quidem à Publio Egnatio Celere Philosopho dicente falsum testimonium accusatus, quasi operâ filiæ magicis usus esset artibus & sacrificiis ægrotante Nerone; ille quod tristior esset, vultumque Pædagogi ferret, rarò veniret in Senatum ut Cæsaris probaret acta, nunquam eum canentem audivisset, nec ejus sacræ Citharæ sacrificasset, propter quæ laudem apud posteros retulit immortalem. Certè fortiter obiit, uti vixerat generosè, sanguinem è venis refectis profluentem propinans Jovi liberatori, dignum qui meliori causâ funderetur.

Sed quod mirum crudelem in suos inimicos fuisse Neronem, qui amicos quoque sævus extitit? Sabinam enim Poppæam delicias suas ictu calcis exanimavit, formæ suæ adeo sollicitam, ut quotidie quingentarum Asinarum, quas semper deducebat secum, lacte lavaretur; quæque mori potiùs quàm senescere exoptarat, cujus & votum fanaticus maritus implevit.

Tum Romanus Eques Neroni pollicitus est ingentes Didonis gazas ereptas Pygmalioni, & latentes in Africæ vastissimis specubus, quæ parvo operarum labore refodi possent. Verùm inane indicium esse demonstravit eventus; atque dubitatum utrum qui promiserat, an qui crediderat esset amentior.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4119. 819. 66.

Judæi fusis Romanorum copiis tandem intelligunt quibuscum hostibus sibi res esset; varios itaque duces eligunt, quibus tanti belli curam committerent, inter reliquos Josephum ~~Gorionidem~~, virum fortem, nec malum scriptorem, qui Galilæam ordinaret. Aliunde Nero ex Achaia audita Judæorum defectione huic bello Vespasianum præficit, qui statim Titum filium Alexandriam hyeme præmittit, ut inde legiones deduceret, earumque metu Judæorum audaciam comprimeret.

Teridates, uti Corbuloni promiserat, Romam venit, ubi magnificè susceptus publicè accidit ad Neronis genua, deposito ad pedes ejus diademate, quod tamen mox cum osculo, multoque honore recepit, sed tanto cum apparatu, ut non seriò, sed inimicè cuncta geri viderentur.

Postea navigavit in Achaiam Nero, ubi Græcos nactus adulatores se totum in ludos effudit. Hic inter Tragœdos atque Citharœdos saltavit, & cecinit, inter aurigas agitavit currus, sed tanto Imperii, suique neglectu, ut non Cæsar, sed privatus aliquis esse videretur.

Mox tamen quis esset ostendit; Domitium enim Corbulonem ex Oriente revocatum perhonorificè, cùm Cenchreas ad portum Corinthi appulisset, occidi jussit, virum fortem, & bonum, & in eo tantùm reprehendendum quòd nimis Neronem dilexerit, eique amicus esse, quàm Imperator esse maluerit.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4120. 820. 67.

Vespasianus in Judæa rem prosperè gerit expugnatque duas urbes permunitas, Joppem, & Jotapatam; in hac Josephum cepit, qui ei præcinuit imperium; quare deinceps Flaviæ familiæ acceptissimus fuit, publicam etiam promeritus statuam, & qui semper infelix fuisset, nisi infelicissimus extitisset. Titus autem tota Galilæa potitus, in qua incredibilis hominum multitudo conscissa est, ab hac parte Judæorum robur elisit; & tum seriùs agnoverunt miseri, non semper bellorum exitus initiis respondere. *Iosephus captivus.*

Interea ad externum, & Romanum, civile ac domesticum bellum Judæis accessit. Zelotæ enim (ita dicebantur qui patrias leges audaciùs quàm sapientiùs tuebantur) reliquis civibus Hierosolymitanis, aut pacem, aut mitiora consilia spirantibus impares, sese templi septis incluserunt, & suum in auxilium Proselytos Idumæos accersiverunt; hi clam in urbem intro ducti multos ex civibus occiderunt, cibaria multa corruperunt, quibus postmodum misera civitas plurimùm indiguit. *Zelotæ turbant Hierosolymam.*

Inter illas cædes enituit Zachariæ viri optimi justissimique nex; hic Barachi seu Barachiæ filius, inter templum, & altare interfectus, suspicionem sacrorum Codicum interpreti doctissimo injecit, utrum non esset ille Zacharias, cujus mortem Judæis exprobrat Christus, quasi hæc sint propheticè dicta, & apud sacros vates præsentia atque futura quasi præterita nuncientur; quod hoc loco insinuasse, & sapientûm judicio subjecisse sufficiat. *Zacharias cæditur.*

Tum quoque Pontifex Ananus ab iisdem jugulatus est; sed addita quoque rebus sacris contumelia: prius enim per ludum scelerati homines Phanniam quendam Samuelis filium abstractum rure, & de stiva Pontificem creant, sacrisque vestibus indutum, ac per urbem circumductum inducunt in templum. Tum ergo Christiani à Domino præmoniti Hierosolymam reliquerunt. Sic enim *abominatio desolationis à Daniele prænunciata in loco sancto*, hoc est templo, apparuit, Zelotis, Idumæisque sanguine, cædibus, & rapinis funestantibus templum, & Dei cultu ad jocos abutentibus. Quòd si *abominationem* hanc *desolationis* ad illud tempus referre volueris, quo Cestius cum signis Romanis, exornatis Cæsarum, Deorumque imaginibus, ad Hierosolymam accessit, non multùm repugnabo; nam Judæis, *abominatio* fuit idolum & imago; & tum Romani, qui hactenus in Judæorum gratiam à suis signis militaribus sustulerant imagines, eas in eorum odium reposuerunt: sicque maturiùs exiisse ab hac urbe Christianos dicendum erit; sed superior expositio videtur facilior & Christi Domini verbis accommodatior. *Ananus interficitur.* *Fugiunt Hierosolymis Christiani.* *Abominatio desolationis.*

Simon Magus Neroni, & Romanis illudens suis præstigiis, in aëre volare visus, & à malis geniis portatus, Petro jubente, destitutus corruit, confractisque cruribus, ac toto corpore debilitato malè periit; ob hanc causam Neronis jussu inverso capite actus est in crucem Petrus; eodem tempore, eodemque jubente, rescissum Paulo caput, quod pellicem factam Christianam Imperatori turpissimo substraxisset; ferunt ex resecto ejus collo, lac pro sanguine defluxisse, & ex trino capitis decidentis saltu tres emicuisse fontes, *Simon Magus dejicitur ex aere à S. Petro.*

fontes, unde loco nomen *trium fontium*, qui priùs *Aqua Salvia*, & *gutta jugiter manans* dicebatur. Petrus autem affixus fuiſſe videtur cruci in ſummitate montis Janiculi; dicitur tamen in Vaticano paſſus, quia montes illi duo ita conjuncti ſunt, atque confuſi, ut eorum nomina confundi meruerint; ubi autem poſtea condita eſt Baſilica Vaticana, ſepulchri ſine dubio locus eſt, ideoque in hujus rei memoriam Vaticanus dictus eſt *Mons aureus*, quòd tantum theſaurum ſuis viſceribus incluſiſſet.

*Martyriũ SS Petri & Pauli.*

*Carcer Mamertinus.*

Antequam autem paterentur ambo Apoſtoli in carcerem Mamertinum detruſi fuerant, unde fontem, etiamnum manantem, ad quorumdam baptiſmum elicuerant. In eodem ſcripſiſſe videntur Epiſtolam, Petrus ſecundam Canonicam, Paulus ad Timotheum alteram. Ita conjunctiſſimi duo in Chriſto viri dum viverent, in morte ſeparati non ſunt, atque ſuo ſanguine plus illuſtravere Romam, quàm omnes ab Urbe condita duces ſuis victoriis Imperatores.

*Linus ſuccedit Petro.*

Mortuo Petro, cùm ſediſſet annis 24. menſibus quinque cum diebus aliquot, ſucceſſit Linus, natione Tuſcus, patriâ Volaterranus: neq; enim moramur eos qui Petro Clementem ſufficiunt, & Linum ad martyrium volunt præceſſiſſe Petrum; nos enim ab omnibus recepta proponimus, cætera majori operi diſcutienda reſervamus.

*Apollonius Tyaneus.*

Eodem tempore cùm Nero pepuliſſet Urbe Philoſophos omnes, neque ſupra alios ſapere quemquam ſineret Romæ, in eam venit Appollonius Tyaneus ſpecie Philoſophus, re Magus, alter à Simone ſatelles Orci, eodemque afflatus ſpiritu, ut bellum indiceret Chriſto. Hujus vitam Philoſtratus ut multis libris, ita multis mendaciis texuit.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4121. 821. 68.

*Obſidio Hieroſolymitana dilata.*

Veſpaſianus ad Hieroſolymitanam urbem obſidendam accedens, Gadara occupat, ne inde in obſidione vexaretur: hic auditâ Neronis nece, mittit filium ſuum, qui Galbæ gratuletur Imperium: interim ne fortè alteri laboraret, obſidionem differt, cum ea dilatio non noceret Romanis, Judæorum vires attereret.

*Vindex à Nerone deficit, & Galba.*

Hæc dum geruntur in Oriente C. Julius Vindex, qui Proprætor Gallias adminiſtrabat, deficit à Nerone, eumque contumelioſis edictis laceſſit, Ænobarbum duntaxat appellans. Iis Nero valdè commotus non eſt; ſed maximè cùm Sulpitium Galbam audiit in Hiſpania rebellaſſe; tum enim veſtem diſcidit, converberavit caput, actum de ſe pronunciavit. Galba interim res ſuas ordinabat; non ita Vindex, quem Rufi Germaniæ præfecti milites oppreſſere, ipſe ſibi violentas intulit manus. Rufus acclamatus Auguſtus conſtanter repudiavit Imperium; nec niſi invitus à Nerone defecit. Vindici itaque morte nunciatâ nihil propius abfuit, quàm ut eum ſponte Galba ſequeretur, ſimulque vitam, & Imperium deponeret. Sed auditâ nece Neronis reſumpſit animos, & diffidentiam ac deſperationem ſuam jam ſec tus incuſavit.

*Moritur Nero.*

Interea Nero in Urbe ab omnibus deſertus eſt, editumque in eum atrox Senatuſconſultum, ut in eum more majorum animadverteretur, hoc eſt inter verbera atque carnifices efflaret animã. Itaque fugit cum paucis, mori volens, ac timens, & ſubinde latebras mutans. Tandem audiens imminere equites ad eum capiendum immiſſos, adjuvante Epaphrodito, qui huic à libellis erat, in jugulum ſibi ferrum adegit, poſt mortem Tyranni præferens vultum, & horrorem metumq; aſpicientibus intentans. Combuſtus & tumulatus tam raptim, ut terræ communi omnium parenti gravis videretur, qui necaſſet matrem. Ita ſublatus Nero non ad Urbis tantùm, ſed & Orbis exitium natus; neque ſatis citò, neque ſatis ſeverè ſublatus, cum imperaſſet annis 13. menſibus 7. diebus 28. ut Dio, ut Suetonius paulò minus annis 14. exemplo certiſſimo primam inſtitutionem in pueris emendari non poſſe; cum corrigere in eo non potuerit Seneca quod à ſaltatore & tonſore hominibus nequam, à teneris didiciſſet.

Neronem Antichriſtum eſſe quidam veterum crediderunt; aliqui putavere non eſſe mortuum, ſed reſervari in æſtatis flore ad finem mundi, ut tum Antichriſti vices expleat: Quidam cum Antichriſto tum regnaturum dixere, hunc in Oriente, illum in Occidente, cujus ſententiæ adſtipulatorem facit S. Martinum Turonenſem, Sulpitius Juliodunenſis Presbyter. Sed hæ omnes etiam virorum Sanctorum opiniones exploſæ ſunt, nec hi ſemper ex Dei Spiritu, ſed aliquando ex ſuo, nonnunquam ex alieno locuti eſſe deprehenduntur.

Succeſſit homini furioſo & amenti ſapiens & egregiè cordatus Servius Sulpitius Galba, cui Tiberius Imperium deguſtandum præcinuerat, in quo nihil deſiderari potuit, niſi quod paulò tardiùs venit ad Imperium, idque majori autoritate & favore acceperit, quàm adminiſtrarit.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4122. 822. 69.

Titus à Patre miſſus ad Galbam, auditâ ejus morte in Achaia redit ad Patrem ſapienter, cui præſens auxilium ferre poterat in tanta Reip. perturbatione, neq; ſpe ſuâ hic ejusq; parens fruſtrati ſunt.

Fortiter adminiſtrare cœpit Imperium Galba, militi nihil adulatus, & dicere ſolitus ſe militem legere, non emere. Laudatus eſt etiam quòd Helium, Narciſſum, Patrobium, Locuſtam tempore Neronis infames vinctos per Urbé traduxiſſet, & addixiſſet neci; ſed à tribus ſe regi permiſit qui vendebant omnia; eorum operâ emiſſi Halotus & Tigillinus ex Neronis emiſſariis maleficentiſſimi, qui poſtulabantur ad necem; hinc deſpici cœpit. Quod cùm obſervaſſet ipſe, quaſi ſua ſenectus & orbitas contemneretur, Piſonem Frugi Licinianum adoptat, nullâ mentione factâ donativi; unde data occaſio Othoni novas res moliendi; qui ſe præteritum in adoptione quam ſperabat ægrè ferens, corraſis undique pecuniis milites corrupit, à quibus Galba trucidatus eſt annos 73. natus, Imperii ſui menſe ſeptimo, nequicquam eum defendente Sempronio Denſo Centurione, quem ſola mors ab Imperatore ſuo

dis-

disjunxit. Additus quoque Piso, 7. adoptionis die, ne desereret patrem; juvenis aliis temporibus, casibusque dignior.

Interea defecerant Germanicæ legiones ad Vitellium, quem eò præmiserat Galba tantùm furandi, grassandique cupiditate. Occasionem Vitellius arripuerat, & in earum se gratiam insinuarat facilitate, promissis, obsequio. Mittit ergo statim adversus Othonem copiarum partem qui jam principatus dimidium offerebat, & quo minùs totum dimitteret à suis tantùm impeditus erat. Tandem tribus præliis utraque pars dimicat circa Cremonam, quarto ad Bedryacum, in quo quadraginta hominum millia ceciderunt, quibus auditis Otho pugione se confecit, & quod sordidè ac turpiter acceperat, honestissimè deposuit Imperium, quod tribus mensibus occuparat anno vitæ suæ undequadragesimo, vel trigesimo octavo; mulier vitâ, morte vir extitit.

Vitellius factus Imperator Astrologos ejicit ex Italia, tum se in omnes voluntates immergit, adeo gulæ deditus, ut ejus compotor Vibius Crispus ex comessationibus ægrotans, dicere postea solitus esset, nisi ægrotasset sibi pereundum fuisse: Principatus ergo Vitellii ebrietas & comessatio fuit; quarum diu memoria viguit; ab eo enim cupediarum genus dictum Vitellianum; jactatur & ejus cœna parata fratri, cui 2000. piscium, 7000. avium obtulit, & celebratur ejus patina, quæ decies sestertiûm steterat, argentea, non fictilis, propter amplitudinem, & jussu Hadriani conflata, ne Romanis exprobrari posset. Creditores suos sibi fieri satis postulantes valere jussit, satis esse dictitans si ab Imperatore non cæderentur, qui sibi privato molestiores extitissent: certè qui sic vivebat, multis prensantibus Imperium, id diu retinere non poterat.

His acceptis in Syria, Vespasianus ob virtutem & fortitudinem omnibus charus à Syriacis legionibus eligitur Imperator, atque in ejus verba Tiberius Alexander Ægypti præfectus militem adigit Kal. Julii, ipse paulò post Syriacus legiones. Præmittit itaque in Italiam Mutianam, cui se Antonius Primus, seu Priscus cognomento Becco adjungit cum Mysiacis copiis. Ab iis oppressi Vitelliani ad Cremonam circa 29. Octobris. Vitellius vehementer conturbatus mox deponere, mox retinere volebat Imperium, nunc privatus, nunc Imperator. Tandem resumpsit animos, & Sabinum fratrem Vespasiani cum ejus filio Domitiano, aliosque fautores in Capitolium compellit & obsidet. Maturè exinde fugêre Domitianus, & Sabini filius; ille sub Iliaci habitu. Templo enim à Vitellianis injectæ faces Sabinus aliique cæsi. Sed statim adfuit Antonius Becco cum suis, qui dum Urbem subeunt, atque repelluntur, magna est edita strages, quinquaginta hominum millibus desideratis. Mox tamen Vitellius captus, ductusque per viam Sacram, reductâ comâ, reorum more, subjectoque sub mentum pugione ut attolleret vultum, oblitus cœno ac stercore, atque omnibus contumeliis vexatus ob vultum & aqualiculum, demum apud Gemonias scalas minutissimis ictibus excarnificatus tortoris manu periit; inde unco tractus in Tiberim. Periere etiam cum eo filius & frater, aliique fautores ejus, quamquam ille in Flavianos nihil desævisset: imperavit mensibus octo, diebus novem, vir infamis tam privatus, quam Princeps, & popinæ atque mensæ, quàm palatio, & solio aptior.

| MUNDI | Vrb. Cond. | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4123. | 823. | 70. |

Anno à Christi morte trigesimo octavo, Coss. Flavio Vespasiano Imper. secundùm, & Tito, Vespasianus pater eidem Tito bellum Judaicum mandat. Ipse frumentum mittit in Urbem, quo plurimùm indigebat, frugibus bello flagitiosè consumptis, ut sibi populum demereretur. Et quoniam ejus causa Capitolium deflagraverat, id magnificè reparandum curat, ut sic de Diis & hominibus benè mereretur. *Vespasiani præclara initia.*

Jam in Orientem & ad Titum convertenda oratio; pertinet enim ad hunc annum adeo celebrata ἁλωσις Hierosolymitana. Titus ergo 18. Kal. Maji in monte Oliveti castra collocat, & exercitum ingentem ex variis gentibus conflatum explicat. Judæi tamen adeo acriter huic resistunt, ut sæpè Titus ipse discrimen adierit; Idumæi enim, Zelotæ, reliquique cives, positis odiis, conspirabant, & ducibus Joanne, Eleazaro, Simone sese pro legibus patriis devovebant. Mox tamen recruduit dissensio, ac Zelotis omnibus Azymorum die exterminatis, in factiones tantùm duas divisit urbem, 5. igitur Nonas Maji primus murus machinis labefactatus ægrè captus est, & quinto post die secundus, ac tertius acriter verberatus. Fames interea sæviebat in urbe, absumptis civili discordiâ publicis apothecis; itaque multi fugere ex urbe conabantur; sed fugitivos omnes affigi crucibus jusserat Titus ad reliquorum terrorem; quare tam multi venere in Romanorum manus, ut jam terra crucibus, corporibus deessent cruces. Aggeribus tamen dissipatis, quos disposuerat Titus, ut inclusus contineret, statuit idem excitare murum ambitu 40. stadiorum, cum castellis tredecim, stadiorum decem, quibus quasi indagine aliàque urbe includerentur. Mirum! tantum opus perfectum triduò, tantâque facilitate, ut lapides ad manum latomorum venire viderentur. Inter hæc irrepabant fugitivi, quorum duobus millibus resecti ventres, (quia aurum suum vorasse credebantur) ab Arabibus & Syris; & nisi vetuisset Titus ulterius progressa esset hæc extispicina. Fames denique tam atrox in urbe sævit, ut coria, calcei, fœnum, stabulorum stercus magno pretio venirent. Itum & in humana cadavera, matres nec suis filiis pepercêre. Inter cæteras Maria prædives ac nobilis fœmina omnibus edulibus per milites raptis, filium comedit suum, idque agnitum ex nidore assatæ carnis. Invitabat miseros ad deditionem Titus, verùm hanc inhibebant Pseudoprophetæ, auxilium à Deo promptum, certumque polliciti. Tandem ipse Deum hominesque testatus civitatem obstinatam exscindere parat. Captâ Antoniâ turre, inde miles jaculatus facem in templum illud sic incendit, ut neque Judæi, nec ipse Titus afferre potue- *HIEROSOLYMITANA. ἁλωσις.*

potuerit opem; itaq; quaſi Deo ventilante flammas ſuccenſum in cineres totum abiit Nonis Auguſti: & poſt elapſas hebdomadas quatuor Kalendis Septembris urbs eandem ſortem ſubiit penitùs inflammata. Tres tantùm ſervatæ ſunt turres cæteris editiores, monimenta difficilis victoriæ. Ita concidit Sancta civitas, quam Deus in oculis tulerat, temploque ſuo dignatus erat, quæ cum in Deum ſuum extendiſſet manus, eumq; affixiſſet ligno, ſic caſtigata eſt, ut de ejus excidio nulla taciturа ſit ætas, & ad ejus auditionem orbis univerſus perhorreſcat.

---

## CAP. VIII.

## *Decas Octava.*

### *Ab anno Chriſti* 70. *ad* 80.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4124. 824. 71.

CAſtella Judææ hoc anno penitus exciſa, nihil relictum quod vim arcere poſſet; agri univerſi venditi, quoniam eorum domini uti mancipia ſerviebant: Emmaus amplificata Nicopolis dicta, ut eſſet non tantùm re, ſed & nomine monimentum victoriæ; Cæſarea autem ideo Metropolis facta, quia id ejus amplitudo dignitas, & nomen exigebant.

*Emmaus dicta Nicopolis.*

Alexandriæ tumultuantibus Judæis, juſſu Veſpaſiani Lupus Onium exſcidit templum olim ab Onia Pontifice ſtatutum, ne id eorum rebellionem, ut Hieroſolymis, fovere videretur.

*Onium templum exciſum.*

S. Bartholomæo Apoſtolo, cum ex India citeriori, in Majorem Armeniam iter reflexiſſet, vivo atque ſpiranti detracta cutis, poſteaquam reſciſſum caput; cujus corpus inde translatum Liparam primò, deinde Romam, Tiberis Inſulam longè quàm Æſculapius olim reddidit illuſtriorem.

*S. Bartholomæi Martyrium.*

Veſpaſianus & Titus de Judæis triumpharunt, in quo ducti Joannes & Simon factionum duces duo cum militibus ſeptingentis: his addit Barphoram Dio, quem à triumpho necatum ſcribit. Quod autem Judæi Didragma pendebant, id Jovi Capitolino perſolvere compulſi ſunt. Pacis templum condere aggreditur Imperator claudit quoque Jani Gemini templum, quod pacem datam Orbi Romano innueret.

*Triumphus de Iudæis.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4125. 825. 72.

Ex Cocabâ vico Baſanitidis emerſit Ebion, qui ita ſe dici voluit, quòd volens pauper effectus eſſet, & ad pedes Apoſtolorum ſuarum poſſeſſionum pretium abjeciſſet; hic ſectam effinxit ex omnibus deliriis Samaritanorum, Judæorum, Nazaræorum, Cherinthianorum. Vixit pæne hoc tempore Cherinthus, & in utrumque incidens Joannes filius Zebedæi, diſceſſit ex Balneo, ne ejus ruina cum hominibus ſceleratiſſimis involveretur. Fuerunt autem in eo ſimiles & gemini quod Chriſti divinitatem negarunt, cum creatum majorem Angelis dicerent, at ex viri ſemine progenitum, & alia ejuſdem modi, quæ pudor & otium hic commemorare vetant.

*Ebion he-[illegible]*

*[illegible] Che-[illegible]thus.*

Eodem quoque pertinet Menander Diſcipulus Simonis Magi, Magus ipſe, qui ſuos in nomine ſuo Baptizabat, nec aliter conſecuturos ſalutem exiſtimabat; cui condiſcipuli fuerunt Baſilides atque Saturninus, omnes Chriſtianitatis peſtes, & Chriſti inimici.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4126. 826. 73.

S. Thomas Meliapore, ſeu Calamniæ in India jaculis configitur, ibidemque ſepelitur; non tamen integer, cùm ejus reliquiis aliquot aliæ civitates glorientur. Neque enim putamus, quod aliqui dixere, per miraculum, tanti viri corpus in multis urbibus totum eſſe ſepultum, cùm pars duntaxat iiſdem tutandis, atque exornandis ſufficeret.

Helvidius Priſcus Thraſeæ gener, ſectâ Stoicus, Prætor Romæ non ſatis Veſpaſianum reverens, immo eidem ſæpe iuſultans ac inſolentiſſimis altercationibus propè in ordinem redigens, primùm multatur exilio; deinde jubetur interfici: miſit tamen Imperator qui percuſſores revocarent; & ſervatus eſſet, niſi jam periiſſe falsò nunciatum fuiſſet. Cùm ejus exemplo incitati, neque pœnâ deterriti Stoici quidam atque Cynici furere pergerent, ſuadente Muciano Philoſophos omnes Urbe ſubmovit Cæſar: præter Muſſonium; Hoſtilium verò atque Demetrium Cynicos in inſulas relegavit, ex quibus Hoſtilius μετιδ'ν hoc eſt *exiit*, vel *ſententiam mutavit* (ſic enim variè exponitur Græca vox) Demetrius damnatus in Cæſarem incidens, ei neque aſſurrexit, neque eum ſalutavit, immo allatravit de more, cui tantùm bonus Imperator ſignificavit, mori quidem illum velle, at ſe nolle interimere canem, ſatis eſſe ratus convicio adverſus hominem qui ſic inſaniret.

Tum S. Apollinaris S. Petri ab Oriente comes à Gentilibus Sacerdotibus, quòd ad Chriſtum multos converteret, extorto decreto à Veſpaſiano, dirè tortus, & ejectus Ravennâ, tandem trucidatus eſt immaniter in vita & poſt obitum miraculis clarus.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4127. 827. 74.

Achaia, Lycia, Rhodus, Byzantium, Samus, utraque Cilicia, Comagena antea liberæ, aut ſub amicis regibus in Provinciam redactæ, pluribus non tam præfectis quàm latronibus expoſitæ ſunt: hos enim de induſtria præficiebat Imperator, ut poſtea tanquam ſpongias premeret, eorumque rapinas addiceret fiſco, publicus ipſe graſſator, & latro, cæteriſque nocentior.

Veſpaſiano V. & Tito III. Conſulibus, iidem Imperator & Cæſar ultimam egere Cenſuram atque ultimum egere Cenſum jam ab annis 659. inſtitutum, quo toto tempore 75. tantum Luſtra condita ſunt, neque poſtea celebrata, Romanorum moribus deinceps ita corruptis, ut nullâ cenſurâ, nullis cenſoribus poſſent emendari.

MUN-

MUNDI *Vrb.Cond.* CHRISTI.
4128. 828. 75.

Templum Pacis Æternæ à Vespasiano constructum, & Judæorum spoliis exornatum hoc anno dedicatum est, ubi Romani bellorum pertæsi lubentissimè vota sua profuderunt.

Q. Asconius Pædianus nobilis Interpres Tullii, & magnus Rhetor, hoc anno ætatis 75. perdidit oculos, & postea cæcus 12. annis vixit Vespasiano charus, qui Rhetoras amavit, eisque teste Tranquillo tam Græcis, quàm Latinis primus ex fisco centena constituit; utrumque justus, seu cùm Philosophos latrantes pœnis coercuit, Rhetores loquentes sapienter, ac benè, muneribus auxit.

MUNDI *Vrb.Cond.* CHRISTI.
4129. 829. 76.

Hoc anno Vespasiano VII. & Tito V. Coss. IX. Kal. Febr. natus est Hadrianus Imperator, patre Ælio Hadriano Afro Consobrino Trajani, matre Domitia Paulina Gaditana. Majores ejus Hadriæ in Picentibus orti, Italicæ in Hispania temporibus Scipionum vixerunt, ipse majores omnes illustravit suos.

Pertinere videtur præter propter ad hoc tempus Proteus ille impostor Philosophus Peregrinus Paro Insulâ natus, de quo Samosatenus Lucianus. Sceleratus ille parricida, & Pæderastes, ut haberet unde viveret, Christo nomen dedit, cujus causâ se in carcerem detrudendum curavit, ut pecuniam conficeret, & lautiùs viveret, quod & contigit. Tandem enim auro plenus emissus est à Syriæ Præside. Suscepit & alteram peregrinationem, suâ Christianitate suffultus, nullius rei egens, sed ob flagitia à Christianis ejectus, omnium rerum penuriâ laborans demùm in ludis Olympicis sub Domitiano vivus in ignes insiluit, vanæ gloriæ, ac Dæmonis vile mancipium.

MUNDI *Vrb.Cond.* CHRISTI.
4130. 830. 77.

Prodiit hoc anno ex suis latebris Sabinus ille Gallus cum uxore Peponila, quæ ibidem duos ei filios ediderat. Is asserebat se ex Julio Cæsare prognatum, ideoque se Cæsarem dicebat, atque Imperium in Lingonibus occuparat, & compararat exercitum; sed victus, se receperat in sepulchrum ubi novem annis vixerat. Hoc demum anno agnitus adductusque Romam cæsus est cum uxore, quæ eum abdiderat, atque ex eo duos susceperat liberos, ut plures Imperatori supplices offerret; quod ab eo lacrymas, non veniam elicuit.

Circa hoc quoque tempus Sophistæ quidam Urbem ingressi sunt, ex quibus Diogenes irrumpens in Theatrum multis conviciis populum excepit; quare virgis probè mulctatus silere didicit. Non tamen ejus exemplo sapuit Eras, qui tergi sui confidentia insolentiùs, atque impudentiùs populum allatravit; itaque non jam verberibus sed gladio cæsus, non ad tempus ut alter, sed perpetuò tacere perrexit.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4131. 831. 78.

S. Linus Summus Pontifex, cùm sedisset an. XI. mens. 2. diebus 24. jussu ingratissimi Saturnini Consularis, cujus filiam energumenam sanarat, pro Christi fide perdidit caput. Cavit ne qua mulier sine velo subiret Ecclesiam. Scripserat res gestas Sancti Petri cùm Simone Mago, sed non extat liber: item & passionem SS. Petri & Pauli; verùm quia ejus hæc opera corrupta sunt, est minus scriptis suis Linus, quàm vitâ ac facto illustris. Successit ei Cletus, tertius à Petro, quem cave cum Anacleto confundas. *S. Lini Martyrium.*

Alienus & Marcellus summis honoribus aucti à Vespasiano, ejusque familiares, in eum ingratissimè conspirant. Alienus in Palatio, dum surgit è convivio, ne quid per comparatos milites moliretur, Titi jussu cæsus est. Marcellus damnatus in Senatu sibi novaculâ præscidit guttur; uterque feris deterior judicatus, qui tot beneficiis à bono Principe cicuratus non esset. Vespasiani tempore floruisse creditur Curtius Rufus expeditionis Alexandrinæ scriptor egregius, de cujus tamen ætate tantùm inter se scriptores digladiantur, quantùm de excellentia styli ejus inter se conveniunt. *Conjuratio in Vespasianum* *Quintus Curtius.*

MUNDI *Vrb.Cond.* CHRISTI.
4132. 832. 79.

Moritur in Sabinis ad Aquas Cutilias hoc anno Flavius Vespasianus, annos natus unde septuaginta cum uno mense, & diebus 7 cùm imperasset annis X. minus diebus sex, tam bonus, & facilis, ut ei divinitatem ad miracula Ethnici scriptores affinxerint, & ab eo cæcum salivâ, mancum ac debilem crure, vel manu, solo contactu sanatos velint. Sordes etiam ejus excusant nonnulli ad ministrationis necessitate. Cæterùm facilitatis tantæ, ut invitus semper reorum morti subscripserit, & sugillatus, aut convicio, aut risu injurias depulerit. *Moritur Vespasianus.*

Successit patri deliciæ generis humani Titus, bono patre longè melior, quem tamen impudenter criminatus est Hadrianus, quasi venenum miscuerit patri; ejus enim jussu quandiu imperavit sublatus est nemo; tam paratus effundere beneficia, ut putaret perditum diem in quo de nullo bene meritus esset; illustre Principum exemplar, & vivens inter homines imago divinitatis. *Succedit patri Titus.*

Bellum extitit in Britanniâ, quo Cn. Julius Agricola regionem hostium universam vastavit, & populando didicit, eam Insulam esse, ac posse circumnavigari. Hunc triumphare passus est Titus, quia majora fecerat quàm exigebat Prætura; propter quæ Domitianus ignominiâ & paupertate affectum crudeliter perdidit; tantùm interest quo imperante magna geras. *Agricola Britannos domat.*

Mons Vesuvius non procul ab urbe Neapoli noctu ignes, interdiu fumos egerere solitus, hoc anno tanta incendia vomuit, ut finis Orbi imminere crederetur. Cùm enim in ejus vertice inusitatæ magnitudinis gigantes inter fumos & ignes apparuissent, terra concussa, mare commotum vehementiùs infremuisset, exilierunt primùm *Vesuvinum incendium.*

mùm ex cratere grandes igniti lapides, quasi machinis impulsi in cœlum, tantaque ignis & fumi egesta vis est, ut cœlum penitus obscuraretur, Sol videretur extinctus. Adhæc tanta copia cineris extitit, ut in Africam, Syriam & Ægyptum pars aliqua delata sit. Tanta autem, tamque densa hujus cineris nubes involvit Urbem, ut ejus ultima pernicies expectaretur. Insuper his motibus & incendiis duæ integræ urbes Pompeji, & Herculanum, sedente populo in Theatro, obrutæ sunt, secuta gravissima lues quò multi mortalium sunt elati. Denique tam gravis hujus anni casus fuit, ut omnes aut mors, aut mortis certissimæ metus afflaverit.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4133. 833. 80.

*C. Plinii Veronensis obitus.* C. Plinius Secundus Misenæ Classis præfectus, dum ad Vesuvinum incendium propiùs accedit, spiritu obstructo crassiori caligine, clausoque stomacho, qui ei naturâ angustus & invalidus erat, extinctus est anno ætatis suæ quinquagesimo sexto. Vir fuit magni laboris & studii, ut ejus opera arguunt; sed suspectus ἀθεότητος, Deique pæne oblitus, dum naturæ arcana penitiùs scrutatus est.

*Incendium Romæ.* Dum Titus invisit Campaniam, usurpaturus oculis calamitatem, quæ omnem superabat fidem, fœdum incendium (quod extitisse de terrâ putat Dio) Romæ fœdissimè grassatur: eo multa templa combusta sunt, Serapidis, Isidis, Neptuni, Pantheon, Jovis, Capitolini, Theatrum Balbi, Scena Pompeji, ex quibus de privatis ædificiis conjecturam duces. Hoc casu revocatus est in Urbem Titus, sed misit duos Consulares viros cum ingenti pecuniâ, qui Colonias ducerent, & afflictis familiis providerent. Tanta miseria tam misericordem Principem exigebat.

---

## CAP. IX.

## *Decas Nona.*

### *Ab anno Christi* 80. *ad* 90.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4134. 834. 81.

*Titus moritur.* Titus cùm imperasset biennio, mensibus 2. diebus 20. ætatis 42. hoc anno, vel veneno potatus à Domitiano, vel conjectus ab eodem in arcam nivis plenam dum langueret ex morbo, extinctus est, majore hominum damno quàm suo. Moriens se tantùm unius pœnitere dixit; sed quale id esset nunquam aperuit; itaque qui hîc consuetudinem cum Domitiâ fratris uxore, aut Domitianum non necatum obtrudunt, vaticinantur.

*Domitianus Tito succedit.* Succedit ei frater Domitianus, cujus exordia non fuere mala. Nam ut Tito meliorem se probaret, in ejus odium, qui pueros sic emollitos dilexerat, castrari vetuit mares: revocatâ item lege Juliâ severè coercuit adulteria; probrosis fœminis lecticæ ademit usum, & jus adeundæ cujuslibet hæreditatis: in quibus tamen alienæ, quàm suæ pudicitiæ sollicitior fuit. Adhæc ut accusandi pruritum restingueret, statuit ut accusator qui causam non teneret, exilio mulctaretur. Calumnias denique Fisci fortiter repressit, professus ***Principem qui delatores non castigat, irritare.*** Sed finis his initiis non respondit.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4135. 835. 82.

Domitianus tum quis esset ostendit, publicè professus se Imperium dedisse Patri, atque Fratri, eos tantùm restituisse. Interea in Palatio vacabat nugis, stylo aureo configens muscas, quò pertinet Vibii Crispi non illepidus jocus, qui quærenti utrum aliquis esset cum Imperatore, respondit, ***ne musca quidem.***

Florebat hoc tempore Fabius Quintilianus Calagurritanus, qui Romam cum Galba venerat. Is insinuavit se in gratiam Domitiani, cujus nepotes erudiit, atque ex Fisco salarium recepit publicus Rhetor. Declamationes autem ejus sunt alterius junioris Oratoris. Vide judicium Laurentii Vallæ de ejus præceptionibus, nec judici, nec judicato satis æquum, quem perperam & ineptè anteponit Ciceroni.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4136. 836. 83.

Domitianus facilitatem, quam præ se tulerat, exuit, & crudeliter in multos desæviit. Interemit Cerealem Salvidienum Orbitum, Ælium Lamiam, Salvium Coccejanum, Metium Pompofianum, Sallustium Lucullum, Junicum Rusticum, Flavium Sabinum, aliosque complures, ex nullis, aut levissimis causis; adeò ut retinuisse sævitiam videretur, quò eam vehementiùs in Romanos emitteret.

Tum Philosophos non tantùm Urbe, ut pater, sed & Italia submovit, ne mores ejus, aut dictis, aut etiam exemplo coarguerentur.

Incesta Vestalium Virginum à patre atque fratre neglecta variè ac severè coercuit: Occellatis sororibus, & Varonillæ liberum reliquit mortis arbitrium, ac genus. Tradunt alii tres ejusmodi virgines spirantes esse defossas; tamque acerbam tum de earum stupro, accuratamque institutam esse quæstionem, ut Helvius quidam Pontifex in Senatu metu exanimatus mortuus ceciderit. Sic puniebat incestos concubitus Imperator, dum fratris sui filiam contaminatior, & turpior ipse pollueret, ***vexabatque columbas censura***, dum ***parceret corvo.***

MUNDI *Urb. Cond.* CHRIST.
4137. 837. 84.

Antonius, qui Germaniæ præerat, adversus Domitianum jam omnibus odiosum insurgit; sed eum Lucius Maximus oppressit tam facilè, ut vix ullam laudem mereretur; ex eo sanè commemoratione dignus, quòd inventas omnes in scriniis Antonii litteras combusserit, ne materiam sæviendi, aliunde sævo præberet Imperatori. Hic tamen etiam absque litteris ex suspicione plurimos interemit. Julius Calvaster adolescens

lescens pulcherrimus, convictus cum Antonio sermones sæpe miscuisse, non aliter effugit mortem, quàm fame suæ honorisque jacturâ, confessus ab eo se turpiter amatum, ejus amori respondisse.

Circa id quoque tempus nonnulli acubus veneno illitis quos collibitum erat pungebant, multique minutis illis vulneribus repente interierunt. Nec Urbem tantùm, sed & universum Orbem homines cædendi lues infecit, multorum tandem suppliciis, ac tempore ipso sublata; sic non tantùm corporibus, sed & animis sua pestis est, atque contagio.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4138. 838. 85.

Floruerunt Domitiani temporibus maximè hi Poëtæ nobiles, quorum versus ad nos pervenere.

*Decius Iuvenalis* Aquinas, Satyrarum scriptor aculeatus, sed turpis, & qui dum obscœnitatem arguit, edocet, ideoque eum Republicâ submovendum putabat Ammiannus Marcellinus. Cùm Paridem Pantomimum pupugisset, octogenarius specie præfecturæ relegatus est in ultimam Ægyptum, ac limitem Æthiopiæ: hoc ei Satyra de more profuit, legentibus quàm scribentibus semper utilior.

*C. Valerius Martialis* Bilbilitanus sub Nerone annos 20. natus Romam venit, ibidem egit annos 35 ac demùm sub Trajano Urbis tædio patriam repetiit. An Coquus dictus sit quidam dubitant sine causâ, & causam falsi fortè nominis otiosiùs exquirunt. Ingenio peramœno fuit, acuto, & ad Epigrammata in primis idoneo.

*Statius Papinius* Martiali σύγχρονος fuit, quanquam ejus nunquam meminit, quod ex invidiâ fecisse putatur, quoniam Domitiano charior erat propter extemporalem carminis facilitatem, quâ carebat ipse: ex Stella tamen utriusque amico, & cujus uterque meminit, utriusque ætas colligitur. Stylus ejus nimiùm elatus ac tumens, & cujus author meritò Virgilium sibi longè adorandum sequendumque proponat.

*C. Valerius Flaccus,* Setinus licet, ac Campanus, vixit tamen in regione Venetâ. Martiali charus fuit, reliquitque septem Argonauticon libros, sed imperfectos, & quibus ultimam manum non admotam esse meritò dolet Quintilianus.

*Sillius Italicus* an nomen traxerit ab Urbe Italica Hispaniæ, an Italiæ, quæ Corfinium quoque dicta, dubitatur à plerisque, & utrumq; Vossius negat, quoniam Italicensi, non Italicus dicendus esset; atque ab Italia nomen traxisse putat. Dives ille fuit, utpote qui villam possederit, quæ fuerat Ciceronis, & alteram in qua tumulus Maronis fuit. Simia Virgilii vulgò dicitur; & verò tantùm ab eo dissidet, quantùm ab homine bellua disjungitur.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4139. 839. 86.

Capitolium, quod Titi temporibus iterum deflagrarat, magnificè restituendum curat Domitianus, titulis tamen ejus sic abolitis, ut unum ejus perferret nomen, ne quidem patris retento nomine, à quo restitutum fuerat magno studio, magnisque sumptibus.

Primus Agon Capitolinus quinquennalis hoc anno statutus est à Domitiano, qui Romanis instar Græcarum Olympiadum esset, continens annos quatuor plenos, aut quinque computatis extremis. Verùm inter se non conveniebant Agonesisti duo, Romanus & Græcus; cùm hic inchoaret à τροπικῷ θερινῷ, ille à Kalendis Januarii. Eodem tempore institutum ab eodem Imperatore quinquennale certamen Jovi Capitolino triplex, Musicum, Equestre, Gymnicum, dictum quinquennale quòd exacto quolibet Agonali anno quinto, qui sequentis Agonalis primus esset, magnâ celebritate conficeretur. Ita delinire conabatur Domitianus Romanos, quos crudelitate ac cædibus exacerbabat, insaniâ tyrannis familiari. *Agon Capitolinus.*

Natus hoc anno Antoninus Pius meliora tempora suis natalibus visus est Orbi Romano prænunciare.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4140. 840. 87.

Cùm Domitianus tum procuratorum suorum nomine formalem dictaret Epistolam, sic eam inchoavit *Dominus & Deus noster sic fieri jubet,* unde institutum deinceps, ut ne scripto ac sermone cujusquam appellaretur aliter. Quare Martialis versus. *Domitianum se dici vult.*

*Edictum Domini, Deique nostri,*
adulationis non est, sed necessitatis. Eodem quoque pertinet ejus insania, quâ se filium Palladis dici voluit tantâ sollicitudine, ut qui id detrectaret tanquam criminis alicujus magni reus detruderetur in carcerem, sicque cum Imperatore suo agere Romani compellerentur. *& Palladis Deæ filium.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4141. 841. 88.

Domitianus aggreditur Dacos, à Græcis dictos Getas, eorumque Regem Decebalum, virum fortem & industrium, ac Domitiano longè dissimilem. Hujus belli partem nullam attigit Imperator, ad bella nocturna & turpia, quàm diuturna, atque generosa magis idoneus; neque etiam in suis ducibus felix fuit; hi enim multis cladibus affecti redierunt, ex quorum tamen ignavia atque dedecore, colligere laudem & gloriam ridiculè voluit. *Aggreditur Dacos & Decebalum.*

Mox in Quados & Marcomannos arma convertit, quòd ab iis bello Dacico adjutus non esset, quorum etiam Legatos de pace missos interemit. At hi jus gentium fortiter ulti sunt, Romanosque in turpissimam impulerunt fugam; quæ & ipsum impulit cum Decebalo turpiter depacisci, datis ei opificibus, pecuniâ, donisque è suâ supellectile. Quod etiam dedecus mendaciis turpiùs obvelare conatus est, bello atque pace ridiculus Thraso. *Vincitur à Marcomannis.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4142. 842. 89.

Domitianus reversus in Urbem, de Dacis, à quibus victus erat, magnificum triumphum egit, Romanis ridentibus in sinu, ejusque insaniam potiùs quàm pompam demirantibus. Exinde crudeliùs in suos debacchatus est, damnis vide- *Triumphat de Dacis.*

licet suis efferatus. Philosophos iterum depulit Urbe, quibus Mathematicos adjunxit, & viros aliquot bonos, inter quos Coccejū Nervam, quem tamen mox revocavit, atque in annum sequentem Consulem fecit, in suis amoribus, & odiis inconstantissimus. Huc pertinent Metius Pompusianus, Maternus Sophistes, Cæcilianus Rufinus, Claudius Pacatus, Rusticus Rufinus, omnes morte, vel exilio, vel ignominiâ affectis, levissimis de causis, & tantùm quia dementi suberant Imperatore.

*Sævit in Romanos.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4143. 843. 90.

*Apollonius Tyaneus à Domitiano malè tractatus dispares.*

Domitianus Apollonium Tyaneum Romam accersit, accusatum amicitiæ cum Coccejo Nerva, cujus causâ ut vaticinaretur, & de ejus Imperio Dæmonem consuleret, puerum occiderat; præterea quod Magus esset, ac Deus haberi vellet, quodque credebatur capitalius, quia coleret homines quos odisset Imperator. Indictâ causâ coram Domitiano, raditur Mago Coma atque Barba, magnum homini Philosophiam profitenti dedecus, atque inter sceleratos vincitur. Postea tamen ab eodem auditus, probatâ defensione cùm invitus retineretur, magicis carminibus invisibilis factus abscessit, ac Puteolis expectantibus eum sociis apparuit, quibuscum navigavit Ephesum; ubi ad Domitiani mortem substitit, miseris Ephesinis illudens, magnus Christianorum hostis, & veræ religionis mora.

---

## CAP. X.

## *Decas Decima.*

### *Ab anno Christi* 90. *ad* 100.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4144. 844. 91.

*S. Cleti Martyrium.*

Cletus Romanus Pontifex cum Petri loco sedisset annis 12. mensibus 7. Aprilis 26. martyrio affectus est Domitiani jussû, cùm is jam alteram à Nerone persecutionem animo informaret. Cletus primùm usus esse dicitur in suis literis hoc exordio, *salutem & Apostolicam benedictionem,* quod ejus successores constantissimè retinuerunt.

*Ei succedit S. Clemens*

In ejus locum ingressus est Clemens, ille discipulus Petri, ac probè cognitus Paulo, quem malè nonnulli S. Petri successorem faciunt, cùm ab eo sederit quartus, vir Sanctissimus, atque dignissimus, qui in oculis ac pectore horum Apostolorum suavissimè viveret.

*Feralis cœna Domitiani.*

Pertinere videtur ad hunc annum feralis cœna Domitiani. Parari jusserat convivium nocte in ædibus nigerrimis, in quo mensæ, sedes, loca, famuli, fercula, sermones, silentium, tantùm spirabant mortem. Sed vanus hic convivarum metus fuit, donati omnes vasis pretiosis, quibus hæc cæna fuerat instructa, immò & famulis qui eis sub Dæmonum specie ministrarant, quos probè lotos, atramentoque deterso speciosissimos agnovere. Ita ludebat insanus Imperator, magnisque sumptibus volebat esse metuendus.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4145. 845. 92.

Corneliam Virginum Vestalium Maximam, ut sæculum suum illiusmodi illustraret exemplo, anteà absolutam, repetito judicio vivam infodi jussit. Pontifices, itaque in villam Albanam vocavit, illamque absentem, atque inauditam damnavit incesti. Mortua est illa constanter se innocentem professa, sicut & Cornelius Eques huic objectus dum in comitio virgis cæderetur. Licinianus falsâ confessione vitavit mortem, molle passus exilium quidem, ac de Senatore factus Rhetorices Professor, plaudente interim Domitiano, quò per eum de suâ in Corneliam crudelitate purgatus esset; quasi verò de tanto crimine posset absolvi mendacio.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRIST.
4146. 846. 93.

### SECUNDA PERSECUTIO *sub Domitiano.*

Quæ jam ab aliquot annis parabatur in Christianos carnificina, hoc anno potissimùm erupit. S. Joannes ab Asiæ Proconsule reus impietatis, ad Domitianum missus Romam, ibidem pridie Nonas Maji in dolium ferventis olei injicitur, unde cùm purior ac vegetior exiisset, relegatus est in Pathmon Insulam, ibidemque ad metalla damnatus. Hic porro suam Apocalypsin scripsit, in qua quot apices tot vaticinia; sed nondum apparuit satis gnarus interpres qui singula enarraret, omnesque in ipso conatu credantur defecisse.

Tum quoque Pergami passus Antipas Martyr, dignus qui ore ipsius Dei celebretur, & fidelis testis appelletur, conjectus in æneum bovem candentem, ex quo Dei sui laudes moriens occinebat.

Neque tum pœnarum exsors fuit S. Ignatius Antiochiæ, datus in custodiam, vinculis adstrictus atque religatus, ut ad majora se postea sub Trajano pararet.

Eodem anno Domitianus edixit ne quis in Italia novellaret, ac propagaret vites; in Provinciis autem eædem succiderentur, nisi forte ubi plures essent, ac tum dimidia tantùm pars earum servaretur; ad quod edictum emittendum nulla re alia impulsus creditur, quàm libello, quo versiculi duo Græci continebantur, de Capro vitem arrodente. Ridicula suspicio, quia ceciderat in hominem insanum & potentem, tantæ calamitatis & jacturæ causa fuit.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4147. 847. 94.

Asceletarius Mathematicus accusatus apud Domitianum aliquid ex arte sua prodidisse, ingenuè fassus est: cumque de se quoque pronunciare, jussus esset, asseruit se brevi vorandum à canibus. Verùm Cæsar statim eum interfici jussit, atque accuratè sepeliri, ut vanam ejus artem coargueret. At coortâ tempestate funus ejus dejectum, & in cadaver semiustulatum canes è proximo irruentes miserum hominem nimis vera de

de se præcinuisse demonstrarunt. Dio vivum hunc exuitum esse scribit, ejusque bustum imbre extinctum, unde canes ereptum ejus cadaver discerpserunt, vero semper vaticinio.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4148. 848. 95.

T. Flavius Clemens Imperatoris patruelis, Consul cum eodem decimum septimum, cæditur ob Christi fidem; quam Suetonius impiè *contemptissimam inertiam* vocat; Dio Ἀθεότητα: addit Suetonius filios ejus duos parvulos sibi successores Imperatorem destinasse, atque abolito priori nomine, unum Vespasianum, alterum Domitianum appellasse.

Flavia quoque Domitilla Clementis uxor, Domitiani consanguinea, ob eandem causam, in Pandatariam insulam relegata, tantùm propter genus atque prosapiam, minus illustris, & magis misera esse peroptavit.

Flavia autem Domitilla Virgo, Clementis Consulis ex sorore neptis, ob eandem religionem ab Aurelio sponso accusata, in Pontiam insulam deportata est, atque inclusa carceri longum martyrium inchoavit, quod demum fuso sanguine absolvit Terracinæ. Ita Flavia gens non Imperatorum tantùm, sed & Martyrum fœcunda fuit.

M. Acilius Glabrio, qui Consulatum gesserat cum Trajano ante quatuor annos, accusatus, inquit Dio, quòd in Judæorum mores transiisset, (ita videlicet Ethnici loquebantur) interfici jussus est. Hunc fuisse fortissimum liquet; nam, inquit Dio, vocatus Consul in Albanum ad Juvenalia, & cum Leone commissus, eum gloriosè confecit, quod quidem accendit Imperatoris invidiam, quæ postea de Consulari, martyrem fecit. Quod autem, nec hujus, neque Clementis, neque uxoris Domitillæ ulla mentio fiat in Ecclesia, Diocletiani fecere tempora, libros Christianorum exurentis; sed in eo libro hæc nomina exarata sunt, unde hæc nulla hominum vis, nulla temporis expunget injuria.

Denique Domitianus hoc tempore reliquos ex stirpe Davidis conquiri, necarique jussit, quibus à Josepho didicerat Judææ sceptrum deberi. Verùm regni hujus hæredes erant, quo vis Romanorum non pertinebat.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4149. 849. 96.

Cùm Domitianus in omnes promiscuè grassaretur, nemo jam expers periculi, nemo metus; ipsa etiam Domitia uxor, duoque præfecti prætorio, Norbanus, & Petronius Secundus sibi reformidarent; accidit ut puer tabulas ex Imperatoris pulvinari, sub quo latebant, raptas efferret, atque iis luderet. Quas cùm legisset Domitia, seque ad mortem cum aliis designatam videret, iis ostendit quorum nomina notabantur; inde cædem ejus quam informarent animo urgendam duxerunt; Stephanus Domitillæ procurator suscepit negotium: is sinistrum brachium aliquot diebus antea lanis ac fasciis involvit ad suspicionem avertendam; at cædis designato die, pro lanis dolonem indidit, & quasi afferens indicium conspirationis admissus est. Porrectum dum legit libellum conjurationis Cæsar vulneratur in inguine, & dum luctatur cum Stephano, à Clodiano, Maximo, Saturio, & aliquot ex gladiatorio ludo assumptis, septem vulneribus conficitur, 14. kal. Octob. anno ætatis 45. Imperii 15. cum diebus sex. Vidit ejus cædem Ephesi Apollonius Tyaneus sibi repræsentatam à Dæmone, eamque multis audientibus indicavit. Sic obiit Domitianus, vir rectè dictus Nero recalvaster, quem & superabat crudelitate, ei libidine non multum impar, cæteris vitiis geminus, & si diutius vixisset, longè superior. *Cæditur Domitianus.*

Succedit ei Coccejus Nerva, cui Mathematici pollicentes Imperium, pænè vitam ademerant; sed reservatus est, ut à Domitiano facta perperam emendaret; & verò statim ejus acta omnia ex Senatusconsulto rescidit, ideoque solutus exilio Joannes rediit Ephesum, ut opponeret se Apollonio Tyaneo (cui visa Domitiani cædes absenti, multùm venerationis attulerat) suæque provideret Ecclesiæ, quam Tyaneus dæmonibus, ac nefariis hominibus junctus, plurimum turbarat. *Nerva eligitur Imperator.* *Redit ab exilio S. Ioannes.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4150. 850. 97.

T. Virginius Rufus, qui Vindicem sustulerat, ac sæpe acclamatus Imperator, maluerat Imperium asserere Reipublicæ quàm sibi (ut in ejus tumulo scriptum est) cùm Nerva tertiùm factus est Consul: Qui enim tam benè de Rep. meruerat, id saltem honoris merebatur, maximè cùm ab eo sibi Nervam metuere, nec vellet, nec posset. Obiit autem Rufus hoc anno, anno ætatis octuagesimo tertio, oratione funebri laudatus à Cornelio Tacito, cujus eloquentia Rufi virtutibus, ac laudibus respondebat. *Moritur Virginius Rufus.*

Circa hoc tempus S. Joannes propè compulsus ab omnibus Ecclesiis suum scripsit Evangelium adversus Cherinthum, Ebionem, & alias ejusdemmodi pestes, qui Christo divinitatem adimebant. Indicto is jejunio cùm conscendisset in montem, inter ingentem fragorem, atque tonitrua hæc verba audita sunt, *In principio erat Verbum, &c.* Et verò tantæ doctrinæ atque majestatis sunt, ut ab ipso Deo pronunciata credi posse videantur: quod verum, licet id legatur inter Prochori fabulas, ex quibus id tanquam certum S. Hieronymus decrevit. Ejusdem Joannis Epistolæ perstringere videntur Basilidem, humanam carnem adimentem Christo, atque negantem cruci verè affixum esse. Ejus autem prima, licet titulo careat, fuit olim ad Parthos inscripta, nec *Senioris* nomen, quod in secunda ac tertiâ legitur, alium ab Evangelista earum authorem probat, cùm Senioris ac Presbyteri nomen Episcopis, & Apostolis olim tribueretur, essetque non tantùm ætatis titulus, sed & dignitatis. *S. Ioannes scribit suum Evangelium.* *Epistolæ ejusdem S. Ioannis.*

Obiit hoc anno Magus Apollonius, ablegato ad Nervam Damide discipulo suo, ne mortis ejus testis esset; quam cùm Lucianus *Tragœdiam* appellarit, non potuit, uti finxit Philostratus, exitu læto terminari. *Mors Appollonii Tyanei.*

Cal-

*Trajanum Nerva adoptat.* Calpurnius Crassus in Nervam conjurat; cui in theatro assidenti sibi Cæsar porrexit gladios de more probandos, ut iis adversus se, si vellet, aut auderet, uteretur; tantus fuit in fortissimo sene Imperii, mortisque contemptus. Cùm tamen Casperius Ælianus præfectus Prætorio, suis militibus fretus nimiùm auderet, & ab eo etiam aliquid contra jus extorqueret, ratus senium & orbitatem suam contemni, Imperioque nondum firmato satis consulturus, neglectis propinquis suis, ac sanguine; M. Ulpium Trajanum tum copiis Germanicis præfectum sibi adoptavit in filium, eundemque successorem suum designavit; quo uno facto, quàm suis virtutibus se, Imperio digniorem ostendit; non tantùm vivus Romæ, sed & post obitum utilis.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4151. 851. 98.

*Moritur* Coccejus Nerva natus annos sexaginta quinque, menses decem, totidemque dies fato defungitur, cùm imperasset anno uno, mensibus quatuor, diebus undecim, Imperio breviori si spectetur virtus, satis diuturno si successor consideretur.

*Imperator.* Statim enim renunciatus est Imperator M. Ulpius Trajanus Hispanus, natus in Urbe Italica Turditanæ in Bœticâ Provinciæ, (unde ab ineptis Librariis factus est Tuderti in Italia civis) annos natus quadraginta duos, & regendo cum dignitate par Imperio. Is statim Nervam patrem retulit inter Deos, ut se electum à Diis ostenderet. Scripsit & ad Senatum sanctè pollicitus se virum bonum aut nece, aut ignominiâ affecturum neminem: cùm tamen collegia sodalitatesque prohibuisset, hinc data præsidibus ejus, atq; præfectis facultas in Christianos sæviendi. Certè Urbis præfectus Mamertinus Clementem Pontificem ad suum tribunal adduci jussit; cui super eâ re consultus Trajanus imperavit exilium, nisi Diis faceret. Perrexit igitur ille in Tauricam Chersonesum, ubi marmora extrahebantur, & secabantur à nocentibus, & ad urbem Chersonam, supra quam Bycia Palus, ex qua voce natus

*Clementis exilium.* error, quo Clemens in Lycia, aut Græcia dicitur exulasse *Bycia* voce in Lyciam, aut Græciam flagitiosè à Librariis detortâ.

*Cerdo Episc. Alexand.* Hoc anno Cerdo post Avilium Alexandrinæ præfuit Ecclesiæ, quam annis 13. rexit, dum Ignatius Antiochenam, Simeon Hierosolymitanam administraret, viri Sancti omnes, suisque sedibus dignissimi: neque enim hunc Cerdonem cum eo confundas qui sub Antonino Pio vixit, non tantùm Episcopali sede, sed & Ecclesiâ Catholicâ indignissimo.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4152. 852. 99.

Susceptus Romæ Trajanus agnitus est spem omnem Nervæ superasse, in bonos facilis, malis metuendus: statim enim Ælianum Prætorianosque in Nervam seditiosos sustulit, ut omnes intelligerent virum fortem, nec militibus indignum, creatum esse Imperatorem. Conjux ejus Plotina, marito virtute gemina, in Palatii gradibus se id subire professa est, qualis egredi vellet. His igitur virtutibus instructa Trajani domus Romanorum in se convertit oculos, tacitamque Romæ censuram egit, jampridem à Romanis, eorumque subditis desideratam.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4153. 853. 100.

Claudit hoc sæculum, vel certè aperit sequens S. Joannes Evangelistæ beata mors, cùm annos natus circiter 92. inter Discipulorum manus Ephesi expirasset, dignus amore Christi, & Beatissimæ Virginis custodiâ, propter excellentem castimoniam suavissimis moribus conditam, & ardentissimum in Deum ac proximos amorem, quem in ejus sinu, & ultimâ cœnâ dormiens hauserat. Sepultus est Ephesi, ubi diu ejus reliquiæ magnâ veneratione servatæ: nec enim audiendi, qui mortuum negant, & asserunt ad tempus Antichristi sepositum, aut etiam in suo sepulchro dormire, quod aliqui tradiderunt, ut de eo Christi verba intelligerentur. Quæ cùm ipse Joannes exposuerit, rejiciendi sunt profectò qui ea aliter enarrare volunt, etiam cum dispendio veritatis.

Clemens Romanus Pontifex relegatus in Tauricam; & Christianos hîc suis concionibus foverat, & indigenas multos miraculis vocarat ad fidem. Quare Trajani jussu ancorâ ad collum alligatâ projectus in mare martyrium consummavit 9. Kal. Decemb. cùm sedisset annos 9. menses sex, totidemque dies. Huic genios bonos in ipso mari Ecclesiam marmoream statuisse produnt, semper aquis obrutam, nisi cùm ejus recurreret festus dies, ac septem dies consequentes; Tum enim recedebat mare, aperiebatque fidelibus ad sacrum ejus corpus viam quod miraculum, magnis comitatum prodigiis tenuit, donec ejus corpus Romam delatum ab Occidentalibus coli cœpit etiam majori, ut par erat, quàm apud Barbaros, honore. Scripsisse dicitur Constitutiones Apostolorum, cum appendice de Canonibus Apostolorum, Recognitiones seu periodos vel circuitus, aut itinerarium Petri, Missam Clementis, disputatione Petri & Apionis, cum Epistolis; sed quæ ut syncera non admittuntur ab omnibus; hoc unum certissimum, nos esse de ejus sanctitate & patientiâ, quàm de ejus operibus & libris certiores.



LIBER

# LIBER II.

## *Ab anno Christi* 100. *ad* 200.

### CAPUT I.

### *Decas Prima.*

*Ab anno Christi* 100. *ad* 110.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4154. 854. 101.



UM Pontificatus Romanus aliquo tempore vacasset à S. Clementis morte, tandem ei suffectus est Anacletus, natione Græcus, quintus à Petro Pontifex, quem cave cum Cleto confundas, quod aliqui Græci fecerunt, non satis in enumerandis summis Pontificibus accurati.

Gessere hoc anno Consulatum ordinarium Ulpius Trajanus IV. & Sextus Articuleus Pætus; sed eorum loco Kal. Septembris suffecti sunt honorarii C. Plinius Secundus, & Cornutus Tertullus, in menses duos: & tum Plinius Panegyricam orationem Trajano dixit, cujus gloria est prope, quam ipsius Trajani major.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4155. 855. 102.

C. Plinius Proconsul in Bithyniam proficiscitur, exorsusque à rebus sacris, de Christianis ad Trajanum scribit, quos viros agnoverat bonos, & ad subeundam pro religione mortem paratissimos: respondet Trajanus quærendos non esse, si offerrentur, puniendos: ineptè: *si enim mali, cur non quærendi? si boni, cur mulctandi?* inquit Tertullianus.

Decebalum adoritur Trajanus, pertæsus ei persolvere quæ huic à Rom. nomine Domitiani persolvebantur, & victus quidem Decebalus, Romanorum verò multi sauciati, in quibus sanandis, ne quidem paludamento suo purpureo Trajanus pepercit. Videns itaque Dacus sibi rem esse cum Imperatore fortissimo, ab eo pacem impetravit. Sed cùm eam servaret infidè, iterum appetitus bello, Istro etiam mirabili ponte conjuncto. Tumque victus Decebalus Regiam suam, ac vitam perdidit, quam ipse sibi, ne veniret in Romanorum manus, eripuit. Thesauri quoque ejus inventi, licet in Sargetiæ fluminis alveo defodisset; ejus denique caput allatum in Urbem tantum Romanis voluptatis exhibuit, quantùm ejus nomen priùs terroris incusserat.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4156. 856. 103.

Dacia subjugata in Provinciæ formam redigitur, Colonia Zarmigethusam deducta quæ Ulpia Trajana nominata est, illustre ac diuturnum tantæ victoriæ monumentum.

Hoc tempore Helxai quidam, aliter Helxæus, origine Judæus, Ossenis se, Ebionæis, ac Nazaræis conjunxit, ac deliriis suis turbavit Ecclesiam. Ejus fautores Helsecæi dicti, qui tanti fecere Pseudoprophetem suum, ut ex ejus sanguine prognatas fœminas duas tanquam Deas venerarentur; iidem quoque Sampsæi dicti ab altero ejus sectæ authore; nunquam enim Hæresibus interpolatores defuere.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4157. 858. 104.

Trajanum in Urbem reversum multæ gentium legationes excepere, etiam ab Indis, ad quos jam ejus fama, virtusque transvolarant. Tum sepeliit Licinium Suram, virum divitem, & cui conjurationis accusato etiam se commiserat, ejus medico oculos suos, ejus tonsori barbam mentumq; submittens. Quippe virtute suâ subnixus reformidabat neminem; quare Præfecto Prætorii sui porrigens de more gladium, eum distringendum sibi si bon⁹ esset, contra se si malus, constanter obtulit. *Trajani Constantia*

Et ne operum pacis bellicosus Imperator oblivisceretur, Bibliothecas egregias Musarum disciplinarumque domicilia magnis sumptibus extruxit. Erexit & columnam illam in foro suo nobilem, *Trajani* dictam, victoriis Dacicis illustratam, futuram mortuo corpori monumentum, animo suo Arcum triumphalem; quod ne destrueretur à Barbaris, operis obstitit præstantia, & authoris virtus. *Columna Trajani.*

Florebat hoc tempore Dio Chrysostomus, sic dictus ab eloquentia, ut Prusæus à patria, Sophistes fuit & Philosophus exili admodum corpore, ita charus Trajano, ut ab eo assumeretur in currum aureum in quo triumphare solebant Imperatores, eique sæpe Trajanus iteraret, φιλῶσε ὡς ἐμαυτόν; quo facto sanè tum Romæ triumphare visa est eloquentia. *Dio Chrysostomus.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4158. 858. 105.

Trajanus adversus Parthos & Armenos suscipit expeditionem, cujus prætextus fuit quòd Armeniæ Rex non à Romanis, sed à Parthis diadema recepisset, causa verò cupiditas gloriæ, & spes de invictâ hactenus gente victoriæ. Cùm igitur Athenas appulisset ad eum venere Legati ab Osrhoë, seu Cosrhoë petentes pacem, ac munera deferentes. Repudiavit hæc Trajanus, de illâ acturum se ait cum venisset in Syriam, ac res oculis usurpasset. Sic affectus per Asiâ, Ciliciamq; transiit, ac Seleuciam venit, hostibus ita perterrefactis, ut aut quærendi viderentur, aut ea facerent quibus se victos, subactosque faterentur. *Trajani in Parthos expeditio.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4159. 8 9. 106.

Hoc anno tota videtur subacta Armenia, Parthamasiride Rege ad Trajanum accedente, ac deponente ad ejus pedes diadema: verùm cum hic expectaret sibi reddi regnum, ac negari videret, tum verò se fortem verbis professus, sed tum inutilibus; emissus tamen est à Trajano cum suis Parthis, Armeni remanere jussi, in fide Romanorum perstitere, quorum amicitia firmior, & certior esset quàm Parthorum. *Armenia se Ro. dedit.*

MUNDI

MUNDI 4160. Vrb. Cond. 860. CHRISTI. 107.

TERTIA PERSECUTIO *sub Trajano.*

*Simeonis Epis. Martyrium.* Hæc persecutio in Oriente concitata est ab Imperatore, dum illic sequentibus annis hyemaret. In ea actus est in crucem Simeon Hierosolymorum Episcopus, annos natus centum & viginti, jussu Attici Consularis, post atrocissima verbera, tum quod ex stirpe Davidis esset, quæ etiam Romanis incutiebat metum, tum quia Christi profitebatur fidem, aliasque Judæorum sectas coargueret. Mortuus in hoc tam atroci supplicio fortiter, mirantibus qui irrogarant, capularem senem in tantis doloribus lætum & alacrem viguisse; sed vim crucis ignorabant, cui moriens virtutem arcanam Christus indiderat.

*Thebulis hæreticus.* In Simeonis locum sublectus est Justus, reclamante Thebule quodam, qui hanc sibi sedem spoponderat. Is repulsæ impatiens errorem procudit, quo Ecclesiam Hierosolymitanam hactenus puram & virginem adulterare conatus est, satis innuens quo afflatus spiritu prensasset illam dignitatem.

*S. Ignatius ad bestias damnatus.* Eodem tempore Antiochiæ S. Ignatius damnatus ad bestias Romam missus est, quoniam inter Christianos eminere putabatur. Is commissus est militibus barbaris, atque ferocibus à quibus deductus est, quos ipse Leopardos vocat, nullis beneficiis muneribusque cicuratos. In hoc itinere aliquot Epistolas scripsit, pietatis amorisque divini plenissimus, in quibus vir tantus ita depingitur, ut ejus imago aliàs frustrà requiratur.

MUNDI 4161. Vrb. Cond. 861. CHRISTI. 108.

*S. Ignatii Martyrium.* S. Ignatius deductus Romam, in Amphitheatro publicè leonibus expositus, ab iis interfectus est illæsis carnibus, vel ut alii volunt, ita voratus, ut nihil præter ossa firmiora superesset. Sic fractus atque commolitus, quod vehementiùs exoptarat, panis suavissimus oblatus est Deo, id unum reveritus, ne, quod Martyribus sæpe contigerat, feris mitioribus, ac blandientibus uteretur, sicque à Christo suo, quem amabat impensè, divelleretur. Syri comites ejus Sanctissimi collecta lipsana Antiochiam deportarunt, atque in suburbio ad portam Daphniticam religiosissimè collocarunt, ut huic urbi essent ornamento, atque præsidio.

Ignatio successit Heros, sicuti antea prænunciarat Ignatius, etiam Ecclesiæ suæ post obitum sollicitus.

MUNDI 4162. Vrb. Cond. 862. CHRISTI. 109.

*Martyres plurimi.* Hoc anno, quo Alexandriæ mortuo Cerdoni successit Primus, Onesimus Discipulus S. Pauli, Ephesinorum Episcopus, successor Timothei ab Asiæ Proconsule Romam missus 16. Febr. lapidibus obrutus est. Edessæ item Barsimæus Episcopus cum multis quos asseruerat Christo, Trajani jussu trucidari illi arctiùs conjuncti sunt; aliique complures in variis locis, quos aut Trajanus ipse, aut ejus præsides reos, ut ferebant, ἀσεβείας, immaniter sustulerunt. Ita videlicet bonorum virorum sanguini, quod sanctè pollicitus erat exorsus Imperium, Trajanus parcebat.

Cornelius Tacitus circa hoc tempus florebat. Scripsit autem Historias post obitum Nervæ quem Divum vocat, deinde verò Annales; denique vitam Soceri sui Julii Agricolæ. Dialogu[s] de causis corruptæ eloquentiæ non est ejus. Tacitus Imperator ex ejus se genere dixit, & decie[s] quotannis describi jussit. Vir firmissimi ingeni[i] est; sed vitiorum nimis creduli, & qui sic ali[os] quos Imperatores exagitavit, ut non historiam sed satyram scribere videatur.

MUNDI 4163. Vrb. Cond. 863. CHRISTI. 110.

Pantheon hoc anno Romæ fulminibus affla[tum], multos ex Diis suis disjectos, aut truncatos aut deformatos vidit, non jam Martis Vindici[s] ædes, sed Dei, martyrum suorum sanguinem ul[ciscentis].

Enimvero 3. Idus Julii passus est Anacletu[s] Pontifex, cùm sedisset annis 9. mensibus 3. die[bus] 10. Hujus inventum *Tituli* Urbis Romæ sive Ecclesiæ Presbyteris assignatæ, septemqu[e] Diaconi qui assisterent Episcopo prædicanti, a[c] postea *Regionarii* dicti sub Fabiano, quod eo[rum] singulis duæ regiones attributæ essent, u[t] subvenirent inopibus, ac denique sub Sylvestr[o] *Cardinales*, quod unius Ecclesiæ Primariæ car[dine] continerentur. Cùm autem vacasset Sede[s] Romana diebus 13. locum ejus Evaristus, ite[m] natione Græcus, implevit.

---

## CAP. II.

## *Decas Secunda,*

### *Ab anno Christi* 110. *ad* 120.

MUNDI 4164. Vrb. Cond. 864. CHRISTI. 111.
MUNDI 4165. Vrb. Cond. 865. CHRISTI. 112.
MUNDI 4166. Vrb. Cond. 866. CHRISTI. 133.
MUNDI 4167. Vrb. Cond. 867. CHRISTI. 114.

HIS annis persecutio in Christianos atroci[ter] sæviit, potissimùm in Oriente, ubi tun[c] Trajanus morabatur. Quid autem hîc rerun[m] ageret non est facilè ad certa tempora revocare cum ea perturbatè nimis proponat Dio, ex qu[o] hæc habemus contigisse ante terræ motum Antiochenum.

Venit igitur post compositam Armeniam Trajanus Edessam, conciliatus Augaro (dicebatu[r] is Abgarus, vel Abagarus) per Arbandem filium juvenem eximiæ formæ, cujus beneficio etiam in Cæsaris familiaritatem irrepserat. Movi[t] postea in Manum Arabiæ Philarchum, & Mani[sarum] sorum sibi suspectos, & Mebarsapem, seu Be[r]barsapem Adiabene Regem, qui etiam in vincu[lis] lis Romanum Centurionem Sentium retineba[t] in præsidio, quod tamen idem Sentius occu[]pavi[t]

pavit. Tum quoque Singaram, & aliquot oppida cepit operâ Lusii vel Lucii ducis huic adhibiti bello, quod eodem tempore, multis refertus copiis in varias regiones Trajanus circumferebat.

Tum etiam Nisibis, Barnæque urbes captæ, ac tot tantæque victoriæ Romam nunciatæ sunt, ut Trajanus *Optimus*, & *Parthicus* cognominaretur; hoc nihili fecit, illud maximi, quia eo amor in cives & subditos declarabatur, quem merito Princeps omnis bonus victoriis omnibus anteponet.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4168. 868. 11.

Coss. M. Valerio Messala, & C. Popilio Caro Pedone, Imperii Trajani 18. contigit Antiochiæ celebris ille motus adeò terribilis, ut eo subsederint montes, fontes novi emicuerint, defecerint fluvii. Tum etiam ejecta in altum terra, atque viri, conquassatæ domus, ædes publicæ labefactatæ conciderunt. Augebat metum pulvis, quo procuratæ tenebræ, Ægyptiacis pares, tumque incredibilis hominum multitudo, secuta Imperatorem in hac urbe hyemantem, extincta est, vel oppressa. Pedo ipse Consul eliso pectore sanguinem evomens spiritum reddidit; nec mortem vitasset Imperator, nisi per fenestram emissum, quidam humanâ specie augustior, & major, inter rudera, ac parietinas incolumen eum subtraxisset; tantusque timor omnes incessit, ut plerique omnes sub pellibus agerent, neque se tutos putarent in domibus, terrâ adhuc succussâ, ac hiatum, ruinasque minitante.

Dum autem Antiochiæ versaretur Trajanus, inter reliquos Christianos, quinque Virgines comburi jussit, earumque cineres æri permixtos in vasa ænea ad balnei usum transformari. Mirum! quotquot loturi accedebant, caligine ac vertigine correpti exire balneo cogebantur. Quâ causâ cognitâ Cæsar pura ex ære vasa conflari jussit, atque ex ære cineribus mixto fieri quinque statuas quæ Balnei propyleum exornarent, factus ex necessitate de Persecutore cultor Christianorum. Neque tamen ea clades susceptі belli cogitationem discussit; sed primo Vere Trajanus irrumpens in Parthorum fines Adiabenem totam sibi subjunxit. Arbela & Gaugamala in Alexandri expeditione notæ, urbes captæ, captæ quoq; Babylō & Ctesiphon, Parthici Regni magna præsidia, & capita, nusquam consistentibus Parthis, quos bella civilia nuper distraxerant, nec inter eos seditio cessabat, malis domesticis & externis attritos. Inde Trajanus descendit ad mare Rubrum, Indiam utique cogitaturus si junior fuisset, & Alexandro ætate similior. Sed dum in hoc Oceano navigat, accipit gentes quas domuerat rebellasse, & faciliùs esse vincere populos, quàm eos jugo atque servituti assuefacere.

Inter hæc Judæi Cyrenenses duce quodam Andreâ ducenta Romanorum, & Græcorum millia peremerunt, non tam armis quàm furore sævientes. Multos enim serris à vertice secuerunt, quosdam objecere feris, plerosque inter se commissos pugnare, gladiatorum more compulerunt; ipsi cæsorum sanguine obliti, & pellibus demortuorum detractis atque consutis terribiles, morte aliquid gravius Romanis, eorumque sociis intentabant.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4169. 869. 116.

Cyrenenses Judæi subeunt Ægyptum, eandemque hîc exercent, quam in Cyrenaicâ fecerant, cædem & carnificinam; Gentilesque cum Ægypti præfecto Lupo congredi ausos primo impetu fundunt. Victi tamen Alexandriam confugiunt, ibique Judæos omnes interficiunt. Interim Judæi Lucuâ duce per reliquam Ægyptum arma cladesque circumferunt; sed & pervadunt in Cyprum, ibique Artemione Duce grassantur, Salaminam evertunt, cæsis ducentis quadraginta hominum millibus, adeò ut in excidium Romanorum armati viderentur, & iis reposituri quam Hierosolymis eversis acceperant cladem. *Iudæi Ægyptum turbant, & Cyprum*

His acceptis Trajanus adversus eos Martium Turbonem mittit, qui infinitam eorum multitudinem perdidit. In Mesopotamia quoque eosdem tumultuantes Quintus Lucius multorum cæde repressit. Denique in Cypro internecione sic deleti, ut nullus superfuerit cladi: quare deinceps lege cautum, ut Judæis etiam naufragis Cyprium littus attingere capitale sit, eversisque aut demersis ad Cyprum navibus, Judæo sit aquis aut ferro pereundum. *Iudæi repressi.*

Tum in reliquos populos rebellantes arma conversa sunt, ducibus Lucio & Maximo; & hic quidem oppressus interiit; ille felicior, ut fortior Nisibin recuperavit, captamque vi direptamque Edessam incendit; Seleucia quoque, à legatis Julio & Alexandro occupata, & inflammata: sicque non tantùm armis, sed & furore certatum. Cùm tamen immineret receptas iterum amittendi metus, consilium utile Trajanus suscipit. Statuit donare Parthis regnum quod vix poterat retinere; eisque Parthamaspatem (is fortè est Psamatossiris Spartiani) constituit Regem, ac diademate in planitie prope Ctesiphontem insignivit, factus ex necessitate bonus, atque liberalis. *Rebelles alii victi.* *Rex à Trajano Parthis datus.*

Inde divertitur ad Agarenos Arabas, quorum urbem nequicquam tentavit, resistentibus supra homines civibus, quando & vulnere accepto, multisque Romanorum desideratis, obsidionem solvere coactus est. Expertus enim hîc Trajanus aliquid humano majus. Nam quoties oppugnabat urbem, tonitru, fulgure, fulminibus, grandine deterrebatur, & in ipsis castris culices poculentis & esculentis permixti omnia corrumpebant. Reliquit igitur illos intactos Trajanus, aut Dæmonum aut Dei auxilio fultos, & utrimque hominibus metuendos. *Arabas omittere cogitur Trajanus.*

Circa hæc extrema Trajani tempora emersit error Millenariorum, autore Papia Hierapolitano, Joannis discipulo; qui ex verbis Apocalypseos *de mille annis* fidelibus Christo promissis, putavit regnum terrenum post resurrectionem mortuorum ad mille annos stabiliendum. Hominem sanctum, & ab Ecclesia 22. Februarii cultum secuti sunt magni viri; inter cæteros Justinus & Irenæus; neq; enim is error hæresin fecit, nisi cùm per Damasum Papā in Apollinari pertinace damnatus, de errantibus fecit heterodoxos. *Millenariorum error.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4170. 870. 117.

*Moritur Trajanus.* Hoc anno cognovit Trajanus se tot tantosque labores frustrà suscepisse, nec finem expeditionis suæ initio respondere. Parthi enim datum sibi regem Parthamaspatem detestati, libertatem recuperarunt suam, ac suis moribus uti cœperunt. Reliquit itaque Trajanus nepotem suum Hadrianum in Syria cum exercitus parte, dum ipse cum altera in Mesopotamiam irrumperet. Sed morbo correptus, & laborans intercute Italiam Romamque versus direxit iter. Ac cum Selinuntem in Urbem Ciliciæ venisset, ibidem interiit; quare eadem deinceps dict[a e]t Trajanopolis. Vixit annos 63. mensem unum, dies quindecim; Imperavit annis undeviginti cum sex mensibus, charus adeò suis, ut in acclamationibus deinceps non exoptaretur *Trajano melior*, ut *Augusto non felicior*.

Ex eo nata fabula de S. Gregorio Magno, quasi is salutem Trajano precibus impetrarit; cùm tamen Gregorius neget à Christo ad Deum ab inferis retrahi potuisse, qui se à Deo malè vivendo separassent. Potuitne sperare sibi Gregorius, quod Christo concessum fuisse negat? Attamen à S. Joanne Damasceno creditum hoc commentum, cui fidem ut faceret Joannes Diaconus in S. Gregorii vitâ omissis Romanis instrumentis, quibus utique carebat, confugit ad Britannos, & Anglicanam Ecclesiam, ut inde testimonia corraderet quibus nemo prudens permovebitur; sanctum virum Deum rogasse ut Imperatorem vino deditum, & masculorum corruptorem à pœnis æternis liberet, nedum inferat Cœlo; unde etiam eum Julianus Imperator detraxit, ne vim afferret Ganymedi, Jovis impudici concubino, ipse in mares effusior, ac Jove pæderastâ libidinosior.

*An S. Gregorius animam Trajani ab Inferis retraxerit.*

*Hadrianus Imperat.* Successit ei nepos, seu filius consobrini sui, Ælius Hadrianus, Plotinæ Trajani uxoris operâ, quæ eum impensiùs amabat: quare Trajani occultata mors fuit, ut adoptio simulata procederet. Is cum Parthis statim fœdus iniit, iisque Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam reddidit, maluitque has provincias ab illis regi & administrari, quàm populari ac diripi. Et quoniam ferre illi Parthamaspatem non poterant, huic aliud regnum concessit, illos suis legibus ac Principibus frui permisit, tam facilis initio sui Imperii, ut etiam hostium amorem aucuparetur.

*Alexandria restituta.* Tum quoque Hadrianus Alexandriam à Romanis eversam, fortasse tumultu Judaico, publicis instauravit impensis, ne diu misera subsisteret, quæ ex propinquo calamitosa illum tam fortunatum vidisset, & Imperatorem.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4171. 871. 118.

*Præclara initia Hadriani.* Hadrianus Romam reversus intulit in columnam cineres Trajani, exinde modis omnibus S. P. Q. R. sibi demereri studet liberalitate & clementiâ; spondet igitur interfecturum se neminem alicujus nominis sine consensu Senatus: ad hæc remittit tributa omnia quæ fisco vel ærario debebantur in annos sexdecim, tabulis in foro publicè concrematis; quo igne jucundiorem nullum plebs Romana vidit. Hinc ergo Scaliger ortam originem Indictionum putat; atque, ut audacter solet, existimat in Dionem irrepsisse σφάλμα, & xv. pro xvi. legendum esse: quod est profectò Lesbiâ uti regulâ, & magnis scriptoribus abuti paulò liberiùs quàm eorum dignitas postulet, maximè cùm disertè clarèque loquuntur.

Sarmatæ atque Roxolani tumultuantes diu Romæ Hadrianum subsistere non sunt passi: ut eos compesceret, in Mœsiam venit, res tamen armis peracta non est, sed Imperatoris industriâ fœdus ictum cum iis gentibus, quorum ex cæde nihil præter vulnera Romanus miles expectabat.

PERSECUTIO QUARTA *ab Hadriano; se[u] veriùs Trajani continuata.*

Severus Sulpitius hanc persecutionem quar[tam] vocat, ab Hadriano concitatam, ut se Anti[stitem] quæ religionis amantem probaret: hâc passu[s] Eustachius, ante Baptismum Placidus dictus, i[s] fortè qui in bello Judaico equitum præfectus e[gregiam] operam Vespasiano ac Tito navasse per[hibetur]; cujus non semel Josephus meminit, vocatq; Placidum. Is autem in venatione mira[biliter] conversus ad Fidem, & jacturâ bonorum, uxoris, filiorum, quasi Jobus alter probatus, at[que] villicum aut hortulanum agere compulsus, quæsitus demum Trajani jussu, compescendi[s] Orientalium rebellionibus adhibitus est; no[n] autem bello Dacico, ut hujus habent Acta quod ante Trajani obitum nullum fuit; aut De[cebalo] cebalo profligando, qui jampridem sibi manu[s] intulerat. Hadriano autem Principe, cùm victo[r] rediisset Romam, neque Deæ ob victoriam sa[crificare] crificare vellet, cum uxore Theopistâ, ac duobu[s] liberis Theopisto & Agapito, quos invenerat i[n] expeditione, in bovem æneum inclusus 12. Ka[l.] Octob. martyrium consummavit. Quem no[n] esse laudatum ab Ethnicis scriptoribus mirum videri non debet, in Christianos aut odio fla[grantibus], grantibus, aut non omnia commemorare soliti[s].

Sub initia hujus Imperatoris Ecclesiam inf[i-] cere cæperunt errores Basilidis, Saturnini, atqu[e] Carpocratis. *Basilides* origine Alexandrinus Castore Agrippâ egregiè refutatus est, mem[i-] nitque errorum ejus Irenæus, & magum fuis[se] innuit, ut ex illis vocibus *Abracax* & *Abracada[-] bra* ab ejus fautoribus usurpatis, liquet. Obiit Alexandriæ, imperante Hadriano, ac reliquit f[i-] lium Isidorum, patri nec doctrinâ, nec impietat[e] nec audaciâ imparem, καὶ κακοῦ κόρακος κακὸν ὠό[ν]. *Saturninus* autem, aliter *Saturnillus* Antioche[-] nus, post S. Ignatii mortem emersit; cujus erro[-] res apud Irenæum, Epiphanium, aliosque san[-] ctos PP. perleges, oblivioni sine magna eruditio[-] nis jacturâ tradendos. *Carpocras* denique impu[-] ritatis omnis sentina, ea dixit, & facere sectator[es] docuit, quæ pudor commemorari vetat: ab e[o] Carpocratiani recepêre nomen, qui se *Gnostico[s]* quasi *Intelligentes*, appellabant; quod tame[n] nomen sibi quoque arrogarunt Basilidiani. F[uere] porrò omnes Gnostici, libidine promiscuâ, a[c] pueri[s]

puerilium carnium usu infames, nomine Christiani, re Dæmonis turpissimi fautores, nostram apud Ethnicos traduxêre fidem, & Principum in eam crudelitatem acuerunt. Carpocratis filius fuit Epiphanes, ut Deus à suis post obitum in Cephaleniâ patriâ sua cultus, quemadmodum ejus pater sectâ Platonicus; ut Platonis Schola hæreseon plurimarum mater haberetur. Ex Carpocrate quoque venisse creditur Prodicus, autor Adamitarum, quorum Ecclesiæ, lupanaria (*Paradisos* vocant ipsi) in quibus nudi viri ac fœminæ prostabant, ac primorum parentum primam in horto voluptatis conditionem repræsentabant. Quos tolerari in præsentiâ in quibusdam Rebuspublicis Christianis mirum est, quos nequaquam ferendos esse Gentiles ipsi putaverunt.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4172. 872. 119.

Judæi rebellantes, sub Tinio Rufo Judææ præside compressi domitique, plus in Romanos ostendêre malevolentiæ, quàm iis aut eorum sociis intulere damni, non ultra primum, vanumque conatum progressi.

Evaristus Papa cùm sedisset annos 9. menses 6. dies decem, 7. Kal. Octobris martyrio affectus est. Hujus ex instituto matrimonia publicè celebrata sunt, ac nuptiis adhibita benedictio, ut essent contrahentibus salutares. Cùm autem vacasset sedes diebus duodeviginti, electus Alexander, ordine septimus, afflictæ providit Ecclesiæ.

Florebat hoc tempore Plutarchus, gente Bœotus, patriâ Chæronensis, natus sub Claudio, ususque Ammonio præceptore. Adeò autem Trajano charus fuit, ut ab eo ornatus sit dignitate Consulari, jussique Illyrici tractus præfecti eo inconsulto nihil agere. Vixit & sub Hadriano, quando in patria sua ἄρχων fuit, & sub Antonino Pio factus tum Apollinis Pythici Sacerdos. Vocatur apud Agellium doctissimus & prudentissimus, ejusque scripta Theodorus Gaza omnium antiquorum operibus anteposuit. Aliqua tamen ejus operibus admixta sunt quæ sunt Plutarchi Junioris; sic etiam magni viri, plerumq; de se satis divites, inferiorum sibi spoliis locupletantur.

Nec ab eo revellendus videtur Sextus Chernonæus, ex sorore natus, quem cum Sexto Empirico quidam confundunt: Nepos ille M. Antonini philosophi præceptor fuit; quem sine dubio magnum extitisse, & avunculus & discipulus arguunt.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4173. 873. 120.

Hadrianus ut verè liberalis esset, nec effunderet beneficia, sed daret, Romanum Orbem lustrandum suscepit, ut omnium necessitati subveniret. Quamobrem cusi in ejus honorem nummi, in quibus ***Locupletator Orbis terrarum***, & ***Restitutor Orbis terrarum*** legitur, quia quocumque pergeret, rerum omnium afferret copiam, & satis esset ad felicitatem populis visus & cultus Hadrianus. Primos ejus favores expertæ Gallia, Germania, Britannia; in quibus de præsidibus suis & procuratoribus habuit severas quæstiones; puros ac castos præmiis ac laudibus; rapaces & sordidos, pœnis ac dedecore prosecutus.

Sed antequam transiret Alpes, in Italia contra Christianos animadvertit: Brixiæ enim Faustinum presbyterum, & Jovitam diaconum damnavit ad bestias, agente Italico Rhætiarum præside: Quos quum bestiæ immanitatis oblitæ non attigissent, ad eorum pedes prostratæ, eo spectaculo permoti Colocerus, aliique ex familia Imperatoris, atque Afra præsidis uxor, coluere Christum, variisque torti tormentis in variis locis, ea sanguine suo atque constantiâ illustrarunt. Multi quoque Romæ martyrium passi sunt, adeò ut in cryptis & arenariis hîc Christiani vivere, & religionem profiteri cogerentur. *Martyres sub Hadriano.*

---

## CAP. III.

## *Decas Tertia.*

### *Ab anno Christi 120. ad 130.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4174. 874. 121.

BArbari Britanniam vexabant, fretique suis montibus, sylvis & lacubus, minùs exercebant bella quàm latrocinia. Hos quoniam inveniri non poterant, muro sejunxit Hadrianus, ducto per octoginta millia passuum à Glottæ æstuario ad æstuarium Boderiæ, stipitibus magnis actis in terram, atque inter se arctè connexis, & implicatis; ut quoniam virorum more non poterant, belluarum ritu submoverentur. *Murus Hadriani in Britannia.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4175. 875. 122.

Hadrianus ex Britannia redit in Galliam, ubi Nemausi templum, operis magni atque mirabilis, excitavit in honorem Plotinæ uxoris Trajani, cujus potissimùm operâ consecutus erat Imperium, huicque pro mortali honore divinum rependit. *Hispaniam & Galliam Hadrianus lustrat.*

Hîc auditâ Alexandrinâ seditione, turbatus est, quam inventus post multos annos Apis vitulus excitavit, populis certatim eum ad se attrahere conantibus tantâ contentione, ut arma meritò timerentur. Natus erat taurus ille Deus ex vacca quæ nullum alium peperisset, sed icta fulmine ex eo concepisset, iis notis illustrem quas prodit Herodotus: animal tantæ venerationis non tantùm apud Ægyptios & Romanos; sed apud Judæos quoque, qui in deserto ejus sibi figuram auream conflari, Israëlitæ Reges diu apud se coli retinerique voluerunt. *Apis Deus Ægyptiorum.*

Inde transit in Hispaniam, hiemavitque Tarraconæ, ubi Templum Augusto aliàs excitatum, suis sumptibus restituit, quando & magnum periculum adiit; dum enim per viridarium deambularet, hospitis ejus servus ferro districto in eum irruit; quem nocere prohibitum, ministris accurentibus tradidit, & furere agnitum per medicum curavit sanandum, non magis commotus quàm si sine tanto discrimine suo homo furiosus insaniisset. *Hadriani periculum.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4176. 876. 123.

*Hadrianus pergit in Orientem & redit in Græciam.* Hadrianus in Orientem profectus est ob exortos Parthorum motus; bellum enim hîc parabatur quod alloquio præsentiâque suâ discussit Imperator. Sapienter multas inhibuit cædes, & plus nonnunquam Principibus prudentem eloquentiam, quàm arma & exercitus prodesse docuit. Hinc, pertransitâ priùs Asiâ insulisque interjectis, in Achaiam navigavit, & Athenas invisit; atque Eleusinia sacra, exemplo Herculis ac Philippi, suscepit: multis item sacrificiis interfuit sine satellitio, nihil reveritus Sacerdotum cultros, aliis ante se Principibus metuendos.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4177. 877. 124.

*Placatur Hadrianus Christianis* Hadriano Athenis hyemante, Publius Athenarum Episcopus martyrio coronatus successorem habuit Quadratum Apostolorum discipulum, cujus fide & industriâ Atheniensis Ecclesia, pastoris sui morte dispersa, restituta est. Is Quadratus una cum Aristide Philosopho libros pro Christianâ religione Imperatori obtulit; quando & idem Quadratus orationem Apologeticam pro suis ad Cæsarem habuit, quibus inflexus Hadrianus faciliorem se adversus Christianos præbuit. Verùm potissimùm permotus est litteris Sereni Granii, vel Graniani, Asiæ Proconsulis, qui antequam è sua Provincia discederet, eum admonendum putavit, indignum esse Christianos ex populi clamoribus, non ex judiciis, ad supplicia rapi, ac tantùm hujus sectæ reos immaniter trucidari: Quam ob causam Hadrianus ad ejus successorem Minucium Fundanum litteras dedit, quibus inhibuit de Christianis, nisi criminum reis, exerceri judicia; populi clamores, & tumultus esse deridendos. Quibus gestis Hadrianus Romam rediit, ut inde reliquis Imperii partibus provideret; in qua tamen tantumdem duntaxat morabatur, quantum Urbis illius & Orbis Romani quies salusque postularent.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4178. 878. 125.

*Africæ prospicit Hadrian.* Hadrianus Româ in Africam proficiscitur, ibique multa Provinciis concessit beneficia, quibus eas indigere cernebat, plus fidei suis oculis quàm aliorum orationi ac litteris adhibens, ac præsidibus intentus, quos Principum incuria ac negligentia plerumque rapaces & injustos efficit magno suo dedecore, majori damno subditorũ.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4179. 879. 126.

In Orientem pergens Imperator, per Atticam iter habuit, atque Athenas sibi charissimas invisit: hîc opera cœpta dedicavit, ut ædem Jovis Olympii aramque suam, ac tum Dionysia more *Olympii Iovis templum Athenis.* Græco celebravit. Porrò in templo illo magnificentissimo Jovis Olympii, pro numine Draconem sibi ex India deportatum posuit; & tum bestia huic templo magnum attulit ornamentum. Permisit & Græcis templum sibi statuere communibus impensis, quod Panhellenium dicerent; quibus cum prælucerent Athenienses, magni Principum laudatores, iis Cephaleniam insulam attribuit, suæ præmium adulationis.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4180. 880. 127.

Athenis hyeme transactâ venit Hadrianus in Asiam, ubi templa sui nominis consecravit, jam assuetus divinis honoribus. A Cappadocibus servos castrenses accepit, militiâ Romanâ jam corruptâ, & admittente servitia, quæ boni Imperatores submovebant. Toparchas & Principes invitavit ad amicitiam suam, atque inter cæteros Cosi hoēm Parthorum Regem, quos tantis sibi beneficiis devinxit, ut qui accedere noluerant, superbiæ aut negligentiæ suæ pœniteret: hos inter enituit Pharasmenes Rex Iberorum, qui invitantem Hadrianum superbè neglexerat; Is enim à Cæsare muneribus affectus doluit tam bonum Principem offendisse, nec ejus prævenisse liberalitatem.

Cæterùm in hac potissimùm regione de suis procuratoribus inquisivit, quorum scelera impunè non sivit abire; eò graviora, quò cùm multorum damno solent esse conjunctiora.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4181. 881. 128.

Hoc anno Nicopolis & Cæsarea terræ motu concidisse feruntur, quando Aquila, genere Ponticus, ex malo Christiano factus est Judæus; cùm enim Astronomiæ Judiciariæ daret operam & futura ex sideribus præcinere conaretur, reprehensus sæpe à doctoribus, nec emendatus, tandem ejectus est ab Ecclesia. Tum autem Scripturam Græcè exponere aggressus, & in 72. Interpretes sæpe irruens, meruit à SS. Patribus sæpe reprehendi, quasi hæreticus Judaizans; neque fideliter satis, sed ex animi pravo sensu sacros Codices interpretatus. Cùm tamen id semel iterumq; præstiterit, sunt ejus cogitationes secundæ primis, teste Hieronymo, meliores.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4182. 882. 129.

Hadrianus venit in Syriam, ubi in odium Antiochenum, à quibus offensus erat, Phœnicem à Syria dividere cogitavit, ne Antiochia tot urbium Metropolis esset; sicque ejus ditione contractâ, civium petulantia dicacitasque coërceretur.

Tum etiam Hadrianus instaurare Hierosolymam aggreditur, & Romanorum facere coloniam, per quam Judæi in officio continerentur: quâ tamen irritatos potiùs quàm repressos fuisse experientia docuit. Huic urbi ædificandæ præpositum Aquilam Ponticum ferunt, jam Judæum sed quantùm res ejus patiebantur, & Cæsari quàm sectæ suæ addictiorem.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4183. 883. 130.

Hierosolymis instauratis, & Romanæ coloniæ imponit nomen suum Hadrianus, eamque Æliam Capitolinam vocat. Templi etiam loco, aliud Jovi Capitolino ædificandum curat, ut urbs se Judæam fuisse oblivisceretur. Id acriter Judæos pupugit, quòd Ethnici profanique homines urbem dictam aliàs Sanctam incolerent: addit Spartianus eos vetitos esse mutilare sua genitalia, hoc est, filiorum Abrahami recipere notam, probrosam gentibus, sibi perhonorificam;

cam: quamobrem tumultuari incipiunt, sed occultè, ob Imperatoris præsentiam; qui metus tandiu eos repressit, quandiu vicinum senserunt; ubi recessit, malum hunc fuisse magistrum officii, & obsequii docuerunt.

Ex Judæa profectus est in Arabiam Hadrianus, unde & Pelusium venit, & Casium montem conscendit, ut inde Solem mirabiliter Orientem videret. Hîc Pompei tumulum magnificentius erexit, ratus è Romanorum dignitate esse, virum ab iis Magnum appellatum, in tam parvo abjectoque sepulchro jacere.

Eodem anno martyrium subiit Alexander, cum Eventio & Theodulo Presbyteris, Pontificatus sui anno decimo cum mensibus 5. diebus viginti. Is aquæ benedictæ usum decreto sancivit, jampridem inductum; quam Novatores, uti rabidi canes, furiosè refugiunt. Cùm autem vacasset Sedes diebus 20. Sixtus patriâ Romanus, in ea sedit; quem vide ne cum Sixto, aut Sexto Pythageo confundas; quem in lapidem Ruffinus turpiter impegit: ideò ab Hieronymo egregiè vapulavit. Passi sunt quoque eodem tempore Hermes præfectus Urbis, & Quirinus Tribunus cum filiâ Balbinâ contactu catenarum Alexandri sanatâ; omnes ab eodem Pontifice ad Christum conversi, dignique visi qui cum ejus sanguine pro Christo sanguinem suum permiscerent.

## CAP. IV.

### *Decas Quarta.*

*Ab anno Christi* 130. *ad* 140.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4184. 884. 131.

PErdidit hoc anno Hadrianus delicias suas & Catamitum suum Antinoum. Puer ille formosus, ut ejus nummi testantur, ortus erat ex Bithynia, seu Claudiopoli, urbe Bithyniæ, & vel cecidit in Nilum, ut ipse scribit Hadrianus, vel immolatus ad extispiscinam, ut putat Dio, ἀντίψυχος καὶ ἀντανδρος obiit. Porrò eum mortuum Hadrianus muliebriter deflevit; de ejus nomine urbem ubi obierat Antinoëm, vel Antinoiam condidit, eumque consecrari à Græcis permisit, confictо etiam sydere, & μαντεῖω, cujus oracula idem Imperator composuisse ferebatur: quod cùm irriderent Ægyptii, maximeque Christiani, ideò in eos, cæterosque Ægyptios aculeatam epistolam scripsit; quæ nisi calumniatorem Hadrianum confiteri velis, in Carpocraticanos, & Gnosticos sine temeritatis periculo refundes.

Eodem anno Hadrianus in Urbe templum Romæ ac Veneris extrui jussit; cujus ἰχνογραφίαν cùm ad Appolodorum Architectum misisset, & is in ea aliquot vitia notasset, id tam ægrè tulit Imperator, ut importunum censorem occidi jusserit. Quantò sapientior Favorinus ille, qui malè reprehensus ab Hadriano de quodam verbo à probatis autoribus usurpato, statìm acquievit, quoniam *illum doctiorem se putavit, qui ad manum triginta legiones haberet.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4185. 885. 132.

Ex Ægypto in Syriam rediit Hadrianus, quòd defectionem clam molirentur Judæi; qui cùm eo præsente quievissent, absente ad arma cucurrerunt, duce Barchochebâ impostore quodam, qui suo nomine abutebatur. Cùm enim id nomen *astrum* significaret, ajebat se prænunciatum hâc prophetiâ, *Orietur Stella ex Jacob*; ideoque statim à Judæis exceptus est. Huic autem cùm Christiani parere nollent, eos suppliciis omnibus vexavit. Justinus Samaritanus ob eos tumultus egressus è patria, in omnium Philosophorum sectis quæsivit lucem, quam demum in Christiana religione reperit. Præses autem Judææ Rufus hoc administravit bellum: cui tandem cùm par non esset, propter hostium desperationem, accersitus est ex Britannia Julius Severus, sui temporis præstantissimus Imperator, ut huic bello imponeret finem; quod tamen profligavit potiùs industriâ, quàm fortitudine, neque tamen ob id minùs bonus Imperator. *Iudæi duce Barchocheba rebellant.*

Hoc anno, Hadriani 17. Salvius Julianus, Imperatoris jussu edictum edidit *perpetuum* dictum quo omnes in posterum Prætores uterentur; cùm ante hoc tempus qui præerant provinciis pro arbitratu suo annua, & Præturæ tantùm suæ tempore duratura, proponerent. Quo facto Cæsar multorum vitæ, fortunis, ac famæ cavit; quæ ante hoc edictum ex sola plerumque judicis iniquitate pendebant. *Edictum perpetuum Iuliani.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4186. 886. 133.

Julius Severus, Judæis omnibus per orbem Romanum rebellantibus, atque multitudine eorum territus, non est ausus aperto marte cum iis congredi; sed singulatim aggressus, commeatu prohibito, variisque stratagematis usus, eos ita fregit ut Judæorum pauci ex eo tumultu superfuerint. Sic bellum tardiùs, sed securiùs confectum est: cùm enim Judæi pro sua lege certarent, furiosorum instar ruebant in pericula, ac certi cadere, multos Romanorum interimebant. Severus itaque negatâ eis pugnandi facultate eorum ardorem morâ restinxit; sapientiâ desperationem, bellumque sustulit tam difficile, ut ad illud profligandum uno Severo opus esse Hadrianus ipse fateretur. *Severus prudenter bellum Iudaicum conficit.*

Pertinent ad hæc tempora Favorinus & Polemon Rhetores, Hadriano tantum accepti quantùm Principi eorum æmulo viri in arte sua excellentes esse potuerunt. Fortè etiam Annæus Seneca Florus, Romanæ Historiæ scriptor de quo aliàs dabitur comodior & uberior dicendi locus. *Viri docti tum Illustres.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4187. 887. 134.

Marcion hoc tempore hæresin suam vulgare cæpit, ut doctè Petavius probat; quem alii ad septimum Antonini rejiciunt. Is Ponticus, ex urbe Sinope, filius Episcopi hujus urbis, fuit Philosophus Stoicus. Cùm autem virginem ipse virginitatem professus vitiasset, expulsus est ab Ecclesia *Marcion Hæresiarcha.*

clesia per patrem suum, & quominus Romæ reciperetur ab eodem impeditus. Itaque adhæsit Cerdoni, cujus est professus hæresim: sed statim ipse procudit suam; cujus capita omnia non est hujus scripti commemorare. Hæc tamen præcipua sunt. Duos, aut etiam tres Deos posuit; duos item Christos: Conjugatos exclusit cœlo atque Baptismo. Ciborum delectum invexit, in ejus odium qui eos creasset; & alia ejusdemmodi, quæ emittimus quoniam delirantium somnia ignorare licet.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4188. 888. 135.

*Bellum Iudaicum confectum excidio Iudæorum, magno Romanorum damno.* Romani Betherem obsident, & tandem eâ urbe potiuntur. Tum ducibus omnibus suis cæsis, sociisque captis, Judæi se defecisse bello, non defuisse, gloriati sunt. Certè eorum arces permunitæ quinquaginta, vicique nobiles nongenti octuaginta quinque funditus eversi sunt: cæsa in excursionibus & prælis quingenta octoginta millia; nam eorum qui fame, morbo, igne periere, numerus iniri non potuit; adeo ut Judææ agri omnes inculti jacerent, nec Palæstina hortus Syriæ, sed desertum diceretur. Verùm & cladi Hadrianus addidit ignominiam; nam Æliæ portis sues insculpsit; in Golgotha simulachrum Veneris, in Anastasi imaginem Jovis collocavit, in Bethlehem, Adonidis fanum, (quod tamen aliqui negant) quæ quidem ad Constantini usque Magni tempora perdurarunt; ut jam Hadrianus non Judæis & Mosi, sed Christianis & Deo bellum indixisse videretur. Neque tamen Judæi illi multi periere: tam multi enim ex Romanis his annis interfecti sunt, ut Hadrianus de more ad Senatum rescribere non sit ausus, *se exercitumque valere*; sed hanc formulam, *si vos liberique vestri valetis, benè est. Ego quidem & exercitus valemus*, ex fronte epistolæ suæ obliterarit, Cadmeam sibi non tam gratulaturus, quàm execraturus victoriam.

*Episcopus Hierosolymitanus, Marcus.* Deficientibus ergo Judæis, & ex Circumcisione Episcopis, primus ex Gentilibus Hierosolymorum Episcopus creatus est Marcus; sed apud Christianos jacuit Æliæ nomen, antiquum refloruit.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4189. 889. 136.

*Severus in Bithyniam missus.* Julius Severus confecto bello Judaico missus ad Bithyniam administrandam, quæ Proconsule integerrimo sanctissimoque videbatur indigere, ostendit se bello atque pace magnum esse, & fortitudinem in hostes nequaquam ejus in socios & amicos facilitatem & humanitatem detrivisse.

*Pharasmanes beneficiis victus ab Hadriano.* Pharasmanes Rex Iberorum Alanos contra Hadrianum & Romanos excivit, (hos Massagetas esse notat Dio) quibus Mediam totis viribus infestavit, Armeniamque & Cappadociam tantùm attigit. Verùm cùm Alani partim Vologæsi muneribus, partim Flavii Ariani, qui Cappadociæ præerat, adducti metu ab eo recessissent, quiescere compulsus est Pharasmanes, accusatusque à Vologæso Romam venire coactus est; ubi tamen ita causam suam egit, ut etiam regnum ejus augeretur. Virum enim fortem in Romanorum partes Hadrianus amore trahendum judicavit; quare huic in Capitolio sacrificare permisit, & in æde Bellonæ ejus imaginem posuit, denique ejus exercitationem in armis cum liberis & primariis Iberorum spectavit, & tot muneribus auxit, ut huic sibi malè cessisse expeditionem, & accusari apud Romanos exoptandum videretur.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4190. 890. 137.

Hadrianus sibi nullos esse liberos videns, Cejonium Commodum Verum adoptavit in filium, sibi aliàs ob formam commendatum, eumque Ælium Verum Cæsarem appellavit: tumque primùm Cæsaris nomen Imperatoribus proprium, Imperii tessera fuit, adeò ut idem esset Cæsar ac Imperii candidatus. Sed statim eum minùs sanum esse deprehendit; quare sæpe conquestus se in caducum parietem inclinasse, & quater aut ter millies sestertium in congiarium militibus, & populo malè perdidisse. Multis videlicet adoptatis opus erat ut dignissimus Antoninus Pius inveniretur.

Phlegon Hadriani libertus ad hoc usque tempus opus suum de Olympiadibus continuavit libris 8. quibus res gestas breviter attexuerat. Extabant quoque sub ejus nomine libri de vitâ Hadriani ab ipso Hadriano conscripti, sed omnes tam veri quàm ascititii temporum injuriâ perierunt, & irrito vanoque labore uterque apud posteros gloriam quæsiit.

Hoc anno antequam Hadrianus fato fungeretur obiit Similis vir fortissimus, & ob egregiam virtutem Præfectus prætorio creatus renitens & invitus; quam tandem dignitatem cùm ipse deposuisset, sponte annis septem antequam moreretur, ut in otio sibique viveret, inscribendum curavit tumulo suo se tantùm his annis septem vixisse, reliquos in militia ac aulâ contritos non credidit suos esse, in quibus sui juris & arbitrii nunquam fuisset, exosus sapienter nobilem aulæ servitutem.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4191. 891. 138.

Kalendis Januarii hujus anni mortuus est Ælius Verus Cæsar, ingravescente valetudine sumpto largiùs antidoto, cùm esset oratione gratias habiturus adoptionis suæ Hadriano. Nec studiosum, nec vitiosum, hunc fuisse ferunt; sed in voluptates propensiorem: reliquit filium sibi cognominem L. Verum, qui cum Marco imperavit, & cui brevem vitam reliquit hæreditariam.

Hadrianus sibi mortem imminere sentiens, nec tantùm sibi, sed patriæ hæredem investigans, adoptavit Arrianum Antoninum, qui dictus est Pius; sed eâ lege ut duos hic sibi adoptaret, Annium Verum, & Marcum Antoninum, ne à se Cæsar electus deesset. Tum Servianum sororis suæ virum, nonagenarium licèt, coëgit mori, quòd affectare videretur Imperium, multosque etiam alios, Sabinamque ipsam uxorem, cui ab eo datum venenum quidam credidere. Destinarat & aliquot alios ad mortem; sed hos Antoninus servavit, piumque credidit in eo se non obsequi patri.

Hadria-

Hadrianus medicos exosus, à quibus diffidentibus se occisum querebatur, Bajas petiit, & lentâ peresus tabe mori voluit, ferrumque poposcit sæpe, sed negatum semper, curante Antonino ne sibi noceret; sanctè atque piè volens expectare Imperium, ut eo se digniorem præstaret. Tandem Magus, *& omnium curiositatum explorator*, compositis aliquot versibus, indicibus timoris sui de vitâ futurâ, expiravit annos natus 62. menses 5. dies undeviginti, cùm imperasset anno uno supra viginti, menses decem. Huic falsa miracula viventi afficta sunt, duoque cæci vir & mulier ejus tactu recepisse lumen jactatum est; sed ut is mori volens impediretur, separaretque is vitam qui mira patraret. Mortuus autem à Romanis contemptus est, & fuissent omnia ejus acta rescissa à Senatu, nisi adoptio boni filii iis contenta esset. In ejus ergo gratiam duntaxat inter Deos relatus, multis invitis, ostendit adoptionem sibi meliùs quàm Imperium cessisse.

Tum florebat Hermogenes Hadriani medicus, quem Xiphilinus tradit ei desperato ostendisse locum sub mammâ, ut eo veneno illito, & istic vulnere inflicto, minore suo dolore moreretur; Principis sui non medicus sed tortor.

Statim ergo Hadriāo successit Ælius Hadrianus Antoninus, dictus *Pius*, vel quòd Hadrianū mori volentem impediisset, vel quòd socerum fessâ jam ætate duxisset in Senatum, vel quòd naturâ mitissimus esset ac pientissimus, atque de omnibus benè mereri paratus. Itaque non tam Hadriani adoptione, quàm omnium votis creatus est Imperator.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4192. 892. 139.

Ita coluit Hadrianum etiam mortuum Antoninus, ut ab illo provectis nullum successorem dederit, eos bonos justosque ratus quos Imperator tam bonus delegisset. Quos tamen idem damnaverat, servavit incolumes, iis indulgentiâ à Senatu petitâ, affirmansque id Hadrianum, si viveret, esse facturum. Victus ejus talis fuit, ut esset opulentia sine reprehensione, parsimonia sine sordibus, mensa quam omnes optarent, nemo fastidiret: uno verbo, tam bonus fuit Imperator, ut vix cogitatione fingere possis meliorem, & optabiliorem.

Sub initia hujus Principis Justinus Martyr primam Apologiam pro Christianis edidit; quæ tamen secundo est collocanda loco, ut observant qui de scriptoribus Ecclesiasticis aliquid edidere. Et verò, ordo qui plerumque in SS. Patrum scriptis legitur, Librariorum est; à quibus frustra plerumque aliquid præter litteras expectes.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4193. 893. 140.

8. Idus Aprilis martyr obiit Sixtus Papa, anno Sedis suæ decimo, minùs uno mense ac diebus 21. quamquam enim nullum in Christianos ab Antonino exiisset edictum, Hadriani tamen persecutio, quæ erat in motu, retinebat cursum suum, & Præfecti atque Præsides religionis prætextu in eos sævire pergebant. Quamquam ad id quoque contulisse putetur aliquid edictum ab eodem Imperatore, quo sub pœnâ mortis vetita est Sibyllinorum carminum lectio, quoniam eâ multi convertebantur ad Christum, istis versibus prænunciatum. Quanquam autem hi prodessent, plus proderat martyrum sanguis, semen Christianorum.

Successit Sixto Telesphorus post biduum electus à Cleto, qui Jejunium Quadragesimale, jam usu receptum à primis Ecclesiæ temporibus, decreto firmavit. Malè igitur Novatores, id quasi hominum inventum refugiunt, sicque plùs gulæ & abdomini suo, quàm ingenio & intelligentiæ tribuunt. *Telesphorus Falea.*

Antonini anno tertio extincta est morbo uxor ejus Faustina, quæ statim à Senatu inter Divas consecrata est, & donata templo, circensibus, atque flaminibus, & puellis alimentariis quas & Faustinianas appellavit. Ita Deam appellari passus est mortuam, quam viventem *stultam* vocarat; quasi ejus insaniam libitinarius focus excoxisset. *Faustinus moritur.*

## CAP. V.

## *Decas Quinta.*

### *Ab anno Christi 140. ad 150.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4194. 894. 141.

His temporibus emerserunt plurimæ Christianitatis pestes, hæretici; quorum ex æquo nomina & opiniones ridicula sunt.

*Ophitæ* dicti à Serpente, in quem mutatam putabant esse Sapientiam, ut agnitionem sui hominibus immitteret. Eorum Sacerdotes magi erant, qui ἐυχαειδικὰ lamberet, & à populo adoraretur. Hunc porro serpentem qui decepit Evam, fuisse Christum ajebant, quem conviciis impetebant, ejusque loco Serpentem colebant factum hominibus salutarem. Ita Dæmon, quod nascente mundo fecerat, per serpentem hominibus illudebat. *Hæretici Ophitæ.*

*Cainitæ* à Caino fratricidâ dicti, ex Gnosticis germen, turpissimos quosque homines sanctos appellabant, erantque iis abominanda quæque vitia virtutes magnæ. Inter sanctos excellere putabant Cainum, Sodomitas, Chore; sed iis adhuc præcellere putabant Judam proditorem, quòd Christum veritatis eversorem perdidisset. Salvari putabant neminem, nisi turpitudine omni se inquinasset, omniaque peccata consummasset. Quæ profectò secta, non hominum, sed dæmonum videtur fuisse. *Cainitæ.*

*Sethiani* à Setho Adami filio nomen habent, Christumque dicebant esse Sethum, filium virtutis magnæ, quæ eum Abelis loco peperisset; induxisse illam diluvium, ut permixtionem Angelorum & hominum tolleret; sed Caini semen in *Sethiani.*

in Arcam inductum esse, sicque malos bonis permixtos esse; & alia ejusdem rationis ἄλογα, quæ mirum est hominibus in mentem venisse, mirabilius à quibusdam credi potuisse.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4195. 895. 142.

*Justinus Historicus.* Justinus Frontinus, aliter M. Junianus Justinus, Epitomen Pompeji Trogi, qui Cajo Cæsari σύγχρονο fuerat, opus suum Antonino Pio nuncupavit. Hunc ineptissimè Martinus Polonus cum S. Justino Martyre confudit; ex quo vides quid iste fidei mereatur, qui in re tam certâ tam turpiter aberrarit.

*Suetonius Tranquillus.* Huc etiam referes Suetonium Tranquillum, qui 12. Cæsarum vitam accuratissimè descripsit, meliori etiam stylo, quàm hæc tempora ferant. Pater ejus vocabatur Suetonius *Lenis*, quam vocem ille *in Tranquillum* mutavit, ut ampliorem & consonantiorem. Hadriano Epistolarum magister fuit; quo excussus est honore, quia familiariùs agebat cum Principis uxore. Multa opera scripsit, quædam certa, quædam dubia, & aliis adjudicari solita; meliùs, si ut ex facie, sic ex similitudine styli scripta dijudicentur.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4196. 896. 143.

*Tatianus affectat Tyrannidem.* Circa hoc tempus Atrilius Tatianus affectavit Tyrannidem; sed in ipso conatu detectus, accusatus est in Senatu, cujus jussu punitus est. Antoninus in ejus conscios inquiri vetuit, sublato capite dictitans membra nihil esse nocitura, nec timendum esse malum cujus causa rescissa esset, Filium autem Tyranni adeò Patris pœna non inclusit, ut etiam in omnibus juverit, negans ut bona, sic crimina esse inter propinquos hæreditaria.

*& Priscianus.* Ejusdem sceleris accusatus Priscianus sibi violentas intulit manus, judicio non expectato: quâ desperatione sub tam bono Principe, atque æquitatis peramante, se digniorem morte professus est, quàm si huic totius Senatus suffragiis, esset imperata.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4197. 897. 144.

*Philostrati duo.* Florebat circa hoc tempus Philostratus, qui vitam Apollonii Tyanei elegantiùs quam veriùs descripsit. Hunc quidam Atheniensem, alii Tyrium faciunt; verè Lemnius fuit & ex urbe Myrinâ, insulæ hujus urbe primariâ. Qui autem ejus operibus attexuntur icones, & aliquot alia, non sunt avunculi, sed Nepotis, qui à temporibus Severi usque ad Philippos vixit. Nos homines adeò sanguine conjunctos non putavimus esse separandos.

*Sextus Empyricus.* Neque inde procul aberat Sextus Empyricus, sub Antonino Pio medicus, cujus supersunt libri tres Pyrrhoniarum Hypotheseon, & decem adversus Mathematicos, seu disciplinarum professores, quibus jacentem doctrinam Pyrrhi Philosophi (vivebat ille σύγχρονο Theophrasto atque Epicuro) erigere conatus est. Ex eo Σκεπτικοί, seu Ἀπορητικοί, vel Ζητητικοί, suam ἀφασίαν, ut eruditionis, sic etiam religionis pestes, invexere. Ineptum hominum genus, & multis laboribus ementium ignorantiam.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4198. 898. 145.

Hoc anno Eusebius statuit Nicomedem Cretensem musicum Poëtam: quem dubito an non idem sit cum Mesomede Lyrico, cujus meminit Capitolinus in Antonino, à quo eidem imminutum salarium asserit. Ejusdem Mesomedis versus aliquot quæsivit, & congessit in hunc Capitolini locum Salmasius, vir majoris quàm ordinationis doctrinæ.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4199. 899. 146.

Quo tempore Taurus Berytius Philosophus Platonicus celebris habebatur, Marcion ille Ponticus, de quo suprà, dogma suum latiùs propagare cœpit, & plures sibi fautores adsciscere. Sæpius enim palinodiam recinuit, sæpe suam interpolavit hæresin; quibus artibus sectarum isti principes res suas agere solent, & incautos decipere, sed qui semper, quantumvis in speciem boni, aliquo tamen fastu, quem hæreseos fermentum meritò dixeris.

Discipulus Marcionis fuit Apelles, qui hæresin quoque excogitavit suam; semper enim in hac parte ejusmodi discipuli magistris suis præstantiores esse voluerunt. Hic Philumenem puellam habuit agitatam malo genio, cujus operâ futura prædicebat, sicque populo & incautis quibusdam imponebat; dæmone semper Heterodoxis fœminas aliquas sufficiente, quarum operâ pravæ opiniones promoveantur; quia hæ ad decipiendos homines sunt etiam ipsis dæmonibus aptiores.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4200. 900. 147.
MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4201. 901. 148.
MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4202. 902. 149.

Celebrantur circa hæc Antonini tempora viri in omnibus ferè disciplinis illustres. Philosophi quidem, Arrianus Nicomedensis, Maximus Tyrius, Apollonius Chalcidicus Stoicus, & Basilides Scythopolitanus, quorum ultimi duo Verissimi præceptores electi sunt ob eximiam, atque omnibus probatam eruditionem. Capitolinus Apollonium vocatum ex Chalcide scribit ad Tiberianam domum, ut doceret Marcum; quod cùm Apollonius iste molestè ferre videretur, retusus est ejus ab Antonino fastus, & avaritia in mercede notata; sic Philosophus ille ingenio, quàm moribus illustrior fuit. Notat quoque Capitolinus idem Pium usum esse nobilibus hisce *Jurisconsultis*, Vinidio seu Vindio Veto, Volusio Mætiano, Salvio Valente, Ulpio Marcello, & Jaboleno, seu Zaboleno, vel Diaboleno, Juris dicendi peritissimis. Sunt quoque ejusdem temporis *Grammatici* Aper, Pollio, Eutychius, & Proclus Siccensis Rhetor, denique Cornelius Fronto:

Fronto: tantùm interest Litteratis sortiri Principem bonum atque studiosum, quoniam magna semper fuit litteras inter virtutemque cognatio.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4203. 903. 150.

Hoc anno Christi, ut ipse testatur S. Justinus Martyr, alteram habuit Apologiam pro Christianis, quâ purgavit jactari solitas in eos calumnias judiciaque perperam instituta, & quam obtulit Imperatori, ejusque filiis adoptivis Marco & Lucio Philosophis, Senatui denique ipsi Populoque Romano, constantissimâ dignâque homine verè philosopho libertate. Non existimamus autem Decretum Imperatoris, quod ad finem hujus Orationis prostat, hâc apologiâ expressum fuisse, cùm Tribunitiæ potestatis annum decimum quintum temporis notam præferat, is annus tantum decimus tertius Imperii decurrat; at Tribunitiæ potestatis anni cùm annis Imperii in hoc Antonino copulentur: aliunde Asiæ populis datum, non Romanis & Italis, constat. Igitur ex Librariorum incuriâ natus error duo hæc disjuncta confundere non debet; quoniam sicut litteræ & syllabæ, historiæ ac tempora nequaquam conjunguntur.

## CAP. VI.

## *Decas Sexta.*

### *Ab anno Christi* 150. *ad* 160.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4204. 904. 151.

Ad hoc tempus referri posse videtur Lucianeus ille ψευδομάντης Alexander, ex Apollonii scholâ Magus & Impostor, qui Aboni in Ponto Oraculum constituit, proposito Serpente quem Æsculapium dicebat esse; & confluentibus ex toto Orbe Romano populis, responsa dabat, quæ malitiosè ipse confingebat. Quæstuosissima fuit authori suo hæc fictio, utpotè qui ex ea quotannis septuaginta vel octuaginta dragmarum millia conficeret. Et quanquam multos fefellisset, ipsis etiam Romanis exercitibus bis perniciem creasset, tolerabatur tamen; quia multa mendacia effutiens, nonnunquam in veritatem impingebat. Sed quis esset impostor ille, moriens docuit, anno ætatis 70. computrescens, & diu se mori sentiens, ut mortem sempiternam vivus inchoaret. In ejus obitu retecta fabula est, quia successorem sibi calliditate & malitiâ parem non invenit.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4205. 905. 152.

Telesphorus Papa, nonis Januarii, cùm sedisset annos xi. menses 9. Romæ Martyr occubuit; & cùm diebus tantùm septem vacasset ejus Sedes successorem habuit Hyginum, seu Hyginium, patriâ Atheniensem, ordine decimum Romanum Pontificem, & antequam sederet Philosophiæ minùs quam Virtutis sectatorem.



Antonino Pio decimum quintum imperante multa Romanis funesta acciderunt; desæviit per Orbem fames atrox; concidit Circus Romæ, terræ motibus Rhodi atque civitates afflictæ, Romæ incendium 340. insulas vel domos absumpsit, Narbonæ, Antiochiæ, Carthagini ignis quoque sævit. Intumuit supra modum Tiberis, crinitus Cometes arsit in cœlo; ex Arabia ac Mæsia portenta nunciata sunt, quibus non populus modò, sed & Imperator ipse perterritus. Decretum pro Christianis emisisse putatur, ne deinceps in eos præsides aliique magistratus sævirent, quorum sanguis tam sæpe, tam atrociter & injustè profusus hæc peperisse videbatur mala, majora minabatur. *Decretum Antonini pro Christianis.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4206. 906. 153.
4207. 907. 154.

Valentinus Hæresiarcha philosophus Platonicus Ægyptius Phœbonites, vir ingeniosus & eloquens, à Fide defecivit, quòd alter ei in Episcopatu prælatus esset prærogativâ martyrii. Multa in hæresin suam ex Platone, immò ex Poëtis connexit; unde monstrum conflavit quod nec Christianum nec hominem saperet, effecitque discipulos doctrinâ malos, sed & moribus deteriores, & Gnosticis ut nomine, sic & turpitudine affines. Eorum operâ multi à subeundâ morte deterriti sunt Christiani, quos procaciter irridebant, negabantque pro Christo hominibus fundendum esse sanguinem, pro quibus ipse dedisset suum; in quos *Scorpiacum* suum, seu *de bono patientiæ* Tertullianus edidit, ut ostenderet ab iis tanquam serpentibus cavendum esse Christianis. Ut ergo plures sibi fautores Valentinus adjungeret, Romam venit, quò venit quoque Cerdo, & quasi aspides duæ sibi invicem indidere virus, mutuos acceperunt & dederunt errores. Et aliquandiu quidem à Catholicis recepti, Catholicorum personam vafrè sustinuerunt; sed tandem detecti, sæpeque positâ receptâque larvâ infames, turpiter ejecti sunt, plus deinceps pœnâ quàm pœnitentiâ fidelibus profuturi. *Valentinus Hæresiarcha.* *Cerdo Hæreticus.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4208. 908. 155.

Pertinent ad hoc circiter tempus Britanni per Lollium Urbicum legatum domiti, ita tamen ut pæne se victos Romani faterentur. Neque enim Hadriani refecere murum, sed longiùs retraxere ad Tavum æstuarium, & ubi hodie limes Scotiæ & Angliæ fixus est: quo facto dum plus agri Barbaris relinquunt, suam parùm veram docuerunt esse victoriam. *Antonini Pii murus in Britannia.*

Eò quoque referas Mauros ad pacem petendam coactos; Germanos, Dacos, Judæos Alanos ab Antonini legatis repressos; rebelliones in Achaiâ & Ægypto extinctas, quæ sine temporis notâ Capitolinus perstringit, magna tamen Antonini Pii sapientia & felicitate confecta. *Felicitas Antonini & sapientia.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4209. 909. 156.

Hyginus, vel Hyginius Papa, cùm sedisset annis 4. minùs duobus diebus, martyr extinctus est 3. Idus Januarii. Ejus loco post dies tres sedit *Hyginius Papa moritur.*

Pius filius Rufini. Pastoris frater; cui anteponunt aliqui perperam Anicetum ejus successorem. Quod autem à quibusdam Hyginus nono loco inter Romanos Præsules nominetur, cùm reverâ decimus sit, fecere Anacletus aut Cletus ab iisdem prætermissi, atque in unum conflati; quod sæpe jam notatum est à nobis, ut scrupulus omnis deinceps eximatur, nec quibusdam SS. Patribus adversari videamur.

*Pius ei succedit.*

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4210. | 910. | 157. |
| 4211. | 911. | 158. |
| 4212 | 912. | 159. |
| 4213 | 913. | 160. |

*Colitur ab exteris Antoninus*

Hi quatuor anni apud Chronographos vacui sunt, quibus tamen, quæ sequuntur, putamus contigisse, cùm paulò ante obitum Antonini Pii à Capitolino describantur.

Pharasmanes Rex Iberorum ad eum Romam venit, plusque ejus virtuti, quàm Hadriani triginta legionibus detulit. Pacorum Regem Lazis seu Lazis dedit, & is cultus est à suis Colchis, quia hoc honore dignus ab Antonino judicatus esset. Ut Parthorum Regem ab Armenis expugnandis impediret, non armis, sed solis literis usus est; & quanquam, ei Sellam à Trajano captam negaret, patienter tulit, ratus id sibi modicè ferendum esse, quod ab Antonino justum censeretur. Rhimetalcen audito ejus cum suo curatore negotio, in regnum Bosphoranum remisit. Olbiopolitanos adversus Tauroscythas juvit auxilio ac copiis, quas iis sufficit donec hi obsides sociis Populi Romani darent. Denique Abgarum ex Oriente ac Mesopotamiâ deduxit tantùm authoritate suâ, & quia sic ei placere judicabat: aliæ quoque gentes positis armis sese ei sponte subdiderunt, inquit Eusebius; quas Aurel. Victor vocat Bactros, Hyrcanos, & Indos; tantùm in Principe valet existimatio virtute quæsita; legionibus & cunctis exercitibus longè potentior.

## CAP. VII.

### *Decas Septima.*

*Ab anno Christi* 100. *ad* 200

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4214. | 914. | 161. |

*Moritur Antoninus Pius.*

HOC anno, ætatis suæ septuagesimo, (alii 75. volunt) apud Lorium seu Laurium villam, ex morbo obiit Antoninus Pius, cùm imperasset annis omnino viginti duobus, mensibus septem, & diebus viginti sex; unde vulgò tribuuntur ei anni Imperii 23. & Tribunitiæ potestatis etiam 24. leguntur in nummis; sed tum computantur extrema. Vir ab omnibus laudatus plurimùm, & tamen nondum satis; à Romano Senatu, reclamante nemine, inter Divos adscriptus, ita deploratus à populo Senex quasi adolescens mortuus esset, ac Numæ compositus, etiam melior inventus.

Successit demortuo Marcus Aurelius Antoninus, cognomento *Philosophus*; qui tamen licet solus ex Senatusconsulto dictus esset Imperator, & ad eum Fortunam Auream Imperii tesseram misisset Pius, ipse tamen consortem Imperii accivit Lucium Ælium Verum Antoninum, filium Ælii Veri Cæsaris, qui deinceps dicti sunt *Divi fratres*, quod essent à Pio ambo adoptati. Sic autem inter se conjuncti vixere, ut ea quoque concordiæ ad ipsa eorum nomina pervaluerit, & Veri nomine, quod Lucii proprium fuit, etiam Marcus apud Christianos scriptores nonnunquam intelligatur. Sed ut ea esset constantior amicitia, etiam nuptiis firmanda fuit; Lucius enim Luciliam Marci filiam accepit sponsam, quam tamen tunc temporis non duxit uxorem, ad Parthicum bellum raptim profectus, & sollicitior Imperii quàm nuptiarum.

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4215. | 915. | 162. |

Vologeses Parthorum Rex bellum quod imperante Pio paraverat, in Romanos gessit, & Romanum exercitum cum duce suo Severiano penitus delevit. Severianus porrò deceptus falsis Oraculis Alexandri Impostoris, dum non satis cautè in Armenia pugnat oppressus, Parthis animos fecit, paratis Asiam invadere, & trans Pontum Romanos fugare. Ut eis resisteret missus est in Orientem Lucius Verus. Hunc secutus est Capuam usque Marcus: at ubi ab oculis Fratris abfuit Lucius, in omnem intemperantiam effusus, & per omnes villas cibo se atque vino ingurgitans, Canusii graviter ægrotavit; ad quem videndum accurrit Marcus. Redditus valetudini, dum Oriens diriperetur venabatur in Apulia, & Corinthi, Athenis, & in Asiæ maritimis civitatibus toto itinere pergræcabatur. Fuit tamen in suis ducibus felix; & sub ejus auspiciis Legati Statius Priscus. Avidius Cassius, & Martius Verus tam fortiter retudere Vologesum, ut Romani Babylonem & in Mediam usque pervenirent, Armeniamque vindicarent; unde Armenici & Parthici dicti sunt Divi fratres: quæ tamen nomina Marcus reliquit Lucio, ipse Germanici appellatione contentus. Hæc non uno anno gesta sed toto quadriennio, quia notâ temporum carent hîc fuere congerenda, ne penitus exciderent.

### QUARTA PERSECUTIO *sub M. Aurelio, seu potius sub Vero.*

### QUINTA *Severo Sulpitio.*

Hoc anno in Christianos à novo Imperatore gravis tempestas incubuit; Lucius enim Verus, quamquam ad præfectos Provinciarum nullum publicum decretum emiserit, consulentibus tamen acerbissima responsa dedit, uti constat ex plerisque martyrum Actis. His inflammati crudeles alioquin homines sævissimam edidêre carnificinam. Utrum autem conscio Marco Aurelio; res est adhuc sub Judice, cùm hinc concordia duorum Imperatorum, inde suavissimi Marci mo-

ci mores, & à cædibus alieni pugnent: niſi fortè ii falſo religionis prætextu tum efferati ſunt.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4216. 916. 163.

Celebris eſt hic annus ſancti Juſtini Martyris pro Chriſti fide cæde, cum multis aliis, qui huic religione conjuncti cum eo pariter mori voluerant. Ut igitur ſanctè ſcripſerat, ſic etiam obiit ſanctiſſimè, Apologias cruore ſuo conſignans, ut iis major adhiberetur fides. Edidit & aliqua alia, ut Epiſtolas, in quibus tricantur Novatores, & ſummum Pontificem in his Papam appellari rident, Juſtinumque ad infantes turpiter amandant. Intelligant igitur hâc voce ſignificari *Patrem Patrum*, hoc eſt, inter Patres ſeu Præſules primum. Quam appellationem ſi ferre non poſſint, Synodos antiquas damnent; & ſi audent, Eccleſiæ jugulum per tot Epiſcoporum ſacras inſulas appetant. Vel certè nomen Græcum Πάππας pleriſque Epiſcopis deinceps conceſſum, tandem ſub Gregorio ſeptimo ἀντονομαστικῶς ex decreto conceſſum eſt eidem, quia ſupra reliquos eminebat, & cæterorum Pontificum caput erat.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4217. 917. 164.

Conditum fuerat inter Divos fratres, ut Lucilla filia Marci Epheſum ad ſponſum Lucium mitteretur: ſed hæc à Dæmone arrepta fuit, conteſtante ſe tantùm ab Abercio, Hierapolis in Phrygiâ Epiſcopo, abigendum. Cùm Medicis, Aruſpicibus, & Idolorum ſacrificulis hæreret aqua, perhonorificè Romam accerſitus eſt Abercius, cujus operâ ſanata Virgo, ad Lucium perducta eſt Epheſum; ſed Abercio, digna ſanctiſſimo Præſide, digna Imperatore Romano perſoluta merces, videlicet ut Hierapolitanis inopibus quotannis ter mille modii frumenti donarentur ex Fiſco; quam liberalitatem nec Diocletianus, nec Maximianus, magnæ Chriſtianitatis peſtes, ſubſtulere, opuſque fuit proditore Chriſti & Apoſtata Juliano, ut hoc Marci Aurelii beneficium, in Chriſti odium aboleretur.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4218. 918. 165.

Res Romana adverſus Parthos optimè procedebat, ex oppugnatoribus factos jam propugnatores. Quin & hanc perſonam hoc anno malè ſuſtinuerunt, atque eripi ſibi paſſi Seleuciam cum 300. hominum millibus in ſervitutem per Romanos adductis. Hoc pretio Parthis & Vologeſo bellum Romanis illatum ſtetit.

Peregrinus impoſtor ille Lucianeus poſt multos deluſos ad Olympia Piſa inſiluit in rogum quem ſibi ex odoriferis lignis ſtruxerat, etiam in ſuo ſupplicio gloriam ſectatus, cui ſe victimam vanus homuncio devovebat.

Pius Pontifex hoc anno martyr effectus eſt 4. Idus Julii; cùm ſediſſet annis novem, menſibus ferè ſex. Rigidus ille fuit errorum in Sacerdotibus etiam imprudentibus cenſor; unde intelliges quid iiſdem à tanto Præſule in gravioribus ſceleribus eſſet expectandum. Cùm autem vacua fuiſſet Petri ſedes diebus 14. ſucceſſit ei Anicetus, natione Syrus, ut eam omnibus patere nationes omnes agnoſcerent. *Anicetus ei ſuccedit.*

Venit deniq; hoc anno Romam Polycarpus, S. Joannis diſcipulus, ut de Paſchate Anicetum interrogaret. Sed cùm inter ſe non convenirent, re nondum ſatis excuſsâ, ab ſe invicem diſceſſere ut viri boni inter ſe diſſidentes ſolent, hoc eſt, amici opinionis ſuæ retinentes. *Polycarpus Romam venit.*

Polycarpus autem tum Romæ dicitur incidiſſe in Marcionem Hæreticum, eique roganti utrum ſe cognoſceret, reſpondiſſe, ut *Primogenitum Satanæ*; multoſque Marcionis, Valentini ac Cerdonis diſcipulos tanti viri operâ ad veram ſinceramque religionem eſſe revocatos, ut non veniſſe Romam Paſchatis causâ, ſed ut multorum firmaret Fidem eò miſſus à Deo videretur. *Teſtatur Marcionem.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4219. 819. 166.

Rediit hoc anno Romam Lucius Verus, confecto per Legatos ſuos bello Parthico, Armeniaque receptâ, cujus caput Artaxata, per Statium Priſcum capta. Fuerat animus Lucio in Oriente remanendi, ut hic liberiùs indulgeret voluptati, neque ſaltem M. Aurelii oculis, & gravitate corriperetur; ſed vocabatur ad bellum Marcomannicum, quod indigere amborum Imperatorum præſentiâ ferebatur. Itaque Imperatores ambo triumpharunt de Parthis; quo tamen triumpho Marcus licèt abſens, dignior fuit quàm Lucius, cùm ille ad hoc bellum curam ne quid deeſſet exercitibus, hic tantum crapulam, libidinem, aliaque vitia detuliſſet, deriſus à Syris præſens, cùm abſens à Romanis laudaretur. *Conficitur Parthicum bellum.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4220. 920. 167.

Cùm magnus immineret à bello Marcomannico metus, Deorum ſuorum inanium iram placare conatus eſt M. Aurelius, accitis undequaq; Sacerdotibus, impletiſque ritibus ſacris, etiam peregrinis. Qua occaſione data à Deorum Flaminibus & ſacrificulis in Chriſtianos ſævitum, præſidibus illorum votis, & acclamationibus populi turpiter aſſentientibus. Tum autem paſſus eſt Smyrnæ magnum illud Aſiæ & Eccleſiæ lumen Polycarpus, à populo rogatus ad necem. Inductus ille in Amphitheatrum, & de cœlo delapsâ voce animatus, Chriſtum profeſſus eſt publicè cui jam annos octuaginta ſerviebat; quare ignibus addictus eſt vivus. Sed cùm ei flamma non noceret, gladio tranſverberatus interiit. Porrò ex ejus vulnere tantùm ſanguinis exiit, ut Buſtum ejus ingens extingueretur. Abſumptum eſt flammis nihilominus per gentiles & Judæos cadaver, ne à Chriſtianis coleretur; qui tamen ſuffurati ſunt pias reliquias, & oſſa ad perpetuam tam ſancti viri venerationem. Ut igitur nos Catholici pium illum imitemur fidelium ardorem, ſic Hæretici ætatis noſtræ gentilibus & Judæis ſe geminos & ſimiles eſſe fateantur. *S. Polycarpi martyrium.*

Florebat hoc tempore Polyænus, qui libris octo *Polyænus ſcriptor.*

octo contenta nongenta stratagemata Divis Fratribus nuncupavit. Celebris erat quoque Diogenes Laërtius, aliter Diogenianus dictus, qui Philosophorum vitas accuratè juxta & eleganter conscripsit; non antea appellandus, cum Plutarchi Chæronensis, & Sexti Empyrici meminerit.

*Diogenes Laertius.*

Neque prætermittendus M. Claudius Galenus, Medicus præstantissimus, quo nemo plura simul majorique doctrinâ scripsit. Vixit ad Severi usque tempora, charus omnibus; nunquam meritus mori, qui tam multos, deploratissimis temporibus, morti subduxisset.

*Claudius Galenus.*

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4221. | 921. | 168. |

Tum sæviebat lues, quâ majorem Orbis non vidit neque diuturniorem, & Thucydideæ parem. Orta dicitur esse in Babyloniâ, cùm hic miles arculam auream in templo Apollinis incidisset; hinc enim extitit spiritus pestifer, quo totus Orbis infectus ultimum interitum expectabat; sive ita se res habuit, sive hoc ab Ethnicis confictum, ut Deorum cultus commendaretur metu.

*Pestis atrox.*

Hoc anno Heroni Juniori, Antiochenorum Episcopo, successit Theophilus, vir planè eruditus, sicuti testantur ejus libri ad Autolycum adversus Gentiles pro Christianis; quibus pares paucos habet Ecclesia. Scripsit & adversus Hermogenem, ex Africâ, malum pictorem, & deteriorem philosophum, postea Manichæorum & Sabellianorum, Hermianorum & Seleucianorū parentem, materiæ ingenitæ primum autorem, ex qua omnia creasset Deus; uno verbo, qui ex Platonis scholâ errores suos, ex reliquorum Hæreticorum officinâ turpissimos mores hauserat, voluntate & intelligentiâ nequissimus.

*Theophilus Antiochenus.*

*Hermogenes hæreticus.*

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4222. | 922. | 169. |

Bellum Marcomannicum hoc anno susceptum, ad quod profecti Imperatores ambo paludati: multæ enim gentes se iis adjunxerant, & hujus belli metus graviter Romanos incessebat. Profuit autem plurimùm magnus apparatus belli, & Imperatores duo magnarum copiarum duces. Certum est tamen Romanos aliquando malè acceptos ab iis Barbaris viginti millia suorum perdidisse; qui dum delusi ab Alexandro Impostore Pontico currere putant ad victoriam, victi trucidatique falsa esse nebulonis hujus oracula didicerunt. Tum cecidisse putatur Furius Victorinus præfectus Prætorio; quæ causa fuit cur Lucius contenderet Romam esse redeundum, maximè cùm Barbari fugerent, & maximum præ se ferrent metum: sed urgendum hostem volebat Marcus, & ita contundendum, ut futuris quoque temporibus prospiceretur. Evicit tandem Lucii sententia, quem Urbanæ voluptates advocabant. Itaque compositis Illyrici rebus, Italiâque sic munitâ ut huic nihil à Barbaris erumpentibus timendum esset, redeunt Imperatores ambo Verùm inter Concordiam & Altinum correptus Apoplexiâ. Lucius interiit, cui sicut & Romæ expediebat mori, quoniam moribus suis improbissimis evertebat quod bonis legibus & vitâ suâ sanctissimâ conficiebat Marcus. Is tamen in suspicionem dati veneni venit, & confictus est à quibusdam culter ab una parte veneno illitus, quo oblata vulva ita dissecta est, ut sanam ederet Marcus, infectam Lucius, quâ sumptâ ultrà nihil comedit. Verùm hanc calumniam abundè refutant tam sancti Imperatoris mores; nec huic adhibita fides nisi ab improbissimis hominibus, & qui ex se suoque genio reliquos metiuntur.

*Bellum Marcomannicum*

Pertinent ergo ad hunc annum SS. Gervasius & Protasius Martyres, & Martyrum liberi, quos Aspasius ad bellum cum Imperatoribus proficiscens, impulsus à sacrificulis ad cultum idolorum invitatos atque renuentes crudeliter enecavit 13. Kal. Julias Mediolani, ubi postea eorum corpora à S. Ambrosio reperta, & de se & de inventore magnam venerationem abstulerunt.

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4223. | 923. | 170. |

Melito Sardensis Episcopus hoc anno Apologiam obtulit Imperatori pro Christianis egregiam, ut ex ejus fragmento apud Eusebium liquet, quod totius operis accendit sitim. Ex quo intelligitur libellum de transitu Virginis huic sancto adscribi solitum, esse suppositititium, cùm tantùm hic ab Apologiâ dissideat, quantùm ab homine simia distat. Eodem tempore, eademq; causâ scribebant Miltiades magnus Theologus, Apollinaris Hierapoleos, Pinytus Gnosii, & Philippus Gortynæ Episcopi, atque aliquot alii, qui eodem agitati spiritu pro Christianis malè acceptis ad Imperatorem scripsêre; quem dedocendum putabant, quoniam tot cædes erant ab ejus moribus, & institutus alienæ.

## CAP. VIII.

## *Decas Octava.*

### *Ab anno Christi* 170. *ad* 180.

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4224. | 924. | 171. |

Florebant his temporibus *Pausanias* & *Appianus*; cùm hic interscribendum dicat, annis 900. jam durasse Romanam potentiam; ille meminerit Olympiadis ccxxxv. *Pausanias* patriâ Cappadox fuit ex urbe Cæsareâ, atq; edidit opus accuratissimū de Græciâ, quam lustrasse videtur, atque decurrisse. Dum ergo Julius Scaliger eum Græculorum mendacissimum vocat, loquitur ut ignari de Plinio aliisq; ejusmodi magnis viris dicere & sentire solent. *Appianus* autem Alexandrinus Romanam historiam complexus erat libris octuaginta; ab Æneâ ad Romulum, breviter; inde ad Augustum fusè ab hoc ad Trajanum, carptim tantùm & obiter: verùm ex tanto opere supersunt dūtaxat hodie Punica, Syriaca, Parthica, Mitrida-

tridatica, Iberica, Annibalica, Illyrica, τῶν ἐμφυλίων libri v.& Celticorum fragmentum; quæ ſic aptata non ab ipſo authore, ſed à quodam collectore putamus.

Tatianus S. Juſtini martyris diſcipulus ſcripſit egregium librum adverſus Gentiles, quem etiamnum hodie habemus; item & διατεσσάρων ex quatuor Evangeliſtis conflatum opus, malè à Victore Capuano tributum Ammonio Alexandrino, cui idem Victor eripit *Harmoniam*, ut id tribuat Tatiano, quaſi furtum furto rependi poſſet. Sed Diateſſaron Hæreſin ſapit, utpote in quo omiſſa ſunt quæcumque pertinent ad Chriſti humanam carnem. Is magiſtro mortuo, & relictâ Româ, in Piſidia & Cilicia errores docuit, factus autor *Encratitarum* quaſi *continentium*, qui nuptias deteſtabantur, & vocabant μοιχίαν; item & *Hydroparaſtarum*, ſeu *Aquariorum*, qui vinum expellebant ex myſteriis, ſolâ aquâ contenti. Tatianum videtur ſectatus eſſe Severus, ex quo *Severiani*, S. Pauli hoſtes denunciati; uſus ſuâ Philumenâ energumenâ (ut Apelles ſuâ) ad vaticinia, & faſcinationes. Item Julius Caſſianus Valentini diſcipulus, author *Doxitarum* ſeu *Opinatorum*, Chriſto corpus φανταστικὸν tribuentium omnes variarum hæreſeon interpolatores; omnes, quàm ſui præceptores, in deteriora prolapſi.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4225. 925. 172.

Florebat circa hoc tempus Dionyſius Epiſcopus Corinthiorum, cujus extant epiſtolæ, magnæ, ſicut earum parens, autoritatis; ideò eas omni ope Heterodoxi corrumpere nituntur, ut iis opiniones ſuas fulciant, tali patrono, tali patrocinio ſubnixas rati ab omnibus illicò recipiendas.

Ejuſdem quoque temporis eſt Bardeſanes Syrus, olim vir bonus, & hæreticorum hoſtis, quos ſcriptis confutarat: Apollonio etiam Chalcedonio charus, à quo fruſtrà ad Gentilium religionē vocatus erat; gratiſſimus etiam Abgaro Principi Edeſſenorum, viro optimo, cujus magiſter fuerat; tandem is delapſus eſt in hæreſim Valentini, & de ſuo nomine ſectatores ſuos *Bardeſaniſtas* dixit. Filius ejus *Harmonius* fuit litteris apprimè excultus, & cum patre ſuo à S. Ephrem Edeſſeno diacono egregiè refutatus.

Circa hæc quoque tempora ſparſit virus ſuum Ptolemæus, dictus à Tertulliano *Valentini Floſculus*; item & Marcus ſimul Hæreticus & Magus, ſuiſque præſtigiis illudens fautoribus ſuis; cujus diſcipuli, turpiſſimi licet, ſe *perfectos* nominabant, ab aliis *Marcoſii* & *Marcitæ* dicti. Quibus addes *Aſcodrytas* & *Archonticos* Sacramentariorum noſtrorum parentes primos, omnes ex Valentino prognatos, atque ipſo deteriores: quia ſemper mala in pejus ruunt, & ſemel à veritate tantiſper disjunctis ſolemne eſt ab eâdem longiùs aberrare.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4226. 926. 173.

Anicetus ſummus Pontifex 15. Kal. Majas cæſus eſt ob Chriſti fidem, cùm ſediſſet annis octo, minùs tribus menſibus, ac diebus 7. quamquam alii huic annos x. alii xi. alii octo cum tribus menſibus inconſtanter tribuant. Ejus inventum eſt, Clericorum coma brevior, & modeſta; ſepultusque eſt in Arenariâ, ubi poſtea Calliſtus cœmeterium ſtatuit, quoniam ex multorum Martyrum corporibus locus iſte traxerat venerationem.

Huic ſucceſſit poſt dies 17. Soter, natione Campanus, patriâ Fundanus, vir doctus, atque magnificus, ut ejus epiſtolæ eleemoſynis conjunctæ arguunt; ex quibus intelliges Romanæ Eccleſiæ divitias & magnas, & tum, quod caput eſt, benè collocatas. *S. Soter ei ſuccedit.*

Celebris quoque eſt hic annus S. Felicitatis fortitudine, quæ filios 7. cohortata ad glorioſum agonem 6. Idus Julias, & in iis ſepties Martyr, ipſa tandem octava victima 9. Kal. Decembris glorioſum ſacrificium conſummavit. *S. Felicitatis martyrium.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4227. 927. 174.

M. Aurelius jam quartum annum bellum gerens in Quados, Marcomannos, Sarmatas, aliosque convenas, hoſtium multitudine circumventus apud Carnutum, & in loca compulſus unde non poſſet effugere, atroci inſuper ſiti vexato exercitu, fruſtra ad ſuos Deos confugit. Tum Chriſtiani milites plerique ex Melitinâ Armeniæ civitate, flexo poplite Deum adorantes ſuum, & ſuis pluviam, & hoſtibus ignem, grandinem, fulmina impetrarunt, quibus dejecti diſſipatique hoſtes magnam Imperatori peperere victoriam. Ejus rei monumentum proſtat in columna Antonini, in qua tamen Ζεὺς ὄμβριος ſeu ὕετιος, *Jupiter Pluvius* depingitur. Quod Dio artibus Magicis Arnuphis Ægyptii tribuit, Ethnici alii ſcriptores precibus Imperatoris affingunt, ſed refelluntur ex litteris ipſius Marci ad Senatum, quæ proſtant ad finem Apologiæ Juſtini martyris, & quæ ſæpe à SS. Patribus adverſùs Gentiles; ad quas, tum in omnibus oculis poſitas, ipſi provocant. Unde Marcus ſanxit ne quis Chriſtianus ob religionem ſuam vocaretur in judicium, & accuſator vivus exureretur; quod viguiſſe Romæ, tempore etiam Commodi, teſtatur Euſebius exemplo. Utrùm autem hæc legio dicta fuerit ideò *Fulminatrix*, à nonnullis ambigitur: potuiſſe tamen plures eſſe ejuſdem nominis Legiones, non eſt controverſum, nec ob frivolam rationem res conteſtatiſſima debet in dubium revocari. *Legio Chriſtiana fulminatrix.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4228. 928. 175.

Avidius Caſſius, ex Caſſio Cæſaris percuſſore natus, Dux bonus, & antiquæ diſciplinæ retinentiſſimus, cujus operâ retuſi Parthi, ſemper victor fuerat Imperator quando ſuis auſpiciis, tanti ducis manu conſilioq; pugnavit, audito de morte Marci nuncio, vel certè diſſeminato, in Oriente rebellavit, ac induit purpuram: Id jampridem agitabat, huicque hactenus occaſio, non voluntas defuerat. Verùm is poſt tres menſes à Centurione vulneratus, à Decurione necatus eſt. Caſſius Metianus ejus filius cui Alexandria commiſſa, ab exercitu quoque cæſus: ut ſe innocen- *Avidius Caſſius Tyrannidem affectat.*

tem

tem probaret, hostis fuerat à Senatu dictus, sed eum cædi potiùs passus est Marcus, quàm voluit. Certè ejus omnibus affinibus pepercit, & liberos quoque ejus bonorum partem habere jussit; hos tamen postea Commodus, quasi aliquid molientes, vivos omnes exussit. Is finis Tyranni fuit, licet Imperio dignissimi; sed severioris quàm hæc tempora, quàm per vim occupatus Principatus exigebant.

*Cassius caditur.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4229. 929. 179.

*Marcus in Orientem venit.*

Marcus in Orientem proficiscitur cum Faustinâ conjuge, quam ideò *matrem castrorum* vocavit, & filio Commodo, ut is expeditionibus & labori assuesceret. Hic ignovit civitatibus quæ Cassio faverant; videre tamen noluit Antiochiam, quæ reliquis facem rebellionis præferre visa erat, nec Cyprum, ex qua Tyrannus oriundus erat. Cum Regibus Orientis egit humaniter & iis ostendit ad regendos homines, Philosophos aptissimos esse. Sed ad Tauri montis radices, in vico Halale, Faustinam uxorem perdidit morbo, eoque subito, exanimatam. Hanc inter Divas referendam curavit, licèt impudicam, & suis amatoribus addictam, inter quos Tertullus enituit etiam cum ea prandens deprehensus ab Imperatore, qui etiam ob eam causam à Mimo publicè in scena perstrictus est. Monitus eam repudiare, negavit id se posse, nisi eidem dotem, hoc est, Imperium redderet. Eam igitur mortuam quantùm potuit honoravit; ædem enim ei excitavit, Faustinianas puellas instituit, & vicum ubi obierat coloniam fecit. Rediens in Italiam, Athenas invisit, Cereris ingressus templum & sacrarium, ut se probaret innocentem. Tandem gravissimâ tempestate defunctus, Brundusium appulit, unde Romam togatus cum suis omnibus venit. Hic Coss. T. Volcasio Pollione & M. Flavio Apro, v. Kal. Decemb. Imperii sui anno 16. Commodum filium sibi collegam Imperii assumpsit, & cum eo, quia sic Senatus optabat, triumphavit; in eo infelix, quòd talem pepetisset filium; minùs fortis Princeps & constans, quia in omnia vitia proclivem agnitum admovisset Imperio, magisque suo sanguini, quàm Reipublicæ providisset.

*Faustina moritur.*

*Commodus creatur Augustus.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4230. 930. 177.

Recruduit hoc anno in Christianos persecutio M. Aurelii edicto utcumque compressa; cùm illi non ut Christiani, sed ut gravissimorum criminum rei, postularentur ad supplicia. Celebris est in primis Lugdunensium martyrum cædes, quâ sublati Photinus Episcopus nonagenario major, Attalus, Alexander Medicus, Blandina supra fœminam fortis, aliique complures; qui à loco Athanaco, ubi passi sunt, dicti sunt Athanacenses. Neque verò reliquos commemorare licet per Gallias, multò minùs per totum Orbem Romanum passos. Utrùm autem tum primùm in Gallia & trans Alpes visa sint martyria, non est hujus operis definire, cùm de hac quæstione ultro citroque scripti libri nondum hanc litem terminarint, doctioribus ajentem partem, pluribus negantem animosè vel obstinatè propugnantibus.

*Martyres Lugdunenses.*

Marcus Imperator bellum triennale adversus Marcomannos, Hermunduros, & Quados suscipit, ita aliàs domitos ut ab hac parte pax diuturna speraretur. Sed cùm ope Christianorum repressi essent, nec tamen esset Christianorum conditio melior, Deus his hostibus animos reddidit, ut suas illi atque Dei ulciscerentur injurias; quod magno Imperii damno perfecere.

Sed antequam exirent ab urbe Imperatores, ad eos accessit Legatus à Christianis Athenagoras, philosophus Atheniensis, illisque obtulit nobilem suam Apologiam, quâ Christianos de objectis criminibus purgavit, & mortuorum resurrectionem ab Ethnicis irrisam doctissimo probavit commentario. Sed is oleum & operam videtur perdidisse; suamque causam Deus meliùs defendi patientiâ, quàm orationibus & verborum apparatu, demonstravit.

In eadem urbe martyrio coronatus est x. Kal. Majas Soter, Pontificatus sui anno ferè quarto, cui post dies undecim suffectus est à Petro decimus quartus Eleutherus, patriâ Nicopolitanus, ad quem Lugdunenses Martyres alii, qui tenebantur in vinculis, misêre sanctum Irenæum, Ecclesiæ suæ tum Presbyterum, ut eum de quæstionibus tum inter Christianos agitatis interrogarent. Quænam autem hæ fuerint, ambigitur; & prætermittimus proferri solitas, quia historiam, non vaticinia scribimus.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4231. 931. 178.

S. Irenæus missus à S. Polycarpo in Gallias, redux è Legatione Romana in Photini demortui locum Episcopus Lugdunensis eligitur, vir à sequentibus SS. Patribus ob singularem doctrinam huicque respondentes mores, egregiè laudatus; & quæ reliquit scripta, iis laudibus indignum non esse satis ostendunt.

Hoc tempore vixisse Florianum & Blastum Hæreticos, & Schismaticos, ex eodem Irenæo discimus; qui suos quoque sectatores habuere: sicut & pœnitentiam petiisse Marcionem, quæ ei promissa est, eâ lege ut quos ab Ecclesia abduxerat, restitueret; ne sibi bonus, aliis impius, ovile Christi Dæmonis administer subiret.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4232. 932. 179.

Pertinere videtur ad hæc tempora Hæresis Montani, seu pseudoprophetia quæ κατὰ φρύγας dicta, promota per duas fœminas abreptitias Priscillam, seu Priscam, atque Maximillam, divites, & à maritis abductas. Dicta porrò est κατὰ φρύγας, quòd Montanus ortus esset ex vico Phrygiæ *Ardaban*. Is porrò se paracletum dixit, quem Christus à patre missurus erat; scripta autem fanaticarum fœminarum, quas sibi comites habebat, licèt semivir & Eunuchus, esse prophetias. Tres Quadragesimas observabat in anno; fugiendum nunquam esse in persecutione negabat; secundas Nuptias prohibebat

bat ut infames. Patriarchas habebat tantùm ex Pepuzâ Phrygiæ vico, Cenones & Episcopos aliunde, sed adeò rigidos legum Ecclesiasticarum censores, ut minimus error Montanistis præcluderet Ecclesiam; non quòd non peccarent, sed crimina sua diligentiùs occultarent. Piget hic eorum recensere sectas & nomina, sicut & reliquos errores; hoc tantùm dico, Montanum atq; Maximillam afflatos malo genio sibi tandem laqueo fregisse gulam, Theodotum hujus sectæ magnum procuratorem mente captum se dæmoni in aërem evehendum permisisse, & derepente præcipitem ejectum toto corpore debilitatum miserè periisse. Hæc tamen hæresis plurimùm Ecclesiæ nocuit, quia ad eam plures rigidi homines, sed superbi convolarunt, & dum plusquam alii, de more recentium Hæreticorum, sapere volunt, *ad sobrietatem* (ut Scriptura loquitur) non sapuere; in quo posita vera atque divina sapientia.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4233. 933. 180.

Coss. Brutio Præsente secundùm, & Sexto Quintilio Condiano, M. Aurelius Imperator sibi moriendum intellexit, cùm ita hostes attriti essent, ut si superesset annus, eorum regio in provinciam convertenda videretur. Agebat tum Sirmii, & saluberrimis monitis Commodum filium instituebat; sed canebat surdo, & urbanas tantùm delicias cogitanti. Statuit igitur mori ex inedia, quòd talem filium peperisset, & qui pluris valetudinem suam faceret, quàm Remp. ut ipse ferebat. Mortuus est igitur, ut philosophum decebat, consolans amicos, & lacrymas eorum ad publica mala reservari peroptans. Commendavit filium amicis ac Diis immortalibus, sed si dignus esset; eumque postremùm salutans, ac dimittens, ne suo afflaretur morbo, dormiens, aut certè simulans somnum, obiit annos quinquaginta novem natus, cùm imperasset annos undeviginti, dies XI. ex iisque novem circiter cum Lucio vero. Vir nomine philosophus, sed re multò magis, & cui nihil optandum fuit, præter sterilitatem.

Successit patri Commodus Antoninus, optimè nutritus à patre, & egregiis præceptoribus datus: sed prævaluit indita vis ingenii, & eorum mores qui in aula Principes erudiunt; mali semper, aut malis propiores.

Agrippino Alexandriæ Episcopo, cùm sedisset annis 12. successit Julianus, sub quo floruit Pantænus ille vir eruditissimus, Clementis Alexandrini præceptor; factusque ex Stoico philosopho Christianus, Cathechesibus præfuit, ut operam suam fructuosiùs collocaret. Neque hoc labore contentus, etiam cogitavit Indiam, ut in ea Evangelium quoque disseminaret. Hic autem reperit Evangelium Matthæi à S. Bartholomæo istuc delatum: utrùm autem in veram Indiam profectus sit, an in Æthiopiam, dictam quoque Indiam, statuat cui plus otii, aut temeritatis erit.



## CAP. IX.

## *Decas Nona,*

### *Ab anno Christi* 180. *ad* 190.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4234. 934. 181.

Rediit hoc anno Romam Commodus, sed ut eam suis libidinibus inquinaret, quas hìc commemorari pudor vetant atque prudentia. Neque enim privatim impudicus fuit, sed & publicè, & libidini trophæum excitare conatus est; adeò ut propè Neronem absolveret. Triumphavit autem de hostibus, quos adhuc integros, & ultionem spirantes dimiserat: quo in Triumpho egit quoque triumphum de profligata pudicitia, tantâ impudentiâ, ut nequissimos etiam Romanorum, Imperatoris sui puderet. *Initia Commodi turpissima.*

Commodi concubina fuit Martia, quam impensè diligebat: ea Christianorum studiosa, quanquam Christiana non esset, ut ostendit exitus, effecisse creditur apud Commodum ut persecutio cessaret, decretumque Marci patris ejus servaretur; quod accuratè servatum esse, paulò post in Apollonii Senatoris servo videbitur. *Martia Commodi Concubina.*

Visa tum novæ Scripturæ interpretatio facta per Theodosionem Ponticum, vel Ephesium; quæ vulgò *Tertia* dicitur, aut etiam *Quarta* si velis, ut ante docuimus. Ferunt hunc Theodosionem Tatiani discipulum, Marcioni adhæsisse, & ab eo ad Judæos proselytum transiisse. Utrum autem ejus translatio fuerit syncera, consule S. Hieronymum eâ in re peritum judicem; neque enim hìc diutiùs immorari licet, qui multa paucis perstringenda suscepimus. *Tertia interpretatio Scriptura à Theodosione.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4235. 935. 182.

Serapidis templum, magnæ in Ægypto venerationis, incensum hoc anno in cineres abiit; fuisse tamen ab Alexandrinis reparatum sequentia docent tempora, quibus non casu, sed sponte in id profecti ignes locum illum libidinibus infamem purgavere. *Serapidis templum arsit.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4236. 936. 183.

Bellum grave in Britannia conflatum, Barbaris murum sibi objectum transgressis, Romanoque duce cum suis militibus cæso. Hoc ab Ulpio Marcello confectum est, homine frugi, nihil pecuniis addicto, &, supra quam credi par est, vigilante. Ob eam causam à suis adulatoribus Britannicus appellatus est Commodus, cùm tamen adversùs eum Britanni deligere voluissent Imperatorem: sic miseri deluduntur à suis aulicis Principes, à quibus dum blanda tantùm expectant vera nunquam recipiunt: ac tandem infelices discunt illa placere, hæc prodesse, illa voluptatis esse perbrevis, hæc diuturnæ utilitatis. *Bellum Britannicum.*

MUNDI

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4237. 937. 184.

*Isidis Romæ cultus restitutus.*

Isidis sacra Romæ recepit Commodus, antea Imperatorum edictis in Urbe prohibita, ejus etiam Sacerdotibus aut expulsis urbe, aut etiam necatis. Sed tum restituta sunt ab Imperatore, qui his sic addictus fuit, ut & caput raderet, & Anubin portaret; in quo tamen se nonnunquam voluptatis & jocorum, quàm religionis & pietatis amantiorem præstabat. Itaque non miror Christianum Consularem Apostatam ad ritus defecisse, (hunc Tertullianus acerrimo Carmine pupugit) quos suo placere videbat Imperatori; & homini gratificari voluisse, qui Dei cultum veramque religionem, boni caduci caussâ, neglexisset.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4238. 938. 185.

*Conjuratio in Commodum detegitur.*

Commodus ad regendas provincias mittit vel criminum suorum socios, vel ab iis commendatos. Unde in Senatus odium venit; quam ob rem in hunc ordinem crudeliter sævîit. Hæc impulere Quadratum, & Lucillam ejus sororem, ut inter se de eo interficiendo deliberarent, adhibito etiam in Concilium Tarrutino Paterno, Prætorii præfecto. Commissum est negotium Claudio Pompejano ejus propinquo: Herodianus Quintianum vocat, adolescentem promptum & audacem ex ordine Senatorio; sed ex perturbatione hic egit omnia: cùm enim ad eum ingressus districto ferro incautum cædere potuisset, & opus esset tantùm manu, adhibuit fatuus linguam; atque *pugionem à Senatu mitti* Cæsari dixit; inhibitus itaque detexit conjurationem, sibi atque multis perniciosissimam. Instituta est enim à Perenni homine flagitiosissimo, & Cæsari addictissimo, quæstio; sublati omnes ad quos vel ipsa criminis pervenit suspicio; adeò periculosum est hominibus parùm cautis, neque satis compotibus sui res magni periculi momentique committere.

*Nascitur Origenes.*

Natus est hoc anno Origenes, magnum in Ecclesia lumen, quod tamen in magnas tenebras desiit.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4239. 939. 186.

*Lucius Rex in Britannia Christianus.*

Circa hæc tempora Lucius Rex Britannorum (an intra murum, & Romanis subditus, an extra & Barbaris illis populis imperans, dubitatur) litteras ad Eleutherum Papam misit, petiitque viros à quibus erudiretur ad eam religionem quam tot miraculis firmatam, ac sanctis moribus illustrem mirabatur. Huic concessi Fugatius, & Damianus, seu Donatianus, quorum operâ Rex, ejus uxor ac populus sacris aquis intincti Ecclesiam instituerunt, huic deinceps addictissimam, cujus curâ & sumptibus tantùm beneficium recepisset.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4240. 940. 187.

*Apollonius Senator Christianus cæditur.*

Apollonius, Romanus Senator, vir doctissimus, & magnus philosophus, accusatus à servo, quòd Christianus esset, rogatusque per fraudem à Perenni Præfecto prætorii, qui tum omnia Romæ poterat, ut coram Senatu sibi oblatum crimen dilueret; quod & præstitit, ac nobilem Apologiam pro se atque Christianis, coram Patribus conscriptis recitavit, à quibus tamen ἀθιοτητ@ damnatus, & securi percussus, nobile martyrium consummavit. Ejus tamen delator servus, inquit Eusebius, ut M. Aurelii decreto aliquid concederetur, de non vocandis in jus ob fidem Christianis, mulctatus est crurifragio, qui vivus igne comburendus erat; sed accusati supplicium pœnam accusantis imminuit.

Perennis suaserat Commodo, ut omissâ Reip. curâ vacaret deliciis suis: cui assensus Imperator, inclusus Palatio cum trecentis concubinis, totidemque puberibus exoletis, ex prima nobilitate delectis, vino ac ganeis indulgebat. Interea Perennis in multorum bona vitamque sævîit, eorumque prædam in domum suam convexit, adeò dives effectus ut jam de Imperio cogitaret. Res etiam tunc temporis adversùs Sarmatas fortiter gestas in filios suos derivabat. Verùm cùm is imprudenter amotis Senatoribus, Equites copiis in Britannia præfecisset; proditâ re per legatos, hostis exercitûs appellatus, militibus lacerandus objectus est; quam sortem quoque ejus filius, uxor, soror, nepotesque subiêre. Herodianus paulò rem aliter narrat: scribit enim Perennem à Philosopho quodam Cynico in theatro apud Commodum accusatum esse, quem tamen ille ut furiosum igne cremari jussit; at paulò post milites quosdam ad Commodum nummos detulisse, percussos nomine Perennis, ideoque patrem ac filium Imperatoris jussu jugulatos, illum Romæ, hunc in ingressu Italiæ à Cæsare blandiùs accersitum. Inde duo Præfecti Prætorio creati, ut minùs possent, immò & tres: sed subinde mutati, ac tam sæpe, ut jam Ducem miles Prætorianus non agnosceret.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4241. 941. 188.

Hoc anno fulmen in Capitolium de cœlo ruit, inflammatisque latè vicinis ædibus, Bibliothecas, magno rei litterariæ damnò, illustres absumpsit: quod cùm nihil, vel parum curaret Commodus, paratus est huic hostis, à quo tantùm non sublatus est. Maternus enim gregarius miles, manu promptus, & adhuc ingenio melior, collectâ sodalium suorum manu, Hispanias, Galliasque depopulatus, etiam transcendit Alpes ut Commodum interficeret. Selegit ergo festum Cybeles, seu Matris Deûm quo Romanis erat solemne personatis decurrere, ut meliùs lateret, sicque Imperatorem tunc cum aliis lascivire solitum ipse, aut per aliquem suorum obtruncaret. Sed cùm id consilium pluribus communicatum esset, tandem innotuit Commodo Maternus capite mulctatus levìores tanti criminis pœnas dedit.

Tam ingens in Italia grassata est pestis, ut quotidie bis mille corpora Romæ efferrentur. Secessit Commodus in villam lauris consitam ac proinde odore suo adversus pestilentem morbum

bum ſalutarem. Inter hæc Romæ relictus mortui Perennis ſucceſſor Cleander ſæviebat, huic rapinis, avaritiâ, crudelitate ſuppar. Vendidit enim omnes provincias atque magiſtratus, atque unus & idem annus viginti quinque Conſules vidit. Per eum ſublatus eſt Byrrhus, vir ſororis Commodi, qui auſus eſſet de hiſce rebus admonere Imperatorem. Tandem in eum populi exarſit ſeditio, vel quòd frumenta compreſſiſſet, ut vult Herodianus, vel ut Lampridius, quòd Arrium Antoninum per inſidias ſuſtuliſſet. Objecit furenti plebi Cleander Prætorianos, à quibus de populo multi cæſi ſunt, ſed milites multi viciſſim jactis è ſuperiori loco tegulis & lapidibus interierunt. Qua de re per ſororem Fadillam admonitus Imperator, eum plebi furenti tradidit, vel, ut ait Herodianus, juſſu Cæſaris ei reſciſſum caput, atque in conto oblatum Populo: ejus quoque cadaver, filiorum, amicorum per Urbem raptata in cloacas abjecta ſunt. Sicque ejus ſanguine reſtinctus eſt tumultus: neque tamen ſceleratis illis hominibus ſublatis Reipublicæ reddita pax eſt, magniſque viris. Nam in eos ipſe Commodus ſæviit, & tam multos ſuſtulit, ut nullum Romæ, qui alicujus nominis, & auctoritatis eſſet, relinquere velle videretur.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4242. 942. 189.

Alexandriæ defuncto Juliano ſuffectus eſt undecimus Epiſcopus Demetrius, qui ſedem hanc annis quadraginta tribus tenuit, officii ſui diuturnitate, quàm rebus geſtis illuſtrior.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4243. 943. 190.

Athenæus Naucratites ſcripſit Dypnoſophiſtarum libros eruditiſſimos, quorum nobis tantùm ſuperſunt Παρεκβολαί. Vide ne hunc cum eo confundas, quem Diodorus Siculus ſcribens ſub Auguſto laudat: Naucratites enim noſter meminit clavæ Herculeæ, & pellis Leoninæ ſubſtratæ currui Commodi; quæ fortè etiam, hoc Imperatore vivo, ſcribere auſus non eſſet: quare ante hoc tempus malè à quibuſdam collocatur.

Popularis ejus fuit Julius Pollux, item Naucratites, quem per jocum quidam Phœnicium ex Urbe Arduena putant; Athenis docuit ſub Commodo; obiitque annos natus duodeſexaginta, multis relictis operibus, ex quibus tantùm ad nos pervenit Onomaſticum, magnæ litteraturæ.

Ad hæc quoque tempora vitam produxiſſe videtur Lucianus Samoſatenus, ſectâ Epicureus, vir ingenioſus, ſed nequam. Ad hæc uſque tempora Commodi pervenit, ſi quidem M. Aurelium appellat τὸ θεόν. Voratum eſſe à canibus ſcribit Suidas, qui eum ait fuiſſe ἐν Ἀντιοχείᾳ δημηγόρον, & cùm id ei minùs ſuccederet, ad ſcriptionem eſſe converſum: vocat inſuper eum παμμίαρον, & cognominatum fuiſſe βλάσφημον ἢ δύσφυμον, ἢ ἄθεον, quæ nomina ſunt ei à Chriſtianis conceſſa, quos in ſuis ſcriptis pupugit. Utrum autem fuerit ipſe Chriſtianus, & Apoſtata, non liquet; hoc certum, non vidiſſe eum Paulum Apoſtolum, licet ejus raptum, & calvitiem irrideat; neque rebus ſacris nec ipſi Deo parcere ſolitus.

---

## CAP. X.

## *Decas Decima.*

### *Ab anno Chriſti* 190. *ad* 200.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4244. 944. 191.

Commodus hoc anno varia edidit ſpectacula quibus multas feras ſingulis ictibus confecit, ſed tam certis, ut vix eas enſe, aut pilo certiores faceret. Nam alioqui debilis, vitio inter inguina prominenti, ad cædendas feras magnarum virium fuit, adeò ut conto transfigeret elephantum, Orygis cornu transvibraret hâſtâ, multa ferarum millia ſingulis telis occideret. In his porrò ſpectaculis clavâ & Leonis pelle amictus apparuit, ac ſe Herculem dici voluit, & coli. Ac ſuperſunt ejus ſtatuæ antiquæ referentes Herculem, cujus nomen & laudes ambiebat, tantùm diſſitus ab Hercule, quantùm à Leone mus. *Spectacula ſub Commodo.*

Itaque cùm ei ut Herculi ſacrificare Julianus Senator recuſaſſet, fuſtibus ad mortem cæſus ſpiritum reddidit; cujus corpus cùm Chriſtiani aliquot rapuiſſent, atque ſepeliſſent, in crimen vocati quaſi bonorum ejus direptores, vario mortis genere necati ſunt. Quibus etiam comes adjectus eſt Antoninus carnifex, qui primus eos torſerat; cùm enim vidiſſet unum ex iis, Euſebium nomine, præſciſsâ linguâ diſtinctè loqui, liberè profeſſus Chriſtum perdidit caput, SS. Martyribus, quos inſeruerat cœlo, Martyrii comes adjunctus. *Julianus Senator Martyr, & alii.*

Coſſ. Caſſeo Aproniano & M. Attilio Metilio Braduâ II. Commodi duodecimo, exiguo terræ motu prævio, aut nocturni fulminis jactu, aut igne ex terræ viſceribus agitatis erumpente, magnum incendium contigit Romæ, quo templum Pacis auguſtiſſimum, publicis privatiſque divitiis locuples, Templum Veſtæ, totum ferè Palatium, denique magna Urbis pars deflagrarunt. Tum exuſti ſunt libelli qui ad Principatum ſpectabant, magno Reip. damno; multi ex divitibus inopes repentè facti: neque ſedari potuit arte ullâ humanâ flamma, ſed cadentibus è cœlo imbribus duntaxat, ut oſtenderetur divina vindicta, ac veniſſe de cœlo malum, veniſſe de cœlo remedium. *Incendium ingens Romæ.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4245. 945. 192.

Eleutherus Papa 7. Kal. Junii, cùm ſediſſet annis 15. diebus 23. obiit; an cæſus, an naturali morte, dubium quanquam in ſacris Diptycis Martyr nuncupetur. Sed cum *Martyris* nomen, ſicut & Confeſſoris, ſit iis tributum qui aliquid pro Fide paſſi eſſent, nec inter tormenta ſpiritum emiſiſſent, ex hoc nomine tantùm conficimus, ſaltem haud ſine labore & ærumnis in ſanctorum *Eleutherus Papa moritur.*

*Victor ei succedit.* situm Eleutherum relatum esse. Sedes autem Petri diebus tantùm quinque vacua fuit; nam ei suffectus est Victor, Afer natione, filius Felicis, cujus nominis omen in hoc minùs quàm in illo impletum fuit.

*Interficitur Commodus.* Cùm in ultimam dementiam Commodus urbem Romam incendere statueret, eam de suo nomine Commodianam dicere vellet, plerosque Senatorum destinaret ad cædem, Martia concubina ejus, Lætus Præfectus prætorio & Electus cubiculi custos, morti quoque addicti, in tabulis quas puer cum Commodo ludere solitus, tenebat in manibus, eum prævenire decreverunt, datum igitur ei venenum; quod cùm non procedere timeretur, à Narcisso Atletâ, cum quo solitus erat exerceri, compressis diu faucibus, strangulandum curaverunt pridie Kal. Janu. cùm imperasset annis 12. mensibus novem, diebus 14. vixisset annis triginta & unum, menses quatuor. Mors ejus expressit acclamationes à Senatu, quibus atrociores excogitari vix possunt, Patribus certatim huic uncum, spoliarium, extrema quæque exoptantibus. Hunc tamen in odium Senatus retulit Severus inter Deos, addito ei Flamine, quem vivus paraverat, Herculanio Commodiano. Sic obiit publicus Romanorum hostis, veriùs gladiator, sagittarius, carnifex, quàm Imperator, dignusque qui gladiatoris, non Marci Patris optimi filius haberetur.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4246. 946. 193.

*Pertinax eligitur Imperator.* Ineunte pæne anno, & prid. Kal. Jan. à Læto Electo, & Martiâ oblatum est Imperium Helvio Pertinaci Liguri, quasi Commodus morbo extinctus esset. Is in Pompejanum generum Marci rejicere voluit, sed jam datum alteri sapienter recusavit; quare in castra deductus, exinde in Senatum, à militibus & Patribus cum multis acclamationibus receptus est. Dictus est autem *Pertinax* à patre suo Helvio Successo ex continuatione lignariæ negotiationis, cui tenaciùs adhæsit. Eodem die quo dictus est Augustus, Flavia Titiana uxor ejus Augusta quoque dicta est. Sed vix eum honorem ambo deguftaverunt. Prætoriani enim milites Urbis deliciis innutriti, ac reformidantes laborem: statim ad alium molliorem Imperatorem respectarunt, Aulicis etiam eos adhortantibus, sub flagitioso Principe vivere solitis. Itaque à Tausio quodam Tungrensi cæsus est, nequicquam repugnante Electo, qui interfectis duobus percussoribus, & corpore suo Cæsarem tegens, fortiter occubuit v. kal. April. Q. Socio Falcone & C. Jul. Claro Coss. Vir tempore meliori dignus, & sub quo Roma sanari potuerat, si medicum ferre potuisset. Vixit annis 60. mensibus 7. diebus 26. & mensibus tantùm duobus, cum diebus 5. moderatè ac sapienter imperavit; post obitum relatus inter Deos, & filium suum Flaminem, cum Circensibus consequutus.

*Didius Julianus ei succedit.* Huic successit Didius Julianus, licitatus Imperium vicenis quinis millibus, seu ducentis quinquaginta aureis in singula militum prætorianorum capita pronunciatis. Armatorum metu duntaxat confirmavit ejus electionem Senatus, & Manliam Scantillam uxorem ejus, ac filiam Didiam Claram dixit Augustas. Verùm illicò Julianus se malæ mercis, ut ajunt, malum mercatorem agnovit, & ad dicendum quàm ad agendum aptiorem. Auditâ enim Pertinacis morte, Septimius Severus in Illyrico, Pescennius Niger in Syria, Clodius Albinus in Gallia Imperium occuparunt. Severus itaque, Lepti, vel Tripoli in Africa natus, Carnunti idibus Aprilis acclamatus Imperator, statim ad opprimendum Julianum perrexit, conciliato sibi Albino, quem Cæsarem dixit, ne propinquior Juliano suppetias ferret. Hic autem Severum Romæ per Senatum hostem patriæ declarandum curavit; quod & jubenti, & obsequentibus malè cessit. Statim enim Severus Senatusconsultis opposuit arma; & ubique victor, evocatis Romá prætorianis percussoribus Pertinacis, iisque callidè exarmatis, à militibus & Senatu creatus est Imperator, dictusque Pertinax in ejus gratiam quem imitari cupiebat. Julianus ab omnibus desertus, & potitus Imperio duos menses ac dies quinque, interfectus uxori ad sepulchrum redditus est. Cùm vix triginta diebus hæsisset Severus in Urbe, eamque sic ordinasset ut ab ejus administratione omnia fausta sperarentur, in Orientem perrexit contra Nigrum, virum militarem, ac Romanis charum, ideoque ab iis adversus Julianum ex Oriente accitum. Sed perfecit industriâ suâ Severus, ut neque sibi Romæ Pescennius amore & gratiâ, neque in Oriente Legionibus incommodaret.

Celebrabatur hoc tempore Alexandriæ Clemens, Panteni in Scholâ ac Catechesibus successor, dictus inde Alexandrinus, cùm tamen Atheniensis esset, itemque Στρωματεὺς ab operè doctissimo. Discipulum habuit & successorem Origenem, virum tali scholâ, tali institutione dignissimum. Porrò hujus Clementis multa scripta interciderunt, & quæ præ manibus habemus Gelasii censurâ notata sunt, cùm propter aliquos nævos ipsius authoris, tum quia ab Arianis corrupta esse quidam cum Rufino suspicantur, nec abest à ratione suspicio.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4247. 947. 194.

Pescennius Niger, ita dictus à cervice valdè nigrâ, cùm reliquo corpore candidus esset, patrem habuit Annium Fuscum. Militaris disciplinæ adeò retinens fuit, ut ejus severitas propè vergeret in crudelitatem. Talem ac tantum virum Severus invasit; & Niger adhuc integer obtulit Severo partem Imperii, Severus autem jam attrito cladibus Nigro tutum exilium; quas conditiones ambo ex gloriâ respuerunt. Itaque ad arma deventum est. Æmilianus, qui Nigri nomine Græciam, Macedoniam ac Thraciam tenebat, à Ducibus Severi victus & oppressus est. Niger ad Issum grandi clade victus, & Antiochiæ maturâ fugâ dilapsus, aut ibidem in suburbio latens, aut dum ad Euphratem properat, interemptus est. Spartianus tamen id ad Cyzicum contigisse scribit. Is exitus Pescennii Nigri fuit, cui nihil obfuit ad Imperium quàm quòd Severo

Severo compositus fuit; immò eum superaturus, si Româ prior potitus esset, neque molliores Syriacas Legiones, & Antiochenos ignaros belli duratis Illyrico frigore copiis opposuisset.

Victor Pontifex Theodotum Byzantium, ab arte quam profitebatur Coriarium dictum, hominem doctissimum, sed hæreticum, & negantem Christum esse Deum sed purum hominem, quem in M. Aurelii persecutione negasset, ab Ecclesia submovit. Unde autem mutuatus sit hæresin suam, non est facile dicere; hoc tantùm asseri potest, in eo malitiæ fuisse satis atque ingenii ut de se novam produceret sectam, quæ deinceps Theodotianorum dicta, & confutata fuit.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4248. 948. 195.

Hoc anno inchoata est Byzantii obsidio, quæ civitas imprimis Nigro faverat, & extrema omnia expectabat ab Imperatore ultionis appetentissimo; quare hæc diutiùs restitit, quàm Romana Respublica ordinanda pateretur.

Exortus est eodem tempore alter hæreticus superiori cognominis Theodotus, professione argentarius, sive Trapezita, qui Christo pariter divinitatem ademit, atque insuper Melchisedecho inferiorem fecit, cùm Christus ab hominibus, Melchisedechus ab Angelis faceret, horum caput ut mortalium Christus. Neque hic error de Melchisedecho magnis fautoribus caruit, cùm Origenes & Didymus (quod observat Hieronymus) Melchisedechum Angelis adscripserint. Quidam etiam apud Augustinum eum hominem esse negant, sed supra hominem evehunt. Omitto enim deliri nescio cujus Arverni insaniam de Melchisedecho, nostrâ ætate etiam typis excusam; quæ quia proscripta est, melius obruetur silentio, quàm commemoratione refricabitur. Omnes porrò opiniones istas proscripsit Ecclesia, sicut & ineptos Arabas quosdam Nabathæos qui Mosem celebrant uti Deum, propter edita ab eo signa; insanos, qui causam præcipuâ ab instrumento nequaquam distinguerent.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4249. 949. 196.

Interim dum à Severi ducibus urgetur obsidio Byzantina, Severus ipse adversus Barbaros Nigri fautores bellum movet. Erant illi Arabes, Adiabeni, Parthi, quos omnes devicit, atque se Romanum Imperatorem agnoscere coëgit: tantumque his populis Romani nominis terrorem injecit, ut sub tanto Principe non inferre bellum, sed propulsare sibi satis esse judicarent.

Pertinet ad hoc tempus Praxeas hæreticus, qui Christum Jesum dixit esse Patrem, & passum atque mortuum ad suam dexteram sedere. Primùm his Montani fautoribus κατὰ Proclum adhæserat, mox redierat ad Ecclesiam, ac suorum Mysteria revelabat. Sed iterum lapsus, iterum pœnitens, inter hæreticum atque Catholicum medius fuit; at hæretico propior. Ejus autem impii sectatores dicti ***Praxeani, Monarchici,*** & ***Patropassiani***, quorum errores aliorum erroribus conjuncti, permixtique, magnas in Ecclesia tragœdias & tumultus excitarunt.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4250. 950. 197.

Byzantini post triennalem obsidionem se dedunt Severi ducibus, dum in Mesopotamia versaretur, & reliquias belli Barbarici profligaret. Atrociter in miseram urbem sævitum; ejus disjecti muri structuræ mirabilis, atque ægrè labefactati; libertas ablata civibus, ipsi Heraclææ seu Perintho contributi, ut inde jus peterent; locus non jam urbs nobilis, sed pæne desertus vicus. Eò videlicet deprimendum erat Byzantium, ut postea in Constantinopolin & Novam Romam assurgeret. *Byzantium evertitur.*

Severus redit in Italiam cum nominibus Arabici, Adiabeni, Parthici; quod ultimum rejecit ne Parthos lacessere videretur. Recusavit & oblatum triumphum, ne civibus suis insultare crederetur; iis enim adhuc indigebat, ut Albinum opprimeret. Porrò Albinus iste Adrumetinus ex Africa fuit; ita dictus, quòd procedens ex utero matris non ruber, ut alii pueri solent, sed candidissimus apparuisset; unde huic inditum ab ipso parente nomen. Hunc Severus primùm insidiis aggressus, cùm illæ parum procederent, eum aperto bello appetiit; ac profectus in Gallias, ne quid sibi humanitùs contingeret, Viminatii Bassianum filium Cæsarem creavit, vocavitque Antoninum, cùm ut fratrem Getam spe Imperii dejiceret, tum quia in fatis erat sibi succedere Antoninum. Adeò valuit vaticinium in hominem superstitiosum, ut Severi deinceps nomen ex ejus familia obliteraret. *Severus aggreditur Albinum, & Bassianum filium creat Cæsarem.*

Hoc anno iterum renovatâ de Paschate celebrando controversiâ an more Judæorum lunâ decimâ quartâ, in quemcunque diem illa incideret, ut Asiatici factitabant, an semper die Dominico. Celebrata sunt variis in locis ex auctoritate Victoris Papæ varia Concilia, ut Romæ ab ipso Victore, Cæsareæ Palæstinæ à Theophilo, in Galliis ab Irenæo, aliisque in locis, & à plerisque statutus Dominicus Dies; obsistente vehementer cum suis Asianis, ex S. Joan. Evangelistæ (ut ferebat) sensu, Ephesiorum Episcopo Polycrate. Quos cùm separare vellet ab Ecclesia Victor, nec ad eos de more Eucharistiam mittere, deterritus est ab Irenæo Lugdunensi, & tolerati sunt in Ecclesia Quartodecimani, donec eorum error in Hæresin transiit; neque jam ut pii, & morum à majoribus suis acceptorum tenaces, sed ut pertinaces, & opinionis suæ retinentiores visi sunt à SS. Patribus eliminandi. *Controversia de paschate.*

Florebat circa hoc tempus Narcissus Episcopus Hierosolymorum, sanctimoniâ & miraculis clarus. Is appetitus calumniis à sceleratis quibusdam, quos corripuerat, quamvis à populo nulla eis haberetur fides; tamen ex indignatione, cui etiam obnoxii sunt viri sanctissimi, secessit in Eremum, ac tres deinceps non longè temporis successores habuit. Tandem cùm ejus calumniatores, quas optaverant, ut suam firmarent accusationem, pœnas dependissent, inventus à suis iterum restitutus est Sedi, divino monitu, accito sibi ob ingravescentem, & centum annorum ætatem, Alexandro collegâ, jam alterius Sedis in Cappadocia præsule, tumque ad loca san- *Narcissus Episcopus Hierosol.*

sancta peregrino: sicque vir optimus, sibi atq; suis fecit satis; sancta civitas sanctissimos præsules duos deinceps habuit, quoniam unum perdiderat.

*Judæi rebellantes compressi.* Judaici belli & Samaritani hoc anno meminit Eusebius; Judæi porrò ita malè habiti sunt à Nigro, ut iis aërem facere vectigalem optaverit; Claudius quoque Pescennianorum Dux, eos excursionibus & latrociniis vexavit; quare rebellantes in Romanos, ac domiti Severo triumphi materiam dedêre; quam ob rem idem Imperator sub gravi pœnâ quemquam Judæum fieri, ac circumcidi vetuit, quoniam gens ista proclivis ad rebellionem, non tantùm liberis genitis, sed etiam factis ubique proselytis crescere videbatur.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4251. 951. 198.

*Numerii illustre factum.* Numerius Grammaticus sponte Româ in Galliam profectus, ac se missum à Severo Senatorem mentitus, collectâ militum manu cum Albinis ducibus sæpe conflixit; multisque rebus fortiter gestis, ad Severum septuagies sestertiúm misit; atque ad Severum hoc bello convecto veniens, nihil ab eo petiit, quàm ut ruri degens in otio victum quotidianum obtineret; multis laboribus exantlatis, ut ipse nihil possideret.

*Albinus ad Lugdunum vincitur.* Severus in Galliam venit, ac primùm feliciter cum Albino ad Tinurtium pugnavit, tamen non sine periculo suo excussus equo, famâque vulgatâ quasi ictu plumbeæ glandis interiisset; adeò ut de novo Imperatore eligendo passim deliberaretur, cùm tamen ille abjecto paludamento tum lateret. Deinde iterum ad Lugdunum majori contentione certatum; quo prælio plurimis utrimque cæsis, Albino graviter vulnerato atque semineci resciffum caput. XI. Kal. Martii; Lugdunum direptum, incensumque; atrociter sævitum in fautores Albini; tam multi cæsi Senatores, ut rediisse simul Syllana, Mariana, Octaviana tempora viderentur. Ita cruenta fuit de Albino victoria, non tantùm foris, sed etiam domi; neque tantùm nomine, sed reverâ Roma Severum est experta Imperatorem; ipse contra se jactum convicium, quo *Sylla Punicus* dictus est, verissimum reddidit.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4252. 952. 199.

Severus Romam reversus, Antoninum suum ex Senatusconsulto creat Imperatorem, Getam Cæsarem duntaxat; quanquam utrumque factum αὐτοκράτορα minùs probabiliter asserat Herodianus. Inde ut populi gratiam sibi atque filiis demereretur, quem tot cædes efferatant, ludos magnificentissimos celebravit, huicque congiarium, militi donativum dedit; neque enim huic pecuniæ deerant Hispaniâ, Galliâ, ac Orbis Romani ferè partibus omnibus, ex occasione bellorum civilium, atque proscriptionum, direptis. Ex illo donativo militari Tertullianus sumpsit argumentum de *Corona militis.* Cùm enim Christianus quidam miles cum corona laureâ ad recipiendum donativum (quod alii milites Christiani non ducebant religioni) accedere noluisset, à Præfecto exutus cingulo militari, & fustibus malè mulctatus in carcerem detrusus est, reliquis Christi asseclis factum ejus uti temerarium, neque concoctum satis, meritò detestantibus. At Tertullianus eum defendendum suscepit, & ita pro eo scripsit, ut se Montani sectatorem profiteretur; vir majoris ingenii & doctrinæ, quàm religionis atque pietatis.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4253. 953. 200.

Septimus Severus in Orientem proficiscitur adversus Parthos, relicto in Urbe populari suo, quem odiosum aliàs receperat in gratiam, Plautiano: huic autem tantùm tribuit, ut filiam ejus Bassiano seu Antonino filio desponderet. Ac primo impetu Severus submovit Parthos; mox & eorum ditionem ingressus, depulso Rege, Ctesiphontem accessit, eamque cepit atque diripuit, Rege iterum profligato. Sic victor, multis tamen suorum amissis ex morbo, rediit in Syriâ, auctus multis honoribus, quorum aliquos admisit, alios contempsit, alios in filium refudit, ipse publicæ factus arbiter honestatis.

Christiani in Africa sub Saturnino malè accepti sunt; quæ non tam persecutio, quàm persecutionis velitatio fuit: factusque est præses ille quasi Severi, postea graviùs in eosdem sævituri, rorarius.



LIBER

# LIBER III.

## Ab anno Christi 200. ad 300.

### CAPUT I.

### Decas Prima.

*Ab anno Christi* 200. *ad* 300.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4254. 954. 201.



Victor Romanus Pontifex, cùm sedisset annos 9. & menses duos, martyrio coronatus 5. Kal. Aug. post quam sedes ejus vacasset diebus XI. locum Zephyrino Romano reliquit, unaque magnam patientiæ virtutisque materiam.

Scapula Proconsul Africæ, Saturnini successor, acceptâ à Plautiano sæviendi potestate in majestatis reos, iis quoque Christianos implicuit. Quare ad eum Apologeticum librum scripsit Tertullianus, docuitque quàm esset hæc falsa piorum hominum accusatio, qui fidelissimi semper Principibus extitissent; eumque deterrere conatus est ostentis, quæ tum magna contigerunt; sed parùm vulgò in illiusmodi homines possunt.

Severus in Ægyptum venit, percurritque hujus regionis loca antiquis monumentis famosa. Alexandriam ingressus, jus curiæ seu Bouleutarium huic urbi dedit, cùm antea quotannis à Cæsare eò mitteretur præfectus Juris dicundi, qui *Juridicus Alexandriæ* dicebatur. Tum etiam ibidem mutatus esse creditur Philippus præfectus Augustalis, qui jam à tempore Commodi regebat Ægyptum; hunc Christianum successor ejus Terentius Lætus idibus Septembris per suos satellites clam domi cædi jussit, ne tumultus oriretur in populo, à quo diligebatur. Filia ejus Eugenia desponsata Acilio Consulari, cum duobus suis Eunuchis Percoto & Hiacyntho, fugit ad Monachos; inter quos, id procurante S. Heleno Episcopo Heliopoleos, sub virili veste delituit, nec antè cognita est, quàm cùm accusata stupri quænam esset revelare compulsa. Sed de hâc iterum dicetur, cùm martyrium subibit; patris enim ut vitæ, sic mortis æmula fuit.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4255. 955. 202.

Imperator reversus Romam magnificè de Parthis triumphavit, ac congiarium populo, prætorianis viritim denos aureos dedit; quam in rem bis millies Sestertiûm impendit, ut sanguine parta & proscriptionibus in sanguinarios homines effunderentur.

Secutæ sunt nuptiæ Antonini cum Plautillâ, cujus Pater Plautianus dotis nomine tantum filiæ dedit, quantum Reginis quinquaginta satis esset: hæc quoque sanguine dotata fuit, ejus parente, absente Severo, de amicis Albini severissimam quæstionem exercente, & proscriptorum bonis per totum orbem Romanum affatim ditato. *Antoninus Plautillam ducit.*

### QUINTA PERSECUTIO *sub Severo Imperatore.*

### SEXTA *Sulpitio Severo.*

Hæc primùm in Ægypto viguit, quando transire ad Judæos & Christianos Severus sub acerbissimis pœnis vetuit; cui diligenter Terentius Lætus præfectus Augustalis paruit. Porrò ea tam atrox & cruenta fuit, ut vulgò hi existimarent imminere adventum Christi Domini ultimum, & Antichristum non procul abesse. Tum passus sub hoc Terentio Leonides, Origenis Pater, quem cùm captum videret filius tanto amore Martyrii flagravit, ut non nisi ægrè ac variis artibus matris impeditus sit, quominus patri conjungeretur: utinam hæc initia respondissent fini. *Leonides pater Origenis Martyr.*

Tum quoque S. Irenæus Lugduni martyrio coronatus est, & quam professus erat scriptionibus fidem sanguine firmavit, stipatus Lugdunensibus suis Christianis, quibus mors cum Episcopo suo pro Christi nomine magis quàm vita placuit. *& S. Irenæus.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4256. 956. 203.

Origenes paternis exutus bonis, cum sex aliis fratribus natu minoribus ac matre inope, annos septemdecim natus, fœminæ primùm locupletis operâ sustentatus; deinde ludum aperuit in quo Grammaticam pueros docuit. Tum hujus operæ laborisque pertæsus vendidit litterarum humaniorum libros, eâ lege ut in dies singulos 4. obolos acciperet. Sed cùm vidisset metu persecutionis magistros omnes Christianos evolasse, factâ sibi à Demetrio Episcopo licentia litterarum sacrarum interpretationem aggressus est, annos natus duodeviginti, quando & multos ad fundendum pro Christo sanguinem incitavit, ipse subinde latebras captans, & frustrà quæsitus ad necem, ut præcepto Dominico pareret, seque ad alia tempora laboresque reservaret. *Origenes docet Alexandriæ.*

MUN-

MUNDI 4157. Urb. Cond. 957. CHRISTI 204.

*Ludi sæculares.* Ludi sæculares tum magnâ pompâ Romæ celebrati, invitatis omnibus, ut ea viderent quæ nunquam vidissent, nunquam visuri erant; eâque denunciatione pluribus ad Urbem convolantibus. Ob hanc causam Tertullianus librum *de spectaculis* scripsit, item *de Idololatria*, quæ SS. Patres arctissimo inter se vinculo colligata judicabant.

*Plautianus Imperium affectans caditur.* Plautianus Præfectus Prætorio, adeoque dives ex proscriptionibus, ut jam Antonino metuendus esset, insuper ab hoc lacessitus probris, & minis, Imperatoris totam domum perdere destinat, & Imperium occupare. Dat hoc negotium, etiam scripto, imprudenter Tribuno militum Saturnino; sed is libellum ad Severum defert, cui vix adhibita fides: sed curante Antonino evocatus quasi re confectâ Plautianus, ac deprehensus cum loricâ, interfectus est statim, cadaver populo ad ludibrium repositum, filius Plautius & filia Plautilla primùm in Liparam insulam relegati, postea eandem cum patre sortem subierunt. Multi etiam qui ejus adhæserant fortunæ, calamitatis tantæ comites accesserunt, ab amico misero, inviti licet, nequaquam divulsi atque separati.

MUNDI 4258. Urb. Cond. 958. CHRISTI 205.

Origenes persecutionis metu apud Julianam virginem, à quâ alebatur, per biennium latuit. *Symmachi Scripturæ interpretatio.* Hic invenisse dicitur Symmachi interpretationem sacrorum Codicum, quam tamen secundam S. Hieronymus vocat. Unde suspicantur quidam legendum non esse inventam *sub Severo*; sed *sub Vero*; ut Theodosianæ sub Commodo anteponatur. Is porrò Symmachus Samarites fuit, & inter suos eximius; sed cùm apud eos non reperiret fidem, Principatûs cupidus ad Judæos transiit, factusque proselytus iterum præputium secuit, ut scribit Epiphanius. - Hieronymus non de verbo ad verbum Scripturam Græcè reddidisse censet, sed ita ut sententia sententiæ responderet; & ex Eusebio existimat eum de Christiano factum esse Ebionitam; quæ omnia vera possunt esse, ac de homine credi quem ambitio in transversum rapiebat.

MUNDI 4259. Urb. Cond. 959. CHRISTI 206.

*Bullas insignis prædo.* Bullas quidam vel Bulla, cognomento Phælix vel Felix, homo Italus, cum manu sexcentorum latronum, invitis duobus Imperatoribus eorumque militibus, magnas prædas egit in Italiâ. Severumque miris artibus ludificavit. Visus, inquit Dio, & repertus, non inveniebatur; deprehensus non capiebatur; immo sæpè volentes se intercipere dedit in vincula. Duos etiam è suis captos, & jam damnatos ad bestias, præfecto carceris illudens liberavit. Tandem post biennium dormiens interceptus, oblatusque Papiniano Præfecto prætorii, se nihil timere docuit; damnatusque ad bestias, & ab iis voratus ostendit se sexcentorum illorum grassatorum animam esse, quâ sublatâ eos esse in Italiâ nemo putavit ac sensit.

Origenes ad litteram malè interpretatus Christi verba, contra consuetudinem suam, castravit sese, vel ut esset continentior, vel quòd sæpe cum fœminis versaretur, ne ansam calumniandi daret. Id qui noverat primùm occultavit sapienter Demetrius Episcopus, mox ex odio Origenis divulgavit, neque prudenter neque Christianè.

MUNDI 4260. Urb. Cond. 960. CHRISTI 207.

Tertullianus hoc anno adversus Marcionem scribebat; item adversus Valentinianos & Judæos, vir acer & vehemens, & ad retundendos Heterodoxos quàm ad eos revocandos aptior.

Eodem tempore edidit præstantissimum opus, quod inscribitur *Octavius* Minutius, Romæ causidicus insignis, in quo Cæcilium quendam inducit, quem Baronius suspicatur esse Cæcilium Rhetorem, S. Cypriani Episcopi Carthaginiensis magistrum. Hoc opus, diu Arnobio adscriptum, cujus conficiebat librum octavum, tandem redditum est autori suo, indigno prorsus, propter excellentiam ingenii, cujus opus & liber tandiu lateret.

Novis motibus in Britanniâ per Mæatas & Calydonios concitatis, eò pergit cum ingentibus copiis & maximo apparatu Severus, ut eam insulam totam Romano assereret Imperio, domitis planè, vel exterminatis Barbaris. Sed tandem comperit, naturam facilè domari non posse, & gentes aliquas locorum situ fretas, esse potiùs spernendas à magnis Principibus, quàm invadendas.

MUNDI 4261. Urb. Cond. 961. CHRISTI 208.

Quidam hoc anno Getam à parente dictum Augustinum volunt, & donatum Tribunitiâ potestate, idque ex nummis & inscriptionibus conficiunt; an benè, periti dijudicent. Suspicari tamen licet id esse factum, ut Antonini ferox ingenium retunderetur, quod tam perditos ejus mores non dimitigavit, sed in parentis perniciem convertit.

Hoc igitur anno librum suum de Pallio scribebat Tertullianus, nempe cùm *erad. cato omni hostilitatis aconito, triplex esset Imperii virtus*, videlicet in Severo, Antonino, & Geta. Induit autem Pallium, non quod primùm factus esset Christianus, sed quia tum perfectius vitæ genus profiteri se hoc habitu docuit; utinam non ad corpus tantùm hæc voluntas, sed ad animum quoque pervasisset.

MUNDI 4262. Urb. Cond. 962. CHRISTI 209.

Ægrè ferebant milites & Antoninus trahi bellum, & ad Urbis delicias respectabant; itaque Antoninum Imperatorem acclamant, & Severum pedibus ægrum contemnere videntur. Hic se in Tribunal portari jussit, sistique reos qui id ausi

ausi essent, cum suo Imperatore. Cùm in omnes, præter filium, more majorum adverti imperasset, omnibus ad terram prostratis, & implorantibus veniam: *Sentitis*, inquit, *caput imperare, non pedes:* quo facto tamen militum metus in Principem, sed filii in patrem crevit audacia.

Barbari itaque occurrentes, semper trucidati; quæsiti etiam in sylvis atque paludibus magnis sumptibus, majori periculo. Tandem qui sibi pollicitus erat totam insulam Severus, murum adhuc removere compulsus est, atque eo loco statuere, ubi ejus rudera etiamnum hodie retinent nomen *Mur sever*, à mari scilicet ad mare, sed opere tam firmo, ut eo satis Romana magnificentia atque divitiæ significentur. Hic enim Murus continuit Barbaros, quandiu stetit Romana potentia; neque nisi eâ eversâ potuit labefactari.

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4263. | 963. | 210. |

Severus procedere videns bellum, Getam præficit huic parti Britanniæ quæ Romanis parebat, adhibitis illi prudentibus consiliariis; Antoninum retinet secum, eique committit bellicas expeditiones: at is de morte patris, quàm de victoriâ sollicitior, eum semel perdere est aggressus; & ab eo paratam sibi mortem tantùm industriâ declinavit pater. Quamobrem is ex mœrore sensim contabuit, quòd parricidam hæredem suum ac populi Romani rectorem, etiam si maximè nollet, relinquere cogeretur; erat enim acceptus militi, eumque quibus poterat modis demerebatur; ut vitam atque Principatum quæ patri non potuerat, fratri suo faciliùs eriperet.

## CAP. II.

## *Decas Secunda.*

### *Ab anno Christi 210. ad 220.*

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4264. | 964. | 211. |

Severus mori se sentiens, filios suos alternis fortunam Auream servare jubet, asserens se iis Imperium relinquere firmum, si boni essent; infirmum, si mali. Tum eos ad concordiam hortatus obiit Eboraci prid. Non. Febr. cùm imperasset annos 17. menses 8. dies 3. vixisset annis 65 mensibus novem. & diebus quindecim. Vir bello magnus, pace non item, in quâ sanguinarius fuit, dignusque nomine *Syllæ Punici.* Septizonium erexerat tumulum sibi, in quo ejus cineres reponerentur, ad gloriam magis quam ad usum: nam ejus urna in tumulo Antoninorum condita est. Tantum autem pecuniæ, tantum cibariorum, armorum, & copiarum reliquit, ut hæredes suos hostibus metuendos faceret; non tantùm vivus, sed & mortuus meritò reformidandus.

Antoninus mortuo parente statim medicos occidit, qui ei parere noluerant, & Severi accelerare mortem, hoc facto se parricidam professus. Inde Romam redeunt ambo fratres, sibi invicem facientes & accipientes metum, atque ita viventes ut eorum non posset esse concordia diuturna. Celebrata est denique Romæ magnificè Severi Apotheosis, ac relatus inter Deos, quem crudelitas & rapinæ grassatoribus, ac propè feris, accensebant. *Antoninus & Geta redeunt Romam.* *Apotheosis Severi.*

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4265. | 965. | 212. |

Antoninus, Severi & Juliæ Marciæ filius, cognomento Caracalla, à vestis genere quam Romano populo dedit, dictus est etiam Tarantus. Frater ejus Geta nomen ab avo deduxit: hi inter se adeo discordes, ut quod placeret uni, displiceret alteri: hinc mutuum odium, & quale inter fratres nullum fuit. Primùm ergo statuerunt Imperium ita dividere, ut Oriens Getæ, Occidens Antonino cederet; sed improbavit consilium Julia mater, cui boni omnes assensi sunt. Degebant quidem ambo in eodem Palatio, sed privatis omnibus foribus obstructis, ac custodibus ac servis ita separatis ut omnia inimica timerentur. Veneno sese tollere voluerunt; hæc irrita fecit mutuus metus. Tandem Antoninus cum dispositis militibus ad fratrem ingressus, agentem cum Juliâ, multis vulneribus interfecit in gremio matris, adeo ut ejus sinus filii sanguine perfunderetur. Hinc quasi magno perfunctus periculo, ac vim vi repulisset, fugit ad castra; ubi cùm non admitteretur, multa in fratrem deblaterans, & (quod militem demulsit) ingentem vim pecuniæ viritim promittens, receptus est, & solus acclamatus Imperator, Geta hostis patriæ fratrisque dictus. Cæsus est Geta 5. Kal. Martias, annos natus 22. cum mensibus novem. Imperio dignior quàm frater, si spectentur mores; affabilis omnibus, nulli gravis, gratus Senatui populoque Romano, quæ tamen gratia multis sanguine bonisque stetit. *Antoninus fratrem Getam interficit.*

Statim enim in ejus servos omnes amicosque sævitum tantâ atrocitate, quasi hi in Principem conjurassent. Cæsus tum Papinianus, juris consultissimus, quòd id facinus excusare noluisset, causatus *faciliùs patrari, quàm velari parricidium*; ac *parricidium defendere gravius esse parricidio.* In hunc securi, non gladio, animadversum esse Antoninus doluit, nec esse morti additam ignominiam. Tum etiam his cladibus implicitæ quatuor Vestales Virgines; ex his una Clodia Læta, quasi ab eo stuprum passa, innocens viva defossa est. Quo tamen supplicio ipse dignior erat, ductâ in uxorem propter eximiam pulchritudinem Juliâ novercâ, quasi supra omnes leges esset, qui jam omnia jura divina humanaque violasset. *Sævit in servos & amicos Getæ.*

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4266. | 966. | 213. |

Antoninus in urbem tam fœdè, tam crudeliter debacchatus, eam relinquere cogitat, atque ad *Ad bellum proficiscitur Antoninus.*

ad bellum proficisci, ut se sanguine, quem sitiebat, innocentiùs satiaret. Itaque ad Istrum & Septentrionales Imperii tractus proficiscitur, Alexandrum Magnum sibi imitandum proponens, quem in ore semper habebat, & oculis. Quam ob causam Peripateticos capitaliter oderat, quòd ab Aristotele eum necatum esse putaret. Et verò tum se vendibilem Ducem præbuit, pedibus incedens semper cum legionariis, arma ipse sua deferens, eodemque cum militibus pane, iisdemque cibis quos pararat ipse victitans: & si reliqua fuissent in ipso paria (quod de eo contumeliosè jactabatur) jam *parvus Alexander* dici posse videbatur.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4267. 967. 214.

*Colit Achillem & Tyaneum.* Antoninus Ilium venit ad Achillis sepulchrum, ut magno huic heroi justa persolveret, quem acceperat Alexandro suo charissimum extitisse: & ne tantùm militares viros coluisse putaretur, magnos etiam honores reddidit Apollonio Tyaneo, cui monumentum extruxit, ut tamen ostenderet quàm sibi artes magicæ & incantationes placerent.

*Cataphryges anathemate perculsi.* Contigit hoc anno disputatio Caji viri sanctissimi atque doctissimi adversùs Proclum, inter Cataphrygas illustrissimum Montani discipulum; quo convicto confutatoque contra Pseudo-paracletos, ac novæ Prophetiæ sectatores, adeoque in Tertullianum ipsum Zephyrinus dixit anathema: quo tamen sanatus non est vir superbiâ tumens; sed efferatus adversùs medicum, petulantiùs insaniit.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4268. 968. 215.

*Perfidè agit Antoninus.* Circa hoc tempus Antoninus ad se evocatum amicè Augarum, seu Abgarum, Osrhoënorum Regem, dedit in vincula, & mox in ditionem ejus irrupit, quam totam juris Romani fecit perfidiosè, nec ex Alexandri Magni moribus. Eodem quoque tempore Armeniorum Regem cum filiis dissidentem dum fingit reconciliare, apud se quoque retinuit: sed ejus sibi regnum asserere non potuit, fortiter obsistentibus Armenis, à quibus victus est facilè: missus contra eos Theocritus, natus ex servo, & ad saltationes & Orchestram, quàm ad castra motusque bellicos aptior.

*Tertullianus Hæreticus.* Anno 160. ex quo primam ad Corinthios dedit Epistolam Paulus, librum de Monogamia afflatus suo Paracleto Montano scripsit Tertullianus adversùs secundas nuptias, ex antiquâ traditione in Ecclesiâ receptas: librum item de Jejunio, ut indicta à Montano jejunia multa defenderet: denique librum de pudicitiâ adversùs Psychicos (sic enim Catholicos *animales* vocat) qui pœnitentes mœchos reciperent, ipse non jam animantibus, sed dæmonibus superbis annumerandus.

*An rebaptizandi hæretici?* Circa idem tempus Agrippinus Carthaginiensium Episcopus Concilium habuit, in quo decretum est Hæreticos esse rebaptizandos, cùm redirent ad Ecclesiam: quæ Sanctio multarum turbarum causa fuit, & tandem fuit Concilio Plenario penitùs abolenda.

Antoninus Antiochiam venit, ibique parum moratus Alexandriam properat, specie visendæ urbis quam sibi Heros charissimus statuisset, reverâ ut jacta in se dicta ab Alexandrinis crudeliter ulcisceretur. Cùm ergo finxisset se ex hujus urbis civibus Phalangem Prætorianam instituere, eosque in planitiem deduxisset, copiis suis concidendos, ac spoliandos objecit, tantâ cæde, ut diu Nilus sanguinolentus decurreret, ingentes fossæ cadaveribus opplerentur. Hâc mercede dicaces esse naturâ suâ, atque ipsos Principes incessere dicteriis Alexandrini didicere.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4269. 969. 216.

Antiochiâ movet Antoninus in Parthos, & ab eorum Rege callidè filiam sibi petit uxorem, ut equitatus Parthicus Legionibus Romanis adjunctus utrique Principi sponderet Imperium Orbis terrarum. Tergiversatus nonnihil Parthus, acquievit tamen, & cum nobilibus suis inermibus accedit ad Romanorum castra, in ejus ditione ad placitum collocata, rebusque omnibus affatim instructa; quid enim Principis sui genero subditi denegarent? Verùm in eos nihil aliud præter nuptias cogitantes immittit exercitum, & obvios quosque cædit aut spoliat: ægrè Artabanus impositus equo Romanorum effugit manus; oppida regionis vastata, & incensa; Antoninus quasi victor redit in Mesopotamiam, unde victoriam suam Senatui significat; non triumpho honestandam, sed Gemoniis scalis in liberâ civitate deturpandam.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4270. 870. 217.

Opilius Macrinus Maurus, ex Cæsareâ urbe Africæ natus, Præfectus prætorio, jussus ab Antonino litteras à Materniano inimico suo datas legere, ex iis sibi periculum imminere didicit: Antoninum ergo prævenire statuit, & ad ejus necem aliunde Principi iratum invitat Martialem. Hic Centurio Cæsarem pergentem Carrhas ad templum Dei Luni, & à suis impellente naturæ necessitate divulsum interfecit, mox ipse tamen à Germanis equitibus interemptus. Nulla pervenit cædis ad Macrinum suspicio, putantibus cunctis Martialem fraternam cædem, & contumelias suas ultum esse. Sic periit anno ætatis suæ undetrigesimo, aut 43. cùm annos sex, menses duos ab obitu patris imperasset, homo ex incantationibus, stupris, sanguine concretus; sed tardiùs periit, quàm Imperii dignitas, & existimatio postulabant.

Cùm igitur imminere nunciaretur cum ingentibus copiis & ad ultionem paratis Artabanus, electus est à militibus Opilius Macrinus Imperator, non quia dignus, sed quia eo melior non erat ad manum. Is statim aut Cæsarem, aut etiam sibi collegam dixit filium Diadumenum seu Diadumenianum novennem, ita dictum vel ab avo Diadumeno, vel quòd pro naturali pileo cum quo pueri nasci solent, diadema tenue in speciem nervi sagittarii, & quod rumpi non posset, ex utero matris attulisset; symbolum profectò Imperii, sed brevis, & quod in puero consisteret.

Julia

Julia Domna Antonini noverca (alii matrem fuisse volunt) Antiochiæ auditâ ejus nece, dum plangit, ac sibi tundit pectus, cancrum quem diu alebat irritavit, ex quo, & insuper voluntariâ inediâ vitam finiit; fœmina turpis, & quæ jam libidinosum de se Antoninum meretriciâ nuditate ad incœstas nuptias invitarat.

Anno ultimo Antonini Caracallæ Hiericonte in doliis inventa est, sine autoris nomine, *Quinta* Scripturæ Græca editio; ne unquam deesset Græcis, tum eruditionis magistris, liber quem ipse Deus emisisset.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4271. 971. 218.

JuliaMæsa, Juliæ Antonini novercæ soror, locuples fœmina corrupit auro milites quosdam, ut nepotem suum dicerent Imperatorem. Erant huic Mæsæ duæ filiæ, Sœmis seu Sohemias, aliter Semiamira dicta Bassiani Heliogabali, & Mammæa Alexiani matres. Hæ cùm duobus Syris nupsissent, Varo & Aurelio, finxit tamen callida mulier, susçeptum ex Antonino Heliogabalum, quem forma Imperio digna commendabat, & ob Sacerdotium Dei in Syria famosissimi: Itaque à quibusdam acclamatus Imperator Heliogabalus. Quòd cùm Macrino renunciatum esset, Julianum misit qui eum opprimeret; sed hic à suis occisus est, ejus copiæ rebellibus junctæ. Pergit ergo ipse Macrinus cum exercitu; sed cùm hic languidiùs, & pro Imperatore deliciis dedito pugnaret, alii pro vita; victus Macrinus fugere compulsus est, suis desertis, atque ad Chalcedonem, aut in vico Bithyniæ 7. Idus Junias, cæsus: cùm Imperium anno uno & mensibus duobus tenuisset. Interfectus quoque Diadumenianus, jam ferox, & spirans sanguinem; ac maturè elidendus, ne Romanum Imperium grandior perderet.

Successit ergo Macrino Alagabalus, vulgo Heliogabalus, antea Varius à Varia avia, aliter dictus Lupus, Avitus, Sardanapalus, & Tiberinus: sed postrema duo nomina convicia potiùs videntur esse; hoc, cùm post mortem abjectus in Tiberim; illud, ob inquinatissimos, & Assyriorum Imperatore ultimo dignissimos mores, quibus Romam reddidit Ninive turpiorem: ultimus denique Antoninorum fuit, atque tam illustre nomen etiam turpiter funestavit.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4272. 972. 219.

Zephyrinus Papa, cùm sedisset annos duodeviginti totidem dies, 7. Kal. Septembris diem clausit extremum. Hunc Ecclesia Martyrem dicit; quamquam dubium sit utrum hoc nomen subierit, non quòd martyrio terminarit vitam, sed quod aliquid pro Christo passus sit; id enim tum Martyres efficiebat, aliter appellatos Confessores.

Alagabalus Deum suum Romam deportari jubet: lapis erat, sub quo à Phœnicibus Sol colebatur. Hunc præ cæteris Diis Romæ coli jussit, ac tot sacrificiis, ut ejus templum laniena videretur: uxorem quoque huic dedit Palladem. Ilio delatum, postea Uraniam Venerem Carthaginiensem, dote huic gentibus omnibus imperatâ. Ipse Corneliam Paulam uxorem duxit, atque ejus nuptias magnificentissimè celebravit; mox eâ repudiatâ Vestalem virginem, ut virgo Sacerdos Imperator Sacerdoti nuberet.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4273. 973. 220.

Pertinent ad hunc annum scelera quæ Lampridius narrat, & propter honestatem publicam prudentiùs tacuisset; pertinent & convivia, & ganeæ quibus fiscum exhauriebat: denique fecit omnia quæ Neronem, Domitianum, & Commodum absolverent; & in hunc impurissimum ganeonem trium nequissimorum hominum flagitia confluxisse viderentur. *Improbitas Heliogabali.*

Tum Julius Africanus, hujus temporis nobilis scriptor, ad Imperatorem suscepit Legationem, pro Nicopoli Palestinæ, quæ antea dicebatur Emmaüs, & incensa fuerat, sumptibus Imperatoris restituendâ; quod & obtinuit. Scripserat historiam ab exordio Mundi usque ad Macrinum; sed illa periit, quamquam Photii tempore integra legeretur: & de tanto viro, nisi ex aliorum judicio, statuere non possumus; quem magnum fuisse virum, legatio nobilis arguit. *Iulius Africanus.*

---

## CAP. III.

## *Decas Tertia.*

### *Ab anno Christi 220. ad 230.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4274. 974. 221.

TUm devenit ad ultimum nequitiæ, atque impuritatis Alagabalus, nupsit enim Hierocli cuidam mancipio, & aurigæ, cujus se Reginam ac Dominam dici voluit. Nec uno marito contentus, superinduxit Zoticum athletam lacertosum; cui in omnibus paruit, ad extremum Imperii Romani dedecus & ignominiam. *Impudicitia Heliogabali.*

Cùm timeret igitur Mæsa, ne milites vitâ turpissimâ Imperatoris sui moverentur; hic saltem removeretur, ipsa ad privatam vitam recideret; persuadet Alagabalo, ut quoniam rebus divinis vacaret impensiùs, eligeret alium qui humanas curaret; ad id muneris aptiorem esse, quàm patruelem suum, neminem. Dicebatur is Alexianus, postea detortum in Alexandrum nomen. Placuit id Imperatori, itaque eum Cæsarem dixit, atque insuper adoptavit ipse pater, annorum circiter septemdecim filium duodennem. Quæ tamen Senatus probavit, ridens in sinu: sed jampridem cum suis Principibus nobilis ipse cætus insanire didicerat. *Alexander creatur Cæsar.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4275. 975. 222.

Alagabalus agnoscens carum esse militibus Alexandrum, eum perdere destinat; ac primò agit veneno, quod Mæsa & Mamæa prudenter declinarunt, Eum ergo omni honore spoliat, & includit Palatio. Milites eum optantes videre, tumultum excitant; quos cùm ad supplicium rapi jussisset incautus, illi ope sociorum imploratâ, eum *Heliogabalus interimitur.*

cum in latrinâ latentem interficiunt, atque unà Sohœmiâ matrem; eorum cadavera per Urbem à populo ignominiosè raptata, primùm in cloaculam; deinde in Tiberim, adjecto pondere ne unquam sepeliri possent, projecta sunt. Hinc ab olito Antonini nomine, per Senatum tantùm Varius, & Tiberinus, & Tractitius, & Impurus nuncupatus est. Ita mori, ita sepeliri debuit monstrum, quo nequius natura non vidit, esca piscibus datum, cujus ad delicias & mensam non fuisset satis totus Orbis terrarum.

*Succedit ei Alexander* Huic successit Aurelius Alexander, à Mammæâ matre sanctissimè institutus, qui statim sibi Præfectum prætorio Ulpianum dixit ejusque, & præterea Pompeji, Celsi, Modestini, Pauli, & aliorum consilio usus est; quorum operâ periisse quidam Christianos credunt, quibus erant inimicissimi Juris illi, quàm Religionis peritiores. Nam Alexander Christum coluisse perhibetur in lararío suo, (sed cum Apollonio, Orpheo, & Abrahamo) cui & templum parasse creditur, atq; Apotheosin. Utebatur insuper in omnibus consilio Mamææ matris, tam honestæ atque studiosæ, ut quidam eam fuisse Christianam dubitarint: certè Origenes ab eâ evocatus Antiochiam, illam à Christianâ Religione docet non abhorruisset.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4276. 976. 223.

*Moritur Mæsa.* Sub initium Imperii Alexandri mortua est ejus avia Julia Mæsa, quæ prudentiâ suâ in familiam invexerat Imperium, ideò inter Divas relata; quam si Alagabalus audire voluisset, sibi meliùs Imperioque Romano consuluisset.

*Præclara initia Alexandri.* Eodem quoque pertinent præstantissima initia Alexandri, subinde iterantis hoc dictum, *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris*, à Christianis acceptum, quod ubique in Palatio atque operibus publicis scribi jussit, ut quantùm in eo situm esset, Palatinorum suorum, omniumque Romanorum animis insculperetur.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4277. 977. 224.

*Callistus Papa martyr.* Callistus Papa, pridie Idus Octobris post longam famem, ac sæpe repetita verbera, ex domo in qua servabatur præcipitatus, martyrium consummavit, cùm Petri loco sedisset annis 5. mense uno diebus 12. Is decreto sanxit, ut quatuor anni tempora in Ecclesiâ triduano jejunio servarentur, ut eâ corporis afflatictione Christianorum mentes ad Deum faciliùs attollerentur. Cùm vacasset sedes diebus sex, electus est Urbanus, *Succedit ei Urbanus* patriâ Romanus, multorum martyrum in Christo Pater.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4278. 978. 225.

*Alexandri bonæ leges.* Alexander labefactatam à superioribus Principibus Rempublicam tam sanctis Legibus instruxit, ut ex malis eorum temporum moribus sanctissimæ leges enatæ videantur. Non tamen probatur ab omnibus quòd Mathematicos Romæ profiteri publicè permiserit: certè si Genethliacos hoc privilegio incluserit, non tantùm Reipublicæ, sed etiam sibi graviter nocuit; hâc arte provocatis rerum novarum molitoribus.

Huc quoque pertinere videtur edictum ejus plenum justitiæ, cùm Christianis de quâdam areâ cum popinariis contendentibus sanctè pronunciavit, Deum quemlibet hic potiùs colendum esse quàm tractanda pocula, mensasque sternendas. Quem locum dum credit Baronius esse Tabernam meritoriam, ex qua Christo nato oleum defluxit, atque hodie S. Mariæ trans Tiberim dedicatum est, laudanda sancti viri conjectura; in quo dubitari potest utrum vel eruditio, vel pietas illustriùs eluxerint.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4279. 979. 226.

Alexander Thermas Romæ ædificavit de suo dictas nomine, juxta Neronianas, aquâ inductâ quæ Alexandrina etiam tempore Constantini dicebatur; in iis ipse lavabatur sæpe. His addidit nemus de privatis ædibus quas emerat, atque diruerat, ne aliorum damno in Populum liberalis & magnificus haberetur.

Tum quoque duxisse putatur uxorem Martianam, Martiani cujusdam uxorem; cujus pater factus Cæsar insidias struens Alexandro cæsus est, filia rejecta, & in Africam relegata; quod ait Herodianus fraude Mamææ factum, filio suo impotenter imperantis. Postea idem Alexander aliam duxit uxorem Memmiam, Sulpitii Consularis filiam, Catuli neptem, quæ mariti sui molliorem potestatem questa, didicit securiorem esse & diuturniorem: sed tam hæ historiæ, quàm earum tempus incertum.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4280. 980. 227.

Cælius Balbinus secundùm, & Maximus Clodius Pupienus hoc anno Consulatus, majoris postea dignitatis collegæ fuerunt, ambo Imperatores creati, ambo comites infelicitatis.

Claruit tum Geminus, seu Geminianus Presbyter Antiochenus, doctissimus Ecclesiæ Scriptor; itemq; S. Hippolytus, author libri de Antichristo seu judicio, & Canonis Paschalis quem adhuc habemus in manibus, cùm cæteræ hujus magni viri lucubrationes perierint. Videtur fuisse discipulus Clementis Alexandrini; sed ejus consilio, Metropolitanus licet Arabiæ, cùm venisset ad Apostolorum limina, & SS. cœmeteria, à Romano Pontifice Callisto retentus, donatus est Episcopatu Portuensi. Hic jussu Ulpiani Præfecti prætorii cum sociis in fossam aquis plenam præcipitatus, agonem suum martyr absolvit; magnum utriusque Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis decus & ornamentum.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4281. 981. 228.

Cùm Philetο Antiocheno Episcopo demortuo successit Zebenus, Origenes negotii cujusdam ad Ecclesiam pertinentis causâ pergens in Græciam, Cæsareæ ab Theopisto urbis Episcopo, & Alexandro Hierosolymorum Antistite Presbyter factus est. Enimvero id ferendum non putavit Demetrius Episcopus Alexandrinus, & Episcopos illos coarguit, quòd hominem, qui se sponte castrasset, sacris altaribus admovissent, contra Novæ ac Veteris Ecclesiæ leges. Excusarunt se Episcopi, id à se factum visis à Demetrio pro

pro Origene commendatitiis litteris. Fautores, verò Origenis, ejus quoque obvelarunt culpam, quòd non ferro hanc partem corporis rescidisset sed pharmacis exsiccasset; quâ de re varii variè senserunt. Ex eo tamen inepto tanti hominis facto videtur ortus error & hæresis Eunuchorum, seu Valesianorum, qui suos omnes aut volentes aut invitos exscindebant, non aliter impleri posse Christi dictum autumantes; ideoque qui id tentarant, atque in se contra divinas humanasq; leges desævierant, non ab altari modò, sed à sacris mysteriis exclusi, minori suo damno explicare sacras litteras didicerunt.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4282. 982. 229.

Gessit hoc anno summum Magistratum cum Alexandro Imperatore secundùm Consule Dio Cassius, qui & Coccejus dictus, seu Coccejanus, cujus pater sub Hadriano præfuerat Ciliciæ. Ipse tempore Commodi jam Senator erat, annos natus 40. Historiam suam ab Urbe conditâ ad Alexandrum Severum libris 80. complexus erat: sed primi 24. periêre, & magna pars 35. extant adhuc 24. à Gestis Luculli ad Claudium Imperatorem; interciderunt cæteri, atque eorum tantùm habemus ἐκλογὰ per Joannem Xiphilinum; sed alia quoque ejus scripta non extant. Iniquior fuit in Ciceronem, Cassium, Brutum, quos acerbissimè carpit, capitalem se eorum hostem professus, magno famæ suæ dispendio, majori veritatis.

Hoc ferè tempore in doliis in urbe Nicopoli inventa est Scripturæ Græca versio, sine authoris nomine; ex qua & aliis Origenes sua Hexapla & Octapla concinnavit, ratus hæc Dei etiam per homines loquentis ἀνάλεκτα esse colligenda.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4283. 983. 230.

Exagitatur à Demetrio Episcopo Alexandrino Origenes, ob errores in ejus libris repertos, potissimum περὶ ἀρχῶν, propter quos excommunicatus est à Demetrio, cujus sententiam Episcopi alii ratam habuerunt. Hinc Origenis Epistolæ, Demetrium, atque Orientis Episcopos lacerantis, conquerentisque libros non suos, sed ab aliis corruptos immeritò damnatos esse, quos ipse correctos & emendatos Episcopis offerre debuerat: sed multorum magister dum non satis se demittit, magis postea depressus est.

Tum Romæ passa est Cæcilia Virgo x. Kal. Decembris, desponsata Valeriano, ejus ad martyrium comiti, adjunctis Tiburtio ejus fratre, ac Maximo Imperatoris cubiculario; qui omnes à S. Urbano Pontifice sacris aquis intincti, puriores ad Deum per tormenta evolarunt.

## CAP. IV.

## *Decas Quarta.*

### *Ab anno Christi 230. ad 240.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4284. 984. 231.

Anno decimo Alexandri Imperatoris Origenes fugit Cæsaream, relictâ Alexandriâ, c scholæ suæ præfecit Heraclam, quam diu non exit, reliquitque Dionysio, statim mortuo Demetrio cui successit, eumque invisit Julius Africanus, studiis cum Origene conjunctissimus.

Interim Origenes, qui antea concinnarat *Tetrapla* sua columnis quatuor, ex versionibus 72. Aquilæ, Symmachi & Theodosianis, hic *Hexapla* formavit, præfixis columnis duabus, quarum una textum Hebraicum, altera eundem textum sed Græcis litteris repræsentaret. Denique repertis duabus aliis versionibus, Quintâ & Sextâ, extendit *Octapla* sua; omnia ut magni laboris, sic in Ecclesiâ olim magnæ venerationis. *Scriptura al. Origene digesta.*

Docebat nihilominus inter tot labores Origenes, & tum ad eum accessere adolescentes, ac per quinquennium eum audiverunt Theodorus, alio nomine Gregorius, postea *Magnus* & *Thaumaturgus*, ejusque frater Athenodorus, sub Aureliano Imp. Martyr, itemque Firmilianus nobilis Cappadox, postmodum Cæsareæ Cappadociæ præsul. Et ut reliquos duos omittamus, hic est Gregorius quem Phædimus Episcopus Amaseæ, futurorum præscius, recusantem Ecclesiæ regimen, latebrasque captantem, quamquam ab eo 60. millibus passuum distaret, absentem precibus ac verbis sine impositione manuum consecravit Episcopum urbis Neocæsareæ: quâ novi generis consecratione, quasi invisibili vinculo colligatus, ad manuum impositionem lubens accessit. Huic quoque S. Gregorio B. Virgo cum S. Joanne Evangelistâ *Regulam fidei* dedit, magni postea in utraque Ecclesia nominis; digna manu & offerentis, & recipientis. *Discipuli Origenis.*

Eodem anno 8. Kal. Junias S. Urbanus Pontifex, anno Sedis suæ sexto cum 7. mensibus, ac diebus quatuor, pro Christo perdidit caput. Multa ille vasa sacra confecit ex auro, argentoque, bonorum Ecclesiæ custos egregius; quæ sapienter appellat *fidelium vota, pretia peccatorum, & pauperum patrimonia.* Verba hæc porrò in jus Canonicum translata, in Ecclesiasticorum omnium domibus insculpi meruerunt. Successit ei post 30. dies Pontianus Romanus, hæres bonorum ejus, atque pietatis. *S. Urbanus Papa Martyr.* *Succedit ei S. Pontianus.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4285. 985. 232.

Ammonius philosophus Christianus Platonicam doctrinam enarrabat, Alexandriæ publicus professor. Audiit eum Plotinus Lycopolitanus, annos natus duodeviginti, & ejus discipulus fuit annis XI. utinam litteris ab illo fidem vir Ethnicus recepisset.

Pertinere videtur ad hunc annum nobile factum Alexandri Imperatoris adversus aulicum Vetronium Thurinum, qui familiaris factus Cæsari, ejusque amicitiam ostentans, comendationes suas grandi vendebat pretio, ab utraque parte nonnunquam emunctâ pecuniâ; quod cùm detexisset Imperator, hominem accusatum, & convictum, in foro publico subjecto igne ex humida materia fumo enecavit, præcone vociferante, *mori fumo qui fumum vendidisset*; exemplo aulicis metuendo, & Principibus imitando. *Thurinum fumo enecat Alexander.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
42?6. 986. 233.

*Artaxerxes Perſarum regnũ inſtaurat.*

Artaxerxes Perſa tribus præliis Parthos ſuperat, eorum Regem Artabanum duplici utentem diademate exuit regno atque vitâ. Hic Perſarum in Oriente reſtaurare nitebatur Imperium, vicinos facere ſibi vectigales, & antiquam poſſeſſionem Cyri ad Ægæum uſque mare recuperare; jamque populabatur Meſopotamiam, Syriæque minabatur. Alexander eum reprimere litteris conatus eſt, quas irriſit barbarus, arma atque equitatum intentans. Itaque potentioribus remediis utendum fuit, Romanæ Legiones ſæpe victrices, Orientalibus equitibus ſæpe proſtratis opponendæ.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4287. 987. 234.

*Alexander vincit Per?as, & de iis triumphat.*

Alexander Artaxerxem invadit, functuſq; officio & boni ducis & militis, nobilem victoriam retulit; ex 700. turritis Elephantis 300. cepit, 200. interfecit; mille quingentos currus falcatos disjecit, quorum ducentos abduxit; centum viginti millia equitum fudit, Cataphractarios ſeu Clibanarios decies mille concidit, multos Perſarum vivos abduxit, quos omnes vendidit, à Rege ſuo poſtea magno pretio redemptos; ac ſpoliis ditatum exercitum, Antiochiam primùm, deinde ad triumphum Romam reduxit. Celebratus eſt magnâ pompâ 7. Kal. Octob. neque enim hic audiendus Herodianus, dum Romanos à Perſis victos, expulſoſque deſcribit; ac potiùs adhibenda fides Lampridio ex Actis Senatus hiſtoriam hanc accuratè depingenti. Atenim ut nunquam Principibus adulatores, ita nunquam obtrectatores defuere.

*S. Pontianus relegatus.*

Pontianus Pontifex cum Philippo ſuo Preſbytero in Sardiniam relegatus Imperatoris juſſu, ſuſpicionem relinquit calumniæ in ipſum comparatæ, cùm certum ſit, etiam ex Scriptoribus Ethnicis, in Chriſtianos Alexandrum non malè affectum eſſe.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4288. 988. 235.

*Alexander à ſuis cæditur.*

Alexander Germanis tumultuantibus bellum decernere cogitur pæne invitus. In Galliam cum matre profectus, laboris ſibi minùs eſſe in retundendis hoſtibus, quàm in ſuis continendis, expertus eſt: quare ut erat diſciplinæ militaris retinentiſſimus, aliquas legiones exautoravit; unde reliquarum in Principem odium. Occiſus dicitur fuiſſe Scurræ barbarici manu, qui ſuos commilitones ad ejus necem invitarat. Alii volunt interfectum curante Maximino, & immiſſis in eum quos regebat tyronibus. Cùm eo quoque cæſa Mamæa mater; ob avaritiam à pleriſque credita mortis ejus cauſa, & quod à filio impenſiùs coleretur. Vixit Alexander annis undetriginta, menſibus tribus, diebus 7 Imperii decimotertio abſoluto, & 14. inchoato ut ex nummis colligitur. Vir, quem nemo odit niſi peſſimus, & cujus effata ad bonum Principem efficiendum ſufficiunt, in Chriſtiannorum profectò Regum Palatiis deſcribenda, vel ad diſciplinam, vel ad contumeliam.

Julius Maximinus, Gotho Patre natus, Alanâ matre, utrimque barbarus, magnitudine prope Gygas, robore Hercules, edacitate Milo, crudelitate Cyclops, Buſiris, Sciro, Phalaris, invaſit Imperium, & renuntiatus ab exercitu Auguſtus; cùm Senator non eſſet, ipſe filium ſuum ſine autoritate Senatus Cæſarem dixit. Bellum in Germanos proſperè geſſit, quos in paludes ac ſylvas fugere compulit, ad cccc. millia paſſuum eorum vicis incenſis. Hâc confectâ expeditione Sirmium rediit hyemem traducturus, ubi datâ præfectis ſuis ſæviendi furandiquè poteſtate, non Imperatorem ſed Tyrannum agere cœpit; delatores evocans, crimina confingens, innocentes occidens, omnibus, ſed maximè bonis ac divitibus metuendus; quæ præcipua eſt ac prima Tyrannidis nota.

SEXTA PERSECUTIO *ſub Maximino, Sulpitio Severo.* SEPTIMA.

Pontianus in Sardiniam relegatus, cùm ſediſſet annis quatuor, menſibus ferè ſex, Maximini juſſu fuſtibus contuſus occiditur 13. Kal. Decemb. Cui poſt dies 13. ſuffectus eſt Anterus, natione Græcus: apage enim hinc Cyriacum, ex Actis ridiculis SS. Urſulæ ac ſociarum ejus poſt Pontianum intruſum, quem refutare ſcriptor quantumvis otioſus non auderet.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4289. 989. 236.

Dum non imperat, ſed furit, & per, ſe ac præfectos ſuos, Maximinus, qui erat in Africâ exercitus ortâ ſeditione M. Antonium ſeu Antoninũ Gordianum Africanum Proconſulem, ætate ſenem, invitum ac repugnantem amicit purpurâ, & Imperatorem dic t cum filio in oppido Tiſdro: inde deductus Carthaginem, magnificè Imperium adminiſtrare cœpit: petito Senatus aſſenſu Vitallianum Præfectum prætorio, ne ſuis cœptis obſiſteret, cædendum curat. Romani, auctore Senatu, à Maximino deficiunt; præfectum Urbis Sabinum enecant cum delatoribus & Cæſaris amicis; huic mortem, huic uncum optantes. Quo audito nuncio Maximinus inſtar belluæ ſævit, eruiſſetq; oculos filio, niſi ſe maturè ſubduxiſſet, quòd amore patris Romam accedere monitus recuſaſſet: unde mali labem exortam eſſe inſanus putabat, quod ſua crudelitate paraverat.

Anterus, vix occupatâ per menſem unum ſede, ſublatus martyrio 3. Nonas Jan. creato poſt dies 13. Fabiano Romano Sedem ſuam ac mortis expectationem reliquit.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4290. 990. 237.

Maximinus auditâ Gordiani proconſulis in Africâ defectione, huic Capellianum Mauros regentem ſucceſſorem dederat. Hic verſus Carthaginem movet, acerrimâque pugnâ initâ, cui tempeſtas funeſtiſſima prælufit, Afros delet, cæſo qui iis præerat Gordiano Juniore Auguſto. Quâ clade acceptâ, ex deſperatione ſibi laqueo pater fauces eliſit. Capellianus in rebelles atrociſſimè ſævit in Africâ, & quid aliis ſeditioſis expectandum eſſet oſtendit. Iis Romæ auditis, ſeligitur Romæ M. Clodius Pupienus Maximus, ignobi-

ignobilis genere, sed virtutibus illustris, & huic muneri par; item Decimus Cælius Balbinus, moribus delicatior, neque tamen huic impar oneri; quibus adjectus est à populo ac militibus Cæsar puer Gordianus, veteris Gordiani nepos, junioris filius aut filiæ patris Gordiani, cui veluti avitum Imperium reservaretur. Adjuncti & xx. viri qui provincias curarent, atque in amicitia Senatus & duorum Augustorum retinerent. Pergit igitur adversus Maximinum Maximus. Balbinus remanet Romæ, non minori tamen periculo defunctus: nam inter Prætorianos milites Romæ relictos tanta seditio exorta est, ut Urbi timeretur; certè pars ejus incensa, tota civium ac militum cruore natavit; atque tota excisa fuisset, nisi per procerum hominem exhibitus populo ac militi Gordianus, partes inhibuisset, aspectu pueri & commiseratione sedatas.

Maximinus superatis Alpibus Italiam ingreditur; sed Maximus sapienter subduxerat omnia cibaria; dum ergò obsidet Aquileiam, illius exercitus cœpit egere. Urbem propugnabant Consules duo, Menophilus & Crispinus, quorum virtute sic animus crevit oppidanis, ut mulieres ad machinas etiam capillos sufficerent. Pugnatum hîc acriter, & ferro & igne. Tandem dum efferatus Maximinus, etiam in suos quasi ignavos sævit, interemptus est cum filio, eorumque capita præfixa contis, in sua castra omnium bonorum abundantiam invexerunt. Sic periit Maximinus cùm tribus annis regnasset, robore, sed crudelitate major, quâ se in exitium cum filio traxit, alio patre digniorem. Certè si ex corporis formâ de animo judicari potest, non potuit hic esse malus, maximè cùm huic Alexander Severus sororem suam Theocliam sponsam exoptasset.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4291. 991. 238.

Hoc anno, quo Censorinus librum suum aureum de die Natali scribebat, contigit Ecclipsis Solis tanta, ut nihil penitus videretur, sicut & alia anno superiori; quibus Augustorum neces superstitibus hominibus videntur esse denunciatæ.

Rediit in Urbem Maximus cum suo exercitu, copiis Maximini vel remissis, vel in præsidia distributis, vel sibi adjunctis. Germanos etiam reduxit, quibus, si opus esset, in periculo uteretur. Exceptus est à Senatu & Balbino magnificè. Sed statim inter collegas nata discordia: quâ animadversâ milites lectos à Senatu Imperatores tollere decreverunt, perstricti maximè acclamatione Populi, quæ iis unguis fuit in ulcere. Agonalibus ergo ludis Capitolinis irrumpunt in Palatium: & poterat arceri vis, si Germani à Maximo evocati adfuissent; sed dum eos retinet Balbinus, sibi à collegâ metuens, & se & illum perdidit. Obtruncati sunt igitur ambo, priùs omni contumeliâ vexati, relictis in via cadaveribus, ut Germanorum impetus retardaretur. Et cùm nihil propiùs esset quàm ut populus & milites iterum committerentur, acclamatus Gordianus Augustus, annos natus 13. vel 16. tumultum compressit, magno omnium ordinum favore ob avum, & patrem aut avunculum, receptus; cùm hoc pacto & Senatui, & militiæ factum esse satis putaretur, Imperatore ab utrisq; electo atque recepto.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4292. 992. 239.

Mortuo Zebino Episcopo Antiocheno successit Babylas, magnum Ecclesiæ Orientalis lumen, & suâ morte pro fide factus illustrior. *Babylas Antioche-nus Episc.*

Floruit sub Gordiano Juniore Herodianus: ac scripsit Græcè libros octo, ab obitu Marci Imp. ad Balbinum & Maximum, odio prosecutus Alexandrum Severum, & ab hac parte malus historicus, alioquin expeditus & elegans. *Herodianus historicus.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4293. 993. 240.

Hoc anno, quo Consulatum iniere Vettius Sabinus & Venustus, Sabinianus in Africa contra Gordianum rebellavit: sed ita compressa conjuratio per Mauritaniæ præsidem, primùm à rebellibus obsessum, ut Dux ipse factionis adduceretur Carthaginem à suis, sibi ejus supplicio veniam deprecantibus. *Sabinianus Tyrannus repressus.*

---

## CAP. V.

## *Decas Quinta.*

### *Ab anno Christi 240. ad 250.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4294. 994. 241.

Ex tumultu civili vix Romanis respirantibus bellum grave enatum est, Persis fœdè Mesopotamiam populantibus. Quare ubi juvenis Imperator videt se egere consilio, hominis sibi addictissimi, duxit uxorem, Misithei (Zozimus vocat Timesiclem, qui Pomponio Leto Timessocles) viri doctissimi & eloquentissimi filiam, Furiam Sabinam Tranquillinam, cujus patrem Præfectum prætorii creavit. Hujus prudentiâ multa in Palatio correxit; neque, uti cœperat, se spadonibus & aulicis permisit, à quibus dignitates vendebantur; sed merita pensare didicit; jam supra ætatem sapiens, & alterâ prudentiæ parte potitus, quæ in audiendo consilio posita est; cùm tamen hæc in juvenibus nonnunquam magis quàm in provectioribus desideretur. *Misitheus Præfectu. prat. socer Gordiani.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4295. 995. 242.

Gordianus Jani Gemini templum aperit, & cum ingentibus copiis, & egregiè instructis, adversùs Persas proficiscitur. Per Mœsiam pergit, & Thraciam, unde submovit quidquid negotium Romanis exhibere posset. Inde per Syriam venit Antiochiam, quæ jam à Sapore tenebatur, quem frequentibus præliis vicit, atque Antiochiam relinquere compulit; Carrhas item & Nisibin recepit, Persis adeò metuendus, ut sponte deficerent civitates, atque ex iis deducerent præsidia, non facilè vi expugnanda. Quæ omnia Misithei operâ peracta sunt, vigilantissimi *Bellum in Persas feliciss͡imè administratur.*

ducis,

ducis, & qui Imperio Romano ita providerat, ut prudentissimi patrisfamilias domus esse videretur. Quare huic gratiæ, Gordiano postulante, actæ sunt à Senatu, magnæ quidem, sed adhuc meritis ejus impares.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4296. 996. 243.

*Beryllus conversus ab Origene.* Beryllus Bostrorum Episcopus, vir doctissimus cùm malè de Christo sensisset, atque Episcopos Arabiæ, quibus præerat, contra se concitasset, Origenis operâ ad sanam mentem revocatus est; majori se demittentis fructu, quàm gloriâ dedocentis.

*Misitheus tollitur à Philippo.* Cùm Romanæ res ita florerent, ut melior sperari non posset administratio, hunc felicitatis cursum perditus Arabs intervertit. Philippus enim insidias Gordiano molitus, & sibi tantùm à Misitheo metuens, eum per medicos improbos sustulit, qui ventris profluvio laboranti, pro scipticis remediis solutiva dedere, quibus tandem miser exanimatus est, magno Gordiani, majori Reip. damno. Hæredem hic instituit Romanam Remp. & quidquid possidebat vectigalibus accedere voluit, ut huic vivus mortuusque prodesset. Statim in ejus locum suffectus est Philippus Præfectus prætorio, ex humili genere natus, ideoque ad majorem fortunam elatus, superbiâ tumens: quod vitium illis terræ filiis semper ingenitum est.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4297. 997. 244.

Philippus statim milites infensos Gordiano reddidit, frumentariis navibus, & annonâ interversâ, exercituque in loca deducto, de industria, ubi rebus omnibus egeret; cui malo tam prudenter Misitheus providerat. Hinc Philippo mandatum, ut his miseriis remedia quæreret, jam tutor Gordiani constitutus, & alter Augustus. *Gordianus exautoratus cæditur* Hac novâ dignitate superbus, cœpit illudere Gordiano, atque ejus acuere indignationem; quod & præstitit. Accusavit enim hic illum ingrati animi coram milite, rogavitque ut huic dignitas abrogaretur quâ malè utebatur; sed sensit tardiùs omnes favere Philippo, à quo nec ut viveret impetravit. Philippus enim Augustum Gordianorum nomen veritus, eum spoliatum Imperii ornamentis cædendum curavit, ipse jam solus Imperator. Scripsit tamen ad Senatum eum morbo extinctum fuisse; atque inter Divos referri jussit, parum sollicitus utrùm Divus, modò ut non vivus esset. Obiit autem annos natus 19. vel 22. cùm sex imperasset, pulcher, amabilis; eruditus, omnibus animi ac corporis bonis ornatus, & cui nihil deesset ad Imperium præter ætatem.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4298. 998. 245.

*Philippus renunciatur Imperator.* Julius seu Junius Philippus pacem turpem facit cum Sapore, filio Artaxerxis, Persarum Rege, homine procero & corpore horribili, relictis huic Mesopotamiâ & Assyriâ & omni tantarum victoriarum fructu: sed id occupatum Imperium, & res Urbanæ flagitabant. Jam enim auditâ Gordiani morte Senatus, Marcum quendam virum sapientem & gravem legerat, eoque subitâ morte in Palatio defuncto Severum Hostilianum suffecerat, cui ægrotanti malè solventes medici venam, mortem quoque attulerunt. Receptis ergò litteris à Philippo, Senatus ei confirmat Imperium. Hic Priscum fratrem Syriacis Legionibus, Severianum generum Mœsiæ ac Macedoniæ præficit, filium Imperii collegam creat, & redux in Urbem ita Senatum populumque delinit, ut Gordiani sibi charissimi obliviscerentur.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4299. 999. 246.

Philippus in natali agro, non procul à Bostris urbem sui nominis in Arabia condit Philippopolin, ut hoc monimento sui generis ignobilitas tolleretur.

Putat etiam Baronius circa hoc tempus, Philippum Christo dedisse nomen, sacrisque aquis immersum quidquid contra Gordianum peccaverat eluisse, & bonis institutis Imperium emendare decrevisse; quod testantur edicta tum edita adversus exoletam & maledicam Poëtarum licentiam; quorum hoc tempore calamos sapienter inhibuit: si quid autem postea peccavit, publica exomologesi coram Fabiano Pontifice, Romanoque clero detersisse arbitratur, & Davidem pœnitentem secutum esse qui peccantem imitatus erat.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4300. 1000. 247.

Philippus contra Carpos suscepit expeditionem, qui Istro circumposita loca suis excursionibus vastabant. Victi profligatique, & ad quoddam castellum obsessi, maximè per Mauros Sagittarios, barbaris hisce metuendos, ab Imperatore petierunt pacem, & impetrarunt, haud difficiliter, quia annus Urbis conditæ millesimus ab hac eum abesse non patiebatur.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4301. 1001. 248.

Coss. M. Junio Philippo Augusto III. & M. Junio Philippo Cæsare secundùm, ut ex nummis liquet, celebrati sunt Romæ magnificentissimè ludi Sæculares, in quibus exhibita quæcumque pararat Gordianus ad Persicum triumphum. Oblati sunt Elephantes 32. cum aliis feris plurimis, mille gladiatorum paria depugnarunt; quæ omnia in circo maximo exhibita sunt, scenici ludi in Theatro Pompeji celebrati sunt; quæ populus pervigil tribus diebus ac noctibus spectavit, funalibus & lychnis vincentibus tenebras, quando ad ea spectacula ita plebs intenta fuit, ut Theatrum Pompeji arserit, & ei propinquum Hecatonstylon centum columnarum opus in campo Martio; sicque brevem paucorum dierum voluptatem calamitas diuturna pensavit.

S. Cyprianus mortuo Donato creatus est Carthaginiensis Episcopus, cujus ingenium eximium, & eloquentiam, & Senatoriam dignitatem sanctitas eminentior illustravit.

Quo etiam anno Dionysius Alexandrinus Alexandrinæ sedem Episcopalem iniit, tenuitque annis 17. & scriptis ac vitâ nobilitavit. Hic quoque exagitavit Origenem, cui Heraclas vilius erat par-

parcere, uti magistro suo: quæ causa fuit ut veniret Origenes Romam, Fabiani Pontificis quæsiturus auxilium.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4302. 1002. 249.

Rebellavit Syria tributis à Prisco gravata, & Tapianum ad summa promovit; Mœsiæ quoq; ac Pannoniæ legiones Marinum crearunt Augustum cùm hic Scythas irrumpentes fortiter retudisset. Hos tamen missus Decius dejecit, resque valdè turbatas prudentiâ suâ restituit. Quare ut dignior Imperio, renitens purpurâ à militibus vestitus est. Adversùs eum progressus Philippus ipse cum ingentibus copiis, atroci prælio victus & cæsus est. Alii tamen volunt eum à militibus suis Veronæ cæsum, medio capite supra ordinem dentium præciso, filium Romæ à Prætorianis, cùm annis quinque imperassent. Ferunt juniorem Philippum, quem Sex. Aurel. victor C. Julium Saturninum vocat, Agelastum fuisse, & à quinto ætatis anno nullo commento ad risum excitatum esse, patremque in Sæcularibus ludis cachinnantem petulantiùs, vultu saltem adversante corripuisse; sic ambo quâ consecuti erant arte Imperium miseri perdiderunt.

Q. Decius, cognomento Trajanus, his unus Imperator successit, qui statim filium suum Q. Herennium Etruscum Messium Decium Cæsarem dixit: Erat ille ex Pannonia inferiore, Bubaliâ seu Bubali urbe oriundus; vir fortis, ac bello clarus, & dignus Imperio, cui pacem sublatis Tyrannis reddiderat, postea in Christianos ipse Tyrannus acerbissimè sæviturus.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4303. 1003. 250.

SEPTIMA PERSECUTIO *sub Decio.*
*Sulpitio Severo* OCTAVA.

Decius in odium Philipporum, & Christianorum qui plerisque in locis idola & fana diruerant, edicta in eos severissima proposuit, minis etiam intentatis in præsides qui quoquomodo iis parcerent, neque omnia in eos probra, omnia supplicia congererent. Quam persecutionem S. Cyprianus observat fuisse à Deo immissam censuram ut Episcoporum atque populorum quasi dormitans, & in otio languens fides excitaretur.

Tum Cyprianus sæpe à populo postulatus ad leonem, sæpe à Proconsulis satellitibus quæsitus ad necem, latebras petiit, ac se ad meliora tempora reservavit; quam fugam utilem Ecclesiæ fuisse, ab eo gesta atque tolerata deinceps ostendent.

Fabianus Papa post annos duodeviginti, 13. Kal. Febr. multis in Ecclesia sanctissimè constitutis, Petri sedem suo illustravit sanguine; quam anno & amplius, sæviente gentilium rabie, nullus implevit, cum tanto Pastore ovibus dissipatis.

Tum etiam Origenem ferunt turpissimi dedecoris metu thus idolis obtulisse, aut ita se gessisse ut id passim crederetur; quod cùm alii asserant, alii negent, & multi utrimque magnique ad stipulatores proponantur, satis est nobis in hoc opere propositam esse controversiam.

Sunt quoque hujus temporis Babylas Antiochenus Episcopus; Martyr in carcere moriens, & cum suis vinculis, ut voluerat, sepultus: Alexander Comanæ Episcopus olim factus à S. Gregorio Thaumaturgo ex ridiculo Carbonario, & pro Christo tum vivus exustus: Alexandriæ quoque multi flammis absumpti; unde Christiani per contumeliam Sarmentitii, & Semassi ab Ethnicis nuncupati: septem juvenes in spelunca Ephesi conclusi, inventique sub Theodosio, ideòque dicti *Septem Dormientes*; aliique innumeri toto Orbe Romano, quos Decius inseruit cœlo, aut suppliciis, aut carceribus, aut rerum egestate. *Martyres plurimi.*

Tum Paulus Eremita adolescens, metu mortis in eremum secedens, diuturnum martyrium inchoavit, eodem tempore quo Antonius lucem vidit, eorum futurus Parens qui in Ægypto vitam in desertis parem Angelis essent producturi, tantùm hærentes terræ, quantùm natura hominum fragilis pateretur. *Pauli in eremum secessus.*

## CAP. VI.

## *Decas Sexta.*

### *Ab anno Christi 250. ad 260.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4304. 1004. 251.

Ortum est in Africa schisma, cujus author Felicissimus fuit, in causâ lapsorum, quos recipi volebat contra antiquam receptamque Ecclesiæ disciplinam. Hic adversatus S. Cypriano ne eligeretur Episcopus, postea in absentem quasi duriorem in lapsos invectus, cum aliis Presbyteris quinque multos sibi conciliavit, quos in monte colligebat; quos aliunde criminibus infames Cyprianus ab Ecclesia rescidit, ne reliquos inficerent. Adhærescebat huic Novatus Episcopus, eumque occultè ad audendum incendebat: is postea Romam veniens, Novatianoque Romano Presbytero junctus diuturnas inter Christianos turbas invexit. Erant porrò lapsorum duæ quasi classes: prima erat eorum qui per se se idolis cultum exhibuissent. iterum in tres ordines digesti: *Sacrificatorum*, qui sacrificassent Idolis aut Idolothyta gustassent, *Thurificatorum*, qui adolevissent Diis Thura; & *Idololatrarum*, qui cultum aliquem iis exhibuissent: Altera classis erat *Libellaticorum* qui per se, vel per amicos negassent fidem, ideoque impunitatis libellos à magistratibus obtinuissent: porrò lapsi illi non recipiebantur, nisi post gravem atque diuturnam pœnitentiam, quam tamen Martyrum preces dimitigabant. Erant autem hi quadruplicis generis; quidam detenti in carcere, & nondum tormentis admoti, dicti *Confessores*; qui passi erant, *Martyres*; αὐτονομαστικῶς, qui fugiebant, & la- *Schisma Felicissimi.* *Lapsorum classes.*

larebant, *Extorres*; denique qui sese offerebant persecutoribus, *Professores*; hi omnes à lapsis rogati, & pro his sæpiùs & importunius rogantes, Ecclesiæ disciplinam corrumpere videbantur; quare admoniti à Cypriano acquievere; unus restitit Lucianus Confessor; ideoque de iis consultus Romanus Clerus, sede vacante, nihil innovandum censuit, tantùm antiquam Ecclesiæ consuetudinem servandam esse sapienter edixit.

*Cornelius Rom. Pontifex.* Interim Romæ Pontifex, postquam ultra annum vacasset sedes, electus est Cornelius Romanus, tali munere talique tempore dignissimus. In quem invidia flagrans Novatianus Presbyter, Novato Episcopo Africano junctus schismatis veneno afflaverunt sese, & Confessorum aliquos in suas partes attraxere. Inde nonnunquam Novatianus pro Novato, aut vice versâ, à scriptoribus esse videntur usurpata; ut erroribus, ita nominibus confusis, ex æquo Ecclesiæ Catholicæ deinceps nocituris. *Novatus & Novatianus.*

*S. Pionius Martyr.* Tum passus est Smyrnæ cum aliquot sociis S. Pionius, ad stipitem clavis affixus, vivusque combustus; eo illustrior quòd cadente Episcopo suo Eudæmone, ipse Presbyter alios ad martyrium incitasset 23. Febr. cùm recurreret festus S. Polycarpi dies. Passa quoque 5. Idus Febr. Alexandriæ S. Apollonia, cui vetulæ ad contumeliam evulsi sunt dentes; ipsa à Deo concitata, in ignes irruit, tortoribus ad inferendam necem, quàm ipsa ad recipiendam minùs paratis. *S. Apollonia.*

*S. Dionysius Paris. Episcopus.* Sed omitti non potest Dionysius Parisiensis Episcopus cum sociis duobus Rustico & Eleutherio, qui sub Fescennio Præfecto dirum carcerem, atrocia verbera, & ardentem craticulam fortiter passus, in monte Martis, Lutetiæ incumbenti, qui deinceps Martyrium audiit, perdidit caput, quod tamen detulit in Catulliacum vicum ad piam fœminam, hodie S. Dionysii fanum 7. Kalend. Octobris. Quòd enim cum Areopagita Dionysio sit confusus, id demum post annum 800. Christi factum; cujus author fabulæ Hilduinus: cui repugnavere viri eruditi; sed tum gratia atque potentia, doctrinæ atque veritati prævaluere.

*Valerianus Censor sub Decio.* Valerianus tum factus est Censor, sexto Kal. Decembris, à Senatu, tolerante Decio, qui magnam hanc dignitatem Imperatoriæ jungi solitam amplissimo ordini permiserat. Tum sedato in Gallia tumultu, creatoque Cæsare, ac Rep. Senatui commendatâ Decius perrexit in Thracias adversus Scythas, Septentrionis regiones fœdè populantes, quos magnis cladibus affecit, eosque planè domuisset fame, nisi proditus à Theboniano Gallo in insidias pertractus esset. Hic cùm filium telis Barbarorum confixum, cum fortissimis quibusque suorum perdidisset, dum fugere cupit in profundissimam paludem demersus sic interiit, ut nunquam ejus corpus apparuerit. Quod autem ejus uxor Tryphonia seu Tryphæna in sacris diptychis habetur, ea Senioris uxor non fuit, quam constat dictam esse Herenniam Sallustiam Barbiam Orbianam, sed junioris, quæ filia Severi Hostiani fuit. Ita miser Decius cùm Christum ex Orbe Romano cupit expellere, ne è domo quidem suâ potuit ejicere, in consiliis, non tantùm in bellis suis infortunatus.

Imperium statim invasit C. Vibius Trebonianus Gallus, qui mox collegam dixit filium suum C. Urbium Volusianum; sub quibus defervescere visa est persecutio, sed ut postea graviùs recrudesceret.

| MUNDI | *Vrb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4305. | 1005. | 252. |

Romæ coacta est Synodus 60. Episcoporum, cui interfuere quoque multi Presbyteri, adversus Novatianum, qui *Clinicus*, hoc est, baptizatus in lecto, & à Dæmone ab Exorcistis liberatus, à tribus rudibus Episcopis in Romanum Pontificem evectus erat. In ea damnatus cum suis Novatianus, qui lapidem movit omnem ut Fabium Antiochenum titubantem. Dionysium Alexandrinum, & S. Cyprianum in suas partes pertraheret. Sed tandem Cornelius, & felicior, & superior fuit. Decretum quoque uti lapsi reciperentur, editum, ne ex desperatione non jam schismaticis Novatianis, sed Hæreticis adjungerentur; est enim proclivis à schismate in Hæresin lapsus.

Eodem anno Gallus & Volusianus inchoatam à Decio persecutionem acriter urserunt; aut potiùs Hostilianus Perpenna, seu C. Valens Hostilianus adoptatus à Decio, datâ ei uxore Cn. Sejâ Sall. Barbiâ Orbianâ filiâ suâ; quem Senatus, mortuo Decio, cum Gallo Augustum creaverat; sed hic mox pestilentiâ absumptus τῷ Θεῷ νόσῳ pœnas Deo dedit importunæ crudelitatis.

Enimvero pestilens morbus egressus ex Æthiopia, toto Orbe Romano fœdè grassata est, præsertim in Ægypto & Africâ: cujus causâ librum scripsit de Mortalitate Cyprianus; ut qui mortis admonebantur à Deo, tam piè obirent atque Christianè.

| MUNDI | *Vrb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4306. | 1006. | 253. |

Cornelius Pontifex cum multis è Clero suo relegatur ad Centum cellas, quoniam ejus operâ SS. Apostolorum Petri atque Pauli corpora honorificentiùs sepulta fuerant, Luciná pientissimâ fœminâ adnitente, & prædium etiam suum sufficiente. Sed cùm ad magnum exulem illum decurreretur, multi ad eum litteras scriberent, atque inter cæteros Cyprianus, revocatus est in Urbem; ubi plumbatis acerbissimè cæsus, & ad templum Martis raptus Christum confitens perdidit caput 16. kal. Octob. cùm sedisset annis duobus, mensibus totidem, cum tribus diebus. Cui post triginta quinque dies suffectus est Lucius Romanus, qui fuerat cum Cornelio relegatus, mox iterum ab Urbe in turpius exilium amandandus.

| MUNDI | *Vrb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4307. | 1007. | 254. |

Æmilius Æmilianus, in nummis C. Julius Æmilianus, limitis Sarmatici in Mœsia Dux, fugaverat Scythas, eisq; prædam eripuerat omnem ex variis gentibus collectam, quâ suos omnes ditarat. Hinc ab iis acclamatus est Imperator, explosi quasi inertes Gallus & Volusianus. Hi au-

tem dum motus illos sedaturi proficiscuntur, Interamnæ à suis interfecti, principatus sui anno tertio, eum Æmiliano reliquerunt; ignavi homines, & ad Christianorum sanguinem fundendum, quàm hostium, paratiores. Neque diu Imperio potitus est Æmilianus, post tres menses aut extinctus morbo, aut interemptus à suis refugientibus à civili bello, cùm P. Licinius Valerianus in Norico, Ignatius Galienus ejus filius Romæ essent acclamati Imperatores; de quibus magna concepta spes, cum Imperii Romani dedecore tandem evanuit.

Mortuus est hoc anno ætatis 69. Origenes, qui *ubi benè scripsit, nemo meliùs; ubi malè, nemo pejus*, inquit ex veterum sensu Cassiodorus. Damnatus est ab Anastasio Papa, reprobatus à Quinta Synodo; utrum à Deo? quis audeat pronunciare? Sed cùm eum defendendum suscipiunt recentiores quidam, eique quasi affictos errores deprecantur, minimùm temerarii sunt, & imprudentibus accensendi. Ejusmodi quoque sunt qui duos Origenes admittunt unum sine cognomine, alterum Adamantium autorem Origenistarum quos *Turpes* vocant: sed hæc distinctio ab amatoribus Origenis conficta, ut in eam quasi larvam omnes tanti viri errores conjicerentur.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4308. 1008. 255.

4. Nonas Martii Lucius ubi gessisset Pontificatum annum unum, mensibus tribus, eum cum vitâ martyr deposuit, cùm multa egregiè de disciplina Ecclesiæ sanxisset. Huic post dies 30. 5. Idus Aprilis successit Stephanus Romanus, sui juris fortis assertor, & Pontificiæ autoritatis.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4309. 1009. 256.

Quoniam nondum erat terminata controversia de rebaptizandis Hæreticis, Cyprianus cum suis Afris ajentem partem sancivit; ratam quoque eam habuerat Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia, & Dionysius Alexandriæ Episcopi. Sed negantem contrariâ Synodo definivit Stephanus, & eum rectè contra tam multos & tam sanctos sensisse Arelatensis Plenaria Synodus judicavit.

Quod autem tum Cyprianus contra Stephanum insurrexerit, neque satis concocta scripserit, Augustinus tibi respondebit. Firmilianus autem factus primùm; Quartodecimanus, & postea resipiscens, ostendit magnos viros nonnunquam cadere, sed resurgere; & eorum errores & peccata lapsus esse, non ruinam & desperationem.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4310. 1010. 257.

PERSECUTIO OCTAVA *sub Valeriano, & Galieno*

*Sulpitio Severo* NONA.

Hæc persecutio concitata, Valerianum impellente quodam Ægyptio Mago, cujus artibus ita dementatus Imperator, ut ad victimas immolandas vir alioqui sapiens & gravis descenderet. Hæc autem laniena adeò crudelis fuit, ut Antichristi tempora Joanni revelata contigisse putaverit Dionysius Alexandrinus, fueritque ejus sententia à multis sapientibus comprobata.

S. Stephanus Pontifex, cùm sedisset annis duobus, mensibus tribus, 4. Nonas Augusti multis editis miraculis, inter Missarum solemnia ab Imperatoriis satellitibus trucidatur. Cujus locum post 22. dies occupavit Sixtus Atheniensis, mox illum comitatior ad martyrium secuturus. *S. Stephanus caeditur. Sixtus ei succedit.*

Sebellius, Ptolemaide in Pentapoli Libyæ natus, Noëthi hominis vanissimi Smyrnensis errores secutus, personas in Trinitate confudit, atque Hæresis tam nefariæ quàm latè patentis autor fuit. Quòd autem Sabelliano dogmati favisse putatur à quibusdam S. Gregorius Thaumaturgus, nec ejus sanctimonia nec S. Gregorii Naz. testimonium credere patitur. *Sabellius Hæreticus.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4311. 1011. 258.

In Romanum Imperium Barbari fœdè debacchantur; atque in Europam irruunt Gothi, Carpi, Burgundiones; Orientem populantur Persæ; Scythæ atque Marcomanni Thessalonicam urbem obsident, atque ab ea ægrè ab oppidanis fortissimis repelluntur, totâ Græciâ latè pervastatâ. Quare Athenienses jam à Syllæ tempore disjectos muros suos refecere, & Peloponnesii Hexamilum suum excitarunt, & munierunt Isthmum, quoniam jam Barbaris impar Romana fortitudo atque militia videbatur. Itaque proficisci parat in Orientem Valerianus, dum Galienus curaret Occidentem; sed huic non tantùm externum, sed civile bellum, idque multiplex, parabatur. 30. Tyrannis adversus ignavum hominem mox rebellaturis. *Romanum Imperium laceratur à Barbaris & Tyrann.*

Ac primus Cyriades profusus nepos, primùm patri, deinde Romanis gravis, in eos Saporem & Odenatum concitavit, Antiochiâ & Cæsareâ captis dictus Cæsarianus, sed à suis adveniente Valeriano in Orientem necatus; tantùm parricidio, fugâ, ac Tyrannide celebris fuit.

Ingenuus quoque, dum popinis & stupris vacaret Gallienus, præses Mœsiæ ac Pannoniæ, vir fortis & à suis electus instantibus Sarmatis; sed oppressus per Celerem Verianum se pugione confodit, ne Galieno dederetur; homini Tyrannis ipsis crudeliori.

Hoc anno post annum unum in exilio traductum S. Cyprianus ad Martyrium revocatus est; quod declinavit tantisper, ut id ad Carthaginem subiret, & Ecclesiam suam suo sanguine tingeret. Capite truncatus est à milite, cui 20. aureos dari jussit, 18. Kal. Octob. ut quæ tam sanctè scripserat, suo cruore & virtutibus obsignaret. *S. Cypriani Martyriū.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4312. 1012. 259.

In Africa, in Numidia, in Galliis, in Hispania Christianus sanguis profusus Valeriano calamitatem ultimam accersiit. Romæ quoque passa S. Eugenia sanctissima virgo, & fuso pro fide & Christo sanguine, quàm eodem à patre Philippo Præfecto Augustali recepto, illustrior. *Martyres sub Valeriano.*

*Sixtus Papa Martyr.* Sixtus Papa annum unum sedit, menses 10. dies 25. ac 8. Idus Augusti Diaconis ac Subdiaconis martyribus stipatus occiditur; gemente Laurentio, quòd ab eo divelleretur: sed ut paulò post (quod præcinuit Sixtus) graviora supplicia toleraret.

*S. Laurentius.* Enimvero statim evocatus ab Imperatore Laurentius, Ecclesiæ bona, cujus ipse Oeconomus erat tradere jubetur: sed ea illico omnia is in pauperes effundit, ac pro thesauris inopum turbam ad Palatium deducit. Rabie efferatus Valerianus, duplicique igne accensus, furoris & avaritiæ, martyrem subjectis prunis in craticulâ torreri jubet; in qua cùm aversâ corporis parte ustulatus esset, petiit in adversam converti, ut tota ejus caro edulis esset, mirabili fortitudine, & quæ spectantibus omnibus injecit admirationem, quibusdam etiam fidem.

*Sixto succedit Dionysius.* Cùm vacasset Romana Sedes diebus 32. in eâ locatus est Dionysius Atheniensis, vir magnæ pietatis, & funestis illis temporibus sedere dignus.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4313. 1013. 260.

*Paulus Samosatenus.* Paulus Samosatenus, mortuo Demetrio seu Demetriano Episcopo Antiocheno, nobilem hanc Ecclesiam regendam suscepit; hoc est, sanctum hoc ovile lupo administrandum concessum est.

*Scytharum grassatio.* Scythæ per totum Imperium Romanum volitant, atque innumerabilem prædam colligunt; Trapezuntem diripiunt, Chalcedonem occupant, Nicæam & Nicomediam incendunt, Dianæ etiam Ephesinæ templum inflammant. Valerianus ergò diu tergiversatus, in Bithyniam pergit ut eam tueatur: sed spectator tantùm ingentium calamitatum fuit. Hinc pergit in Orientem contra Saporem, quem muneribus ac pecuniâ placare conatus est; immò & imprudentissime in ejus colloquium venit. Sed ab eo captus, & mancipii instar vilissimi, ac demum cùm non ut captivus sed uti desperatus loquitur, ejusdem Saporis jussu vivus excoriatus, atque salitus est, cùm annos septem in Imperio, aut in vinculis, semper miser traduxisset.

*Valerianus Imp. excoriatus.*

*Persecutio cessat.* Hæc cùm accepisset Galienus, licet deliciis immersus, tantæ tamen crudelitatis in patrem, non Saporem, sed Deum agnovit autorem: quare ejus jussu abrupta persecutio est, ne profusus Christianorum sanguis in ejus caput majorem calamitatem refunderet.

*Odenatus Palmyrenus.* Enimvero tum 30. Tyranni extulere caput; non tamen omnes inutiles Galieno fuere. Odenatus enim Decurio aut Princeps Palmyrenorum, regio assumpto nomine, cum Zenobiâ uxore virilis animi fœminâ, ac filiis Herode, Herenniano, & Timolao, collecto exercitu Saporem vicit, victumque Ctesiphontem usque insequitur; vir ad bella natus, venandis leonibus assuetus, cum uxore suâ bellicosissimâ, & in qua forma cum robore decertabant.



## C A P. VII.

## *Decas Septima.*

### *Ab anno Christi 260. ad 270.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4314. 1014. 261.

GAlieno Imperatore V. & Volusiano Coss. dira pestis in variis provinciis grassata plurimos extulit. Hoc tempore Christiani afflictis lue ministrantes, atque his operibus immortui, martyres in Ecclesia dici meruerunt, & eorum memoria in sacris Diptychis recolitur Kal. Martii. quid enim interest, an Dei, vel proximi causâ moriaris, si utrobique ad mortem te tantùm divinus amor impellat?

Odenatus in Macrianum pergit, qui cum filiis Macriano & Quieto adversus Gallienum rebellarant; sed Quietum tantùm reperit, quem interemit: Balista autem qui Macriano author Tyrannidis fuerat, in agro apud Daphnem, ubi privatus degebat, interemptus est à quodam gregario milite Odenati: Vir planè dignus Imperio si felicitas in eo cum fortitudine & peritiâ convenisset.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4315. 1015. 262.

Macrianus in Aureolum cum filio Macriano profectus est cum 45. millibus armatorum; sed in Illyrico vel Thraciæ finibus cum Domitiano duce Aureoli collatis signis, & se & filium perdidit, triginta quinque millia sese Aureolo dedidèrunt; tantùm hic viæ emensus est, ut hostis sui potentiam augeret.

Regillianus à Mœsis, quorum parentes Ingenui fautores crudeliter exceperat Gallienus, purpuram induere compulsus est: ferunt & ejus fortunæ causam fuisse frigidam paronomasiam, quasi ex nomine *regendis* populis aptus esset. Ab iis à quibus acceperat Imperium metuentibus graviora à Gallieno interemptus est; militibus tum spes ac metus suos ex Imperatorum suorum capite metientibus.

Saturninus quoque, ex odio luxuriosi Gallieni, Princeps creatus est; sed statim se imparem sensit, monuitque milites eos *bonum ducem perdidisse, non bonum Imperatorem fecisse*; cùmque accuratè militarem disciplinam servatam vellet, ab iis cæsus est, qui neque bonum neque Principem ferre possent.

Æmilianus denique ex ridiculâ causâ, & ob meliores crepidas factâ seditione, creatus est Imperator, atque Ægyptum sapienter rexit; paratus etiam in Indiam, hoc est, Æthiopiam suscipere expeditionem; quare Alexander, vel Alexandrinus dictus; sed victus à Theodoto Gallieni duce, in carcere non uti dux, sed ut grassator strangulatus est.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4316. 1016. 263.

Postumus selectus erat à Gallieno, ut filium suum Licinium Cornelium Saloninum Valerianum

num Cæsarem creatum regeret in Galliis; vir absolutissimæ virtutis seu bellum gerendum esset, seu populi in officio continendi. Cùm igitur Galli Saloninum interemissent, natum ex Saloniâ seu Piparâ, Barbari regis filiâ, quam perditè amabat Imperator, atque aliunde Gallienum acerbissimè odissent ob improbissimos mores, hunc Imperatorem delegerunt. Cùm eum debellare posse Gallienus desperaret, pace factâ cum Aureol eundem in Postumum concitavit, & cum Clau dio ipse ad eum oppugnandum venit. Certatum acriter, victusque Postumus. Sed Gallienus sagittâ vulneratus; itaque relictus videtur esse in Gallia Postumus, in qua per 7. annos satis quietè & feliciter populos illos administravit.

Galienus autem Romam reversus decennalia celebravit exquisito voluptatum genere, in quas immersus erat; libidinis ac gulæ vile mancipium.

Hoc anno Romam item venit Porphyrius, annos 38. natus, sequutus Plotinum agentem vitæ annos unde sexaginta. Fuit hic Porphyrius Batanæus, sed Judæi veritus existimationem se Tyrium dixit; & cùm Syriacâ voce Malchus vocaretur, quæ Regem sonat, ab insigni regio *Purpura* suum nomen inflexit. Olim fuerat Christianus, sed objurgatus à majoribus suis ejuravit fidem; tanti furoris nonnunquam, ut de consciscendâ sibi morte cogitarit. En quos Principes destituta fide Philosophia veneratur!

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4317. 1017. 264.

Odenatus totum Orientem occupat, dum Romæ Galienus luxu deliciisque difflueret, plus abdominis quàm Imperii sui sollicitus: itaq; hanc partem Imperii nobilem, quasi suam administrare cœpit. Nisibin & Carrhas oppugnat, Persas occurrere ausos capit, eorum captos Sattrapas nonnullos mittit ad Galienum, qui de alienis laboribus ausus est triumphare. Capit & aliquas concubinas Saporis; quo nullum Persis majus inferri dedecus potest. Denique sic totum Orientem composuit, ut jam Româ, & Romanâ administratione nihil indigeret; tantùm unius hominis virtus in Rep. corruptissimâ potest.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4318. 1018. 265.

Adversus Paulum Samosatenum Synodus Antiochiæ coacta est, cui interfuere Firmilianus Cæsareæ Cappadociæ, Gregorius Thaumaturgus Cæsareæ, ejus frater Athenodorus Ponti, Hymenæus Hierosolymitanus, & alii magni nominis Episcopi. Vocatus ad eam Dionysius Alexandrinus, ob gravem ætatem venire non potuit. Damnata omnium calculis Pauli hæresis; qui pollicitus se mutaturum sententiam, non est expulsus è sede, fortè propter discipulam ejus Zenobiam, cujus tum maritus in Oriente poterat omnia, atque ita cautum fidei, ut in Ecclesiam turbæ non inveherentur. Zenobiam enim Paulus docuerat, sed judaizare, ut quidam credunt; alii Judæam conatum esse ad Christum pertrahere; quod dum præstat, & suo nimis confidit ingenio, in Artemonis hæresin impegisse. Sed & deinceps errores erroribus addidit, factus etiam imprudens aliarum hæreseon parens, ut Nestorii; moribus etiam corruptissimis fuit, ut est facilis ab hæresi in gravissima scelera lapsus.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4319. 1019. 266.

*Dionysii Alex. & Gregorii Thaumaturgi mors.*

Extincta sunt hoc anno magna duo Orientalis Ecclesiæ lumina Dionysius Alexandriæ, & Gregorius Neocæsareæ Episcopi. Dionysius annis 17. suam rexit Ecclesiam, vir apprimè doctus atque hæreticorum hostis acerrimus, cujus memoria recolitur ab Orientalibus 15. Kal. Decemb. habuitque successorem Maximum aliter Maximianum. Gregorius verò numeratis priùs fidelibus Ecclesiæ suæ, septem tantùm invenit ab ea extorres, cùm suam ingressus sedem totidem duntaxat Christo mancipatus reperisset. Dictus autem Thaumaturgus, propter ingentia diuturnaque miracula; ut mons recedere jussus ad Ecclesiæ fabricam, Lycus fluvius baculo suo in ejus ripâ defixo coërcitus: propter quæ etiam sui sæculi Moses appellatus est. Voluit non proprio, sed alieno tumulo sepeliri, ut vivus & mortuus alieni soli inquilinus esset; qui tamen magnæ venerationis fuit, nec inter terræ motus infinitos, quibus regio afflictata est sæpe, concussus unquam; ut demortui inconcussa fides hoc prodigio significaretur.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4320. 1020. 267.

*Postumi mors.*

Cùm annis septem fortissimè atque sapientissimè Postumus Galliis præfuisset, cum filio suo Postumo eloquentissimo juvene, à rebelli Lolliano interfectus est: sed hic quoque cæsus à Victorino, quem consortem Imperii Postumus fecerat, & ejus auxilio retuderat Gallienum. Victorinus quoque interfectus est Agripinæ ab Actuario quodam, cujus uxorem stupraverat, cùm in eo nihil præter castimoniam desideraretur; sed ejus mater Victorina seu Victoria, mater castrorum dicta, statim Victorinum juniorem nepotem suum creavit Cæsarem, mox à militibus interfectum, & eodem tumulo cum patre inclusum.

*Et aliorum Tyrannorum cæ. es, aut deditio*

Cùm ergò Victoria Augusta se tantæ moli videret imparem, primò selegit Marium olim fabrum ferrarium, virum eximii roboris, qui tantùm triduo imperavit; secundò C. Pesuvium sive Pinesuvium Tetricum, cujus & filium Cæsarem dixit, qui mox ambo sponte se Aureliano Principi submisere. Ita bellum civile Gallicanum multo sanguine inchoatum productumque, absque cæde peractum est.

*Odenatus caditur.*

Florebat Oriens sub Odenato; qui etiam charus Galieno, à quo Augustus propter egregia facinora dictus erat; Sapori metuendus, quoniam hunc victum subactumque intra Tigrim compulerat: sed perfidiosè à consobrino suo Mæonio interfectus est cum filio Herode homine delicatiore, & cui pater nimiùm indulgebat: consensisse dicitur Mæonius cum Zenobiâ, quæ Herodem ex alia conjuge prælatum filiis suis Herenniano & Timolao ferre non poterat. Sed per-

percussor ille turpissimus per errorem dictus Imperator, brevi ob luxuriam à militibus sublatus est. Ergò Zenobia filiorum nomine suscepit Imperium, cui regendo se dignam præbuit, de sanguine Ptolemæorum & Cleopatræ orta; ultimo Gallieni dedecore, qui fœminam pati compulsus est. Misit quidem contra Persas Heraclianum ducem; sed hic à Palmyrenis rejectus, quos magnâ curâ & sumptibus coëgerat milites ignominiosè perdidit, victus à fœmina, in qua tamen nihil molle & delicatum præter sexum fuit, reliqua virilia & magni Imperatoris.

*Zenobia ei succedit.*

Neque tamen ubique Galienus infelix fuit; Scythas populantes, de more, Ro. Imperium duces ejus Cleodamus & Athenæus Byzantini retuderunt, ac magno prælio profligarunt. Ejus quoque Dux Venerianus Gothos navali prælio vicit; quo tamen ex morbo sublato, victi Cyzicum, Asiam, Achaiamque vexarunt, expulsi tamen ex Achaia à Dexippo Atheniensi per Epirum, Bœotiam, & Acarnaniam pervagati docuére, sub libidinoso Principe Imperium magnum esse latrocinium.

*Scytharum depopulatio.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4321. 1021. 268.

Gallienum duces sui ferre ultra non potuerunt, jocantem dum Imperium perderet; itaque eum ipsum perdere statuerunt Martianus qui Scythas sæpe domuerat, & Ceronius seu Cecropius dux Dalmatarum; hi tamen fraude eum interimendum decernunt; fingunt adesse Aureolum quem is appetebat bello; ad eum dum progredi putat, juxta Mediolanum, cùm imperasset 7. annis cum patre, solus octo, cæsus est, ac frater ejus P. Licinius Valerianus. Is finis Galieni fuit, quem ad excidium Imperii natum nemo negare possit, cujus improbitas triginta Tyrannos armavit in Romam: eorum duntaxat aliquot commemoravimus; omisimus enim Trebellianum, Isaurorum potiùs & grassatorum ducem quàm Principem: Celsum in Africa 7. die sui Principatûs cæsum, & voratum à canibus: Valentem æmulum Martiani, & Pisonem Frugi, cognomento Thessalicum, immissum à Macriano ut Valentem interimeret: Titum, de se minus quàm de uxore Calphurniâ notum: Censorinum denique, securatum joco Claudium dictum *Felicem ad omnia, infelicissimum Imperatorem.* Ab iis laceratum est Imperium Romanum, dum Valerianus in vinculis gemeret, Gallienus in deliciis volutaretur, & luderet, saltem suâ negligentiâ, atque impuris moribus parricida.

*Gallienus interimitur.*

*Reliqui 30. Tyranni.*

Successit Gallieno Marcus Aurelius Claudius, origine Dalmata, circa Kal. Aprilis delectus à toto exercitu, Senatu universo approbante, quasi dignissimus qui cuncta corrupta emendaret: quem tamen Christianis infensum fuisse martyrum Acta declarant. Hic statim movit in Aureolum Tyrannum, quem vicit ad pontem de ejus nomine dictum Aureoli, ac tumulo humiliore donavit. Zosimus tamen eum se dedidisse scribit, sed ab Imperatoris militibus cæsum, in odium rebellionis. Inde contra Gothos majoris momenti suscepta expeditio, & in qua Roma vel surrectura, vel penitùs ruitura videbatur.

*Claudius Imp. succedit Gallieno*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4322. 1022. 269.

Claudius Gothos Romanum Imperium fœdè vastantes insigni prælio devicit, in quo cæsi sunt Barbarorum trecenta viginti millia, bis mille depressæ naves, aliquot capti Reges tanta mulierum multitudo, ut duæ vel tres singulis victoribus cesserint, cum innumeris bobus, ovibus & jumentis, adeò ut omni fide major hæc victoria cladesque crederetur.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4323. 1023. 270.

Gothorum reliquiæ ad Hemimontum peste ac fame miserabiliter periere, non multi tamen, cùm eorum quosdam Romani turbatiùs aggrederentur, in quos severè Claudius animadvertit. Hinc gravis secuta lues, quæ etiam Claudium extulit, postquam annum unum, menses decem, dies aliquot imperasset; virum omnibus bonis corporis & animi exornatum, & in quo ad restituendum Romanum Imperium nihil desideratum est præter brevitatem Principatus.

Successit ei frater M. Aurelius Claudius Quintillus, vel Imperio dignus, etiamsi Claudii frater non fuisset; sicque omnium judicio non hæreditariam, sed virtute partam dignitatem suscepit; sed cùm se gravem ac verum Principem præstaret, à suis militibus cæsus 17. Imperii sui, Romanis tantùm ostensus est.

Electus deinde communibus suffragiis L. Domitius Aurelianus, Sirmio oriundus, obscuro genere natus, sed rebus gestis clarissimus, utpote qui uno die bello Sarmatico quadraginta octo suâ manu interemisset, & cum trecentis tantùm præsidiariis Sarmatas attrivisset; semper in præliis victor, quæ nunquam detrectaverat, ex æquo & fortis & felix.

Obiit hoc anno Plotinus, annos natus sexaginta sex, in Campania, quò recesserat ulceribus plenus, sed adhuc animo quàm corpore turpior.

Paulus Samosatenus iterum relapsus in hæresin, ac de multis criminibus accusatus in Synodo, è sede dejicitur, substituto in ejus locum Domno filio Demetrii, vel Demetriani, omnibus virtutibus exornato. Sed restitit Paulus, nec exire Episcopio contumax voluit; itaque provocatum ad Aurelianum Imperatorem, qui huic assignavit domum, cui tribuendam esse per litteras suas Pontifex Romanus cum Italis Christianis præscriberet. Quo edicto depulsus Paulus, inductus Domnus; ab Imperatore, seu Deo veriùs, pax est Ecclesiæ procurata.

Mortuus tum Romæ Dionysius, anno sedis suæ XI. cum mensibus 3. diebus 14. Decembris 26. & ejus solium vacuum diebus sex; ultimo anni die indictus est Felix Romanus, quem cum hac dignitate multa pericula manebant.

CAP.

## CAP. VIII.

## Decas Octava.

### Ab anno Christi 270. ad 280.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4324. 1024. 271.

ALEMANNI atque Marcomanni etiam Italiam subeunt, ac circa Mediolanum omnia vastant, dum Aurelianus cum iis fortiùs quàm cautiùs pugnat. Magna etiam accepta ad Placentiam clades Barbaricâ fraude, adeò ut Romæ trepidaretur; quare consulti libri Sibyllini, & carptim Imperator hostes aggressus, omnes concidit. Rediens in Urbem victor in seditiosos severiùs animadvertit, quibus nobiles etiam Senatores immiscuit; neque satis justè, neque satis leniter, uti sperabatur, auspicatus Imperium; tunc enim timeri cœpit Princeps optimus, qui ante duntaxat amabatur.

Tum muris cincta Roma quibus antea carebat; aut veriùs iidem amplificati, adhibito Senatus consilio, atque ad 50. millia passuum ejus pomœrium extendit Aurelianus, ut sub ejus auspiciis cum Imperio Roma quoque cresceret.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4325. 1025. 272.

NONA PERSECUTIO *sub Aureliano.*

OCTAVA *S. Leoni Papa.*

Ex occasione excursionis Barbaricæ vulgò creditur hæc excitata persecutio, qua Christiani refugientes Idolorum cultus dicebantur excitare seditiones, quibus anno superiori exagitata fuerat Roma. Quamquam autem promulgarit legem, præpeditus miraculo, quo manus ejus quasi sine nervis elanguit, parata fatali in Christianos edicto subscribere, nihilominus sub eo passi multi Martyres, sive ejus sive præfectorum culpa fuit; quos probabile non est absque Imperatoris satis rigidi assensu tam graviter sævituros.

His Romæ peractis, multatisque qui in suspicionem rerum novarum venerant, Epitimio, Urbano & Domitiano, proficiscitur in Orientem adversus Zenobiam Aurelianus: & hæc quidem ad Propontidis usque fauces suam ditionem extendere moliebatur: sed fines illi Imperatoris adventu contracti sunt; Chalcedonem enim, Ancyramque recepit: Tyanam sibi occludi indignatus est, & canem se in oppido non relicturum negavit. Cùm tamen ea prodita esset per civem Heraclemmonem; & proditorem occidi passus est, & militibus direptionem urbis postulantibus nihil aliud permisit, quàm canes occidere, ne perjurus ipse, illi crudeles invenirentur; quod Ethnici scriptores in Apollonii Tyanei monitus nocturnos inaniter refuderunt.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4326. 1026. 273.

Venit ad Antiochiam Aurelianus, ubi cum ingentibus copiis & exercitatissimis Zenobia Romanos expectabat Equestribus aliquot certaminibus, & velitationibus commissis, deprehendit in cataphractis Equitibus vim totam Palmyrenorum sitam esse. Monet igitur suos ut eorum primum declinent impetum, nec in eos nisi cursu & tergiversatione fatigatos irruant; hoc demum stratagemate victoriam Romanis integram peperit. Fugit Antiochiam Zenobia cum suis; & ne ab Antiochenis invaderentur, cæso capite hominis qui non malè vultu referebat Aurelianum, & per totam urbem circumlato, Zabdas militum Zenobianorum magister (Zabam fœminam vocat Vopiscus) urbem in officio continuit; quæ tamen statim Aureliano relicta est. Iterum ad Emisam seu Emesam certatum, iterum grandi clade victa Zenobia fugit Palmyram; ubi obsessa, fortiter restitit, vulnerato etiam Aureliano. Tandem litteris Imperatoris invitata se dedidit. Zosimus tamen in fuga ad Euphratem captam asserit. Retulit inde Cæsar purpuram, cui comparatæ Romanæ, cineres videbantur. Zenobiam ad necem milites deposcebant, reservari ad triumphum maluit, & vivere cum filiis; clementiæ suæ spirans monumentum.

*Vincitur Zenobia.*

*Et se dedit aut capitur.*

Firmus, patriâ Seleuciensis, vir dives, robustus & fortis reparare conatus est Zenobiæ partes; sed ab Aureliano victus, laqueo finivit vitam, aut sponte, aut jussu Imperatoris. De eo fabulas commemorare nolo, quas etiam Vopiscus irridendas putavit.

*Firmus Tyrannus.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4327. 1027. 274.

Aurelianus apud Catalaunos Tetricum vicit, qui Faustini & militum suorum insolentiam non ferens ad Imperatorem scripsit, *Eripe me his invicte malis.* Recepit eum amicè Aurelianus cum filio; sed utrumque in triumphum duxit, habitu Gallico. Duxit & Zenobiam geminis ornatam, verùm in catenis aureis, cum suis ex Odenato liberis Herenniano & Timolao; nunquam visus est triumphus magnificentior, si captivorum numerus varietasque spectentur. Ducti tres currus nobiles Odenati, Regis Persarum, & Zenobiæ, in quo Romam se visuram sperabat; accessit & quartus Gotthorum Regis, cervis 4. junctus, quo invectus est in Capitolium Aurelianus, ubi & cervos mactavit Jovi. Zenobiam in Italia cum suis liberis vivere liberè permisit in Tiburtino; Tetricum cum filio non tantùm vivere passus est, sed hunc Senatorem esse voluit, illum Correctorem Apuliæ creavit; & sæpe collegam, commilitonem, imò quandoque vocavit Imperatorem; post victoriam tam facilis, quàm ante severus & austerus extiterat.

*Triumphus Aureliani.*

*Tyrannus Tetricus.*

Sed tam illustres victorias turbavit domesticum malum: Monetarii enim, autore Felicissimo Fisci procuratore, in eum rebellarunt; acerrimè, ac severissimè vindicata rebellio; questus est enim Aurelianus septem suorum millia cæsa jacuisse, & difficilem de iis esse relatam victoriam;

*Domesticum bellum.*

quæ

quæ nunquam facilis est & incruenta, cùm de desperatis quæritur.

*Daciam deserit.* Daciam provinciam, quam ultra Istrum constituerat Trajanus, abjecit, negans utilem esse Populo Romano, & multorum bellorum inanium causam, & Imperium illud esse bonum non quod majus est, sed quod tutius.

MUNDI 4328. *Vrb. Cond.* 1028. CHRISTI. 275.

*Cæditur Aurelianus.* Aurelianus, cùm imperasset annis quinque, populo charus, metuendus Senatui cujus pædagogus dicebatur, fraude Mnestei Secretariorum Notarii, in quem intentarat minas, conficto multorum cædendorum libello, manu cujusdam Mecaporis apud Cœnophrurium, inter Perinthum & Byzantium, interfectus est mense Januario, Imperii sui anno 5. & aliquanto plus. Mnesteus bestiis est objectus: cæsus inter divos relatus est; *dux melior quàm Princeps*, ajebat Diocletianus, si quidem primâ Imperatoris dote clementiâ caruit. Sed quid agas quod ajebat mimicus ille scurra Claudii, *in uno annulo boni Principes perscribi possunt, atque depingi.*

Secutum est longum interregnum dum milites creandum Principem offerunt Senatui, ne ipsi ex iis qui erraverunt, aut malè fecerunt, in mortui Principis causâ, aliquem seligant; Senatus rejicit eundem ad exercitum, ne si proponatur à Patribus, id fiat cum electi periculo, & eligentium invidiâ; in ea contentione perhonestâ octo menses abierunt. *Tacitus ei succedit.* Tandem Kal. Octobris creatus est à Senatu M. Claudius Tacitus, ad Cornelium Tacitum originem referens; quare hunc quibus potuit modis honoravit. Hic Christianos ampliùs urgeri non est passus, inquiunt Acta S. Charitonis; Princeps egregiè moratus, & dignissimus qui uno tot clarissimorum virorum consensu crearetur Imperator.

*Felix Papa moritur, succedit ei Eutychianus.* Felix Papa 3. Kal. Junias martyrium subiit, cùm sedisset annis 4. mensibus 5. relicto successore pridie Nonas ejusdem mensis Eutychiano, natione Tusco, patriâ Lunensi; à quo edictum ut in Ecclesia terræ frugibus Sacerdos benè precaretur; non quòd antè non fieret, sed quòd nondum id esset Sanctione decretum.

MUNDI 4329. *Vrb. Cond.* 1029. CHRISTI. 276.

*Moritur Tacitus.* Tacitus Scythas Asiam vexantes excursionibus, partim ad internecionem delevit, partim Plotiano Præf. prætorii concidendos objecit. Multa sanctissimè edixit, & cùm imperasset mensibus sex, mense Martio aut morbo, aut suorum insidiis propter Maximinum propinquum suum interemptus est, magno Senatus potissimum dolore, qui tam parum autoritatem suam atque potentiam viguisse molestissimè tulit.

*Florianus invadit Imperium. Probus eligitur.* M. Annius Florianus, ex matre frater, non expectatâ Senatus aut Legionum voluntate quasi hæreditarium invasit Imperium. Sed electus est à militibus M. Aurelius Probus Pannonius ex urbe Sirmio, matre illustriore quàm patre, & electus modo, qui fabulam sapit: cùm enim monerent milites eligendum esse Principem fortem, clementem, probum, commune nomen, proprium statim revocavit in mentem, Probus acclamatus Imperator, voxq; hæc eligentibus pro sorte & augurio fuit. Approbatus autem à Senatu & Romæ Florianus; non quia idoneus, sed ne per vim retineret Imperium. Verùm hic post duos menses aut à suis militibus, aut jussu Probi ad Tarsum interemptus tantùm degustavit Imperium, nec Principatu, nec fratre suo Tacito satis dignus.

Circa hæc tempora Privatus Gabalitanus Episcopus, à Germanis Galliam depopulantibus martyrio coronatus est; ut ubique, & ab omnibus martyrium expectaretur.

MUNDI 4330. *Vrb. Cond.* 1030. CHRISTI. 277.

Probus castigatis fortiter atque sapienter qui Aurelianum & Tacitum sustulerant, ne impunitas sceleratorum accenderet audaciam, profectus est in Galliam à Germanis fœdè laceratam. Hic recepit urbes sexaginta occupatas à Barbaris, quorum quadraginta millia cecidit, reliquos ultra Nicrum & Albin submovit: novem eorum Reges ad suos pedes prostratos vidit, plus eis prædæ quam fecerant, ademit; eos arare, pascere, bellare Romanis compulsit, facturus Germaniam populi Romani provinciam, nisi tutiùs quàm longiùs imperare decrevisset.

Circa hoc tempus turpissima Manichæorum hæresis prodiit, cujus initia nullus ignorare debet. Scythianus quidam, genere Saracenus, vir dives, & improbus, utcumq; doctus, errorem de duobus principiis ex Pythagoreo dogmate divulgare cœpit in Palæstinâ, ubi confutatus se Magiæ dedidit, ac tandem ex morbo interiit. Discipulus ejus fuit Terebinthus, qui scriptorum Scythiani & pecuniæ factus hæres, à Palæstinis exagitatus fugit in Persidem; ubi quoq; vexatus à Sacerdotibus solis, & jam ab iis capiendus fugit ad viduam, ubi Magiæ dum vacaret extinctus est. Hæc vidua cum hærede careret, servum emit nomine Curbicum, quem & præceptoribus instituendum tradidit, à quibus tantùm didicit, quod ad disputandum audacter & perfractè satis esset; defunctâ viduâ per quam fuerat adoptatus, hæres bonorum ejus, atq; librorum, servili nomine depositio MANEM se, hoc est Persicè, *disputatorem* dixit, hæresin confinxit, ac sibi discipulos accivit. Eorum operâ cùm emisisset Christianorum libros, ex iis traxit quæ putaret ad suum dogma facere; & confutatus licet non semel, haud despondit animos, sed perfrictâ fronte se semper victorem asseruit. At cùm Persarum Regis filium expulsis medicis, à quibus facilè levari potuerat, precibus suis sanandũ spopondisset, nec stetisset promissis, infante mortuo fugiens, tandem interceptus à Satellitibus, Regis ejusdem jussu, Persarumque more, arundinibus vivus exutus est cute, postea objectus feris, & pelle ad ludibrium suspensâ. Quare ejus sectatores libenter arundinibus incubant; unde Manarii dicti, homines vulgò sceleratissimi, quoniam eorum secta sentina fuit semper totius improbitatis. Hæc pestilentis hæresis initia, cujus author celeri-

ter

ter extinctus, longas propagines reliquit, & in perniciem Ecclesiæ nimiùm diuturnas.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4331. 1031. 278.

Franci à suis pessimè accepti in Galliis (jampridem enim in unam ex variis populis coaluerant gentem, ac se Francos linguâ patriâ, hoc est, *Liberos Heroas* dixerant) socios suos ulcisci decreverunt. Vastato itaque latè Imperio Romano, occupatis in Ponto navibus, Græciæ, Asiæ, ac Libyæ littora latè terruerunt, captis etiam in Siciliâ Syracusis. Unde spoliis divites, superato Herculis freto incredibili audaciâ redierunt in patriam per Oceanum, nec omnes cæsos aut domitos à Probo fortiter docuerunt.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4332. 1032. 279.

Probus pacatis Galliis Illyricum petit, & ingressus Rhætias eas ita pacavit, ut ne terroris quidem umbram in his locis relinqueret. In reliquis Illyrici partibus Sarmatæ compressi sine bello, quæ rapuerant Romanis reddiderunt, sua servare contenti. Inde in Thraciam direxit iter, quando Getici populi omnes famâ ejus territi, aut dediderunt sese, aut in ejus amicitiam transierunt, parati cum eo militare quem verè Ducem esse & Imperatorem deprehenderant.

Tum etiam Pannoniis vites habere permisit, ac juxta Sirmium Almam montem militari labore vitibus consevit, ut se tanto beneficio, Imperatoris populares agnoscerent. Eodem quoque tempore Gallos, Hispanos, ac Britannos habere vites passus, ac vinum exprimere, à Romanis quibusdam Imperatoribus usu vini vix in Italia tolerato, ex ultimo timore, vel infamiâ.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4333. 1033. 280.

Pergit in Orientem Probus, & dum per Isauriam transit, latrone quodam potentissimo capto, cæsoque, didicit *facilius esse ex iis locis grassatores arceri quàm tolli.* Inde deflexit in Ægyptum, ubi Saturninum Gallum, Augustum ab his populis acclamatum, virum fortem, ac rebus gestis illustrem, ad se cum spe veniæ invitavit. Sed, militibus ejus diffidentibus, in castro obsessus, & captus, injussu Probi jugulatus est.

Tum quoque Blemyas subegit, quibus eripuit Copton, & Ptolemaidem, eorumque captivos Romanis obtulit, ad eorum speciem aspectumque stupentibus, quos ne de nomine quidam agnoverant, ex vultu terribiles reformidabant.

Intentavit & Persis bellum, atque ad eorum Regem Narseum, qui huic dona miserat, ita scripsit, ut belli causam quærere videretur: quam tamen prudenter vitavere Persæ, plus famâ tanti Imperatoris territi, quàm audacibus, & minacibus ejus litteris irritati.

## C A P. IX.

## *Decas Nona.*

*Ab anno Christi* 280. *ad* 290.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4334. 1034. 281.

Pace igitur cum Persis, utcumque factâ, & pace quæ bellum minaretur, Probus redit ad Thracias, ac centum millia Bastarnarum in solo Romano constituit, qui Pop. Romano servarunt fidem, nec ei inutiles fuerunt; sed cùm ex aliis gentibus quoque transtulisset, hoc est, ex Gepidis, Wandalis, & aliâ ejusdemmodi fæce, occupato in retundendis Tyrannis Probo, rebellarunt, ac multis damnis Romanos affecerunt, ex eorum sociis facti piratæ atque grassatores. Adeo periculosum Barbaris confidere, quibus fides est damnum vel utilitas. *Barbari in Imperio Ro. collocati.*

Circa idem tempus insurrexere Tyranni duo, Proculus cui patria Albingaunum in maritimis Alpibus, & Bonosus Hispaniensis, ex Gallâ matre, patre Britanno, hybrida. Hi apud Coloniam Agrippinam facti sunt Imperatores, Proculus quidem joco, cum latrunculis ludens, ac decies Imperator exiens, à scurra non ignobili salutatus est Imperator; homo ad impudentiam usque luxuriosus, qui demùm victus à Probo, & ad Francos confugiens à quibus originem suam referebat, ab iisdem traditus, non modò non affines, sed nec amicos quidem expertus est. Bonosus autem quem Aurelianus natum dicebat esse, non ut viveret, sed ut biberet, semper sobrius & securus socios & Barbaros quibuscum bibit, inebriavit; tantumdem reddens per vesicam, quantum ore receperat. Tandem longo ac gravi certamine superatus à Probo, laqueo vitam finiit, atque non hominem, sed amphoram pendere joco militari jactatum. *Tyranni duo repressi, Proculus, & Bonosus.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4335. 1035. 282.

Probus post triumphum illustrem de Germanis & Blemyis, & spectacula Po. Romano exhibita, Sirmium in patriam venit, ubi dum milites de more non sinens esse otiosos, iis etiam non indigere parum prudenter palam exoptans, ab iisdem cæsus est, magno Reip damno, cui sublevandæ atque reparandæ par unus erat: vir inter Romanos duces, & Imperatores qui hactenus extiterant, nulli secundus; & fortasse superior: non tantùm Imperator bonus, sed & Imperatorum magister, quibus militarem virtutem inspiravit, non sibi tantùm, sed & aliis viris magnis peritus, & fortis. *Probus triumphat, & caditur.*

Succedit ei electus omnium judicio, ut omnium dignissimus, Marcus Aurelius Carus, non Pannonius, non Gallus, non Pœnus, sed Romanus; qui Probi amici sui mortem acerrimè & constantissimè vindicavit. Hic statim Sarmatas Probi morte feroces, & Illyrico, Thraciæ, immò & Italiæ minantes sic retudit, ut intelligerent mortuo Probo, Romanum vivere Imperatorem. *Carus ei succedit.*

*Et compoſuit Occidentem.* ratorem. Occidente igitur compoſito reliquit M. Aurel. Carinum filium Cæſarem, ſecum M. Aurelium Numerianum in Orientem deduxit adverſus Perſas, contra quos Probus magnum paraverat exercitum, neque minùs Imperatoris ſui nomine, quàm numero apparatuque metuendum.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4336. 1036. 283.

*Carus in bello perſico moritur.* Carus nullo occurrente Meſopotamiam recipit, & Cteſiphontem pervenit; ideo Perſicus dictus: & longiùs progreſſurus eſſet, Perſaſque domeſticâ ſeditione turbatos ſubegiſſet, niſi Præfectus ejus Prætorio hic ac filio inſidiatus poſuiſſet moras: has tamen extremas fecit graviſſimus morbus. Eo dum decumbit, tanta exorta tempeſtas, tanta caligo, tam horrenda tonitrua, ac fulmina, ut non eorum jactu, ſed ſtrepitu exanimatus interierit. Afflatum eſſe fulmine creditum eſt, quia domeſtici deſperati ejus morte tentorium incenderunt. Sic Carus interiit, medius inter malum & bonum Principem; ſed bono propior.

*Eutychianus Papa moritur, et ſuccedit Cajus.* Obiit etiam hoc anno Papa Eutychianus, 6. idus Decemb. ſedis ſuæ anno octavo, menſe ſexto, martyr ſepultus in purpurâ ſicut ipſe ordinaverat. Cui ſuffectus eſt Kal. Januarii Cajus, origine Dalmata, affinis Diocletiani, & ſanguine pro Chriſto fuſo, quàm Imperatorio longè illuſtrior.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4337. 1037. 284.

*Numerianus cæditur.* Interim in Oriente Numerianus melior orator quàm Cæſar lugebat parentis ſui interitum, & ita lugebat ut ex aſſiduis lacrymis acriter laboraret oculis. Dum ergo in coopertâ lecticâ metu lucis atque venti portatur, ab Arrio Apro ſocero ſuo Imperium affectante cæditur. Sed re cognitâ ex fœtore cadaveris milites, C. Valerianum Diocletianum, qui poſtea quoque dictus eſt Jovius, Auguſtum creavere. Is in prima concione profeſſus ſe Numeriani vindicem, manu ſuâ Aprum Præfectum Prætorio interemit, implevitque vaticinium ſibi à Druida fœmina apud Tungros in caupona prænunciatum, tunc Imperaturum cùm Aprum interemiſſet. Cùm enim ſæpe apris occiſis quereretur *alterum ſemper uti pulpamento*, tum denique fatalem Aprum à ſe necatum cognovit, & hujus ſanguine purpurum ſuam intinxiſſe.

*Diocletianus Imperator.*

Erat Diocletianus origine Dalmata, Dioclevico (unde ei nomen) Prope Salonas natus, utroque parente ignobili, & obſcuro, utpote genitus ex parte libertino Anulii Senatoris, aut ſaltem ſcribâ; Ex eo igitur anno Æra Diocletiani decurrit, poſtea ex ejus odio dicta *Æra Martyrum* ut Eccleſia filios potiùs ſuos, quàm eorum carnificem appellaret.

*Æra Diocletiani.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4338. 1038. 285.

*Carinus occiditur.* Carinus in Julianum Sabinum movet; qui auditâ Cari morte, ſibi in Venetis uſurparat Imperium. Is obviam occurrit Carino; ſed acie victus, obtruncatuſque, pœnas affectati Principatus dedit. Inde progreditur adverſus Diocletianum in Mœſiam; hic acie victus ad Murgum, à ſuis interfectus eſt, cjus libidinem nequaquam ferentibus. Fuit enim, ſi quis alius Imperator, libidinoſus, novem uxorum vir, quibus non contentus in militum ſuorum thalamos irruebat, Imperio tam indignus, ut eum pater exterminare decerneret, ut ſuæ domus ac Imperii probrum & dedecus.

Ruſtici in Gallia, ducibus Salonino Amando, & L. Pomponio Æliano, tumultum excitant, & factioni ſuæ nomen Bacaudarum imponunt, caſtro hujuſce nominis præmunito in Matronæ fluvii inſulâ, vulgò *S. Maur lez Foſſez.* Ad eos comprimendos Diocletianus mittit M. Valerium Maximianum, quem Cæſarem creavit, & Herculium dixit. Hic Octoduri Thebæorum legionem diis ſuis ſacrificare nolentem, adhortatore S. Mauritio, decimavit primò, mox totam concidit; deinde ultrà progreſſus, tumultuantes partim delevit, partim blanditiis exarmatos domum remiſit, & Galliæ pacem reddidit, non armis impiis, ſed pio martyrum ſanguine procuratam.

Tum excitata eſt atrox illa perſecutio, ſeu veriùs carnificina, quando nulli fas erat emere aut vendere, niſi priùs ſtatuis parvulis ubique collocatis Thus adoleviſſet; nec aut molere, aut aquas haurire promitteretur cuipiam, niſi qui priùs idolis libaviſſet. Terribilis machina, & in ultimam perniciem Chriſtianitatis à Dæmone comparata, niſi hanc Deus operâ Chromatii Expræfecti & Caſtuli Principum Zotari diſcuſſiſſet: eorum enim auxilio Cajus, multique Chriſtiani ſuſtentati ſunt, donec per Torquatum Apoſtatam detecti, eorum multi glorioſum agonem conſummârut. Inter eos enituêre Tiburtius Chromatii filius, capite truncatus. Sebaſtianus Dux primæ cohortis Prætorianorum, ſagittis primùm confixus, mox ſanato corpore virgis ad necem cæſus, qui quòd egregiam in animandis, fovendiſque martyribus navaſſet operam, primus Eccleſiæ *Defenſor* dictus eſt, nomen hoc non in terris modò, ſed & in cœlo meliùs impleturus.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4339. 1039. 286.

C. Carauſius Menapiæ civis, vel humili loco natus, ſed præclaris factis elatus ad ſumma, juſſus occidi à Maximiano, quòd præpoſitus claſſi per tractum Belgicæ & Armoricæ infeſtantes Francos & Germanos prævaricator malè reprimeret, neque prædam in ærarium omnem referret, ſed ſeponeret ſibi partem, purpuram induit: & Britanniam occupavit, inde negotii plurimùm Auguſtis & Cæſaribus exhibiturus, magnis inſulæ hujus, ſed majoribus ingenii ſui viribus.

Tum alii in variis Imperii partibus concitati ſunt motus. Achilleus enim Alexandriæ Imperator acclamatus totam ſibi ad rebelliones proclivem addixit Ægyptum: Narſes modò Armeniam, modò Meſopotamiam populabatur, adſcitis in prædæ communionem propinquis Regibus. Africam Quinquegentiani ſeu nationes Quinquegentanæ cum Juliano graviter quatiebant. His permotus Diocletianus Maximianum Herculium, Cæſarem ante factum, Auguſtum crea-

creavit; quo facto declaravit se tot turbis imparem esset, & sapientissimos quosque, ærumnarum & calamitatum sensu fieri prudentiores.

MUNDI Urb. Cond. CHRISTI.
4340. 1040. 287.

Pertinere videntur ad hoc tempus Hieracitæ hæretici, sic dicti ab Hierace, seu Hieracâ Ægyptio Leontopolitano, homine erudito, sed & Mago. Dicti sunt aliter *Abstinentes*, & multos viros probos sub initium specie pietatis decepere, nullos admittentes nisi virgines, viduas, aut vitam solitariam agentes. Negabant resurrectionem carnis, Melchisedechum dicebant esse Spiritum sanctum, & multa alia; quibus se parum sapere indicabant; sed erant admodùm callidi, magni Sophistæ, & suis fallaciis simplices irretire soliti, quibus nihil est à verâ fide disiunctius.

MUNDI Urb. Cond. CHRISTI.
4341. 1041 288,

Cùm hoc tempore Manichæorum hæresis in Africam grassaretur, (unde postea non nisi difficiliter exterminata est) dedere ad Proconsulem Africæ rescriptum Imperatores, ut eorum libros Doctoresque vivos combureret, sectatores de vulgo minueret capite, honoratiores ad metalla fodinasque damnaret, omnium bona adjudicaret fisco. Tanta visa, etiam prophanis Principibus, eorum hominum turpitudo.

MUNDI Urb. Cond. CHRISTI.
4342. 1042. 289.

Circa hoc tempus florebat Serena Augusta Imperatoris Diocletiani uxor, & mater Valeriæ Eutropiæ uxoris Maximiani Herculii, & Galeriæ uxoris Galerii Maximiani Armentarii. Nulla ejus fit mentio apud Ethnicos scriptores, neq; in nummis antiquis; sed meminere ejus Martyrologium Romanum 17. Kal. Sep. & passim acta Sanctorum, quibus annumerari majus aliquid est, quàm Imperatoris thalamum conscendisse.

MUNDI Urb. Cond. CHRISTI.
4343. 1043. 290.

Passa creditur hoc anno martyrium Susanna virgo, filia Gabinii, neptis Caji, abneptis Diocletiani ex fratre suo Maximino, seu Maximo. Cùm enim eam ducere vellet Maximianus Herculius, mortuâ uxore suâ Valeriâ Eutropiâ filiâ primogenitâ Diocletiani, hæc hominem rejecit, jam nupta Christo; quod cùm rescisset Diocletianus, eam in paternis ædibus cædi jussit, & sic purpurâ illustriori cohonestari, 3. Idus Augusti.

## CAP. X.

## Decas Ultima.

### Ab anno Christi 290. ad 300.

MUNDI Urb. Cond. CHRISTI.
4344. 1044. 291.

CUm & à Barbaris & Tyrannis fœdè laceraretur Imperium, neque tot turbis atque locis duo pares essent Imperatores, creati sunt insuper Cæsares duo, ut calamitatibus per loca diversa sparsis à pluribus provideretur. Creatus est ergo Cæsar Flavius Valerius Constantius Chlorus, dictus & Torribilis, Claudii Imperatoris ex filiâ nepos (ut vult Eusebius) aut potius (ut scribit Trebellius Pollio) Crispi fratris Claudii ex filiâ nepos. Adjunctus quoque comes ei fuit Galerius Maximianus Armentarius, cognomento postea Iovius, ex Daciâ non longè Sardicâ natus. Atque ut conjunctiores viverent, nuptiis quoq; inter sese devincti sunt. Constantio enim, rejectâ Helenâ, ex quâ jam natus erat Constantinus Magnus, data est uxor Flavia Maximiana Theodora, filia Eutropiæ uxoris Maximiani. Armentario data est Galeria Valeria, altera filia Diocletiani ex Serenâ, quæ patri suo admodum chara fuit, ideoque ex ea partem Pannoniæ, dixit, quæ deinceps vocatum est Valeria Pannoniæ, ut distingueretur à Valeriâ Italiæ provinciâ: fixit & ad ripam Danubii Valeriam urbem, amoris in eam paterni certissimum monimentum. Tum inter eos Romanus Orbis, bellaque divisa sunt, Constantio commissa est Britannia, objectusque Carausius, Maximiano Herculio mandata Africa, cum Quinquegentanis debellandis, & Juliano jam quoque rebellante; Armentario Oriens & Narses Perses; Diocletiano Ægyptus & Achilleus Tyrannus, ut suam quisque coleret Spartam, tutamque præstaret. Sed tum invectum est in Italiam malum ingens, at necessarium, tributorum onus ad tot Principum exercitus atque pompam, ipsis copiis; hisce temporibus utiliorem.

MUNDI Urb. Cond. CHRISTI.
4345. 1045. 292.

Hoc anno Armentario & Chloro data Tribunitia potestas, ut plus ambo possent, ac meliùs animati fines sibi commissos tuerentur. Nec mora, Constantius Carausium aggressus est: at is & suâ fortitudine fretus, & insulæ suæ situ, sic restitit ut omittendus videretur: ad hæc ad continendas in officio barbaras illas gentes aptus videbatur, murusque Severiano firmior. Pax itaque cum eo constituta, duratura quandiu is felix esset, & necessarius, eique relicta prudenter quæ non poterat eripi Britannia. *Chlorus frustra aggreditur Carausiũ.*

MUNDI Urb. Cond. CHRISTI.
4346. 1046. 293.

Diocletianus non appellari se modò *Dominum* passus est (quod nomen visum erat Romanis abominandum in Domitiano) sed & adorari, cùm ad hoc usque tempus Imperatores salutarentur judicum more; atque ut spectabilior esset, vestes suas gemmis distinxit, immo & calceamenta, cùm alii Imperatores clamyde purpureâ auro intertextâ tantùm distinguerentur. Quibus factis docuit *humillimos quosque ubi accesserunt in alta; superbia, & ambitione immodicos esse*; eò ferri sublimiùs, quo ex inferioribus emerserunt. *Diocletiani superbia.*

Interea Alectus adscitus in societatem Principatus à Carausio, aut veriùs per scelus extorto Imperio, ac sic impetratâ flagitiorum impunitate, & ob ea mortis formidine liberatus, consortem suum fraude circumvenit, & occidit. Relicta quoque ei tantisper Britannia, pretium sceleris, eâ post triennium exuendus, & cùm satis diu non proditor modò, sed & proditio amata esse viderentur. *Alectus Carausium necat.*

MUNDI Urb. Cond. CHRISTI.
4347. 1047. 294.

Contra Sarmatas expeditio suscepta (inquit Idacius, quibus Bastarnas & Carpos Eutropius adjungit) à Maximiano Herculio homine fero *Maximiani Herculii libido.*

& libidinoso, & quem tolerabat Diocletianus, quia ejus feritate & ingenio utebatur, neglecta libidine. Is in Venerem adeò propensus erat, ut ne quidem obsidum corporibus parceret : unde datur intelligi quam in suos flagitiosus esset, qui etiam alienos vitiaret.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4348. 1048. 295.

*Barbari victi in agro Rom. locati.* Victi sunt hoc anno Sarmatæ, Carpi, & Bastarnæ à Maximiano, atque ut diuturnior esset victoria, ingentes Barbarorum captivorum copiæ in Romanorum finibus ab eodem assentiente Diocletiano locatæ sunt. Neque tamen cum cœlo mutavere mores ; non enim ut arbores mutato solo, cœloque, ita homines mansuescunt.

*S. Gabinius martyr.* Gabinius S. Susanæ pater videtur circa hoc tempus obiisse in pædore carceris, ejusque animus ex duplicibus vinculis in Dei sui complexus evolasse.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4349. 1049. 296.

*Diocletiani victoris sævitia.* Alexandria hoc anno capta octavo obsidionis mense, & Diocletianus optimatium cæde contentus pepercit multitudini. Duas quoque urbes penitus evertit, Busirin & Copton. Captus ipse Achilleus defectionis autor, ac feris objectus dilaniatus est, cæteri consortes conspirationis atrociter puniti, in quos cædibus ac proscriptionibus sævitum, adeo ut eo potentium sanguine Ægyptus maduisse perhibeatur; quid enim aliud ab Diocletiano, & Diocletiano victore expectaretur?

*Alectus caditur.* Alectus appetitus est bello per Constantium, in quem is præmisit Asclepiodorum Præfectum Prætorio, cum parte classis atque legionum. Deletus Alectus ac cæsus, morte suâ Britanniam reddidit Constantio, in quâ deinceps vixit sociis acceptissimus, atque tantùm in iis dives, *Constantius sine exactionibus dives.* cùm unus ipse ex Imperatoribus thesauros non cogeret ; in subditorum à quibus amabatur manu certiores, atque tutiores.

*Vincit Alemannos.* Deinceps in Galliâ multa præclara gessit ; semel tamen tantùm non ab Alemannis oppressus apud Lingonas, & in urbem fugere compulsus; ex cujus muro nisi fune à civibus demissus fuisset, captus erat. Andomatunum tamen hujus populi caput ingressus, quò sui exercitus robur cõfugerat, accivibus animatis, in hostes erumpit, & sexaginta eorum millia cædit, eâdem die fortunam iniquam & faventem expertus. Hâc Victoriâ pacatæ penitùs Galliæ ; sic Germanis attritis, ut se Romanis bello impares faterentur.

*Victoria Herculii.* Eodẽ tẽpore bene res gesta à Maximiano Herculio contra Quinquegẽtianos in Africâ, Procõsule Iuliano qui eis animos fecerat, vitâ copiis exuto.

*Armentarius victus à Persis.* Galerio Maximiano Armentario res aliter cessit; cùm enim is Narsem, seu Narseum Varanis secundi filium invasisset in Mesopotamiâ, primo congressu æque marte discessit ; altero victus fugatusque totum amisit exercitum. Igitur dedecoris plenus fugit in Syriam ad Diocletianum, à quo majorem recepit ignominiam. Nam mille passibus pedes ante ejus carpentum, in purpurâ currere coactus est instar gregarii militis, qui militi Romano tam malè, atque sibi consuluisset.

*Cajus Papa Mart.* Mortuus est denique hoc anno, Diocletiano VI. & Constantio secundùm Coss. Cajus Papa Martyr. x. Kal. Majas, cùm sedisset annis 12. mensibus 4. diebus 5. cujus est institutum Decreto firmatum, ut per 4. minores ordines, 3. majores, ad Episcopatum perveniretur. Successorem habuit Marcellinum; quem cave cum Marcello confundas, neque te nominum similitudo, uti Eusebium ejusque sectatores, fallat.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI
4350. 1050. 297.

Galerius Armentarius, collectis per Illyricum Mœsiamque copiis, adjunctoque veterano milite, Narsem Mesopotamiam depopulantem aggreditur, & priùs in habitu gregarii militis, ejus castris exploratis, eum noctu cum 20. equitum millibus invadit ac fugat, tantâ clade, ut non modò superiorem velaret ignominiam, sed etiam Persas ultra Ctesiphontem fugaret usque ad invios Parthiæ montes ; his tantùm vitam ac libertatem debuit Narses, vulneratus in acie, ejus omnes liberi capti, uxores, sorores, & pleraque Persarum nobilitas; quæ omnia per legatos petita, non statim reddita sunt, nec nisi triumphata. Data tamen ei pax eâ lege, ut Armeniis Mesopotamia & Assyria cederet. Quare tum à Diocletiano in Mesopotamiâ magnificè susceptus Armentarius victus vix militibus, victor magnis Imperatoribus accensitus.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4351. 1051. 298.

Andreas Christianus Tribunus militum egregiam Armentario navarat operam sub Antiocho duce cum sibi subjectis Christianis. Eorum fides cùm detecta esset inter angustias Tauri montis, jussu Imperatoris trucidati sunt à reliquo exercitu, & per Petrum Episcopum Tarsensem, à quo sacris aquis eluti fuerant, religiosè collecti sepultique digniorem in terris atque cœlo triumphum retulerunt.

Romæ autem Imperatores duo Diocletianus & Maximianus triumpharunt de Persis, & Narseo, cujus liberos, uxores, sorores, & Principes in vinculis Populo Romano ostentati, tantùm voluptatis tum attulere, quantùm priùs terroris injecerant.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4352. 1052. 299.

Tum victi Marcomanni, itemque vicinæ aliæ gentes, semper Romanis absentibus insultantes; & cum iis ineuntes fœdus cùm nocere non poterant : quod feriebatur tamen, quia barbaros limite Romano submoveri satis illi judicabant Imperatores.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4353. 1053. 300.

Thermæ Diocletiani Romæ, & Maximiani Herculii Carthagine ante 4. annos, anno 15. Diocletiani inchoatæ, tum diligenter promovebantur à Christianis militibus, quos atterere potiùs servilibus operibus, quàm frustra necare statuerant Imperatores ; quæ tamen nonnisi septennio absolutæ sunt; quando & laborum suorum præmium fœlices illi latomi 7. Idus Iulii ad Aquas Salvias, duce Zenone Tribuno, receperunt, fuso sanguine pro Christo, cui toties sudorem suum consecrarant.

LIBER

# LIBER IV.

## *Ab anno Christi* 300. *ad* 400.

### CAPUT I.

### *Decas Prima.*

*Ab anno* 300. *ad* 310.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4354. 1054. 301.



COSS. Titiano secundùm, & Nepotiano, 15. Kal. Majas Herculio ludos in Circo maximo spectante, acclamatum est à Populo duodecies *Christiani non sint*, decies *Christiani tollantur*. Quare Hermogeniano Præfecto Prætorii referente in Senatu, decreta est ab eodem in Christianos persecutio; cujus rescriptum pridie Kal. Majas exiit. Eo jussi sunt Diis sacrificare, aut pœnis subjici, bonis confiscatis. Hoc porrò edictum quantùm sanguinis elicuerit Deus unus novit, cùm Martyrum numerum inire Notarii desperarint.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4355. 1055. 302.

DECIMA PERSECUTIO *Sub Diocletiano Jovio, & Maximiano Herculio.*

Constantio Chloro Cæsare IV. & Galerio Maximiano Armentario Consulibus, imminente Paschate pependerunt edicta nomine Imperatorum, ut Ecclesiæ Christianorum diruerentur; Codices sacri traderentur & exurerentur; qui functi essent aliquo gradu, eo decederent; cæteri vitam in tormentis relinquerent. Itaque sævitum ubique à præsidibus & præfectis, tantâ importunitate, ut intra mensem Romæ martyrum septem ac decem millia numerati sint, in Ægypto totâ hac persecutione centum quadraginta quatuor millia perierint, septingenta millia exularint; unde duces conjecturam de aliis provinciis, præter eas quam & Constantinus regebat. *Certatim autem*, inquit Severus Sulpitius, *gloriosa in certamina ruebatur, multoque avidius tum Martyria gloriosis mortibus quærebantur, quàm nunc Episcopatus ambitionibus appetuntur.* Qui autem supplicii fracti, aut quæstionum metu sacros tradebant libros, *Traditores* dicebantur, quorum ingens numerus fuit; nec pauciores inventi sunt qui fidei confessionem perdidere, inter quos perperam refertur Papa Marcellinus, sed verè Eusebius Cæsariensis, cui in conventu Tyrio Potamon Heracleæ Ægyptiacæ Episcopus ejusdem carceris cum eo inquilinus objecit in faciem, sed quam improbus ille veterator perfricuerat.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4356. 1056. 303.

Cyrthæ in Numidiâ habita est Synodus Antistitum ut hic crearetur Episcopus; agitata est Traditorum causa: in quâ cùm Secundus Episcopus Tisigitanus, Primas Numidiæ, fermè omnes qui aderant hujus criminis convinceret; ipse vicissim accusatus est ejusdem sceleris à Purpurio Limatensi Episcopo, reo necis filiorum sororis suæ. Itaque qui supererant innocentes, ad vitandum Schisma eos in communionem receperunt, causâ judicioque Deo Optimo Maximo relictis. Itaque electus Paulus, qui mox & sacros Codices, & supellectilem Ecclesiasticam tradidit; ut à quibus promotus esset intelligeretur.

Passus est hoc anno S. Vincentius Cæsaraugustæ, à Diacono homine immani tortus verberibus, equuleo, craticulâ, unguibus ferreis, usque ad defatigationem tortorum, desperationem præsidis, in molli culcitrâ spiritum Deo reddidit, quem tormentis debuerat. *S. Vincentius Martyr.*

Item S. Agnes Romana virgo duodennis pro fide & castimoniâ vitam profudit, quam vix delibaverat; in cujus cæde plus timuit qui ei mortem inferebat carnifex, quàm ea quæ recipiebat; omnium gentium celebrata linguis, & tamen omni celebritate longè major. *S. Agnes.*

Venit quoqoe ad martyrium Victorinus Episcopus Pictaviensis ex Pontificiâ sede; Genesius, Ardelio & Dioscorus, ex Scenâ, Crispinus & Crispinianus nobiles Romani, ex Sutrinâ, Anastasia ex carcere, & igne; infiniti alii ex variis tormentis, quæ defecerunt potiùs, quàm pleni Deo Martyres deficerent. *Alii Martyres.*

Tum quoque putatur habita Sinuessana Synodus in causâ lapsi Pontificis Marcellini pœnitentis: quæ omnia fabulam sapiunt; avidè tamen arrepta ab iis qui sanctam Sedem inscitè magis quàm eruditè defendunt, quòd in hoc cœtu *prima Sedes à nemine judicata feratur*; quasi verò fabulâ indigeret, quod sapiens negavit nemo, & quod hoc nixum testimonio potiùs ruere potest, quàm firmari. *Pseudo synodus Sinuessana.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4357. 1057. 304.

Diocletianus & Maximianus Herculius, ille ex imperii tædio, hic ne collegæ displiceret, ambo fortasse ex desperatione deprimendæ & abolendæ Religionis Christianæ, hic Mediolani, ille Nicomediæ deponunt purpuram Kal. Aprilis, eâdemque horâ Constantius Chlorus, & Galerius Maximianus Armentarius creantur Augusti, ut hic Illirico, Græciæ & Orienti, ille Galliæ, Britanniæ, Hispaniæ, Africæ, Italiæ præesset; adjunctis tamen duobus Cæsaribus P. Valerio Severo nepote Galerii, & Galerio Maximino, cognomento Daza, filio sororis Galerii Armentarii; cùm ergo Chlorus sponte cessisset Africâ & Italiâ, utraque Severo concessâ. At ne spretus Maximinus videretur, missus est ad regendum *Augusti se abdicant Imperio.* *Chlorus & Armentarius fiunt Augusti.*

gendum Orientem. Herculius ſeceſſit in Lucaniam, Diocletianus in Dalmatiam Salonas, ubi hortum manu ſuâ coluit; ſicque ex malo Imperatore factus olitor bonus docuit Imperium deſeri faciliùs, quàm adminiſtrari.

*Conſtantini Magni adhuc juvenis fortitudo.*

Conſtantinus Conſtantii Chlori filius, relictus obſes à patre apud duos Imperatores Iovium, & Herculium, magnæ ſpei juvenis, & majoris quàm res Armentarii viderentur exigere, ab eo multis periculis expoſitus eſt, in quæ ſponte ferox adoleſcens irruebat. Militans enim eques adverſus Sarmatas, ferociſſimum & grandem Barbarum capillis attractum ad pedes Galerii per vim attraxit; nobile ſuæ fortitudinis monimentum. Deinde miſſus ab eodem Galerio contra Sarmatas, equo per paludem profundiſſimam ingreſſus, ipſe ſuis invenit viam & grandi clade hoſtem affixit. Quæ in ſchedis P. Iacobi Sirmondi nondum editis cùm adhuc lateant, diutius in laudem magni Conſtantini non debent abſcondi.

*Chlorus Chriſtianos amat.*

Tum quoque Conſtantius Ethnicus licet, quàm bene de noſtra fide ſentiret oſtendit; aulicos enim ſuos aut Chriſtum aut aulam deſerere juſſit: qui cœlum terræ præpoſuere, retinuit: qui pluris fecere hominem quàm Deum, dimiſit; ratus nequaquam futuros homini fidos, qui Deo ſuo infideles extitiſſent.

*S. Marcellini Papæ Martyrium.*

Marcellinus cùm ſediſſet annos ferè octo, 6. Kal. Maji pro Chriſto paſſus eſt, & poſt dies 25. ſucceſſorem Marcellum Romanum habuit.

*Succedit ei S. Marcellus.*

*Varii Martyres.*

Reliquos hoc anno paſſos quis enumerare conaretur? Enituere inter cæteros Theodorus miles, templi Cybeles incendiarius, Balahamus ruſticus Scævolâ generoſior, Dorothea virgo munere ſuo admirabili Theophilum advocatum lucrata, pleræque virgines per miracula in lupanaribus integræ ad martyrium ſervatæ, ut non animo tantùm ſed & corpore puræ Chriſto ſponſo ſiſterentur, quorum nomina in cœlo ſcripta, non opus ut hic exarentur.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4358. 1058. 305.

*Conſtantinus redit ad patrem.*

Maximianus Armentarius Conſtantinum reddit patri ſuo repetenti. At cùm juveni eſſet per Italiam tranſeundum, ſibi à Severo jure metueret, ſic per Italiam decurrit, ut Severianis inſequendi tolleret poteſtatem, veredariis equis quibus non utebatur omnibus mutilatis. Sic pervenit ad patrem Bononiam, ante Geſſoriacum navale, & tempore adfuit ut res ſtabiliret ſuas, parente ſuperſtite, qui deinceps diu in vivis non fuit, nec ægrè ſe paſſus eſt mori, relicto filio qui locum ejus digniùs & auguſtius impleturus erat.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4359. 1059. 306.

*Conſtantius Chlorus moritur, Succedit ei Conſtantinus filius ex Helena.*

Conſtantius Chlorus Eboraci moritur; Conſtantinus filius conſenſu omnium militum Cæſar dictus, & appellandus Auguſtus niſi recuſaſſet, ne ſibi conflaret invidiam. Reliquit autem hæredem partis Imperii quam occupabat Conſtantinum natum ex Helenâ, hoſpitis ſui in Britanniâ filiâ, quare per contemptum *ſtabularia* dicta eſt. Ex Theodorâ verò Auguſtâ genuit Conſtantium patrem Galli & Iuliani, Fl. Delmatium patrem Fl. Iulii Delmatii junioris Cæſaris, & Fl. Claudium Hannibalianum, qui in nummis Rex inſcribitur, videlicet Ponti in Cappadociâ; quibus omnibus nihil reliquit præter benevolentiam fratris, & quem propter eximias corporis animique dotes ad eorum fortunam & amplitudinem ſatis eſſe arbitrabatur.

Ubi Conſtantini Cæſaris imago perlata eſt Romam, Maxentius ſuppoſititius ab Eutropiâ filius Herculii, Auguſtus acclamatus eſt à Prætorianis, quos promiſſis corruperat; ac Conſtantini dejectis ſtatuis ejus ſe inimicum profitetur. Et ſub initium Maxentius favere viſus eſt Chriſtianis, ut ſibi Pop. Romanum demereretur; ſed tantumdem duravit is amor, quantùm utilis amanti judicatus eſt.

Cæcilianus in locum Menſurii Carthaginienſis Epiſcopi ordinatus à Felice Epiſcopo Aptungitano, ſtatim repetit à Senioribus vaſa quæ iis Menſurius tempore perſecutionis crediderat: ea ne redderent avari homines, addunt ſe Botro & Cæleſio repulſam paſſis in ambitu Epiſcopatus, adjunctâ ſibi Lucillâ pecunioſiſſimâ & factioſiſſimâ fœminâ, aliunde iratâ Cæciliano, quòd ab eo Archidiacono Menſurii increpita eſſet, quoniam exoſculabatur ante communionem os neſcio cujus hominis martyrium paſſi, ſed nondum inter martyres agniti. Itaque Secundum Epiſcopum Tigiſitanum, Numidiæ Primatem, principem Traditorum, qui præfuerat Synodo Cyrthenſi, cùm ſuis idem conſortibus ii ſeorſim convenientes, creant Pſeudoepiſcopum Majorinum lectorem, in Diaconio Cæciliani, ac ſuis litteris per totam Africam, Traditorem Cæcilianum faciunt, ideoque meritò exautoratum. Inde exorti Donatiſtæ, ita dicti à quodam Donato Epiſcopo de Caſis Nigris in Numidiâ, homine factioſo, & inter illos Epiſcopos, qui Majorinum crearant, eminente. Sed cùm is poſtea damnatus eſſet à Papâ Melchiade, negarunt Donatiſtæ ſe ab eo dictos eſſe, ſed à quodam Donato qui Majorino ſucceſſit, homine eloquente, & cui promotum ſchiſma plurimùm debuit.

Eodem tempore aliud conflatum eſt in Ægypto ſchiſma, autore Meletio Epiſcopo Lycopolitano, qui à Petro Alexandrino Epiſcopo propter gravia crimina depoſitus in ſynodo, maximè quòd idolis feciſſet. Itaque revulſus à Petro, etiam Maximinum Cæſarem in Catholicos accendit, multiſque prævaricationis cauſa fuit, non jam à Petro, ſed à Chriſto disjunctus.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4360. 1060. 307.

Maximianus Armentarius audiens Maxentium uſurpaſſe ſibi Imperium, mittit in eum Severum Cæſarem cum exercitu; ſed corruptis per Maxentium Severi militibus hic vincitur, & Ravennam fugere compellitur. Quidam etiam tum interfectum eum à Maxentii militibus ſcribunt. Armentarius ergo cum ingentibus copiis advolat, ſui Cæſaris ulturus fugam: ſed dum videt milites omnes in Maxentium bene animatos, ad eum mittit Licinium & Probum duces ſuos, qui eum admonent, ut precibus potiùs obtineat Imperium.

perium, quàm vi extorqueat. Verùm rejectæ Maximiani monitiones, ejusque monitores; contemptus & à suo milite Augustus, qui sibi jam metuens, fugienti similis recedit in Illyricum, creatque Valerium Licinianum Licinium Cæsarem, ut Pannonias tueatur; dum ipse Sardicæ meliorem ultionis occasionem opperiatur.

His acceptis Maximianus Herculius, qui nunquam ex animo abjecerat Imperium, id respectabat identidem, Romam è Lucaniâ advolat, monetque Diocletianum ut clavum abjectum recipiat Imperii, in quo bellum civile nascebatur, sed eum indicatis caulibus & brassicis prudēs senex irrisit. Igitur Herculius, quasi solus has turbas sedare posset ingenio suo, fraudibus pectus fœcundum concutit, ac primò Severum deceptum perjurio vinculis mancipat, & instar captivi per Urbem victum traducit; nec eo contentus dedecore, in Appiâ viâ trigesimo ab Urbe lapide jugulari curat, ut Maxentium sibi obstringeret, ac tandem in suas deduceret plagas; sed eas subodoratus Maxentius perfidum, Urbe cogit exire, qui in proximam Galliam confugit ad Constantinū, eique Faustam filiam suam mortuâ priori uxore Minervinâ, ex quâ Crispum jam susceperat, uxorem dedit, atque insuper creavit Augustum, quasi huic dotale cum filiâ deferret Imperium.

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4361. | 1061. | 308. |

Coss. Maximiano Herculio X. & Galeriano Maximiano VII. idem Galerius Licinium humili loco natum in Daciâ creat Augustum Carnunti in Pannoniâ, 30. Idus Novembris, ut eum hostibus & inimicis opponeret, quibus se non carere homo natura ferox, sed aliunde callidus intelligebat.

Pamphilus Cæsariensis in Palæstinâ Presbyter, jam biennio detentus in custodiâ cum 12. sociis, jussu Firmiliani præsidis variis suppliciis forti, Martyrii victoriam retulere; quorum piis manibus mox Præses ipse litavit interemptus ferro. Eusebio Cæsariensi adeo hic carus fuit, ut se Eusebium Pamphili dici voluerit, eumque in cognomine suo prætulerit patri; cui utinam moribus quàm doctrinâ conjunctior extitisset.

Donatistæ hoc anno robur & incrementum accepere; juncti enim Traditoribus Carthagine coegerunt partium suarum 270. Episcopos, & per 75. dies inter se contulerunt; & Sanctionem ediderunt, quâ caverunt, Traditoribus, modò ut baptizari nollent, esse communicandum. Tanti videlicet laboris, & temporis, is ridiculus fructus fuit.

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4362. | 1062. | 309. |

18. Kal. Febr. S. Marcellus Papa cùm sedisset annos 4. menses 8. præter propter, in catabulo, seu ubi jumenta publica alebantur pædore ac situ loci nudus, ac cilicio vestitus interiit. Eo à Maxentio relegatus erat, mortem ei pro Christo invidenti, quasi Deus absque sanguine suos martyres non haberet. Post dies 20. suffectus ei Eusebius natione Græcus, quem antecessoris sui calamitas nihil deterruit: certè accendit patientia.

Eodem anno urbs in Phrygiâ cum universo populo addicta Christo, Imperatoris Galerii jussu tota concremata paravit bustum quolibet Imperatorio rogo preciosius, & quod veram, eamque multiplicem fecit Apotheosin.

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4363. | 1063. | 310. |

*Maximianus Herculius strangulatur.*

Agebat apud Constantinum generum suum Maximianus Herculius, in honore & gratiâ: sed inquieti vir ingenii hoc bono uti nescïit. Parat enim genero suo insidias adhibita consorte filiâ suâ, at hæc amantior mariti quàm patris, totam retexuit telam. Itaque fugere compulsus est Massiliam; ibi interceptus strangulatus est, sublatus morte quæ latronem magis & sicarium quàm Imperatorem decebat.

*S. Petrus Alex. martyr.*

Feliciùs hoc anno pro Christo interiit Petrus Episcopus Alexandrinus, etiam volens, & indicato satellitibus modo quo sine populi tumultu posset interfici, etiam in morte de ovibus, hostibusque suis sollicitus. Is Arium ob Meletianum schisma expulerat Ecclesiâ, nec eum unquam recipere voluit, quamvis Achillas & Alexander deprecatores accederent ejus postea successores. Viderat scilicet vir sanctus ab impio homine discissam Christi vestem, & qui Schismaticus fuerat ex ambitione, futurum ex rabie Hæresiarcham.

*Arium noluit recipere.*

*Achillas Petro succedit.*

Statim ergo Petri successor Achillas Arium pœnitentiam simulantem recipit, & ad Presbyteri gradum promovet, immò & cuidam Ecclesiæ Alexandrinæ præficit cum potestate sacras litteras interpretandi. Sed infelix sic inclusit caulibus lupum, & dum sceleratum hominem sibi devincire parat, viperam inclusit sinu, cujus morsum diu luxit Ecclesia.

## CAPUT II.

### *Decas Secunda.*

*Ab anno Christi* 310. *ad* 320.

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI |
|---|---|---|
| 4364. | 1064. | 311. |

*S. Lucianus mart.*

Lucianus Martyr Nicomediam deductus ad Imperatorem, coram eo Apologiam pro Christianis dixit; ejus jussu conjectus in carcerem manibus pedibusque decussatis ad quatuor palos affixus, pridie quam cæderetur positis in pectore suo pane & vino, mysteria celebravit, & se atque suos pretiosâ Christi carne, ac sanguine refecit. Ejus cadaver in mare projectum excepere Delphini, atque ad Drapanum detulere, religiosi, Deo jubente, Vespillones.

*Galerius Maximianus moritur.*

Galerius Maximianus Armentarius consumptis genitalibus pestilenti ulcere, pestilentem effudit animam ex corpore vermibus ad horrorem scatente. Antequam obiret, agnoverat Dei vindicantis manum, & persecutionem Christianorum edicto compresserat: sed, ut creditur, pœnitentiâ ut morte Antiocho par & geminus. Hunc Maxentius ejus gener inter Deos retulit, & gratus esse voluit ut Diis suis illuderet.

*Alexander Tyrannus in Africa.*

Alexander, natione Phryx, in Africâ Præf. Prætorio,

torio, in Maxentium rebellat, homo imperio minùs dignus, sed ad id suscipiendum compulsus, cùm ejus filium (fortè Nigridianum dictum) ad nefariam libidinem poposcisset, eoque necato patrem ejus interficere conatus esset: at is victus est à Rufio Volusiano Præf. Prætorii in Africam cum copiis misso, captusque suffocatus est; unde data Maxentio Carthagine sæviendi seges, atque Romæ triumphandi; qui triumphus crudelitatis potiùs, quàm fortitudinis fuit.

*Eusebius Papa moritur, ei cedit Melchiades.* Eusebius Papa, sedis suæ anno secundo cum 7. mensibus, diebus sexdecim, obiit: eique post septem dies successit Melchiades, ad meliora tempora reservatus.

*Athanasii initia.* Achillæ demortuo successit Alexander, cujus initio sedis contigit Baptismus ab Athanasio Catechumenis collatus, quem iterari noluit Episcopus, sed tantùm ceremonias sacras adhiberi; huncque deinceps convictorem suum voluit esse atque scribam, quem Deus hoc puerili ludo ad magna destinabat.

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4365. | 1065. | 312. |

*Maximini persecutio.* Eo anno, quo dira fames per totum Orientem grassata est, Maximinus persecutionem instaurat, impulsus à quodam Theotechno; Antiocheno curatore, homine improbo, & Vafro, qui falsis oraculis Principem induxit ut bellum indiceret Christo. *Acta Pilati conficta, & nefariæ artes in Christianos.* Et verò eo jubente Acta quædam Pilati nomine conficta sunt, blasphemiis & jocis in Christum referta, quæ ludimagistris omnibus proposita sunt, ut pueris instillarentur, atque à teneris in Christum odia combiberent. Corruptæ denique mulieres quædam gentiles omnibus sceleribus coopertæ, quæ se Christianas fuisse fingerent, & Christum ejurasse propter libidines in cœtibus occultis patrari solitas. En quibus artibus mendaciorum pater, ejusque satellites, hominibus illuserint, cùm jam regnum suum videret interire, à Christo statim per Constantinum sanctiùs obterendum.

*S. Catharina Martyr.* Ejus temporis videtur esse S. Catharina, nobili prosapiâ genita, & litteris egregiè exculta; quam cùm deperiret libidinosissimus Maximinus, nullis eam artibus ad venerem trahere potuit. Apud Eusebium ex versione Rufini (nam in textu Græco caret nomine) appellatur Dorothea, fortè, ut suspicatur Baronius, quia binominis erat, Ethnica dicta Catharina, seu Hecaterina, Christiana verò Dorothea. Utrum autem Philosophos confuderit, machinæ dentatæ objecta sit, decollata ab Angelis in monte Sinai sepulta sit, nemo (quod mirum est) veterum dixit, primusque reperitur Euthymius Zygabenus in Psal. 44. qui sub Alexio Comneno vixit, id asseruisse, cùm Eusebius tantùm ejus Dorotheæ exilii meminerit; quæ fortè cùm in deserta & montes Arabiæ, ut multi Christiani, confugisset, à Sanctis viris in his locis degentibus sepulta sit; qui Angeli nonnunquã vocantur. Sed hanc viri docti conjecturam, eruditorum arbitrio subjicimus, & Ecclesiæ aliter sentienti, atque canenti prudenter assentimur.

*Sophronia Christiana.* Dum autem Maximinus in Oriente libidinosè fureret, non erat castior in Occidente Maxentius. Ab eo cùm invitaretur ad stuprum Sophronia Romana mulier, eaque Christiana (sic enim apud Eusebum latinè per Ruffinum loquentem vocatur, cùm Græcè nomine careat) etiam assentiente marito Urbis præfecto, postulato tempore ut se comeret & aptaret, in cubiculo sibi gladium in pectore defixit; parricida si genio suo, Martyr si Spiritu sancto invitante sibi violentas intulerit manus.

Cùm igitur ita grassaretur Romæ Maxentius, ejusque libidini crudelitas responderet: invitatus à Romanis quibusdam, sed longè potentiùs à Deo in eum arma corripit Constantinus, privatis insuper Tyranni injuriis lacessitus, qui statuas ejus & imagines everterat, atq; conciderat. Cùm igitur Constantinus in eum moveret, Sole in pomeridianum inclinante, ut ipse Eusebio testatus est, vidit cum toto exercitu in cœlo crucem formatam ex luce cum his verbis, ἐν τούτῳ νίκα *in hoc vince*, ac sequenti nocte Christum aspexit præcipientem sibi ut ejusmodi quod viderat in cœlo signum formari juberet, hastam scilicet cum exiguo ligno transverso, & litteris X. & P. implicitis, eminentibus in apice crucis; quod deinceps latinis *Labarum*, Græcis λάβαρον fuit; quo vel laborum militarium finis, vel persecutionis significaretur. Hoc signo fretus, animatusque Constantinus, Maxentii duces sibi objectos ad Taurinum, Brixiam, Veronam profligat, ac denique ipsum Maxentium sibi cum ingentibus copiis ad Urbem occurrentem penitus delet, editis ubique fortitudinis portentis. Maxentius dum victus se in Urbem recipit per pontem Milujum degravatum multitudine, ut vult Zosimus, seu intempestivè à Machinatoribus solutum, ut scribit Eusebius, in Tiberim decidit, ejusque vorticibus haustus est. Corpori invento rescissum caput, quod hastâ defixum primò delatum est Romam, deinde in Africam, ad bonorum spem, malorumque terriculum. Is Maxentii exitus fuit; de quo dubites an luxuriosior an crudelior, an audacior an turbulentior extiterit, cùm in eo omnia vitia, ut ipse cum æmulis, de Principatu contenderent.

Porrò ex hoc anno Indictiones procedunt, & sequens primus numeratur primæ Indictionis annus, de quâ cùm aliàs dictum sit, supervacaneum esset in eâ festinantem immorari.

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI |
|---|---|---|
| 4366. | 1066. | 313. |

Constantinus Pontifex Maximus, edictis persecutionem compescit, Licinio ac Maximino ut idem facerent invitatis, Urbeque ordinatâ proficiscitur in tumultuantem Germaniam. Mediolani sororem suam Constantiam dat uxorem Licinio. Ad eas nuptias vocatus Diocletianus venire recusat, senectutem causatus; sed admissa non est excusatio, minacibusque litteris ab utroque Imperatore territus, quasi Maxentii demortui ac Maximini viventis fautor, ut vitam deinceps terroris plenissimam vir sceleratus traduceret, & desperatam inter vitam atque probrosam mortem incertus miserrimè fluctuaret.

Constantius his nuptiis celebratis repetit Germaniam & Gallias, quas solo aspectu placat. Licinius pergit in Maximinum, bellum sibi denun-

cian-

ciantem, & jam in Illyricum transgressum vanis Deorum responsis incitatum. Sed fugere victus in Asiam compulsus, ubi in fallaces Deorum sacrificulos convertit iram, quam bruta idola sentire non poterant. Tandem edicto in gratiam Christianorũ promulgato, Tarsi in Ciliciâ mortuus est miserabili exitu vitæ, totum enim corpus sensim exesum, in unum ulcus abiit, oculi sponte ex capite dissilierunt. Quare insuper dictus hostis à Constantino & Licinio, ex mœrore & desperatione miserandam efflavit animam, Deũ ultorem prædicans; sed qui levibus & brevibus pœnis ad graviores & diuturniores præludebat.

Donatistæ tumultuantes in Africâ contra Cæcilianum, eum malè ordinatum à Felice Aptungitano contendunt, & ad Constantinum provocant. Ad eum Anulinus Proconsul Africæ 17. Kal. Majas mittit Carthagine Donatistarum libellos supplices, quibus causam tuebantur suam, & Gallos Episcopos judices postulabant. Constantinus eligit Romanum Pontificem Melciadem cum aliis Episcopis Italiæ, quibus adjungit Maternum Agrippinæ, Rheticum Augustoduni, & Marinum Arelates Episcopos, Ab iis Synodus habita in domo Faustæ in Laterano; qui causâ diligenter excusâ, à Cæciliano pronunciarunt; Melchiades graviter increpuit Donatum, Majorinum ad Concordiam invitavit: sed repugnavere Donatistæ, & conditiones omnes pacis pertinacissimè respuentes, nihil se præter turbas & tumultus quærere nimis ostenderunt.

IV. Idus Decembris post sedis annos duos, menses totidem, ac dies ~~totidem~~ 7. moritur Melchiades, vix degustatâ Ecclesiæ pace; quâ sequenti anno Kal. Febr. delectus Sylvester diu potitus, florentem vidit ac reliquit Ecclesiam.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4657. 1067. 314.

Ancyrana Synodus 18. Episcopos vidit, à quibus 24. Canones sanciti de pœnitentiâ lapsorum. Neocæsariensem Episcopi 17. confecere, cum Canonibus 14. Utrique præfuit Vitalis Antiochenus Antistes, qui paulò post mortuus locum Philogonio dedit. De Laodiceno in Phrygiâ Concilio utrum hoc tempore, an post Nicænum, non constat; hoc certum, in eo sexaginta Canones utilissimos editos esse, ac disciplinam Ecclesiæ egregiè stabilitam. Quando & Constantinus, rescripto suo 3. Nonas Maji ad Ablavium de ratis habendis Episcoporum sententiis etiam in civilibus causis, quàm bene esset in Christianam fidem animatus ostendit, seque tum fuisse plusquàm voluntate Christianum.

Donatistæ rursus in Africâ turbas cient, ac Felicem, qui Cæcilianũ ordinarat, Taditorem fuisse contendunt. De hoc negotio jussu Constantini Ælianus Africæ Proconsul statuit, & Donatistas damnat 1.. Kal. Mart. Hi provocant ad Imperatorem: à quo Arelatensis prima cogi jubetur, quæ vulgo *Plenaria* dicitur ab Augustino: hæc vox eruditos hactenus plurimùm torsit, & compulit plerosque ad Nicænum Concilium cõfugere ob vocem *Arianis*, pro *Afris*, à Gratiano perperam intrusam. In hac ergo Synodo iterum rejecti Schismatici provocavere ad Imperatorem absentem, præter moras & tergiversationes aliud quærentes nihil, & audaciores facti qui à nimis bono Imperatore non satis fortiter coërcebantur; quod unum est tamen in Schismaticis & Hæreticis retundendis remedium.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4368. 1068. 315.

*Initium discordiæ inter Licinium, & Constantinum.*

Constantinus agit cum Licinio, ut Bassianus, cui nupserat Anastasia soror sua secundo loco nata, Cæsar crearetur, & obtineret Italiam; quasi inter duos Imperatores interjectus. At incautus Bassianus audiit Sinicianum fratrem suum, à quo persuasus est ut Licinio adhæreret potiùs, Constantinum appeteret bello: verùm ille in ipso conatu oppressus pœnas temeritatis & insaniæ dedit. Sinicianus ergo autor hujus belli petitur à Licinio, & necatur, statuis insuper Constantini Æmone dejectis. Hinc atrox bellum, & prælium ad Cibalim Pannoniæ 8. Idus Octob. à mane ad vesperam; quo victus Licinius, amissâ magnâ parte copiarum, cum uxore ac filio & thesauris ex urbe Sirmio translatis fugit in Daciam, inde in Thraciam, reparaturus bellum; ideò Valentem Cæsarem creat, primùm Siniciano in acie cæso, harum turbarum concitatore. At Constantinus potitus Cibali, Sirmio, aliisque oppidis, Licinium fugientem in Thraciâ assequitur, & pacem nequicquam orantem, in Mardiensi campo inire prælium cogit; quo iterum victus est, partem copiarum ejus internecioni nox subduxit. Nihilominus operâ Mestriani Legati compositum fœdus, eâ lege ut Licinio Thracia, Asia, totusque Oriens relinqueretur, reliquum Imperii Constantino cederet; hujus fœderis victima cæsus Valens fuit, nomine Cæsaris non Imperii, sed mortis candidatus.

*Licinius victus ad Cibalin.*

*Iterum in Thracia.*

*Caeso Valente Cæsare pax initur.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4369. 1069. 316.

*Moritur Diocletianus, & refertur inter Deos.*

Moritur Salonæ olitor Diocletianus 3. Non. Decembr. sed mortis modum nemo facilè dixerit, dissentientibus scriptoribus: alii enim venenum hausisse, alii contabuisse, alii toto corpore putrefacto amissisque oculis interiisse scribunt, propter immanéChristianorũ proscriptionus iis simul & semel omnibus supliciis dignus, in antecessũ æternæ damnationis. Relatus tamen est inter Divos à Licinio, sed in odiũ Christianitatis, ut putabat, revera in contemptum Ethnicæ religionis.

*Nascitur S. Martinus.*

Hoc anno natum S. Martinum Sabariæ in Pannoniâ putat S. Gregorius Turonensis, ex patre militari viro; qui tamen annus, non est anno mortis ejus certior.

*Arius hæreticus ejectus ab Ecclesia.*

Arius hoc tempore spargens in suis concionibus ad populum hæresin suam, eamque defendens, ab Alexandro Episcopo presbyteratu exautoratus, cum septem aliis Presbyteris, Diaconis 12. septingentis virginibus castitatem profitentibus; quos omnes homo nefarius & ambitiosus seduxerat. Ex Concilio 100. Episcoporum ejectus est ab Ecclesiâ, nunquam in eam admittendus, & citiùs exturbandus.

*Coluthus hæreticus.*

Eodem tempore Coluthus item Presbyter, uni Ecclesiæ urbis Alexandriæ præpositus, hæresin aliam docuit, negans Deum malorum esse creatorem,

rem, & suis sequacibus Coluthianos de suo dixit nomine. Hi cum Arianis & Meletianis juncti multùm Catholicis exhibuere negotii, dum se multitudine & malitiâ simul tuerentur.

*Donatistæ à Constantino ip so damnati.* Hoc anno Coss. Sabino & Ruffino 4. Idus Novemb. ultimum judicium contigit in causâ Cæciliani, quando ab ipso Constantino Mediolani accuratè auditi sunt Cæcilianus ejusque adversarii; hi damnati ut improbi calumniatores, ille innocens declaratus: postea tamen iidem Donatistæ Ecclesiam in urbe Constantinâ Catholicis eripuerunt impudenter; hi modicè tulerunt, & aliam sibi ex fisco statui postularunt; nec tamen in illos impudentes Constantinus sævriit ferro, sed tantùm exilio, ne uti martyres à suis colerentur: habent enim Schismatici, & Hæretici suo mo Dæmon, Martyres suos.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4370. 1070. 317.

*Crispus & Licinianus Cæsares.* Crispus Constantini filius ex Minervinâ, & Constantinus paucis antè diebus ex Faustâ natus Arelate, Cæsares creantur, unaque Flavius Valerius Licinianus Licinius, Licinii Imperatoris ex Constantiâ sorore Constantini; itaque hic annus Iuniorum Cæsarum fuit.

*Solis Eclipsis.* Hoc anno Solis Ecclipsis portendere visa est, honorem duorum inter illos Cæsares non fore diuturnum.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4371. 1071. 318.

*Arius fautores habet.* Arius ejectus Alexandriâ in Palæstinam venit, ubi ab hujus provinciæ Episcopis impetrat potestatem conventus agendi cum suis; ab iisdem admonitus reconciliari Antistiti suo, ille contrà caput erexit, fretus potentiâ Eusebii Nicomediensis, qui nuper ex Berytensi sede translatus erat in Nicomediensem favore & gratiâ Constantiæ uxoris Licinii. Hic excitavit Paulinum Tyrium, Eusebium Cæsariensem, & alios, ut ejus patrocinium susciperent, à quibus Epistolæ scriptæ 70. quibus Alexander respondit, unus tot adversariis par, atque superior. Quæ cùm rescisset Sylvester, misit in Orientem Osium, aut certè jam eum versantem in Oriente rogavit uti turbas illas compescere conaretur, & sopire flammas quibus postea Oriens atque Occidens exarsere.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4372. 1072. 319.

*Licinium invadere statuit Constantinus ob Christianos malè acceptos.* Licinius S. Basileum seu Basilium Amaseæ Ponti Episcopum cædi jubet ob Christi confessionem, & servatam subductamque Glaphyram virginem Constantiæ famulam ex suis manibus; quâ de re monitus Constantinus à sorore, eum bello aggredi destinat. Licinius ut magis irritaret Constantinum Christianos omnes ejicit è suo Palatio, eos in urbibus agere conventus vetat, Episcopos colloqui cum gentilibus; uno verbo, adversus Christum, Constantini ut putabat fautorem, immanem excitat persecutionem, quâ multos martyres immisit cœlo, seatque filium exturbavit Imperio.

*Liciniana persecutio.* Hoc ergo anno inchoata est LICINIANA persecutio, undecima Severo Sulpitio, quâ multi sublati sunt, sed præcipui 40. milites Cappadoces, qui Sebaste in Armeniâ minori, post varia tormenta, in stagnum glacie rigens noctu immissi sunt: ex quibus cùm unus negasset fidem, & in balneum aquæ tepidæ ingressus statim interiisset, Martyrum custos, qui 40. coronas è cœlo pendere viderat, positis vestibus ejus occupavit locum, confractisque omnes cruribus curru delati sunt in ignem, præter unum Melitonem, quem fortissima mater viventem in humeros detulit tandiu, donec mortuum in eundem cum aliis currum conjecit; supra fœminam, & matrem; mulier fortis.

Idem Constantinus turbas Alexandrinas per Osium placare satagit, litterasque ad Arium & Alexandrum scribit. Sed ubi Arii nequitiam fraudesque comperit, litteras ad eum publicas dedit, quibus improbum hominem sibi probè notum esse testaretur.

Alexandriæ Synodus ab Osio coacta est, in quâ Coluthus redactus in ordinem, Sabelliani damnati. Quid de Ario statutum, temporum aut potiùs Arianorum iniquitas scire prohibuit.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4373. 1073. 320.

Crispus Cæsar tam fortiter, tam feliciter contra Germanos depugnat, ut se sanguine Constantini genitum ostenderet, nec parenti, si fata sinerent, futurum inferiorem.

Hoc anno quoque Constantinus abolet pœnas contra orbos & cœlibes latas, quibus à successione suorum arcebantur; abolet & compunctos hominum vultus, & crucem latronibus & fugitivis figi solitam, quia hæc erant à Christianorum castimoniâ, humanitate, & pietate nimis aliena.

---

## CAPUT III.

### *Decas Tertia.*

*Ab anno Christi 320. ad 330.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4374. 1074. 321.

QUinquennalia Crispi & Constantini, Consulibus Crispo Cæsare II. & Constantino item secundùm, magnificentissimè celebrata sunt, quando Quinquennium Crispi, cum patris decimo quinto concurrit. Tumque multa Imperator multis indulsit; Donatistis pœnam exilii remisit; consuli Aruspices passus est; feriari diem Dominicum sanxit; Medicis, Grammaticis, & Professoribus litterarum immunitatem, aliaque beneficia largitus est; jam neque Ethnicus, neque Christianus, licèt à Paganismo remotior.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4375. 1075. 322.

Ad hæc circiter tempora referri potest Synodus Gangrensis, in Paphlagoniâ, cui interfuit Osius; ejus tamen tempus sat certum non est. In eâ damnatus legitur Eustathius quidam, non Sebastenus Episcopus, uti vulgò hactenus creditū est, sed veriùs Eutactus discipulus Petri Anachoretæ

choretæ ſeu Impoſtoris in Palæſtinâ. Hic docebat excludi cœlo qui divitias, parentes, & liberos nō reliquerit, multoſque hac opinione dementavit, nequaquam dicendus monachorum Armenorum Pater, ſed inſanorum fanaticus Hereſiarcha.

Tum quoque Donatiſtæ Romæ habere volverunt Epiſcopum, eoque miſère Victorem quendam Garbienſem. Excluſi autem à Civitate, conveniebant in montibus, unde & *Montenſes* dicti, cùm tamen ſic quoque in Africâ antea ſub Feliciſſimo dicerentur. Ex iis quoq; nati *Circumcelliones*, quorum præfecti ſe dicebant *duces Sanctorum*, jactantes ſe publicæ juſtitiæ vindices eſſe, ſervos vocantes ad pileum, & oppreſſos ære alieno liberantes; qui ab Imperatoribus etiam armis non tantùm edictis compeſcendi fuere; furioſi homines, & avidi ſanguinis ſui perfundendi, quem Dæmoni, ſcelerati martyres, offerebant.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4376. 1076. 323.

Edidit hoc anno Conſtantinus ſanctionem contra homines diverſarum religionum, qui Chriſtianos atque etiam Clericos ad luſtrorum ſacrificia celebranda compellerent, quando videlicet ex Aruſpicum reſponſis Urbs ob aliquod ſacrificium luſtranda videretur: quo edicto Gentilium furorem repreſſit, quem Augurum conſultatione excitare viſus erat; ut ſic utriſque faveret, nec Ethnicus neque Chriſtianus.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4377. 1077. 324.

Gothi hoc anno ingreſſi per limites Imperii malè cuſtoditos, Thraciam & Mœſiam vaſtant; ſed cùm ageret Conſtantinus Theſſalonicæ, ubi nobilem parabat & aptabat portum, eos fortiter retudit; quibus, & factâ impetratâque precibus pace captivos reddidit, in Licinianum bellum intentus. Queſtus eſt eâ de re quaſi de violato fœdere Licinius, qui cogitabat bellum, nec à Conſtantino refugiebatur; quare mox atrociſſimum exarſit; dum autem utrimque paratur, avarus imprimis Licinius crudelitatem auxit, multis tantùm ob divitias cæſis, & quas rapere niſi crudeliter haud poterat.

Criſpum filium ſuum Conſtantinus cum claſſe in Aſiam mittit, cui Licinius Amandum (Zoſimo Abentum) opponit; ſed neque Imperator nec ejus Navarchi fortunati fuere. Licinius ad Hadrianopolim in Thraciâ, quamquam 150. peditum millia, equitum quindecim in armis haberet, victus eſt ſtratagemate Conſtantini; qui fingens Hebrum qonte connectere, ab aliâ parte ubi arctiſſimus eſt, exercitum ſuum traduxit; qui ſuperveniens imparatis Licinianis, eorũ triginta quinque millia concîdit, reliquos avertit in fugam, leviter tamen in hoc prælio ſauciatus. Licinius Byzantiũ venit, ubi Martinianum Cæſarem creat & cùm eo ſe ſtatim obſeſſum videt. Amandum autem cum plurimis navibus in anguſtiis Helleſponti Criſpus cum octoginta expeditiſſimis aggreſſus vicit, multas ejus naves demerſit; prælium nox diremit, Liciniana claſſis, in Aſiæ littus Æantium portum, Conſtantiniana in Europæ portum Eleuntem receſſere. At ſequenti die Aquilo ventus à Criſpo pugnavit & Amandi claſſem impegit in ſaxa, ex quâ centum & triginta eliſæ ſunt, adeo ut earum Dux ægrè cum quatuor navibus fugeret. Byzantium ergo relinquere cogitur Licinius, & Chalcedonem ſe cum theſauris recipere; ad eam urbem tertium prælium cōmittitur 14. Kal. Octobris, in quo tantam cladem Licinius accepit, ut ex centum triginta millibus vix millia triginta ſuperfuerint. Tum Conſtantia uxor marito ſuo in ordinem redacto impetravit vitam, ſicut & Martiniano Cæſari. Zoſimus tamen Licinium vult fugiſſe Nicomediam, & inde ad Conſtantinum purpuram attuliſſe, vitâq; donatum eſſe ad tempus; Martinianum autem traditum ſatellitibus ſuis à Conſtantino jugulatum eſſe. Summa Belli hujus, toto Imperio potitus eſt Conſtantinus, quod ſibi pietate vindicavit perditum impietate Licinii. *Exautoratus Licinius.*

Florebat hoc tempore S. Nicolaus Mirenſis Epiſcopus, cujus tamen mentio nulla ante ſecundum Nicænum Concilium. Tres pueri huic appoſiti quaſi Scholaſtici, tres Tribuni Scholæ ſunt, ejus operâ liberati ex mortis faucibus; unde natus error: Sanctus ille tam hodie cultus, quàm olim incognitus ſanctis Patribus fuit.

Paulino Antiocheno mortuo in ejus ſedem irrepere conatus eſt Euſebius Cæſarienſis faventibus Arianis: ordinatus tamen Euſtachius Catholicus Antiſtes, ſicque cauſa melior fallaciori prævaluit.

Indicenda viſa eſt Oecumenica Synodus Nicæna ut duæ quæſtiones dirimerentur, de Paſchate celebrando, & de Arianâ hæreſi; ſequenti anno utraque quæſtio cum Nicæno Concilio terminata eſt.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI
4378. 1078. 325.

Coſſ. Paulino & Iuliano, Conſtantini 20. celebratum eſt Nicææ in Bithyniâ.

CONCILIUM PRIMUM GENERALE.

Huic interfuere 318. Epiſcopi, præſedere Legati Romani Pontificis Vitus & Vincentius Preſbyteri; Oſius Cordubenſis Epiſcopus egregiè diſputavit, necnon Athanaſius, tumduntaxat Preſbyter, ab Alexandro deductus.

Cùm autem Ariani Epiſcopi, Euſebii Nicomedienſis & Cæſarienſis, Paulinus Tyrius, Menophantes Epheſinus, Theognis Nicænus, Mares Chalcedonenſis; aliique, ſuæ cauſæ diffiderent. varios propoſuere libellos Imperatori adverſus Catholicos Epiſcopos, quos publicè Conſtantinus incendit, atque hæc crimina, & criminationes ſuâ chlamide obvelanda, & Dei judicio reſervanda ſapienter edixit. Ergo ad cauſas Eccleſiæ totus converſus eſt cœtus, & ſtatutum ut eodem die ab omnibus Paſcha celebraretur, hoc eſt, die Dominico qui proximè ſuccedit decimo Lunæ primi menſis, hoc eſt cujus 14. Luna vel cadit in diem Verni Æquinoctii, 21. Martii, vel propiùs ipſum ſequitur. Damnata quoque Arii Hæreſis, & conditum Symbolum quod Nicænum dictum eſt; quare Ariani palinodiam recantare coacti ſunt, immo Arius ipſe, recepti in communionem, ſed eâ lege ut nunquam Arius rediret Alexandriam. Duravit autem hæc Synodus à 13. *Actum de Paſchate.* *Damnata hæreſis Arii.*

Kal. Iul. ad 8. Kal. Septembris, non tribus annis, ut quidam perperam asseruerunt. Probata sunt Acta hujus Concilii â Sylvestro, aliâ Synodo Romæ congregatâ, ut eadem ejus autoritate convocata fuerat, Constantino duntaxat opem ferente, & ne quid turbarum accideret, sapienter ac fortiter providente.

*Licinius strangulatus.* Licinius agens Thessalonicæ, novas res moliri deprehensus, & Barbaros sollicitare adversus Constantinum, ejusdem jussu strangulatus, & vivere, & furere desiit; vir strenuus, sed sceleratus, avarus, crudelis, atque ex omnium criminum colluvione concretus, dignusque visus qui crudelissimo Imperatori crudelior ipse succederet. *Cæsus Martinianus Cæsar.* Cæsus quoque in Cappadociâ Martinianus ab eo electus Cæsar, quia non plus eo sapere meritò credebatur.

*Gladiatores jublati.* Hoc denique anno, quo Eusebius Chronicon suum terminat, Kal. Octob. Constantinus ludos gladiatorios edicto sustulit, nec diutiùs ferre potuit invectam jampridem in Urbem & autoritate publicâ probatam generis humani carnificinam.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4379. 1079. 326.

*Crispus jussu patris occiditur.* Cæsus est hoc anno, vel Romæ, vel Polæ in Istriâ Fl. Iulius Crispus, quasi de stupro Faustam novercam interpellasset; neque enim hîc audiendus Gregorius Turonensis, qui huic crimen proditionis perperam impingit. *Et Licinius junior.* Interfectus quoque ei charissimus Licinius junior, cujus necis causam cùm nullam scriptores antiqui proferant, nefas est cum recentibus hîc vaticinari.

*Helena crucem invenit.* Helena Constantini mater, de morte nepotis sui Crispi optimi juvenis incredibili dolore agitata in Palestinam venit, dolores suos recordatione dolorum Christi sedatura. Hic Crucem Domini infossam humi reperit, & miraculo detexit; partem ejus hîc reliquit, aliam secum Romam deportavit, cum clavis, qui si plures jam quàm tres apud Christianos inveniuntur (quartus enim, in mare projectus creditur, ut ejus naufragia prohiberentur) hi non affixere Christum, sed Crucis brachia conjunxere, vel etiam Martyres, membra Christi, crucibus affixere. Tum autem Constantinus Hierosolymam instaurare decrevit, ubi & celeberrimam Basilicam statuit Μαρτύριον dictam; mater ejus duas, in monte Oliveti unam, alteram in oppido Bethlehemo; ut quæ loca fuerant Imperatoris. Romani impietate ac furore deturpata, alterius Imperatoris pietate ac liberalitate sacrarentur.

*Athanasius Alex. Episcopus.* Alexandro Episcopo demortuo successit S. Athanasius, frementibus Arianis, quorum malleus fuit, nec ab ipsis Arianis Imperatoribus retundendus.

*Arnobius & Lactantius.* Arnobius tum in Africâ Rhetoricam docebat, ægrè ad Baptismum admissus, quòd aliàs impugnasset fidem: hanc ergo cùm libris 7. pulcherrimis defendisset, dato quasi pignore inter Christianos admissus est. Florebat tum quoque ejus Discipulus Lactantius Firmianus, Crispi Cæsaris magister, Tullianâ facundiâ illustris, quam tamen aliquot erroribus deformavit, ideoque rejectus â Gelasio, non quòd malus esset, sed quod non ubique bonus.

Sapores in Perside concitavit in Christianos persecutionem, in quâ cæsi Acepsimas, Aitales aliique ad octodecim millia, veram fidem sanguine suo sanxerunt. Pax quoque inter illum & Constantinum dissoluta est operâ Metrodori cujusdam Philosophi ex Indiâ redeuntis, & mentientis sibi â Sapore raptos lapides pretiosos, mendacio sanè pretioso, & quod multo sanguine multisque cædibus stetit.

Calocærus magister Camelorum Cyprum occupat, eamque Rex administrare conatur; sed statim oppressus â Flavio Iulio Delmatio Cæsare captusque, vivus combustus didicit aliud esse armentis, & pecori, aliud hominibus imperare.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4380. 1080. 327.

Hactenus dissimularat Hæresin suam Arius, tempori cedendum ratus; ubi satis sibi latuisse visus, reversus est ad vomitum canis, & ut meliùs virus suum effunderet redire conatur Alexandriam, per Eusebium Nicomediensem, qui etiam inflexerat Constantinum. At utrique se opposuit Athanasius, & Deo fretus etiam Imperatori exilium per litteras minitanti fortiter restitit.

Tum missus ad Indos Frumentius Episcopus ab eodem, hic disseminavit fidem, ubi vel non audita fuerat, vel evanuerat, & ubi quondam ipse vixerat puer, eò deductus a Metopio philosopho. Quo etiam tempore operâ Christianæ mulieris nunciatus est Christus Bacurio Regi & Iberis, captivi mancipii linguâ & exemplis ex servitute dæmonis mirabiliter erepti.

Tum quoque Crispi innocentia patefacta est Constantino, & impudentia Faustæ, quam in Balneo inclusam suffocari jussit, ne ipsa diutiùs viveret impudicitiæ Imperatoriæ simul & crudelitatis, spirans monimentum.

Sanctiùs eodem tempore obiit S. Helena, annorum octuaginta, inter amantissimos filii nepotumque complexus, 15. Kal. Sept. De cujus nomine Drepanum Bithyniæ civitatem, in honorem S. Luciani ibidem conditi instauratam magnificè, Helenopolin dixit; ut uno eodemque facto Pius Imperator diceretur.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4381. 1081. 328.

Dum lustrat suam Diœcesin Athanasius, Ischyram pro Episcopo se gerentem dejicit, qui statim ad Meletianos, damnatorum portum, confugit. Hoc in itinere vidit Athanasius S. Antonium & Pachomium, Eremi lumina, & multorum monachorum parentes, quorum colloquiis vir Sanctus ærumnas suas, mœroremq; demulsit.

Iuvencus Presbyter Hispanus, hoc tempore versibus scribebat Evangelia, ut cum voluptate legerentur, & ipse poësin, quâ valebat, consecraret Christo, dum hujus facta dictaque concineret.

Constantinus pertæsus Veteris Romæ, Byzantii locum contemplatus, ejus situm Novæ Romæ destinat, cui nomen imponeret suum, in Orientis & Occidentis limite; ut utriusque nexus esset, & monumentum maximi post Romam conditam Imperatoris.

MUNDI

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4382. 1082. 329.

Hoc anno Ovinius Gallicanus bellum Scythicum feliciter confecit, usus consilio SS. ~~Petri~~ Joannis & Pauli cubiculariorum Constantiæ filiæ Constantini, quam huic pater si victor rediret desponderat. Creatus est anno sequenti Gallicanus ille Consul, & pro Christo videtur sprevisse Imperatorias illas nuptias; immo & omnia bona sua eidem, seque, ad ostia Tiberina consecrasse. Scio hæc referri à Sigonio ad annum Christi 316. qui præcessit quoque Gallicani Consulatum: sed meo judicio meliùs ad hunc annum differuntur. Utrum autem hæc Constantia, sit ea virgo Constantini filia quam B. Agnes ulcere liberavit, statuere non audeo, & in re tam dubiâ atque controversâ, minùs prudenter judicium fertur, quam suspenditur.

Melitiani & Eusebiani S. Athanasium falsis criminibus exagitant, videlicet de fracto Calice per Macarium Presbyterum, & Arsenio occiso: sed eorum fraude detectâ, atque Ischyrâ accusatore veniam postulante, & suum fatente crimen, calumniatores execratus Constantinus Eusebium Nicomediensem & Theognidem Nicænum de suis sedibus exturbari jubet, ut Arianos, quamquam Ariano dogmati subscripsissent, quòd Arium ipsum damnare nollent; ex hoc hæretici judicati, quòd homini hæretico pertinaciùs adhærerent, & pium hominem, neque male de fide sentientem existimarent: quæ certa est occultatæ hæreseos nota.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4383. 1083. 330.

V. Idus Maji dedicata est Constantinopolis, ac Divæ Virgini consecrata, dictaque Nova Roma, sive Secunda *tantum Veteri inferior, quantum hæc Nova super reliquas urbes emineret.* Hanc autem totius Orbis Romani spoliis locupletavit, atque sic instruxit, ut eam de suo nomine dici non doleret. Eò certè situ collocata est, ut verè Bimaris, quolibet flante vento semper naves admittat, dignaque sedes esse possit Imperatoris, cui Europa, Asia, Africa totæ subjiciantur.

---

## CAP. IV.

### *Decas Quarta.*

*Ab anno Christi* 330. *ad* 340.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4384. 1084. 331.

MELETIANI rursus exagitant Athanasium, ab Eusebio Nicomediensi concitati; & quoniam Calicis confracti causâ corruerat, in Arsenio Episcopo jugulato per Athanasium consistunt, cujus etiam manum ostentabant, quasi ad magicas cantiones adhibitam. Interim ipsum Arsenium detinebant accusatores, & quominus sua fraus detegeretur omnem movebant lapidem. Sed tandem ubi is lateret Athanasius detexit, & ex Thebaide superiori Tyrum appulsum, hic deprehensum hominem, & se negantem esse Arsenium, ad Paulinum urbis Episcopum Catholicum pertrahendum curat, apud quem de fraude convictus, & fassus se id ab Eusebio Nicomediensi impulsum fecisse, huic grande dedecus inussit, Athanasio magnam gloriam comparavit.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4385. 1085. 332.

Gothi Sarmatas vexant, & nituntur opprimere, hi à Constantino flagitant opem semper miseris paratam; missus in Gothos Constantinus Cæsar eorum ferè centum millia ferro, frigore inediâ perdidit; reliqui dare obsides, compulsi sunt, atque inter cæteros Ariaricum filium Regis; hac deditione magis quàm suâ clade se victos esse professi. *Gothi victi à Constantino Cæsare.*

Pacatiano & Hilariano Coss. rescriptum dedit Constantinus de Veteranorum liberis ad militiam cogendis: hoc compulsus S. Martinus annos 17. natus miles effectus, Ambiani nudo pauperi dimidiam clamydem suam dedit, texitque Christum gloriantem sequenti nocte coram cœlitibus se à Catechumeno Martino vestitum esse, qui primus ad egregiam virtutem Sancti hujus gradus fuit. *S. Martinus fit miles.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4386. 1086. 333.

Admonitus per Macarium Presbyterum ab Athanasio Constantinus de fraudibus Eusebii Nicomediensis atque Meletianorum, Paulinique Tyrii in Arsenii causâ quæstione, judicium hujusce facti totum reservavit sibi, ademptâ Delmatio omni de hoc judicandi potestate. Litteras insuper ad Athanasium perhonorificas dedit, quibus publicam ejus faciebat innocentiam. Accessit & illud commodi, quòd Arsenius, & Joannes supremus Meletianorum Antistes, veniâ ab Athanasio petitâ, & impetrata, Ecclesiæ restituti sint; magna Athanasii virtutis, & triumphi fercula; & quos majoribus calamitatibus, & ærumnis emptos esse Deo vir tantus exoptasset. *Constantinus laudat Athanasium.*

Coss. Dalmatio & Xenophilo 8. Kal. Januar. Constans Constantini filius creatus est Cæsar; quando etiam 5. Kal. Octobr. Medicis & Professoribus litterarum immunitates & privilegia confirmata sunt, ut facilius multos instituerent, & per Principem latiùs eruditio spargeretur, multorum; atque etiam ipsius Principis commodo, cujus virtutes celatæ, ab inertiâ nihil aut parum diffident. *Litteræ in pretio.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4387. 1087. 334.

Hoc anno, Coss. Optato & Paulino, quo contigit Solis insignis defectio, effecere suis artibus Eusebiani, ut Joannes Athanasio reconciliatus ab eo iterum deficeret, ipsi autem tam multa, tamque callidè conficta in illum proposuerunt Imperatori, ut eum compulerint ad Synodum cogendam Cæsareæ in Palæstinâ: qui locus cùm meritò suspectus esset Athanasio ob Eusebium hujus urbis Episcopum, proposita est Tyrus, quò Episcopi convocati erant ad Basilicæ Constantinianæ dedicationem, inde Hierosolymam ad Martyrii consecrationem transituri. Sed cùm plerique *Athanasius iterum accusatus.*

rique ex Episcopis evocatis meritò suspecti essét Athanasio, hic tergiversatus est tribus mensibus, & quandiu causa sua prope desperata toleravit.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI
4388. 1088. 335.

*Familiam suam ordinat Constantinus.*

Constantio & Albino Coss. celebrata sunt Constantini tricennalia 8. Kal. Augusti, quando Fl. Julius Delmatius, filius Delmatii Hannibaliani, creatus est Cæsar; ejus autem frater Fl. Claudius Hannibalianus Rex Regum & Ponticarum Gentium constitutus est, acceptâ conjuge Constantiâ filia Constantini, quæ postea Gallo nupsit: sed hanc dignitatem mulier crudelis, ac furiæ propior plurimùm imminuit.

*Concilium Tyri contra Athanasium.*

Hoc anno celebratum est famosum illud Concilium Tyrium, ad quod venit Athanasius cũ suis Ægypti Episcopis, inter quos eminebant Paphnutius & Potamon nobiles Confessores; itemque vinctus per milites adductus est Macarius. Non invenit locum Athanasius qui præesse debuerat, & quasi reus stare jussus; quod tam iniquè tulit lacrymans Potamon, ut Eusebio Cæsariensi exprobraret suam in persecutione Apostasiam. Tum ergo agitata quæstio de Calice fracto, & Arsenii nece, eodem accusante Ischyrâ qui veniam suæ calumniæ petierat, nunc eandem texebat spe Episcopatus. Arsenius autem delitescebat, quem ad necem Eusebiani quærebant, itaque ab amicis Athanasii occultatus est etiam Tyri tam prudenter, ut id factum lateret adversarios. Calente ergo judicio, & manu iterum Arsenii ostentatâ, inductus tum Arsenius probè ab omnibus cognitus fabulam cum suis manibus ostendit, Athanasii adversariis frementibus, atque desperatis. Adjungit etiam Theodoretus Scortum ab iisdem corruptum, ut sibi ab Athanasio pudorem ereptum quereretur, sed Timotheus Presbyter inductus, fingens se Athanasium esse, & à Meretrice quasi Athanasius accusatus; calumniam accusantis, accusati innocentiam patefecit. Restabat calix effractus, cujus autor erat Macarius, sed jubente Athanasio: de quo cùm facilè esset pronunciare, suspendêre tamen sententiam suam iniqui judices, donec de hoc facto idonea testimonia invenirentur. Missi ergo in Maræotin quæsitores, connitente ad omnes Eusebianorum conatus Dionysio Comite; quare relictâ Tyro fugit ad Constantinum Athanasius, nihil sibi expectandum ratus ab Eusebii fautoribus, in ejus perniciem conjuratis. Interim cum Ischyrâ veniunt in Maræotin Episcopi, quos Philarius Ægypti præfectus comitabatur; rejectis illi viris probis, Judæos, & Cathecumenos, ac suæ farinæ homines interrogant, testimoniisque celeriter Tyrum perlatis, indictâ causâ damnatur Athanasius, exuitur Episcopatu, & Alexandriæ hærere prohibetur; Ioannes autem ejusque factionis Episcopi cum Ario & Euzoio in communionem recepti sunt, Paphnutio indignante, & admonito Maximo Episcopo ut abirent, ne Confessores duo pro Christo lusci atque claudi in cathedrâ impietatis sederent. Renunciatus est insuper Ischyras Episcopus minuti pagi sui, qui nec Presbyter erat; omnia denique sic perturbatè confecta ab Arii fautoribus, ut ex odio judicium hoc profectum esse satis ab omnibus intelligeretur. Dedicata nihilominus utraque Basilica Tyria & Hierosolymitana, cujus pretium fuit magna Ecclesiæ perturbatio.

*In quo damnatus Athanasius, & exauctoratus, restituti Ariani.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4389. 1089. 336.

Mortuo sub anni finem Sylvestro, cùm sedisset anno uno, & mensibus decem, suffectus est ei 17. Kal. Febr. Marcus Pontifex, sed tantùm ostensus Ecclesiæ mensibus octo, mortuus Nonis Octobr. & post dies decem 16. Kal. Novemb. huic succedente Iulio Romano. Primùm autem sit hic Pallii seu Phrygionis mentio, honoris postea causâ quibusdam Episcopis à Summo Pontifice tributum, ex lanâ crucibus contextum, ut qui id ferret, Christi boni Pastoris meminisset, ovem suis humeris referentis.

Agebat tum Constantinopoli Athanasius, sicque coram Imperatore suam egerat causam, ut eodem vocarentur Episcopi qui eum Tyri damnarant, etiamnum in Encæniis Hierosolymæ commorantes. Plerique eorum in suas recessere Ecclesias, sex tantùm reliquis impudentiores duo Eusebii Nicomediensis & Cæsariensis. Theognis Nicænus, Patrophilus Scythopolitanus, Valens Mursiensis, Ursacius Singidonius accessere, qui omisso Calice fractu asseruere Athanasium minatum esse se impediturum quominus ex Ægypto, de more, frumentum Constantinopolin, mitteretur earumque minarum produxere testes quinque Episcopos Ægyptios, qui olim ab Athanasio steterant, nunc corrupti ab Eusebiis & Dionysio Comite in suum Episcopum dixere testimonium Itaque iratus. Imperator eum Treviros ire exulem jubet, ubi perhonorificè exceptus est à Maximino hujus urbis Episcopo. Præterea iidem Ariani expellendum curarunt inimicum sibi, amicum Athanasii Marcellum Ancyranum. Restituendum quoque curarunt Alexandriæ Arium; sed cùm turbas ibidem movisset, redire Constantinopolin jussus est. Ita *convenerunt quatuor aut quinque (ut miserum deluderent Imperatorem,)* quod querebatur Diocletianus.

Constantinopoli Arius professionem fidei subdolam edidit, in quâ *Consubstantialis* vocem expunxit, Ita jussus est Alexander Episcopus Constantinopolitanus eum in communionem recipere; ille tamen recusavit autorem hæreseos admittere, totâque nocte Deum oravit, ut ipse aut Arius à Deo tolleretur; sequenti ergo die dum idem Arius pergit ad Synaxin, ad latrinas publicas divertens, ibidem & intestina & miseram animam evomuit; Iudæ proditori & vitâ & morte simillimus.

Denique tum venere Constantinopolin Legati ex Indiis Orientalibus cum pretiosissimis gemmis, ac variis animalibus, pictis, & imaginibus, quibus Imperatorem Constantinum suum Orbisque Principem faterentur; cùm jam ejus nominis fama, ac victoriarum, vix Orbe toto caperetur.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4390. 1090. 337.

Constantinus Magnus, in villâ proximâ Nicomedi-

mediæ, quam Achironam appellant, moritur 11. Kal. Junias seu 22. Maji, die Pentecostes, sub meridiem, cùm imperasset annis 32. aut 31. Vir planè eximius, & cui Ecclesia plurimùm debet, quam multis donis, multis privilegiis auxit. Qui autem circumfertur liber *de Donatione Constantini*, scriptus est ab inimico S. sedis, sive ille Græcus fuerit, sive Latinus, homine imperito & absurdo, timendoque dum aliquid dare simulat. Eusebius scribit se eum in morte baptizasse, differentem sacram illam ceremoniam, ut in Jordane, & aquis à Christo consecratis elueretur; nec videtur ratio cur Eusebius ad tres filios Constantini rescribens auderet mentiri, à quibus refelli posset; assentitur quoque Eusebio S. Ambr. & quotquot Sylvestri baptismum, Imperatoris lepram, balneum ex infantium sanguine, aliaque ejusdemmodi explodunt, de quibus statuere non audemus; quia illinc multi, hinc eruditi stant, & non est hujus operis *tantam componere litem*.

Tum Augusti renunciati sunt tres liberi Constantini, Constantinus, Constantius, & Constans, qui sic Imperium Romanum partiti sunt, ut Constantinus Gallias & quidquid est trans Alpes obtineret, Constans Romam Italiam, Africam, Siciliam ac reliquas insulas cum Illyrico, Macedoniâ, & Græciâ regeret; Constanti us denique Thraciam, Asiam, Orientem, cum Ægypto administraret. Aspersum etiam fuit aliquid Dalmatio Cæsari, Constantio Constantini Magni fratri, & Hannibaliano, quos Constantinus Magnus purpureâ aurataque veste, & *Nobilissimatus* titulo donarat: sed hi tres militari tumultu sublati sunt, quem aut concitavit, aut fieri passus est Constantius. Quibus etiam adjunctus est Optatus, creatus Patricius ab eodem Constantino, excogitato dignitatis novo gradu, ut is videlicet suprà Præfectos Prætorio sederet; tum autem hic ei titulus vitâ stetit. Sublatus quoque Ablavius Præfectus Prætorio, homo avarus & potens; cui tum pecunia, ut præcinuerat qui eum extulerat, nihil profuit, & cui tum oblata à Constantio simulante purpura per sicarios ejus sanguine rubuit; meritò *pila fortunæ* dictus, cum ex humili loco ad summa, ex magnis ad infima delatus esset. Gallus & Julianus ægrè servati, vitam ille desperatæ valetudini, hic teneræ ætati suæ debuerunt. Sic tantum Imperium ut multo sanguine coaluerat, sic multa cæde divisum est.

Romæ concilium celebravit Julius Papa, in quo Nicæni Concilii acta prolata sunt, atque confirmata; hæresis Ariani damnata est, quæ etiamnum serpebat, & occultè minabatuu, ex tot Principibus unum opperiens de more, à quo foveretur.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4391. 1091. 338.

Eò spectare videntur initia Juliani Apostatæ; cui ad Ethnicos mores propensio instillata est à Mardonio Eunucho philosopho Scythâ, & Maximo philosopho itemque Mago, quem audiit Nicomediæ. His malis præceptoribus mala alioqui & corrupta indoles, quid boni potuit polliceri?

Rediit hoc anno cum perhonorificis litteris à Constantino ad Alexandrinos datis S. Athanasius; ita receptus ab omnibus, ut non abextilio, sed è cœlo redire videretur. Rediere quoque ad Ecclesias suas alii ejecti Episcopi: idque toleravit ingratis, & invitus Constantius, jam ab Eusebianis actus in transversa, & quem fratris natu majoris metus tantum in officio continebat.

Constantius in Persas expeditionem parans, insanabili ulcere percussus à Deo, ut ad sanam rediret mentem, à Spiridione Tremithuntis Cypri Episcopo, quem viderat in somnis, tactu duntaxat sanatus est corpore, non tamen mente, licet ei vir sanctissimus præclara monita & saluberrima impertiisset; tantò faciliùs corpora, quàm animi pristinæ valetudini restituuntur. *Sanatus Constantius ab ulcere.*

Interea Sapores Persarum Rex Nisibin, aliter dictam Antiochiam Mygdoniæ obsidione gravi premebat, & eam cœpisset nisi in eâ vixisset Jacobus Episcopus; cujus precibus in Persarum exercitum tanta vis culicum immissa, ut equis & Elephantis efferatis rabie obsidio solvenda fuerit, nunquam processura quandiu in eâ aut Jacobus vixit, aut tumulatus est. *S. Iacobus Saporem cogit solvere obsidionem.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4392. 1092. 339.

Ariani molestissimè ferentes Athanasium restitutum, Legatos mittunt ad Julium Pontificem, & ad Imperatores Constantinum & Constantem, qui eum accusent, quòd ejus reditus causâ multæ cædes patratæ essent; quòd per Concilium ejectus, sine Concilii autoritate rediisset; quod frumentum dari solitum viduis substraxisset. Quas calumnias cùm abundè diluissent ejus Legati, illi petiere Concilium, uti res accuratius excuteretur; sed ex quo turbas potiùs, quàm victoriam sperabant. *Ariani accusant Athanasium.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4393. 1093. 340.

Julius Romæ in causâ Athanasii synodum indicit ad quam evocat, & actores, & accusatum; hic accurrit, illi tergiversantur, neque comparent. Itaque hæsit mensibus duodeviginti Romæ Athanasius, ut ubi publicavit S. Antonii vitam, ac monachorum in Occidentem disciplinam invexit. Hîc quoque confecit Symbolum de suo dictum nomine, quod quidem diu latuit, neque ab antiquioribus Græcis aut Latinis citatum est; videtur tamen S. Augustino innotuisse, apud quem integræ leguntur hujusce Symboli sententiæ, & prorsus iisdem conceptæ verbis; hodie ab Eccesia magno consensu recipitur, neque est sciolorum quorundam de eo tricis immorandum. *Declinant Ro. Synodū Athanasii accusatores.* *Symbolum Athanasii.*

Obiit hoc anno Eusebius Cæsariensis *Arianæ factionis signifer, propugnator apertissimus, & inter Arianos facilè Princeps*, inquit Hieronymus: quare malè à Petro de Natalibus inter sanctos relatus est, & in Usuardi Martyrologium, & Menologium Græcorum irrepsit 21. Junii, substituto videlicet Cæsariensi pro Samosatensi, cujus natalis in hunc diem cadit. Absit enim ut eum Ecclesia hoc honoré dignata sit, cujus memoriam in secunda Nicæna synodo execrata est, eumque anathemate dignum judicavit. Successit ei discipulus Acacius impietate par, & mali corvi malum ovum. *Eusebius Cæsariensis moritur, cui succedit Acacius.*

Me-

*Eusebius Nic. Episc. fit Constantinopolitanus.* Meliori fato elatus est Alexander Constantinopolitanus Antistes, cui Arium sublatum debet Ecclesia. Huic substitutus est ab Orthodoxis Paulus, contra nitentibus Arianis pro Macedonio. Sed in Urbem adveniens Constantius, adhibito Arianorum Concilio, & Paulum expulit in Pontum, & in hanc sedem ex Nicomediensi Eusebium transtulit; gementibus bonis omnibus, & turpem illum Episcopatuum mangonem execrantibus.

*Eustathius Antiochenus exulat.* Eodem tempore Eustathius Episcopus Antiochenus, à meretrice auro corruptâ accusatus, item quasi Sabellii fautor & Augustæ matris Imperatoris maledicus, & conviciator, relegatus est Trajanopolin in Thraciam. Obiit hîc sanctissimè; ejus corpus postea Antiochiam relatum sub Zenone, ipse locum in sacris diptychis meruit; quæ eum accusarat meretricula longo & gravi afflicta morbo calumniam ejusque authores Eusebianos patefecit. Huic successit Epaphronius Arianus, à quo refugêre Catholici, privatim conventus agentes, unde Eustathiani dicti ab hæreticis, tantumdem alienis à fide, quantò magis eam publicè profiteri videbantur.

*Constantinus Iunior caditur.* Constantinus Iunior, Constantis fratris ditionem invadens, latrocinio potiùs quàm justo bello, ab hujus militibus interimitur, ejusque corpus in Alsam fluvium prope Aquilejam projicitur, grassatoris potiùs quàm Imperatoris sepulturam sortitus; Zosimus tamen mortis hujus causam refudit in Constantem, quem ait triennio toto iracundiam suam in fratrem, ob controversiam de Italiâ, & Africâ dissimulasse, & dum fingit milites ad Constantium & bellum Persicum mittere, Constantino intulisse necem. Utut se res habuerit, magnus Arianorum obex sublatus est, atque Athanasii, & Catholicorum defensor acerrimus; qui tamen sua patientiâ, non hominum præsidio, victores extitere.

---

## CAP. V.

## *Decas Quinta.*

*Ab anno Christi 340. ad 350.*

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4394. | 1094. | 341. |

*Franci repressi.* HOc anno Coss. Marcellino, & Probino Franci in Galliam fecere irruptionem; quæ facile repressa est, his jam magna molientibus, eamque tum sedem fortitudinis suæ destinantibus.

*Terræ motus ingens.* Tum etiam terræ motus ingens anno ferè toto Antiochiam concussit; quando & in Armeniâ eodem terræ motu ab se invicem resiliere, eodemque quasi arietantes collisi sunt; certo indicio Deum Orienti iratum esse, ubi ejus servi tam malè ab Impiis excipiebantur.

*Athanasius exauctoratus, suffectus ei Gregorius.* Antiochiæ celebrata sunt Encænia *Dominici Aurei*, sic dicebatur Basilica hic à Constantino Magno exædificata; his præsens fuit Constantius, atque Episcopi plures nonaginta, ex quibus Ariani sex & triginta numerabantur pauciores Catholicis, sed audentiores, & quibus favebat Imperator. In eâ Synodo abdicatus Athanasius, & in ejus locum suffectus Eusebius; sed eo non admittente, ex metu Alexādrinæ plebis, electus à pseudosynodo Gregorius Cappadox: Eusebius verò Emesenæ præpositus est Ecclesiæ, vir impius, Astrologiæ judiciariæ deditus, ideoque à suis Emesenis exclusus, discipulus Eusebii Cæsariensis, & Patrophili Scythopolitani, atque insuper Sabellii erroribus infectus, malè in sanctorum Catalogum intrusus, cujus homiliæ quæ circumferuntur, Eucherii Lugdunensis Episcopi sunt, tâ tumdem ab eo disjuncti, quantùm vera fides ab hæresi dissidet. In hâc Synodo nomen *ὁμοίας* callidè suppressum, editique Canones 25. in corpus canonicum postea recepti, non quia à malis prodierant, (horum enim nomina callidè suppressa fuerant) sed quod boni censebantur; tamen à S. Ioanne Chrysostomo olim non imprudenter rejecti.

Tum viguere Heretici Audiani ab Audæo hæresiarchâ dicti qui Iudæorum more celebrabant Pascha, & multa dicebant quibus parum se sapere ferebantur, ut Deum humanam formam habere; ideoque ejus sectatores postea dicti Anthropomorphitæ, ipsi formâ belluæ digniores.

Ariani retinuerant Legatos Iulii Papæ, Elpidium, & Philosenum, donec conventum suum Antiochenum absolvissent; quare idem Pontifex in Synodo 50. Episcoporum, causâ diligenter excussâ, Athanasium pronunciat innocentem, sicut & Marcellum Ancyranum. His auditis Ariani qui etiamnum hærebant Antiochiæ litteras ad Iulium scribunt; sed quæ ab Heterodoxis erant expectandæ, hoc est, querelarum & fastus plenæ: quibus nihil perfecere, nisi ut se naviter impudentes & refractarios profiterentur.

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4395. | 1095. | 342. |

Exceptus fuerat Alexandriæ, cum ingenti totius Ægyptiacæ Ecclesiæ gaudio, Athanasius; sed eam lætitiam Gregorius Cappadox, intrudendus in ejus locum ex Antiochenâ Pseudopsynodo militari manu per Philagrium præfectum, abrupit. Hic natione quoque Cappadox, & apostata à fide, videns Catholicos suis conatibus obsistere, Ethnicos Iudæos, & impios quosque armatos, in Ecclesiam immittit; à quibus nudatæ sacræ virgines, monachi obtriti, plebs indignè vexata, ægrè ex eorum manibus se subduxit Athanasius quæsitus ad necem. Inde sævitum in alias Ecclesias; Potamon ille magnus Confessor tot plagis conscissus est, ut ex illis objerit; olim pro fide, nunc pro Ecclesiæ libertate martyr.

Hæc cùm audiisset Romæ Iulius, immo cùm ea ex Athanasio eodem appulso didicisset; collectâ Synodo Arianorum epistolam confutavit, non autem in eos sententiam pronunciavit, adhuc latentes sub Catholico nomine: at cùm misisset ad eum Gregorius legatum Carponam Arianum manifestum, eum nec alloquio, nec aspectu dignatus est Iulius, ut ostenderet quo esset in eos animo, qui hæretici esse convincerentur.

Hoc tempore Eusebius antea Nicomediensis, nunc Constantinopolitanus, impiè, uti vixerat, mori-

moritur; de cujus successore tumultuatum, Catholicis Paulum, Arianis Macedonium suggerentibus. Itaque Constantius mittit Constantinopolim Hermogenem Ducem, à quo expulsus Paulus civitate, insuper mulctatus dimidiâ parte frumenti, quod ex magni Constantini liberalitate singulis diebus accipiebat. Sed tandem idem Hermogenes à populo discerptus, pœnas dedit & suæ, & Imperatoriæ crudelitatis.

Eodem tempore ejecti è suis sedibus Marcellus Ancyrâ, Asclepas Gazâ, Lucius Hadrianopoli, Romam ad Iulium Pontificem confugere, à quò tam liberaliter excepti sunt, ut qui communis Ecclesiæ Pater esset, jam afflictorum, & miserorum patronus haberetur.

Photinus, Ancyrâ oriundus, discipulus Marcelli Ancyrani novam procudit hæresin, negans Christi Divinitatem, & purum hominem astruens: cæterùm vir ingeniosus fuit, eloquens, ac linguarum peritus; quas animi dotes superbia, mater hæreseos, corrupit.

Denique hoc anno, cùm Franci biennio totomultum negotii exhibuissent Constanti, sic ab eo repressi sunt, ut Romanorum socii fierent atque fœderati: quæ pax ad spem conceptam, iis magis quàm bellum profuit.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4396. 1096. 343.

Mortuus est hoc anno S. Paulus primus Eremita, natus annos centum & tredecim, agnitus mirabiliter à S. Antonio, & ab eodem operâ duorum leonum sepultus, cui mortis timori profuit, at tandiu sanctè viveret atque religiosè.

Circa hoc tempus venit Alexandriam S. Antonius, relictâ eremo suâ, ut populum doceret se ab Athanasio stare, quem suum esse Ariani jactabant, quos ille factis, dictis, ac miraculis confutavit.

Apud Persas dira sæviit à Sapore Rege persecutio, quâ primùm in bona sævitum, iis per crudelissimos exactores direptis; deinde Ecclesiæ dirutæ sunt; denique cædibus actum. Tum Simeon Seleuciæ, & Ctesiphontis Episcopus necatus est; cæsus item Usthazanes Regis nutritius, ac princeps Eunuchorum, cum aliis centum Episcopis, Presbyteris, ac Clericis. Ac deniq; sublatus cum suâ filiâ Pusiles Prefectus artificum; viri omnes magni, sed fide suâ, ac morte longè clariores.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI
4397. 1097. 344.

Viguit & hoc anno in Perside Christianorum persecutio, jussique interfici quotquot Christum colerent, sine discrimine sexus, vel ætatis. Itaque innumerabilis multitudo cæsa est & militum & aulicorum: sed cùm inter eos interemptus esset Azades Eunuchus charissimus Sapori, eo non admonito, tantum ex ejus nece doloris hausit, ut deinceps neminem plecti voluerit præter legis magistros & doctores. Exinde tamen multi Episcopi, Presbyteri, Diaconi, monachi, sacræ Deo Virgines, aliique officiis Ecclesiæ addicti perierunt, eò chariores Deo, quò erant ejus altari bus victimæ propinquiores.

Conciliabulum aliud ab Arianis Antiochiæ celebratum, in quo p[illegible]rofessionem fidei cæteris longiorem ediderunt, ide[illegible] μα[illegible]ςιχον dictam, cui Luciani martyris titulum p[illegible]ræfixere: sed hæc quoque suspecta visa est Occiden[illegible]talibus, quod nomen *Consubstantialis* non haberet. Immo & cùm eorum Legati venissent Medio[illegible]num ad Constantem, parati Occidentalibus subscr[illegible]bere, ubi ad rem ventum est, & damnanda Arii [illegible]n-tentia fuit, illi furoris pleni, ex cœtu diffugêre, & qui essent, re potiùs quàm verbis ostendere.

Neocæsarea civitas in Ponto tota concidit terræ motu, præter Ecclesiam in quâ tum Episcopus & populus, sacris mysteriis intenti, periculo subducti sunt in gratiam S. Gregorii Thaumaturgi, qui hanc Ecclesiam inter terræ motus sepulchro suo semper firmam & incolumem præstitit. *Neocæsarea tota concidit.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4398. 1098. 345.

Constantius adversus Persas suscipit expeditionem, in quâ parum feliciter pugnavit contra Saporem, licet tinctum sanguine Christianorum; sed magis hæreticus Princeps quàm Ethnicus displicebat Deo: ut bella domestica & civilia, quàm externa & aliena solent esse crudeliora. *Bellum Persicum infelix.*

Gallus & Iulianus, filii Constantii fratris Constantini Magni, hoc anno Ecclesiæ & Clero addicti sunt, ut natalium suorum oblivíscerentur, Iuliani etiam primam indolem visus est S. Mamas detestari: cùm enim ambo fratres huic templum ponerent, & partem quisque struendam suscepisset, Iuliani collabebatur semper, Galli qu[illegible] manebat immota, mártyre eius munus exhorrescente qui tot martyres quandoque facturus erat. *Gallus, & Iulianus Clerici.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4399. 1099. 346.

Post trienn[illegible]um quàm Athanasius venerat Romam, accitus Mediolanum ad Constantem Imperatorem venit, ut cùm Protasio hujus urbis Episcopo de suâ aliorumque Episcoporum expulsorum causâ ageret; itaque tum primùm informata Concilii Sardicensis cogitatio, quod in annum sequentem indixere Constans & Constantius, à Julio Pontifice permoti, ut multis controversiis ac litibus provideretur, quæ generalem totius Orbis conventum viderentur postulare, & ut litigatoribus Arianis omnis tergiversandi tolleretur occasio. *Athanasius adit Constantem.*

Tum verò celebratum est Concilium Agrippinense, seu Coloniense, in quo damnatus est Euphrates urbis hujus Episcopus, Christi negans divinitatem; quare & dignitate exutus est. Sed cùm idem Euphrates anno sequenti sederit in Concilio Sardicensi, immo perfunctus sit honorificâ legatione ad Constantium cum Vincentio Capuano, dubium ingeritur vel de ejus damnatione, vel de tempore; & cum iis hærere hic nobis aquam, sine temeritatis nota possumus confiteri. *Concilium Agrippinense.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4400. 1100. 347.

Coss. Rufino & Eusebio celebrata Synodus Sardicæ, quæ urbs est in limite Mysiæ ac Thraciæ, cui Episcopi 70. interfuerunt, ex quibus plerique Catholici, pauci Ariani, sed audaciæ suæ, atque Constantio præsidentes. Legati sanctæ Sedis Archi- *Concilium Sardicense.*

Archidamus & Philoxenus; patronus Concilii, Osius. In hâc Synodo absoluti Athanasius, Marcellus Ancyranus, Asclepas Gazensis; damnati Ariani; Canones conditi & editi Græcè & Latinè, qui posteaNicænæ Synodo cötributi aliquid negotii exhibuere. Cùm autem viderent Ariani Episcopi, in hoc Concilio neque vim neq; fraudes posse, sanctissimis Episcopis ex æquitate statuentibus, defluentes ex Synodo aliam ex factionis suæ Episcopis Philippis in Traciâ conflaverunt, quàm malitiosè quoque Sardicensem appellavere. In eâ decreta sua de Athanasio, & aliis à se damnatis confirmavere, cui addiderunt quoque Julium Romanum Pontificem, & fidei professionem ediderunt, in quâ cùm omisso nomine ὁμοούσιον damnassent etiam aliquot positiones Arii, inde Semiariani dicti sunt. Hæc autem autoritate Imperatoris sic divulgata sunt, ut plus innotescerent quàm decreta veri Concilii Sardicensis, in quâ nulla edita fidei regula, neque ullum verbum aut apex detractus aut additus Nicænæ fidei; unde factum ut Synodus Sardicensis Canones ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentes Nicæno Concilio tribuerentur; quæ rego fidei Sardicensis Decreta citata sunt, ea Semiarianorum fuerunt: quare sanctis quibusdam Patribus odiosa Synodus Sardicensis fuit, quoniam iis tantùm cognita fuit Pseudo synodus; quod de Hilario liquet, & Augustino, tantùm interest Ecclesiæ, fulcire veram fidem Principes, quorum præsidio destituta, hæreticorum factioni succumbere videatur.

*Pseudosynodus Sardicensis.*

*Legati Synodi ad Constantium.*

Quare ut huic provideretur malo, Legati sunt à Catholicis ad Constantium Vincentius Capuanus & Euphrates Agripinensis, viri magni, & Imperatorem ad suas partes attracturi, nisi se totum jam, ac postea etiam magis, Heterodoxis Episcopis regendum permisisset.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4401. 1101. 348.

*Victoria de Persis.*

Hoc anno pugna Romanos inter & Persas commissa est ad Singaram; in quâ victor erat Constantius, si fortiter imperare potuisset; sed certam victoriam amisit ferociâ militum suorũ, dum stolide & cötra rationem belli præcipitante die eum ad pugnam compulerunt. Sed erat hîc in Catholicos Episcopos fortis, in militem pavidus & meticulosus; certissimum abjectæ mentis argumentum. Fuit autem hoc gravissimum, ex novem adversùs Persas, Constantii prælium, atque ex quo minùs accepit damni; semper infelix, & nonnunquam ita pressus ut in loco in tuto pernoctare cogeretur, & victitare pane quë ab anu rusticâ precariò petitum receperat, tantùm disjunctus à parente suo gloriâ & felicitate, quantùm sanctimoniâ & pietate divulsus erat.

*Infelix in hoc bello Constantius.*

*Crudelitas ejus in Hadrianopolitanos.*

Hadrianopolitani cives & Episcopus Lucius Arianos aversati, cum eis communicare noluerant; itaque jussu Imperatoris Constantii in eos sævitum magnâ acerbitate: capite quidam, bonis alii multati, plerique voluntario exilio fidem reservandam censuerunt: Lucius ipse in exilio mori coactus; adeo ut Diocletianus revixisse in Thracia putaretur.

*Legati Synodi Sardicensis Antiochiæ vexati.*

Neque honestiùs actum cum Legatis Synodi ad Imperatorem. Stephanus enim Antiochiæ Episcopus per Clericos suos facinorosos hominem meretricem in cubiculum Euphratis immisit, vt tam huic quam collegæ Vincentio adulterii crimen impingeret. Sed cùm ad aspectum vetuli Episcopi horruisset, exclamavit, ac retexuit fraudem. Quare Stephanus exautoratus, & Ecclesiâ pulsus est, accepto successore Leontio Evirato, Phryge homine nequissimo, qui ne laicâ quidem, propter voluntariam abscissionem, communione dignus erat. Sed alius Episcopus à perdito Imperatore, Antiochiæ tum degenti, non erat expectandus.

Constans Imperator apud fratrem Constantium de Paulo & Athanasio restituendis agit; nec tantùm precibus, sed & minis agit. Mittit etiam eodem tempore in Africam Legatos duos viros clarissimos Paulum & Macarium, qui Donatistas ad Ecclesiam reducerent, simulque pauperum subvenirent inopiæ. Sed iis restiterunt ambo Donati, Carthaginiensis & Bagajensis, homines improbi, quorum ille etiam Imperatorem conviciis proscidit, atque ejus eleemosynas accipi vetuit à suis, hic etiam Circumcelliones in legatos armavit, qui à militibus Proconsulis Africæ cæsi, apud eos martyrum nomen & cultum obtinuerunt; hinc Macarianos Donatistæ dixere Catholicos, & Paganos, quòd ab his instituta videretur esse persecutio, cùm tamen infelices illi Pseudomartyres capitibus suis meritam perniciem accersivissent.

Celebratum est tum quoque primum Concilium Carthaginiense à Grato Episcopo, ut Ecclesia per Donatistas corrupta restitueretur. Hoc mirum est à S. Augustino ignoratum esse. Dictum est autem primum, quòd quæ illud præcesserant nullos reliquerint Canones, saltem qui extent; in hoc autem sanciti reperiantur quatuordecim, magnæ etiam in aliis locis autoritatis. Porrò & Constantis sollicitudo, & Grati cura non male cessère; multi enim ex Donatistis reconciliati sunt; eorum Episcopi fugêre, aut in exilium missi sunt; tantum valent Ecclesiæ & Cæsaris junctæ potentiæ.

Moritur Maximus Episcopus Hierosolymitanus, cui suffectus est Cyrillus. Sed quis ille Cyrillus, nemo facilè dixerit, cùm nimirum duo cognomines extiterint, iidemque Episcopi Hierosolymitani. Hoc certum, ex iis unum Episcopatum adeptum esse ab Acacio Cæsariensi in mercedem perfidiæ, ejuratâ ordinatione Maximi, à quo fuerat creatus Presbyter, & in Ecclesiâ tantùm Diaconum ministrasse: deinde authorem Catecheseon verè Catholicum fuisse, fideique Nicænæ constantissimum assertorem; alterutrum deinde, aut etiam utrumque salvâ fide Semiarianis adhæsisse ut protegerentur, cùm tantum possent apud Imperatorem, ut iis displicere viris alioqui bonis periculosum videretur.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4402. 1102. 349.

Constans Imperator ad fratrem Constantium tam potentes litteras dederat, ut Paulum & Athanasium metu gravissimi belli instituere cogeretur. Athanasius ergo hoc anno ad Constantium evocatus venit, & apud eum restitit; in quo hono-

honoris multa, & benevolentiæ signa deprehendit. Acta enim in eum universa aboleri jussit, deditque litteras ad Alexandrinos quibus quo esset apud se in pretio significaret. Abstinuit tamen Athanasius à communione cum Leontio Ariano, & in privatâ potiùs domo conventus egit. Cùmque ab eo peteret Constantius ἀντιδόσει loco Ecclesiam Alexandriæ suis Arianis, ipse vicissim alteram Antiochiæ suis Catholicis postulavit; quod cùm Ariani ferre non possent, neutra concessa est, sicque petitio est elusa petitione.

MUNDI 4403. *Urb. Cond.* 1103. CHRISTI. 350.

Coss. Sergio, & Nigriniano, seu Nigriano, Constans Imperator ad oppidum Helenam vulg. *Elne*, propè Pyrenæum, à Gaisone interimitur, eo præmisso per Magnentium, qui Tyrannidem arripuerat, anno Imperii 17. videlicet ex quo creatus fuerat Cæsar, ætatis 30. Hunc Ethnici Scriptores exagitant; at S. Athanasius eum Martyrem vocavit, & SS. Antistites alii eum cœlo receptum putaverunt. Magnentius autem, Taporus cognominatus, Augustorum, operâ Marcellini præfecti Ærario, induerat Purpuram, & jam Imperatorem agebat, à suis militibus acclamatus Augustus. Auditâ ergo Constantis nece, & rebellione Magnentii, Vetranio Dux Pannonici exercitus apud Mursam, se quoque dixit Augustum. Idacius Sirmii id factum asserit Kal. Maji. Quæ cùm didicisset Fl. Popilius Nepotianus Constantinus, filius Eutropiæ sororis Constantini Magni, collectâ militum tumultuariâ manu in habitu Imperatorio Romam venit; sed oppressus est ab Aniceto Magnentii Præfecto Prætorii, ejusque caput præfixum pilo. Constantius autem Vetranionem ad suas partes attraxit, ne sibi cum duobus ducibus res esset; sed cùm ejus milites abduxisset, octavo post mense ex quo Imperator renunciatus erat, exuit dignitate; ei tamen vitam in otio opiparam reliquit: hoc ei profuit adeò molliter restitisse, ut reliquisse potius Imperium, quàm amisisse videretur.

Gregorio igitur intruso, à plebe Alexandrinâ jampridem necato, Athanasius ad Sedem suam perrexit; ubi incredibili omnium gaudio receptus est. Sed antequam eò perveniret, Hierosolymam venit, ubi in ejus gratiam Synodus celebrata est, ubi professi sunt omnes Episcopi (præter Acacium Cæsariensem & Patrophilum Scythopolitanum, qui huic non interfuerunt) se nihil fecisse adversus illum, nisi per vim; & eâde re litteras publicas ad Ægypti Ecclesias dedere. Transiens quoque Laodiceâ Syriæ, egerat familiariter Athanasius cum Apollinari Lectore, filio alterius Apollinaris. Is autem ideo expulsus fuit à Georgio hujus urbis Episcopo, neque unquam exinde receptus; quare hic dolorem suum, quem æquo animo ferre debuerat, in desperationem vertit, ac pestilentem hæresin; magno ejus dedecore, ac dolore Catholicorum.

Tum quoque Ursacius & Valens dedere ad Athanasium litteras; Romamque profecti, Iulio Papæ pœnitentiæ libellos obtulerunt; homines ad omnem auram mobiler, sed hæretici quotiescumque sua res non ageretur. *Ursacius & Valens pœnitentes.*

---

## CAP. VI.

### *Decas Sexta.*

*Ab anno Christi* 350. *ad* 360.

MUNDI 4404. *Urb. Cond.* 1104. CHRISTI. 351.

DUM parat bellum Constantius in Magnentium Idibus Martiis Fl. Iulium Gallum patruelem suum Cæsarem creat, quem & Constantium vocat, eique committit Orientem, datâ Constantinâ, quæ priùs Hannibaliano nupserat. Magnentius quoque fratrem suum, Magnum Decentium Cæsarem dixerat, ut Gallias administraret; quisque domesticis auxiliis suam potentiam firmare conatus. *Gallus & Decentius Cæsares.*

Post aliquot minoris momenti certamina, & utrimque paratas exitu non semper felici fraudes, ad Mursam dimicant decretorio certamine Constantius & Magnentius. Primo impetu repulsi sunt Constantiani; altero victores extitere quarto Kalendas Octob. de Magnentianis: sed tantâ utrimque clade, ut hoc prælium Romani Imperii vires attrivisse creditum sit. Dum pugnaretur, in Basilicâ Martyrum, extra oppidum, versabatur Constantius, *Prælio ad Mursam motus Magnentius.*

*Valens Epiſc. primus victoriæ nuncius.*

tius, aſſumpto ad ſolatium civitatis Antiſtite Valente, qui ſic omnia diſpoſuerat, ut primus ipſe exitum pugnæ nunciaret: ergo prior Victoriæ nuncius extitit, ideo factus admodum Conſtantio gratioſus; ſicque non ſine magnâ Eccleſiæ pernicie Valens ille apud Imperatorem plurimùm valuit.

*Pagani unde dicti.*

Hoc tempore creditur nata appellatio Paganorum, quòd Conſtantius milites omnes Chriſtianos fieri voluiſſet; cùm enim qui Idola colerent militare non poſſent, ideo Pagani dicti, quòd ad Paganitatem eos Imperator redegiſſet: qui autem à Pagis, ubi tantùm tunc temporis Idola colebantur, ita dictos volunt, ſentiunt quidem ut multi, ſed non ſicut eruditi.

*Synodus Sirmienſis in Photinum.*

Tum Synodus habita Sirmii contra Photinum urbis hujus Epiſcopum, urgente potiſſimùm Baſilio Ancyrano. Et quamqum ea prope omnis ex Arianis eſſet, quia tamen nihil edidere contra fidem, ea pænè recepta eſt ab Eccleſiâ, ejusque fidei confeſſio à SS. Patribus probata eſt, qui ab eâ retuſum Hæreticum potiùs, quàm autores conſiderandos eſſe cenſuerunt.

*S. Martinus baptizatur.*

Baptizatus eſt hoc anno S. Martinus ætatis anno 35. & quod pollicitus erat, renunciavit ſæculo: ſed tam accuratè, ut vera idea & imago Chriſtiani poſſet eſſe; poſtea etiam ſanctiſſimi Præſulis, non ſibi tantùm, ſed aliis invigilantis.

*Paulus Conſtantinopolitanus martyr.*

Paulus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, juſſu Conſtantii per Philippum Urbis Præfectum extractus callidè ex Urbe, mittitur in exilium in Pontum, deinde ad urbem Singaram Meſopotamiæ, exinde Emeſam, denique Cucuſum oppidum Armeniæ, ubi ſunt ei eliſæ laqueo fauces.

*Locum ejus occupat Macedonius.*

Locum ejus occupavit Macedonius, fœdiſſimè in Catholicos debacchatus; in eos enim rapinis, exiliis, verberibus ſæviit, multorum frontes ferro candenti notari juſſit; mamillas fœminarum aut ſerrâ ſecuit, aut flammis exuſſit; Eccleſias aliquot demolitus, tantâ acerbitate, ut cùm ſederet in loco ſancto, merito Antichriſtus eſſe putaretur.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4405. 1105. 352.

Conſtantius Gallus relictus in Oriente multa crudeliter, multa acerbè geſſit, potiſſimùm adverſus Iudæos, qui Patritium in regni ſpeciem ſuſtulerant, & cæſo Romano per noctem milite ejus arma ad rebellandum invaſerant. Eos enim oppreſſit, cæſis pluribus hominum millibus, quando nec innoxiæ pepercit ætati. Urbes quoq; Dioſpolim, Tiberiadem, Diocæſaream, aliaque oppida flammis immiſſis ſuccendit; atque ita ſæviit, non ut emendare gentem, ſed exterminare conaretur.

*Crux in Cœlo.*

Apparuit hoc anno (de tempore dubitatur, cùm Idacius Kal. Febr. notet, Cyrillus, αὐτόπτης, nonas Maji, dieſque Pentecoſtes) apparuit ingens in cœlo ex luce Crux, cujus longitudo à Calvario in montem Olivetanum porrigebatur, cui reſpondebat latitudo. Quid autem illa portenderit, facilè dici non poteſt; neque in hoc opere tam parvo licet nobis vaticinari.

*Iulius Papa moritur.*

Iulius Papa moriens anno Sedis ſuæ 16. cum menſibus 5. ac diebus 17. poſtquam Paſtore Roma caruiſſet dies 25. eam reliquit Liberio, ſimulque campum uberem ærumnarum.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRIST.
4406. 1106. 353.

Magnentius in Gallia res ſuas credebat reparare; ſed & Gallos à ſe averſos, & ſollicitatos contra ſe Barbaros, & præcluſum ſibi ab Hiſpanis ad Mauros aditum intellexit; quare apud Lugdunum incumbit gladio 3. Idus Auguſti, cùm tribus annis, ac 7. circiter menſibus imperaſſet. Quæ cùm nunciata eſſent Decentio apud Senonas; ne vivus in hoſtium manus veniret, ſibi laqueo gulam fregit; & uterque fortiùs invaſit Imperium, quàm dimiſit. Frater Magnentii Deſiderius vulneratus à Fratre Conſtantio ſe dedidit, eumque, hoſtem licet, expertus eſt germano ſuo meliorem.

Conſtantius venit in Gallias, tyrannide Magnentii laceratas, atque hyemem Arelate tranſegit, ubi Circenſes & ludos edidit magno apparatu, quibus Principatus ſui tricennalia celebravit. Sed eam lætitiam temperarunt nuncii ex Oriente allati. Hic enim Gallus, inſtigante uxore ſuâ Conſtantinâ, quæ meritò *mortalis Megæra* vocitata eſt, in multos nobiles Antiochiæ ſæviebat, occultis artibus ad Imperium enitens. Quæ cùm accepiſſet Conſtantius, Domitianum mittit in Orientem, ut quibus poſſet artibus Gallum in Italiam pertraheret. Is autem ſuperbiùs patruelem Imperatoris, & Cæſarem allocutus, ejus furorem commovit, & militis odium; quod ita ventilavit Gallus, ut ab iis Domitianus interimeretur, eorumque dux fieret, ex homicidâ perduellis.

Hoc anno in eâdem urbe Arelate celebratum eſt Concilium, in quo contigit Vincentii primarii Romanæ Sedis Legati, aliorumque lapſus, damnationi Athanaſii ſubſcribentium. Sed alii reſtitere conſtanter, inter reliquos Paulinus Trevirenſis, in exilium ideo pulſus, & Lucius Annæus Moguntinus, non tantùm relegatus in Phrygiam, ſed ibidem ab Arianis ſtrangulatus: & aliquot alii, qui Athanaſii judicium eſſe cauſam Eccleſiæ judicaverunt, ejuſque gratiâ toleratam necem, martyrium.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4407. 1107. 354.

Conſtantius Arelate pergit in Reges Alemannorum Gondomadum & Vadomarium, quibuſcum tamen pepigit fœdus, belli Eccleſiaſtici, quam politici ſollicitior. Fœdere ergo cum Barbaris icto redit Mediolanum in hiberna. Acceſſerat interea Conſtantinam ſororem ſuam, uxorem Galli; quæ & maritum adducebat ſuum, plus fraternæ fortunæ tribuens, quam amori maritali: at in Bithyniâ correpta febribus obiit, magno Galli commodo, ſi eo uti noviſſet; at hic ſe ad Conſtantium deduci paſſus eſt, atque in itinere, aut Polæ in Iſtriâ, aut in inſulâ Flanonâ primùm exautoratus, deinde necatus eſt.

Eandem cum eo ſortem ſubiiſſet Julianus, nec frater deſeruiſſet fratrem, niſi Euſebiæ uxoris Conſtantii operâ, à quo diligebatur, liberatus eſſet. Primùm ergo Novocomi tantiſper hæſit ſtudiorum causâ; deinde Athenas vidit, ut

ut liberalibus disciplinis, quarum flagrabat desiderio, erudiretur. Hic incidit in Basilium, & Gregorium, moribus & studiis inter se simillimos, qui ex Iuliani vultu fanatico, & corporis inconditis moribus, judicarunt *Romanam terram in Iuliano ingens malum alere*; neque virorum sanctorum vaticinio fides defuit.

Hoc anno natus est S. Augustinus idibus Novemb. ut ipse fatetur libro de vitâ Beatâ; ad exscindendas hæreses natus, cùm uberiùs succrescere viderentur.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4408. 1108. 355.

Concilium Mediolanense hoc anno celebratum in causâ Athanasii, cui interfuere pauci Orientales, varios prætextus causati, ex Occidente verò plures trecentis. In eo cùm sibi timerent Ariani, à populo Mediolanensi egregiè in fidem animato, in Palatium transtulere conventus, ubi quàm malè sentirent de fide satis aperuerunt; nam eorum in Athanasium odium dubium erat nemini. Ejus damnationi primùm subscripsit Dionysius Mediolanensis, satis imprudenter; sed ejus nomen piâ fraude delendum curavit S. Eusebius Vercellensis; quare ambo in exilium ejecti, in Dionysii locum suffectus est Auxentius Cappadox Arianus. Liberius quoque Pontifex per vim Mediolanum pertractus est; ubi Imperatori dum fortiter obsistit, Berœam, quæ in Thraciâ est, relegatus, fortiùs hanc suscepit causam, quàm absolvit: Osio feliciùs cessit suâ constantiâ; cùm enim vocatus ab Hispaniâ, jam centenarius, nullo modo induci potuisset ut damnaret Athanasium, remissus in patriam suam, quasi desperatus & delirus; cùm tamen Imperator potiùs de eo vincendo desperaret, verèque desiperet.

In Liberii porrò locum substitutus est Felix, Catholicus quidem, sed ab Arianis electus, Epicteti Episcopi Centumcellensis Arianorum audacissimi molitione, Acacii Cæsariensis, seu μονοφθάλμου auctoritate, à tribus Arianis Episcopis ordinatus, & ad expellendum Athanasium paratissimus. Quare dum Mysteria celebraret Romæ, aut in Ecclesiâ esset, nunquam iis interesse, aut eam subire Romana plebs voluit, locum ejus præsentiâ pollutum detestata.

Hilarius Pictaviensis Episcopus creatus est ab universo populo, litteris egregiè excultus, & quod caput erat, hoc tempore vir magni animi, & quem mortale nihil unquam, Deus unus terruit. Is autem tum omissus est, ex Barbarorum metu Gallis imminentium: sed anno sequenti in Biterrensi Synodo, dolo Saturnini Arelatensis Episcopi, cum Rhodanio Tolosano ejiciendus; ideo sic providente, ne simul & semel tot viris magnis careret Ecclesia.

Sylvanus, peditum magister, apud Coloniam Agrippinam purpuram Tyrannus invadit; sed intra dies duodeviginti militari tumultu interfectus, eam sanguine suo rubere indoluit.

Huic malo uti provideretur, curante potissimùm Eusebiâ, creatus est Cæsar Flavius Claudius Iulianus, Galli frater, cui data uxor Helena Constantii soror, unaque Galliarum administratio, quas Germani tenebant. Et verò hoc circiter tempore iidem populi, Rheno superato, Coloniam obsessam cepere, ac penitus delevere, Gallis omnibus paria timentibus, aut expectantibus.

Donatus, à quo Donatiani, tum est ejectus Carthagine, cujus sectatores Romæ Montenses dicti, quòd Romæ primùm Ecclesiam in monte fixerint. Eodem tempore in eâdem urbe florebat Victorinus, Rhetor adeo insignis, ut statuam in Trajani foro meruerit; & Donatus Grammaticus, de se magnus, sed adhuc magisterio S. Hieronymi clarior. *Donatus.* *Viri magni.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4409. 1109. 356.

Constantius triumphans Romam ingreditur 3. Kal. Majas, ob victum Magnentium, quando Matronæ Romanæ per maritos suos Imperatorem rogavêre, ut Liberius exul restitueretur. Cùmque Imperator populo Rom. Felicem simul & Liberium offerret; publicè acclamatum, *unus Deus, unus Christus, unus Episcopus*; quare restituendum Liberium pollicitus est, sed nonnisi corruptum reddidit. *Constantii triumphus.*

Dux Syrianus Alexandriam cum copiis missus, 5. Kal. Febr. dum minùs expectatur irrumpit in Ecclesiam cum milite, multosque interficit, multos cædit, multos in vincula detrudit. Athanasius à Monachis mirabiliter ereptus est, cùm ipse potissimùm ad necem peteretur; ac diligenter perquisitus, nusquam comparuit. In ejus locum statim intruditur Georgius Cappadox, olim ærarii Constantinopolitani quæstor, & depeculator, ideo profugus, idoneus ad omnem crudelitatem judicatus ab Arianis; & verò quid posset mox ostendit, adjutus maximè ab Heracliano Comite Ariano, & Sebastiano Duce Manichæo, à quibus in Catholicos Ægyptios excitata est persecutio, quâ nulla visa fuerat hactenus major. Restitêre tamen fortes Catholici, passi omnia ne Hæreticis communicarent, erectisque animis inter verbera, bonorumque jacturam; ne impiis cœtibus miscerentur. *Pellitur Athanas. intruditur Georgius.*

Tum Lucifer Calaritanus in Constantium ipsum stylum exercuit; cui invidêre Ariani Martyris gloriam, quater exilii mutavere locum, cumque hominibus commisêre, inter quos vitam quâvis morte acerbiorem toleraret. Ejusdem conditionis fuit Eusebius Vercellensis Scythopoli, ubi tamen invenit Iosephum Comitem, de Iudæo mirabiliter factum Christianum, à quo benignè susceptus est, & tum illum invisit S. Epiphanius; mox tamen à Patrophilo urbis hujus Episcopo ea passus, quæ vix ab Ethnicis expectasset. Inde etiam in Cappadociam amandatus, quasi tetriorem exilii locum; ex quibus tamen ad Triumphum suum, & Ecclesiæ, victor emersit. *Lucifer scribit in Constantium.*

Tum Dionysius Mediolanensis, & Paulinus Trevirensis ærumnis confecti in exilio, absque ferro, & suppliciis, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius toleravere martyrium. *Episcopi Martyres.*

Eudoxius Germaniciæ Episcopus Sybaritâ mollior, licèt filius martyris, tum Romæ agens, auditâ Leontii morte Antiochenam sedem invasit, *Eudoxius invadit sedem Antioch.*

ſit, operâ aulicorum, ſtatimque reſtituere conatus eſt Aëtium, *Atheum* & *Impium* cognominatum, hominem corpore turpem, animo nequiorem, Philoſophicis tantùm argutiis potentem; quibus tamen, Arianus ipſe, ſectatores Arii à ſe alienavit, uſque ad inſaniam altercandi rixandique cupidus.

*Iulianus componit Galliam.* Euſebia irata, Helenæ conjugi Iuliani venenum propinat, uti nunquam conciperet; huic etiam natum filium per obſtetricem refecto ſtrictius umbilico ſuſtulit, magno Eccleſiæ bono, ne vir tam nefarius in aliquâ parte ſui ſupereſſet. Intera Iulianus Gallias componebat, receptâque Coloniâ, territiſque Francis, cum eis nihilominus componit pacem, quibuſcum nonniſi periculoſè poterat decertare. Mox Senonas proficiſcitur, hic hiematurus; at prolapſurus Alemannis qui bellum intentabant; neque jam latiſſimo Rheni alveo coërcebantur.

*S. Martinus militiam linquit.* Iulianus in Vangionibus pugnaturus cùm Alemannis, pridie quàm certaretur donativum offert militi; quod recuſat Martinus, ac miſſionem petit honorificam, jam confectis ſtipendiis. Eum itaque comprehendi jubet ut ignavum, & in primis ordinibus ad excipienda hoſtium tela collocari. Sed fruſtra, uti Sanctus prævideraț; hoſtes enim ſequenti die pacem petiere, & obtinuêre; Martinus honeſtè dimiſſus eſt, ut meliori deinceps domino militaret.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4410. 1110. 357.

*Iuliani victoria de Alemannis.* Iulianus parat bellum in Germanos, qui Lugdunum invadunt; unde ſubinde depulſi, plus ſe velle, quàm poſſe docuerunt. Tum Cæſar tres Tabernas ab iiſdem everſas inſtaurat. Denique ad Argentoratum atroci pugnâ vincit Alemannos, eorumque Regem Chonodomarum capit, quem vinctum ad Conſtantium mittit, ſuæ victoriæ perhonorificum teſtimonium; ipſe hyemem traducit Pariſiis, quem locum urbeculam vocat, ſed ſibi charam: cujus odium, jam facta major, ejus amori libenter anteponeret.

*Altera Synodus Syrmiana.* Conſtantius tum degebat Sirmii; ubi habita altera Synodus, nomine adversùs Photinum, re adversùs Eccleſiam ac Chriſtum. Hic enim ab Urſacio & Valente concepta eſt ἔκθεσις Syrmiana, Blaſphema prorsùs, quam S. Hilarius *Oſii*, *& Potamii formulam nominat.* Potamius quidem hæreticus Arianus fuit; Oſii nomen videtur adjectum fuiſſe ab Arianis. Certè huic Oſius verberibus, tormentiſque coactus ſubſcripſit, & cum Urſacio, & Valente communicavit: at ut damnaret Athanaſium nunquam adduci potuit. Is tamen Oſius verè Catholicus obiit, damnatâ penitùs Arianâ perfidiâ, quantumvis eum miſerabili exitu vitam terminaſſe, precibus Gregorii Eliberitani Epiſcopi ſcripſerit Iſidorus. Sed Athanaſio συνηγόρῳ Oſium laudanti, quàm Iſidoro ætate diſſito eundem vituperanti, potior adhiberi fides debet.

*Sirmiana formula Semiarianorum.* Huic Sirmianæ formulæ ſcripſerunt Semiariani Ancyræ convenientes Epiſcopi, reſtitutoque τῆς οὐσίας nomine tantùm ὁμοιούσιον ſubſtituerunt, eamque ad Conſtantium miſerunt, ducibus Baſilio Ancyrano, & Gregorio Laodiceno. Quare cum Sirmianæ formulæ pœniteret Arianos, eam omni diligentia ſuppreſſerunt, capitali etiam pœnâ iis ab Imperatore propoſitâ, penes quos reperta eſſet.

Tum autem Liberius relegatus terrore compulſus, & ſubſcripſit Athanaſii damnationi, & fidei profeſſioni, in quo concordiæ gratiâ vox ὁμοούσιοι reticeretur, & filius per omnia ſimilis Patri admitteretur. Sed eam formulam nacti Urſacius, & Valens, ſceleratiſſimi prævaricatores, aliam edidêre Liberii nomine, plenam perfidiæ, quæ magnos tumultus per totum Orientem concitavit. Quare Georgius Laodicenus Semiarianus ſcripſit ad Baſilium Ancyranum quoque Semiarianum, ut Anomæorum hæreſin tum graſſantem comprimeret; unde & lux aliqua Eccleſiæ rebus cœpit affulgere, cùm ejus adverſarii ei utcumque ſuffragari viderentur.

Liberius ergo Romam redire permittitur, ſed ab eo refugit Romanus Clerus; & quamquã pollicitus eſſet ſe vivente Liberio alium agniturum neminem, ubi tamen eum communicaſſe hæreticis audiit, juramento ſe ſolutum putavit. Itaq; Felix II. tum Pontifex Romanus agnitus eſt; qui etiam fortiter reſtitit Conſtantio, eumq; ut hæreticum damnavit; quare in urbem Cære relegatus martyrio coronatus eſt, & ut martyr colitur in Eccleſiâ 28. Iulii. Liberius autem tum non agnoſcebatur ut Pontifex, immò in Eccleſiam, & inimicos ſuos graſſabatur; unde nata fabula de Leone, quem Felici ſucceſſiſſe quidam volunt; ſed commento tam inſulſo, ut derideri potiùs, quàm refutari mereatur.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI
4411. 1111. 358.

Legatos miſit Rex Perſarum ad Conſtantium, ſed conditiones tam iniquas offerentes, & invidioſas, ut bellum videretur glorioſum turpi præferendum paci. Tum quoque magni terræ motus in Oriente & Græcia contigere, quibus Nicomedia 9. Kal. Sept tota concidit, primo Solis exortu admonitis per Arſacium Monachum civibus. Aliæ item 150. urbes valde labefactatæ ſunt; omnibus mortalibus ita perturbatis, ut mundi ultimum exitium expectaretur.

Tum Iulianus Francos, qui ſedem fixerant apud Toxandros, invaſit, eoſque ad deditionem compulit. Aliunde Conſtantius Quados & Sarmatas populatus eſt, unde & Sarmaticus dictus, ut oſtenderet ſe aliquid poſſe, neque à ſuo Cæſare ejuſque copiis ſperneretur, quæ Orientem magis Solem quàm Occidentem venerari ſolent.

Interea magni concitati ſunt in Oriente tumultus inter Arianos & Semi-Arianos: horum princeps erat Baſilius, illorum Acacius μονόφθαλμος Cæſarienſis; hi nomen οὐσίας repudiabant, illi admittebant, ambo rejiciebant ὁμοούσιον. Cùm igitur opus eſſet Concilio Generali, & huic aſſignata Nicomedia concidiſſet; Nicæa item concuſſa, quæ illius loco ſubſtituta fuerat, conventum inter Epiſcopos ut Orientales Seleuciæ in Iſauriâ, Occidentales Arimini in Italiâ convenirent; atque ita rebus omnibus provideretur; Anomæi, qui maximè petebantur, extinguerentur. Sed iis immixtus Conſtantius turbavit

vit omnia, à quo tantùm vis expectanda prævidebatur.

Datiano & Cereali Coss. 16. Kal. Feb. S. Antonius Eremitarum pater, inter discipulorum manus suam reddidit animam, sepultusque est in obscuro loco, ne Pergamus quidam ei addictissimus supra ejus sepulchrum Martyrium excitaret, quo se putabat indignum. Inrerfuit ejus funeri divinitus admonitus S. Hilarion, clausoque per triennium cœlo visa sunt eum lugere elementa; nomine Magni dignissimus, ipsis etiam Imperatoribus charus, ac dæmonibus terribilis, qui eum neque vivum neque mortuum ferre potuerunt, licet horum unus sub porci specie ejus semper imaginibus alligetur.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRIST.
4412. 1112. 359.

Coss. Eusebio, & Hypatio, natus est Gratianus Valentiniani filius 14. Kal. Majas, quando Iulianus Alemannos bello vexatos ad pacem compulit, Constantius litigantes Sarmatas devicit, Lauritius Comes tumultuantes & grassantes Isauros compressit, omnia fuere Constantio prospera bello atque foris, non item pace atque domi, dū Ecclesiasticis inepè rebus implicatur.

Tum celebrata est Synodus Seleuciensis coram Lauritio Isauriæ præside, & Comite Leonâ, inita 27. Sept. in quâ primum actum de Fide, agente Leonâ. Cùmque Acacius μονόφθαλμος novam ἔκθεσιν proposuisset, Nicænæ adversantem, ea rejecta est à Semiarianis, & digressis Arianis, ea proposita est quæ in Encæniis Antiochenis anno Christi 341. edita fuerat. Confugerunt ergo ad Constantium Acaciani; confugere & Basiliani, miserumque Imperatorem vehementer exagitarunt, in quam partem inclinaret circumspicientem, cùm horum doctrinam; illorum amicitiam pluris facere videretur.

Eodem tempore altera Arimini celebrabatur, in quâ sedere 400. Episcopi, tantùm ex iis 80. Ariani. Cùm hic quoque primum actum esset de fide, Ursacius, & Valens proposuere ἔκθεσιν Sirmii, à Marco Arethusio procusam, in qua omissis vocibus οὐσίας & ὁμοούσιον Filius Patri per omnia similis dicebatur & ὁμοούσιος; sed cùm Arianam Hæresin, & Arium damnare nolient, ut Hæretici habiti sunt. Mittit ergo Synodus Legatos ad Constantium, sed eos prævenere Ariani: itaque per Taurum Præfectum jussu Imperatoris diù detenti sunt Arimini episcopi, atque macerati; eorumque mutli compulsi sunt subscribere Valentis formulæ, in quâ Filius Dei dicebatur non esse creatura ut alia creatura. Exinde Valens, acceptâ à Constantio potestate, civitates circumiens, per vim subscribere Ariminensi ἐκθέσει cogebat, recusantes Episcopos ejiciebat sedibus, *miratus est pæne Universus Orbis se esse Arianum*, duorum hominum fraude circumventus.

Circa hoc tempus Ariani Synodum ex suis Nicææ in Thraciâ assignant; in quà jam non filium per omnia Patri similem, sed tantùm ὁμοούσιον declarant; occulti semper inimici filii Dei, cui cùm poterant, quod antè dederant, adimebant.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4413. 1113. 360.

*Iulianus acclamatur Augustus.*

Hoc anno, quo horrenda contigit Ecclipsis Solis digitorum undecim, Constantius invidens Juliani gloriæ, propter rēs ab eo feliciter & fortiter in Galliâ gestas, statuit eum in Orientem transferre, & ad alios exercitus: quod subodorati milites, Lutetiæ Parisiorum eum Augustum acclamant, & fortem Imperatorem invido esse anteponendum putant.

*Imprudentia Constantii.*

Interea Sapores Mesopotamiam ingressus, Singarum, Bezabdem, aliter Phœnicum dictam, vi capit; Vietam in ejusdem regionis finibus frustra tentat fortiùs propugnatam, quam oppugnatam, Constantius tum hiemabat Constantinopoli, ridiculè plus Episcopis, quàm suis copiis intentus. Longè aliter agebat Julianus, qui tum Francos Atthuarios excurrentes repressit; omnique pacatâ Galliâ Legatos mittit ad Constantium, quibus factum suum excusaret; verùm recepti sunt tam superbè, ut satis intelligeret Julianus sibi moriēdum esse, vel imperandum: vbi Constantii enituit imprudentia, qui re infeliciter adversùs Persas gestâ, duce Sabiniano, bellum etiam domesticum accenderet; neque attenderet se eò exrulisse Julianum, unde sine suo periculo deturbari non posset.

*Hilarius redit in sedem.*

Hilarius exulans in Phrygiâ, ubi mortuum suscitarat, cùm porrexisset Constantinopoli libellum Constantio, & adversarios ad congressionem provocaret, ex eorum consilio remittitur ad sedem Pictaviensem. Hunc redeuntem suscepit omnis Gallia, quasi de Arianis triumphantem, quos confutarat scriptis, sola provocatione terruerat. Tunc eum secutus est ex insulâ Galinariâ S. Martinus, tali magistro discipulus dignissimus.

*Ejicitur iterum Liberius.*

Liberius Papa recusans subscribere formulæ Ariminensi, per Valentem ejicitur ex Urbe; neque tamen est ei alius suffectus Episcopus, Gaudentius Arminiensis Episcopus, absens tempore Concilii, eo absoluto redit in sedem, ejus acta fortiter damnat; quare Martiani prælidis jussu, fustuario & lapidatione mactatus animam Deo reddidit. Reddidit & Ruffinus ante currum Epicteti Centumcellensis, tandiu currere compulsus donec ejus præcordia rumpurentur. Sic æhretici fidem tuentur suam, Diocletiano quàm Christianis similiores.

*Martyres Episcopi.*

*Macedonii Hæresis.*

Macedonius è sede Constantinopolitanâ dejectus hæresin suam disseminat de Spiritu Sancto, quem negat esse Deum, & ab Angelis tantùm gradu differre. Ei sufficitur Eudoxius Antiochenus, fautor Aëtii & Eunomii. Meletius autem ab Eudoxianis, Sebastiâ transfertur Antiochiam; sed potitus sede, statim Catholicam fidem profitetur. Ita Antiocheni tri fariam divisi Eustathiani & Meletiani, Catholici, Eudoxiani, Ariani; diffidebant autem Eustathiani à Meletianis, quòd Meletius ab Arianis ordinatus esset. Adeo Orientis Ecclesia fœdè lacerabatur, ut etiam Catholici inter se schismate scinderentur.

*Marathonius propagat hæresin Macedonii.*

Macedonianorum hæresis plurimùm disseminata est, quòd hi oratione multum possent, aliunde viri boni, sanctique viderentur. Profuit eis quo-

quoque Marathonius quidam, aliàs Quæstor, qui post multas divitias collectas, ejuratâ militiâ, totum se ad curandos ægros, ac pauperes sublevandos transtulit. Neque satis, monasticam insuper vitam Eustathii Sebasteni professus est, animo nihilosecius hæreticus, & magnus Macedonianorum patronus, quorum sectam pecuniis suis promovit, ac fovit, dignus ideo qui nomen quoque Macedonianis impertiret, dictis aliter *Marathonianis*. I nunc, de hæreticorum fide, ex eorum moribus & virtutibus simulatis, statue.

*Eunomii Hæresis.*

Circa hæc tempora vigebat Eunomius Hæresiarcha, origine Galata, discipulus Aëtii, tanta superbiâ tumens, ut se in divinis nihil ignorare jactaret, ita se nosse Deum, ut Deus ipse se noscit. Sed charissimus fuit Eudoxio, & ab eo sæpe defensus, à quo admonebatur subinde ut animi sui sensa occultaret. Infensus non tantùm fuit Verbo, sed & toti Trinitati; homo aliàs impurissimus, & libidinis magister. Ideo etiam ab Imperatoribus secta ejus prohibita, dictique ejus sectatores Troglodytæ, quòd secreta loca quærerent, in quibus sæpe agerent quæ non essent omnibus propalanda.

*Massaliani Hæretici.*

Temporibus quoque istis Constantii apparuere *Massaliani* hæretici, aut potiùs insani, qui omnia in oratione ponebant, ideo vocati *Euchaitæ*, & *Precatores*, item & *Euphemitæ*, qui multos admittebant Deos, unum colebant; dicti & *Martyriani*, quòd cùm gentiles essent, à præfectis puniebantur; & *Sathaniani*, quia Sathanam colebant, ne ab eo læderentur; omnes digni qui sub tam impio Principe orirentur, & viverent.

## CAP. VII.

## *Decas Septima.*

*Ab anno Christi 360. ad 370.*

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4414. 1114. 361.

*Constantius aliam ducit uxorem.*

Constantius Antiochiæ, Eusebiâ demortuâ, Maximam Faustinam duxit uxorem, ex quâ suscepit Constantiam postumam, quæ postea nupsit Gratiano, inde quoque in Julianum intentus erat, & adversus eum Vadomarum Francorum regem per litteras incitarat, hicque pollicitus erat officium omne quod à fœderato poterat expectari. At litteræ venerunt in Juliani manus; itaque Francus captus, vinctùsque in Hispaniam amandatus est, ita coërciti Barbari, ut ab hâc parte nihil sibi Julianus metueret. Tum autem secreto ritu Bellonam creditur placasse; quominus publicè Deos suos coleret, impediebat metus, quo solutus in omnem idololatriam væsanus erupit.

*Iulianus Idololatra.*

*Rebellat in Constantium.*

Dum itaque mortem Constantii imminere credit, nec eum ad se retundendum, deficiente corpore, idoneum aggredi placuit, dat litteras ad Lacedæmonios & Athenienses; interim tamen ritu Christiano vivit, & festum Epiphaniorum diem, de more, in Ecclesiâ celebrat, à qua tam aberat animo, quàm corpore præsens erat.

*Cruces in vestibus.*

Superatis tandem montibus, Illyricum pervenit; ubi roris guttæ de cœlo delapsæ, in ejus & militum vestibus cruces impressere, ut etiam invitus Imperator quam ex corde evulserat ferret in purpurâ suâ Christianitatis notam.

Nunciata Juliani expeditione Constantius cum Persis utcumque paciscitur, & versùs Occidentem movet; sed in itinere prope Tarsum, aut (ut alii volunt) Mopsucrenis pridie Nonas Octob. moritur, cùm imperasset annis 24. mensibus quinque, cum diebus aliquot. De ætate non liquet, scriptoribus inter se diffidentibus: de ejus morte hoc certum, Constantium non satis citò, si ad eum attenderis; si ad successorem, non satis tarde interiisse.

His auditis Julianus in Thraciam advolat, ac 3. Idus Decembris ingreditur Constantinopolim; ubi Salustium Præfectum prætorio creat; severissimas de amicis & consultoribus Constantii exercet quæstiones, quorum aliquos nece, alios exilio mulctat, & publicas in mortuum, quas in vivum ausus non erat, profitetur inimicitias. Tum etiam Antistites Christianorum ad se in Palatium vocat, & cui quisque velit sectæ jubet adhærescere, ita tamen singulos allocutus, ut inter se committeret omnes, ratus concordes sibi terribiles esse, diffidentes penitùs contemnendos. Tunc etiam Deorum ante clausa templa patefecit, Pontificem Maximum se antiquo ritu & sacrificiis inaugurandum curavit, ac religione Christianâ publicè ejuratâ hostem se Christi, ac mysteriorum ejus inimicum exhibuit; Ad hæc revocat omnes exules Episcopos, ut Catholicos opponeret Arianis, ne hi nimiùm potentes essent; illi dum aliquid possunt, suis adversariis resistant, ac se se mutuis altercationibus aut lacerent, aut defatigent.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4415. 1115. 362.

Variæ accedunt ad Julianum legationes, ei gratulantes Imperium; at his ille neglectis cogitabat de Persis, ex morte Constantii sibi victoriam, & victoriæ fructum sperantibus Orientem; eò utique proficiscitur, ut intelligeret Sapores Constãtium obiisse, non Romanorum Imperatorem.

Georgius Alexandriæ Episcopus, homo crudelis, à plebe discerpitur, trahitur contumeliosè cadauer ejus, & flammis absumitur. Julianus eam ob rem Alexandrinos leviter increpuit, & luculentam ejus bibliothecam ad se deferri jussit, ratus sic ejus mortem Imperatoris Palatio profuturam.

Tum est in Christianos excitata persecutio, in quâ multi ceciderunt, multi fortes perstitere, inter quos enituit Anthemius, Augustali præfecturâ donatus à Constantio, & bello Magnentiano clarus. Is aliorum criminum specie Antiochiam adductus, impietatem exprobravit Juliano, ideoque ab eo cæsus XII. Kal. Octobr. Enituerat etiam antea Ioviani, Valentiani, & Valentis constantia, quos à Christo abducere Julianus nunquam potuit; sed Valentiniani multò major, dum Æditūum, à quo aquæ lustralis guttâ in templo Fortunæ aspersus erat, spectante ipso Juliano, pugnis contudit, de veste tantum rescidit quantum hæc gutta intinxisset. Sed in bello generosi-

nerositas, hos reservare Julianum compulit, magis rebus suis, quàm suis sacris addictum.

Contigêre & hoc anno multa prodigia: Templum Apollinis Daphnæi, conditum ab Antiocho Epiphane, igne cœlitus misso deflagravit, translatis ex hoc loco S. Babylæ reliquiis, quæ Dæmonem tacere compulerant. Julianus id incendium Christianis adscripsit, nec fallebatur si de precibus, & Babylæ potentiâ quæstio esset, cùm de facibus injectis, ne minimam quidem suspicionem per atrocissimas quæstiones extorserit. Tum etiam iterum terræ motu cecidit Nicomedia, vexata Nicæa, cælo & terrâ minitantibus Imperatori.

Irrisus est tum ab Antiochenis Julianus, propter barbam & affectatam satis insulsè Philosophi personam, jacta & in eum dicteria, vocatusque Victimarius, & Thuricremus, & aliis nominibus quibus idololatria ejus perstringebatur; quare in eos scripsit Misopogonem, seu Antiochicam; quâ tamen se magis ridiculum ostendit, & se Rhetorem magis quàm Philosophum.

Basilius secedit in Eremum ad ripas Iris fluvii, quò eum paulò post secutus Gregorius Nazianzenus; viri magni, & qui tum sapienter latuere, ut postea nobiliùs emicarent.

Athanasius redit Alexandriam, (id enim edictum Juliani de revocandis exulibus Episcopis, id Georgii mors postulabat) tantâ pompâ exceptus, ut numquam simili ullus Imperator. Statim Synodum Alexandriæ convocavit, cui Eusebius Vercellensis interfuit. In ea decretum ut Episcopi lapsi, cum dignitate reciperentur; & Catholica fides probata; admissaque nomina ὑποστάσεως & [illegible] antea semper controversa, illud etiam hactenus SS. Patribus incognitum; unde operum Dionysii Areopagitæ quibusdam suspecta fides.

Lucifer Calaritanus Antiochiæ præficit Episcopum Paulinum, discipulum Eustathii, ut verè Catholici suum haberent: Meletius enim Catholicis præerat, sed à quibus Eustathiani refugiebant; Euzojus Arianorum Episcopus erat. Eusebius Vercellensis, eò missus ut factiones illas tolleret, factum hoc Luciferi improbavit; quâ sententiâ irritatus Lucifer, aliunde improbans lapsos Episcopos cum dignitate recipi, schisma conflavit, in eo situm quòd neque cum lapsis, neque cum eis qui eos admiserant, communicaret. Is porrò Lucifer rediens in suam Sardiniam ex edicto Juliani, in suo schismate mortuus est, terribili exemplo divinæ Iustitiæ, nunquam peccantis, licet statuta quæ judiciis hominum non satis convenire videantur.

Ariani efficiunt apud Julianum, ut Athanasius exterminaretur: hic quæsitus ad necem, insequentes se callide elusit, ac rediit Alexandriam, ibique latuit usque ad Juliani mortem, sicque utilem Christo ministrum servavit.

Julianus vetat Christianos liberales disciplinas docere. Ideo Prohæresius nominatim à Juliano exclusus, acceptaque profitendi potestate reliquit Scholam suam, quod & Musonius fecit, & Marius Victorinus insignis Romæ Rhetor; magnâ Imperatoris infamiâ. Tum autem Gregorius Nazianzenus versus scripsit, qui Homericorum loco possent esse, & quoad formam non minùs utiles, quoad materiam Christianis mage profuturi.

Donatistæ obtinent à Juliano relaxationem ab exilio, & Basilicarùm restitutionem, atque ejus authoritate freti fœde in Catholicos grassantur: quibus tamen Deus magnis miraculis obstitit. Tum etiam Christianos jussit appellari Galilæos edicto suo Julianus, & cruces, religionis nostræ præcipuas notas, aboleri; qui Christum sequerentur, affici posse injuriis impune edixit, neque inter milites conscribendos deinceps; quæ non passus est Deus servari diutiùs, ne ultima pernicies immineret Ecclesiæ, quam evertendam Dæmonis præcipuus iste fautor susceperat.

*Favet Donatistis.*

*Vexat Catholicos atrociter.*

Julianus idem magni fecit viros aliquos eruditione præstantes Ethnicos, ut taceam Christianos, Ecebolium Rethorem, cujus religio alligata erat principis religioni, Oribasiū Pergamenum medicum excellentem, Libanium Sophistam Antiochenum ab eo quæsturâ donatum; denique Themistium philosophum simul & oratorem, creatum ab eo præfectum Vrbis Constantinopolitanæ, antea per Constantium Præturæ insignibus ornatum; viros omnes egregios, & quibus (si Ecebolium excipias) nihil præter Christianam religionem defuit.

*Viri eruditi tempore Iuliani.*

| MUNDI | *Vrb. Cond.* | CHRISTI |
|---|---|---|
| 4416. | 1116. | 363. |

Julianus potestatem facit Judæis templi restituendi; quod instaurari prohibuit Deus, flammis erumpentibus ex aperto fundamento, quibus consumpti impii isti latomi opus suum interruperunt. Tum in Persas movet Imperator cum apparatu magno militum, magno item Dæmonum, quibus magis confidebat, & exit Antiochiâ 3. No. Martias. Primo impetu occupatis aliquot urbibus, obsidet Ctesiphontem; quâ omissâ, delusus à proditore Persâ, atque in loca deductus carentia commeatu, plerisque militibus amissis Cœli inclementiâ, prælium cum Persis conserit; in quo dum sine loricâ pugnat, telo lethaliter vulneratus interiit, sanguinem exceptum manu in Cœlum jactans, & identidem exclamans: *Vicisti Galilæe*, Quis auctor ejus necis fuerit, an Persa, an Romanus, an venerit è Cœlo telum? hoc certum sceleratum Principem, magum, inimicum Christi, immaturo funere præreptum esse 6. Kal. Julias ætatis anno 32. cùm ab obitu Constantii uno tantùm anno ac septem ferè mensibus præfuisset etiam diuturniori quàm ejus crimina postulabant Imperio.

*Reparare sinit Iulianus templum Salomonis.*

*Persicum bellum suscipit, & caditur.*

Flavius Jovianus, Singidone in Pannoniâ natus, Domesticorum primus, & egregius Confessor, statim ex necessitate ab omnibus militibus certam internecionem expectantibus eligitur Imperator; negat hic se præesse militibus Ethnicis velle, omnes se Christianos esse proclamant, eumque Augustum dicunt. Statim quam ratio temporis & imprudentia Juliani postulabat pacem cum Persis init, Nisibi & magnâ parte Mesopotamiæ relictâ, desertòque Armeniæ Rege amico ac socio Populi Romani, atque exercitu ex Perside

*Iovianus eligitur Imperator.*

Perſide retracto; *ſic malè conſuere veſtem compulſus, quàm ejus anteceſſor malè conſciderat.*

*Homœoſion Semiarianorum.*

Macedoniani hæretici (ſic jam dicebantur Semiariani) petunt à Joviano ut pellantur Anomœi; ſic Arianos vocabant; reſpondit ſapienter Imperator, nolle ſe his quæſtionibus immiſceri, Acacius itaque veritus exilium; cum Meletio convenit, Purpuram, inquit Themiſtius, potiùs ſecutus quàm Deum; & celebratâ Antiochiæ Synodo Nicænam fidem omnes ſunt amplexi, atque omnibus Epiſcopis ſuus eſt reſtitutus gradus, ſi qua fides eſt Socrati: Hieronymus enim in Chronico, non vulgaris ille quidem, ſed emendatus à Pontaco, ſcribit in hâc Synodo Homouſio Anomæoque rejecto, medium inter hæc Homœouſion Macedonianum dogma eſſe vindicatum; quod eſt longè ſimilius vero: neque enim tam facilè ſolent hæretici à ſuis erroribus reſilire.

*Iovianus colit Athanaſium.*

Jovianus Chriſtianos exautoratos ſtatim reſtituit, atque inter cæteros Valentinianum, Religionis cauſa Melitinæ in Armeniâ exulem. Reſtituit etiam ſuæ ſedi Athanaſium, à quo ex Alexandrinâ Synodo, quam ſtatim coëgerat, ἔκθεσιν fidei recepit, cumque plurimùm coluit, ut veræ fidei certiſſimum & conſtantiſſimum aſſertorem.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4417. 1117. 364.

*Docendi poteſtas reddita Chriſtianis.*

3. Idus Januar. poteſtas docendi profeſſoribus facta, hoc eſt, Chriſtiani Magiſtri à Juliano rejecti ſuas aperuerunt ſcholas, & Chriſtiana pietas in præceptoribus, de more, cœpit honorari.

*Moritur Iovianus.*

Hoc anno, Dadaſtanæ in limite Bithyniæ & Galatiæ Jovianus Imperator, vel ex cruditate ſtomachi, ut quidam volunt, vel prunarum calore, ob recens illitum calce parietem, exanimatus eſt inventus in cubiculo, ætatis anno 33. XI. Kal. Mart. cui nihil ad bonum Imperatorem defuit, niſi quòd Maximum & Priſcum philoſophos Juliani magos honorarit, & eidem Juliano Tarſi tumulum magnificum excitari curarit; quæ tamen crimina fuere potiùs temporis, quam voluntatis, & nondum Imperio ſtabilito, Principi omnia circumſpicienti forſitan ignóſcenda.

*Valentinianus eligitur Imperator.*

Septimo ab obitu Joviani die 5. Kal. Mart. ad Nicæam Bithyniæ, abſens & relictus Ancyræ, nemine reclamante, ab exercitu delectus Flavius Valentinianus Imperator. Is Cibali in Pannoniâ ortus erat, patre Gratiano, non nobilitate generis, ſed propriâ virtute clariſſimo; hic autem Funarius dictus eſt, quòd funem venalititium portanti milites quinque haud potuerint extorquere; ideoque adſcitus in militiam, per omnes gradus ad Præfecturam prætorii conſcendit, omnibus charus, quibus omnium ſibi amorem, filio alioqui de ſe digniſſimo Imperium peperit. Hic autem Imperii magitudine, & difficultate territus, cui par unus haud eſſe videbatur, 4. Kalendas Aprilis. 7. à Conſtantinopoli milliario

*Collegam adſciſcit Valentem.*

fratrem ſuum Valentem Auguſtum creavit, ac ſibi collegam adſcivit; eique Orientem adminiſtrandum reliquit; dum ipſe Occidentem regeret, Felix, ſi in eo eligendo religionis & pietatis potiùs, quam ſanguinis & fortitudinis rationem habuiſſet.

Macedoniani à Valente cogendi Concilii poteſtatem impetrant; ſapientior Valentinianus Epiſcoporum legatis reſpondit, hæc Concilia non in poteſtate Imperatoris laici, ſed Epiſcoporum eſſe. Valens autem Antiochiam profectus Meletium ejicit, & Catholicos Euzoio communicare cogit; quibus quid ab eo eſſet expectandum Eccleſiæ nimis oſtendit. Denique Imperatores ambo 5. Idus Septemb. Magicos apparatus, & ſacrificia edicto ſuſtulerunt, ob Julianam impietatem id temporis neceſſario.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4418. 1118. 365.

Macedoniani ſeu Semiariani Rampſaci conveniunt adverſus blaſphemias in Conſtantinopolitano Conciliabulo editas ab Acacio, Eudoxio, & aliis Anomœis, ſeu Arianis; & Ariminenſi profeſſione damnatâ, ἔκθεσις Antiochena comprobatur; divinitas tamen Spiritus ſancti non admittitur. Ex hâc Synodo mittuntur Legati in Occidentem, potiſſimum ad Liberium Papam, ſcilicet eorum audaciſſimi & callidiſſimi Euſtathius Sebaſtiæ in Armeniâ Minori, Theophilus Caſtabalorum & Silvanus Tarſi, rejecti primo aſpectu, quòd ab hæreticis miſſi eſſent, cùm tamen profeſſionem Nicænæ fidei purâ propoſuiſſent, & damnaſſent Arium ejuſque ſectam, admiſsâ etiam voce ὁμουσίας, & petitâ pœnitentiâ, recepti ſunt amicè à Liberio, & in communionem vocati: ideo multi Epiſcopi ſedibus ſuis reſtituti; inter quos Euſtathius Sebaſtenus, oſtenſis litteris Liberii Concilio Tyanenſi, quod tum celebrabatur, Epiſcopatui ſuo redditus eſt, unde eum ejecerat Synodus Melitinenſis: Arianus alioquin, & Arium, ejuſque ſectam verbotenus ejurans.

Procopius, natione Cilix, Juliani propinquus, monitus à Juliano, ſi quid ei contingeret humanitus arriperet Imperium, cæſo Juliano neglectû, & poſt deductum ejus cadaver Tarſum diu non comparens, tandem abſentibus ambobus Imperatoribus, id arripit Conſtantinopoli 4. Kal. Octob. ac primùm paucos fautores habuit, vilemque plebeculam; ſed ita Comitatus ejus crevit, ut Valenti jam metuendus eſſet. Certè Valentem in eas anguſtias ab eo eſſe compulſum ajunt, ut de purpurâ deponendâ cogitarit: feciſſetque niſi à Comitibus ſuis impeditus eſſet. Favit autem illi conſilio & opibus Eugenius Eunuchus; ſed has perdidit; illud neque ſibi, neque procopio ſatis ſalutare tandem aliquando deprehendit.

Maximus philoſophus Epheſius hoc circiter tempore à Valente vinculis & equuleo dire tortus eſt, Valentiniano non improbante, quòd non tantùm Chriſtianis, ſed & ſibi pernicioſus extitiſſet. Is tandem per Clearchum Proconſulem Aſiæ Valenti perneceſſarium ad tempus vinculis & quæſtionibus exemptus, mortem quam promeritus erat non vitavit, ſed diſtulit.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4419. 1119. 366.

Valentinianus Junior naſcitur Valentiniano ex Juſtinâ, Magnentii olim uxore, fœminâ Arianâ, & quæ ſi non corrupit maritum, ſaltem meliorem eſſe prohibuit.

Pro-

Procopius re suâ non satis providè & constanter administratâ, tandem prope Nacoliam in Phrygiâ Salutari victus, à suis vinctus ad Valentem adductus, capite minutus est; quod missum statim est ad Valentinianum Parisios, certissimum victoriæ argumentum. Imperium statim & locum ejus invasit cognatus Marcellus Nicææ, cæso Sereniano homine improbo & crudeli, & occupatâ Chalcedone: sed mox captus, sulcatis acerrimè lateribus interiit, nullo alio opere pretio quam ut hominem de medio tolleret, Imperio magis & Reip. quàm sibi rebusque suis perniciosum. Statim autem in Tyrannorum fautores atrociter sævitum; Chalcedonis muri, quòd Procopio favisset, diruti, mox tamen reparati sunt; quia urbs punienda, non perdenda censebatur.

Valens moturus bellum in Gothos, qui auxilio Procopiū juverant, baptizatur ab Eudoxio Ariano, cui se jurejurando obstringit se in dogmate baptizantis perseveraturum, & cōtra adversarios sæviturum; quod cumulatiùs præstitit, quàm pollicitus erat. Tum Danubium transgressus, cùm sibi occurrentem non invenisset hostem, (confugerat enim ad montes Serrorum inaccessos, nisi locorum gnaris) rediit, eum terruisse contentus, nullis inflictis vulneribus, nullis receptis.

Alemannis instaurantibus bellum, omniaque devastantibus, occurrunt Valentiniani duces duo, Carietto & Severianus; sed utroque in pugnâ cæso, Iovinus dux egregius victores tribus præliis contudit, in ultimo quatuor millia sauciavit, sex millia trucidavit; Rex eorum à militibus affixus patibulo, pœnam dedit, cujus vel ipsum victorem pœnituit.

Valens ægerrimè ferens fidem suam damnatam esse Lampsaci, Nicomediæ coactâ Synodo, Eleusium Cyzici Episcopum Semiarianum subscribere cogit ἐκθέσει Arianorum. Hic reversus in sedem suam, cùm abdicare se vellet, impeditur à populo; nihilominus jussu Imperatoris ejicitur ex urbe. Eudoxius Constantinopolitanus Antistes Eleusii loco ordinat Eunomium; sed is propter horrendas blasphemias ejicitur, nec huic profuit autoritas ordinantis.

Novatianorum Ecclesias jusserat claudi Valens; sed cùm ejus filias Anastasiam & Carosin erudiret Marcianus Presbyter Novatianus, obtinuit ut hæ recluderentur; & plus apud Imperatorem impium filiarum suarum magister, quàm Deus ipse potuit.

Tum exierunt ex eremo suâ Gregorius Nazianzenus atque Basilius, hic adjutor factus Eusebii Cæsareæ Cappadociæ Episcopi, jam ipsi reconciliati; ille Patrem adjuvans senio confectum in sede Nazianzenâ; ambo excitati à viris bonis & à Deo, ut opem ferrent Ecclesiæ laboranti; quam ita defendêre, ut ostenderent se in solitudine collegisse vires, & sacram quietem esse plerumque viris eruditis & magnis utilissimam.

| MUNDI | *Vrb. Cond.* | CHRIST. |
|---|---|---|
| 4420. | 1120. | 367. |

Tam gravi morbo cōflictatus est Valentinianus, ut morti proximus videretur, ejusque deplorata salus; adeo ut de Imperatore deligendo consultaretur, & Imperium inter Rusticum Memoriæ & Severum, Magistros peditum, fluctuaret. Sed tandem recreatus ex morbo Imperator Gratianum filium suum dicit Augustum Ambiani, & Imperii ornamētis induit summo omnium ordinum consensu, quoniam in puero jam Imperii dignitas emicabat, & spem magni Principis ostendebat. *Gratianus fit Augustus.*

Valens iterum pergit in Gothos; sed Istro restagnāte ferè ad Autumum usq; hærere coactus est in stativis juxta vicum Carporum. Quare ubi tēpus belli vidit abiisse, Martianopolin redit, hoste neq; viso, neq; territo, cui elementa pugnabāt. *Valens iterum movet in Gothos.*

Mortuus est hoc anno Liberius, cùm sedisset annos 15. menses 4. Is bis Pontifex fuisse dicendus est, ne geminum in Ecclesia caput cogamur admittere, cùm Felicem secundum Papam & Martyrem veneretur Ecclesia. Porrò sancto fine, vitam clausit suam; ideò Beatissimus ab Ambrosio. Beatus ab Epiphanio dictus. Cùm vacasset autem sedes ejus diebus sex, electus est Damasus, natione Hispanus, qui à Felice steterat; postea tamen adeo charus Liberio, ut huic Ecclesiam absens, & recedere compulsus, commendaret. At qui semper steterant à Liberio, dolentes Pontificem creatum esse aliquem ex Felicis partibus, pauci quidem, sed animosi eligunt in Basilicâ Sicinini Ursicinum Diaconum; unde magni tumultus, & cædes, in eâdem æde Sicinini aliquando uno die repertis 137. cadaveribus interfectorum, & Viventio Urbis Præfecto in suburbium recedente, quia se his turbis imparem judicabat; tanto cum ambitu prensabatur ea sedes, (inquit Amm. Marcell. Ethnicus horum temporum scriptor) quæ Rom. Pontificem mensâ, curribus, apparatu Regibus parem efficiebat. Quare non mirum videatur si Prætextatus vir Ethnicus & ab Imperatore, Pomæ primus, dicere solitus esset Damaso: *Facite me Romanum Pontificem, & statim fiam Christianus:* unde de divitiis primæ hujus Sedis constat; quibus bene usi boni Pontifices gloriam duplicem; qui abusi sunt mali, dedecus duplex, quorum unum æternum est, miserabiliter promeruêre. *Liberius papa moritur.* *Damasus ei succ[...]* *Vrsicini schisma.* *Quo ambitu Romana sedes prensaretur.*

Coss. Lupicino & Iovino, viro illo fortissimo de quo anno superiori bello Alemannico facta mentio, Nonas Iulii Constantinopoli grando cecidit instar petrarum, pari magnitudine, atque damno. Nec Constantinopoli tantùm, sed & in Cappadociâ, ut liquet ex Oratione Gregorii Nazianzeni de plagâ grandinis, quâ constat multos homines esse necatos; unde de bestiis & rebus inanimis facies conjecturam. *Grando ingens.*

| MUNDI | *Vrb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4421. | 1121. | 368. |

Tertiùm Valens aggreditur Gothos, Istro pōte constrato prope Novidunum ac lōgis itineribus petita gens Grutungorum: Athanaricus eo tempore judex potentissimus (sic enim eum Ammianus vocat, non Regem) actus in fugam, longiusque recedens quàm ut eum insequi Valens posset, eum in hiberna redire compulit hyemis metu, hostis gravioris Athanarico. *Valens tertium Gothos aggreditur.*

Defuncto Donato Carthaginis Pseudo Episcopo sufficitur in ejus locum à Donatistis Parmenianus, scriptor ille egregiè confutatus ab Optato Milevitano, & Augustino, & jam adversario- *Parmenianus succedit Donato.*

rum suorum lucubrationibus, quàm suis notior.

*Valentinianus Alemannos reprimit.*

Valentinianus ab Alemannis provocatus, aliquot damnis cum Gratiano Rhenum transit, eosque fugientes post magnam populationem assecutus, tandem aggreditur, victoriam retulit, sed cruentam multis suorum, ac primariis desideratis; atenim Barbarorum refrænata audacia, quos tantum fuga & avia loca ab interitu vindicarunt.

*Sapores Armeniam subjugat.*

Vetus ille Rex Sapores Arsacem Regem Armenorum captum perfidiosè, primùm argenteis catenis vincit, mox crudeliter enecat. Obsessus cùm matre filius ejus Para, fugit ad Valentem, & Neocæsareæ excipitur honorificè. Petitusque ab Armenis redditur, Armeniam administraturus ut Rector, non ut Princeps, ne occasionem belli quæsitam Persæ quererentur; quòd utraque pars aut non refugiebat, aut optabat.

*Mulier icta septies.*

Valentinianus, naturâ sævus, in multos severiùs animadvertit: ejus exemplum secuti præsides atroces, in adulteros potissimùm, quæstiones exercuere, ut docet mulier illa septies icta, quam adolescens in tormentis, innocentem licet, dixerat ream; cui famæ, atque vitæ, ingenti miraculo Deus ipse providit, toties percussa, neque tamen necata.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.

4422. 1121. 369.

*Aurelius Victor Consul.*

Consulatum hujus anni notavere suis nominibus Valentinianus nobilis puer, & Sextus Aurelius Victor, illustris ille historicus, & scriptis suis quàm tantâ dignitate celebratior.

*Pax Gothis data.*

Valens invadit etiamnum hoc anno Athanaricum atque Gothos, quos belli diuturnitas, & abrupta commercia ad ultimam compulerant inopiam: itaque petiere pacem, ac veniam; quam non putavit Imperator eis denegandam. Composito itaque bello, & obsidibus acceptis, rediit Constantinopolim Valens, jam deinceps Catholicis quam Gothis magis metuendus.

*S. Hilarius male accipitur à Valentiniano.*

S. Hilarius Mediolanum venit ad Valentinianum adversùs Auxentium Arianum urbis hujus Episcopum. Sed Auxentius verbis Arianam hæresin ejuravit, re servavit; nec Hilario data est facultas ejus dolos refellendi sub iniquis judicibus, immo ut calumniator, & discordiarum auctor facessere jussus. Hic autem non ita multò post obiit sanctissimè; vir impertertitæ fidei, synceræque, *cujus scripta legi posse inoffenso pede* putavit Hieronymus; magna laus profectò, magnique viri à magno viro.

*Auxentius damnatus.*

Auxentius quasi victor Catholicis insultabat præsulibus Eusebio Vercellensi, & Philastrio Brixiano, quos semper adversantes sibi expertus erat, & jam aliquot Illyrici seduxerat Episcopos; itaque in eum Romæ Synodum Damasus cogit 90. Episcoporum Galliæ & Italiæ; in eâ nominatim damnatus Auxentius, vetiti Episcopi cum eo communicare, Ariminensis formula proscripta. Sed adversùs Arianos fortiorem machinam parabat Deus, adeoque Catholicum Auxentii successorem Ambrosium.

*Probus mittit Ambrosium in Insubriam &c.*

Enimvero Anicius Probus Præfectus prætorio, Ambrosio civi Romano, filio Ambrosii qui alias præfectus Gallias rexerat. Insubriam, Liguriam, & Æmiliam cum insignibus Consularibus administrandas tradidit, admonito ut eas provincias non ut judex, sed uti Episcopus regeret; quæ vox, non tantùm monitio, sed & vaticinium fuit.

Eusebio Cæsareæ Cappadociæ demortuo successit Basilius Magnus, jam hujus sedis designatus Antistes, & factis atque concionibus Episcopus.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.

4423. 1123. 370.

Hoc anno creditur apud Gothos excitata adversùs Christianos persecutio per Athanaricum Ethnicum Regem; qui tum relegavit multos, multos morte punitus est: neque verò tum Gothi erant Arianâ labe infecti. Falsumque quod tradunt aliqui Vulphilam Episcopum, qui Gothicas invenit litteras, & Scripturam sacram Gothico idiomate loqui fecit, Arianum hominem populares suos primùm adjunxisse Christo, cùm jam tempore Constantini Magni Theophilus Episcopus Gothorum interfuerit Concilio Nicæno; certum est enim hæreticos nunquam idoneos fuisse ad amplificandam Ecclesiam, sed ad eam dividendam, & labefactandam.

Valentianus Saxonas & Alemannos devicit, intentus bello dum frater ejus Valens nugis vacaret. In ejus Comitatu cùm nonnulli de successore quæsivissent sortes, atque occurrissent hæ litteræ THEOD. multi jussu Valentis necati, ne verum esset augurium, quod tamen non potuit avertere inter cæteros præcipuus Theodorus Ethnicus, & ab Ethnicis expectatus Imperator, quæstione dire tortus igni traditus est quasi maleficus simul & affectator Imperii. Tum quoque & justiùs cæsus Ephesi familiaris Juliani Maximus Philosophus & Magus, citiùs exterminandus, nisi ut acerbiùs castigaretur, ejusque vita mors esset lentior ac diuturnior.

Aberat Constantinopoli, & versabatur Nicomediæ Valens, cùm obiit Eudoxius Episcopus Novæ Romæ annis 19. In ejus locum à Catholicis ordinatus Evagrius, ab Arianis Demophilus; neuter Valenti placuit; utrumque relegavit, qui ab hoc tempore in Catholicos grassari cœpit. Et verò 80. honestissimos viros ordinis Ecclesiastici, qui ad rogandum Imperatorem venerant Nicomediam, ut de Arianis quererentur, per Modestum præfectum impositos navi in medio mari exuri jussit; quam ob causam gravis subsecuta fames, piis eorum manibus litavit ampliùs, quàm miseræ Reip. status exigebat.

Hoc anno mortui sunt Eusebius Vercellensis, & Lucifer Calaritanus; ambo ut moribus, sic morte dissimiles, cùm hic schismaticus, ille sanctus obierit, hic meruit altaria, ille tantùm à nescio quo Sardo nugatore in sacra diptycha relatus sit, cùm ex vitæ libro impium hominem ipse Deus eraserit.

Valens edictum emittit, quo sub gravissimis pœnis injunxit ut Episcopi expulsi à Constantio restituti à Juliano, iterum pellerentur. Athanasium tamen à suâ plebe retentum non est ausus aggredi, sicut nec Paulinum Antiochenum, nec Epiphanium ob eximiam pietatem. Hic Palestinus erat ex vico Besanduce, in tractu Eleuthero-

poli-

politano, qui monachus in patriâ suâ & Ægypto fuerat; hic tentatus à Gnosticis per impudicas mulieres, sed favente Deo ab earum illecebris prohibitus, tandem Salaminæ seu Constantiæ in Cypro factus est Episcopus, vir electissimus, & in quo eruditio sanctimoniæ concinebat.

Tum relegatus est in Thraciam Eusebius Samosatenus, sed exul sponte, etiam delusâ plebe suâ, deinde inhibitâ, ne per vim retineretur, Hic tamen in habitu militari Ecclesias. Syriæ & Palæstinæ lustrabat, pastoribus ei victum sufficientibus. Suffectus ei Eunomius ab Arianis tanto in odio fuit apud Samosatenos, ut aquam Balnei in qua lotus erat, in cloacam effunderent. Neque meliùs habitus, hoc ejecto, Lucius alius Arianus, cujus cùm jumenti pedem attigisset pila, qui eâ ludebant pueri accenso igni eam flammis purgaverunt. Ejecti quoque Meletius, Antiochenus, ob quem Præfectus qui eum deducebat in Armeniam, pæne lapidibus obrutus est à plebe; Pelagius Laodicenus, qui olim primo nuptiarum die reliquerat intactam uxorem; & Gregorius Nyssenus, frater S. Basilii: quorum & pœna & exilium fuere Episcopatu ipso atque dignitate nobiliora.

Valens Cæsaream Cappadociæ venit, fortè ob ingruens bellum à Persis, hícque Basilium variis tentavit modis, semper invictum. Hunc cùm ejicere decrevisset, dum ejus exilio subscribere conatur, tribus fractis calamis & manus tremore impeditus est. Filio quoque ejus ægrotantis spoponderat vitam, quam ei advenientes Ariani abstulere; sanatus autem Modestus, qui ejus imploraratopem. Hic quoque princeps coquorum Demosthenes, ausus eum reprehendere, audiit quæ noluerat, quia dixerat coram viro sancto, quæ dicere non debuerat.

---

## CAP. VIII.

## *Decas Octava.*

*Ab anno Christi* 370. *ad* 380.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4424. 1124. 371.

BELLA duo fœliciter hoc anno confecta sunt à duobus Ducibus Valentiniani; Alemannos enim ausos congredi per Severum egit in fugam: aliunde in Mauritaniâ concitatum bellum sapienter & fortiter confecit Theodosius; dux illis temporibus, & alio Imperatore dignior.

Didymus Alexandrinus hoc tempore florebat, à 5. ætatis anno oculis captus: tamen Anagnoste usus Scholæ Ecclesiasticæ præfuit, omnium disciplinarum gnarus, etiam mathematicarum propè ad miraculum; cæcus corpore, animo perspicacissimus.

Basilius egit cum Athanasio, Meletio Antiocheno, & Eusebio Samosateno ut scriberetur ad Occidentales, & ab iis auxilium peteretur, quo Oriens plurimùm indigebat, Ipse variè exagitatur, tum quòd recepisset Eustathium Sebastenum, & cum Apollinari communicasset; tum quòd malè sentire de fide putaretur ab inimicis, & admittere tres Deos, & de Spiritu sancto loqueretur malè. De quibus accusationibus ita se defendit, ut huic nulla erroris hærere suspicio apud æquos judices videatur.

Tum etiam ejusdem Basilii cum Anthimo Episcopo Tyanensi dissidium, magni boni causa fuit: cum enim inter Cæsariensem & Tyanensem Metropoles tota Cappadocia distributa esset, quarum hæc Secunda, illa Prima dicebatur, Anthimus arrogabat sibi parœcias aliquot, quæ ad Cæsariensem Episcopum pertinebant, B. filius hanc jacturam locorum, viro illustrissimo sarcire voluit. Erat Nazianzum sicut & Aziancum (hoc erat patria Gregorii) sub ditione Anthimi: Episcopatum ergo statuit Basilius Sasimis humili loco, ejusque antistitem creat Gregorium. Tergiversatus est hic quidem diutiùs; non ob tenuitatem oppidi, sed quia dubium erat utrum locus ille esset Cappadociæ Primæ vel Secundæ; tandem verò cessit amicitiæ, & ordinatus est à Basilio, Gregorio Nysseno, & patre suo Gregorio Episcopo Nazianzeno; cui conventui parem vix unquam vidit Cappadocia.

*Nazianzenus Sasimorum Episcopus.*

Sexto Nonas Maji mortuus est Alexandriæ S. Athanasius, cùm annos quadraginta sex totos Episcopatum suum administrasset; vir cui constantiâ geminum nunquam vidit Ecclesia, tribus Imperatoribus, & toti Romano Imperio superiorem. Ejus scripta tanto in pretio habita sunt, ut cùm invenirentur, & chartæ deessent, ea in vestimentis esse scribendâ Cosmas Abbas admoneret. Multas ejus laudes congessit Nazianzenus; sed nondum laudante, laudatoque satis dignas, cùm omni laude major vixerit, scripserit, & obierit, Athanasius.

*Moritur S. Athanasius*

Valentinianus Aram Victoriæ in Capitolio stare, & huic facere Senatores Ethnicos passus est, magno Christianitatis probro, & quod eloquentiâ sua diluere non potuit sanctus Ambrosius.

*Ara Victoriæ.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4425. 1125. 372.

Bellum contra Quados infelici successu Valentinianus suscepit; hoc ei Victoria Capitolina profuit: contrà verò piissimus Theodosius Iunior, Mœsiæ Dux, vix primâ clarus lanugine Sarmatas Liberos dictos fortiter repressit, atque hoc facto, aliisque plurimis ad Imperium obtinendum prolusit.

*Theodosii Iunioris victoria.*

Valentinianus ut frangeret Macriani Regis Alemannorum fastum, ei parat opponere Burgundiones: hi qui oriundos ex Romanis se jactabant, aliunde Alemannorum hostes ob Salinas, ad Rhenum usque incredibili multitudine descendunt; non recepti à Romanis, & quasi delusi captivos omnes suos enecant, & sedes repetunt suas, nullo alio opere pretio quàm ut Alemannos simul & Romanos territarent.

*Burgundiones enecati à Valentiniano.*

Malania nobilissima Romanorum mulierum, Marcelli Consulis filia, vel neptis, amisso marito, & aliquot liberis intra annum elatis, unico relicto filio tum Prætore Urbano, in Ægyptum veneratcum Ruffino Presbytero Aquileiensi erudito viro, in vivis tum superstite Athanasio. Hic

*Melania comes Ruffinus.*

ambo hausere à Didymo Origenis virus. Inde Hierosolymam profecta, ibi monasterium extruxit, ubi cum 50. virginibus lustra quinque decurrit, moribus quàm fide melior.

*S. Hieronymus.* Tum in Syriæ solitudine latebat S. Hieronymus; unde litteras ad Rufinum dedit. Is Stridone in Dalmatiâ natus honestis parentibus, & satis divitibus, adolescens Romæ Donatum præceptorem audivit, variisq; decursis peregrinationibus Per Galliam, Italiam, Thraciam, Pontum, Bithyniam, Cappadociam, Ciliciam, tandem Eremum Syriacam petiit, in quâ sic mores aptavit suos monachus, ut tamen ingenium suum, Ecclesiæ doctor eximius aliquando futurus, excoleret.

*Nazianzenus fugit Seleuciam.* Gregorius Nazianzenus, patre ac matre ferè centenariis mortuis, exsolvit se administratione Sasimorum, & Ecclesiæ Nazianzenæ, ac Basilio multisque aliis Episcopis reclamantibus, fugit Seleuciam ad memoriam S. Theclæ, tum peregrinationibus fidelium illustrem; ubi ad obitum Valentis vixit, turbas Ecclesiæ tam exteras, quàm domesticas exosus.

*Mauvia Saracenorum regina, & Moses Episcopus.* Mauvia Saracenorum Regina, vastatis Palæstinæ ac Arabiæ limitibus, & Romano exercitu sæpe deleto, rogata pacem, eam dedit eâ lege ut Mosem monachum miraculis illustrem acciperet suæ gentis Episcopum. Hic à Lucio Episcopo Ariano ordinari nunquam voluit; itaque ab Episcopis Catholicis exulibus inaugurandus fuit, & sibi subditum gregem verbo & miraculis convertit ad Christum: iniquissimæ & turbulentissimæ gentis factus Apostolus.

*Obit S. Hilarion.* Tum denique S. Hilarion Palæstinus, S. Antonii discipulus, sui sæculi Thaumaturgus, obiit octogenarius, ejus animâ ex corpore abire tergiversante propter divina judicia, quæ viri sancti tam reformidare solent, quàm impii negligere.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRIST.
4426. 1126. 373.

*Para fugit, & necatur.* Para Rex Armeniæ primùm detentus in custodiâ Tarsi, deinde ex illâ fortiùs quàm prudentiùs evolans, & sequentes aut vincens aut deludens, postea à Trajano militiæ præfecto invitatus ad convivium perfidiosè interimitur, pari suorum dolore, & infamiâ Romanorum.

*Apollinaris hæreticus ex quo alii.* Apollinaris atq; Vitalis ejus discipulus in Synodo Romanâ damnati sunt. Ille Antiochiâ ad Damasum profectus, ad Paulinum Antiochenum sapienter remissus est, cum libello cui subscriberet; quod cùm subdolè fecisset, detectâ fraude à Damaso proscriptus est. Hic multorum hæreticorum parens fuisse creditur, ut Polemianorum à quodam Polemone, qui in Christo credebat commixtum esse confusumque cum carne Verbum: Antidicomarianitarum, qui Mariam post Christum editum à Iosepho cognitam putabant, quod & postea Helvidius dixit: denique Collyridianorum, qui eandem Virginem colebant ut Deam, eique *Collyride* seu placentâ faciebant per mulieres; omnes detestandi, sive nimis benè, sive nimis malè de Deiparâ sentirent.

*Theo[dosius] Senio[r] ...* Theodosius Senior mittitur in Africam adversus Firmum Mauritaniæ Regulum, quem primò ad conditiones pacis non iniquas compellit, & concedit eas petentibus Episcopis; sed cùm idem Firmus postea rebellasset, & magnos in Africâ concitasset motus, eum ita devicit, & ursit, ut ad laqueum compelleret, quem sibi vino madidus nexuit. Gildo Firmi frater reparavit Tyrannidem; qui favens Donatistis, Catholicos vehementer afflixit: huic etiam adjunctus Optatus, ipse quoque Donati fautor, multas in Ecclesiam clades invexit, Tyranno & Hæretico in ejus perniciem conspirantibus.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4427. 1127. 374.

Valentinianus, acceptâ Illyrici clade per Probum, invitatus à suis juxta Moguntiam cum Macriano Alemannorum rege jungit amicitiam: hic eam deinceps accuratè servavit, factus ex hoste socius; tam superbus in accipiendo fœdere, quàm in servando constans & firmus.

Gratiano Augusto III. & Equitio Coss. moritur tandem Auxentius Mediolanensis Episcopus Arianus; atque Imperator reliquit Episcopis liberam successoris ejus eligendi libertatem: sed cùm electores essent partim Catholici, partim Ariani, seditionis periculum imminebat. Eam ut discuteret, venit in Ecclesiam Ambrosius; ubi cùm ad concordiam omnes invitaret, audita vox pueri, Ambrosium Episcopum deposcentis, in se omnium oculos animosque convertit, ac derepente Catholici omnes & Ariani in ejus electionem consensere. Frustra lapidem movit omnem ut hoc onus excuteret, frustra crudelitatem, & libidinem simulavit; frustra etiam fugit; habitus est clemens ex reorum tormentis & quæstionibus, pudicus inter meretrices, fugitivus mirabiliter Mediolanum reductus. Igitur probante cum gaudio ejus electionem, immò imperante Valentiniano, baptizatus primùm (erat enim tantùm Catechumenus) ab Episcopo Catholico, deinde octavo post die 7. Idus Decembr. depositis albis vestibus, Pontificales induit constitutus Episcopus: qui dies est in Ecclesiâ, quàm ejus mortis celebratior.

Celebratum in Galliâ iisdem Coss. Concilium Valentinum 4. Idus Iulias; cujus 4. extant Canones, unusque adversus eos qui falso crimine Sacerdotium deprecarentur, ut haberetur etiam mentientibus fides; adeo voluere Patres, dedicatos altaribus homines immunes non tantùm à scelere, sed à sceleris suspicione.

S. Epiphanus rogatus à Magistratu cleroque Suedrorum in Pamphiliâ scripsit Ancoratum; librum sic dictum, quòd futurus esset quasi Ancora iis qui sanam Patrum doctrinam haurire ac decurrere vellent; dignum opus mittente, atque postulantibus.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4128. 1428. 375.

Quarto Non. Iulii creatur in Galliâ S. Martinus Turonensis Episcopus, annò qui notatur in fastis post Consulatum Gratiani & Equitii. Hic cùm mox ad Valentinianum Imperatorem aliquid petiturus venisset, atque operâ Iustinæ Augustæ tur-

:urpiter exclusus esset, ille orationibus & jejuniis obtinuit, ut in Palatium nemine obsistente ingrederetur; cumque ei non assurgeret Imperator olium statim involvit ignis, quo ille territus, n Martini complexum ruit, postulata concessit, ;um alloquio sæpe suo, adeoque mensâ suâ dignatus est, justo jejunii pretio.

Ambrosio, rerum civilium quàm Ecclesiasticarum peritiori; adjungitur Simplicianus, vir anctitate, & eruditione præstantissimus, qui ex iis laboribus fructum retulit, etiam suâ expetatione uberiorem.

Moritur hoc anno Photinus, perditissimus hæresiarcha, sæpe damnatus in Conciliis, ut iteramam ejus malitiam, vel nunquam satis condemnatam Patres ostenderent.

Furebat interea in Catholicos Valens, nonnihil tamen repressus à Themistio Philosopho, iro verbis potente; qui & illi ostendit sectarum arietatem esse in Christianitate ferendam, cùm sset longe major inter Ethnicos diversitas. Fuit utem amicus Gregorii Nazianzeni Themistius, it ex eorum litteris constat; & facile inter excellentes viros amicitia coalescit, quæ est tanùm nobilium animorum nodus.

Tum nihilominus Valens Monachos ad militiam coëgit; atque recusantes fustuario matari jussit. Iam antea eosdem gravissimâ exatione tributi exagitarat, à quo eos exemptos sse voluerant Constantinus & Constantius; uòd cùm deprehendissent scelerati quidam, in niseros omne contumeliarum genus effuderunt, & verbis etiam addidere facta, uti docet Basilius, Epistolâ monachos consolans. Epiphanius quoque monachis Chalcidis nuncupavit quem ab eo petierant librum *Panarium* dictum, seu *Arculam* de omnibus hæresibus; opus eruditum, & contextum tam ingeniosè ab Epiphanio, quàm eruditè à P. Dionysio Petavio nitori antiquo redditum atque illustratum.

Valentinianus movet in Sarmatas, à quorum egatis delinitur: exinde in Quados arma convertit, à quibus missos Legatos tam vehementer, ob rebellionem, increpuit, ut sibi ruperit venam; unde extinctus est: alii volunt Apoplexiâ periisse. Quidquid sit de mortis genere, extinctus est in castello Brigitione 5. Kalend. Decembris. Vixit annis 54. Imperavit annis XII. minus tribus mensibus; bonus si cum fratre componatur, de se neque bonus neque malus; sed propter Justinam uxorem propinquior malo.

Gratianus, Valentiniani filius, jam Augustus erat ab annis septem; nihilominus Valentinianus, alter ex Justinâ filius, operâ Cerealis avunculi à militibus Augustus acclamatus est, in urbe Acinco Pannoniæ X. Kalend. Decembr. & id tulit modicè Gratianus, quâ erat animi lenitate; insuper nihil sibi à puero novenni reformidandum ratus; plurimùm, si quorumdam potentiorum conatibus obsisteret.

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI |
|---|---|---|
| 4429. | 1129. | 376. |

Valentiniani Senis corpus defertur Constantinopolin, ut cum Principibus Christianis sepeliretur in eâ urbe quam primus Imperator Christianus statuerat.

*Gothi Thracam vastant.* Hunni, Scythica gens immanis & ferox, Gothos suis sedibus expulere. Hi suscepti sunt à Romanis jussu Valentis, & in Thraciâ collocati, ducibus Fritigerne & Athanarico. Cùm hi quiete agerent inter Romanos, Lupicini in Thraciâ, ducis avaritiâ, pravisque consiliis in eorum perniciem commoti, bellum gerunt, & hospites suos multis cladibus atterunt, victo fugatoque Lupicino; nec sapienter recepti, & insipientiùs irritati atque vexati.

*Pestis tetra.* Hoc etiam anno per totum Orbem crudelis grassata est animalium hominumque pestis, signo crucis in multis sanata; unde multi gentiles ad fidem conversi, dum hujus signi virtutem demirantur & sentiunt.

*Theodosius pater caeditur.* Theodosius pater, pace redditâ Africæ; ac de Imperio ac Imperatoribus bene meritus, jussu ut creditur Valentis, quem litteræ THEOD. forte ductæ efferarant, Carthagine periit, cùm post susceptum Baptisma, jam æternitatis candidatus percussori jugulum obtulisset. Quæsitus quoque est ad necem ejus filius Theodosius, jam supra ætatem bonus Imperator; sed Deo sic curante periculum evasit, reservatus ad Imperium, quod ejus servarat pater, ipse suâ fortitudine propagaturus erat.

*Fugit Theodosius.*

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4430. | 1130. | 377. |

*Certant Gothi & Romani.* In Thraciâ Gothos inter & Romanos atrox initum est certamen, multis utrimque desideratis, Romani secedunt ad Martianopolin, Gothi intra currus se recipiunt, ubi aliquot diebus inclusi hæserunt, dum eorum socii variis in locis cæduntur, minore quidem Romanorum, quàm Barbarorum, sed magis deflendâ jacturâ.

*Valens ad se redire videtur.* Valens Antiochiâ proficiscitur, ac territus superioris anni calamitatibus tandem ad se rediit, ferâque pœnitentiâ ductus non tantùm Catholicos affligere desistit, sed & Episcopos in suas sedes revocandos curat. Tum autem Alexandrinus populus, ejecto Lucio Ariano, Petrum in sede suâ constituit, eùmque sic recipit, ut huic exilium honorificum fuisse videretur.

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4431. | 1131. | 378. |

*Alemanni à Gratiano devicti.* Lentienses Alemanni cum quadraginta millibus armatorum in agrum Romanum irrumpunt: iis occurrit Gratianus cum copiis quas in Oriente ducturus erat, suppetias Valenti laturus, atque Mallobaudis Franci audaciâ ita devicit, ut vix quinque millia diffugerint in nemora, cæteris internecione deletis: quâ victoriâ hostem ad petendam pacem compulit, quæ immerentibus concessa, quoniam sic res Orientis postulabant.

*Valens exuritur vivus.* Valens, paucis diebus Constantinopoli moratus, quia populus Gothorum populationibus irritatus seditiosè tumultuabatur, pergit Melantiada villam Cæsarianam (alii vetus Fossatum vocant, & milliaribus XII. ab Hadrianopoli disjungunt.) Hîc Legatum audit à Fritigene Presbyterum Christianum, pacem honestis conditionibus

nibus exoptantem, quem rejicit. Immo non expectato Gratiano cum copiis imminente, quem operiri volebant duces, cum Gothis conflixit 5. Idus Augusti. Victi grandi clade acceptâ Romani, Valensque sagitta saucius in villam deportatus, in eâ à Barbaris incensus est, annos natus quinquaginta; anno Imperii sui decimo quarto cum mensibus quatuor, & diebus aliquot. Sic obiit crudelis Catholicorum Tyrannus, etiam vivus ignes expertus, quos sentiet sempiternos, divinæ justitiæ nobile ferculum, Principum sævorum oculis sæpe repræsentandum.

*Gothi repressi.* Victores Gothi frustra Hadrianopolim, & Perinthum seu Heracleam pertentant. Ad Constantinopolim dum accedunt propiùs, refelluntur à Romanis, quibus animos fecerat Domnica Valentis uxor: sed egregiam quoque iis navarunt operam Saraceni, quorum auxilio etiam profligati Gothi, beneficii duxere loco in Thraciâ nequaquam cecidisse.

*Chronica quædam.* Hîc deficiunt historiæ Ammiani Marcellini; deficit & supplementum sancti Hieronymi, quod attexuit Eusebii Chronico; sequetur deinceps Prosper, magni quoque nominis; quibus omnibus plurimum hi nostri Annales debent.

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4432. | 1132. | 379. |

*Theodosius creatur Augustus.* Ausonio, & Olybrio Coss. Gratianus videns deploratissimum Orientis statum, 14. Kal. Febr. Sirmii Theodosium Imperatorem creat, ac Orienti præficit, cui curando par unus videbatur; ipse in Occidentem redit ordinatis utcumque Imperii & Ecclesiæ rebus, nec enim depositus propè utriusque status omnia resecari finebat ad vivum, & aliqua utrobique tolerari aliis temporibus haud permittenda.

*Theodosii de Gothis victoria.* Statim ergo Theodosius se meritò electum ostendit, & primùm Gothos aggressus, non semel devicit, ac Thraciis, quibus imprudenter affixi fuerant, fortiter depulit: utrum autem antequam renunciaretur Imperator, vel postquam Augustus dictus est, statui non potest, dissentientibus scriptoribus; qui facile conciliari possunt, si victorias Theodosii multiplices agnoscamus, & antequam reciperet purpuram, & in purpurâ eum victorem renunciemus; cui conjecturæ, tanti Principis sapientia atque fortitudo non obsistent.

*Longobardi prodeunt.* Longobardi, aliter Langobardi, ita dicti voce patriâ, à productioribus barbis, hoc anno, ducibus Ibore & Aione, ex Insulâ seu Peninsulâ Scandiâ prodierunt, & profligavere Vandalos, quorum occupavere regionem, postea celebres etiam in Italiâ futuri, cui suum ad hoc usque tempus nomen reliquêre.

*Priscillianus hæreticus.* Priscillianus Gallæcus ex Manichæorum & Gnosticorum erroribus hæresin conflavit suam; quæ non potuit non esse turpissima, fæcibus inquinatissimorum dogmatum in unam confluentibus.

*S. Basilius moritur.* S. Basilius hoc anno, magno omnium etiam Judæorum & Ethnicorum dolore, obiit Kal. Ian. cujus exequiæ tantâ hominum frequentiâ cohonestatæ sunt, ut multi in turbâ extincti ceciderint. Sortitus est tres magnos laudatores SS. Ephrem, Gregorium Nyssenum fratrem, & Gregorium Nazianzenum; quorum hic in ejus laudibus recensendis omnes eloquentiæ vires insumpsit; adeo ut dubitari queat an meliùs Basilius vixerit, an de eo meliùs dixerit Nazianzenus.

Nono mense ab obitu S. Basilii celebratum est Antiochenum Concilium, ad res Orientalis Ecclesiæ ordinandas. In eo statutum, ex consensu Paulini atque Meletii, ut alterutro vitâ functo nullus sufficeretur, sex primoribus ex utrâque parte Presbyteris sacramento adactis. Anathemate quoque perculsus Apollinaris; & legati in varias partes dimissi, qui Ecclesias inspicerent, eisque providerent. Tum Gregorius Nyssenus Arabiam lustrare jussus est; Meletius dum Syriam invisit, Simeonem Stylitam in columnâ stare permisit; sed vincula quibus alligarat sese per fabrum abrumpi curavit, ut eum magis catena Christi, quam ferrea cohiberet. Denique Eusebium Samosatenum in Dolichâ oppidulo, tegulâ in caput illisâ, mulier Ariana martyrio coronavit; dignâ tot laborum, & peregrinationum mercede.

Gregorius autem Nazianzenus, ut inter cæteros Præsules eruditione ac virtute præstantissimus, sic missus Constantinopolim, ubi amplior laborum, ac difficultatum seges. Præerat huic sedi Demophilus Arianus, homo præpotens; quare in privatâ domo coactus est habere cōciones Gregorius, atque in eâ dixit quinque nobiles orationes de Theologiâ; propter quas meruit Theologi nomen, Privatim quoque erudiebat multos, ejus eruditionis famâ accitos; inter quos excelluit S. Hieronymus, magna gloria & decus sui præceptoris. Gregorium autem ad Episcopatum plebs Constantinopolitana postulabat, & huic assensus erat per litteras Petrus Alexandrinus; verùm is postea in gratiam Maximi gentilis sui, in eam Ecclesiam turbas invexit. Hic autem Maximus Alexandrinus, ex Philosopho ethnico factus Christianus, jactans se martyris filium, & ob fidem in Oasin relegatum, Constantinopolim venit, ubi exceptus est amicè à Gregorio, immo & laudatus oratione sub Hieronis nomine. Sed in benefactorem suum ingratus fuit, ejusque ægrotantis locum occupare conatus est operâ nautarum Alexandrinorum; & quamquam expulsus à Clero & magistratu, privatim tamen se pro Episcopo gessit, & aliquos ordinavit; quare in eum Gregorius invectus, materiam suæ eloquentiæ luculentam invenit.

Hieronymus à Paulino Antiocheno Presbyter ordinatus est, eâ tamen lege ut nulli alligaretur Ecclesiæ, repugnavitque fortiter Ioanni Hierosolymitano, cùm eum suæ subjectum vellet Ecclesiæ; quare nunquam vel in Monasterio adduci potuit, ut munere Sacerdotis fungeretur. Qui ergo illum Cardinalem Romanæ Ecclesiæ fuisse volunt, amandamus ad pictores, à quibus tantùm sanctus ille accepit purpuram, sicut & comitem leonem, quem ereptum Hierasimo monacho eidem affinxerunt, propter nominis similitudinem.

MUNDI

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4433. 1133. 380.

Theodosius, gravi conflictatus morbo Thessalonicæ, sacris aquis elutus est ab Acholio hujus civitatis Antistite, viro etiam miraculis claro; ex quo recreatus sanxit, damnatis hæresibus omnibus, ut omnes subditi sui eam sequerentur fidem, quam Damasus Pontifex Romanus, & Petrus Alexandrinus præscriberent; quando & tempore Quadragesimæ quæstionem de crimine agitari vetuit, in gratiam Christi patientis, & innocentis rei.

Petrus Episcopus Alexandrinus, octavo suæ sedis anno, moritur; cui succedit Timotheus ejus frater; quando & Theophilus, tum Alexandrinæ Ecclesiæ clericus, centum annorum Cyclum Paschalem ordinavit ab hoc anno, & Coss. Gratiano v. & Theodosio Augustis.

Maximus Cynicus adit Theodosium adhuc agentem Thessalonicæ, ut ejus opera in sedem Constantinopolitanam mitteretur; sed sapienter rejectus est ab Imperatore, qui Constantinopolim ingressus 18. Kal. Decembr. Ecclesias hic publicas ademit Arianis, & cedente Demophilo, jam annos quadraginta urbis hujus Episcopo, Gregorium Nazianzenum Præsulem introduxit, dignum non tantùm Episcopatu Novæ Romæ, sed & Veteris.

Turbata est Ecclesia patrocinio Iustinæ uxoris Valentiniani, quæ Ariana profecta est Sirmium, ut hîc Episcopus Arianus eligeretur; sed eò quoque profectus Ambrosius, Anemmium vel Avennium Catholicum deligendum curavit; ubi puella Ariana, S. Ambrosio manus injicere ausa, scelus morte repentina luit. Ambrosius quoque dare Ecclesiam Gratiano compulsus est, in Arianorum & Iustinæ favorem, quam tamen Gratianus reddidit Ambrosio Cùm autem Ariani Episcopi, maximè Palladius & Secundianus, Generale Concilium peterent ut fidem probarent suam, evicit Ambrosii sententia ut convenirent Aquilejam vicini Episcopi, ex Africâ verò & Galliis tantùm legati; sapienter causatus, propter duos cariosos Episcopos non esse tandiu tot Ecclesias suis pastoribus orbandas: & prævaluit tanti viri autoritas, ejusmodi ratione subnixa.

## CAP. IX.

## *Decas Nona.*

*Ab anno Christi 380. ad 390.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI
4434. 1134. 381.

Athanaricus Gothorum Rex, pace initâ cum Theodosio, à suis expulsus, susceptus est Constantinopoli ab ipso Imperatore obviam ei progresso, 3. Id. Ianuar. cùm idem Rex 8. Kal. Febr. ibidem mortuus esset, tam magnificis exequiis funus ejus cohonestatum est, ut Gothi statuerint pacem cum Imperatore tam liberali, tam suæ gentis amanti, æternam conservare.

Coss. Eucherio & Syagrio, consentientibus Damaso & Theodosio, celebrata est.

### SECUNDA SYNODUS OECUMENICA *dicta* CONSTANTINOPOLITANA.

Præcipuè adversus Macedonium divinitatem Spiritus sancti denegantem; quamquam in eâ multa quoque alia confecta sint. Principio igitur, ut Theodosius firmaret Gregorium Nazianzenum in Constantinopolitanâ sede, vocarat Antiochiâ Meletium; sed id cum paucis Episcopis præstitit. Maximi ergo ordinatio improbata, itemque ab eo factæ ordinationes; Gregorii ab Imperatore & populo facta creatio, legitima judicata. Postea plenior indictus conventus, in quo nonnulla de fide statuta, maximè contra Macedonium, editaque professio fidei Nicænæ similis, nisi quòd additum aliquid de Spiritu sancto. Reliquæ item hæreses damnatæ, Eunomianorum seu Anomæorum, Arianorum seu Eudoxianorum, Semiarianorum seu Macedonianorum vel Pneumatomachorum, Sabellianorum, Marcellianorum, Photinianorum, & Apollinaristarum. Semiariani autem vocati adfuere, sed recessere statim; certi huic obsistere Concilio. Interim mortuus est Meletius, cui cùm sufficeretur Flavianus, restitit fortiter Gregorius, & Paulinum unum esse servandum Episcopum contendit, uti condictum erat, & sacramento firmatum; sed tum numeratæ voces, non ponderatæ. Flavianus electus, semper reclamante Gregorio; unde in eum ingens odium. Inter hæc venit ad Concilium Timotheus Alexandrinus cum sibi subditis Episcopis, itemque Macedoniæ Antistites; & hi quidem in Gregorium insurrexere non ex odio, sed quòd ab invisis sibi electus esset, itemque ab Antiocheno Præsule, cũ id sibi Alexandrinus vindicaret. Quæ ubi vidit Gregorius, usurpatis Ionæ Prophetæ vocibus, cessit volens Episcopatu, & ægrè impetratâ ab Imperatore licentiâ, secessit in suam Cappadociam post triennii in hâc urbe moram, Synodos quoad vixit aversatus, in quibus tot tantosque tumultus deprehendisset. Auxit & ejus desiderium delectus Nectarius, natione Cilix, & Tarsensis Senator; sed Aulæ quàm Ecclesiæ aptior, & Catechumenus; quare sibi adjungere conatus est Cyriacum Adanorum Episcopum, ut ab eo erudiretur ad officium Sacerdotale, à quo, jam senior & valdè rudis, tam pauca didicit, ut cum Gregorio compositus cadaver cum vivente comparatũ videretur. Multis Episcopis ex Synodo digressis aliquid concessum Episcopo Constantinopolitano volunt, videlicet ut à Romano Pontifice secundus esset; sed hoc improbatum, & tam parum receptum, ut neque ab ipsis Orientalibus Episcopis admitteretur. Celebratum hoc Concilium mense Majo, & ad finem Iulii productum, inchoatum tardiùs quàm res Ecclesiæ postularet, extensum longiùs quàm præsulum dignitas exigeret.

*Gregor. Naz. cedit Episcopatu.*

Nonis

*Aquileienſe Concilium.* Nonis quoque Sept. Aquileienſe Concilium inchoatum eſt, extortum à Gratiano in gratiam Palladii & Secundi, Arianorum; cui interfuere Epiſcopi duo ſupra triginta, & inter cæteros S. Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis, Philaſtrius Brixianus, Valerianus Aquileienſis, & alii ſanctimoniâ illuſtres & eruditione. Tandem poſt acrem diſputationem damnati duo iſti Epiſcopi, una cum Attalo Presbytero qui ad Arianos defecerat, & Valente Pſeudo-EpiſcopoPetavionenſi, qui patriam ſuam prodiderat Gothis, & in habitu Gothico procedere ſolitus erat; atque unâ Actione confecta res, quia in hoc Concilio ſedebant Antiſtites omni exceptione majores, & qui tam facilè poterant errores detegere, quàm damnare.

*S. Pauli Epiſcop. Conſtant. corpus refertur.* Statuerat Theodoſius, ut epiſcoporum qui Martyrium ſubierant ab Arianis corpora transferrentur. Relatum ergo corpus S. Pauli Epiſcopi Conſtantinopolitani in Eccleſiam de ſuo nomine, & huic redditus honos, exilio ac multis ærumnis redemptus.

*Concilium Cæſarauguſtanum.* In Hiſpaniâ Cæſarauguſtam Synodus convenit 4. Non. Octob. adverſus Priſcillianiſtas, qui abſentes damnati ſunt, quia refugêre Concilium. Inter eos erant epiſcopi Inſtantius & Salvianus, laici verò Elpidius & Priſcillianus; at Epiſcopi hi duo Priſcillianum Abilenſem creavere Epiſcopum. Sed iis conſtanter obſtitere Idacius & Ithacius Epiſcopi Catholici, & impetrato ab Imperatore reſcripto eos ex Hiſpaniâ ejecerunt; at exules cum mulieribus, & nominatim Proculâ, quæ ex Priſcilliano gravida, credebatur partum ſibi medicaminibus abegiſſe, confugerunt ad Damaſum Papam & Ambroſium; per quos rejecti, corrupto pecuniis Macedonio Magiſtro officiorum, aliud à Gratiano impetravere reſcriptum; quo freti redîere in Hiſpaniam, unde Ithacium fugere compulerunt, hæreticorum more inimici atroces, neque parcere ſoliti. *Contra Priſcillaniſtas.* Erat autem Priſcillianorum hoc effatum. *Iura, perjura, ſecretum prodere noli*; remedium iis neceſſarium, quo magnas turpitudines obvelabant.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4435. 1135. 382.

*Concilium Romanum.* Celebratum eſt hoc anno Romæ à Damaſo Concilium Romanum, cui interfuere Paulinus Antiochenûs, Epiphanius Salaminius, Acholius Theſſalonicenſis, unàque S. Hieronymus: Reliqui Orientales venire noluerunt, ſed Conſtantinopoli aliam habuere, Thedoſio aſſentiente, ex quâ legatos Romam miſere, qui ſignificarent in hac & ſuperioris anni Synodo geſta, omiſsâ tamen abdicatione Gregorii, & privilegio ſedis Conſtantinopolitanæ, quod ſubodorati Romani hujus Concilii Patres, primas Romanæ ſedi, ſecundas Alexandrinæ, tertias Antiochenæ tribuerunt, ut malum tum quidem latens, ſed alias erupturum comprimerent.

*Hier. Damaſo ab Epiſt.* Hieronymus apud Damaſum ſubſtitit, cui ab epiſtolis fuit. Hic adverſùs Helvidium, B. Virginis hoſtem denunciatum, Iovinianum Virginitatis ac vitæ auſterioris inimicum, denique Luciferianos accuratè ſcripſit; ac ſæpe cum honeſtis matronis, & viris eruditis de ſacris Codicibus colloquens, in multorum oculis, in omnium ſermone fuit.

Tum ſcripſit & dixit Ioan. Chryſoſtomus in Gentiles: dixit & de Anathemate, quo Flaviani ſectatores Pauliniſtas malè conficiebant; tum enim vir ille magnus populum affabatur, & redierat ex eremo Syriæ, ubi tractatum de Sacerdotio elaborarat, & amico ſuo Baſilio juniori Epiſcopo nuncuparat: & ubi contraxerat graves corporis morbos, quibus tamen animum ſanum vegetumque reddiderat.

Coſſ. Antonio & Syagrio, quibus Gothi cum Rege ſuo ſe penitùs Theodoſio permiſerunt, Flavius Clemens Maximus Dux exulans in Britanniâ, qui ſe ex ſanguine Conſtantini natum jactabat, ibidem arripuit Tyrannidem ope regulorum, & filium ſuum Victorem, Imperii conſortem adhibuit. Inde in Galliam cum ſuis Britannis tranſgreſſus, depulſis Armoricis in eorum regione conſedit, unde ei deinceps Britanniæ Minoris nomen. An autem militibus ejus miſſæ ſint undecim millia Virginum, quæ ad Coloniam Agrippinam trucidatæ ſunt cum S. Urſula ab Hunnis, ita credimus ut huic hiſtoriæ multas fabulas alligatas eſſe judicemus; ex quibus veritatem excernere, non eſt hujus operis ad alia certiora feſtinantis.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.
4436. 1136. 383.

Theodoſius filium ſuum Arcadium Conſtantinopoli 17. Kal. Febr. creat Auguſtum; ad quem erudiendum, à Damaſo Papâ Arſenius mittitur, magno hujus honore, non minori labore atque periculo, quamquam à Theodoſio Arcadii pater appellatus eſſet, & meliori jure quàm ipſe Theodoſius pater.

Gratianus Maximum Pontificatum à ſe rejecit, qué hactenus ſibi Chriſtiani Imperatores vindicerunt; unde confictus jocus ab Ethnicis, eo demortuo: *Si Gratianus non vult appellari Pontifex Maximus, brevi Maximus Pontifex fiet.* Et verò 8. Kal. Septemb. idem Gratianus deſertus à ſuis Lugduni, per Andragathium ducem à Maximo immiſſum cæſus eſt, ejuſque corpus à Maximo ſepeliri prohibitum. Tum in ejus amicos atrociter à Tyranno ſævitum, primùmque in Merobaudem hujus anni Conſulem, & Ballionem ducem, qui ſibi cruciatum metu intulit mortem, in bello quàm in pace fortior. Reſcripſit quoque ad Theodoſium Maximus, utrum ſine bello eum Imperii conſortem adſciſcere vellet; & ſapienter tergiverſatus eſt ille, ne Valentinianus ab eo in Italiâ opprimeretur, à quo etiã miſſus eſt Ambroſius ad eundem Maximum, ut eloquentiâ ſuâ, atque prudentiâ imminentem Italiæ cladem averteret; tanta erat Sancti hujus viri exiſtimatio, ut Tyranno exarmando par eſſe videretur.

Auguſtinus annos natus viginti novem Romam venit clam matre ut Rhetoricam doceret: quando tam dira fames Urbem oppreſſit, ut pauperes ex eâ pellerentur; crudele remedium, neque unquam famelicis urbibus profuturum.

Theodoſius tertiam Conſtantinopoli Synodum convocat, ad dirimendas Eccleſiæ contro-

ver-

versias; ubi statutum, etiam inter Sectarum principes, ut illa probaretur, cui veteres Ecclesiæ Patres subscripsissent. Tum etiam edidit Sanctionem idem Imperator adversus Saccophoros (erant ii Massaliani saccis vulgò induti) qui etiam eodem tempore in Iconiensi Synodo sub Amphilochio, & in Antiochenâ sub Flaviano damnati, docent tùm latiùs disseminatos esse, qui tot in locis comprimendi fuere.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4437. 1137. 384.

Venere tum Constantinopolim ad Theodosium Legati Persarum, petituri pacem; quando & magno gaudio Urbs tota perfusa est, nato ex Flaccillâ Honorio 5. Idus Sept. qui acceptum de morte Gratiani mœrorem utcumque lenivit.

Symmachus Urbis Præfectus obtulit libellum Valentiniano de restituendo Deorum cultu; sed is egregiè ab Ambrosio refutatus est; atque uti plus placeret Christiana defensio, eam carmine cecinit Aurelius Prudentius vir Consularis, poëta hoc tempore vendibilis, cujus tamen pietas quàm poësis ab eruditis laude dignior judicatur.

3. Idus Decemb. obiit S. Damasus, cùm sedisset annis septemdecim, ac tribus mensibus; vir sanctus & eruditus, ut ejus Poësis docet; quam tamen ut Pontifex rebus sacris adhibuit; cujus inventum, ut in Ecclesiâ Romanâ certis anni temporibus occineretur *Alleluja*; ex Hierosolymitanâ Ecclesiâ suscepta lætitiæ vox, ac per totum orbem subinde divulgata.

S. Augustinum ad docendam Rhetoricam mittit Mediolanum Symmachus Præfectus Urbis, annum agentem trigesimum. Eum assecuta mater Monica, nihil non egit ut eum pareret cælo; id inchoatum ab Ambrosio, qui primùm à Manichæis eum retraxit: sed transiit mier ad Academicos, qui tum in Occidente florebant. Rediit quoque tum in Africam ejus concubina, relicto filio Adeodato, sicque paulatim emergens ex voluptatis luto, ad recipiendam istam lucem Christianitatis redditus est paratior.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4438. 1138. 385.

Consulatum hoc anno gessere Arcadius Augustus, & Bauto, cujus ad ingressum S. Augustinus Mediolani orationem Panegyricam in laudem Imperatoris habuit; tum autem totus erat in quæstionibus Academicis exagitandis, ex quibus nunquam se expediisset, nisi Spiritus sanctus per Epistolas Pauli in animum se illius insinuasset. Tum adire cœpit Simplicianum eruditum Presbyterum, cùm frequentiùs Ambrosium magnis distractum negotiis adire non posset; ab illo didicit Victorini magni Rhetoris conversionem, item & duorum Aulicorum; quorum exemplis incitatus, & cœlesti voce monitus legere Epistolas Pauli, iis perlectis repentè sic immutatus est, ut se Deo perfectè dederet; magnum Victricis Gratiæ monimentum.

Siricius 3. Idus Febr. eligitur Pontifex Romanus, cùm vacasset Sedes uno & triginta diebus, ob tumultum fautorum Ursicini, repressum autoritate Valentiniani; quos tantùm Imperatoris metus compescuit: quia minùs Deum, quàm Principes Schismatici reformidare solent.

Burdegalæ jussu Maximi Tyranni Synodus adversus Priscillianum coacta est, postulante Ithacio. Instantius Episcopus in eâ accusatus, damnatus, ac depositus est: idem expectans Priscillianus provocavit ad Maximum, auditusque Treviris ab Evodio Præfecto prætorio, confessus gravissima scelera gladio cæsus est, cum Euchrotiâ Delphidii oratoris conjuge, Latroniano, aliisque consortibus erroris. Eam necem quantum potuit inhibuit S. Martinus; sed cùm reliquisset aulam, prævaluit Ithacii pertinacia; quare tam hic quàm ejus socii à communione Catholicâ separati sunt; quoniam Ecclesia petit improbos à Principibus emendari, verùm citra sanguinem. Sed & Urbica discipula Priscilliani Burdegalæ lapidibus à populo obruta est; Priscillianus antea cultus ut sanctus à suis dum viveret, post obitum ab iisdem Martyris venerationem abstulit; nec ejus sanguine repressa hæresis, sed uberiùs instar Lernæ pullulavit.

*Maximus Priscillianum cadit.*

*Qui hanc cadem procurarant, excommunicati.*

Mortuus est hoc anno Timotheus Alexandrinus Episcopus, in Ecclesiasticis legibus servandis non satis rigidus, ut pote qui Ammonem Monachum auriculâ, quam sibi sponte amputarat, carentem Episcopum ordinarat, Irregularitatem istam ad Iudæos amandans, & impositurus manus *homini naribus trunco, sed moribus probo.* Suffectus est ei Teophilus, cui eruditio singularis minimùm hanc sedem dare debuit.

*Timotheus Alexandr. moritur.*

Obiit & Flaccilla Augusta, uxor Theodosii, mater Arcadii & Honorii, nacta laudatores Gregorium Nyssenum, Ambrosium, & Theodoretum; quâ laude nullam majorem consequi potuit.

*Flaccilla moritur.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4439. 1139. 386.

Hujus anni Consules fuere Honorius Cæsar, & Evodius Præfectus prætorio Maximi; unde suspicari licet inter se convenisse Maximum & Theodosium; fortè ita delusus Tyrannus, ut Valentiniano spatium sui colligendi daret.

*Consules duo creati ab hostibus.*

Theodosius Gallam Placidiam Valentiniani sororem, quæ tum Constantinopolin venit, ducit uxorem; hoc pacto mœrorem de Flaccillæ morte conceptum obliteraturus.

*Galla Placidia uxor Theodosii.*

Iustina, Ariana mulier, à filio Valentiniano rescriptum extorquet in gratiam suorum sectatorum, & Ariminensis professionis: verùm id dictare recusavit Benevolus Brixianus, præses memoriæ scriniorum, & potius cingulum posuit, Deo quam Principi suo addictior. Hinc fœminæ fanaticæ, & pueri, quem quasi capistro regebat mater, in Ambrosium furor; auxit illum Ecclesia Arianis data ab Imperatore, denegata ab Ambrosio, cui favebat populus Mediolanensis, cum suo pastore paratus mori. Præerat tum Episcopus Arianis Auxentius alter, natione Scytha, qui se Mercurinum vocabat, ob nomen Auxentii Mediolanensibus odiosum, & Auxentium Cappadocem antecessorem. Is ad disputationem provocavit Ambrosium in Palatio; conditionem hic ac-cepit,

*Ambrosius resistit Iustinæ.*

cepit, ſed in Eccleſiâ coram populo: cùm merito ſuſpectus eſſet locus Ambroſio, diſcuſſa eſt iſta congreſſio; nihil obtinuit impudens adverſarius quàm ut temerè, ac propter inſidias, tantum virum aggreſſus eſſe videretur.

*Concilium Romæ de Africanis.* Coactum Romæ Concilium 80. Epiſcoporum à Siricio ſummo Pontifice, ad reſtaurandam in Africâ collapſam Eccleſiæ diſciplinam; id præſtitum capitulis novem, ex quibus tu temporum illorum conſuetudinem ediſces, Clericos non ſemper caruiſſe vitiis, ſed emendatos fuiſſe

*Trevirenſis Synodus.* Eodem quoque anno celebrata eſt Synodus Treviris; in quâ Ithacius de ſanguine Priſcillianiſtarum abſolutus eſt, tantùm quia id Maximus exoptavit. Martinus cùm paulò pòſt ſe in eam urbem contuliſſet; vitam impetraturus Narſeti Comiti, Leucadio Præſidi, quòd obſtinatiùs foviſſent Gratiani partes; & rogaturus Maximum ne Tribuni mitterentur in Hiſpaniam cum jure gladii adverſus Priſcillianiſtas, quia periculum erat ne Catholici hæreticis involverentur; primo quidem cum Ithacianis communicare noluit, quamquam id omni ſollicitudine Tyrannus curaret: ſed cùm hic interpoſuiſſet minas; & mortem pararet iis quos dimovere periculo volebat Martinus, ceſſit hic ad tempus, & cum iiſdem excommunicatis ordinationi Felicis Epiſcopi Trevirenſis interfuit. *Martinus communicat Ithacianis.* Tum quoque magnâ cum honoris ſignificatione Imperatoriæ menſæ adhibitus eſt conviva; quando regiam patinam primus haurire juſſus à Maximo, eam expectante de tanti præſulis manu, Presbytero ſuo porrexit, utpote, quàm eſſet Imperator, digniori. Tum etiam exceptus eſt ab Imperatoris uxore pientiſſimâ fœminâ epulo quod ipſa manibus pararat ſuis, cui & miniſtrare voluit, & ſublatis ex ejus menſâ reliquiis veſci, ut ſe verè Dei, ejuſque ſervi famulam exhiberet. Diſceſſit tamen ex hâc aulâ, atque ex iis honoribus mœrens Martinus, ac deinceps omni Epiſcoporum conventu ſe abſtinuit, ſentiens in ſe vim miraculorum retuſam; adeo ſeverè etiam imprudentiæ delicta in viris ſanctis caſtigantur, nec ſibi à numine pœnas inflictas refugiunt, ſed adaugere ſolent, ſupre quod Deus poſtulat pœnitentes. *Ex aula Maximi diſcedit mœrens.*

*Hieronymus linguam hebræam diſcit.* Hieronymus pergit Alexandriam, ut Didymum audiret, cæcum illum omnibus eruditis ſeculi viris oculatiorem? à quo multa præclara didicit, ſed Origeniſtarum errores non hauſit; quod fecit Rufinus. Inde perrexit Bethlehemum, ubi hebraicas litteras magno labore arripuit ſub Barrabono, præceptore tantùm nocturno, & verente odium ſuorum Judæorum. Eodem quoque tempore S. Paula per Ægyptum peregrinabatur, atque ex SS. Monachorum colloquiis pietatem hauriebat, quam ita reſervavit ſibi, ut eam quoque in filiam ſuam transfunderet. *S. Paulæ peregrinationes.*

*S. Chryſoſtomus fit Presbyter.* Hoc anno ordinatus eſt Presbyter S. Ioannes à Flaviano Epiſcopo, ac deinceps in hoc gradu annis duodecim populum docuit, ob ſingularem eloquentiam Chryſoſtomi conſequutus nomen; & majus promeritus, ſi quid auro pretioſus plebs Antiochena judicaſſet.

*S. Cyrillus Hieroſolymi obit.* Obiit Hieroſolymis S. Cyrillus Catecheſeon ille ſcriptor, quas tamen juvenis edidit, ſæpe pulſus Epiſcopatu, ſæpe receptus ſub Valente. Succeſſit ei Ioannes, Epiſcopatus pollicitatione redemptus ab hæreticis, & minimùm eorum communione pollutus. Hic ſub Prætextati nomine ſugillatus ab Hieronymo, & in alienâ perſonâ vapulat, quia ſic ejus dignitas, ſic & ejus vitia poſtulabant.

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4440. | 1140. | 387. |

Arcadius cum patre Theodoſio Imperii ſui quinquennalia celebravit, variis editis ſpectaculis cùm alia & atrociora in Occidente Maximus Tyrannus appararet.

Juſtina in Ambroſium & Catholicos ultima parat, & illi quidem minatur exilium: ſed hi fortiter pro ſuo præſule repugnant, & fœminæ præpotentis vincunt pertinaciam. Tum illa expritâ filio edictum ut traderentur Arianis Baſilicæ, repugnantes trucidarentur; neque tamen ceſſit Ambroſius, ſed ſuo populo fretus, etiam prætorianorum militum impetus fregit; &, quod mirabilius, hi fiunt ex oppugnatoribus Ambroſii propugnatores. Hos tumultus utcumque ſedavere inventa corpora SS. Gervaſii & Protaſii magnis prodigiis illuſtrata, quibus Ariani conterriti; utcumque quieverunt. Sed cùm non ſatis eſſent domiti Valentinianus & Juſtina, aliam & triſtiorem machinam paravit Deus, Maximum Tyrannum, ad quem mittere Legatum compulſus eſt Valentinianus Ambroſium, & eum deprecari quem perdere voluerat. Neque verò hic malorum finis. Maximo enim Italiam ingreſſo, eam relinquere coactus eſt cum matre ſuâ tantæ cauſâ præcipuâ calamitatis, & proficiſci in exilium Conſtantinopolim, quod viro ſanctiſſimo perfidioſè paraverant.

Maximus potitus Româ atque Italiâ; Ethnicis ſacrificia permittit, & aram Victoriæ reſtituit; ob quam à Symmacho laudatus eſt; ipſe paulò poſt victoriam, vitamque perdidit.

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4441. | 1141. | 388. |

Hic annus Conſules vidit Theodoſium Auguſtum II. & Cynegium antea Præfectum prætorio Orientis, & qui & in Conſulatu obiit, defletus à populo ob egregiam pietatem, everſione ſimulachrorum conteſtatam quibus lacrymis funebres exequiæ meliùs, quam pompâ & magnificentiâ cohoneſtantur.

Ad bellum contra Maximum Theodoſius indixerat tributi genus, quod eſt viſum intolerabile Antiochenis. Quare furore perciti, Flaccillæ Auguſtæ ſtatuas dejecerunt, & raptarunt per urbem contumelioſè: itaque Imperator ab iis parat exigere pœnas ſceleri pares. Primùm ergo urbem dignitate ſpoliat, quam tribuit Laodiceæ; balnea, theatra, fora, aliaque ejuſdem modi loca publica claudi jubet; mittit inſuper judices cum exercitu qui ſeditioſos acriùs caſtigent. Itaque ſeditionis præcipui authores in vincula dati, multi fugerunt, omnes metu conterriti expectabant extrema. Legationem ergo ad Theodoſium placandum ſuſcipit Flavianus Epiſcopus; Chry-

Chrysostomus habet orationes ad Populum, ἀνδριάντας nomine; Monachi ex montibus vicinis in Urbem convolantes distulere supplicia, donec ab Imperatore novus nuncius advenisset. Interea Flavianus ad Theodosium accessit, eumque sic demulsit oratione suâ, ut non tantùm veniam, sed etiam celerem veniam daret. Apage porrò hinc commentum Sozomeni de Symphoniacis pueris ad mensam Imperatoris occinentibus; quasi tribuendum sit Musicæ, quod perfecit eloquentia, modis omnibus musicis apud sapientem Principem longè potentior.

Olympiadem fœminam nobilem, Ablavii neptem, Anysii Secundi Comitis filiam, relictam viduam simul & virginem à Nebridio viro clarissimo, cum ingenti Patrimonio jungere nuptiis voluit Theodosius cum Elpidio cognato suo homine Hispano; sed hæc, ut Deo vacaret, atque sibi, hominem sprevit, neque ullis precibus aut minis cessit. Omnes itaque fortunas ejus in manu Urbis præfecti jussit esse, ut hâc egestate domaretur; sed hanc quoque constanter pertulit, tantùm orans ut bona sua pauperibus distribuerentur, dum ipsa iis expedita ad Deum faciliùs curreret. Quâ ejus virtute permotus Imperator, ex bello contra Maximum redux liberam voluit esse; hæc sui juris facta, mox creata est Ecclesiæ Diaconissa. nec Imperatoris, sed Divinis nuptiis digna.

Theodosius in Maximum proficiscitur cùm magnis copiis, sed majori fiduciâ in preces Anachoretarum Ioannis atque Senuphii; quas sibi non inutiles statim deprehendit. Maximum enim Sciffiæ in Pannoniâ 5. Kal. Aug. fratrem ejus Marcellinum ad Petavionem omnibus copiis refertos delevit, fugavitque, maximè operâ Francorum & Saxonum. Immo cùm idem Maximus obsessus esset ab eodem, Aquilejæ, vinctus à suis ipsis militibus deductus est ad Imperatorem, & quoniam flecti jam cœperat Princeps melior, trucidatus est; ne clementiæ ferculum esset, qui debuerat esse justitiæ Maximi quoque filius Victor creatus Cæsar, proditione Comitis Arbogasti periit: Andragathius denique classis præfectus, percussor Gratiani, & multorum aliorum criminum reus, se in mare præcipitem dedit, metu suppliciorum quæ promeritus erat; Theodosius duplicis Imperii dominus hâc expeditione, Occidentale, quod perdiderat, Valentiniano reddidit, qui etiam tum commodiùs amiserat Iustinam matrem, harum cladium causam, & majorem si Ariana supervixisset.

Interea iidem Ariani Constantinopoli de victo Theodosio falsos rumores sparserant, & Nectarii incenderant domum; audito ergo victoriæ nuncio, ad Arcadium confugêre, qui veniam eis impetravit à patre; quo nemo mitior unquam in suâ victoriâ fuit.

Theophilus Alexandrinus, pendente inter Theodosium & Maximum victoriâ, Isidorum Nitriæ antea Monachum, postea Presbyterum, miserat cum muneribus victori offerendis. Re post victoriam patefactâ fugit Isidorus, utriusque partis inimicus, qui utriusque amicus esse voluerat

*Scriptores varii.* Florebant hoc tempore Gregorius Bæticus Eliberitanus Episcopus, autor libri de Trinitate ad Gallam Placidiam; item Gregorius Cordubensis; & Palladius Galata scriptor libri qui inscribitur Paradisus Heraclidis, nuncupatus Lauso præfecto; unde Lausiaca dictus: denique Evagrius Ponticus, seu Hyperborites, qui vitas Patrum scripsit, Origenis sectator, & Pelagiani erroris seminator; mali magistri magister deterior.

*Baptizatur Augustinus.* Hoc denique anno, qui tantùm erat Cathecumenus Augustinus, ab Ambrosio sacrâ intinctus est aquâ, cum Alipio amico, & filio suo Adeodato; nec enim vir tantus ad Christum solus venire debuit.

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4442. | 1142. | 389. |

*Moritur Greg. Nazianz.* Hoc anno mortuus est S. Gregorius Nazianzenus, cognomento Theologus, vir de quo nescias utrum studiosior fuerit, aut doctior; qui etiam ab inimicis suis laudes expressit, omni odio, & invidiâ superior. Obiit eodem anno & S. Monica ad Ostia Tiberina, cùm redit cum filio in Africam, & obiit (ut pie credi potest) *Obit S. Monica.* ex gaudio; quæ bis Augustinum peperit, sed meliùs renati, quàm nati mater.

*Theodosii triumphus.* Theodosius Romæ cum Valentiniano triumphat; dat etiam congiarium suo & filii nomine; laudatusque est tùm à Latino Pacato, & Symmacho, qui Maximum aliàs laudaverat, & ne cæderetur confugerat ad Ecclesiam; postea tamen receptus in gratiam, & post duos annos Consul designatus; laudator non Principum, sed eorum fortunæ.

*Theodosii pietas.* Templum Serapidis hoc anno Alexandriæ dirutum; sicut & alia variis in locis templa, in quibus Ethnici multa nefanda exercuerant, sublata quoqud ergastula, & latibula furum, in quibus inuocentes plerumque detinebantur: ita denique se gessit Theodosius, ut qui sibi Deum allaborasse noverat, in omnium mentibus, & oculis eundem defigeret.

*Flavianus reconciliatus Siricio.* Paulino defuncto Antiochia suffectus est Evagrius. Synodus ergo Capuæ convocata est à Siricio; ad quam accersitus Flavianus venire recusavit: causam Evagrii & Flaviani Pontifex commisit Theophilo Alexandrino, qui placavit Siricium, eique Flavianum reconciliavit; quare cùm mox obiisset Evagrius, sublatum est Schisma, quod tandiu Antiochenam Ecclesiam distraxerat, inter duos Episcopos tandiu distributam, atque toleratam.

*Rex I. Longobardorum.* Longobardis, ducibus suis defunctis, primùm sibi crearunt regem Agelmondum Aionis ducis filium, cujus regnum ad annos 35. extensum est; falso omine Longobardicæ dominationis.

| MUNDI | *Vrb. Cond.* | CHRIST. |
|---|---|---|
| 4443. | 1143. | 390. |

*Galla Placidia ejecta.* Columna ardens, ex cœlo pendere visa, non sine magno omnium terrore diebus 30. apparuit. Hoc cœli portentum; nec minus visum est in terris: ejecta est enim à suo privigno Galla Placidia; cui quondam pater nihil indulserat: nunc supra ætatem juvenis factus audacior.

*S. Ioan. Baptistæ caput.* S. Ioannis Baptistæ caput deportatum est ex vico Colai Constantinopolin, inventum (ut docent Fasti Siculi) in domo fœminæ Macedonianæ, quæ Cyzici degebat, ac primùm Chalcedone depositum; pignus ingens, & apud mulierculam hæreticam latens, quibusdam eruditis negotium facessit.

*Thessalonicensis cædes.* Thessalonicenses Boterichum in Illyrico militum Præfectum interficiunt, quod aurigam suum ob crimen detentum ad ludos publicos laxare noluerat. Excanduit ad hunc nuncium Theodosius, placatus tamen est ab Ambrosio & aliis Episcopis tum agentibus Mediolani; sed instantibus comitibus, & Palatinis, ac maximè Ruffino, immissus est miles in populum invitatum ad Circenses, & hîc sine discrimine nocentium atque innocentium sævitum. Ideò hunc à sacris exclusit Ambrosius, nec nisi post

*Theodos. pœnitens.* octo mensium pœnitentiam in Natali Domini admisit ad Mysteria, eâ lege ut statueret ne sententia de bonorum publicatione & cæde ante 3. dies executioni mandaretur; dignum mandante Ambrosio, dignum Theodosio exsequente commentum.

*Iovinianus damnatus.* Hoc etiam anno Siricius Papa condemnavit Iovinianum Monachum, antea in Mediolanensi Synodo damnatum, quem SS. Hieronymus & Augustinus exagitarunt; hominem stupidum neque satis dignum, qui à viris illiusmodi confutaretur.

*Pœnitentia publica à Nectario sublata.* Contigit hoc anno facinus turpe, atque in magnum Ecclesiæ dedecus. Diaconus enim quidam Constantinopolitanus, nobilem fœminam Diaconissam constupravit; quæ dum pœnitentiam publicam egit, incertum an cum facultate Presbyteri Pœnitentiarii, aut suâ sponte, hoc crimen omnibus audientibus evulgavit; quam ob causam depositus Presbyter à Nectario, & pœnitentia publicè fieri vetita. Edictum insuper à Theodosio, ne mulier Diaconissa fieret ante annum vitæ sexagesimum; & quoniam peccatrix illa ditasse Diaconum scortatorem ferebatur, cautum ne viduæ quovis titulo Ecclesiæ, aut ministris ejus, aut pauperibus dare possent; quæ tamen pars legis de Eleemosynis post duos menses ab eodem Imperatore abolita est. Lata quoque lex de Monachis in urbibus non recipieneis, 7. Non. Sept, post duos annos abrogata est. Quòd autem ex hoc Nectarii facto, à duobus Novatianis Sozomeno & Socrate narrato, abolitam penitùs volunt in Ecclesia pœnitentiam, tam absurdi videntur jam eruditis viris, ut miseratione potiùs indigeant, quàm confutatione.

## CAP. X.

## Decas Ultima.

*Ab anno Christi 390. ad 400.*

| MUNDI | Urb. Cond. | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4444 | 1144. | 391. |

*Arbogastes Eugenium Tyrannum excitat.* ARbogastes Francus, viribus corporis pollens, & moribus satis compositus, ideoque Ambrosio charus, usurpato sibi militum magisterio, ob nimiam potentiam molestus esse cœpit Valentiniano; quare hic dignitatem homini superbo nititur abrogare; sed frustra, nimiùm enim elatus erat, ut tam facilè deprimeretur: immo Arbogastes ille Eugenium, obscurû genere, Rhetoricis tantùm disciplinis clarum, quas publicè professus erat, versatum in aulâ, notumque duci Rhicomeri, atque ejus commendatione familiarem sibi redditum, ad usurpandam Tyrannidem adhibuit incredibili planè superbiâ, utpote qui clientem ac pæne famulum habere vellet Imperatorem.

S. Ioannis Baptistæ caput tum repositum est in Basilicâ, quam in ejus honorem Theodosius ædificarat in Hebdomo, septimo à Constantinopoli lapide; qui locus ab hoc sacro Thesauro magnam deinceps consecutus est venerationem.

S. Augustinus à Valerio Episcopo, populo petente, presbyter invitus & lachrymans ordinatus est; & huic præscriptum ut coram suo Episcopo concionaretur; quod tum non erat more positum; sed Augustini eloquentia, & Valerii Græci hominis infantia hanc consuetudinem abrogarunt.

| MUNDI | Urb. Cond. | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4445. | 1145. | 392. |

Valentinianus Iunior ab Arbogaste Comite Viennæ interficitur, annos natus 26. & quatuor circiter menses, cùm imperasset annis sexdecim cum sex mensibus. Quidam volunt in cubiculo suo inventum esse strangulatum; unde nata fabula eum sibi laqueo vitam ademisse; quod mirum est alicui in mentem venisse. Erat tum Catechumenus, & moturus in Barbaros accersiverat Mediolano Ambrosium, quem ut parentem diligebat. Laudatus est publice ab eodem Ambrosio, ac Mediolani in porphyretico tumolo conditus; inani solatio tanti luctus, sed necessario. Arbogastes interea magnas in Galliis copias comparabat, dum Eugenius de pace ad Theodosium Legatos mitteret, etiam Sacerdotes, vir alioquin impius, & Gentilitiæ superstitionis fautor; quare statim Aram Victoriæ Romæ permisit excitari, quam ob causam ab Ambrosio, qui Florentiam discesserat, per litteras graviter increpitus est. Sed quid aliud ab hoc hominum genere, cui Deus est fastus & ambitio, debuit expectari.

Hoc quoque anno excitata est contentio inter S. Epiphanium, & Joannem Episcopum Hierosolymitanum; hîc Palladii, Ruffini, Isidori, & aliorum Origenistarum amicus, quos cavendos esse monuerat Epiphanius adversantibus sibi Theophilo Alex. Hieronymo, & aliis Epiphanio inimicus fuit, & cùm iis litium occasionem quærebat. Cùm ergo S. Epiphanius Paulinianum, S. Hieronymi fratrem, Diaconum & Presbyterum in Monasterio ubi tunc agebat, atque in territorio Eleuthero politano ordinasset, in eum insurrexit quasi in alienâ Diœcesi aliquid contra Canones præstitisset. Sed & aliam afferebat Joannes iracundiæ suæ causam, quòd Sacrificium

crificium incruentum offerens sic orabat, *Domine da Ioanni ut rectè credat.* Huic ergo per nobilem illam Epistolam, quam ipse latinè vertit Hieronymus, respondit Epiphanius, & mente suâ de ultimo capite explicatâ ad primum respondit, se ex necessitate Prebyterorum id fecisse, & quòd id esset in usu positum apud Cyprios, cæterùm ejus non esse de hâc ordinatione conqueri, sed Episcopi Cæsareæ, cui Hierosolyma, etiam ex Nicænâ Synodo, subdita esset. Hinc origo magnæ hujus controversiæ, quæ nec facile excitata fuit, nec facilè terminata.

S. Augustinus cum Fortunato Manichæorum Presbytero contulit publicè, ubi veternosus hic hæreticus, multosque specie suæ doctrinæ decipiens, ita retusus est, ut cum nihil haberet quod responderet, polliceretur se cum suis consulturum, salutique suæ provisurum. At statim Hipponem deservit, ubi deinceps non posuit pedem, quòd ea civitas ignominiæ suæ atque dedecoris sedes extitisset.

Denique S. Hieronymus librum de Scriptoribus Ecclesiasticis absolvit, Dextro Præfecto prætorii, fratri Paciani Episcopi Barcinonensis, nuncupatum; qui & ab utroque, offerente atque recipiente, traxit commendationem.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4446. 1146. 393.

Honorius à patre suo in Hebdomo renunciatus est Augustus, non 4. Idus Ianuar. ut aliqui scribunt, sed XI. Kal. Decembr. quo contigit Eclipsis Solis tanta, ut omnes supremum mundi diem expectarent; & verò fuit ferè digitorum undecim: signum haud dubium Romanum Imperium in hoc Principe magnas clades experturum.

Ruffinus multos primarios viros tolli jubet; inter cæteros Promotum, quem per Barbaros in insidiis collocatos interemit; Proclum etiam operâ patris sui Tatiani retraxit de fugâ, & quâ sibi jam consulerat; pater patriam suam repetere jussus, & inglorius; filius capitis damnatus judicio, cum ei veniam dedisset Theodosius, retentus est à Ruffino nuncius, donec in eum animadversum esset. Sic per improbissimum hominem, bonorum virorum dispendio, illudebatur Imperatori.

Hoc anno inchoata superiori magis flagravit contentio Epiphanium inter & Ioannem Hierosolymitanum; cui immixtus est sanctus Hieronymus. Hanc sopire conatus est Theophilus Alexandrinus, misso Legato Isidoro quodam Presbytero & Monacho Alexandrino; sed is quoque Origenista unguis fuit in ulcere, ac se Origenis fautorem apertè professus est. His quoque discordiis immixtus Ruffinus cum suâ Melaniâ, omnesque Origenis sectatores, de more hæreticorum, superbiâ tumentes & fastu, qui & Catholicos *Philosiotas* appellabant, quòd credebant homines cum pilis atque corporibus resurrecturos, quod inficiabantur Origenistæ, magnum in Ecclesiâ malum quoniam magnos cætaro quin in eâ viros primùm inter se, mox ab Ecclesiâ disjunxit.

Theodosius expeditionem parat adversùs Eugenium Tyrannum, sed priùs consulto Ioanne Anachoretâ, cujus precibus adversus Maximum fuerat armatus. Addit & orationes suas, jejunia, corporis afflictationes, sæpe omnibus armis, ac militati præsidio fortiora; jussit insuper remitti vectigalia & exactiones à præfecto prætorii imperatas: quibus hominum, sed longè magis Dei benevolentiam sibi demeruit. Eugenius è contra animo idololatra, & clam rimatus exta victimarum, frustra pecudum sanguinem fudit, suum postea meliori jure profusurus. *Theodosius expeditionem suscipit in Eugenium.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4447. 1147. 394.

Coss. Arcadio tertium, & Honorio secundùm, Theodosius cum eodem Honorio in Eugenium magnas copias Romanorum atque Barbarorum pertraxit; ac mirabili felicitate transgressus Alpes, quibus insederat, cum simulacris Iovis fulminantis & Herculis, Eugenius, prælium commissum est quod duobus diebus duravit: primò superari visus est Theodosius, multis suorum millibus desideratis; altero, cùm etiam ejus nutaret acies, precibus suis victoriam impetravit, exorto validissimo vento, qui in hostes sua tela retorqueret; unde Claudianus verè de eo cecinit, & non tantùm poëticè, licèt Ethnicus. *Victoria de Eugenio.*

*O nimium dilecte Deo, cui militat æther,*
*Et conjurati veniunt ad classica venti!*

Octavo Id Septemb. captus inter fugitivos Eugenius, & ad Theodosium perductus, capite luit; Arbogastes nocentior sibi violentas intulit manus, suus ipse tortor, qui Valentiniani carnifex fuerat: victoria hæc eodem die Constantinopoli à Dæmonibus nunciata est, in Thebaide à Deo Ioanni Monacho, quam aliqui ejus precibus adscribunt, alii Imperatoris; alii SS. Philippo & Ioanni Evangelistæ visis ab Imperatore, atque eum de redintegrando prælio admonentibus; tanta victoria fuit, ut simul & semel tot patronos, ac suffragatores habere meruerit. In eâ porrò se adeo benignè clementerque Theodosius habuit, ut tali dignus victoriâ, quâ tam Christiane uteretur, ab ipsis hostibus suis dignus existimaretur.

Celebratum est hoc anno Concilium Constantinopoli in Encœniis Ecclesiæ SS. Petri & Pauli, quam Ruffinus exædificarat. Actum est in eo de Agapio & Gebadio, sibi Bostrensem Episcopatum vindicantibus. Huic interfuere Gregorius Nyssenus & Amphilochius, duo instar magnæ Synodi, Nectarius Constantinop. Theophilus Alex. Flavianus Antioch. itemque Theodorus Mopsestenus, nondum hæreticus, siquidem inter sanctos istos Præsules sedit. *Concilium Constantinopolitanum En-cœniis.*

Alipio Hierosolymis reverso in Africam; videtur esse inter Augustinum & Hieronymum excitata controversia; quâ, multis datis utrimque litteris, eò devenit quæstio, an ficte an verè Petrus & Paulus inter se disceptarint, & an Petrus esset reprehensibilis an secus; quæ magno utrimque calore agitata tum, nunc etiam nondum finita est. In quâ hoc tutò dici potest; satius esse dicere *Quæstio inter Aug. & Hierom. de Petro.*

dicere erraſſe Petrum quàm Paulum mentitum eſſe dum Petrum ſcripſit reprehenſibilem fuiſſe; cùm in hoc negotio erraſſe Petrum, de fide non ſit; Petrum reprehenſibilem fuiſſe, de fide eſſe videatur.

*Epiſcopi ſancti.* Florebant tunc temporis nobiles Epiſcopi Exuperius Tholoſæ, Simplicius Viennæ, Amandus Burdegalæ, Mauritius Andegavi, omnes ſanctitate illuſtres, dignique qui ſoli ſola ſingula commendarent.

*S. Paulinus Nolanus.* Nec omitti debet Pontius Paulinus, nobilis ille Burdegalenſis civis, alias Conſul, percharus Auſonio, qui cum Theraſia conjuge ſæculo renuncians, abiit in Nolanum ſeceſſum, totumque ſe obſequio S. Felicis dedidit, monaſticam amplexus vitam Presbyter, & major relictis magiſtratibus quàm geſtis.

MUNDI 4448. *Urb. Cond.* 1148. CHRISTI 395.

*Anicii duo Coſſ.* Conſulatum hoc anno geſſere Sextus Anicius Olybrius, & Sextus Anicius Probinus, filii Anicii Probi viri Clariſſimi, ac de toto Imperio Romano bene meriti, quorum magiſtratum Claudianus verſibus ſuis cohoneſtavit. Horum conſulum mater fuit Falconia Proba, quæ Centonem de Veteri ac Novo Inſtrumento ex verſibus Homericis contexuit; ſicque magni hujus & primi inter poëtas carmina ingenioſè conſecravit. *Falconia Proba.*

*Moritur Theodoſius.* Obiit iisdem Coſſ. Mediolani 16. Kal. Febr. Theodoſius, commendatis S. Ambroſio liberis ſuis Imperii ſui anno 16. vitæ ſexageſimo, cui perperam Socrates annum primum Olymp. 29. affigit; vir fortitudine rebusque geſtis magnus fuit, ſed major pietate, cui victorias ſuas potiùs quàm armis, acceptas retulit, etiam ab Ethnicis prælatus Trajano; & cujus peccata lacrymis eluta, atque pœnitentiâ, multorum Principum etiam Chriſtianorum virtutibus prævalent.

*Arcadius Eudoxiam ducit.* Tum Arcadius duxit uxorem Eudoxiam Liciniam, virginem quæ apud Promoti filium alebatur, quam nonnulli Promoti neptem volunt. Harum nuptiarum conciliator fuit Eutropius, in odium Ruffini, qui filiam ſuam Arcadio deſtinabat, ut eum generum faciliùs tolleret, ſicque Imperio potiretur. Nuptiæ porro 5. Kal. Majas celebratæ ſunt; quieſcere compulſus eſt Ruffinus, cui alia fraus parabatur, & quam declinare non potuit.

*Ruffini initia, & exitus.* Ruffinus enim hic, Eluſæ in Aquitaniâ natus humili genere, ad Conſulatum, ad Præfecturam prætorii, ac ferè ad tutelam Arcadii promotus eſt. Sed ille Imperatorem tollere ac purpuram induere decrevit. Id ut facilius præſtaret, & Gothos impune volitare per Græciam, duce Alarico, paſſus eſt, & Hunnos in Aſiæ cladem evocavit; qui tum Syriam malè acceperunt, & circumpoſitis regionibus incuſſere metum, dum omnia aut rapiunt, aut perdunt. Stilico gemino pollens exercitu, quo victus Eugenius, in Gothos movit; quos ſine dubio viciſſet, & forſitan exterminaſſet, niſi autore Ruffino Arcadius ad ſe ſuum revocaſſet exercitum; itaque cum Honorii copiis in Occidentem rediit, dolens ſibi certam è manibus excidiſſe victoriam. Gainas autem Gothus Conſtantinopolim copias Orientales reduxit; apud quas dum ſibi parat Imperium Ruffinus (nam & auream percuti curarat monetam in donativum, & purpuram paraverat) progreſſus cum Arcadio, à milite Stilicone dicto, agente potiſſimùm Eutropio, conficitur, corpus ejus ad ludibrium diſcerpitur, caput præfigitur pilo, manus ita paratur ut recipere & petere pecuniam, laxatis aut contractis nervis, videretur. Sic periit omnibus rebus egens & abundans Ruffinus, cui poſt mortem etiam tumulus defuit, *nunquam* (inquit Claudianus) *totieſque ſepultus.*

Eutropius Eunuchus præfectus cubiculo Arcadii, addictiſſimus Stiliconi, ſtatim Ruffini bona invaſit; uxor tamen hujus & filia ac ſoror Sylvia ad Eccleſiam confugientes, abire Hieroſolymam permiſſæ ſunt; ſicque Tyrannus, non Tyrannis ſublata eſt.

Auguſtinus hoc anno, vivente adhuc Valerio, ne ab aliis Eccleſiis raperetur, creatus eſt Hipponenſis Epiſcopus à Primate Numidiæ tum Megalio Calamenſi, cum aliquot Epiſcopis aliis Catholicis, aſſentiente Primate totius Africæ Epiſcopo Carthaginienſi; cùmque hæc ordinatio eſſet contra Canones Nicæni Concilii, nihilominus probata eſt, quoniam hæc Eccleſiæ dederat Auguſtinum.

MUNDI 4449. *Urb. Cond.* 1149. CHRISTI. 396.

Eutropius hoc anno ſe locum Ruffini impleviſſe oſtendit, huic geminus avaritiâ & crudelitate. Ac principio Timaſium ex comitibus Ruffini paratum ad omne nefas etiam ultra aras, in Oaſin deportari juſſit; Abundantium Conſularem virum Sidonem Phœniciæ, aut Pythiuntem, relegari voluit, nullâ de re ſollicitus, niſi ut vindictam ſuam expleret, impleret arcam; domeſticus latro, dum Barbari publici graſſatores Imperium depopularentur.

Tum deportatas eſſe S. Ioannis Baptiſtæ reliquias Alexandriam ſcribit author Hiſtoriæ Miſcellaneæ, ſeu Theophanes, hoc eſt, oſſa & cineres in quæ corpus ejus, juſſu Juliani Imperatoris reſolutum Samariæ, combuſtum fuerat; ut à Barbaris ſemotæ, ſecuriùs ac religioſiùs colerentur.

Arcadio IV. & Honorio III. Coſſ. periculum adiit ultimum Conſtantinopolis, viro militari prænunciatum, ignibus expeditis in cœlo ad inflammandam Urbem, & terrâ motibus inſolitis dehiſcere paratâ, quod tamen geminum diſcrimen populus ſuis precibus ac pœnitentiâ diſcuſſit; Deus exoratus, & flexus, nihil præter minas intentavit; quid poſſet, minitare contentus.

Fritigildis, Marcomannorum Regina, auditâ famâ S. Ambroſii ab eo formulam petiit, quam in modum Catecheſeos vir ſanctus deſcripſit. Inſuper eam monuit, uti perſuaderet viro ſuo Romanis ſervare pacem; quod conſtantiſſimè præſtitit, immotus dum alii Barbari per Romanum Imperium volitarent. Neque ſatis; ut tantum Antiſtitem videret, & alloqueretur, anno ſequenti Mediolanum venit, ſed eum reperit mortuum: atque ut ſanctum receptumque cœlo venerata eſt, quem venerat admiratura.

MUNDI

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.

4450. 1150. 497.

Stilico ſtatuerat in Orientem cum exercitu proficiſci ad reprimendos Barbaros; id ut impediat Eutropius, ne nimiùm poſſet Stilico, eum ab Arcadio, & Senatu hoſtem declarari curat. Gildonem quoque Comitem paganum, Africæ antea à Theodoſio præpoſitum, ſibi conciliat, ſicque Africa periit Honorio, adjuncta eſt Arcadio, aut potiùs ab utroque diſtracta eſt, ut magis impunè à Tyranno laceraretur.

Rediere hoc anno Romam Ruffinus & Melania infecti erroribus Origeniſtarum, & ſpecie pietatis magni, atque potentes, iis infecerunt Urbem, dolo Ruffini, autoritate Melaniæ.

Nata eſt hoc anno 15. Kal. Iulii filia Arcadii Flaccilla; mortui duo viri celebres, S. Ambroſius & Nectarius; hic Conſtantinopoli 5. Kal. Octob. cui deſignatus ſucceſſor Chryſoſtomus; ille Mediolani, ſub diluculum Sabbathi ſancti, pridie Non. April. cùm ſediſſet annos 22. menſes ferè quatuor, annumque vitæ ſeptuageſimum quartum delibaſſet; vir & vivus & mortuus miraculis clarus, Imperatoribus & Tyrannis ſuâ ſanctitate & innocentiâ metuendus, ac ſuperior; quod eſt omni miraculo mirabilius.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.

4451. 1151. 498.

Gildo filius Reguli Mauricii, qui Firmo Tyranno olim reſtiterat, & à Theodoſio Comes Africæ creatus erat, addito utriuſque militiæ magiſterio, videns inter duos fratres malè coalitum Imperium; omnia poſſe in Africâ voluit: neque contentus ab Honorio ad Arcadium defeciſſe, Romam quoque perdere decrevit. Frumentum ergo in eam, de more, vetuit exportari ex Africâ; unde Urbs famelica tollendum eſſe Gildonem vociferata eſt. Frater ejus Maſcelzel, (Zoſimo Maſceldelus) veritus inſidias fratris, in Italiam commodè fugerat, cujus etiam relictos filios Gildo peremerat; ille ergo Romanis armatus copiis, ſed furore magis ac ultionis cupiditate, cum 5. millibus armatorum tranſit in Africam; quibus aggreſſus ſeptuaginta Africanorum millia cecidit, delevitque. Uſus, licet Ethnicus, ſanctorum virorum patrocinio; quando ſignifer ab eo in brachio cæſus, ideæque vexillum inclinans omnes ſuos ei ſe ſubmittere impulit. Gildo deſperatus ſibi laqueo fregit gulam, ſicque famelicis Romanis fecit ſatis: Maſcezolem autem in Italiam reverſum de ponte per duos ſatellites Stilico præcipitavit in fluvium, cujus vorticibus hauſtus interiit, amicum expertus infidum, qui fratre ſuo confidere noluerat.

Ioannes Chryſoſtomus 4. Kal. Martias Conſtantinopolitanus Antiſtes inauguratur, per vim ferè ereptus Antiochenis; tam ſollicitè expetitus à Principibus ad Epiſcopatum, quàm in eo malè acceptus.

Hoc anno 8. Kal. Martias Siricius Papa cùm ſediſſet annos tredecim, menſem unum, locum ſuum morte reliquit Anaſtaſio, qui ejus ſedem conſcendit pridie Idus Martias, à Petro Pontifex 37. patre Maximo Preſbytero natus, atque inter officia Eccleſiaſtica enutritus, ut iis meliùs præſideret.

*Honorius Mariam ducit.*

Honorius hoc anno conjugem duxit Mariam filiam Stiliconis ex Serenâ, fratris Theodoſii filiâ; quibus nuptiis Stilico magnam ſibi ſimul gloriam peperit, & invidiam.

*Vani rumores de Chriſtiana Religione.*

Sparſerant in vulgus Gentiles hoc anno deſituram Chriſtianam Religionem, confictis de eâ re variis oraculis; atque ita rudibus illuſerant: ſed ſtantem illam firmiùs agnovere, ſuam autem dejici, cum templis plurimis, quæ anno ſequenti diruta, cum vanis hiſce vaticiniis corruerunt.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.

4452. 1152. 399.

*Tollitur Eutropius, petente Gaina.*

Conſules hoc anno fuere Manlius Theodorius, & Eutropius ille potens Eunuchus, de quo Claudianus, ..... *titulumque effœminat anni* ſed quem etiam morte ſuâ & ignominiâ notavit, expunctus ex faſtis. Res autem ita ſe habuit. Cùm Gainas jam multùm in Imperio poſſet, Eutropius omnia, in Imperatorem & Eutropium rebellavit, clam tamen operâ uſus Tribigildi Barbaricarum copiarum Præfecti, à quo Phrygia & Piſidia deſolatæ ſunt; non tamen ſine periculo ejuſdem Trigibildi, qui à Valentino quodâ Selgenſi paſtoritiâ manu oppreſſus eſſet, niſi ei Gainas ſubveniſſet. Copiis ergo junctis cum Trigibildo Gainas, jam ſibi nihil metuens, ab Imperatore Arcadio petit, ut ſibi Eutropius inimicus dederetur ad necem; (erat autem tam potens Eutropius, ut aliqui Barbari ſponte fierent Eunuchi, ſicque vitam cum teſticulis perderent) Hunc ergo exuit inſignibus Arcadius; quare ille ſibi metuens confugit ad Eccleſiam, unde fide datâ eductus in Cyprum primò, deinde Chalcedonem revocatus, petente Gaina jugulatus eſt; & barbaro aliquid voluptatis, plus etiam bonis omnibus attulit.

*Naſcitur Pulcheria.*

Pulcheria hoc anno nata 14. Kal. Febr. temporis hujus calamitates demulcere, & melioris Imperii ſpem viſa eſt concitare.

*Deorum templa everſa cum ſtatuis.*

Dum Theophilus Alexandrinus collectâ Synodo Origenem ejuſque ſectatores exagitat, Gaudentius & Iovius Comites in Africâ Deorum templa ſubverterunt, & fregerunt ſimulachra; quod in variis locis præſtitum Honorii juſſu; ita Præſulibus & Imperatoribus, Dei nutu, in Eccleſiæ bonum conſpirantibus.

MUNDI *Vrb. Cond.* CHRISTI.

4453. 1153. 400.

*Gainas omnia poteſt.*

Gainas, nihilo placatior cæſo Eutropio, diviſis copiis in Bithyniam pergit, Trigibildum in Helleſpontum mittit; mox Chalcedonem venit, ibique in templo S. Euphemiæ, cum Arcadio, quem acciverat, colloquutus, dedi ſibi poſtulat Saturninum Conſularem, & Aurelianum hujus anni cum Stilicone Conſulem; quos gladio tantùm perſtringens mittit in exilium, eos terrere contentus. His peractis, fretoque ſuperato, Conſtantinopolim ingreditur, ubi petit Eccleſiam ſuis Arianis dari; ſed huic reſtitit confidenter Chryſoſtomus, & verbis hominem ferum placavit, non Imperatore tantùm, ſed & Barbaro exercitu præcinctis ſuperior.

*Chryſoſt. reſiſtit Gainæ.*

*Gainas interimitur.*

Mox tamen Gainas ab Urbe receſſit in Thraciam, ſpecie ægritudinis, quaſi abreptitius eſſet ad quem tum etiam miſſus ab Imperatore Chryſoſto-

ſoſtomus. Verùm Barbaros ſuos in Urbe ſic diſtribuerat, ut aliquid moliri videretur. Cùm itaque rurſus admoviſſet Urbi copias Arcadius, ab Angelis cuſtodibus cum Urbe defenſus, eum declaravit hoſtem, & Barbaros mœnibus incluſos cecidit. Gainas per Helleſpontum fugiens in Aſiam, à Fravittâ Gotho, qui cum claſſe ſuppetias Arcadio tulit, in Thraciam retruſus eſt: ubi poſtea cæſus, non ſatis graves de tot ſceleribus ac cædibus pœnas dependit.

*Alaricus Italiam, & Honorium turbat.* Alaricus, Balthorum ex proſapiâ, Gothorum Rex, quem Theodoſius magnifaciebat, ab ejus filiis imprudenter contemptus, ſe non eſſe ſpernendum oſtendit. Italiam enim ingreſſus, ad Poncondinianum penetravit, & ad tertium à Ravennâ lapidem. Inde legatione ad Honorium miſsâ, Gallias & Hiſpanias obtinuit; quò dum pergerent, Stilico, improvidè per Saulum Ducem hominem Ethnicum eos adortus in die ſacro Paſchæ, victus eſt. Gothi ultionis avidi Italiam repetierunt; Romanis oſtenderunt ſe invadi facilè poſſe, difficiliter ſuperari.

Anaſtaſius Papa Origenis errores damnat, eamque damnationem ſuis litteris Encyclicis denunciat; nec ita multò pòſt Ruffinum evocatum ad ſe, & venire detrectantem, quanquam Apologiâ ſe purgaſſet, quia tamen Origenis mentionem non faciebat, damnat, atque expungit ex numero Catholicorum, qui jampridem ex piorum albo propter inimicitias cum Hieronymo obliteratus erat.

Hoc anno contigit trium Anaunenſium Martyrum cædes 4. Kal. Iunias juxta Tridentum, dum Ruſticorum Ambarvalia nituntur impedire; quorum nex mirabiliter à Deo vindicata eſt, & portentis, quibus tota regio aſſerta eſt Chriſto: eorum percuſſoribus parcitum ab Honorio, rogantibus Epiſcopis, ut martyrum ſanguis tantùm animis prodeſſet, nihil corporibus incommodaret. S. autem Vigilius Epiſcopus Tridentinus, dum idolum comminuere conatur, à ruſticis ejus cultoribus obrutus lapidibus, ex iis coronam texuit, quàm ex Margaritis lapilliſque preciofiorem.



LIBER

# LIBER V.

## *Ab anno Christi* 400. *ad* 500.

### CAP. I.

### *Decas Prima.*

*Ab anno Christi* 400. *ad* 410.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4454. 1154. 401.



CONSULES hujus anni creati sunt, Vincentius, & Frunita Gothus, quem impensè Zosimus ejus gentilis laudat, nec laudum in amicos, nec conviciorum in adversarios parcus: ejus certè Frunitæ operâ retusa est audacia ac temeritas Gainæ, cujus caput præfixum pilo Constantinopolim delatum est 3. Nonas Januarii; certissimo argumento, eum anno superiori interfectum esse; quod si maturiùs contigisset, multis provinciis consultum esset, quas aut diripuit, aut prodidit.

S. Porphyrius Gazæ Episcopus, multa passus à Gazensibus Idololatris cum Ioanne Cæsariensi Metropolitâ, à quo ferè per vim ordinatus erat, Constantinopolin venit ut impetraret Marnæi templi subversionem. Quam impetrarunt in gratiam pueri Theodosii recens baptizati, Eudoxia piâ fraude huic negotio favente. Quare missus Cynegius cum copiis, qui templum disturbaret; cujus loco excitata Basilica in formam crucis sumptibus ipsius Eudoxiæ, puero mirabiliter indicante modum quo Marnæum inflammarerut: quod & illicò factum, ac Sacerdotum inanes conatus in ventum abiere.

Huic autem Gazensi causæ favit tantùm consilio suo Chrysostomus, cui tum Eudoxia erat iratior, quod ab eo reprehensa esset de viduæ Theognosti cujusdam vineâ, quam cùm Imperatrix reddere nollet, ut adjudicatam & detentam injustè, à sancto Antistite ingressu Ecclesiæ prohibita est; addunt alii & viduam Alexandrinam vexatam, & Theodoricum appetitum insidiis ab eâdem propter divitias, quas S. Præsul in pauperes distribuendas fœliciùs curavit; quibus percita & mulier, & potens, non tantùm se avaram, quod omnes fatentur, sed etiam furiosam demonstravit.

Hoc denique anno, quo celebratum est quintum Carthaginiense Concilium 6. Kal. Iunii, post Consulatum non Cæsarii & Attici, sed Stiliconis & Aureliani, in quo conditi Canones 14. obiit S. Martinus Turonensis Episcopus, de quo in Prolegomenis diximus; qui tot miracula & vivus & mortuus edidit, ut ea etiam invitus ingereret; per eum sanarentur aliqui, qui eodem ardore refugiebant valetudinem, quo ab aliis vulgò appetitur ac desideratur.

MUNDI *Urb Cond.* CHRISTI.
4455. 1355. 402.

S. Anastasius summus Pontifex, cùm sedisset annos quatuor, mensem unum, obiit 5. Kal Maii cui successor datus Innocentius, 4. Kal. Iunii; ambo fortissimi Hæreticorum hostes, & Ecclesiæ propugnatores. *Moritur Papa Anastasius, ei succedit Innocentius.*

Theodosius Iunior ab Arcadio 4. Idus Ianuarii creatur Augustus in Hebdomo, ut ferè simul disceret, & vivere, & imperare. *Theodosius Iunior Aug.*

Cùm Theophilum Alexandrinum Chrysostomus monachis Origenistis reconciliare non potuisset, iidem Monachi desperantes se flectere posse Episcopum suum, de eo libellum obtulerunt Imperatori adeò plenum criminationibus, ut de ejus vitâ ageretur. Credidere aliqui id factum, saltem connivente Chrysostomo. Quam ob causam accersitus est Constantinopolin Theophilus, & eò tantùm non perductus; unde ejus odium in Chrysostomum, quo paulò post atrociter usa est Eudoxia. *Theophilus & Chrysost. dissident.*

Eodem tempore, eandemque ob causam venit in urbem regiam Epiphanius, ubi lapidem movit omnem ut Ioannes damnaret libros Origenis, de se fortè non damnandos, si περὶ ἀρχῶν excipias. Discessit tandem ex Urbe Epiphanius, iratus tam Eudoxiæ quàm Chrysostomo, & illi quidem quòd eam paulò acriùs in Monachos Ægyptios incendere non potuisset, huic autem quòd iisdem favere visus esset; unde uterque utrique μάντις κακῶν extitit, Ioannes Epiphanio mortem eodem anno antequam Cyprum attingeret, Epiphanius Ioanni imminens exilium; ambo nimis vere vaticinati. *Dissensio Chrysostomi & Epiphanii.*

Milevitanum Concilium hoc anno 6. Kal. Sept. celebratum est Milevi in Numidiâ, quod primum dici debet; in quo judicata causa quænam prima, quænam secunda Numidia dicenda esset, atque Constantina Metropolis Numidiæ dicta, ejusque Episcopo Xantippo contra Victorinum Primatus adjudicatus. *Concilium I. Milevitanum.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRIST.
4456. 1156. 403.

Qui venerat accersitus ab Arcadio ut causam suam adversus Monachos tueretur Theophilus; repente judex constitutus est in Ioannem Chrysostomum, ac multis acclamationibus quasi triumphans exceptus Principis Palatio. Cùm enim Ioannes accuratiùs excussisset locum illum 3. Regum cap. 18. *Congregate ad me Sacerdotes dedecoris, qui comedunt mensam Iezabel*; id contra se dictum Eudoxia, & qui ab eâ nutriebantur Severianus, Antiochus Acacius, atque Theophilus credidere; ab iis ergo Synodus congregata Chalcedone in suburbio Ruffini, quòd

*In exilium expellitur Conciliabulo Chrysostomus: sed statim revocatur.*

quòd Δρῦς ad *Quercum* vocabatur, præsidente Theophilo triginta sex suæ factionis Episcopis; ad quam citatus est Chrysostomus, Accusatus de 46. capitibus, quorum præcipua, quòd non jejunos ad communionem recepisset, & cum muliere dormiisset. Citatus ad hoc judicium ex Concilio 40. aliorum Episcoporum, qui tum versabantur Constantinopoli, Joannes parere noluit. Itaque curantibus Eudoxiâ & Theodosio pellitur in exilium Pretenum Bithyniæ, populo vehementer indolente. Verùm ingenti terræ motu facto, ac plebe ad seditionem vergente, revocatus est, funalibusque receptis ac cereis, Bosphoro, lintribus cooperto; adeo ut non ab exilio, sed ex victoriâ redire videretur.

*Nova odii causa in Chrysostomum.*

Non ita multò pòst celebrati sunt ludi ad Ecclesiam, ob argenteam Eudoxiæ statuam; quos oratione suâ exagitavit Chrysostomus; quare iterum collecti Episcopi, vocatusque Theophilus, ipse non adfuit, sed Legatos misit. Natali die suo nunciat Arcadius Joanni se ad Synaxin non venturum, nisi se purgaret; sed non statim terminata est ista altercatio, cùm se tueretur sapienter Chrysostomus, adversarii callidè atque vehementer aggrederentur.

*Alaricus vincitur à Stilicone.*

Alaricus Rex in Italiam regressus ut invaderet ac diriperet Romam, ad Pollentiam urbem Liguriæ per Stiliconem magnâ afficitur clade, quâ penitus deletus erat, immo & captus Rex Barbarus, nisi eum perfidiosè elabi passus esset proditor, jam de filii sui Imperio, quàm de republicâ sollicitior, cùm tamen utrumque perdiderit.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI
4457. 1157. 404.

*Iterum mittitur in exilium Chrysostomus.*

Accusabatur Chrysostomus quòd expulsus Concilio, sine Concilii authoritate rediisset; excipiebat ille id ab Arianis statutum, aliunde se à 31. Episcopis absolutum esse. Tandem sic urgent Arcadium adversarii, ut ille Joanni juberet ab Ecclesiâ facessere; quod hic negat, sibi Ecclesiam à Deo non ab Imperatore concessam obtendens. Pridie ergo Paschatis procedit, Baptismum publicè celebraturus; sed immissus miles omnia cædibus miscet, adeo ut Ecclesia à Barbaris occupata putaretur. Vinctus ergo abducitur in exilium Chrysostomus, fautores ejus, *Joannitæ* dicti, dirè vexati Romam ad Innocentium confugiunt; qui monet Honorium ut scribat ad fratrem, & Thessalonicæ synodus ex Orientalibus & Occidentalibus Episcopis habeatur in causa Chrysostomi; cujus innocentia patebat omnibus, nisi qui per odium sibi oculos obvelassent.

*Mira secuta sunt ejus exilium.*

Statim à Joannis egressu, ignis divinitus ex ejus throno exiliens, meridie in altum assurgens totam Basilicam incendit, & ab eâ disjunctum Senatus Palatium, cum multis ædificiis, per medium populum innoxiè transiliens. Servata tantùm mirabiliter ædicula, in quâ vasa sacra servabantur, ne facti suspicio in Joannem, aut ejus fautores caderet. Dira habita quæstio per præfectum Æthnicum, etiam de Clericis & Diaconissis, immunes ab hoc incendio Joannis amicos præstitit. Verùm postea aliud malum gravius accidit; pridie enim Kal. Octob. grando inusitatæ magnitudinis Constantinopolin lapidavit; & quatriduo post, pridie Nonas Octobris obiit Eudoxia; cùm in ejus utero fœtus mortuus computruisset, sepulta 4. Idus ejusdem mensis, expertura Dei judicium, quæ bis scelera tos judices in sanctissimum virum armasset.

Honorius sæculares ludos. & gladiatoria certamina, antè prudenter abolita, fieri permisit; quæ postea multo sanguine Romano pensata sunt, urbs flammis Barbaricis purganda fuit.

Carthagine Synodus 6. Kal. Julii habita est, in quâ decreta Legatio ad Honorium de coercendis Donatistis, qui jam non tantùm fraudibus, sed etiam cædibus grassabantur, quæ hæterodoxis familiares sunt, experiri omnia potiùs, quàm se submittere parati.

Contigit etiam hoc anno S. Augustini cum Felice Manichæo disputatio, in quâ hic victus suam ejurauit hæresin, multisque idem facturis præluxit: quamobrem Hippone deinceps hæc secta penitùs concidit, exitu felicissimo disputationis hujus atque victoriæ.

Mortua est denique hoc anno S. Paula, cùm in sancto proposito Romæ annis 5. Bethlehemi annis viginti perseverasset; & sanctissimo fine clausit vitam, ætatis 56. cum mensibus octo, ac diebus undecim; nacta laudatorem, quo meliorem nec Alexander magnus optare potuit, S. Hieroymum.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4458. 1158. 405.

Chrysostomus Cucusum à militibus deducitur, oppidum inter Armeniam Minorem, & Ciliciam, ideoque nonnunquam utrique contributum. Fuit hoc iter difficile, ac periculosum propter Isauros latrones, gravissimum Ioanni ob febres ac stomachi dolores. Sed adhuc finis itineris intolerabilior, cùm in eo loco omnia deessent, præter eximiam Christianorum in eum reverentiam & amorem.

Romæ Episcopi Italiæ congregati Honorium compellunt, ut accuratè scribat ad fratrem, ejusq; auxilio Synodus celebretur Thessalonicæ, ibique Ioannis causa terminetur, quæ Orientem, & Occidentem suspensum distractumque tenebat. Legati hujus Concilii, acceptis Honorii & Innocentii litteris, Constantinopolin proficiscuntur, multis laboribus susceptis ut nihil agerent.

Arsacius in locum Chrysostomi suffectus post 14. menses moritur; inimicis sanctissimi viri omnibus non diù superstitibus.

Celebratum est hoc anno in Hispaniâ Concilium Toletanum 7. id. Oct. quod vulgò primum inscribitur, cùm secundum sit; certe si non primum, saltem præcipuum.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4459. 1159. 406.

Legati à Synodo Romanâ missi impediuntur ingredi Constantinopolin, atque in Castello juxta Urbem detinentur: eripiuntur eis per vim litteræ, fracto etiam uni ex Legatis per Tribunum pollice; negantesque novo communicare Episcopo, imponuntur putri navigio, promissâ pecuniâ

nauclero

nauclero ut eos perderet. Sed cùm Lampſacum delati eſsent, mutatâ nave pervenerunt in Itliam incolumes. Ideo Atticus Sebaſtenus, qui Arſacio poſt 4. menſes ſucceſserat, & Theophilus Alexandrinus damnati ab Innocentio, cæterique perſecutores Ioannis, qui hoc anno ex Cucuſo ob graſsantes Iſauros translatus eſt Arabiſſum; unde litteras dedit ad Olympiadem, quæ ejus causâ exilium quoque paſsa eſt. In iis cùm queratur Ioannes de Pelagio monacho, non levis injicitur ſuſpicio tum Pelagium hæresens ſuæ venenum ſparſiſse, longè plus Eccleſiæ quàm exilium Chryſoſtomi nocituræ.

S. Samuelis reliquiæ Conſtantinopolin hoc anno translatæ ſunt, ex urbe Silo, 14. Kal. Julias, pompam ducentibus Arcadio Imperatore, Anthemio Præfecto prætorii Exconſule, & Æmiliano Urbis præfecto, cùm univerſo Senatu; veriùs triumphus quàm funebris magnificentia & panegyris fuit.

Hoc anno multi Barbari Europam depopulati ſunt: nam Wandali & Alami aliique populi pridie Kal. Jan. trajecto Rheno Gallias depopulati ſunt. Quæ autem clades tum invectæ ſint in Gallias, dolentiùs deplorant S. Hieronymus & Oroſius, aliique; earumque cauſan in Stiliconem rejiciunt, uti volentem his Barbaris, ut in filium Eucherium transferret Imperium. Sic Principes dum deguſtare tantùm volunt ſui principatus delicias, ac negotiorum curam in alios refundunt, Imperia ſua perdere, & præpoſteras voluptates ærumnis gravibus ſarcire ſolent.

Radagaiſus Scytha, & paganus, cum ducentis, ut ut alii volunt, quadringentis ſuorum millibus male accepit Italiam, donec ei oppoſiti Huldinus & Sarus Hunnorum Gothorumque reges magnâ llum ſtrage deleverunt: amputatum Radagaiſo aput, milites ejus captivi ſingulis aureis venditi, ut, ut ait Oroſius, ſinguli captivorum greges ingulis aureis venierunt, ſicque mancipiis, quam erruerant, totam impleverunt Italiam.

Vigilantius, natione Hiſpanus, patriâ Calagurritanus, hoc anno, quod ſub ſanctimoniæ larâ occultarat, virus cœpit evomere impugnabat ic ſanctorum reliquias, jejunia, cœlibatum Clericorum, & alia ejuſdemmodi; quæ ſic confutavit Hieronymus, ut eorum author non Vigilanus, ſed Dormitantius dicendus eſſe videretur.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4460. 1160. 407.

Chryſoſtomus Arabiſſum relinquere, atque ithyuntem ad littus Euyinum duci jubetur. Spebant adverſarii crebrâ locorum mutatione nguentem alioqui virum interiturum: nec eos efellit opinio. Eo enim dum pergit, cùm in mplo quodam Comainis propinquo pernoctat, S. Baſiliſcus ejus loci Epiſcopus, Nicomediæ b Maximiano Martyr, ei ſuum pollicitus eſt onſortium in ſequentem diem. Quare ſplenidè veſtitus, munitusque Sacramentis, placidè nimam exhalavit, 18. Kal. Octobris, non Decembris, & in eâdem cum Baſiliſco Eccleſiâ ſeultus fuit, nec animo nec corpore ab eo disnctus. Vixit annis 52. Menſibus 8. ſedit Epiopus annos 9. menſes ſex, dies viginti; vir uo eloquentiorem non habuit Eccleſia, & fortaſſe conſtantiorem, immò neque doctiorem; dignumque quem ipſe ſanctus Paulus privatis colloquiis erudiret. Eo demortuo, non priùs Innocentius & Occidentales cum ejus judicibus communicare voluerunt, quin ejus nomen in ſacra dipthycha referretur, expungeretur Arſacii nomen, ut eum verè Epiſcopum mortuū eſſe, atque receptum cœlo poſteritas intelligeret.

*Legatio de Donatiſtis, & Paganis coercendis.*

Idibus Junii celebrata Carthagine Synodus, unde decreta Legatio ad Honorium adversùs Paganos & Donatiſtas, qui in Catholicos vires conjunxiſſe videbantur; cùm eadem invehere ſoleant mala, & qui nondum ſunt, & qui ſunt mali Chriſtiani.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4461. 1161. 408.

*Obit Arcadius Imp.*

Obiit hoc anno Arcadius, anno ætatis ſuæ 31. cùm imperaſſet cum patre annis 12. ab obitu patris tredecim, cum menſibus 3. diebus 15.

*Rex Perſarum tutor Iunioris Theodoſii.*

Is moriens veritus filio ſuo octenni, commendavit eum Iſdegerdi Regi Perſarum, qui pactus cum Romanis fœdus 100. annorum, miſit ad eum erudiendum Antiochum virum doctiſſimum & prudentiſſimum, ut ejus ageret curam. Addiderat quoque moriens, Anthemium præfectum Euconſulem, & Pulcheriam jam annos quindecim natam, ut fratri loco matris eſſet; virginem ſapientiſſimam, & quæ ſororibus Arcadiæ & Marinæ hoc anno virginitatem perſuaſit, quam & ipſa diligentiſſine ſervavit, ideo poſt digna Imperio judicata.

*Stilico affectat Imper.*

Stilico Comes interea, jam quaſi Honorii & Imperii Romani Magiſter, cujus duæ filiæ Maria & Themantia Honorio nupſerant, (ambæ tamen virgines obierunt). Alanos, Suevos, & Vandalos populares ſuos donis illectos in Honorium excitat, eorumque auxilio Eucherium filium ſuum Cæſarem creare deſtinat. Alaricum quoque in Epiro diſtinuerat, quominus in Arcadium progrederetur; jam autem in Illyricum tranſgreſſus, Legatos miſit ad Honorium, qui pecuniam depoſcerent ſibi promiſſam, ob moram ejus juſſu in Epiro factam. Itaque Stilico Romam advolat, efficitque ut ei quatuor millia librarum auri mitterentur, uno reclamante Lampadio, qui id *non pacem, ſed pactionem ſervitutis* inclamavit; ſed bonus Honorius acquievit Stiliconis conſilio, ſicut de omittenda in Orientem profectione quam meditabatur: intentavit enim ei minas à Conſtantino, qui jam Arelatem Tyrannus occuparat, cùm ejus conſiliis intereſſet Stilico, omnibus aliis Tyrannis nequior.

*Conſtantinus Tyrannus.*

Enimvero Conſtantinus, (quem alii Conſtantium vocant) origine Britannus, tantùm ob nomen; & patriam, ac filium Conſtantem dictum, acclamatus eſt Imperator, & idoneus judicatus ad Barbaros abigendos, ut olim Magnus Conſtantinus. Iam autem iidem milites Britannici duos alios elegerant Auguſtos, Marcum ſtatim exautorarum, & Gratianum poſt 4. menſes interfectum. Conſtantinus igitur iis ſuffectus Arelatem uſque proceſſit, ac filium Conſtantem ad regendas Hiſpanias miſit; ſed uterque ſe ſuo nomine indignum reddidit, & tantùm oſtendit imperandi voluntatem.

*Olympius dedocet Honorium.* Interea Olympius, vir bonus ac justus, permotus Tyrannide Stiliconis, quam in perniciem Imperii paratam videbat, Honorium adit, & quo sint ejus res in statu exponit. Imperator quasi evigilans Tyrannum perdere statuit, in quem commodè Sarus Hunnorum dux rebellarat. Fugit itaque Stilico, suum caput appeti videns, in Ecclesiam Ravennæ: mox se militibus dedit, asserentibus sibi tantùm esse commissam ejus custodiam, non necem. Sed aliud decretum ab Honorio venit ut capite minueretur. *Stilico interimitur.* Sic periit ergo vir ambitiosus, & tantùm religioni addictus quantùm res ejus sinebant; daturus fortè Imperio alterum Julianum, certè Eucherium Ethnicum, & qui templa Deorum patefacere decreverat.

*Gentiles, & Donatistæ abutuntur morte Stiliconis.* Abolita fuerant ab Honorio Acta omnia Stiliconis. Gentiles ergo atque Donatistæ emissa contra se decreta, Honorii negarunt esse, asseruerunt esse Stiliconis: sed missa Legatio ex tertiâ Synodo Carthaginensi retulit ab Imperatore omnia iterum confirmata fuisse; sibi, nisi graviter mulctari vellent, esse deinceps quiescendum.

MUNDI *Urb. Cond.* CRHISTI.
4462. 1162. 409.

*Alaricus pacem petens, rejicitur.* Alaricus, Stilicone sublato, reconciliari conatus est Honorio, & id expediebat utrique; sed Honorius malis consiliis usus bellum prætulit paci, & imparatus atque ignavus, contra fortem & non contemnendis copiis instructum. Alaricus ergo conjunctus fratri Ataulpho, qui exercitum ex Gothis & Hunnis confecerat, statuit Imperii caput petere, & saltèm terrere Romam, vel, si fortuna faveret, occupare.

*Eucherius caditur.* Hoc anno Eucherius filius Stiliconis, Ravennæ captivus, jusso Honorii ab Arsacio & Terentio Eunuchis inter fectus pœnas dedit Imperio atque religioni, qui utrumque atterere decrevisset. Cæsa quoque Serena uxor Stiliconis, & Honorii consobrina, jubente Senatu, adnitente Placidiâ Honorii sorore, quasi ejus nutu Barbari Romam cinxissent, eâque sublatâ soluturi essent obsidionem; sed ejus morte nihil factum, nisi ut pœnas dependeret filio procurasse Imperium, & initæ cum marito suo perduellionis.

*Offertur purpura Constantio.* Constantius interea mittit ad Honorium Legatos, quos suscepit amicè in magnas redactus angustias Imperator, & huic offert purpuram, quam non poterat denegare, rapiendam sine dubio, si recusaretur.

*Hispania vexatur à Barbaris.* Alani, Vandali, Suevi hoc anno Hispanias ingrediuntur, in eas inducti per Constantem, filium Constantini Tyranni, aduersus Didymum & Verinianum fratres cognatos Honorii Imperatoris, quibus interemptis Barbari nobilissimam hanc regionem depopulati sunt. En quibus hominibus Romani milites Imperium contra Barbaros defendendum commiserant.

*Solvitur Roma obsidio, & iteratur.* Romani obsessi, fame pressi omnia circumspiciebant: authores erant aliqui, ut gentilitia fierent sacra, & hoc extremis saltem malis remedium ultimum adhiberetur; quod & permisisse Innocentium Pontificem, Zosimus turpissimo mendacio fabulatus est. Tandem multo auro appenso soluta est obsidio; & ut ageretur de honestis conditionibus pacis, missi à Senatu & Alarico Legati ad Honorium quorum unus fuit Innocentius. Sed cùm Honorius utriusque militiæ præfecturam denegaret Alarico, quod vehementer optabat, iterum obsidetur Roma spoliata divitiis.

Abruptâ tantisper obsidione, Piniànus cum Seniore Melaniâ, & Melaniâ Iuniore conjuge, atque socru suâ Albinâ, Carthaginem venit, inde Tagastam, inde Hipponem ad Augustinum & Alipium, à quibus suscepti ut eorum dignitas & calamitas exigebat. Sed populi facto concursu, Pinianus Presbyter tantùm non creatus est, ac jurare compulsus se, si clericus fieret, nusquam nisi Hippone futurum. Quâ de re se purgavit Augustinus, quasi se inscio invitoque factum. Melania Senior posthæc navigavit Hierosolymam, ubi post 40. dies ab ejus accessu, Origenis errores jampridem execrata, religiosè mortua est & piè; ubi olim Christus spiritum emiserat.

Constantinopolim translatæ sunt reliquiæ S. Josephi Patriarchæ filii Jacobi, & Zachariæ Patris S. Joannis prodromi, 6. Non. Sept. & cum eo honore depositæ in magnâ Ecclesiâ, quem eorum dignitas postulabat; digni quoque visi sanctis viris annumerari, & in sacra diptycha referri; hujus gratiâ felices, quem aut repræsentarunt, aut præcinuerunt.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4463. 1163. 410.

Hoc in Oriente creatus Consul Varanes, In Occidente ab Attalo Tertullus, cujus nomen non est additum fastis, propterea quòd à Tyranno factus esset. Enimvero Alaricus Urbem obsidens, Romanos coëgerat Imperatorem eligere Priscum Attalum Urbis tum præfectum, qui mox Alaricum & Valentem Duces militiæ dixerat, & Consulem gentilem suum Tertullum, omnes Arianos, ipse Arianus. Tum monuit Attalum sapienter Alaricus, ut Drumam cum copiis Barbaricis in Africam mitteret, atque inde Heraclianum Honorii ducem expelleret; ille improvidè Constantem seu Constantium cùm paucis militibus eò præmisit; qui primo adventu cæsus ab exercitu Heracliani, Africam asseruit Honorio, sicque vanis Vatum & Augurum responsis miser Attalus delusus est. Porrò antequam res ejus in Africâ conciderent, moverat adversus Honorium Ravennæ degentem, & jam Ariminum usque duxerat exercitum; quando ei Honorius purpuram obtulit, & consortem Imperii creare voluit: sed hæc respuit Attalus, Insulam duntaxat promisit, in quâ securè viveret. Cùmque jam miser Honorius pararet noves, quibus ad Theodosium in Orientem confugeret, noctu subitò magnus militum numerus ex Oriente Ravennam appulit, quibus fretus Ravennæ, aleam belli subire decrevit. Accessit & aliud Attalo incommodum, quòd Heraclianus jam victor frumentum ex Africâ deferri prohibuerit, unde secuta fames ingens, quæ tanta fuit, ut pretium

tium humanis carnibus in circo peteretur, matres filios suos voraverint, edule nihil, quantumvis horrendum, à famelicis omitteretur. Huic ut provideret Attalus, in Urbem revocabatur: quare ejus imprudentiâ iratus Alaricus hominem purpurâ spoliat, quam ad Honorium mittit, eum tamen apud se retinet cum Ampelio filio, ut utrique ab Imperatore securitatem obtineret. Sic Alaricus Barbarus arbiter Imperii videbatur, cujus ex voluntate facti, infectique Imperatores penderent.

Pacem ergo inire stabilem cum Honorio moliebatur Alaricus; sed eam Sarus Hunnorum Dux, Honorio tum militans, perfidiosè abrupit. Hic enim cum trecentis suis strenuissimis in Alaricum incautum irruens, aliquot ex Gothis interemit, omnes turbavit; nec morâ, iratus Alaricus Honorio, quasi hujus cladis autori, redit ad obsidendam Romam. Quomodo autem hæc capta fuerit, facilè statui non potest; sed capta tamen, dato nihilominus priùs suis præcepto, uti temperaretur ab eorum sanguine qui ad SS. Petri atq; Pauli Basilicas confugissent. Neque tantùm, sed vasa sacra iisdem Ecclesiis reddita, Gentiles acerbiùs tractati à victoribus, Christiani humaniùs; Urbs tamen direpta cum multo sanguine, grassationibus, stupris; quæ à barbaris expectari debuerunt. Capta tum quoque Galla Placidia soror Honorii, & Arcadii; Ataulpho desponsata, magno Romanorum dedecore, cùm his nuptiis Imperatorius sanguis cum Barbarico misceretur.

Alaricus triduò post, Urbem captam relinquit, profectus Rhegium, ut inde transiret in Siciliam: sed navibus tempestate disjectis, hic morbo periit, sepultusque in Basento fluvio cum multis opibus, alveo priùs derivato, operisque cæsis omnibus, quæ huic sepulturæ allaborarant. Statim ergo in ejus locum suffectus est Ataulphus ejus aut frater & affinis; qui statim in Urbem recurrens, eam iterum populatus est, indeque Gallam Placidiam abductam ad Forum Cornelii, seu Imolam, duxit uxorem. Ex tanto naufragio multi se subduxere, & in varias orbis Romani partes abiere, plerique in viciniorem Africam, inter quos Proba cum Iulianâ filiâ, & Demetriade Iulianæ filiâ, diriorem expertæ Heraclianum Carthagini, quàm Alaricum Romæ: eò quoque perrexere Marcella atque Principia, quæ S. Petri Basilicæ suam debuere incolumitatem; neque diu Marcella superstes fuit, hoc anno, sicut & Pammachius, mortua, ut innumeros taceam, quos aut barbaricus gladius, aut fames, aut exilia sustulere; ex magnâ urbe factum est magnum desertum.

Ruffinus Aquilejensis, patriâ suâ Aquileiâ per Alaricum destructâ, fugit in Siciliam, ubi obiit Pelagii antecessor & magister, discipulus Origenistarum, & omnibus iis contumeliis dignus quas in eum S. Hieronymus adversarius acerrimus effudit.

Synesius maximus Philosophus, patriâ Cyrenensis, tribus annis antequam pax iniretur inter Theophilum & fautores S. Chrysostomi, creatus est ab eodem Theophilo Alexandrino Episcopus Ptolemaidis; qui modis omnibus hoc onus excutere conatus est, famâ etiam neglectâ, adscitisque vitiis quorum immunis erat. Sed hæc conficta satis intelligebat, qui huic imponebat manum; & opere ipse confutavit, quod linguâ perperam effutierat.

## CAP. II.

## *Decas Secunda.*

### *Ab anno Christi* 410. *ad* 420.

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4464. | 1164. | 411. |

THeodosius Decennalia Constantinopoli, Honorius Romæ vicennalia celebravit, quando & hujus negotia pænè posita emerserunt. Nam tum Constantius Comes adversus Constantinum Imperatorem missus, apud Arelatem eum obsedit, & captum occidit, cujus caput 14. Kal. Octob. in conto Romam allatum magno gaudio Urbem, majori perfudit Honorium. Neque melior Constantis filii conditio; hunc enim Gerontius Viennæ interemit; sed ejus loco Maximum quendam substituit; verùm cùm paulò pòst Gerontius à militibus quoque occisus esset, ablata fuit Maximo purpura, hicque fugere compulsus est in Hispanias, ubi inter Barbaros vixit, neque Romanus, multò minùs Cæsar. *Honorii res afflictæ resurgunt.* *Tyranni exorti, & sublati.*

Marcellinus Tribunus in Africam missus anno superiori ad componenda dissidia inter Catholicos, & Donatistas, hoc anno celebrem illam Collationem constituit, in quâ superiores Catholici multos schismaticos in suas partes pertraxere, reliquis frementibus, & de more in suâ pervicaciâ obstinatioribus. *Pulcheria Imperium administrat.*

Qui fuerat missus ab Isdegerde Persarum Rege ad instituendum Theodosium Antiochus, hoc anno in ordinem redactus est; Pulcheria Imperium sola administravit, supra sexum suum prudens, & in quâ sapientia cum pietate decertabant. *Concilium in Andronicum.*

Concilium coëgit hoc anno Synesius ex provincia Pentapolitanâ adversùs Andronicum Præfectum, hominem nequam, quem & à communione fidelium separavit. Is demum resipuit, eamque pœnitentiam egit ut Ecclesiæ reconciliari mereretur; magnum Ecclesiastici fortitudinis, ac vigoris monimentum.

| MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI. |
|---|---|---|
| 4465. | 1165. | 412. |

Coss. Honorio Aug. IX. & Theodosio Aug. V. Iovinus & Sebastianus fratres Narbone cæsi Honorium metu liberarunt. Sed eodem tempore Heraclianus in Africâ nimiùm potens Tyrannidem arripuit, homo crudelis, & jampridem re, si non nomine Tyrannus; quando Attalus in mari captus, & exhibitus Honorio, mitiùs habitus quàm ejus Tyrannis iterata exigebat. Huic enim tantùm truncata manus, tanquam furi, qui Imperium rapere voluerat, toto corpore mutilandus. *Tyranni varii.*

Gothi Ataulpho duce ingressi Gallias, hîc delegere stabilem sedem, & in regione Imperii Romani amœnissimâ degere statuerunt; unde tamen à fortioribus & dignioribus populis depulsi sunt. *Gothi Gallis potiuntur.*

*Theophili locum obtinet Cyrillus.* Hoc anno mortuus Theophilus 15. Kal. Novemb. post triduum Cyrillo suum reliquit locum: quare Atticus Constantinopolitanus, & Cyrillus Alexandrinus Chrysostomi nomen in Diptycha retulere; sicque composita lis, cujus mora vivens Theophilus erat.

*Donatistæ puniti.* Honorius Donatistas ex Collatione factos pervicaces puniri jubet, laicos gravi pecuniæ pensitatione, Clericos exilio. Ex quibus cùm non resipiscerent, sed efferati rabie crudeliùs in Catholicos sævirent, S. Augustinus Marcellinum Comitem oravit, ut iis de cæde convictis parceret, & ab eorum sanguine parceretur, qui Catholicorum sanguinem tam sæpe, tam atrociter profudissent; quoniam Ecclesia non cædendo, sed patiendo proficit.

*Cirtense Concilium de Donatistis.* Cirtæ in Numidiâ hoc anno Concilium habitum est in causâ etiam Donatistarum sub Silvano hujus provinciæ Primate; ex cujus epistolâ intelligitur quo ardore Catholici inflammarentur ad eos ad sanam mentem revocandos, cùm ipsi furerent; hos ægrotasse, illos medicam insanientibus manum obtulisse.

*Cælestius convictus, & damnatus.* Cælestius primarius discipulus Pelagii, à Paulino Diacono convictus Pelagianæ hæresis in publicâ disputatione, Episcopali judicio damnatus est; fassusque est hujus autorem esse Ruffinum. Hæc quoque antea damnata fuerat Romæ in Joviniano, qui hoc anno relegatus est in insulam Boam in orâ Illyrici; ubi inter luxuriosas epulas libidinum & voluptatum magnus fautor turpem effudit animam. *Jovinianus relegatus.*

MUNDI *Urb. Cond.* CHRIST.
4466. 1166. 413.

*Pelagius agnoscitur hæreticus.* Pelagius, scriptâ Epistolâ ad Demetriadem nobilem virginem, & spreto nobilissimo sponso paulò ante nuptias Deo consecratam, Carthagine, quis esset aperuit. Hæc malè ab ignaris est attributa vel Augustino, vel Hieronymo, quibus Gratianus imposuit. Sed hæc accuratè refutata est ab Augustino, ut hæresibus scatens, & sic inchoatur; *Si summo ingenio*: quò ab aliâ Catholicâ ex primis illis verbis distinguatur. Fuit autem ille Pelagius origine Scotus, monachus voluptuosus, & priùs corpore corruptus quàm animo; utroque inquinatissimus, qui & sordes suas pluribus allivit, licet à viris sanctissimis Hieronymo & Augustino accuratè dilutas & detersas.

*Burgundiones sedent in Gallia.* Burgundiones, qui se Romanorum sobolem gloriabantur, gens olim tenuis, postea multitudine pollens, semper fortis, hoc anno partem Galliæ Rheno proximam invasit, atque retinuit, saltem nomine, ad hæc usque tempora; etiam si populus iste in Francos transierit, à quibus non multùm moribus & indole distabat.

*Heraclianus victus & cæsus.* Hoc anno nominatur unus Consul Lucius, cùm Heraclianus Consulem alter ob tyrannidem obliteratus sit. Hic cum classe septingentarum navium, ac tribus armatorum millibus, in Italiam navigans, obviam habuit Marinum ducem ad Otriculum, à quo sic victus est atque profligatus, ut cum unâ tantum nave Carthaginem fugerit; ubi in æde Memoriæ cæditur à percussoribus quos in eum Honorius immiserat. Sabinus ejus gener, & tyrannis socius, fugit Constantinopolim, unde retractus, exilio tantùm mulctatus est, quia non suo, sed soceri ductu peccasse videbatur.

Inde missus est ad provinciam illam ordinandam Marinus, qui Marcellinum Tribunum illum pietate nobilem, cujus operâ collatio inter Catholicos & Donatistas peracta fuerat, interimendum curavit insidiis Donatistarum circumventum; qui vires suas, & industriam impenderunt, ut eum perderent. Quare Marcellini quasi martyris memoria recolitur in Ecclesiâ 8. Idus Aprilis, quia non ob culpam suam, sed propter navatam Ecclesiæ operam perdidit caput, cum amplissimâ mercede suæ pietatis.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4467. 1167. 414.

Pulcheria Theodosii soror hoc anno dicta est Augusta, cùm tamen longè antea re dignitatem illam, licèt nomine nondum haberet.

Constantius hoc anno Consul, cum filio suo Constante degens Arelate, Narbonâ Gothos expulit, atque in Hispaniam abire compulit, interdicto navium commeatu, & usu peregrinorum commerciorum. Præerat Gothis Ataulphus, qui cùm antea statuisset abolere Romanorum & Augusti nomina, eorum loco Gothorum, & Ataulphi substituere, videns consilia sua malè cedere, & præterea delinitus Placidiæ uxoris suæ illecebris, decrevit Imperium Romanum copiis Gothorum reparare; sed tum id consilii cepit, cùm plus voluntatis, minùs virium habuit.

Gothi ut res suas labantes in Galliâ repararent, Attalo suaserant ut iterum purpuram resumeret, ei polliciti auxilium. Et verò aliquid potuit, quandiu hi populi formidabiles extiterunt; qui cùm evanuisset metus, Attali quoque fortuna evanuit.

Iidem Gothi non contenti Hispaniarum parte, paratâ classe in Africam transfretare parant: sed in freto Gaditano tempestate agitati magnam partem navium suarum cum vectoribus perdidere, amissâ Africæ spe, valde debili Hispaniarum.

Honorius in Donatistas graviùs agere parat, misso in Africam Dulcitio Tribuno; à quo pecunia laicis imperata, Clericis exilium indictum. Cùm tamen sibi aliqui Episcopi violentas inferrent manus, ut pro Martyribus colerentur, eâ de re interrogatus Augustinus, respondit satiùs esse perire paucos, quàm plurimos damnari. Mitiùs tamen cum iis actum; nec Dulcitius vi, sed minis potiùs reformidatus est.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4468. 1168. 415.

Attalus à Gothis transeuntibus in Hispaniam neglectus, immo ab iis eodem pertractus, tandem præsidio omni destitutus capitur, & vivus offertur Constantio Patricio, posteaq; in triumphum ductus ab Honorio mancus in Liparam insulam relegatus perdidit tantùm manum, qui caput amittere debuerat.

Ataulphus Gothorum Rex dum paci cum Romanis ineundæ studet, Barcinone, suorum dolo, cum sex liberis occisus est. Successit ei Sigericus,

ricus, à suis pariter Gothis necatus, quòd in pa-
cem inclinaret. Electus itaque Wallia, fœdere
cum Romanis sancito, felicior fuit: suscepitque
bellum adversus Alanos & Vandalos Silingos,
ollicitus Romanæ securitati periculum suum
contra omnes Barbaros qui in Hispaniis insede-
ant, ut sibi pugnaret, Romanis vinceret. Idem
tiam rescripsere ad Honorium Alanorum, Sue-
orum, & Vandalorum Reges, eumque rogarunt
t ab omnibus obsides acciperet, & cum omni-
us haberet pacem, dum ipsi inter se conflige-
ent, & tam victi quàm victores Imperio Roma-
o allaborarent; consilio, in quo plus furoris,
uam amoris esse videretur.

Hoc anno Luciano presbytero Ecclesiæ Ca-
hargamalæ, in territorio Hierosolymitano, ap-
arens in somnis Gamaliel, eundem admonuit
bi suum lateret corpus, S. Stephani, & Abibi
lii ejusdem Gamalielis; quæ mox ingenti pom-
â translata Hierosolymam tot miracula edide-
unt, ut iis totus Oriens atque Occidens coru-
carit. Celebratur etiamnum illa Inventio in
cclesiâ 3. Non. Augusti. legiturque Epistola,
uam tum Iulianus ad omnes fideles scripsit,
gregium antiquitatis monimentem.

Tum autem, ut ex eâdem Epistolâ liquet, ha-
ita est Synodus Liddæ seu Diospoli, cui inter-
uere Episcopi quatuordecim, atque inter cæte-
os Eulogius Cæsariensis, & Ioannes Hierosoly-
nitani Antistites; in quâ præsens Pelagius post-
uam suas hæreses damnasset, absolutus est. Sed
ùm id dolosè fecisset, ideo eum Conventum
robare noluit Innocentius; & Hieronymus
*iserabilem Synodum* nuncupavit. Statim enim
m Pelagius, quàm ejus discipuli Cælestius &
lianus ad ingenium suum rediere; hæretico-
um more, qui nunquam pœnitentiam simulant,
si ut faciliùs errores suos, ac tectiùs dissemi-
are queant.

Eodem anno Iudæi multos Christianos Ale-
andriæ interemerunt, noctu, rumore vulgato
njectas esse faces Ecclesiæ; quas dum parabant
tinguere, jugulabantur: quare Cyrillus Iudæos
mnes urbe expulit, quam jam à temporibus
lexandri Magni incolebant. Orestes quoque
ræfectus, à Monachis & Parabolanis lacessitus
t: & cùm dissensiones inter eundem Orestem
Cyrillum fovere crederetur Hypatia Theonis
hilosophi filia; virgo doctissima, membratim
Alexandrinis discerpta fœderis inter utrum-
ue victima miserabilis extitit.

Isdegerdes Persarum Rex, Maruthæ Mesopo-
ameni Episcopi sanctitate & miraculis permo-
is, tantùm non Christianus est factus: verùm
o mortuo, cùm Abdaates Episcopus Persarum,
ræpostero zelo templum Ignis incendisset apud
ersas celeberrimi, gravis persecutio ad annos
uinque est exorta; multosque martyres unius
ominis imprudentia inseruit cælo.

MUNDI *Urb. Cond.* CHRISTI.
4469. 1169. 416.

Ut firmiùs cum Romanis percuteret fœdus
Walia Gothorum Rex, Placidiam Ataulphi
quondam conjugem reddidit Honorio fratri:
cujus nuptiis dignus est visus Constantius, tum
dux magni nominis. Et verò ut probaret Hono-
rio quam bene delectus esset, non ita multò post
Fridibalum Vandalorum Regem, sine certami-
ne ingeniosè captum ad Imperatorem misit,
amoris in eum sui & Placidiæ argumentum, &
majoris tesseram.

Orosius Hispanus presbyter, qui autore Au- *Orosius re-*
gustino septem libros Historiarum scripsit, hoc *dit ex Sy-*
anno ex Oriente rediens Epistolam Luciani & *ria.*
reliquias S. Stephani detulit; quæ magnis mira-
culis in Africâ & Hispaniâ illustratæ, non Chri-
stianis modò, sed & Iudæis profuerunt.

Hoc anno habita sunt Concilia duo, Cartha- *Pelagius*
ginense sub Aurelio Africæ, & Milevitanum sub *damnatus*
Sylvano Numidiæ Primatibus; hoc, Episcopo- *in Conciliis*
rum unius & sexaginta; illud, septuaginta sep- *Africæ.*
tem: in quibus damnatus est Pelagius, unde &
datæ ad Innocentium litteræ, ut eam hæresin
conficeret. In Milevitanâ porrò hâc Synodo
commissa cura Augustino ut hanc hæresin exa-
gitaret, quod & cumulatè præstitit, & qui in
aliis operibus alios vicerat, in hoc seipsum vul-
go creditur superasse.

Obiit tum Ioannes Episcopus Hierosolymita- *Ioan. Hie-*
nus, cui successit non Paulinus, ut scribit Ni- *rosolym.*
cephori Chronicon, nec Cyrillus, ut alii, sed *obiit.*
Prailius, qui anno sequenti ad Romanum Pon-
tificem litteras misit, ex quibus & fides ejus,
& nomen agnoscitur.

MUNDI *Urb. Cond.* CRHISTI.
4470. 1170. 417.

Hoc anno, quo terræ motus ingens contigit, *Innocen-*
non autem Ecclipsis, quam malè innuere videtur *tius mori-*
Marcellinus Comes, uti bene Petavius docet, *tur.*
Innocentius 5. Kal. August. mortuus est, cùm
sedisset annos 15. menses 2. dies 20. Eique post *Succedit ei*
20. dies suffectus est Zosimus, quem tamen, *Zosimus.*
quantumvis Græcum, Cælestius & Pelagius pri-
mâ fronte deceperunt.

Enimvero statim atque audiit Innocentium
obiisse Cælestius adversantem sibi, se Romam *Pelagius*
contulit, ut etiam in adversarios suos Africanos *Zosimum*
Episcopos querelas deferret. Zosimo autem ob- *fallit.*
tulit libellum tanto artificio contextum, ut ex
eo nonnisi Catholicus appareret. Interrogatus
etiam an assentiretur Epistolæ Innocentis, menti-
tus est se ei subscribere; quare cum eo leniùs agen-
dum putavit Zosimus; neq; tamen ejus excom-
municationem dissolvit sed scripsit ad Africanos
Episcopos, ut si quid adversus eum haberent,
Romam mitterent, ut de his Romanus Pontifex
statueret. Dedit quoque suas ad Zosimum litte-
ras Pelagius, qui jam ex Palæstina ad Innocen-
tium alias dederat; quibus nimis faciliter assen-
tiens Pontifex, eum ut Catholicum recepit, datâ
ad Patres Africanos Epistolâ; ejus verò accusa-
tores Herotem & Lazarum Episcopos Gallos, *Zosimus a-*
calumniatores declaravit & multorum criminum *gnoscit se*
reos. Sed postea idem ipse Zosimus se unâ tan- *deceptum*
tùm parte auditâ judicasse deprehendit, & *esse.*
præceps emendavit judicium.

Actum quoque à Zosimo tum de privilegiis *Causa E-*
Ecclesiæ Arelatensis, quæ & jam probaverat, ut *pisc. Are-*
ejus Episcopus Galliæ Primas haberetur, ob S. *latensis &*
Trophimum S. Petri discipulum; & quia summi *Viennensis*
Pon- *excussa.*

Pontificis is Vicarius diceretur, ac semper acciperet Pallium. Sed cùm reclamasset Ecclesia Viennensis, revocavit sententiam suam Zosimus, & pleniori indagatione opus esse in difficiliori causâ sapienter existimavit.

*Barbari à Barbaris deletur.*

Tum Wandali Silingi in Bæticâ omnes per Walliam Gothum extincti sunt: item & Suevi ita cæsi, ut extincto Atace Rege suo, abolito regni nomine, Wandalis qui in Gallæciâ subsederant submittere se compulsi fuerint; omnes dum inter se pugnant Barbari, quod erant polliciti, egregiam Honorio ac Romanis operam navaverunt.

*Pascha benè, & malè celebratum.*

Pascha non ritè celebratum à quibusdam Occidentalibus 25. Martii, benè apud Alexandrinos cecidit in 22. Aprilis, quo Baptisteria per miraculum in privilegio Paschatis repleri solita, hoc die, non illo, mirabiles aquas reddiderunt, curante Deo his prodigiis, ne in re tanti momenti peccaretur.

MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI.
4471. | 1171. | 418.

*Valentinianus Junior nascitur.*

Placidius Valentinianus, vulgò Junior dictus, nascitur Ravennæ 6. Non. Julii, patre Constantio Cæsare, & matre Placidiâ, dignissimi matrimonii fructus.

*Pelagius & Cælestius Carthag. & Romæ damnati.*

Concilium Carthagine hoc anno celebratum est ducentorum septemdecim Episcoporum, in quo damnati Pelagius & Cœlestius, eorumque patefactæ sunt fraudes. Damnati quoque sunt Romæ Zosimo & ab omnibus bonis Catholicis, bellum iis indictum est, neque deinceps sub larvâ pietatis latere permissi. Tum quoque convenit Synodus Teleptensis in provinciâ Byzacena, cui Primas præfuit Donatianus. S. quoque Augustinus multa Hippone correxit; ac se formam & imaginem veri Antistitis præbuit.

*Controversiæ initium de Nicænis canonibus.*

Apiarius Presbyter depositus ob crimina ab Urbano Siccensi, provocavit ad Zosimum. Mittit ergo Pontifex in Africam Legatos, ut de quatuor capitibus agerent, quorum primum erat de appellationibus Episcoporum ad Romanum Pontificem, ex autoritate Nicænorum canonum, ultimum de Urbano Siccensi, quem Apiarius accusarat. Africani Præsules convenientes in Synodum, lecto Zosimi commonitorio, respondere canonem de appellationibus non videri esse Nicæni Concilii; quam ἀβλεψίαν excusare postea multis conati sunt Romani, & eorum jam placet defensio.

*Zosimus Papa obit.*

Obiit hoc anno Zosimus 7. Kal. Januarii, cum sedisset annum unum, menses quatuor, dies 7. quo mortuo vacavit tantùm uno die sedes, eique datus successor Bonifacius Presbyter; sed octo

*Succedit ei Bonifacius.*

schismate, pars minor, & deterior, huic opposuit Eulalium Archidiaconum, fretum Symmachi autoritate; cujus potentia tum plus Ecclesiæ, quàm schisma nocuit.

MUNDI | *Urb. Cond.* | CHRISTI.
4472. | 1172. | 419.

*Christus apparet Hierosolymis.*

Hoc anno multæ urbes in Palæstinâ terræ motu conciderunt; quo etiam Christus Dominus supra montem Oliveti se palam videndum præbuit in nube: hujus aspectu multi Gentiles sacris aquis tingi voluere, quorum in candidis vestibus statim crux refulsit, hujus ducis tessera cujus militiam atque fidem sequebantur.

*Eulalii schisma in Bonifacium.*

Bonifacius Papa exagitatur ab Eulalio Pseudo-pontifice, & Symmacho ejus fautore, cujus opera & litteris factum ut ad partes Eulalii videretur Honorius inclinare, Bonifacio non satis æquus esset. Verùm hic obsequio suo rem Ecclesiæ, atque suam erexit; ille pervicaciâ suâ lite cecidit. Cùm enim utrumque Ravennam advocasset Honorius, atque interim Adulleum Episcopum Spoletinum sacra facere Romæ in Paschate, jussisset, & Synodum congregare, prohibitis severè contendentibus ad Urbem accedere, in eam Eulalius clàm irrepsit; ideò facessere jussus, & causa Bonifacio adjudicata. Decretumque ab Honorio, postulante eodem Bonifacio, ut si post hujus mortem duo eligerentur, neuter Episcopus esset, ad Pontificatum ea nominatio electis aditum præcluderet. Quòd autem hic Illyricus, cum suis congerronibus, nugatur Eulalium verè Pontificem fuisse, Bonifacium intrusum, mirum non est homini schismatico hæreticos de more favere.

Eustochium, filia S. Paulæ, hoc anno moritur, anno 15. ab obitu matris, cum ea pie admodū cùm matre vixisset annis viginti; quæ multùm S. Hieronymo debuit, à quo instituta; plus etiam Paulæ, quæ bis ejus mater fuit, & animo quā corpore melius.

Constantius Cæsar pacem sanxit cùm Walliâ Rege Gothorum, de Romano Imperio optimè merito, cui & assignavit Aquitaniam secundam atque incolendam dedit cum quibusdam civitatibus adjacentibus; minùs tamen ad præmium Walliæ, quàm Imperii tutelam.

Carthagine 8. Kal. Junii Synodus habita est, quæ vulgò Sexta numeratur. In eâ cùm prolati essent Nicæni canones, nec repertus qui à Zosimo citatus erat de appellationibus, decretum est ut & Romam & in Orientem Legati mitterentur, qui investigarent authentica Nicæni Concilii. Huic Synodo interfuere S. Augustinus & Alipius, cum Episcopis 217. sed cùm plerosque tæderet diuturnioris moræ, & absentiæ, missione plerisque concessâ; delecti quidam subsistere jussi sunt, ad Legatorum reditum: qui cum aliis revocatis numero 217. iterum confluxere, & Synodum VII. confecere, acceptisque canonibus Nicænis ex Oriente 6. Kal. Decembr. per subdiaconos duos omnia ad Bonifacium misere. Tumque deprehensum est citatum canonem à Zosimo non fuisse Nicæni, sed Sardicensis Concilii; cujus tamen Canones Nicænæ Synodo nonnunquā leguntur contributi. Apiarius autem Presbyter videtur tum fuisse à Legatis Pontificiis absolutus, qui tamen postea sub Cælestino Papâ damnatus est; quia improbi probos præsules non semper fallunt.

Pinianus cum uxore Melaniâ juniore; relictâ in Palæstinâ socru suâ annis degravatâ, Monachos Ægypti invisit, decursisque sanctissimè religiosis hisce locis Hierosolymā redeunt, ubi Pinianus fit Monachus, Melania in monte Oliveti se includit in cellulâ; ambo cœlestibus geniis parem, corpore disjuncti, animo conjunctissimi, in terris vitam exegerunt.

Qui sequitur annus, ad hanc quoque Decadem spectat; sed cum in eo illustris incipiat Epoche; unde alteram hujus Tomi partem ducendam existimavimus, huc quoque rejicietur, & unius anni in hâc decade jactura, ni fallor, hoc non corrumpet opus, maximè cùm ex sequenti decade nullo negotio repeti queat.

*Finis primæ partis Tomi Secundi.*

# PARS ALTERA
# TOMI SECUNDI,
## AB INITIO REGNI FRANCORUM.

*Ad expeditionem primam*

## FRANCORUM IN ORIENTEM,

*SEU*

Ab anno CHRISTI 420. ad 1095.

AUTORE

***PHILIPPO BRIETIO***

ABBAVILLÆO

*Societatis JESU Sacerdote.*

## PARTIS SECUNDÆ

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

ALTERAM *hanc Tomi Secundi partem cum Monarchia Francorum exordimur, Unde enim annorum à Christo pars altera meliùs orietur, quàm ab eo Regno, quod Christus Ecclesiæ suæ propugnaculum statuit, & sub cujus auspiciis ubique terrarum suam florere voluit religionem? Mirum profectò! & quod Baronium firmissimi judicii virum detinuit; cùm ab hæreticis atque Schismaticis laceraretur Ecclesia, pauca in Occidente sana, nihil in Oriente pæne integrum esset, selectam esse gentem à Deo, Idolis addictam, quæ postea Christum sequeretur impensiùs, & supra reliquas gentes veram synceramque religionem profiteretur; cujus beneficentia summi Pontifices non jam animis tantùm, verùm etiam quibusdam in locis, corporibus imperarent, facti non tantùm ut olim cœli Principes, sed quarumdam etiam in terris regionum: cujus liberalitate & fortitudine non jam Orientis Imperatores appellarent dominos suos, sed iis constanter resisterent, eorumque iniqua decreta in medio foro Romano flammis abolere minitarentur. De Regno, ac Regibus Francorum loquor, in quos Pontifices ipsi tot sparsere laudes, ut iis loquentibus, par sit reliquos scriptores conticescere.*

# LIBER V.
## PARS ALTERA,
### *Ab anno Christi* 420. *ad* 430.

## CAPUT III.
### *Decas Tertia.*
*Ab anno Christi* 420. *ad* 430.

MUNDI 4473. CHRISTI. 420.

*Initium regni Francorum.*



FRanci ex variis nationibus Germanicis conflati, Ansivariis, Saliis, aliisque vicinis populis, qui societate armorum initâ jampridem Romanis cœperant esse terribiles, hoc demùm anno Pharamundum Marcomiri filium Regem creaverunt, ut eo duce Gallias, quas spe devoraverant, armis occuparent. Sed cum Rheno fluvio is depulsus esset, ejusque ripam Occidentalem meliùs à Romanis quàm optasset custoditam deprehendisset, commissam sibi gentem bonis legibus temperavit, huicque legem, quam vocant Salicam, dixit, de cujus appellatione tam diversa proponuntur, quàm ipsa Francis utilis fuit; adhuc hodie in usu, & florentissimi etiamnum regni fundamentum.

*Constantius fit Augustus & moritur.* Constantius ab Honorio in Imperii consortium adsciscitur, propter res præclare gestas, & conservatam dignitatem suam. Sed is principatum degustavit tantùm, si hoc anno mortuus est, ut quidam volunt; certè non ultra sequentem annum protulit vitam, Imperio magis quàm sibi necessariam; timendam tamen Theodosio, quem propter imaginem suam Constantinopoli contemptam appetere bello decreverat, Reipublicæ hisce temporibus funestissimo.

*S. Hieronymus moritur.* Moritur hoc anno S. Hieronymus, anno ætatis 91. ut vulgò creditur; quam tamen opinionem Baronius se convulsisse putat, atque ejus tantùm 78. annos confecisse. Dictus est *Catholicorum Magister, & Lumen mundi*; magna nomina, sed adhuc ejus meritis inferiora.

*Nisibis frustra obsessa.* Romani Nisibin obsident: occurrit eis Vararanes Persarum Rex, cum Alamundaro atque Saracenis; sed victi recedere coguntur: Persis tamen benè affectis in Christianos, quod Acacius Amidæ Episcopus, distractis Ecclesiæ vasis, septem millia Persarum captivorum non à servitute modò, sed ex fati faucibus eripuisset: Ita misericordia non Deum modo, sed homines sibi devincit, atque conciliat.

MUNDI 4474. CHRISTI 421.

*Theodosii nuptiæ.* Theodosius Eudociam Atticam, filiam Leontii philosophi, ante Baptismum dictam Athenaidem, liberalibus disciplinis excultissimam, duxit uxorem: quæ tum poëma edidit in mariti laudem, de bello Persico; quas nuptias ajunt à Pulcheriâ, ut in Imperio semper omnia posset, callidè conciliatas, uxore fratri concessâ, tam parum potente, quàm venustâ. Theodosius jura Constantinopolitani Episcopi, artibus Atticis, in Illyricum extendit; reclamantibus semper Romanis Episcopis, donec hi Cæsari obstinatiùs resistere, cognovere toti Ecclesiæ perniciosum.

MUNDI 4475. CHRISTI 422.

Celebris est hic annus natâ Eudoxiâ filiâ Theodosii & Eudociæ; cujus natales magno gaudio in Oriente celebrati: nec minor in Occidente voloptas fuit, cùm Tricennalia celebranti Ravennæ Honorio oblati sunt Maximus & Jovianus, quorum hic promoverat Tyrannidem, ille invaserat; ambo cæsi temeritatis suæ pœnas luerunt. Defensi quoque à Romanis Britanni contra Pictorum & Scotorum excursiones, missa Legione, per quam bis victi Barbari suas sylvas ac paludes repetiere.

Missus quoque ab Honorio adversus Wandalos & Alanos Castinus, adjuncto huic Comite Bonifacio, rei militares scientissimo: sed eum à se, superbo ineptoque imperio Castinus avertit. Ita Bonifacius periculosum & indignum ratus hominem temerarium sequi, se proripuit in Africam. Castinus ergo imprudenter & inconsultè Wandalos aggressus, & deceptus ab auxiliatoribus Gothis, victus fugatusque, ostendit Bonifacium nimis bonum augurem extitisse.

MUNDI 4476. CHRISTI. 423.

Suspicatus est Honorius Placidiam sororem suam cum Barbaris convenire; sive ex vera suspicio fuit, seu de more ab Aulicis conficta Itaque expulsa cum filio Valentiniano & Honoriâ filiâ fugit ad Theodosium, à quo tàm benigne, tam amice susceptа est, ut hoc ei exilium magis quàm amor Honorii profuerit.

8. Kal. Novemb. Bonifacius moritur, cùm sedisset annos quinque, minùs duobus mensibus, post dies novem sufficitur Cœlestinus, & quidem satis pacificè, quamquam Eulalii factio adhuc aliquid posset; sed Imperatoris Honorii metu repressa, quò tantùm inhiberi schismaticorum conatus solent.

Obiit quoque eodem anno Honorius Imperator 18. Kal. Septembris, cùm imperasset ab obitu Theodosii patris annis 28. & fere mensibus septem, vixisset 39. annis & uno mense; vir religione, quam armis major, qua tamen & multos Tyrannos, & infinitos Barbaros debellavit ac sustulit; in suis ducibus felix, quamvis proditoribus & infidis; qui victorias suas, & Reip. commodam administrationem non suis consiliis, sed Deo precibus exorato debuit.

MUNDI

MUNDI CRHISTI.
4477. 424.

Theodosius amitam suam Gallam Placidiam Augustam creat, filium Valentinianum consobrinum suum Cæsarem, cui & sponsam addixit filiam suam Eudoxiam, & copias atque duces, quibus subnixa mulier nomen inane non ferret.

Castinus hujus anni Consul, inimicorum calumniis appetitus, & fortè perduellionis sibi conscius confugere cogitur in Africam ad Bonifacium, cum exercitu Gothorum provinciam defendentem; summo dedecore suo compulsus opem ejus implorare quem contempserat, eique se submittere, quem inferiorem sibi ferre non potuisset.

Bellum Persicum inchoatum est in Vararanem ob transfugas Christianos non redditos, Persis eos repetentibus, iisque oppositus Ardaburius, de se bonus Imperator, sed quem causa meliorem efficiebat. Et verò ei pugnavit Deus, immisso in hostem panico terrore, qui Romanum imminere putans, sese cum armis in Euphratem conjecit, ultimum debellati penitùs exercitus remedium, cujus fluvii vorticibus hausta centum millia nobilem victoriam sine labore Ardaburio reliquerunt.

MUNDI CHRIST.
4478. 425.

Ardaburius, sive Artabures, missus in Occidentem cum copiis ut Ioannem Tyrannum opprimeret, Ravennæ cum multis Barbaris degentem, Salonis urbe Dalmatiæ profectus, & navigans Aquileiam, dispersis navibus suis, Ravennam delatus in manus Ioannis venit, à quo datus est in vincula. Interim filius ejus Aspar non despondit animos, fretusque pietate, patrem exsolvere decrevit; neque verò ei divinum auxilium defuit; huic enim Angelus sub habitu pastoris se viæ ducem obtulit, qui eum & suas copias per stagnum Ravennæ adjacens, aquâ divinitus exsiccatâ, immisit in urbem. Ioannes cæsus, Ardaburii rupta vincula, urbs quæ Tyranno faverat, direpta. Qui nuncius cùm esset ad Theodosium delatus, dum spectaret Circenses, è vestigio populum ad Basilicam ipse deduxit, hìc acturus gratias Deo de bello confecto, quod solus gesserat atque profligarat.

Pugnandum quoque fuit cum Aëtio, qui sexaginta Hunnorum millibus imperabat, magnaque utrimque editâ strage res amicè composita est; videlicet ut Aetius auctus Comitis titulo à Placidiâ reciperetur in gratiam, ipse Hunnos suos auro donatos in patriam suam remitteret. Italiano consilio Dux egregius, Occidenti servatus, hostes atrocissimi eliminati, Valentinianus quod hoc anno accepit à Theodosio Imperium, facilè tueri ac servare potuit.

Scythæ quoque Bilâ duce Orienti, adeoque Constantinopoli minabantur; Theodosius confugit ad preces, quibus exoratus Deus Barbaros cum ducibus suis fulminibus, peste, ignibus de cœlo missis adeò male mulctavit, ut omnes intelligerent Imperatoris pietatem esse Imperio suo, quam arma & exercitus utiliorem.

Denique Theodosius Gymnasium Romanum Constantinopoli sic ordinavit, sic litteras tradi jussit, ut neque Magistrorum copiam & eruditionem Scholastici, nec Magistri præmia honoremque desiderarent.

MUNDI CHRISTI,
4479. 426.

Augustinus 6. Kal. Octob. assistentibus sibi duobus Episcopis, Coadjutorem sibi adscivit atque successorem Eradium Presbyterum, quem cæteris prælatum esse à tanto viro, laus est nunquam satis prædicanda.

Patroclo Episcopo Arelatensi cæso successit S. Honoratus Abbas & fundator Monasterii Lerinensis, ex Senatoria & Consulari familiâ natus. Hic à S. Caprasio sene conversus ad Deum, consilio Leontii Forojuliensis Episcopi Lerinam insulam incolendam suscepit, fugatis ex eâ adventu suo serpentibus, ut deinceps à viris sanctissimis incoleretur; tantum disjunctus ab antecessore, quantùm sanctus à scelerato distat. *S. Honoratus Arelatensis.*

Gundericus Wandalorum Rex captâ Hispali, cùm neque Ecclesiæ pepercisset, à Dæmone, cujus furore se agitari siverat, correptus, miserando exitu periit. Succcessit ei frater Gaisericus (dictus aliter Gensericus) de Catholico, ut creditur, factus Arianus; & vero in Catholicos crudelitas eum desertorem veræ religionis fuisse nimium arguit. *Gensericus regnat.*

MUNDI CHRISTI
4480. 427.

In Bonifacium Comitem degentem in Africâ cum exercitu, quod Wandalorum Regis affinem duxisset uxorem, decernitur bellum à Placidiâ; autore hujus expeditionis vel Felice, vel Aëtio. Tribus tum ducibus commissa est. Mavortio, Galbioni, & Sinori: sed cum hic duos alios sustulisset, ipseque à Bonifacio cæsus esset, uni Sigisnulto Comiti cum majoribus copiis mandatum est bellum. Huic impar Bonifacius ad Wandalos transfretat ex desperatione, eis Africam expilandam objicit, parte ejus sibi reservatâ, duabus aliis inter Wandalos, & Alanos auxiliatores, distributis. Eò videlicet recidit ejus virtus à S. Augustino laudata, à qua tamen jam defecerat, ab eodem sancto admonitus, neque repentè factus sceleratissimus. *Bonifacius rebellat.*

Gensericus ergo Hernigario Rege priùs victo ad Emeritam, transit in Mauritaniam cum suis Wandalis, deterrimis omnium Arianis, in Catholicorum perniciem jam in Hispaniâ conjuratis. Hic omnia depopulatus, nec ipsis pepercit arboribus; videlicet ne cultoribus Afris latentibus auxilio essent: obvii quique internecione deleti; adeout non homines, sed Dæmones immissos in se Afri meritò quererentur. *Gensericus in Africam trajicit.*

MUNDI CHRISTI.
4481. 428.

In Gisonnii Constantinopolitani demortui locum, rejectis Philippo & Proclo per Theodosium, suffectus est Nestorius Monachus Antiochenus, linguâ potens, quâ nemo digniùs Episcopa- *Nestorius præficitur sedi Constantinop.*

ſcopatum accepit, nemo turpiùs depoſuit. Ejus operâ S. Chryſoſtomus inter Sanctos coli cœpit, exagitati Hæretici atque ſcelerati: nova in hanc urbem inducta Chriſtianitatis facies, ut poſtea atrociùs fœdaretur.

*Franci repulſi ab Aetio.* Tum Aëtius Dux Romanorum Francos Gallicam Rheni ripam incolentes fortiter in ſuam Germaniam repulit; magnaquè affecit clade; quâ victoriâ adeo bene mereri eſt de Imperio viſus, ut ei proditio à Piacidia condonaretur, & ad difficilia Reip. tempora reſervandus judicaretur Imperator.

*Bonifacius victus à Wandalis.* Tum enim amici Bonifacii expoſuere Placidiæ in eum Aëtii inſidias; quibus permota illi reconciliata eſt, atque iterum Africa demandata. Hic ſtatim Wandalos in ſuam remittere Hiſpaniam conatus eſt, & recuſantes abire invaſit bello: ſed ab iis ſuperatus eſt; & incluſus Hippone, oſtendit proditores, in malis, quàm in bonis conſiliis eſſe feliciores.

*Pharamundo ſuccedit Clodio.* Pharamundus Francorum Rex mortuus eſt cùm novem circiter annis regnaſſet; ſucceſſit ei filius vel affinis Clodio, vel Cloio, qui transgreſſus in Gallias, earum partem occupavit, & apud Tungros ſedem defixit, intentus ad extendendam ditionem ſuam, quàm ſibi à fatis debitam arbitrabatur: Sed quod fortitudine pepererat, incuriâ Francicâ, & primis etiam Francis innatâ, perdidit.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4482. | 429. |

*Aetius magiſter militum.* Felice ad Patriciam dignitatem promoto, Aëtius ejus loco creatus eſt Magiſter militum, cui victoria de Francis non tantùm veniam, ſed & hanc dignitatem impetravit, dignum Franciæ fortitudinis argumentum.

*S. Genovefa initia.* Dum pergunt in Angliam ex Galliâ Germanus Antiſiodorenſis & Lupus Trecenſis, Sancti præſules, in S. Genovefam incidêre, nobilem illam virginem, quam oblato nummo cruce ſignato S. Germanus deſponſavit Deo; atque hæ nuptiæ magis quàm Reginarum fuere Pariſinis ſalutares.

*Neſtorius hæreticus.* Neſtorius qui antea ſe verum Antiſtitem præbuerat, jam honoris ſui gradúſque certus, mutatus eſt in Lupum. Is enim ſive ex Ebionæis, vel ex Paulo Samoſateno, vel Photino errorem ſuum mutuatus, in Beatam Virginem inſurrexit, quam non eſſe θεοτόκον *Deiparam*, ſed θεότοκον *à Deo genitam* dixit: unius apicis mutatione malus Grammaticus, & turpior hæreticus effectus.

*Cyrillus reſiſtit Neſtorio.* Hanc autem diſſeminare cœpit hæreſin datis ad Monachos Ægypti litteris, quibus ſtatim obſtitit Cyrillus, ad eum humaniter reſcribens: at ille reſpondit hæretico faſtu, demiſſiùs quidem egit cum Cœleſtino, quem ad ſuas partes trahere conabatur; at is prudentior, Cyrillo hoc negotium mandavit, quo nec meliorem, nec fortiorem Vicarium potuit invenire.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4483. | 430. |

Obſidebatur tum Hippo Regius à Wandalis & Alanis, atque in ejus mœnibus incluſus Bonifacius. Omnes enim urbes Africæ, præter hanc, Cirtham, atque Carthaginem, jam is erant Wandalici. Tertio demum obſidionis menſe S. Auguſtinus ex febribus, magno cum ſenſu pietatis obiit, licèt priùs ægrotum, manuum impoſitione, ſanaſſet: vixit annis 76. ſedit Epiſcopus 36. ut ſcribit Poſidius Epiſcopus Calamenſis, qui tum Vandalorum metu in hanc urbem confugerat. Recolitur ejus mortis memoria 5. Kal. Sept. Scripta ejus, mirabiliter ſervata, Hippone flammis abſumpto, impugnata à multis; ſic probata ab omnibus, ut de Gratiâ Catholicorum arbiter videatur; vir prope ad miraculum ingenioſus, & cui parem vix unum antiquitas vidit. *M... A... ni.*

Cœleſtinus hoc anno receptis Cyrilli litteris de Neſtorio, ſuas ei vices demandavit. Hic coactâ Synodo, quatuor Legatos Conſtantinopolin miſit, cum Fidei confeſſione & 12. Anathematiſmis hæreſis Neſtorii, oblato ei decem dierum ſpatio ut reſipiſceret. Sed hæc contempſit homo ſuperbiſſimus, & in Cyrillum commovit Theodoſium, nullis fraudibus, nullis artificiis parcens, ut tantum virum ſibi adverſantem opprimeret; & ſe hæreticum non doctrinâ tantùm, ſed & moribus profiteretur.

---

## CAP. IV.

## *Decas Quarta.*

*Ab anno Chriſti 430. ad 440.*

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 4484. | 431. |

Celebrata eſt hoc anno Chriſti, tertia ordine Oecumenico

SYNODUS EPHESINA.

CONTRA Neſtorium, præſidente huic Cyrillo, nomine Cœleſtini Pontificis, adiectis Legatis tribus, Arcadio ac Projecto Epiſcopis, & Philippo Presbytero; Epiſcopi in eâ numerati ſunt ſupra ducentos. Irenæus quoque Comes & Candidianus Comes Domeſticorum Neſtorianus miſſi ſunt ab Imperatore, tantùm ut turbas impedirent. Diebus 15. expectatus Ioannes Antiochenus, Neſtorii fautor, moras de induſtriâ nectebat, cùm non adeſſet, inchoatur Concilium x Kal. Iulias; citatuſque Neſtorius, cùm ſuperbè, immo & crudeliter venire recuſaſſet, anathemate perculſus, & ſpoliatus eſt Epiſcopatu. Poſt dies quinque, hoc eſt 5. Kal. Iulias adfuit Ioannes Antiochenus cum ſuis Epiſcopis, quorum præcipui Theodoretus & Paulus Emiſſenus. Hi ſtatim in diverſorio cum quibuſdam aliis Neſtorianis erronibus, ferè jam depoſitis, Cyrillum, & Memnonem Epheſinum damnant, omniaque Concilii acta reſcindunt. Comites porrò interceptis retentiſque Catholicorum litteris, Heterodoxorum Epiſtolas mittunt, & ea ſcribunt quæ Neſtorii cauſam fulcirent, Cyrilli labefactarent:

rent: quare Memnon, Cyrillus, Nestorius in custodiam dati, Imperator in sequiores partes abripi videbatur. Tum Nestoriani, ut plures haberent sectatores, approbarunt Pelagii dogma, sicque sibi Pelagianos omnes adjunxerunt. Aliunde Ioannes vocatus ad Synodum venire recusavit, etiam missis Episcopis ad eum procaciter insultans; quare cum suis sectariis 35. nominatim præscisus est ab Ecclesiâ. Interea Juvenalis in his turbis impetrare conatus est ut Hierosolyma Palæstinæ præesset, antea etiam ex Nicæno Concilio subdita Cæsareæ; restitit tamen constanter Cyrillus, & malis pressus licet, non est passus aliquid decerni quod iniquum videretur. Tandem Patres Ephesini videntes se à Comitibus esse delusos, litteras suas ad Theodosium nequaquam pervenisse; fidum hominem habitu peregrini, inclusis in arundine litteris, clam mittunt Constantinopolin. Hic adnitentibus Monachis, & maximè S. Dalmatio, Imperatorem dedocuit: quem & confirmavit Pulcheria Augusta. Itaque depositus Nestorius, in ejus locum substitutus Maximianus, data Ioanni Antiocheno mora ut resipisceret, Catholica fides & Beatissima Virgo de Nestorio gloriosum triumphum reportarunt. Hujus monimentum fuit Ecclesia in Blachernis extructa sumptibus Placidiæ, ut virgo Virgini nequaquam defuisse diceretur.

Aspardus Theodosii, junctis cum Bonifacio Comite copiis, in Africâ Gensericum ac Wandalos invasit: sed omnino deletus Romanorum exercitus, Aspar Constantinopolin, Bonifacius Romam fugere compulsi, tota Africa Wandalis hujus victoriæ præmium fuit, Bonifacius autem, Romæ magister militum dictus, obsistentem sibi expertus est Aëtium, quem vel acie, vel singulari certamine vicit; ac fugere compulit in Pannoniam; paulo post tamen vel ex morbo, vel ex vulnere ab Aëtio accepto, mortuus est Bonifacius, ac moriens mandavit uxori suæ, ne alteri quàm Aëtio nuberet. Aëtius autem suis Hunnis, ad quos refugerat, fretus, visus hoc tempore necessarius, recuperavit dignitatem suam, quâ se mox non indignum demonstravit.

Enimverò Clodionem cum suis Francis nuptias incautiùs ac securiùs celebrantem oppressit; ac benè usus victoriâ sic fugientes afflixit, ut regredi ultra Rhenum cogerentur: quem insuper ita communivit, ut regredienti voluntatem Francis eriperet, & suâ se cogeret Germaniâ tantisper continere, ne gens tota deleretur.

Hoc tempore Nonnus Episcopus Edessenus meretricem Antiochenam, ab ornatu suo Margaritam dictam, ex libidinis cœno retraxit, ac Pelagiam vocavit, pœnitentiâ suâ quàm malis suis moribus celebratiorem.

Moritur denique hoc anno sanctus Paulinus Nolanus Episcopus x. Kal. Julias, ætatis 78. adeo laudatus à SS. Patribus, cujus nobile factum nunquam tacebitur; cum datis omnibus bonis suis ut captivos redimeret, se quoque Wandalis vendidit, ut viduæ filium recuperaret, & factus olitor apud Regis Barbari fratrem, ex prophetico spiritu suo atque virtute detectus, Nolam cum multis captivis est honorificè remissus. Sed quis ille fuerit Rex Wandalorum tam incertum est, quàm certa tanti præsulis virtus, & charitas fuit.

MUNDI 4485. CHRISTI. 432.

Cœlestinus Papa 8. Id. Aprilis obiit, Sedis suæ anno 8. cum mensibus 5. & tribus diebus, adeò invisus Novatoribus, ut eum *Infernalem* vocaverint; pejus etiam tractatus à Laurentio Valla, qui hunc cum Cœlestio hæretico confudit, & fecit Pelagianum, supina prorsus, neque mirandâ satis ignorantiâ. Huic successit Sixtus tertius post dies viginti, à quo est superioris anni Synodus confirmata; revocatus amicè, quamquam sine fructu, Nestorius; feliciùs Ioannes Antiochenus hoc anno sanæ menti atque Ecclesiæ redditus est. *Cælestino succedit Sixtus III.*

Tum enim Theodosius consilio usus Maximiani Episcopi sui, Acacii Beræensis senio degravati & Simeonis Stylitæ Orbis tum miraculi, & dum viveret in sanctorum numerum prope relati operâ, Ioannem Antiochenum, convocatâ ex Syriæ Episcopis Synodo, cum S. Cyrillo reconciliavit. Itaque misit Alexandriam Paulum Emisenum Episcopum, qui frustra obtinere conatus est à Cyrillo ut suos in Nestorium damnaret anathematismos; quare omnibus ex arbitrio Cyrilli perfectis, Paulus concionem habuit in quâ S. Virginem *Deiparam* dixit; admisitque in Christo duas naturas: ideo exceptus magnis acclamationibus ab Alexandrinis; quæ in Cyrilli summam gloriam redundarunt. *Cyrillus Victor & B. Virg.*

Nestorius jussus est vivere in monasterio S. Euprepii Antiochiæ, spatio huic ad pœnitentiam dato; sed quæ fere nunquam ab æthereseos parentibus debet expectari. *Nestorii pœnitentia frustra expectatur.*

Ejus porrò fautores multa impiè & scelaratè in Theodosium & Pulcheriam deblaterarunt, atque inter cætera horrendam calumniam procuderunt; ideò damnatum Nestorium, quod incœstos utriusque concubitus arguisset, quâ tetriorem Dæmon ipse vix potuisset excogitare.

MUNDI 4486. CHRISTI. 433.

S. Britius Turonensis Episcopus adulterii accusatus, quamquam duobus insignibus miraculis se probasset innocentem, à suis civibus pulsus, à Sixto Pontifice restitutus est, ejusque castitas cœli ac terræ testimoniis confirmata. *S. Britius ejectus.*

S. Ioanni Ravennati Episcopo, monitu S. Apollinaris, datus est successor Petrus Diaconus Forocorneliensis, qui ob Eloquentiam Chrysologus audiit, à Sixto summo Pontifice præpositus tunc nobili sedi, quam non Imperatorum, sed summorum Pontificum privilegia multùm extulerunt. *S. Petrus Chrysolog.*

Scribebat tum Prosper contra Collatorem, id est Cassianum, ejusque libros, alioquin utiles bonis moribus, sed quibusdam erroribus asper- *Prosper in Collatorem scribit.*

persos; quos cum emendare conati sint viri sancti, atque eruditi, certum est olim vitiosos extitisse: de fide autem ejus non audebis ambigere, si apologiam, pro eo nuper elaboratam eruditè, perlegeris.

*Sixtus accusatus absolvitur.* Celebrata hoc anno Romæ Synodus quinquaginta sex Episcoporum in causa Sixti Pontificis, qui hanc sponte adiit ut purgaret se de stupro sacræ virgini illato, quod ei Anicius Bassus exconsul, & Marinianus Patricius falsò impingebant. Declaratus est innocens coram Valentiniano Imperatore. Ejus calumniatores proscripti, bonis eorum Ecclesiæ adjudicatis, pœnas quas viro sanctissimo paraverant, omnibus bonis exultantibus, subierunt.

MUNDI 4487. CHRISTI 434.

*Honoria turpitudo.* Honoria soror Valentiani ab Eugenio procuratore suo constuprata, palatio ejecta est tanquam ejus carcinoma, & transmissa ad Theodosium, ubi Hunnos & Attilam contra Occidentale Imperium concitavit, impia simul & turpis; quæ ferè cognata sunt crimina.

*Volusiani conversio.* Melania Junior, hoc anno Volusianum patruum suum paganum obstinatum, nec victum ab ipso S. Augustino, ab eo evocata Hierosolymis Constantinopolim, ubi legatum agebat, convertit ad Christum: hic baptizatus à Proclo, Christique corpore uti viatico munitus, discessit ex morbo. Nec huic tantùm, sed & Eudociæ Augustæ, & multis Nestorianis Melania profuit, adeo eam pietas virtusque consummata venerabilem atque potentem effecerant.

*Vincentius Lirinensis.* Vincentius Lirinensis Presbyter & Monachus scribebat hoc anno libellum suum egregium contua omnes hæreticos, laudatum à viris magnis. Putat Baronius hunc Vincentium esse, tempore S.Martini Galliarum præfectum, à Severo Sulpitio mirifice laudatum; nec quod obsistat tanti viri conjecturæ, nobis occurrit.

MUNDI 4488. EHRISTI. 435.

*Pax cum Wandali. & Burgundionibus.* Pax facta hoc anno cum Wandalis in Africâ, datâ eis Hippone cum parte regionis, & ad triennium. Data quoque Guadicario, Burgundionum regi, Galliæ pars ab Aëtio, à quo victus, licèt in Galliis, obtinuit pacem & regionem quam perdere debuerat: sed utrâque din potitus non est, ab Hunnis mox cum suo populo deletus, & attritus à Romanis, ut faciliùs à Barbaris conficeretur.

*S. Germani obitus.* S. Germanus pro Armoricis, quos Aëtius deficientes Alemannis diripiendos objecerat, legationem suscepit, & auctoritate suâ Barbaros repressit; sed novam suscipiens ad Valentinianum pro iisdem legationem, multis editis miraculis in itinere, admonitus de morte suâ, blandè quievit in Domino, ab Imperatrice Placidia, & Episcopis, reliquiarum sacrarum direptione, inter sanctos adscriptus.

*Cod. Theodos.* Coss. Theodosio XV. & Valentiniano IV. 15. Kal. Mart. Codex Theodosianus promulgatus est; cujus placita sub Justiniano Imperatore meliori ordine digesta, magno fori & judiciorum commodo postea prodierunt.

MUNDI 4489. CHRISTI 436.

*Na[...] lib[...]* Gothi Theodorico duce Narbonam obsident, quæ cum obsidione & fame laboraret, Litorius Comes invexit in eam cibaria, & Gothos obsidionem solvere compulit. Tribuunt alii id Aëtio, à quo cæsa viginti Burgundionum millia volunt. Certè tum appellatus est Aëtius utriusque militiæ Patricius, Imperii defensor & vindex meritò nuncupandus.

*N[...] ex[...]* Nestorius diu expectatus ad pœnitentiam, hoc anno tandem jussu Theodosii in Oasin, teterrimi exilii locum, deportatus est, in locum Petras dictum: indeque in fines Thebaidis translatus, vermibus exesa linguâ totoque corpore computrescente, miserabiliter interiit; ut quàm turpiter dixisset & vixisset posteritas omnis intelligeret, & Deum sæpe illatas injurias matri atrociùs castigare, quàm suas.

*I[...] n[...]* Joannes Antiochenus cùm annis XIII. sedisset, locum suum Domno reliquit, sororis filio, & S. Euthymii desertori monacho. Infamatus est autem Joannes ob Ephesinum Concilium, & Nestorii partes animosius, quàm bonum præsulem decebat, propugnatas; tantum meritus laudis; quantùm qui non diutiùs insaniunt.

MUNDI 4490. CHRISTI. 437.

Valentinianus Augustus Constantinopolin profectus ad Theodosium, ejus filiam, Eudoxiam Liciniam cognomento, ducit uxorem, ac repetens Italiam Thessalonicæ hyemavit, annoque sequenti Ravennam venit. De harum nuptiarum die, vel loco, discrepant autores; de re omnes conveniunt.

Persecutio Wandalica hoc anno Ecclesiam Africanam exagitavit; ac primum Episcopos Arianam hæresim detestantes plerosque civitatibus Gensericus expulit. Primi occurrerunt Arcadius, Probus, Paschasius, Eutychius huic clarissimi, ac fidelissimi, qui bonis, exilio, cruciatibus tentati, mox gloriosè occubuerunt, ne fierent Ariani. Paulillus puer elegantissimus, ingeniosissimus fustibus atrociter cæsus, ad turpem servitutem reservatus est. Hæ primitiæ acerbissimæ persecutionis fuerunt, quæ atrocissima fuit; ut solent esse in Catholicos Hæretici, quàm Ethnici in Christianos crudeliores.

MUNDI 4491. CHRISTI 438.

S. Chrysostomi reliquiæ hoc anno Constantinopolin translatæ; quæ loco moveri non potuerant, nisi Epistolâ Theodosii mortui Joannis pectori

pectori addita, quâ parentibus suis ab eo venial deprecabatur. Corpus quoque impositum Imperatoriæ triremi coortâ tempestate ab aliis navibus separatæ, ad agrum hujus viduæ appulit; cujus causâ Eudoxiæ inimicitias incurrerat. Ferunt & Eudoxiæ tumulum semper irrequietum fuisse & agitatum, donec Ioannis corpus receptum est urbe & Ecclesia sua: uno vero nullus triumphus hâc funebri pompâ illustrior & magnificentior fuit.

Eudocia uxor Theodosii, ex voto, aut aliâ de causâ profecta est Hierosolymam, ubi multas ædificavit Lauras monachorum, urbis muros refecit, multaque religiosè perfecit, ex consilio S. Melaniæ, à quâ etiam mirabiliter sanata fuit, atque plus fœminæ sanctissimæ convictus, quam sancta peregrinatio profuit.

MUNDI 4492. CHRISTI. 439.

Rediens Eudoxia Hierosolymis retulit S. Stephani reliquias, & catenas, quibus Petrus fuerat vinctus Hierosolymis: quarum unam retinuit Constantinopoli, alteram misit Romam ad filiam Eudoxiam. Hæc oblata catenæ, quâ vinctus fuerat Petrus in carcere Mamertino, sic cum ea conjuncta est ut unius artificis manu facta atque conjuncta videretur; unde condita Basilica titulo Eudoxiæ, seu S. Petri ad vincula; cujus miraculi dies etiam in Ecclesia Kal. Augusti sanctè recolitur, multis aliis deinceps miraculis cohonestandus.

Cum Gothis infeliciter hoc anno pugnatum; torius eos aggressus victus, & captus est cum magnâ Romanorum clade. Salvianus tradit Gothos pacem enixè postulasse, nec impetrasse; Ideoque Theodoricum, ad diem usque præi, in cilicio ad Deum fudisse preces. Tandem Aëtius misso Avito, qui postea Cæsar fuit, pacem ægrè impetravit; cum Gothi magna, Romani nihil sperarent.

Gensericus 14. Kal Novemb. nihil sibi ab eo metuentem Carthaginem capit, cives omnes bonis exhaurit, adhibitis quæstionibus: In Sacerdote potissimum sævit, & in Ecclesias, quas in usus prophanos convertit; denique adeo atrociter debacchatus est, ut non Christianus modò, sed & homo desiisse videretur.

MUNDI 4493. CHRISTI. 440.

5. Kalendas Aprilis obiit Sixtus III. cùm sedisset annos 8. minus triginta diebus; cujus nomine editi sunt libri à Pelagianis, scatentes erroribus. Fuit enim Sixtis fatale, ut iis libri supponerentur. Cùm autem Romana sedes vacasset 40. diebus & ampliùs; tandem 6. Idus Martias Leo Diaconus absens electus est: paci enim conciliandæ inter Aëtium & Albinum, Romanos duces, vacabat: magnâ itaque omnium patientiâ expectatus, & legatione etiam publicâ accitus, tandem Romanus Pontifex sedit; & tantu speratum esse, ac tot votis, moleste tulit Romanorum nemo, cùm omni expectatione majorem Antistitem agnoverunt.

Gensericus cum magnâ classe transit in Siciliam, eamque graviter vexat. Sed accepto nuncio de Sebastiani ducis adventu in Africam, rediit Carthaginem, eam tutaturus. Sebastianus autem Wandalorum magis amicus esse, quam hostis voluit; quod ei necis causa fuit. Veritus enim hominis fortitudinem & sapientiam Wandalus, eum ad Arianam sectam trahere conatus est, ac renuentem interemit. Ita dum mortem in Italiâ & Hispaniâ fugit, invenit, ut piè creditur, in Africâ pro Christo gloriosiorem; quam Idacius differt ad annum Christi 449.

*Sicula Clades à Vandalis.*

*Sebastiani obitus.*

---

## CAP. V.

## *Decas Quinta.*

*Ab anno Christi* 440. *ad* 450.

MUNDI 4494. CHRISTI. 441

Consulatum hoc anno gessit unus Cyrus Panopolites, egregius Poëta, ideoque Eudociæ charus, cui & Præfecturam prætorii; & Urbis, & hanc dignitatem ac Patriciatum obtinuit: sed tum elatus, ut postea graviùs rueret.

*Cyrus Consul.*

Theodosius hoc anno Wandalos ejicere conatus est ex Africâ, missis eò tribus ducibus cum ingenti classe. Sed dum hi cunctantur, & omnia accuratiùs quàm generosiùs suscipiunt, re infectâ redire compulsi, nihil præter ignominiam, & Principis sui malevolentiam retulêre.

*Bellum in Africa infelix.*

Tum quoque Oriens simul & Occidens Barbarorum populationes potiùs quàm bella sensere. Persæ enim, Saraceni, Zani, Isauri, magnas egere prædas, nec nisi factâ pace repressi. In Illyrico aliqua oppida ab Hunnis excisa, aliquot provinciæ vastatæ. Asturius tamen utriusque militiæ dux in Hispaniâ Tarraconensi cæsis Bacaudis, seu rusticis rebellibus, plus sibi gloriæ, quàm utilitatis Imperio peperit.

*Populationes Imperii Romani.*

MUNDI 4495. CHRISTI. 442.

Revocatis à Theodosio ex Siciliâ copiis, quæ Orientem defenderent, Valentinianus cum Genserico pacem iniit, servatis aliquot provinciis desolatis, & limitibus quibusdam inter Wandalos Romanosque constitutis; cùm tamen illi omnia possent in Africâ; hi nomine veriùs, quàm re imperarent.

*Pax Rom. cum Wandalis.*

Statim autem Gensericum domestici tumultus exagitarunt, eum enim ex rebus gestis superbientem deprimere, aut tollere tentarunt optimates, quorum fortitudine & copiis tam præclara gesserat; sed conspiratione patefactâ, plerique interfecti sunt: non pauci inter cruciatus, nimiùm potuisse Regem suum doluerunt.

*Conspiratio in Gensericum.*

Bleda

*Fœdâ pax cum Hunnis.*

Bleda & Attila fratres cum Hunnorum exercitu Thraciam fœdâ populatione vexarunt; nec data Theodosio quies, nisi persolutis sex auri librarum millibus, & insuper promissis in annos singulos, tributi nomine, mille libris quod emere pacem veriùs, quàm facere meritò dixeris.

MUNDI 4496. CHRISTI 443.

*S. Leo Manichæos vexat.*

Tum ex aliis regionibus confluentes Romam à S. Leone detecti sunt Manichæi: cujus exemplum valuit plurimùm ad r. l. quos Orbis Antistites adversus illiusmodi pestes armandos; ut quemadmodum à capite, sic etiam à reliquis Ecclesiæ membris expellerentur.

*Theodoretus suspectus hæreseos.*

Theodoretus versabatur id temporis Antiochiæ, ubi frequentes conventus celebrabat: re ad Imperatorem delatâ, adjunctâ suspicione quòd foveret Nestoriana dogmata, cùm aliàs Nestorio fuisset addictissimus, Antiochiâ facessere jussus est à Theodosio, & se urbe suâ Cyro continere. Paruit vir tantus: sed Hæreseos crimen sic à se depulit per epistolas, sicut facere solent Catholici dum veniunt in labis hujus suspicionem, hoc est, illustri veræ fidei professione cum aliquâ indignatione conjunctâ.

MUNDI 4497. CHRISTI 444.

*Attila fratrem cædit.*

Convenerant inter se hactenus Bleda, & Attila fratres, Reges Hunnorum sed ut duorum Imperia non solent esse diuturna, hoc anno Attila fratrem suum interemit, eique subditos populos ad se pertraxit; unde judicatum quàm terribilis futurus esset exteris gentibus, qui ne fraterno quidem sanguini pepercisset.

*Turba in aula Theodosii.*

Hoc anno valde turbata est aula Theodosii; casus cujus pauci meminere. Oblatum fuerat pomum Theodosio exquisitæ magnitudinis, & pulchritudinis, quod statim ad uxorem Eudociam misit; hoc illa dono dedit Paulino Magistro, viro erudito, quicum frequentissime versabatur; Hic nescius unde veniret primò, remisit ad Imperatorem. Theodosius interrogatam Eudociam mendacem deprebendit; quod mendaciam Paulino vitâ stetit, incredibili Eudociæ dolore, quod hujus viri pœnâ, ejus pudicitia in suspicionem vocaretur.

*S. Cyrilli Alexandr. obitus.*

5. Idus Julii abiit ex vivis S. Cyrillus Alexandrinus; cujus tamen memoria apud Latinos 5. Kal. Februarii recolitur: unde ejus sanctitas intelligitur; nam ejus eruditionem scripta testantur; multa quidem, sed longè plura intercidetunt, magno famæ ejus, majoris Ecclesiæ damno. Quòd autem fuisse Carmelita, sicut & Ioannes Antiochenus, à nescio quo scribitur, explodi debet, sicut Epistola à Theodoreto de ejus obitu exarata, ut pote quæ neque tempori, neq; rationi satis concinnant.

*Dioscorus succedit S. Cyrill.*

Cyrillo successit Hypocrita Dioscorus, Origenista, Arianus, homicida, incendiarius, vitâque turpissimus; qui statim S. Cyrilli hæredes exagitavit, multamque pecuniam exegit, quam in pistores, & caupones effudit, meliùs; & æquiùs inopibus distribuendam, quorum patrimonium fuisse videbantur iis, qui omnia resecabant ad vivum, nec Cyrillum volebant in suos fuisse liberalem.

MUNDI 4498. CHRISTI 445.

Hoc anno, quo Prosperi Chroni con finitur Vitus magister utriusque militiæ missus in Hispaniam, meliùs inchoavit, quam terminavit bellum. Tandem enim territus profugit ex commissâ sibi provinciâ, eamque Suevis populandam reliquit, quam ipse prior exercitus sui vanâ concursatione diripuerat.

MUNDI 4499. CHRISTI 446.

Urbem Constantinopolitanam hoc anno fames atrox vexavit, quam statim gravis, de more, subsecuta est lues. Accessit & templi conflagratio, & in circotumultus populi, non nisi multo sanguine restinctus; adeo ut in ejus urbis perniciem cœlum, terra, ipsaque adeo civitas conspirasse videretur.

Picti, hoc est, antiqui Britanni exleges, & Barbari, juncti Scythis, qui se postea dixere Scotos, nonnihil inflexo nomine, Britannis, intra murum degentibus internecinum indixere bellum. Frustra hi suppetias ab Aëtio postulavere, à Barbaris in Gallia distento; provincia igitur locuples direpta, ac cædibus impleta est, quas Gildas sapiens dolentiùs deflere, non satis explicare potuit.

MUNDI 4500. CHRISTI 447.

Mortuus est hoc anno Proclus Episcopus Constantinopolitanus Antistes, vir eruditus, & magnus; cui datus est successot S. Flavianus presbyter, jam initio sui Episcopatus fortis. Cum enim Chrysaphius Eunuchus, Imperatoris cubicularius, ab eo aliquid petiisset benedictionis causâ, misit illi panes puros, atque aurum repetenti, respondit aurum Ecclesiæ esse, atque pauperum; quod semiviri hujusce ministri bilem sic aaendit; ut sanctum virum perdere decreverit, adjutus ab Eudociâ Augustâ; quod & præstitit, cum magno Ecclesiæ, atque Imperii dedecore.

Attila tam atrociter depopulatur Imperium Orientale, ut muri Novæ Romæ visi sint reparandi, ut saltem se munitionibus suis, urbs tanta, tamque populosa tueretur. Hos enim muros disjecerat terribilis ille terræ motus, qui totis sex mensibus tenuit, adeo ut Theodosius ipse cum universo populo sub pellibus in campis habitare cogeretur. Omnibus autem ad Deum per preces aliquando recurrentibus, raptus est è turbâ puer in cœlum, ubi concinnentes audivit Angelos, *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis*, *Sanctus Immortalis*, *miserere nostri*, admonitusque est ut idem hymnus in tertris occineretur; quod cùm factum esset, illicò conquievit terra, statimque expiravit puer; elatusque magnifico funere

nere sepultus est in Ecclesiâ, datum initium *Trisagio*, quod deinceps in Ecclesiâ Orientali, atque Occidentali celeberrimum extitit, & ad Dei furorem placandum, non sine fructu, semper adhibitum.

Chrysaphius efficit apud Theodosium, ut Pulcheria redigeretur in ordinem, & spoliata Augustæ dignitate inter Diaconissas accenseretur. Quod cùm illa subodorata esset, sponte aulâ cessit, seseque recepit in Hebdomum, ut sibi deinceps atque pietati vacaret; magno quidem ejus commodo, sed ingenti Ecclesiæ & Imperii damno, cum illa utrumque autoritate suâ, & pietate fulciret.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4501. | 448. |

Eutyches Archimandrita, qui cæteris fortiùs & animosiùs in Nesturium dimicarat, duas in Christo naturas confudit; ac primò detectus ab Eusebio Dorylei Episcopo, delatus est ad Synodum Constantinopolitanam, tum coactam in causâ Florentii Sardensis Episcopi. Diu tergiversatus venire ad Synodum tandem adfuit, & quid sentiret, subdolè tamen aperuit; ideò damnatus, & Presbyteratu ac Monasterii administratione dejectus est, quamquam à Chrysaphio, quem in Baptismate susceperat, defenderetur, & huic Eudocia Augusta totâ autoritate faveret. Statim eâ de re admonitus est à Flaviano S. Leo, & sapienter, cùm ab ipso Imperatore, curante Chrysaphio, apud eundem Papam susceptum esset Eutychetis patrocinium, omnibus Synodis, nisi Romanus Pontifex obstitisset, prævaliturum.

Ibas Edessenus Episcopus accusatus à quatuor Presbyteris suis, quos excommunicarat, primùm absolutus est Antiochiæ, deinde cum iis reconciliatus Tyri, denique iterum agnitus ut Catholicus, cum suâ Epistolâ ad Marin Persam Beryti: quæ sententia confirmata in Concilio Chalcedonensi, improbata in Synodo magnarum in Ecclesiâ turbarum causa fuit, quòd eâ Epistolâ Theodori Mopsuesteni continerentur laudes, & Cyrilli damnatio antequam cum Ibâ & Ioanne Antiocheno reconciliaretur; quæ quidem ad hominem hæreticum declarandum satis non esse judicata sunt; cùm nondum eâ Epistolâ ad stabiliendum suum dogma Nestoriani abuterentur.

Hoc anno Clodio seu Cloio Rex Francorum cùm XXI. circiter annis regnasset, solium suum reliquit affini, vel filio suo Notho Merovæo, qui primæ Francorum Regum prosapiæ dedit nomen, quia ab ejus regno verè Franci Galliam possedere, & junctâ gente Francicâ cum Gallicâ unum deinceps populum effecere, cui neque Gallorum fortitudo expedita, nec Germanis innatum deesset robur, cœli Gallici temperie ad lautitias & magnificentiam comparata.

| MUNDI | CHRIST. |
|---|---|
| 4502. | 449. |

Operâ Chrysaphii altera de Eutychete habita Synodus Constantinopoli, in quâ tamen licet iniquissimè omnia optata essent, doli veteratoris subdoli patuerunt. Itaque obtinuit Eutyches, eodem adnitente Chrysaphio, ut Synodus Oecumenica Ephesi cogeretur, cui præesset turpissimns Dioscorus. Dicta hæc Ληστρικὴ Σύνοδος seu *Ephesinum Latrocinium*, aut *Prædoforia Synodus*. Ad eam miserat S. Leo Legatos; sed hi pessimè habiti sunt, sicut & omnes orthodoxi Episcopi; Flavianus plagis contusus, & constrictus vinculis, à sceleratissimo Archimandritâ Barsumâ in exilium missus, ubi ex ærumnis mortuus est. Damnati item Eusebius, Ibas, Theodoretus, immo ipse Domnus, omnes in exilium amandati; in quo maximè constantia Theodoreti enituit. Quæ cùm agnovisset Romanus Pontifex, Romæ in Synodo damnavit omnia; cui adjunxit Valentinianus edictum suum, licet Theodosius, quem quasi chamo inutile jumentum ducebat Chrysaphius; huic contrarium edidisset. Ita principes qui ἑταίροις regendos se dedunt, non tantùm multa ineptè atque fanaticè, sed etiam impiè ac scelerate faciunt, & suo & alieno crimine nocentissimi.

*Dioscorus S. Leonem damnat.*

Reversus Alexandriam Dioscorus, vocatis quibusdam sceleratis Episcopis, ac similibus sui, ad Synodum, Leonem Pontificem anathemate perculit, cui ut subscriberent vix invenit decem, eosdemque coactos; tanta erat Romani Præsulis apud scelestissimos Antistites authoritas & reverentia.

*Galla Placidia moritur.*

Mortua tum creditur Galla Placidia, mortua & Marina Arcadii filia; hæc pietate ac castimonia toto Oriente celebris; illa Valentiniano necessaria, quâ sublatâ ipse in deteriora ruit, matris tantùm bonitate & prudentiâ bonus.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 4503. | 450. |

*Cyrus fit Episcop.*

Cyrus Præfectus prætorio, propter acclamationem in Circo, & invidorum artes excidit ex Theodosii gratiâ, quando & mortis metu is confugit ad Ecclesiam, ubi Presbyter factus est, ac deinde creatus Episcopus Smyrneorum, vel Cotyæorum, in ejus benevolentiam pervenit, unde nullus eum mortalium dejicere potuit, factus Deo Optimo Maximo mirificè gratiosus.

*Pulcheria revocatur. pellitur Eudocia.*

Quæ sponte cesserat Aulâ Pulcheria, ubi fratrem suum actum in transversa vidit, ad eum rursus accessit, effecitque quâ valebat prudentiâ, ut in ejus rediret gratiam, quam ipsi Chrysaphius impius eripuerat. Per eam oculos aperuit Theodosius; qui primùm Eudociam uxorem suam graviter increpitam in Hebdomum relegavit; unde ipsa Hierosolymam navigavit, facta ex necessitate pia, atque religiosa.

*Theodosius Iunior moritur, cui succedit Pulcheria cum Marciano.*

Nec ita multò post obiit Theodosius, sive ex morbo, sive lapsus ex equo in venatione, sive in fluvium Album cadens, & abreptus, sequentique nocte mortuus; de genere enim mortis ejus, inter authores non convenit. Constat tamen eum Imperium suum Pulcheriæ sorori reliquisse, eâ tamen lege, ut hæc, licèt virgo quinquagenaria major, & Deo consecrata, Marciano nuberet, qui huic ut S. Iosephus Beatæ

Virgini maritus esset, sicque inter eos matrimonium iniretur, *non permixto sexu, sed mentis affectu*. Hic est porro Marcianus vir religiosissimus, atque fortissimus, qui mirabiliter ereptus morte, ac per omnes militiæ gradus evectus ad summa, dignus judicatus est cui Imperium committeretur cum Pulcheriâ; cujus statim operâ ut Ecclesia, sic Imperium refloruit, revocati Episcopi exules, victus ad Danubium Attila reliquit Orientem, cæsus malorum omnium author Chrysaphius; intellectum denique pietatem ad reparanda regna, unam prope esse necessariam.

*Chrysaphius cæditur.*

## CAP. VI.

## *Decas Sexta.*

### *Ab anno Christi* 450. *ad* 460.

MUNDI 4504. CHRISTI 451.

*Attila diripit Gallias.*

ATTILA, cognominans se Flagellum Dei, cum septingentis hominum millibus ex toto Septentrione coactis, cum plurimis Regulis, in Occidentem copias infudit, ausus etiam Romæ, à Valentiniano Palatium ad habitandum postulare. Erat hic non tantùm fortis Imperator, sed & callidus, animoque ac corpore metuendus. Hæc ergo tempestas primùm in Gallias incubuit; hic omnia sacra prophanaq; permiscuit, incendit urbes, cives aut cecidit, aut abduxit, atque in regno florentissimo magnum desertum effecit. Repressus est tamen à quibusdam sanctis viris, vir nulli mortalium parcere solitus: Quominus enim Trecas perderet, impediit S. Lupus; Parisios, S. Genovefa; Vasate, suus Episcopus; Aurelias, S. Anianus, cujus etiam precibus victus esse idem Attila perhibetur. Dum enim hic Aurelias obsidet, & tantùm non eâ potitur, adfuit cum ingenti Romanorum exercitu Aëtius, qui adjunctis sibi Theodorico Gothorum Rege, cum filio Thorismundo, & Merovæo cum suis Francis, operâ Aviti Præfecti Galliarum obsidionem eum relinquere compulit, & in Belgio ac Catalaunicis campis recedentem assecutus, magnâ utrimque factâ strage delevit, ac fugere compulit. Cæsa tum fuisse perhibentur utrinque centum octoginta millia, inter reliquos Rex Theodoricus. Thorismundus eum invadere iterum decreverat, & patris sui manes ulcisci; sed eum deterruit Aëtius, veritus ne auxiliares sui in Romanos arma converterent, & minorem victoriam certiori antetulit, atque securiori.

*Vincitur in Catalaunicis campis.*

Coss. Marciano Augusto, & Adelphio, præsentibus eodem Marciano & Pulcheriâ Augustis, Magistratibus ac Senatoribus, in Basilicæ S. Euphemiæ Sacrario, & in suburbio Chalcedonensi 8. Idus Octobris, inchoatum est

## CHALCEDONENSE CONCILIUM,

### *Seu Quarta Synodus Oecumenica.*

*CHALCEDONENSE CONCILIUM.*

FInitum Kalend. Novemb. XIII. Sessionibus vel 16. aut 17. Huic interfuere Episcopi, uti vulgò creditur 630. ut scribit Nicephorus 636. ut S. Leo, fermè sexcenti; Legati Pontificii Episcopi duo, ac totidem Presbyteri; ex Heterodoxis Dioscorus Alexandrinus, Juvenalis Hierosolymitanus; venit etiam eò Domnus Antiochenus, in cujus locum Maximus quoque præsens suffectus erat, & Anatolius Constantinopolitanus; jam reconciliatus sancto Leoni. Dioscorus uti reus sedere, Theodoretus judicare jussi. Tum damnata Pseudosynodus Ephesina cum Dioscoro, qui & depositus est; Theodoretus & Ibas absoluti; Nonnus, Ibæ successor, remotus; Maximus servatus Antiochiæ Episcopus, sed qui sponte obtulit Domno unde aleretur; Juvenalis Episcopus factus Metropolitanus trium Palæstinarum; Cæsariensis Episcopus antiquo jure dejectus; Arabia & duæ Phœniciæ Antiocheno Præsuli adjudicatæ; disceptantes duo Ephesini Episcopi, sed conviciis potiùs quàm jure, rejecti sunt, ac tertius sublectus, jussus tamen utrique sufficere, unde victitarent; Nicæa subjecta Nicomediæ ut Primati. Quibus gestis satis pacificè, ob Marcianum præsentem religiosum juxta ac fortem, Synodus soluta est, abiere Legati Romani, & multi Episcopi. Quâ occasione usus Anatolius cum reliquis Episcopis Orientalibus 30. canones edidit, & Constantinopolitanam sedem primam à Romanâ statuit; quæ sunt à S. Leone vehementer improbata, nec aliter recepta hæc Synodus. Data tamen Ecclesiæ pax, quia tam bonis Imperatoribus nullus est ausus impius resistere.

MUNDI 4505. CHRISTI 452.

Acta omnia adversus S. Flavianum jussu Marciani abolita, ejus corpus Constantinopolin relatum magnâ pompâ, ipse inter Martyres relatus. Dioscorus sede suâ pulsus in exilium missus est Gangram Paphlagoniæ, ubi demum miserè periit, majori pœnâ quàm exilii dignior. Successor ei datus est Proterius post multas tergiversationes, unde magnæ turbæ in Ægypto, factique *Ægyptii, Schematici Menophysitæ*, quorum principes Theodosius Alexandrinus & Jacobus Syrus, à quibus *Theodosiani* & *Jacobitæ* nomen erroresque traxere.

Verùm Alexandriæ potissimùm tumultus sæviit; cujus verbis cives frumentum Constantinopolin se nunquam missuros minitati sunt. Sed prudentior Marcianus frumentum deportari jussit Pelusium, & Alexandrini sensere quam Novæ Romæ intentabant famem. Tandem per Proterium placatus Imperator, pacem rebellibus & veniam utcumque dedit.

Neque minor in Palæstinâ perturbatio à Monachis Eutychianis; quorum præcipuus Theodosius Pseudomonachus alter ab Alexandrino. Hic enim cùm Eudociam relictam Theodosii Imp. in suas traxisset partes, eamque Eutychetis hæresi contaminasset, pulso Juvenale Hierosolymitanam sedem invasit, ac viginti mensibus tenuit; cædibus, rapinis, exiliis in fautores

tores Chalcedonensis Concilii immaniter grassatus; qui tandem à Marciano adduci jussus Constantinopolin, fugit in montem Sina, sicque merita suis criminibus supplicia declinavit, minori quod indixit ipse sibi supplicio.

Attila Aquilejam, Ticinum, Mediolanum aliasque postea urbes evertit; cujus metu Venetiæ, urbs postea munificentissima, condita est in paludibus (septem maria vocabant olim) ut eò furor Hunnorum minùs pervaderet. Pergebat quoque Romam, ut eam exscinderet: sed ad Mincium Fl. occurit ei S. Leo, atque eloquentiâ suâ, sed multò magis sanctitate, ulteriùs progredi vetuit, mirantibus suis Ducem hominum Deique contemptorem, unius Antistitis voce repressum esse. Postea idem Attila missis à Marciano auxiliis, victus fuisse dicitur; aut etiam transiisse iterum in Gallias, iterum à Thorismundo rege superatus esse. Qui tamen Gothorum Rex victoriæ suæ fructu caruit, jugulatus à fratribus Theodorico & Frederico neque sibi vicit, sed orbi terrarum, cui Attila hostis fuit.

MUNDI 4506. CHRISTI. 453.

S. Ioannis Baptistæ caput hoc anno inventum est in antro seu σπηλαίῳ cujusdam monachi fugitivi, atque Emesam religiosè translatum. Id oportuit delatum esse furtim Constantinopoli, ubi jam pridem servabatur; quod confirmatur, quia tempore Iustiniani non erat Constantinopoli sacer ille thesaurus; quem profectò accuratiùs investigare non est hujus operis.

Tum obiit S. Pulcheria 3. Idus Sept. relata in sacra Diptycha tam Orientis, quàm Occidentis; quam Ecclesiæ matrem merito dixeris, utpotè quæ duobus Oecumenicis Conciliis laborarit, hæreticos fregerit, bonis suis ac vectigalibus Ecclesias ditarit, atque exornarit, & quâ meliorem fœminam Catholicus orbis vix udeat exoptare.

MUNDI 4507. CHRISTI. 454.

Maximus, ortus ex Maximo Tyranno, ultionem exigere voluit de Valentiniano qui uxorem suam formosissimam, atque castissimam dolo constuprarat; eique per Eunuchos persuadet Aëtium tyrannidem affectare. Id credidit inconsultissimus Imperator; itaque in Palatio manu sua Imperii sui columen & protectorem interemit, una cum Boëtio Præfecto prætorii. Quo facto, ut ei significavit Romanus quidam non imprudens, ipse sibi sinistrâ manu dexteram præscidit.

Hoc anno flagellum Dei confractum est, æsus Attila, vel à muliere quam Aëtius in jus cædem adornarat, vel primâ nuptiarum nocte cùm puellam pulcherrimam duxisset uxorem, vel ex nimiâ crapulâ, vel sanguine x naribus de more defluente suffocatus. Eam certè nocte vidit Marcianus arcum Attilæ fractum, agnovitque mox hoc ὄναρ ἐκ Διὸς ἐστι, ex Deo quædam somnia venire.

Hoc anno sterilitas ingens quibusdam in locis alimento ex aëre quasi manna delapso, & paulò pòst fructibus maturis sponte è terrâ existentibus mirabiliter sublata est. *Fames per orbem.*

MUNDI 4508. CHRISTI 455.

Hoc anno dolo Maximi per Optilam & Transtillam, Aëtii satellites, in Campo Martio trucidatur Valentinianus, natus annos 38. cùm annis triginta & uno imperasset; Princeps vendibilis, nisi eum libido fœdasset, quæ demum ejus mortis causa fuit. Ejus statim invasit locum Maximus, sicut & thalamum, sibi per vim Eudoxiâ desponsatâ. Cujus inter amplexus dum fatetur se causam mortis fuisse Valentiniano, ex ejus amore; illa aliunde vindictæ cupida, sese atrociter ulcisci decrevit. Misit enim ad Gensericum, eumque Romam venire rogavit. Adfuit hic illico cum ingenti classe, Romamque nullo prohibente ingressus diripuit, Maximus à populo lapidatus interiit, & in frusta discerptus. Eudoxia cum Eudociâ & Placidiâ filiabus in Africam deportata; quarum hæc Olybrio Romano nobili, illa Hunnerico filio Genserici locata: opes urbis Romanæ cum multis navibus absorptæ sunt; nulli feliciter cessit hæc expeditio. Sic periit Maximus potitus Imperio tantùm menses duos, & dies aliquot; qui eodem die quo creatus fuerat Imperator, de suo principatu ingemuerat; infelix qui nec sub domino nec dominus esse potuerit. *Valentiniani obitus. Maximus ei succedit & caditur. Roma capta à Genserico.*

Avitus, patriâ Arvernus, Præfectus prætorio Galliarum sub Valentiniano, Magister utriusque militiæ sub Maximo, post dies duodetriginta ab hujus obitu Legatum agens apud Theodoricum, adnitentibus maximè Gothis invitus ac reluctans creatus est Imperator: vir in quo nihil præter fortunam, & meliora tempora defuit. *Avitus Imperator.*

Hoc denique anno, quo magnum dubium de Paschate exortum est, auctoritate S. Leonis & curâ sublatum, Gensericus omnes urbes Africæ spoliavit muris, præter unam Carthaginem; quo facto & amore subditorum, & receptaculis ad subitos casus postea se privatos esse tardiùs indoluere Gothi. *Genserici imprudentia.*

MUNDI 4509. CHRISTI 456.

Meroveus, unde prima Francicorum Regum prosapia, dicta Merovingiorum, hoc anno mortuus regnum suum reliquit filio Hilderico, seu Childerico. Is voluptatis suæ quàm regni sollicitior, & hanc abrumpere, & illud relinquere compulsus est ad tempus, ne eo carere perpetuò cogeretur. *Merovei obitus.*

Theodoricus Regnum Suevorum exscindit in Hispaniâ, Rectiarioeorum Rege primùm victo, deinde in fugâ capto atque cæso. Tum autem Gallæciam & Lusitaniam fœdè depopulatus est: *Childericus exulat.*

dumque Emeritam urbem capere atque evertere parat, S. Eulaliæ ostentis perterrefactus, rediit in Gallias, neque se hujus Sanctæ virtuti parem sapienter judicavit.

*Wandali victi.* Tunc temporis Wandali cum classe sexaginta navium littora omnia vastantes, à Ricimere victi, in portubus tantùm Africæ salutem invenerunt.

*Africana Ecclesia desolata.* Gensericus Catholicos vexat in Africâ, eisque potestatem eripit creandi Episcopos. Clausæ quoque sunt eorum Ecclesiæ Carthagini, ministris & Presbyteris in varia loca relegatis. Certè cum in Zeugitanâ & proconsulari provinciis alias numerarentur centum sexaginta quatuor Episcopi, dum scribebat Victor Uticensis, ad tres duntaxat erant redacti. Ex quibus intelligis quomodo se habebant Africanæ Ecclesiæ greges tot pastoribus destituti, inter tot Lupos Arianos.

MUNDI 4510. CHRISTI 457.

*Marcianus Imp. moritur.* Marcianus cùm imperasset annis 6. mensibus totidem, obiit pridie Kal. Maji, Constantino magno similis, & fortè superior. Cui statim successit Leo Tribunitius, & ipse genere Thrax, annos natus quinquaginta quatuor, cui

*Leo ei succedit.* in cœlum charitas & in Beatam Virginem pietas Imperium peperit. Hujus voluntate Valerius Majorianus Imperator Ravennæ creatur, ne Occidens quo plurimùm indigebat capite careret; & hic victis Francis aliàs, & Alemannis ma-

*Majorianus Imp.* gister militiæ dictus, hâc dignitate visus est Imperii candidatus.

*Avitus deponit Imperium.* Eodem anno abdicavit se Imperio Avitus Placentiæ, in quâ quidam volunt creatum fuisse Episcopum; alii scribunt dum metu Senatus confugit ad suos Arvernos, in itinere obiisse pestilentiâ. Certè non satis fortiter imperasse plerique volunt, & dum voluptates nimium respicit, non satis subditos, merito utrisque caruisse.

*Timotheus Ælurus turbat Ægyptum.* Audita Marciani morte magnæ concitatæ sunt in Ægypto turbæ à Dioscori fautoribus, quorum princeps Timotheus Ælurus, ex Monacho factus Presbyter. Hîc noctu in veste nigrâ circuire solitus Monachorum cellas, dicebat se unum esse ex administratoriis spiritibus, admonebat singulos ne communicarent cum Proterio, Ælurum eligerent Episcopum: quibus permoti boni illi homines magnas tragœdias excitarunt.

*S. Sabæ initia.* Mortuus est tum Hierosolymorum Episcopus Juvenalis; cujus sedes non nisi post annum impleta est. Eodem tempore S. Sabas annorum duodeviginti perrexit ad S. Euthymium, & ab eo sanctitatem hausit quâ totum Orientem illustravit.

MUNDI 4511. CHRISTI 458.

*Ælurus intruditur.* Timotheus Ælurus à suis atque Dioscori fautoribus intruditur in sedem Alexandrinam; ac paulò post eodem adnitente Proterius in ipso Baptisterio, die cœnæ Domini, seu prima τῶν Πασχαλίων ἡμέρα, crudeliter necatur. Ejus corpus per totam urbem tractum, postea divisum membratim, interiora ejus à tumultuantibus degustata. Ælurus creatus, illico in Orthodoxos omnis sexus & conditionis crudeliter desævit, Romanumque Pontificem, Episcopos Constantinopolitanum, & Hierosolymitanum, omnesque Chalcedonensis Concilii sectatores anathemate percellit; quibus gestis ipse cum suis universale Concilium postulat, extremam machinam turbulentorum.

Childericus Francorum Rex ob libidines & importunitatem tam odiosus suis redditur, ut sibi deferendum regnum putaret authore Winomado, vel Guinomado. Ab eo accipit nummi partem, quâ sibi redeundum in Franciam intelligeret. Interim Rex exul pergit ad Bisinum Thuringorum Regem; cujus in locum ab ipsis Francis eligitur Rex Ægidius Romanus Comes, Militiæ magister, in cujus gratiam se Winomadus insinuat, cui & suadet ut in Francos duriùs agat, vectigalibus atterat, resistentes tollat; quem dum inconsultè nimis audit Ægidius, demum intellexit quid inter bonum consultorem & adulatorem intersit.

MUNDI 4512. CHRISTI 459.

Leo Imperator, Proterii nece cognitâ, misso Cæsario jubet iis abscindi linguam qui Proterianæ necis participes fuissent: Timotheum Ælurum Episcoporum judicio reservari. Habita Synodus Constantinopoli, cui Legati Romani Pontificis interfuerunt; in qua Chalcedonensis Synodus confirmata, multaque ad disciplinam Ecclesiasticam stabilita, miseris hisce temporibus admodum necessaria.

Tum celebrata sunt Constantinopoli Encænia nobilis Ecclesiæ Anastasiæ, quam erexerat Marcianus Oeconomus, etiam miraculo nobilitata. Sic dicta est, quod is locus S. Gregorium Nazianzenum hospitem suscepisset, atque inde visa esset fides afflicta resurgere. In hanc tamen S. Anastasiæ martyris reliquias translatas volunt, ne huic Basilicæ causa nominis defuisse videretur.

MUNDI 4513. CHRISTI. 460.

Timotheus Ælurus ejicitur è suâ sede per Ducem Augustalem; permissusque venire Constantinopolin, ut fides Catholicæ professionem ederet, & sic recuperaret sedem. Sed egit S. Leo apud Imperatorem atque Gennadium ut impius parricida penitùs amoveretur, Qui primùm Gangram Cappadociæ, deinde Chersonam missus est in exilium, aut, ut alii scribunt, in Oasin; quod non est simile vero. His gestis, à Clero & Episcopis Ægyptiis electus est Episcopus Timotheus Solofaciolus, cognomento [illegible] λιυκὸς, vir Catholicus & probus, & qualem superiores tumultus flagitabant.

Eudocia, quondam uxor Theodosii, cùm annis sexaginta septem vixisset, atque ex eis

undecim

undecim Hierosolymis traduxisset, dedocta prius errores Eutychii per sanctos Euthymium & Simonem Stylitam, religiosè obiit; semper misericors, etiamcum à fide aliena fuit, ideoque Sanctorum precibus atque adhortationibus ad rectum tramitem revocata; tantum interest cum viris bonis agere, qui & precibus & exemplo etiam improbis prosunt.

## CAP. VII.

### *Decas Septima.*

*Ab anno Christi* 460. *ad* 470.

MUNDI 4514. CHRISTI. 461.

SAnctus Leo, cognomento Magnus, mortuus est 3. Idus Aprilis, cùm sedisset annis ferè uno & viginti; cujus inventum Cubicularii S. Petri, & aliæ præclaræ Sanctiones. Quæ autem circumferuntur de ejus peccatis, ex indignâ manuum impositione, credes si volueris; non, si sapis, quæ jactantur de manu ejus abscissâ atque per B. Virginem restitutâ; quod vigilantis hominis somnium videtur esse. Successit Hilarus, natione Sardus, Legationibus obitis illustris sub Leone, ideoque cognitis Orientalis Ecclesiæ malis remedium adhibiturus.

Majorianus, Imperio dignissimus, apud Dertonam (malè hanc Baronius in Hispaniâ collocat) ad fluvium Hyram interimitur, fraude Severi, operâ Ricimeris Gothi, quem imprudenter Arianum licèt Magistrum militiæ crearat. Imperavit annis 4. Mensibus totidem: Quò sublato Severus invasit Imperium; quod fraude partum, fraude quoque perdidit.

Obiit tum Simeon Stylites, magnum orbis miraculum, longè centenario major, cùm in columnâ supra annos octoginta vixisset, cultus in Oriente, & Occidente etiam dum viveret, prostantibus in domibus omnium ferè Catholicorum ejus imaginibus; magnis & infimis charus, ac cœli terrarumque deliciæ. Successit ei Daniel Stylites, qui ad ostia Ponti columnam extruxit, in quâ Simeonem imitatus vixit, atque ad ejus exemplum à terrâ dissitus corpore, animum cœlo propiùs admovit.

MUNDI 4515. CHRISTI 462.

Tum Constantinopoli Studius quidam in honorem S. Ioan. Baptistæ monasterium condidit, quò transtulit monachos Acœmetas quasi *insomnes*, qui in tres partes distributi, noctes atque dies divinas laudes occinerent; Hujus loci incolæ dicti *Studitæ*, quibus primùm præfuit Marcellus discipulus Alexandri, primi hujus sanctæ consuetudinis Institutoris. Fuit porro Studius ille clarissimus Consul cum Aëtio anno Christi 454. qui Romam veterem reliquerat, & cum suis bonis novam immigrarat, ut eam minùs suis divitiis, quàm virtutibus exornaret.

Prodita est hoc anno Theoderico Regi Narbona per Agrippinum Gallum, Ægidii inimicum, ut Gothorum mereretur auxilia, Ægidius autem in Armoricâ Fretiricum Theodorici fratrem devicit, & interemit, bonis operibus quàm militibus instructior. *Ægydii res gestæ.*

MUNDI 4516. CHRISTI 463.

Leo Imperator Zenonem creat Ducem Orientis, Basiliscum autem, Vesinæ conjugis suæ fratrem, Ducem Thraciæ στρατηγὸν τῆς θρακης. porro Zenonem secutus est Petrus γναφεὺς, seu *Fullo*, ab arte, quam professus erat, qui priùs Ascæmeta, deinde ex monasterio ejectus, quia Eutychianus, postea creatus est Presbyter Ecclesiæ sanctæ Bassæ Chalcedone. Tum autem perrexit in Orientem cum Zenone, cujus in gratiam se insinuarat, junctusque Apollinaristis, Martyrio Episcopo hujus urbis multùm exhibuit negotii, fretus potentiâ Zenonis, à quo fovebatur. Tunc addidit ad Trisagion: *Qui crucifixus est pro nobis*: damnavitque qui non faterentur Deum crucifixum; unde profluxit error Theopaschitarum. Martyrius Constantinopolin venit petiturus auxilium, honorifice receptus à Gennadio; sed rediens Antiochiam, cùm desperaret pacem, his verbis sedi suæ renunciavit: *Clero immorigero, & populo rebelli, & Ecclesiæ contaminatæ renuncio, &c.* Statim hanc sedem Petrus invasit; quod cùm Leo didicisset, invasorem duci in exilium jussit: verum ille fugâ elapsus, debitam suis criminibus pænam, operâ maximè Zenonis, declinavit, Oasi quàm Antiochiâ dignior. *Petri Gnaphei seu Fullonis initia.*

Elisæi ossa hoc anno ex Palæstinâ Alexandriam translata, magnâ pietate recepta sunt, ut quæ olim solo contactu mortuum suscitassent.

MUNDI 4517. CHRISTI 464.

Boogor Rex Alanorum à Ricimere occiditur, & dum hic rebus suis consulit, Romanorum ultus est injurias atque depopulationes. *Ricimer cædit Regem Alanorum.*

Marcellinus Wandalos aggressus in Siciliâ, eos magnâ afficit clade, & relinquere coëgit insulam prædarum suarum olim receptatricem, nunc dedecoris triste monumentum. *Victi Wandali in Sicilia.*

MUNDI 4518. CHRISTI. 465.

Severus hoc anno à Ricimere veneno sublatus est, qui Imperatores è re suâ non publicâ attollebat & tollebat. Eo sublato, unius anni & mensium aliquot interregnum fuit, cùm Ricimer neminem inveniret cui satis fideret; cùm ipse magnis omnibus viris injiceret metum, vicissim omnes metueret. *Severus Imp. tollitur.*

Gensericus validâ classe oras Græciæ atque Italiæ populatur, & Alexandriam usque pervenit, non quærens victoriam, sed prædam, ne- *Genserici populationes.*

que

que uti populos subigeret, sed vexaret, natus ipse in perniciem Orbis Romani.

*Childericus restituitur.* Childericus revocatur à fido sibi Widomaro, atque à Francis tam amicè receptus, quam invidiosè dejectus: ejus enim libidines, Ægidii crudelitas obruerat. Hic victus, expulsusque Suessionas petit, & in hac urbe consistit. Utrum idem Ægidius Gothorum insidiis sublatus sit ambigitur, cùm ab iis interiisse scribatur; sed an hic, an alius cognominis, peritissimus Petavius statvere non audet; & cum hoc viro dubitare meliùs est, quam cum aliis pronunciare.

*Basina uxor Childerici.* Basina uxor B sini Regis Thuringorum, relicto marito venit ad Childericum, cui nupsit; an ab eodem anteà vitiata? aliqui credunt; alii meliùs negant, putantque calamitate suâ redditum esse sapientiorem Childericum, & hospitii cogitationem in hominem miserum aliquid saltem potuisse.

MUNDI 4519. CHRISTI. 466.

*Aruernum obsidetur.* Hoc anno Theodoricus Gothorum Rex cæditur à fratre suo Evarico, qui statim ejus solium occupat. Hic, Hispaniis devastatis, venit in Galliam, & Arvernum hodie Claromontium obsidet; sed grandi miraculo exiguâ manu copias ejus Ecditius Arvernus Aviti Imperatoris filius profligavit. Hujus Ecditii sororem Aviti filiam Papianillam uxorem duxerat Sidonius Apollinaris, his nuptiis nequaquam indignus.

*S. Prosperi obitus.* Mortuus est hoc anno S. Prosper Aquitanus Rhegiensis, Galliâ Narbonensi Episcopus, quem aliqui malè trans Alpes amandant.

*Clodovæus nascitur.* Natus est tum ex Basinâ Clodovæus Francici Regni decus, & ad Ecclesiæ Novæ præsidium ac tutelam electus, ut Cyrus adycteris dignitatem; in hoc Cyro felicior, quòd illius quoque pars fuit.

MUNDI 4520. CHRISTI. 467.

*Anthemius Imperator.* Transactum est inter Leonem Imperatorem, & Ricimerem Patricium Magistrum militiæ, tunc arbitrum ac dominum Imperii Occidentalis ut Græcus Augustus mitteretur Romam cujus filiam Ricimer duceret uxorem. Delectus ergo Anthemius Junior, filius Anthemii Senioris, Procopii nepos, etiam legatione petitus à Senatu Romano. Venit ergo is Romam, cùm hæc gravi peste laboraret, & Lupercalia in eâ celebrarentur, alia gravior pestis; quâ etiam atrociorem secum novus Imperator invexit, Macedonianos hæreticos sibi familiaritate conjunctos, quos agere conventus fortiter impediit Hilarus, Deo quàm Imperatori placere sollicitior.

*Hilarus Papa moritur succedit ei Simplicius.* Obiit hoc anno idem Hilarus 4. Id. Sept. cùm sedisset annos 5. menses fermè decem, postquam Ecclesiam, quam animosè defenderat, multis etiam donariis locupletasset. Successit ei post dies x. Simplicius Tiburtinus, Castini filius; cujus prudentia nomini non respondit

MUNDI 4521. CHRISTI. 468.

Marcellinus patricius Occidentis, vir fortis & paganus, dum Romanis contra Wandalos pugnantibus venit auxiliator, ab iisdem occiditur dolo, pro quibus pugnaturus accesserat; in hostibus invadendis, quàm in amicis propugnandis felicior.

Leo classem ingentem mille & centum navium comparat, & pedestrem exercitum centum millium armatorum: sed his copiis Basiliscum Verrinæ conjugis suæ fratrem imprudenter præfecit. Hic devictis Genserici navibus, belloque sic inchoato ut Wandali ex Africâ exterminandi viderentur, socordiâ suâ junctâ proditioni perfecit ut tantus apparatus iste concideret, perirent copiæ, classis inflammaretur. Hæc porrò facta sunt in gratiam Artaburii & Asparis Arianorum, qui cùm Leonem ad Imperium se putarent promovisse, sibi antepositum Zenonem ferre non poterant. Hæc ergo inter eos inita est proditio, ut Basiliseus fieret Imperator Orientis eorum operâ, (quod fieri non poterat stantibus Leonis rebus) ipse vicissim Arianis faveret, & Genserico Ariano. Eo quidquid fidei si adhibendum hominibus qui in Deum fidem ejurarunt.

Basiliscus ergo Constantinopolin reversus, ubi proditionem suam patere vidit ad Ecclesiam confugit; ubi vitam impetravit precibus Verrinæ sororis suæ Augustæ, & Perinthum ire jussus in exilium; mitiùs quidem, quoniam ab uxorio Imperatore pæne fuerat extortum.

Leo Asparem & Artaburium perdere destinat: quod ut minori cum periculo tumultuque fieret, eos sibi omnibus demeretur modis; Patricium seu Patriciolum, filium Asparis, Ardaburii fratrem, Cæsarem creat, huicque filiam suam despondet. Alii tamen id Ardaburio contigisse volunt. Sed cùm hi Ariani essent, magnus tumultus excitatus est Constantinopoli, postulatusque à Monachis & Clericis, pæne seditiosè, Cæsar Catholicus. Sed has turbas compressere homines quibus fortuna sua Fides esset, facti in speciem Catholici ut dignitatis oblatæ gradu fruerentur.

MUNDI 4522. CHRISTI. 469.

Hoc anno caput Denzicis Hunnorum Regis Attilæ filii delatum Constantinopolin tantùm voluptatis attulit populo, quantùm ejus, patrisque crudelitas olim timoris intulerat.

MUNDI 4523. CHRISTI. 470.

Gennadius Episcopus Constantinopolitanus Danielem Prophetam κατὰ μέρος enarravit: scripsit & Homilias aliquot, & in omnes Pauli Epistolas Commentaria; neque tantùm Ecclesiæ tum, sed etiam secuturis temporibus profuit.

CAP.

## C A P. VIII.

## *Decas Octava,*

### *Ab anno Christi* 470. *ad* 480.

MUNDI CHRISTI
4524. 471.

A Spar Patriciorum primus, cum filio Ardaburio Patricio, & Patrociolo item filio Cæsare, & genero Leonis, spadonum ensibus vulneratus in Palatio periit. Alii volunt fugisse Chalcedonem in Ecclesiam S. Euphemiæ, unde pollicitatione vitæ retracti, & Leonis adhibiti mensæ, per Zenonem interfecti Aspar & Ardaburius, Patrociolus actus in exilium. Ferunt & Ardaburium, viso patris cæsi capite, de eo questum esse quòd rectè monenti filio au-res occlusisset, & sæpe iteranti, *Priùs leonem devoremus, quàm ille nos sibi apponat in prandio*; ex quâ cæde Leo dictus est Μακέλλης, id est, *Interfector*; atque hoc convicio emit sibi atque suis securitatem.

Ariadna filia Leonis, desponsata Patrociolo, nupsit Zenoni Isaurico; quamquam alii longè antea nuptias istas conciliatas velint, neque trium illustrium virorum sanguine firmatas.

Mortuus est hoc anno Gennadius, inter sanctos à Græcis relatus: cui successit Acacius, à quo multi sunt tumultus excitati, ab ipso Dæmone (quem Gennadius fugaverat) eidem ante mortem prænunciati.

MUNDI CHRISTI
4525. 472.

Ricimer hoc anno Anthemium socerum suum enecat. 5. Id. Julii, cùm annis 5. mensibus tribus imperasset. In auxilium Anthemii Ricimerem è Galliis accurrentem idem occidit; sufficit huic Olybrium Placidiæ virum, probatum à Leone Imperatore. Post tres autem menses à nece Anthemii, idem Ricimer ex morbo interiit, summus arbiter Occidentalis Imperii, idemque Augustos creare & exauctorare solitus; Arianus nequam, qui & suis Ecclesiam S. Agathæ inter mœnia Urbis, Pontificibus invitis, vendicavit; violentâ morte perire dignus, qui vitam tot Principibus eripuerat.

Eudoxia, jam annos sexdecim uxor Hunnerici, cui & genuerat Ildericum, relictâ Africâ fugit in loca sancta, ubi & mortua est; in morte, quam in vitâ suâ fortunatior.

Vesuvius mons ignivomus, è suis visceribus tantam cinerum vim effudit, ut per Europam ferè omnem tenebras induxerit Ægyptiacis pares. Constantinopoli 8. Idus Novembris hæc caligo contigit, atque hujus memoria diu in hâc urbe precibus celebrata viguit.

S. Sidonius Apollinaris hoc anno creatus est Arvernorum Episcopus, sic factus verè patriæ suæ pater ac servator; eò dignior hâc sede, quò se eâ magis indignum credidit.

MUNDI CHRISTI
4526. 473.

Olybrius septem mensibus sibi datum servavit Imperium, extinctus morbo; alii tamen, eum occisum volunt: certe Glycerius Ravennæ invasit Imperium, Gundebaldo hortante; quo imperante, Ostrogothi sub Rege Valamiro, ac fratribus ejus Theodemiro & Videmiro, in duas partes secti sunt, occiso Valamiro; una secuta est Videmirum in Italiam, ubi degebat Glycerius; sed hoc defuncto filium patri, cognomi-nem Glycerius, in Gallias remisit ad Visigothos seu Gothos Occidentales, quibus adjuncti Hispanias & Galliarum partem occuparunt. At Theodemirus cum filio Theodorico Illiricum subiit, & Thessalonicam oppugnavit, à quâ muneribus tantùm depulsus est, ac obiit relicto successore Theodorico, cui nihil præter spem magnam reliquit. *Glacerius Imperat.*

MUNDI CHRISTI.
4527. 474.

Genitus est hoc anno Leo Junior, quem statim pater Cæsarem creavit; at is vixit tantùm mensibus decem; at satis, ut in patrem Zenonem transferret Imperium. Hoc enim eodem anno mortuus est ex morbo Leo Imperator, cùm imperasset annos septemdecim, menses sex; meritò bonis Imperatoribus annumerandus, nisi hæreticis favisset propinquis suis; quos cùm eò extulerit, unde multas calamitates in Ecclesiam invexêre, earum causa dici potuit, maximè cùm omnia posset, sicque eorum sceleribus connivere videretur. *Nascitur Leo.* *Moritur Leo Imperator.*

Zeno ergo nomine filii statim occupat Imperium, quod ei filius post aliquot menses totum reliquit, ex vivis elatus. Quo tempore Saraceni Mesopotamiam, Hunni Thraciam vastarunt; ac provinciæ; compilatæ gemebant, dum omnia lætitiis ac cantibus Constantinopoli personarent. *Zeno Imperat.*

In Occidente Glycerius Imperator à Julio Nepote Marcellini quondam Patricii, sororis filio, depositus est in portu Romano, ac factus Episcopus Salonitanus aut Portuensis, paulò pòst obiit feliciter, antequàm moreretur Deo consecratus. Nepos per Epiphanium, Episcopum Ticinensem, pacem obtinet ab Evarico qui Tholosæ fixerat regni sui Sedem, sapienter usus tanti viri sanctitate & eloquentiâ. *Nepos Imperat.*

MUNDI CHRISTI.
4528. 475.

Zeno crudeliter ac libidinosè incipit imperare, subditos suos vectigalibus atterens: nihilominus in pauperes multas eleemosynas effundebat, sed rapinis quæsitas; unde nihil præter vanam gloriam referebat. In eum ergo insurrexit Basiliscus, inductus à Verinâ sorore suâ, socru Zenonis; quorum hic insidiis circumventus cum uxore suâ Ariadnâ confugit in Isauriam patriam suam; ubi cùm ad mortem quæreretur, ignotus latuit, subinde latebras mutans, ac nonnunquam deficiente pane herbis victitans, prout ei fuerat à Daniele Stylitâ prænunciatum. Alii tamen volunt, fugisse in Syriam ad Castrum οὐϐϱα seu οὐϐϱα, quod Cedrenus οὐβάϱα vocat; utrobique tamen miserrimum, vaticinia viri sanctissimi complevisse. *Zeno expellitur.*

Basi-

*Basiliscus Imperator.* Basiliscus ergo acclamatus Imperator cùm Zenonida vel Zenonide, cujus impulsu statim Timotheum Ælurum ab exilio revocavit; cujus, & monachorum operâ ejectus Solofasciolus; Petrum item Fullonem in Acœmetarum cœnobio latentem suæ restituit sedi, ejecto iterum Martyrio. Cumque Acacium adigere conaretur ad damnandam Synodum Chalcedonensem, populus Constantinopolitanus obstitit; ipse nihilominus eam sanctionem edidit cui quinquaginta Episcopi Asiani subscripserunt. Sicque Ecclesia tyrannum experta est Zenone tetriorem.

*Augustulus Imperat.* Orestes à ~~Glycerio~~ Nepote magister militum creatus, exiens Româ, quas acceperat copias in Dominum convertit, veniensque Ravennam, filium suum Augustum, aliter Momylum seu Momylium, creat Imperatorem. Is dictus est Augustulus, vel ex convicio, vel quia jam Augustus dicebatur, & repeti bis eandem vocem durum erat. Nepos in Dalmatiam fugit, vix degustato Imperio; in eo felix quòd non in suis, sed raptoris manibus Romanum Imperium interierit.

*Galliarum administratio.* Tum Gallia in Tetrarchias divisa erat, inter Francos, Gothos, Burgundiones, Romanosque distributa; quorum minimam partem servabant Romani, fermè precario. Tumque Childericus Paulum Comitem Romanum interemit, & cum Odoacro Saxonum duce fœdus iniit; jam mutatus in alium Principem, & cui calamitas & exilium valdè profuerant.

MUNDI 4529. CHRISTI. 476.

*Zeno recipit Imperium.* Basiliscus audiens Zenonem in Isauriâ exercitum collegisse, Catholicum se fingit, & sanctiones contra Concilium Chalcedonense editas contrario edicto abolet, sibi à Populo Cleroque malè metuens. Sed frustra: aderant enim jam in eum Zenonis copiæ, quibus occurrens dux ejus Armatus, vel Armatius, Basilisci ἀντὶ, præfecturæ militaris & Cæsaris dignitate filio promissâ, in Zenonis partes transiit. Quibus auditis fugit in Ecclesiam Basiliscus cum uxore; unde retractus ab Acacio, Zenoni traditus est, missusque in castrum Limnas Cappadociæ, fame contabuit: vel, ut alii tradunt, missus est hyemis tempore cum uxore & filiis in Cappadociam, cum edicto ne ab ullo aut vestibus aut cibariis juvarentur; quare se mutuò complectentes cum multis lacrymis, frigore & inediâ confecti periere: aliique denique in diversorio omnes trucidatos malunt, quamquam impios, commiseratione dignissimos. *Basilisci Mors.* Neque proditio bene cessit Armato: cùm enim filius ejus Cæsar à Zenone dictus esset, statim pater cædi jussus est, filius Clericus attonsus postea feliciùs Cizyci Episcopus est creatus.

*Zeno expellit Hæreticos.* Zeno recepto Imperio Petrum Gnapheum Pythiuntem relegavit, unde tamen postea profugit; Timotheum Ælurum sede suâ exturbandum curavit; qui ratus Zenonem verè Catholicum esse, sibi veneno conscivit necem, ut in se crudelis esset qui in alios tam atrociter desævisset. In locum autem Æluri quidam substituêre Petrum Mogum, quem Zeno non interemit, sed mulctavit exilio; & postea magno Ecclesiæ damno vixisse legitur. Ita Basilisco favisse improbos homines fuit Ecclesiæ salutare.

Fautores Nepotis Odoacrem Herulorum Regem in Italiam accersunt, virum fortissimum, & fortissimis copiis ex ultimo Septentrione coactis stipatum. Hic Orestem sustulit, Augustulum verò exautoratum in castrum Lucullanum relegavit, ut quod inchoarat ab Augusto Romanum Imperium, in Augusto desineret. Sic Imperium devenit in Barbari manus, qui tamen illius rejecit ornamenta, & quamvis Arianus, Ecclesiæ nihil intulit molestiæ, mansitque hæc incolumis inter hæreticos, ubique hoc tempore in Oriente & Occidente victores, Dei tantùm præsidio servata.

Gensericus obiit, Regni sui anno 37. aut 39. vir hominibus exosus & Deo, & cujus aliqua bona opera Deus in hâc vitâ remunerare victoriis voluit, ut in æternum gemeret. Successit ei filius Hunericus, qui sub initium regni Catholicos minùs vexavit, ut solent ferè semper initia etiam malorum Principum esse mitiora.

MUNDI 4530. CRHISTI. 477.

Ingens terræ motus 7. Kal. Octob. Constantinopolin afflixit, quo opera plurima prostrata sunt, ne Zeno superbiret, sed intelligeret esse Deum, qui quam ei reddiderat Urbem posset evertere.

Tum autem Zeno expellebat intrusos à Basilisco Episcopos, depulsos revocabat; Quare in locum Gnaphei substitutus est Stephanus, accusatus à Petri fautoribus Νεςοριανισμοῦ; sed absolutus in Concilio Laodiceno. Anastasius autem Hierosolymitanus cùm sedisset annos undeviginti, locum suum Martyrio Cappadoci reliquit; nova facies in Ecclesiam inducta; non pietate, sed vindictâ hæretici Imperatoris.

MUNDI 4531. CHRISTI. 478.

Timotheus Solofasciolus restituitur in sede Alexandrinâ: Simplicius autem Papa egit apud Zenonem, ut longiùs relegaretur Petrus Mogus, atque deponeretur: quod significatur hisce verbis, *non posse Petro suum ordinem Diaconatus constare*: unde malè aliqui conficiunt, eum Mogum nequidem fuisse Diaconum.

S. Lupus, qui quondam Trecas à furore Attilæ liberarat, eumque uti flagellum Dei piè receperat, hoc anno 4. Kal. Aug. obiit, cùm suæ sedi annos 52. præfuisset, diu sibi aliisque bonus, & utilis.

MUNDI 4532. CHRISTI. 479.

Sabiniarius, Illyricianæ militiæ ductor egregius, Theodoricum Regem in Græciâ debacchantem, ingenio magis quàm fortitudine retudit.

ıdit. Erat is Theodoricus, cognomento Strabus, lius Triarii, & nepos uxoris Asparis, Zenonis nimicus, Basilisci fautor. Tum quoque Marcianus, filius Anthemii Imperatoris, qui duxerat uxorem Leontiam, Verinæ filiam, sororem Ariadnæ, contra Zenonem rebellavit, causatus d se potiùs Imperium pertinere; quòd ejus uxor nata esset ex Leone jam Imperatore; non autem Ariadna. Sed miser malè jus defendit suum. Zenone enim fugato se luxui & hilaritati dedidit; postea illius fraude superatus, & captus ab Acacio, consecratus est Presbyter, & coronam non rophanam, uti speraverat, sed sacram pæne invitus suscepit.

Petrus Fullo fugiens Pythiunte, exilii sui loco, & toleratus Antiochiæ, fautores excitavit nos: illi Stephanum Episcopum acutis calamis onfecêre in Baptisterio S. Balahami Martyris, jusque corpus in Orontem projecêre 7. Kal. Majas. Mortem quidem ejus severissimè ultus st Zeno: sed ne turbæ Antiochiæ concitarenur, Stephanum Juniorem Constantinopoli ontra Canones eligendum curavit; quam electionem probavit Simplicius Ro. Pontifex, eâ onditione ut inde nullum præjudicium posteora tempora caperent. Factum astutè vel pruenter ab Imperatore; sine dubio à Pontifice sapientissimè.

MUNDI 4533. CHRISTI 480.

Terræ motus quadraginta diebus continuis Novam Romam concussit, quando inter cætera, heodosii magni statua ex columnâ decidit; mque horrendus fuit, ut ejus memoria 8. Kal. Octob. quotannis celebraretur; unde cladis ejus ravitas nimis apparet.

Tum quoque Nepos, olim Imperator, exauoratus ab Oreste, in villâ suâ, non procul à alonis, interfectus est à Comitibus suis; eque sacræ infulæ ab ejus cervicibus cædem epulêre.

Illus à percussoribus sauciatus est, arte nobiium fœminarum, in quarum perniciem mala onsilia suggesserat Imperatori. Facinus hoc molestissimè Zeno tulit, eumque Orientis ϛρατηγὸν eavit; quo ad sananda ejus vulnera, & elevanum ignominiam, nullum aptius remedium poit excogitari.

Adnitentibus Zenone & Placidiâ permissum t ab Hunerico Wandalorum Rege ut Clerus arthaginiensis eligeret Episcopum, quem ab nis 24. & ab obitu Deogratias, nullum vident; sed eâ lege ut Ariani Constantinopoli & in riente libere ritus suos obirent. Huic condiıni reclamabat Clerus, sed populus evicit; ectusque Eugenius vir sanctissimus, & charita adhuc in pauperes, quàm suâ dignitate illuior.

Urbs Arvernorum, quæ hactenus tam fortiter varico & Gothis restiterat, ut pax reliquis Gale populis redimeretur, iisdem Gothis dedita . Unde Sidonii magnæ querelæ. Hanc autem bem eximia castimonia conservarat, cujus temonia longiores aliorum annales suggerunt; bis satis est hoc loco eam indicasse; potentis-



simum ad avertendas publicas calamitates amuletum.

Clodovæus, hoc est, Ludovicus primus, annos ferè quindecim natus, Francis, mortuo Childerico patre, præficitur, seligiturque à Deo ut esset præsidium Ecclesiæ suæ, paganus licèt, dum universus Oriens & Occidens sub Principibus Hæreticis gemeret, quia Deo plerumque minùs Ethnicus, quàm Heterodoxus displicet. *Clodovæus regnat.*

Natus est hoc anno S. Benedictus, Monachorum in Occidente parens & ejus familiæ sacræ; quâ illustriorem neque vidit, neque sensit Ecclesia. *Nascitur S. Benedictus.*

## CAP. IX.

## *Decas Nona,*

### *Ab anno Christi* 480. *ad* 490.

MUNDI 4534. CHRISTI 481.

Theodoricus, Triarii filius, Gothorum Rex, jam 40. à Constantinopoli lapide, Anaplum usque, populatus, ac Urbe mox potiturus, detecta suorum conjuratione in Illyricum redit; ubi dum in castris equum indomitum agitat, hastæ suspensæ ab equo decussæ, aut jacentis supra carpentum, acceptâ in latere plagâ, paucis pòst diebus interiit, magno commodo Zenonis atque Orientis. *Theodoricus obit.*

Hunericus in domesticos suos Catholicos furere incipit, eosque variis modis exagitare: sed longè etiam acerbiùs in suos Arianos sæviit. Nam fratrem suum Theodoricum cum uxore ac liberis, Comitesque ac nobiles gentiæ suæ sustulit, ut Imperium firmaret suum: immo & sectæ suæ Patriarcham Jocundum cremari vivum jussit, & multos Presbyteros ac diaconos Arianos aut incendit, aut bestiis objecit; quæ fuit prænunciatæ, & mox secuturæ persecutionis quasi velitatio. *Hunericus sævire incipit.*

MUNDI 4535. CRHISTI 482.

Celebris est annus iste morte duorum Patriarcharum, Stephani Antiocheni, cui successit Calendio catholicus, & Timothei Solofascioli, cui suffectus est Joannes Talaida, item catholicus: sed eum expulit Zeno Imperator, adnitente Acacio, atque in ejus locum Petrum Mogum restituit, Oasi quàm hâc sede digniorem. *Calendio & Petrus Mogus Episcopi.*

Hoc anno Illus Patricius, cum Leontio, Pamprepe seu Pampretio γόητι, & aliis in Zenonem conspirarunt in castro Papyrio, unde Verinam Augustam eduxerunt, quæ Tarsi Leontium Augustum coronavit, & sacram, hoc est, Imperatoriam Epistolam ad Antiochenos, omnesque Præfectos Orientis dedit; adeò gravis Zeno non tantùm suis inimicis, sed & suis familiaribus erat. *Conjuratio in Zenonem.*

Theodoricus, cognomento Valamer, Macedoniâ ac Thessaliâ depopulatis, Larissam ejus metropolim cepit atque diripuit, dum Zeno omissis civilibus negotiis, Ecclesiasticis ineptè vacaret. *Zeno Imperium negligit.*

*ἑνωτικὸν Zenonis.* Enimvero tum edidit Zeno Imperator ſuum ἑνωτικὸν ſeu *unitivum*, ut diſſidentes conjungeret, quo tacitè Chalcedonenſis Synodus damnabatur, idque ut vigeret, omni arte perfecit; quod tamen poſtea evanuit, & ad Eccleſiæ petram alliſum, de more, concidit.

*Mors S. Severini.* Obiit tum S. Severinus, Noricorum Apoſtolus, vir & vivus & mortuus magnæ apud omnes venerationis.

MUNDI 4536. CHRISTI. 483.

*Moritur Simplicius Papa.* Mortuus eſt hoc anno Simplicius Papa, cùm ſediſſet annos XV. menſes 5. dies decem; quando Baſilius Præfectus prætorio, nomine Odoacris Clerum coëgit, impulitque ſtatuere ut Romanus Epiſcopus non crearetur abſque conſenſu Principis, & alia quædam ſponte abolita. *Succedit ei Felix III.* Electus eſt Felix III. 8. Kal. Martii, qui ſtatim Zenonis ἑνωτικὸν damnavit; coëgitque Concilium, ex quo miſſi legati in Orientem Vitalis Troentinus, & Miſenus Cumanus, cum Felice Romanæ Eccleſiæ Defenſore, ad Petrum Mogum ſede pellendum, & citandum Acacium; quæ legatio infeliciſſimè ceſſit. In eâ quoque Synodo exauthoratus Petrus Gnapheus; declaratus hæreticus Eutychianus, Apollinariſta, Sabellianus, Theopaſchita, *Triſagion* propter additas illas voces Triſagio *qui paſſus eſt pro nobis, &c.* Unde inſtituit S. Sabas, ut cum reliquæ preces aliâ linguâ canerentur, Triſagion ſemper Græcè occineretur; quod Oriens deinceps & Occidens accuratè retinuit, propter eximii viri ſapientiam atque ſanctitatem.

*Acephali exorti.* Petrus Mogus ἑνωτικῷ ſubſcribit; mox tamen incertus fluctuat, modo probatâ, modo damnatâ Synodo Chalcedonenſi. Ob hanc cauſam Acephali ſunt exorti, qui neque Catholici eſſent, neque cum ſuo Epiſcopo convenirent. Scio Liberatum Acephalorum originem altiùs repetere, ex S. Cyrilli Alex. & Joannis Antiocheni diſſidio, Epheſinâ Synodo abſolutâ; ſicque dictos, quòd neutri adhærerent. Certè hæc ſecta non ſatis tardè enaſci debuit, multarum cauſa in Oriente turbarum.

*Leontius dictus Auguſtus* Orientales Præfecti Verinæ litteris excitati, Leontium Auguſtum agnoſcunt; paratuſque hoſtis Zenoni, ut omiſſis Eccleſiæ rebus, ſuis vacaret fructuoſiùs.

MUNDI 4537. CHRISTI. 484.

*Rebelles in Zenonem.* Longinum, Zenonis fratrem, & matrem ipſius poſt decennalem carcerem Illus & Leontius è Caſtro Iſauriæ liberant. Hic ad fratrem Conſtantinopolin pergit: Leontius Antiochiam ingreditur; dicitque Præfectum Prætorio, Lilianum, quo maximè indigebat. Miſſus enim in eum Joannes Scytha cum ingentibus copiis, à quibus victi Illus & Leontius in Papyrium Caſtrum ſe receperunt, cum Pampretio magiſtro Γόντι cujus artibus ac præſtigiis illuſi, in hoc caſtro annis quatuor perſeverarunt, multo labore ac tolerantiâ pertinaces.

*Legati Romani cedunt Acacio.* Miſenus & Vitalis legati, vexati ab Acacio tandem ei communicarunt. Felix Defenſor, cùm ob morbum in itinere ſubſtitiſſet, ubi venit in Urbem, quia fortior fuit, in cuſtodiam datus Acacii crudelitati ſuperior fuit.

Felix itaque coactâ Synodo; Miſenum & Vitalem damnatos Epiſcopatu dejicit, Acacium & Gnapheum anathemate percellit. Id irridet Acacius, & Felicis nomen expungit è Diptychis. Monachos autem Acœmetas, qui Felicis litteras ejus affixerant veſti, atrociter vexat. Cùm autem Felix deſperaret Joannis Talaidæ reſtitutionem, eum Nolanum Epiſcopum creat, ut tutiùs hîc, licèt minùs honorificè, viveret.

Dira concitata eſt perſecutio Catholicorum in Africâ; pluſquam CCCXXXIV. Epiſcopi exulare juſſi, multis truncatæ manus, multis linguæ, ſine quibus tamen loquebantur, cujus miraculi fuere teſtes omni exceptione majores. Juſſi inſuper congredi cum Arianis Catholici, ſed priùs ſublatis eruditiſſimis quibuſque Catholicorum, cùm hi obtuliſſent libellum fidei ſuæ Hunnerico, juſſit ille omnes eorum claudi Eccleſias, bona Arianis Epiſcopis adjudicari. Eugenius Epiſcopus relegatus in eremum Tripolitanam, excruciandus traditur Antonio Epiſcopo vicino, Arianorum ſceleratiſſimo, quòd cæcum illuminaſſet: cui cùm opponere voluiſſet par miraculum Cyrola Epiſcopus Arianus, de vidente cæcum fecit, cum magnâ ignominiâ, atque furore Hunnerici atque Arianorum.

Mortui ſunt hoc anno Eccleſiæ perſecutores duo; Evaricus Rex Gothorum, Gallicanæ; & Hunnericus, Africanæ. Hic vel à Dæmone correptus ſe ipſe morſibus laniavit, aut inſtar Judæ proditoris ejecit per alvum inteſtina, aut, quod probabilius, vermibus è corpore ebullientibus corroſus miſerabiliter interiit; cùm annis 7. menſibus 10. non tam regnaſſet, quàm debacchatus eſſet. Reliquit ſucceſſorem Gundabundum, Gentonis ſeu Genzonis fratris filium, (hunc Victor Godagiſum vocat) crudeli antea exilio mulctatum. Evaricum etiam conſtat ultione divinâ periiſſe, quidquid contrà aſſerat Io. Magnus, amantior gentis ſuæ, quam veritatis, habuitque ſucceſſorem Alaricum, qui ſuo & patris nomine Clodovæo Franco pœnas dependit.

MUNDI 4538. CRHISTI. 485.

Felix Papa lapidem movet omnem ut Acacium ad ſanam mentem reducat; fruſtra; Zenonis enim potentiâ fretus Deum ipſum contemnebat. Interim Zenonis filius ad ſpem Imperii peſſimè nutritus interiit, magno Eccleſiæ bono, ne ex tam infelici ovo corvus naſceretur.

Petrus Gnapheus juri ſuo jam olim detractam inſulam Cyprum ſibi vindicare poſtliminio conabatur, cùm Anthemio Epiſcopo Salaminæ apparens S. Barnabas, ubi lateret corpus ſuum, atque Evangelium Matthæi ſuâ deſcriptum manu pectori applicitum indicavit. Inventa omnia accuratè deſcripta ſunt ab Alexandro Monacho teſte αὐτόπτῃ; cumque hoc modo probaſſet ſedem ſuam eſſe Apoſtolicam, litem

evicit

evicit: Evangelium tamen obtulit Zenoni, quod in oratorio Palatii repositum est; ex quo libro quotannis in Cœna Domini Evangelium in Ecclesiâ canebatur; certissimo argumento aut descriptum fuisse Græcè, aut Hebraicè Evangelium in hâc æde quotannis semel recitatum esse.

Xenajas Persa servus fugitivus Clericum agens, à Calendione ejectus, à Petro Fullone susceptus est & ordinatus Episcopus Hieropolitanus, dictusque Philoxenus; quamquam ex parentibus servis Manichæis ortus, & nondum baptizatus. Is Iconoclastarum parens fuit, negavitque imagines Christi, Angelorum, & Sanctorum, venerandas esse. En quibus progenitoribus Novatores nostri possunt gloriari.

Clodovæus Syagrium Ægidii filium Suessionibus rerum potientem invadit, ac vincit. Victus confugit ad Alaricum; repetitur interminatione belli, miser deditur, ac interimitur. Tum calix raptus est in Diœcesi Rhemensi; hunc reposcit Rhemigius, & reddendum Clodovæus pollicetur. Cùm sepositus esset in prædæ divisione calix, hunc hastâ miles raptor percussit; restitutus tamen est: ast anno recurrente, in lustratione idem miles manu Clodovæi interemptus docuit Reges Franciæ quandoque Ecclesiæ fore tutelares.

MUNDI 4539. CHRISTI. 486.

Obiit hoc anno Petrus Gnapheus, Orientalis Ecclesiæ magna pestis; cui successit impietate geminus Palladius; amicus Petri Mogi, ut facilè improbi improbis familiaritate conjunguntur.

Clodovæus Crotildem vel Clotildem, filiam Childerici filii Gundicarii Burgundionum Regis, petit uxorem per Aurelianum ἑταῖρον suum à Gondebaldo patruo. Concessa est, eamque duxit Clodovæus, pollicitus se fore Christianum; quod non præstitit; nisi ingratis; & coactus. Iam autem ex concubinâ susceperat nothum filium Theodoricum; tunc autem desultorios illos amores videtur abjecisse.

Florebant hoc tempore Rhemigius Rhemensis, Patricius Suessionensis, Vedastus postea Atrebatensis, Solennis Carnotensis, omnes sanctitate illustres, & quorum precibus concessus videtur esse Clodovæus, & Christianus, & Ecclesiæ tutor.

MUNDI 4540. CHRISTI 487.

Theodoricus Gothorum Rex Thraciam populatur, & ad Melantiada oppidum, nec procul ab urbe regiâ, omnia igne ferroque delet, inescatus auro Zenonis, quo non semel, & nunquam satis expletus est. His gestis, prædâ dives Mœsiam suam repetit; sed, uti prædones solent, rediturus.

MUNDI 4541. CHRISTI. 488.

Concidit hoc anno in Zenonem rebellio, primum Trocundo Illi fratre cæso à Ioanne Scytha, & Pamprepe ... ab Illo interempto; denique captis in Papyrio Isauriæ castro Illo atque Leontio, ac mox decollatis; quorum capita Constantinopolin delata, gaudium in Palatium, in Urbem commiserationem intulerunt.

Theodoricus Amalus cum suis Gothis hoc anno transiit in Italiam, vel incitatus à Zenone, vel ab Odoacre provocatus, cujus invidebat gloriæ; aut certè spe illectus prædæ, quâ suos Gothos videbat in dies fieri audentiores. *Theodoricus pergit in Italiam.*

Moritur Acacius, cujus tandem nomen ex sacris diptychis erasum est, licèt in iis longiùs, quàm par esset, apparuisset. Passus est vir superbissimus imagines suas in Ecclesiâ dedicari; quibus loca sacra potiùs deturpabantur, quàm exornabantur. Successit ei Flavitas, medius inter Hæreticum atque Catholicum; & utrisque favere conatus; simulque dedit litteras ad Felicem & ad Petrum Mogum; earum exemplar nactus Felix, Apocrysarios ejus rejecit, ratus eum Catholicum non esse qui sic fluitaret. *Moritur Acacius, cui succedit Flavitas.*

MUNDI 4542. CHRISTI 489.

Theodoricus primùm Odoacrem ad Isontium, mox in Veronensibus campis grandi afficit clade. Tum Epiphanius Ticinensis victori acceptissimus fuit, atque ejus precibus victoriam potiùs, quàm suis armis Rex improbus debuit. *Theodoricus vincit Odoacrem.*

Obiit hoc anno Flavitas, cui successit Euphemius. Hic statim Chalcedonense Concilium recepit, Felicis nomen in Diptychis restituit; quia tamen expungere nomen Acacii ex iis noluit, in communionem non est receptus à Felice, quod vehementer optabat, ut se verè Catholicum esse Orbis universus agnosceret: quâ nulla certior unquam veræ fidei nota fuit. *Euphemius successor Flavitæ.*

MUNDI 4543. CHRISTI 490.

Theodoricus Odoacrem ad Dacam fluvium tertio prælio superat, ac confugientem Ravennam triennio obsidet, auxilia undequaque frustra respectantem. *3. Victoria de Odoacre.*

Hoc anno recruduit Wandalia persecutio: in quâ sanctus Fulgentius, postea Ruspensis Episcopus, Senatoriâ familiâ Carthaginiensi ortus, sed Lepti natus, ubi parentes ejus ob Catholicam fidem exulabant, annos natus ferè duodetriginta, cum Felice Abbate suo à presbytero Ariano dirè vexatus ostendit se à Religione parentum nihil degenerasse. *Fulgentii vexatio.*

Celebrata sunt hoc anno duo Concilia, Arelatense & Lugdunense. In illo prolata Epistola Fausti Rhegiensis Episcopi ad Lucidum prædestinatianum, cui Episcopi XI. subscripserant, ac ipse Lucidus. In hoc addita sunt aliqua capita ad superiorem Synodum; idemque Faustus significat à viginti septem illis Episcopis povinciam sibi commissam esse scribendi de Gratiâ; sed errores Semipelagianorum suis scriptis immiscuit, quidquid aliqui reclament amantiores hujus magni viri, quam veritatis. *De Fausto Rhegiensi.*

Moritur detestabilis ille Petrus Mogus, cui successit Athanasius, cognomento Herniosus; *Mors Petri Mogi.*

nec hoc nomine, multò minùs fede, dignus.

*Euphemii constantia.* Euphemius Patriarcha Constantinopolitanus Anastasium Silentiarium, postea Augustum, tanquam Eutychianum ejicit ab Ecclesia, ex tremam huic interminatus ignominiam, nisi docere turbas cessaret. Libere etiam Zenonem redarguit; quod & præstitit Arcadius præfectus, Urbis, qui tamen confugere coactus est ad Ecclesiam, ne jugularetur. Et verò hoc tempore Pelagius Patricius Silentiarius interfectus est, quòd Zeno à Marciano Comite, futurorum præscio, accepisset huic successurum quondam Silentiarium. Is autem Pelagius poëticis facultatibus excultissimus, vir prudens ac justus, sæpeque increpans Zenonis homicidia, rapinas, sacrilegia, Longinum etiam fratrem, Zenoni simillimum nequitiâ & sordibus, Cæsarem fieri prohibens, jussu Imperatoris perdidit caput, manibus elatis priùs ad Deum testem innocentiæ,& vindicem flagitiorum; qui vindex paulò post severissimus apparuit.

*Pelagii Patricii cædes.* Utrùm autem duo viri fuerint Pelagius & Patricius, amboque cæsi jussu Zenonis, non audeo pronunciare, cùm videam magnos viros eâ de re dubitasse.

*Clodovii bellum Thuringicum.* Clodovæus Thuringos devincit, regni sui anno decimo. Quid autem hoc bello contigerit, incompertum; quia tum Franci bellare quam scribere malebant, & materiam historicis dare, quam historias edere.

---

## CAP. X.

## *Decas Ultima,*

### *Ab anno Christi* 490. *ad* 500.

MUNDI 4544. CHRISTI 491.

*Zenonis Imperat. mors.* Zeno cùm imperasset annis 17. mensibus sex, uti scribit Theophanes; identidem inclamans nomen Pelagii, quem anno superiori peremerat, Epilepsiâ, quam ex crapulâ & ebrietate contraxerat, turpem evomuit animam. Cedrenus tradit hunc vivum tumulo inclusum esse; & cùm inde suorum imploraret opem, Ariadnam amore Anastasii correptam illum reserari vetuisse, sicque voratis sibi lacertis ac caligis miserum fame expirasse. Neque enim hic moramur fabulam de collo illi per divinam justitiam resecto, quod somnium est nescio cujus viri pii vigilantis: hoc certum, à Deo graviter mulctatum esse, & pænas hujus temporis graves majoribus atque æternis præluxisse.

*Succedit ei Anastasius.* Successit huic, ope Ariadnæ, Anastasius Dyrrhachinus, nondum Senator, sed ex schola Silentiariorum, hoc est, qui in Palatio quieta curant, cùm priùs ab eo Euphemius Patriarcha veram fidei formulam expressisset, & coronatus ab Ariadnâ, quam statim duxit uxorem. Triumpharunt Manichæi, quòd ejus mater esset Manichæa, item & Ariani, quòd Clearchus ejus avunculus Arii dogma sectaretur; sic tamen exorsus est Imperium, ut de ejus inauguratione etiam Catholici lætarentur. Longinus autem frater ejus, qui jam spe devorarat Imperium, remissus est ab Anastasio in Isauriam suam, locum suis moribus ac stoliditate suâ dignissimum.

*Ini... An...* Anastasius antiquum tributum Chrysargyrum, quod ab omnibus etiam infimæ sortis hominibus, meretricibus, exoletis, & de animalibus etiam vilissimis immo ὑπὲρ οὔρου καὶ κοπρίας, *de Vrina*, *& fimo*, atrociter exigebatur, singulis quadrienniis in fiscum referri solitum, penitùs abolet; Magistratus, sub Zenone venales, donat, & alia ejusdemmodi, quæ huic Pontifex gratulatus est. Sed sibi vim faciabet homo improbus; quæ diu durare non solet.

Bellum intestinum inter cives Constantinopolitanos exortum; unde incendium quo Circi maxima pars, Nosocomium S. Sampsonis, & S. Sophiæ ædes deflagrarunt; quod & majora mala prænunciavit.

Odoacer cum Erulis noctu Ravennâ egressus, ad Pontem Candidium prælio memorabili rejectus est; quando & Wandali impetrata pace Siciliam infestare desierunt, jam suorum tuendorum, quàm alienorum invadendorum magis solliciti.

MUNDI 4545. CHRISTI 492.

Longinus, Zenonis frater, rebellat; sed captus Alexandriam relegatur, ubi creatur Presbyter. Exautoratus quoque Longinus, alter militum magister, & cum suis Isauris patriam repetere jubetur; sed occupatis Zenonis thesauris, in Isauriâ copias conficit, quibus Ninilingin seu Lilingin, Isauriæ Præfectum, præficit. Alii quoque se huic conjunxere; omnes victi per Ioannem Scytham ad Cotyæum Phrygiæ; Ninilingis cæsus: & nisi spoliis colligendis occupatus victor, passus esset Isauros effugere; bellum profligatum erat, quod quinque aut sex annis tenuit; adeo difficile est, bonis etiam Imperatoribus; uti victoriâ.

Felix III. Papa, atavus S. Gregorii Magni, 5. Kal. Mart. obiit, cùm sedisset ferè annis novem. Successit ei Gelasius 6. Non. Martias, vir gnavus, ac diligens, & funestis hisce temporibus Ecclesiæ expectatus.

Anastasius jussit quemlibet sentire de Concilio Chalcedonensi secundum consuetudinem loci in quo viveret: quo facto neque se Eutychianum, neque se Catholicum exhibuit: Revera autem secutus est *Hæsitantium* sectam; qui & *Acephali* sunt appellati, & meritò, cùm aliunde pugnantia loquerentur.

MUNDI 4546. CHRISTI 493.

Odoacer jam triennio obsessus Ravennæ à Theodorico, per Legatos ita cum eo paciscitur, ut ambo in Italiâ par jure regnarent: sed paulo pòst eum Theodoricus convivio exceptum, perfidiosè interemit, cùm in Italiâ annis 17. regnasset, verùm post annos 13. rebus ejus prolabentibus, uti monuerat S. Severinus. Theodoricus ergo, unus Italiæ dominus, regnum componit

ponit suum, maxime usus operâ Aurelii Cassiodori, qui ei ab Epistolis fuit, & quem Patricium creavit. Iniit ergo cum Anastasio ac Wandalis pacem; Clodovæi Franci Audeflendam filiam duxit uxorem; filiarum quas ex concubinâ susceperat unam Alarico Gotho, alteram Sigismundo Burgundioni dedit uxores. Aliunde, licèt Arianus; in Catholicos benè affectus fuit, hominemque sibi charum capite mulctavit, tantùm quòd ejus gratiâ factus esset Arianus, negans huic à Principe fidem adhibendam, qui fregisset Deo. Reos præterea quamplurimos relaxavit, captivos redemit; denique ita se gessit, ut quod fortitudine regnum pepererat, humanitate suæ familiæ atque genti faceret hæreditarium.

Hoc anno inventa est in Gargano monte, per miraculum, crypta S. Michaëlis, magnæ deinceps in Occidente venerationis: cujus Archangeli dum fieri mentionem reliquiarum audis in Historiâ, mappas intelliges ejus altari substerni solitas; neque te Novatorum cavillationibus indoctis impeti fines, atque derideri.

MUNDI CHRISTI.
4547. 494.

Anastasius in Euphemium capitale concepit odium, tum quòd ab eo olim privatus malè acceptus esset, tum quò Isauris favisse videretur, tum denique quòd Fidei veram formulam ab eo extorsisset, uti crearetur Augustus. Eam autem tum ex manibus ejusdem Antistitis per vim retraxit, ne scripto convinci posset, jam in deteriora lapsus prævaricator.

Romæ celebrata Synodus à Gelasio 70. Episcoporum, in quâ Canonici Scripturæ libri, Oecumenica Concilia, scripta SS. Patrum excussa, & apocrypha à cæteris separata, Apostolico sunt decreto roborata, magno Ecclesiæ commodo, & legentium utilitate.

Gundebaldum Regem Burgundionum S. Alcimus Viennensis Episcopus dedocet Arianam hæresim; sed ille fidem publicè profiteri recusans, nec hæreticus, neque fidelis fuit.

S. Benedictus hoc anno, annos quatuordecim natus, cum nutrice suâ in eremum secessit, vitam auspicatus acceptissimam cœlo, utilissimam terris. Neque tamen primus Monachorum in Occidente fuit: quod dum ignorare se finxit Trithemius, multa ipse absurdissimè confinxit; eique geminus ejusque congerro Cajetanus, vir illiteratissimæ temeritatis, accidit.

MUNDI CHRISTI
4548. 495.

Euphemius ab Anastasio in ordinem redactus insuper relegatur; felix, qui religionis causâ pateretur, si capiti suo conjunctus extitisset. Ei successor intrusus est Macedonius, qui statim ἑνωτικῷ subscripsit; & sedes ista pro schismatico, hæreticum Antistitem nacta est.

Trasimundus Wandalus fratri Gundabundo successit, in Catholicos mitior: volunt certè quidam hunc Catholicos non pœnis sed præmiis pertentasse; quo tempore in civitate Albigensi S. Eugenius Episcopus Carthaginiensis in eam relegatus obiit, & laborum suorum ac patientiæ fructum percepit.

Clodovæus promissa Clotildi de suâ Christianitate facta, putabat esse amantis perjuria, ac sæpe ab eâ monitus, in Idolorum cultu perdurabat. Cùm ergo pugnaret in Ubiis ad Tolbiacum adversus Alemannos, deleto peditatu suo, Equitatu cui ipse præerat jam in fugam inclinante, invocato Clotildis suæ Deo, votoque Baptismi nuncupato, illustrem victoriam contra expectationem suam retulit. Rhemos igitur à Clotilde deductus, à sancto Rhemigio, cum tribus suorum millibus, & sorore Alboflede, sacris aquis intinctus est, ac sancto inunctus oleo. Altera quoque ejus soror Lantildis ejuravit Arium. De sacra Ampullâ cœlitus delapsâ, insignibus Liliorum pro Diadematis vel Bufonibus, & Auriflammâ, nihil hîc statuimus, quia majoris est operis controversia, & quid de iis sentiamus, nec hujus libri brevitas, nec conditionis nostræ ratio dicere patitur. *Clodovæi ad Tolojacum victoria, & Baptismus.*

MUNDI CHRISTI.
4549. 496.

Obiit hoc anno XI. Kal. Decembris Gelasius Papa, cùm sedisset annos 4. menses 8. dies undeviginti. Vir sanè doctissimus extitit, ut testatur ejus liber *de duabus naturis, adversus Eutychetem & Nestorium*, quem ei tollere Baronius conatus est frustra, repugnante Sancto Fulgentio, qui ejusdem Gelasii σύγχρονος fuit. Successit ei Anastasius II. patriâ Romanus, 4. Kal. Decembris; nec enim diutiùs Petri Sedes tum vacua fuit. *Gelasii successor Anastasius II.*

Mortuus est quoque tum Epiphanius Ticinensis, cœlo terrisque vir acceptissimus, Palladius item Antiochenus Episcopus, cujus locum implevit Flavianus Iunior, vir Catholicus & fortis, ideoque dignus exilio visus, ut se verum Antistitem præberet. *Epiphanii Ticinensis mors.*

Clodovæus permotus precibus uxoris suæ, ejusque fratris Godegisili, Gundobaldo Burgundioni bellum infert, qui jam suos fratres duos, ac Godegisili, Godomarum & Chilpericum patrem Clotildis, ejusque matrem sustulerat. Victus est Gundobaldus, ejusque ditio Godegisilo concessa; sed abscedente Clodovæo, Gundobaldus redit, ac Godegisilum Viennæ obsessum, ac captum interemit; ab eâ expeditione Franci plus doloris, quàm gloriæ retulere. *Clodovæus Gundobaldum vincit sine fructu.*

MUNDI CHRISTI.
4550. 497.

Terminatum est hoc anno bellum Isauricum, Athenodoro Isaurorum præcipuo capto, atque decollato. Caput ejus hastili præfixum Tharsum delatum ibidem contabuit, cùm diu Isauris atque Cilicibus terriculum extitisset. *Isaurici belli finis.*

Legationem misit in Orientem Anastasius Ro. Pontifex, S. Germanum Episcopum Capuanum, & Cresconium Tudertinum, cum litteris quibus optabat expungi ex diptychis Acacii nomen sed non erat sub Impio Imperatore hoc causa pacis expectanda. *Legatio S. Germani Capuani.*

MUNDI

MUNDI 4551. CHRISTI. 498.

*Longini Isauri cædes.* Hoc anno Longinus Isaurus, cognomento Selinunteus, captus Antiochiæ in Isauria à Prisco Comite, Constantinopolin perductus, atque in vinculis per urbem circumductus, Anastasio atque populo gratum spectaculum exhibuit; inde translatus Nicæam Bithyniæ variis cruciatibus excarnificatus interiit. Porrò noli hunc Longinum cum Zenonis Imp. fratre confundere, etiamsi uterque rebellis, uterque Isaurus extiterit. Longinum enim fratrem Theophanes scribit in Episcopatu mortuum esse; Evagrius autem eundem Longinum à Ioanne Scytha victum esse tradit, ejusque ac Theodori caput missum esse ad Anastasium, atque exinde quinque millia librarum Isauris pendi desiisse. Quæ diversitas observari debuit, ne tenebræ hujus temporis rebus offundantur; quas maxime fugandas hoc opere suscepimus.

*Populi seditio sedata.* Ingens populi seditio contra Imperatorem concitata, quæ multis vitâ stetit. Ut delniret populum Anastasius Nummis suo nomine figuratis, quos Terentianos Romani vocant, (aliter legitur Teruncianos) Græci Follares, permutavit: quod autem mutatio ea pecuniæ plebi aliquid afferret utilitatis, creditur tumultus extinctus esse. Ita populus exiguo pulveris jactu (maximè si aureus est) ut apes dimitigatur.

*Chalcedonense Concilium à Fæminis defenditur.* Multi Constantinopoli fortiter resistunt Henotico Zenonis, & Chalcedonense Concilium fortiter propugnant. Enituerunt maximè duæ fæminæ, Matrona & Sophia cum suis quæque virginibus, ac multi Monachi. Itaque suasit Imperatori Macedonius Episcopus Constantinopolitanus, ut quæ in Chalcedonensi Synodo ritè sancita erant, ab Episcopis, qui tum Constantinopoli versabantur, confirmarentur suis subscriptionibus; sed id neque consultori, neque consulenti profuit.

*Festi Legatio.* Festus Senator Romanus à Theodorico missus Constantinopolin, civilium negotiorum causâ, iis confectis privatim Anastasio pollicitus est effecturum se ut Pontifex Romanus τῷ ἑνωτικῷ subscriberet. Sed reversus Romam invenit Anastasium mortuum; obierat enim hic 16. Kal. Decemb. sui pontificatus anno secundo ferè expleto. Itaque Festus, promissi memor, tentavit omnia ut pontifex eligeretur qui ejus pollicitationes impleret. *Obitus Anastasii Papæ.* Cùm ergo die 4. ab obitu Anastasii Papæ, Cleri pars sanior, & major, Symmachum pontificem elegisset in Basilicâ Constantinianâ, ipse eodem die in Basilicâ S. Mariæ effusis, pronuntiatisque pecuniis Cœlium Laurentium, Archipresbyterum S. Praxedis, deligendum curavit. Quare ingentibus inter Populum, Clerum, ipsumque Senatum divisis, exortis discodiis, non sine cæde & sanguine ambæ partes Theodoricum Ravennam confugerunt. Pronunciavit Rex sedere hunc debere qui prior electus esset; sic visus adjudicare litem Symmacho. Itaque hic sedit Pontifex non sine grandi tumultu, qui vix tribus annis sublatus est; Ecclesia & veritas de Festo, de pecuniis, de turbis hisce triumpharunt.

MUNDI 4552. CHRISTI. 499.

Bulgari Thracias depopulantur; quibus occurrens Aristius, Dux Illyricianæ militiæ, ad Zurtam fluvium turpiter victus quatuor suorum millia perdidit, populationem auro redimere coactus est Anastasius. Contigit & tum ingens terræ motus in Ponto, quo Neocæsarea magnâ ex parte concidit. Stetit tamen ædes sacra, quâ S. Gregorii Thaumaturgi lipsana continebantur, semper, uti tanti viri fides, inconcussa.

Romana Synodus, Consule Ioanne Gibbo, celebratur, seu post Consulatum Paulini, Kal. Martii apud S. Petrum, in quâ actus est de comitiis Pontificalibus & eligendo Pontifice. Sedere in hoc Concilio 72. Episcopi ex variis Italiæ partibus, Romani Presbyteri 77. Diaconi quinque. Presbyterorum loco primus scripsit Laurentius, electus in schismate, qui in eodem Concilio creatus est Nucerinus Episcopus; non quia id æquitas, sed tempora & miseratio postulabant.

MUNDI 4553. CHRISTI 500.

Saraceni Syriam & Phœnicem incursant, ac fœdè depopulantur; jampridem enim ex tenuibus initiis & parvâ gente in magnam coaluerant, adicitis in nominis & armorum communionem vicinis gentibus devictis; quibus postea Romanum Orbem terruerunt, & tantùm non deleverunt.

Venit hoc anno Romam omnium votis expetitus Theodoricus, ut turbas componeret; cùm ab eo missus Visitator in causâ Symmachi, in partes Laurentii inclinare visus esset. Rex autem modis omnibus de S. P. Q. Romano bene mereri conatus est, assignatâ etiam pecuniâ ad muros Urbis reparandos. Vicissim Roma eum excepit eâ magnificentiâ, quæ S. Fulgentium ad contemplandas Cœli divitias excitavit. Tum enim hic Sanctus ad limina Apostolorum venerat, nec dedignatus videre hunc Regis introitum; quo tamen plus mentis, quàm corporis oculos refecit.

LIBER

# LIBER VI.

## *Ab anno Christi* 500. *ad* 600.

### CAP. I.

### *Decas Prima.*

*Ab anno Christi* 500. *ad* 510.

MUNDI 4554. CHRISTI 501.

SCenitis Arabibus per Anastasium Imperatorem conciliatis, reddita pax est Orienti; non item Constantinopoli, in quâ bellum civile ac domesticum sæviit. Anastasius enim populi dicteriis ut hæreticus appetitus, eum de more ad spectacula invitatum per satellites suos immissos trucidavit, ac tria ejus ferme millia obtruncavit; fœlices, nisi à capite suo, schismate divulsi essent, quibus tum non defuit causa martyrii. Quare sibi deinceps Imperator à populo metuens jussit uti Litanias & supplicationes Eparchus cum militibus armatis sequeretur, ad tumultum arcendum populi, quo tamen maximè ejus improbum caput appetebatur.

Synodi hoc anno, Coss. Pompejo & Avieno, Romæ factæ sunt duæ, secunda & tertia sub Symmacho & in ejus causâ: Secunda quidem in Basilicâ Julii ex Episcopis Liguriæ, Æmiliæ, & Venetiæ, in quâ tamen nihil actum, Patribus Synodum haberi Ravennæ ad vitandum tumultum, Theodorico Romæ fieri exoptantibus. Tandem Theodoricus evicit ut Romæ celebraretur, missis eò Comitibus è Palatio suo, qui vim arcerent. Ita Tertia Synodus habita in Basilicâ Hierosolymitanâ Sessoriani, ad quam Symmachus causam dicturus accessit sponte, ac volens, prout fuerat à Theodorico significatum. Verùm irrumpentibus Laurentianis, ægrè ex eorum manibus Pontifex per Comites substractus est. Quâ de re admonitus Theodoricus Synodum hic terminari jussit. Itaque X. Kal. Novemb. damnatus est Laurentius cum suis fautoribus, adjudicatus Symmacho Pontificatus; & huic, quem modestia & sanctitas præferendum ambitioso & crudeli æmulo significabat.

MUNDI 4555. CHRISTI 502.

Hoc anno, Coss. Probo & Avieno Juniore, iterum Thraciam Bulgari, nullo inhibente, depopulati sunt. Sed major extitit ab Oriente & Persis clades: Barri enim, populi truces, Pontum invasere ac diripuere. Aliunde cùm Cabades, Rex Persarum, mutuas ab Anastasio pecunias postulasset, hic dare recusasset, Cabades fœdus initum à tempore Theodosii Junioris abrupit, ac primò incursatâ Armeniâ Theodosiopolin cepit, à Constantino quodam proditam. Inde conversis, in Mesopotamiam grassationibus, Amidam tribus aut sex mensibus obsedit, quam ei prodidêre Monachi quidam, ab eo interfecti, ne hos quoque suo damno vicissim proditores utique experiretur; hos tamen alii ignavos malunt, vitio in monachis utcunque tolerando.

Hoc anno Quarta Synodus Romæ celebrata in causâ Symmachi 8. Idus Novembr. dicta *Palmaris* à porticu Basilicæ S. Petri, quæ Palmaria dicebatur; ubi Conventus habitus, & in eo confirmata Symmachi electio, abolita Odoacris Heruli sanctio ne crearetur Pontifex sine Regis consensu. Additum decretum de non alienandis Ecclesiæ bonis, dictum in Anastasium Imperatorem Anathema, acclamatus Theodoricus *Piissimus* vel *Sanctus*, licet hæreticus; cujus operâ non tantùm Ecclesiæ tranquillitas, sed & libertas fuisset restituta.

*Romana Synodus IV.*

*Theodoricus dictus piissimus, vel sanctus.*

MUNDI 4556. CHRISTI 503.

Ingentem parat exercitum adversus Persas Anastasius, quem imprudenter tribus ducibus committit Patricio, Hypatio, & Areobindæ, qui concordes prosperè inchoarunt bellum. Duce Persarum cæso, Rege fugato; discordes malè terminarunt, coacti cùm Barbaris turpem non tam inire pacem, quàm emere.

*Bellum Persicum bene inchoatum, malè finitur.*

Constantinopoli ortâ in spectaculis equestribus seditione inter factiones, plurimi cæsi, inter reliquos Anastasii nothus filius ex pellice, cujus manibus crudelis Imperator multorum sanguine ac lacrymis litavit.

*Cades Constantinopoli.*

Romæ habita est Quinta Synodus sub Symmacho in obloquentes Concilio Palmari: cujus actis insertus libellus Ennodii quo diluit Schismaticorum objectiones; sicque servatus incolumis, ad posteros transiit.

*Romana Synodus V.*

MUNDI 4557. CHRISTI 504.

Celer, Officiorum magister, adversus Persas missus rem meliùs gessit, & ostendit bella uni, quàm multis committi prudentiùs.

*Bellum Persicum meliùs geritur.*

Florebat hoc tempore S. Equitius Abbas, de cujus ordine S. Gregorius Magnus fuit, quantumvis Benedictini reclament, magni Illustrium virorum plagiarii.

Ordinati sunt hoc anno aliquot Episcopi Africani, inter quos S. Fulgentius Ruspinæ seu Ruspensis Episcopus, qui cum aliis, Trasimundo persecutionem excitante, in Sardiniam relegatus est, ut esset utilis patientiâ & exemplo, qui tantùm eruditione atque eloquentiâ profuisset.

*S. Fulgentius fit Ruspensis Episcopus.*

MUNDI 4558. CHRISTI 505.

Sabinianus, hujus anni Consul, cum Theodoro collegâ adversus Mundonem Getam dimicans, turpiter devictus, nec honori suo, neque Roma-

*Theodorus Consul fit Monachus.*

Romanorum rebus consuluit. Ejus collega sæculum sanctius vicit, cui nuncium remisit cum uxore suâ, ac Monasticam vitam amplexus est: cui S.Fulgentius Epistolâ gratulatus est; longè clarior spreto Consulatu, quàm parto.

*Pax cum Persis.*

Cabades Rex Persarum multis præliis à Celere victus, pressus insuper rebellione Cadusiorum, pacem cum Anastasio turpem icere compulsus est, eique tanto labore ac sanguine partam Amidam in Mesopotamiâ restituere.

MUNDI 4559. CHRISTI. 506.

*Anastasius vexat Macedonium.*

Anastasius Imperator Macedonium Episcopum Constantinopolitanum sibi repugnantem perdere instituit. Ac primò Xenaiam seu Philoxenum illum impium Manichæum ei opponit: at populus in hunc insurrexit; immo & in Imperatorem, paratus pro Episcopo suo mori. Itaque Imperator Xenaiam noctu subducit; sed & Acholium quemdam percussorem subornandum curat: at Macedonius, ut lenitatem profiteretur, menstruam annonam huic siccario dari jussit; quo facto in ejus caput *carbones conjecit*, qui demùm in Anastasii diadema reciderunt.

*Clodovæus Alaricum vincit, & cædit.*

Clodovæus Alaricum bello appetit; ejus copiis deletis, eumdem etiam singulari certamine enecat, non tamen sine suo periculo, in Campo Vocladensi. Sic obiit Alaricus cùm XXII. annis totis regnasset. Ejus ditionem invasit Theodoricus filius Clodovæi, hoc est, Ruthenos, Cadurcos, & Arvernos; atque ad patrem Burdegalæ hyemantem rediit. Ità desiit Gothorum Imperium Tholosanum: nam filius Alarici Amalaricus in Hispaniam transiit, ut eam sibi retineret, fassus se Francis, & Clodovæo minimè parem.

*S. Genovefæ obitus.*

Vivere desiit hoc anno celebris virgo S. Genovefa, sepulta in æde SS. Petri ac Pauli; quam anno superiori, petente Clotilde, Clodovæus statuerat. Huic autem postea Basilicæ reliquit suum nomen, quâ nulla est in toto regno Francico etiamnum celebratior; atque virginis rusticanæ nomen ipsis Apostolorum nominibus prævaluit.

MUNDI 4560. CHRISTI. 507.

*Clodovæi victoria.*

Clodovæus Tholosam obtinet, & in eâ latentes Alarici thesauros. Inculismam deinde oppugnare parat; sed parato ad invadendam urbem exercitu, muri ejus Hiericontinorum instar corruerunt. Inde Turonas reversus, equum suum offert sancto Martino; quem dum redimere à Monachis sordidioribus parat, expertus est (ut ipse jocatus fuit) sibi Martinum charum extitisse.

*Clodovæus accipit insignia Imperii.*

Ibidem Turonibus Clodovæus ab Anastasio insignia Consulatus accepit, eâque die ut Consul & Augustus salutatus, in æde S.Martini indutus tunicâ Blatteâ, ac Chlamyde, & diademate redimitus: neque enim, quod aliqui volunt, solum Patriciatum accepit. Inde Parisios venit, fecitque eam regni sui sedem; urbem, quâ nulla est in toto orbe feliciori situ constituta.

Anastasius contra Persas munitionem excitatam, Daras nomine, reparat, & de suo nomine Anastasiopolin nominat. Ex eâ quoque efforri passus est reliquias S. Bartholomæi; quare noctu monuit eum S. Apostolus, custodiam urbis ablatam esse; quod ut somnium sprevit homo Manichæus, reliquiarum osor; postea Romani à Deo venisse sunt experti.

Gisalaricus, filius nothus Alarici, Narbonæ Princeps effectus, quasi ex naufragio regni paterni hanc tabulam feliciter arripuit.

MUNDI 4561. CHRISTI. 508.

Victi sunt hoc anno Franci per Hibbam Comitem, Theodorici ducem, ac triginta armatorum millia in acie perdiderunt. Quare soluta obsidio Carcassonæ, & omissâ Narbona; Aquitania Clodovæo cessit, Narbonensis Theodorico, quam pupilli Amalarici nomine regendam suscepit, cum ditione Hispanicâ, quas per suos præfectos rexit, utramque si posset nunquam redditurus.

Ita tamen superati sunt Franci, ut non desponderent animos. Arelatem enim fortiter aggressi sunt, fortiùs à Gothis propugnatam. In quâ S. Cæsarii eluxit in pauperes amor, & adversus inimicos patientia, accusati falsò proditionis à Judæis & hæreticis. Quare primum à Gothis detrusus est in carcerem, inde missus Ravennam ad Theodoricum, à quo remissus est cum magnis muneribus, quæ ad pauperes alendos, & redimendos captivos impendit; ipse vasa sacra frangere solitus, quæ famis & publicæ egestatis tempore meliùs in pauperum manu, quàm in Altaribus & Basilicis, nitent.

Clodovæus febre vehementi conflictatus Tranquillini illustris Archiatri jussu S. Severinum Monasterii Agavensis Abbatem accersit, qui eum tactu casulæ suæ sanavit. Hic Dei monitu in Nantoniense casttum se contulit, ubi & spiritum reddidit; quare in eo loco, ubi expirarat vir sanctus, Childebertus Clodovæi filius nobile construxit monasterium, sanati patris ac grati sui animi nobile monimentum.

Xenaias seu Philoxenus armatus authoritate Anastasii, ab Flaviano extorquet damnationem Dioscori, Theodori Mopsuesteni, Ibæ, & Theodoreti: ut damnaret Chalcedonensem Synodum obtinere non potuit. Elias firmus obstitit, & Imperatoris minas sprevit. Eò prorupit væsaniæ Xenaias, ut Leonem Papam cum Synodo Chalcedonensi percelleret anathemate; hoc est, rabidus canis allatravit lunam.

Franci cum Gothis in Gundebaldum conspirant; moram de industriâ nectunt Gothi, soli Franci vincunt, utrique tamen veniunt in partem prædæ. Pulsus undique Gundebaldus fugit in Italiam, ubi miserè periit, ac quatuor suorum fratrum manibus dependit pœnas & approbatæ monomachiæ. Sigismundus ejus filius reliquias regni paterni collegit, ac fidem catholicam edoctus à S. Avito Viennensi Episcopo, terrestri regno deperdito cœleste fructuosiùs invenit.

Epau-

Epaunenſe Concilium celebratum eſt, cui præfuit Alcimus Avitus;de quo loco jam dubitatur inter eruditos. Quidam Nevidunum obtrudunt,quæ & Equeſtris colonia, hicque Eponam Deam interjiciunt: melius eſt *Xenne* ad Rhodanum Fl.locus ſelectus ab Alcimo,ut ad eum facilè convenirent Epiſcopi; & locum fuiſſe celebrem arguunt hic refoſſa,ut audio, antiquitatis monimenta.

MUNDI 4562. CHRISTI. 509.

Sævit in propinquos hoc anno Clodovæus, tollitque Chararicum, Sigebertum, & Raguaricum Cameraci regnantem, atque eorum ditiones occupat,neque pius,nec æquus ſatis.

Monachi 200.ex Oriente cum Severo hæretico profecti, ab Anaſtaſio benignè ſuſcipiuntur, Chalcedonenſem Synodum oppugnaturi. Joannes quoque Alexandrinus Patriarcha duo millia librarum pollicetur Anaſtaſio Imperatori, ſi Quartæ Synodi memoriam extinguat. Obſiſtit Imperatori Macedonius; ille privilegia τῆς ἀσυλίας adimit Catholicis Eccleſiis,quæ tribuit continentibus heterodoxis. Quibus auditis Palæſtinæ monachi Catholici accurrunt quoque Conſtantinopolin pro fide morituri.Eorum unus Dorotheus Alexandrinus,quòd librum apologeticum ſcripſiſſet inſcriptum, τραγωδία ἤτοι προφητεία τῆς νῦν καταστάσεως, relegatur in Oaſin. Macedonius anathemate percellit omnes qui in Chalcedonenſe Concilium inſurgerent; atque tot adverſariis par unus fuit Epiſcopus, populo ſuo ac veritate defensâ potentiſſimus.

MUNDI 4563. CHRISTI. 510.

Anaſtaſius per Pſeudomonachos Triſagium cani curat in Palatio in æde S. Michaëlis cum impiâ appendice *Qui paſſus eſt pro nobis*, *&c.* Sequenti Dominicâ cùm idem tentaſſet,rejectus eſt à populo & monachis paratis pro fide mori. Itaque deſtitit Imperator, & pavidus accerſit Macedonium,quem nunquam viſurum ſe,dejeraverat. Ab eo graviter increpitus patienter tulit, metu damni gravioris. Flavianus quoque Antiochenus, & maximè Elias conſtantiſſimè pugnarunt,quidquid aliqui ſcriptores contra ſentiant,quibus non eſt ſemper adhibenda fides, cùm ipſi ſcriberent ex eorum relatione qui eſſent in partibus.

Obiit eodem anno Clodovæus, annos 45. natus, cùm triginta regnaſſet; ac ſepultus eſt in Æde SS. Petri ac Pauli; vir Eccleſiæ Conſtantinus alter, ei virtutibus ac vitiis propè par, & geminus. Diviſere regnum Francicum ejus filii, Theodoricus Metis, Clodomirus Aureliis,Clotarius Sueſſionibus, Childebertus Pariſiis regnorum ſuorum fixere ſedes; quæ mox magno Franciæ bono ad unum Principem rediere.

## CAP. II.

## *Decas Secunda*,

### *Ab anno Chriſti* 510. *ad* 520.

MUNDI 4564. CHRISTI. 511.

Macedonium Anaſtaſius Imperator fraude circumvenit; ideò creditur eſſe Neſtorianus ac Eutychianus, & monachi ejus communionem exſecrantur; ſed iis ſatisfacit Macedonius. Non poterat recipere Imperator formulam Fidei quam Euphemio inaugurandus dederat; nam ſervabatur ea apud Macedonium. Hunc ergo relegat, & in ejus locum Timotheum Presbyterum vaſorum cuſtodem ſufficit,hominem improbum, ideò dictum Κήλωνα & λιτροβούλην. Hic ſtatim imaginem Anteceſſoris ſui disjicit, & in ejus ignominiam per ſingulas Synaxes Nicænum Symbolum canendum curat, cùm tantùm ſemel in ſanctâ Paraſceve quotannis occineretur; quaſi id non reciperetur à Macedonio. Sed ſatis erant notæ, & patientis ſanctimonia, & hæreſis Tyranni pœnam infligentis. *Macedonius expellitur.*

Ad hæc Anaſtaſius Dominico die occini jubet Theopaſchitarum additamentum per Marinum & Platonem ex pulpito; quos cùm arguerent Catholici quidam, in Eccleſiâ cæſi ſunt; quod & alterâ die factum. Itaque in Imperatorem populus exarſit. 8. Id. Novembris, ejus disjiciuntur ſtatuæ, Areobinda Auguſtus poſtulatur, domus Marini, & Pompeji, quos authores pravitatis putabant, combuſtæ. Celer, & Patritius, dum eum placare volunt, lapidatione ſummoventur. Immo, & univerſa plebs, prælatis cruce atque Evangelio, Imperatorem adit, coram illo Catholicam formam occinit; Cantoreſque duos feris objici jubet. Monachum quoque, & monacham Imperatori charos enecat, eorumque cadavera raptat & comburit, vociferans: *Iſti ſunt amici hoſtis ſanctiſſimæ Trinitatis.* Eam ægrè placavit Anaſtaſius, & non niſi perjuriis, ei ut digiti ungueſque ſui familiaribus; ſed intellexit quàm bene in fidem populus affectus eſſet; frænum Tyranno meticuloſo potentiſſimum. *Conſtantinopolitanus populus reſiſtit Anaſtaſio.*

Conciliabulum Sidonenſe ex 80.pſeudo-Epiſcopis celebratum eſt; in quo damnata Synodus Chalcedonenſis nihil plus damni paſſa eſt, quàm ſi contra eam in palude Ranæ coaxaſſent. *Concilium Sidonenſe.*

Eodem denique anno Amalaricus Alarici filius Clotildem Clodovæi Regis filiam uxorem accepit; pacis inter eos initæ certum argumentum. *Amalaricus Francis reconciliatur.*

MUNDI 4565. CHRISTI. 512.

Flavianus Antiochiâ pulſus, non ſine tumultu ac cæde Monachorum quos Xenaias Hierapolitanus immiſerat, in caſtellum Petram in finibus Palæſtinæ relegatus eſt, atque ibidem obiit, meliorem ob confeſſionem ſuam conſecutus ſedem. *Flavianus obiit.*

*Heruli recepti.*

Herulos in agro ac urbibus Romanis collocat Anastasius imprudenter, non satis recolens non esse tutum Barbaros in suis agris; neque viperas in sinum admitti.

*Dani à Francis devicti.*

Dani cum Rege suo Choclilaico Theodorici Franci regnum infestant; sed ab ejus filio Theodeberto retusi, & Regem suum & classem perdiderunt; meliores piratæ quàm milites.

MUNDI 4566. CHRISTI 513.

*Severus turbat Orientem.*

Severus hæreticus, à quo Severiani, & caput Acephalorum, Sozopoli in Pisidiâ natus, primùm versatus in foro, deinde Monachus ex mago & venefico factus, inter Gazam & Majumam; inde pulsus ob hæresin, ingratiam Anastasii Imperatoris ita se insinuavit, ut ad sedem Antiochenam eveheretur. Statim Chalcedonense Concilium damnat; & qui ei restiterat Elias Hierosolymitanus exautoratur, ac substituitur Ioannes unus è S. crucis custodibus, pollicitus à fide prævaricationem. Operâ tamen S. Sabæ idem Ioannes damnavit Nestorium, Eutychetem, Severum, & Soterichum, ideoque missus in carcerem à Duce Palæstinæ, ex quo callidè effugiens huic Duci restitit. Sic publicè professus est fidem Catholicam, factus prævaricationis promissæ bonus prævaricator.

*Alamandarus Severianos irridet.*

Alamundarus Saracenorum phylarchus conversus ad fidem, duos ad se missos à Severo prudentes elusit, fingens ad se datas litteras de morte S. Michaëlis; quas cùm irriderent Severiani, Deum secundùm eos mortuum majori risu dignum esse sapienter ostendit.

*S. Sabas benè recipitur.*

S. Sabas iterum adire compulsus Anastasium, ut oppressa Palæstina tributis, utcumque levaretur ob famem quam annis quinque expertaest, benignè receptus est ab Imperatore, qui virum pium hactenus ferrè non potuerat.

*Dæmones Christianos timent.*

Cabades thesaurum quærens in castro quod à Dæmonibus servabatur, eos frustra per magos & Judæos depellere conatus est, quos Episcopus Christianus facilè fugavit; quare Christianis Rex conciliatus potestatem suis fecit hujus religionis, quam mali genii adeò metuerent; Judæis & Magis verberibus malè mulctatis, & plagas suas ostentantibus ignominiosè

MUNDI 4567. CHRISTI 514.

*Vitallianus rebellat in Anastasium.*

Vitallianus Scytha, fœderatorum Comes, incitatus ab Orthodoxis professus se Catholicæ fidei, & Macedonii exulis defensorem, contra Anastasium, interceptis pecuniis ejus, armat 60. hominum millia in Hebdomo; sed perjuriis, de more illusus, octavo quam venerat die recedit, atque Odyssum Mæsiæ urbem occupat, Cyrillum ducem inter duas pellices dormientem enecat, hostemque se Anastasii denunciatum profitetur. Ferunt tum cæsa 65. millia, & Hypatium ducem captum. Aliunde per Imperatorem, & Timotheum Episcopum multi oppressi, multi in Oasin relegati. Restitere tamen aliqui fortiter; inter cæteros Juliana; quæ templum S. Virginis in Honoratis condiderat. Hæc autem Timotheo numquam communicare voluit: ideo multa ab Imperatore passa, constantior hæc patiendo, quàm ille pertinacior sæviendo fuit.

Tertia, ob Trisagii depravationem, orta est Constantinopoli seditio; in quâ latere coactus est Anastasius in suburbio; atque his latebris vitam suam debuit: quibus permota ipsa Ariadna eum graviter increpuit, eique exprobravit impietatem, quâ Imperium à se datum pessumdabat; sed canebat surdo, & fulminibus non tam deterrendo, quam perdendo.

Symmachus Papa obiit 14. Kal. August. sedis suæ anno decimo quinto cum 8. ferè mensibus. Successor ei datus post dies 7. Hormisdas Campanus, ac sublata vel ipsa umbra Schismatis.

MUNDI 4568. CHRISTI 515.

Vitallianus rursus admovet Urbi exercitum; mittit ad eum Imperator Senatores, qui leges pacis componerent, hoc est, revocarentur exules, cogeretur Synodus, cui ipse Romanus Pontifex interesset. Sed Evagrius meminit hîc navalis prælii, quo Vitallianus victus est à Marino Syro, Anastasii duce, ejus classis incensa speculis æris à Proclo nobili mathematico fabrefactis, uti scribit Cedrenus. Nihilominus pax coaluit, ingens pecuniæ vis Vitalliano numerata. Misit & in Orientem legatos suos Hormisdas, hortante Theodorico Vitalliani amico, pollicitus & se venturum in Orientem; sed hæc omnia Anastasii tergiversationibus, & perjuriis elusa sunt.

Moritur tum Ariadna Augusta, quæ annis 60. vixerat in palatio. Moritur & Macedonius exul, ob Hunnorum in Cappadociam irruptionem Gangram migrare compulsus, ubi & miraculis fertur inclaruisse, conditus in sepulchro sancti Callinici Martyris; cujus familiaris à Deo admonitus est in somnis; ut Anastasium ad divinum tribunal comparare se juberet; quod somnium vanum non fuisse mox ostendit eventus.

Theodoricus filiam suam Amalasuintam cum Euthatico Cillicâ nuptiis copulavit; cui simul regnum dotale offerebat, magnâ recipientis gloriâ, non minori utilitate concedentis.

MUNDI 4569. CHRISTI 516.

Anastasius Legatos ad Hormisdam mittit laicos homines, & Eutychianos, ideo re infectâ remissus. Interim ille populi gratiam sibi conciliat, eoque pacto Vitallianum in ordinem redigit, dato ei successore Rufino; quare promissa retractat, & Hormisdæ significat ne se Româ moveat. Quod cùm illi populus exprobraret, respondit Manichæorum more licitum esse Imperatori perjurium, hinc in Episcopos Catholicos sæviit, quorum plurimos damnavit exilio. In suo tum mortuus est Elias Hierosolymitanus Antistes, vir fortis ac sanctus, & dignissimus martyrio.

Obiit

Obiit tum Alexandriæ Patriarcha Ioannes Nicæota, cui successit Dioscorus Iunior, Timothæi Æluri consobrinus: quando, & magni tumultus Alexandriæ concitati sunt, in quibus filius præfecti Augustalis interfectus est. Quamobrem multi è civibus cæsi, in hanc Urbem Anastasius vehementi furore inflammatus est. Eum ut restingueret accessit, Dioscorus; sed à plebe Constantinopolitanâ conviciis exceptus ut hæreticus, factisque ac nomine odiosus, ex Urbe fugere compulsus est.

MUNDI 4570. CHRISTI 517.

Getæ utramque Macedoniam, ac veterem Epirum vastant. Mille librarum auri denarios mittit Anastasius Ioanni præfecto Illyrici ad captivos redimendos: cùm hæc summa ad omnes recuperandos non esset satis, multi trucidati, Imperatoris sordes populo vehementer displicuere.

Hormisdas Papa Legatos mittit ad Anastasium, Ennodium Ticinensem & Peregrinum Misenatem Episcopos. Hos frustra tentatos remittit in fragilem navem, vetatque ad ullum portum accedere; at hi per fideles Monachos litteras Pontificis per Urbem dispersere; quibus respondit aliis atrocibus Anastasius; quid enim aliud à fanatico Imperatore speraretur?

Gravis excitatur adversus Syriæ monachos persecutio à Severo Antiochiæ, & Petro Apamæ Episcopis; quibus lubenter accinuisset Anastasius Constantinopoli, nisi hunc populi metus inhibuisset.

MUNDI 4571. CHRISTI 518.

Quarta ob Trisagion drpravatum coorta seditio Constantinopoli; in quâ Anastasius positis ornamentis Imperii populum flexit ad commiserationem, jussusque est insignia recipere, quibus indignus erat. Tum quoque obiit Timotheus Episcopus Constantinopolitanus, cui suffectus Ioannes Cappadox, Catholicæ fidei fautor, meliora tempora visus est præcinere.

Vidit tum in somniis Anastasius virum terribilem, qui ex codice quem tenebat manu annos 14. de ejus vitâ expungere minitaretur; quos & statim delevit. Nec mora; Idus Aprilis fer. 5. Majoris Hebdomadæ tonante Cœlo, dum subinde cubicula mutat, fulmine afflatus interiit, octogenario major. Imperavit annos 27. menses tres; dignus cœlesti fulmine percelli, quem Apostolica fulmina nequaquam ad sanam mentem revocassent.

Iustinus, genere Thrax, ignobili loco natus, & primò operarius, aut etiam armentarius, vel subulcus, vir egregiè Catholicus, & fortis, 7. Idus Iulii occupavit Imperium. Amantius spado id Theocrito parare moliebatur, ideoque pecuniam militibus numerandam commiserat Iustino: at hic eam suo nomine largitus militi & populo, sibi & serere & metere maluit. Statim Lupiciam conjugem suam dixit & Augustam & Euphemiam, ne infausto nomine populus offenderetur.

Nova igitur illicò inducta est in Ecclesiam facies; Ioannes Constantinopol. Synodum coëgit, in quâ Chalcedonense Concilium in sacras tabulas relatum; sancti Leonis Papæ & Macedonii nomina in diptychis scripta; Severus damnatus, cui obtinuit Vitallianus, magister tum militiæ factus à Iustino, ut lingua amputaretur; sed fugit in Ægyptum cum Iuliano Halicarnassensi, eamque suâ hæresi infecit; cujus loco creatus est Paulus; Dioscoro mortuo suffectus Timotheus; Xenajas Hierapoleos & Petrus Apameæ Pseudo-Episcopi ejecti; Chalcedonensis Synodus edicto Imperatorio recepta: unius viri morte atrocissimâ, & unius ad Imperium dignâ promotione pax Ecclesiæ ac orbi reddita est. *Pax Ecclesiæ reddita.*

Amantius cubicularius spado, cum aliis ejusmodi Enunchis, & Theocrito cui Imperium affectatum erat, de medio sublati; ne turbarent pacem tot laboribus comparatam quam promeruerant suis sceleribus mortem subierunt. *Mulctati seditiosi.*

MUNDI 4572. CHRISTI 519.

Consulatum hoc anno gessere Iustinus Imperator, & Eutharicus Theodorici gener qui dignitatem suam illustribus spectaculis & largitionibus celebravit, ne Barbarico nomine annus iste fœdaretur. *Eutharicus Consul.*

Hormisdæ Legati; cujus princeps S. Germanus Capuanus obtinuit à Iustino ut damnarentur hæretici Nestorius, Eutyches, Dioscorus Alex. Timotheus Ælurus, Petrus Mogus, Acacius, expungerentur nomina Flavitæ, Euphemii, Macedonei Timothei; immo Zenonis & Anastasii Imperatorum, datâque operâ, ut idem fieret in aliis provinciis & civitatibus; plenæ victoriæ à Catholicis monimentum. *Plena victoria Catholicorum de hæreticis.*

Orta Constantinopoli controversia inter Victorem Diaconum, & Leontium monachum affinem Vitalliani, & Scythas monachos, utrum dicendum esset unum de Trinitate passum esse, quæ Romam delata est: cujus occasione S. Fulgentius librum scripsit de Incarnatione Verbi hoc tumultu redimendum. *Scytharum monachorum controversia.*

Alexandriæ divisi hæretici; Severus corpus Christi corruptibile dicebat. Ioannes Halicarn. incorruptibile. Timotheus Alexandrinus stetit à Severo, ideò Themistius ab eo defecit, & condidit sectam Agnoëtarum, ut ex Ioanne nata incorruptibilium seu phantastarum, ex Severo Corrupticolarum; omnes ex Severo progenitæ pestes, Hydræ pares ac geminæ. *Severianorum variæ sectæ.*

Hermenifredus, Thuringorum rex, Bertarium fratrem patrem S. Radegundis sustulit; Badericum alterum fratrem appetiit bello, evocato in auxilium Theodorico filio Clodovæi; quem postea prædâ privavit; ingratus in amicum, qui perfidus in fratres extiterat. *Bellum in Thuringia.*

MUNDI 4573. CHRISTI. 520.

*Vitalliani cædes.* Vitallianus hujus anni Consul occiditur, aut ab iis quorum affines interemerat, aut curante Iustino, quoniam ei volebat imperare. Iustiniano data est militum præfectura; quo etiam suadente creditur sublatus Vitallianus. Tum autem Veneta factio Prasinæ facta superior ubique in eam sæviit, bello domestico imprudenter tolerato.

*Pax Ecclesiæ omnino conficitur.* Ioanni Cappadoci mortuo successit Epiphanius Episc. Constantinopolitanus, qui statim ad Hormisdam scripsit, & impetravit ut eorum nomina exautorarentur qui Acacio communicarant, quòd ea obstinatius quædam civitates retinerent. Fecit etiam satis suis litteris ob cædem Thessalonicensem Dorotheus; omnia ad pacem inclinarunt.

*Theodoreti Effigies Cyrum inducta.* Nestoriani solenni ritu Theodoreti effigiem curru invexere Cyrum; quod improbavit Justinus, & facti autores mulctavit; is enim sapiebat novitatem, in hæreticis semper reformidanda

## CAP. III.

## *Decas Tertia,*

*Ab anno Christi 520. ad 530.*

MUNDI 4574. CHRISTI 521.

*Iustiniani Consulatus.* Celeberrimus hic est annus Justiniani Consulatu, quem magnificè iniit 238000. solidorum in populum & spectaculorum apparatum effusis; quibus ad Imperium jam eniti videbatur.

*S. Brigida Scota moritur.* Mortua est hoc anno S. Brigida Scota vel Hiberna virgo; de ejus enim natalibus populi duo isti, sui juris tenaces, acriter disputant. Hæc miraculis clara ante & post obitum extitit; hoc celeberrimum, quòd lignum ex quo conflatum erat altare, emiserit folia ad ejus contactum; signum certissimum illibatæ ejus castitatis.

*Episcopi Catholici Hæreticis substituuntur.* Paulo Antiocheno mortuo successit Euphrasius, ausus è sacris diptychis Chalcedonensem Synodum, & nomen Hormisdæ expungere. Ad se reversus tamen, ex metu quatuor Synodos approbavit, & sponte palinodiam occinuit antequam cogeretur. Ejecto quoque Timotheo Alex. hæretico, ordinatus est Catholicus Asterius, quo plurimùm Ægyptus jamdiu ab heterodoxis detenta indigebat.

MUNDI 4575. CHRISTI. 422.

*Bellum Persicum Iustini & Cabadis, & pax.* Consules hujus anni fuere Symmachus & Boëtius, quo bellum inter Justinum & Cabadem Persarum Regem exortum est ob Tzathium (Paulus Diaconus Zatum Lazorum appellat) regem, à Persis deficientem, receptum à Justino, & Christianis sacris initiatum, ductâ Valerianâ fœminâ Christianâ. Cabades Ziligbin (Paulo Diacono Zelioben) Hunnorum regem immisit; sed is corruptus à Justiniano, & accusatus ab eo apud Cabadem interfectus, deletis copiis, pœnas ancipitis fidei suæ dedit. Perses igitur amicitiam cùm Romanis instauravit. Voluit & filium Cosrhoëm suum minimum, designatum successorem suum, à Justino adoptari; sed hanc petitionem sapienter dissuasit Proclus quæstor, fortiter repulit Justinus. At Zonaras scribit periisse tantùm Cabadem, ut Justinus filii Cosrhois pueri tutor esset, quod est similius vero.

Duna an Rex Homeritarum ex Christiano factus Hebræus obtinuit urbem Nagran, diu armis tentatam, in quâ contra fidem datam multos interemit. Christo renunciare nolentes, inter quos Aretam primarium civitatis virum, & genere quidèm, seo adhuc virtutibus illustriorem. His omnes colit Ecclesia Martyres, in odium Christi à Proselyto Iudæo immaniter interemptos.

Thrasimundus Rex Wandalorum annis 27. & ampliùs, moriens hoc anno regnum Africæ reliquit Hilderico Hunerici filio ex Placidiâ nato; sed adacto priùs per jusjurandum se nunquam Ecclesias redditurum Catholicis quandiu regnaret. Et verò suam hîc prudenter servavit fidem: antequam enim regnum adiret, restituit omnes Ecclesias Fidelibus, atque Episcopos revocavit ab exilio; inter quos rediit S. Fulgentius. Tum quoque creatus est Episcopus Carthaginiensis Bonifacius, pax Africanæ Ecclesiæ reddita, quando & à quo minùs expectabatur.

MUNDI 4576. CHRISTI 523.

Hormisdæ Papæ mortuo, sedis suæ anno 9. cum diebus decem, 8. Idus Aug. post dies 7. successit Ioannes Etruscus, etiam suâ fortitudine, quàm summo Pontificatu illustrior.

Justinus Manichæos capite puniri jussit, ex iisque plurimus sustulit. Cabades quoque in eos severe animadvertit. Cùm enim nefarii isti Phtasuarsam seu Phartuarsam ejus filium ad hæresin suam pollicitatione regni pertraxissent, hos priùs sibi callide conciliatos, & in unum locum cum Episcopo suo coactos, coram Magorum principe, & Antistite Christianorum medico optimo, immisso milite trucidavit; gratum cœlo, inferisque spectaculum.

Mortuâ Euphemiâ Justinus Theodoram duxit uxorem, atque coronavit. Tum quoque multos improbos lapidatores, percussores, depopulatores, incendiarios, igni, ferro, suspendio sustulit; & paucorum supplicio publicæ tranquillitati sapienter providit.

Hoc anno excitatus à Justino ad ultionem Homeritarum Elsebaan Rex Æthiopum, partâ divinitiùs nobili victoriâ Dunaanum cum suis omnibus interemit, ac stabilito civili atque Ecclesiastico statu Homeritarum, missoque diademate Hierosolymam, & relictâ Æthiopiæ administratione, cilicio indutus in monte quodam asperrimam vitam exegit, in se severiùs & diutiùs quàm in ipsos Christi hostes animadvertens.

MUNDI

MUNDI 4577. CHRISTI. 524.

Anazarbus metropolis Ciliciæ concidit terræ motu; quam reparatam de suo nomine Iustinopolin Imperator dixit. Vastata quoque Edessa Scirti fluvii, quo alluitur, eluvie, quando & in eâ inventus lapis sic inscriptus, Σκιρτὸς ποταμὸς σκιρτήσει κακὰ σκιρτήματα ταῖς πολίταις. Hoc quoque tempore adducta est Gygas fœmina ex Ciliciâ, quæ procerissimum quemque cubito uno excedebat, pectore & humeris latissimis, cæteris partibus non invenustis, & quæ fœminam decerent, sed proceram.

Iustinus hæreticorum ac potissimùm Arianorum Ecclesias consecrari jussit; qui nuncius Theodoricum Amalam in magnum furorem egit, idem Catholicorum Ecclesiis in suâ ditione nterminantem.

MUNDI 4578. CHRISTI 525.

Theodoricus ut suis Arianis consuleret Ioannem Pontificem in Orientem proficisci jubet. Hic editis in itinere aliquot miraculis Constantinopolin ingressus est multo cum honore, hîcque sacrum Paschatis diem Romanis precibus celebravit. Iustinus coram Ioanne se prostravit, atque ab eo coronari voluit. Quid à tribus aliis Legatis factum ignoratur, & utrum aliquid Arianis impetrarint; certè Ioannes multas Arianis ereptas Ecclesias consecravit, & redeuntes legati in carcerem sunt conjecti; signum certissimum legationem hanc Arianis Orientalibus non satis utilem extitisse.

Tum mense Octobri Antiochiæ totis sex mensibus incendium sæviit, quo plurimi sunt absumpti. Causa mali nunquam detecta fuit, cùm ab imbricibus & summis tegulis exortum, per totam domum descenderet atque spargeretur; quod divinitus immissum esse nemo dubitare poest.

Priscianus Cæsariensis Grammaticus hoc anno Constantinopoli docebat; magnus magister, & ferè princeps artis hujus tam necessariæ, quàm contemptæ.

MUNDI 4579. CHRISTI. 526.

Contigit hoc anno terræ motus, qui Antiochiam tantùm non perdidit, at totum ferè annum tenuit; adjunctum quoque huic incendium ad majus damnum & terrorem. Iustinus auditam hîc calamitatem sublato diademate & depositâ purpurâ in sacco luxit. Eo obrutus est Euphrasius Episcopus, cui suffectus est Ephræmius Comes Orienti præfectus, quòd insigni liberalitate ac providentiâ urbi afflictæ providisset; dignus judicatus præesse animis, qui sic corporibus consuluisset. Hanc vastitatem eodem momento sentiebat monachus Zosimus, ut huic suis precibus ac votis vir sanctus mederetur, cui Leo Asini quam voraverat partes explebat.

Ioannes Papa detentus in vinculis Ravennæ à Theodorico, confectus ærumnis obiit 6. Kal. Iunias, cùm sedisset annos 2. menses 9. dies 14. cui post dies 58. sublectus est Felix IV. nominatus à Theodorico, & dignissimus qui eligeretur; ut hoc sibi jus rex impius arrogaret dum seligit dignum. Ioannis corpus translatum Romam honorificè sepultum est in Basilicâ S. Petri, & Martyr colitur ab Ecclesiâ quam suo pædore ac carcere consecravit.

Theodoricus Severinum Boëtium & Symmachum illius socerum, accusatos falsò restituere velle Rom. Rempublicam, capite truncari jubet; & Boëtium quidem longo carcere Ticini maceratum. Ferunt Boëtium capite truncato locutum esse, & Spiculatori impietatem exprobrasse, atque caput ad vicinam Ecclesiam detulisse. Fuerunt duo illi viri facilè Orbis Romani principes, seu generis nobilitatem, seu doctrinam spectes. *Symmachi & Boetii mors.* Non ita multò pòst cùm Theodorico discumbenti appositum esset ingentis piscis caput, visus est sibi videre Rex fanaticus Symmachi caput; quo territus ostento, paulò pòst inter suorum manus expiravit, morte quæ ab hæretico, tyranno, & atheo expectanda videretur. Ejus certè animam à Ioanne Pontifice & Symmacho in voraginem igneam præcipitari Monachus quidam in Liparâ insulâ vidit; nec esse vanum somnium solitarii hujus, hominis teterrimi crudelitas innuit. *Theodorici mors.*

Huic successit nepos Atalaricus Amalasuinthæ filius octennis, à matre optimè educandus nisi Gothorum ferias obstitisset, negantium hunc fortem fore quem ferula terruisset. *Athalaricus ei succedit.*

Sigismundus Burgundionum rex, filius Gundebaldi, amissâ priori conjuge filiâ Theodorici Italiæ Regis, aliam induxit, cujus artibus Sigyricum innocentissimum juvenem ex Gothâ uxore susceptum interemit. *Sigismundus Sigyricum filium necat.* Mox tamen suam agnovit culpam, & in Agannensi, monasterio quod extruxerat, multis lacrymis & jejuniis obtinuit à Deo ut in hâc vitâ potiùs quàm in alterâ criminis hujus pœnas dependeret; nec vanas fuisse preces mox ostendit eventus.

MUNDI 4580. CHRISTI 527.

Mavortio solo Consule Kal. April. Iustinus Imperator Iustinianum sororis suæ filium, jamdudum Nobilissimatus titulo exornatum; in consortium vocat Imperii, annos natum 45. atque hujus capiti suis manibus imponit diadema. *Iustinianus fit Collega Iustini.* Statim uxor ejus Theodora Eutychiana, aut certè Eutychianis favens, dicitur Augusta. Paulò pòst, hoc est Kal. Augusti, moritur Iustinus ex ulcere pedis in bello sagittâ sauciati, anno ætatis 77. cùm annis IX. & insuper mensem unum imperasset. *Iustinus moritur.* Quo mortuo Iustinianus statim bona sua legavit Ecclesiæ, multaque in ejus commoda sanxit, de se pius, ab uxore tantùm nequissimâ fœminâ irreligiosus & sævus.

Clotildis Clodovæi relicta efficit ut filii patris sui Chilperici necem ulciscerentur bello Burgundionibus indicto. *Bellum Burgundicum, quo captus Sigismundus.* Clodomirus Gundomarum fratrem Sigismundi fugat, ipsum Sigismun-

gismundum cum liberis & uxore capit, ac in Aurelianensi castro detinet. Interim collectis copiis Gondomarus Burgundionum recuperat regnum, nullo opere pretio Francorum, nisi quòd in vinculis haberent Sigismundum eorum furori victimam à Deo præparatam.

MUNDI 4581. CHRISTI 528.

*Iustinianus felix.* Hic annus, celebris tertio Justiniani solius Consulatu, utilis fuit Imperio & Ecclesiæ. Lazorus enim Rex à Romanis restitutus, re priùs malè ex trium ducum discordiâ, postea ab uno prospere gestâ, Armeniæ Στρατηλάτης primùm datus cum valido præsidio ad Orientis tutelam, Boazer uxor Balachi Hunnorum Saberorum Σαβείρων cum centum millibus suorum se Romanis adjunxit, & duos alios Hunnorum reges à Cabade excitatos concidit, uno jugulato in acie, altero Constantinopolin misso. Denique Hunni alii qui Bosphorum occuparant, & Tribunum Dalmatiæ cum copiis ceciderant, à Ioanne Exconsule repressi; Justinianus se Imperio dignissimum ostendit.

*Antiochia terræ motus impeditus.* Antiochia ingenti terræ motu iterum quassata, cœlo interim vehementer infremente, ædificia omnia corruerunt, ferè hominum quinque millia perierunt, aliis civibus per montes & vicinas urbes dissipatis. Tandem admoniti de cælo ut hæc verba suis domibus inscriberent, χριστὸς μεθ' ἡμῶν στῆτε. paucis hisce verbis malo remedium invenerunt.

*Sigismundus necatur.* Clodomirus adscito in belli societatem Theodorico Metarum Rege, Gundomarum Burgundionem aggreditur. Sed antequam egrederetur Aureliis, Sigismundum cum uxore ac liberis in Aurelianensi vico, Columnâ, jacit in puteum, nequicquam impediente S. Avito Miriacensi Abbate, & de cœlo minas intentante. Sigismundus post obitum, multis miraculis clarus, in sanctorum numerum est relatus, festus ei assignatus dies Kal. Maii: Avitus autem statim agnitus est veridicus vates. Clodomirus enim cum fratre Burgundiones aggressus, eos quidem egit in fugam, sed dum palantes longiùs insequitur, cæsus est, præscisum ei caput ad terriculum Francorum, Gundomarus regnum recepit. Relictam Clodomiri Guntheucam duxit Clotarius; Theodovaldum, Guntharium, Chlodovaldum, ejusdem Clodomiri liberos, Clotildis secum duxit, miserum tantæ cladis solatium, postea & majoris tristitiæ causam atque materiam.

*Clodomirus victor cæditur.*

*Franci fratres parum concordes.* Theodoricus Metarum Rex accito fratre Clotario movet in Hermenifridum; victi magnâ clade Thoringi, eorum tota regio subacta. Clotarius Bertarii filiam Rhadegundem abduxit, nondum nubilem; ideò aliquot annis educatam ad regias nuptias. Interea duo fratres Franci mutuis sese insidiis appetunt, ac simulatâ demum pace redeunt in gratiam; Hermenifrido tamen per Theodoricum proditoriè cæso. Childebertus falso rumore sparso de morte Theodorici, ejus ditionem & Arvernos invaserat; sed audito fratris reditu, statim quoque ad sua reversus est: sic inter fratres maximè potentes *concordia rara* est.

MUNDI 4582. CHRISTI 529.

Coss. Lampadio & Oreste Justinianus instaurat desolatam Antiochiam, ac Theopolin vocat; cujus Christus Deus patrocinium & tutelam ipse suscepisset.

Belisarius cum copiis in Persidem missus: tentata tamen pax est ab Hermogene Scythâ, Vitaliani amico, viro prudente; quæ tamen rejecta propter Samaritanorum proditionem.

Enimvero Judæi atque Samaritani constituto sibi Rege Juliano rebellarunt, ac fœde in Christianos sævierunt, sed omnes capti cum suo principe Juliano exterminati sunt. Samaritani Legatos ad Persas miserant, eis polliciti Palæstinam: hi intercepti à Belisario, atque torti crimen confessi, id morte suâ elverunt.

Alamundarus Saracenus Syriam primam populatur, repulsus statim à Romanis; iterum rediit, iterum fugatus prædam reliquit ingentem, & in Indiam se recipere coactus est, sed quid sit hæc India facilè pronunciari non potest, nisi dixeris Æthiopiam.

Codex Justinianeus absolutus, & promulgatus est 16. Kal. Maii; liber justitiæ sacrarium, & rerum omnium publicarum Thesaurus; cui inter viros maximè laboravit Trebonianus quæstor, omnium sui temporis eruditissimus, & avarissimus.

Concilium Arausicanum secundum habitum est in Galliâ, Gratiâ & de libero Arbitrio, contra Pelagianos & Semipelagianos; & sub idem tempus ibidem Carpentoractense & Vasense, Ecclesiæ pernecessaria.

Obiit Kal. Ianuarii S. Fulgentius Ruspensis Episcopus, sanctitate ac scriptis illustris, cujus discipulus Ferrandus hujus temporis ornamentum fuit, mortuus est autem Fulgentius, hæc verba sæpius iterans: *Domine, da mihi modò patientiam, postea indulgentiam*: digna quæ morituris Christianis omnibus inculcentur.

Tum S. Benedictus montes Sublacenses reliquit, Dei monitu, & Casinum montem petiit, illustre sacrarium sanctitatis effectum, ex Dæmonum atque idololatriæ receptaculo.

Mortuus denique hoc anno Felix, cùm sedisset annis circiter 5., locum suum Bonifacio reliquit; cujus nomen, quàm vita, melius fuit.

MUNDI 4583. CHRISTI. 530.

Persæ bis hoc anno victi, primùm Duce Belisario ad Duras, cui Perozes Mirrhanes Persa mandaverat ut eo die sibi pararet balneum; deinde per Sittam ducem, à quo superatus cum suis Hunnis Sabiris Mermeroës. Tentavit nihilominus pacem Justinianus per Rufinum legatum; sed hæc coalescere non potuit, Persis nondum satis domitis, Romanis nondum plenè victoribus.

Narses, qui tam egregiam Justiniano in Italiâ postea navavit operam, ejusque frater Aratius & mater, omnes Persarum Principes, hoc anno ad Romanos accessere, defectione utique his utili, illis necessariâ.

Hil-

Hildericus Rex Wandalorum à Gilimere consobrino, Genserici nepote, exuitur regno, & datur in vincula, cùm annis 7. ragnasset. Sufficitur idem Gilimer, à quo reposcitur Hildericus à Iustiniano: deneganti indicitur bellum, Africæ expetendum.

S. Sabbas Legationem obit ad Iustinianum pro Catholicis sublevandis, & quæcumque voluit obtinuit: sic enim petentis sanctitas, sic æquitas rogati postulabant.

## CAP. IV.

### *Decas Quarta.*

*Ab anno Christi* 530. *ad* 540.

MUNDI 4584. CHRISTI. 531.

ALamundarus Saracenus Cabadem in Romanos excitat, & cum Persis per Comagenem n Syriam irrumpit; sed repellitur à Belisario; & vicisset eos sine certamine Belisarius, nisi à suis d prælium compulsus esset. Persæ retulere victoriam, sed Cadmæam, ideo Azarethem ducem uum Cabades notavit ignominiâ. Iustinianus lios Saracenos, & Homeritas conciliare conatus est. Relictus in Oriente dux Sippa, Belisaius in Wandalos missus, & ad faciliorem, ac ertiorem victoriam.

Bonifacius Ro. Pontifex, coactâ Romæ Synodo, contra Canones sibi successorem destinat Vigilium Diaconum, hanc dignitatem prensantem; t postea idem Pontifex fassus errorem, in aliâ ynodo chirographum suum rescidit, ac paulò ôst obiit 17. Kal. Novembr. Cui eodem anno oost duos menses, ut aliqui volunt, datus est successor Ioannes II. cognomento Mercurius, patriâ omanus.

Amalaricus duxerat Clotildem filiam Clodovæi Francorum Regis, eamque ignominiosè ac rudeliter vir Arianus Catholicam tractabat. Misit hæc ad fratrem Childebertum sudarium uo infectum sanguine; hic armatus Hispaniam ubit; dum fugere parat Amalaricus, occiditur. Deo loco ambigitur, sicut & de victoriâ Childeberti; certum hoc, spoliis divitem in Galliam ediisse cum Clotilde, quæ in itinere obiit. Amaarico successit Theudes Gothus tutor, missus à Theodorico, & nobili Hispanâ fretus conjuge, Tyrannus effectus; vir fortis & industrius, ut electio Theodorici satis innuit.

Obiit hoc anno S. Sabbas, ætatis anno 92. vir notissimæ, & Imperatoribus etiam charæ sanctiatis.

Incipit hoc anno Cyclus Dionysii Exigui Scyhæ, annorum nonaginta quinque seriem temporis digerens, non per Olympiadas aut indictiones, sed per annum Christi nati. Compegit & ille n unum corpus Canonas; & Latinos fecit, aut veriùs emendavit; vir parvi corporis, & magni laboris.

MUNDI 4585. CHRISTI. 532.

Famosus est hic annus seditione Constantinopolitanâ, cui tessera fuit *vixa*, unde ei nomen; quæ inter Prasinos & Venetos orta totam urbem distraxit, & Iustinianum in discrimen adduxit: cùm enim Præfecti tres seditiosos corripuissent, Monachi S. Cononis eos vi eripuerunt, & lembo impositos in S. Laurentii templum Asylumque deportarunt. Vallatus statim locus à militibus, quos populus jugulavit, subditis etiam Prætorio facibus, quibus multa ædificia sacra & prophana, multique mortales absumpti sunt. Sed Belisarius cum Gothis irruens, multos ex seditiosis occidit; tum seditio recruduit, cæsis qui reliquias ferebant ad sedandum populum: mulieres è tectis pugnarunt, quare iis subjectæ faces. Acclamato à seditiosis Imperatore Hypatio, Iustinianus de fugâ cogitabat; sed impeditus à Theodorâ, Palatium suum muniit. Demum à Narsete, Mundo, & Belisario multis cæsis, (adeò ut uno die triginta aut 35. millia interfecti esse perhibeantur) & pecuniâ in Venetos effusâ, sicque distractis conjuratis, captus Hypatius cum Pompejo, & Probo consobrinis, nepotibus Anastasii, & cum iisdem interfectus pacem Urbi ac Imperatori reddidit. Tum Eulogii historia contigit, qui, orante viro sancto, ex pio & inope latomo dives & impius effectus, secundùm preces ejusdem sancti viri, quòd fovisset seditionem, & stetisset ab Hypatio, spoliatus bonis omnibus ad lapicidinam ac pietatem rediit. Iustinianus pacatâ seditione, ad instaurandam Urbem, quæ tum magnâ ex parte inflammata fuerat, & maximè S. Sophiæ maximum templum, adjecit animum; periculi, quò defunctus erat in hâc clade, illustre monimentum.

*Constantinopoli.*

*Eulogius Latomus.*

Cabades, Zonaræ Evadus, Paulo Diacono Chnudes & Casbades, missis copiis cum tribus Ducibus Martyropolin obsidet, ac paulò pòst moritur, Cosrhvë juniore filio hærede ex testamento relicto, cui semper benè voluerat.

*Cabades moritur.*

Childebertus & Clotarius Francorum reges iterum expeditionem in Gundemarum suscipiunt, atque ejus fugati totâ ditione potiuntur. Theodoricus, qui invitatus à fratre comes expeditionis hujus esse noluerat, Arvernos populatus plus prædæ quàm gloriæ retulit. Iidem duo fratres Clotarius & Childebertus, consentiente Theodorico, Theodovaldum x. annorum, & Guntharium 7, Clodomiri filios, manu suâ enecant. Tertius Clodoaldus subductus, clericus effectus mirabilii sanctitate floruit, & Novigento oppido 4. passuum millibus à Lutetiâ, ubi Sequana ponte jungitur, suum imposuit nomen. Clotildis cæsorum avia, cædentium mater, magnum dolorem hausit de nepotum nece, majus de filiorum improbitate.

*Childeberti, & Clotari crudelitas.*

Hoc denique anno inter Severianos, seu Acephalos, & Catholicos, Iustiniani jussu, habita Collatio Constantinopoli, Episcopis & Presbyteris utrimque disceptantibus. Secundâ die respondent Catholici Hæreticis, tum primùm proferentibus scripta S. Dionysii Areopagitæ, hos libros non esse Dionysii, quia nòn potuissent latere S. Cyrillum, immo nec S. Athanasium; & sic concludunt: *Si autem nullus ex antiquis recordatus est ea, undenam potestis ostendere*

*De S. Dionysii Areopagitæ scriptis.*

*quia*

*quia illius sint?* Hæc autem scripta primùm citata sunt ut Areopagitæ à S. Gregorio, Sophronio Hierosol. & 6. Synodo, non ab Origene & Athanasio, ut malè quidam putavere. Quòd autem Dionysii Areopagitæ non esse videantur, hæc dicuntur evincere; *primò*, quòd hæc dedicentur Timotheo, non Presbytero alicui, sed ἱεράρχῃ, cùm tamen in iis citetur dictum à S. Ignatio ad Romanos, at ex eodem Ignatio ad Ephesios constat Timotheum Episcopum mortuum esse, cùm Ignatius scripsit ad Romanos; ergo Dinoÿsius nuncupat librum Timotheo jam demortuo. Deinde meminit Monachorum, quos vocat *divinos præceptores nostros*: at monachi longè tardiùs floruere, nec ante annum Christi 250. quomodo enim Athanasius & Hieronymus dum de Paulo & Antonio scriberent, se delineare primorum Monachorum vitas assererent? Ad hæc meminit οὐσίας, & ὑποστάσεως; at hæc voces non sunt receptæ nisi in Concilio Alexandrino anno Christi 362. Præterea hi libri videntur esse scripti post quatuor prima Concilia, cùm in iis Arii, Macedonii, Nestorii, Eutychetis & aliorum ejusdemmodi refutati esse videantur errores. Denique dum loquitur de Baptismo infantium: *Jametsi hoc quoque de hac re dicimus, quod divini nostri Pontifices ab antiqua traditione mysticè edocti ad nos usque produxerunt*; Quinam enim illi Pontifices respectu Dionysii, nisi Apostoli? at si Apostoli, quomodo edocti traditione? aliaque ejusmodi quæ viri eruditi proponunt; quibus tamen longè plures adversantur, iique viri non infimæ notæ: hujus operis non est, neque *nostri tantas compone re lites*.

*Origenistæ in Syria.* Origenistæ rursus in Palæstinâ apparent, præsertim inter Pseudomonachos, ducibus Nonno & Leontio, impuris nebulonibus, qui multa acerbè & crudeliter egerunt, modis omnibus prostratum parentem suum conantes erigere, & Theodorum Mopsuestenum; postea in 5. Synodo proterendus.

MUNDI 4586. CHRISTI 533.

*Pax Rom. inter & Persas.* Pax hoc anno, Justiniani 7. per Rufinum Patricium, & Hermogenem Magistrum officiorum Persas inter & Romanos coaluit; quam hi non refugiebant, illi ducebant esse novo suo Principi necessariam.

*Bellum Wandalicum à Belisario.* Inchoatum est hoc anno bellum Wandalicum à Belisario contra Gilimerem, classe quingentarum navium magnarum, & nonaginta Dromonum. Hæc appellit Carthaginem; educit exercitum Belisarius ipsâ S. Cypriani vigiliâ 7. Kal. Octobris prælium committit, in quo cæsus Ammatas Gilimeris frater; quo casu territus Gilimer fugit Carthagine, cujus portæ statim Belisario patuerunt. Resumit tamen animos Gilimer, collectisque undequaque suis Wandalis, & Zanzone altero fratre ex Sardiniâ evocato, Carthaginem obsidere parat: sed utrique occurrit Belisarius; commisso prælio Zanzonem cædit, ac Wandalorum castra expugnat, Gilimere fugâ dilapso. Ejus insequendi cura cùm esset commissa Joanni Armeno, hic à milite quodam per imprudentiam interfectus est. Sic recepta Carthago à Romanis, anno nonagesimo quinto ex quo occupata fuerat à Wandalis, anno Christi 438. impletumque oraculum in Africâ jactari solitum ὡς τὸ γ' διώξει β', τὸ β' καὶ πάλιν διώξει τὸ γ'. de Genserico, Bonifacio, Belisario, atque Gilimere.

Legatos misêre Romam Constantinopolitani Monachi Acœmetæ, ut damnaretur à Romano Pontifice hæc sententia, *Unus est de Trinitate passus*, quam Hormisdas Papa proscripserat, non quasi heterodoxam, sed novam atque suspectam, contra Monachos Scythas. Contra verò alios misêre legatos Epiphanius Episcopus & Justinianus, ut illa retineretur, quia hic Hormisdæ jussione abutebantur, Nestoriani atque Origenistæ Ioannes Pontifex è re esse judicavit σπεύδειν βραδέως. & sententiam sapienter distulit, tempore ipso atque disceptationibus concoquendam.

Mortuus est hoc anno regni sui 23. Theodoricus Metensium Rex, addictissimus pietati, sed multis vitiis adjunctæ. Successit ei filius Theodebertus, qui cùm malè regnate cœpisset, S. Nicetii Trevirensis Episcopi, quem multùm coluerat ejus pater, monitis, & objurgatione melior evasit; raro in juniori Principe demissionis exemplo.

Ad hunc annum Christi 533. Chronicon suum texuit vir artis hujus scientissimus Dionysius Petavius, in quo nihil desiderari potest, nisi quòd citiùs desierit.

MUNDI 4587. CHRISTI 534.

Gilimer recedit in montem Numidiæ Papuam dictum, ubi obsessus à Phara duce Belisarii tribus mensibus, se dedidit, mittiturque Constantinopolin. Hic veterum more, Belisarius invidiæ hostiumque victor, triumphavit; Gilimer cum suis propinquis triumphatus; qui in Hippodromo videns Imperatorem, & populum exclamavit: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Inde data ei loca quædam in Galatiâ, in quibus cum propinquis degeret: Patricium non creavit eum Iustinianus, quia Arianam hæresim noluit ejurare: Hilderici verò filii & nepotes opibus aucti atque honoribus. Belisarius in annum sequentem Consul designatus, hominibus atque Deo ab Imperatore factum satis.

Athalaricus, moribus corruptissimis adolescens, moritur: in ejus locum, consilio Amalasiuntæ, eligitur Theodatus (velut legunt veteres nummi, Theodahatus) filius Amalafredæ sororis Theodorici, vir doctior quam bellicosior, & in quo literarum & pecuniarum amor respondebant. Sed & sordibus accessit ingrati animi labes, perpetua avaritiæ comes. Hic enim Amalasiuntam de se optimè meritam in carcere detinuit in insulâ Vulsinii lacûs ac postea cædi jussit, magno Gothicæ feritatis specimine, quam litteræ emollire nequaquam potuerunt.

Convo-

Convocatâ Romæ Synodo respondit Ioannes Papa rectè dici unum de Trinitate passum, cùm Christus unus de Trinitate dici posset; contrà sentientes Monachi damnati; res ita definita, ut qui eam non admitterent ut hæretici anathemate ferirentur.

MUNDI 4588. CHRISTI. 535.

Ioannes 2. Papa moritur; sed quo die non liquet, licet Anastasius 6. Kal. Iulias proponat. Sexto ab ejus obitu die substitutus est Agapetus, patriâ Romanus; quem vide ne confundas cum eo Diacono qui Epistolam parænetican de administrando rectè Imperio ad Iustinianum initio sui Imperii scripsit, quæ à Græcis *Regia Scheda* dicitur; cùm hæc sapiat hominem Græcum, etiam viris minùs emunctæ naris.

Epiphanio Episcopo Constantinopolitano mortuo intruditur Anthimus Episcopus Trapezuntinus, occultis artibus Theodoræ Augustæ, cùm hic occultus esset Eutychianus. Alexandriæ item obiit Timotheus hæreticus, cujus locum occuparunt duo Acephali, Theodosius corruptibilium, atque Severi, à pluribus electus, & Gajanus discipulus Iuliani & incorruptibilium, Clero & Monachis charus, à quibus aliæ duæ sectæ prodierunt, & aliæ plurimæ, ut mirum sit ex monstro sine capite tot belluas erupisse. Ioannes autem Philoponus Grammaticus cum eos refutare conatus est, incidit in errorem Tristheistarum, quia *sutor ultra crepidam* processit.

Ad hoc tempus pertinet Regnum fabulosum Yvetotii in Normanniâ conflatum ex 17. pagis, in gratiam ut creditur Gualteri nobilis viri, quem redeuntem ex bello Saracenico, & instructum litteris Agapeti Pontificis Clotarius in die Parasceves suâ manu dicitur interemisse: commenti cujus primus author Gaguinus bonus Monachus, qui sub Carolo 8. vixit, & Nicolaus Ægidius qui sub Ludovico XII. scripsit, hoc est 900. annis à re gestâ. Quæ autem proponunt pro se Domini d' Yuetot, probant tantùm hanc terram sui juris esse, & ætate nostrâ legitimi Principes, quàm ridiculi Reges esse maluerunt.

MUNDI 4589. CHRISTI 536.

Agapetus Pontifex, jussu Theodati legationem suscipit ad Iustinianum, ut eum ab invadendâ Italiâ Gothis averteret. In itinere mutum & claudum à nativitate sanavit. Hîc tamen nihil egit Pontifex; Gothi enim in Dalmatiâ cæso Mundo ejusque filio Mauritio, receptisque Salonis, superiores fuerunt; Belisarius è Siciliâ in Italiam transire jussus est, ab utroque rejecta pax; bellum expetitum.

Mortuo Constantinopoli Agapeto, Romæ electus est Sylverius Campanus, Hormisdæ Papæ filius; sed non sine vi à Theodato adhibitâ, pecuniâ autem emptum à Gothis Pontificatum nemo sapiens hactenus credidit, cùm id suo successori Vigilio tam acriter exprobrarit. Interim Constantinopoli Vigilius Diaconus Agapeti, pollicetur Theodoræ se, si fieret Pontifex, damnaturum Synodum Calcedonensem, & Antimum atque Severum restituturum. Scribit itaque Theodora ad Belisarium; ut Vigilium Pontificem creandum curet, septemque ei Auri centenaria sufficiant: sed Sylverio jam sedente nihil factum, quàm ut Vigilius ambitiosior fuisse videretur. *Ejus competitor Vigilius.*

Ratio conficiendi Sericum tum allata est ex Indiâ per Monachos, inclusis in arundine Bombycum ovis, quæ mirabili fœturâ deinceps totum pæne orbem implevere; nobilium pompa, vermium & infectorum pulchræ sordes, atque egestiones optandæ. *Serici conficiendi ratio.*

MUNDI 4590. CHRISTI 537.

Belisarius viginti diebus obsessam Neapolin capit. Alii humaniter tractasse propugnatores, alii crudeliùs ideoque à Sylverio increpitum esse volunt. Quâ clade auditâ Gothi Theodatum uti ignavum interimunt, cùm 3. annis regnasset, accersuntque Vitigem Ducem è Dalmatiâ, virum militiâ clarum ac fortem, & constituunt regem. Sed is deserere cogitur Romam, relictis in eâ 4. Gothorum millibus sub Duce Leudere. Pergit ergo Ravennam ut copias paret, ubi uxorem ducit filiam Amalasuintæ, repugnantem licèt, ut natalium suorum vilitatem hoc sanguine illustraret. Mittit & ad Francos, ut eos auxiliatores haberet, cedens iis Galliæ partem, & pecuniam iis debitam accuratè persolvens. At Romani veriti furorem Belisarii, 4. aut 5. Id. Decembr. huic Asinariam aperiunt portam, suadente Sylverio; Gothi per aliam fugiunt Ravennam, Leuderes capi maluit quàm fugere, itaque missus est vinctus Constantinopolin, Romæ receptæ nobile monumentum. *Belisarius Neapolin. & Rom. capit.*

Paulus Episc. Alexandrinus, usus potestate sibi ab Imperatore datâ deponendi in Ægypto Duces & præfectos hæreticos, eorum artibus accusatus est necis illatæ Oeconomo Ecclesiæ, atque injustè depositus à Pelagio S. R. E. Diacono & Apocrysario, atque evocatis Episcopis Antiocheno, Hierosolymitano, Ephesino, ad Gazam relegatus. In ejus locum substitutus Zoilus item catholicus, Paulus agnovit seriùs hæreticos armatos ferro & authoritate esse plurimùm etiam bonis & innocentibus reformidandos. *Paul. Alex. exautoratur.*

MUNDI 4591. CHRISTI. 538.

Vitiges cum exercitu centum quinquaginta armatorum, evocatis undequâque Gothis, contra Belisarium movet, ac Romam obsidet: hæc fortiter oppugnata est, fortiter defensa; Belisarius se in urbibus defendendis eum præstitit, qui fuerat in hostibus acie debellandis: Romam tamen Apostolorum Petri & Pauli patrocinium magis, quàm Belisarii virtus servavit incolumen. *Roma defenditur.*

Sylverius, quia sic jusserat Theodora, per Belisarium ejicitur, ac mittitur in exilium Pataram, quasi Gothis faveret; ideoque confictæ ad hoc illius litteræ. Vigilius pactus Belisario duo *Sylverius Papa exulat.*

duo auri centenaria, & commendatus ab Imperatrice, in ejus locum intruditur; Episcopus tamen Pataræ efficit apud Justinianum ut Sylverius reduceretur Romam, ejusque litteræ excuterentur; ac si veræ, alterius civitatis Episcopus crearetur; si falsæ, suæ restitueretur sedi. Quod veritus Vigilius effecit ut sibi à Belisario Sylverius traderetur, qui & eum in insulâ Palmariâ exulem crudeliter detinuit. In quibus licet se sceleratum Vigilius ostenderit, hæreticum tamen eum dixere tantùm, qui de illo ex odio, non ex veritate scripsere. Interea ergo Pontificem egit Vigilius; & ut alia multa præteream, Theodeberti Francorum Regis, ob incœstas nuptias, crimen aboleri posse pœnitentiâ ad Cæsarium Arelatensem rescripsit, atque ita respondit plerisque difficultatibus quasi verè pontificatum obtinuisset, cùm tamen verus esset Papa Sylverius.

*Vigilius intruditur.*

*Origo Trium capitulorum.* Constantinopoli errores Origenis damnati sunt ab Episcopis convenientibus, frustrà renitente Theodoro Cæsareæ Cappadociæ Episcopo, Augustis charissimo, quare cum suis ille aliam excogitavit machinam, videlicet se subscripturum Concilio Calcedonensi asseruit, si damnarentur Theodorus Mopsuestenus, Ibas Edessenus, & Theodoretus Cyri Episcopi laudati ab hâc Synodo; qui quidem dolus effecit Tria illa Capitula in Concilio Generali Quinto excutienda.

MUNDI 4592. CHRISTI. 539.

*Sylverius damnat Vigilium.* Sylverius in Palmariâ insulâ & conventu quatuor Episcoporum 8. Kal. Julii damnat Vigilium intrusum ac Simoniacum; quare acriori custodiâ deinceps detentus, mediaque maceratus, vitam ad annum sequentem extendit, omni morte ditiorem.

*Romani Imp. tetra facies* Hunni Istrum transgressi Constantinopolin usque excurrerant; unde prædam ingentem, & 110. millia captivorum abegerunt, promissâ insuper sibi ab Imperatore pecuniâ, sicut & Saracenis Syriam populantibus. Cosrhoës quoque à Vitige sollicitatus pacem cum Romanis abrupit. Soluta quidem Romæ obsidio quæ totum annum tenuerat; sed tanta inde fames in Italiâ sæviit, ut mulieres stabulariæ 17. hospites acciderint, & vorarint; à decimo octavo, cui parabant necem, interfectæ. Multæ etiam matres filiorum artus in sua viscera rejecere: Famem excepit pestis, quæ superstites messuit, illius racematrix.

*Mediol. à Gothis excisum.* Mediolanum à Gothis excisum, cæsa in hac urbe trecenta millia sine ætatis discrimine; fœminæ Burgundionibus datæ pro inita secum belli societate; Reparatus defectionis author, minutatim concisus voratus est à canibus. Dacius Episcopus fugâ elapsus fugit Constantinopolin; Gothi se in Italico cœlo nequaquam posuisse feritatem docuerunt.

MUNDI 4593. CHRISTI. 540.

*Sylverii Papæ mors.* Sylverius 12. Kal. Julii in insulâ Palmariâ obiit, inediâ ac pædore confectus, anno sedis 4. & 5. inchoato, Martyr agnitus ab Ecclesiâ; cujus Tyrannus Pseudopontifex fuit. Vigilius ubi hunc mortuum esse audiit, & miraculis inclarescere, sponte reliquit quam invaserat sedem; Clerus autem Romanus veritus schisma, eum elegit, satis intelligens Theodoræ fraudibus, & Belisarii vi se non esse parem. Legitimè autem electus Vigilius, statim in alium virum mutatus est, non jam Theodoræ assecla, nec fautor Anthimi; sed hunc percutiens anathemate, illius minas & furorem aspernatus.

Theodebertus Rex Francorum filius Theodorici ingentem in Italiam deduxit exercitum, quo ad Picenum usque penetravit; sed peste, quæ hic grassabatur, infectis copiis, plus militum hic reliquit, quàm abstulit prædæ.

Hoc anno Ravenna civitas cum Vitige mirabiliter Belisario dedita est, pauci tamen Gothi inde fugientes Theodebaldum regem elegerunt; qui principatûs initio, vix mille Gothis stipatus, postea Romanis metuendus evasit, eisque tantùm non excussit Italiam.

Syriam hoc anno invasit Cosrhoës, ubi multas urbes diruit, Antiochiam quoque cepit, cives omnes occidit, domos omnes incendit, præter majorem Basilicam, precio redemptam, ut hæc sanguine & igne de tot hæresibus in eâ natis purgaretur.

## CAP. V.

## *Decas Quinta.*

*Ab anno Christi* 540. *ad* 550.

MUNDI 4594. CHRISTI. 541.

Hoc anno Consul fuit ultimus Basilius Junior sine collegâ; quare deinceps Indictiones receptæ, Imperatorum anni notati, honor ille non privatus, sed publicus fuit.

Revocatur ex Italiâ Belisarius, Justinianum stimulante invidiâ ob res præclarè gestas; qui se cum Vitigem, Principes Gothos ferè omnes, atque ingentem vim pecuniæ detulit; bellum Gothicum confecturus sine dubio, nisi in eo majorem Gothis hostem Imperator reveritus esset.

Adadus Auximitarum Æthiopum Rex vovit se Christianum fore, si victoriam referret de Homeritis atque eorum Rege Damiano Judæo. Hic fuerat cum suis Christianus, sed à Fide defecerat; victor Adadus cum suis salutaribus tinctus aquis majorem de se quam de hostibus victoriam retulit.

S. Placidus discipulus S. Benedicti, prope Messanam, duoque ejus fratres & soror qui eum inviserant, cum multis monachis à Manuchâ piratâ interfecti 3. Non. Octobris Martyrium longius contraxere.

MUNDI 4595. CHRISTI 542.

Occiso Theodebaldo Regi, Gothi sufficiunt Araricum; eidem post aliquot menses sublato, Totilam

Totilam Theodebaldi nepotem, ingenio & :orpore præstantem, & Gothico Imperio re-ftituendo parem, sublegunt. Bis hic collatis signis cum Romano exercitu, eundem devi-:it; & ut suis animos fecit, sic hostibus abstulit.

Reparata est hoc anno Antiochia, pace de Cosrhoë priùs redemptâ; & sic à Iustiniano exornata, ut eam incensam esse ægrè nemo ferret.

Childebertus & Clotarius Francorum Re-ges in Theudem Gothorum in Hispaniâ Princi-pem bellum gessere, & Cæsaraugustam usque pervenere: unde nihil præter sanctorum reli-quias attulere, & inter cæteras S. Vincentii tu-nicam, in templo cognomine repositas, quod postea sancti Germani dictum est; adeout bel-lum hoc in Arianum susceptum piè inchoatum it, atque terminatum religiosiùs.

MUNDI CHRISTI
4596. 543.

Totilas multis potitus provinciis Neapolin bsidet, & capit. Tunc adiit S. Benedictum, uem afflatum prophetico spiritu deprehendit; jusque monitis & mitior, & continentior red-itus est. Nec ita multò pòst abiisse creditur è ivis Benedictus, de cujus morte tam incertum empus, quàm hujus certa & illustris sancti-nonia.

Remissus est in Orientem adversus Cos-hoëm Belisarius cum copiis, sed absque for-unâ suâ: unum enim duntaxat castrum ce-it, ac perdidit; sed plures è suis lue con-umptos; cum reliquis inglorius rediit; sicque tcumque sedavit invidiam, quâ nullus inter nortales magis, & magis immeritò vexatus t.

MUNDI CHRISTI.
4597. 544.

Totilas Romanam Urbem priùs litteris, einde armis tentat. Ideo, uti petiit Vigilius, emissus est in Italiam Belisarius, nunquam o eâ retrahendus, si mens læva Iustiniano non uisset.

Arator S. R. E. subdiaconus, Apostolorum cta Vigilio nuncupavit carminibus expressa; eque inter tot bellorum tumultus Musæ sacræ luerunt.

Pestis ingens in Oriente sævit orta ab urbe Pe-isio, sparsa per Genios malos, sedata Constan-nopoli B. Virginis patrocinio; unde 2. Februa-i dies festus Hypapantes exortus est, magnæ einceps totâ in Ecclesiâ celebritatis.

MUNDI CHRISTI
4598. 545.

Hoc anno Cosrhoës Edessam obsedit, in uâ Christi imago ad Abgarum missa servaba-ır: sed re infectâ, succensis machinis, deleto-ue exercitu recedere compulsus est Persa; uri tamen ab Imperatore recepit aliquid, ut uinquennio quiesceret, & ignominiam utcum-ue levaret suam.

Missus in Africam Arcobindus, maritus filiæ ororis Iustiniani, necatus est à Guntharide, Wandalorum contra Mauros quondam duce;

quod magnos invexit in hæc loca tumultus, dum hic pœnam reformidans ex perduelli factus est Tyrannus.

MUNDI CHRISTI
4599. 546.

Totilas ferociam resumit, quam ad monitum S. Benedicti deposuerat, sævitque in Episcopos Herculanum Perusiæ Episcopum, cùm 7. mensi-bus hanc urbem obsedisset, & S. Cerbonium Populonii, quem objecit Urso, levi de causâ. Deinde Urbem Romam obsidet, mitiùs agens in agricolas, crudeliter in cives: eos enim modis omnibus, ac potissimùm fame perde-re decrevit, quos Gothi toties erant rebelles ex-perti. *Totilas rursus obsidet Romam.*

Scripsit Theodorus, Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, libellum contra Tria Capitula, quem sub edicti titulo Iustinianus suo nomine vulgandum curavit. Et quamquam postea Ec-clesia secuta sit judicium Imperatoris, multi ta-men inter Orthodoxos, & Vigilius ipse, quasi fautores Concilii Chalcedonensis in eum insur-rexere. Edicto Imperatoris subscripsere aliqui Episcopi; sed alii fortiter restiterunt, atque inter cæteros Vigilius, qui Constantinopolin accersitus est. Venit ergo in Siciliam, unde multas naves frumento onustas misit, quæ ta-men cùm ad portum Romanum appulissent in Gothorum venere manus, victores cæsi, Va-lentinus Episcopus Sylvæ Candidæ utrâque trun-catus manu; Vigilius tantùm quàm bene esset animatus in Romanos ostendit. *Vigilius navigat Constantinopolin.*

MUNDI CHRISTI
4600. 547.

Roma obsessa, tam ingenti fame premitur, ut à nullâ re eduli quamvis turpissimâ parce-retur, multi sibi inferrent ex desperatione ma-nus. Tandem Isauri quidam milites, pecuniâ labefactati, Gothos per portam Asinariam im-miserunt. Urbs direpta, pauci cæsi, omnibus ad Ecclesias confugientibus quæ tum Asyla fuerunt. Misera tamen fuit Urbis facies, ditis-simis quibusque Senatoribus ac matronis ino-pibus, & mendicare coactis. Hinc Totila in Belisarium progressus bis vario eventu pugna-vit. Sed Belisarius accurrit ad Urbem, eamque ingressus sic muniit, ut venientem Totilam re-pulerit. *Roma capta à Gothis.* *Recipitur Belisario.*

Perhonorificè susceptus est Constantino-poli Vigilius, occinente populo *Ecce advenit Dominator Dominus*, *&c.* Interim pro Tri-bus Capitulis & contra fortiter disceptatum. Fa-cundus Hermianensis Episcopus in Africâ pro iis scripsit, libellumque obtulit Imperatori. Vigilius inter utrumque fluitavit, mox ap-probavit Edictum Iustiniani, mox suspendit sententiam suam, ac tandem animis in con-trarias factiones acerbiùs distractis, sapienter hujus quæstionis solutionem ad Concilium Oecumenicum Quintum rejecit; quæ vix ab utriusque Imperii ac totius Orbis Episcopis ter-minata est. *Vigilius receptus Constantinopoli.*

MUNDI CHRISTI
4601. 548.

Romanus exercitus varias clades accepit in Italiâ, *Sclavonia.*

Italiâ, quando & Sclavini seu Sclavi Istro transmisso Illyricum sic occuparunt, ut ei indiderint nomen, quod annis mille non potuit obliterari.

*Theudes & Theodegisilus reges, cæsi.* Theudes cùm S. Laurianum interimendum Massiliæ curasset, regnasset que in Hispaniâ annis XVI. cum mensibus quinque, ibidem occisus S. Martyri pœnas dependit. Successit ei Theodegisilus, post unum annum ac menses 7. occisus, quòd curiosiùs de Fonte Baptismatis in Lusitaniâ inquisivisset; ut ei derogaret fidem: utriusque crudelitas & curiositas magni tumultus in Hispaniâ causa fuit.

Macarius Episc. Hierosolymitanus, dono prophetiæ clarus, ejectus est quasi fautor Origenis, eique substitutus Eustochius. Mox tamen ejurato Origene recepit Sedem, in qua iterum ei successit Eustochius. Sub eo vixere Barsanuphius, prope Gazam in ædiculâ per annos 50. nulli visus, nihil comedens, miraculis clarus; quæ pæne vitam huic Eustochio abstulere. Floruit & Simeon Emisenus cognomento *Salus* id est *Stultus* quòd amentiam simularet, miraculis tamen rebusque gestis clarissimus; eò usque gratia viros Deo acceptissimos deprimit.

*Barsanuphius & Simeon Salus.*

*Theodora Augustæ obitus.* Theodora Augusta moritur, non multò post quàm anathemate perculsa esset à Vigilio. Contigit eodem anno Ioannis Cappadocis exitus, qui Consul quondam & præfectus prætorio, ob suspicionem magistratu & bonis exutus, Cizycum relegatus sumere Sacerdotium coactus est. Sed cum factus esset reus quòd Episcopum suum interemisset, primùm conjectus est in custodiam, deinde in Ægyptum deductus, usque ad Antinojam urbem stipem ab obviis emendicare compulsus est. Neque tum spem Imperii posuit, quòd ei à nescio quo prænunciatum esset eum Augusti habitu induendum. Infœlix, qui nesciebat jam impletum esse vaticinium: cùm enim Sacerdos fieret, deficientibus vestibus Ecclesiasticis, ei oblata est vestis quæ Sacerdotis cujusdam fuerat, Augusti nomine: Sicque miser speravit diu, ut vili veste Sacerdotis amiceretur.

*Ioannis Cappadocis casus.*

MUNDI 4602. CHRISTI. 549.

*Belisarius revocatur ex Italia.* Revocatur uxoris suæ precibus Belisarius ex Italiâ, ubi non pugnare, sed fugere postremis illis temporibus videbatur. Ita deinceps vitam Constantinopoli egit inglorius, & ab eo valde dissimilis qui quondam Orientem, Africam, Italiam suis armis terruisset.

*Longobardi celebrantur.* Longobardi ex sedibus supra Istrum ubi fuerant collocati, in Dalmatiam & Illiricum transierunt, unde prædâ divites postea in Italiam, eâ potituri, descenderunt; & tum ad Gothos exscindendos sunt à Deo præparati.

*Franci aureos nummos signant.* Franci hoc anno Arelatem, Massiliam & totam in Galliis ditionem Gothorum obtinuerunt, sibi à Gothis concessam, à Justiniano confirmatam; atque exinde nummos aureos Principum suorum imagine notatos percussere primi, cùm id nec Persarum Reges, nec alii Barbari principes attentassent, sed id juris Imperatori Romano reliquissent; certum futuri mox maximi Principatus Francis Regibus argumentum.

MUNDI 4603. CRHISTI. 550.

*Ro... cep... ubi* Gothi rursus Româ potiuntur proditione Isaurorum; cujus destruendæ penitùs consilium init Totilas: sed ab hac mente eum avertit S. Aurelianus Episcopus Arelatensis, cujus filiam sibi in uxorem dari postulabat, & fortè Childebertus Rex Francorum, quem offendere Gothi verebantur.

*Vi... tu... &... Co...* Vigilius in Rusticum & Sebastianum diaconos S. R. E., quorum operâ conflatum erat schisma quod Eutychianus audiret, ejusque ventilatorem Felicem Gillitanum Africæ Abbatem dicit anathema; quod nihil profecit, sed magis tumultum auxit. Itaque seriò de Concilio universali cogitatum. Quare Mopsuestiæ coactum est Concilium, misso huc Martanio Comite domesticorum à Justiniano, videretur utrum Theodorus Mopsuestenus fuisset unquam in sacris Diptychis inter Catholicos adscriptus; quòd cùm ejus loco semper nomen Cyrilli adscriptum fuisse renunciatum esset Vigilio & Imperatori, sic aperta est via, ut is quoque à Concilio Generali damnaretur, ejusque publicâ damnatione Catholicis omnibus pax redderetur.

---

## CAP. VI.

## *Decas Sexta,*

*Ab anno Christi 550. ad 560.*

MUNDI 4604. CHRISTI 551.

Missus in Italiam ab Imperatore cum magnis copiis Germanus, morte suâ turbavit omnia; sed accessit quoque tempestas, in faucibus Hadriani maris concitata, quâ classis miserum in modum lacerata spem recipiendæ Italiæ prorsus elisit. Accessit & Slavinorum eruptio; qui ut anno superiore Istrum transgressi, etiam Thracias depopulati sunt, hoc quoque ad Hadrianopolin Romanum fuderant exercitum; atque agrè, Constantinopoleos mœnibus submoti sunt, Deo contra Imperatorem pugnante, dum hic Ecclesiam imprudenter expugnat.

Hoc enim anno Justinianus, impellente Theodoro Cæsariensi, Edictum emittit contra Tria capitula, cùm tamen conventum esset, ut de iis usque ad Concilium Generale taceretur: Zoilum quoque Alexandrinum, quod Tria Capitula damnare noluisset, deponi jussit, substituto huic Apollinari. Quare Vigilius in proximam Ecclesiam S. Petri confugiens, hic vocatis aliquot Episcopis, in Theodorum & Mennam excommunicationis & depositionis sententiam protulit; quam tamen non vulgavit, ut hi ejus metu ad officium revocarentur; quod tantùm Pontifex optabat, eos territos sanare contentus.

MUNDI

MUNDI CHRISTI.
4605. 552.

Vigilius sibi veritus ab Imperatore, Chalcedonem se recipit in Basilicam S. Euphemiæ, ut in câ tutior esset. Eò fugiens, à nescio quo percussus est alapâ, & homicida Silverii vocatus; quæ probra paulò pòst magno honore diluta sunt. Statim enim ad eum misit perhonorificam legationem ex proceribus suis Imperator, quâ in Urbem revocaretur; at hic redire noluit, nisi contrario edicto recens edictum contra Tria Capitula rescinderetur: Quod & factum: ac pœnitens Imperator cum Theodoro & Mennâ admissi in communionem à Vigilio, pacem Ecclesiæ, Romano Imperio gloriam reddidere.

Enimvero qui potiti fuerant hoc anno Corsicâ & Sardiniâ Gothi, præter omnium expectationem navali prælio victi Siciliam perdidere: ac missus in Italiam Narses Eunuchus & semivir, dux egregius, ita eosdem retudit Gothos, uti jam pæne de eâ retinendâ desperarent: ità cum pietate res Principum regnorumque secundæ conjunctæ sunt.

Contigit circa hæc tempora miraculum de puero Hebræo, qui cùm sumpsisset particulas Mysteriorum cum pueris Catholicis, ideo à patre Vitriario in fornacem ardentem conjectus; à B. Virgine in eâ triduo servatus est; puer cum matre baptizatus, pater pertinax laqueo tentati parricidii pœnas luit.

MUNDI CHRISTI.
4606. 553.

Mortuo anno superiore Mennâ Episcopo Constantinop. Eutychius Monachus vir doctus & sanctus ei substituitur, qui statim à Vigilio in communionem assumptus est, sicut & Apollinaris Alexandrinus mortuo Zoilo, cujus in locum ab Imperatore intrusus erat editâ Catholicæ fidei professione. Sic in dies Ecclesiæ tranquillitas prudentiâ Vigilii roborabatur, & extendebatur.

Hoc anno Gothorum classis, ad depopulandum Orientem missa, cum dedecore redire compulsa est. Tarentum Romanis redditum. Narses incolumis inter infinita pericula Ravennam pervenit; indeque fortiter superato Rubicone in Tusciâ, Totilam cum universo exercitu confecidit, ope S. Dei Genitricis, cui addictissimus erat. Omnes pæne Italiæ civitates atque ipsa Roma hujus victoriæ præmium fuere. Theias vir fortissimus Totilæ suffectus Romanorum impressionem nonnihil sustinuit; sed demum ipse cæsus plenam Narseti reliquit victoriam, jùtam Gothis desperationem.

Actum est hoc anno seriò de cogendo Concilio in causâ Trium Capitulorum, quâ Oriens universus distractus erat, & divisus in *Hæsitantes* qui ea defendebant, & *Synoditas* qui ea damnabant; quibus Eutychiani atque Nestoriani se immiscebant. Volebat Iustinianus causæ hujus solos esse judices Episcopos Orientales, quos ad suam opinionem sperabat pellicere: obsistebat Vigilius, & publicum tumultum totius orbis Episcoporum authoritate tollendum volebat; evicit tandem summus Pontifex; Iustinianus coactus est acquiescere: nec authoritas & potentia rationi atque justitiæ prævaluerunt.

QUINTUM CONCILIUM GENERALE,
*seu*
SECUNDUM CONSTANTINOP.

Huic interfuere Eutychius Constantinopol. Apollinaris Alexandr. Domnus Antioch. per legatos suos Eustochius Hierosol. Vigilius ægrotabat, Occidentales expectati non sunt; quare deinceps Vigilius interesse noluit. Actionibus octo terminatum est, damnata Tria Capitula, hoc est, Theodorus Mopsuestenus, Epistola Ibæ Edesseni, & Theodoreti Capitula contra Cyrillum Alexandrinum. Damnati quoque Origenes, ac fautores ejus Didymus, & Evagrius cum omnibus eorum erroribus. Sed reclamavit Vigilius, ideò fune ad collum tractus est in carcerem, atque inde in exilium missus cum suo Clero; aliique omnes malè habiti qui huic sententiæ subscribere noluerunt. Sed cùm deinceps approbata Synodus fuisset à Rom. Pontificibus, inter Oecumenicas relata est, uti prima Constantinopolitana. Non tamen ejusdem autoritatis cum quatuor prioribus, quia in his de fide, in illâ tantùm de personis actum esset. Observabit tamen acta hujus Concilii mutilata fuisse, nec integra ad nos pervenisse; maximè cùm iis hæretici manum injecerint, ex quibus sincerum nihil exire p test. *QUINTUM CONCILIUM.*

Mortua est denique hoc anno Clotildis uxor Magni Clodovæi, quæ reliquum vitæ tempus ab obitu mariti ad tumulum S. Martini transegit; translata Parisios in templum SS. Petri & Pauli, seu S. Genovefæ, & ad latus Clodovæi sepulta à filiis Childeberto, & Clotario Regibus, merita referri in Sanctorum album 3. Non. Iunias; cui maximè Franci debent post Deum, quòd sint Christiani. *Clotildis Reginæ obitus.*

MUNDI CHRISTI.
4607. 554.

Vigilius hoc anno ab exilio liberatus precibus Narsetis, à quo id postularat Clerus omnis Romanus; sed cùm priùs Trium Capitulorum damnationi & Quintæ Synodo subscripsisset, non coactus, sed quoniam id rationi consentaneum judicabat, ne gratis ac sine fructu aliquid pateretur. *Vigilius subscribit Synodo.*

Cosrhoës adversus Romanos pugnavit in Colchide, ubi eorum copiæ turpiter victæ & dissipatæ sunt, cùm magno detrimento Lazorum. *Cosrhoes victoria de Rom.*

MUNDI CHRISTI
4608. 555.

Vigilius Papa rediens Romam, in Siciliâ Syracusis ex morbo calculi extinctus est, cùm Pontificatum multis exercitum curis gessisset, ac tandem didicisset prensatos magistratus sacros, nunquam ambitiosis hominibus bene cessisse. *Vigilius moritur.*

Ei post tres menses & dies quinque, assentiente Iustiniano, datus est successor Pelagius, qui ob suspicionem illatæ mortis Vigilio, ab omnibus desertus est, vix inventi duo Episcopi qui eum consecrarent; sed posteà ab omnibus receptus, cùm se coram Narsete ac toto Populo, Evangelio & cruce supra caput positis, purgasset, ac simoniacos anathemate perculisset; hoc factum, ei Pontificatum tranquillum & amorem populi reddidit. *Succedit ei Pelagius.*

Franci

*Francorum in Italiam irruptio.* Franci & Germani invadentes Italiam, ducibus Leuthare & Bucelino ducibus Germanis, malè accepti sunt, & 72. millia perdiderunt. Cæsus in acie Bucelinus ad Capuam à Narsete. Leuthares onustus sacris spoliis in patriam rediens, in agro Veneto se propriis morsibus laceravit, morte sacrilego dignissimâ. Rem paulò aliter Gregorius memorat, sed in suos Francos, quam in veritatem forte propensior.

*Romani in Perside fugati.* Fugatus est hoc anno in Perside Ro. exercitus quinquaginta millium armatorum à tribus millibus Persarum; veriùs à Deo ultore. Hujus enim duces Rusticus & Ioannes, Rege Colchidis Christianum & pientissimum dolosè interemerant; eorum perfidia multorum sanguine, & Imperii summo dedecore vindicata est.

MUNDI 4609. CHRISTI. 556.

*Pelagius Synodum probat.* Pelagius Pontifex Quintam Synodum probavit, & Tria Capitula damnavit, ac Occidentales Episcopos ut idem facerent invitavit; quare in suspicionem hæreseos vocatus est apud Francos, de quâ se purgavit & apud omnes Christianos, ne suspicione læsi capitis, Orbis universus offenderetur.

*Bellum civile inter Francos.* Inter Childebertum & Clotarium exortum est civile bellum, ob divisionem bonorum Theodebaldi nepotis, eò gravius quòd plusquam civile esset. Accessit & aliud atrocius filii in patrem. Chramnus enim nothus in patrem Clotarium pugnantem, in Saxonas rebelles insurrexit. Consultis ille Prophetis, Apostolis, Evangelistis Divione, veridicas sortes accepit, quas tum minaces prævidit, postea sævientes sensit.

*Iustini victoria.* Justinus Dux, Iustiniani Imp. consanguineus, in Colchide profectus in templum sanctissimum mysteriorum causâ, & rediens cùm in hostes incidisset tantùm cum mille equitibus, eosdem cecidit fugavitque, Dei potiùs auxilio, quam armis.

MUNDI 4610. CHRISTI 557.

*Terræ motus Constantinopoli.* Adeò ingens terræ motus Constantinopolin concussit, ut mundi finis timeretur, inde plerique ad meliorem vitam rediere, sed quæ tandiu tenuit, quandiu duravit metus: cessante enim periculo, iidem ad sua scelera reversi sunt, quæ tantùm timor inhibuerat, non diuturnæ virtutis magister.

*Templum S. Sophiæ.* S. Sophiæ perfectum est templum mirabilis structuræ, ab Ignatio Architecto statutum, ac Salomonico ferè par; in cujus mensâ omnes orbis divitiæ confluxisse videbantur; digna ædes Dei veneratione, digna magni Imperatoris Romani magnificentiâ.

MUNDI 4611. CHRISTI. 558.

*Hunnorum irruptio.* Hunni Cottaguri dicti, duce Zabergâ vastatis Scythiâ atque Mœsiâ in Thraciam se atq; Græciam infuderunt; atque omnia aut detulerunt, aut corruperunt. Eos ut arceret Constantinopoli, etiam induit arma Belisarius, quæ parum ejus senectam decebant & hos quidem inhibuit; sed appendendum insuper fuit Aurum Barbaris, ut in patriam redirent; quod sapientiùs in fortem militiam impensum esset.

*Iustin. stolid.* Circi factionibus favet Imperator, & Prasinis contra Venetos, quos passus est inimicos suos impune cædere, diripere ditiorum domos, & in obvios quoque debacchari; ut dementem factum esse meritò suspiceris Imperatorem, aut stolidum, quem tanta crimina non excitarint ad ultionem.

MUNDI 4612. CHRISTI. 559.

*Pela. succ. Ioan.* Mortuus est hoc anno Pelagius Papa, cùm sedisset fere annos 5. Suffectus est ei post menses quatuor, dies 25 6. Kal. Augusti Ioannes Tertius, cognomento Catellinus patriâ Romanus.

*SS. ... in G...* Florebant hoc tempore in Galliis Euphronius Turonensis, Regi ausus obsistere: Sanctus Germanus ex Abbate Sancti Symphoriani factus Parisiensis Episcopus: Prætextatus Rothomagensis Præsul, postea martyrio coronatus: & alii plures, quorum dies festos Ecclesia recolit, eorumque precibus potiùs, quàm annis res Francorum viguere.

MUNDI 4613. CHRISTI 560.

*Iust. obit.* Justinianus Imperator gravi conflictatus est morbo, adeo ut à plerisque mortuus crederetur; inde magna seditio excitata Constantinopoli, direptæ mercatorum ædes, quasi in urbem captam sævitum, Sed miraculo sanatus est; & cùm valetudine Imperatoris, tranquillitas quoque in Urbem rediit.

*Re... Ca...* Theodomirus Suevorum in Hispaniâ Rex Arrium ejuravit, filio restituto sanitati, auxilio S. Martini Turonensis, cujus duplex beneficium fuit, in patrem filium; sed & majus in patrem animo sanatum.

## CAP. VII.

### Decas Septima.

*Ab anno Christi 560. ad 570.*

MUNDI 4614. CHRISTI. 561.

*Be... ca...* Detecta est hoc anno in Justinianum conjuratio, cui implicitus est Belisarius, quem Latini, immo aliqui Græci, excæcatum volunt, & eo infelicitatis, atque inopiæ deductum, ut mendicare cogeretur his verbis, *date obolum Belisario, quem fortuna clarum fecit, excæcavit invidia.* Alii volunt tantùm exutum bonis, & dignitatibus; sed anno sequenti restitutum, post biennium obiisse: alii, & plures, dejectum ex invidiâ, de restitutione tacent. Hoc certum, nec eo feliciorem privatum quemquam, neque miseriorem extitisse.

MUNDI 4615. CHRISTI. 562.

*Cl... fun... Cl...* Hoc anno Childericus Rex Francorum, regni sui quadragesimo nono: è vivis abiit, sepultus in Basilicâ S. Vincentii, hodie S. Germani. Hic cùm non reliquisset masculam prolem sed tantùm filias, Clotarius ejus hæreditatem adiit. Porrò idem Parisios veniens, cùm non satis

ſatis coluiſſet ſanctum Germanum, in gravem incidit morbum, atque ejus tantùm tactâ veſte ſanatus eſt; quare eum deniceps uti patrem reveritus eſt. S. quoque Maurum, ejuſque monaſteria multis cumulavit bonis; ſed viciſſim ab illis ſanctiſſimis viris majora percepit.

Aurelius Caſſiodorus cùm egregiam Gothis operam navaſſet, uſque ad Vitigem Regem, everſis eorum rebus Vivarienſe, aliter Caſtellenſe, monaſterium ædificavit juxta Scylaæum in magnâ Græciâ, quod omnibus rebus inſtruxit, ac præcipuè luculentâ Bibliothecâ, & annuis reditibus ampliſſimis, ut hic Deo ſibique vacaret, & libros conficeret. Porrò centum & ampliùs annos vixiſſe creditur, cùm de Orthographiâ tractatum, non ultimum ſuorum operum, ſe anno ætatis nonageſimo tertio compoſuiſſe profiteatur; vir ſine dubio magnus, unde & nomen tulit, dignuſque qui non Barbarorum ſed Romanorum Imperatorum litteras ſcriberet, & quas nemo Principis unquam Gothi putaret, niſi ipſe à ſecretis fuiſſet Theodorico.

MUNDI 4616. CRHISTI. 563.

Iuſtinianus Imperator labitur in hæreſin Aphthardocitarum, ſeu Incorruptibilium, ex quâ nati Monothelitæ, corruptus à Theodoro Cæſarienſi multorum malorum architecto. Cum ad eam invitaret omnes Epiſcopos, reſponderunt illi ſe expectare ſententiam Anaſtaſii Sinaitæ Epiſcopi Antiocheni; quem nullis pollicitationibus neque minis ad ſuas partes pellicere potuit; ſicque plurimos in rectâ fide ſimul atque conſtantiâ hic retinuit.

Hoc anno Synodus Braccarenſis eſt in Hiſpaniâ celebrata; ſub Theodomiro, in quâ repreſſi Priſcillianiſtæ, ſtatutumque ut Clerici ad vitandam ſuſpicionem hujus hæreſis olera carne concocta prægustarent; non quòd id Eccleſia, ſed tempora exigerent.

MUNDI 4617. CHRISTI. 564.

Iuſtinianus in Catholicos ſævit, ejuſque primum impetum proximus ſentit Eutychius Epiſc. Conſtantinopolitanus, quem de falſis & inanibus criminibus accuſatum de ſuâ per milites traxit Eccleſiâ, mutatoque ſæpe exilii loco Amaſeam ad Monaſterium deportandum curavit; quod vir ſanctus pluris ſuâ ſede faciebat. Subſtitutus eſt Ioannes, Scholaſticus cognomento, moribus diſſimillimis, adulator aulicus, & quodlibet pati aut facere paratus ut magnus eſſet. En quibus Heterodoxi confidere ſolent.

Hoc anno Charamnus finem rebellandi in patrem, vivendique fecit. Cùm enim ſubnixus Britanni cujuſdam Comitis auxilio, cum patre confligere auſus eſset, victus atque captus cum uxore, ac filiabus, à quibus ad rebellionem incitabatur, in tuguriolo ruſtico juſſu patris vivus combuſtus eſt, ſupplicio indigno Principe, & indigniore quoniam à patre imperabatur.

Obiit hoc anno S. Medardus Noviomenſis Epiſcopus, cujus corpus Sueſſionas tranſtulit Clotarius, ipſe pheretro ſubjiciens humeros. Fuit hic frater S. Gildardi Epiſcopi Rothomagenſis, quos eodem die natos, Epiſcopos conſecratos, & mortuos S. Audoënus cecinit, quamquam non eodem anno; quod qui non obſervavere, in plurima abſurda ſtolidiùs incidêre.

MUNDI 4618. CHRISTI. 565.

Iuſtinianus Imperii ſui anno 38. cum menſibus octo, Idib. Novemb. mediâ nocte extinctus eſt, cùm indixiſſet exilium Anaſtaſio Sinaitæ. *Iuſtinianus moritur.* Impœnitentem mortuum eſſe antiqui ſcribunt, recentiores pœnitentem; id Dei judicio reſervemus, neque tantum arrogemus nobis, ut in Dei Tribunal aſcendamus. Porrò cave iis adhibeas fidem quæ de eo ac Beliſario, & eorum uxoribus ſcripſit Procopius ἐν τοῖς ἀνεκδότοις in quibus ſe denunciatum calumniatorem oſtendit, & Silenum alterum, ex eodem ore calorem & frigus, laudes & convicia egerentem.

Succeſſit ei, optante & urgente Senatu, Iuſtinus ſecundus Dulciſſimi filius ex Vigilantiâ ſorore Iuſtiniani; *Iuſtinus II. ei ſuccedit.* qui Sophiam duxerat uxorem Theodoræ neptem. Creatus jam fuerat ab avunculo ſuo Curopalates; quæ dignitas ei ad Imperium gradus fuit: Huic Imperium longè antea præcinuerat Eutychius tunc exul, erga quem ſe præbuit qualis fuit in Ioſephum pincerna; ejus minus recordatus, niſi cùm Ioannes è vivis abiiſſet. Ejus porrò laudes cecinit Corippus *Corippus Poeta.* Africanus Grammaticus poëſi, quæ pro tempore vendibilis eſt.

Clotarius Rex Francorum annis 51. ab obitu Clodovæi patris, poſt aditum ſepulchrum S. Martini, *Clotarii mors.* & hic peccatis ritè expiatis, correptus febre in venatione obiit Compendii. Delatus eſt à filiis Sueſſionas, ſepultus in æde S. Medardi, quam poſtea Sigebertus filius ejus Rex ædificavit. Regnum in quatuor Tetrarchias diviſum, Charibertus Pariſiis, Chilpericus Sueſſionibus, *Regni Francici diviſio.* Guntheramnus Aureliis, Sigebertus Rhemis fixere ſedem, ſic iterum diviſa Francia, peritura ſine dubio, niſi hanc ſingulari tutelâ Deus ipſe texiſſet, atque ad unum Principem revocaſſet.

MUNDI 4619. CHRISTI 566.

Iuſtinus hoc anno Conſul creari voluit, quo Eccleſiæ etiam ſollicitior quàm Imperii fuit, ſed Deo huic allaborante, dum ipſe Deo & Eccleſiæ ſuas conſecraret curas. *Initia Iuſtini felicia.* Cùm enim veniſſent Avares, à Chagano Rege annuam penſionem recepturi, quæ iis à Iuſtiniano numerabatur, rejecti ſunt; iiſdem indictum bellum, niſi quieſcerent. Adfuere & Turcæ cum muneribus, Avarum hoſtes, petituri ne hi reciperentur; cum iis committendi, ſi ſe moverent. Turbæ quoque Alexandrinæ ſedatæ per Photinum Beliſarii prævignum, pax externa atque domeſtica viguit, ſeverè inhibitis diſceptationibus, quæ priùs animos, deinde & corpora disjungunt.

Bonus ergo fuit Imperator Iuſtinus, civis malus, mollis, obſcœnus, avarus, ſi Evagrio fides; *Iuſtinus vitioſus.* ut mirum ſit tot vitia cum tot virtutibus eſſe copulata.

MUNDI

MUNDI 4620. CHRISTI 567.

*Variæ cædes sub Justin.*

Justinus Æthereum & Addæum, Senatores magnæ authoritatis sub Justiniano, de medio sustulit, reos conjurationis in Principem aliorumque criminum, quibus aulici mulctandi nunquam carent. Sublatus & Justinus cognatus Imperatoris, vir fortis, & bellicis artibus clarus, primùm deportatus Alexandriam, deinde ibidem necatus in lectulo, non ob aliam ut creditur causam, quàm quia fortis esset, ac militi charus, cujus allatum caput Augustus & Sophia pedibus contrivere, majori proterentium, quàm protriti dedecore.

*Narses evocat Longobardos.*

Narses malè acceptus à Sophia, & quia Eunuchus lanam in palatio cum puellis nere jussus, interminatus est Augustæ telam, quam nec ipsa nec ejus maritus retexerent. Alboinum Regem Longobardorum ergo ex Pannoniâ evocat in Italiam; quâ potiti sunt annos supra ducentos: Longinus in Narsetis locum missus est, homo ad accipiendam quam ad inferendam cladem paratior. Hic autem observa duos Narsetes à quibusdam assignari, & hujus criminis suspicionem à plerisque à primo rejici propter summam viri hujus sanctimoniam, sed utrumque est adhuc sub judice. Hoc certissimum, parasse hoc anno expeditionem Longobardos, divinitus prenunciatam multis signis & ostentis, quæ magnam calamitatem, ac propè mundi finem præcinerent.

*Athanagildi filiæ.*

Athanagildus Gothorum Rex hoc anno moritur in Hispaniâ, cui successit Liuba. Athanagildo duæ fuerunt filiæ, Galsuintha quæ Chilperico nupsit, & minor Brunechildis quæ Sigeberto, ambæ catholicæ licet Ariano patre natæ, sed qui in Catholicos benè animatus esset.

*Galsuintha, & Brunechildis.*

Galsuintha per Chilpericum, suadente Fredegunde, necata, quam hic deperibat, felicior fuit post vitam quam in vitâ: Brunechildis fœmina nequam tandem gravissimas pœnas dedit; plus laudata à Sanctis viris quam ejus vita mereretur, quibus plerumque faciliùs à facinorosis hominibus imponitur.

MUNDI 4621. CHRISTI. 568.

*Longobardorum irruptio.*

Alboinus Longobardorum Rex, Francorum amicitiâ fretus, Hunnorum societate potens, & à Gepidis Saxonibus, Bulgaris, aliisque Barbaris adjutus irrumpit in Italiam, non eam occupaturus, sed desolaturus; tantumque formidinis omnibus injecit, ut de vitâ potiùs omnes, quàm de bello cogitarent, maximè cùm huic præesset Longinus hâc præfecturâ indignissimus, neque alio etiam tempore tolerandus.

*Justini, & Sophiæ charitas.*

Sophia Augusta auditis pauperum clamoribus, omnes ære alieno impeditos ad se accivit, eorumque nomina dissolvit Imperator quoque advocatis præfectis suis denunciavit, ut abstinerent ab omni injuriâ, vel alterum eligerent Imperatorem, sibi ratum esse deinceps injustis & rapacibus non imperare. Sed tum principis ad exemplum Orbis compositus non est.

MUNDI 4622. CHRISTI. 569.

*Leuvigildus Hisp.*

Liuba Gothorum Hispanorum Rex Collegam sibi accivit Leuvigildum fratrem, cui & cessit Hispanicam suam ditionem. Gallicâ suâ parte contentus, ut quietius viveret, ratus magna Regna magnas sollicitudines esse.

*Tib. Avar.*

Tiberius excubitorum Comes hoc anno nobilem de Avaribus retulit victoriam, ostenditque Justino bellicosam hanc gentem non esse Romanis metuendam, quoties hi à bono duce regerentur.

MUNDI 4623. CHRISTI 570.

*Longobardi ...*

Longobardi Mediolanum occupant, & Ticinum seu Papiam obsident, omniaque castra obtinent & urbes usque ad Tusciam; Roma & Ravenna tantùm eorum furorem vitarunt, quùd instar incendii decurrerent, omniaque depascentes; adeo ut ad interitum gentis evocati esse viderentur.

*Pa... ...*

Mortuus est hoc anno Paulinus Aquilejæ Patriarcha, non tantùm sic dictus quia Metropolitanus esset; (quem sic aliquando dictum esse ex multis liquet) sed quia schismatici sic principem suæ secta vocare soliti essent. Cùm autem Episcopi Venetiæ, Istriæ ac Liguriæ revulsi essent à Summo Pontifice in causâ Trium Capitulorum, ac Paulinus his omnibus præemineret, ideo Patriarcha nuncupatus est; ac deinceps pacis causa, hoc ei nomen à Summis Pontificibus relictum; titulus veriùs præteritæ culpæ, quàm dignitatis.

*C... ...*

Rex Charibertus ob incœstas nuptias à S Germano Parisiensi Episcopo anathemate perculsus est, nec ab hoc Ecclesiæ fulmine eum sua corona ac tanta dignitas texit.

*Le...*

Liubæ Regi mortuo in Hispaniâ successit Leuvigildus ejus frater, qui Theodosium fœminam valde catholicam duxerat, sororem S. Leandri, ex cujus tamen consortio non profecit, Ario usque ad insaniam addictus. Obiit quoque Theodomitus ibidem Suevorum Rex, huic admodum dispar; qui filio suo Ariamiro, à S. Martino ex gravi morbo sanato, cum regno pietatem reliquit hæreditariam.

## CAP. VIII.

## *Decas Octava.*

*Ab anno Christi* 570. *ad* 580.

MUNDI 4624. CHRISTI. 571.

*A...*

ALboinus Ticinum seu Papiam capit, post trium annorum ferè obsidionem; quam ne diriperet insigni miraculo deterritus est. Nec ita multò pòst Kal. Octob. interfectus est operâ conjugis suæ Rosimundæ, cui in convivio Veronæ vinum in cranio patris ejus Cunimundi Regis propinarat. Hæc furore correpta Helmingem armigerum mariti sui, & Peredecum incitat ad eum cædendum, etiam eis copiâ sui corporis factâ. Peractâ cæde fugit illa cum suo Helminge Ravennam ad Longinum, ubi & illi suadente Longino nupsit: sed

fed cùm illa marito suo medicatum poculum dedisset, hic venenum suspicatus eam reliquum poculi haurire coëgit : sic ambo paulò pòst mortui pœnas libidinis & crudelitatis ab se invicem exegere. In locum Alboini suffectus est Clephis non diu regnaturus.

MUNDI 4625. CHRISTI. 572.

Mortuus est hoc anno Ioannes 3. Pontifex cùm sedisset annos ferè 13. 3. Id. Iulii ; cujus sedes vacavit mensibus decem, diebus tribus, cessatione his maximè temporibus perniciosâ.

Obiit quoque Parisiis Charibertus Francorum Rex, regni sui anno 8. excommunicatus à sancto Germano, & alio feriendus anathemate, quod villam sancto Martino vi eripuisset, sed tunc sanctus Martinus alio telo, & quod magis ferebatur, perculit. Successit ei frater Sigebertus Rhemorum rex, suâ indole, & fratris pœnâ melior effectus.

Incolæ Majoris Armeniæ in ditione Persarum, tempore Philipporum Imperatorum malè vexati propter fidem à Cosrhoë, missis ad Iustinum Legatis huic se dedunt, & Persas præfectos trucidant. De hoc facto quæritur Cosrhoës, sed nihil obtinet, quia induciarum tempus elapsum erat, & de Christi causâ agebatur, omnibus præferendâ.

MUNDI 4626. CHRISTI. 573.

Creatus est in Ioannis locum Benedictus cognomento *Bonosus*, patriâ Romanus, suo tantùm cognomine cognitus Græcis.

Clephis seu Clepho Rex Longobardorum, cùm regnasset anno uno; & mensibus quinque, à servo suo interfectus est, post quem fuit interregnum decem annorum, Ducibus 30. Italiæ civitates quæ sibi obtigerant miserè depopulantibus, dum quisque sibi parare capit unde sibi vindicet regnum : quando etiam Ecclesia magnopere vexata est, plerisque ex iis præfectis aut Gentilibus aut Arianis, aut certè malis Catholicis; omnibus nihil præter pecuniam exquirentibus.

MUNDI 4627. CHRISTI 574.

Avares & Persæ Syriam vastavere, occupatâ civitate Darâ; ac nihil propiùs fuit quàm ut ipsa Antiochia caperetur. Quod cùm didicisset Iustinus æger (vertigine enim plerumque laborabat) incidit in phrenesin, dilucidis tantùm intervallis sanus, iisque brevissimis. Itaque Sophia à Cosrhoë inducias triennales multis precibus obtinuit. Sanatus autem est Imperator apposito capiti Constantini freno, in quo unus à Christi clavis insertus erat; quod beneficium in totum Imperium redundavit.

Samaritæ hæretici in Syriâ debacchantur in imagines Christi, & Sanctorum ; quâ de re est admonitus Iustinus à sancto Simeone Stylitâ Iuniore, qui in Columnâ quoque magna miracula edidit, ipse quoque aliud miraculum grandius.

*Gregor. Turonensis Episc.* Mortuo sancto Euphronio Episcopo successit Gregorius Turonensis, genere quidem, sed & sanctitate ac suis scriptis illustrior. Hic mense altero ab inauguratione suâ, frustra tentatis aliis remediis, haustu pulveris S. Martini repente sanatus est, aliique plurimi, inter quos Venantius Fortunatus patriâ Tarvisanus, Poëta bonus, nec ingratus in medicum suum, cujus miracula quatuor libris cecinit, postea factus Pictaviensis Episcopus; nec minùs sanctitate quàm liberalibus disciplinis ornatus. *Merlinus vates.* Florebat tum Merlinus vates hoc tempore, de quo multa sui Britanni fabulantur, quæ tu ignorare potes sine doctrinæ dispendio.

MUNDI 4628. CHRISTI 575.

*Tiberius fit Cæsar.* Iustinus nactus aliquod sanæ mentis intervallum, suadente uxore Sophiâ Tiberium genere Thracem, Excubitorum Comitem, Cæsarem creat ; huicque Imperium commendat, cui regendo par erat propter egregias animi corporisque dotes, quas religio magna condiebat; quo aptiorem Iustinus eligere potuit neminem, & tum se plenè sapere demonstravit.

*Longobardi in Gallia victi.* Longobardi hoc anno irrumpunt in Gallias, & Nicæam aliasque urbes capiunt, & evertunt; aggrediuntur quoque Burgundiones : sed tandem à Mummulo Patricio duce Gutheramni ad internecionem deleti sunt ; quibus præliis Episcopi fratres duo, Salonius & Sagittarius, pugnavere fortiùs & generosiùs, quàm eorum dignitas & conditio patiebatur.

MUNDI 4629. CHRISTI. 576.

*Bellum Civile in Gallia.* Bellum civile inter Guntheramnum, Sigebertum, & Chilpericum Denatum multo sanguine, multaque crudelitate gestum est, uti multis ostentis prænunciatum erat : nam circa Parisios sanguine pluisse perhibetur; & visa passim in cœlo tela ignea, aciesque infestis inter se telis depugnantes. Frustra Franci Pontifices eos conciliare conati sunt ; reservatum hoc erat sancto Martino, cujus suffragiis inter se convenere fratres, quando minùs sperabatur.

MUNDI 4630. CHRISTI. 577.

*Benedicto succedit Pelagius secundus.* Benedictus cùm sedisset annis 4. Menses 2. dies 15. post menses tres, & dies decem, sedis vacantis 4. Idus Novemb. successorem habuit Pelagium secundum, patriâ Romanum, filium Winigildi; unde eum fuisse genere Gothum non imprudenter suspicabere.

*Italia vastata.* Tum urbs Roma obsidebatur à Longobardis, tota Italia cædibus flammisque fumabat : quare Pontifex creatus est inconsulto Imperatore, aut ejus Exarcho; in hoc Italiæ vastitas, utilis Ecclesiæ fuit.

MUNDI 4631. CRHISTI. 578.

*S. Eutychius sua restituitur sedi.* Defuncto Ioanne Episcopo Constantinopolitano, cùm sedisset annos 12. & 7. menses, recordatus est Tiberius beneficiorum quæ à sancto Eutychio receperat. Nam & huic pollicitus erat

erat Imperium, & apud Justinum primò eum Notarium collocarat. Itaque eum sedi suæ restituendum curavit, cum magno populi gaudio, exceptusque est ab ipso Justino cum singulari honore 5. Non. Octobris, in vitâ & post mortem miraculis clarus, ideo casibus variis exercendus.

MUNDI 4632. CHRISTI. 579.

*Iustino II, succedit Tiberius.*

Mortuus est hoc anno Justinus II. Imperator, cùm Orientem rexisset annis tredecim & novem mensibus, relicto successore suo Tiberio Constantino. Hic statim redegit in ordinem Sophiam Augustam, quòd hæc Justinianum Justini nepotem ad Imperium attollere conata esset, quoniam Tiberium viderat salutasse Anastasiam Augustam uxorem suam, sed occultam. Credebat enim Sophia hunc cœlibem esse, ideoque eum promoverat, spe nuptiarum; sed & his & dignitate propter animi impotentiam excidit. Tiberius autem increpavit duntaxat Iustinianum, eumque deinceps dilexit, ac copiis Persicis præfecit, quia admonitus erat divinitus in somnis, in ejus Imperio tyrannos nequaquam emersuros; idque concessisse Deum magnâ gratiâ: major etiam fortè prænunciasse fuit.

Francica pax hoc anno iterum turbata est, Guntheramno & Chilperico in Sigebertum conspirantibus. In atrocissimo prælio Theodebertus filius Childerici victus, & cæsus est. Obsedit statim Rothomagum Sigebertus, Chilpericum certus perdere, licet dissuadente sancto Germano Antistite Parisiensi: & verò hic anno vitæ quadragesimo artibus Fredegundis uxoris Chilperici, per sicarios, eum secretò fingentes alloqui, gladiis veneno illitis cæsus obiit. Successit ei statim filius Childebertus, paternam necem dissimulare compulsus.

*Sigibertus cæditur.*

*Merovæus Brunechildem ducit.*

Merovæus filius Chilperici ex conjuge Audoverâ, Brunechildem relictam patrui sui Sigeberti ducit uxorem; & incœstas nuptias etiam contra patrem armis defendere voluit: sed victus atque captus attonso crine presbyter ordinatus est, atque relegatus in monasterium: unde fugit ad Ecclesiam S. Martini, ubi & communionem à Gregorio Turonensi extorsit, & asylo defensus est: sed misso milite à Childerico cùm sibi reformidaret, & monitus esset sortibus sacris sibi perniciem imminere, fugit ad suam Brunechildem; sed non receptus ab Austrasiis, & Princeps infelix, & malus presbyter fuit.

*S. Germanus moritur.*

Obiit denique hoc anno illustris Antistes S. Germanus, nactus vitæ suæ illustrem scriptorem Venantium Fortunatum, Epitaphii autem sui Regem Chilpericum, & meliorem Poëtam quàm Principem.

MUNDI 4633. CHRISTI 580.

*Fredegundæ furores.*

Prætextatus Episcopus Rothomagensis de tribus criminibus accusatus à Fredegunde confictis, & spe veniæ ea confessus turpiter, ut declinaret pœnas, post dira verbera in insulam relegatus est: quando, & Merovæus volens à suo familiari cæsus est, ne veniret in manus inimicorum, eò nequissimæ Fredegundis artibus inductus. Sic mortalis furia inter Francos tum impune sæviebat.

Hoc anno, Childeberti alterius secundo, cùm præesset Bojariæ Theodo nominis hujus tertius, Bojoarii ad Christum converti sunt à Ruperto Episcopo Vormatiensi, qui gentis hujus Apostolus audiit: hæc regio cùm tardius religionem recepisset, pietate suâ farciit tempus, multosque sanctos intulit cœlo.

## CAP. IX.

### *Decas Nona.*

### *Ab anno Christi 580. ad 590.*

MUNDI 4634. CHRISTI 581.

Cosrhoes Rex Persarum tum fortiter est repressus à Justiniano & Mauritio ducibus, ejusque ditio tam fœdè vastata, ut ex concepto mœrore Rex superbus interierit, decreto prius emisso ne Persæ unquam Romanos bello lacesserent: quidam & Baptismate tinctum ante mortem fuisse volunt; neque tantùm regnasse diu, sed & religiosè obiisse. Successit ei filius Hormisdas, quem patris jussiones in officio continuere.

Gerebat hoc anno Urbanam præfecturam Gregorius, qui postea & Pontifex, & Magnus fuit. Quem qui Benedictinum fingit, ad Ioannem Diaconum amandandus est, ut nugas suas aliquâ authoritate tueatur. Erat autem Gregorius patriâ Romanus, cujus atavus fuit Felix non quartus origine Samnis, sed tertius, pater Gordianus; Sylvia mater. Fuit autem Monachus ex ordine S. Equitii sub Valentino seu Valentione Abbate; & vix monasterium ingressus, factus est S. R. E. Diaconus è Pelagio II. moxque missus Apocrisarius Constantinopolin; neque enim tanta lux diu latere potuit.

MUNDI 4635. CHRISTI 582.

In Concilio Cabillonensi accusati Episcopi duo illi milites, Salonius & Sagittarius, homicidii, adulterii & perduellionis, depositi sunt; nec eorum superior vita malè damnatos fuisse arguit.

Eutychius Constantinopolitanus librum edidit de resurrectione mortuorum contra Gentiles & hæreticos, cui tamen errorem Origenis inseruit, negans eam futuram cum carne palpabili. Obstitit ei fortiter S. Gregorius, tum Constantinopoli Apocrysarius, & coram Tiberio eum erroris convicit; quare liber Imperatoris jussu flammis exustus est; quam tamen injuriam tulit Eutychius, ut viri sancti solent qui ex ignoratione peccaverunt, maluitque perdere famam quam fidem.

MUNDI

MUNDI 4636. CHRISTI. 583.

Mortuus eſt hoc anno Eutychius menſe Aprili poſt Paſcha, cùm ſediſſet iterùm in ſede ſuâ annis quatuor, & menſibus ſex; vere pœnitens, & publicè tum etiam profeſſus ſe in carne quam tangebat reſurrecturum: itaque apud Græcos habetur inter ſanctos, ejuſque cultus anniverſariâ die quotannis recolitur. Succeſſit ei Ioannes cognomento Iejunator, homo hypocrita, & ventre flaccido, ſuperbiâ tumens, ut ante præviderat Euſtathius; & verò ex ſimulatione fugit, ne Epiſcopus fieret, ſed ſummopere timens ne excideret hàc ſede, quam omni ſpe voraverat, ſicque latens, ut videri vellet.

Tum quoque obiit Tiberius, cùm ſolus regnaſſet annis 4. ac moriturus tradidit Imperium Mauritio, quem antea Cæſarem dixerat ob res præclarè geſtas, eique ſimul ſuum impertiit nomen: quare deinceps dictus Mauritius Tiberius, eique filiam ſuam junxit uxorem Conſtantinam, dictam Auguſtam. Mauritius oriundus erat ex Arabiſſo urbe Cappadociæ, vir fortis & religioſus, & quo Tiberius eligere non poterat Imperio & Eccleſiæ meliorem ac utiliorem rectorem.

Fredegundis tunc temporis ſæviebat, Francica furia; cujus operâ nihil propius factum eſt, quàm ut Gregorius Turonenſis excideret Epiſcopatu, in Synodo Brennacenſi; in quâ tamen abſolutus eſt, excommunicati ejus accuſatores. Hanc autem ut Deus revocaret ad officium, ſicut & maritum ejus Chilpericum nequaquam uxore meliorem, ei duos abſtulit filios Clodobertum & Dagobertum, peſte tum graſſante elatos: quos ut ſervaret mater omnia injuſta nomina ſua publicè combuſſit: ſed iis ſublatis, rediit ad vitam ſua; immo Clodovæum filium Chilperici ex Audoverâ, in carcerem detruſum quaſi ſibi insidiantem interimendum curavit, vulgatâ famâ eum ſibi manus intuliſſe, ut vitam ſimul & honorem perderet.

Contigit tum gravis in Hiſpaniâ à Leuvigildo Ariano in Catholicos perſecutio; quâ Ingundis Siſeberti, & Brunechildis filia ſe fortem præſtitit, calcibus etiam uſque ad ſanguinem appetita ab aviâ ſuâ Goiſuinthâ olim Athaglagildi uxore matre Brunichildis, quæ poſtea Leuvigildo nupſerat; ſed Ingundis non tantùm fortis, ſed & felix fuit, maritum ſuum Hermenigildum filium Leuvigildi lucrata Chriſto. Hic autem pugnare parans in patrem, evocatis in auxilium Græcis, legatione per S. Leandrum Hiſpalenſem ...itâ, didicit Catholicam fidem meliùs patientiâ quàm armis conſervari.

MUNDI 4637. CHRISTI. 584.

Pelagius auxilium adverſus Longobardos petit ab Imperatore Mauritio, qui ad Childebertum pecunias miſit ut invaderet fœdifragos; reconciliati enim erant per Igidium Rhemenſem Epiſcopum Childebertus & Chilpericus, ea lege ut ille hujus hæres eſſet: ſed ducibus miſſis in Italiam parum concordibus negotium diſcuſſum eſt, Longobardi in Rom. Pontificem & Romanos furere perrexerunt omni ope deſtitutos.

Gregorius Romam revertitur, miſſo ad novum Imperatorem novo Apocriſario; ubi & ſcripſit in ſchiſmaticos ob Tria Capitula, juſſu Pelagii Papæ; qui liber miſſus eſt ad Eliam Pauli Aquilejenſis Epiſcopi ſucceſſorem, ſed eo fructu qui ab obſtinatis poteſt expectari. *S. Gregorius ſcribit de 3. capitulis.*

MUNDI 4638. CHRISTI 585.

Longobardi à cæde Regis ſui Clephis decennio toto carentes Principe, filium ejuſdem Clephis dictum Autharith Regem eligunt: hic ut nomen ſuum emolliret ſe Flavium dixit, quo prænomine omnes deinceps Longobardorum Principes uſi ſunt. Tum autem Præfecti dimidium bonorum ſuorum in Regios uſus ac fiſcum contulere, ne totum perderent, ſi diſtracti id poſſidere vellent. *Rex Longobard. Autharith.*

MUNDI 4639. CHRISTI. 586.

Philippicus Præfectus Orientis, cui ſororem ſuam Gordiam Mauritius dederat uxorem, conſecutus eſt nobilem de Perſis victoriam beneficio imaginis ἀχειροποιήτον à Chriſto ad Abgarum Edeſſenum miſſa; qua clade non tantùm Perſæ, ſed & eorum Magi ſunt repreſſi, polliciti ſuis victoriam: hi vani & mendaces, illi ignavi & fugaces deprehenſi. *Victa de Perſis per imaginem Abgari.*

Pelagius confugit ad Smaragdum Exarchum Ravennatem ut ſchiſmaticos Iſtrios retunderet; hic Ravennam deductos vi compulit communicare cum Ioanne hujus urbis Epiſcopo, qui Tria Capitula damnaverat. Sed ii redeuntes ad ſuas ſedes, & ab aliis Epiſcopis, & populo exagitati, redierunt ad ſuum ſchiſma, quod tantùm metu mali poſuerant. *Iſtrorum ſchiſma.*

MUNDI 4640. CHRISTI. 587.

Ioannes Conſtantinopolitanus (in eâ Synodo quâ abſolutus eſt Gregorius Antiochenus factione Aſterii Comitis Orientis, accuſatus de multis criminibus à ſuis Antiochenis) ſibi titulum Patriarchæ Oecumenici arrogavit; ſed ſtatim repreſſus eſt à Pelagio, omnia hujus Concilii Acta, præter abſolutionem Gregorii, irritata. Quare ſi antea quiſquam Antiſtes Conſtantinopolitanus dicitur Oecumenicus, ut in Actis v. Synodi, certum eſt dolo Græcorum id in codices irrepſiſſe; quos in hac arte falſariorum peritiſſimos fuiſſe poſtea videbimus. *Ioan. Conſtantinop. arrogat ſibi nomen Oecumenici.*

Contigit terræ motus ingens Antiochiæ, quo Deus ultus eſt Gregorium; Aſterius virginem uxorem ducens oppreſſus eſt, cum multis in celebritate harum nuptiarum exultantibus: Gregorius, licèt caderet ejus domus, incolumis emerſit; docuitque Deus rebelles in Antiſtitem ſuum, non tantùm in deſerto, ſed & in civitate perituros. *Terræ motus Antiochiæ.*

Vaſcones, Hiſpanus populus, Pyrenæum montem tum accolens, deſcendit in Aquitaniam, & in eâ hæſit tam tenaciter, ut ad hoc uſque tempus in eâ nomen, ſedemque defixerit. *Vaſcones in Franciam tranſeunt.*

Fredegundis cum Landerico Majore domus

*Fredegundis adultera perdit Chilpericum.* turpiter volutata, & imprudenti voculâ desectâ, Chilpericum, inito consilio cum adultero suo, perdere parat. Quod factum; & dum enim ex venatione nocte jam obscurâ redit, à sicariis confossus impiam reddidit animam, Rex sui seculi Nero, vel Herodes, cui sua Herodias non defuit. Reliquit puerulum 4. mensium, Clotarium posteà dictum; Fredegundis in præmium sui facinoris verè Regina fuit, sola regnum administravit.

MUNDI 4641. CHRISTI 588.

*S Hermenigildus caditur jussu patris.* Hermenigildus pugnaturus in patrem Leuvigildum, desertus à Græcis auxiliatoribus, quos hic corruperat pecuniâ, fugit in Ecclesiam, ex qua fide datâ retractus conjectus est in carcerem, in quo dum recusat ex Ariani manu communionem capere ipsâ nocte Paschatis, jussu parentis securi percussus est: Ingundis ejus uxor cum filio parvulo à Græcis erepta, ut deduceretur ad Imperatorem, in Africâ obiit, ab marito nequaquam divulsa, & cum eo inter martyres computanda. Inde recruduit in Hispaniâ persecutio adversus Catholicos, S. Leander & Fulgentius Episcopi fratres relegati, multi interempti; quorum sanguine & exiliis brevî pax empta est Ecclesiæ.

*Persecutio in Suevos.* Extensa quoque persecutio in Suevos, in Clericorum ordinem relegato Audicâ, qui Eburicum Ariamiri filium, regnique hæredem incluserat monasterio; Suevi ad Arianam sectam compulsi, à quâ mox tamen per Reccaredum revocati sunt, fratris potiùs sancti, quàm impii parentis imitatorem.

*Tumultus Ro. exercitus.* Magnus est tumultus hoc anno excitus in exercitu Persico Romanorum, qui exautoratis ducibus suis alios sibi delegerant: tandem oratione, lacrymis, prostratoque ad terram corpore, eos Philippico reconciliavit Gregorius Episcopus Antiochenus, & ad vincendos hostes paratiores reddidit & alacriores.

MUNDI 4642. CHRISTI 589.

*Sacrilegi Franci devicti.* Guntheramnus ulturus Hermenigildum & Ingundem, grandem conflavit exercitum, quem immisit in Septimaniam. Sed ejus milites inter eundum multa nefanda etiam in Ecclesias perpetrarunt. Quare cùm iis occurrisset Claudius Lusitaniæ dux cum 300. viris, eorum sexaginta millia fugavit aut trucidavit: neque Deus martyres suos à militibus ultos esse voluit, multò minus à grassatoribus, atque sacrilegis.

*S Prætextati Martyrium.* Prætextatus Rothomagensis Episcopus Fredegundem Francicam Jezabelem fortiter reprehendens, ejus jussu in Ecclesiâ suâ orans per sicarium trucidatus martyr esse meruit, ac morte suâ præteritam eluit ignaviam.

*Restagnat Tiberis & Athesis fluvii.* Contigit hoc anno Romæ ingens Tiberis exundatio supra muros Urbis restagnantis, & secum ad mare vim incredibilem serpentium devehentis, inter quos instar trabis inventus est unus. Eas bestias cùm ad littus mare rejecisset, ibique feræ computruissent; inde ingens coorta est pestis, quâ tota est afflicta Italia. Nec Tiberis tantùm sed & fluvius Athesis in Italiâ crevit, cujus aqua cùm ascendisset usque ad templum S. Zenonis Veronæ, illud tamen patentibus portis non subiit, inclusis etiam ex flumine aquam petentibus; quod vix crederetur nisi huic miraculo fidem faceret testis Papa Gregorius.

MUNDI 4643. CHRISTI 590.

Pestis Romæ in Italiâ sæviens inter alios Pelagium II. extulit, quando homines sagittæ quasi de cœlo ferire videbantur, qui statim inguinariâ lue afflabantur. Obiit autem 6. Idus Febr. cùm sedisset annos 12. menses. 2. dies. 2. cessavit ejus Episcopatus menses 6. & dies 25. electusq; S. Gregorius totius Cleri consensu, ob nobilitatem, doctrinam, & sanctitatem; non tamen sedit, nisi assentiente Mauritio; quod ne hic faceret, Gregorius datis litteris impedire conatus est. Sed pios ejus conatus elusit Germanus Præfectus Urbis; atque electio Imperatori vehementer placuit, qui à viro sancto filium suum ex Baptismi fonte suscipi voluerat, tanti compatris affinitate lætatus. Cùm autē litteræ Imperatoris venissent Romam, latebras captavit Gregorius; sed indicio columnæ lucidæ pendentis è cœlo detectus, in Basilicam Sancti Petri deductus est tanto mœrore, quanto nunc gaudio Præsules in suis sedibus collocantur. Persolvit tamen pecuniam Imperatori pendi solitam, non uti Pontificatum emeret, sed ne ab Imperatoris præfectis impediretur obire munus suum; sicque hæc pensitatio non dignitatis, sed vexationis redemptio fuit.

Tum Gregorius ad pestem avertendam Litanias septiformes excogitavit ex Clericis, viris Laicis, Monachis, ancillis Dei, fœminis conjugatis, viduis, pauperibus, & infantibus. Quando & supra molem Hadriani idem Gregorius vidit Angelum in vaginâ recondere gladium, dum imago B. Virginis deferretur. Ridiculè autem quidam salutationem sternutantium ad id tempus referunt, quòd tùm sternutantes morerentur cum ea longè antea esset in usu apud Gentiles; cujus & Plinius Veronensis meminit, & tum tradit Deos invocatos: quam consuetudinem retinuimus, & Idolorum loco verum Deum substituimus.

Guntheramnus multis precibus, jejuniis, & eleemosynis populum suum exemit lue; dignus cujus contactu etiam miracula fierent. Appetitus etiam à sicario, vulnerari non potuit; quem morte mulctari noluit, sed tantùm verberibus, quòd in Ecclesiâ captus esset; etiam in justitiâ suâ Rex pientissimus.

Obiit & hoc anno S. Radegundis miraculis clara, & cui natales nihil profuerunt, nisi ut miserior esset. Reliquit monasterium magnæ ob illam venerationis, quod Episcopis commendavit, certius in cœlo patrocinium ejus susceptura.

Suscepta est hoc anno à Francis incitatis à Mauritio Imper. in Longobardos expeditio, ex quâ nihil præter prædas retulere, & morbis consumpti in patriam rediere, cum eis præstò non fuissent Orientales, fide Græcâ ei auxilium polli-

polliciti. Obiit autem tum Antarith Rex Longobardorum, à S. Gregorio & aliis dictus Apthacharius; divinæ ultionis monimentum.

Reccaredus hoc anno successit Leuvigildo, in Arianâ suâ hæresi mortuo, cùm annis decem & octo regnasset ab obitu Liubæ fratris, Reccaredus statim est Catholicus factus, immo & omnes suos ad veram perduxit fidem, auxilio Hermenigildi nobiliùs regnantis in cœlo.

Hormisdas Persarum Rex à Varame rebellante in custodiam datus, & excæcatus, ejus loco filius Cosrhoës regnare jussus. Qui cùm ad patrem cibos mitteret, ille eos conculcaret, Cosrhoës fustibus cæsum patrem mori compulit. Sed cùm Cosrhoës exemplo patris non saperet, à Varame appetitus bello, suis ad rebellem confugientibus, fugere coactus est ad Mauritium, à quo magnificè exceptus, etiam regno restitutus est; sicque intellexit se divinâ ope, potiùs ad Christianos, quàm ad Turcas confugisse, & à Deo fugam ejus esse directam.

---

## CAP. X.

## *Decas Ultima.*

### *Ab anno Christi* 590. *ad* 600.

MUNDI 4644. CHRISTI 591.

Cosrhoës hoc anno restitutus est Regno per Narsetem incruentâ potitum victoriâ: quando in exercitu rebellium Persarum Turci inventi sunt in fronte signati cruce ferro candenti, ut à se luem abigerent. Mansit tamen Gentilis Cosrhoës: sed Naamenes Saracenus Princeps cum suis omnibus ad fidem conversus mœrorem Mauritii demulsit.

Sanctus Gregorius dignum se suo nomine præstat Ecclesiæ vigilantissimum pastorem. Apage porrò hinc fabulam de sex millibus capitum, qui suffocati fuissent infantium, quæ piscatores attulere ad S. Pontificem prohibentem Sacerdotibus nuptias, quæ dum jactant heterodoxi, ostendunt se mentem cum fide perdidisse.

Creatus est tum Rex Longobardorum, mortuo Autharitho, Agilulphus seu Agon. Duxerat hic uxorem Theolindam, per quam ab Arianâ sectâ revocatus est cum suis à Gentilium erroribus: totâque Italiâ potitus, præter Romam & Ravennam cum adjacentibus locis; in baptismo vocatus est Paulus; sicque uxori suæ & regnum, & victorias, & veram fidem debuit.

MUNDI 4645. CHRISTI 592.

Mauritius Imperator Legem Juliani Apostatæ renovavit, ne quis miles, nondum expleto militiæ tempore, fieret monachus. Obstitit fortiter huic edicto Gregorius, & emendari voluit, exemptis iis qui verè pœnitentes essent; & cum Mauritio adeo sapienter egit, ut neque Cæsari quidquam, neque Deo detraheret.

Vexatus est hoc anno gravi morbo Gregorius, sed mœrore multo magis, de Italiâ vastata per Arnulphum Longobardorum ducem. Quare egit cum Ioanne Episcopo Ravennate ut sibi impetraret à Romano patricio Exarcho licentiam contrahendæ cum Longobardo pacis honestis conditionibus, sicque provideret Romanis suis, quibus defendendis Græci pares non erant.

MUNDI 4646. CHRISTI. 593.

S. Gregorius hoc anno suos Dialogos scripsit, nactus aliquid otii, quod non inutile fuisse Ecclesia sensit. Conversi sunt Græcè à Zachariâ Papâ, id optantibus Græcis, à quibus tamen eorum posteri non abstinuerunt manus. *S. Greg. Dialogi.*

Duæ Moniales, Chrodieldis filia Chariberti Regis, & Basina filia Chilperici, sub S. Radegundæ professa, eâ mortuâ jugum Leubоveræ Abbatissæ excusserunt, in ipsam ac Episcopos per sceleratos satellites suos sævierunt: quare excommunicatæ sunt, eaque sententia anathematis sæpe in Synodis confirmata. Basina tandem veniam petiit, & Abbatissæ se subjecit; Chrodieldis communionem obtinuit, sed extra monasterium vixit, piis illis virginibus indigna connumerari. *Turba in monast. S. Rodegund.*

Chaganus seu Cajanus, Hunnorum rex, cum Avaribus & Sclavinis Istro trajecto Thraciam depopulantur: sed multis certaminibus initis tandem repressi sunt à Prisco duce, quem Mauritius depositum, præfecturæ restituere compulsus est, isque se tali munere bis dato dignissimum præbuit. Profuit etiam plurimum Theodori Medici ad Chasanum profectio, cujus oratione factum ut Rex ille Thraciam relinqueret; sicque eloquentia armis conjuncta stabilem ac plenam pacem reddidit. *Hunni Thraciam populantur.*

MUNDI 4647. CHRISTI 594.

Mortuo Gregorio Episcopo Antiocheno, post annos tres & viginti restitutus est Anastasius Sinaita, magnâ Orientis & Occidentis gratulatione. *Anastasius Syna ta restituitur.*

Constantina Mauritii Imper. uxor petiit à S. Gregorio caput S. Pauli Apostoli, in Ecclesia quam nuper ædificarat collocandum; quod negavit Pontifex, veritus miracula in illiusmodi translationibus fieri solita. Pollicitus est tamen de catenis aliquid, quibus Paulus vinctus fuerat; ex quibus cùm limâ quotidie aliquid abraderetur, non imminuebantur tamen, factæ quodammodo ex tanti viri contactu immortales, atque redivivæ. *De catenis S. Pauli.*

MUNDI 4648. CHRISTI. 595.

Hoc anno Gregorius Papa Ioannis Jejunatoris repressit audaciam, & superbiam, qui se in litteris *Universalem*, seu *Oecumenicum* Patriarcham appellabat, idque dicere, esse perdere fidem asseruit: & Sabinianum Apocrisarium suum cum eo communicare vetuit, ne ejus arrogantiæ favisse videretur. Cur autem Gregorius etiam ab hoc nomine abstinuerit; ex ejus Epistolis *S. Greg. Io. Iejunatori obsistit.*

Epistolis intelliges, & variam vocis hujus notionem esse observabis, ne te Heterodoxorum argutiæ implicent.

*Roma servatur.* Romanus Exarchus Ravennæ, aliquas urbes eripuit Longobardis, quas statim Agilulphus recepit, agrumque Romanum fœdè vastavit. Volebat Gregorius pacem fieri cum Agilulpho, eumque à pace non alienum putabat; at Mauritius simpliciorem credebat Gregorium; ejus tamen precibus factum, & SS. Apostolorum patrocinio, ut Roma intacta servaretur; & suis viribus, sine copiis Græcis, Longobardorum potentiam bonus ille Pontifex irrideret.

*Laus eximia Francorum à S. Gregorio.* Scripsit & hoc anno S. Gregorius ad Brunichildem, ejusque filium Charibertum, Epistolas quibus eximiæ laudes gentis Francicæ continentur, eorum laudatur pietas, & dicitur Franciæ Reges tantum superare reliquos Principes, quantum Reges privatis antecellunt. Quæ cùm magnæ sint, & veræ, fiunt ex calamo tam sancti Pontificis majores, atque veriores.

*Anglorum conversio.* Tum etiam cogitavit Gregorius de Anglis ad fidem convertendis, curavitque emi ex iis plurimos adolescentes qui in monasteriis instituerentur, quòd propter dignitatem & elegantiam vultus & corporis essent Angelis quàm hominibus similiores, etiam non multum abludente vocabulo.

MUNDI 4649. CHRISTI. 596.

*Io. Iejunator moritur.* Ioannes Iejunator Episcopus Constantinopolitanus cùm sedisset annis tredecim obiit creditus à suis sanctus ob hypocrisin, partemque cum Angelis superbis sortitus. Successit ei vir optimus Cyriacus, qui statim ad Gregorium Pontificem scripsit, & ad eum Gregorius; vetuit tamen Sabiniano ne adesset huic sacra facienti, donec Oecumenici nomen ex suis titulis expunxisset; adeo hoc nomine vir sanctissimus pungebatur. *Gregorius Oecumen. nomen ferre non potest.* Tunc etiam damnavit eos qui putarent Christum descendentem ad inferos, omnes eum confessos liberasse; idque SS. Patribus & Ecclesiæ placitis minùs consonum esse docuit.

*Augustin. Angliæ Apostolus.* Augustinus mittitur cum sociis in Angliam, & despondens animos reversusque Romam ob rei difficultatem iterum remittitur rectè animatus à Pontifice, cui Deus hanc gentem convertendam suis auspiciis promisisse videbatur.

MUNDI 4650. CRHISTI. 597.

*Oecumen. nomen Gregorius ex[...].* Missi à Cyriaco Constantinopolitano Episcopo Responsales cum professione Fidei, & litteris quibus petebat tam ipse, quàm Mauritius, ut illi in communionem admitterentur. Admisit Gregorius, sed vetuit Apocrisarium suum Cyriaci assistere sacris, nisi priùs Oecumenici nomen ex suis titulis expunxisset; & rescripsit ad Cyriacum & Imperatorem concordiam plenam fieri non posse nisi hoc fatale nomen tolleretur; perpetua rixarum inter utramque Ecclesiam materies, & seminarium.

*Anglorum conversio.* Augustinus cum sociis bene receptus est ab Edilberto Anglorum in Cantio Rege, & in ejus Metropoli Doroverna, quæ postea Cantuaria dicta est: duxit Rex ille uxorem Bertham ex regio Francorum sanguine Christianam, quæ Christianitatem non parum provexit. Rex conversus ad eorum prædicationem, & miracula, decem millia in die Christi Natali, sacris aquis elutos vidit; Augustinus, jam antea factus à Gregorio Episcopus, luculentum sortitus est gregem.

MUNDI 4651. CHRISTI 598.

Gregorius pace diutiùs sine fructu tractatâ, ac sæpe per Exarchos impeditâ, fœdus cum Longobardis ad tempus iniit, providens interea ne fœdifragi hominis ejus fide abuterentur; atque ita minoribus magis præcavens, ut majoribus provideret.

Mauritius Tiberius gravissimo laborans morbo, ac propè in extremis, testamentum suum condidit, quo Theodosio filiorum maximo, jam Augusto, Constantinopolim cum Oriente, relinquebat, Romam cum Italiâ & insulis Tyrrheni maris Tiberio, alias cæteris liberis suis, quibus impuberibus tutorem præficiebat Domitianum cognatum suum Melitinæ Præsulem, cui negotia omnia magni momenti communicabat; At enim ita magis suæ familiæ, quam Imperio sic distracto consulebat.

Hoc denique anno 4. Kal. April. mortuus est Guntheramnus Francorum rex pijssimus; cùm annis 33. regnasset, relictâ unâ filiâ Clotilde, & adoptato Childeberto. Hic statim excitatus à Brunechilde matre appetiit bello Clotarium II. Tutore suo destitutum: sed fortiter obstitit Fredegundis, hactenus callida, nunc etiam fortis; hæc enim in exercitum portavit filium suum, eumque tum sæpe, & oratione tam aptâ Francis ostentavit, ut pro puero mori illi non dubitarent. Addidit, & fortitudini suorum, stratagema Landericus, quo victi Austrasii, eo turpiùs quòd sub auspiciis fœminæ, ejus adulteri consilio & manu essent superati.

MUNDI 4652. CHRISTI. 599.

Mortuus est hoc anno Antiochenus Antistes Anastasius Sinaita, cùm sex annis iterum sedi suæ præfuisset; vir suâ eruditione ac sanctimoniâ de Ecclesiâ optimè meritus, & S. Gregorio charus. Successit ei alter ejusdem nominis Anastasius, quem mors à Judæis illata magni quàm vita commendavit.

Hoc anno Gregorius laborare podagrâ cœpit, adeoque ab eo tempore ferè affixus est lectulo, unde tamen allaborabat graviter Ecclesiæ, atque in infirmo corpore valere sanam mentem sapienter ostendit.

Mortuus est hoc anno Childebrandus Austrasiæ Rex, & hæres Guntheramni, anno ætatis 25. cum uxore Faleubâ, non sine suspicione veneni utrique à Brunechilde propinati. Hujus sub tutelâ relictum est regnum Theodorico, & Theodeberto; sic Franciæ universæ Regnum duabus non tam fœminis, quàm mortalibus furiis subjectum est. Harum altera Fredegundis non diu superstes fuit, iterum enim victrix operâ sui admissarii Landerici obiit, graves in alterâ vitâ scelerum suorum pœnas depensura.

MUNDI 4653. CHRISTI 600.

Chaganus seu Gaganus Avarum Rex cum Slavinis Italiam ingressus Venetam provinciam depopulatus est; quo in bello Agilulphus dux Fori Iulii periit; ejus relicta Romilda spe nuptiarum cum Rege, ei Forum Iulium prodidit: sed ab eo palo infixa publicè pœnas impudicitiæ, ac superbiæ dedit. Ejus filiæ castiores adhibuere sibi ad mamillas pullorum carnes, quibus computrescentibus, dum Avares putant eas sic à natura malè olere, eas intactas reliquêre; quæ postea per varias regiones venditæ pudicitiæ suæ recepere præmia, unaque Alemannorum Regi, altera Principi Bojoariorum nupsit; ambæ formâ & virtutibus illustres.

Inde transiit in Pannoniam ac Thraciam Chaganus, tantumque terroris Constantinopolitanis injecit, ut ii jam de deserendâ Europâ cogitarent. Sed calamitas Chagani consilium hoc timidum impediit. Cùm enim S. Alexandri Martyris templum incendisset, ejusque reliquias affecisset contumeliâ, inguinaria lues sic invasit ejus exercitum, ut eum pænè deleret, ejus filios septem unâ die extingueret; itaque in patriam suam malè mulctatus rediit. Cùm autem priùs obtulisset Mauritio singulos captivos redimendos uno nummo, postea quatuor siliquis, & conditionem recusasset sordidus Imperator, omnes interemit: ob quas sordes postea Mauritius graves pœnas dependit.

Missa est tum quoque legatio ab exercitu Persico ad Mauritium contra Priscum ducem, in quâ cùm Phocas Centurio liberiùs Imperatorem allocutus à Patricio recepisset alapam, pilis etiam evulsis è barbâ, ille occasionem inde turbarum arripuit, quibus sibi Imperium peperit glorioso dedecore. *Phocæ initia.*

# LIBER VII.

## *Ab anno Christi* 600. *ad* 700.

### CAP. I.

### *Decas Prima.*

*Ab anno Christi* 600. *ad* 610.

MUNDI 4654. CHRISTI 601.



Anglicanæ Ecclesiæ res hoc anno lætissimum cursum tenuerunt, templa Idolorum in Ecclesias consecrata meliores in usus adhibita sunt, curante hæc Gregorio, impigrè laborante Augustino, qui primus Dorovernensis seu Cantuariensis Antistes gentis Anglicanæ dictus est Apostolus.

Bellum conflatum inter Theodebertum ac Theodoricum Austrasiæ Reges atque Clotarium I. Pugnatum acriter; victus Clotarius Parisios fugit, ubi & obsidione cinctus est; tandem compositâ pax victo inhonora, victoribus utilis, eorum extensis ditionibus. Tumque intellexit Clotarius se Fredegunde matre suâ, quamvis iniqua, nimis citò caruisse.

MUNDI 4655. CHRISTI 602.

Victi per Paganum ducem Spoleti Longobardum Romani; qui tamen eodem anno sublatus est vir Ethnicus; & cùm ejus operâ in plectendis filiis suis Deus nequaquam indigeret.

Aquilejensis Patriarcha deinceps dictus est Gradensis, incensâ Aquileja: & quanquam nova esset Aquileja restituta, perstitit tamen nomen, ut idem Præsul modò Gradensis, modò Aquilejensis appellaretur.

Mauritius anno Imperii sui vigesimo, despici cœpit à suis, adeo ut Maurum quemdam Mauritio similem alliis coronatum imponerent asino, ac per urbem circumducerent. Prænunciatum quoque fuit Imperatori eum interficiendum esse, ab eo cujus nomen inciperet à littera Φ, aut P H; & Philippicus tantùm periculum evasit; quia integrum nomen percussoris eidem Imperatori revelatum est. Et verò miserat ad omnes viros pios Mauritius ut à Deo obtinerent, ne in alterâ, sed in hac potiùs vitâ puniretur, ob necatos à Barbaris Avaribus ejus culpâ captivos. Itaque cùm jussus esset Romanus miles ultra Istrum hyemare, rebellavit in Imperatorem, atque impositum clypeo seditiosum Centurionem Phocam dixit Augustum. Hic statim alacritate suorum usus, venit ad Hebdomum, fugiente in suis navibus cum uxore & liberis Mauritio. Statim receptus à Senatu Phocas, & à Cyriaco insignibus Imperii exornatus. Cùm autem ventus contrarius in portum Mauritium repulisset, in conspectum novi Imperatoris attractus vidit in suis oculis trucidari liberos suos, id tantùm Davidis repetens ad singulas neces *justus es Domine, & rectum judicium tuum.* Immo nutrice filium pro Imperatorio obtrudente, verum repræsentari jussit, cujus ex vulnere lac cum sanguine exiit; ac demum ipse ultima tantæ lanienæ victima cæsus est. Objecta sunt publicè hæc capita ex contis usque ad fœtorem, tumque sepeliri concessa. Vir aliâ fortunâ dignior visus, humana tantùm mortali oculo spectantibus; sed quam ipse exoptarat, ut æternum felix esse posset; & Imperium caducum perdere, ne cælesti regno privaretur. Huic ergo successit Phocas, corpore deformis, animo turpior, & in quem omnia vitia confluxere, si hæresin excipias, quare à Deo Constantinopolitanis in vindictam datus, quia eo nequior non poterat reperiri. *Phocas fit Imperat.* *Mauritius cum familia exterminatur.*

Tum

*Frigus ingens, & pestis.* Tum autem tanta frigora sævierunt, ut congelato mari perierint pisces, pestisque ac fames insuper grassatæ sunt; quò intelligeretur quàm iratus esset Deus, qui Tyranno Phocâ, tam atroci, contentus non esset.

MUNDI 4656. CHRISTI 603.

*Theodosius caeditur.* Theodosius primogenitus Mauritii, præfectus ad Cosrhoën petiturus auxilia, interceptus Nicææ â Phocâ interfectus est. Iactatum tamen alium ejus loco similem suppositum esse; unde Tyranno quieto esse non licuit, Theodosium ubique adesse reformidanti. *Cosrhoes ulciscitur Mauritiū.* Cosrhoës quoque Legationem Phocæ repulit, ulturus acerrimo bello Mauritii necem, à quo in regnum restitutus fuerat: neque vanæ fuerunt Persarum minæ; ab iis enim Imperium Romanum in ultimum discrimen venit, cujus ruinam tantùm impietas, & fastus Cosrhois impediit.

*Gregorius resistit Longobardis.* Arnulphus Longobardus Dux Spoletinus Romam obsidere parat; huic fortiter restitit Gregorius, etiam copiis comparatis, reque militari diligenter curatâ, ne quid omisisse videretur. Et verò huic magno animo paruerunt bellatores viri; tanti Pontificis pietate; quàm armis tutiores.

MUNDI 4657. CHRISTI. 604.

*Gregorii pax cum Agilulpho.* Gregorius hoc anno pacem iniit cum Agilulpho Longobardorum Rege, cujus infantulo ritu Catholico à matre Theolindâ baptizato misit Pontifex philacteria, & munera quæ simul & gratum animum, & pietatem testarentur.

*S. Gregorius moritur.* Gregorius Magnus, cùm sedisset annos 13. menses sex, dies decem, 4. Idus Martias receptus est cælo, *Quem sanctitate Antonium, Eloquentia Cyprianum, sapientia Augustinum* S. Ildephonsus Episcopus Toletanus scripsit; ut mirum non sit, visum esse ei assistere sub columbæ specie Spiritum sanctum, cùm aliquid scriberet. Vir tamen tantus calumnias vitare non potuit, & ejus scripta tantùm non exusta sunt; nec tamen ille minori in pretio fuit, atque ea sunt studio diligentiori custodita. *Ei succedit Sabinianus.* Huic successit Sabinianus, patriâ Volaterranus, ejus antea Constantinopoli Apocrisarius, ideoque pæne jam Gregorii suffragio dignus hâc sede judicatus.

*Bellum Persicum in Romanos.* Bellum Persicum hoc anno inchoatum est, quando Cosrhoës irrupit in Romanum Imperium, & Narses Edessam obtinens in Phocam rebellavit. Domitius Magister militum missus in Cosrhoëm se & exercitum perdidit; Germanus Prætor in Narsetem copias tantùm; neque incolumis rediisset, nisi S. Gregorius Martyr patrocinio suo, & S. Theodorus Siceota Archimandrites precibus ab eo vitæ discrimen depulissent.

MUNDI 4658. CHRISTI 605.

*Duo Patriarchæ Aquilejensis & Gradensis.* Aduvaldus filius parvulus Agilulphi Regis Longobardorum Rex creatus est Mediolani coram Legatis Theodoberti Francorum Regis, & pax cum iis firmata. Severo autem Patriarchâ Aquilejæ mortuo, suffectus est in eâdem urbe Ioannes, ex consensu Agilulphi; ab iis verò qui parebant Romanis in Grado insulâ, Candidianus; unde duo minuti facti Patriarchæ ex uno pervulo, ex uno schismate duplex schismaticus fœtus. Mox tamen Candidianus communicavit Ecclesiæ Romanæ: quare ab adversariis schismaticis, solito iis more, vocatur hæreticus. Duo ergo dicti deinceps Patriarchæ sunt Gradensis & Aquilejensis, qui duo antea unius erant nominis. At cùm Aquilejensis sese contulisset Forum Julium, quòd in Grado insulâ non satis securus esset, dictus quoque duplici nomine idem Patriarcha Gradensis & Foro-Juliensis seu Juliensis. Quæ controversia sub Eugenio Papâ terminata est in Concilio Mantuano, tumque sublata est nominum rerumque confusio, Ecclesiæ perniciosa.

Sabinianus Papa, postquam sedisset menses quinque, dies undeviginti, mortuus est, cujus funus ignobile fuit, propter sordes, atque in pauperes avaritiam. Sigebertus quoque scribit ter admonitum in somnis à S. Gregorio, & non resipiscentem, quartò in capite graviter percussum esse; sed fides sit penes authorem sæpe vaniloquum, nonnunquam mendacem. Cùmq; vacasset sedes mensibus undecim, ac diebus viginti sex, anno sequenti creatus est Bonifacius Tertius qui missus fuerat ad Phocam Apocrisarius; quæ legatio multis ad primas infulas præjudicium fuit.

Phocas Narsetem Ducem aliàs rebellem, iteratis juramentis de securitate perfidiosè revocatum, vivum exuri jussit, privavitque duce Romanum Imperium, hisce temporibus contra Persas admodum necessario. Sed quid agas? Tyrannus minùs subditus, quàm se curare solet.

MUNDI 4659. CHRISTI. 606.

Simultates inter Phocam & Cyriacum sunt enatæ, cùm Constantina relicta Mauritii, consilio Germani Patricii ambientis Imperium, cùm tribus filiabus in Ecclesiam confugisset. Has enim cùm per vim retrahere conatus Phocas, huic restitit Cyriacus, & fretus Populo rejecit Imperatorem. Mox tamen illæ, fide datâ, exeuntes clausæ sunt in monasterio. Itaque Phocas iratus Cyriaco sancivit edicto suo, nomen Oecumenici, seu Universalis, unum decere Romanum Pontificem, non autem Constantinopolitanum, qui id antea malè usurpatat; quare antiqui scriptores tradunt hoc Bonifacium Tertium ab Imperatore Phocâ obtinuisse, bono hominis improbissimi facto.

Hoc item anno, quo Romæ habita Synodus de Pontificis electione; vetitumque ne de eâ tractaretur, nisi post tertium ejus mortis ac depositionis diem, 4. Id. Novembr. obiit Bonifacius III. cùm Petri sedem tenuisset tantum mensibus 8. diebus 26. vacavitque sedes eadem menses 18. dies sex, longiori morâ pro receptâ temporis hujus consuetudine, quo ad Imperatorem recurrendum erat, sine cujus authoritate nemo poterat in Petri sede collocari.

MUNDI

MUNDI CHRISTI
4600. 607.

Bonifacius IV. natione Marsus 17. Kal. Dec. Romanus Pontifex est creatus, qui statim obtinuit à Phocâ Pantheon, à M. Agrippâ tempore Augusti statutum, ut ab Idolis purgatum Deo dedicaretur. Consecratum est ergo B. Virgini, atque omnibus martyribus, quorum corpora plurima (Baronius ex fidelissimis Manuscriptis currus plenos eorum lipsanis elatos esse asserit) eò subvecta sunt ut essent multis dæmonibus, inde ejectis, terricula.

Patefactâ hoc anno conjuratione in Phocam Constantinæ, ejusque filiarum, cum Germano Patricio, spe viventis Theodosii filii Mauritii; cujus loco alius ei simillimus cæsus esse ferebatur; data Tyranno ingens exercendæ suæ crudelitatis materies. Ac primò Constantina cum filiabus tribus (aliæ enim fuere superstitites) in eodem quo Mauritius cæsus erat loco interfecta est. Obtruncatus quoque Germanus, & Theodorus Orientis Præfectus, aliique multi Patricii quorum nece ac sanguine Imperium suum stabilire nequicquam Phocas conatus est.

Idem Phocas gravissimis manuum pedumque doloribus ægrotans sanatus est à S. Theodoro Siceorâ, quem Thomas antistes evocarat, ut portentum de concussis crucibus in Galatiâ enarraret. Interea Cosrhoës totam Syriam, nullo prohibente, depopulatus est, multo Romanorum sanguine ultus Mauritium à Romanis Tyranno proditum, aut flagitiosè desertum.

MUNDI CHRISTI.
4661. 608.

Sæviere hoc anno in Oriente & Constantinopoli fames atque pestis, itemque Persæ, multis urbibus captis in Armeniâ, Cappadociâ, Galatiâ, locisque omnibus Chalcedonem usque atroci populatione vexatis: sed longè magis Tyrannus Phocas multis nobilibus trucidatis; adeo ut Priscus ipsius gener, negans hoc monstrum diutiùs ferendum esse, Heraclium Prætorem Africæ ad eum tollendum incitarit. Ita Tyrannis corruit cùm devenit ad summa.

Thomæ mortuo successit Episc. Constantinopolitanus Sergius, laudatus ab eximio Poëtâ Georgio Pisidâ, magnæ spei tum juvene, sed postea delapso in hæresin Monothelitarum. Obiit quoque Alexandriæ S. Eulogius, magnus vindex Epistolæ S. Leonis, cui hic in somnis rependit gratias; huicque successit Theodorus Scribon, post duos annos mortuus, Episcopatu usus neque claro neque diuturno.

MUNDI CHRISTI
4662. 609.

Iudæi Alexandriæ in Christianos sæviere, multos occiderunt, aliquos incenderunt. Intulere etiam necem Anastasio Episcopo, ejusque corpus contumeliosè traxerunt; ideoque hic Martyr agnoscitur ab Ecclesiâ. Quare missus in eos cum copiis Bonosus Orientis Præfectus, multos occidit, multos mutilatos relegavit; non tantùm ad pœnam sed ad terrorem.

Phocas à Prasinis irrisus in circo, multos è populo sustulit; quare Prasini conglobati, in Prætorium miserunt ignem; quo incensa Curia, scrinia, carceres. Iam enim erant duæ custodiæ, cùm à tempore Constantini, ûnus in hac Urbe fuisset carcer. Sed cùm videret pia fœmina vinctorum pædorem, domum suam in carcerem obtulerat, misericordiâ hisce crudelissimis temporibus utilissima. *Duo carceres Constantinopoli.*

MUNDI CHRISTI.
4663. 610.

Heraclius in Africâ acclamatus Imperator, cum classe & exercitu Abydum appulit, victisque mox Phocæ copiis Constantinopoli potitus est; quando idem Phocas ad eum vinctus perductus, manibus pedibusque primùm truncatis, ac demum capite, à militibus combustus est. Egregiam in eo operam navavit Heraclio Priscus, ideoque factus Cappadociæ Præfectus; sed cùm res novas moliretur, ejusdem jussu interfectus est; pœnâ semper proditores insequente. *Heraclius Imperat.* *Casus Phocas.* *Priscus sublatus.*

Theodoro Alexandrino post duos annos mortuo successit Ioannes, cognomento Eleemosynárius, Cyprius, filius Epiphanii hujus insulæ Præfecti; quoque sanctiorem & utiliorem Ecclesiæ suæ Præsulem in omnibus sanctorum actis vix aliquem invenies. *S. Ioan. Eleemosynarius.*

Præerat tum Hispaniæ Rex Gothorum Gundemarus, jam tertius Rex Catholicus à Reccaredo, cui successerat Liuba, huic Wittericus. Witterici seu Bertrici filiam Hermenbergam duxerat Theodoricus, sed eam artibus aviæ suæ Brunechildis remiserat, servatâ dote. Cùm eam injuriam ultus non esset Bertricus, contemptus est à suis; immo eum in palatio suo interemit Gundomarus, & se Francis submisit, ut ab iis defenderetur. Sub hoc Gundomaro autem habitum est Toletanum Concilium in quo hujus urbis Episcopus renunciatus est Metropolitanus non tantùm Carpetaniæ, sed & Carthaginensis provinciarum: quando autem & à quibus idem factus sit totius Hispaniæ, non est hujus loci, neque authoris. *Status Hispaniarum sub Gothis.*

---

## CAP. II.

### *Decas Secunda.*

*Ab anno Christi* 610 *ad* 620.

MUNDI CHRISTI.
4664. 611.

PErgit Cosrhoes populari Cappadociam, ubi & Cæsaream capit; quando Eudocia Augusta peperit Heraclium Minorem, qui & dictus est Constantinus Iunior, quem in Baptismo suscepit patrinus S. Io. Eleemosynarius. Paulò pôst obiit Augusta magnifico elata funere; in cujus feretrum cùm puella Barbara ex fenestrâ sputum imprudens emisisset, viva combusta, crudelibus inferiis Eudociæ parentavit. *Nascitur filius Heraclii, moritur ejus uxor.*

MUNDI CHRISTI.
4665. 612.

Heraclius filiam suam Epiphaniam & filiolum Constantinum Augustos coronandos curat. Tum cessantibus Persis, jam prædâ satiatis, Saraceni Syriam vastaverunt, atque omnia flammis, ferroque deleverunt; majoribus postea malis præludentes. *Saraceni Syriam vastant.*

*Sævit Brunechildis in sanctos viros.* S. Columbanus Abbas Monasterii Luxoviensis in pago Bisuntino, charissimus Theodorico, ab eo abalienatus est; & quòd ejus impudicos amores abrumperet, per impiam Brunechildem missus in exilium, benignè susceptus à Clotario, cui præcinuit totum Franciæ regnum, & Theodeberto; ac Moguntiæ aliquandiu commoratus, Suevorum gentem ab idolorum cultu traduxit. Eadem quoque sceleratissima fœmina Desiderium & Delphinum Episcopos sustulit, & martyrum cœtibus adscripsit, ipsa postea Tyrannorum sortem consecutura.

MUNDI 4666. CHRISTI. 613.

*Heraclius pacem petit à Persis.* Heraclius Martinam neptem suam ducit uxorem; quam Augustam impiè coronavit Sergius. Persæ tum irruperunt iterum in Syriam, acceperunt Damascum; quando Cosrhoi Heraclius tributum obtulit, sed rejectus est à Persis, qui totum Rom. Imperium jam spe voraverant; quod contigisset, si belli finis initio respondisset.

*Brunechildis crudelitas.* Brunechildis nepotes suos Theodebertum & Theodericum inter se commisit. Victus ille adductusque ad aviam, Clericus ordinatus, ut postea magis impiè cæderetur. Ejusquoque duo filii, hac furiâ spectante, sublati; quæ & tertium Meroveum juniorem ad pavimentum allisit; ne quæ oculis crudelis fuerat, manu innocens videretur.

MUNDI 4667. CHRISTI. 614.

*Deus dedit succedit Bonifacio IV.* Bonifacius IV. obiit sedis suæ anno sexto cum mensibus 8. diebus tredecim; & cùm vacua fuisset Petri Sedes menses 5. dies. 12., Idib. Novemb. creatus est Pontifex Deus dedit, suo nomine dignissimus.

*Anglicana Ecclesia reparatur.* Laurentius Dorovernensis Episcopus, cùm statuisset relinquere turbatam Angliam, noctu egregiè à S. Petro vapulavit: quare mane Regem adiens, & vibices ostentans, eum ita terruit, ut & idola, & uxorem suam relinqueret, factusque Christianus, exules Episcopos regni sui ex Galliâ revocaret. Sic plus suis plagis Laurentius, quàm suis verbis profecit.

*Theodoricus perit.* Theodoricus Franciæ rex hoc anno fulmine afflatus obiit, aut potiùs veneno quod ei Brunechildis propinarat; hanc enim paulò antè pæne suo ferro necaverat. Ejus filium Sigebertum in patris locum substituit. Erat ille Nothus ex concubinâ cum quinque aliis fratribus susceptus, & satis pius, utpote qui Frideburgam Gunzonis Ducis filiam sibi desponsatam, quia Deo virginitatem voverat, liberatam à Dæmonibus ope S. Galli, sponsam Christi maluerit esse, quam suam. Sed aviæ improbitas eum perdidit; cùm enim hæc Warnerium perdere per Alboinum seu Albinum voluisset, idque Warnerius intellexisset, copias Austrasianas prodidit Clotario.

*Brunechildis crudeliter necatur.* Quare victus Sigebertus, & captus, cum suis fratribus cæsus est. Capta quoque Brunechildis, & tribus diebus quasi maga omnibus tormentis excarnificata, tandem alligata ad caudam pulli indomiti, per vepres atque saxa raptata & lacerata animam reddidit, indigno necis genere in filiâ, uxore, & matre Regum; sed quàm pæne legitimam ejus horrenda scelera atque flagitia effecere.

*S. Columbanus. Clotarius pius.* Clotarius S. Columbanum ex Bobiensi monasterio prope Mediolanum revocare conatus: sed hic eo in loco mori maluit; quod contigit 9. Kal. Sept. Clotarius autem eruditus, misericors, & amans Clericorum, optimè affectus est in S. Arnulphum Metensem Episcopum (cui filium suum Dagobertum erudiendum tradidit) & Lupum Senonensem; à quo veniam petiit, genibus flexis, quòd eum in exilium imprudenter repulisset: quorum precibus in administratione regni, quàm suis consiliis & armis confidebat magis.

Cosrhoes hoc anno Hierosolymam cepit, unde Zachariam cum ligno S. Crucis in Persidem transtulit: Christianorum quoque 90. millia Judæis vendidit, quos hi crudeliter excarnificatos interemerunt; reliquis providit S. Ioannes Eleemosynarius, tum amplum suæ liberalitati campum sortitus.

Vivebat hoc tempore S. Antiochus in Palæstinâ Abbas Lauræ S. Sabbæ; cujus Homilias habemus, in quibus Hierosolymitanam cladem, & S. Crucis captivitatem deplorat. Porrò hæc eadem S. Crux tantum terroris Persis incussit, ut eam ex suaThecâ movere non sint ausi, & causa fuerit cur S. Anastasius Persa ad Christum converteretur. Saraceni quoque Syriam depopulantes, multis miraculis aut repressi sunt aut sublati, victore semper Deo etiam inter hostium triumphos & suorum clades.

MUNDI 4668. CHRISTI. 615.

Cosrhoes hoc anno invasit Ægyptum, Lybiam, & Africam Propriam, ubi Carthaginem frustra tentavit. Tum autem eluxit S. Ioannis Eleemosynarii charitas & in Deum fiducia, quâ mira perpetravit; sicut & facient qui Deum potiùs, quàm humanam prudentiam sectabuntur, in pauperes liberales.

In Italiâ turbæ concitatæ sunt Io. Compsino cæso, Ioanne Neapolitano Exarcho Tyrannidem arripiente; qui mox per Eleutherium Exarchum ab Heraclio missum bello captus, & necatus est. Eadem quoq; Regio terræ motibus concussa est, & elephantiasi morbo, ex quo ægrotantem unum Deusdedit Pontifex exosculatus reddit sanum; sic morbi hujus turpissimi pietas amuletum fuit.

MUNDI 4669. CHRISTI 616.

Mortuus est hoc anno Agilulphus Rex Longob. relicto successore filio Adalualdo sub tutelâ matris Theolindæ, fœminæ pientissimæ: ut Ecclesia S. Ioan. Bap. in Modoëtiâ, 12. mille pass. à Mediolano, satis edocet.

Capta est hoc anno diu obsessa Carthago, dum oblitus Imperii Heraclius, de suis tantùm liberis sollicitus esset. Certè Constantinum juniorem Cæsarem tum dixit; sicut & Constantinum ex Martinâ genitum, dum eorum patrimonium impune laceraretur.

MUNDI

MUNDI 4670. CHRISTI. 617.

v. Id. Novemb. moritur Deusdedit, ubi annis ferè tribus sedisset. Cùmque vacasset ejus sedes mensem unum, dies 16. successit Bonifacius V. 19. vel 9. Kal. Ian. quando Eleutherius Exarchus assumptâ Tyrannide, & nomine Regis Italiæ, cæsus est à militibus Ravennatibus, ejus caput Constantinop. missum est, ut populi metum abstergeret.

Heraclius mittit Legationem ad Cosrhoëm, pacem quibusvis conditionibus, licèt iniquis, exorans: proponitur una, ut Christum ejuret; sumit hinc animos Heraclius, & ab eo sperat auxilium, qui magis, quàm Imperator Romanus impetebatur.

MUNDI 4671. CHRISTI 618.

Chaganus vel Cajanus, Rex Avarum, pacis nomine Novæ Romæ suburbia depopulatur; videlicet in ultimam infamiam deprimendus erat Heraclius, ut erigeretur.

MUNDI 4672. CHRISTI. 619.

Præfuit tum Synodo Hispalensi S. Isidorus, hujus urbis antistes; quando & mortuus est Sisebutus, vir ex æquo fortis, prudens, & pius. Reliquit filium parvulum Recaredum, qui post sex menses obiit, habuitque successorem Suinthillam, qui pulsis reliquis Imperatoriis Hispaniam universam sibi asseruit, & jactam à Sisebuto messem collegit.

MUNDI 4673. CHRISTI. 620.

Heraclius ad bellum Persicum & sacrum ab Ecclesiis mutuas pecunias accipit, & vasa sacra confregit ut S. Crux recuperaretur, omnibus thesauris anteponenda. Missus autem ad colligendam pecuniam Nicetas Alexandriam, quid posset S. Ioan. Eleemosynarius intellexit quare ei arctissimè conciliatus est, repositis omnibus quæ sustulerat. Optabat autem Heraclius ab eo benedici; itaque vir sanctus in Cyprum profectus, patriam suam ibidem mortuus est 10. Kal. Febr. Hic cum Deo de liberalitate visus est decertare, plures pecunias recipiens, quàm effunderet, & factus semper dando locupletior. Successit ei Georgius, fortè ejus consobrinus, in quo Sanctum Episcopum suum plebs Alexandrina voluit honorare.

## CAP. III.

## *Decas Tertia.*

### *Ab anno Christi 620. ad 630.*

MUNDI 4674. CHRISTI. 621.

Heraclius movet in Persas, relicto in urbe filio suo, auspicatus eam expeditionem à rebus sacris, & plus Deo, quàm militi suo confidens, quem & factis & verbis accendit. Ei occurrit Saës Dux Persa, Oriente vastato Chalcedonem usque; qui cùm Heraclium spe pacis ad colloquium pertraxisset, receptos ab eo septuaginta proceres vinctos misit ad Cosrhoëm. Sed huic vivo Rex cutem detraci jussit, quòd vidisset Heraclium, nec retinuisset; ipse Legatos retinuit, & tractavit acerbiùs. Suffectus est dux alter Sarbaras, quem ludificatus Heraclius retractum in Persidem vicit, ejus copias penitùs delevit, relictoque in Armeniâ exercitu, victor Byzantium rediit; sed cum spe majoris victoriæ, bellique profligandi.

MUNDI 4675. CHRISTI. 622.

Heraclius offert pacem Cosrhoi, quam hic recusat: itaque Persidem ingreditur, & Gazacotem pervenit, ubi Cosrhoës ipse cùm 40. millibus electissimorum posuerat castra; levi hic accepto à Saracenis Heraclianis damno se turpem dedit in fugam; urbes multæ à Ro, captæ, templum Ignis incensum, Gaza Persica direpta; consultisque Evangelii codicibus hyemavit Rom. exercitus in Albaniâ, per Crucem captivam effectus victor, & redditam ipsis detinentibus perniciosam. Tum autem videns Heraclius captivorum 50. millia, quos habebat in castris, rigere frigore, solutos omnes vinculis remisit ad sua; ut non tantùm armis, sed & liberalitate hostes expugnasse videretur. *Heraclius pergit prosperè pugnare.*

Pertinet ad hunc annum Ægira Mahumeti, Iulii 16. quando hic Impostor ob excogitatam falsam religionem fugit ex urbe suâ; est enim Ægira Arabibus *Fuga.* Hic autem opilio, vel camelorum curator fuit, qui heræ suæ divitis factus conjux, Iudæis atque Christianis interjectus, adnitente Sergio Monacho, quem religiosis lapidibus sustulit, sectam instituit ex omnibus sectis conflatam, ut placeret omnibus, quibus voluptates corporis adjunxit; & arma, ut reluctantes malè mulctaret. Reliquerat tantùm schedas ex quibus conflatum Alcoranum. Errores ejus ex aliis repete, heu! nimium notos; si quidem se jam in medium Christianitatis infuderunt, & nefarii hujus hominis sectatores possident jam loca in quibus alias maximè Christi religio floruit. *Ægira Mahumeti & Secta.*

MUNDI 4676. CHRISTI. 623.

Rursus Persidem ingressus Heraclius, Sarabaclam, Sarbaram, Sain cum tribus validissimis exercitibus, variis stratagematis debellavit; licèt destitutus à Lazis, & Absagis in patriam suam, Persarum metu, redeuntibus, & exercitu sæpe periclitante. Sarabaclam autem interemit, Sarbaram nudum effugere compulit, tantâ hostium factâ strage, ut hæc non Romanorum manibus, sed Dei virtute edita esse crederetur. *Heraclii alia pugna, & victoria.*

MUNDI 4677. CHRISTI 624.

Heraclius hoc anno monte Tauro superato, superavit & Tigrim fl., Euphratem vado trajecit, captisque Samosatis & Tauro iterum superato venit in Ciliciam, ubi Sarbaram vicit; aliquo tamen, imprudentiâ suorum, accepto damno ad fluvium Sarum, quem ponte Persæ conjunxerant? & majus accepissent, nisi Heraclius suos ex ma- *Cosrhoes efferatus aliqua facit, quibus sibi perniciem accersit.*

gno periculo vindicaſſet. Tum etiam ipſe Gygantem procerum deturbavit ex eo ponte, & nobilem fugatis hoſtibus, victoriam retulit. Quare Sarbaras retrocedere compulſus. Romani Haly fluvio pertranſito Sebaſtiæ hyemarunt. Quibus nunciis efferatus Coſrhoes, Eccleſias omnes ditionis ſuæ ſpoliavit, & Chriſtianos in Perſide degentes Neſtorii hæreſin profiteri compulit, ut Heraclio ſtomachum moveret; demens! qui non intelligeret his injuriis Deum affici, in ejus perniciem ultimam incumbentis.

MUNDI 4678. CHRISTI 625.

*Coſrhoes totam Perſidem in Heraclium armat infeliciter.*

Furore percitus Coſrhoës, quòd ab Heraclio tam ſæpe ſpreto, tam ſæpe victus eſſet, copias parat, quibus certam ſibi pollicebatur victoriam. Nec tantùm in Perſide bellare parat, ſed in Romanum quoque ſolum transferre parat bellum, liberis omnibus & ſervis vocatis ad militiam. Mittit ergo Sarbaram cum exercitu potentiſſimo, qui Chaganum cum ſuis Avaribus, & ſollicitatos auro Bulgaros, Gepidas, Slavinos depopulatores in Romanum infundat Imperium, & Conſtantinopolim ipſam obſideant. Aliunde Sainum Ducem cum lectiſſimis, & numeroſiſſimis copiis opponit Heraclio; ipſe ſibi reliquas reſervat. Heraclius autem licet Deo fretus, bellum prudenter adminiſtrare parat. Exercitum enim in tres partes dividit, quarum unam mittit ad cuſtodiam Urbis, aliam ſub Theodoro fratre objicit Saino, tertiam ipſe ducendam retinet, Coſrhoëm aggreſſurus. Accipit quoque quadraginta Turcarum Orientalium (quos vocant Gazaros) millia ab eorum duce Ziebil, qui Caſpiis portis perfractis, Perſidem ferro flammiſque vaſtarat. Et votis ac prudentiæ Imperatoris reſpondit exitus belli: nam Sainus victus à Theodoro ope B. Virginis, quæ grandine ingentis ponderis Perſas obtrivit: Sainus ex mœrore obiit, cujus in cadaver Coſrhoës multis vulneribus impotenter ſævit, Avares quoque Conſtantinopolin obſidentes; experti ſunt hanc urbem Παρθενόπολιν eſſe, tempeſtate, ac mutuis diſcordiis attriti. Sarbaras obſedit Chalcedonem, ſed biennio toto; quare in ſuſpicionem venit apud ſuum Regem, à quo interfici juſſus, ſolvit obſidionem, factâ pace cum filio Heraclii; rediitque in Perſidem, cùm Coſrhoës vitæ ſuæ, quam vindictæ ſollicitior eſſet. Ita tantus apparatus defluxit Coſrhoës hoc anno in ſuis legatis, infelix fuit, inſequenti in ſe clamitoſior.

*Bonifac. V. moritur.*

Moritur Bonifacius V. 8. Kalend. Novemb. cum ſediſſet annos 7. menſes decem. Vacavitque ſedes menſibus ſex, dies duodeviginti, longiorem ſucceſſori ſuo, & exercitatiorem relicturus Pontificatum.

MUNDI 4679. CHRISTI 626.

*Succedit ei Honor.*

Succeſſit Bonifacio Honorius natione Campanus, vir doctiſſimus, & his temporibus impeditiſſimis à Deo conceſſus.

*Heraclius Perſidem ingreditur.*

Heraclius irruit in Perſidem hyemis tempore, cum ſuis Turcis, qui tamen vi frigoris repreſſi, & frequentibus irruptionibus Perſarum in patriam redierunt. Neque deſpondit animos Imperator, plus B. Virginis auxilio, quàm ſuis copiis confiſus. Combuſtis ergo pleriſque civitatibus obvium habuit Razatem, quem aggreſſus Heraclius, in fronte exercitus depugnans, propriâ manu interemit, cæſiſque plurimis Perſarum millibus, victoriam illuſtrem retulit, quadraginta tantùm ſuorum in atroci, diuturnoque certamine deſideratis. Quibus auditis, & adventu Heraclii, fugit Coſrhoës deſertis omnibus; ejus palatia occupata, in quibus inventa 300. ſigna militaria Romanorum; cum ingenti prædâ; quidquid efferri non potuit, igne corruptum: in mediâ Perſide Natalem Domini Romanus religioſiſſimè celebravit.

Clotarius II. in ſocietatem regni adſcivit filium Dagobertum ex Bertrude, quem S. Arnulphi inſtitutio immaturo hoc honore dignum reddiderat.

Adalvaldus Rex Longobardorum magicâ potione dementatus, regni ſui anno decimo, excluſus eſt, eique ſubſtitutus Ariovaldus, maximè adnitentibus Epiſcopis Tranſpadanis. Quare eos objurgavit Honorius quòd Arianum Catholico nondum prorſus amenti antepoſuiſſent, rogavitque Exarchum ut eum reſtitueret; ſed res Perſicæ, & Occidentis præſens ſtatus aliud exigebant.

MUNDI 4680. CHRISTI 627.

Anaſtaſius Perſa filius Magi, olim Magundat dictus, multa paſſus in Palæſtinâ anno ſuperiore, hoc anno remiſſus ad Coſrhoen nobile martyrium conſummavit cum aliis 70. Chriſtianis, Laudatus à Georgio Piſidâ; & tam multis miraculis clarus, ut in Secundâ Synodo meruerit commendari.

Fugit Heraclium Coſrhoes, & cum ſuis theſauris ſe includit Seleuciæ: hic filium Mardeſam ex Syrâ conjuge chariſſimâ ſibi deſtinat ſucceſſorem. Quod indignè ferens primogenitus Syroes, eum perdere decrevit; & fugiente maſſecutus, in tetrum carcerem conjecit, modico pane & aquâ pavit, omnium procerum injuriis objecit, filios omnes in ejus oculis interemit, ac tandem fame maceratum acubus uſque ad mortem compunxit. Sic ob ſuperbiam tam crudeliter interfectus Coſrhoes, & ab eo cui dederat vitam, ut quodammodo manu ſuâ tenebrio crudeliſſimus interiret.

Syroes ſtatim occupat Regnum Perſicum, & cum Heraclio paciſcitur quibus voluit hic conditionibus. Captivi omnes redditi cum Zachariâ, lignum S. Crucis involutum, nec viſum à Perſis, quod hoc anno Conſtantinopolin delatum eſt. Exceptus ubique Imperator multis cum acclamationibus, multâque pietate; cum hoc bellum potiùs in Deum fiduciâ, quàm armis & exercitu confectum eſſet. Pecuniæ autem & gemmæ ex Perſide ad Sergium miſſæ, naufragio perierunt; mutuò tamen ſumptas ab Eccleſiis ex ſuo reddi juſſit Heraclius, atque hoc naufragium maluit eſſe Fiſco, quàm Deo pernicioſum.

MUNDI 4681. CHRISTI. 628.

Reportat Heraclius lignum S. Crucis Hierosolymam, magnificè ornatus; sed urbem ingredi non potuit, nisi positis vestibus pretiosis, qui Christo crucem suam protanti dissimilior erat: sic enim Zacharias Patriarcha eum admonuit; cujus loco Suidas Modestum, ejus ex Abbate successorem, & Ecclesiæ eo absente administratorem supponit. Hinc festus dies Exaltationis S. Crucis 18. Kal. Octob. apud Latinos, quæ apud Græcos 5. No. Maji recolitur, & Exaltatio quoque nominatur. Inventionem autem iidem Græci, quam Exaltationem quoque dicunt, celebrant 5. Non. Maji; sed utramque magnificè, & cum magnâ veneratione.

Exinde collapsum est Persicum Imperium, Regibus sæpè mutatis. A Syroë enim ad Hormisdam, sub quo Arabes Persicum Imperium occuparunt, non toto triennio quinque inveniuntur Reges, qui non plus uno anno, aut minus 7. mensibus regnarunt; ita Regnis ut & Regibus sua duratio à Deo assignata est, quam tamen contrahunt scelus & crimen, ut rectè facta atque virtutes extendunt.

Legationes undique venere ad Heraclium, etiam ex Indiâ, victos Persas gratulaturæ, qui jam toti Orbi ob superbiam cœperant esse graves & intolerandi.

Hoc anno, Heraclii 18. Mahumetes ex Æthribo Fœlicis Arabiæ oppido cum suis Saracenis agrum ad inhabitandum armatus petiit, ac obtinuit; frænum Imperatori datum, & Romanis, ne insolescerent, & à vili hoc agasone sæpe ac turpiter retundendis.

MUNDI 4682. CHRISTI 629.

Hoc anno Hæresis Monothelitarum sua fundamenta jecit, cùm Heraclius Hierapoli audisset Athanasium caput Jacobitarum, virum acrem, cui pollicitus est Antiochenum Patriarchatum, si Chalcedonensem Synodum probare vellet. Acquievit ille, editâ fidei professione in quâ duabus in Christo naturis unam voluntatem callide inseruit, rogavitque Imperatorem, ut Sergium Constantinopolitanum, & Cyrum Phasidis Lazorum Metropolitam consuleret; qui eam approbarunt, & à quibus misere Heraclius in fraudem, & hæresim inductus est, dum non sibi ab hæreticis cavet, quos audire, Dæmonem auscultare est. Quis autem fuerit Monothelitarum scopus, quæ diversitas, non est hujus operis commemorare.

MUNDI 4683. CHRISTI 630.

Hoc anno mortuo Georgio Episcopo Alexandrino substitutus est Cyrus ille Lazorum & Phasidis Antistes charissimus Heraclio, & cum eo familiarissimè colloqui solitus, ex quo & venenum hausit; quod magno stetit Ecclesiæ bono.

Fortunato hæretico Episcopo Gradensi dejecto suffectus est ab Honorio Primogenius; & verò à Romanis Pontificibus, sicut ab Exarchis defensus est Gradensis, ut à Longobardis Aquilejensis; unde nata sunt inter illas sedes odia, & parum consona nomini Christiano æmulatio.

Vigebat tunc temporis Veneta Respublica, ex tenuibus initiis tempore depopulationis Hunnicæ in paludibus Circumpadanis exorta, quam hoc anno Honorius in suis litteris Christianissimam vocat; quod etiam nomen hisce temporibus maximè promeruit, diffidentibus Principibus Christianis, facta contra Mahumetanos & Turcas murus Christianitatis. *Veneta Respubl. exerit caput.*

---

## CAP. IV.

### *Decas Quarta.*

*Ab anno Christi* 630. *ad* 640.

MUNDI 4684. CHRISTI 631.

HEraclii anno 21. Obiit Impostor Mahumetes vel Mahamedes, sepultus non in urbe *Mecca*, olim *Ietrib*, sed in oppido *Medina Tanalbi*, ubi templum magnificum habet quadringentis columnis suffultum. Sepulchrum autem per magnetes pensile, fabula est: immo nec creditur ejus cadaver columnis impositum, sed terra obrutum, in vicino: & quod indicatur à Mahumetanis elatum subnixumque columelis Cenotaphium, verè Cenotaphium est. Mortuus est autem ex crapulâ, & ebrius, ac à porcis voratus; dignissimis hoc helluone ἐπιταφίοις. *Mahometis mors, & sepulchrũ.*

Mortuus eodem anno Clotarius Secundus cùm annis 44. regnasset, hæredibus relictis filiis Dagoberto & Heriberto, cui frater dedit Aquitaniam & Occitaniam, licet aliud statuisset pater. Dagoberto etiam commendavit præfectum Pippinum Neustriæ Ducem, Majorem domus suæ, virum omnibus virtutibus exornatum, ac regno fulciendo parem, ex quo Pipini alii duo Ecclesiæ propugnacula prodierunt. Dagobertum autem Regem statim reliquit sanctus Arnulphus Metensis Episcopus, qui eum instituerat, petiitque eremum ut vacaret sibi, successore sibi relicto Gotrico, quanquam enixissimè à suo alumno retineretur. Neque tamen Dagoberto magnæ sanctitatis Episcopi familiares defuere, ut Chunibertus Coloniensis, Eligius, ex aurifice, Noviomensis, eique σύγχρον⊛ Audoënus; omnes ætatis suæ lumina, atq; Regni. *Clotario succedit Dagobertus.*

MUNDI 4685. CHRISTI 632.

Eububezer seu Abubachar, Mahumetis successor, Arabum suorum usus alacritate, quâ eos Pseudoprophetes armarat, circumpositam Gazæ regionem fœdè devastat, cæso Præside Palæstinæ, qui ei occurrerat: quo tempore in Australi parte Cœli cometes in gladii formam emicuit, præcinuitque clades à Saracenis in Ro. Imperium inferendas; neque veriùs quàm tum, cœlestes illi ignes unquam cecinere. *Saracenicæ grassationes.*

Eodem anno iidem Saraceni Ascatorium, qui aliter Iezdezirdes dicebatur, exuerunt regno atque vitâ, ac sibi Principem ex stirpe Mahumetis delegêre, quem appellavere Calyphum. *ÆRA IEZDIZERDIS.*

Hinc dicitur ÆRA illa celebris, quæ inde dicitur *Iezdizerdis Persæ*, obitu suo atque clade, quàm vitâ ac morte illustrioris.

*Dagobertus aliam uxorem superinducit.*

Dagobertus, conjuge suâ Gomatrude sterili repudiatâ, suadentibus aulicis adulatoribus, Nantildem puellam superinduxit; quare à sancto Amando Trajectensi reprehensus, qui ideò in exilium actus est: sed fuit hæc pœna Vasconibus fortunata, quorum plurimos etiamnum idololatras perduxit ad fidem. Ita viri sancti felices & infelices semper prosunt, & aliquando plus calamitosi.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 4686. | 633. |

*Haumarus de Ro. victor.*

Mortuo Eububezere Saracenorum Hemiro (sic Principem suum vocant) succellit Haumarus vir fortis, qui statim civitatem Bostrensem invasit & cepit. Cùm autem ei occurrisset cum exercitu Theodorus Heraclii frater, turpiter victus est.

*Fugit Heraclius.*

Quibus auditis Imperator, præfectis aliis ducibus exercitui suo, quasi omnia desperans, recessit ex Syriâ Constantinopolin, in quam & lignum S. Crucis ut in tutiorem locum detulit quantùm ab illo mutatus, qui superarat Cosrhoem, sed tum confidebat Deo; nunc per hæreticos, quibus addictior erat, eidem parabat bellum.

*Monothelitarum initia.*

Cyrus Alexandriæ Patriarcha hoc anno indictâ Synodo, novem Capitulorum expositione probatâ, per Sergium Episcopum Constantinopolitanum Monothelitis ut in Ecclesiam irrumperent, aperuit viam. Sed ei acriter restitit Sophronius, tum duntaxat monachus, sed eodem anno datus in sede Hierosolymitanâ Modesto successor, litteris ad Sergium & Honorium datis, quibus conficiebat non esse tantùm admittendam unam in Christo voluntatem, & operationem Theandricam, sed duas voluntates & operationes, quas tacuerat Cyrus, sub *Theandrica* voce pulcherrimâ, turpe venenum occultans.

*Cur Honorius creditus Monothelita.*

Sergius ergo ad Honorium scripsit quæcumque in hac causâ acta fuerant coram Imperatore Constantinopoli, addiditque sibi æquum videri, ut suppressis illis vocibus, duarum & unius voluntatis, pax Ecclesiæ redderetur: quod cùm suis litteris probasset Honorius, inde natum ut Monothelita à multis creditus sit, nec adhuc discussa calumnia, etiamsi sanctus Maximus in disputatione contra Pyrrhum, eam penitùs discussisse videretur.

*Officium mozarabicum.*

Synodus IV. Toletana hoc anno celebrata est; in quâ inter alia distinctè pronunciatum, Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere: Tumque videtur commissum onus sancto Isidoro Hispalensi ut Ecclesiasticum Officium ordinaret per universam Hispaniam celebrandum: quod deinceps Mozarabicum dictum, quasi Mixtarabicum, quia eo non tantùm liberi Hispani, sed etiam inter Saracenos viventes servi, dicti Mixtarabes, uterentur. Nec plura de hâc voce, quæ multùm hactenus eruditos torsit

*Saraceni Damascũ capiunt & Ægyptum.*

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 4687. | 634. |

Hoc anno Saraceni multis præliis Romanos profligarunt, multasque Syriæ civitates ceperunt, inter cæteras Damascum, in quâ tum parentes sancti Io. Damasceni (dicebatur is proprio nomine Mansur) cum magna opinione virtutis degebant, admoti etiam à Saracenis muneribus publicis; neque enim victores illi quidpiam negotii Christianis facessebant, tum Imperii sui quàm Religionis solicitiores. Capta quoque Ægyptus ab iisdem; eamque Deus maluit esse Saracenam, quam infici erroribus Monothelitarum.

Osvaldus Anglorum rex, nepos ex sorore Edumdi Regis nuper extincti, Canduellam Tyrannum magnis refertum copiis, auxilio crucis delevit ac interemit; evocatoque ex Scotiâ S. Aidano, Beruiciorum gentem sibi subditam ipse, inter pretis functus munere, asseruit Christo; factus ex Rege, Dei præco, ac prope gentis Apostolus. Sed & Deus ipsi rependit vicem, eique subdidit Britannos, Pictos, Scotos & Anglos, inter quos distributa erat tota Britannia; quia nunquam passus est Deus se à mortalibus liberalitate superari.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 4688. | 635. |

Universam Syriam hoc anno occupavere Saraceni, Duce Homaro, profligato cum suis omnibus copiis Sergio Duce Palestinæ, ac obsessâ Hierosolymâ, ut deplorat in oratione Natalis Domini Sophronius, ex quo edisces miserum Syriæ atque Palestinæ statum per grassatores Saracenos, qui his excursionibus ad longiores præludebant.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4689. | 636. |

Saraceni capiunt Hierosolymam: quorum Rex Homarus templum Salomonis reparari jussit, quod voluit esse Mesquitam seu Basilicam suæ religionis. Sophronius obiit ex mœrore, cujus occupavit locum Sergius Ioppensis Episcopus, hæreticus, quid enim aliud, quàm hæc ultima sub Saracenis Ecclesiæ desolatio expectaretur?

Obiit hoc anno sanctus Isidorus Episcopus Hispalensis, frater sancti Leandri, filius Severiani Ducis Carthaginiensis, vir æquè doctus, & sanctus, ex Gothorum prosapiâ, cui successit Theodiscus natione Græcus, qui libros Isidori corrupit. Depositus à Synodo, transiit ad Arabas, factus Mahumetis sectator; unde qui fuerint ejus mores intelliges, cum *nemo repente* fiat *turpissimus*.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4690. | 637. |

Capta est hoc anno à Saracenis Antiochia, quando sancti Ignatii Martyris corpus translatum est Romam, Christianis efferentibus sanctorum lipsana, quæ pluris quàm bona sua faciebant.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4691. | 638. |

Concilium Toletanum V. hoc anno celebratum est; in quo statutum etiam ex Regis & procerum sententiâ, ut qui Rex in Hispaniâ præesset, interposito juramento polliceretur se nullo-

modo

modo passurum aliquem in Regno vivere, qui non esset Catholicus, & si quis hanc legem revelleret *esset anathema Maranatha in conspectu Dei, & pabulum efficeretur ignis æterni, &c.* unde conficit Baronius Catholici nomen Hispaniæ Regibus indictum esse; quod extremis hisce temporibus gloriosissimè conservarunt.

Honorius anno sedis suæ 12. cum mensibus ferè quinque, mortuus est 4. Id. Octobris; vir cui multùm debet Ecclesia, quantumvis aliqui score reclament; qui compositi cum sancto Maximo Martyre hujus Pontificis defensore pumiliones cum Hercule videntur esse collati, compositè ac turpiter irridendi.

Electus est in ejus locum Severinus, sed quando, ignoratur; ad delectum esse constat à Clero, non tamen approbatum ab Heraclio, qui aliquid ab eo injusti postulabat; immo Palatium Lateranense ab Exarcho Isacio direptum est, & prædæ aliquid Constantinopolin missum; quare intelligendum de ejus ordinatione, quòd vulgò scribitur vacasse sedem ab obitu Honorii annum unum, menses 7. & dies 17. cùm tamen antea à Clero Rom. Pontifex selectus esset: sed inaugurationem accipere à Principibus Tyrannis prohibebatur: quibus meriti sunt Imperatores Græci, ut deinceps in Italiam & Romam nihil possent.

Ariowaldo Principe Longobard. mortuo post regni sui annos 12. succedit Rotharis: quo imperante per urbes huic subjectas visi sunt Episcopi duo, Catholicus unus, alter Arianus; scriptæ tum quoque Longobardis leges, Edicti nomine, cùm antea inter eos consuetudo tantùm valeret; quam mirum est supra annos septuaginta Barbarum populum utcumque in officio continuisse.

MUNDI 4692. CHRISTI 639.

Celebris est hic annus Heraclii Ἐκθέσει, quam Sergius Constantinopoli in Pseudosynodo confirmavit, laudavit & Cyrus Alexandrinus: sed missa Romam, à Severino Cleroque Romano anathemate perculsa est. Tum ergo Severinus sedebat Summus Pontifex, qui deinceps exagitatus à ministris Imperatoriis, mensibus tantùm duobus, & quatuor diebus sedit. Defunctus est enim 4. Non. Augusti: & cùm vacasset Pontificatus mensibus 4. diebus 9. pridie Kal. Ian. electus est Ioannes IV. natione Dalmata, non tam ad honorem, quàm laborem maximum evectus.

Tum etiam fato functus est impius Sergius Episcopus Constantinop. cùm huic sedi præfuisset annis 30. & aliquantò plus: cui successit impietate geminus Pyrrhus Chrysopolitanus Monachus electus ab Heraclio, ut ipse ab eo in profundum erroris immergeretur.

Dagobertus hoc anno expulsis pellicibus ad se rediit, atque ex legitimâ uxore Regentrude suscepit Sigebertum, quem baptizari voluit à S. Amando, ab exilio reduci, à quo flexis genibus Rex veniam poposcerat. Hic autem puer dum sacro elueretur fonte, diebus ab ortu 40. distinctè respondit *Amen*; cujus miraculi testis fuit omnis Curia, nec eâ de re nisi à stolidis potest dubitari.

MUNDI 4693. CHRISTI. 640.

Joannes Papa damnat Ectesin Heraclii, quam damnavêre quoque Episcopi Africani, operâ S. Maximi Martyris viri doctissimi, qui per vim factus à Commentariis Imperatoris, ubi vidit Monothelitarum hæresin spargi, Palatium reliquit, venitque in Monasterium Chrysopolitanum ubi Abbas creatus est; & relinquens Orientem, quem flagrare videbat, Occidentem petiit, quò malum nondum pervaserat, authorque fuit Africanis Episcopis ut eam impiam Ectesin sacris fulminibus afflarent. Quod ubi innotuit Heraclio, negavit esse suam, sed Sergii demortui, qui id negare non posset; sed dum eam non proscripsit, asseruit hominibus naris emunctæ suam esse. *S. Maximus in Africam transit.*

Mortuus est id temporis Cyrus Alex. Patriarcha, cui successit Petrus haud melior. Macedonius quoque successit nequissimo Athanasio in sede Antiochenâ: & deinceps non inveniuntur nominati Antiocheni Præsules usque ad Macarium tempore Sextæ Synodi, his omnibus nequaquam meliorem. *Cyro Alexand succedit Petrus.*

Hoc tempore florebat S. Richarius Abbas charissimus Dagoberto, & cujus operâ maximè ad meliorem frugem rediit; vivebat & S. Faro, relictâ Regis aulâ factus Clericus; itemque ejus soror S. Fara seu Burgundo. Fara Abbatissa, quondam S. Columbani discipula, at sui fratris Magistra: quorum precibus, & sanctis adhortationibus factus est religiosior Dagobertus, simulque fortunatior. *Sancti Viri tum Illustres in Francia.*

CAP. V.

## *Decas Quinta.*

### *Ab anno Christi* 640. *ad* 650.

MUNDI 4694. CRHISTI. 641.

Hoc demum tempore, ubi imperasset uno anno supra tringinta Heraclius, animi mœrore, variisque corporis ægrotationibus, quarum maxima fuit hydropisis, exagitatus, infelicem reddidit animam. Successit ei jam designatus Augustus Constantinus ejus filius, qui assiduo morbo quatuor menses decurrit, veneno illi, ut creditur, à Martinâ Augustanâ propinato: cujus filius Heraclius Junior seu Heracleonas, Pyrrho Episcopo adnitente, creatus est Imperator. Hic post sex menses à Senatu exauthoratus, relegatus est cùm matre, cùm hæc linguam, ille nasum perdidisset. Imperator ergo creatus est Constantini filius Constans; quem tamen alii Constantium, alii Constantinum nuncupatn. Sic Heraclius impius, non tantùm in se, sed in suis liberis infelix fuit. *Heraclio succedit Constantinus Imper.* *Ei succedit Heraclius Iunior.* *Ei Constant.*

Obiit tum quoque Joannes IV. Papa, cum sedisset annum unum, menses 9. dies 6. liberalitate in redimendis captivis celeberrimus. Cui successit post unum mensem, ac dies 13. 7. Kal. Decemb. *Ioanni IV. succedit Theodorus.*

cemb. Theodorus Episcopi cognominis filius, patriâ Hierosolymitanus, qui captâ urbe suâ fugiens, Romæ Pontificatum invenit.

MUNDI 4695. CHRISTI 642.

*Pyrrhus exul in Africa succedit ei Paulus.*

Pyrrhus Episcopus Constantinopolitanus, accusatus conspirationis cum Martinâ Augustâ propinati veneni Constantino Imperatori, veritus aliquid gravius, in exilium sponte profectus est in Africam, cùm sedisset annos duos, menses 9. ac dies totidem. Huic subrogatus est à Constante hæretico Monothelitâ Paulus ejusdem farinæ vir nefarius. Sic in Oriente plurimum patiebatur Ecclesia, quàm hinc hæretici, inde Saraceni vexabant.

*Mors Osvaldi Regis.*

Hoc anno, sicut ejus antecessor antea fuerat, cæsus est à Pendâ Rege Merciorum pagano Osvaldus Rex Nordhumbrorum; cujus vita plena pietatis ac virtutis, indignâ morte terminata est quidem, sed quam Deus multis miraculis illustravit.

MUNDI 4696. CHRISTI 643.

*Cruces à Saracenis dejectæ.*

Homarus Princeps Saracenorum, reparans templum Hierosolymitanum Salomonis sibi atque suis opere semper corruente, monitus est id à Cruce contingere, quæ in monte Olivetano stabat: & verò eâ sublatâ absolutum est ædificium, eleganti opere; quod & multis possessionibus locupletatum: unde passim à Mahumetanis disjectæ sunt cruces, eorum nefandæ sectæ terricula.

*Sacrilegi mulctati.*

Hoc anno Mauritius Chartularius & Isacius Exarchus, Palatii Lateranensis expilatores, sacrilegii sui pœnas exsolvere; hic enim mox divinitus ictus interierat ille: sibi Tyrannidem arrogans, victus à Dono militum magistro, Romæ fugit in Ecclesiam, unde retractus, missusque Ravennam, capite mulctatus est; levioribus ambo suppliciis magnum sacrilegium eluerunt.

MUNDI 4697. CHRISTI 644.

*S. Sigebertus Anglus.*

Sigebertus Eastanglorum rex piissimus, cùm reliquisset cognato suo Regnum, monasticæ vitæ desiderio, cæsus pariter à Pendâ Rege Merciorum Ethnico longius martyrium breviori finiit, citiùs etiam quàm speraverat æternum regnum consecutus. Florebat autem sub eo S. Furseus Hibernus, magnus in Britanniâ Religionis propagator, & oratione, ac miraculis potens.

*Dagoberti pia opera.*

Dagobertus Francorum Rex, circumpositis gentibus devictis, paceque armis gloriosè partâ anno regni sui 14. multa munera in Ecclesias effudit, ut Deo grates haberet, & quo posset modo in earum largitorem suas divitias reffunderet; atque ut criminibus præteritis utrumque faceret satis, in Ecclesiis à se locupletatis ter in hebdomadâ sacrificium ἀναίματον offerri jussit; quæ non caruisse fructu visiones quædam post ejus obitum docuisse putantur, quibus tamen potes derogare fidem sine periculo pietatis.

MUNDI 4698. CHRISTI 645.

*Disputatio S. Maximi contra Pyrrhum.*

Contigit hoc anno in Africa celebris illa inter Pyrrhum Monothelitam & S. Maximum, curante Gregorio Patricio Africæ præfecto, disputatio; in quâ convictus Pyrrhus palinodiam recinuit, pœnitensque Romam missas in communionem receptus est, eique restitutus Patriarchatus, Romano Pontifice Theodoro ei omnia magnifice sufficiente. Tum quoque scripsit pro se Apologiam S. Maximus, vocatus in crimen quasi tres in Christo voluntates admitteret: sed multa adversus se jactata, elegantibus scriptis, sed & vitâ longè meliùs confutavit.

Homarus cæsus per fraudem à sicario Persâ, finem vivendi, furendique fecit; cui suffectus est Hoamen consanguineus, à Deo quoque adversus Christianorum scelera concitatus.

MUNDI 4699. CHRISTI 646.

Gregorius præfectus Africæ contra Imperatorem rebellavit hoc anno; qoando & ejusdem provinciæ Episcopi petierunt ut Monothelitæ, & eorum princeps Paulus Constantinop. Episcopus anathemate ferirentur. Quare ad eum acerrimas litteras misit Theodorus Papa, cum formulâ fidei, & anathemate, quo Monothelitæ ferirentur, quibus tamen territus non est vir nefarius, plus Imperatori suo confidens, quàm reveritus Deum.

MUNDI 4700. CHRISTI 647.

Saraceni hoc anno distractam inter Imperatorem & Georgium præfectum Africam, belloque civili sese dilacerantes, invaserunt. Victum enim Gregorium in eâ potentiorem, expulere, totamque sibi reddidere vectigalem, Romanis etiam eorum victorias promoventibus.

Contigit hoc anno ventus vehementissimus, quo multæ Stylitarum columnæ disturbatæ sunt, in quibus vivebant Anachoretæ plurimi Simeonis magni æmuli, non habitationis tantùm sed & virtutis.

Mortuus est hoc anno Regni sui 16. Dagobertus Rex Francorum; qui gravi correptus morbo in oppidum S. Dionysii se referri jussit, ut hic animam efflaret religiosus, ubi majora pietatis suæ, atque liberalitatis monimenta defixisset. Reliquit filios successores duos, Sigebertum & Clodovæum secundum, hunc Neustriæ, illum Austrasiæ Regem, uti moriens testamento caverat. Animam autem ejus à Dæmonibus raptatam; inter multa verbera, fuisse ad Æolia loca, & liberatam à SS. Dionysio & Mauritio, credes si voles, cùm ea visio tantùm testimonio unius boni Eremitæ Ioannis nitatur, quam Ausoaldus Episcopus putatur confinxisse in odium Dagoberti, quia Ecclesiam sancti Hilarii Pictaviensem; spoliarat, ut Sandionysiacam exornaret; eaque postea à Monachis nimiùm credulis in Ecclesiâ depicta est perlubenter, ne iis eveniret quod Pictaviensi Basilicæ contigisset.

MUNDI 4701. CHRISTI 648.

Paulus Constantinopolitanus videns utique damnatam Monothelitarum hæresin, suamque damnationem jam ex Ecclesiarum valvis pendere,

re, author fuit Constanti ut edictum proponeret dictum *Typum*, quo ad conciliandam Ecclesiarum pacem, utrique parti, Catholicæ & Hæreticæ silentium indiceretur de unâ aut duabus in Christo voluntatibus, & operationibus. Sed hoc silentium hæreticum erat, & in Ecclesiæ veram religionem profitentis perniciem comparatum. Qui autem scriptor recens Typum putavit hominem esse, meliorem se Theologum, quàm historicum exhibuit.

Theodorus autem Papa tum excommunicavit Paulum, sicut & Pyrrhum, operâ Olympii Exarchi ad hæresin revocatum, collectâ Synodo, in quâ ferunt aliqui Pontificem infudisse de sanguine Christi Domini in atramentum, quo hæc anathemata scripta sunt; sed redditur id suspectum, quòd nulla fiat ejus in ritibus Ecclesiasticis mentio. Cæterùm Pyrrhus in Orientem redux, gratiam Imperatoris recuperavit, factus deinceps ei tam charus, quàm Deo invisus fuit.

Paulus interea Constantinopoli in Romanos Apocrisarios, iisque adhærentes Catholicos, sævit, quorum aliquos verberibus subjecit, alios carceri mancipavit. Diripuit etiam eorum Oratorium, ut grassaretur quoque in inanima; denique ita se gessit, ut bellum Rom. Ecclesiæ, par quam damnatus erat, indixisse videretur.

Eodem anno Saraceni Cypro Insulâ potiti sunt captamque Constantiam exciderunt, jam à Deo fortes, qui ad castigandum Romanum Imperatorem immitebantur.

MUNDI 4702. CHRISTI. 649.

Cùm Theodorus sedisset annos septem, menses 5. dies viginti, obiit pridie Id. Maji, locumque post mensem unum, dies sexdecim, Kal. Iulii reliquit S. Martino patriâ Tudertino, & spem martyrii certissimam.

Statim ergo Martinus collegit Synodum Lateranensem, cui interfuere 100. Episcopi, invitante potissimùm S. Maximo, qui ei interfuit, nec tamen eidem subscripsit, quia id nondum juris Abbatibus Ecclesia concesserat. In eo Concilio, quod ipse Martinus vocat Generale, damnati sunt Sergius, Pyrrhus, & Paulus, & Theodorus Episcopus Pharanites primipilus Monothelitarum, eorumque libri proscripti. Anathemati quoque subjectus Typus, licèt gratiæ loco de concesso Pontificatu tantùm ejus subscriptionem Constans à Martino postularet; sed apud sanctum Pontificem Deus prævaluit, & magis Dei furorem ac minas vir sanctus veritus est, quàm Imperatoris.

Nec tantùm minis egit Imperator & epistolis, sed re, atque factis, misso Romam qui Typum promulgaret Olympio Exarcho, ob hæc hætetico denunciato. Hic primò excitatâ per milites seditione, cùm nihil in Pontificem potuisset, immisit postea in eundem Spatarium suum seu Armigerum, qui eum sacra peragentem ad aram trucidaret: Sed cùm sicarius ille à Deo excæcatus esset, territus Olympius, rediit in gratiam cum Martino, quem ipso Imperatore potentiorem experiebatur.

MUNDI 4703. CHRISTI 650.

Hoc anno missi sunt in exilium à Constante Imperatore sancti Martinus Papa & Maximus Abbas. *Martinus Papa exulat.*

Et in Martinum quidem Constans multa crimina confinxit; propter quæ Calliopam Exarchum misit Romam cum exercitu, ut eum expelleret: Is urbem & Ecclesiam ingressus armatus, Martinum extraxit volentem (hic enim suos armis agere impediit) atque podagrâ graviter ægrotantem, noctu imposuit navi, abduxitque Naxum 13. Kal. Iul. ubi annum totum ægrotavit, pessimè habitus à custodibus suis, ut malis edomitus Constanti acquiesceret. Sed hæc crudelitas eum firmavit magis, & in ejus animo accendit robur, quo par, immo superior factus est Imperatori.

S. Maximus paulò ante Martinum captus, constrictusque vinculis, Constantinopolim perductus est, per vias sine calceis & amictu tractus ignominiosè. Hîc autem cùm respondisset accuratè calumniis sibi impositis coram Senatu suadente Paulo à Constante relegatus est in Thraciam cum duobus Anastasiis discipulis suis; (quorum unus erat S. R. E. Apocrisarius) quibus comitibus redditum est exilium viri sancti mitius, ut Imperatoris sævitia magis eluxit. *S. Maximus relegatur.*

---

## CAP. VI.

## *Decas Sexta.*

### *Ab anno Christi 650. ad 660.*

MUNDI 4704. CHRISTI 651.

OSvinus Rex Angliæ, amici sui proditione cæsus, terrestre regnum cœlesti permutavit, cujus mors nulli minùs, quàm eam subeunti, damnosa fuit. *Osvini mors.*

S. Martinus Pontifex ex insulâ Naxo deportatur Constantinopolin ad diriora tormenta subeunda. Hic seminudus, & catenis ferreis toto corpore vinctus, per Urbem à carnificibus tractus est, indeque in tetrum carcerem conjectus, pressurâ vinculorum, frigore & inediâ maceratus est. Et ferro finiisset vitam, nisi ejus cædem moriens Paulus dissuasisset Imperatori: (tum enim Episcopus ille nequam obiit induratus in hæresi, sed suam diritatem in Martinum confessus) itaque carceri mancipatus est dirissimo, sex totis mensibus, & donec Chersonam ad oram Ponti deduceretur exul; ut esset ille locus duorum Pontificum Clementis & Martini exilio atque obitu memorabilis. *S. Martinus vexatur, & Chersonam mittitur.*

MUNDI 4705. CHRISTI 652.

Martinus deducitur Chersonam, quò pervenit Idibus Maji, ut hîc fame moreretur: locus enim erat tam asper, ut hîc panis ne quidem audiretur nomen, accolæ omnes gentiles essent. Romæ autem urgente Calliopâ Exarcho, Pontifex creatus est à Clero Rom. Eugenius 5. Id. Au- *Chersona locus Exili S. Martini.*

Augusti; vir erga pauperes munificentissimus, & dignus qui Martini absentis Vicarius esset.

*Pyrrhus in locum Pauli restitutus.*

Paulo mortuo restitutus est Pyrrhus, ac præmium Apostasiæ suæ recepit Episcopatum, quo tantùm potitus est mensibus quatuor, & diebus viginti tres, quia diutiùs homo sceleratissimus vivere non debebat.

*S. Emmerannus in Bavaria martyr.*

Celebris fuit hoc anno Martyr Emmerannus Episcopus Ratisponensis sub Theodone Bavariæ Principe, qui sibi crimen stupri passus est impingi, ut nobilem juvenem liberaret; quod cum fecisset, innocentem se ostendit; nihilominùs Principis filius Lantbertus, ut Otæ sororis suæ stuprum ulcisceretur, eum cædi jussit X. Kal. Oct. priùs singulis membris mutilatum, excæcatum, & elinguem, cùm tamen sine linguâ multa prophetice prædixerit, multis miraculis post obitum clarus, & factus Christi innocentis peccatores redimentis imago.

MUNDI 4706. CHRISTI 653.

*Pyrrho succedit Petrus.*

Successit Pyrrho Petrus, illi impietate par, qui statim dedit litteras ad Eugenium; rejectas tamen à Clero Romano, propter ambages heterodoxis familiares.

*S. Iodocus.*

Obiit hoc anno in agro Pontino S. Iodocus filius Principis Britonum Regis, qui spretis aulæ deliciis diu peregrinatus, hìc tandem semper immotus futurus conquievit.

*Colossus Rhodius effractus.*

Hoc anno, Constantis Imp. 12. Mahuvias Saracenorum Princeps occupatâ Rhodo Colossum illum celebrem, humi jacentem, vendidit cuidam Iudæo Emeseno, qui in partes confractum extulit, oneratis ejus ære nongentis camelis; is celeberrimi hujus operis exitus fuit.

MUNDI 4707. CHRISTI 654.

*S. Martinus moritur. Succedit ei Eugenius.*

S. Martinus Papa hoc anno Chersonæ in Ponto ex miseriis obiit prid. Id. Novembr. miraculis clarus & fortitudine suâ instar maximi miraculi. Qui autem erat ejus Vicarius Eugenius, accedente Cleri consensu statim factus est Pontifex; quod ne fieret, vita tantum Martini prohibebat, ne Ro. Ecclesia biceps esset.

*Constans à Saracenis victus.*

Constans ad Phœnicem urbem Lyciæ, navali prælio dimicans cum Saracenis, adeo turpiter victus est, ut veste mutatâ, relictis omnibus fugere compulsus sit. Pridie quàm dimicaretur somniarat se versari Thessalonicæ, unde ei ab aulicis promittebatur victoria, sed aliter vocem Thessalonicam intelligi miser deprehendit Θες ἄλλῳ νικην, *cede alteri victoriam*, eamque à se dimissam, Saraceno esse concedendam.

*Rothari succedit Rhodoaldus.*

Mortuus hoc anno Rotharis Longobardus, regnum suum reliquit filio suo Rhodoaldo, cùm regnasset annis sexdecim, mensibus quatuor. Hic licèt Arianus, quia in S. Ioannem Prodromum pius extiterat, vindicatus est miraculo à Latrone qui ei mortuo detraxerat ornamenta; adeo in sanctos pietas quantumvis scelerato nocuit nemini.

MUNDI 4708. CHRISTI 655.

*Vita[lianus] suc[cedit] Eu[genio]*

Mortuus est hoc anno Eugenius Pontifex, eique post mensem unum & dies 23. successit Vitallianus, Patriâ Signinus: quem Constans etiam muneribus prosecutus est, oblato Ecclesiæ S. Petri libro Evangeliorum gemmis exornatissimo. Finxit etiam se Catholicum esse sicut & Petrus; sed hujus in 6. Synodo fraus patuit; illius artes, ut sibi Clerum populumque Rom. demereretur, à se exilio ac morte S. Martini abalienatum. Ita nunquam heterodoxis cedendum est, quos res tantùm caducæ ad sanam mentem revocant duntaxat in speciem.

MUNDI 4709. CHRISTI 656.

Constans S. Maximum ad suas partes trahere nititur, Byziæ in Thraciâ exulantem, per tres legatos, Patricios duos, & Episcopum sectæ hujus doctissimum. Sed ii à Sancto Abbate adeò convicti sunt, ut ad fidem recipiendam parati discederent. Revocatus est itaque Constantinopolin; sed cùm constantior in verâ fide videretur, relegatus est Perbera, Thraciæ locum deterrimum, ut malis tandem frangeretur; verùm nec blanditiis, nec acerbitate Constans in sanctum virum profecit, quem expertus est se longè constantiorem.

Celebrata est tum Synodus x. Toletana, cui præfuit Eugenius Toletanus, ubi dies Annunciationis B. Virginis rejecta est in octavum diem ante Natalem Domini, quòd tempore Quadragesimæ; & Paschali, commodè celebrari non posset; postea tamen rediit in diem suum, & 8. Kal. Aprilis, plusque rei veritati quàm quorumdam pietati indultum est. Celebre quoque est illud Concilium publicâ pœnitentiâ Potamii Episcopi Braccarensis, qui fornicatione pollutus occultâ, crimen fassus est, & pœnitentiam perpetuam egit, lugentibus omnibus, qui de eo statuebant.

MUNDI 4710. CHRISTI 657.

S. Maximus cum duobus Anastasiis sociis suis, curante Thomâ Episcopo, Constantinopolim revocati sunt, verbo ut redderent rationem criminum proditionis ac læsæ majestatis, reverâ ut cum Monothelitis communicarent, & veram ejurarent fidem; cùm neutrum præstare voluissent, Maximum & Anastasium distentos in Equuleo Præfectus Urbis tam gravibus verberibus affecit, ut nulla pars esset in eorum corporibus integra; sicque laceros in carcerem conjecit. Sequenti die renovatis iisdem tormentis, verberatis insuper, præcisæ sunt linguæ, sine quibus nihilominus articulatè locuti sunt. Itaque per medium forum ad ludibrium traducti, amputatis dextris in acerbissimum exilium nudi amandati sunt. Eamdem subiit vicem alter discipulus Anastasius, S. R. E. quondam Apocrisarius, nisi quod verberibus laceratus non est; tres amore vitâque conjunctissimi, neque fide neque passione disjuncti sunt.

S. Euge-

S. Eugenius Episc. Toletanus moritur Id. Nov. cui successit ex monasterii præfecto S. Hildephonsus, quem præsentiâ suâ sibi charissimum Beata Virgo, & veste candidissimâ cohonestavit cùm ejus laudes cecinisset. Vidit autem eam sacro ejus Assumptionis die, aut certè Expectationis 15. Kal. Ian. in suâ sede Episcopali sedentem; quare deinceps in eâ sedere ausus est Episcoporum nemo, præter Sisibertum, qui eam perdidit, in exilium missus. Præterea sanctissima Dei mater eidem pollicita est æternam felicitatem, quo nullum mortali homini dari majus beneficium potest, nullum promitti.

Obiit hoc anno ex veneno, uti creditum est per Grimoaldum propinato, Sigebertus Francus Austrasiæ Rex pientissimus, etiam inter sanctos relatus Kal. Febr. expeditione unâ infeliciter susceptâ adversus Thuringos, à quibus superatus est. Ejus opus est illustre monasterium Stabulense in agro Luxemburgico. Adoptarat Ildebertum, filium Grimoaldi Majoris suæ domus, cum prole careret; sed cùm postea Dagobertum suscepisset adoptatus naturali prævaluit; Immo hic traditus Didoni, seu Dadoni Episcopo Pictaviensi, in Monasterium Scotiæ Clericus amandatus est. Franci Neustrii porrò tantum scelus impunitum nequaquam reliquere; (stupidè quiescente Clodovæo) irrupere enim in Austrasiam, Ildebertum in pugnâ interemere, Grimoaldum captivum abduxere Parisios, ubi tormentis excarnificatus pœnas atrocissimas atrocissimi criminis dedit. In ejus locum substitutus est à Francis Chilpericus secundò genitus Clodovæi, adolescens pravæ indolis, & quem ea dignitas non reddidit meliorem.

MUNDI 4711. CHRISTI 658.

Mortuo Thomæ Episcopo Constantinop. successit Petrus Ecclesiæ Syncellus & Vasorum custos, in Actis 6. Synodi dictus Catholicus, non sine suspicione legitimâ corruptelæ, sicut & in ejus antecessore.

Mahuvias, Princeps Saracenorum, suorum seditione exagitatus fœdus iniit cum Constante, ei pollicitus in singulos dies mille nummos cum equo, & servo; sed ea pax tenuit, quandiu domesticus tumultus stetit.

MUNDI 4712. CHRISTI 659.

Constans Imperator fratrem suum Theodorum, à quo offensus erat, in Diaconum consecrari jubet, & mox interfici, ut bis in eum impius esset. Sed ab eo tempore visus est sibi eum videre in habitu Diaconi poculum offerre cum his verbis *Bibe frater*; quare miser in Siciliam navigavit, spretâque Constantinopoli, Syracusas elegit Imperii sedem. Cùmque evocasset uxorem ac liberos, eos Constantinopolitani dimittere noluerunt. Mutatione autem loci somnium non mutavit, instar Caini, ad recordationem sui fratricidii semper exhorrescens.

Mahuvias jam æmulo Haly sublato pactum tributum ejurat, & adversus Persas primò, postea adversus Romanos bellum interruptum suscipit, nec levioribus successibus rem Saracenicam promovet.

Obiit Rex Longobardorum Rhodoaldus, regni sui anno 5. cæsus à subdito suo, cujus uxorem polluerat. Ei successit Aripertus filius Gundibaldi, qui germanus fuerat Reginæ Theolindæ. Tum autem Monomachia in Italiam inducta est, quod crimen oblato duello refutabatur, cujus autor fuit primus Carellus, qui reginam Adulterii accusatam, confecto accusatore, purgavit; apologiâ ex æquo plenâ sævitiæ, atque iniquitatis. *Monomachia primò in Italia.*

MUNDI 4713. CHRISTI 660.

Clodovæus, gravi fame sæviente, apsidem Argenteam, quâ pater ejus Dagobertus sepulchra S. Dionysii & Sociorum ejus texerat, & fregit & pauperibus per Abbatem distribuendam curavit; quod quidam pietati, alii crimini verterunt. Ferunt & os ex corpore S. Dionysii eum fugisse, ideoque deinceps in amentiam versum, & regnum defecisse; quæ somnia sunt otiosorum hominum, historiam ex rebus suis potiùs, quàm ex veritate metientium. *Clodovæi in pauperes pietas.*

---

## CAP. VII.

### *Decas Septima.*

*Ab anno Christi 660. ad 670.*

MUNDI 4714. CHRISTI 661.

MOrtuus hoc anno S. Amandus Trajectensis Episcopus, dictus Apostolus Flandrorum, variè ab hominibus exercitus, ut Dei negotia promoveret. *S. Amandus.*

MUNDI 4715. CHRISTI 662.

Celebrata sunt hoc anno in Galliis Concilia Clypiacense & Cabillonense, ac Monasterium S. Dionysium à ditione Episcopi Parisiensis disjunctum, cui hactenus paruerat; ut deinceps ab uno Rege penderet, atque summo Pontifice, Monachi hic præter Abbatem cui obsequerentur haberent neminem. *Concilia, & privilegia in Gallia.*

MUNDI 4716. CHRISTI 663.

Constans hoc anno Romam venit, magnificè susceptus à Vitalliano, qui ei cum Clero ad sextum lapidem processit. Orthodoxum autem se professus, donaria Ecclesiis obtulit; sed Urbis aliunde & Basilicarum ornamenta sustulit, sinistrâ donans, dexterâ rapiens. Inde Neapolim profectus, tandem Syracusas venit, quam sibi sedem ærumnosæ vitæ miser delegerat. *Constans Romam venit.*

Ariperto Longobardorum Regi defuncto successit Grimoaldus, vir bellicosus, & fortis; qui ex Arii fautore Catholicus est factus à S. Ioanne Episcopo Bergomate; ideoque S. Ambrosio Mediolani nobilem Ecclesiam statuit, ut se Arianis inimicum fateretur, quorum fortissimum adversarium veneraretur ac coleret. *Ariperto succedit Grimoaldus.*

MUNDI 4717. CHRISTI 664.

*Constantinus Ioan. Successor in Episc. Const.*

Io. Episcopo Constantinopolitano defuncto successit Constantinus, quem fuisse Catholicum nihil prohibet, quòd ab Urbe abesset acerrimus Catholicæ fidei oppugnator.

*Clodovæi II. obitus.*

Obiit hoc anno Clodovæus II. cùm regnasset annis circiter duodeviginti, relictis tribus liberis, Clotario, Childerico, & Theodorico ex S. Bathilde, quæ statuit egregia monasteria Scalarum, propè Parisios, fœminarum, & S. Petri Corbejensis, propè Ambianum, virorum; ut utriusq; sexus haberet semper ad Deum deprecatores.

*S. Bathildis.*

*S. Aigulphus martyr.*

*S. Benedicti reliquiæ, ubi?*

S. Aigulphus è præfecturâ Floriacensi translatus in Lerinensem ut disciplinam religiosam restitueret, ab exlegibus Monachis primùm dejectus in carcerem, mox in desertam insulam inter Corsiram & Sardiniam, post erutos oculos, abscissamque linguam, capite abscisso martyrium subiit; sceleris autem autores, jubente Rege Francorum, cæsi sunt. Hic est Aigulphus qui missus à Mummulo, Abbate Floriacensi, Cassinum, inde S. Benedicti reliquias in Franciam transtulisse dicitur, addunt aliqui S. Scholasticæ; cùm tamen Cassinenses habuisse se ejusdem S. Patris reliquias gloriati sint. Hanc controversiam dirimere conatus est Paulus Diaconus, qui in Monasterio Cassinate obiit, putavitque carnes in pulverem redactas Cassini, ossa verò in Galliam translata esse; & lis adhuc pendet sub judice. nuncque semper temerè pro alterutrâ parte judex pronunciabit.

*S. Gertrudis.*

Hoc etiam anno 16. Kal. April. S. Gertrudis filia Pipini Ducis, cujus mater fuit S. Yduberga; Ita cognominata, quæ mortuo marito facta est Religiosa, ut sanctissimis illius stirpis hominibus, nobilis Francorum Regum familia niteretur.

MUNDI 4718. CHRISTI 665.

*S. Eligius moritur.*

Obiit hoc anno S. Eligius Noviomensis Episcopus, Apostolus quoque Flandrorum dictus, Miraculis in vitâ & post obitum illustris, nactus rerum suarum illustrem scriptorem S. Audoënum Episcopum Rothomagensem, sibi sanctimoniâ parem. Cùm autem S. Bathildis corpus S. Eligii palam transferre vellet, dum nullo modo à Parisiensibus levari potuit, facilè à Noviomensibus, à suis ovibus pronunciavit, quas etiam mortuus deserendas non putavit. Ejus autem admonitu S. Bathildis monilia & gemmas posuit, & pauperibus erogavit; in quorum manibus religiosiùs ad tempus nituere.

*S. Bathildis.*

MUNDI 4719. CHRISTI 666.

*Theodorus successit Constantino.*

Constantinus Episcopus Constantinop. moriens reliquit locum suum Theodoro omnium Monothelitarum callidissimo, & improbissimo, atque hujus hæreseos magno propugnatori.

*Oratio pro Regibus.*

Hujus quoque anni est Concilium Emeritense: in quo imperatum ut pro Rege pugnante quotidie augustum Sacrificium in singulis Ecclesiis offerretur; *quia ejus salus, Ecclesiæ tranquillitas est.*

MUNDI 4720. CHRISTI 667.

Saporius Armeniæ Præfectus rebellat in Constantem, cui suppetias mittit Rex Saracenorum, spreta Legatione Ro. Imperatoris. Respondet Legatus venturum in auxilium Constantis Deum. Nec ita multò pòst Saporius Hadrianopolim intrans, cùm verberasset flagello equum quo ferebatur, hic elatus in calces, domini caput in superliminare portæ allisit, & huic ademit vitam, ut Legatus à Deo loquutus esse videretur.

Obiit hoc anno S. Hildephonsus Toletanus Archiepiscopus, vir piissimus ac doctissimus, cujus ingenii fœtus periisse meritò luget Ecclesia.

MUNDI 4721. CRHISTI. 668.

Cæsus est hoc anno Syracusis in Balneo Constans Imperator, Idib. Iulii, à rebellibus, qui mox ei suffecere Metium quemdam seu Mezentium Armenum: at is paulò post à Constantino, filio Constantis, in Siciliam adveniente, cæsus est, cum suis consortibus. Tumque Catholico Principi suppetias tulit Papa Vitallianus. Constantinus autem Occidentalibus rebus dispositis Constantinopolin rediit, allectis in Imperium fratribus suis, Tiberio & Heraclio collegis, dictusque ipse tum *Pogonatus*, quia cum primâ lanugine egressus Constantinopoli, in eam rediens ex Sicilia plenam barbam retulit; vir in omnibus dissimilis patri, & ab eo perperam facta sapienter emendaturus.

Mortuus est hoc anno Clotarius III. cui successit Theodoricus, antea parte regni exclusus ab Ebroino Palatii Magistro Clotarii, nunc autem vocatus ad Principatum, quia sic res Ebroini postulabant. Sed cùm in odium subditorum uterque incurrisset, ambo sunt attonsi, & in Monasterium Sandionysianum, ac Lexoviense detrusi, ut per vim sapere compellerentur; Childericus unus toto Franciæ regno dignus judicatus est; nequaquam tamen suis fratribus melior, & dignior.

MUNDI 4722. CHRISTI. 669.

Cum Vitallianus Pontifex sedisset annos 13. ferè menses quinque, obiit sanctè uti vixerat; ac post menses duos, dies tredecim, in ejus locum suffectus est Adeodatus, ex Monacho factus Papa, omnibus propter munificentiam suam acceptissimus: à quo Monasterium S. Martini Turonense, rogante etiam Episcopo, ab ejus jurisdictione exemptum est, ut hunc solus Pontifex nomine S. Martini regeret.

Hoc anno post discessum Constantini, Sicilia à Saracenis vastata est: cum autem scribunt Monachi Benedictini, se tum in Siciliâ octoginta civitates aut villas possedisse, loquuntur ut qui omnia perdiderunt, ut faciant commiserationem.

Martyrium denique hoc anno absolvit S. Maximus relegatus in Castellum Alaniæ Schimarin Idib. Augusti; cujus monumentum diu tres de cœlo faces illustravere, ejus indices gloriæ. Duo quoque Anastasii in duo diversa loca Abasgorum amandati interière; sed quo tempore nescitur? certum

certum hoc, ab eo, cui tam arctè adhæserant, non esse gloriâ separatos.

MUNDI 4723. CHRISTI 670.

Cæsus est hoc anno S. Projectus Arvernorum Episcopus ab amicis & consanguineis Hectoris Massiliensis Patricii; quod cùm is Projectus apud Childericum questus esset de hoc Hectore, de multis damnis Ecclesiæ Arvernensi illatis, hic jussu Childerici gladio cecidisset; post obitum multis miraculis claruit, quæ adhuc perseverant, & illustrem fuisse Martyris hujus sanctimoniam declarant.

Mortuus & tum Osuus Rex Nordhumbrorum in Angliâ vir piissimus, & de Ecclesiâ optimè meritus; cui successit filius Ecgfidus, qui jam vivo patre se rerum Ecclesiasticarum egregium propugnatorem gesserat, non tantùm hæres paterni regni, sed & pietatis.

## CAP. VIII.

## Decas Octava.

### Ab anno Christi 670. ad 680.

MUNDI 4724. CHRISTI. 671.

TUm variis signis adeò perterrefactus Orbis, ut ejus interitus crederetur ab omnibus imminere. Saraceni Lyciam & Ciliciam occupavere; & jam majora cogitantes apparatum instruxere ad oppugnandam Constantinopolin, in quâ totius Orientis dominatum latere putabant.

Childericus hoc anno cæsus est à nobili aulico Bodilone, quem ex innatâ sibi impotentiâ ad palum religatum verberibus subjecerat. Hic enim furore percitus, conjuratione cum aliis nobilibus initâ, Principem cum paucis venantem, in Calensi silvâ occidit; inde Palatium Regium ingressus Blitildem Reginam prægnantem obtruncavit, ignominiam sibi illatam scelerate ultus triplici parricidio.

Theodoricus Monachus statim retrahitur à Francis ex Abbatia S. Dionysii, Ebroinus sponte evolat ex Monasterio Luxoviensi, occupatisque Thesauris Regiis, & collecto exercitu venit ad Theodoricum, cujus fit Magister Palatii, ex eâ dignitate in multos viros sanctos crudeliter sæviturus, adeo ut ex monasterio nihil prope nisi furorem, & impietatem extulisse videretur.

MUNDI 4725. CHRISTI 672.

Saraceni Constantinopolin obsident, contra quos Romani sæpe dimicant ab Aprili mense ad Septembrem, cùmque hyemassent Cyzici, anno sequenti iterum eam obsederunt, semper repulsi ope B. Virginis: cui urbs sacra erat, magna clade, redeuntesque ad Scyllæum Promontorium tempestate jactati periere. Eodem quoque anno dux Saracenorum alter contra tres Ro. duces dimicans, triginta suorum millia perdidit; quando inventus est ignis, quem *Marinum* sive vulgo *Græcum* vocabant, in aquis ardescens, quo Arabum naves exarserunt: sed plus profuit ad illas victorias Constantini pietas, omnibus copiis & machinis longè potentior. *Ignis Græcus.*

Obiit hoc anno Kal. Sept. Regni sui 22. cum dimidio Reccesuinthus Hispaniarum Rex, vir piissimus & religiosissimus, cui sine filiis mortuo, immo sine nepotibus idoneis ad regnum, per vim, & invitus successit Vamba, cujus electio dum inungitur miraculo firmata est: nihil antecessori pietate dissimilis fuit, prudentiâ & fortitudine etiam superior. *Reccesuintho succedit Vamba.*

MUNDI 4726. CHRISTI 673.

Mortuus est hoc anno Longobardorum Rex Grimoaldus, relicto filio impubere Gariberto, qui mox sublatus est. Bertaridus autem filius Ariperti regis ex cæde fugiens hæsit apud Francos, immo & in Britanniâ, ubi voce divina monitus est de morte Grimoaldi. Itaque rediens in patriam, tertio mense à Regis morte, ab omnibus Longobardis Rex agnitus est; vir valde pius, ut ex ejus, ac uxoris operibus intelligitur. *Grimoaldo succedit Garibertus, huic Bertaridus.*

Tyranni duo contra Vambam rebellant, Ildericus Gothus Præfectus Galliæ Narbonensis, & contra eum missus Paulus Græcus, non tantum sceleratus, sed & impius, ideoque brevî exterminandus. *Rebelles in Vambam.*

MUNDI 4727. CHRISTI 674.

Vamba in Tyrannos movet, fultus Vasconum & Francorum auxilio; sed potentiori ipse subnixus Angelorum custodiâ, lustrato exercitu, & adulteriis omnibus exsertis, in eos progreditur, & intra sex menses omninò profligat. Paulus sacrilegus ductus in triumphum ignominiosè, ac deinde crudeliter interfectus; Vasa sacra Ecclesiis restituta; sic administratum bellum, ut non regni causâ, sed Dei susceptum putaretur. *Vamba rebelles profligat.*

MUNDI 4728. CHRISTI 675.

Hoc anno, quo celebrata sunt in Hispaniâ Concilia Toletanum XI. & Braccarense III. Saraceni cum navibus ducentis septuaginta Hispanias aggressi sunt; sed hos Vamba delevit, eorumque exussit classem; non tantùm terrestribus præliis, sed & maritimis felix. *Saraceni deleti in Hispania.*

MUNDI 4729. CHRISTI. 676.

Adeodatus cum sedisset annis 7. mensibus 2. diebus 17. obiit: & cùm vacasset sedes ejus menses 4. dies 6. Kal. Novembr. creatus est Donus, aliter Domnus, & Domnio. *Donus succedit Adeodato.*

Saraceni Mardaitarum seu Maronitarum metu qui eorum ditionem in Syriâ, ac Palæstinâ invaserent, redimunt à Constantino pacem, tributo annuo trium millium librarum Auri, virorum captivorum quinquaginta, & totidem nobiliorum equorum. Quo audito *Saraceni petunt pacem à Constantino.*

Ava-

Avares pacem quoque postularunt; sic pax diu optata pietatis Imperatoriæ præmium fuit; Constantinus allaborans Deo, sibi quoque expertus est Deum allaborantem.

MUNDI 4730. CHRISTI 677.

*Monothelitæ obsistunt Imp.* Constantinus pacem Ecclesiæ reddere conatur; sed expertus est adversarios acerrimos Monothelitas, Theodorum Constantinop. & Macarium Antiochenum Episcopos, qui Ro. Pontificum neminem præter Honorium, quem mentiebantur suum, volebant in sacris Diptychis recitari, unde & clam invito Imperatore Vitalliani nomen expunxerunt. Sed postea idem Imperator de iis impiis, fretus quoque Deo, victoriam retulit.

*S. Audoenus moritur.* Mortuus est hoc anno sanctus Audoenus Rothomagensis Antistes, confectus senio, cum pacem inter Neustrios, & Austrasios ad villam Clypiacum composuisset, dignissimus qui in pacis gremio moreretur.

MUNDI 4731. CHRISTI. 678.

*Dono succedit Agatho Papa.* Cùm sedisset Donus Pontifex annum unum, menses 5. dies decem, obiit 3. Id. April. vacavitque sedes ejus supra duos menses, & forte pluribus, cùm literæ ad Donum ab Imperatore datæ pridie Idus Augusti. Eæ receptæ sunt ab ejus successore Agathone, natione Siculo, qui ex Monacho Pontifex creatus erat. Tum autem Synodus petebatur universalis, ad componendas Ecclesiæ lites, & ad eam Legati Pontificis; cura demandata Theodoro Exarcho ut nihil Occidentalibus Episcopis, ac *Concilium petitur.* Monachis deesset. Et ne hoc Concilium bellum exortum in Bulgaros turbaret, cum eis tributo pactus est Imperator, maluit se quietum minus posse videri, quàm Ecclesiæ tranquillitati defuisse.

*Gregorius succedit Theodoro.* Ad hæc Theodorum Constantinopolitanum expulit sede, quia ausus erat Vitalliani nomen ex diptychis sacris obliterare, eique suffecit Georgium Catholicum, sicque magnum obicem pacis fortiter sustulit.

*Mahuviæ succedit Gigides.* Mahuvias inventum sudarium Christi Servatoris probavit igne, sicque ortam de eo controversiam diremit: nec ita multo post obiit, reliquitque successorem Gigidem filium regni hæredem atque impietatis.

MUNDI 4732. CHRISTI. 679.

*Synodi variæ.* Multæ Synodi in Occidente celebratæ magnæ Sextæ præambulæ in Italia, Gallia, Anglia, quarum celeberrima Mediolanensis, & Anglicana, ut paratiores accederent Episcopi, rebus jam privatim accuratè discussis.

*Pax in Anglia.* Pax quoque in Angliâ composita est inter Northumbrorum & Merciæ Reges, per Theodorum Angliæ primatem, composito bello, in quo captus juvenis, pro quo faciebat sacerdos tanquam de mortuo, nunquam vinciri potuit; sic hoc incruentum sacrificium ad hunc hominem corpore redimendum valuit.

MUNDI 4733. CHRISTI 680.

Agatho Romanus Pontifex Romæ Synodum celebravit, generalem dictam, 25. Episcoporum, in qua legatio decreta est Constantinopolin, eamque obiere nomine Concilii tres Episcopi. Sed Legati Agathonis privatim fuere Theodorus, & Georgius Presbyteri, Ioannes Diaconus, & Constantinus Subdiaconus S. R. E. qui non disputarent, sed docerent quinam esset Apostolica traditio. In professione autem fidei cùm scriptum esset Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere, Græci nomen *Filii* turpiter expunxere; facilè crediti librorum corruptores. *Syno[…] man[…]*

## SYNODUS OECUMENICA SEXTA.

### *seu Tertia Constantinopolitana contra.*

### MONOTHELITAS.

INchoata est 7. Idus Novembris cum jam Legati Romani Pontificis accessissent. In eâ sedere, ut Annales Græcorum tradunt, 280. alii pauciores volunt, in Secretario sacri Palatii, quo cognominatum est *Trullus*. Hoc porrò anno sex Actiones seu Sessiones celebratæ sunt, reliquæ pertinent ad annum sequentem, in quem hæc Synodus producta est; quia de more hæretici tergiversati sunt, atque illorum fuere dissuenda mendacia.

Romæ & in Italiâ, post Solis & Lunæ Eclipses, ingens contigit pestis, tumque visos ferunt per Urbem discurrere Genios bonum & malum, & hunc ad illius jussionem domorum ostia toties percussisse quoties ex iis essent efferendi; nec antè remedium allatum malo, quàm sancto Sebastiano, ejus revelatione, in Basilicâ sancti Petri ad Vincula ara poneretur; unde tempore pestis in hunc sanctum pietas extitit multis deinceps profutura.

Wamba Hispaniarum Rex, anno Regni sui nono inchoato, lethiferâ potione sibi per Ervigium Comitem, natione Græcum, datâ, alienatus à sensibus, ab Episcopis & proceribus Hispaniæ monastico habitu, & clericali tonsurâ initiatus est, quod remedium alias multis eodem affictis morbo profuisse cognoverant. Sed ipse ad se reversus, vestem deponere noluit, & monasterio volens se inclusit, atque ut se verè Christianum profiteretur eumdem Ervigium sibi successorem dixit; cujus operâ, dum nocere putaret, tantùm bonum, tamque salutare consecutus esset.

---

## CAP. IX.

### *Decas Nona,*

### *Ab anno Christi 680. ad 690.*

MUNDI 4734. CHRISTI. 681.

ABsolutum est hoc anno Concilium septem aliis Sessionibus, in quibus tandem Monothelitarum error damnatus est, & nominatim anathemate perculsi Macarius Antiochenus ejusque

que discipulus Stephanus Abbas pertinaces hæretici, iidem exauthorati; quando in populum Aranearum telæ visæ sunt decidere de cœlo, signa hæreseos detersæ atque sublatæ; denique cæteri Monothelitæ iisdem afflati fulminibus, Sergius, Pyrrhus, Petrus, Paulus, Episcopi omnes Constantinopolitani, Cyrus Alexandrinus & Theodorus Pharanites; quibus etiam permixtus legitur in actis vulgaribus Honorius summus Pontifex, quasi sententiæ Sergii de unâ in Christo voluntate subscripsisset. Utrum autem tùm verè damnatus sit Honorius, aut etiam fuerit Monothelita, etiamnum hodie exagitatur in scholis quæstio, magno utrinque ardore propugnata; de quâ cùm accuratè scripserint Melchior-Canus lib 6. de locis Theolog. cap. ultimo pro parte ajente, Baronius ad hunc Christi annum, & Bellarminus de Summo Pontifice, pro negante, ad eos lector remittetur prudentiùs, quàm hîc strictim & per transennam erudietur.

Tum autem liberata est Romana sedes à pensitatione pecuniæ, quam novus Pontifex Imperatori pendere solitus erat, imperatam primùm à Gothis Arianis impie, atque à Catholicis non minori sacrilegio exactam, sicque per optimum Imperatorem magno Ecclesiæ commodo verè hæc *Auri sacra fames* penitùs sublata est.

MUNDI 4735. CHRISTI. 682.

Hoc etiam anno Agatho Pontifex Romæ Synodum collegit 100. Episcoporum, indeque dedit Epistolam pridie Kal. Mart. nam ejus vita ad annum sequentem propagata; qui longè tardiùs debuit mori.

Constantinopoli Georgio mortuo, Theodorus Syncellus, antea Patriarcha ejurato Monothelitarum errore restitutus est; à quo erasa sunt omnia quæ ad ejus ignominiam spectabant ex actis Sextæ Synodi, forsitan annuente ipso Imperatore, ne hominem infamem donasse Episcopatu videretur; quare & diutiùs Legati Pontificis retenti sunt Constantinopoli; exemplo Principibus, & Episcopis dato illiusmodi hæreticis ad Episcopatus non esse facilè viam aperiendam, quos ambitiosè semper, nunquam religiosè prensaverunt, raròque hæresin ex animo posuerunt, honoris, & gloriæ, quàm fidei, & pietatis amantiores.

MUNDI 4736. CHRISTI. 683.

Agathoni Pontifici mortuo hoc anno 4. Id. Iunii successit Leo II. natione Siculus, vir eruditissimus, 18. Kal. August. cùm tantùm vacasset sedes menses duos, dies 5. unde corruunt quæ de utriusque Pontificis morte, vel electione scripsit Anastasius, hic eruditè per doctissimum Baronium ut alias sæpe emendatus. Ab hoc Leone Acta 6. Synodi ex Græco in Latinum conversa: sed à Theodoro corrupta. Epistolæ autem ejus duæ ad Constantinum Imperatorem, ut ad Ervigium Regem Hispaniæ, in quibus damnatus legitur Honorius, spuriæ sunt; quare ex iis deprompta contra Honorium argumenta corrunt, adulterinis scriptis innixa.

*Pax Eccles. firmata.*

Macarius Antiochenus, aliique Monothelitæ, ex 6. Synodo Romam missi, in errore pertinaces per diversa Monasteria sparsi sunt; cæteri qui ad sanam mentem rediere, in communionem recepti: pax Ecclesiæ sic restituta, ut ab iis nebulonibus turbari non posset.

MUNDI 4737. CHRISTI 684.

*S. Leoni II. succedit Benedict. II.*

Leo Secundus obiit 4. Kal. Iul. inter sanctos adscriptus, cùm sedisset menses decem dies 14. cujus tempore ordinatio Ravennatis Episcopi, à Romano Pontifice fieri solita, renovata est, horum Episcoporum ambitione interrupta, atque turbata, quibus Exarchorum præsentia faciebat animos, nunc Imperatoris pietate, & æquitate repressa. Leoni autem, cùm vacasset sedes mensem unum, & dies 22. 3. Kal. Septembris successit Benedictus II. vir ex æquo nobilis, pius & doctus; cujus tempore Ecclesia plenam libertatem consecuta est; cùm ei tribuisset Constantinus, ut huic Pontifex non expectatâ Imperatoris voluntate sufficeretur, quo pacto, & temporis jacturæ, & turbarum periculo cautum est, atque provisum.

*Benedicto filii Imperat. commendantur.*

Constantinus Imperator misit hoc anno ad Benedictum Pontificem filiorum suorum Iustiniani & Heraclii mallones seu cytthos capillorum, quibus se ejus filios profiteretur, sic factus est peculiari ratione eorum pater, qui jam erat totius Orbis terrarum.

MUNDI 4738. CHRISTI 685.

*Constantino succedit filius Iustinianus.*

Constantinus Pogonatus cùm imperasset annis 17. Imperium suum reliquit filio suo Iustiniano II. seu Iuniori, pæne puero; cujus tamen Deus rector & administer fuit. Abimelechus enim Saracenorum Princeps cum eo initam à parente concordiam renovavit, aucto etiam tributo. Leontius autem cum exercitu missus, Armeniam, Albaniam, Iberiam, Hyrcaniam, Mediam, cæsis aut expulsis indidem Saracenis, Romano acquisivit Imperio; cælo pietatem patris etiam in filio remunerante.

*S. Benedicto II. succedit Ioannes V.*

S. Benedictus Papa hujus nominis II. obiit Non. Maji. Cui datus est successor post menses 2. & dies 15. Ioannes V. natione Syrus. 12. Kal. Aug. unus ex legatis Sextæ Synodi; unde cor ficies nec ei pietatem, neque prudentiam, nec eruditionem defuisse.

*Ebroini in sanctos crudelitas.*

Habita est hoc anno, jussu Theodorici, aut potiùs Ebroini, Tyrannica Synodus in Galliis, in quâ relegandos curavit Lambertum Trajectensem. Amatum Senonensem Leodegarium Augustodunensem, & hunc quidem sapientissimum sub Childerico Rege administrum, in quem exulem impotentissimè sævit; huic enim longo carcere, ac diuturnâ fame edomito oculos eruit, plantas exscidit, linguam ac labia secuit, ac post multa atrocia tormenta eidem caput præscindi jussit: quibus

bus pœnis sanctorum cultum meruit, 6. Non. Octobr. inter martyres adscriptus; in morte & post obitum multis miraculis clarus. Guarinus quoque hujus sancti frater ad palum alligatus lapidibus obrutus est. Ita sæviit impius Luxoviensis iste ex cucullatus Monachus, ut non ex claustro, sed ab inferis Dæmon erupisse videretur.

MUNDI 4739. CHRISTI 686.

*Ioanni V. succedit Conon.* Ioannes V. Papa, cùm sedisset annum unum, dies undecim, obiit 4. Non. Augusti. Quo mortuo cùm divisus esset clerus, aliis Theodorum, aliis Petrum Presbyteros eligientibus, tandem concordibus suffragiis, post menses duos, & dies octodecim, electus est Conon natione Thrax, educatus in Siciliâ, & factus S. R. E. presbyter. Hic statim ad Exarchum Theodorum legatos misit; sic enim de suo jure Imperatores remiserant in Electione Romani Pontificis, ut ad vicinum Exarchum recurrendum esset, imminutâ duntaxat, non penitùs sublatâ causâ turbarum, & ambitûs.

*Justinianus pacem Ecclesiæ turbat.* Justinianus Imperator sancitam Ecclesiæ pacem nonnihil turbavit, ac Cononi restitit, ejusque Legatos Constantinopolim missos prævaricari coëgit, adeo Imperatores illi Orientis parum in officio suo constantes extitere, ac pæne semper filii parentibus dissimiles.

*S. Iulianus Toletanus Episcopus.* Hoc tempore S. Julianus, Toletanus Episcopus, adversus Judæos, jussu Ervigii Regis Hispaniarum, scripsit; malè confusus cum Juliano Pometio Mauro Presbytero in Galliis tempore Gelasii Papæ, quòd uterque librum suum *Prognosticon* inscripserit: sed neque stylo, nec tempore, nec dignitate conveniunt.

MUNDI 4740. CHRISTI 687.

*Sergius succedit Cononi.* Mortuus est hoc anno, sedis suæ mense undecimo cum diebus viginti tribus, Conon 3. Id. Octobris, ejusque morte conflatum est Schisma inter Theodorum Presbyterum & Paschalem, populo in duas factiones diviso: tandem convenientibus inter se clero, optimatibus & judicibus, iis antepositus Sergius natione Syrus 7. Kal. Ian. cui statim cessit Theodorus Archipresbyter (quamquam alii hunc Pontificem sedisse velint, nec Sergium Pontificem fuisse, nisi eo mortuo) Paschalis autem ad Ioannem Exarchum accessit, promissis ei centum auri libris. *Turba in Ecclesia.* Qui cùm Romam venisset, agnovissetque Sergium legitimè electum, Paschalem quidem omisit, sed à Sergio alias auri libras centum extorsit ab Ecclesiâ sancti Petri. Paschalis autem detectus sortilegus & idololatra, Archidiaconatu depulsus, ac retrusus in monasterium ibidem obiit, neque Pontifex neque Archidiaconus, sed impœnitens monachus.

*Ervigio succedit Egica.* Ervigio Regi Hispaniarum mortuo successit Egica, seu Egicanes, Wambæ consobrinus, vel filius, Ervigii gener; in regnum ascitus ob Wambæ memoriam; præteritis demortui Regis liberis, quos Patri quàm Avo similiores meritò Hispani futuros suspicabantur.

Hoc denique anno impius Ebroinus magister Palatii Theodorici interfectus est ab Hermenfrido nobili viro, cui bonorum omnium jacturam interminatus erat; hic eo cæso statim ad Pipinum fugit, Austrasiam sanctè administrantem; boni omnes de hominis scelerati morte ingentem voluptatem recepere.

MUNDI 4741. CHRISTI 688.

Theodoricus, regni sui anno undecimo, claustro quam Palatio aptior, cùm sub Ebroini Tyrannide vixisset, obiit Atrebati, sepultus in Æde S. Vedasti. Reliquit ex Reginâ Clodoilde, seu Dodâ aliter & Solindâ, Clodovæum, & Childebertum; quorum ille successit patri dictus Clodovæus. III. Rex Francorum 16. hæres regni paterni atque inertiæ.

MUNDI 4742. CHRISTI 689.

S. Kilianus Hibernus, hoc anno in Franconiâ Herbipolitanam sedem martyrio suo consecravit, cum duobus sociis suis, cæsus à Geilâ Gosberti Franconiæ Ducis uxore, quam ante Baptismum eripuerat suo fratri. Eorum corpora diu latuere, nec nisi percussorum pœnâ detecta. Gosbertus cæsus, filii & cognati expulsi, Gesilia à Dæmone correpta, pænas pio sanguini graves persolvere.

S. Ceadulla Rex Orientalium Saxonum Romam venit, ex voto relicto diademate, ibique à Sergio Baptizatus, adhuc in albis, terrestre regnum cœlesti gloriosè permutavit.

MUNDI 4743. CHRISTI. 690.

Hic annus celebris extitit pace inter Justinianum Juniorem & Saracenos ruptâ, levissimâ de causâ. Hi enim auri massam offerebant tributi nomine; Imperator exigebat pecuniam imagine suâ signatam; inde bellum erupit toti Orienti fatale; & hoc facto Justinianus se imprudentiâ & moribus magis quàm nomine Juniorem præstitit.

## CAP. X.

## *Decas Ultima,*

### *Ab anno Christi 690. ad 700.*

MUNDI 4744. CHRISTI 691.

Mortuus est hoc anno Bertheridus Longobardorum Rex, cùm decem annis regnasset, cui successit filius Cunipertus, jam ab anno cum patre regnans. Hic Tridentinum Ducem Alachin, hominem impium & Ecclesiasticis perinfensum appetiit bello. Alachis autem ab Ecclesiasticis frustra tentatus erat bello, & parum religiosè, Zenone duce Diacono Ticinensi, qui in prælio occubuerat. Voverat Tyrannus sacrilegè se impleturum puteum ex testiculis Clericorum si Cunipertum vinceret; Sed provocatus ad singulare certamen à Cuniperto congredi non est ausus, quòd inter ejus contos vidisset, in somnis imaginem S. Michaelis; ad quam ei juraverat fidem,

fidem. Sed miser commisso prælio interemptus, se turpi voto suo exsolutum esse, in inferis constrictum Dæmonis unguibus intellexit.

Paulo Constantinopolitano mortuo successit Gallinicus, homo novarum rerum cupidissimus, ut sequens annus ostendit.

MUNDI 4745. CHRISTI 692.

Iustiniani Iunioris anno 8. Sergii Pontificis 5. celebrata est Constantinopoli Synodus ERRATICA dicta, in quâ conditi centum & tres Canones, quasi ad Synodum Sextam, ante duodecim annos habitam, Appendices. Dicta quoque est QUINI-SEXTA, quia cùm non editi essent Canones in Quintâ & Sextâ Synodo, Appendix ista inepta duo hæc Concilia absolvisse videretur. Sed huic constantissimè obstitit Sergius, repugnavere & tres alii Orientales Patriarchæ; & si nonnunquam citati sint ejus Canones à Pontificibus Romanis, appellabantur hi contra Græcos, ut suis ipsi armis conficerentur.

Iustinianus ubi vidit hos Canones à Sergio improbari, mittit Romam Protospatharium suum Zachariam, uti Papam deportaret Constantinopolin. Sed Italica militia eum tutum præstitit, & Zachariam tam contumeliosè & acerbè excepit, ut & in Pontificis cubiculum se recipere coactus sit, immo & in ejus se lecto abdere, ubi & λειποτιμίαν passus dicitur; quare paulò post reliquit Urbem, vitæ suæ servandæ, quàm Pontificis abducendi sollicitior.

Armenia à Ducibus prodita hoc anno Imperio Romano periit: sicque Imperator intelligere potuit Romanam fortunam ex parentis pietate, calamitatem ex suâ improbitate pendere.

Mortuus est hoc anno Clodovæus III. anno regni sui 4. cui successit frater Childebertus indolis bonæ; sed ut frater sub Ebroino, sic ille sub Pipino Crasso, Magistris Palatii, Iuris alieni: tum enim hi Franci Principes uti nobiles bestiæ à suis Magistris Palatii regebantur.

MUNDI 4746. CHRISTI 693.

Pipinus de Herstallô, cognomento Crassus, restituit Lambertum Trajectensem ad Mosam in exilium depulsum ab Ebroino, atque ita de omnibus nobilibus bene meretur, ut eum Regis instar omnes colerent, huicque nihil præter Regis nomen deesset; tumque stravit viam suis posteris, humanitate suâ, ad regiam dignitatem.

Eodem denique anno Sisbertus Toletanus Episcopus, conjurationis in Regem Egicanem reus, perdidit Episcopatum & bona, in Concilio Toletano 16o. amandatus in exilium; neque enim ultra Ecclesiæ potestas, & Regis facilitas processere.

MUNDI 4747. CHRISTI 694.

Leontius olim præfectus Orientis, jam triennio ob calumniam detentus in carcere, & Imperatoris jussu emissus, ut præficeretur Græciæ, amicorum hortatu seditionem in Iustinianum concitavit, & Imperator acclamatus est. Iustinianus invisus populo ob facta contempta, & sævitiam, quâ hunc ducibus suis cædendum objecerat, captus, ac præcisis naribus (unde Ρινότμητος dictus) Chersonam in exilium relegatus est; Theodorus Monachus, & Stephanus Sacellarius, præcipui ejus crudelitatis administri, funibus ad pedes religatis in forum pertracti, ibidem vivi combusti sunt; Theophanes non tantùm ei præcisum nasum, sed & linguam, quod falsum; cùm postea eum constet & locutum, & sæpius quàm ejus inimici voluissent.

MUNDI 4748. CHRISTI 695.

*Ecclesia res aucta.* Obiit hoc anno S. Audomarus Morinorum Episcopus, & eorum dictus Apostolus, quòd hîc renascentes Idololatriæ fibras excidisset, pastorum incuriâ succrescentes; quando & in Frisiâ fides egregiè propagata est, ob martyres istic cæsos, quorum sanguis semen Christianorum semper fuit Frisiis itaque anno sequenti datus est Episcopus S. Wilbrodus sub nomine Clementis à Sergio, cui Pipinus Trajectum, olim Wittemburgum dictum, sedem assignavit, pietate suâ rem suam magis quam armis promoturus.

MUNDI 4749. CHRISTI. 696.

*Leontius exautoratur à Tiberio Absimaro.* Leontii Imperatoris anno tertio Arabes Africam invadunt; unde eos expulit Ioannes Patricius ab Imperatore missus: ac illi redeuntes cum majori classe Ioannem depulere: quo casu turbati Romani milites, & Constantinopolin ad Leontium redire veriti, Absimarum Imperatorem creant, eumque Tiberium vocant. Hic eorum audaciâ & scelere usus, properat Constantinopolin, & Leontium captum præcisis naribus in monasterium Dalmatiæ relegat; Iustinianum ultus fructuosè.

MUNDI 4750. CHRISTI. 697.

*Frisia. Batavia convertuntur ad fidem.* Frisia, Batavia, iisque proximæ Germaniæ partes ad veram fidem accessere, operâ S. Wilbrodi Trajectensis ad Rhenum Episcopi, & Suviberti Verdensis; qui cùm non tantùm verbo, sed & vitâ & miraculis potentes essent, iis gentibus veram religionem potentiùs & faciliùs inspiravere, tum à verâ religione alienissimis propter feritatem.

MUNDI 4751. CHRISTI 698.

*S. Lambertus Tungrensis Episc. cæditur.* Cæsus est hoc anno S. Lambertus Tungrensis Episcopus à Dodone fratre Alpaidis, quæ Pipini pellex erat, quòd sæpe Pipinum de adulterio arguisset, cùm hic haberet uxorem Plectrudem. Mortui autem sancti corpus nullæ pellices osculari potuere; quod translatum in Legiam

giam vicum, peregrinorum concursu eam urbem nobilem reddidit, hodie Leondium *Liege* ad Mosam. Dodo miserè periit. Pipinus magno dolore affectus ex S. viri morte, pellicem gno dolore affectus ex S. viri morte, pellicem servavit, quod ex eâ genuisset Carolum Martellum, quem impensè diligebat ob egregias animi dotes, & qui ejus familiæ, Nothus licet, egregius propagator extitit.

*Carolus Martellus Pipini filius Nothus.*

*Saraceni in Syria vexati.*

Romanus exercitus ab Imperatore Absimaro missus in Syriam, ut eam deprædaretur, ducenta Saracenorum millia cecidit, ac copiosam retulit prædam. Jam enim prope in immensum hæc gens creverat, ac totum pæne implebat Orbem ad Orbis ultionem nata, atque à Deo ipso visa propagari.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4752. | 699. |

*S. Hubertus Episcopus Leodiensis.*

S. Hubertus, filius Bertrandi Aquitaniæ Ducis, per Sergium Papam divino monitu consecratus Episcopus Leodiensis, seu Tungrensis. Ideo hæc civitas peculiari affectu unita Ecclesiæ Romanæ, & in sigillo suo se filiam Romanæ Ecclesiæ scribit: tota Regio, tanti viri virtute, in gregem Dominicum transiit.

*S. Al... mus ... glus ... scop...*

Venit & hoc anno Romam ad limina Apostolorum S. Althelmus sive Aldhelmus Schireburgensis in Angliâ Episcopus, quem ajunt purgasse ab adulterii suspicione Sergium Papam, elicitâ pueri novem dierum, qui ei tribuebatur, excusatione; quod cùm tantum legatur in ejus Sancti vitâ, nusquam aliàs, non caret fictionis suspicione.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 4753. | 700. |

*S. V... nus ... vil... tron...*

S. Vulfrannus Episcopus Senonensis divino admonitu ad Frisios transiit, ubi Christi fidem valdè promovit: quando dux regionis hujus Radbodus jam baptizandus recessit ex sacro lavacro, ne à suis majoribus in alterâ vita miser revelleretur. Hic vir sanctus obiit in monasterio Fontanellæ multis miraculis clarus, hodieque ejus corpus servatur magnâ cum religione Abbavillæ, ubi magnificè colitur, factus urbis hujusce Patronus, atque hisce temporibus magnus in Picardiâ Thaumaturgus.



LIBER

# LIBER VIII.

## *Ab anno Christi 700. ad 800.*

### CAP. I.

### *Decas Prima,*

*Ab anno Christi* 700. *ad* 710.

MUNDI 4754. CHRISTI. 701.



Sanctus Sergius Pontifex, cùm sedisset annos 13. menses 8. dies 14. Obiit 5. Id. Sept. Cæterùm ex ejus Epitaphio constat eum ab Urbe pulsum per Ioannem quemdam Sedis invasorem, septem annis exulem vixisse, quod nemo scriptorum tradit, ejusque calamitatis evanuisset memoria, nisi eam veteres inscriptiones Romanæ repræsentassent. Utrum autem idem Pontifex Bedam ad se evocarit, scribunt Angli, eâ de re tacuit ipse Beda, factâ nihilominus sæpe Sergii memoriâ; quod tamen ejus modestiæ, sine veritatis historicæ dispendio, potest adscribi. Successit Sergio post mensem unum ac dies 20. Ioannes VI. natione Græcus; adversus quem cùm venisset Theophylactus Exarchus è Siciliâ, fortè aliquid pecuniæ extorturus, in eum milites insurrexere, ex quorum manibus & furore fuerit per Ioannem eripiendus, militibus deinceps in Pontifices meliùs quàm suos Exarchos affectis; quò aliquid contulisse divitias Romanæ Sedis non est absimile vero, eo tempore Ecclesiæ valde necassarias.

Egicani Regi Hispaniarum mortuo successit filius Witiza, qui cum patre jam quinquennio regnaverat: hic in omnia vitia se effudit, & ut idem facerent sui Duces ac milites author fuit; irreverens in Episcopos suos, immo & in Romanum Pontificem: denique sic turbavit omnia sacra prophanaque, ut à Saracenis occupanda ac delenda ejus potissimùm causâ fuisse videatur Hispania.

MUNDI 4755. CHRISTI. 702.

Iustinianus Rhinotmetus exul Chersonæ sorore Cajani ducta, ejus auxilio arma & reditum parat. In navigatione exortâ tempestate cùm moneretur ab amicis ut votum ederet se inimicis parciturum, si ab eâ incolumis abscederet; *immo*, inquit, *statim demergar, si eorum cuiquam parciturus sum*; tandem evadens, evocato Trebellio Bulgarorum Rege, conflavit exercitum, suis adversariis metuendum.

MUNDI 4756. CHRISTI. 703.

Trebellius Bulgarorum Rex, clam per aquæductum ingressus Constantinopolin, Iustinianū in solio collocat. Capti fugientes Apsimarus & frater ejus Heraclius cum multis Patriciis; quos Iustinianus in muro cædi jussit; Apsimaro reservato, quem cum Leontio per urbem traduxit, eorumque cervices pede pressit in Circo, eum his Prophetæ verbis, *Super Aspidem ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem*, tandem utrique caput demeti jussit. Multos etiam perdidit saccis inclusos, ac projectos in mare: Callinicum autem Patriarchum excæcatum in exilium misit, Cyro Amastridis monacho, qui ei restitutionem prædixerat, subrogato. Filium denique suum Tiberium uxoremque Theodoram coronavit Augustos, remisitque muneribus ornatum Trebellium; vir usque ad furorem vindictæ appetentissimus.

Obiit hoc anno Cunipertus Rex Longobardorum, relicto filiolo Luithberto sub tutelâ Asprandi, viri magni; unde multi consecuti sunt tumultus, in hâc ætate Principum soliti contingere. *Luithbertus succedit Cuniperto.*

MUNDI 4757. CHRISTI. 704.

Civiles motus hoc anno Longobardos exercuerunt, qui terminati sunt victoriâ Ariperti, sublatis æmulis, pacificè rerum potientis. Is potitus victoriâ precibus S. Boniti Arvernensis Episcopi ad limina Apostolorum proficiscentis, relicto Episcopatu, sanctæ Sedi ereptas Alpes Cotias reddidit, sicque res suas pietate partas, pietate firmavit. *Ariperti pietas.*

Florebat his temporibus Anglicana Ecclesia, in quâ duo Reges Merciorum, pater & filius Edilredus & Coënredus, positâ purpurâ Monachi saccum induerunt. Sub Coënredo contigit mors Aulici hujus famosa, qui pœnitentiam procrastinans, sibi crastinum diem esse denegatum æternis lacrymis dolebit. *Edilredus Rex Merciorum.*

MUNDI 4758. CHRISTI 705.

Ioannes VI. Sedis suæ mense [illegible] cum diebus 11. mortuus est 4. Id. Ian. cùmque vacasset sedes mense, ac diebus 18. Kal. Mart substitutus ei Ioannes VII. item natione Græcus, qui rogatus honorificâ legatione ab Imperatore, ut reciperet Canones Synodi Quini-Sextæ, & quos vellet probaret, aut rejiceret, fortiter recusavit, ne erraticam Synodum utcumque probasse videretur. *Ioannes VII. succedit Sexto.*

MUNDI 4759. CHRISTI 706.

Iustinianus Bulgaros, à quibus restitutus erat, armis aggressus est; sed ab iis turpiter victus, cum paucis Constantinopolin fugit, nec fortis hostis, nec bonus ac gratus amicus. *Iustinianus victus à Bulgaris.*

MUNDI 4760. CHRISTI 707.

Ioannes VII. cùm Petri Sedem tenuisset annos 2. menses 7. dies 17. 15. Kal. Novemb. excessit è vivis; ejus Sedes vacua tribus mensibus fuit; & diutiùs, ut brevissimi spatii Præsulem acciperet. *Ioanni VII. Papa.*

MUNDI CHRISTI.
4761. 708.

*Succedit Sisinnius.* Sisinnius, natione Syrus, Pontifex electus est 15. Kal. Febr. atque ex dirissimâ podagrâ, diebus 20. dumtaxat Papa, 7. Id. Febr. morte subita extinctus Nonis Martiis, reliquit locum suum Constantino, item Syro sede eodem anno bis vacuâ, bis repletâ. *Ei constantinus.*

*Felix Ravennas exautoratus.* Felix Ravennas Episcopus, consecratus à Constantino, eique pollicitus obsequium, cùm rediisset ad suos iterum schismate pollutus est, civibus id exigentibus. Itaque misit Imperator Theodorum Patricium cum exercitu, qui captâ civitate rebelles spoliavit, ac misit Constantinopolin: Felix excæcatus relegatus est in Pontum; qui tamen mortuo Justiniano quantumvis cæcus dicitur fuisse restitutus, immo & post mortem miraculis claruisse; si qua Rubeo fides, in gratiam Ravennatium suorum sæpe nimis credulo.

MUNDI CHRISTI.
4762. 709.

*Constantinus pergit Constantinopolin.* Justinianus Constantinum Papam accersit Constantinopolin. Solvit ergo, bene stipatus Ecclesiasticis, è Romano portu; sed hyemare Hydrunti compulsus est. Inde navigans, ubique magnifice, ut Imperator ipse, susceptus est (sic enim Justinianus jusserat) occurrensque ei in Siciliam venienti Theodorus Patricius gravi infirmitate vexatus, eumque veneratus, statim sanatus est. Interea Ioannes Rizocopus Exarchus Romam venit, ubi aliquot viros nobiles interemit, pergensque Ravennam occubuit, non diu dilato crudelitatis supplicio.

*Childeberto III. succedit Dagobertus II.* Childebertus III. Rex Francorum, regni sui 17. hoc anno reliquit regnum suum filio suo Dagoberto II. aut veriùs imaginem regni, cùm Regnum ipsum Pipinus administraret, ejusque filius Grimoaldus Magister domus; cui hanc dignitatem concesserat hæreditariam, & aditum simul ad regnum.

MUNDI CHRISTI
4763. 710.

*Constantinus magnifice susceptus Constantinopoli.* Susceptus est magnificentissimè Constantinopoli Constantinus Pontifex à Tiberio filio Justiniani Augusto, Cyro Patriarchâ, totoque Senatu, ac populo. Justinianus autem, tum Nicææ degens, occurrit ei Nicomediam, pedesque ejus osculatus, in ejus ruit amplexus. Quid inter eos actus sit, ignoratur; suspicio est agitatos esse Canones Synodi Quini Sextæ; sed restitisse fortiter Constantinum operâ Gregorii Diaconi, qui ei successit; & qui tum nominis sui, in causâ tanti momenti, oblitus non est.

*Iustiniani crudelitas.* Rebellavere tum populi Bosphori atque Chersonesi; in quos atrociter sæviit Imperator, interfectis etiam infantibus, & hominum 73. millibus variis in locis immaniter trucidatis; quâ crudelitate neque sibi, neque Imperio Romam consuluit.

*Rodericus succedit Witizæ.* Mortuo in Hispaniâ Witizæ impiissimo Regi successit Rodericus, vir quidem fortis, sed improbitate par antecessori suo, aut etiam deterior, qui jam præcipitantem Hispaniam in ultimum exitium impulit, ejus fax atque bustum.

## CAP. II.
### *Decas Secunda.*

*Ab anno Christi 710. ad 720.*

MUNDI CHRISTI
4764. 711.

Rediit Romam ex Oriente Constantinus, nullo alio opere pretio, quàm ut Imperatorem vidisse, & ab eo honoratus esse gloriaretur. *Pa... m...*

Chersonesii à Justiniano graviter afflicti, & diriora expectantes, cùm ipse adversus eos novam parasset classem, petunt auxilium à Chajano Rege Lazorum. Jam potentes, & parati resistere; quosdam Imperatoris Duces dolo admissos Chersonam, obtruncant, renuntiant Imperatorem Bardanem Philippicum, qui olim à Tiberio Apsimaro relegatus in Cephaloniam insulam, postea revocatus fuerat à Justiniano ut bellum contra Chersonesios gereret, rursusque ob tumultum excitatum, ad Chajanum confugerat. Cùm autem alii quoque Duces ab Imperatore missi adversus rebelles, nihil profecissent, veriti redire Constantinopolin se Philippico conjunxere. Quare hic jam auctus magno exercitu, Constantinopolin properat, præmissoque Mauro Patricio cum copiis adversus Tiberium, & Eliam, contra Justinianum, ipse cum omnibus copiis assumpto Imperatoris nomine sequitur. Maurus Tiberium interceptum ad Blachernas, in æde B. Virginis, altare prensantem unâ manu, alterâ lignum S. Crucis, cum reliquiis SS. è collo suspensis, per vim extractum (aviâ Anastasiâ ad Mauri pedes nequicquam pervolutâ) interfecit. Elias autem, Philippici in exilio comes, & cujus filium in sinu matris Justinianus jugularat, ejusque conjugem Indo coquo dederat uxorem, adversus Imperatorem progressus, pollicitus omnibus impunitatem, magnam copiarum partem ad se attraxit, mox furiose in reliquas irruens, pissipavit, & Justinianum interemit, cujus caput ad Philippicum misit, inde Romam usque translatum, ut vir crudelissimus, ubique timeri desineretur. Hic finis fuit hominis vindictæ appetentissimi, quem ultio tandem aliquando perdidit, nulli neque vivo, neque mortuo profutura.

MUNDI CHRISTI.
4765. 712.

Philippicus, vir moribus turpissimus, & Monothelitarum fautor, pollicitus cuidam Pseudomonacho incluso mago & Monothelitæ, à quo promissum ei fuerat Imperium, se sextam Synodum aboliturum, hoc anno stare pactis aggreditur. Cyrum ergo Catholicum Episcopum sede deturbat, ejusque loco Ioannem Pseudomonachum Monothelitam substituit; alter enim Monachus illi Imperii vates, destinatus ad Episcopatum, oculos perdiderat. Ille factus Episcopus, statim in Synodum convocat, in quâ Sextum Concilium abolet, quæ cumque in eo fuerant constituta impudentissimè damnat; eaque mittit ad Romanum

manum Pontificem, professionis fiedi loco, ut se non Monothelitam modò, sed & impudentem hæreticum profiteretur.

Ea sunt recepta à Romano Pontifice populoque Ro. cum execratione; ubi neque suscepta est Imperatoris Imago, neque pecunia ejus signata effigie, ac nomine; tacitum quoque nomen ejus in Mysteriis, & ab eo missus Dux Urbis quidam Petrus exclusus, armato adversus eum veteri Duce Christophoro, qui ad interitum usque Philippici, inter se magno tumultu contenderunt. Sic impii Principis Imperium nutare cœpit.

Aripertus Longobardus, regni sui anno 12. moritur; cui successit tribus tantùm mensibus Ansprandus; huic filius Luitprandus (in inscriptionibus Leutbrandus) qui statim Alpium Cotiarum in quibus erat civitas Ianuensis, seu Genuensis, donationem ab Ariperto Romanæ Ecclesiæ factam confirmavit, sapienter regnum suum à pietate auspicatus.

MUNDI 4766. CHRISTI. 713.

Philippicus 6. Imperii sui mense, vigiliâ Pentecostes, post magnum convivium primoribus civitatis exhibitum, quiescens, à Patriciis quibusdam interceptus excæcatus est, & missus in exilium. Sequenti die Pentecostes, qui ei fuerat à secretis Arthemius in magnâ Ecclesiâ coronatus est Imperator, dictusque Anastasius Secundus. Hic statim veram synceramque fidei professionem ad Constantinum Pontificem misit; ipse vicissim Apocrisarium, qui pœnitentes nominè Apostolicæ Sedis reciperet. Itaque Philippici exautoratione huic Ecclesiæ atque Orienti pax est restituta.

Celebris est hic annus Saracenorum in Hispaniam transitu, cujus proxima causa fuit Rodericus in Witizæ familiam desæviens, expulsis ignominiosè ejus filiis Furmalo, & Erpulione. Confugere illi ad Iulianum Tingitanæ Præsidem, cujus filiam Cavam Rodericus vitiarat, & pellicis servabat loco. Hi cum Francis conjurantes, ut Galliam Narbonensem invaderent, favente intus Oppâ filio Witizæ, Archiepiscopo simul Hispalensi, & Toletano, sollicitant Ulit Saracenorum in Africâ Regem, qui cum iis præmisit in Hispaniam 25. millia fortissimorum militum, ducemque Tariffam Strabonem, experientissimum ducem. Hi nullo negotio urbes quas, tribus exceptis, Witiza muris spoliarat, occupant. Sed restitit initio, raptim collecto exercitu, Rodericus, & aliquot hostium millia cecidit: Verùm superveniente cum infinitis peditum Equitumque copiis Muzâ Duce Saraceno, Gothi internecione deleti sunt. Rodericus aut in prælio, aut in flumine periit, Gothis insuper in provincia Narbonensi exterminatis. Sic pæne periit Hispania Christianitati, data Saracenis, quæ ex Principum suorum contaminatissimâ vitâ Arabum, & Mahumetanorum, jam mores induerat.

MUNDI 4767. CHRISTI. 714.

Mortuus est hoc anno, cùm sedisset annos sex, & mensem unum, Constantinus Papa 4. Id. Aprilis; vir in quo nihil ad magnum Pontificem defuit; enituit tamen ejus in pauperes cura, cùm eo sedente Urbem penuria vexasset. Huic post dies 42. suffectus est 13. Kal. Iunias Gregorius, hujus nominis secundus, Diaconus S. R. E. Bibliothecarius, eruditione ac sanctimoniâ, rebusque Constantinopoli cum suo Pontifice gestas, illustris, & omnium uno censensu summâ hâc dignitate dignissimus. *Constantino succedit Gregor. II.*

Pipinus de Herstallo, cognomento Crassus, diu administratâ sub titulo Majoris Domus Franciâ, ac verè Principum suorum Tutor ac Magister, fato defunctus est. Susceperat duos filios ex Plectrude legitimâ conjuge, Brogonem Campaniæ Ducem, & Grimoaldum, quem Majorem Domus Childerici, ac deinde Dagoberti, constituerat; sed hoc cæso per Rangarium, à socero suo Roberto invitatum, substitutus ei fuerat Theodandus ejus filius Nothus Ex Alpaide verò pellice genuerat idem Pipinus Carolum Martellum, &c, ut jam pleriq; putant, fratrem ejus Childebrandum, unde Capetiana familia creditur profluxisse: sed hic remansit incognitus diu. Carolus Martellus creatus à patre Dux Austrasiæ, atque à Plectrude Coloniæ detentus in carcere, dignum se Pipino præstitit, atque familiæ suæ ad Regium Franciæ thronum proximum gradum substravit, cui alios Pipinus supposuerat. *Moritur Pipinus Crassus.* *Ejus filii legitimi, & Nothi.*

MUNDI 4768. CHRISTI. 715.

Anastasius Secundus Imper. Ioanni Constantinopolitano deposito sufficit Kal. Aug. sanctum Germanum Patriarcham, ex civitate Cyzicenâ, Senatui, populoque, ac Romanæ sedis Apocrisario Michaëli gratissimum. Hujus viri sancti & eruditi patrem enecarat Constantinus Pogonatus, ipsumque castrari jusserat. Hic ergo genere & scientiâ, virtuteque magnus, ostendit calamitates magnis viris Illustribus sæpe ad magna gerenda gradus esse, neque adversis fortunæ casibus ingenia sublimia deprimi, sed attolli plerumque ac nobilitari. *S. Germanus sufficitur Ioan.*

Saraceni classem mittunt in Phœnicem ad exscindenda ligna, ut fabricarent naves. Iis classem suam opposuit Anastasius, cujus duces parum concordes expeditionem discussere. Ortâ ergo seditione, quæ pars prævaluit, rediit Adramittum, ubi verita Imperatorem, Theodosium quemdam Tributorum publicum exactorem, invitum, & captantem latebras, amicit purpurâ. Hic Constantinopolin statim obsedit; eâque post sex mensium obsidionem potitus proditione, Anastasium inclusit monasterio. Cætertùm hic Catholicus fuit, statimque restituit imagines sex Synodorum, in Ecclesiâ à Philippico obliteratas; quo facto Catholicis spem, Monothelitis occultis metum injecit. *Theodosius Anastasiû dejicit Imperio.*

Gregorius Urbi à Longobardis metuens, eam mœnibus circumvallare aggreditur. Sed discussit opus Cumanum castrum, à Luitprando occupatum; quod tandem magnis sumptibus per Neapolitanos recepit. Quare rex Alpes Cottias ademit Ecclesiæ, quas tamen mox resti- *Greg. II. Urbi providet.*

reſtituit; inter bonum malumque Principem fluitans.

*Dagoberto 2. ſuccedit. Chilpericus 2.*

Moritur hoc anno, regni ſui V. Dagobertus Secundus Rex Francorum duodevigeſimus, relicto filio Theodorico, qui tamen attonſus oblatus erat Eccleſiæ. Hoc ergo omiſſo impubere, Franci ex monaſterio retrahunt Danielem quemdam monachum, etiam ſacris ordinibus initiatum, è ſanguine regio, & fortè Dagoberti Nothum fratrem, qui eis præeſſet, quem dixere Chilpericum Secundum ſicque Clerico puero ad tollendos civiles motus Clericum virum, injuſtè, non imprudenter, antepoſuerunt.

MUNDI 4769. CHRISTI 716.

*Caſſinum monaſterium reparatur.*

Petronax Brixianus civis, ſuadente Gregorio, Caſſinum monaſterium, jam ab annis centum quadraginta per Longobardos excîſum, reparat, & Monachis implet, quibus ipſe præficitur; idque efficit ſanctitatis, eruditionis, & Præſulum Eccleſiæ nobile ac locuples ſeminarium.

*Saraceni totalis pana potiuntur.*

Saraceni Chriſtianis eripiunt duas reliquas urbes, Legionem vi, Toletum proditione Iudæorum, & ambabus excîſis, jam magnæ hujus regionis domini, regni ſui ſedem conſtituunt Cordubam. Paſſi ſunt tamen inter ſe vivere Chriſtianos; & habere templa, modò penſitarent menſtrua tributa, & iis cederent templorum oblationes: pecuniæ quàm religionis ſollicitiores.

MUNDI 4770. CHRISTI 717.

*Theodoſius deponit Imperium Leone creato Imp.*

8. Kal. Auguſt. Theodoſius Imperator, quietis, & otii potiùs quèm Imperii cupidus, adhibito in Concilium Germano Patriarchâ, & Senatu, Leonem Iſaurum ejus nominis tertium, cognomento Cononem, creat Imperatorem. Id jampridem ſperabat Leo, admonitus à Judæis impoſtoribus, quibus & promiſerat ſe quidquid poſtularent conceſſurum, ſi id contingeret. Theodoſius autem cum filio Clericus factus, Ephefi ſanctè obiiſſe creditur, & poſt obitum miraculis coruſcaſſe. Suo tumulo inſcribi curavit hanc vocem SANITAS, quâ profitebatur ſolâ morte pravos tantùm animi motus extingui, factus ex Imperatore Philoſophus.

*Conſtantinopolin obſident Saraceni.*

Maſalmas Saracenorum Princeps Pergamum capit, horribili à ſuis civibus Diaboli ſacrificio, ſuadente Mago, pollutum. Mox idem Princeps Conſtantinopolin obſedit arctiſſimâ obſidione, quæ in annum ſequentem producta eſt. Sicque eluxit B. Virginis in hanc civitatem amor, quæ tum etiam voluit eſſe ſuam, non Saracenicam.

*Peſtis & fames.*

Peſtis & fames Conſtantinopoli trecenta hominum millia ſuſtulere; quando & Romæ terribilis inundatio contigit, quâ multæ domus everſæ; utraque Roma eodem tempore à Deo, hominibuſque premebatur.

MUNDI 4771. CHRISTI. 718.

*Obſidio Conſtant. ſoluta.*

Obſidio Conſtantinopolitana 18. Kal. Auguſti ſoluta eſt, cùm anno ſuperiore 9. Kal. Sept. eſſet inchoata; & ſoluta eſt beneficio S. Virginis, cujus imaginem ſupra muros ſolemni ritu cives circumtulere; quare à Deo, & ab hominibus malè mulctati Saraceni, neutris ſe pares aſſeruere.

*Hau- ſævi- Chr- nos.*

Haumar Saracenorum Princeps, hoc anno, expulſo Maſalmâ, regnare cœpit, qui ut ſibi Deum propitium redderet, ſuis vinum interdixit, Chriſtianos ad deſerendam religionem invitavit, deſerentibus tributorum immunitatem pollicitus, detrectantibus interminatus mortem; auſus etiam Leonem incitare ad ejurandum Chriſtum; unde tamen Chriſtianis animus, non metus acceſſit; crevit in Chriſtum fiducia, qui his artibus impetebatur.

*Rel- Sic- tin-*

Artemius Imperator creatus eſt in Siciliâ operâ Sergii Protoſpatarii; ſed miſſus à Leone Paulus Chartularius, & ſeditioſos ſuſtulit, & incenſo novo Imperatore, rebellionis hujus flammas extinxit.

*Hi- re- ins-*

Hiſpanicis rebus hoc anno radius affulgere cœpit. Pelagius enim ab Aſturibus Princeps electus Saracenis, ex ſpeluncâ in quâ cum ſuis degebat, fortiter reſtitit, ac primùm Oppâ Epiſcopo Toletano rejecto, deinde octoginta millibus Saracenorum appetitus, eorum ducem cum viginti millibus cecidit, Oppam cepit, reliquos egit in fugam, quorum plerique aut præcipitiis eliſi, aut inundationibus ſuffocati perierunt, ope potiſſimùm B. Virginis, cui ideo ſpelunca dicata eſt, etiamnum dicta *Sancta Maria de Couadunga*. Quibus auditis, in tantam rabiem efferatus eſt Saracenorum Princeps, ut Julianum proditorem Comitem Tingitanum, cum duobus filiis Vitigæ, autoribus expeditionis Saracenicæ, interfici juſſerit, & eorum ſanguine ultus ſit Hiſpaniam, qui eam prodidiſſent.

MUNDI 4772. CHRISTI 719.

*N- Co- mi-*

Natus eſt hoc anno Leoni Iſauro filius, qui 8. Kal. Ianuar. baptizatus eſt in magnâ Baſilicâ per ſanctum Germanum; de quo hic præcinuit magnas in Eccleſiam ſordes, quòd tum Baptiſterium incacaſſet: unde & ei à κόπρῳ *Stercore* inditum nomen fuit. Quando & Leo Archiepiſcopum Theſſalonicenſam decollari juſſit, Artemii conjuratione implicitum, atque perduellem; quod crimen duntaxat Imperatorem excuſare potuit.

*Ra- mo-*

Celebris eſt etiam hic annus Radbodi Friſiorum Ducis morte, de quo ſuperiùs; qui tergiverſatur impiè in recipiendo Baptiſmate, cum ſuis ſordibus ad Inferos devolutus eſt.

*S. B- Ge- Ap-*

Tum quoque ſanctus Bonifacius, antea Winifridus dictus, Apoſtolatum ſuum inchoavit, & adjutor primùm acceſſit S. Villebrodo, Clementi dicto, ut Germanas gentes hactenus feroces Evangelii facilitate ambo mitigarent.

MUNDI 4773. CHRISTI 720.

*Hau- tolli-*

Leo Imper. Copronymum filium per ſanctum Germanum Auguſtum coronandum curavit; quando & nuncius allatus eſt de morte Haumari,

ri, quâ pax eſt Eccleſiis reſtituta, quas turbare cœperat, non diù toleratus in Chriſtum inſurgere.

Carolus Martellus, ſuſcepto contra Childericum & Raginfridum ejus Majorem domus bello, illi oppoſuit Clotarium quartum ex ſanguine regio, aut filium Theodorici III. aut Childeberti II. fratrem Dagoberti II. aut patrea ejuſdem Dagoberti. Raginfridus Eudonem Aquitaniæ in auxilium ſuum evocat; ſed hic quoque ut & Raginfridus à Martello ſuperati ſunt. Tandem ambo abiere reges; Childericus, quem ſecum Eudo cum ſuis theſauris in Aquitaniam abduxerat: extinctus quoque Clotarius; itaque Martellus ei ſubſtituit Theodoricum IV. Regem Francorum XX. dictus eſt ille Calenſis *de Chelles*, quod in hac monaſterio vixiſſet monachus, Filius Dagoberti II. & eo quaſi larvâ uſus Martellus, Raginfridum Andegavi captum, aut occidit, aut ſic excepit, ut ſibi deinceps nocere non poſſet, aut vellet.

---

## CAP. III.

## *Decas Tertia.*

### *Ab anno Chriſti* 720. *ad* 730.

MUNDI 4774. CHRISTI. 721.

IN Oriente Impoſtor quidam Judæos ſeduxit, quaſi is Meſſias eſſet; & tam ſæpe deluſi iſti Sabbatharii, avorum ſuorum exemplo ſapere nequaquam didicerunt.

MUNDI 4775. CHRISTI. 722.

Leo Imperator exagitat Judæos, ac Montanos; (videntur hi fuiſſe Manichæi extorres, & in montibus degentes) & illi quidem finxere ſe Chriſtianos, ſacris aquis non tameluti, quàm fœdati, hi in domibus ſuis cremaverunt ſeſe, & ſuis ignibus Stygiis præludere maluerunt.

In Occidente à ſanctis Bonifacio, & Clemente Chriſti fides egregiè promota eſt; his hominibus concredita, quos Dei Spiritus atque Apoſtolicus impleviſſet.

MUNDI 4776. CHRISTI. 723.

Bonifacius hoc anno à Gregorio Secundo Papâ creatus eſt Epiſcopus; quæ dignitas in eo labores auxit atque vigilantiam.

Dum cutem curatur Occidentalis Eccleſia, in Orientali jacta eſt ſementis hæreſis Iconoclaſtarum. Judæus enim quidam Laodicænus, & Phœnix Sarantapicus ſeu Sarantapechis, Gizido Haumari ſucceſſori, regni ſui annos 30. aut, ut alii volunt, 40. pollicitus eſt. Itaque Saracenus miſit Iudæos, & Arabas, qui ditionis ſuæ omnes imagines frangerent, aut lacerarent, & picturas eluerent, aut relinerent. En quibus parentibus noſtri Calviniani gloriari poſſint.

MUNDI 4777. CHRISTI 724.

Promovebatur gnaviter per Germaniam Eccleſia à S. Bonifacio; cùm Oriens à Saracenis, imaginum everſoribus, turbabatur. Verùm is turbo ſtatim concidit; qui enim à Sarantapico Gizidus longiorem vitam expectarat, intra ſeſquiannum mortuus eſt; quare filius ejus Vlidus & ſucceſſor, impoſtorem Judæum quaſi interfectorem turpiſſimâ affecit morte, atque imaginibus indictum bellum abrupit, per veteratorem Hebræum malitioſiùs exterminatis. *Gizidus moritur.*

MUNDI 4778. CRHISTI. 725.

Luitprandus, Rex Longobardorum, hoc anno S. Auguſtini corpus ex Sardiniâ tranſtulit Ticinum ſeu Papiam, magno pretio, à Saracenis hujus inſulæ poſſeſſoribus, redemptum; contigit hoc pridie Kal. Martias, atque in Eccleſiâ quotannis facti hujus memoria religioſè celebratur. *S. Auguſtini Lipſana.*

Eudo Dux Aquitaniæ, à Carolo Martello malè mulctatus cum ſuis Aquitanis, in ejus perniciem Saracenos invitavit; infelix qui eis per ſuam ditionem dederit tranſitum, quem ſibi magno ſtetiſſe vidit. Omnia enim loca ſacra prophanaque flammis incendêre, atque inter cæteras Baſilicas in quas potiſſimùm furebant, S. Hilarii Pictavienſe templum. Parabant eandem perniciem Baſilicæ S. Martini Turonenſis, ſed hanc Carolus Martellus inhibuit; cui & favit Eudo ad ultionem Saracenorum paratiſſimus, quòd ditionem ejus ferro flammiſque perdidiſſent. Venit ergo Abderamus, cum quadringentis hominum millibus in illam planitiem Turonenſem, ubi ædicula S. Martini de Bello, vulgò corrupta *S. Martin le Bel*, & in eâ pedites ſuos & equitatum extendit: diſpoſuit & ſuorum ſexaginta millia peditum, & duodecim equitum Martellus, nihil omittens militaris artis, ſed longè Deo magis, ſanctoque Martino, quàm ſuis copiis ſubnixus. Utrimque acerrimè concurritur, Francis pro Religione, ac ſuis ſocis, Arabibus pro tanto Regno, ſuoque Mahumeto depugnantibus. Utriſque coſtinatiſſimè certantibus, Eudo cum ſuis Aquitanis Saracenorum invadit caſtra, ubi omnia cæde ac flammis complet; Ille in alios pugnantes irruens, eos à tergo aggreditur, dum Franci à fronte premerent. Fortiſſimis quibuſque cæſis, cæteri ſe dant in effuſiſſimam fugam, in quâ, ut in campo, trecenta quinquaginta, aut (ut volunt alii) ſeptuaginta millia deſiderati ſunt, cùm ex Francis tantùm mille, & quingenti occubuiſſent. Inter cæteros Abderamus cecidit; Franci etiam aliquot nobiles, ſanguine ſuo pænè martyres, hanc Eccleſiæ peperere victoriam; Carolus inde nomen *Martelli* retulit, quòd quaſi malleo (martellum Franci vocant) Saracenos contudiſſet. Sic proditionem ſuam emendavit Eudo; à quâ Vaſcones eum vindicare volunt; in ſuis ſcriptis, ſicut & colloquiis, gentis ſuæ, ferè ſemper quàm veritatis amantiores. *Carolus Martellus Saracenos ad Turonas profligat.*

MUNDI

MUNDI 4779. CHRISTI 726.

*Edictum Leonis de abolendis imaginibus.* Leonis Imperatoris anno decimo ferale edictum exiit de imaginibus ubique abolendis; quò impulsus est miser artibus Judæorum impostorum; qui ei polliciti Imperium, extorserant quoque ut eorum causâ faceret quod maximè postularent. Usus autem est operâ præcipuè Theophili cujusdam Episcopi Nacoliæ, in Phrygiâ, quem fatalem Cæsaris administrum in hâc hæresi disseminandâ Patres Septimæ Synodi clamant, sicut & Beserem turpem Apostatam, de Christiano factum Saracenum.

*Leonis artes.* Neque tamen primùm disjectæ statuæ; sed sublatæ tantùm, ut sublimiùs eveherentur, sicque obviis quorumlibet osculis non paterent, ad ignominiam; Restitit fortiter Imperatori S. Germanus, sicut & Leo eundem ad opinionem suam pertrahere conatus est, utrimque irrito conatu, quia uterque aut nimis bonus, aut nimis malus videbatur.

*Obsistit Leoni populus.* Obstitit primùm huic edicto populus: quare qui æneam Christi imaginem ex magnâ portâ tollebant, ab eo cæsi sunt; sed in eum sævitum mutilatione membrorum, verberibus, exilio, bonorum jacturâ. Bibliothecarii quoque dicti, quia fortiter obstiterunt Leoni, & exusti sunt cùm Bibliothecâ trecentorum millium voluminum; inter quæ intestinum visebatur Draconis, Iliadem & Odysseam Homeri literulis aureis descriptas continens. Cùm autem agnovissent Legati variorum Principum, Leonem sævisse in sacram Christi imaginem, ejus quoque imaginem, probris omnibus, ac contumeliis affecere; quoniam aliter non poterant ulcisci factum summo omnium Principi mortalium injuriam.

*Gregorii in Leonem virtus.* Gregorius quoque Pontifex obstitit fortiter Imperatori; ejus tamen Imperium generosiùs defendit; & Ravennam per Luitprandum captam ei reddendam curavit per Venetos, & Italiæ armatos populos, ejus potissimùm adhortationibus; quibus tamen beneficiis malè respondit Leo, Legatis ejus missis in exilium, (ubi & coëgit eos mori) & Pontifici non semel procuratâ nece. Quare hic confugit ad Carolum Martellum, & Francos; quorum fretus favore à Leone omissus est.

*Insula è mari enata.* Tum in Jonio mari inter Theram & Therasiam erupit ignis è mari, quem secuta ingens vis pumicum, & tanta, ut totam Ægæi maris faciem impleret; ac denique indidem emersit insula ex terræ congerie facta, quæ Sacræ insulæ tandem copulata est. Qui maris locus semper insulis fœcundus in historiis legitur.

MUNDI 4780. CHRISTI 727.

Navalis exercitus in impium Leonem insurrexit, & Constantinopolin appulit; sed victa classis, atque cremata, Duces capite luerunt. Feliciùs cum Imperatore, ut & sanctiùs, suscepere certamen SS. Germanus & Damascenus, tum scribere pro imaginibus adorsi. Hic est Damascenus cognomento Chrysorhoas, qui post obitum parentis à Principe Saraceno invitus consilii factus Princeps, non huic tantùm, sed & toti Ecclesiæ optimè consuluit.

MUNDI 4781. CHRISTI 728.

*Da... ma... ra...* Leo Imperator Ioannem Damascenum perdere conatur; nactusque ejus manu scriptam epistolam, ita per notarios peritos imitandam curat, ut proditoria epistola ejus manu scripta videretur. Hanc mittit Leo ad Principem Saracenum, qui sancto jussit truncari manum; at hæc illi à B. Virgine die sequenti reddita est. Quare eum pristinæ restituere dignitati Saracenus voluit; quod recusavit Ioannes; sed bonis suis omnibus effusis in pauperes, Hierosolymam primò, deinde in Laurum S. Sabbæ processit, ut hic sibi redditam manum atque vitam sanctiùs Deo consecraret.

*S. ...m...* Mortuus est eodem anno S. Hubertus Leodiensis antistes; cujus corpus mox inventum integrum, ac sudore perfusum, ejus animi integritatem arguit, & labores in traducendis ad Christum accolis Sylvæ Arduenæ, Brabantiæ, atque Torandriæ toleratos.

MUNDI 4782. CHRISTI 729.

Eutychius Exarchus, cum Luitprando Longobardo pace initâ, Romam capere, Gregorium tollere conatus est. Ambo itaque cum suis copiis ad Urbem accessere: sed obviam occurrens Gregorius ita Longobardum flexit, ut ad ejus accideret pedes, ac coronam suam & arma S. Petro consecraret, Paceque publice conciliatâ idem Gregorius suis copiis Exarchum juvit ad tollendum Tyrannum Tiberium quemdam Perasium, in Tusciæ partibus insurgentem; ostendens se haud Imperatori velle, sed ejus erroribus.

Signatum in cœlo visa, adventûs Saracenorum in Galliam Narbonensem prænuncia, qui innumerabili coacto exercitu, eam tum vastare cœperunt, spirantes ultionem de suis ad Turonas cæsis, ipsi mox eandem aleam subituri.

MUNDI 4783. CHRISTI. 730.

Leo S. Germanum Episc. Constantinopolitanum frustra tentatum amicè, deinde crudeliter alapis cæsum, atque depositum ignominiosè mittit in exilium 7. Id. Ian.; & Kal. Febr. ei substituit Anastasium hæreticum Iconoclastam; hunc repulit Gregorius, ut & damnavit Imperatorem, cujus ab obedientiâ Italos populos absolvit, & tributa solvere vetuit, ne iis adversùs Ecclesiam ac Deum uteretur. Mortuus est porrò in exilio S. Germanus nonagenarius 4. Idus Maji, vitâ atque senectute feliciter Dei causâ atque Ecclesiæ depositis, ideoque in Martyrum relatus album, quos *non facit pœna, sed causa.*

CA-

## CAP. IV.

## *Decas Quarta.*

### *Ab anno Christi* 730. *ad* 740.

MUNDI 4784. CHRISTI. 731.

TErtio Id. Febr. obiit Gregorius II. cùm Petri sedem tenuisset annis 16. mensibus 8. diebus 20. Sanctorum adscriptus numero, Cùmque vacasset sedes tantùm dies 5. electus est Gregorius III. 14. Kal. Martii, natione Syrus; vir pius, eruditus, & fortis (inquit Anastasius) cùm tamen ejus eruditionem in eo positam esse putet, quòd memoriter Psalmos omnes teneret; signum certissimum ignari sæculi, & à doctrinâ longè sejuncti.

Obiit hoc tempore Beda monachus & Presbyter Anglus, anno saltem ætatis suæ ex ejus scriptis centesimo quinto: Cur autem dictus sit *Venerabilis*, non est facilè dicere, cùm de hâc voce multa etiam fabulosa dicantur, ut de Angelo hoc ei concedente nomen, aut piscibus vel saxis ad quæ cæcus, ut rideretur, concionatus erat: hoc certum, *Venerabilis* nomen ab Antiquis & fermè huic υγχρόνοις non esse datum, sed *Sanctum Presbyterum*, aut *doctorem eximium*, aut *Dominum Bedam* appellatum esse; quibus edisces quanto in pretio apud omnes extiterit.

Carolus Martellus pergit in Saracenos, qui duce Aucupâ, proditore Mauritio Comite Massiliensi, Avenionem interceperant; unde populationibus totam regionem vastabat: adfuit Carolus, urbemque tam graviter verberavit tormentis, ut vi eam subierit, omnesque ejus propugnatores Arabas ceciderit; quæ oppugnatio ad alias victorias mox viam stravit viro qui rectè noverat uti victoriâ.

MUNDI 4785. CHRISTI. 732.

Constantinus Copronymus Irenem filiam Chajani Lazorum Regis ducit uxorem, fœminam egregiè Catholicam, quæ & marito, & socero pro imaginibus constanter obstitit. Leo autem ingentem paravit in Italos & Romanos classem, quæ in Hadriano mari naufragio periit. Hic & Gregorium Apocrisarium Pontificis primò detentum in Sicilia, deinde in exilium amandatum, denique ignominiosè remisit Romam. Sed Pontifex, ex Concilio anathemate perculit Iconoclastas, & majori honore Romæ honoratæ sunt imagines, atque sanctorum reliquiæ, Gregorius Deo fretus Imperatoris omnes minas & conatus elusit.

MUNDI 4786. CHRISTI. 733.

Leo Imperator legatos à Pontifice missos in carcerem spoliatos detrudit, ac post 8. menses cum dedecore ejicit. Multos Episcopos sibi parere recusantes mittit in exilium; ubi mortui, Sanctorum honores in Ecclesia meruerunt.

Martellus Anthimum Saracenorum Regem Narbonæ cum suis obsidet. Vulgatâ hujus obsidionis famâ infinitos propemodum Saracenos ex Hispania excivit, ut suis suppetias ferrent, duce Amorraâ. Sed iis occurrens Carolus, Amorram occidit, & has copias tantâ internecione delevit, ut nullus cladis tantæ nuncius superesset. Sic Saraceni Nemausum, Biterras, Agatham, Magalonem relinquere sunt coacti, aliasque urbes flammis incensas, quod Arabibus sese faciliùs submisissent Mauritius Massiliæ Comes, qui Barbaros evocarat, ex metu fugit, & vitam suam rupibus inaccessis debuit, ipsi manu tortoris eripiendam. *Marsellus ad Narbonam Saracenos deiet.*

MUNDI 4787. CHRISTI. 734.

Saraceni, ut Paulus Diaconus refert, tertiò Gallias subierunt, atque Arelatem vi ceperunt. Petiit auxilium Carolus à Luitprando, qui mox cum suis Longobardis adfuit. At Saraceni veriti horum simul, & Francorum potentiam, statim recesserunt; tumque plus ostentasse bellum, quàm gessisse profuit. *Saraceni à Francis & Longobardis repulsi.*

MUNDI 4788. CHRISTI. 735.

Leo hoc quoque anno in Catholicos sævit, sicut & consequentibus, multis imperans exilium ut productiori supplicio conficerentur. Nonnullis etiam oblivit pice barbam atque incendit, per Urbem circumductis; quorum postea cadavera canibus objecit, eorumque cædibus martyrum numerum auxit, ipse in dies magis efferatus. *Leo sævire pergit.*

MUNDI 4789. CHRISTI. 736.

Neque tantùm ob religionem Leo, sed & propter justitiam sævit. Tum enim Georgium Patricium perdidit, virum amantissimum æquitatis, quòd mulierculas quasdam perperam accusatas quasi Strygas, dimisisset innoxias. Credebantur hæc subire domos spirituum more, infantes cædere, & alia ejusdemmodi præstare, quæ infantibus à nutriculis occini solent, ut eos habeant obsequentiores; quæ quia sapienter irriserat Georgius, malè ab insano Imperatore periit. *Georgium Patricium Leo tollit.*

MUNDI 4790. CHRISTI. 737.

Ceoluulphus Rex Northumbrorum Anglorum, cui Beda suam inscripsit Historiam, regnum suum filio Eadberto reliquit, ut monachus fieret: quod multis Angliæ Regibus contigisse Ecclesiastica loquitur Historia. Hîc ergo nulli meliores extitêre reges, nulli deteriores. *Reges Angliæ pii.*

MUNDI 4791. CHRISTI. 738.

Ad hunc usq; annum nonnulli Saraceni in Galliâ Narbonensi hæserant; ex qua tandem eos omnino Martellus expulit, non magno tantùm Galliarum, sed & Hispaniarum comodo. Multis enim *Saraceni omnino ejecti è Gallia.*

enim cladibus attriti Arabes armis Francorum, ad lacessendos Christianos in Hispaniâ fuerunt imparatiores, immo proniores ad accipiendum damnum. Hoc enim anno, Pelagio & filio ejus Favilâ mortuis successit Alphonsus illius gener, qui non modò fortiter defendit, sed & propagavit Imperium; ex genere Reccaredi, & ut hic dictus Catholicus: quod nomen posteriores Hispaniæ reges, quasi inter mortuum, excitarunt, atque eo se factis dignissimos ostenderunt.

*Iidem Victi in Hispania.*

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4792. | 739. |

*Luitprandus Romam obsidet.*

Trasamundus dux Spoletanus, Longobardorum excusso jugo, pressus à Luitprando Romam fugere compulsus est. Eum cùm reddere noluissent Gregorius Tertius & Stephanus Dux, obsessa à Luitprando Roma: quando Basilica S. Petri in Vaticano extra Urbem spoliata est. Confugit ad Martellum Gregorius, à quo tamen adjutus non est, ne ille ingratus videretur. Sed obsidionem solvere coactus est Luitprandus, captis tamen aliquot urbibus Ducatus Romani: Trasamundus autem cum Romano exercitu Spoletum recepit, factus prope par Regi hactenus invicto, ex quo hic cœperat esse irreligiosus.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4793. | 740. |

*Gregorius Secundus mittit ad Martellum claves S. Petri.*

Gregorius videns sibi iterum cum grandi exercitu imminere Luitprandum, ad Carolum Martellum honorificam legationem mittit, cum clavibus S. Petri, & litteris in quibus eum *Christianissimum* filium appellat. Sed his permotus non est Carolus, seu eum gratus in Luitprandum animus, seu ditio sua Saracenicis bellis defessa impediêre; quos obices pietas Francica perrumpere debuerat.

*Denarius S. Petri in Anglia.*

Hoc anno inter Orientales Saxonas Rex Ina & Regina Edilburga regnum dimittentes, ut se manciparent cœnobiis, singulas domos regni sui S. Petro Denarium argenteum quotannis pendere statuerunt: quod tantùm persolvi desiit, ubi hæresis pissimum regnum subiit, & hic religionem omnem, cum hoc tributo infeliciter extinxit.

*Terræ motus Constantinopoli.*

In Leonem Catholicos exagitantem Deus ipse sævit, ejus ditione terræ motu concussâ, quo multæ urbes concidêre, multæ etiam Constantinopoli Basilicæ, atque Palatia: quando eo quoque motu Constantini & Theodosii imagines cecidêre. Neque enim æquum erat Imperatorum quantumvis illustrium statuas consistere, ubi Christi atque sanctorum furiosè fuerant exterminatæ.



CAP. V.

## *Decas Quinta.*

### *Ab anno Christi* 740. *ad* 750.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4794. | 741. |

Celebris est hic annus impiâ morte impii Leonis Isauri, cùm regnasset annos 24. menses duos, & dies 20. Successit statim ei, qui cum patre annos viginti duos inchoatos imperarat, filius Constantinus; cognomento Copronymus, moribus adhuc quàm nomine turpior, & magis infamis.

Copronymus profectus est adversus Saracenos, tollere cogitans Artavasdum hominem Catholicum, maritum Annæ sororis suæ, filiæ Leonis, cujus & filiis machinabatur mortem. Quare Imperatoris prævenire furorem hic decrevit; quem ille insecutus, fugere coëgit in Armeniam. Artavasdus rediens in Constantinopolin, fingensque Constantinum esse mortuum, Imperator acclamatus est, maximè operâ Theodori Patricii, Urbis præfecti. Anastasius quoque Patriarcha vulgavit secretum Constantini, quod scilicet Christus purus esset homo, & genitus ex S. Virgine, ut ipse ex matre; quibus permota plebs Constantinopolitana, eum probris omnibus incessit, atque Imperio indignum judicavit, qui Christo in omnes homines regnum eripuisset.

Obiit etiam hoc anno Gregorius Tertius 4. Kal. Dec. cùm sedisset annis decem, mensibus novem, diebus duodecim. Ejus loco post dies 8. creatus est Zacharias, natione Græcus, vir mitissimus, atque pientissimus. Hic videns Urbem tantùm non obsessam à Luitprando, ad eum legationem misit, sicque eum demulsit ut redderet postea urbes Ducatui Romano ereptas. Sed ne mali, ejus indulgentiâ & facilitate abuterentur, conjunctis copiis suis cum Luitprandi exercitu, Trasamundum Ducem Spoletanum eidem Regi se dedere compulit, ingratum in sanctam Sedem, ac proinde ita demittendum, ut neutri amplius posset incommodare.

Eodem quoque anno mortuus est Carolus Martellus, Julio Cæsari par, & forte major, laudatus à sanctis viris atque Pontificibus; neque enim attendenda revelatio, quæ dicitur facta esse S. Eucherio Episcopo Aurelianensi de Caroli damnatione, quod aliqua bona rapuisset Ecclesiis, bello forte Saracenico; quamquam enim magnos adstipulatores habeat, atque etiam Præsules simul coactos, falsa tamen esse convincitur, quòd hic Sanctus ante obierit, quàm Martellus moreretur. Quapropter hujusmodi imaginibus nocturnis plerumque tantumdem adhibendum est fidei, quantùm dandum est piis hominibus, qui revelationes illas ex suis plerumque rebus ac commodis metiuntur. Hinc successere filii duo Carolomanus in Regna Austrasiæ & Thuringiæ, ac Pipinus, Major domus, in

in regnum Franciæ; hic postea potitus totâ hæreditate Patris; ille major spreto Imperio, quàm administrato.

MUNDI 4795. CHRISTI. 742.

Artavaldus Imperator Nicephorum filium suum creat Augustum; mox adversùs Copronymum in Armeniam proficiscitur; sed magnâ clade acceptâ in Urbem rediit. Postea contractis novis copiis, filium suum Nicetam natu minorem præfecit, qui nihilo meliùs quàm pater in Constantinum pugnavit. Quo tempore, & cœlum visum est ferreum, nullo emisso imbre, & tanti terræ motus extiterunt, ut quibusdam in locis montes æquati campis; castra quoque nonnulla sic terræ hiatibus vorata sunt, ut eorum nulla extarent vestigia; quibus ostentis Deus majora mala denunciabat.

MUNDI 4796. CHRISTI. 743.

Copronymus valido comparato exercitu Constantinopolin venit, eamque obsedit; Artavaldi copias secum congredi ausas delevit. Exinde penuriâ oppressam recepit Urbem, quam militi diripiendam objecit. Tum capti Artavaldus ejusque filii, excæcati sunt, cum plerisque eorum amicis, qui mox in Equestribus ludis per Hippodromum traducti sunt, cum Anastasio Patriarchâ, quem publicè cæsum, & Asino vectum, versâ ad caudam facie, populo ridendum proposuit: posteà tamen eum restituit sedi, quia eo reperire non poterat nequiorem.

Luitprandus Exarchatum Ravennæ sibi parat armis vindicare. Itaque Zacharias precibus Joan. Episc. Ravennatis, & Eutychii Exarchi, relicto in Urbe Stephano duce, pergit Ticinum ad Luitprandum, ubi magnificè receptus est, eumque ad omittendam Ravennam ægrè impulit; quod cùm accepisset Copronymus, prædia quædam Juris Imperii Romanæ Ecclesiæ donavit; quem ideò Zacharias ad sanam mentem reducere tentavit: sed faciliùs erat ei agros extorquere, quàm hæresim, impio animo penitiùs insidentem.

MUNDI 4797. CHRISTI. 744.

Mortuus est hoc anno Luitprandus Rex Longobardorũ, cùm supra 30. annos regnasset; vir ex vitiis virtutibusq; concretus, quæ in eo semper eminebant. Successit ei nepos Hildebrandus, inhumanus & asper; ideò à suis exautoratus, post menses septem, ut huic Rachis dux Forojuliensis sufficeretur, vir humanissimus, atque fortissimus: qui statim, rogante Zachariâ Papâ, annos 20. pacis dedit Italiæ: quo munere ab optimo Principe; nullum majus concedi potuit, magisque necessarium.

MUNDI 4798. CHRISTI. 745.

S. Bonifacius, adnitentibus Principibus Pipino & Carolomano, creatus est Archiepiscopus Moguntinus, in locum Gervilionis, dediti avibus, & canibus, ac hominis qui patrem suum Præsulem quoque Moguntinum, in bello ceciderat; tumque impetratum à Zachariâ, ut Moguntina sedes totius Germaniæ Metropolis esset; non quòd id ea civitas, sed magis qui ei præerat sanctitas exegerat.

MUNDI 4799. CHRISTI. 746.

*Pestis Bubonis dicta.* Pestis, dicta Bubonis, hoc anno orta ex Calabria & Sicilia, Constantinopolin tam graviter afflixit, ut jam cadaveribus deesset humus. Qui eâ feriebantur, videbant in suis vestibus impressas manu invisibili parvas cruces, & horrendis phantasmatis terrebantur. Sed his permotus non est blasphemus Copronymus; potentius ad eum atterendum fulmen exigebatur.

*Rachis emendat leges Longobard.* Rachis hoc anno leges Longobardorum emendatas & auctas promulgavit; non tantùm fortiter, sed & sapienter regnum auspicatus.

MUNDI 4800. CHRISTI. 747.

*Carolomanus fit Monachus.* Carolomanus, filius primogenitus Caroli Martelli, reliquit Principatum suum fratri Pipino, suadente S. Bonifacio; ac Romam se contulit, ubi in monte Soracte construxit Monasterium, ut in eo religiosè viveret; sed interpellatus à Francis peregrinis, ignotus cum socio venit Cassinum, ubi factus monachus pavit greges, & vilibus ministeriis coquinæ addictus, detectus est tandem à socio rapiendo ad verbera, quòd coquum, à quo vapularat Carolomanus, graviter percussisset: demissione eò majore quòd in talem virum cecidisset.

MUNDI 4801. CHRISTI. 748.

*De Antipodibus.* Error hoc anno impositus est Virgilio sanctissimo Presbytero, quasi admitteret alium mundum, terram aliam, Solem atque Lunam: unde nugantur aliqui scioli quasi Zacharias damnarit eos qui Antipodas admitterent; sed & concidit Virgilii postea Episcopi accusatio, & Zacharias apud viros eruditos ab hac labe prorsùs immunis habitus est.

*Cassinum exemptũ.* Idem Pontifex hoc anno Cassinense Monasterium exemit ab omni Episcoporum potestate; voluitque à solo pendere Pontifice, quod postea tot Pontifices daturum erat Ecclesiæ.

MUNDI 4802. CHRISTI. 749.

*Prodigia in Syria.* Multa portenta hoc anno in Syria contigerunt, terræ motus horrendi, quibus urbes haustæ, aut translatæ ad sex & ampliùs milliaria; disrupta in Mesopotamiâ terra, unde alia terra candida egesta est, erupitque animal mulo simile, sed humanâ loquens voce, & eversionem gentis Arabibus præcinens; quibus Imperator nequicquam à criminibus avocabatur.

*Pipini de Vestphalis victoria.* Pipinus, voto accepto in honorem S. Suniberti Verdensis Episcopi, victoriam de Vestphalis paganis nobilem retulit, sanctique viri sepulchrum discalceatus, cum suis proceribus, invisit; ei se submittens, qui sibi miraculo hostem subdidisset.

MUNDI 4803. CHRISTI. 750.

*Rachisi facto monacho succedit Aistulphus,*

Rachis Longobardorum Rex, Principatus sui anno sesquiquinto, Pentapolitanam invadit Provinciam, & Perusiam obsidet. Ad eum profectus Zacharias, non tantùm à cœptis dimovit, sed monitionibus suis ita profecit, ut is fieret monachus in Cassianensi cœnobio, Filiâ Rattrudâ & uxore Thesiâ vicino Monasterio à se condito inclusis; ubi mirabili sanctitate illustres, melius regnum consequi post aliquot annos meruerunt. Successit Rachisi frater Aistulphus, consentientibus Principibus Longobardis, in eo fratris virtutes expectantibus.

---

## CAP. VI.

### *Decas Sexta.*

*Ab anno Christi 750. ad 760.*

MUNDI 4804. CHRISTI. 751.

PRæerat tum Franciæ Childericus Tertius, inter inertes familiæ Merovingianæ Reges inertissimus: & præerat, seu potiùs subditus erat Pipino Domus Francicæ Majori, viro prudenti, atque forti, & cui nihil deerat præter regium nomen. Hoc etiam ut consequeretur, Childerici stupiditas effecit. Celebratis igitur comitiis regni, omnes è re Francicâ judicarunt Childericum exautorari, Pipinum creari Regem; sed tumultus timebatur, ab iis maximè, qui fidem Regi datam obtendebant. Juramentum fidei datum legitimo Regi obex unus erat, qui rem visam salutarem, & ab omnibus expetitam, moraretur. Visum est ergo perhonorificam legationem ad Zachariam Pontificem mittere, qui Francos absolveret à præstito Principi suo fidei Sacramento, quâ perfuncti sunt Burchardus Episcopus Herbipolitanus, & Wolcadus seu Eulcadus Abbas S. Dionysii, Pipini summus Capellanus, ut negotium conficerent. Zacharias, qui Pipino & Francis adversus Longobardos indigebat, assensus est populi Francici precibus, & votis, deditque quod rogabatur quantùm poterat, & quantum potentes indigerent. Ita sublato conscientiæ, Deique metu, factum est quod mirabatur sequens ætas, sine crimine perduellionis nunquam imitabitur.

*Zacharias Francos eximit à Sacramento fidei dato Regi suo.*

MUNDI 4805. CHRISTI. 752.

*Childericus III. exautoratur; Pipinus Rex creatur.*

Itaque Suessionibus à sancto Bonifacio Moguntino Episcopo inunctus est Rex Francorum, Clero, Nobilitate, ac populo assentientibus, Pipinus; Childericus comam, cui pectendæ tantùm vacabat, cum Regno perdidit, detrusus in monasterium aut Suessionense, aut Luxoviense: inde in Hemiran ad Ratisponam translatus, ut hîc ejus inertia, Pipini ambitus laterent. Monialis quoque facta Gesilea ejus uxor; familia Merovingiana, jam potita Franciæ Sceptro, à Rege Pharamundo, trecentis triginta & ampliùs annis, concidit, exemplo metuendo, & nunquam à Principibus satis vitato, ne unquam per alios regnum administrent, neque viris, quantumvis sagacibus, & magnis, ejus curam resque difficiles committant, dum ipsi voluptatibus indulgent; cùm hæc duo, administratio Regni, & regia vita atque pompa, nonnisi ægerrimè, & semper periculosè divellantur.

*Steph... cedit ... char...*

Mortuus est hoc anno Zacharias Pontifex Idibus Martii, cùm sedisset annis x. mensibus tribus, ac diebus decem, in sanctorum numerum adscriptus, diu & solerter gesto Pontificatu; cujus opus est Gregorius in suis Dialogis Græcè loquens, ne tam sancto opere Oriens fraudaretur. Ei suffectus est post dies 12. 6. Kalend. Aprilis, Stephanus Secundus Presbyter, tertio sedis die elatus, dum rem familiarem curat repente alienatus à sensibus, cui statim substitutus Stephanus Tertius, ex Diacono Pontifex, patriâ Romanus; sic in pauperes affectus, ut verè inopum parens nominari potuerit, Pontificatum suum ab Xenodochiis instaurandis auspicatus.

*Ste... ope... cor... plo...*

Aistulphus Longobardorum Rex Ducatum Romanam vexabat, ejusq; occupabat urbes: Misit itaq; Stephanus ad eum cum muneribus Paulum Diaconum fratrem suum, cujus operâ ad annos 40. inter Longobardos & Romanos pax firmata est: verùm ea vix quatuor mensibus tenuit, neque Rex perjurus ullis Legationibus Pontificis, aut Imperatoris, potuit ab injuriâ prohiberi. Cùm ergo Imperator longiùs dissitus nihil aut parum posset, propinquiora fuere spectanda auxilia, quæ magno ejus commodo, & Ecclesiæ, nequaquam à Francis defuere.

MUNDI 4806. CHRISTI. 753.

*Ste... cip... Pip...*

Stephanus à Longobardis, tantùm non cum Româ oppressus, confugit ad Pipinum, ad quem, invito Aistulpho, & iter ejus modis omnibus abrumpere conante, per duos Episcopos deducitur. Susceptus est à Pipino Pontifex ut à Rege Christianissimo Ecclesiæ primogenito; huic enim Rex ipse cum uxore, ac liberis occurrit, ad ejus procubuit pedes, vices stratoris obiit; eò major, quò se magis coram Dei Vicario demittebat.

Mortuus est hoc anno turpis ille Anastasius Episcopus Constantinopolitanus, ex morbo qui Chordapsos dicitur, *Le Miserere ou Colique de Passion*, atque cum stercore per os animam eggessit sordibus omnibus turpiorem.

MUNDI 4807. CHRISTI. 754.

*An... sun... mo...*

Pipinus cum uxore ac liberis hoc anno per Stephanum in Abbatiâ S. Dionysii à Stephano Pontifice inunctus, & coronatus est; quare ab hoc anno in veteribus quibusdam Franciæ monimentis anni Principatus Pipini procedunt. Nec mora, Pipinus sollicitatum sæpe de pace

pace Aistulphum cum exercitu aggreditur, atque in ipso Alpium transitu fortiter devincit, fugatumque Ticini seu Papiæ obsidet. Stephanus tamen obtinuit à Pipino, ut pace cum eo factâ, exactoq; juramento de reddendo Exarchatu Ravennæ, & civitatibus Romani Ducatus, rediret cum exercitu in Gallias, sicque sanguini parceretur; cujus servandi, quàm dignitatis suæ atque vitæ, bonus Pontifex sollicitior erat.

Carolomannus ab Abbate suo Cassinate missus erat in Franciam, ut expeditionem Pipini in Italiam abrumperet, Aistulpho minitante excidium monasterii Cassinensis, nisi eam peregrinationem vir sanctus susciperet. Verùm is à fratre retentus est, & in monasterio Franciæ collocatus, ubi religiosè, ac sanctè expiravit; ejusque postea corpus loculo aureo inclusum Cassinum remisit Pipinus, ut eo loco conquiesceret, ubi sibi quietem æternam comparasset.

Constantinus Copronymus pseudosynodum Constantinopolim convocat. 338. suæ farinæ Episcoporum, in templum Beatæ Virginis ad Blachernas; ubi Ecclesiæ Constantinopolitanæ præsulem præfecit Constantinum Monachum, Silæi antea Episcopum, hominem impurissimum, atque eligenti simillimum. In hoc Concilio decretum imagines Idola esse; qui eas colerent, Idololatras; nemo Apostolos, Martyres, &c. vocaret Sanctos; denique hæc Synodus *Septima Oecumenica* diceretur. Verùm hæc statim à Stephano, & Patriarchis Alexandriæ, Antiochiæ, ac Hierosolymitano damnata est. Persecutio tamen gravis in Catholicos, & maximè monachos, exorta est Constantinopoli; disjectæ imagines omnes, & abolitæ; numquam acerbiùs in viros sanctos Deoque dicatos verbis factisque sævitum.

MUNDI 4808. CHRISTI. 755.

Aistulphus Romam, cum Stephano Pontifice, obsidet, omnemque Ducatum fœdissimè vastat. Scribit itaque litteras sancti Petri nomine ad Pipinum Pontifex, quibus petebat auxilium. Adfuit statim cum exercitu Pipinus, qui victum in faucibus Alpium Longobardum Papiæ iterum obsedit; nec ut pacem ei concederet adduci potuit; nisi Exarchatum Ravennæ, omnesque civitates Ducatus Romani priori fœdere contentas Romano Pontifici restituisset. Institere Legati Copronymi, ut hæc omnia redderentur Imperio; sed recusavit Pipinus, eaque malè ab Imperatore defensa, pejus ab Aistulpho occupata, diplomate suo sanctæ Ecclesiæ possidenda donavit, *Primus amplificandæ Ecclesiæ viam aperiens*, ut adhuc Ravennæ in Epigraphe legitur.

Sanctus Bonifacius Moguntinus Episcopus in Frisiâ, cum multis sanctis viris, per Barbaros Christi hostes trucidatur. Corpus ejus Trajectum Rheni, deinde Moguntiam, postremò in Fuldense monasterium, quod sepulturæ suæ locum delegerat, translatum est; ubi multis miraculis ostendit, mortem suam vitæ sanctissimæ respondisse.

MUNDI 4809. CHRISTI. 756.

In Oriente magni contigerunt terræ motus. Theodorus Patriarcha Antiochenus expulsus est ab Hali Saracenorum Principe, quasi res suas Imperatori per litteras proderet; quando ab eodem Arabe multi Christiani interfecti Martyribus annumerati sunt, quos tantùm Christi religio Tyranno fecerat odiosos. *Oriens turbatur.*

Obiit hoc anno in venatione divinitùs percussus Aistulphus; quo mortuo de regno duo disceptavere, Desiderius Dux Tusciæ, & Rachis monachus Aistulphi frater. Sed cùm Desiderius Stephano multa pollicitus esset, effecit authoritate suâ Pontifex, ut relicto exercitu Rachis monasterium repeteret, Desiderius Rex à Longobardis eligeretur. Hic ergo statim Ecclesiæ Faventiam, totumque Ducatum Ferrariensem restituit; felix, si inchoatâ perrexisset viâ; sed dum quæ donarat vi repetit, & extorquere parat, se atque regnum, Ananiæ ac Sapphiræ prope similis, perdidit. *Desiderius Rex Longobard.*

MUNDI 4810. CHRISTI. 757.

Stephanus sedis suæ anno 5. cum diebus 28. obiit, & post dies triginta duos locum fratri suo Paulo, Kal. Junii reliquit, multis laboribus pro sede Romanâ exanthlatis; quam divitem, sed nondum securam reliquit. *Paulo succedit Steph. III.*

Mortuus est quoque hoc anno Alfonsus seu Adelphonsus Galliciæ Rex, cognomento Catholicus, vir piissimus; cujus in obitu auditæ divinæ laudes, in eum jactas criminationes de severitate, de nece fraterna, meliùs quàm codices omnes refutarunt. *Alfonsi Catholici Regis mors.*

In Oriente vigebat persecutio, ab Imperatore simul & ab Principe Saracenorum Habdallâ. Hic gravibus tributis Christianos, etiam Monachos & Eremitas, oppressit; spoliavit Ecclesias; cruces abstulit, omnia ornamenta Judæis vendidit; eos etiam Vigilias sacras celebrare vetuit, & litteras ediscere, ut rudes & illiteratos faciliùs ad Mahumetis sectam pertraheret. *Oriens valdè afflictus.*

MUNDI 4811. CHRISTI. 758.

Monachi ex Græcia fugientes, linguâ suâ Romæ hymnos canere permissi sunt: in Occidente Reges Northumbrorum duo, pater & filius, se monasterio piè, & majores imitati suos, incluserunt: Habdallas Saracenus in Perside Magorum sectam extinxit: cùm ex iis quidam, suadente dæmone, volare præsumpsissent nudi ex eminentibus locis, unde ruerunt præcipites, confractis corporibus: irridendi sanè, nisi miseri nimium extitissent. *Magi in Perside extincti.*

MUNDI 4812. CHRISTI. 759.

S. Othmarus, Abbas S. Galli, quòd Alemannicas res administrantes duos accusasset apud Pipinum sacrilegii, ab iis vicissim insimulatus luxuriæ, expulsus est ignominiosè licèt unus ex accusatoribus à Deo punitus eum excusaret; tumque plus hominum, quàm Dei sententia valuit. *S. Othmarus Abbas S. Galli.*

MUNDI

MUNDI 4813. CHRISTI. 760.

*Pipinus fit damno suo sapientior.* Pipinus hoc anno Waiphrarium, Aquitaniæ Ducem Sacrilegum, sacro appetiit bello, & victum bona Ecclesiæ restituere compulit; quod cùm facere tergiversaretur, anno insequenti iterum victus est; ac tandem post annos quinque semper rebellis, ab eodem cæsus & vitam & ditionem suam perdidit; Pipinus totam Aquitaniam pietatis suæ præmium Francico regno adjunxit. Sic factus est ex admonitione & verberibus sancti Rhemigii Rex Pipinus sapientior, ob villam Lugdunensis Diœcesis, quam sibi parabat retinere: correptus enim à sancto Episcopo gravibus verbis, ac flagellis, & ipse sapuit, & per vim & arma alios sapere compulit.

---

## CAP. VII.

## *Decas Septima.*

### *Ab anno Christi 760. ad 770.*

MUNDI 4814. CHRISTI. 761.

*S. Andreas in Chrysi.* Celebris est hic annus martyrio sancti Andreæ Calibytæ, qui & à loco sepulturæ dictus est S. Andreas in Chrysi: Is nullis tormentis adigi potuit, ut cessaret objurgare Imperatorem; eique tandem vita potuit eripi, non constantia atque fortitudo.

*S. Vincentii reliquia.* In Hispania, à Saracenis excisâ Valentiâ, Christiani S. Vincentii reliquias ad ultimum Lusitaniæ promontorium deportarunt; quod Sacrum ab antiquis nuncupatum, hujus sancti deinceps nomine meliùs consecratum est.

*Egebertus Albini Flacci Magister.* Obiit hoc anno in Anglia Egebertus Archiepiscopus Eboracensis, non minus eruditus, quàm sanctus Magister Albini seu Alcuini Flacci; atque ab eo multùm, & non satis laudatus.

MUNDI 4815. CHRISTI. 762.

*S. Steph. Auxentianus.* Copronymus hoc anno tentavit in suas partes pertrahere sanctum Stephanum, monachum in Auxentiano monte Bithyniæ, per Callistum Patricium; qui neque blanditiis, neque minis, neque atroci calumniâ se vinci passus est, miraculis in vita, & post mortem illustris; ac vivus & mortuus magnus Iconoclastarum impugnator.

MUNDI 4816 CHRISTI. 763.

Profectus ad bellum Bulgaricum Constantinus, id feliciter conficit, ac triumphans Constantinopolin rediit. Tum victimâ illustri litaturus dæmoni sanctum Stephanum aggreditur, accusatum turpis consuetudinis cum Anna sanctissimâ fœminâ, corruptis monacho Stephani & Annæ Ancillâ. Et hanc quidem nihil confessam in tormentis enecavit; sed eam miraculo Deus absolvit. Cùm enim accusatrix viro diviti, in præmium suæ proditionis, nupsisset, ac gemellos peperisset, sub noctem mediam furore turbati infantes matris arripuere mammas, & crudeliter exedêre, atque ubi quærebant vitam, mortem intulere matri, Viperæ in ipsis morsibus immorientes. *S. Steph. exagitat, & expellit Copronymus.* Deinde conversus est Imperator in Stephanum; ad quem immisit quemdam perfidiosum, qui in ejus Auxentiano Monasterio recipi multis precibus flagitaret; (veuerat autem quempiam monachum fieri) & vero tandem receptus est: ideo disturbatum monasterium cum templo, relegatus Stephanus in insulam Proconnesum, ubi in columelâ excitavit ædiculam quâ se conclusit; ut cœlo propior, in cœlum cutas omnes suas, & cogitationes converteret.

*Turcæ populantur Orientem.* Armeniam hoc anno invasere Turcæ, & sequenti quoque anno populationes in eandem regionem extendêre; ingressi per Caspias portas; in Saracenorum postea translati nomen, quos & armis, & improbitate superavere.

*Frigus glaciens.* In Thracia à Kalend. Octobris ad mensem Februarium tantum frigus sæviit, ut Pontus centum millibus passuum conglaciarit ad triginta cubitos profundâ glacie: cùmque nix in hanc glaciem ad viginti cubitos decidisset, facta est crusta quinquaginta cubitorum, quâ cœlo repente in frusta divisâ instar montium in Urbem, Propontidem, & mare Ægæum delata, novas quasi Cycladas fluitantes exhibuit. His ostensis non est permotus Copronymus; immò Nestorii sectam propagasset, nisi hanc execratus esset Constantinus Patriarcha, cujus in aurem hoc virus effuderat Imperator. Tunc enim intellexit errorem suum improbandum ab omnibus, quem charissimus Antistes, adeoque bene de se meritus, improbasset.

MUNDI 4817. CHRISTI. 764.

*Sa... co... Ga... tr...* Franci hoc anno misêre legatos ad Paulum Pontificem, ut sanctorum corpora, quæ avidissimè quærebant, obtinerent; cùm percrebuisset fama multa sanctorum corpora ex cœmeteriis in Urbem esse translata, plus venerationis apud Gallos, ex populorum genio, quàm apud Romanos habitura.

MUNDI 4818. CHRISTI. 765.

*S. S... nu... vi...* Copronymus iterùm in S. Stephanum sæviit, ex Proconneso insulâ Constantinopolin evocatum: ubi post longam disputationem, eum in carcerem conjecit cum trecentis quadraginta aliis monachis, mutilatis aliquo membro ob cultum sacrarum imaginum, aut insigni aliquâ infamiâ notatis. Ibi singulis hebdomadis recipiebat sex uncias panis & tria pocula à pia fœminâ; neq; enim induci potuit toto vitæ tempore ut acciperet cibos ab Iconoclastis, quorum contactu etiam fœdari cibaria existimabat.

*Be... Ch... san...* Contigisse hoc anno scribit Sigebertus (quod alii referunt ad tempora Constantini & Irenes) Beritense miraculum 5. Idus Novembris, quando Imago Christi à Judæis illusa, & affixa cruci, lanceâ in pectore vulnerata, tantum sanguinis reddidit, ut divisus inter omnes Ecclesias Orientis & Occidentis, omnibus satis esset; quo morbi sanabantur omnes, quem-

quemadmodum hoc die quotannis canit Ecclesia. Quare qui in plerisque jam Ecclesiis populo proponitur adorandus Christi sanguis, nequaquam fluxit ex Christi corpore in Calvario, sed ex ejus imagine in urbe Beryto; sed quid agas cum volentibus falli?

MUNDI 4819. CHRISTI. 766.

Amisit hoc anno Copronymus, vi tempestatis, duorum millium & sexcentorum navium classem, paratam contra Bulgaros; quando idem Imperator, non jam sævire in Catholicos, sed & debacchari cœpisset. Inventos enim Constantinopoli monachos, singulas mulieres manum prehensas per Hippodromum ducere compulit, à populo probris lacerandos: multos etiam viros illustres, falsorum criminum reos, aut interemit, aut excæcatos ejecit in exilium, quia Iconoclastas detestabantur. Constantinum quoque Patriarcham ejecit, quia eum odisse Nestorium cognoverat, & negasset hæreticam hanc sectam disseminare, substituto ei Eunucho Sclavino. Vetuit denique B. Virginem ac Sanctos coli, selegitque præfectos Iconoclastas, & Catholicis infensissimos. Sæviit & in Martyrum corpora, quæ aut occultari jussit, aut projici, inter cætera Sanctæ Euphemiæ μυροῤῥοῦ; quod in mare projectum & inventum à navigantibus in Lemnum insulam delatum est, majore postea cultu Constantinopolin referendum, & honorandum; ita denique se gessit ut verè ἁγιόμαχος esset, cœlum ad interitum suum provocare videretur.

In Gallia prope Parisios Synodus Gentiliacensis celebrata est de imaginum cultu (hæresis enim Iconoclastarum cum legatione Copronymi, & ejus munere organo musico videbatur ex Oriente allata) & de Trinitate: tum enim an Spiritus Sanctus à Patre & Filio procederet disputavere Græci, gravioribus videlicet erroribus, ac criminibus implicati.

MUNDI 4820. CHRISTI. 767.

Mortuus est Paulus Papa, cùm sedisset annos 10. mensem unum, 3. Kal. Julii; vacavitque Sedes anno uno, ac mense, quia Toto Dux Nepesinæ civitatis fratrem suum Constantinum laicum per Georgium Prænestinum ordinatum in Rom. sedem intrusit. Sed is mox violentâ ægritudine oppressus, & manu contractâ, vixit tantisper; divinæ justitiæ in sacrilegos exemplar.

Hoc quoque anno Copronymus S. Stephanum omnibus suppliciis exagitatum, & per Urbem tractum, omnibus eum torquere jussis, qui inimici Cæsaris nollent esse, capite truncari jussit, anno ætatis 53. 4. Kal. Decembr. quando & multa miracula in ejus sanctitatis testimonium contigêre. Addidit illi virtute disparem Constantinum Patriarcham exautoratum, quem in ridiculâ veste, impositum asino, versâ ad caudam facie, eandemque caudam, pro fræno tenentem, in Circensibus traduci jussit à nepote suo, præscisis naribus, ac demùm capite truncari; in hoc miser, quòd vir nequam à nequiore Imperatore cæsus esset. Exinde idem Imperator horrendas in S. Virginem blasphemias evomuit, ob quas maximè ultimum supplicium acceleravit, cùm in eam jactæ injuriæ, graviùs quàm in ipsum Deum soleant castigari. *Idem & Constantinus Patriarcha.*

MUNDI 4821. CHRISTI. 768.

Christophorus Primicerius, & Sergius Sacellarius ejus filius, collectâ militum manu subeuntes Urbem, Totonem interimunt, & Constantinum ejus fratrem Pseudopontificem ejiciunt, cùm sedisset uno anno atque mense. Cùm autem aliqui Philippum Presbyterum monachum in ejus locum induxissent, idem Christophorus eum in cœnobium remisit suum. Itaque legitimè creatus est Stephanus, ejus nominis Quartus, (quem tamen ob brevitatem temporis quo sedit, Secundum, Tertium quidam vocant) omnibus gratiis ornatus quæ in summo Pontifice requirerentur. Cùm autem in Episcoporum Concilio Constantinus ritè depositus esset, & in monasterium relegatus: inde paulò post, inscio Stephano, à militibus retractus, excæcatus est, & mutilatus linguâ cum suis aliquot fautoribus, affectati gestique per vim Pontificatus pœnas luit graviores, quàm boni omnes exoptassent. *Stephanus IV. creatur legitimus Pontifex.*

Obiit hoc anno Pipinus, cùm regnasset annos 14. vel quindecim ab inauguratione Bonifacii vel Stephani Papæ. Quo die autem mortuus sit, non conveniunt scriptores: hoc certum, annos Caroli Magni coronati Noviomi, Carolomanni Suessionibus, à 7. Idus Octobr. procedere. Pipinus autem obitum prævidens suum, æger S. Martini sepulcrum Turonis invisit, indeque reversus Parisios in urbe Sandionysii spiritum reddidit; vir magnus bello, atque pace, atque ex privato Rex factus, etiam salvâ religione: quæ duo in Christianum hominem non facilè conveniunt. *Pipinus moritur.*

MUNDI 4822. CHRISTI. 769.

Concilium Romæ in Basilicâ Lateranensi celebratum est; quo damnatus Constantinus Pseudopontifex; omnia ab eo facta, irrita, præter Baptismum & Confirmationem. Damnata quoque Pseudosynodus Constantinopolitana contra sacras imagines, probata verò Gallica Gentiliacensis; ac primùm in ea fuit mentio septem Episcoporum Cardinalium, eorum videlicet qui Urbi propiores assisterent Ro. Pontifici, S.R.E. Cardini insiti; qui deinceps tam sæpe appellabuntur, quàm antea neglecta est eorum mentio. *Concilium Romanum.*

Hunaldus Dux Aquitaniæ, à Carolo & Carolomanno fratribus victus & captus, post biennium simulans pœnitentiam laxatus & missus est Romam; at paulò pòst deficiens ad Longobardos, lapidibus obrutus ab iis pœnas dedit, quàm Franci expectarent longè acerbiores. *Hunaldus Dux superatus & cæsus.*

MUNDI 4823. CHRISTI. 770.

Christophorus & Sergius agentes apud Desiderium, ut is erepta sanctæ Sedi redderet, fraude ab eodem Desiderio capti excæcati sunt; obiit intra triduum ex dolore Christophorus, Sergius in monasterio inclusus supervixit; ambo *Ecclesiæ Rom. Vindices capti.*

bo Romanæ Sedis vindices, digni fato meliore.

*Carolus Magnus ducit Hermengardem.*

Nupſit hoc anno Hermengardis filia Deſiderii Carolo Magno, cujus etiam ſororem Bertham duxit Carolomannus, fruſtra prohibente Stephano ſub Anathematis pœnâ, ne inimicus ſanguis ſanctæ Sedi eidem amiciſſimo malè conjungeretur, puriſſima ſtirps cum eâ cõjungeretur ex qua leproſi prodirent; quod vitium ad animum potiùs, quàm ad corpus pertinuiſſe, hîc meritò ſapientes arbitrantur.

*Aurelius Rex impius.*

Aurelius Froilam Regem Hiſpaniæ nepotem ſuum interemit, eique ſucceſſit; quando & infame tributum Chriſtianas virgines Saracenis perſolvit; immò iniquiſſimum decretum emiſit ut nobiles fœminæ Hiſpanienſes Arabibus matrimonio copularentur; factus ex parricida irreligioſus.

*Ephesi nuptiæ ſceleratæ.*

Hoc anno, Copronymi trigeſimo, Præfectus Epheſi, vir ſceleratus, in campum Monachos omnes, & ſacras Deo virgines eduxit, juſſitque inter ſe jungere nuptias, cæcitate & exilio renuentibus propoſitâ: ſed plerique mori maluerunt, quàm fœdari; & luminibus carere, atque exulare virginitatis causâ, præmii loco duxerunt.

---

## CAP. VIII.

## *Decas Octava.*

### *Ab anno Christi 770. ad 780.*

MUNDI 4824. CHRISTI. 771.

*Perſecutio in Oriente recrudeſcit.*

Recruduit hoc anno in Monachos perſecutio à Præfecto Thraciæ excitata, unde in alias provincias Rectoresque pervaſit; quando omnia tam virorum quàm fœminarum cœnobia diruta, bona omnia diſtracta, excæcati aut faciem cremati atque barbam Monachi, ad ludibrium ſimul & dolorem.

*Deſiderii in Carolum M. odium.*

Carolus Magnus Hermengardam Longobardam expellit, probantibus regni ſui Epiſcopis, ejuſque loco ducit Hildegardem filiam Hildebrandi Ducis Suevorum; unde Deſiderii in Carolum furor, quem auxere Hunaldus Aquitanus, ad eum confugiens, & Bertha Carolomanni uxor, ad eum cum liberis, marito mortuo, relictoque Bavaro Thaſſilone, recedens; & inde tantum eſt odium concitatum, ut Regni Longobardici ruinâ fuerit reſtinguendum.

*Carolomannus moritur.*

Mortuus eſt etiam hoc anno Carolomannus pridie Non. Decembr. in villa Salmontiaco, ſepultus Rhemis magnificè, juſſu Caroli fratris; qui ſuadentibus Francis regnum ejus occupat, in ejus manu, quàm puerorum & fœminæ Longobardicæ tutius & ſecurius.

MUNDI 4825. CHRISTI. 772.

Ægrotante Stephano, factione Aſiartæ, Papæ cubicularii Sergius excæcatus à Deſiderio, & tum ſervatus in Cellario Lateranenſi; inde extractus, multis vulneribus confoſſus interiit. Poſt dies octo obiit Stephanus Pontifex Kal. Febr. Sedis ſuæ anno tertio cum tribus menſibus ac diebus viginti. Cùmque vacaſſet Sedes diebus octo. 5. Idus Febr. electus eſt Hadrianus, patriâ Romanus, vitæ ſanctimoniâ, & eruditione perilluſtris. Hunc tamen ſtatim aggreſſus eſt Deſiderius, verbo ſe ei ſubmittens, reverâ occupans civitates Ducatus Romani. Quare Pontifex miſit Legationem ad Carolum Magnum, quâ poſtulabat auxilium; expectans in filio, Pipini pietatem conjunctam fortitudini.

Habdallas, Rex Hieroſolymorum Saracenus, Chriſtianos omnes & Judæos in manibus notari inſcribique jubet, ut à ſuis Arabibus diſtinguerentur: quam ignominiam plerique non tulere; ſed relictis poſſeſſionibus ſuis, in Romanorum ditionem confugerent: ſicque dum diſtinctos habere voluit ſubditos Princeps Barbarus, nullos habuit, ſenſitque viros fortes bonis ſuis plerumque ignominiam anteferre.

MUNDI 4826. CHRISTI. 773.

Deſiderius mittit Legatos ad Carolum, ut eum à tutela Apoſtolicæ ſedis abſtraheret, aut impediret quo minus tranſiret in Italiam, aſſerens ſe omnes civitates Pontifici reddidiſſe. Quod cùm falſum eſſe intellexiſſet Carolus, eumque Romam obſidere voluiſſe, ac tantùm anathemate deterritum, cum exercitu tranſiit in Italiam, expulſumque ex montis Ceniſii faucibus, obſedit Papiæ. Multas quoque Longobardorum urbes cepit, atque inter cæteras Veronam, ubi nepotes ſuos cum Bertha inventos remiſit in Franciam, ne quid turbarent. Saxones quoque, jam tertiùm rebellantes, ab ejus ducibus repreſſi, aut potiùs à Deo res Caroli curante, dum ipſe Dei rebus & Eccleſiæ adlaboraret.

MUNDI 4827. CHRISTI. 774.

Carolus Magnus ab obſidione Papiæ Romam venit, ut hîc Paſcha celebraret. Receptus eſt ut Eccleſiæ primogenitus; viciſſim donationem Eccleſiæ factam à Pipino patre confirmavit diplomate; ſtatimque Papiam regreſſus eam ſe dedere compulit, cum Deſiderio atque uxore, quos ſecum in Franciam pertraxit. Deſiderii filius Adalgiſus fugit ad Copronymum, à quo Patriciatus titulo auctus eſt. Quod autem Sigibertus ſcribit Carolum iterum Romam rediiſſe, & in Synodo 153. Epiſcoporum accepiſſe jus eligendi Rom. Pontificem, & Epiſcoporum inveſtituram, viri ſchiſmatici commentum eſt, propugnatum tam malè à Calvinianis, ut ejus ſectæ eruditos jam pudeat ineptiſſimæ defenſionis.

Carolus cum Deſiderio Paulum Diaconum ſecum abduxit in Franciam, quem & impenſiùs dilexit. Sed cùm accuſatus eſſet inſidiarum ab invidis, & interrogatus à Carolo non ſatis modeſtè reſpondiſſet, juſſus eſt ambas perdere manus: mutatâ tamen à Carolo, ſecundis curis, ſententiâ, ac relegatus eſt in Inſulam; unde fugit ad Adelpergam filiam Deſiderii, uxorem Arichiſis Ducis Beneventani; quo mortuo Monachus factus eſt in Monaſterio Caſſinenſi, ubi

multa

multa scripsit, etiam acceptus Carolo; sic huic calamitas ad bene vivendum, atque moriendum, non inutilis fuit.

MUNDI 4828. CHRISTI. 775.

Constantinus Copronymus dum bellum gerit in Bulgaros, sed atrociùs in Dei Genitricem, plagâ divinitùs percussus in crure, quam ἄνθρακα vocant, vivus exustus igne invisibili, ac de blasphemis vocibus in eam jactis pœnitens, sed ut Antiochus, impiam dæmoni evomuit animam 18. Kal. Octob. cùm regnasset ab obitu patris annos 34. menses duos, dies viginti sex; verbo Christianus, re Judæus, Manichæus, Nestorianus; dignissimus fœdissimis nominibus Copronymi, & Caballini, quorum illud accepit à stercore quo infans turpavit Baptisterium, hoc à fimo caballi, quo se inficiebat cum aulicis, hoc odore mirificè delectatus, non autem à Cabalâ urbe, ut quidam malè putarunt. Is exitus fuit magi, malefici, idololatræ, luxuriosi Principis; qui cùm in Basilicâ SS. Apostolorum Petri & Pauli sepultus esset Constantinopoli, postea refossus, in foro publicè crematus est mortuus; quod supplicium vivus propter atrocia crimina promeruerat.

Successit patri Leo IV. qui initio sui Principatus thesaurum à patre relictum pauperibus impertiit; simulavit & pietatem in B. Virginem, & amorem in Monachos, quorum plurimos præfecit Ecclesiis præsules. Obtulit etiam Nicomediensem Episcopatum S. Platoni Olympi montis sanctissimo monacho; cujus ille titulum rejecit, laborem servavit, factus ovilis Dominici vigilantissimus custos. Sed reliquit Copronymus filiam Anthusam virginem Deo consecratam, quæ bona omnia sua effudit in pauperes, & religiosum induta habitum, in Meneo Græcorum meruit locum, parentis atque fratris moribus, ut morte, dissimillima.

Mortuus & hoc anno Habdalla Saracenus regnum atque furorem reliquit hæreditarium filio suo Madi; Copronymo, ut tempore, sic crudelitate conjunctior.

Carolus contra piissimè vixit, ac bis profligavit Saxones. Offa quoque Rex Merciorum regnum suum Ecclesiæ reddidit vectigale, renovato in singulas domos S. Petri Denario; tantum Occidens ab Oriente, non solùm situ, sed & religione dirimebatur.

Obiit denique Rex Hispaniæ sceleratus Aurelius, cujus locum meliùs implevit Silo, sororis ejus filius, regnum suum è pietate auspicatus.

MUNDI 4829. CHRISTI. 776.

Constantinus filius Leonis hoc anno à Niceta Patriarchâ coronatus est Augustus: nec ita multò post Nicephorus Cæsar, Leonis frater, ei molitus necem, turpiter attonsus Chersonam deportatus est; Græcis sibi semper invicem struentibus insidias.

Carolus Magnus audiens Rotgandum Ducem Forojuliensem vindicare sibi Regnum Longobardorum, celeriter in Italiam transiit, ejusque conatus morte dignos indicavit. Tum rediit eâdem diligentiâ in Saxones, quos ope Dei potiùs quàm armis devicit: quare se omnes illi, multi etiam se Deo submisere.

MUNDI 4830. CHRISTI. 777.

Telericus Rex Bulgarorum, qui tam sæpe in Copronymum pugnaverat, relictis suis venit Constantinopolin; ubi factus Christianus, & Patricius, accepit etiam uxorem consobrinam Leonis, & Christianitatem bene regno esse redemptam judicavit. *Telericus Bulgarus.*

Carolus in Paderbornensi Synodo, de Saxonibus ad Christum conversis recepit tres Principes Saracenorum, à quibus invitabatur ad arma transferenda in Hispaniam, bello civili jam distractam; in quam tamen plus pietas, quàm novi regni cupido bonum Principem attraxit. *Carolus invitatur in Hispaniam.*

MUNDI 4831. CHRISTI. 778.

Bellum transtulit hoc anno in Hispaniam & Saracenos Carolus; quod magnâ gloriâ inchoatum, captâ etiam Cæsaraugustâ, infeliciter terminatum est. Dum enim redit cum spoliis, Vascones ex Pyrenæis montibus in Rocida valle, vulgò *Ronceuaulx*, Francos aggressi eos malè mulctarunt, & excussere prædam. Inter alios cecidit Ruttandus seu Rolandus, præfectus Britannici seu Armorici littoris; materies illustris fabularum quæ hac ætate viguerunt. *Belli Hispanici infelix exitus.*

Saxones duce Widichindo rebellant, & ad Rhenum fluvium omnia incendunt aut vastant: sed per Caroli duces etiam hyeme repressi, tot se flammas frustra accendisse & damno suo docuerunt. *Saxones regressi.*

Florebat tum Albinus Flaccus seu Alcuinus, qui Eboraci magnâ cum eruditionis laude docuerat, Bedæ quondam discipulus, atque in Mathematicis disciplinis Caroli Magni magister, factus Abbas S. Martini Turonensis; vir ætatis suæ (si unum excipias Carolum regem) sine dubio doctissimus. *Albinus seu Alcuinus Flaccus.*

Hildegardis Carolo gemellos peperit, quorum unus statim obiit; alter, Ludovicus dictus, par parenti suo religione, *Pius* appellatus est. *Ludovicus Pius nascitur.*

MUNDI 4832. CHRISTI. 779.

Carolus Saxonas & Westphalos debellavit bello incruento, cùm ii essent ad fugiendum, quàm resistendum paratiores; semper domiti, semper rebelles, nullo alio opere precio, quàm ut arma cepisse dicerentur. *Saxones à Carolo domiti.*

MUNDI 4833. CHRISTI. 780.

Madi Princeps Saracenorum crudelem in Christianos excitavit persecutionem, cùm jussit eos omnes qui ex Judæis & infidelibus ad Christi fidem transiissent, eam deserere, aut tormentis atrocissimis subjici, quod decretum multos martyres inseruit cœlo. In tota quoque Syria æquatæ solo Ecclesiæ, ejusdem Principis jussu; neque tamen repressus Christianorum ardor, sed in singulorum animis excitatæ Basilicæ, lapideis longè Deo gratiores. *Madi persecutio in Syria.*

Nicetæ Patriarchæ Constantinopolitano hæretico mortuo successit Paulus, Cyprius genere, Or-

Orthodoxus; sed Imperatoris hæresi foris indulgens. Tum enim Leo præcipuos Aulicorum cultores imaginum ignominiosè expulit aulâ, aut pœnis subjecit; cùm in Larario Irenes uxoris suæ duas imagines reperisset, eam ejecit, neq; deinceps uxoris loco habuit. Sed statim Deus piissimæ fœminæ suscepit patrocinium. Leo etiam circa lapillos insaniens, coronam magnæ Ecclesiæ, gemmis distinctam, imposuit suo vertici; verùm ex ea in ejus caput carbunculi transiere divinitùs, ac febre ardenti correptus, expiravit, anno regni sui quinto ferè integro. Statim ergo 6. Id. Sept. Irene cum filio Constantino, decem annorum puero, regendum suscepit Imperium; mulier à Deo fortis, cujus operâ Nicephorus affectans Imperium, in exilium retrusus, alii Cæsares ac Nobilissimi Leonis fratres ad Sacerdotium compulsi; Arabes tumultuantes repressi; ita compositum Imperium, quasi non id mulier, sed magnus Imperator administraret.

*Leo IV. moritur.*

*Irene cum filio suscipit Imperium.*

*Prophetia refossa.*

Inventum hoc anno in longis Thraciæ muris à fossore, hominis cadaver, cum hac Epigraphe celebratissimâ; *Christus nascetur ex Virgine Maria. credo in eum. Sub Constantino & Irene Imperatoribus, O sol iterum me videbis*; quo tumulo prophetam inclusum fuisse suspicari licet.

*Ecclesia Saxonica.*

Profectus Romam cum Hildegarde uxore suâ hoc anno Natalem Domini Carolus Ticini celebravit, cùm priùs Saxonicæ Ecclesiæ jecisset fundamenta, destinatis sedibus Episcopalibus, & Krodo Idolo exterminato; quando indigenæ hujus regionis tardiùs venientes ad Christum, majori cum alacritate suscepere, ac firmiori constantiâ retinuere.

---

## CAP. IX.

## *Decas Nona,*

### *Ab anno Christi* 780. *ad* 790.

MUNDI 4834. CHRISTI. 781.

*Res gestæ Caroli M. in Italia.*

Carolus hoc anno cum conjuge & filiis Romam venit, ibique S. Pascha celebravit, voluitque Pipinum ab Hadriano baptizari, Ludovicum autem & Pipinum inungi reges, hunc Longobardorum, illum Aquitaniæ. Irene quoq; à Carolo petiit dari filio suo Constantino filiam Rotdrudim; quæ tamen nuptiæ nequaquam coaluerunt, nec utiles Francis, nec Græcis salutares.

*Helpidius Tyrannus.*

Helpidius in Sicilia adversus Imperatorem rebellat: dum igitur ab hac parte Ro. distinetur exercitus, Aaron junior filius Madi Saracenorum Principis (major enim dicebatur Moyses) Orientem tam fœdè depopulatur, ut Irene auro pacem redimere compulsa sit. Helpidius autem cum suis thesauris in Africam fugiens, ut Romanorum Imperator est cultus; cujus pluris pecuniam, quàm purpuram Afri faciebant.

MUNDI 4835. CHRISTI. 782.

Saxones rursus rebelles, rursus à Carolo victi; nec eorum rebellionis, ac pœnarum finis, donec è patriis sedibus evulsi, per varias regiones sparsi, se Saxonas, hoc est, rebelles esse didicerunt. Rex eorum captivus, & edoctus Christi legem, dum videt in mensa sedere Carolum, inopes humi cibum capere, negavit id concinere legi Christianæ, quæ pauperes vocat membra Christi; Rexque sic admonitus à captivo, ac Neophyto, deinceps egentes religiosiùs & magnificentiùs enutrivit; nec puduit Carolum erudiri à Barbaro, qui novisset Asinam sessorem suum prophetam docuisse.

*Ca... Re... ne... su...*

Tum Saxonia dicitur oblata fuisse S. Petro, sicut & aliquot urbes Galliæ, in quibus denarius in singulas domos quotannis S. Petro pendebatur; Aquisgranum scilicet, Anicium seu Podium S. Mariæ, & oppidum S. Ægidii; quod quando desierit, non est certiùs quàm utrum id aliquando contigerit.

*Sa... ob... Pe...*

MUNDI 4836. CHRISTI. 783.

Silo in Hispania, regni sui anno octavo, moritur; cui succedit ab eo jam collega assumptus Alphonsus, seu Adelphonsus, Froilæ olim regis filius, cognomento *Castus*, quia cum Bertâ sorore Caroli Magni continenter vixisset, & castè. Is appetitus bello à Maurogato patruo, Arabibus subnixo, (quibus tributi nomine 50. Virgines nobiles, & totidem plebejas pollicitus erat, eum devictum expulit ex Hispania, ac infami tributo Christianos exemit.

*A... su... Si...*

Adolinda vidua à Silone relicta monasticam est professa vitam, cui Elipandus Toletanus inspirare conatus est impias Nestorii blasphemias; quas statim mulier ex æquo prudens, & sancta detulit ad Etherium Episcopum Uxamensem, & Beatum presbyterum doctrinâ ac sanctitate illustrem; qui impiam hanc doctrinam duobus libris confutarunt; neque tamen resipuit Elipandus, in Synodo postea convincendus, hæreticorum more, quos nemo privatus facilè ab erroribus retraxerit, solâ multorum autoritate reprimendos.

*El... er...*

MUNDI 4837. CHRISTI. 784.

Paulus Patriarcha Constantinopolitanus, animo Catholicus, olim hæreticus ore; ut placeret Leoni, publicè coram Augustis hæreticos detestatus, abdicavit se Episcopatu, atque in monasterium ad pœnitentiam secessit, omnes adhortatus ad veram synceramque fidem retinendam, ac paulò post sanctissimè obiit. Hinc facultas data Iconoclastas refutandi, quod præfectorum hæreticorum auctoritas inhibuerat: electus & Episcopus Catholicus Tarasius, Imperatoribus à secretis, qui statim ad Concilium celebrandum animum appulit, quo tantùm sanari poterat hæresis, à tribus Imperatoribus stabilita.

*T... su... P...*

Moritur Moises Saracenorum Rex, qui anno superiori patri Madi successerat; ejusque locum implevit Junior frater Aaron, malè quoque in Christianos animatus, quorum plurimos intulit Martyres cœlo. Hic tamen Carolum Magnum coluit, & frequentibus legationibus & muneribus honoravit. Cùmque Carolus misisset in Palæstinam

*Re... Sa...*

læstinam legatos ad visitandum Christi sepulchrum cum muneribus,non tantùm id fieri passus est,sed ad eum misit S. sepulchri claves, ut id esse in Francorum potestate videretur. Quod munus,non tam honor, quàm vaticinium fuit.

MUNDI 4838. CHRISTI. 785.

Tarasius ad Hadrianum Pontificem fidei suæ professionem mittit; quem tamen hic arguit, quòd in suis titulis nomen Universalis usurpasset: laudat tamen eum de Fide, & approbationem ejus ordinationis pollicetur,si Iconoclastarum hæresin extinguat; quod is cumulatissime, adjutus ab Augustis,præstitit.

Widichindus Princeps Saxonum,author frequentissimorum rebellionum in Carolum, viso pulcherrimo infante communicantibus porrecto conversus, sacris aquis intinctus, deinceps non tantùm Deo,sed & Carolo fidelis extitit.

MUNDI 4839. CHRISTI. 786.

Concilium OEcumenicum instituere parabant Augusti Constantinopoli in Basilicâ SS.Petri & Pauli; quod disjecere milites Prætoriani, professi militiam, & hæresin sub Copronymo. Permoti enim ab Iconoclastis Episcopis,Orthodoxos accedentes magno convicio repulerunt. Cùmque iis retundendis Augusti pares non essent,rejectâ sapienter in sequentem annum Synodo, finxerunt exercitum adversus Saracenos mittere; in quo Prætoriani illi præfecti, ab exercitu circumfusi,armis exuti,remissi sunt, aliique duces, alii milites delecti; Synodus in annum sequentem indicta, ad quam liberè boni Episcopi convenirent.

Mortua est hoc anno Hildegardis uxor Caroli M. annis 12. in cujus locum duxit Luitgarden,& alias deinceps, concubinis etiam aliquot interjectis, quæ eum mulierosum fuisse indicarunt, atque ejus sanctimoniæ turpem induxere notam; quã tamen aliqui volunt pœnitentiâ sic obliteratam esse,ut nec ejus obfuerit sanctitati.

MUNDI 4840. CHRISTI. 787.

Mense Majo ineunte Tarasius cum duobus Petris Archipresbytero, & Abbate, Legatis Hadriani Papæ,itemque Legatis trium aliorum Patriarchalium Sedium,Nicæam Bithyniæ conveniunt, cum multis Episcopis, & sanctis Monachis; ubi celebrata.

## SEPTIMA SYNODUS OECUMENICA NICÆNA SECUNDA

*adversus Iconoclastas.*

QUam Græcè editam,ac jam bis Latinè conversam non satis fideliter & accuratè, tertium vertit Anastasius Bibliothecarius, sine dubio propter fidelitatem, & elegantiam reliquis præferendam. Septem actionibus definita est; in eâ recitatum Symbolum cum his verbis, *Qui ex Patre Filióq; procedit*; Sancitum,non esse colendas imagines,etiam Christi, latriæ cultu, qui soli Deo tribuitur, nulli creaturæ nisi κατὰ συμβεβηκός; quare deinceps damnati qui id assererent, dictique à sancto Jo. Damasceno χριστια-νοκατηγοροὶ, quòd imprudenter Christianis apud hæreticos idololatrarum nomen accerserent; à quo tantùm refugit Ecclesia (quidquid Novatores deblaterent) quantùm idololatria,à veri Numinis cultu disjungitur. Editi pariter sunt Canones 22. de Ecclesiasticâ disciplinâ: ac deinceps Tarasius lapsos recepit in pristinum gradum; quare & Simoniæ accusatus est; sed quid mirum? cùm apud invidos ejus quoque suspicione aspersus sit Hadrianus; sed ab utroque vitæ sanctitas non difficiliter hanc calumniam depulit.

Venit hoc anno Romam Carolus Magnus adversus Arichisem Ducem Beneventanum Longobardum ducens exercitum,ut ad officium revocaretur. Sed armis nihil opus fuit,Carolo nimis prævalente; à quo tum est dirempta controversia inter cantores Gallos & Romanos; & his palmâ adjudicatâ,illi sequi jussi sunt cantum Ecclesiæ Romanæ; ex qua non tantùm fides pura,sed & mores synceri debent proficisci. *Carolus M. Romam venit.*

MUNDI 4841. CHRISTI. 788.

Inter Carolum & Irenen pax abrupta est, negata vel rejectâ illius filiâ, ut Constantinus duceret Mariam piissimam virginem, neptem sancti Philareti cognomento *Misericordis*.Hinc excitatum inter utramque gentem bellum pro Ducatu Beneventano, cujus promotor fuisse creditum est Adelgisus filius Desiderii, qui & tum pro Græcis in Italiâ militavit; sed victores extitere Franci, juncti Longobardis, & proverbium jactatum à Græcis, verum esse deprehensum; τὸν Φραγκὸν φίλον ἔχῃς, γείτονα οὐκ ἔχῃς; crediti semper ex æquo boni amici, vicinique terribiles. *Pax rupta inter Carolum, & Irenen.*

Tassilo Bojoariæ dux, excitatus ab uxore sua filiâ Desiderii, sæpe domitus, hoc etiam anno rebellavit, accitis in auxilium suum Hunnis sive Auaribus. Sed victus atque captus,& juxta leges capite minuendus, cum filio Theodone detrusus est in Monasterium, ut jam meliùs, & cautiùs viveret. Hunni bis à Carolo domiti, & octo deinceps annis identidem aggressi Francos, tandem internecione gentis suæ domiti, prædâ ex totius Orbis direptionibus collectâ, Francos hactenus inopes ditavere. Eorum autem reliquiæ cum Rege Thuduino, Carolo,& Christo submiserunt sese; sicut & anno sequenti Sclavi superati; Carolo in suis expeditionibus Dei potiùs, quàm suam gloriam quærente; quæ tamen ipsi nunquam defuit, nec ita in Deum animatis deerit. *Tassilo cum Guvais devictus.*

MUNDI 4842. CHRISTI. 789.

Constantinus hoc anno pertæsus ab Irene matre regi,cùm jam annum vigesimum attigisset, communicato cum amicis consilio in Siciliam relegare parat. Sed re detectâ, omnes illi consultores tonsi turpiter exularunt, Constantinus verbis & verberibus castigatus, & inclusus, agnovit se nondum sui juris,qui tam acerbe & impune per fœminam tractaretur. *Constant. malè accipitur à matre.*

*Theophilus Dux martyr.* Theophilus, classis Imperatoriæ ad Cyprum Præfectus, à Saracenis ad Aaronem perductus, & Christum negare jussus, mori maluit, victus nobilem martyrii coronam consecutus, omni victoriâ gloriosiorem.

MUNDI 4843. CHRISTI. 790.

*Constant. prævalet.* Hoc anno Armenæ Legiones Constantinum unum acclamarunt Imperatorem; quòd aliæ quoque præstiterunt, oblitæ superioris juramenti. Quare sibi metuens Irene, filium solvit, etiam tum inclusum: qui mox in matris fautores sævit, & Præfectos ab ea constitutos; miseros profectò, cùm iis certa calamitas, vel à filio, vel à matre immineret.

*Alphonsus Castus regnat.* Maurogato Gallæciæ usurpatori successit filius Veremundus Diaconus; qui regno suo jam vergente in interitum, collegam sibi assumpsit Alphonsum Castum, ejectum regno per Maurogatum; cui restitutum regnum Deus etiam miraculis probavit; itaque cœlo ac terrâ probantibus Rex est constitutus.

---

## CAP. X.

## *Decas Decima.*

### *Ab anno Christi 790. ad 800.*

MUNDI 4844. CHRISTI. 791.

*Constant. infaustus, & crudelis.* Constantinus bellum gerit in Bulgaros parum cautè, astrologorum prædictionibus confidens; itaque victus, fugatusque Urbem repetiit. Quare cùm milites huic substituere Patricium Nicephorum decrevissent, eum excæcari jussit, & quatuor ejus fratribus linguas præscidi. Cùm autem legiones Armenæ Alexium Patricium Imperatorem poposcissent, ei quoque oculos eruit; ne se regere posset, quem sibi rectorem exercitus exoptasset.

*Concilium Forojuliense.* Concilium Forojuliense celebratum est in Italia, de processione Spiritus sancti, contra Græcos, & de Incarnatione Verbi contra Elipandum Toletanum, cui præfuit Paulinus Patriarcha Aquilejensis, acerrimus disciplinæ & castimoniæ in Clericis vindex.

*Tiberis inundatio.* Hoc anno, quo obiit Burchardus Episcopus Herbipolensis, annis 40. discipulus sancti Bonifacii, Tiberis Fl. supra modum exundavit Romæ; quando enituit pietas Hadriani, dum vitæ multorum, cibariis atque scaphis sapienter ac liberaliter providit.

MUNDI 4845. CHRISTI. 792.

*Concilium Ratispon.* Concilium celebratum hoc anno Raganesburgi seu Ratisponæ, in causa Felicis Urgelitani Episcopi & Elipandi Episcopi Toletani. Felix Germaniam & Galliam Nestorianismo inficere moliebatur; at cùm in eo Concilio hæresin suam ejurasset, sedi suæ restitutus est; exemplo perniciosissimo, & in illiusmodi hominibus nunquam observando, quos tantùm metus perdendæ dignitatis ad officium revocat.

MUNDI 4846. CHRISTI. 793.

Alphonsus Castus, Deo confidens, virgines Christianas tributi nomine dare Mauris recusavit, iisque occurrens cum imparibus copiis, septuaginta millia cum Duce eorum Mugait trucidavit. In cujus victoriæ monimentum Ecclesiam Christo Servatori Oveti posuit. Charissimus fuit Carolo Magno hic Alphonsus, cui sororem Bertam dedit uxorem, eumque uti filium dilexit, vicissim ab eo cultus, ut pater, & propter morum atque virtutum concentum inter se conjunctissimi vixere.

MUNDI 4847. CHRISTI. 794.

Celebratum est hoc anno Concilium Francofordiense ex Episcopis Italiæ, Galliæ, Britanniæ, atque Germaniæ, in causa Felicis Urgelitani, & Elipandi Toletani, quorum ille Nestorii sectam ejuratam resumpserat. Damnati sunt ambo, eorumque hæresis anathemate perculsa. Porrò in hac Synodo scribunt Novatores Nicænam secundam Synodum damnatam esse: sed non ita se res habet. Quidam enim putantes decretum esse in hoc Nicæno Concilio, imagines eodem cultu, quò ipse Deus, adorandas esse, & insuper, non fuisse approbatum à Romano Pontifice, egerunt de eo rejiciendo; sed ad rem ventum non est. Neque etiam est Caroli Magni liber, qui contra Septimam Synodum scriptum est; quamquam ipse de multis in hoc negotio Hadrianum Papam consuluerit. Sed quid opus est pluribus diluere, quod est accuratè ab ipso Hadriano confutatum. Hoc ergo unum certum est, quæ facta sunt in hoc Concilio contra duos illos Episcopos vera esse; quæ contra Septimam Synodum jactantur, esse proposita quidem, sed ab his Patribus neque admissa esse, neque rejecta, quia falsis relationibus innitebantur.

MUNDI 4848. CHRISTI. 795.

Constantinus hoc anno Mariam uxorem suam ejecit, quasi vitæ suæ insidiatam, ejusque loco Theodotem cubiculariam adscivit, & quam ardebat coronari jussit per Josephum Ecclesiæ Oeconomum. Hinc distracta Ecclesia Constantinopolitana, aliis probantibus nuptias Imperatoris, aliis improbantibus. Ob hanc causam cùm arguissent Constantinum Plato, & Theodorus Studita, cum aliis Monachis, Plato quidem carceri mancipatus est, Theodorus cum aliis Monachis verberibus cæsus, licet esset conjunctus Theodote. Tharasius veritus majus malum, & ne Imperator fieret Iconoclasta, eum redarguit quidem, sed eum communione non privavit; quare ab ejusdem Tharasii communione Plato, aliique Monachi abstinuere; ita libido Constantini pacem Ecclesiæ redditam valdè turbavit, etiam diriora expectantis ab adolescente libidinoso, & quem amor impeditus efferabat.

Obiit

Obiit hoc anno 7. Kal. Jan. Hadrianus, cùm sedisset annos 23. menses 10. dies 17. cujus obitum deflevit ipse Carolus Magnus, & huic Epitaphium scripsit. Idem Carolus hoc anno magnas eleemosynas Christi causâ effudit etiam in Syria, & Africa, ut Christianis subveniret, factus pæne omnium pater, conciliatis ideò sibi Principibus Arabibus. Hadriano autem eâdem die successit Leo Tertius, vir religiosus & pius, cui ut & Magno perperam affingitur abscissio manus, quòd eam puella esset osculata, ideoque aliquid esset humanitùs passus; quâ fabulâ nulla est alia fabulosior; ideo multis afficta, quia in quo consisteret, inveniebat neminem.

MUNDI 4849. CHRISTI. 796.

Misit ad Carolum Leo claves aureas ex sepulchro sancti Petri acceptas, sicut & vexillum Urbis Romæ, tanquam Ecclesiæ defensorem, ac propè parentem. Remisit Rex Ecclesiæ per Engelbertum Abbatem S. Richarii munera ex præda Hunnorum; ne alter ab altero victus esse munificentiâ videretur.

MUNDI 4850. CHRISTI. 797.

Irene filium Constantinum insidiis captum excæcavit, unde paulò pòst mortuus est, cùm ejus filius ex pellice Leo paulo antea mortuus esset. Tum per dies decem & septem Sol ita obtenebratus est, ut in ipso mari nihil videretur, errarentque naves, adeo ut omnes dicerent Solem cum Imperatore cæcatum esse. Imperium autem administrandum suscepit Irene, statimque restituit Archimandritas reconciliatos Tharasio, ubi Josephum, à quo coronata erat Theodote, deposuisset; atque ita pax Ecclesiæ restituta, ut mater parum pia, pietatis magnæ causa fuisse videretur.

Barcinone, quæ à Francis defecerat, reddita est Carolo per Zarum Præfectum Saracenum. Ad Carolum quoque confugit Habdalla Princeps Arabs, à fratre ex Africa pulsus, jussus cum Ludovico in Hispaniam proficisci. Bella quoque ei aliquot bene cessere, adeo ut victoriam sibi habere vectigalem jactaretur.

MUNDI 4851. CHRISTI. 798.

Abdimelech Rex Saracenus in Oriente pacem denegat Irenæ postulanti, & Constantinopolin usque progressus, redit ad suos spoliis onustus. Tum Theodorus Studites veritus eorum crudelitatem, monachos suos induxit in Urbem, & cum iis incoluit Studium monasterium, unde ei adhæsit nomen; ususque sancto otio, multa conscripsit, quibus se non Studitam modò, sed & studiosissimum demonstravit.

Suscepta est hoc anno Irenes à Carolo Legatio, cui & remisit Sisinnium fratrem Tharasii, bello captum. Recepit quoque ab Alphonso Casto ex Olysipponensi victoriâ multa præclara spolia; quibus inter eos amicitia plurimùm crevit, cujus munera nonnunquam sunt incentiva.

MUNDI 4852. CHRISTI. 799.

Leo Tertius Pontifex hoc anno 7. Kal. Maji pessimè acceptus est à Paschali Primicerio, & Campulario Sacellario, Ecclesiæ Romanæ iratis de ejus electione; quando ei in solemni supplicatione crudeliter cæso, oculi eruti, lingua præscissa, ipse semivivus in custodiam detrusus, populo per armatos satellites submoto. Sed cùm in Monasterium sancti Gerasimi noctu translatus esset, ad securiorem custodiam, ei intercessione sancti Petri redditi oculi atque lingua; indeque suorum operâ translatus in Vaticanum, atque armis Spoletani Ducis Spoletum ductus. Inde profectus in Gallias, honorificentissimè à Carolo susceptus est Paderbonæ; unde remissus est cum multis Antistitibus, & Optimatibus Romam. Hic jussu Caroli de perduellibus instituta quæstio est; in quos cùm sententia capitis pronunciata esset, obtinuit Pontifex ut tantùm relegarentur, quia id Ecclesiæ consuetudo postulat; quæ, pia mater, ad mortem non progreditur; impios tolli non vult, sed emendari.

*Leo III. malè acceptus à suis.*

*Restituitur à Carolo M.*

MUNDI 4853. CHRISTI. 800.

Susceptus est hoc anno Carolus Romæ ut Protector Ecclesiæ, eique obviam processit Leo Nomentum usque, excepitque honorificentissimè 8. Kal. Decembris. Tum instituta quæstio de criminationibus in Pontificem; neque enim qui eum tum malè mulctarant, gratis impii videri voluerunt. At quoniam *prima Sedes à nemine judicatur.* Leo Ambone conscenso, tactis Evangeliis purgavit sese, Idibus Decembr. professus id se sponte facere, neque ut ex hoc facto aliquid in præjudicium adversus successores suos duceretur; editumque publicè juramentum, litis evictæ sententiam omnes judicarunt.

*Leo III. purgat se juramento*

Tum idem Pontifex Carolum nihil cogitantem, immò ferentem ægerrimè, coronavit Imperatorem, sacroque perfudit oleo: at hic ne se oblato munere indignum ostenderet, juravit se Ecclesiæ protectorem fore. Utrum autem id Leo præstare potuerit, atque Imperium ex Oriente in Occidentem transferre, magno inter heterodoxos & Catholicos ardore disceptatum est. Hoc certum, undecumque venerit Imperium à Carolo, retineri prudenter potuisse; & eventu demonstratum, magno Ecclesiæ orbisque Christiani bono, summam rerum apud levissimos Græcos atque ad hæresin & schismata propensiores ab eo tempore desiisse.

*Carolus à Leone inunctus Imp.*

LIBER

# LIBER IX.

## Ab anno Christi 800. ad 900.

### CAPUT I.

### Decas Prima.

*Ab anno Christi 800. ad 810.*

MUNDI 4854. CHRISTI. 801.

*Irene populum tributis levat.*



RENE, ut sibi Constantinopolitanos demereretur, tributa remittit, quibus omnis generis mercatores, opifices, agricolæ, operæ immaniter premebantur; quâ de re Theodorus Studites ei gratulatus est. Quæ tamen illi nihil liberalitas profuit; cùm sui, non Dei causâ esset hæc adhibita in populum commiseratio.

*Carolus leges promulgat.* Contigit hoc anno in Italia terribilis terræ motus, quo multæ ædes corruerunt; quando & Caroli promulgatæ sunt leges, ut se verum præstaret Imperatorem, & subditos omnes suos in officio contineret, quos pios & in Ecclesiam exemplo suo bene animatos esse voluit; quoniam mira est inter religionem, populique felicitatem complexio.

MUNDI 4855. CHRISTI. 802.

*Nicephorus Irenem deponit.* Hoc anno Nicephorus Patricius & Logotheta generalis Irenem redegit in ordinem; ac in Lesbum insulam deportari jussit pridie Kal. Nov. cùm jam ante duos menses hæc esset inchoata Tragœdia. Huic interfuere Legati Franci, acturi de matrimonio ejus cum Carolo, in quod illa inclinabat: ac quoniam de pace quoque inter Orientem & Occidentem legati venerant, ea coalescere cœpit, quantum populi diversissimi mores toleravere.

*Carolus Academias instituit.* Concilium hoc anno habitum Altini ob cæsum Patriarcham Gradensem à Joanne Duce Veneto, præside Paulino Patriarchâ Aquileiensi qui tum auxilium Caroli Magni contra Venetos imploravit. Circa hoc tempus Carolus, autore Alcuino, passim Academias excitavit, maximè Osnaburgensem & Parisiensem; quantum hæc ita cœpit inclarescere, ut ejus beneficio Athenæ in Gallias confluxisse videantur.

MUNDI 4856. CHRISTI. 803.

*Moritur relegata Irene.* Obiit hoc anno ex mœrore & ærumnis Irene relegata; quando & Nicephorus in plurimos Optimates sæviit. Quare Joannes, cognomento Turcus, Præfectus Orientis acclamatus est Imperator, invitus licet; qui tamen mox depositâ purpurâ monasticum habitum induit: nihilominus contra datam fidem à Nicephoro excæcatus est; qui etiam eundem promoverant omnes mulctati, immo universus exauthoratus exercitus. Insuper Stauratium filium suum Nicephorus inaugurari jussit Augustum, neque corpore neque mente satis sanum, quo per Tharasium coronato, ipse progressus est adversus Saracenos; à quibus victus, vix incolumis Constantinopolin rediit, ad publicam ignominiam, populo non ingratam. *Nice... rus à Sa... nu...*

MUNDI 4857. CHRISTI. 804.

Venit hoc anno Mantuam Leo, rogatu Caroli Magni, ut statueret de sanguine Christi hîc invento; quem non Berytensem, sed qui fluxerat ex Christi patientis corpore in Calvario pronunciavit; de quo viderint eruditi. Exinde perrexit in Germaniam cum magno Cardinalium & Antistitum comitatu, ubi S. Suitbertum Verdæ, ex consilio eorum, in Sanctorum catalogum retulit, vitâ suâ ac miraculis illustrem. *De ve... gu... tro...*

Mortuus est hoc anno 14. Kal. Junias Albinus Flaccus, seu Alcuinus, Abbas S. Martini Turonensis à Carolo Magno præpositus. Utrum autem item sit cum eo cujus meminit Beda, disputatur; negare videtur Baronius, ne ad annos centum quinquaginta vitam produxisse videatur; Quod admittendum non esse, cum eo doctissimo viro fatentur eruditi. *M... Al... Fl...*

Finitum est hoc anno bellum Saxonicum triginta & amplius annorum; quando Saxones, sæpe rebelles, sæpe domiti, facti Christiani, & authoribus rebellionis exterminatis, incredibili numero per Gallias & Germaniam sparsi sunt, ut nomen suum & rebellionem inter multos populos divisi dediscerent. Cùm autem multi in Belgicæ maritimæ parte consedissent, his quoque populis rebellionis suæ afflavere virus, semper adversus Principes suos insurgentibus, nisi arte & amore regantur. *Fi... bel... xo...*

MUNDI 4858. CHRISTI. 805.

Aaron, Saracenorum Princeps, adversus Nicephorum trecenta millia armatorum eduxit; quibus hic territus, pollicitus est illi tributi nomine tricena millia numismatum & tria millia in Imperatoris, & totidem in filii caput; tanto videlicet pretio se barbari servos Augusti, Orientis Imperium se inimicorum Christi vectigale declaravit. *Ni... rus tur... cen...*

Caganus Rex Auarum dictus, Theodorus, Christianus, expulsus à Sclavis Behemanis, & suâ regione davastatâ, auxilium à Carolo petiit, & obtinuit. Ad eos juvandos Imperator filium suum Carolum misit; à quo victi Sclavi, Dux eorum Licho in prælio cæsus, Auares pacem, & regionis suæ liberam possessionem Francis debuere, qui tum erant publici Infortunatorum auxiliatores.

MUNDI 4859. CHRISTI. 806.

Mortuus est hoc anno, sedis suæ vigesimo secundo, Tharasius Constantinop. Episcopus, sanctimoniâ & miraculis illustris; cui suffectus est Nicephorus Laicus, Imperatori quondam à secretis; sed qui ante Tharasii mortem in solitudinem secesserat, ut vitæ monasticæ assuesceret, quam animo informarat: sed tum per vim raptus, jussu Imperatoris, & multùm reluctatus, consecratus est hujus sedis Patriarcha, eò dignior, quò eum honorem magis refugiebat.

Turbatus Oriens Synodo aliquot Episcoporum, qui Josephum, à quo coronata erat Theodote, dignitati suæ restituerunt. Hæc *Adulterantium* dicta; & huic viri sancti restiterunt, ideo acti in exilium Plato atque Theodorus; alii quoque viri pii ob hanc causam communionem Nicephori refugerunt, atque ab ejus absfuere sacris, pro eo nihilominus ut Imperatore in Mysteriis orantes, ne concordia penitus deplorata videretur.

Carolus Magnus, conventu habito in villâ Theodonis, *Thionville*, testamentum condit, & regnum suum inter tres suos filios dividit; Carolo majori natu, Belgicam Galliam, ac Germaniæ magnam partem; Pipino Italiam, Bojoariam, & partem Alemanniæ; Ludovico, Aquitaniam & Gallias Lugdunensem & Narbonensem; omnibus iis Ecclesiæ causâ accuratissimè commendatâ. De Imperio nihil statuit, cujus concessionem visus est Leoni Pontifici, à quo id ipse acceperat, relinquere, simul & gratus & pius.

S. Cypriani ossa Carthagine Lugdunum translata; partem tamen eorum accepere à Carolo Veneti, quia duabus urbibus ditantis hæc pretiosa Lipsana satis erant.

MUNDI 4860. CHRISTI. 807.

Aaron comparatâ classe Rhodum vastat, & captam Myram Lyciæ civitatem diripit, ubi suppositam arcam reliquiarum S. Nicolai, pro vera sublata, disjicit & conterit. Verùm pœnas dedit sacrilegæ voluntatis: agitatâ enim tempestate, classis pænè tota naufragium passa est; ipse, vix incolumis rediens, invitus sancti hujus potestatem coactus est confiteri.

Nicephorus filio suo Stauratio dedit uxorem Theophaniam cognatam Irenes, jam alii desponsatam viro; ipse sibi duas virgines delectas ob formam, adjunxit homo mulierosus; ideo derisus à populo. Cùmque in eum viri magni & Ecclesiastici pro restituendo Reip. statu conspirassent, omnes interfecti didicerunt, Deo magis placere Tyrannos ferri, quàm exterminari.

Carolus Magnus, missâ in Corsicam ac Sardiniam classe, Duce Burchardo, bis Saracenos profligavit; quorum aliqui piratæ Monachos 60. ceperant in Pantelaria Insula, ac vendiderant in Hispania; cui impietati causam cladis suæ scelerati ipsi sapienter assignarunt. *Carolus vincit Saracenos, piratas.*

MUNDI 4861. CHRISTI. 808.

S. Plato cum suis monachis, & Josephus Episc. Thessalonicensis ejus frater, quòd Nicephoro Patriarchæ communicare nollent, nisi deposito Josepho Oeconomo, qui pellicem Theodotem unxerat Augustam, ab eodem Nicephoro accusati apud Leonem III. Romæ ut schismatici habiti sunt; sed ut rei accusati, & in suâ defensione nondum auditi. *S S. viri indicta causa damnati.*

Crunnus Rex Bulgarorum Sardicam dolo cepit, & in ea multa civium & militum millia obtruncavit. In eum progressus Imperator, re infectâ redire compulsus est. Cùm autem imposuisset vectigal in captæ urbis restaurationem, in eum populus Constantinopolitanus insurrexit; in quem ille cædibus & exiliis sævijt, quibus & Urbem & fiscum suum, imprudenter juxta ac crudeliter, exhausit. *Nicephori imprudens crudelitas.*

Tum etiam Aaraone Saraceno Principe mortuo, filii ejus Mauhmat & Habdalla de regno depugnantes, Syriam cædibus & rapinis impleverе; quæ ad Christianos maximè pertinuerunt, eorum Ecclesiis & monasteriis compilatis atque disjectis. Quid enim à civili bello, & inter Saracenos excitato aliud expectaretur. *Civile bellum in Syria.*

MUNDI 4862. CHRISTI. 809.

Habita est hoc anno Synodus alia Constantinopoli, dicta *Mœchorum*, in causâ Josephi Oeconomi; in qua Canones alii impii statuti sunt. Quibus cùm repugnarent S. Plato, Theodorus, & Josephus Episcopus, in exilium acti sunt, & gravissima passi, ad Ro. sedem confugere. Sed iis afferri remedium sub Imperatore tam insano, & crudeli, non potuit. *Synodus alia dicta Mœchorũ.*

Hoc enim anno Nicephorus Imperator novis exactionibus & suppliciis Constantinopolin, & totum Imperium, & maximè loca sacra tantùm non perdidit; adeo ut à Deo duntaxat remedium tot calamitatibus sperandum videretur. *Nicephori improbitas*

Celebratum est hoc anno Concilium Aquisgranense de processione Spiritus Sancti. Sed cùm à Francis & Hispanis addita hæc vox esset Symbolo Constantinopolitano FILIOQUE, interrogatus à Carolo Leo respondit, nihil esse immutandum, & permisit quidem de more hoc Symbolum cani, sed sine hâc voce *filioque*; ut ostenderet quantum Ecclesia à novitatibus abhorreret, ferè semper in Ecclesiastico & politico statu perniciosis. *Synodus Aquisgranensis.*

MUN-

MUNDI 4863. CHRISTI. 810.

*Impietas Nicephori I. peratoris.* Nicephorus hoc anno se Manichæum, aut eorum fautorem ostendit, improbans eleemosynas, & Christianos qui diligerent proximum irridens; improbavit quoque vasa aurea & argentea in Ecclesiis; adituris Episcopatum & Monasterium imposuit tributum grave, ut ab iis adeundis sui subditi deterrerentur; hostis Ecclesiæ & pietatis jam manifestus. Duces etiam ac milites Episcopis & Clericis uti servis abuti jussit. Tum igitur freti Imperatore Manichæi extulere caput, mox in duas sectas divisi, in Beanitas, & Sergiotas aliter *ἀςάτους instabiles* dictos, divisi; quoniam error diutius unus diu stare nequit, sed mox in multos dividitur.

*Pipini infelix in Venetos expeditio.* Contigisse videtur circa hoc tempus Pipini adversus Venetos expeditio; quando pace, initâ inter Carolum & Nicephorum, fœderata est Græcis Venetia. Quare tum Veneti, in se arma Pipini converterunt, quæ tum parum felicia Francis extitere. Cùm enim Methamaucum Pipinus occupasset, atque incendisset, alias autem insulas in quas confugerant Veneti, imposito milite, ratibus tentaret, incurrerunt illi in vadosa loca, & uliginosa, in quibus à peritis locorum Venetis obtruncati sunt. Unde tantùm doloris hausit Pipinus, ut paulò pòst obierit, sepultus Veronæ; Veneti extulere caput, immutatoque statu suo deinceps ad eam pervenere potentiam, ut paucos sibi bellis terrestribus pares, navalibus nullos haberent.

## CAP. II.

## *Decas Secunda.*

### *Ab anno Christi* 810. *ad* 820.

MUNDI 4864. CHRISTI. 811.

*Saraceni intercipiunt pecunias Ro.* LEo Prætor Armeniacorum, ferens donativum militare talentûm sexdecim, & librarum mille trecentarum, à Saracenis occurrentibus interceptus, & pecunias, & multos è suis captivos amisit. Quo audito Nicephorus Imp. jussit Nicetam Logothetam imponere tributa nova Ecclesiis, & monasteriis, & octo insuper annorum redhibitiones à Principum domibus exigere; quâ de re cùm omnes quererentur, respondit, ut se Pharaonem profiteretur induratum à Deo, nihil sperare se nisi quod in oculos caderet; jam non tantùm hæreticus, sed *ἄθεος*. *Nicephorus. ἄθεος.* Inde ingressus Bulgariam, & prosperis aliquot præliis redditus insolentior, pacem petenti Crucio denegavit, multaque in suos & hostes crudeliter gessit. Quando ex desperatione animos colligens Bulgarus, in eum irruit, cepit, interemit, cum multis Patriciis ac Ducibus, & toto ferè exercitu. Præcisum ei caput, ad ludibrium ostentatum est aliquot diebus; tum in poculum conversum, & exornatum est argento, ut in eo Principes Bulgari biberent. Ex ejus militibus aliquot capti, cùm fidem ejurare noluissent, à Bulgaris sanctorum martyrum auxere numerum X. Kal. Aug. recepti cœlo, dum eorum impius Imperator dæmonum & hostium ludibrium ad inferos detruderetur. Stauratius autem filius, multis debilitatus vulneribus, ægrè relatus in Urbem, dum novas cogitat cædes, atque Imperium uxori suæ Theophaniæ firmare, ab eodem excidit; ejusque loco omnium consensu 3. No. Oct. Michaël Curopalates, cognomento Rhancabenus, Nicephori gener, præstito priùs de rectâ fide servandâ juramento, acclamatus est Imperator; mox ejus uxor Procopia dicta Augusta, nec ita multò pòst Theophylactus ejus filius. Sic pax reddita Ecclesiæ, omnibus reconciliatis, ejecto iterum Josepho Oeconomo; adeo ut impii Principis sceleribus omnes Orientalis Ecclesiæ & Imperii calamitates adscribendæ viderentur, quæ cum ejus vitâ defierunt.

Hoc etiam anno mortuus est Carolus, maximus natu inter filios Caroli Imperatoris, sicut & huic filia charissima Rothrudis. Contigere & tum multa hujus mortis vicinæ portenta, terræ motus, fulmina, Palatii casus; quibus sibi atque regno providere admonitus, Bernardum Pipini filium nothum præficit Italiæ, reliquum Imperii reliquit Ludovico, quem pietas ad tantam dignitatem reservarat, multis tamen adversis casibus exagitandum.

MUNDI 4865. CHRISTI. 812.

Michaël Imperator Manichæos, tum Paulicianos & Attinganos dictos, gladio feriri jubet: quare aliquot cæsi, multi fugere. Tum periit Sergius ille Manichæus asserum factor, asciâ à quodam ex ejus manibus extortâ, & in caput impactâ; obiit, suorum & alienorum scelerum pœnas persoluturus.

Tum quoque habitus est Conventus Constantinopoli de reddendis Bulgaro Regi fugitivis; quæ quæstio animos distraxit, aliis ajentibus, aliis negantibus. Reddi nolebat Theodorus Studites cum multis viris bonis, volebat Nicephorus Patriarcha, & id è re publicâ Imperator arbitrabatur; tandem evicit pars negans, sicque recusata pax, unde multa mala Imperio contigerunt, per Cometem magnum tum è cœlo, & à sapientibus viris in terra certiùs prænunciata.

Cùm esset inter Saracenos quasi *ἀναρχία*, ejus damnũ in Ecclesias Christianorũ redundavit, maximè in Palæstinâ, & Hierosolymis; ubi loca sacra fœdata turpiùs, quò plus sanctitudinis habuere.

Carolus M. & Michaël Imperatores mutuis se legationibus cohonestarunt; unde utriusque Ecclesiæ plena sperata est amicitia, multis salutaris.

MUNDI 4866. CHRISTI. 813.

Victus à Bulgaris Michaël juxta Hadrianopolin fugit in Urbem, atque Imperium in Leonem Armenum rejicere cogitat. Restitit hic in speciem, & donec à Nicephoro propè cogeretur:

quem

quem tamen fictè recusasse volunt, & causam hujus cladis extitisse, & odii militum in Michaëlem. Adiit ergo Imperium Leo, cùm ad eum Michaël Imperii ornamenta deferenda curasset, seque cum uxore ac liberis attonsis Monasterio inclusisset. Neque tamen malorum finis: Crunus enim, captâ Hadrianopoli, Episcopum urbis crudeliter interemit, inter martyres deinceps cultum. Sed tyrannus mox à suis strangulatus est, cui datus est successor Zocus, nihilo mitior antecessore, qui captivos omnes Christianos recusantes negare fidem necari jussit, atque humanâ cœlestique libertate imprudens donavit.

Celebris erat hoc tempore Theophanes nobilis Historicus Græcus, qui ad captam urbem Hadrianopolin suam deduxit historiam, Abbas Monasterii Agri, vir sanctus, & post obitum miraculis illustris; quæ multùm quoque fidei ejus narrationibus non immeritò tribuunt.

Leo verò non est passus Constantinopoli Michaëlem Monachum degere, sed eum cum uxore ac liberis in Protam insulam relegavit; at priùs duos illius filios, Theophylactum & Ignatium, castrari jussit, quorum hic postea Constantinopolitanus Antistes pietate & miraculis magis claruit, quàm fecisset in purpurâ.

Denique coronatus est, jussu Caroli, Ludovicus Aquisgrani simul Imperator & Rex Francorum, patre quidem minùs fortis, sed fortè sanctior, dignus à pietate nomen accipere, quæ magnitudini longè videtur anteferenda.

MUNDI 4867. CHRISTI. 814.

Leo Imperator, Imperio confirmato, omniumq; ordinum sibi conciliatâ gratiâ, qualis esset ostendit, hoc est, imaginum hostis; quam in hæresin ut Catholicos pertraheret, Nicephorum & Theodorum Studitam, (nam tum S. Plato obierat) omnesque Episcopos degentes in Comitatu ad se venire jussit, & coram se de imaginibus cum Icôoclastis disceptare: quòd cùm omnes negassent, omnibus remissis domum; silentium imposuit, & de imaginibus loqui jussit. Paruere plerique, & inter cæteros qui minùs tacere debuerat Nicephorus Patriarcha; at Theodorus Studites asseruit hoc silentium impium esse, & ad se redire etiam Nicephorum induxit; qui statim in exilium pulsus est in Insulam Proconnesum, magis honoratus exilio suo, quàm dignitate.

In ejus locum corruptor Leonis intrusus est Theodorus Melissenus, cognomine Cassiteres, id est, *Stanneus*, homo turpissimus, & voluptate contaminatissimus, qui statim Synodo convocatâ, Copronymi Pseudoconcilium confirmavit, Septimam Synodum damnavit. Cui cùm obsisterent multi Episcopi & Archimandritæ, in exilium ejecti sunt; renovata Iconoclastarum persecutio; visus est Copronymus in Leone resurrexisse.

Obiit hoc anno Carolus Magnus Aquisgrani, ex pleuresi, ætatis suæ 72. Regni Franci 47. Imperii 14. vir de Ecclesiâ, si quis Princeps alius, optimè meritus, & in quo nulla virtus præter castimoniam defuit, cujus defectum multâ corporis afflictatione pensavit. Relatus est à Paschali post annos 166. sub Friderico II. in Sanctorum numerum; sed quòd is legitimus Pontifex non esset, non est probata ab Ecclesiâ Romanâ ejus ἀποθέωσις; permissa tamen videtur fuisse in quibusdam Ecclesiis Galliæ, quandoquidem prohibita non est; & tot Pontificum silentium, his Ecclesiis approbatio visa est. *An Sanctus?*

Successit ei filius Ludovicus, cognomento Pius, qui statim mandata patris exhausit: statim ad varios Principes Legationes misit, qui Carolum ut patrem luxere suum, etiam Saraceni, & idololatræ; adeo ut in Carolo obiisse censeretur publicus pater Orbis terrarum. *Succedit ei Ludovicus Pius.*

MUNDI 4868. CHRISTI. 815.

Mortuo Carolo, scelerati Romani in Leonem Papam insurrexere; sed iis restitit Leo, unde multæ cædes, & incendia: quas ut prohiberet Ludovicus, misit Romam Bernardum Pipini filium, qui seditiosos comprimeret; quod & præstitit, & Leonem innocentem declaravit; tumque agnovere Romani, Pontifici propugnatorem non deesse; In Ludovico Carolum vivere. *Leo Papa defenditur à Ludovico Pio.*

Imperator hoc anno ex Leone in Vulpem mutatus est: Archimandritas enim revocavit ab exilio, & ab iis tantùm postulavit ut communicarent suo Patriarchæ, in cæteris quam vellent fidem servarent. Paruere aliquot, sed mox ad se redierunt. Theodorus autem revocatus non est, immo longiùs amandatus, & unde nihil scribere posset. Jussus etiam flagellis minutis cædi, sed qui electus fuerat ad crudelem flagellationem Nicetas, Alexii filius, visâ sancti senis macie, ejus corpori substravit ovinam pellem recens detractam, & sibi sanguinem elicuit è brachio, quo flagella inficeret, & lacerationis cruentæ faceret fidem, factus pius tortor, atque misericors. *Theodorus Studites crudeliter excipitur à Leone.*

Hispani plerique cum suis Comitibus, ut jugum Saracenicum vitarent, confugerunt in Galliam; quibus agros assignavit in Septimaniâ Ludovicus, ab omnibus vectigalibus immunes: sed cùm à suis postea Comitibus premerentur, & redigerentur in servitutem, Ludovici decretis intellexere, se in Franciâ vivere, & in hac mitissima regione se plenam esse consequutos libertatem, in qua nullus nisi sponte servire potest. *Christianos exules benignè suscipit Ludovicus*

MUNDI 4869. CHRISTI. 816.

Sævitum acerbiùs à Leone in Episcopos, & Monachos: Theodorus, ob conversum quemdam Iconoclastam, vexatus, & gravia passus verbera, detrusus in horrendum carcerem, ubi dirâ fame pressus, ex solâ vixit Eucharistiâ. Maria quoque uxor Constantini, filii Irenes, & in Monasterium detrusa, se fortem præstitit; ideo relegata. Quæ cùm revocaretur à filiâ suâ tunc Augustâ, ut secum viveret, recusavit illa, ex consilio Theodori, ne ullo modo cum hæreticorũ amicis communicasse videretur. Tum enim Theodorus Epistolis suis mira præstabat; qui objectus ingenti incendio omnibus aquis superior illud restin- *Fortes in confessione Theodorus, & Maria.*

xit , ut ſcribentis fides vera eſſe hoc oſtento monſtraretur.

*Leoni III. ſuccedit Stephanus V. vel IV.* Obiit hoc anno Leo III. cùm ſediſſet annos xx. menſes 5. dies 17. qui Sedem ex Iriâ Flaviâ traduxit Compoſtellam , flagitante Alphonſo Caſto , cùm hic inventum eſſet corpus S. Jacobi Majoris , deinceps magno peregrinorum concurſu, ac miraculis frequentiſſimis celebratum. Valfridus quoque Strabo aſſerit eum ſepties aut novies in dies celebraſſe Miſſas, videlicet ut calamitatibus preſſus remedium quæreret,& cum Deo, quem teneret manibus, frequentiùs colloqueretur. Ei autem poſt dies 10. (alii ſcribunt xx.) ſuffectus eſt 10. Kal. Jul. Stephanus ejus nominis Quintus, dictus tamen Quartus; qui paulò pòſt profectus in Gallias, ut Ludovicum Pium conſecraret Imperatorem,cum Irmingarde uxore ſuâ. Sic autem receptus Rhemis Stephanus , ut intelligeret ſe ad Principem Chriſtianiſſimum atque piiſſimum, ſuoque nomine digniſſimum, acceſſiſſe.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4870. | 8 7. |

*Stephano IV. ſuccedit Paſchalis.* 8. Kal. Feb. reverſus Romam mortuus eſt Stephanus , cùm ſediſſet menſibus 7. & tribus diebus , in vitâ & poſt obitum miraculis clarus. Ac poſt biduum ſuffectus ei Paſchalis Romanus, vir doctus, & eloquens,& in quo eruditioni pietas concinebat,adeo ut miraculis coruſcaret , præfectus in Monaſterio S. Stephani ; ideoque ab omnibus expetitus, & probatus.

*Donatio in jure, Ego Ludovicus.* Hoc anno Concilium celebratum Aquiſgrani, in quo confirmata ſunt quæcumque donata fuerant Ro. Eccleſiæ à Pipino , Carolo , atque Ludovico ; Eaque donatio inſerta eſt Canonico Juri, diſt. 63. cap. *Ego Ludovicus*, ubi hæc dona accuratiſſimè recenſentur ; quæ donatio certiſſima eſt , & pleniſſima liberalitatis , quâ ornati Pontifices Romani, deinceps Imperatores, Conſtantinopolitanos non agnovere Dominos ſuos, ut antea ; ſed errantes corripuere graviter , & eorum decreta ſe in medio foro Romano combuſturos interminati ſuut; neque ſua diplomata Imperatorum annis , ut olim, ſed Pontificatûs ſui notare conſueverunt: quæ eis audacia,& dignitas à regibus Franciæ venit, ante quos divites erant , non potentes , neque magnarum domini regionum.

*Ludovicus punit ſeverè rebelles.* Bernardus Rex Italiæ contra Ludovicum rebellavit ; ſed hic ſtatim cum ingenti exercitu adfuit ; quo territus rebellis , ſe ad Imperatoris pedes abjecit. Verùm habitâ quæſtione, tam ipſe quàm conjurationis complices laici oculis orbati ſunt ; Epiſcopi convicti, & depoſiti in Synodo, in Monaſteria detruſi ſunt : cujus ſeveritatis poſtea pœnituit Imperatorem , hæc confeſſum coram Epiſcopis,& acta pœnitentia, pænè nimis pium atque religioſum.

*Romæ recipiuntur Legati Catholicorum, repelluntur hæreticorum.* Theodotus Patriarcha Conſtantinopolitanus mittit Apocriſarios ad Paſchalem, uti communionem ſubriperet ; ſed hi prohibiti ſunt ad Urbem accedere: contrà Legati à Theodoro Studitâ,& Catholicis miſſi, benignè ſuſcepti, ſicut & à Patriarcha Hieroſolymitano : cùm Antiochenus & Alexandrinus ſuo officio tum defuiſſe videantur, metu Leonis non tam imperantis, quàm lugentis.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4871. | 818. |

*Perſ... auge... in O...* Legationem miſit Paſchalis Pontifex in Orientem ; quâ multi rediere ad meliorem frugem: ſed aucta quoque perſecutio, & martyrum numerus in carceribus & exilio morientium. Tumque Romæ excitatum novum Monaſterium Græcorum, multis eò confugientibus tanquam ad Aſylum, non religionis tantùm , ſed & pietatis, & liberalitatis.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4872. | 819. |

*Th... rus dit. ſtu...* Ludovicus Imperator frequentibus Synodis Eccleſiæ Occidentali proſpicit ; dum Orientalis abjiceretur. Tùm enim cùm intercepiſſet Leo Imperator ſcriptas à Theodoro Studitâ litteras, hic per Orientem Magiſtrum militum verbera pænè uſque ad mortem paſſus eſt ; & poſtea Smyrnam deductus, in teriorem cuſtodiam detruſus, ibi ſingulis vicibus repetitis ſæpè, corpuſculum ejus exſuccum centenis verberibus lacerabatur. Perſtabat tamen invictus animus ; quare & blanditiis tentatus , quas irriſit, omnibus tormentis, omnibuſque artibus ſuperior, & in corpuſculo fracto , mente ad miraculum invictâ.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4873. | 820. |

*S. co... ne... la...* Sub Leone Armeno (ſed quo anno ignoratur) corpus S. Marci Evangeliſtæ Alexandriâ delatum eſt Venetias, per mercatores Venetos furtim ablatum. Tum ei magnifica Eccleſia condita, in qua defoſſum ſacrum pignus ſic, ut quo loco lateret penitùs ignoraretur, ne Franci reliquiarum ejuſmodi cupidiores, eas raperent. Jam acceperant iidem Veneti ab Heraclio Imperatore ejuſdem ſancti ſedem ; nunc aucti hoc pignore , Reip. S. Marcum , Urbiſque ſuæ Patronum elegerunt ; nec ſibi inutile eſſe tanti viri patrocinium in dies intelligunt.

Leo Imperator cùm regnaſſet annis 7. & menſibus 5. ipsâ nocte Natalis Domini in Eccleſiâ Palatii à fautoribus Michaëlis Ducis cognomento Balbi , ubi ſe diu cruce ex altari raptâ defendiſſet , interfectus eſt multis confoſſus vulneribus. Is Michaël multa ſolitus in Leonem effutire convicia , nec ipſi Imperatori monenti acquieſcẽs, damnatus igni fuerat, mox à Natalitiis feſtis comburendus: ſed Leone cæſo, pedes adhuc conſtrictus vinculis (nam eorũ claves ipſe Leo aſſervabat) Auguſtus acclamatus , & malleo confractis compedibus, conſpurcatus adhuc,& horridus pædore carceris , ad S. Sophiæ templum deductus, & coronatus eſt manu Patriarchæ. Erat is natione Phryx infectus novâ hæreſi , quæ baptiſmum ſolum admittens , ac reſpuens circumciſionem Moſaicam ſectabatur legem; quibus dum rerum potitus novos errores addit, non tam hæreticus, quàm impius eſt effectus. Statim autem 4. Leonis filios relegavit in Inſulam, juſſitque caſtrari ; quorum unus in ſectione mutus eſt effectus , alter obiit, mater in monaſterio inclu-

incluſa, impiiſſimi hominis familia diſſipata eſt, ipſe detruſus ad inferos, multorum criminum reus, multis Martyribus graviſſimas æternasque pœnas dependet.

## CAP. III.

## *Decas Tertia.*

### *Ab anno Chriſti* 820. *ad* 830.

MUNDI 4874. CHRISTI. 821.

MIchaël Balbus Imperator Orthodoxos omnes vinculis exſolvit atque exules revocat; ſed cùm Iconoclaſtas cum iiſdem componere cupit, negarunt hi illos recipere, niſi ut corriperentur. Rediit tum Theodorus Studites, multis in via miraculis editis, egregiamque Eccleſiæ navavit operam, quia ex æquo eruditus & ſanctus; quæ duo ad tutandam Eccleſiam plurimùm juvant.

In Hiſpania Habdarragman Saracenorum Princeps regnare cœpit, & Cordubæ Adolphum & Joannem Martyrum primitias immiſit cœlo; quos poſtea ingentia ſecuta ſunt agmina, & glorioſi Chriſti teſtes, ac Saracenicæ crudelitatis.

MUNDI 4875. CHRISTI. 822.

Ludovicus Pius hoc anno, convocatis Attiniacum Præſulibus, & Abbatibus, de morte Bernardi, & aliis peccatis ſuis in fratres commiſſis, publicam egit pœnitentiam in Jejunio, Ciliciis, Eleemoſynâ; quibus non hominibus modo, ſed & Deo, ſibique ſatisfecit.

Hoc anno Tyrannus quidam, Thomas nomine, Conſtantinopolin obſedit. Is Senatoris ſervus cùm domini thorum vitiaſſet, pœnæ metu fugerat ad Saracenos, apud quos annis 25. ejurato Chriſto manſit. At ſub Leone Armeno ementitus ſe Conſtantinum Irenes filium, collectâ perditorum manu invaſit Armeniam, & aliquot provincias occupavit; ſub Michaële Balbo auctis copiis, etiam Urbem mari terrâque obſedit. Sed adfuit ſponte auxiliator Barbarus; à quo deletus cum exercitu Thomas, deditusque ab Hadrianopolitanis, manibus ac pedibus truncatus, lentâ carnificinâ ſublatus eſt cum filio adoptivo Anaſtaſio, quem ex Monacho deſtinabat Imperatorem. Is hominis luxurioſi, Apoſtatæ, veteratoris, & Tyranni exitus fuit.

Hoc anno Saraceni Hiſpanienſes occupavere Cretam inſulam, atque ex Monachorum conſilio, ut hanc ſervarent, in loco Candace dicto urbem validam munivere; unde deinceps Inſula dicta Candax, & Candia, nomen antiquum cum libertate perdidit.

MUNDI 4876. CHRISTI. 823.

Lotharium, filium Ludovici, Paſchalis die feſto ſanctæ Paſchæ coronavit Imperatorem in Baſilicâ S. Petri. Accuſatuſque poſtea Pontifex quaſi aliquos Eccleſiaſticos luminibus orbaſſet, & decollaſſet in odium Lotharii, ſe ſacramento emiſſo purgavit; non aliter Pontificis eſt probata innocentia.

Hoc anno Baſilius filius Leonis Armeni in exſectione ſua mutus redditus, ad imaginem S. Gregorii Nazianzeni linguæ uſum recepit, ad Fidem cum matre ſua, & pleriſque aliis, ab Iconoclaſtarum hæreſi revocatus: graviter allaborante Theodoro Studitâ, qui cum aliquot aliis ideò relegatus eſt. Michaël autem tum quis eſſet aperuit, ſcilicet Judæus, impius, imaginum oſor, hoſtis litteraturæ, denique inter omnes Imperatores, qui purpuram induerant, ſceleratiſſimus. *Michael quis eſſet oſtendit.*

MUNDI 4877. CHRISTI. 824.

Obiit hoc anno Paſchalis, cùm ſediſſet annis 7. menſibus 3. diebus 13. cui ſuffectus eſt poſt dies 4. Eugenius Secundus 14. Kal. Jun. vir doctiſſimus atque piiſſimus, non tamen ſine competitoribus; quare mittendus fuit Romam Lotharius, qui diffidentes componeret, & autoritate ſuâ paratum abrumperet ſchiſma. *Paſchali ſuccedit Eugenius Secundus*

Michaël filium ſuum creat Auguſtum, atque ambo mittunt Legationem ad Ludovicum, conciliandæ pacis gratiâ; immo ad Ro. Pontificem cum muneribus. Tum allati ſunt per Theodorum, unum ex Legatis, libri S. Dionyſii Areopagitæ authentici, juſſu Ludovici Pii ab Hilduino Abbate S. Dionyſii Latinè redditi, qui eâdem die quâ recepti ſunt, [illegible]eſſe nominatiſſimas virtutes aſſerit: quibus tantundem tribues fidei, quantùm hujus ſcriptoris apud te valebit authoritas. *Lib. Dionyſii Areopagitæ miſſi ad Ludov. Pium à Michaele.*

MUNDI 4878. CHRISTI. 825.

Cùm anno ſuperiori multa in ſuis Epiſtolis adverſus ſacras imagines Michaël deblateraſſet, Ludovicus Pius obtinuit ab Eugenio Secundo, ut eâ de re viri docti piique rogarentur. Itaque habita eſt Pariſienſis Synodus; quæ cùm diu latuiſſet, tandem anno 1596. Francofurti à Novatoribus edita prodiit: ex quâ conſtat Collatores illos erroneè & perperam omnia egiſſe, & dum aliquid indulgere volunt Michaëli Imperatori, 7. Synodum tantùm non evertiſſe, atq; in tranſverſum egiſſe bonum Imperatorem. Quare probabile eſt Eugenium corripuiſſe Legatos Pii Imperatoris, atque ejus authoritate hanc nubem diſcuſſam eſſe, cùm eorum Collatorum nulli à Summi Pontificis communione diſceſſerint, aliqui etiam fortiter pro imaginibus diſputarint: inter quos excelluit Jonas Epiſcopus Aurelianenſis, qui adverſus Claudium Taurinenſem Epiſcopum, hominem Hiſpanum, diſcipulum Felicis Urgelitani Hagiomachum ſcripſit. Neq; tamen idem Jonas de imaginibus ſatis orthodoxè putatur ſenſiſſe, licet eum excuſent aliqui; neque item Agobardus Lugdunenſis Epiſcopus, ideo refutatus à Dungalo ſcriptore non ignobili; qui etiã cùm *Synodus Pariſienſis de imaginibus.*

cûm defendatur à quibuſdam, dicamus eos ita erraſſe, ut boni nihilominus extiterint, eorumque errores judicii fuerint, non voluntatis, Deo ſemper, atque Eccleſiæ ſeſe ſubmittentis.

MUNDI 4879. CHRISTI. 826.

*Moritur Theodorus Studites.*

Mortuus eſt hoc anno 3. Id. Novemb. Magnus ille Theodorus Studita, confeſſione ſuâ, & tormentis pro fide tɔleratis illuſtris, anno ætatis ſuæ 67. Qui moriens teſtatus eſt monachicum ſtatum Angelicum eſſe, & peccatorum omnium ἀλεξιφάρμακον. Corpus ejus poſt annos undeviginti integrum repertum, & miro fragrans odore Conſtantinopolim translatum, à Methodio Patriarchâ, curante Theodorâ Auguſtâ, quâ gloriâ ejus frueretur animus, ſatis oſtendit.

*Nuptiæ ſacrilegæ Michaelis.*

Hoc item anno, quo deletus eſt omnino exercitus à Michaële adverſus Saracenos miſſus in Cretam, & Dalmatia ab eo defecit; idem impius duxit uxorem Monialem Euphroſynam filiam Conſtantini, eamque dixit Auguſtam; quas en.m nuptias ab impiiſſimo Auguſto præter ſacrilegas & incœſtas expectares?

*Fides in ſeptentrione diſſeminatur.*

Arialdus, ſeu Haroldus, Rex Danorum hoc anno ſacris aquis intinctus eſt Moguntiæ, donatus à Ludovico Friſiæ Comitatu, quò ſe regno ejectus reciperet, & Chriſtiano viveret more. Huic convertendo allaboravit Ebbo Rhemenſis Epiſcopus; convertendo, S. Angarius Corbejenſis Abbas, creatus primus Aquilonarium partium Archiepiſcopus, ſede tamen ejus Hamburgo collocatâ. Ita dum fides in Oriente labaret, animabatur in Septentrione.

*Eginhardus ſcriptor.*

Circa hoc tempus floruit Eginhardus, qui à ſecretis fuit Carolo Magno, cujuſque vitam conſcripſit, ac poſtea inter optimates Ludovici militavit. Utrum autem duxerit Immam Filiam Caroli Magni, credet qui ejus nominis fuiſſe Carolo filiam Conſtanſtino deſponſatam inſulsè putaverit.

MUNDI 4880. CHRISTI. 827.

*Euphemius Tyrannus.*

Euphemius Dux in Sicilia virginem Deo ſacram duxit uxorem; accuſatus à fratribus virginis apud Michaëlem, pœnæ metu fugit in Africam ad Saracenos, à quibus dictus eſt Imperator: ipſe eos in Siciliam induxit; unde & Calabriam & aliquas Italiæ partes occuparunt, At dum Syracuſas ſubire tentat, à duobus Syracuſanis fratribus interemptus, ſacrilegii, proditionis, atque Tyrannidis, faciliori morte, dependit pœnas.

*Eugenio II. ſuccedit Valentinus, huic Gregor. IV.*

Mortuus eſt hoc anno Eugenius II. ubi ſediſſet annos 3. menſes 2. & dies 23. cui poſt unum diem ſuffectus Valentinus Romanus hanc ſedem tantùm diebus 40. tenuit, vacanſque diebus tantùm tribus ſedes, recepit 8. Kal. Octobr. Gregorium IV. Romanum, genere Clarum, & divinis humaniſque litteris excultiſſimum, eò digniorem hâc ſede, quò in illam ex latebris per vim extractus eſt.

MUNDI 4881. CHRISTI. 828.

Obiit tum Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus, in exilio jam annum 14. agens, 4. Non. Junii ut Græci, aut ut Latini 3. Idib. Maji; cujus corpus translatum Conſtantinopolim à Methodio, etiam præſentiâ Auguſtorum Michaelis III. & Theodoræ coho eſt tum eſt.

Occidens vexatus eſt frugum penuriâ, excurſionibus Saracenorum & Bulgarorum, ac domeſticis diſſenſionibus; quæ m.l, correctione morum, tollere conatus eſt Ludovicus: ſed unius pietati multorum crimina prævaluere.

MUNDI 4882. CHRISTI. 829.

Obiit hoc anno impius Michaël Balbus, dyſenteriæ morbo, cùm imperaſſet annis 8. menſibus novem, diebus ſeptem hominum maledictis, ſed quod terrius, Dei perculſus. Succeſſit ei filius Theophilus, ſub initium Imperii ſui ſatis juſtus, multatis iis qui cum patre in Leonis Armeni necem conſpirarant, & novercâ ſuâ in Monaſterium, unde abducta fuerat, retruſâ; ſed hæc æquitas hominis fuit, Imperii ſui, quàm religionis appetentioris.

Gregorius IV. Saracenis oras Italiæ infeſtantibus, Oſtiam urbem muniit, & de ſuo nomine Gregoriopolim dixit. Jecit & fundamenta novæ civitatis, ut eâ ſancti Petri Baſilicam includeret, quæ à Leone Quarto abſoluta Leonina dicta fuit; opus duobus Pontificibus digniſſimum.

MUNDI 4883. CHRISTI. 830.

Theophilus hoc anno perſequitur SS. imaginum cultores, carceres aperit, expedit tormenta adverſus illos qui eas colerent, atque retinerent, nihil cohibitus præcedentium Imperatorum pœnâ, Deique furore.

Conſpiratio in Ludovicum Pium à filiis, Principibus, ac multis Epiſcopis erupit: cui cauſam dedit Bernardus Hiſpanus, homo charus Ludovico, ac cubiculo præfectus, ſecuritatis ſuæ causâ, quem admiſceri Judithæ Reginæ multi quærebantur, pauci putabant. Dolebant quoque filii Ludovici natos ex Judithâ, Carolum & Rodolphum, à patre chariùs diligi. Itaque Pipinus in patrem parato exercitu, eum Bernardum dimittere compulit, Juditham monaſterio Laudunenſi ſancti Medardi incluſit. Unde retractam jurare compulit ſe marito perſuaſuram, ut ipſe quoque Monachus fieret. Quod cùm præſtare conata eſſet, accepto velo in monaſterium ſanctæ Radegundis detruſa eſt; Ludovicus ſibi ſpatium dari ad conſultandum poſtulavit. Rediit interim ex Italia Lotharius, & facta quidem hactenus probavit, ultra tamen urgeri patrem noluit. Quare Neomagi coacto Conventu, quo venere pater & filii, Lotharius impulſus adhortatione patris ei ſe obſequentem præbuit; Itaque reſtitutus Imperio Ludovicus

vicus, qui tamen, more consueto, dum leniùs in conjuratores agit, eosque mitioribus pœnis castigat, non eorum repressit malevolentiam; sed audaciam auxit, fortiter à Principibus semper, & acerbè in hominibus sceleratis atque seditiosis reprimendam.

## CAP. IV.

### *Decas Quarta.*

*Ab anno Christi* 830. *ad* 840.

MUNDI 4884. CHRISTI. 831.

ADiere periculum grave Theodora Augusta, ejusque mater Theoctiste Paphlagones; uxor & socrus Theophili, accusatæ apud eum, quòd imagines colerent; quem & arte deluserunt; & amor quo deperibat uxorem, eum quoque excæcavit in detegendis imaginum cultoribus, alioquin oculatissimum.

Vivebat hoc tempore Amalaricus Fortunatus, olim discipulus Alcuini, qui hoc tempore obtulit Ludovico Pio librum *de divinis officiis*; ideò missus Romam, ut Ecclesiæ Gallicanæ Antiphonaria dirigeret, rectumque ordinem Ecclesiasticum ex fonte peteret. Id quoque præstare conatus est Agobardus Lugdunensis, sed cùm nihil admittere vellet, præter Scripturæ verba, id egit scrupulosiùs, quàm accuratiùs.

S. Bartholomæi corpus olim in Liparam delatum, hôc anno, devastatâ insulâ à Saracenis, disjectum est, ejusque ossa per agros sparsa; quæ à quodam Monacho, ab Apostolo indicata, collecta, & Beneventum religiosè translata, excepta sunt cum singulari, ut par erat, veneratione, ut à Christianis injuria Saracenorum sarciretur.

MUNDI 4885. CHRISTI. 832.

Recruduit hoc anno in cultores SS. imaginum persecutio, malè mulctati plerique, inter cæteros Lazarus Monachus pictor, quem Imperator, tentatum priùs blanditiis, atrocissimis tormentis subjecit. Recuperatâ valetudine cùm denuò pingeret imagines, ejus manibus candentes laminæ sunt admotæ; sed emissus è carcere, petente Imperatrice, & occultatus in S. Prodromi templo, plagis malè affectus, nihilominus pinxit sancti hujus imaginem, etiam miraculis illustrem, ex sanctimonia picti atque pingentis.

Pipinus rursus turbas in patrem commovens, ab eo in carcerem conjectus est, ejusque ditio Aquitania Carolo Judithæ filio data; quod mitigantis potiùs, quàm punientis patris pœna fuit.

MUNDI 4886. CHRISTI. 833.

Rebellant in patrem Ludovicum Pipinus, Lotharius, & Ludovicus, & parant exercitum: belli prætextus fuit Pipinus exautoratus, data Carolo Aquitania; causa, in patrem nimis facilem contemptus, & odium. Venit Româ Gregorius; sed suspectus Imp. Ludovico, quasi liberis ejus faveret, parùm honorificè susceptus est. Ad eos missus, cùm nihil obtineret, rediit Romam mœrens. Interea sollicitatus Ludovici exercitus ad filios deficit: quare se iis dedere compulsus est, & pessimè acceptus ab iis, & ab Ebbone Rhemensi Episcopo, harum turbarum præcipuo incentore cum aliquot Episcopis. Compendium deductus, gladium deponere, sumptoque cilicio, se reum malè administrati regni coactus est confiteri; Imperiumque ejus in Lotharium translatum. Quod facinus non tantùm Gregorius, sed & boni omnes Franci detestati sunt, moxque ad verum Imperatorem restituendum animum admoverunt, & quid possent, rebellibus, & ingratis filiis ostenderunt.

MUNDI 4887. CHRISTI. 834.

Conflato grandi pro Ludovico exercitu, Lotharius utcumque se excusans, Viennam pergit. Itaque Ludovicus ab Episcopis bonis in Ecclesiâ S. Dionisii restituitur in Imperium, qui ab Episcopis improbis depositus erat, cum totius populi, immò ipsorum elementorum communi gaudio. Tum filios suos, & rebelles, indulgentior Ludovicus recepit in gratiam. Sed cùm Lotharius ad patrem rediens urbem Cabillonensem expugnasset, faventes patri cecidisset inflammasset totam urbem, & sororem Bernardi Sanctimonialem, inclusam dolio, projecisset in Ararim, movit patrem cum aliis filiis in sacrilegum; qui & coactus est ad patrem accedere, ac veniam deprecari; sed ejus sectatoribus malè indultum. Recepit quoque Ludovicus Juditham in Italiam relegatam à privignis; omnes turbæ compositæ majori Imperatoris utilitate, quàm gloriâ. — *Restituitur Ludovicus*

Tum Hilduinus Abbas sua Areopagitica scripsit; cui favit Ludovicus, quòd in Ecclesia S. Dionysii restitutus esset; sicque duo Dionysii, Areopagita, & Parisiensis Episcopus in unum conflati, ambitione Hilduini, vel ignorantiâ; quarum neutra in tanto viro ferenda fuisset, si hoc tempore litteræ prævaluissent stolidæ auctoritati. — *Hilduini Areopagitica.*

Theophilus Saracenos aggressus, victus ab iis ac propè captus est; quando redux S. Methodium imaginum cultorem aliàs sibi charum verberibus atrocissimis cæsum cum duobus latronibus inclusit in sepulchro; in quo eis tantùm sufficiebatur à piscatore quodam, panis, quantum ad mortem duntaxat arcendam satis esset; ubi ad mortem Tyranni detentus est, ut quidam volunt; alii tamen ante dimissum scribunt, quòd eo Theophilus indigeret ad solvenda quædam dubia, dignis Tyranno indulgentiâ & liberalitate. — *Methodius à Theophilo malè acceptus.*

MUNDI 4888. CHRISTI. 835.

Hoc anno actum est in Concilio Rhemensi de Ecclesiasticis in Ludovicum conjuratis. Ebbo sponte se abdicavit Episcopatu, cæteris data venia; qui confugerant in Italiam, omissi, ut Pon- — *Conjurati in Ludovicum mulctantur.*

Pontificii juris. Quando paulò post Theodulphus Floriacensis Abbas detentus in carcere ob eandem causam, die Palmarum scriptum à se (erat enim vendibilis poëta) *Gloria laus & honor tibi sit rex Christe redemptor* &c. occinuit; quo delectatus Ludovicus, eum solvi jussit, & receptum in gratiam aliquantò pòst Aurelianensi sedi præfecit; hoc ei poësis profuit, ut ex reo liber & Præsul fieret.

*Theodulphus Floriacensis.*

Obiit hoc anno impius Theodotus Episc. Constantinop. reliquitque locum suum Joan. VI. Theophili pædagogo, homini longè sceleratiori; fuit enim magus, libidinosus, omnibus criminibus inquinatus; dignum Pseudopontifice choragium.

*Theodoto successit Joan. VI.*

Theophili duo fratres Monachi resistunt fortiter Imperatori; ideò post dira verbera inscriptum eorum frontibus duodecim Jambi; sicque in exilium missi, publicam fecere omnibus confessionem suam, & Tyranni crudelitatem.

*Vultus Monachorum inscripti.*

MUNDI 4889. CHRISTI 836.

Lotharius in Ecclesia Ro. populos arma movet, sed à patre deterretur. Tum Ludovicus Normannos in Frisiam irrumpentes, & Britones tumultuantes repressit: lues quoque, conjurationis in eum principes extinxit. Quare ut se pius Imperator gratum erga Deum præberet, aliquot Synodos ad Ecclesiæ bonum regimen cogi jussit; reliquias sanctorum honoravit, & per varia loca religiosè dispersit, Deo huic allaborante, dum is Dei causâ labores susciperet.

*Ludovicus pius & felix.*

MUNDI 4890. CHRISTI 837.

Parat se ad mortem Ludovicus, viso cometâ, ac filium Carolum ex Juditha natum Regem Neustriæ coronat, defuncto alio ejusdem nominis filio; habitus est Conventus ille Carisiaci *Gressy sur Serre* in quo multa edidit Ludovicus pietatis suæ testimonia; uti solent mori, qui piè vixerunt.

*Ludovicus Pius se ad mortem parat.*

MUNDI 4891. CHRISTI 838.

Ludovicus Pius inter filios suos partitur ditiones suas; at, Pipino demortuo, Aquitaniam Carolo tribuit, partitoque inter Lotharium & Carolū imperio, Bojoariam Ludovico assignat. Hinc ortæ discordiæ, Ludovico reclamante, & multis pro Pipino puero, Pipini filio pugnantibus, qui paternâ hæreditate fraudatus videbatur. Itaque aliæ atque aliæ sectæ sunt divisiones, Ludovico magis pio, quàm constante.

*Ludovicus inter suos dividit ditiones suas.*

Celebres erant hoc tempore Fridericus Episcopus Trajectensis martyr, insidiis Judithæ Imperatricis sublatus, de quibus quid sentiam statuere non audeo. Rhabanus Fuldensis Abbas, qui gregis amore curam suorum in Hattonem refudit. Lupus Rhabani discipulus, monachus Benedictinus à Juditha vocatus in Aulam, & Abbas creatus Cœnobii Bethlehemitici, seu Ferrariensis in pago Senonensi; viri omnes magni eruditione atque pietate, dignique qui à Pio Imperatore diligerentur.

*Viri sancti tum illustres.*

MUNDI 4892. CHRISTI 839.

Hic annus civili motu notatur à Francis; quando Ludovicus Imperator in filium Ludovicum rebellantem movit, & ad obsequium vi & armis compulit. Sedavit & motus in Aquitania ex Pipino Juniore prætexto; vir ad sopiendos, quàm ad impediendos civiles motus aptior.

*Lud. civili... compu...*

MUNDI 4893. CHRISTI 840.

Ludovicum Imperatorem turbat Ludovicus filius, bello in Germania concitato, quem incommoda tempestate persecutus est; unde in morbum incidit. Tum Solis ecclipsis contigit tanta, ut nox esse videretur; quando Pius Imperator mortem adesse videns, se in insulam Moguntiæ vicinam deferri præcepit, ubi tempore Quadragesimæ nihil præter Dominicum sumpsit, tam arctum sibi indicens jejunium, ob non servatam Quadragesimam. Tandem thesauris suis in Ecclesias, ac pauperes distributis, datâque Ludovico filio veniâ, appresso pectori S. Crucis ligno, quo & dæmones fugasse perhibetur, elatis in cœlum oculis, spiritum Deo reddidit 12. Kal. Junii. Vir in quo nihil argui potuit, præter nimiam facilitatem, sibi, regnoque perniciosam; cujus factiones paucorum pœnâ faciliùs restinxisset; sed dum nimis pius esse voluit, atque indulgens, pæne bonus Imperator & Princeps esse desiit. Sepultus est Metis in templo S. Arnulphi, à fratre Drogone hujus Urbis Episcopo, omnibus in ejus funere lugentibus, atque etiam iis, qui huic negotii plus exhibuissent. Successit ei in Imperium Lotharius filius, qui dum in fratres posse voluit, multùm illis atque sibi laboris, plus molestiæ subditis attulit.

*Lud. Pius mor.*

---

## CAP. V.

## *Decas Quinta.*

***Ab anno Christi* 840. *ad* 850.**

MUNDI 4894. CHRISTI 841.

Theophilus Imperator inquirens futura ab anu præficâ Saracenâ, audit quæ nolebat contingere de sacris imaginibus, & futuris Augusti Martinatiis; quibus prædictionibus nititur occurrere. Tum S. Joannicio Anachoretæ prænunciata pax Ecclesiæ, quo nuncio fideles recreati, pænè ex ultima desperatione. Cùm ergo idem Imperator bellum adversus Saracenos suscepisset, Persis conjunctus, ab iis proditus, victus est, & ferè captus, multis Procerum relictis, quos confitentes Christum Saraceni Martyres interemerunt; in suppliciis, quàm in prælio fortiores, & meliores Christianos, quàm milites.

Hoc anno civile bellum conflatum est à Lothario adversùs Ludovicum & Carolum Calvum fratres, qui omni ope nisi sunt prælium devitare;

tare; sed id coacti iniere 7. Kal. Julii; victus Lotharius, Carolus sibi relictum regnum à patre stabilivit; qui ut pietatem sui parentis imitaretur, aliqua Sanctorum corpora Suessionibus, suis humeris sustulit in nobiliorem Ecclesiam Monasterii S. Medardi; ex quo onere pio à Deo retulit ut onus sui Principatus, & meliùs, & honorificentiùs ferret.

MUNDI 4895. CHRISTI. 842.

Lotharius bellum in fratres renovans, ab iis etiam expulsus est, & Conventu Episcoporum Aquisgrani habito, ex eorum consilio, ejus regnum propter scelera perditum inter se partiti sunt; quod ita regendum ambo suscepere, ut ipsis gloriosum esset, Deo gratum, subditis necessarium, à Principe levissimo atque scelerato liberatis.

Theophilus Imperator ex morbo anno superiore contracto, atque ex mœrore moritur 3. kal. Febr. cùm priùs Theophobum Imperium affectantem interimendum curasset, ejusque viso capite exclamasset, *Neque post hæc ero Theophilus, neque tu Theophobus.* Morientis os ita diductum esse ferunt ut viscera conspicerentur; hunc tamen criminum pœnitentem imaginem sacram coluisse, & raptum in judicium precibus uxoris Theodoræ fœminæ piissimæ, & Methodii, aliorumque, veniam à Deo obtinuisse postea dixit Gennadius in Concilio Florentino; quod si verum est in homine tam impio, tam crudeli, tam sui Dei oblito, Deus ostendere voluit quò pertingat ejus misericordia, rarò illiusmodi hominibus indulta.

Successit ei Michaël III. adolescens sub curâ Theodoræ Matris, ac Manuelis Magistri militum, & Thoctisti Logothetæ Dromi. Eorum consilio exauthoratus impius Joannes Pseudopatriarcha, eique substitutus S. Methodius; à quo statim habitum Concilium, in quo Septima Synodus comprobata, promoti ad Episcopatus viri illustres, imagines ubique restitutæ, Iconoclastarum hæresis annis centum viginti Constantinopoli grassata, penitùs extincta est. Statutum porrò deinceps ut quotannis Dominicâ primâ Quadragesimæ festum restitutionis imaginum celebraretur, ut inflictum sanctis dedecus publicâ & perpetuâ hac memoriâ sarciretur.

MUNDI 4996. CHRISTI. 843.

Methodius Patriarcha, à muliere nefariâ per fautores Joannis inductâ insimulatus stupri, coram omnibus pudenda nudans arida ac tabida ostendit, asseruitque hoc impetrasse à S. Petro cùm Romam à S. Nicephoro missus esset. Obtinuit autem suis accusatoribus veniam; sed Joannes detrusus est in monasterium, ubi cùm oculos quibusdam imaginibus per Diaconum suum effodisset, jussu Theodoræ ipse privatus est oculis, acceptis priùs ducentis verberibus: nunquam verbero vapulavit digniùs, nunquam meliùs & sanctiùs adhibita pœna talionis.

Lotharius pacem rogat fratres, & regni partem; quæ ei conceduntur studio publicæ tranquillitatis, consultis priùs Episcopis. Itaque totum Regnum divisum in tres partes; Lotharius calamitatibus & humanitate fratrum victus, ferociam posuit, & sapere tandem didicit. *Lotharius fit sapientior.*

Hoc anno obiit Gregorius IV. cùm sedisset annis 16. qui annus Italiæ Saracenorum grassationibus fatalis quoque fuit. Ducis enim Beneventani, his ex Hispania adscitis, Italiam exposuere; quando & Beneventum captum, incensaque Capua, direptum à Siconulpho seu Sigenulpho, altero Beneventano Duce, Cassinense monasterium, atque omnibus suis ornamentis Francicis spoliatum, eliitis auri purissimi centum triginta libris, argenti nongentis, præter aurum argentumque signatum, ac gemmas. Denique affixa sic Italiæ Saracenica lues, ut vix annis triginta extincta sit, atque depulsa. *Gregorius IV Papa moritur.* *Saraceni in Italia grassantur.*

MUNDI 4897. CHRISTI. 844.

Sergius, hujus nominis Secundus, sufficitur Gregorio, patre Sergio natus, eruditione ac moribus insignis, ejecto Joanne Diacono in eodem intruso. Tum autem Romam Ludovicus, Lotharii filius, venit, non ut Sergium confirmaret (quod ajunt Schismatici) sed ut à Sergio coronaretur; at hostiliter juvenis imprudens venit; susceptusque magnificè, & sapienter, ac fortiter admonitus à Pontifice, ob suorum grassationes, coronatus Italiæ Rex Papiam remissus est, pace Romanis prudenter per Sergium partâ. *Sergius II. succedit Gregorio IV.* *Ludovicus Romam venit.*

Ramirus Gallæciæ Rex, Alphonsi Casti successor, Oveti regnans, ejurato centum puellarum tributo, auxilio S. Jacobi, ritè Sacramentis munitus, septuaginta Saracenorum millia cecîdit, Sancto Apostolo equitante in equo albo, ac vexillum præferente; quare Rex victor Hispaniam S. Jacobo reddidit vectigalem, diplomate suo; ut ejus antea patronus, deinceps quoque dominus esset. *Ramirus Alphonsi successor Mauros vincit.*

Carolus Rex Francorum Bernardus Comitem Barcinonensem, donatum à Ludovico Pio Ducatu Septimaniæ, incautum interemit. At filius ejus Willelmus adscitis in auxilium Saracenis, multo sanguine atque flammis ultus paternam necem, docuit non esse fortibus viris facilè inferendam injuriam. *Bernardus à filio ultus.*

MUNDI 4898. CHRISTI. 845.

Bulgari hoc anno facti sunt Christiani, eorum Principe Bogari per Cupharam, captivum illustrem Monachum nostris mysteriis imbuto, & judicii extremi picturâ territo. Ajunt quoque Christianorum precibus ab ejus ditione famem esse depulsam: quibus permotus, baptismate tingi, & Michaël dici voluit, ut Imperatori, quicum nuper societatem inierat, non re tantùm, sed & nomine videretur conjunctior. *Bulgari convertuntur pictura.*

Manichæi Pauliciani dicti ita excreverant, ut tentandi nequaquam viderentur sine exercitu. Missi itaque Duces fortissimi cum copiis, qui eorum centum & ampliùs millia perdiderunt, va- *Manichæi bello exagitati.*

riis

rus mortis generibus; reliqui Saracenis conjuncti, in Christianos, ipsis Arabibus infensiores & crudeliores excitere.

*Hincmarus fit Rhemensis Archiepiscopus.*

In Concilio Bellovacensi, ex Abbate S. Dionysii primo, deinde S. Germani charissimus Carolo Calvo creatus est Archiepiscopus Rhemensis Hincmarus; cujus electio tam Regi grata fuit, quàm postea electo exercita.

*Normannorum per Sequanam irruptio.*

Hoc anno Normanni, hoc est, *Septentrionis homines* duce Rege suo Horich Gallias fœdè depopulati sunt, navibus Sequanam fluvium subeuntes; priùsque Rothomago potiti, Lutetiam Sabbato Paschatis, Duce Ragenario, vacuam ac desertam à civibus invenerunt. Tunc S.Germani Cœnobium, & alia loca sancta spoliarunt, sed in sacrilegos Dei statim manus extensa est, omnes dysenteriâ periere, nisi quos ipse Rex Horich interemit, ne malum ad alios pervaderet. Nec milites tantùm; sed & Dux Raginerius sensit cœlestem virtutem suo damno; cùm enim de S. Germano rideret, quem effœtum appellabat senem, & mortuum vivis potiorem, repentè concidit, exclamans se ab eo sancto verberari baculo; quare triduo tumens, & extensus instar monstri, crepuit medius, licet pœnitens, instar Antiochi, se Christianum fore, & statuam auream ejusdem secum magnitudinis S.Germano positurum polliceretur. Inde faciliùs iidem Barbari, acceptâ pecuniâ, cum Carolo depacti sunt, se nunquam in Gallias nisi auxiliatores esse redituros. At Rex Horich captivos omnes Christianos liberos remisit, ne in Christum sævire videretur, quem in Ragenario, & suis militibus, nimis potentem expertus erat.

*Aliæ eorum in Franciam irruptiones*

Verùm tunc temporis haud fuit unica irruptio Normannorum; quidam enim eorum Aquitaniam desolarunt, prælioque inter Burdegalam & Sanctones commisso multos Christianos occiderunt. Quidam etiam Ligerim fluvium ingressi, Turonas usque progressi, ab hac urbe virtute tantùm Sancti Martini depulsi sunt; cùm multas circumpositas civitates evertissent, atque inflammassent. Quibus calamitatibus admoniti Episcopi, varias celebravere Synodos, ut Deum iratum flecterent, à Clero exorsi, ut ab eo pietatem & pœnitentiam in populos sibi subditos refunderent.

MUNDI 4899. CHRISTI 846.

*Saraceni piratæ divinitùs mulctati.*

Saraceni Africani, comparatâ classe ingenti, Romam improvisò impetu aggrediuntur, à cujus muris ægrè repulsi sunt. Sed S. Petri Basilicam omnibus suis ornamentis atque divitiis spoliarunt; indeque per Italiam effusi, à Cassinensi monasterio divinitùs rejecti sunt; ac redeuntes in Africam, per SS. Petrum atque Benedictum eis apparentes, in mari fœdissimum naufragium passi, pæne omnes cum suis navibus ac spoliis perierunt.

MUNDI 4900. CHRISTI 847.

*Methodio succedit S. Ignatius.*

Mortuus est (ut ei præcinuerat moriens anno superiori S. Joannicius Anachoreta) hoc anno S. Methodius 18. kal. Julias, cùm sedisset annos 5. & menses 4. vir ex æquo eruditus, ac pius. Cui suffectus est Ignatius Nicephori Imperatoris ex filia nepos, & filius Michaëlis Curopalatæ item Imp. detrusus in monasterium castratus, unde nobiliùs ad Patriarchalem thronum evectus est; vir adhuc sanctitate, quàm natalibus clarior.

Obiit etiam eodem anno Sergius II. Papa prid. Idus April. cùm sedisset annos 5. ac mensem unum. Cui eodem die subrogatus est Leo IV. non tamen statim consecratus, expectatâ voluntate Imperatoris. Is Ecclesias Urbis multis donariis exornavit, & maximè Basilicam S. Petri à Saracenis spoliatam. Restinxit item suis precibus ingens Romæ incendium, & basiliscum serpentem Romanos afflatu & aspectu enecantem interemit; quem qui revocant in dubium, magis ad rationem, quàm ad Dei, peccatores punire volentis, potentiam attendunt.

MUNDI 4901. CHRISTI 848.

Leo IV. Urbem muniit, ac novam civitatem construxit Leoninam dictam, ne Basilica S. Petri deinceps Saracenorum & grassatorum excursionibus pateret; ad quod opus Lotharius ejusque fratres pecuniam suffecere, Francis semper in sanctum Apostolum egregiè affectis.

Celebrata est hoc anno Synodus Moguntina secunda, in causa Gothescalci, qui monachus fuit monasterii dicti Orbei; homo ambitiosus & exlex, disseminator hæresis Prædestinatianorum, & Trinitarius, in hac Synodo sub Rhabano damnatus, remissus est ad suum metropolitam Rhemensem, à quo in aliâ Synodo Galliæ Belgicæ declaratus est hæreticus; & quia pervicax, retrusus in monasterium, captivus est detentus, non sine verberibus, usque ad Papam Nicolaum; acerbiùs castigandus, nisi in Ecclesiæ tribunal incidisset.

MUNDI 4902. CHRISTI 849.

Saraceni Africani novâ instauratâ classe Romam diripere cogitant: contra hos munit Urbem Leo; insuper iisdem occurrens Neapolitana classis, eos malè mulctavit ad portum Romanum; sed Deus quoque in partem victoriæ venire voluit, excitatâ gravi tempestate, quâ naves aut haustæ aut quassatæ ad littus, milites Romanis & Neapolitanis trucidandos aut capiendos objecere: quare ex iis multi captivi onusti vinculis ferreis ad construendos Urbis muros adhibiti, ex malis militibus perboni & utiles latomi sunt effecti.

Nomenius, in Britannia Tyrannus immanis, à Leone reprehensus est: sed ejus monitum sprevit, sicut & Episcoporum Gallorum; quare anno sequenti divinitùs multatus, seriùs agnovit nunquam sacrilegia Principibus vivis ac mortuis profuisse.

MUNDI 4903. CHRISTI 850.

Cordubensis Ecclesia hoc anno martyribus quibusdam exornata est, inter quos enituit Perfectus presbyter & Monachus, qui post diuturnum carcerem, resecto capite, promeruit palmam

debitam

debitam ſuo nomini. Quo etiam anno obiit magnus ille Ramirius Gallæciæ Rex, ex æquo pius ac fortis, cui filius Ordonius ſucceſſit, patris exemplo ad bene ſperandum invitatus.

Normani iterum Duce Godefrido per Sequanam ingreſſi, ditionem Caroli Calvi depopulantur: hic vocat in auxilium fratrem ſuum Lotharium; ſed mox conſilio mutato cum Godefrido paciſcitur, huicque partem Neuſtriæ, quæ deinceps dicta eſt Normannia, incolendam tradit, cum magno Francorum dedecore, piratas à tanto Rege, tantâque gente repelli nequaquam potuiſſe, ſed nobili Francorum populo turpiter eſſe permixtos.

Deniq; Rex Ludovicus in Germania magnam cladem accepit à Bojohemis; quorum cauſam Dæmones ſuſtinuere, & Francos in fugam egere, magicis carminibus evocati; malè ſuſceptâ expeditione, in qua Dæmones hominibus committebantur.

---

## CAP. VI.

## *Decas Sexta.*

### *Ab anno Chriſti* 850. *ad* 860.

MUNDI 4904. CHRISTI. 851.

CORdubenſis Eccleſia à Saracenis vexata, immò à quodam Reccafredo adverſus Chriſtianos pro Arabibus inſurgente; quando multi utriuſque ſexus pro Chriſto fortiter vitam poſuere; plures in carcerem ſunt retenti, inter quos Eulogius, à quo Martyrum horum paſſiones deſcriptæ ſunt. Sed pax ſubitò reddita eſt precibus virginum Mariæ & Floræ, quæ pergentes ad locum ſupplicii pollicitæ ſunt fidelibus tranquillitatem cùm ad ſponſum perveniſſent, & quinto pòſt die promiſſis accuratè ſteterunt.

MUNDI 4905. CHRISTI. 852.

Novam civitatem quâ includebatur Baſilica S. Petri hoc anno Leo IV. abſolvit, ibique erectis hoſpitiis in peregrinos, aquâ benedictâ aſperſam multiſque precibus munitam conſecravit Deo, deque ſuo nomine dixit *Leoninam* 5. kal. Julias. Inſuper urbem Portuenſem inſtruxit, datis ei colonis Corſis, qui ex inſula ſua metu Saracenorum profugerant. Reſtituit & civitatem Centumcellenſem antea à Saracenis dirutam, eamque munitiore loco, ſitu divinitùs indicato, ſtatuit, deque ſuo nomine Leopolin vocitatam S. Trinitati dedicavit; denique tam prudenter ſe geſſit, ut neque divina, neque humana præſidia neglexiſſe videretur.

Renovata hoc anno tantiſper interrupta Cordubæ perſecutio, in qua multi ad Mahumetum defecere, etiam Epiſcopi. Tum Rex Habdarahgman Pſeudoſynodum convocavit ex omnibus ſuæ ditionis Antiſtitibus; in qua in ejus gratiam decretum primò, non eſſe martyres qui ſe ſponte offerrent, ſed ſuperbos atque temerarios; deinde neq; martyres eſſe & ſanctos qui miracula non ederent, & quorum corpora poſt obitum non remanerent incorrupta: quæ libro confutavit S. Eulogius. Ex tot autem Epiſcopis tantùm inventus eſt unus Cordubenſis qui repugnaret Regi, ideoque detruſus in carcerem; ſignum in iis plures fuiſſe mercenarios, quàm paſtores. Sed Rex impius ſtatim pœnas dedit; dum enim corpora martyrum quædam addicit rogo, lingua ejus palato adhærens eum ſuffocavit, antequam ejus Imperium impleretur, & ad æternos rogos miſerum detruſit. Succeſſit ei filius Mahomad, ſeu Mahumetes, neque parente melior, nec recentis ſupplicii paterni metu ad ſanam mentem revocatus.

*Habdarahgman moritur, ſuccedit ei Mahometes.*

Carolus Calvus Pipinum & Carolum, Pipini filios, in regno ſuo tumultuantes, ob paternam hæreditatem, captos tonderi juſſit, & in monaſterium relegari: felices, ſi religioni ducerent, quod pœnæ loco eſſet iis irrogatum à patruo.

*Carolus nepotes ſuos tondet.*

MUNDI 4906. CHRISTI. 853.

Marianus Scotus, magnus nugator, hoc anno tradit Leonem IV. obiiſſe, eique Joannam Papiſſam ſucceſſiſſe; quod commentum inde Heterodoxi rapuerunt, & in eo tanquam in equuleo triumpharunt; in qua fabulâ omnia labant, tempus, nomen, patria, Mariani codex, imagines Pontificum in Eccleſia Senenſi; adeò ut jam id putare, delirare ſit; maximè cum inventus ſit etiam inter hæreticos Blondellus, qui eam doctiſſimè confutarit, ſicque ex infectâ corruptâque mandibulâ aſini, purus defluxerit liquor.

*De Ioanna Papiſſa commentum.*

Normani iterum hoc anno per Ligerim Gallias ſubierunt, urbeſque Nannetenſem, Andegavenſem & Turonenſem peſſimè acceperunt, Nannetis in Eccleſia SS. Petri & Pauli Epiſcopum cum multis Clericis & populo peremerunt; Eccleſiæ S. Martini Turonibus celeberrimæ faces injecerunt, Majuſque Monaſterium exſciderunt, cæſis in eo centum & ſexdecim monachis; quæ tamen alii malè referunt ad annum 843. Sed antea elatum fuerat S. Martini corpus Aurelias primò, deinde Antiſſiodorum tranſlatum, ubique miraculis corruſcans, & in fuga etiam ſua clariſſimum.

*Normani Ligerim ingreſſi Turonas incendunt.*

MUNDI 4907. CHRISTI. 854.

Michaël Tertius Imperator ut impunè volutaretur in omnia ſcelera, in quæ propellebatur à Barda avunculo ſuo, quòd uterque à Theodora Auguſtâ graviter increpitus eſſet, eamdem cum filiabus ſuis detonſam retruſit in monaſterium; ſicque omnis rerum adminiſtratio ad Bardam eſt devoluta, hominem improbum, & qui Michaëlem atque Imperium in ultimam perniciem impelleret.

*Bardas omnia poteſt apud Michaelem III.*

Leo Quartus cùm ſediſſet annos 8. menſes 3. dies 5. obiit 16. kalend. Auguſt. ab eo crux ante equum Pontificis præferri ſolita, renovata, auro ac gemmis exornata eſt. Succeſſit ei Benedictus Tertius ſed invitus ac reclamans. At ei ſubſtitutus eſt à ſceleratis Anaſtaſius Presbyter,

*Leoni IV. ſuccedit Ben. III.*

ter, à Leone antea excommunicatus, atque depoſitus, quòd annis quinque Cardinalis S. Marcelli parœciam ſuam deſeruiſſet. Hic per vim S. Petri Baſilicam ingreſſus, ſacras imagines ſacrilegè disjecit; unde irrumpens in Patriarchium Lateranenſe, Benedictum conviciis & verberibus malè mulctatum detruſit in carcerem. Sed reſiſtentibus conſtanter Clero Populoque Rom. à Legatis Imperatoris, qui author extiterat tumultus, ejectus Anaſtaſius, conſecratus Benedictus, venia conjuratis data, & Eccleſiæ pax.

*Tumultus ab Anaſtaſio.*

*Lotharius fit Monachus, & moritur.*

Lotharius, regno inter filios Ludovicum & Lotharium diviſo, traditâ Carolo regi Francorum Provinciâ, deſeruit Imperium, comâque attonsâ monachus factus eſt in monaſterio Pruniacenſi, ubi 6. Kal. Octobr. mortuus eſt eodem anno, longè meliùs relictis Regno, & Imperio, quàm adminiſtratis.

MUNDI 4908. CHRISTI. 855.

*Michael fit impius.*

Michaël, excuſſis tutoribus ſuis, aut cæſis, matre relegatâ, ſe regendum Bardæ avunculo & Pædagogo hominibus nequiſſimis permiſit; à quibus ad omne nefas impulſus, Neroni vitâ, impuritate, & ſtudiis ſimillimus, quibus addidit impietatem, res ſacras irridens mimicè, & ſacris ſupplicationibus inſultans tantâ audaciâ, ut non bonus modò, ſed & Chriſtianus deſiiſſe videretur.

*Civile bellum inter Northmanos.*

Ortum eſt hoc anno civile bellum inter Normanos ſeu Danos, Regemque Hotich, & filium fratris Guduium, qui regno pulſus piraticam exercere cogebatur; ii ambo ita ſe ſtirpemque ſuam confecere variis certaminibus, ut è regia ſobole nemo præter puerulum remaneret; atque adhibiti ad mulctandos Chriſtianos, Dei judicio ad ſe invicem exterminandos converterentur.

MUNDI 4909. CHRISTI. 856.

*Occidens malè mulctatur.*

Tiberis hoc anno ſupra modum excreſcens vexavit Urbem. Sæviit & peſtilentia, dicta faucium, ex atroci epiphorâ quæ guttur obſtrueret; quando & multi tumultus & graſſationes in Gallia contigerunt: quibus malis ut provideretur, indictus Conventus Cariſiacus; ſed præter monitiones Epiſcoporum, Regis major prudentia, majus animi robur exigebatur.

MUNDI 4910. CHRISTI. 857.

*S. Eulogii Apologia mar.*

S. Eulogius coactus eſt pro Martyribus Apologeticum ſcribere in Hiſpania, cùm ii Saracenorum ferro, malorum Chriſtianorum linguis ferirentur, quaſi non paterentur pro Chriſto, quos non cæderent idololatræ; ridiculo Dæmonis commento, ut fideles à ſubeundo martyrio inhiberentur.

*Fulmen terribile.*

Concidit & hoc anno Coloniæ terribile fulmen in Eccleſiam more ignei draconis, quod tres homines in tribus diverſis altaribus occidit, ſex proſtravit ex infima hominum multitudine delectos; quod profectò brutum non extitit.

MUNDI 4911. CHRISTI. 858.

Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus, quòd Bardam excommunicaſſet ob repudiatam legitimam uxorem, & cognatam ſuam uti ſponſam cognoſceret, accuſatus quaſi de conjuratione in Imperatorem, depoſitus eſt, & relegatus in inſulam Terebinthum. Hic cùm negaret dare renunciationis libellum, poſt varios cruciatus, in Copronymi ſepulchro traditus ſervandus crudeliſſimis ſatellitibus; unde à viro pio retractus, & interceptus, mutatis ſubinde locis deportatus eſt Mitylenem. Suffectus eſt ei Photius, Imperatori à ſecretis, & Protoſpatharius, litteris ſæcularibus clarus, divinarum ignarus; qui intra ſex dies, ex laico factus eſt Patriarcha, & materies multarum in Oriente diſſenſionum.

Moritur Benedictus III. 14. Kal. Mart. cùm ſediſſet annos 2. menſes 6. dies 10. In cujus locum electus Nicolaus Diaconus nobiliſſimus atque ſtudioſiſſimus, ex latebris & vi pertractus ad ſedem coram Ludovico Imperatore; à quo valdè honoratus eſt, officio etiam ſtratoris perfungente, ut Deum in Pontifice magnificentiùs coleret.

Miſſi ſunt Legati à Francis ad Ludovicum Germaniæ Regem, ut huic regno provideret, quod Caroli Calvi inertia peſſumdabat. Venit ille, ſed cum exercitu, contemptis Epiſcoporum Gallorum admonitionibus; huic impar Carolus aufugit, relictis copiis, quæ ſeſe Ludovico dediderunt; ſed orto tumultu in Germania, alienis omiſſis, ſuis rebus conſulere coactus eſt, nullo alio operæ pretio, quàm ut Carolum, & Imperatorem offenderet, multas calamitates iis afferret quibus auxiliaturus accedebat.

MUNDI 4912. CHRISTI. 859.

Martyrio coronatus eſt S. Eulogius Cordubenſis Presbyter, & olim deſignatus Toletanus Antiſtes, cum Leocritia virgine Mahumetanâ, ex regia ſobole, quam ille pepererat Chriſto; quorum corpora, magnis miraculis illuſtrata, Ovetum tranſlata ſunt ab Alphonſo Magno Gallæciæ Rege, ad honorem & tutelam regiæ ſuæ civitatis.

Epiſcopi Galli reconciliare conati ſunt Reges Carolum Franciæ, & Ludovicum Germaniæ: tumque coacta Synodus apud Tullum in villa ad *Saponarias* dictâ adverſus Wenilonem Archiepiſcopum Senonenſem, rebellem, proditorem, & ingratum in Carolum. In eo damnati errores Gotheſcalci, jam in Conciliis Moguntino & Valentino proſcripti; ſed & depoſitus Wenilo, aliter Guenilo & Ganello dictus; cujus nomen deinceps adeò exſecrandum fuit, ut ad magnos proditores tranſiret, ac vulgò proditor Ganelo vulgari ſermone, & in libris uſurparetur.

In eâdem Synodo agitata cauſa Archiepiſcopi Turonenſis, & Dolenſis Epiſcopi. Aſſerebat hic ſe Archiepiſcopum eſſe, quoniam

B. Sam-

B. Samson Eboracensis Episcopus in sua urbe sedisset, eoque omnia insignia Archiepiscopatus attulisset. Sed hoc jus nullum esse deprehensum est, & à Dolensibus Episcopis à tempore Numenii Ducis & Tyranni usurpatum esse, qui ditionis suæ Episcopos subesse Metropolitæ Turonensi nolebat. Ut ut se res habuerit, lis diu fuit sub judice, & tantùm anno Christi 1199. sub Innocentio III. dirempta, atque Dolensis Turonensi omnino subjectus, re adeò diligenter excussâ, ut jam de ea aliter sentire temerarium videatur.

Tum in Oriente Scholæ restitutæ sunt per Bardam Cæsarem, dum Michaël Theatris vacaret, & certaminibus curulibus; ille de occupando cogitaret Imperio. Docebat autem tum Constantinopoli Leo philosophus, discipulus in Andro insulâ Michaëlis Pselli, qui in laudem Metaphrastis orationem habuit, ex quibus colliges viros illos eruditos συγχρόνους fuisse.

Photius Ignatium renunciare nolentem Episcopatui graviter urget, eumque ex Terebinthi insulâ in Sacram transferendum curat, ubi in stabulo caprarum includit; unde sæpe mutatis exilii locis, eum transfert Mitylenem, de variis accusatum, & sæpe graviter mulctatum. Curavit & fieri Synodum in qua deponeretur; sed omnibus ex voto non fluentibus, recurrit ad Nicolaum Pontificem; quem circumvenire potuit, ab eo sententiam contra jus non potuit extorquere.

MUNDI 4913. CHRISTI. 860.

Nicolaus mittit in Orientem Legatos, qui minùs honorificè suscepti sunt, quia ille videbatur Ignatio favere, improbare Photii electionem; neque mirum, cùm Bardas, & Photius ejus affinis, plus possent Constantinopoli, quàm ipse Imperator.

Habitus est hoc anno Conventus Confluentinus inter Carolum & Ludovicum fratres, & nepotem eorum Lotharium, ad mutuam concordiam eorum regnis, sed & Ecclesiæ magis expetendam.

---

## CAP. VII.

## *Decas Septima.*

### *Ab anno Christi* 860. *ad* 870.

MUNDI 4914. CHRISTI. 861.

Habitum est hoc anno Constantinopoli à Photio Conciliabulum 318. Episcoporum in causa Ignatii, cui Legati S. R. E. coacti sunt interesse. Reductus post, subinde mutata exilii loca, in Terebinthum insulam vicinam Urbi Ignatius, accusatusque quasi favore Principum obtinuisset hanc sedem, & quòd in sanctum Methodium contumeliosus fuisset, exautoratus est, eique solemniter Photius substitutus.

*Depositus in Pseudo-synodo Ignatius.*

Hanc Synodum Balsamon dixit **Oecumenicam**, Nicolaus Papa **Latrocinalem**; huic quidem subscripsere Legati Pontificii, sed metu compulsi, qui in viros fortes & constantes cadere videretur, intentatis eis longioribus exiliis, atrocique fame, & exemplo Ignatii ostentato: quem crudeliter Photius per sceleratos mulctavit, ut depositioni suæ subscriberet: quod cùm omnibus tormentis obtinere non potuissent, ipsi crucem signarunt, cui quæ voluit Photius addidit. Sic in Urbem revocatus est liber: sed cùm legere subscriptionem Photii cogeretur, fugit mutatâ veste, varias insulas percurrens, & victum emendicans: donec terribilis terræ motus quassavit Urbem, nec cessavit nisi eidem à Michaele & Bardâ fides tuti reditûs data. Appellavit quidem ad Nicolaum Ignatius; sed ille de rebus gestis edoceri verè non potuit, Legatis ejus dissimulantibus, & mendacio imbecillitatem suam obvellantibus.

*Alphonsus Magnus succedit patri Ordonio.*

Ordonio Gallæciæ Rege vitâ functo, successit ei filius Alphonsus Magnus, qui thesauros patris erogavit in pauperes, & Ecclesias, & S. Jacobi ædem terream, lapideam fecit; multis ideò auctus victoriis adversus Arabas, Dei hactenus armis potiùs quàm hominum attritos, aut repressos.

MUNDI 4915. CHRISTI. 862.

*Res Orientalis Ecclesiæ deplorata.*

Maximus terræ motus contigit Constantinopoli, in quo auditæ è terra voces, & S. Sophiæ Basilica deflagravit. Id exigebat impietas Michaelis in deridendis rebus sacris, quam dissimulabat Photius, immò probabat, totus ad perdendum Ignatium intentus. Hanc autem Basilius Thessalonicensis Episcopus reprehendere ausus, pugnis ab Imperatore vapulavit, huicque excussi sunt dentes. Nicolaus autem eorum quæ gerebantur in Oriente certior factus scripsit Epistolam, quâ improbavit ejectionem Ignatii, Photium non appellavit Episcopum, sed tantùm prudentem virum; quibus verbis rem conficiebat.

*Lotharius reprehensus.*

Lotharius implicitus amore Waldradæ pellicis, eam vult ducere uxorem, Theutpergam Reginam repudiare, quasi incæstûs cum fratre ream. Ob id coacta Synodus Aquisgrani hanc ei licentiam fecit, sed obstitere Carolus Calvus atque Nicolaus Pontifex, à quibus etiam reprehensus est Lotharius, quod nefarios reciperet ac foveret, non sibi tantùm, sed aliis improbus.

MUNDI 4916. CHRISTI. 863.

*Photii damnati furor.*

Rodoaldus, & Zacharias Legati Pontificii Romæ in Synodo damnati, atque depositus præsens Zacharias Episcopus Anagninus, cùm alter in Galliis Legatum ageret; excommunicatus quoque Photius, & Gregorius Syracusanus, author omnium malorum, cum eorum fautoribus; Ignatius declaratus legitimus Patriarcha. Cùm ergo multi divellerentur à Photio, in eos atrociter sæviit, immò convocato Con-

Conciliabulo, per sibi addictos Præsules sceleratos viginti & unum, cæteris, quantumvis improbis reclamantibus, Nicolaum anathemate perculit; ex furore potiùs quàm ratione agere, etiam à suis judicatus est.

*Metensis Synodus, à Nicolao damnata.* Metensis Synodus celebrata est in causa Lotharii & Waldradæ, cui adfuere Legati Rom. Pontificis. Hi pecuniâ à Lothario corrupti, Theutpergæ expulsionem confirmarunt: Engeltrudem libidinosam Bosonis Comitis, excommunicatam à Nicolao, absolverunt; quare Nicolaus hanc Synodum rescidit, & ***Prostibulum*** appellavit; omnes deposuit qui interfuerant, præcipuè Guntharium Coloniensem, & Teutgandum Trevirensem Pseudo-consilii promotores. Itaque multa hi in Nicolaum confinxerunt, quibus Ludovicum Imperatorem in eum concitarunt; sed calumnias ipse refutavit, atque ut eos restitueret, ab Imperatore nunquam adduci potuit, quem minùs quàm Deum reverebatur.

*Res utcumque composita.* Cæterùm Theutgandus agnovit erratum suum, veniam tamen, quandiu vixit Nicolaus, non obtinuit; Guntharius pertinax in officio suo perseveravit; reliqui Episcopi recepti in gratiam, oblatis libellis, quibus sanatum est utcumque vulnus inflictum mentibus piorum Francorum, qui eâ de re in Sylvanectensi Synodo meritò questi esse videbantur.

Hincmarus in hac Silvanectensi Synodo deposuit Rothaldum Episcopum Suessionensem; sed eam irritam voluit esse Nicolaus; jussitque Hincmarum venire Romam, ut cum Rhotaldo contenderet: sed ille tergiversatus est, suffultus favore Caroli; qui graviter increpuit Nicolaum, quòd suscepisset Balduinum Judithæ filiæ suæ raptorem, immò pro eo deprecatus esset. *Carolus iratus Nicolao placatur.* Verùm excusavit se religiosè Pontifex, & receptus in gratiam Balduinus, acceptâ legitimè Judithâ conjuge cum grandi dote, preces Pontificis injustas non fuisse demonstravit.

MUNDI 4917. CHRISTI. 864.

Rhodoaldus Portuensis Episcopus, Legatus Ro. Sedis, bis prævaricator, Constantinopoli ex metu, in Gallia acceptâ pecuniâ, frustra vocatus, & latebras captans, depositus est, immò & communione privatus, quòd toties Nicolao mittenti dedecus inussisset. *Nicolaus Ecclesiam optimè regit.* Nicolaus à multis interrogatus, omnibus sapienter respondit; curam Ecclesiarum accuratam gessit; inopibus subvenit: magnum boni Pontificis exemplar.

MUNDI 4918. CHRISTI. 865.

*Michaelis & Nicolai Epistolæ.* Michaël Imperator flagitiosissimus, dignam se ad Nicolaum Epistolam scripsit, hoc est, blasphemiarum refertissimam; ad quem rescripsit Pontifex sapienter; sed & fortiter interminatus est se ejus litteras in medio foro Romano combusturum; Ignatiumque & Photium Romam accersiit, judicium experturos. Quàm diversus à S. Gregorio, qui Imperatorem appellabat Dominum suum, & Urbis: at hoc tempore per Francos Urbis Dominus erat, nihil in eum juris habebat Græcus Imperator.

*Arsen. Legat. Nicol. Gallis ordin.* Nicolaus Arsenium Legatum suum mittit in Gallias: hic Rhotaldum Suessionensem Episcopum suæ restituit sedi; Lotharium tergiversantem impulit ad recipiendam Theutpergam, dimittendam Waldradam, quam Romam ablegavit. Engeldrudem quoque induxit ad jurandum se ituram Romam; sed hæc juramenti oblita, non libidinis, restitit in Galliis. Quare Arsenius, datis ad omnes Episcopos litteris, vetuit ne à quoquam reciperetur in communionem. Pacem denique inter Francicos Reges composuit; nunquam meliùs Romana cessit Legatio quæ & superiorum turpissimarum abolevit ignominiam, & prævaricationem.

MUNDI 4919. CHRISTI. 866.

*Bul. Nic. conj.* Michaël Bulgarorum Rex ad Summum Pontificem honorificam legationem mittit, quâ petit in Fide meliùs edoceri. Misit ad eos Nicolaus duos magnæ sanctitatis Episcopos, Populoniensem & Portuensem. Et quoniam per Bulgariam in Thraciam facilis accessus erat, misit quoque Legatos tres ad Michaëlem Imperatorem, rescribens ad eum, Bardam Cæsarem, Ignatium, & Photium, denique ad Theodoram Michaelis matrem Augustam relegatam: hæc autem paulò pòst obiit in sanctarum adscripta catalogum, ut quæ pietate cum filii impietate certavit. Quod autem pertinet ad Bulgaros, Christiani quidam ex iis facti erant, alii Idola colebant, ut olim; quos cùm ad Christi cultum Rex traducere cuperet, arma illi moverunt, priùs Principi suo, quàm Ecclesiæ asserendi. Irrepebant etiam ad eos Græci, & Armeni doctrinæ minùs sanæ; quod subodorati Deo pleni Christiani confugêre ad Romanam Ecclesiam, ut ex primo fonte puriorem doctrinam ebiberent.

*Sa. rep.* Ludovicus Imperator cum ingenti exercitu movet in Saracenos, Campaniam & Samnium infestantes, eosque variis cladibus affectos parciùs & cautiùs excurrere compulit.

*Lo. ag. dr. rel.* Waldrada, Lotharii pellex, pollicita adire Nicolaum trajecit quidem Alpes, sed mox in Gallias rediit; quare excommunicata est; minæ quoque sunt intentatæ Lothario, qui pœnitentiam simulavit, Waldradam & libidinem suam semper respectans, plusquam Nicolaum, quàm Deum reformidans.

*Hi. rui. bien.* Concilium Suessionense celebratum est ab omnibus Galliarum Episcopis in causa ordinatorum ab Ebbone, & depositorum ab Hincmaro. Acta in priori Suessionensi sub Hincmaro rescissa, Hincmarus uti falsarius à Pontifice reprehensus; quò minùs graviùs castigaretur, ejus singularis doctrina, & auctoritas impedit.

MUNDI 4920. CHRISTI. 867.

*Bu. fide fii.* Legatio Romana à Bulgaris magnificè recepta; reliqui qui supererant, sacris aquis intincti; missi Doctores qui eos erudirent. At qui perge-

pergebant in Thraciam in limite subsistere jussi, immo injuriis affecti, dum ingressum per dies 40. præstolantur, infectâ legatione Romam redire compulsi sunt, Græcis jam in deteriora prolabentibus. Enimvero capita decem objecere Ecclesiæ Romanæ, quibus & decem errores exprobrabant. 1. Jejunium Sabbati. 2. Processionem Spiritus sancti ex Patre & Filio. 3. quòd prohiberent Presbyteros uxores ducere. 4. quòd Presbyteros non sinerent baptizatorum linire frontes. 5. quòd Chrisma ex aquâ fluminis conficerent. 6. quòd septem hebdomadis ante Pascha ab ovis & caseo non abstinerent. 7. quòd Judæorum more Agnum cum Dominico corpore super altare collocarent. 8. quòd Clerici barbas raderent. 9. quòd Diaconi non suscepto Presbyteratu fierent Episcopi. 10. quòd Legati Apostolicæ sedis recusarent professionem fidei offerre Patriarchæ Constantinopolitano: quæ capita accuratè refutarunt Hincmarus Rhemensis, & Odo Bellovacensis, quorum operâ illæ calumniæ evanuerunt.

Michaël Imperator suspectum jam sibi Bardam Cæsarem, levissimâ de causâ, per satellites interimendum curat, & per Basilium cubiculi sui Præfectum Kal. April. quem statim ipse creavit Imperatorem. Tum curante Photio, idem Michaël Synodum convocat, in qua anathema dictum Nicolao; mittit & ad Ludovicum Imperatorem Legatos cum magnis muneribus, ut eundem Nicolaum deturbet de sede, pollicitus eum proclamaturum in Oriente Imperatorem, cùm ad hoc tempus Occidentales non haberentur pro Imperatoribus: quibus dum obsistit sapienter Basilius, & impium hominem, à suis sceleribus retrahere blandè nititur, deliberat ille monitorem de medio tollere; sed hic illum prævenit; itaque vino somnoque sepultus Michaël, in Palatio manibus amputatis, multis vulneribus confossus, execrandam cum vino & sanguine dæmonibus evomuit animam; homo ex omnibus vitiis concretus, quæ in Principem, immo in privatum cadere possunt.

Basilius ergo statim proclamatus est solus Imperator, genere Macedo, ex humili prosapia, licèt eum ex Arsacidis natum adulatores fabularentur. Is ubi se purgasset de nece Michaelis, quasi se inscio factâ, Photium expulit sede, restituit Ignatium, rescripsitque ad Nicolaum, paratissimus componere controversias per sceleratum Photium concitatas; quem & relegavit in monasterium, meliùs provisurus Ecclesiæ & Imperio, & in eum graviùs animadvertisset.

Russi seu Roxolani, Scythici populi Septentrionem incolentes, totam supra Pontum Euxinum regionem deprædati, iramque numinis experti, domum reduces per Legatos Constantinopolin missos petiere Sacerdotes, à quibus baptizarentur, eumque cognoscerent quem suorum criminum vindicem agnoscebant.

Obiit hoc anno Nicolaus Papa Idib. Novemb. cùm sedisset annos 9. menses 6. dies 20. meritò alter Elias & Phinees dictus. Cui post mensem successit Hadrianus II. consecratus 19. Kal. Jan. jam bis expetitus Pontifex, ipse semper tergiversatus, annos tum 75. natus, sed in viridi adhuc, crudâque senectute, & dignissimâ, hisce temporibus, Summo Pontificatu.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4921. | 868. |

Hadrianus, licèt insistere Nicolai vestigiis decrevisset, multa tamen præstitit postea quibus ostendit se non esse Nicolaitanum; quod ei fuerat objectum, restitutis pluribus, quos rejecerat Nicolaus, Theuthardo scilicet Trevirensi, Zachariâ Anagnino, & Waldradâ pœnitentiam simulante, absolutis; propter quæ apud Occidentales Episcopos, viros pios, minùs bene audiit. *Hadrianus mollior.*

Navis quæ ferebat Legatos Photii, naufragium passa est, omnes suffocati vectores, præter unum monachulum; qui rebus pessimè gestis excommunicatus abscessit. Contra Legati Ignatii & Basilii commodè appulerunt, magnificè suscepti. Acta Pseudosynodi Photianæ flammis, cum indignatione absumpta; idemque ut Constantinopoli fieret, curatum; magna spes utriusque Ecclesiæ plenæ pacis affulsit. *Ecclesiæ pax speratur.*

Lotharius Romam venire ab Hadriano permissus, ab eodem Christi corpore refectus est, orante Pontifice ut id ipsi ejusque consortibus innocentibus bene cederet. At nocentes fuisse ostendit eventus: nam in itinere Lotharius periit, ægrè Placentiam perductus æger; reliqui communionis ejusdem participes intra annum miserè interierunt; tantaque strages Lothariani Comitatus facta est, ut non peste, sed hostili gladio demessus atque sublatus esse videretur. *Lotharius perit cum plerisque Comitibus.*

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4822. | 869. |

Legatio Hadriani pervenit Constantinopolin, & litteræ ejusdem Pontificis, quibus probabatur ejectio Photii, & restitutio Ignatii, atque Oecumenica Synodus postulabatur; recepta est magnificè 17. Kal. Octob. omnibus ordinibus ei obviam effusis, & jam Catholicam spirantibus fidem.

Inchoata est ergo, omnibus jam antea paratis 3. Non. Oct. in Ecclesia S. Sophiæ.

## OCTAVA SYNODUS, IV. CONSTANTINOP. *Contra Photium pro S. Ignatio Constantinopolitano Patriarcha.*

Cui præfuere Legati S. Sedis Donatus Ostiensis Episcopus, Marinus S. R. E. Diaconus, & Stephanus Nepetinus Episc. cum iis qui tenerent locum Patriarchalium sedium vacantium, & Episcopis centum & duo, quorum 12. duntaxat ab Ignatio non desciverant, cæteri recepti sunt, ut pax Ecclesiæ turbatæ redderetur. Adfuere quoque legati Ludovici Imp. quorum unus fuit Anastasius S. R. E. Bibliothecarius, eò missi ut agerent de fœdere per nuptias inter utrumque Imperatorem conciliando. Adfuere item & Legati Bulgarorum, qui nuper ad Ro. sedem *OCTAVA SYNODUS.*

dem confugerant, & quorum erat excutienda causa. Hoc Concilium terminatum est X. sessionibus; damnatus Photius, ejus scripta combusta, reliqui reconciliati sunt. Controversiæ tamen, absolutâ Synodo, contigerunt duæ; prima de laudibus Ludovici Imperatoris, secunda de Diœcesi Bulgarorum, an Rom. sedi, an Constantinopolitanæ esset adscribenda. Illa rejecta ad Hadrianum, hæc magnâ contentione agitata, artibus Græcorum Ignatio adjudicata est, reclamantibus tamen Legatis S.R.E. & illegitimum hoc esse judicium, & cum fraude pronunciatum, asserentibus. Quin & eorum Legatorum scripta sublata, mox tamen reddita; unde facti illi cautiores, Acta hujus Concilii deferendi Legatis Ludovici commiserunt; non sine numinis providentiâ, cùm Legati Rom. sedis mox incidissent in piratas Sclavinos, non sine Basilii culpâ; quamquam aliqui ejus operâ liberatos velint: inter quæ tam incerta, hoc certissimum; Græcos in Latinum nomen malè affectos fuisse, omnia à Basilio & Græcis tristia expectata fuisse.

*Græci in Latinos malè affecti.*

*Carolus Calvus regnum Lotharii occupat.*

Carolus Calvus Lotharii defuncti Regnum occupat, & in Concilio Metensi hoc illi adjudicatur, adnitente Hincmaro. Sed obstitit Hadrianus, voluitque id reddi Ludovico Lotharii fratri, hæredi legitimo. Sunt quoque hujus anni ad Hadrianum Salomonis Regis Britanniæ Minoris litteræ, petentis Pallium Episcopo Dolensi; de quo tanta est difficultas, quanta de Regis nomine Salomoni assignando.

*Salomon Rex Minoris Britanniæ.*

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4923. | 870. |

*Theophylactus Bulgar. Episcopus.*

Bulgaris hoc anno datus est Episcopus Theophylactus (diversus ab eo qui scripsit in Evangelia) à S. Ignatio, rejecto Grimoaldo à Ro. sede misso. Basilius autem sibi atque Ecclesiæ meritò timens à Photio, viro eloquente & callido, eum longiùs relegavit, amicos ejus, fautoresque vexavit, Ecclesias ab eo consecratas prophanari, ac dirui jussit; quibus ipse factus Photius obstinatior, se martyrem, Basilium persecutorem dixit; & qui terræ motus in Urbe contigerat, suâ causâ immissum esse à Deo vindice impiè vaticinatus est.

*Familia Basilii Imperat.*

Basilius Imp. filium suum Leonem natu minorem Augustum coronari jussit; tertium Alexandrum Cæsarem creavit; quartum Stephanum divinis officiis addixit, sicut & quatuor virgines filias, quæ Deo consecratæ in monasterio, illustriores coram Deo, quàm coram hominibus extitere.

*Imago B. Virg. Incarnata in Syria.*

Tum quoque Hierosolymis Damascum translata Imago B. Virginis olim Constantinopoli depicta super ligno, postea incarnata oleum mirabile effundit, quo morbi Christianorum, Judæorum, & Saracenorum curantur. Ideo magni in Palestinâ nominis, immo etiam à Christianorum inimicis in precio est, ac diligenter asservatur.

*Turbæ in Francia.*

Turbatæ quoque Galliæ. Hadriano instante etiam minis, ut Lotharii regnum restitueretur Ludovico Imperatori, renitente & stante pro Carolo Hincmaro; cujus responsio amarior, nec ab eo scribi, nec ad Pontificem mitti debuit. Itaque remissi Legati Pontificii re infectâ; qui tamen Carolo filium Carolomannum, quem habebat in vinculis, reconciliarunt. Hunc tamen postea iterum rebellantem, & vastantem ditionem patris, luminibus orbavit Carolus, & suo sanguini regnum suum sapienter antetulit.

---

## CAP. VIII.

## *Decas Octava.*

***Ab anno Christi 880. ad 890.***

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4924. | 871. |

PHotius duriùs habitus in exilio, per Bahavem Patricium amicum suum famem & librorum penuriam à se depellit. Inde scribit ad diversos pro se exules; quos in partibus suis retinet, & quibus postmodùm malè usus ad turbandam Ecclesiam.

Controversia hoc anno orta inter Basilium & Ludovicum de nomine Basilii seu Imperatoris. Coronatus est tum Ludovicus Franciæ Rex ab Hadriano, cùm Barium quatriennio obsessam de Saracenis recepisset. Invitavit hic Basilium ut cum eo suas conjungeret vires ad Saracenos expellendos ex Siciliâ; sed plus odia, quàm utrinque commoda potuerunt.

Celebratum est hoc anno Duziacense Concilium, in quo Hincmarus Episcopus Laudanensis Nepos depositus est à Patruo Hincmaro, tractataque causa Carolomanni ad S. Sedem provocantis; unde graves rixæ inter Pontificem, Hincmarum, & Regem Carolum Calvum exortæ sunt, non ipsis eorumque subditis, multò minùs Ecclesiæ profuturæ.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4925. | 872. |

Ludovicus Imperator Beneventi capitur in suo Palatio perfidiosè per Adelgisum Ducem Beneventanum & Scodam ducem Saracenorum; & jurare cogitur quidquid proditores voluere; ab iisque captus, quos perfidos facere voluerat, suis ipse artibus interceptus.

Conventus habitus est in villâ Gandulphi, ubi Carolus Calvus, & Ludovicus Rex Germaniæ reconciliati, dum sibi invicem aliquid cedunt; quæ minùs pax fuit quàm nundinatio.

Obiit hoc anno Hadrianus Kal. Nov. cùm sedisset annos 4. menses X. dies 17. cujus in locum electus est 19. Kal. Jan. Joannes VIII. qui Pontificatum multis exercitum curis gessit, sed molliùs quàm tanta dignitas postulabat.

MUN-

MUNDI 4926. CHRISTI. 873.

Concilium habitum est Romæ in causa Ludovici contra Adelgisum proditorem; cui indictum est à Senatu Ro. bellum; Ludovicus juramento absolutus, quod invitus ediderat. Quidam tamen scribunt Adelgisum Compatrem Joannis Papæ ab eo reconciliatum esse Ludovico; probabilius est eum fugisse in Corsicam, neque tum facilè tantam injuriam obliteratam esse.

Conventus Francofordiensis Episcoporum habitus est à Ludovico Rege Germaniæ, ubi Carolus ejus filius, conjurans in patrem, à malo genio correptus est; fassus id toties sibi contigisse, quoties huic voluntati adhæsisset; ut subditus esset dæmoni, qui patri obsequens esse noluisset.

MUNDI 4927. CHRISTI. 874.

Abdila seu Abdala Princeps Saracenorum Afrorum Salernum obsedit, sibi domum ejegit in Basilicâ SS. Martyrum Fortunati, Caji, & Anthes. Hic cùm sibi parasset thorum in altari, in quo virginem comprimere nitebatur, trabs è tecto lapsa, licèt longè distans à lecto, eum interemit intactâ virgine. Urbs autem obsidione soluta est, adveniente Ludovico Imp. Saracenos internecione deletos tam impurum habuisse Regem pœnituit.

Dani seu Normanni hoc quoque anno Angliam vexavere; quibus diu restitit Beorredus Merciæ Rex, tandem relinquere coactus est regnum; piè mortuus est Romæ, uxor Ticini; ambo exules, minùs miseri, quàm gloriosi.

MUNDI 4928. CHRISTI. 875.

Ludovicus Imperator mense Augusto obiit sepultus Mediolani, vir piissimus, & variâ fortunâ exercitus. Statim Imperium à Joanne VIII. oblatum est Carolo Calvo; qui Romam se conferens coronatus est in Christi natalitiis; sed interim Ludovicus Germaniæ Rex Gallias devastavit; quare Hincmarus ad molliendum Deum omnes hujus regni Episcopos invitavit, quorum precibus annuit Deus, statim Ludovico in Germaniam reverso. Quando etiam Engelberta Augusta, mortuo marito, in monasterio Brixiæ Christo nobiliùs nupsit; à quo temporalis loco cœlestem coronam promerita, regnum accepit numquam terminandum.

MUNDI 4929. CHRISTI. 876.

Ticini Carolo Calvo Imperium confirmatum est. Concilium quoque Pontigonense in Gallia celebratum, *à Pogney*, inter Catalaunum & Vitriacum, plus turbavit præsentes, quàm absentibus attulit auxilii.

Ludovicus Germaniæ Rex 5. Kal. Sept. obiit Francofurti; Cujus regnum magno exercitu Carolus Calvus decrevit invadere. Ludovicus regni hæres suis copiis diffidens confugit ad preces & eleëmosynas. Probavit etiam miraculis ferri candentis, & aquæ frigidæ, justitiam è se stare, decem illæsis qui sic probati sunt. Tandem ventum ad manus; superior copiis Carolus victus ægrè effugit; uxor ejus Rachedis fugiens, abortum est passa, certè infantem edidit haud diu superstitem; denique Deus ostendit grandes exercitus nihil prodesse, parvos nihil obesse, quoties in prælii partem, & victoriarum venit.

*Ludovicus hæres Lud. German. Regis vincit Carolum Calvum.*

MUNDI 4930. CHRISTI. 877.

Joannes Pontifex Italiæ populos excitat ad propulsandos Saracenos, & inita ab his fœdera cum Beneventanis, Neapolitanis, & aliis, abrumpere nititur, sibi jam de Româ metuens, cui grassatores isti Arabes imminebant. Invitat insuper Carolum in Italiam, ut opem ferret Urbi Romanæ, & verò Carolus cum copiis Alpes transcendit, huicque obviam Joannes venit ad Vercellas, ambo Ticini magnificè sunt excepti. Sed cùm accepissent Carolomannum filium Ludovici Germaniæ Regis venire cum ingentibus copiis, dilapsus est exercitus Caroli, hic fugit in Gallias, Joannes Romam. Panicus quoque timor mox Germanos invasit, cùm falsò nunciatum esset adesse cum ingentibus copiis Carolum simul & Joannem: itaque Carolomannus fugienti similis, regnum suum repetiit, atque his Regibus & Principibus minùs piis & justis visus est Deus illudere.

*Ioannes omnes excitat Italos adversus Saracenos.*

*Carolum, & Ludovicum Deus ridet*

Pridie Non. Oct. mortuus est Carolus Calvus Imperator, hausto veneno quod ei porrexit Sedechias Judæus medicus, Imperii sui anno 2. Regni ab obitu patris 38. sepultus Vercellis, unde post annos 7. relatus Sandionysium. Vir fuit ambitiosior quam fortior, & majoris fortunæ quàm prudentiæ. Huic successit in Imperium & Regnum Ludovicus Balbus, ab impeditâ linguâ sic dictus quem Hincmarus suis litteris probè instituit; sed facilius fuit Hincmaro scribere, quàm Ludovico obtemperare.

*Moritur Carolus Calvus.*

*succedit ei Ludov. Balbus.*

Joannes omni præsidio destitutus mortuo Carolo, pendere cogitur tributum Saracenis, ne Roma obsideretur, & maluit pecuniam, quàm Urbem perire. Tum nihilominus vexatus est à Lamberto Duce illo Spoletino nefario, qui Formosi Portuensis Episcopi aliorumque depositorum patrocinium susceperat. Sic miser Pontifex domi forisque pressus confugere coactus est ad Francos, & semper patens Romanis Pontificibus asylum.

*Ioannis Papæ angustiæ.*

MUNDI 4931. CHRISTI. 878.

Joannes VIII. mittit Legatos Constantinopolin, quibus & præcipit invisere Bulgariam. Scripserat & litteras ad Ignatium, ei interminatus

tus excommunicationem & depositionem, nisi missos in Bulgariam à se Episcopos revocaret intra 30. dies. Quod cùm deprehendisset Photius, in Benevolentiam Basilii redire studet, ductâ ejus Genealogiâ à Regibus Armeniæ magno Teridate; atque ex initialibus litteris Basilii, Eudociæ uxoris, & 4. filiorum Constantini, Leonis, Alexandri, & Stephani, affinxit nomen *Beclas* huic prosapiæ fortunatissimum; in quo callidus veterator, & ingeniosus augur scitissimè lusit; quæ omnia in Bibliothecâ Palatii per Theophanem Clericum deposuit. Post aliquod tempus hæc sunt indicata Basilio; & cùm omnibus, in his chartis enarrandis hæreret aqua, oblatus est unus Photius, qui eas posset exsolvere. Quod cùm præstitisset, statim ab Imperatore revocatus est ab exilio, eique deinceps charissimus extitit. Ita plerumque à nebulonibus inter se convenientibus, sagacissimis alioqui Principibus illuditur.

*Photius insinuat se in gratiam Basilii.*

*Moritur S. Ignatius*

Inter hæc, magno utriusque Ecclesiæ damno, moritur Ignatius X. Kal. Nov. quo die Græci festum diem recolunt S. Jacobi fratris Domini: & antequam Legati Joannis accederent. Statim ergo sedem ejus invasit Photius, nec ulli ejus amicorum pepercit, sepulchro etiam ejus, sub speciem thesauri, violato, omnia dissimulante Basilio, ei jam devinctissimo. Quem tamen Deus mox acerbissimè castigavit, filio primogenito Constantino extincto, & captis per Saracenos Syracusis. Ita Principes non tantùm sua, sed & suorum peccata luunt.

*Et Constantinus filius Basilii.*

*Joannes VIII. malè habitus Româ fugit in Galliam.*

Lambertus Comes Spoletanus, & Adelbertus Marchio Tusciæ Romam cum copiis subeunt, Joannem cum Clericis sub arctâ custodiâ retinent, ac proceres Romanos in verba Carolomani jurare cogunt. Cùm videret ergo omnia turbatissima Romæ Joannes, in Gallias fugere destinat. Pervenit Arelatem ante Ascensionem Domini, cùm hâc die hîc Missam celebrarit; ac tandem Trecis Concilium convocat. Hic anathemate percellit Romanos grassatores, restituit Hincmarum nepotem cœcum, factâ ei potestate Missam celebrandi, coronat Ludovicum Balbum Regem & Imperatorem, denique Bosonem Comitem adoptat in filium qui temporalia tractaret, dum ipse spiritalibus invigilaret. Denique reperit in Galliis Joannes adversùs omnes suas calamitates præsentissimum remedium.

*Hic multa præclarè gerit.*

*Angliæ Ecclesia restituta.*

Aëlfredus Anglorum Rex latitans in insula, Dei admonitu Gitronem Danorum Regem jam ferè totâ potitum Angliâ profligavit, & Christianum fieri compulit mutato nomine in Æthelstanum. Ideo Aëlfredus cognominatus est Magnus, & verus Anglicanæ libertatis restitutor, & Ecclesiæ, adscitis ex Galliâ viris doctis; inter quos excelluit Joannes Scotus, cognomento Erigena, in Gallia variè exercitus, & apud multos malè sentire creditus, vir tamen undequaque doctus.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4932. | 879. |

*Ludovici Balbi Imp. mors.*

Moritur Ludovicus Balbus Franciæ Rex, & Occidentis Imperator; relictis ex Ansgarde priori conjuge, Ludovico & Carolomanno; ex posteriori, Adelaide, Carolo postumo, qui Simplex cognominatus est. Quod cum rescivisset Joannes, scribit ad Carolum Crassum, quem diligebat, filium Ludovici, fratris Caroli Calvi, ut veniret in Italiam; quò postea venit armatus, sed nonnisi post biennium coronatus, cùm interim Italia, & Romanus Ducatus excursionibus Saracenorum, coitionibus procerum, & Episcoporum factionibus miserè vexata esset atque lacerata.

Photius petiit à Joanne VIII. ut approbaretur; quod tandem multis artibus perfecit, ac evicit, dum Joannes agit molliùs, & homines potiùs circumspicit, quam attendit ad Deum: unde quidam putant eum dictum fuisse Papissam, quia mollior, & effœminatior, Eunucho Photio resistere non est ausus. Misit ergo Legationem Pontifex in Orientem cum litteris, quas Photius corrupit, seduxitque Legatos, ac Pseudosynodum 383. Episcoporum convocavit, quam VIII. Occumenicam dixit, & sic à multis credita est; in ea omnia perturbatè, insidiosè, perfidè facta, utpote quod in ea posset omnia Photius, eique nequitiâ par, & superior, Theodorus Santabarenus, dignum sanè tali patellâ operculum.

Hic porrò Theodorus Magus, & in necromantia versatissimus, effecit artibus suis magicis, ut Basilius Imp. filium Constantinum demortuum, quem ferebat in oculis, videret insidentem equo, atque salutaret. Cùm autem Leo hunc magum odisset, insinuavit se hic in illius benevolentiam, eique persuasit ut pugionem in venatione cum patre deferret, quasi ut eo conficeret feras, aut parentis saluti provideret; mox eum insimulavit apud patrem, qui cùm eum armatum pugione deprehendisset, nihil propiùs abfuit quàm ut eum exautoratum excœcaret; dedit tamen in custodiam miserum adolescentem miserior pater, qui illiusmodi pestes in suo aleret sinu, Deo atque hominibus abominandas.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4933. | 880. |

Basilius insignem hoc anno retulit victoriam de Saracenis, eorum expugnatâ classe oras Orientis infestante; quando Moravis concessum in Mysteriis uti linguâ Sclavicâ. Eorum autem erat Archiepiscopus Methodius, iis olim ab Hadriano Pontifice datus, qui tum Romam venit, ut se defenderet accusatus: sed ejus vita resque gestæ celebris Apologia fuit.

Aomonitus Joannes de iis quæ gesserat Photius in sua Pseudosynodo, eam cum suo authore damnavit; missoque in Orientem Marino, viro forti, à quo omnia didicerat, quæ fecerant Legati sui rescidit. Quare hic multa Constantinopoli passus, seque & legatione dignum, & majoribus ac difficilioribus negotiis aptum ostendit.

* * * *

## CAP. IX.

### *Decas Nona,*

*Ab anno Christi 880. ad 890.*

MUNDI 4934. CHRISTI. 881.

Athanasius Neapolitanus Episcopus,& fratri suo in Urbis regimine successor, fœdus cum Saracenis iniit, reclamante Joanne; ideo excommunicatus; neque veniam obtinuit,nisi cùm Saracenis obtruncatis, eorum sanguine crimen suum eluisset.

Carolus Crassus hoc anno Romæ à Joanne VIII. Imperator coronatus est in Natalitiis Christi Domini, cùm vi occupasset Italiam, ac Romam; itaque quod alias ex benevolentiâ facere voluerat Joannes, tum præstitit ex necessitate.

MUNDI 4935. CHRISTI. 882.

Joannes VIII. ærumnis confectus, ob prævalentes Saracenos, & Principes Francos inter se disceptantes, quos conciliare non poterat, ut ferrent auxilium Ecclesiæ laboranti, dum cogitat iter Gallicum, moritur 8. Kal. Januar. cùm sedisset annos decem. Huic sufficitur 5. Kal. ejusdem mensis Marinus, ille Photii oppugnator; contra quem Basilius Imperator insurrexit, ac deponere conatus est, multa adversus illum mentitus, quæ ille benè vivendo, patiendoque confutavit.

Obiit & Ludovicus Germaniæ Rex 13. Kalend. Decembr. itemque celeberrimus ille Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus cùm sedisset annos 37. In villa Sparnaci trans Matronam in sylvestribus locis, quò Normannorum omnia depopulantium metu confugerat; Rhemorum enim urbs muris vallata non erat, eam tamen Dei manus, & sanctorum patrocinium texit ab illis grassatoribus illæsam. Cùm autem Carolus Imperator ex Italiâ properaret in Gallias, ut Normannis obsisteret, dum eos obsidet, quominus expugnaret grandine inusitatæ magnitudinis impeditus est; quam secuta est suorum lues: iisdem autem malis afflicti Normanni cum Francis iniere fœdus, datâ Gislâ Lotharii Regis filiâ Godefrido, eorum Duci Christiano, quem ex sacro fonte Carolus ipse susceperat; dataque ei Frisia, cùm multâ pecuniâ, quibus empta pax videtur esse potiùs quàm conciliata.

MUNDI 4936. CHRISTI. 883.

Marinus Pontifex Formosum Episcopum Portuensem olim Apostolatu Bulgarorum insignem, multisque obitis legationibus, quem Joannes Octavus odiosum sibi (nescitur causa) deposuerat Episcopatu, & jurare compulerat, se quandiu viveret, laicâ communione contentum fore, post liminio suæ restituit Ecclesiæ; neque ut sedis sic & odii antecessoris sui esse voluit successor. *Marinus Formosum restituit Sedi.*

Circa id tempus cùm Episcopus Aquileiensis schismaticus (ignoratur ejus nomen) consensisset cum Photio uti negaret Spiritum sanctum à filio procedere; tum in Symbolo Constantinopolitano à Rom. Ecclesia inserta fuit illa vox FILIOQUE; quod jampridem fecerant Ecclesiæ Gallicanæ,& Hispanienses, præstare Romani Pontifices noluerunt, nec quid innovasse viderentur. Sed cùm jam negaretur quod omnes admittere Catholici deberent, tum cani publicè cœptum, quod antea, suppressum licet, sapienter ab omnibus credebatur. *Insertum Romæ hæc vox, filioque, in Symbolum Constant.*

Joannes Scotus, vir ille magnus, docens in Monasterio Anglicano, à pueris quos erudiebat, graphiis compunctus interiit, & martyr habitus, quanquam quæ sola martyrem facit, causa nesciretur. *Io Scotus cæditur.*

MUNDI 4937. CHRISTI. 884.

Marinus cùm sedisset annum unum, dies 10. 15. Kalend. Februar. fato functus est. Cui successit post duos dies Hadrianus III. qui Photium quoque execratus est, licèt ut reciperetur ad communionem Basilius Imperat. instaret: quare rabie percitus schismaticus, in eum effudit quæ ab homine erudito, sed amente, scribi potuerunt. *Marino succedit Hadr. III.*

Cassinense Monasterium hoc anno incensum est à Saracenis, S. Bertharius Abbas ad altare trucidatus, sola restitit Ecclesia Salvatoris, miraculi testis, & index loci sanctissimi. *Cassinum incensum.*

MUNDI 4938. CHRISTI. 885.

7. Idus Maji, sedis suæ anno primo, cùm mensibus 3. diebus 19. obiit Hadrianus Tertius, cui suffectus est invitissimus Stephanus Sextus cujus mox aquâ benedictâ depulsæ locustæ agrum Rom. depascentes, procurata pluvia, quæ jamdiu fluere desierat. Statim autem electus paterna bona in pauperes effudit, ipse inops, cùm Patriarchium Lateranense, jam more inolito, direptum esset, mortuo antecessore suo. Sic auspicatus Pontificatum, non potuit non rectissimè administrare. *Hadr. Tertio sufficitur Stephanus VI.*

Mortuus est & hoc anno Carolomannus Rex, cui successit filius Ludovicus Ignavus dictus *le Faineant*, sive quòd parum strenuè regnum administrasset, sive quòd Sanctimonialem ex Monasterio Calensi sibi rapuisset uxorem; opus Principis magis libidinosi quàm fortis. Relictus autem puerulus Carolus, cognomento Simplex, *Carolomannus moritur. Carolus Simplex.*

plex, filius Ludovici, susceptus est à Fulcone Archiepiscopo Rhemensi, à quo commendatus est Carolo Crasso Imperatori, qui in eum animo plusquam paterno fuit.

MUNDI 4939. CHRISTI. 886.

*Leo solvitur vinculis, & succedit mortuo Basilio.* Hoc anno Basilius Imperator Leonem filium suum, jam septennio Theodori Santabareni malitiâ carceri mancipatum, libertati atque Imperio restituit; cùm in convivio assidentibus proceribus Psittacus avis hæc verba iterasset *Heu! heu! domine Leo*; quibus permoti convivæ, tristes abstinebant. Cùmque eorum unus miserum Principem defendisset, permotus quoque pater eum solvi jussit, immo & reliquit hæredem, cùm mox ex diarrhæâ obiisset, ubi imperasset anno uno cum Michaële, solus undeviginti, magnus sine dubio bello paceque Imperator, nisi à Photio in transversum actus esset, tantùm sibi Principes ab hominibus ingenio & nequitiâ magnis sibi cavere debent.

*Victoria de Barbaris.* Sub hoc Imperatore, sed ignoratur tempus, Scythæ, dicti Chrovatæ & Servii, se huic dediderunt, quibus & agros incolendos dedit, unde Croatiæ & Serviæ regionibus nomen. Sub ejus quoque auspiciis Andreas Dux Saracenos Tarsi regnantes egregiè repressit, cum eorum Princeps litteras blasphemarum plenas ad eum in Christum ejusque matrem dedisset; has enim ille ad imaginem Beatæ Virginis appendit, invitans ad vindictam, & progressus in hostes, eos sic contudit, ut hi non humanâ, sed divinâ manu sese victos faterentur.

*Leo Photium expellit, mulctat Theodorum.* Successit ergo ei, quem aureo libello parænetico erudierat pater, Leo cognomento Philosopus seu Sapiens, qui mox Photium ineuntem consilium cum Santabareno de cognato suo in solium evehendo deposuit, atque in Monasterium Armenotum relegavit, substituto ei Stephano filio Basilii, à patre Ecclesiæ consecrato. Theodorum autem Santabarenum verberibus egregiè cæsum, atque excæcatum, Athenas relegavit, hominem Manichæum, Magum, impostorem, ideò habitum à Basilio ut sanctum, sed à Leone, nisi hic mitior fuisset, vivum flammis exurendum.

*Photii mors.* Cùm autem Stephanus à Photio Diaconus creatus esset, dispensatum est cum eo à Stephano Pontifice; qui insuper jussit ut judicio in Photium ageretur. Sed quid factum sit, silentio obrutum jacuit; sicut & quando idem veterator obierit, schismaticis contra eum facta sollicitè abolentibus. De quo id pronunciari potest, eo à suis amatum fuisse magis neminem, eo neminem hoc affectu fuisse indigniorem.

MUNDI 4940. CHRISTI. 887.

*Gr... nes ma... An... Fra...* Hoc anno Anglia & Francia à Danis seu Normannis desolatæ sunt. Anglia, ab Hastingo, qui fictè suscipiens Baptisma, eo usus est ut majoribus damnis Anglos afficeret. Lutetia quoque ab iisdem obsessa, sed precibus B. Virginis, cui Ecclesia consecrata est, & B. Germani, liberata est; quam oppugnationem cecinit Abbo versibus tam parum gratis, quàm fuit civibus ingrata obsidio.

MUNDI 4941. CHRISTI. 888.

*Ca... Cr... per... ma...* Hoc anno mortuus est pridie Id. Januar. Carolus Crassus Imperator, cùm priùs ex levibus suspicionibus Richardam Augustam injustè repudiasset. Sed idem ipse in Conventu Triburiensi à suis repudiatus est, traditâ ejus ditione Arnulpho filio Carolomanni; adeo dejectus, ut à Luitperto Episcopo fuerit nutriendus, donec ei Arnulphus nescio quid aspergeret, unde miserè victaret: exemplo Principibus metuendo, unde, & quò cadere possint.

*Im... per... tur...* Tum inter multos Principes Imperium distractum est. In Italiâ Berengarius Dux Forojuliensis Rex electus est. Guido seu Wido Lamberti Ducis Spoletani filius Imperatoris nomen assumpsit; in Franciâ Odo Comes Parisinus, spretâ Caroli Simplicis hæredis legitimi ætate, Regem egit: Rodolphus item, Conradi filius, Rex voluit appellari; Episcopis & Abbatibus euntibus in partes, & ad prælia progredientibus, in quibus accipiebant vulnera, magno Ecclesiæ probro, majori reponebant.

*P...* Hæc autem multis ostentis sunt prænuntiata: Aurelii imago Crucifixi diebus aliquot ubertim flevit in Monasterio Monialium S. Petri. Lupus subiens Ecclesiam pulsavit campana, & alia ejusdemodi, quibus miseri mortales prævidêre iracundiam Numinis, eam avertere neglexerunt.

*St... Co... tu...* Obiit denique hoc anno Stephanus Patriarcha Constantinopolitanus 16. Kalend. Jun. propter singularem innocentiam inter sanctos relatus, & ab ipsis unguiculis & fasciis sanctimoniâ illustris.

MUNDI 4942. CHRISTI. 889.

*St... Gr... di...* Græci antistites, atque Leo, petiere à Stephano VI ut dispensaretur cum iis quos Photius seduxisset; & videbatur æqua postulatio; cùm ad multos, eosque simplices, labes ista pertineret.

*G... & v...* Germania miserè devastata est per Hunnos ab Arnulpho immissos; Gallia quoque, & Italia deprædationibus Principum devastatæ. Urbs quoque Aurelianensis cum Ecclesiis tota flammis absumpta est. Cùm autem Basilicæ suæ ædificationem Arnulphus Episcopus suscepisset, in ejus fundamentis per latomos thesaurus inventus,

tus, ad eam splendidiùs construendam satis fuit.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4943. | 890. |

Mortuus est hoc anno Stephanus VI. anno sedis suæ item sexto, cujus vita est apud Anastasium Bibliothecarium mutilata. Sub eo Alanus Dux Britanniæ cum proceribus edito voto S. Petro de Decimâ bonorum suorum, tam feliciter adversus Normannos pugnavit, ut ex quindecim hostium millibus, vix quadringenti superfuerint: testes sancti Apostoli pro devinctis sibi depugnantis.

Obiit etiam eodem anno Antonius Episcopus successor Stephani, cui ut in sede, sic in sanctimoniâ successerat etiam miraculis clarus. Huic suffectus Nicolaus, cognomento *Mysticus*, quod erat dignitatis primæ nomen post Chartularium, cujus erat insigne Tyara, & prætexta vittata loris; quod observandum fuit, ne quid hîc mysterii suspiceris.

---

## CAP. X.

## *Decas Decima.*

*Ab anno Christi* 890. *ad* 900.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4944. | 891. |

Stephano VI. subrogatus est Formosus, vir doctus & integer, ex Episcopo Portuensi Pontifex creatus; cui tamen oppositus est à quâdam populi parte Sergius Diaconus, cujus tamen factio statim concidit, ne sedes Romana à Tyrannis vexata, domesticis etiam tumultibus exagitaretur.

Sic autem Formosus Photianos recepit, ut dispensaret cum laicis; Episcopos autem, & Presbyteros ab eo ordinatos tantùm recepit in communionem, qui libellis oblatis se erraffe faterentur, & pœnitentiam obirent; ne facilitate Pontificum homines superbi & audaces abuterentur.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4945. | 892. |

Formosus hoc anno Guidonem Imperatorem coronavit; quo facto in se concitavit Arnulphum & Berengarium, qui eandem dignitatem prensabant; immo & plerosque civium Romanorum, his tumultibus distractus; quod erat hisce miseris temporibus expectandum.

Tum quoque Carolus Simplex filius Ludovici Balbi annorum 14. adolescens in Conventu Rhemensi ab Episcopis & Proceribus regni agnitus est sceptri Francici hæres legitimus, & à Fulcone Archiepiscopo solemniter inunctus, depulso Odone Comite Parisiensi, qui se Regem dixerat. Et Arnulphus primùm Carolo favit, mox tamen eum deseruit ut Eudoni jungeretur; æquitas tandem & tempus litem Carolo adjudicarunt.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4946. | 893. |

Simeon Bulgarorum Rex & Leo Imperator inter se bello commissi sunt; quando Leo in illum Hunnos & Turcas concitavit. Quare ex hoc tempore Bulgari rejecere Græcos Episcopos, Romanæ sedi adhæserunt; ita temporale bellum, spirituale sustulit, reddiditque Ecclesiæ Romanæ populum, quem schisma Photianum sustulerat. *Simeon & Leo hostes.*

Formosus Concilium convocavit ex omnibus quos potuit Episcopis, quo malis Ecclesiæ per Tyrannos vexatæ provideret. Tum etiam Lambertum Guidonis filium unxit Imperatorem, ut sic aliis ambientibus tolleret Imperii cupiditatem. *Lambertus unctus Imperator.*

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4947. | 894. |

Formosus pro Carolo Simplice defendendo laboravit, quem plerique infestabant. Providit & Ecclesiæ Anglicanæ, quæ destituta, ob incursiones Danorum, Episcopis, pæne ad Gentilitatem reciderat: quamobrem litteras ad Eduardum Regem dedit, minaces quidem, sed hoc tempore salutares. *Anglia Eccl. consulit Formosus*

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4948. | 895. |

Hoc anno celebrata est Synodus Triburiensis ut Ecclesiastica disciplina emendaretur; de quâ cave ne te implices erroribus quos hîc Goldastus confinxit; propter quos meritò, & egregiè, à Gretsero vapulavit, dum Baronium aggredi temerè voluit. *Triburiensis Synod.*

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4949. | 896. |

Arnulphus Germaniæ Rex invitatus à Formoso ut injurias sibi illatas ulcisceretur, Romam capit, Pontificem ulciscitur: Ab eo itaque coronatus est Imperator; itaque tres Augustos hic annus Occidens vidit, legitimos tamen Guidonem & Lambertum, Arnulphum intrusum, quamquam volente Pontifice, cujus primæ curæ erant secundis sapientiores. *Arnulphus fit Imp.*

Eodem anno obiit Formosus 19. Kal. Januarii, cùm annis sex circiter Pontificatum tenuisset, variis exercitum calamitatibus, quæ nec ipsâ ejus morte terminatæ sunt. *Moritur Formosus.*

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4950. | 897. |

Bonifacius hoc anno invasit Romanam sedem, ac tenuit diebus quindecim; damnatus postea in Synodo Romanâ sub Joanne IX. ho- *Bonifacius intruditur.*

*Hunc depulit Stephan. VI.*

mo sceleratus, bis depositus, & Diaconus atque Presbyter exauthoratus. Hunc depulit Stephanus VII. dictus Sextus, intrusus quidem, sed postea accedente consensu Cleri toleratus; ne schismate Ecclesia scinderetur. Hic Formosi cadaver extraxit à sepulchro, sacrisque indutum vestibus in sede Romanâ collocavit; unde eum exutum vestimentis sacris, & tribus digitis mutilatum in Tiberim projici jussit, omnibus iis iterum ordinatis, quos ipse ad Ecclesiæ sacros gradus promoverat. Id autem præstitit in Synodo suorum Episcoporum: quæ postea sub Joanne IX. improbata est, ejusque acta igni tradita. Cadaver autem Formosi à piscatoribus inventum, relatumque in Basilicam S. Petri, Sanctorum imagines mirabiliter salutarunt; quod Dei testimonium, sceleratorum factis debet prævalere.

*Formosi corpus in Tiberim projicitur.*

*Roma occupata per Adalbertum.*

Hoc porrò tempore Adalbertus Marchio Tusciæ, cognomento dives, Romam occuparat, & Stephanum introduxerat: ille ergo cum suis successoribus potitus Hadriani mole, in bonos omnes sævit, & vehementer afflixit Ecclesiam. Quod ut detestaretur Deus, Basilicam Lateranensem disjecit, relicto tantùm ejus sacrario, ubi sedes Pontificis erat, ut eo facto spes aliqua secuturis Pontificibus relinqueretur.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4951. | 898. |

*Carolus Fulconem audit.*

Carolus suis diffidens viribus, in auxilium vocare statuit Normannos, quorum armis suffultus Odoni par esset: sed obstitit Fulco Rhemensis Archiepiscopus, asserens hanc cum infidelibus societatem Christianis nocituram. Acquievit Carolus sancti Præsulis monitis; statimque obsequii sui præmium retulit, Odone è vivis exempto, 3. Non. Jan. eo enim extincto, proceres omnes eum agnovere Regem, habuitque sibi Francos omnes obsequentes, qui Ecclesiæ recta suadenti prudenter acquieverat.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4952. | 899. |

Arnulphus primùm Germaniæ Rex, deinde à Formoso creatus Imperator, primò deliquium passus ex soporiferâ potione, quam ei Guidonis uxor miscuit, inde decidit in pedicularem morbum, ex quo interiit vir divini humanique juris perturbator, ut plurimùm posset; atque ex suis commodis omnia, etiam Ecclesiam, dimetiens. Neque ita multò pòst interiit Guido, seu Wido Imperator, eum proximè secutus morte, cui scelere propinquus extiterat.

*Arnu... phus ... Guid... lati.*

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4953. | 900. |

Stephanus VII. invasor ille Apostolicæ Sedis detrusus in carcerem ab inimicis, ibidem strangulatus, propè pœnâ Judæ proditoris periit. Unde prævaluit factio in Albertum Tusciæ Comitem, qui Romanum quendam intrusit patriâ Galesianum, qui tantùm vixit menses 4. ac dies viginti, de quo nihil habetur præter nomen.

*Steph... VI. st... gula... succ... Rom...*

Cæsus est hoc anno Fulco Archiepiscopus Rhemensis, ac prope Caroli Simplicis pater, jubente Balduino Comite Flandriæ, raptore Judithæ filiæ Caroli Calvi, quòd reprehensus esset ab eodem de bonis Ecclesiæ per vim usurpatis, & huic Abbatia S. Vedasti per Carolum esset erepta, curante eodem Fulcone. Qui autem eum interemit Winsmarus, ab Episcopis Galliæ excommunicatus, mox insanabili ulcere à Deo percussus, ex eo vermibus scaturientibus arrosus est vivus; ut pœna scelus exæquaret.

*Fulc... chiep... fus.*

Sublatis Imperatoribus duobus, Arnulpho & Guidone, de Imperio disceptarunt Berengarius Dux Foro-Juliensis, & Ludovicus Bosonis filius; ac Berengarius accedens Papiam, obtinuit regnum; sed cùm Ludovicus Berengarium fugere compulisset, ac venisset Romam, ibi coronatus à Pontifice dictus est Imperator, quia fortior, & felicior extiterat.

*Bere... rius ... dovi... Imp... ptan...*



LIBER

# LIBER X.

## *Ab anno Christi 900. ad 1000.*

### CAPUT I.

### *Decas Prima.*

*Ab anno Christi 900. ad 910.*

MUNDI 4954. CHRISTI. 901.



HOC anno creatus est in locum Romani Papæ Theodorus II. patriâ Romanus, qui sedit tantùm diebus 20. cui subrogatus est Joannes IX. patriâ Tiburtinus, professione monachus; sub quo nonnihil Ecclesia respiravit.

Nicolaus Mysticus, cùm sedisset annos XI. in sede Constantinopolitanâ, depositus est, & detrusus in monasterium à se conditum, quòd nollet probare quartas nuptias Imperatoris canonibus prohibitas; & Presbyterum, qui Imperatoris nuptias cum Zoë benedixerat, deposuisset. Porrò ex Zoë jam filium Constantinum genuerat, quem hæredem his nuptiis parabat, quibus obstitit Nicolaus; sed obtinuit demum Leo à Rom. Pontifice super quarto hoc Matrimonio dispensationem. Paulò pòst tamen in solenni supplicatione idem Leo ab homine fanatico percussus est vecte, ex quo tamen vulnere sanatus est; sed abolita supplicatio, ob facti memoriam, ut utrumque ex hominum animis expungeretur. Porrò in Nicolai locum substitutus est Euthymius, genere Isaurus, Monachus & Syncellus Patriarchii, vir valdè pius, & eruditus, donoque prophetiæ illustratus; qui admittere noluit dignitatem, nisi divino oraculo hanc Dei voluntatem esse cognovisset. Sed qui ab universo Clero expetitus fuerat, eum depositus tam dirum sensit, quàm facilem expertus erat sedem ingressus.

MUNDI 4955. CHRISTI. 902.

Himerius à secretis Leonis Imp. Dux optimus bellum in Saracenos feliciter confecit; quando à Simeone Anachoretâ revelata est vita S. Theoctistes Lesbiæ, quæ annis 35. pænè nuda nihil præter paucos lupinos comedens vitam traduxit; Angelo quàm fœminæ similior.

Tum quoque Hunni Italiam ingressi regionem Circumpadanam vastavere, omnia miscentes flammis; quibus occurrens cum immensis copiis Berengarius profligatus est; victoriâ tam inexpectatâ, ut eam victores ipsi mirarentur.

MUNDI 4956. CHRISTI. 903.

Hunni, desolatâ Italiâ, spoliis divites, ad fœderis conditiones attendêre; acceptâque ingenti pecuniæ summâ, spoliis insuper divites, Pannoniam suam repetiere, ut partis per otium & sine periculo tranquillè fruerentur. *Hunni divites recedunt.*

MUNDI 4957. CHRISTI. 904.

Ludovicus Imp. à Berengario captus, oculis & Imperio privatus est. Hic autem jam per vim Imperator à Joanne Pontifice coronatus erat; sed cùm exiisset Româ, Lambertus jam ab annis XI. Augustus coronatus ab eodem Joanne accersitus est Romam: ubi utriusque jure discusso in Concilio Romano, à Lamberto pronunciatum est. Sed cùm periculosum esset Joanni IX. Romæ subsistere, novum Concilium Ravennæ peractum est, eò convenientibus 74. Episcopis, in quo recitata sunt quæ in superiori Concilio Romano gesta erant, videlicet damnatio alterius Synodi Romanæ celebratæ à Stephano VII. adversus Formosum, ejus Actorum combustio; anathema Sergii, & aliorum, qui Formosi sepulchrum effoderant; Constitutio de legitima electione Rom. Pontificis; confirmatio Lamberti, & reprobatio Berengarii; prohibitio ne moriente Pontifice Patriarchium expilaretur; & alia ejusdemmodi, in quibus Ecclesiæ tranquillitas sita esse videretur. *Lud. Imp. à Berengario excæcatur.* *Ravennæ Concilium*

MUNDI 4958. CHRISTI. 905.

Joannes IX. post annos 3. dies 15. locum dedit Benedicto IV. magno pauperum tutori, & ob eam causam Deo atque hominibus acceptissimo. *Benedictus IV Ioanni IX. succedit.*

Normanni circa hoc tempus ad Christianam fidem conversi, gentilium adhuc vivebant more; quibuscum mitiùs actum, ne jam satis feri magis efferarentur. Sed paulò pòst victi à Roberto Carnotensi, & mitiores, & meliores Christiani sunt effecti. *Normanni conversi.*

Rex Gallæciæ Alphonsus Magnus, benè compositis Ecclesiæ rebus, Arabas aggressus nobilem de iis victoriam retulit; quando eorum Dux præcipuus Alcaman, & habitus ut prophetes, in prælio cecidit; nec de aliis benè, malè de se vaticinatus. *Victi Mauri in Hispania.*

MUNDI 4959. CHRISTI. 906.

Corpus S. Primi Martyris hoc anno translatum est ab Urbe per Erembertum illustrem virum; sed in nomine Pontificis peccatur, qui nonnisi anno sequenti creatus fuit, ob temporis istius inscitiam, & incuriam scriptorum, qui *S. Primus martyr.*

hoc

hoc ſæculo planè plumbeo, vel ferreo, extitere.

MUNDI 4960. CHRISTI. 907.

*Benedicto IV. ſuccedit Leo V. Huic Chriſtophorus.*

Benedicto IV. demortuo ſucceſſit Leo V. patriâ Ardeatinus, qui tantùm dies 40. Eccleſiæ clavum tenuit; nam detruſus eſt in carcerem à ſuo ſucceſſore Chriſtophoro, qui ſeptem tantùm menſibus ſui ſceleris præmio potitus, mox à Sergio eadem paſſurus quæ in Leonem perpetrarat.

MUNDI 4961. CHRISTI. 908.

*Sergius III expellit Chriſtophorum.*

Hoc anno Chriſtophorus per vim ex Petri ſede extruditur, & conjicitur in carcerem, ac monachus fieri compellitur; ſed neque monachus, neque Pontifex fuit, paulò pòſt è vivis ſublatus. Huic ergò ſucceſſit autor harum turbarum Sergius ille nefarius, promotus factione Adelberti Marchionis Tuſciæ, qui Formoſi Papæ corpus effoderat Presbyter, ideoque fuerat anathemate perculſus. Hic itaque in memoriam Formoſi, ut olim in corpus deſæviens, omnes ejùs ordinationes in Concilio approbatas ſub Joanne IX. irritas fecit, & alia multa plurima, quæ in hac Synodo conſtituta fuerunt, quæ dolentiùs deplorat Auxilius, hujus ſæculi ſcriptor, ſecuturis deinceps temporibus deteſtanda. Hic porrò Sergius III. ex Maroziâ nobili ſcorto filium genuit, qui poſtea ſub Joannis XI. nomine, Petri deturpavit ſedem. Hæc porrò Marozia, aliter dicta Maria, filia erat Theodoræ nobilis Romanæ fœminæ, ex Senatoria ſtirpe; & cùm in illâ excellens forma cum ingenio verſutiſſimo conjuncta eſſet, mirum eſt quid Romæ non præſtiterit, Marchionibus Tuſciæ, omnia potentibus Romæ, turpiter conciliata. Dedit inſuper filiam ſuam cognominem ſibi Maroziam Adelberto Marchioni, cui genuit Albericum patris potentiâ factum Dominum Urbis; ac demum Adelberto mortuo, eadem Marozia nupſit ejuſdem filio Guidoni ex Bertha conjuge; & turpiſſimis illis hominibus ac infamibus ſcortis S. Petri diu infamata eſt ſedes: quo tempore, ſingulari Dei beneficio, nullum ſchiſma, nulla Hæreſis conflata, quæ Eccleſiam Romanam invaderet, ſatis hiſce ſordibus afflictam atque impeditam.

*Maroziæ nobile ſcortum ejuſque proſapia.*

*Alphonſi Magni virtus.*

Alphonſum Magnum, adjuvante matre & fratribus, de regno conatus eſt dicere Garcias filius; & tum ille quis eſſet oſtendit: qui enim aliàs tam ſæpe Saracenos domuerat, ſeipſum vicit; & ne ex domeſtico diſſidio hoſtis commodum caperet, ſponte ipſe regno ceſſit; exemplo quod nulla antiquitas vidit, omnis etiam poſteritas admirabitur.

MUNDI 4962. CHRISTI. 909.

*Galliæ Epiſcopi benè affecti in Pontificem.*

Hoc anno Concilium celebratum in pago Sueſſionenſi loco Troslejo *Trosly*, de Diſciplina Eccleſiaſticâ, quo multa continentur ad Clericos benè inſtituendos accommodata, Epiſcopis Galliæ tum optimè animatis in ſanctam Sedem; eò mirabilius, quo ejus perditi mores eam reverentiam minùs efflagitare viderentur.

MUNDI 4963. CHRISTI. 910.

*Anaſt. III. ſucc. Sergio.*

Sergius III. triennio ferè Romanam quam invaſerat tenuit ſedem; cui ſucceſſit Anaſtaſius III. patriâ Romanus, non diu quoque eandem occupaturus.

*Lamb. mors.*

Obiit tum, anno ſui Imperii ſeptimo, Lambertus Guidonis ſeu Widonis filius in juventutis flore necatus in venatione, clam, ab Hugone Comite Mediolanenſi; cujus obitum ſcriptores hujus ætatis dolentiùs deplorant, aſſeruntque plus dignitatis Imperio attuliſſe, quàm ex eo recepiſſe.

---

## CAP. II.

### *Decas Secunda.*

#### *Ab anno Chriſti* 910. *ad* 920.

MUNDI 4964. CHRISTI. 911.

*Leo VI. Sapientis mors.*

Mortuus eſt hoc anno ex profluvio ventris Imperii ſui 25. cùm 3. menſibus, Leo VI. ſeu Sapiens; quem Philoſophum fuiſſe ejus ſcripta declarant plena doctrinæ: ſed & in eo pietas eruditioni concinebat. Excitavit nobile templum Conſtantinopoli, in quod intulit corpora SS. Lazari atque Magdalenæ ex Cytio urbe Cypri atque Epheſo deportata; quod cùm aſſerant Græci, Galli, Narbonenſes negent, eâ de re debent eruditi ſtatuere, & qui ad hanc cauſam nihil afferent præjudicati.

*Leoni ſuccedunt Alex. & Conſtant.*

Leoni ſucceſſit Alexander ejus frater: cum tamen admiſſus Conſtantinus Porphyrogenitus Leonis filius, ſed adhuc puer. Alexander porrò ſtatim Nicolaum Patriarcham depoſitum acceſſiit, eumque ſedi Conſtantinopolitanæ præfecit, Euthymio in exilium ejecto, quem Clerici fautores Nicolai ab eo de ſimoniâ reprehenſi peſſimè exceperunt, ei colaphis inflictis, ac pugnis, barbâque contumelioſè evulſâ. Quam tamen immanitatem plerique eorum non tulerunt impunè, Deo pœnas infligente, quæ ab hominibus non exigebantur.

MUNDI 4965. CHRISTI. 912.

*Mors Alex.*

Octavo Id. Junias Alexander Orientis Imperator lotus ac benè pranſus, multoque vino madidus, dum pilâ ludere cupit, exortis viſcerum torminibus in Palatium relatus, ſanguinem per nares & veretrum egerens, ſequenti die obiit: quem ob impietatem ita periiſſe ſcribit Aretas Cæſarienſis Archiepiſcopus: & verè (ſi vera ſunt quæ de Bacchi ſacrificio referuntur, & de Deorum antiquorum ſtatuis ſerico coopertis) Blaſphemus, impius, & Atheus extinctus eſt.

*Solus imperat. Conſtantinus.*

Hoc ſublato imperavit ſolus Conſtantinus Porphyrogenitus Leonis Sapientis filius, inter cujus tutores allectus eſt Nicolaus Patriarcha, qui graviter conqueſtus eſt apud Ro. Pontificem

de

de injuria sibi irrogatâ, dum pulsus est ob τετραγαμίαν; sed hæ litteræ nihil profecerunt, nisi ut posteritas de multis ad historiam pertinentibus erudiretur.

Anastasius Papa fato functus locum dedit Landoni patriâ Sabino; qui in gratiam Theodoræ potentissimæ meretricis, quæ tum imperitabat Romæ, Joannem amasium suum ex presbytero factum Episcopum Bononiensem, transtulit ad insulas Ravennæ. Sed cùm paulò pòst idem Lando interiisset, eadem Theodora, ut faciliùs admissarii sui complexibus frueretur, eundem Joannem in Petri Sedem intrusit, qui dictus est Joannes X. qui licet moribus fœdissimis, nihilo tamen minùs non malè Pontificatum administravit, jam probatus à Clero; docuitque sibi malos præsules & rectores nonnunquam aliis bonos & utiles esse.

Mortuus est hoc anno Alphonsus Magnus, cùm regnasset annis 46. quatuor annis filio suo Garciæ relictis. Ille antequam moreretur magnam de Arabibus victoriam retulit, non ut Rex, sed uti dux exercitus, quâ gloriosus mox ad nobilem in cœlum triumphum abiit. Filius autem Garcias, qui mortem patris expectare noluerat, intra triennium elatus didicit filios immorigeros, & contumaces, nunquam esse diuturnos.

Obiit hoc anno Berno conditor Monasterii Cluniacensis ex bonis aulæ suæ Comitissæ, factus quoque ipse ex Comite Monachus. De cujus successoribus non est certum, scriptoribus in diversa distractis.

Sublato Ludovico Germaniæ Rege, Conradus Rex electus ex alia familia quæ Caroli Magni non esset; defecerat enim, Ludovico Arnulphi filio sine liberis moriente; Carolum Simplicem Germanis facilè non respectantibus.

Hoc anno Rollo Normannorum Dux fortissimus sacris aquis intinctus cum suis, & in Galliam translatus, ostendit non arbores tantùm, sed & homines mutato cœlo, soloque, mitescere. Celebratur etiamnum apud hanc gentem Principis hujus æquitas, atque justitia, quæ in hac voce Haro servata dicitur esse, atque ea videntur in pressuris & litibus opem implorare, *Haro quasi ab Rollo*, nisi scriptores Franci vaticinantur.

MUNDI 4966. CHRISTI. 913.

Ragnerus Dux Lotharingiæ, cùm bona Ecclesiæ sæpe diripuisset, donato latifundio Monasterio S. Matthiæ Trevirensis, ostendit se verè pœnitentem esse, ac diplomate edito, voluit dolorem suum ad omnem transire posteritatem.

MUNDI 4967. CHRISTI. 914.

Hoc anno Simeon Bulgarorum Rex in Thraciam irrupit, & obsedit Constantinopolin; à qua tamen depulsus, in Hebdomo substitit, ubi eum convenit Nicolaus Patriarcha, & ad pacem componendam induxit. Sed ea pax diuturna non fuit, iisdem Bulgaris Hadrianopolin mox invadentibus. Zoë autem Augusta Constantini mater Nicolaum tutorem filii Palatio depulit, non tamen Episcopatu, quia de toto Imperio, ejusque filio nimis benè meritus erat, & gratissimus Constantinopolitanis.

MUNDI 4968. CHRISTI. 915.

Saracenos, qui jam ab annis 40. propè Garilianum consederant, inde Italiam depopulatos, Christiani Græci simul & Latini junctis copiis invaserunt; quibus suum quoque Joannes X. junxerat exercitum; tantaque clade debellati sunt, ut ne vel unus superfuerit certamini, aut capti omnes, aut trucidati, Italiam purgavere. *Saraceni penitus in Italia deleti.*

Berengarius, qui egregiam in hoc bello navarat operam, à Joanne inunctus Imperator, didicit se non gratis pugnasse adversus Saracenos. *Berengarius Imperator.*

Ordonius fratri Garciæ mortuo successit, transtulitque sedem Oveto Legionem; quare antè Rex Asturicensis dictus, deinceps Legionensis audiit. Porrò solemni ritu Rex intinctus, Regiam suam in magnam Ecclesiam consecrari jussit, patri suo, quàm fratri similior. *Ordonius succedit Garciæ.*

MUNDI 4969. CHRISTI. 916.

Devastavere hoc anno Saxonum Ecclesias Hunni, & maximè Bremensem; quarum se Deus vindicem exhibuit. Coortâ enim tempestate, erumpentes ex incensis templorum tectis scintillæ, in ora incendiariorum irrumpentes, aut eos se in fluvium præcipites agere compulerunt, aut se armatis civibus dedere; à quibus ad satietatem cæsi, sanguine sacrilego ignes sceleratos restinxere. *Hunni Sacrilegi mulctati.*

MUNDI 4970. CHRISTI. 917.

Prælium commissum est inter Romanos & Bulgaros; hi victi discessere; mox tamen illi panico terrore correpti victos victores effecere; quare eorum Rex Simeon obsedit Constantinopolin; mox tamen à Constantinopolitanis victus fugatusque est, ne hic efferretur nimiùm, illi nimiùm deprimerentur. *Græci & Bulgari victi, atque victores.*

Videtur hoc anno inita pax inter Ecclesias Orientalem & Romanam, anno superiore à Nicolao & Constantino expetita; invitatique Armeni ab eodem Nicolao à suis erroribus discedere, quos ex Saracenis & Manichæis convictoribus hauserant. Moniti quoque Saraceni cum Christianis mitiùs agere; si quidem Constantinopoli illi sinerentur oratorio uti ex facilitate Imperatoris, atque æquum videri, ut humanitas humanitate pensaretur. *Pax in Ecclesia.*

Hunni seu Hungari hoc quoque anno non solùm Saxoniam, sed & Lotharingiam & Franciam devastarunt, spoliis earum provinciarum inescati; quando & Danorum Ecclesia persecutionem passa est ab eorum Rege Gorm, ut martyrum sanguine feliciùs adolesceret. *Hunni grassantur, Danorum Ecclesia vexatur.*

MUNDI 4971. CHRISTI. 918.

Ex occasione Legationis missæ ab Episcopo Com- *Ecclesia Hispanensis.*

Compostellano, & Ordonio Rege Legionensi, eorum legatus Joannes seu Joannellus Missale Mozarabicum ad formam Romani correxit; sicque multorum annorum controversia tum finita est, mox tamen iterum exagitanda. Miserat autem Joannes X. Legatum Compostellam, qui assiduas pro se apud sanctum Apostolum preces flagitaret; quibus,tam ipse,quàm Ecclesia Romana plurimùm indigebat.

MUNDI 4972. CHRISTI. 919.

*Constantinus Collegam adsciscit Romanum.* Bellum civile exarsit in Oriente, multique contra Constantinum exorti Tyranni.Quibus se imparem cùm animadverteret adolescens, Romanum Patricium præfectum classis, virum fortem, atque industrium sibi collegam Augustum assumpsit, maluitque Imperium dividere, quàm perdere. Duxit autem hujus filiam Helenam; at Zoë Augusta mater in monasterium detrusa est, quòd impedire mala non posset, nec vellet hoc remedium adhiberi.

*Carolo succedit Henricus.* Obiit hoc anno Conradus Germaniæ Rex,ditione suâ in Henricum Saxoniæ ducem translatâ. Hic Rex ungi recusavit,quasi hâc unctione indignus esset,sed eam demissionem non placere Deo agnovit S. Udalricus Episcopus Augustanus. Cùm autem idem Henricus viduam velatam sibi adsciviſſet uxorem, nihil propiùs factum quàm ut damnaretur, vocatus ad Synodum à Sigismundo Halberstadiensi Episcopo; sed pro eo Imperator intercessit; igitur dimisit illam fœminam, ipse pœnitens pedes adiit Romam, ac deinceps duxit Mathildem, ex qua tres liberos suscepit, pretium demissionis suæ, atque pœnitentiæ.

MUNDI 4973. CHRISTI. 920.

*Pax inter Nicolai. & Euthymii fautores.* Constantinopoli pax reconciliata est inter Nicolai & Euthymii fautores; quâ initâ,Euthymii demortui corpus magnificè in Urbem relatum est,ut post obitum ei quodammodo factum esse satis videretur.

*Bellum civile in Francia.* Magnæ sunt hoc anno turbæ in Francia adversus Carolum Simplicem concitatæ; quarum prætextus fuit Hagano Laudunensis vir ignobilis, sed qui apud Regem poterat omnia; causa, ambitio Roberti, quem Odo Comitem Parisiis præfecerat,dum rerum potiretur.Bellum itaque ingens civile conflabatur, quod tamen dicitur tum discussisse suâ prudentiâ Hervæus, ægerrimè tamen; cùm Hagano nimiùm superbiret, Robertus nec ipsum ferre posset, nec Regem.

## CAP. III.

## *Decas Tertia.*

*Ab anno Christi 920. ad 930.*

MUNDI 4974. CHRISTI. 921.

*Bellum civile recrudescit.* Recruduit hoc anno apud Francos civile bellum, proceribus denuò adversus Carolum ejusque administrum Haganonem armatis. Hi ducem sibi Robertum eligunt, & per Hervæum Archiepiscopum Rhemensem ungendum curant: at qui unxerat intra triduum mortuus, ostendit unctum non diu Regno tyrannicè rapto potiturum. Eodem ductu Robertus Laudunum proficiscitur, ubi latere thesauros Haganonis noverat,quos diripit,atque inter suos dividit,ut haberet eos ad opprimendum verum Regem paratiores.

MUNDI 4975. CHRISTI. 922.

Hoc anno,quo Ecclesiæ Constantinopolitanæ plena pax reddita est, promulgato edicto de quadrigamiâ,inter Romanum & Constantinum Porhyrogenetam nata odii causa,cùm hic antea primo loco in publicis actis nominari solitus, secundo scriptus esset, ut ille primo; superbia,sine dubio,in Romano non ferenda, qui omnia debebat Constantino.

MUNDI 4976. CHRISTI. 923.

Habarraghmam Saracenorum Cordubæ Rex, ejus nominis Quartus,diram in Christianos persecutionem excitavit, vocans se *Legis divinæ defensorem Amomiramolin*, hoc est, *Regem credentium*: sub quo passâ S. Eugenia virgo 17. Kal. Aprilis, aliique complures, quorum in cœlo potiùs descripta sunt nomina, quàm in tabulas Ecclesiæ relata.

Carolus Simplex, evocatis in auxilium suum Normannis,Robertum aggreditur, commissoq; atroci prælio, primo impetu ejus copias delet; quo in certamine Rex Tyrannum manu suâ interemit. Retractum tamen ejus cadaver à filio Hugone Magno,& Heriberto Comite Veromanduo genero; immò ita repressus vincentium ardor, ut dubia victoria videretur. Interim à conjuratis novus Rex substituitur Rodolphus, Dux Burgundiæ,Richardi filius,qui tam fortiter bis Normannos devicerat: ipse tum bellicosissimus habebatur, duxeratque Emmam seu Eminam Roberti filiam. Hic collecto exercitu Suessionibus Rex coronatur, de Regno cum Carolo fortiter decertaturus.Sed prælio nihil opus fuit. Nam Heribertus Carolum verè tum Simplicem in urbem S. Quintini pertraxit, ac desertum à suis compegit in carcerem. Hujus uxor Ogina vel Edinia cum filiolo Ludovico fugit in Angliam ad Adelestanum vel Æthelstanum fratrem, ne regius sanguis in Francia periclitaretur.

MUNDI 4977. CHRISTI. 924.

Berengarius Imperator hoc anno, sui Principatus decimo, cæsus est à suis, ac meritas dependit pœnas quòd bis Hungaros populatores in Italiam induxisset; hi enim hoc potissimùm anno ibidem sævitiæ suæ defixere monumenta. Nam Ticinum inflammarunt, & quadraginta tres Ecclesias,cum hujus urbis Episcopo, atque Vercellensi, ex incredibili porrò civium multitudine ducenti tantùm huic superfuere cladi, qui ex favillis urbis collegere octo modios Argenti, quibus vitam suam urbisque muros redemere.

demere. Dum autem iidem Hungari in Galliam irrumperent, à Rodolpho repressi, fortiores sibi hostes occurrisse, damno suo, cognovere.

Periculosè ægrotans Rodulphus Rex, Rhemos ad sepulchrum S. Rhemigii deportatus, thesauris suis per Ecclesias Franciæ ac Burgundiæ distributis, præter uxoris partem, valetudinem visus est non tam recuperasse, quàm emisse.

Ordonius Rex Legionensis, debellato Maurorum ingenti ex Africa exercitu, obiit hoc anno; successit ei Tyrannicè Froila II. cognomento *Crudelis*; quo post 14. menses sublato, duo sunt creati judices qui bella judiciaque tractarent; quibus exautoratis successit Alphonsus IV. cognomento Monachus, filius Garsiæ; vel Ordonii: dum in Asturia Ramirus, filius quartus Alphonsi Magni, sibi vendicavit regnum; quæ simul eò congessimus, ne minuta discerpere videremur.

MUNDI 4978. CHRISTI. 925.

S. Pelagius Gallæcus, eximiæ formæ adolescens, captivus à Rege Habdaraghmam Saraceno Cordubæ, de stupro & Christo ejurando sollicitatus, post multa tormenta minutatim concisus puram Deo reddidit animam: cujus laudes cecinit Rhosuinta Saxonica poëtria; à multis etiam aliis & nondum satis ob castimoniam, & fortitudinem, collaudatus.

Heribertus Veromanduorum Comes filium suum Hugonem destinat Archiepiscopum Rhemensem, obtinetque à Seulpho; ut ei successor destinaretur; mox idem Seulphus à ministris Heriberti tollitur veneno, & Hugo vix quinquennis creatur Archiepiscopus ab Ebbone Suessionensi, & Bonone Catalaunico Episcopis, totoque Clero Rhemensi; quod etiam probavit Joannes X. Cui electioni cùm assentiri noluisset Flodoardus, hujus Ecclesiæ Presbyter, ab Heriberto cum multis aliis expulsus, Ecclesiasticæ constantiæ pœnas luit, tam indignas, quàm atroces.

MUNDI 4979. CHRISTI. 926.

Hugo Comes Arelatensis seu Provinciæ, filius Berthæ, Rex Italiæ constituitur à Joanne Pontifice & omnibus Italiæ proceribus, à quibus expetebatur; qui mox Mantuam veniens eidem Pontifici occurrit, atque inter eos initum est fœdus, eorum rationibus & Ecclesiæ satis accommodatum.

MUNDI 4980. CHRISTI. 927.

Simultates hoc anno graves exortæ sunt inter Heribertum Comitem Veromanduum, & Rodulphum Franciæ Regem, quòd ille omnia sibi deberi crederet, hic regnare vellet, atque à se Heribertum pendere. Cùm autem idem Heribertus Laudunum occupare conatus esset, (tùm Regiam Sedem, ex quo creati erant Comites Parisienses Odo, Robertus, & Hugo Magnus) rejectus est à præsidiariis Rodulphi; quamobrem occulta odia palam eruperunt. Itaque Heribertus Carolum Simplicem laxat ex carcere, quasi ut faceret satis Joanni X. Pontifici, qui id litteris suis etiam minacibus postularat, reverâ ut hoc misero Rege laxato, constrictoque, custos ejus ad res suas abuteretur.

Adelphonsus Rex Legionensis, relicto regno, fit sponte Monachus, Ramiro sibi successore declarato. Sed postea relictum thronum respectans, ab eodem Romiro captus & excæcatus est: privati quoque oculis tres Froilæ liberi in eum rebellantes. Sed cùm ad se Ramirus rediisset, accusans se nimiæ crudelitatis, sæva hæc facta redimere eleemosynis conatus est, multis conditis Monasteriis, Ecclesiisque dotatis, quæ ex miseris illis Principibus excæcatis lucem & splendorem accepere. *Turba Hispanica.*

MUNDI 4981. CHRISTI. 928.

Joannes decimus intrusus in Romanam sedem per Theodoram scortum, per aliud scortum Maroziam, ejus filiam, in carcerem detrusus; & tunc pontificatu, vitâ paulò pòst spoliatus est. Erat illa uxor Guidonis Comitis Tusciæ, fratris Hugonis Italiæ Regis; qui cùm arderent invidiâ in Petrum Joannis fratrem, hunc dejecerunt sede, illum in oculis fratris interemerunt. Sic omnia Romæ tam crudeliter, quàm libidinosè gerebantur. *Ioan. X. in carcerem conjicitur.*

Simeon Bulgarorum Rex, Thraciam atque Macedoniam fœdè depopulatus, accessit ad Urbem Constantinopolin, & circum loca omnia sacra prophanaque incendit; tandem cum eo locutus Romanus multis ditatum muneribus remisit in patriam suam. Moxque idem Romanus duobus liberis suis Stephano, & Constantino coronam imposuit, tertium Theophylactum dictũ Eunuchum addixit Ecclesiæ, & dignitate Syncelli auctum Subdiaconum fieri jussit, quasi domus ejus & Imperio & Ecclesiæ satis esset. *Bulgari placati muneribus à Romano.*

MUNDI 4982. CHRISTI. 929.

Hoc anno in custodiam datus Joannes X. cervicali in vultum injecto, diuque appresso, suffocatus est; quique ei subrogatus fuerat Leo, in carcerem quoque detrusus, ibidem cùm sedisset sex menses, & dies 15. interiit. Suffectus ei Stephanus ejus nominis VIII. dictus Septimus; sic unus & idem annum tres Pontifices, omnes infortunatos vidit. *Ioan. X necatur sicut & ejus successor Steph. VII.*

Rodulphus audiens solutum esse Carolum Simplicem, eum amicè invisit, eique submisit sese, magnâ verborum significatione, Attiniaci. Veritus ergo Heribertus ne duo reges inter se convenirent, atque eorum fœderis ipse victima caderet, cum Rodulpho reconciliatus iterum custodiæ mancipavit Carolum Peronæ; qui mox ibidem ex mœrore contabescens obiit, relicto filio Ludovico, qui in Anglia apud avunculum Æthelstanum ad spem regni educabatur, dum ejus competitores, suis dissensionibus, huic solium sternerent ac pararent. *Carolus Simplex obiit; ei succedit filius Ludovicus.*

MUNDI 4983. CHRISTI. 930.

*Nicolao succedit Steph.*

MortuoNicolao Patriarchæ Constantinopolitano suffectus est Stephanus Archiepiscopus Amaseæ, de quo nihil singulare legitur scriptis consignatum.

*In Dania Fides restituta.*

Henricus Germaniæ Rex Reges Normannorum & Abroditarum devictos, ac tributum sibi pendere coactos, etiam Christo subdidit; quare in Dania Fides refloruit, jam longè antea proseminata, sed persecutione propemodum extincta, nunc Henrici pietate & virtute pristinam recepit speciem.

---

## CAP. IV.

## *Decas Quarta.*

*Ab anno Christi 930. ad 940.*

MUNDI 4984. CHRISTI. 931.

*Stephano Septimo succedit IoannesXI. pane puer.*

STephanus VII. Papa moriens post sedis annos duos, mensem unum, ac dies 15. impium, & indignum nactus est successorem. In ejus enim locum intrusus est authoritate Guidonis, & conjugis ejus Maroziæ, Sergii impurissimi Pontificis ex eâdem Maroziâ filius nothus Joannes XI. tum adolescens: sed quot natus annos, non est facilè pronunciare; hoc certum, etiam moribus quàm ætate juniorem extitisse, & indigniorem Pontificatu.

MUNDI 4985. CHRISTI. 932.

*Arnolphus Dux Bojariæ cajus.*

Arnoldus seu Arnolpus Bojariæ dux, profectus adversus Hugonem Italiæ Regem, ab eo retrusus est: vir sceleratissimus & rapacissimus; quem accusari vidit coram Deo sanctus Udalricus Augustanus, atque uti sacrorum eversorem condemnatum; qui ubi civitatem Augustanam diripuisset, completis sceleribus suis, interfectus est, & ad ignes, sacrilegis paratos, amandatus.

MUNDI 4986. CHRISTI. 933.

*Tryphon administrat Eccl. Constant.*

Mortuus est hoc anno Stephanus Constantinopolitanus Patriarcha, cùm huic sedi præfuisset annos ferè tres. Cui successit Tryphon Monachus temporaneus Præsul, & donec Theophylactus adolescens annorum 16. ætatem attigisset: itaque dicendus ille Tryphon potiùs administrator sub Theophylacto; sic utraque Ecclesia tumultibus, & Principum audacibus factis eodem tempore turbabatur.

*Ioan XI. in carcerem cum Marozia conjicitur.*

Joannes XI. Pontifex cum matre sua Maroziâ in custodiam detrusus est ab Alberico filio ejusdem Maroziæ, sed ex marito Adelberto suscepto. Mortuo enim GuidoneMaroziæ marito, filii Adelberti ex Bertha conjuge, eadem Marozia Hugonem Italiæ Regem ipsius Guidonis ex Bertha fratrem Romam evocavit, & receptum in mole Hadriani maritum accepit, atque Urbis dominum constituit. Cui cùm Albericus aquam insulsè infudisset lavanti manus, eidem Hugo alapam impegit. Quâ perculsus injuriâ Albericus Romanos in eum incitavit, atque Urbe expulit; in matrem verò & fratrem suum nothum impotenter sæviit, majoribus suppliciis dignos, nisi ea essent à filio atque fratre irrogata.

Henricus Germaniæ Rex ditionem suam depopulantes Hungaros internecione delevit, triginta millibus cæsis, cæteris flumine absorptis, aut captis. Voverat ante prælium, si victor esset, ex regno suo simoniacam labem expulsurum; quod erat vovere facile, exsequi & præstare, miseris hisce temporibus, operosum.

MUNDI 4987. CHRISTI. 934.

Albericus Romæ Tyrannus corruptus muneribus à Romano Imperatore extorsit à Joanne XI. captivo, ut Theophylacto filio suo Patriarchæ, ejusque successoribus permitteret uti Pallio absque facultate Summi Pontificis; unde factum ut non solùm Patriarchæ, sed & omnes Græciæ Episcopi utantur palliis; nec inducta perperam consuetudo potuit unquam aboleri.

MUNDI 4988. CHRISTI. 935.

Concilium hoc anno celebratum est Rhemis apud S. Macram adversus prædones, & rerum Ecclesiasticarum raptores, quibus tamen Regni proceres præludebant.

Mortuus est hoc anno Rodolphus Franciæ Rex ex phthiriasi, ut creditum est, morte Tyrannis familiari, sepultusque Suessionibus. Cùm autem HugoMagnus facilè potuisset sibi regnum Francicum vindicare, id reservare maluit posteris suis, quàm intempestivè recipere; maximè cùm habere posset competitores Heribertum Veromanduorum Comitem, & Hugonem cognomento Nigrum fratrem Rodulphi, &, quod caput erat, quoniam Franci Ludovicum filium Caroli Simplicis in Anglia respectarent. Ita tum Hugo non tantùm Magnus, sed & Sapiens fuit.

MUNDI 4989. CHRISTI. 936.

Obiit ætatis anno 60. Regni 16. Henricus Germaniæ Rex cognomento Auceps, magnus religionis fautor, relicto filio Othone qui neque fortitudine, neque pietate decedebat patri. Supervixit marito Mathildis pietate insignis fœmina; atque in eam familiam tum Christiana pietas omnis confluxisse videbatur.

Communibus Franciæ votis expetitus Ludovicus Caroli Simplicis filius ex Anglia & avunculi Æthelstani palatio rediit; ideò dictus *Transmarinus*, atque ab Artaldo Archiepiscopo Rhemensi Rex inunctus. Qui statim adversus Hugonem Nigrum progressus, Lingonibus inclusum fugere compulit, ejusque sibi ditionem vindicavit, fortissimè regnum auspicatus.

Hoc anno mortuus est Joannes XI. Papa in carcere, cùm sedisset annos 4. & 10. menses; cui subrogatus Leo Septimus, vir bonus ac pius

pius, atque suis antecessoribus longè dissimilis, & sedatioribus temporibus dignior.

Tum Hugo Rex Italiæ Romam obsidione capere nisus est; sed eam fames abrupit: itaque fœdus iniit cum Alberico, cujus filiam Aldam duxit uxorem, pacis hujus sequestro Obdone Abbate Cluniacensi, quem Leo Pontifex evocarat in Urbem, uti monasticam disciplinam in ea collapsam restitueret: quare tum inclaruit Monasterii Cluniacensis nomen, quod tum habebatur virorum sanctorum atque eruditorum seminarium.

Urbs Genua ab Africanis Saracenis improviso impetu capta est, puberibus omnibus interfectis, fœminis ac pueris abductis, totâque urbe compilatâ. Fons sanguine paulò antè fluens, hanc cædem præcinuerat; admonuerat Genuenses, non emendarat.

Vixit hoc tempore famosus ille Manasses Episcopatuum magnus ille possessor, & coacervator; qui simul Arelatensis, Veronensis, Tridentinus, Mantuanus, & Mediolanensis fuit Episcopus; nec mirum, qui non oves, sed earum quæreret lanam. Procedebat & armatus ad prælia Episcopus nomine, revera gladiator.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4990. | 937. |

Hoc anno Otho, postea ob res præclarè gestas Magnus appellatus, Aquisgrani in Conventu Rex Germaniæ inunctus est; neque fratris ejus Henrici habita ratio est: quod bellum propè domesticum conflavit, Othonis fortitudine atque prudentiâ extinctum.

Hungari Italiam pænè totam vastarunt; sed tandem à Marsis, Pelignisque circumventi omnes periere. Felicior eorum in Gallia grassatio fuit; ex qua non tantùm incolumes, sed & cum ingenti prædâ sacra profanaque divites recesserunt.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4991. | 938. |

Arabes Africani & Hispanienses, junctis copiis, peditum centum quinquaginta millia, equitum quinquaginta confecerant. His occurrens Ramirus Rex Legionensis, die festo martyrum SS. Justi atque pastoris, votis nuncupatis, & Angelis præviis sub equitum specie, hostem profligavit, cæsis octoginta millibus, capto Rege Abenain, Cæsaraugustæ regnante, Abdarragmam Cordubæ Principe vix elapso, qui mox atrocem persecutionem renovavit, qua multos martyres induxit cœlo; ut in terris, & in cœlo Christiani triumpharent.

Boleslaus fratrem suum sanctum Wenceslaum Bohæmiæ Principem interemit, ut ejus Principatu frueretur; hic tamen inter martyres relatus ab Ecclesia colitur, quia pietas potissimùm mortis ejus causa fuit. Ejus necem vindicare voluit Otho Germaniæ Rex, & id annis 14. frustra tentavit, quia de martyribus ultionem rarò Deus concedit, aut certè ad multos annos differt, neque martyres tyrannos suos perire volunt, sed emendari.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4992. | 939. |

*OthoMagnus pietate victorium refert.*

Otho Magnus victor jam extiterat anno superiori; sed incruentâ victoriâ de Henrico fratre suo Eberardo Francorum duce, & Gisleberto duce Lotharingiæ, qui hoc anno resumptis animis copiisque refectis eum aggressi sunt, atque in Alsatiâ propemodum obsederunt. Dilabebatur ejus exercitus: Itaque Comes quidam ab eo petiit Abbatiam aliquam, quâ foveret milites suos, sperans hoc tempore nihil sibi esse denegandum; sed eum fortiter Otho repulit, ac sibi plus placere Deum, quàm milites demonstravit. Itaque fretus Numine aggressus hostes celebrem victoriam retulit: Eberardus enim cæsus, Gislebertus Rheni aquis haustus, Henricus frater se subdere fratri coactus est; ita subacti hostes, ut etiam si maximè vellent, ei deinceps incommodare non possent.

*Leoni VII. succedit Stephanus VIII.*

Leo Papa VII. ubi sedisset annis 3. cùm mensibus sex, locum reliquit Stephano, patriâ Germano; qui revera *Nonus* ejus nominis, *Octavus* appellatus fuit, errore sic deinceps continuando.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4993. | 940. |

*Stephanus VIII. malè mulctatus.*

Stephanus VIII. à Romanis electus, posthabitis Cardinalibus, operâ Regis Othonis, à quibusdam sacrilegis deprehensus totâ facie sic conjunctus est atque laceratus, ut deinceps sibi publico abstinendum existimaret, quia ejus non vultu sed consilio indigebat Ecclesia.

*Æthelstano succedit Eadmundus.*

Æthelstano Regi Angliæ successit frater Eadmundus, quia mox S. Dunstanum sibi à consiliis selegit; sed eum cùm mox invidorum suasione rejecisset, die tertiâ dum venatur, in magnum periculum incidit, ex quo emersit voto nuncupato; quare eum mox in aulam revocavit, petitâ veniâ; ut hæc publica demissio regis, illatam viro sancto sarciret contumeliam.

---

## CAP. V.

### *Decas Quinta.*

#### *Ab anno Christi 940. ad 950.*

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 4994. | 941. |

*Russi prædones deleti.*

Russorum hoc anno superata classis (quos alii Normannos appellant) ab Imperatoriâ Romani classe, ob crudelitatem quâ fuerant in Christianos grassati, quorum plurimos affixerant cruci, sacerdotibus capita compunxerant clavis: tumque internecione deleti, diu quietos Græcos reliquere.

*Synodus de Hugone Rhemensi.*

Synodus habita Suessionibus in causa Hugonis, jam à puero designati Archiepiscopi Rhemensis, & Artaldi ei substituti. Receptus Hugo flagitatus à Clero, repulsus Artaldus, quia vove-

voverat se hanc dignitatem nunquam aditurum; sicque ex religione rejectus, qui tamen competitore suo videbatur esse religiosior.

*Fridericus Arch. hostis Monachorum.* Fridericus Archiepiscopus Moguntinus iterum vocatus in judicium, defectionis adversus Othonem prò fratre Henrico, per Corpus Christi & sanguinem se professus innocentem, absolutus est. Hic est Fridericus Monachorum persecutor, quia omnes volebat esse optimos vel nullos, ideoque plures relictis Monasteriis, & vestibus, fugere compulit; verùm quia id præstare creditus est ex odio Fuldensis Abbatis, quiescere jussus est, atque ita alios curare, ut non oblivisceretur.

MUNDI 4995. CHRISTI. 942.

*Græci parte Italiæ potiuntur.* Tum Imperatores Constantinopoli potiebantur Apuliâ, Calabriâ, & eâ parte quam Vulturnus fluvius alluit: sicque dum Italia civilibus discordiis flagraret, regio illa, olim Magna Græcia dicta, ad primos dominos rediit.

*Odo Cluniacensis Abbas, Ædemarus, Majolus, Odilo.* Quoniam Hugo Italiæ Rex contra pacta cum Alberico Romanum ducatum ferro flammaque vastabat, Odo Cluniacensis Abbas iterum Romam à Stephano VIII. revocatus est, ut stabilem firmaret pacem. Hic sanatus ad S. Martini, Turonibus obiit, locumque suum reliquit Ademaro viro beatæ simplicitatis; Huic Majolus successit, huic Odilo, omnes sublimis spectatæque virtutis.

*Diffidia Francica componuntur.* Stephanus VIII. Pontifex, auditâ rebellione Hugonis Magni, Heriberti, aliorumque Procerum Francicorum adversus Ludovicum Ultramarinum, ad eos accuratè perscribit, monetque ut ad officium suum redeant. Hinc factum, ut reliqui qui erant in partibus, redirent ad sanam mentem. Eos autem jam inclinantes ad pacem cum Rege suo Othone conciliavit; vir planè magnus & fortis, & qui ex aliorum diffidiis non speraret pacem, sed ex prudenti administratione tranquillitatem.

MUNDI 4996. CHRISTI. 943.

*Stephano VIII. succedit Marinus, seu Martinus II.* Stephanus VIII. vel IX. ubi sedisset annos 3. menses 4. dies 5. migravit è vivis; cui suffectus Marinus II. quem tamen alii Martinum vocant. Is omissis belli tumultibus Romanis, ex quibus se quantùm potuit expediit, totum se ad res Ecclesiæ componendas sapienter transtulit, atque diffidia inter Principes Christianos abolenda; vir acceptissimus cœlo, & Prophetiæ dono honoratus à Numine, à quo ad magna gerenda destinabatur.

MUNDI 4997. CHRISTI. 944.

*Theophylactus Patriarch. Const.* Tryphon præstituto sibi tempore Archiepiscopatus evoluto, cùm eum relinquere, uti pollicitus erat, Theophylacto recusaret, insidiis circumventus depositus est; eique successor datus jampridem designatus Theophylactus Romani Imperatoris filius Eunuchus annorum 24. hoc tempore Februario mense consecratus, huic nemo restitit, quia ab omnibus expectabatur, & eâ dignitate non videbatur indignus.

*Christi Abgari Imago multiplicat.* Translata est & imago illa nobilis ad Abgarum missa ἀχειροποίητος in Urbem Constantinopolin, uti promiserant Edesseni Imperatori, si gravis obsidio quâ premebantur, per eum solveretur; quando ejus causâ miracula quædam contigerunt, idque celebratissimum, cùm S. Paulus Anachoreta in monte Lato rogatus æquale velum applicare sanctæ imagini, ex contactu planè similem remisit ad Imperatorem, ut sic pietatis causa duplicaretur.

*Constantinus Porphyr... Imp...* Stephanus Augustus 17. Kal. Jan. patruum suum Romanum Imperatorem tonderi jubet, & in insulam relegari. At XI. kal. Febr. dum idem Stephanus cum fratre Constantino de primatu Imperii disceptat, ambo quoque in insulas exautorati deducuntur; sicque ad unum Constantinum Porphyrogenetum, unde venerat, Imperium rediit, multa sapienter passum à superbo collegâ, quem Deus tandem depressit, ut dejectum attolleret.

MUNDI 4998. CHRISTI. 945.

*Hu... lia Mo...* Hugo Italiæ Rex à suis hoc anno expulsus, in provinciam suam, urbemque Arelatem redire compulsus est. Ejus tamen filius Lotharius in regno susceptus est, ut non familia, sed crimina in odio esse crederentur. Hugo autem ex suis bonis Monasterium nobile in Burgundiâ sub titulo S. Petri dicitur statuisse, ubi se inclusit, & peccata quibus se implicuerat, deflevit; sed minori tempore quàm hæc postularent.

*Ca... ch... N... & ... vi...* Celebris est hic annus duorum Principum captivitate, Ricardi Ducis Normanniæ, & Ludovici Transmarini Franciæ Regis. Richardi pater Guillelmus, ab Arnulpho Comite perfidiosè cæsus, filium hunc impuberem reliquerat; ideoque ejus ditionem Ludovicus affectabat, quæ regnum suum deformabat; eum igitur Rothomago retrahit, & secum obsidem velut instituendum deducit Laudanum; sed cùm eum malè verbis excepisset, & conviciis adjunxisset minas, ope nobilis Normanni, sibi fidissimi, fugit ad Hugonem Magnum, ut ejus patrocinio tegeretur. Ludovicus imprudentem Hugonem offendit, & imprudentiùs se commisit Agroldo Regi Daniæ, qui suppetias venerat allaturus Richardo; quare ab illo captus est Rex infelix, neque redditus nisi conditionibus sibi duris, Hugoni Magno utilibus; qui his tumultibus sibi Laudunum urbem regiam acquisivit; prudentiâ suâ longè magis metuendus Ludovico, quem hic Princeps fortior, quàm cautior, plus timere aut magis colere debuerat.

MUNDI 4999. CHRISTI. 946.

Marinus, cùm sedisset 3. annos, menses 6. dies 13. sedem Petri reliquit Agapito, vel Agapeto II. cujus vita paulò productior fuit, & sic Ecclesiæ, funestis hisce temporibus, utilior.

Tum

Tum Constantinus Imperator scripsit ad Berengarium Principem, ut ei commendaret Lotharium Regem, fratrem suæ nurus: quare ad eum Imperatorem misit Legationem Berengarius, quâ functus est Luitprandus Historicus; qui sic eam descripsit, ut dubites an plus scribentis ingenium laudes, non agentis industriam.

MUNDI 5000. CHRISTI. 947.

Contenderunt etiamnum hoc anno Artaldus & Hugo de Archiepiscopo Rhemensi; qui anno superiori Artaldus fuerat à Ludovico Transmarino restitutus, cùm urbem Rhemos occupasset, Virdunensis Synodus ab Artaldo pronunciavit, Hugo appellavit ad Agapetum, quem fefellit, atque ab eo litteras expressit, quæ plus ei negotii quàm utilitatis attulerunt.

Obiit hoc anno Æditha uxor Othonis Regis Germaniæ, post obitum miraculis clara,& sanctitate quàm illustri sceptro celebratior.

MUNDI 5001. CHRISTI. 948.

Agapetus mittit in Gallias Legatum Marinum, ut utriusque Hugonis, Ducis & Episcopi, discuteret causam, quæ non levis momenti à præsulibus judicabatur, & utraque Regni atque Ecclesiæ tranquillitas putabatur contineri.

Tres sunt hoc anno in hac causa celebratæ Synodi; Mosomensis, ubi lis adjudicata Artaldo contra Hugonem venire detrectantem; in Palatio Engelenheim, coram legato Othone, & Ludovico, ubi Artaldus iterum probatus, excommunicatus Hugo, donec ageret pœnitentiam; & Trevirensis, ubi damnatus tertium Hugo, propter ordinatos post suam expulsionem. Hugo verò Dux adesse recusans, accusatus à Ludovico quòd suorum omnium malorum causa esset, excommunicatus est donec satisfaceret, Ludovico armis spiritualibus agente qui corporalibus nihil posset; utrisque parum valentibus, nisi Deus eis vires adjungat.

MUNDI 5002. CHRISTI. 949.

Otho Danos & Sclavinos, qui ab eo & Christo desciverant, magno prælio devicit, ac sibi Christoque asseruit. Ferunt tum Danorum Regem Haraldum miraculo ad fidem conversum esse, cùm Christianus Clericus, eo præsente, ferrum candens illæsus satis diu strinxisset. Sic omnes Ecclesiæ in his regionibus ordinatæ, iis gratulante Agapeto Pontifice, & eorum Metropolitæ Hamburgensi omnia prædecessorum confirmante privilegia; quorum in his successibus meritò Pontifices solent esse liberales.

Sed aliunde in Italia luctus; Berengarius enim, ut Hungaros populatores emitteret, decem modios aureorum eis largitus est, non ex pecuniâ suâ, sed ex pauperum & Ecclesiarum fundis; quando & immensam pecuniæ vim ab omnibus extorsit, quam in suos usus convertit, prædo atque grassator domesticus, atque sacrilegus.

MUNDI 5003. CHRISTI. 950.

Lotharius Italiæ Rex veneno sublatus interiit; (alii in phrenesin incidisse volunt) ejusque regnum invasit Berengarius, Francis deinceps ex Italiâ dejectis: Lotharii verò uxor Adelais, filia Regis Rodulphi, sese recepit in Arcem Canusianam munitissimam, unde in auxilium suum Othonem evocavit; quod & fecisse Apagitus II. scribitur, ut Tyrannis Berengarii, Deo atque hominibus odiosi, extingueretur. *Lotharii mortui regnum invadit Berengarius.*

Hoc anno pissimè, sicuti vixerat, mortuus est Ramirus Rex Legionensis, in fine vitæ coram Episcopis & Abbatibus deposito Regno; ut nudus, sicut ingressus erat ex utero matris, reverteretur in communis parentis sinum. Reliquit filium Ordonium Tertium, quinquennio quamdiu regnavit civilibus bellis exercitum à Sancio fratre, & Comite Castellæ; neque patri pietate, nec felicitate parem. *Ramiro succedit filius Ordonius III.*

## CAP. VI.

### Decas Sexta.

*Ab anno Christi 950. ad 960.*

MUNDI 5004. CHRISTI. 951.

OTHO venit in Italiam; ubi fugatis Berengario, qui se Regem dicebat Italiæ, & filio ejus Adelberto, Adelaidem relictam Lotharii duxit uxorem, quæ ei dotalem afferre videbatur Italiam. Tum etiam Saraceni aditus Alpium occupantes, tributum peregrinis imponebant, nec Christiani Occidentales deterrebantur quominus ejus solutione Sanctam adirent civitatem. *Otho venit in Italiam.*

Amalaphus Tyrannus dimidiam sibi Angliæ partem armis vindicarat, quam, incensâ S. Balteri Basilicâ, cum vitâ, suâ impietate perdidit. Quare toto regno potitus est Eadredus, fratris sui Eadmundi successor, & regni, & pietatis. *Eadredus Angliæ Rex.*

MUNDI 5005. CHRISTI. 952.

Celebratus est hoc anno Conventus Augustanus, cui interfuere proceres Franci, Germani, Longobardi; adfuit & Berengarius cum filio Adelberto, qui cùm se Othoni subjecissent, ab eo pater regendam suscepit Italiam. Sed malè usus est Principatu sibi concesso, exagitatis Episcopis, atque proceribus, quorum in se odium concitavit. Meliùs Otho rebus prospexit, gratias agens singulares Deo, multaque effundens in Ecclesias, quæ in eum postea cum fœnore redierunt. *Otho celebrat Conventum Augustanum.*

Hoc

MUNDI 5006. CHRISTI. 953.

*Bellum civile in Othonem.* Hoc anno cœptæ conspirationes Conradi Ducis & Luitholphi filii adversus patrem Othonem, quæ mox in apertum bellum eruperunt; eò gravius, quòd domesticum fuit, & plusquam civile.

*Bruno Arch. Coloniensis.* Bruno Othonis frater tum creatus Archiepiscopus Coloniensis pallium accepit à Pontifice, quo quando vellet uteretur; cui nihil denegandum esse, & propria authoritas, & potentia fratris admonebat.

MUNDI 5007. CHRISTI. 954.

*Alberico succedit Octavianus.* Alberico Romanorum Patricio defuncto successit in Principatu filius Octavianus jam Clericus, mox futurus Pontifex, non quia merebatur, sed quia Tyranni filius erat.

*S. Matthæi corpus.* S. Matthæi corpus primò ex Æthiopiâ, ubi passus erat, in Bithyniam translatum, ex revelatione ejusdem Apostoli Salernum deportatum est, ubi etiamnum magnâ religione colitur, urbis hujus tutor & patronus.

*Pax inter filium & patrem a S. Vdalrico.* Exercitus Othonis patris, & filii Luitholphi, jam explicatos in aciem S. Udalricus Augustanus Episcopus conciliavit, pacis, quæ minus sperabatur, nobilis sequester 15. Kal. Martii: quando & Otho ex consilio fratris sui Brunonis Luitholpho regnum dedit Italiæ; ne in eodem Regno commorantibus, novæ dissensionum causæ subnascerentur.

*Ludov. Transmarinus obiit.* Ludovicus Transmarinus Francorum Rex, expeditus in equo proficiscens Laudunο Rhemos incidit in lupum, quem insecutus concidit, toto corpore labefactatus, & sanguine computrescente leprosus obiit, sepultus Rhemis, neque satis prudens, neque satis religiosus. Susceperat 5. liberos; sed duo tantùm superstites fuere patri; Lotharius Rex Franciæ, & Carolus Lotharingiæ dux: Arnulphus ejus filius nothus Archiepiscopus Rothomagensis fuit: filia Mathildis Conrado nupsit, dotisque nomine Lugdunum abstulit; omnes neque patre meliores, neque fortunatiores.

*Succedit ei Lotharius sub Hugone Magno.* Gerberga uxor Ludovici ad Hugonem Magnum confugit, à quo benignè cum filiis recepta est; Lotharium hic Rhemis inungi curat per Artaldum, ipse regnum administrat, sed sapientiùs quam Carlovingianæ res postulabant, quæ ejus maximè prudentiâ, & authoritate conciderunt.

*Ratheri Episc. demissio.* Florebat hoc tempore Ratherius Veronensis Episcopus scriptor, de quo ipse ita cecinit; *Veronæ præsul, sed ter Ratherius exul*; qui in Lobiense monasterium, unde evocatus erat, tandem regressus, suo tumulo inscribi voluit: *Conculcate, pedes hominum, sal infatuatum*; magno, & post mortem duraturo Christianæ demissionis exemplo.

MUNDI 5008. CHRISTI. 955.

*Moritur Hugo Magnus.* Mortuus est hoc anno Hugo Magnus, sepultusque in æde S. Dionysii; metuendus Regibus suis prudentiâ potiùs; quàm fortitudine, quæ tamen ipsi non defuit. Dictus & Magnus, Albus, & Abbas: & Magnus quidem, propter ingenium & solertiam; Albus, ut à Nigro Rodulphi Tyranni fratre distingueretur; denique Abbas, quia exemplo patris & Avi Abbatias Majoris Monasterii Turonensis, S. Dionysii & S. Germani Parisiensis sibi retinuisset; quorum reditibus sibi multos conciliavit, ac tandem Regibus, id parum piè atque imprudenter tolerantibus, superior extitit.

Defunctus est hoc anno vir sanctissimus Agapetus, cùm sedisset annos 9. menses 7. dies 10. Cujus sedem invasit, Romanis faventibus, jam factus Urbis Princeps ex Clerico, Alberici filius Octavianus, adolescens vix annorum duodeviginti; quare eum Otho puerum vocavit. Primus autem immutavit nomen suum, vel in gratiam patrui sui Joannis XI. vel ut meliùs exciperetur, atque ei venienti occineretur; *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes*; cùm tamen nec à Deo, nec ab hominibus electus esset, sed in hanc sedem Tyrannus, & Tyranni filius, involasset.

Hungaros depopulantes Germaniam, atque Augustam Vindelicorum obsidentes, pietate potiùs quàm armis instructus Otho confidenter invasit, die S. Laurentii, ac tantâ delevit clade, ut vix eorum sex aut septem effugerint, Regibus etiam eorum aliquot è furcâ suspensis ad ignominiam.

Turbatæ sunt denique hoc anno Anglia & Hispania, hæc, morte Ordonii tertii, Veremundum filium impuberem sub tutelâ Sancii Crassi fratris sui relinquentis; Illa, morte Eadredi, subrogato filio Eduino adolescente libidinoso, qui in exilium S. Dunstanum relegavit, à quo publicè reprehensus erat ob meretriculam; quam ob causam Rex ipse expelli vicissim regno meruit, meretrix enecari; servis Dei numquam impunè passis injuriam.

MUNDI 5009. CHRISTI. 956.

Mortuus est hoc anno Theophylactus turpissimus Patriarcha Constantinopolitanus, qui dignitates omnes Ecclesiæ pretio addixit, equos ad insaniam deamans, quos alebat pretiosè atque aptabat. Cùm autem in cœnâ Domini Mysteria celebraret, accepissetque eximiam equam peperisse, relicto sacrificio cucurrit ad stabulum, visoque pullo, probatoque, recurrit ad altare. Die autem quâdam temerè equitans, allisus ad parietem, sanguinem evomuit, at triennio toto ægrotans tandem 3. Kal. Martias, impuram quoq; evomuit animâ, Caligulæ atq; Copronymo apud inferos jungendam atque comburendam. Huic successit Polyeuctus Monachus, vir bonus & sapiens, non tamé satis probatus Principibus, quoniam ad eorum scelera nequaquam conniveret.

Gravis pestilentia Germaniam vexavit, quâ etiam afflatus Otho, à S. Vito martyre sanatus est. Afflandorum autem lue vestes crucibus mirabilibus notabantur, ut hoc morbi genus verè θεῖον τι diceretur.

MUN-

MUNDI 5010. CHRISTI. 957.

Saraceni in Oriente vicum Herculis ingressi, Themel Sacerdote ad aram faciente, manibus ipse gestans Christi Domini corpus in eosdem irruit, multos vulneravit, multos interemit; quamobrem suspensus est ab Episcopo; à quo cùm non posset impetrare veniam, ejuratâ Fide factus est Saracenus, multaque Ecclesiæ, plura Imperio intulit damna, ad Sacerdotium minùs quàm ad bellum aptus.

S. Dunstanus ab exilio revocatus ab Edgaro, depulso Eduino, ab illo præfectus est Ecclesiæ Wigorniensi. Sed hunc dum consecrat Odo Cantuariensis primas, non Vigorniensem sed Cantuariensem dixit: quod non error, sed prophetia fuit; hanc enim ad sedem postea translatus, ostendit Odonem sine dubio vatem extitisse.

MUNDI 5011. CHRISTI. 858.

Berengarius Tyrannus, quem in officio retinebat Luitholphus Othonis filius, eodem mortuo furere cœpit, ac sacra prophanaque permiscere. Eum autem instigabat mortalis Megæra ejus uxor Willa, in quam omnia crimina convenerant; sed primas tenebant impudicitia atque crudelitas, quibus quasi facibus inflammata debacchabatur.

Debellavit hoc anno Slavinos Otho, eorum Regulo interfecto. Cepit etiam eo ferè tempore Bolesodem Turcam baptizatum Constantinopoli, & Patriciatus titulo auctum. Qui cùm à fide Apostata, in Græcos primò, deinde in Francos irruisset, ab Othone captus, non uti Dux, sed grassator suspensus est, ut proditum à se Christum Judas alter repræsentaret.

Obiit etiam eodem anno S. Odo Cantuariensis Archiepiscopus; cujus successor Edelfinus cùm ejus tumulum contumeliosè calcasset, dum Romam pergit, ad petendum pallium, frigore obriguit in Alpibus, ut cæteri modestiùs de viris sanctis loqui docerentur.

MUNDI 5012. CHRISTI. 959.

Regina Rugorum Helena baptizatus Constantinopoli petiit ab Othone Episcopum; sed is malè acceptus ab his populis, vix incolumis effugit, eosque non oves esse, sed crudeles lupos aliquot suorum jacturâ intellexit.

Edgarus totius Angliæ Rex constitutus est, mortuo Eduino Rege: cujus anima ne raperetur à Dæmonibus ad inferos, S. Dunstani preces inhibuere, in hominem sibi aliàs infensissimum misericordis.

MUNDI 5013. CHRISTI. 960.

Imperator Constantinus Porphyrogenetus seu VIII. hoc anno veneno potatus est à filio suo Romano, quem diuturnioris vitæ atque Imperii paterni tædebat. Vixit ille annos 54. cum 2. mensibus, imperavit 49. vir in omnibus disciplinis versatus, liberalis in Ecclesias, in Deum pius, sed in administratione Imperii negligens, atque in puniendo sævus; uno verbo melior privatus, quàm Princeps. Legitur etiamnum parænesis ejus ad Romanum filium, quâ prohibet aliena connubia, præterquam Francorum, ob antiquam gentis nobilitatem omnibus claris familiis inserendæ. Statim autem Romanus Imperatór acclamatus filium suum Basilium per Polyeuctum Patriarcham coronari jussit; ut aliis Imperii spes adimeretur.

*Succedit ei filius Romanus.*

Joannes XII. aliique Episcopi, cùm Berengarium ultra ferre non possent, mittunt ad Othonem Legatos, eumque accersunt in Italiam. Hæc autem inita inter Joannem & Othonem societas est; ut hic Romanæ Ecclesiæ privilegia accuratè servaret; ille ut eum coronaret Imperatorem. Quæ facta sunt cùm S. Dunstanus Romam venit, à Joanne magnificè susceptus, Pallioque donatus, ac muneribus quæ ejus magna sanctitas afflagitabat; tum Romæ ut rara, sic in magna admiratione.

*Joannis XII cum Othone fœdus.*

*S. Dunstanus tum Romæ.*

---

## CAP. VII.

## *Decas Septima.*

### *Ab anno Christi* 860. *ad* 870.

MUNDI 5014. CHRISTI. 961.

Otho Rex Germaniæ filium suum Othonem ex Adelaide, antequàm veniret in Italiam, Regem creat, & nutriendum committit filio suo Guillelmo ex priori uxore, Archiepiscopo Moguntino. Tum in Italiam venit, ac Papiæ substitit, nulloque negotio expulsis Berengario ejusque filio Adalberto, quoniam illi favere SS. Petrus & Paulus putabantur, ejusque perductores esse, ostendit bella ex pietate suscepta vix unquam exitu felici carere. Tunc temporis autem idem Otho corpus S. Mauricii Thebæorum Ducis Magdeburgum transtulit, ubi hæ reliquiæ magno honore susceptæ sunt, & magnâ religione conservatæ.

*Otho venit in Italiam, & omnes vincit.*

S. Nicon, cognomento Μετανοεῖτε *pœnitentiam agite*, quòd hæc verba ubique intonaret, Armeniâ, suis erroribus utcumque purgatâ, in Cretam venit, jam pæne Saracenam ex longâ in ea Arabum commoratione. Hanc vindicarant Imperio Nicephorus Phocas, ejusque Germanus Leo; Nicon etiam asseruit Christo; qui exinde totam Græciam, intonans μετανοεῖτε, concursavit; neque tantùm verbis, sed & miraculis potens, multos ex suis erroribus atque vitiis revocavit; potentissimum, Deoque conjunctissimum, vitæ sanctimoniâ, instrumentum.

*S. Nicon. Μετανοεῖτε.*

MUNDI 5015. CHRISTI. 962.

Hoc anno Otho, cognomento Magnus, magnifi-

*Imperator Otho Romam ordinat.*

gnificentissimè susceptus Romæ à Clero, Populoque Romano, inunctus est à Joanne XII. Imperator; qui vice versâ obtulit Ecclesiæ Ro. ingentia munera, & concessa à Pipino, Carolo Magno, Ludovico, tyrannorum vexatione pæne deperdita, & confirmavit: additæ tamen conditiones Pontificibus Ro. graves, de eorum electione probandâ, & eorum in populos sibi subditos regimine; sed tunc necessariæ, ob temporum perturbationem, quam Tyranni, & ab iis intrusi Pontifices invexerant. Quamobrem hic frustra Heterodoxi insultant S. Petri Romanæ sedi, ac Pontificibus, eosque subdere volunt Imperatoribus; quos tunc temporis potiùs propugnatores suos, quàm oppugnatores Romani Pontifices senserunt, & agnoverunt.

*Hugo Rhem. Arch. tandem rejectus.*

Synodus Meldensis, mortuo Artaldo, congregata est, ut de Hugone statueretur, quem sæpe damnatum quidam Episcopi restituere meditabantur in sedem quam tam sæpe perdiderat, eâdem indignissimus. Itaque adstipulante Lothario Francorum Rege electus est Odalricus Hugonis cujusdam Comitis filius; cui nobilitas & prosapia, potiùs quàm pietas eruditioque faverunt.

MUNDI 5016. CHRISTI. 963.

*Ioannes XII. alienatur ab Othone.*

Joannes XII. alienatur ab Othone, quòd illius Cardinales duos rebelles suscepisset, & subditos Pontificio sibi obstringere jurejurando conaretur. Itaque Joannes favere cœpit Adelberto Berengarii filio, ejusque partes adversus Othonem tueri. Excusare se conatus est Imperator, sed admissa non est excusatio. Quare venit Otho Romam cum exercitu, fugâ elapso Joanne, susceptusque est à Romano populo, qui & tum juravit se electurum Pontificem nullum, nisi ex consensu Imperatoris. Hic autem, ex Episcopis Italiæ & Germaniæ coacto Concilio, Joannem de atrocibus criminibus accusatum homicidii, perjurii, sacrilegii, aliisque deposuit, excommunicantem omnes qui huic Concilio interessent; ejusque loco in Petri sede collocavit Leonem hujus nominis VIII. qui licèt perperam electus, legitimis Pontificibus accensetur; & tum prima sedes à multis, sed in Pseudosynodo, primùm condemnata est.

*Deponitur Ioan. XII. sufficitur ei Leo VIII.*

*Romano mortuo succedit Nicephorus Phocas.*

Romanus Imperator Orientis Idib. Mart. anno ætatis 24. aut veneno, aut ex voluptate obscœnâ obiit, relictis duobus liberis Basilio & Constantino pueris. Cum tamen multi tum ambirent Imperium, cæteris prælatus est Nicephorus Phocas Saracenorum victor, & ab exercitu acclamatus Imperator, ac 17. Kal. Sept. unctus à Polyeucto Patriarchâ, ab eo nihilominus paulò post ejectus est ab Ecclesia, ob crimina duo; à quorum uno cùm se juramento purgasset, ab altero absolutus veniam meruit in publico conventu, licet renitente Patriarchâ, cujus tamen ratio minùs habita est quàm Ecclesiæ, quæ periculum adire videbatur, nisi remissius ageretur.

Eodem anno misit idem Nicephorus Phocas Manuelem cum classe in Siculos Saracenos, ut se eximeret à tributo pensitari solito à tempore Basilii Imp. Sed Manuelis imperitia res Græcorum perdidit, Saracenorum erexit, cùm hic cæsus esset cum exercitu. Tumque credidere Saraceni quod in vaticiniis Hippolyti Episcopi Siculi legerant, se nunquam à Græcis vincendos esse, sed tantùm à Francis; & verum vatem Hippolytum extitisse, postea eventus docuit.

*Græ. Sara. in Si. victi.*

MUNDI 5017. CHRISTI. 964.

*Nicephorus ...*

Nicephorus Phocas Imperator asseruit Imperio insulam Cyprum, & ferè centum urbes, ipsamque Antiochiam; invisus tamen populo quòd militibus nimiùm indulgeret, donaria Ecclesiarum auferret, iisque imponeret tributa, muniret Palatium non ut domum Imperatoris, sed Tyranni receptaculum; aliaque ejusdem modi faceret, quæ magis impotentem Dominum saperent, quàm Imperatorem.

*Leo ejectus ... XII.*

Victi Romani hoc anno contra Othonem & Leonem rebellantes, atque de iis ingens edita strages. Sed cùm mox Otho Spoletum venisset contra Adelbertum, Romani Leonem expulere, & Joannem recepere; qui cùm malè quosdam Episcopos & Cardinales excepisset, ii ad Othonem confugêre, qui mox ad eos castigandos accessit, arbiter jam factus Imperii, atque Ecclesiæ.

*Io. dam. Leo. Oth. &c.*

Interea Joannes XII. Synodum Romanam convocat 4. Kal. Mart. in qua Leonem, Othonem, aliosque ei faventes damnat, ac priorem Romanam Synodum adversus eum collectam. Neque tamen diu sibi potestate redditâ usus est. Dum enim extra Urbem cum uxore cujusdam Romani turpiter volutatur, in temporibus à malo genio graviter percussus, ex eâ plagâ intra octiduum obiit pridie Idus Maji, locumque suum reliquit Benedicto V. S. R. E. Diacono. Sed tam eum quàm Pop. Romanum obsedit Otho, cum exercitu, eumque fame ad deditionem compulit. Statimque in Synodo à Leone Octavo depositus Benedictus, ac pulsus in exilium. Sed mox pestis in exercitu Othonis grassata, ostendit hæc omnia displicuisse Deo, Principes qui se rebus Ecclesiasticis immiscent, quantumvis bonos, semper Deum ultorem expertos esse, à quibus ipse sic præsidium expectat, ut eos quoque potentiùs tueatur. Quæ autem tunc à Leone Pseudopontifice concessa sunt Imperatoribus, tantum habent ponderis, quantùm ejus valet authoritas, cui vis & externa potentia tribuit authoritatem.

*Mo. Io. ei ... Be.*

Castellum S. Leonis in Umbriâ munitissimum in montis vertice occupatum est ab Othone, ubi captus Berengarius cum uxore sua Willâ, amboque in Bojoariam relegati; mortuo autem marito, Willa facta est sanctimonialis; Adalbertus effugit; impia domus à Deo, Othonis armis, dissipata est.

MUN-

MUNDI 5018. CHRISTI. 965.

Otho Imperator hoc anno Saxoniam repetit, & secum Benedictum V. traxit, atque Hamburgensi Archiepiscopo custodiendum tradidit, virum alioqui pium ac sanctum, & à Romanis uti legitimum Præsulem expetitum: qui tamen hâc eodem anno 4. Non. Julii ad Deum transiit; ejusque postea ossa Romam sub Othone Tertio religiosè translata, dum interea Leo schismaticus triumpharet. Quod autem scribitur de Benedicto à Wandalis, quibus prædicabat, trucidato, fabula conficta est in gratiam Othonis, ne ipse Imperatoribus persecutoribus annumeraretur.

Obiit eodem anno Leo Pseudopontifex: eique suffectus Joannes XIII. mox expulsus à Rotfredo Urbis præfecto, ob Ro. proceres malè acceptos, quem tamen optimè recepit Pandulphus Princeps Capuanus, in eo laudandus quòd virum receperit, quem legitimum Pontificem agnoscebat; qui tamen Petri sedem non ascendit, nisi mortuo Benedicto V. qui hoc anno sedem Romanam reliquit, ut cœlestem conscenderet.

Poloni Slavinorum propago, accolæ Sarmatiæ, hoc anno ad Christum conversi sunt, Miescâ, seu Miezeslao, facto Christiano, per uxorem Dabbravam, seu Dobberam, filiam Boleslai Bohæmorum ducis; ad quem misit Joannes XIII. Ægidium Tusculanum Episcopum, qui res Ecclesiæ hìc plurimùm promovit. Quo tempore Wandali quoque recepere fidem sub auspiciis ejusdem Joannis, quando migravit ad Deum 5. Id. Oct. Bruno Episc. Coloniensis, cujus familia tota sanctitatis domicilium fuit.

MUNDI 5019. CHRISTI. 966.

Adelbertus, nomen adhuc gerens Regis Italiæ, & Joannes XIII. Pontifex à Romanis ejectus, Othonem iterum evocavere. Quem metuentes iidem Romani, sponte revocavere Pontificem; sed hoc facto contentus Otho non fuit; nam Consules expulit Italiâ, Tribunos suspendi è ligno jussit, Præfectum Urbis successorem Rotfredi, nudatum in Asino, utre redimitum, inter verbera per Urbem circumduci; Rotfredi verò, qui Joannem expulerat, extumulari, ejusque laceratum cadaver dissipari; ut horum exemplo deinceps Pontifices tutiores essent, Romani cautiores.

Lotharius Rex Francorum hoc anno duxit uxorem Emmam aut Eminam filiam Lotharii II. Regis Italiæ, & Adelaidis, ex qua suscepit Ludovicum, in hoc tantùm celebratum, quòd in eo Carlovingii Francis imperare desierunt.

MUNDI 5020. CHRISTI. 967.

Otho cum Pontifice Ravennam pergit, ubi res hujus Ecclesiæ ordinat, immo hunc agrum sibi antea restitutum, nunc autem confirmatum: unde Romam redit Joannes; Otho in Tusciam, cùm hæc arma, illa desideraret exemplum.

Otho Junior Magni filius hoc anno coronatus est Imperator in Nataliciis Domini; ne imperium, si quid patri contingeret humanitùs, capite privaretur; quod hæc tempora maximè refugiebant. *Otho Junior Imp.*

Obiit hoc anno Sancius Crassus, relicto successore filio suo Ramirio tertio sub tutelâ Teresia matris, auxilio divino summopere indigentis. Attriti enim antea Saraceni resumpserant animos ex bellis domesticis Sancii, & Ordonii cognomento Mali, in quibus Sancius ad Saracenos confugere coactus erat; & periculum erat ne sub puero Principe, ex auxiliatoribus Arabes illi fierent oppressores. *Res Hispanica turbatiores.*

Godefridus Andegavensis Comes, in bellis excitatis inter Normannos & Francos Etelulfum gigantem Danum, solo aspectu terribilem, ex provocatione aggressus vicit & interemit; & docuit in certaminibus plus animum, quam corporis molem prodesse. *Victoria Godefridi de Gigante.*

MUNDI 5021. CHRISTI. 968.

Nicephorus Phocas valdè succensus est Othoni, quòd Principes Beneventanum, Capuanum, & Salernitanum à se disjunctos in suam clientelam recepisset; quare Legatus ab Othone, & Joanne Pontifice missos, ob nuptias Annæ filiæ Romani Imperatoris cum filio Othonis, malè accepit. Contigit autem tum deliquium Solis, & magna in Oriente frugum penuria; qua Nicephorus Imperator sordidè usus, repositum frumentum charius vendidit, sicque dum thesauros auget, benevolentiam subditorum suorum perdidit, pecuniis omnibus potiorem. *Nicephori imper: avaritia.*

Joannes XIII. Capuæ Archiepiscopum constituit, primamque campanam Ecclesiæ Lateranensis miræ magnitudinis aream de suo nomine, vel S. Prodromi, *Joannem* dixit, solenni ritu huic benedicens: unde factum, ut quia ejusmodi campanis imponebatur nomen, ut infantibus aquâ sacrâ elutis fieri solet, imperita plebs eas baptizatas dixerit; quod dum Heterodoxi rident, in popellum, non in Ecclesiam suos cachinnos adhibent ineptissimè. *Prima campana à Ioan. XIII. benedicta.*

Normanni, Gunderedo Duce, classe centum navium Gallæciam invadunt, Compostellam exscindunt, Sisenandum Episcopum in prælio cædunt, qui sanctiùs ad altare, quàm in acie cecidisset; sed quid aliud expectaretur ab invasore sedis hujus, & belli quàm rituum sacrorum peritiore? verùm Christiani vicini, Duce Gundisalvo Sancio Castellæ Comite, aut potiùs sancto Jacobo Apostolo, eis eripuere prædam, plurimos peremere, plurimos cepere; pauci, subductis navibus ex incendio, inopes cum magno dedecore, ac multis vulneribus, ad sua rediere. *Normanni infeliciter Gallæciam invadunt.*

MUNDI 5022. CHRISTI. 969.

Nicephorus hoc anno Græcâ fide cum Othone ac

*Nicephorus in Latinos perfidus interimitur.*

ne ac Latinis egit; fingit enim se mittere Annam nuptiis jungendam; cui dum occurrunt Latini, ejus ingressum in Italiam cohonestaturi, deleti sunt internecione. At reliqui Duces Othonis, resumptis adversus perfidos animis, Græcis cum fœnore reposuerunt cladem, eisque Calabriam & Apuliam, quas possidebant, ademerunt; captivi verò, truncatis naribus, omnes Constantinopolin remissi sunt; publica Græcæ perfidiæ monumenta. Quibus auditis insurrexere in Nicephorū Constantinopolitani, ducibus Theophanâ Augustâ Imperatoris uxore, & Joanne; Zemisce atque in eo tumultu Nicephorus Phocas interemptus est, eique substitutus Remisces. Sed eum coronare noluit Polyeuctus Patriarcha, nisi Theodoram ejiceret in exilium, abrogaret iniquum decretum, & bona quæ privatus possederat pauperibus effunderet: quæ ubi præstitit, inauguratus est Augustus, ut pietate, non perduellione consecutus Imperium videretur.

*Ei succedit Ioan. Zemisces.*

*Syria malè excipitur.*

Saraceni, expugnatis in Cilicia & Syria urbibus, Joannem Patriarcham Hierosolymitanum vivum combusserunt, quasi Græci Imperatoris fautorem: Antiocheni quoque Patriarcham suum Christophorum jugularunt; incensum quoque Dominicæ sepulturæ templum; sic maduit humus sacro sanguine, aër sacris quoque flammis exarsit.

*Vincula S. Petri Romæ honorata.*

Hoc anno Comes quidam Othonis Magni à Dæmone correptus, ac seipse dentibus dilacerans, ad Joannem XIII. perductus est, cujus collo injecta catena quibus vinctus fuerat S. Petrus, expulso malo genio, statim sanæ menti restitutus est; unde Romæ in sancta Petri vincula crevit veneratio; eaque colere cœperunt Romani religiosiùs, quorum contactum adeò mali genii reformidassent.

| MUNDI 5023. | CHRISTI. 970. |
|---|---|

*Polyeucto succedit Basilius.*

Polyeucto Patriarchæ Constantinopolitano mortuo successit Basilius Monachus, vir bonus & probatus: Theodorus quoque Monachus, qui Joanni Imperium prædixerat, eodem adnitente præfectus est Antiochenæ Sedi: Antiochiam enim obsidentes Saraceni, magnis viribus ab Imperatore repulsi, sicut & Roxolani seu Russi juncti aliis Barbaris, coacto exercitu trecentorum millium, quos Imperatoris exercitus dissipavit, ac fudit, adlaborante Deo Zemisci, qui à pietate ac demissione Imperium esset auspicatus.

*Barbarorum clades.*

---

## CAP. VIII.

## *Decas Octava.*

*Ab anno Christi 970. ad 980.*

| MUNDI 5024. | CHRISTI. 971. |
|---|---|

*Zemisces relata in signi vi-*

JOannes Zemisces Imperator, ope SS. Georgii & Theodori, Bulgaros, Russos, Scythas, Turcos, aliosque Barbaros exercitu trecentorum triginta millium invadentes Ro. Imperium, iteratis sæpe præliis, magnoque periculo delevit; regnum Bulgarorum sustulit, capto Borise Rege cum uxore ac liberis, & regni primariâ civitate Parasthlaba, quæ dicta Joannopolis. Rediens Constantinopolin victor, triumphare voluit B. Virginem in curru, ipse in equo pompam cohonestavit; ac monetam auream percuti jussit, cum his verbis; *Christus Rex Regum*, quam sequentes Imperatores, quamtumvis improbi, ausi non sunt improbare.

| MUNDI 5025. | CHRISTI. 972. |
|---|---|

Mortuus est hoc anno Joannes XIII. cùm sedisset annos sex, menses undecim, dies 5. sepultus in Basilica S. Pauli; cui suffectus est 12. Kal. Octob. Donus, aliter Domnus, seu Domnio; qui cùm vix occupasset sedem mensibus tribus, obiit 14. Kal. Jan. habuitque successorem Benedictum Sextum patriâ Romanum, filium Hildebrandi, cujus nomen felicius, quàm exitus fuit.

| MUNDI 5026. | CHRISTI. 973. |
|---|---|

Cùm paulò antè mortuus esset Wilelmus Moguntinus Antistes, filius Othonis & Mathildis, ejusdem Imperatoris matris inter sanctos relatæ, ipse quoque Otho Non. Maji diem clausit extremum in Saxonia subito correptus morbo; vir post Carolum Magnum Imperatorum Occidentalium maximus; atque ut ejus sceptro, ita cognomine dignissimus.

Eidem successit, qui jam cum patre annum sextum imperabat, Otho Junior, Adelaidis filius: inde tamen ejus anni Imperii procedunt, quia hi sex anni visi sunt potiùs Principatus tyrocinium, quàm Imperium.

| MUNDI 5027. | CHRISTI. 974. |
|---|---|

Bonifacius quidam Romanus, cognomento Franco, Diaconus S. R. Ecclesiæ sceleltissimus, Benedictum VI. vi captum, & detrusum in custodiam ibidem strangulavit, cùm sedisset menses tres, & aliquot dies. Cujus sedem idcircò perduellis invasit, tenuitque anno uno atque mense, dictus Bonifacius VII. sed meritò à plerisque expunctus ex Pontificum numero, Tyrannis potiùs atque sacrilegis invasoribus adnumerandus.

Romualdus Ravennas ortus ex nobilissimâ Ducum stirpe, in Monasterio Classensi S. Apolinaris juxta Urbem, sub Honesto Abbate monachi suscepit habitum; unde ad Anachoretarum vitam secedens, postea Camaldulensis Ordinis fundator extitit, hominesque docuit in terris vitam Angelorum æmulari.

| MUNDI 5028. | CHRISTI. 975. |
|---|---|

Benedictus Romanus ex Albericorum stirpe Bonifa-

Bonifacium crudelem Romanæ ſedis Tyrannum Româ expulit; at is addens ſacrilegium perduellioni, Baſilicam Vaticanam omnibus ornamentis ſpoliavit, ac fugit Conſtantinopolin. Statim in ejus locum ſuffectus eſt ex Sutrino Epiſcopo Benedictus VII. digniſſimus qui hominis ſceleratiſſimi facta emendaret; quare eidem, nemine clamante, ſubjectus eſt.

Obiit hoc anno cùm, jam victor Damaſcum perveniſſet, magno Eccleſiæ atque Imperii damno, potatus veneno à Baſilio quodam Joannes Zemiſces Imperator Non. Decemb. cùm fere ſex annis imperaſſet; in quo nihil præter Imperii brevitatem potuit deſiderari. Eidem ſucceſſere eodem die filii Romani Junioris Baſilius & Conſtantinus, ille annorum 20. hic 17. qui ſtatim Theodoram matrem exulem ex Proconneſo inſulâ revocarunt. Quo pariter anno ſed ante Joannis Imp. mortem, Baſilius Patriarcha Conſtantinopolitanus accuſatus in Synodo criminis, depoſitus eſt, ejuſque in locum Antonius Studites ſubſtitutus novos Imperatores inunxit, magnificentiſſimè novam auſpicatus dignitatem.

Mortuo Edgari Rege Angliæ ſucceſſit ex ejus voluntate ejus primogenitus Edwardus, ſub quo ſtatim celebrata eſt Vintoniæ Synodus à S. Dunſtano, in causâ Clericorum qui ejecti fuerant ob libidines, eorumque loco Monachi ſubſtituti: quando petente Rege, atque præſulibus pleriſque, uti Clerici reſtituerentur, parato S. Dunſtano ad ferendam ſententiam, imago Chriſti prudentis è cruce in hæc verba erupit: *Non fiet, non fiet indicaſtis bene, mutaretis non bene*; quibus verbis auditis, ac divinitus diremptâ lite, & monachis ſuus relictus eſt locus, & Clericis impudicis pœnitentia.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5029. | 976. |

Orientale Imperium regebat, ſub Junioribus Imperatoribus Baſilio atque Conſtantino, Baſilius Præfectus Vigilum, à quo Zemiſces ſublatus erat; hic ſuſpectum ſibi Bardam Slerum, cognomento Phocam, Ducem Orientis exautorare conabatur; at Bardas invitatus à militibus, & vaticinio cujuſdam Monachi, purpuram induit, atque egit Imperatorem, magno damno totius Orientis. Quando & Antonium Studites ſedem Conſtantinopolitanam, ex timore de hâc rebellione concepto, reliquit ſponte, nullo eidem ſuffecto; ut ſimul res politica & Eccleſiaſtica turbaretur.

Miſſus eſt ab Imperatoribus Orientis in Italiam ad regendam Calabriam Eupraxius præfectus; qui poſtea ſanatus operâ S. Nili ex inſanabili morbo, factus eſt monachus, nec tantùm corpore, ſed & animo convaluit. Fuit S. ille Nilus Calaber ex oppido Roſſano, vitam monaſticam primùm in patriâ ſectatus, deinde transgreſſus, Saracenorum metu, quos Græci in auxilium ſuum evocarant, Caſſinum, & in Monaſterium S. Michaëlis translatus, nuſquam ſtatutis ſedibus cum diſcipulis ſuis vixit; *ut ſe in terris non habere permanentem civitatem, ſuis erroribus religioſis, indicarent.*

Lotharius Francorum Rex 34. veritus Carolum fratrem ſuum, & Hugonem Capetium, filium ſuum Ludovicum V. Regem inaugurari curat, eique decem ferè annis ſuperfuit; ſed cùm neuter prudentiæ ſatis atque dexteritatis ſortitus eſſet, atque Hugoni compoſitus eſſet, viro de ſe atque parente ſuo ditiſſimo atque potentiſſimo, nihil effecit, niſi ut proſapiæ domuſque ſuæ ruinam prævidiſſe videretur. *Lotharius Rex, Lud. V. Regem coronandum curat*

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5030. | 977. |

Romualdus tranſit ad Marinum Eremitam in agro Veneto degentem, ubi addixit ſibi Petrum Urſeolum Venetiarum Ducem, ſponte relicto Principatu, & Gradenicum nobilem Venetum, cum ſuis; quibuſcum, ſecutuſque Guarinum Abbatem Gallum Aquitanum, tranſiit in Galliam, ubi mirabilem vitam exorſus eſt. Poſtea tamen mortuo Urſeolo, Guarinus, Joannes, Marinus & Romualdus, cum Olibano Comite Aquitano, in Italiam rediere; hic Caſſinum profectus, ubi ſe ac ſuas divitias obtulit monaſterio; illi in Eremum ſeceſſere, ut vitæ genus magis divinum ab omnibus remoti ſectarentur. *Romualdus cum comitibus varia loca percurrit.*

Otho II. Imperator diffidens ſervare ſe poſſe Lotharingiam adverſus Francorum inſultus, partem ejus inferiorem ſub titulo Ducatus Carolo, fratri Lotharii Regis Francici, conceſſit, accepto fidei atque ſubjectioni, Sacramento. Quam ob cauſam hic, ſpretis ſuis Francis, ſe totum Germanis adjunxit; quâ occaſione benè uſus Hugo Capetius, de Francis aſſiduè bene meritus, eos ita ſibi ſuiſque rebus addixit, ut eum, omiſſis Carlovingiis, utiliorem ſibi Regem judicarent. *Carolus fit Dux Lotharingiæ.*

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5031. | 978. |

Bellum atrox inter Francos & Germanos Lotharium & Othonem excitatum eſt. Franci Lotharingiam fœdè depopulati Aquiſgranum uſque acceſſerunt, & tantùm non Othonem cum conjuge interceperunt. Mox Otho, grandi parato exercitu, Francis repoſuit vicem, Pariſios uſque progreſſus. At dum regreditur, ad Matronam (vel ut alii volunt ad Axonam) fluvium magnam accepit cladem, multis ſuorum interemptis, relictiſque ſpoliis atque impedimentis: ac niſi S. Volfangus Ratiſponenſis Epiſcopus pro iis interceſſiſſet apud Deum precibus ſuis, è tanto exercitu ſuperfuiſſet nemo. Ita ſe miſeri illi Principes conficiebant nullo alio operæ pretio, quàm ut acciperent clades atque reponerent. *Lotharius & Otho II. ſeſe variis cladibus afficiunt.*

Hoc anno S. Eduardus Anglorum Rex per novercam ſuam Elfdritham, dum ad eam in venatione ſolus divertit, potum accipiens interemptus eſt, multiſque miraculis clarus, martyr habitus; quibus permota noverca pœnitentiam egit, ac multis annis in magna auſteri- *S. Eduardus Mart.*

ſteritate vixit, ab eo conſecuta animi vitam, cui corpori eripuerat.

MUNDI 5032. CHRISTI. 979.

*S. Dunſtanus mirabiliter ſervatus.* Ethelredus puer decennis Rex Angliæ coronatus eſt à S. Dunſtano, qui tum prædixit gladium ab Anglis non receſſurum, donec propter necem S. Eduardi Regnum tranſiret ad Regem alienigenam; porrò mox Calnæ convocatâ Synodo, in cauſa Clericorum, atque monachorum, repente cadente ſolatio omnes eliſi aut contriti ſunt præter unum S. Dunſtanum in trabe mirabiliter conſiſtentem; ulciſcente Numine litigatores illos, qui Chriſto loquenti acquieſcere recuſarant.

MUNDI 5033. CHRISTI. 980.

*Haraldus à filio caditur.* Haraldus Rex Danorum, magnus Chriſtianitatis propagator, à filio Suen hoſte Chriſti appetitus acerrimo bello, victus, ac ſauciatus, die Sanctorum omnium moriens eorum numerum auxit. *Suen parricida Religionem tuetur.* Impius autem Suen acerrimus Chriſtianorum perſecutor ſæpe victus, ſæpe exutus regno, ſæpe reſtitutus, variaſque expertus calamitates, tandem pœnitens, fidem egregiè defendit, & auxit, eamque in Norvegiam induxit, auctuſque Regnis Normannorum, & Angliæ, tandem glorioſus, & bonus occubuit; hoc ei profuit martyrem habuiſſe patrem, & quem in martyrum numerum ipſe parricida ac perduellis tranſtulerat.

Otho & Lotharius convenientes ad Carim in Lotharingiâ fœdus inierant, in quo ſe hic deludi paſſus eſt, reliquitque Imperatori, proceribus ſuis reclamantibus, Lotharingiam, qui ab eo tempore juris Germanici cœpit eſſe, Otho tamen, Ducatum Lotharingiæ reliquit Carolo, Lotharii fratri, ſub jure clientelari, extenſum à Moſellâ ad Rhenum. *Lotharingia duplex* Reliquum regni Lotharingici ſub titulo item Ducatus conceſſit Friderico, quem præfectum hujus partis Lotharingiæ Moſellanæ, ſeu Moſellanicæ (quia jacebat inter Moſam & Moſellam) conſtituerat Bruno Colonienſis Epiſcopus: Lotharius ex illo colloquio, & fœdere, damnum duntaxat, cum ignominiâ, & ſuorum odio, vel contemptu reportavit.

---

## CAP. IX.

## *Decas Nona.*

### *Ab anno Chriſti* 980. *ad* 990.

MUNDI 5034. CHRISTI. 981.

*Bulgari reſumunt vires.* Mortuo Antonio Studitâ, qui ſponte Patriarchatum reliquerat, ſucceſſit Nicolaus Chryſoberges: quando diſtento exercitu Imperatorio adverſus Bardam Sclerum, Bulgari ſub Rege ſuo Samuele fortiſſimo, & religioſiſſimo, irrnperunt in Græciam. Hic ſanctorum reliquiis addictiſſimus, earum ope multas retulit victorias, oſtenditque pietatem in bellis ſæpe magis quàm arma prodeſſe.

*S. Nicon ... Spartam ...* S. Nicon Μετανοεῖτε magnum Orientis lumen tum ſuis precibus Bulgaros à Peloponneſo depulit, Lacedæmonem in qua degebat liberavit peſte, eâ lege, ut Judæi (quos capitaliter oderat, nec dignabatur alloquio) urbe pellerentur; ita eodem facto Spartam geminâ peſte liberavit.

MUNDI 5035. CHRISTI. 982.

*Græ... tem... ſibi car... ran... tra... net...* Græci, ut Calabriam ſibi aſſervarent, Saracenos in auxilium ſuum evocarant; utroſque inde depellendos Otho ſuſcepit, grandi parato exercitu, ſed armis quàm pietate inſtructiori. Huic etiam præerat, qui jam à religione Magni Othonis deflexerat filius; & magnificentiæ atque amplitudinis Eccleſiarum, quàm Religionis divinique cultus ſollicitior erat.

MUNDI 5036. CHRISTI. 983.

*Ot... & ... cù... ra... m...* Otho in Græcos & Saracenos ſimul junctos progreditur, commiſſoque prælio navali victus, magnam exercitus ſui partem amiſit, cum omnibus proceribus, & aliquot Epiſcopis Germaniæ, qui tum ad altaria potiùs infulati, quàm in navibus galeati eſſe debuerant. Otho ipſe dum natatu effugit captus à nautis; ſed ab his haud agnitus, ab Auguſtâ Theophane conjuge redemptus eſt. *E... O...* Ex eâ clade mœrore confectus Otho filium ſuum Othonem III. ſibi ſucceſſorem in Comitiis Veronenſibus delegit, Henricum filium alterum Saxoniæ creavit Ducem; quibus geſtis Romam venit, ubi & obiit 7. Id. Decemb. ſepultus in Paradiſo, ſeu atrio Eccleſiæ S. Petri in tumulo porphyretico; vir tantùm nomine patrem referens, huicque moribus diſſimillimus.

MUNDI 5037. CHRISTI. 984.

*B... VI... à ... XI...* 6. Id. Julii fato functus eſt hoc anno ſedis ſuæ 9. Benedictus VII. cujus locum implevit Petrus Ticinenſis Epiſcopus, dictus Joannes XIV. Archicancellarius Othonis; vir magnus, ſed ad dirum exitum reſervatus.

*O... ſa... tr... da...* Otho III. emendavit delictum patris, reddito Merſburgenſi Epiſcopatu, quem pater Magdeburgenſi conjunxerat, ne ipſe patris pœnâ, uti crimine, implicaretur; curante Theopanâ Auguſtâ, quæ Græcæ impietatis nihil extulerat Conſtantinopoli.

MUNDI 5038. CHRISTI. 985.

*Bo... Ep... po... Ro... re... & ... em...* Bonifacius ille perduellis, homicida, atque ſacrilegus expilator Vaticanæ Eccleſiæ, auditâ morte Benedicti VII. Conſtantinopoli, Romam venit, ubi cum ſuis fautoribus, pecuniâ fretus ac furtis, & Arce S. Angeli, quæ à ſuis

à suis tenebatur, irruit in Joannem XIV. vinculis constringit, & eâdem arce 4. mensibus detentum enecat fame, ejusque cadaver pro foribus castri omnibus spectandum objicit 13. Kal. Sept. Statim ergò duorum Pontificum fœdatus parricidio, Petri sedem iterum invadit; in qua cùm sedisset mensibus 4. fœtentem spiritum exhalavit, lanceis post obitum confossus à suis, & in sterquilinium abjectus; sepultus tamen à quibusdam Clericis, quàm par erat in tam detestandum hominem humanioribus.

Ei suffectus est legitimus Pontifex Joannes XV. patriâ Romanus; qui tamen diu pace & sede usus non est; cùm Crescentius Tyrannus molem Hadriani occupasset: quare fugit in Tusciam, unde misit Legationem ad Othonem III. ut ejus opem imploraret. Veriti ergò Romani ne per vim Pontifex, ut olim, & multorum damno reduceretur, eum ipsi missâ Legatione perhonorificâ accersivere, atque ut Vicarium coluere Christi; sed non ex virtutis amore, sed timore pœnæ.

Obiit hoc anno Rex Legionensis Ramirus, cujus pax maximè cum Arabibus facta damnatur; unde in Castellam & partem Gallæciæ tota vis Saracenici belli incubuit. Captæ enim urbes Christianorum multæ, atque inter cæteras Compostella diruta, ubi tamen Arabes abstinuere ab Apostoli sepulchro. Successit Ramiro Veremundus II. filius Ordonii III. qui cùm regnare satis piè cœpisset, postea irruit in Athaulphum Compostellanum Antistitem, ad quem ejus pietas allisa est.

MUNDI 5039. CHRISTI. 986.

Hoc anno, Octobri mense, magnus terræ motus Constantinopolin multasque Græciæ provincias concussit; in illâ plurima templa corruêre; quominus Sparta eo concuteretur S. Niconis preces impediere; quas dum effundit, ejus effigies est impressa saxo, ut urbs ista tantum hospitem vivum & mortuum servasse gloriaretur.

In Francia, 6. Non. Mart. regni sui uno & trigesimo, obiit Lotharius Rex, ad suscipienda bella, quàm conficienda pronior; & moriens filium suum commendavit Hugoni Capetio, quem ille sic coluit ut dominum, ut tamen ab eo Rex dominus fieri nequaquam desperaret.

MUNDI 5040. CHRISTI. 987.

Mortuus est hoc anno Ludovicus V. cognomento *Nihil fecit*, qui neque subditos, nec uxorem suam regere potuit, à qua propter animi imbecillitatem desertus est. Hæc Aquitana genere, ingeniosa & solers, ignavum & stupidum contempsit, atque recessit ad patrem. Sic in eo Carolovingiorum prosapia defecit. Carolus enim Ludovici frater ita se dediderat Germanis, ut propè Francus esse desineret. Quamobrem omissus est ab iisdem Francis, ut ex alia familia bellicosissimâ Princeps præficeretur; cæteris prælatus Hugo Capetius, aliter Caputius, quòd crassioris capitis esset, aut etiam obstinatior. Hic autem cæteris proceribus Galliæ prælatus est, tum quia dignissimus, tum quòd ex Pipino primo seu Crasso vel antiquo originem referret. Hic enim genuerat Carolum Martellum, & Childebrandam; ex Martello Carolovingiorum extiterat familia; ex Childebrando defluxerat familia Capetiorum. Nam ex Childebrando natus est Nebelongus Madriæ Comes; ex hoc Theodebertus; ex hoc orti Odo Comes Aurelianensis, cujus filius Guillelmus sine liberis obiit, Guilelmus Comes Blesensis, cujus filius Eudo ἄτεκνος, & tertius Robertus primus: ex Roberto genitus est Robertus II. Marchio Franciæ, cognomento Fortis seu Magnus, duxitq; Adelaidem filiam Ludovici Pii: ex hoc Roberto exiere Odo Comes, & Rex Parisiorum, cujus filius Arnulphus sine filiis mortuus est, & Robertus III. alter filius Roberti II. Rex creatus contra Carolum Simplicem: ex Roberto III. exiit Hugo Magnus seu Abbas, seu Niger; ex quo Hugo II. cognomento Capetius, cæteris antepositus est. Igitur sublatis hæredibus Caroli Martelli, concredita est Hugoni Francia, quia ad liberos Childebrandi fratris jure redire videbatur. Porrò Rex creatus in urbe Noviomago ab omnibus regni proceribus, paucis exceptis, quos Carolo Lotharingo nuptiæ copulabant; sacroq; oleo inunctus Rhemis, qui postea prudentiâ suâ oblato regno se dignissimum præbuit, habuitque simul ex merito, & hæreditate, quidquid aliqui imperiti reclament; Quare ad Pontificem recursum non est, quia nullus fidei datæ Regi scrupulus relictus erat; & jam Franci sapientiores erant, licet non minùs religiosi.

*Childebrandi prosapia*

*Capetius inunctus.*

MUNDI 5041. CHRISTI. 988.

Hoc anno mortuus est S. Dunstanus Cantuariensis Archiepiscopus, multis miraculis clarus, maximè verò Prophetes; sed damno Anglorum, quibus plurima mala nimiùm verè prædixit.

*S. Dunstani mors.*

Hugo Capetius filium suum Robertum Regem inungendum curat, de more, Rhemis, omnibus virtutibus illustrem, & ad fulciendam electionem patris peridoneum. Tunc etiam idem Hugo regnum Francicum valdè labefactatum restituere conatus est; quod perfecit multo labore, atque prudentiâ; atque ita disposuit, ut pænè alter ejus parens & conditor dici posse videretur.

*Robertus filius inungitur Rex.*

MUNDI 5042. CHRISTI. 989.

Adalbertus Bohæmorum ac Pragæ Episcopus, de suis ad virtutem reducendis propè desperans, Hungaros ad Christum convertendos suscipit. Primus est factus Christianus eorum Princeps Geisa, qui obtinere meruit à Deo filium Stephanum, verè Adeodatum, & tam parentibus subditisque charum, quàm Ecclesiæ fructuosum.

*Geisa Hungarus S. Stephani pater.*

Carolus Dux Lotharingiæ ereptum sibi Franciæ regnum armis repetit, & Lauduno urbe primo impetu potitur. Sed mox adfuit cum exercitu Hugo, à quo Lotharingi cæsi, & Laudunum compulsi, urbe obsessâ, atque vallatâ. At hostes sese mœnibus continentes Francis inje-

*Carolus Laudunum occupat, obsidetur, sed fugantur Franci.*

injecere fiduciam, ac negligentiam innatam genti. Dum ergò incautiùs degunt, & Francicè, in suis munitionibus, erumpentes Lauduno Lotharingi eos ad satietatem ceciderunt, & obsidionem solvere compulerunt. Hugo verò hac clade nihil territus, novas copias conscripsit, ostenditque deinceps sibi defuisse semel fortunam, nunquam ingenii robur, atque patientiam.

MUNDI 5043. CHRISTI. 990.

*Arnulphus prodit Rhemos Carolo.* Hugo Archiepiscopum Rhemensem dederat Arnulpho Lotharii filio notho, Caroli nepoti; sed ei sanguis charior fuit, quàm beneficium; pòst sex enim menses Rhemos urbem Carolo dedendam curavit. Quare collecta Synodus Sylvanecti, in urbis hujus omnes proditores, & direptores dixit anathema, urgente potissimùm Arnulpho, ut à se suspicionem amoliretur; quod tamen non præstitit, sed in suum ac patrui caput Ecclesiæ fulmen intorsit.

*Capta Lauduno, capitur quoque Carolus.* Et verò Hugo Capetius iterum Laudanum obsedit, atque ita oppugnavit, ut ei Carolus cum uxore dederetur. Hic statim Aurelias in custodiam missus; in qua captivus obiit, susceptis etiam in captivitate liberis, paternæ infelicitatis hæredibus.

---

## CAP. X.

## *Decas Ultima,*

*Ab anno Christi* 990. *ad* 1000.

MUNDI 5044. CHRISTI. 991.

*Theophanes Augusta moritur.* MOrtua est hoc anno Theophanes Augusta mater Othonis II. primi uxor, quæ Græcæ pravitatis nihil habuit, tantùm ex Oriente attulit ingenium. Tres habuit filias, quarum duæ Adelais & Sophia in duobus monasteriis vitam religiosè contriverunt; ipsa preces assiduas, atque eleemosynas pro mariti quiete obtulit Deo, sicque exegit vitam in palatio, ut id in cœnobium mutasse crederetur.

*Hugo rejectus à Pontifice dissimulat.* Misit hoc anno Romam Legatos suos Hugo, ut potestatem acciperet agendi adversus Arnulphum Archiepiscopum Rhemensem, proditionis & aliorum criminum insimulatum; sed cùm pro eodem misisset Legatos suos Heribertus Trecensis & Meldensis Comes, Caroli Lotharingi frater, Hugonis Legati ne auditi quidem redire compulsi sunt; quam injuriam concoxit Hugo, sed quomodo viri sapientes, rebus suis nondum stabilitis atque nutantibus, solent.

MUNDI 5045. CHRISTI. 992.

*Deponitur Arnulphus, intruditur Gerbertus, Rhem. Archiep.* Hoc anno Synodus Rhemis in causa Arnulphi celebrata est; qui captus Lauduni, ubi fictis vinculis detinebatur, in hanc urbem adductus est, & oblatus Episcopis qui ad se judicii devolutam autoritatem arbitrabantur, de quo Pontifex respondere noluisset. Egit pro Arnulpho Abbo Floriacensis Abbas; Arnulphus Episcopus Aurelianensis multa in Rom. Pontificem malè concocta protulit. Tandem convictus ab Algaro Presbytero de apertâ hostibus, ejus jussu, portâ, cùm etiam alia crimina confessus esset, depositus est, atque in ejus locum substitutus Gerbertus monachus Auriacensis, magister Roberti, filii Hugonis, qui Rhemensis, Ravennas, ac denique Romanus Pontifex fuit, vir majoris doctrinæ & ingenii, quàm pietatis.

MUNDI 5046. CHRISTI. 993.

Vesuvius mons hoc anno inusitatis suis eructationibus flammarum totam Italiam terruit; secuta deinde aliquot civitatum in Italia & Galliis incendia, quæ maximè Romæ sævierunt; magna pars Urbis deflagravit, quominus iisdem flammis involveretur Basilica Vaticana, S. Petri auxilium impediit, semper huic urbi, & maximè huic loco paratum.

S. Majolus Cluniacensis Abbas, ab Hugone vocatus, ut in S. Dionysii Monasterium disciplinam collapsam instauraret, obiit Sylviniaci 5. Idus Maji, multis miraculis clarus, & magnum religiosæ virtutis exemplar.

MUNDI 5047. CHRISTI. 994.

Mortuo Nicolao Chrysoberge, electus est Sisinnius Patriarcha Constantinopolitanus, qui iterum renascentem de quarto matrimonio controversiam, tempore Leonis Sapientis ortam, à Nicolao utcumque sopitam penitùs extinxit; de lana caprina nugantibus Græcis, dum schismate discinderentur à capite, & curantes reduviam, dum gravi ulcere in pectore premerentur.

Hugo Capetius Joannem XV. invitavit in Gallias, ad componendam Rhemensem controversiam; sed hæc nondum matura erat; alia Pontificem affigebant Romæ, uti centro religionis, magis necessaria.

MUNDI 5048. CHRISTI. 995.

Legatus Joannis XV. Leo, Abbas S. Bonifacii Romæ, venit in Gallias; & Mosomum, *Mouzon*, convocat Synodum, ubi auditus Gerbertus. Hæc tamen translata est Rhemos; ubi causâ iterum discussâ, depositus est Gerbertus; Arnulphus, qui Aureliis detinebatur in vinculis, honorificè suæ sedi restitutus est. Quæ dissimulavere quoque prudenter Hugo atque Robertus, Gerbertus impatientissimè tulit, ut ex ejus Epistolis constat; atque ad Othonem in Germaniam secedens, ac in ejus se gratiam prudenter insinuans docuit, plerumque deprimi viros magnos, ut nobiliùs assurgant.

MUNDI 5049. CHRISTI. 996.

Fato functus est hoc anno Joannes XV. Nonis Maji cùm sedisset annis 10. mensibus 4. ac diebus 12. ac post mensem unum diesque sex, sublectus in ejus locum Bruno patriâ Germanus, consanguineus Othonis, dictusque Gregorius V. operâ ejusdem Othonis, qui

qui tum evocatus venerat in Italiam, ut Crescentii Tyrannidem Romæ grassantem extingueret. Ab eodem Othone dum Ravennâ transit Gerbertus, exautoratus è sede Rhemensi, creatus est Ravennas antistes. Cùm autem Crescentius munitione Arcis S. Angeli fretus esset, opposuit Gregorio Joannem XVI. Calabrum Rossanensem, Episcopum Placentinum. Quod cùm accepisset Otho, Romam accessit, captumque Joannem, oculis orbatum, manibus pedibusque mutilavit. Alii tamen id factum à Pop. Rom. malunt, eundemque Joannem, pecuniâ datâ, intrusum, manibus, auribus, nasoque mutilatum, & excœcatum, atque impositum asino facie versus tergum obversâ, & caudâ animalis pro freno utentem, per vias publicas clamare coactum *Tale supplicium patitur, qui Rom. Papam de sede sua pellere nititur.* Eum autem ut eximeret tali supplicio popularem suum venit Romam S. Nilus; at nihil ejus preces valuere, populo, atque Imperatore in rebellem & simoniacum ita concitatis, ut rogantis sanctitate nihil commoverentur.

Crescentii Tyranni exitum varii variè referunt; alii enim vallatum arctissimâ obsidione scribunt erupisse ex arce sua, conscîis Othonis militibus, ad eum accessisse & postulasse veniam; sed repulsum in Arcem, seque defendere jussum, captum, atque raptatum tandem ex trabe suspensum interiisse. Alii autem fide datâ ab Othone receptum, fide violatâ capite mutilatum esse volunt; quam ob causam Othonem confessum hoc peccatum S. Romualdo jussum esse ire peditem ad Montem Garganum S. Michaëli sacrum, & Quadragesimam in Classensi Monasterio austerè traducere; ac denique Imperatorem promisisse S. Romualdo se monachi habitum suscepturum; quæ narrantur à Petro Damiani, apud plerosque non inveniunt fidem.

Hoc ergò anno coronatus est à Gregorio V. Otho III. Imperator; quare deinceps non Rex, ut antea, sed in Actis nominatur Imperator. Quando & habitum est Romanum Concilium, in quo videntur Imperii Electores constituti. Sed cùm ejus Concilii acta perierint, Catholici disputant utrum hi Electores ad Gregorium V. an ad X. pertineant; Heterodoxi, contemptis Pontificibus Romanis, unum Othonem III. eorum authorem appellant; quæ controversiæ cùm magno utrimque calore exagitatæ sint, non debent in hoc opusculo sine temeritatis labe dirimi; certè Electorum plerique id se habere olim à Pontificibus summis protestati sunt; neque semper tantùm fuere septem, sed quotquot ad Comitia conveniebant; nec iidem septem, sed alias Ecclesiastici, Archiepiscopi Coloniensis, Moguntinus, & Salsburgensis; Laici, Duces Austriæ, Bavariæ, Saxoniæ; Saltzburgensis autem loco substitutus Trevirensis; at Austriæ, Bavariæ, Brabantiæ Ducum loco suppositi Comes Palatinus Rheni, Marchio Brandeburgensis & Bohæmiæ Rex, definitor potiùs, quàm Elector. Sed quando has mutationes fieri contigerit, syncerè statui non licet, autoribus ita inter se discrepantibus, ut securiùs, & prudentiùs hic suspendatur sententia, quàm pronuncietur.

MUNDI 5050. CHRISTI 997.

S. Adalbertus Pragensis Episcopus, prohibitus à Rege Boleslao Bohæmiæ rege ad Ecclesiam suam redire, factus Apostolus Prussiorum, ab iisdem cæsus est 9. Kal. Majas. Quo etiam anno creatus Russorum Apostolus S. Bonifacius consanguineus Othonis III. quem non aliter quàm animam appellabat suam; sed adhuc Deo, quàm hominibus is acceptior extitit. *S. Adalbertus martyr. S. Bonifacius.*

Hoc anno mortuo Geisæ primo Duci Christiano Hungarorum successit filius S. Stephanus, adolescens ætate, sed prudentiâ senex; in quem cùm exortum esset bellum civile propter Fidem, id ipse alacriter suscepit, electis sibi ducibus S. Martino Turonensi Episcopo, & S. Georgio martyre; nec sancti addictum sibi Principem expectatione suâ deluserunt; eum enim victorem reduxere, & divitem hostium spoliis, quæ tamen idem in suos patronos refudit, excitato illustri monasterio in monte Sacro, in quo olim S. Martinus Pannonius preces effuderat, ut bellum omnino sacrum diceretur. *Geisa moritur, succedit ei S. Stephanus.*

MUNDI 5051. CHRISTI 998.

Mortuo anno superiori Hugone Capetio; qui ei unicus erat filius, jam Rex inunctus, regnum suscepit solus administrandum. Sub initium regni sui Bertam affinem suam, & commatrem, Comitis Odonis filiam, duxit uxorem, consentientibus nonnullis Episcopis; quare à Gregorio excommunicatione perculsus est; quam tamen initio contempsit: sed cùm ex iis amplexibus illicitis natum esset monstrum, collo ac capite anserino, Rex ad sanam rediit mentem, accedentibus sanctis monitis Abbonis Floriacensis Abbatis; duxitque uxorem Constantiam Guillelmi Comitis Arelatensis filiam, quâ cum conjunctissimè & piissimè vixit, & vitæ sanctioris constantiâ priorum scelerum maculas eluit. *Mortuo Capetio succedit Robertus. Ducit uxorem Constantiam.*

Saraceni hoc anno sub Veramundo Rege Gallæciæ poterant omnia, potiti Legionensi regno, & in Gallæciâ excisa Compostellâ, vix servato divinitus S. Jacobi sepulchro. Almazor itaque Saracenorum rex cùm infinito exercitu Christianos Principes vicinos aggressus est: sed ab iis superatus peditum 70. millia, equitum 40. millia perdidit; quare idem paulò pòst ex inedia periit, ne tanto dedecori superesse cogeretur. Veramundus quoque anno insequenti obiit, relicto filio quinquenni Alphonso seu Aldephonso V. cujus pueritiam & præcedens victoria, & subsequens, incolumem præstitere. *Saraceni victi. Veramundo succedit Alphonsus V.*

Garsias quoque Castellæ Comes eodem anno feliciter in Arabas pugnavit; in cujus exercitu vir nobilis Ferdinandus Autolinus tempore prælii in Ecclesia precibus institit; quod cùm ei æmuli tribuerent ignaviæ, ejus Angelus equo insidens, ejusque armis præcinctus, in hostem mira perpetravit, fuitque causa victoriæ: immò ejus equus, & arma tincta hostium sanguine immortalem ei fortitudinis laudem peperere. *Arabes iterum victi a Garsia, & Ferdinando.*

Venit

*Othonis III uxor viva comburitur.* Venit etiam hoc anno in Italiam Otho III. ubi uxorem suam Mariam Augustam flammis vivam addixit. Hæc enim Comitem Mutinæ vultu pulcherrimum, quem provocarat de stupro quasi suam pudicitiam attentasset, per maritum capite mulctari curarat. Sed ejus uxor edocta à marito, allato Comitis capite ultionem expetiit, & candenti ferro ejus innocentiam se probaturam promisit; quod & præstitit. Imperator se ei mulctandum obtulit, sed proceres ei exoravere vitam; adultera exusta, Comitissa tribus donata castris, innocentia & castitas de iniquitate atque libidine triumpharunt.

*Sisinnio succedit Sergius.* Obiit & in Oriente Sisinnius Patriarcha Constantinop. cùm tribus annis sedisset; cui suffectus Sergius Abbas, ex prosapiâ impii Photii, cujus & sanguinem, & impietatem accepit hæreditariam, odiumque in Latinos, ut ejus docet Epistola. *Moritur S. Nicon.* Mortuus quoque S. Nicon, cujus imago mirabiliter picta, dataque huic carissimo Joanni Malaceno nobili Spartano; cui vivus & mortuus plurimùm profuit. Porrò ex Niconis loculo fluebat oleum adversus morbos omnes præsentissimum amuletum; index ejus virtutum, cùm viveret, & beneficæ in omnes charitatis.

MUNDI 5052. CHRISTI. 999.

*Greg. V. succedit Gerbertus seu Sylvester II.* 12. Kal. Mart. vivere desiit Gregorius V. cùm occupasset petri Sedem annos 2. menses 8. dies 7. cui substituendum curavit Otho Tertius Gerbertum olim Archiep. Rhemensem, tunc Ravennatem, qui dictus est Sylvester Secundus & de suis sedibus hoc versu lusisse dicitur,

*Scandit ab R. Gerbertus in R. post Papa viget R.*

*An fuerit Magus?* Porrò cùm audies ipsum fuisse Magum, devotum Dæmoni, ut Pontifex esset, & ab eo raptum statuto in loco, & destinato Hierosolymis, hoc est, in Basilica S. Crucis in Hierusalem, immò expunctum ex Albo Pontificum ut scribit Sigebertus, noveris commentum esse Bennonis Cardinalis, tempore Gregorii VII. improbissimi calumniatoris; occasionem autem fabellæ dedisse Mathematicas disciplinas certum est; quas qui hoc ferreo sæculo profitebatur, habebatur uti Magus ac Satanæ addictus, quasi eas callere posset nemo, nisi ex infando cum Dæmone commercio; usque adeò id temporis hominum ingenia, judiciaque jacuerant.

*Const. Regi. ambi.* In Francia Roberti uxor Constantia, mulier arrogans & ambitiosa, Hugonem quendam gratiosum Regi, cujus artibus ab ejus amore Robertus averti videbatur, in oculis Principis cædendum curavit; neque Rex facilior, ultus hanc injuriam, nisi verbis, & oculis. Quæ & in gratiam recepta, cùm exigeret à marito, Poëtâ vendibili, ut de ejus laudibus scriberet hymnum, hunc iste de Martyribus scripsit; *O Constantia Martyrum laudabilis, &c.* hæc de se scriptum putavit carmen, quòd eo nomen suum contineretur, ex æquo stulta & ambitiosa, meritoque sic à sapienti marito deridenda.

MUNDI 5053. CHRISTI. 1000.

*S. B... Ap... san...* Translatum est hoc anno S. Bartholomæi Apostoli corpus Benevento Romam, ab Othone III. quanquam aliqui à Beneventanis aliud corpus suppositum velint; sed Pontificum diplomatis sacra hæc lipsana sunt Romanis adjudicata; solis jam reclamantibus Beneventanis, quibus est pro ratione voluntas.

*S. ... fit ...* Hoc anno parata Duci Poloniæ corona regia missa est (monente Deo Pontificem Sylvestrum) ad S. Stephanum Hungarorum Regem, qui hoc tempore Romam legatos misit, cui & Regium concessum est nomen, & potestas data crucis ante se deferendæ, quasi legatus Pontificius esset, ut ejus fortitudo ac pietas his testimoniis honoraretur; sed hic vicissim obtulit S. Petro Hungaricum regnum, hocque nobilius, & firmius ab eodem recepit.

*A... m... pi...* Obiit denique hoc anno Adelais uxor Othonis Secundi mater Othonis Tertii cujus vitam scripsisse creditur Odilo Abbas Cluniacensis, videturque relata à Romanis Pontificibus in sanctorum catalogum; fœmina ex æquo pia ac fœcunda, utpote quatuor liberorum mater, & dignissima Magni Principis conjugio.



LIBER

# LIBER XI.

## *Ab anno Christi* 1000. *ad* 1100.

### CAPUT I.

### *Decas Prima.*

*Ab anno Christi* 1000. *ad* 1010.

MUNDI 5054. CHRISTI. 1001.

Jactatum à plerisque desiturum Mundum, cùm à nato Christo annus millesimus esset evolutus: & id perditissimi Christianorum mores exigebant; verùm metus is vanus fuit; nec emendatus est Orbis terrarum, sed pejor est effectus; eo nihilominus tempore sanctissimi viri floruerunt, quorum bona opera plus valuere ad conciliandam Dei misericordiam, quàm sceleratorum crimina ad justitiam inflammandam.

Obiit hoc anno Hugo Marchio Tusciæ, & Dux Urbis, vir pius & liberalis, atque omnibus virtutibus exornatus: qui puer matrem Villani Marchionis Bonifacii filiam exemit suspicione adulterii, in medio multorum procerum positus, & omissis cæteris uni parenti Alberto blanditus; quod fuerat constitutum legitimæ aut spuriæ prolis augurium atque probatio.

S. Romualdus promissa reposcit Othonem III. de deserendo sæculo, & vitâ religiosâ ineundâ; tergiversatur ille, & id se perfecturum pollicetur, ubi Romanam Urbem disposuerit: sed huic vir sanctus mortem imminentem præcinuit; sicque Otho esse desiit, quod timebat, & Monachus non fuit, quod exoptabat.

MUNDI 5055. CHRISTI. 1002.

Obiit hoc anno Otho III. Imperator, acceptis chirothecis veneno illitis, à relicta uxore Crescentii, quâ concubinâ usus erat, cum spe nuptiarum postea deserta fuerat; alii tamen ex pustulis interiisse scribunt; vir suis rebus, quàm Ecclesiæ addictior, ideoque dignus in quo Othonum familia deficeret. Henricus Bavariæ Dux huic successit in regnum Germaniæ, & postea in Imperium, educatus à S. Wolfgango Episcopo Ratisponensi, ex cujus manu nihil prodiit nisi diligenter excultum, Deoque gratiosum.

Florebat in Hungaria S. Stephanus Rex simul & Apostolus; sed dum Dei negotia curat, ejus quoque res curavit Deus, datâ illi nobili contra Bulgaros regnum ejus invadentes, victoriâ.

Hoc anno Normanni primùm in Italia enituerunt. Eorum enim 40. nobiles ex Hierosolymitanâ peregrinatione redeuntes Salernum appulerunt, quam urbem Saraceni obsidebant. Hi arma petunt à Guaimario urbis Principe, & equos; quibus instructi, irruentes in Arabas, magnâ eos affecerunt clade, multis interemptis, cæteris aversis in fugam. Cùmque retinerentur à Principe, multis oblatis muneribus, neutrum admisere, Deo atque religioni pugnare contenti; & ostendêre quid gens illa posset in suos hostes, atque Christi.

MUNDI 5056. CHRISTI. 1003.

Mortuus est hoc anno Sylvester Secundus antè dictus Gerbertus, 4. Id. Maji, cùm primus bellum sacrum occinuisset, & Principes adversus Saracenos incitasset; cui successit Joannes cognomento Siccus XVI. aliter XVIII. qui cùm sedisset tantùm menses 5. & dies aliquot, locum reliquit Joanni Fæsano XVII. vel XIX. quam diversitatem intrusi Pseudo-Pontifices effecere: nos autem loquemur ut multi, ne cum paucis loquentes minùs intelligamur. *Sylvestro II. succedit Ioan. XVI. Huic Ioan. XVII.*

Robertus Rex Francorum bellum in Burgundia gessit, quam sibi obvenisse hæreditario jure existimabat, patrui sui morte; cui & Ricardus Dux Normannorum suppetias tulit. Antissiodorum cepit; sed dum obsidet castrum S. Germani, arma hominum contra Dei virtutem nihil posse intellexit. Ferunt tamen Abalonis mœnia coram ipso, instar Hiericontinorum murorum, corruisse. Certè ex ea expeditione Robertus non tantùm gloriam, sed & fructum retulit; armisque recepit quod ei hæreditario jure debebatur. *Roberti bellum in Burgundia*

MUNDI 5057. CHRISTI. 1004.

Hoc anno censetur emersisse Sacramentariorum hæresis, authore Leutherico Senonensi Archiepiscopo, quem addentem verba dum sacram hostiam porrigeret, Robertus repressit: hæc tamen ventilata est à Berengario tum adolescente, ac discipulo Fulberti Carnotensis, qui tum sæpe monitus est à magistro, ut in disputationibus se intra Fidei Catholicæ limites contineret: adeò etiam in umbratili disputatione, ab hac parte peccare periculosum est, neque à bonis viris unquam toleratum. *Sacramentariorum hæresis oritur.*

MUNDI 5058. CHRISTI. 1005.

Henricus Germaniæ Rex tum descendit in Italiam contra Harduicum, qui sibi arrogarat titulum Regis Longobardorum, Clusas oppugnavit, & Ticinum victor ingressus, Rex Italiæ acclamatus est. Sed hîc est oborta seditio inter cives & milites, quæ in ipsum Henricum redundavit, & *Henricus venit in Italiam.*

& in suo palatio obsessus est; verùm rudes cum exercitatis dimicantes victi sunt, urbs cædibus incendiisque deformata, nequicquam repugnantibus Henrico Rege, & qui ei erat à consiliis S. Heriberto Archiepiscopo Coloniensi. Inde Henricus profectus est Mediolanum, ut coleret sancti Ambrosii lipsana; nec diu hîc constitit, evocatus in Germaniam suam tumultuantem, in qua victus Boleslaus Poloniæ Dux, à quo Henricus præsens, absens ab omnibus cœpit reformidari.

*Otho Caroli filius moritur.* Obiit hoc anno Otho filius Caroli Ducis Lotharingiæ, sine liberis, sicque in eo Carolovingiorum mascula proles omninò defecit, & cùm eâ jampridem Franci nihil indigerent.

MUNDI 5059. CHRISTI. 1006.

*Pestis atrox.* Hoc anno pestis simul atque fames tam dirè per Orbem grassatæ sunt, ut sepeliendis mortuis vivi pares non essent, cùm nonnunquam spirantes adhuc cum fato functis, prope volentes, simul humarentur. Quando eximia charitas in pauperes eluxit Odilonis Abbatis Cluniacensis, non jam libera, sed necessaria, nec ex liberalitate, sed ex justitia.

*Bamberga facta Episcopalis.* Bamberga civitas, Henrico charissima, facta est Episcopalis; cujus sedem ipse Rex de suo magnificentissimè dotavit, & propter conditorem facta est toti deinceps Ecclesiæ venerabilis.

*De Lotharingia Bellum exortum.* Hereditatem Othonis Lotharingi variis prensantibus, commissi sunt Henricus Rex Germaniæ, & Robertus Rex Francorum; ita tamen, ut magis auxiliares essent, quàm principes expeditionis: sed prævaluit Godefridus, competitores ejus victi. Ne tamen Germania & Francia inter se majoribus damnis decertarent, provisum ut Henricus & Robertus in Mosâ fluvio colloquerentur, & amicitiam nonnihil concussam restituerent; quod & factum magnâ utriusque gentis gratulatione.

MUNDI 5060. CHRISTI. 1007.

*Henrico nunciatur imperium.* Prænunciatum est hoc anno Henrico Imperium Occidentale; vidit enim in somnis sibi Volfangum Episcopum imperare uti legeret in pariete caracteres descriptos, in quibus nihil legere potuit præter has voculas *post sex*. Itaque post sex dies, hebdomadas, menses, se frustra paravit ad mortem multis precibus, & eleemosynis; post sex demum annos intellexit non sibi mortem, sed Imperium gloriosè prænunciatum; & spei causam fuisse, ubi vani timoris extiterat.

*Fulbertus fit Episcopus Carnotensis.* Tum quoque eodem anno ex Monacho sancti Petri Carnotensis creatus est Fulbertus Episcopus Carnotensis, vir doctissimus, & omnium votis expetitus; huic enim prophetiæ Spiritum Deus infuderat, ideoque factus est omnium Episcoporum, & principum atque Regum doctor, & magister. Certè pœnitentia Fulconis Comitis Andegavensis, & ad loca sancta peregrinatio; ab ejus monitis videntur profluxisse, sicut & multi Principes Ecclesiæ bonis saginati ab eo facti pœnitentes, qui & rapta reddidere, & de suo quoque liberales extitere: tantum est plerumque in uno homine ad multos peccatores revocandos præsidii.

MUNDI 5061. CHRISTI. 1008.

Prussia & Russia hoc anno coronavere martyrio Apostolos suos; hæc, S. Bonifacium Othonis Imperatoris propinquum, miraculis magnis illustrem; illa, S. Brunonem Episcopum. Quibus auditis S. Romualdus ingenti cupiditate flagravit fundendi pro Christo sanguinis: sed ejus voluntate Deus contentus est; quod morbo sibi immisso cognovit, crescente dum progrederetur, desinente cùm consisteret; ex ejus tamen sociis quidam ultra pergentes, redeunte cum 7. aliis in Italiam Romualdo, flagellis cæsi atque venditi, sanguine suo, atque libertate, Dei gloriam & proximorum salutem promoverunt.

MUNDI 5062. CHRISTI. 1009.

Joannes XVII. seu XIX. obiit 15. Kal. Aug. quo sedente sedes Constantinopolitana cum Romanâ reconciliata est, atque à Sergio Patriarchâ Joannis nomen in Dipthyca relatum, utrimque bonis exultantibus. Eidem verò suffectus est prid. Kal. Sep. Petrus Episcopus Albanensis, qui in honorem primi Apostoli suum deposuit nomen, dictusque est Sergius IV. alii tamen (ut Ditmarus) causam minus piam mutati nominis asserunt, nempe quasi Buccaporci diceretur; quod nomen, ex odio, inepti aliquot multis Pontificibus affixerunt.

Judæi Aurelianenses in Francia, omnium Judæorum nequissimi, miserunt servum nescio quem habitu peregrini, cum litteris baculo inclusis, ad Principem Babylonis, monentes eum, nisi subverteret templum Hierosolymitanum, ejus regnum cum gente brevi à Christianis exscindendum. Quod illico ex parte præstitit, additâ etiam S. Georgii Ecclesiâ, quòd in eam ingressi Saraceni cæcitate mulctarentur. Quæ cùm in Occidentem perlata essent, decretum communi consensu, ut Judæi expellerentur, nullus eos societate, nullus commercio dignaretur. Gerulus porrò litterarum Aureliis vivus exustus, suæ peregrinationis meritum præmium retulit. Neque diu fructu malitiæ suæ potiti sunt Judæi, aut Christiani diu templi sui ruinam luxere. Mater enim Principis, seu Emiri Saracenorum, Christianissima, Maria nomine, cujus etiam maritus Christum coluerat, sed occultè, idem templum magnificentiùs reparare cœpit, & huic perficiendo Christiani Occidentales muneribus suis adlaboravere, eique coronidem imposuere; adeò ut cecidisse visa sit celebrata illa moles, ut ad majorem Christiani nominis gloriam resurgeret.

MUNDI 5063. CHRISTI. 1010.

Quievêre hoc tempore in Hispania Saraceni, in parvas satrapias divisi; quos si aggressi essent Chri-

Christiani Principes, omnes expulissent; sed tunc temporis etiam inire cum iis matrimonia maluerunt, & pro illis inter se dimicantibus decertare; Episcopis etiam venientibus in hujus sceleratæ militiæ partem, qui nonnunquam pro iis sceleratis, sceleratam vitam profudere, quàm Christo & gregibus suis reservare debuerant.

---

## CAP. II.

## *Decas Secunda.*

*Ab anno Christi* 1010. *ad* 1020.

MUNDI 5064. CHRISTI. 1011.

Celebris est hic annus Encæniis Ecclesiæ Bambergensis; quando & celebrata Synodus plusquam 300. Præsulum, in qua compositæ sunt controversiæ inter Episcopos plures; quod Deo acceptiùs visum est quàm hujus Basilicæ consecratio simul & ædificatio.

Dani Angliam ingressi, hoc anno proditione Archidiaconi Cantuariam occuparunt, & ea præstiterunt quæ S. Dunstanus prænunciarat, hoc est, omni crudelitatis genere sævierunt, nulli ætati, nulli conditioni parcentes. Cùm deferbuisset furor, superstites reliquos omnes ita decimarunt, ut ex decem interimerent novem. Inter cæteros martyrio coronatus S. Elphegus Cantuariensis Archiepiscopus, & ab iis quos gravi morbo cruciatos sanaverat. At Danorum quidam in patriam redeuntes naufragio mulctati sunt, & spolia atque vitam miserrimè perdiderunt, ex aquis in ignes æternos devoluti.

Terræ motus ingens Constantinopoli contigit, prænuncius belli adversus Græcos in Italia concitati, duce Mele vel Melo Barii Principe, coacto ex Longobardis exercitu, & accitis in auxilium suum Normannis; quando & iidem Normanni sibi Apuliam vindicarunt. Bulgaricum quoque initum est bellum, pugnatum non semel in Barbaros; Græcis hoc anno quietis esse non licuit.

MUNDI 5065. CHRISTI. 1012.

Tertio Idus Majas mortuus est Sergius IV. cùm sedisset annos 2. menses 8. dies 13. cui successit Benedictus VIII. Episcopus Portuensis, cui oppositus est à quibusdam Gregorius; à quo potentiore fugatus legitimus Pontifex confugit ad Henricum, ut alter alteri præsidio posset esse; hic crearetur Imperator, ille datam à Deo sibi sedem quietè possideret.

Obiit & hoc anno S. Macarius Patriarcha Antiochenus, genere Armenus, educatus à Macario Seniore ejusdem sedis præsule; qui sede suâ prudenter administratâ Hierosolymam visurus, eam reliquit Eleutherio viro sanctissimo. Macarius autem à Saracenis datus in carcerem, divinitus solutus multos ex iis convertit, clarusque miraculis, ut meliùs lateret in Occidentem venit, & Flandriam, ubi multis quoque signis editis clarior migravit in cœlum, veram patriam suam, qui demissionis gratiâ, nullam in terris patriam habere voluisset.

MUNDI 5066. CHRISTI. 1013.

*Henrici pietas & amor in Cluniacenses.* Henricus venit in Italiam oppressurus Harduicum qui se Regem Longobardorum dixerat; sed ejus iter abrupit non semel Boleslaus Poloniæ Dux, capitalis ejus hostis, & fœdere cum Harduico conjunctus. Cùm ab utroque se expediisset Henricus, venit Romam ut Benedictum restitueret. Is illi obviam processit, obtulitque pomum aureum distinctum gemmis, ex quo crux eminebat, Orbis Christiani possidendi tesseram; quod statim misit Henricus ad Cluniacense Monasterium, maximæ tum sanctitatis officinam sub S. Odilone, addens eorum esse debere hoc munus, qui mundum nobilius conculcassent. Eodem & coronam suam misit, quam S. Odilo tempore famis distraxit, ut pauperes aleret; sicque in Christi manus & frontem sanctiùs transiret.

MUNDI 5067. CHRISTI. 1014.

*Coronantur Augusti Henricus & Cunegundis.* Henricus, atque ejus uxor Cunegundis, 6. Kal. Martii, à Benedicto Imperii coronam & Augustorum nomen recepere. Hunc quidam *Secundum* vocant, ut *Primum* Henricum, qui Conrado Germaniæ Regi successit; sed cùm hic Imperator nunquam dici voluerit, frustra huic Augusti nomen obtruditur, ut noster hic in secundum locum dejiciatur, cui parem sanctimoniâ non vidit Imperium.

*Henricus confirmat donata S. Sedi.* Romæ autem Henricus cuncta ritè disposuit, & concessa à Franciæ Regibus, ac Imperatoribus Romanæ Sedi dona firmavit, liberamque Pontificum electionem Clero populoque Romano reliquit, servatis tamen juribus, quæ Eugenius atque Leo Imperatoribus concessissent; in quibus ita se gessit, ut se patronum fautoremque profiteretur, nihil cuperet posse, nisi quod Dei gloria postularet.

MUNDI 5068. CHRISTI. 1015.

*Ernestus verè pœnitens.* Pergit Henricus in operibus pietatis; quando & Ernestus Alemanniæ Dux magnum exhibuit pœnitentis exemplar: ille enim sagittâ vulneratus in venatione, morti proximus cùm Presbyterum non haberet apud quem peccata secretò deponeret, ea coram Deo & hominibus adstantibus exposuit, ut eâ demissione verum syncerumque dolorem obtineret à Deo, & hoc in casu ad delenda peccata sua necessarium.

MUNDI 5069. CHRISTI. 1016.

*Saracenos Pontifex vincit.* Benedictus VIII. classem comparat, ut Saracenos littora Ecclesiasticæ ditionis infestantes reprimeret; quâ eos tantâ delevit clade, ut Rex ægrè diffugeret, Regina etiam capta capite truncata fit. Rex efferatus conjugis ac suorum cæde, interminatus est Pontifici se cum pluribus æstate sequente rediturum; sed minas aliis majoribus minis Benedictus irrisit, nihil eum minan-

minantem reformidans, qui pugnantem tam benè retudisset.

*Anglica turba.* Anglia valde perturbata post Ethelredi mortem, qui ceciderat fratrem, ejusque sanguine innumeras induxerat, ex S. Dunstani vaticinio, in suum regnum calamitates, communi gentis Anglicanæ consilio electus est *Rex Daniæ & Angliæ Canutus Danus.* Rex externus, & Danus Canutus seu Knutus Christianus piissimus Swani patris impii successor, quem S. Eadmundus interemerat. Is autem Daniæ simul & Angliæ Rex, utriusque regni curavit Ecclesias; Magnus meritò nuncupatus, ob res fortiter gestas; Maximus, ob pietatem atque religionem, meliori jure nominandus.

MUNDI 5070. CHRISTI. 1017.

*Manichæi exagitati.* Aureliis mulier Manichæa multos è Clero populoque seduxit; cui malo statim Robertus Francorum Rex providit, multis exustis, aliis fugâ dilapsis; quorum aliqui Toletum in Hispaniam pervenerunt, ubi eosdem repererunt ignes, quos in Francia vitaverant.

Hoc tempore in Aquitania tribus diebus sanguine pluit, circa Solstitium æstivum; hic cruor cadens in carnem hominis, aut lapidem, elui non poterat, in lignum decidens facilè eluebatur. Quâ de re consultus Fulbertus Carnotensis, non omnibus fecit satis. Secuta sunt *Prodigia & cædes in Aquitania.* deinde gravia bella inter Guillelmum Aquitaniæ Ducem, & Gaufredum Comitem Andegavensem, qui sese mutuis cladibus attrivere, & plurimùm sanguinis effuderunt, sine dubio, imbre illo cruento prænunciatum.

MUNDI 5071. CHRISTI. 1018.

*Boreales Ecclesiæ vexatæ.* Abotriti & Wari populi à fide Apostatæ magnas in Ecclesias Boreales intulere clades, maximè verò in urbem Kioviam, in qua Christiana religio egregiè florebat. In ea plures Ecclesiæ quadringentis numerabantur; si quis post Septuagesimam carnem edisse convictus esset, ei vellebantur dentes; pœna atrocissima in adulteros constituta erat, aliosque graviter delinquentes, quæ narrat Ditmarus Episcopus Moersburgensis qui hoc anno scribendi vivendique finem fecit; bonus planè scriptor & præsul optimus, qui Ecclesiam accuratissimè rexit, & historiam magnâ fide conscripsit, adeò ut dubium reliquerit, utrum meliùs scripserit, an vixerit.

*Rudolphi Normanni fortitudo.* Rudolphus Normannus fortissimus, veritus Richardi Ducis sui furorem, Romam venit, cum suis; ubi excitatus à Benedicto ut in Græcos bellum gereret, eos in Apulia tribus magnis præliis devicit; donec iis impar, ob missas ex Oriente maximas copias, ad Henricum cum paucis perrexit, ut obtineret auxilium; vir magnus, & magni ipse in certaminibus instar exercitus.

MUNDI 5072. CHRISTI. 1019.

*Bamberga addicta S. Sedi.* Benedictus VIII. profectus in Germaniam hoc anno Ecclesiam Bambergensem dedicavit; quam urbem, ut & Ecclesiam, Henricus & Cunegundis uxor summo Pontifici penitus addixere, sic ut quotannis Bamberga civitas S. Petro equum album phaleratum cum centum marcis argenti persolveret, hoc est, circiter trecentas Turonicas libras. Sed Henricus Junior hunc censum redemit substituto Benevento, non tantùm justè, sed & liberaliter atque magnificè.

Sergio Constantinopolitano mortuo successit *Ser... suc... Eu...* Eustathius primus inter Presbyteros Regiæ, hoc tantùm nomine laudatus.

MUNDI 5073. CHRISTI. 1020.

Boleslaus Polonorum Rex Ecclesias sui Regni *Bo... Po... pie...* multis & pretiosis ornamentis illustravit; eisque perpetuas decimas accuratè persolvendas addixit; quæque antea justitiæ tantùm fuerant opera, liberalitatis esse cœperunt.

---

## CAP. III.

## *Decas Tertia.*

### *Ab anno Christi* 1020. *ad* 1030.

MUNDI 5074. CHRISTI. 1021.

Sanctus Heribertus Coloniensis Episcopus, *He... re... tu... ri...* adeò quondam charus Henrico ut ab eo nunquam divelleretur, ab eo invidorum operâ sic abalienatus est, ut de eo deturbando ab Archiepiscopatu suo cogitarit; & verò eâ de causâ Coloniam Imperator perrexit; sed divinitus admonitus est, caveret etiam atque etiam sancto præsuli molestus esse; quare non modò ei reconciliatus est, sed & omni submissione ejus gratiam demereri conatus est.

Circa hoc quoque tempus floruit Guido Are- *Gu... Ar... m... flo...* latinus monachus, qui novam addiscendi Musices rationem excogitavit, etiam pueris rudibus facilem, cùm antea ab ingeniosis viris, vix multis annis edisceretur; quam ob causam Romam vocatus est à Benedicto, atque ab eo, ejusque successore Joanne, multis beneficiis meritò cumulatus; quibus satis magnis ornari non possunt qui de omnibus benè meruerunt.

MUNDI 5075. CHRISTI. 1022.

Henricus sollicitatus ab Italis, Normannis, *He... ve... Ita... Sar... rep...* Benedicto, venit cum exercitu in Italiam, eisque Trojam suam in Apulia nuper ædificatam eripuit, fugatis etiam, aut in deditionem acceptis eorum fautoribus; adeò ut deinceps neque per se, neque per suos quidquam in Italia possent, quam turbare tantùm poterant, non tueri. Post hæc Cassinum venit, & ibidem æ- *Cas... inv...* grotavit; sanatusq; à S. Benedicto, quem in somno vidit, & ab eo didicit, hîc ejus servari corpus: multa in hoc monasterium dona congessit, in eo monachi sumpturus habitum, si supervixisset: verùm huic satis ad meritum voluntas fuit.

MUNDI 5076. CHRISTI. 1023.

Hoc anno Henricus Imperator, & Robertus Francorum Rex de suis atque Ecclesiæ negotiis super Carum fluvium apud Evasium convenerunt, postea ambo Benedictum Papiam conventuri, uti pacta inter eos firmaret. Hi autem pietate gemini ac similes, non armis ut alii Principes, sed demissione uti Christiani depugnarunt, primusque ad Robertum Imperator cum paucis venit, seseq; deosculati & complectentes post auditum sacrum, ambo familiarissimè pransi sunt; atque Henrico ingentia oblata munera, ex quibus nihil accepit, nisi quod satis esset ne donum recusasse videretur. Sequenti die ad Imperatorem Robertus venit splendidissimè acceptus, atque ex multis muneribus illa tantùm accepit quæ amici ab amicis recipiunt; amboque amore ut pietate conjuncti illicò in ditionem suam recessere, parati sibi invicem atque Ecclesiæ nunquam deesse.

MUNDI 5077. CHRISTI. 1024.

Tertio Kal. Martii obiit Benedictus VIII. Sedis suæ anno 12. à pœnis purgantibus per S. Odilonem liberatus, uti piè creditur, quem Papa vivens coluerat. De eodem visiones aliquæ proferuntur; quas excutere, non est hujus otii. Successit fratri Joannes XX. filius quoque Comitis Tusculani, repente ex laico factus Pontifex, authoritate sui patris, & profusâ, uti creditur pecuniâ, quæ Romæ semper plurimùm valuit.

Eodem anno Eustathius Patriarcha Constantinopolitanus & Basilius Imperator tentarunt obtinere ingentibus muneribus nomen Oecumenici; & id ab excæcato avaritiâ Pontifice, ac pecuniis intruso expressissent, nisi ingens eam ob rem Romæ tumultus excitatus esset, & Guillelmus S. Benigni in Gallia vir prudentia & autoritate gravis, omnibusque Christianis Principibus acceptissimus, hæc mercimonia discussisset; itaque Joannes metu potiùs, ut mali solent, quàm virtutis amore repressus, munera & legationem Græcorum repulit.

Tertio Idus Julii mortuus Bambergæ Henricus Imperator, reliquit uxorem suam Cunegundem virginem virgo, raro inter potentes continentiæ exemplo. Hæc enim semel vocata in suspicionem probri de consuetudine cum milite, ignitos vomeres quasi flores illæsa tractavit. Quare ambo sanctorum catalogo adscribi meruere; Henricus etiam obsistentem huic honori suo Cardinalem S. R. E. sub Eugenio Papâ, graviter ultus est, quasi injurium castimoniæ, atque pietati.

Successit Henrico in regnum Germaniæ Conradus, vel electus ab illo, vel à Principibus, & Episcopis Regni. Hic filius fuit Henrici, filii Othonis Ducis Vormatiæ, ex quo genitus Gregorius V. Pontifex; & primùm contemptus à suis, quòd quietam vitam honorificè perferret; verùm optimè institutus à Burchardo Vormatiæ Episcopo, qui hunc instar filii habuit, dignus est habitus & regno, & Imperio. Quominus autem statim Rex inungeretur impedierunt ejus nuptiæ illegitimæ cum Giselâ Ernesti Suevorum ducis relictâ uxore, affine suâ, quàm cùm dimittere pollicitus esset, statim Rex creatus est, omnibus ei non tantùm regnum, sed etiam Imperium apprecantibus.

MUNDI 5078. CHRISTI. 1025.

*Moritur filius Imp. cui succedit solus Constantinus.*

Mortuus est hoc anno, ætatis suæ anno septuagesimo, Imperii quinquagesimo, subito correptus morbo Basilius Imperator; cui successit solus Constantinus, avarus deinceps, & in tributis exigendis sordidus ac tenax; quamobrem omnibus desiderium injecit Basilii. Paulo antea obierat Eustathius, ejusque loco Patriarcha Constantinopolitanus electus erat Alexius Archimandrita, Imperii administer sapiens, qui ad regendam Ecclesiam multùm doctrinæ; plus prudentiæ detulit.

*Alexius successor Eustathii.*

*S. Cunigundis fit religiosa.*

S. Cunegundis in Confugiensi monasterio quod erexerat, & Encæniis ejus Basilicæ, posito crine, & ornamentis Imperii, Religiosum suscepit habitum, ut in eo monialibus inserviret, illustrior Augustæ nomine deposito, quàm assumpto.

*Caput S. Io. Baptistæ seu S. Ioan. Martyr. Alex. inventum Angeriaci.*

Caput S. Joannis Baptistæ, ut vulgò creditur, verè S. Joannis Martyris Alexandrini, jamdiu delatum Angeriacum, hoc anno inventum est ibidem (alii tamen verisimilius putant, id anno Christi 1010. contigisse) quando Abbas Theodelinus ei dentem furatus cæcus est factus, quo reddito sanatus est; adfuere Robertus Rex cum uxore Constantiâ, & Guillelmus IV. Aquitaniæ Dux, qui tum evocavit S. Odilonem ad reformandum Angeriacense Monasterium, ut locus ille sanctitate illustris, virorum quoque sanctorum contubernio commendaretur.

*Boleslao Polono succedit Mieczslaus.*

Boleslaus Poloniæ Rex, cognomento Chobri hoc anno interiit, ætatis 58 regni 26. vir pius, & amans Ecclesiæ, prophetico etiam spiritu clarus, Regni cladem vaticinatus, & reparationem; quarum illa populi peccatis, hæc piissimi Regis precibus adscribenda fuit. Successit ei filius Mieczslaus boni parentis malus, de more, filius.

MUNDI 5079. CHRISTI. 10 6.

*Conradus venit in Italiam.*

Conradus nutritium suum S. Burchardum invisit laborantem paralysi qui à Deo obtinuit, ut sanus alumnum susciperet suum, eumque cùm deduxisset Vormatiam, paulò pòst moriturus rediit: vir eruditus, ac pius, scriptisque suis posteritati commendatus. Eo relicto Conradus in Italiam sibi ferro viam patefecit, obsistentibus ei more solito Longobardis, cui cum magno apparatu occurrit ex condicto Pontifex Joannes XX. ut eum deduceret Romam, ac Romanum Imperatorem coronaret, cùm id Imperio, atque Romanæ Ecclesiæ plurimùm expediret.

MUNDI 5080. CHRISTI. 1027.

*Conradus coronatur Imp.* Coronatus est hoc anno Romæ, medius inter Canutum Anglorum & Danorum Regem, & Rudolphum ducem Burgundionum, Conradus Imperator à Joanne XX. à quo videtur accepisse dispensationem illegitimi Matrimonii cum Giselâ; rediit ille statim Herbipolin; Canutus dum Papiâ transit, emit brachium S. Augustini 100. talentis argenti, & uno auri, quod Conventriæ collocavit; unde data occasio impostoribus reliquias confingendi atque vendendi; quorum unus hoc anno magno celeberrimus extitit, ægrè propter calliditatem & fraudes detectus, cui similes & gemini nunquam in Ecclesia defuere, dormitantibus præsulibus, quorum in hoc negotio incuria nunquam satis reprehendetur. *Reliquiæ SS.*

*S. Romualdus moritur.* Obiit hoc anno S. Romualdus Camaldulensis Ordinis fundator, cùm annis 120. viginti vixisset, centum annis serviisset Deo, (de vitæ tamen annis dubitat Baronius) ac post annos 5. Sanctorum albo adscriptus, factâ potestate à summo Pontifice (ut consuetudo ferebat hujus temporis) construendi altaris supra mortui corpus; vir inclytus, & miraculis clarus, Principibus multùm, sed Deo longè charior.

*Veremundus succedit Alphonso X.* Alphonsus V. Rex Legionensis Non. Maji ad Visæum in Lusitaniâ cum Saracenis dimicans, sagittâ ictus interiit, magno Christianorum dolore; cui Veremundus filius successit, longè dissimilis patri.

*Garsiæ pœnitentia.* Garsias Vasconum Rex hoc anno Romam venit, ut obiret pœnitentiam; falsi enim criminis matrem accusarat apud patrem, eamque adulterii fecerat ream, re calumniator, voluntate matricida.

MUNDI 5081. CHRISTI. 1028.

*Constantino succedit Romanus Imperator.* Hoc anno 5. Id. Decembr. mortuus est Constantinus cui substitutus est Romanus ei sanguine junctus, repudiatâ conjuge, ut Zoëm duceret filiam Constantini, sicque dotale reciperet Imperium; cujus, de more, optima fuerunt exordia; de quibus tamen exitus judicavit.

*Henricus Rex coronatur.* In Francia Robertus Rex, mortuo filio Hugone optimæ indolis, quem jam coronandum curarat, ei Henricum substituere voluit; sed repugnabat Constantia mater, in tertium Robertum magis propensa; nihilominus eâ invitâ, & fremente, Henricus designatus est hæres regni, plusque in optimum Principem, licèt uxorium, ratio, quàm Constantiæ preces valuere.

*Fulbertus Carnotensis moritur, Berengarium repellens.* Tum etiam terras reliquit, ut frueretur cœlo, Fulbertus Episcopus Carnotensis, vir planè pius & dignus cujus ægrotantis labia lacte suo Beata Virgo rigaret; qui moriens quo potuit nisu à se repulit Berengarium hæreticum illum Sacramentariorum parentem, cui dæmonem videbat assistere, & quem nunquam à se vir impius, palinodiam licèt sæpè recinens, abigere potuit.

*Martyriũ S. Olavi Regis.* Celebris denique est hic annus Martyrio S. Olavi Norvegiæ Regis, Magorum hostis infensissimi, quorum plurimos perdidit; ac primùm exutus Regno, eorum operâ, è Canuto Anglorum Danorumque Rege, ac restitutus operâ Ruzlorum, & Sueonum; ab iisdem Magis obtruncatus, multis miraculis claruit, regnum immortale pro fragili & caduco consequutus.

MUNDI 5082. CHRISTI. 1029.

Encænia Ecclesiæ S. Aniani hoc anno Aureliis celebrata sunt, quam Robertus Rex Francorum statuerat, ut alias plerasque; quibus tam ipse, quàm ejus pater Hugo, Regnum suum stabiliri putaverunt. *Ecc... Rob... con...*

Lemovicibus coactum est Concilium, ut videretur utrum S. Martialis ut Confessor, an ut Apostolus colendus esset: quod tamen dirimi non potuit in hac Synodo, nec tribus aliis Bituricensi, Pictaviensi, & posteriori Lemovicensi; tandem Romanus Pontifex huic Apostolatum concessit, sicque quievere lites, Collationibus & Conciliis auctæ potiùs, quàm sedatæ. *An... tia... stol...*

MUNDI 5083. CHRISTI. 1030.

Conradus suscipit expeditionem adversus S. Stephanum Hungariæ Regem, qui coactis copiis ut se tueretur, B. Virgini factam sibi injuriam exponit: Statim missæ à Conrado ad omnes Imperatorios Duces litteræ, ne ultra pergerent; quod cùm accepisset Imperator, prohibitum se divinitùs videns, quominus Regi sancto bellum inferret, cum eo percussit fœdus, nec eum aggredi ausus est, quem adeò Numini videret acceptum. *St... Re... D... te...*

Hoc anno S. Stephani filius Emericus, patri sanctimoniâ prope par, terras mutavit cœlo, in Beatorum numerum etiam adscriptus in terris. Quo sublato in patrem subditi rebellarunt; sed tumultus paulò pòst oppressus, ut probari patientia boni Regis, non ejus desolari regnum videretur. *M... fil... St...*

---

## CAP. IV.

### Decas Quarta.

*Ab anno Christi 1030. ad 1040.*

MUNDI 5084. CHRISTI. 1031.

HEnricus & Robertus filii Roberti Franciæ Regis, positis inter se discordiis, quòd à matre Constantiâ duriùs tractarentur, & id dissimularet pater uxorius, arma corripiunt, & locis munitis includunt copias suas, unde ex circumpositis regionibus prædas abigunt. Statim parat exercitum pater, ut eos vi ad officium revocaret: verùm sequester Guillelmus Abbas S. Benigni Divionensis vir prudens, & industrius, filiorum animos sic demulsit, sic temperavit iracundiam paren- *Be... vi... cia... pit...*

parentis, ut illi se Roberto submitterent, hic filios reciperet in gratiam, quos malitia matris efferarat potiùs, quam odium in patrem concitarat.

Romanus Imperator imaginem B. Virginis in Blachernis jam à tempore Copronymi occultatam invenit, atque in Basilicâ suâ magnificentiùs exornatâ reposuit. Templum quoque Hierosolymitanum antè eversum reficiebatur, permittente Saracenorum Principe, ex fœminâ Christianâ nato; quod Romanus plurimùm promovit, Michaël ejus successor absolvit; ut multi in partem boni hujus operis venirent.

MUNDI 5085. CHRISTI. 1032.

Sancius Major Rex Navarræ, atque Castellæ, Pallentinam civitatem in ruinis jacentem hoc anno erexit, & ad pristinum splendorem revocavit, quòd aprum in venatione percussurus inter rudera Ecclesiæ S. Antonii, protinus sibi stupere brachium sensisset, nec ejus liberum recepisset usum nisi ejusdem Sancti Martyris patrocinio: itaque non hujus basilicam reparavit modò, sed & civitatem, ut esset deinceps tanti miraculi monumentum, & suæ in sanctum patronum in modicum venerationis.

MUNDI 5086. CHRISTI. 1033.

Celebris est hic annus Ecclipsi Solis 3. Kal. Julii quam describit Glaber, & quæ tum mortales omnes, propter huic adjuncta, perterruit. Quando Romani proceres Joannem XX. conati sunt interimere; & cùm eum assequi non potuissent, eum expulerunt suâ sede, sed mox à Conrado restitutus est. Neque diu restitutioni suæ superstes fuit: Obiit enim 6. Id. Nov. cùm sedisset annis 9. & mensibus 8. cum diebus aliquot. Ei porrò mox suffectus est, factione Alberici Comitis Tusculani qui tum omnia Romæ poterat, & duos fratres suos in Petri sede collocarat, ejus filius Theophylactus puer decennis, qui dictus est Benedictus nonus, & Pontificatum omnem suum in luxuriis contrivit, ut loquitur Petrus Damiani; unde colligit Baronius decenni majorem fuisse: & quòd Hermannus Contractus σύγχρονος de eo scribens, dicat tantùm ob inquinatissimos mores indignum fuisse eâ sede; de ætate taceat: ac denique quòd ab omnibus agnitus legitimus fuerit & à viris sanctissimis; quod profectò non contigisset, si puer creatus esset, & Pontificatum decennis pusio administrasset; quæ qui attentè considerarit opinor, non explodet tanti Cardinalis conjecturam.

Hoc eodem anno, quo celebris illa contigit Ecclipsis, obiit 13. Kal. August. Meloduni Robertus Francorum Rex sexagenarius: vir eruditissimus atque piissimus, & quem vivum patrasse miracula vitæ ejus scriptor Helgaldus scribit. Duos reliquit liberos; Henricum jam coronatum Regem patre superstite, & Roberto cui, tum frater primogenitus Burgundiā assignavit, ne turbaret regnum; Constantia autem uxor eorum mater, mulier nequam, turbulenta, ambitiosa, magno Franciæ bono non diu superstes fuit, quæ omnibus imperare, ipsa sibi non potuit.

MUNDI 5087. CHRISTI. 1034.

Zoë Augusta, ut adultero suo Michaële argentario formosissimo potiretur, marito suo Romano venenum propinavit; quod cùm non satis citò miserum conficeret, eumdem strangulandum curavit feriâ 5. majoris Hebdomadæ, cùm annis quinque & sex mensibus imperasset. Eâdem nocte Alexius Patriarcha minis & præmiis concitatus Michaëlem Imperatorem inauguravit, à patriâ dictum Paphlagonem; cujus frater Joannes vir bellicosus, & rerum gerendarum gnarus palatium ingressus, Zoëm Imperium administrare parantem sic repressit, ut absque ejus licentiâ Balneum subire non auderet. Neque verò impudica mulier formoso suo conjuge diu usa est; repentè enim correptus à Dæmone turpissimo, ipse deformosissimus Energumenus extitit; quare relictâ Urbe, & Imperii administratione, secessit Thessalonicam in Ecclesiam sancti Demetrii Martyris, ubi aliquid levamenti, nunquam plenam valetudinem obtinuit: semper turpis, semper deformis, ut uxori suæ impudicæ terrorem incuteret, & præteriti sceleris refricaret recordationem. *Ro. tollitur veneno ab uxore Zoe. Ei sufficitur Michael Paphlago. Hic correptus est à Dæmone.*

Tum quoque Constantinopoli, & in Thraciâ, tam inusitata grando decidit, ut effringerentur arborum omnium & vitium rami, fruges distringerentur, culmina domorum frangerentur; unde secuta est ingens ciborum penuria, multorum mensium uno die clades accepta. *Grando inusitata.*

Hoc tempore Robertus Normanniæ Dux rediens ex peregrinatione Hierosolymitanâ, mortuus est Nicææ in Bithyniâ, instituto hærede Guillelmo, cognomento Notho; sed huic obstitere proceres gentis, ad se ditionem hanc pertrahere conati, ut eam lacererent potiùs quam susciperent. *Roberto Duci Normanniæ succedit Guil. nothus.*

Hoc item anno mortuo Mieczslao plurimùm est turbata Polonia, cùm Bohæmi, Moravi, Rutheni, aliique populi subditi Polonis, non tantùm in eos rebellarunt, sed eos diripuerunt; insuper exorto dissidio inter regni proceres, qui Reginam Rikscham, ejusque filium Casimirum expulere. Tum direpta ditissima Gnesnensis S. Mariæ Ecclesia, cujus omnia ornamenta Bohæmi Pragam extulerunt, cum infinitis captivis. Casimirus autem pulsus regno aliud quæsivit, quod sibi eripi non posset, Cluniacum ingressus sub B. Odilone, mutatoque nomine dictus Carolus, ut terrenorum omnium, usque ad suum nomen, oblivisceretur. *Polonia turbata morte Mieczslati Regis. Casimirus Rex fit Monachus Cluniacensis.*

MUNDI 5088. CHRISTI. 1035.

Cadunt in hunc annum acta contra Berengarium,

*Detectus & confutatus Berengarius.* rium, Archidiaconum Andegavensem Sacramentarium, qui in errorem suum Brunonem suum Episcopum pertraxerat. Henricus Rex Franciæ Episcopos convocavit, ut nascenti malo remedium adhiberetur; sed quia agebatur de Episcopo, cum rectè monuit Durandus Episcopus Leodiensis, ut à Rom. sede licentiam obtineret; simulque contra Sacramentarios accuratè scripsit; quod & præstitit Adelmannus Brixiensis Episcopus, sub Fulberto Carnotensi Berengarii condiscipulus. Verùm quid tum factum sit, ignoratur, tacentibus scriptoribus; hoc certum, detectam hæresin, & acerrimè confutatam.

*Henricus vincit Rebelles Normannos.* Henricus Franciæ Rex opem laturus Guillelmo Notho ingreditur cum tribus armatorum millibus Normanniam; cui occurrere triginta rebellium millia; quos tamen internecione delevit, ac reliquis Principem legitimum restituit; tantùm Regis oculus valet, ad seditiosos & rebelles comprimendos.

*Ferd. Magnus succedit Sancio Majori.* Obiit hoc anno Sancius Major Navarræ, & Castellæ Rex, dictus Rex Pyrenæorum montium & Tolosæ: vir piissimus, & in Fidem optimè affectus. Is reliquit hæredem Ferdinandum cognomento Magnum, qui nomine parenti cessit, eum virtute ac rebus gestis longè superavit.

MUNDI 5089. CHRISTI. 1036.

*Ioan. frustra vult fieri Patriarcha.* Joannes frater Michaëlis Imperatoris ambiens sedem Constantinopolitanam, Alexium Patriarcham conatur deponere, celebratâ Synodo à Demetrio Cyziceno, aliisque Episcopis huic sedi subjectis. Objiciebatur ei quod jussu Imperatoris, non suffragio Metropolitarum, electus esset; sed cùm contendisset exautorandos quoque omnes Metropolitas judices suos, quos consecrarat, & expungendos tres Imperatores quos inunxerat, ambitio Joannis conquievit, & thronum inter tot tumultus conscendere ipse, quantumvis intrepidus, recusavit.

MUNDI 5090. CHRISTI. 1037.

*Conradus coronatur ad Mediolanum.* Conradus Imperator Mediolanum obsidet, & rebellium terras devastat; tres etiam Episcopos mittit in exilium, consentiente Benedicto, qui ei ad Cremonam occurrit. Cùm autem die sacro Pentecostes ad Mediolanum in parva Ecclesia coronam acciperet, tam graviter cœlum intonuit, ut quidam paterentur deliquium, quidam exanimarentur; Bruno Episcopus ad aram faciens, vidisse se inter mysteria S. Ambrosium comminantem Imperatori asseruit. Neque mentitum esse Brunonem, aut vanas fuisse minas exitus docuit.

*Ferd. fit potentior.* Veramundo Legionensi cæso à Ferdinando Magno Castellæ rege, cognato suo, duo hæc regna iuncta sunt; quare jam potentior Ferdinandus Conimbricam aliasq; civitates Saracenis ademit, auxilio S. Jacobi, cui addictissimus fuit, & cujus auxilium nunquam frustra postulavit, sæpe ad ejus tumulum peregrinatus.

MUNDI 5091. CHRISTI. 1038.

Gregorius cognomento Maniacus, vir fortissimus, missus est à Michaële Imperatore ad expellendos ex Siciliâ Saracenos; quod & præstitit, auxilio Guaimarii Principis Salernitani, & Normannorum, qui ei militabant; atque rediens Constantinopolin corpus S. Luciæ transtulit, omni victoriâ, atque triumpho pretiosius.

Conradus sollicitatus à Monachis Cassinensibus, quos Pandulphus Capuæ Princeps dirè vexabat, jam ab annis 12. eundem suo Principatu dejecit; quem tamen postea grandi pecuniâ à filio Conradi recuperavit, ac tandem ob rapinas ad inferos detrusus, in ejus morte Vesuvio magis accenso, si qua bonis Monachis, atque nonnullis revelationibus fides. Dum autem redit ab eâ expeditione Conradus, multos è suis peste grassante perdidit, atque inter cæteros Chunehildem uxorem filii sui Henrici, atque Hermannum Ducem Alemanniæ, quæ contigisse ob expulsos Episcopos anno superiori, quidam vaticinantur.

Obiit hoc anno S. Stephanus Hungariæ Rex, uti concupierat, die B. Virginis Assumptæ, Regno suo atque subditis eidem enixè commendatis: post ejus tamen obitum, Regnum hoc magnis civilibus bellis distractum est, immo & externis, sub Petro ejus successore; tumque intellectum, prosperam ejus fortunam, ex tanti Regis pietate, atque virtute pependisse.

MUNDI 5092. CHRISTI. 1039.

Hoc anno Non. Junii, 3. feriâ Pentecostes Trajecti Frisiæ, *Vtrech*, repentinâ morte sublatus est Conradus; cujus in regnum successit filius Henricus, ab eo Rex jam constitutus: Imperium autem aliquot annis rectore vacuum fuit, dum Henricus Germaniæ suæ, quàm Italiæ sollicitior fuit: ne dum longinqua quæreret, perderet viciniora.

Eodem anno delatæ sunt à Polonis adversus Bohæmos querelæ, de templis spoliatis, & ablatis reliquiis, bello sæviente. Volebat Benedictus IX. eas reddi; sed ejus Cardinales, auro Bohæmico corrupti, eum impediêre quominus raptores illos sacrilegos Ecclesiæ fulminibus afflaret; unde vides ejusdem farinæ homines fuisse, tam Pontificem, quàm ab eo electos Cardinales.

MUNDI 5093. CHRISTI. 1040.

Revocatus est ex Siciliâ Gregorius Maniacus, & Majestatis accusatus, suffecto ei Catacalo, cognomine Combusto; tumque redeuntes cum ingenti classe Africani Saraceni universam insulam occuparunt præter Messanam, quam gravi obsidione cinxerunt; in ea dum se gerunt negligentiùs, Catacalus cum suis, SS. Eucharistiâ munitis irruit, in vino sepultos ac somno, omnesque cum Principe suo Apocafar aut cecidit, aut insulam relinquere compulit

pulit in quorum castris ingens reperta præda auri, argenti, gemmarum, adeo ut milites inter se lapillos atque margaritas medimno dividerent; omnes divites, Dux eorum etiam gloriosus rediret.

---

CAP. V.

## *Decas Quinta.*

*Ab anno Christi* 1040. *ad* 1050.

MUNDI 5094. CHRISTI. 1041.

MOrtuus est hoc anno Michaël Paphlago Imperator, confessus crimen suum, ac pœnitens, cùm imperasset annos 7. menses octo, aut veriùs frater ejus Joannes, cujus impulsu creditus est Romanum sustulisse. Porrò eodem tempore Zoë coronavit & adoptavit in filium Michaëlem V. cognomento Calephatem filium Stephani, patruelis Imperatoris. Sed cùm ingratus Zoëm expulisset solio, & in monacham attonderi curasset, explosus à populo, & lapidibus impeditus in Basilicam confugit, Zoëmque revocavit; verùm jam ad Imperium vocata erat Zoës soror Theodora, quam sub Romano Imperatore, Zoë monacham constituerat, ne imperare ipsa vellet. Quare ab eâ obtinuit populus, ut Michaël ejusque frater detraherentur ab arâ, per Urbem raptarentur ignominiosè, atque oculis privarentur; quod factum, totâ plaudente civitate, ac contra ingratum meritò diras omnes, atque aliquid deterius ingerente.

Casimirus Monachus Cluniacensis à Benedicto IX. Polonis Rex redditus est, & permissus uxorem ducere, quoniam Principe destituta ruebat in exitium Polonia. Sed jussi sunt nobiles nummum sancto Petro pendere, religiosorum more attonderi, & panno candido in stolæ modum pendente exornari, ut pro uno religioso, plurimi substituti viderentur. Casimirus autem ille Regnum Polonicum in integrum restituit, fudit hostes Angelico vallatus præsidio, Cluniacenses suos in Polonia collocavit, atque ita se gessit, ut in cœnobio non perdidisse majestatem Regiam; sed eam auxisse videretur.

Normanni Italorum auxiliatores capti felicitate regionis quam defendendam susceperant, Apuliam duce Arduino Longobardo occuparunt, victo Dudiano duce Græcorum, eamque inter se parti diligentissimè coluerunt; non tantùm fortes, sed & industrii, & sagaces.

MUNDI 5095. CHRISTI. 1042.

Constantinopoli qui fuerat in exilium missus à Joanne Michaëlis fratre Constantinus Monomachus, revocatus est, junctusq; Zoë matrimonio, acclamatus Imperator 3. Idus Junii: sed cùm pellicem superinduxisset sororem Romani Scleri, nihil propiùs factum, quàm ut exautoraretur. Res tamen ultra verba & minas non processit; ipse fortiter se gessit in Imperio, adeo ut quod felicitate consequutus erat, fortitudine rebusque præclarè gestis mereretur.

In Hungaria Uvo seu Ovo in Petrum S. Stephani successorem Tyrannus insurrexit, & ab universo Clero populoque Rex creatus est. Obstitit unus sanctus Gerardus nobilis Venetus, Monachus antea, postea Chanodiensis Episcopus, à S. Stephano rediens Hierosolymis huic affectus Ecclesiæ. Hic conscenso Umbone Tyranno triennium duntaxat prænunciavit; quod tempus ejus scelera etiam contraxere, tribus annis in Principatu duntaxat delibatis. *In Hungaria Tyrannus Ovo.*

MUNDI 5096. CHRISTI. 1043.

Obiit x. Kal. Mart. Alexius Patriarcha Constantinop. cui suffectus Michaël cognomento Cerularius, antea pulsus in exilium à Joanne Imperatoris fratre, quòd Imperium affectare crederetur, tunc & patriam, & dignitatem recepit. *Alexio succedit Michael Cerularius.*

In Anglia S. Eduardus Ethelredi, & Emmæ filius, diu exul in Normannia, opera Godwini Comitis potentissimi Rex renunciatus est, cujus & filiam Egitam accepit uxorem; qui eam & duxit virginem, & virginem reliquit. Jam enim Canuti Regis Anglorum & successores obierant, quorum morte Eduardo in patriam, & ad regnum, aditus patefactus est. *S. Eduardus regnat in Anglia.*

MUNDI 5097. CHRISTI. 1044.

Hic annus, initio Ecclesiæ Ro. turbulentus, tandem & pacem & tranquillitatem attulit. Romani enim pertæsi vitiorum Benedicti IX. eum expulerunt operâ sui Consulis Ptolemæi, viri ditissimi, & Tusculanis Comitibus oppositi; atque ejus loco Sylvestrum III. supposuerunt. Is dicebatur antea Joannes, & ex Sabinensi sede, pecuniâ, in Petri Cathedram irrepsit. Sed cùm vix 3. mensibus sedisset, à Tusculanis expulsus est, & restitutus Benedictus; qui tamen redditus populo Romano supra modum invisus, & ut liberiùs suæ libidinis indulgeret se recepit in paternam domum, sibi Joanne substituto; sicque eodem tempore tres Pontifices tres sedes funestabant, S. Petrum, S. Mariam Majorem, & Lateranum; omnes impii atque scelerati. Quanquam scribant aliqui, Benedictum à S. Bartholomæo Abbate Cryptæ Ferratæ, discipulo S. Nili, ad sanam mentem revocatum, sponte cessisse Pontificatu, quem malè invaserat, pejùs administrarat. Hæc cùm videret Religiosus quidã presbyter Gratianus, vir acer & ingeniosus, tres illas Pontificum larvas adiit, pactâque singulis pecuniâ, & reditibus Angliæ Benedicto (à quo plus etat periculi) quandiu viveret relictis, eis persuasit renunciare discerptæ dignitati. Quamobrem Romani eum servatorem Ecclesiæ nominarunt, & crearunt Pontificem sub Gregorii VI. nomine, *Eccl. Ro. restituta pax per Gratianũ qui dictus Greg. VI.*

nomine, laudatum à magnis viris hujus temporis, à Benone ejusque sequacibus duntaxat infamatum, cùm tamen optimè sit de Ecclesiâ meritus, & pecuniâ non Pontificatum, sed pacem Ecclesiæ redemerit.

*Fames atrox & pestis.* Fames atrox hoc anno maximè sæviit in Gallia, Italia, Germania, adeò ut homines invicem vorarent sese; in casa mendiculi inventa sunt 48. hominum capita, quorum se carne saginarat prope Matisconem: Lupi subibant urbes ut irruerent in homines. Et fami superveniens pestis perniciem ultimam his provinciis minitabatur; tandem inflexus Deus tot bonorum malorumque suppliciis exorari se passus est, & aëri serenitatem, terræ fertilitatem, & incolas reddidit.

MUNDI 5098. CHRISTI. 1045.

*Polonia S. Petro Vectigalis.* Promissa à Polonis S. Sedi accipientibus Casimirum Regem suum ex Monasterio Cluniacensi, in comitiis agitata sunt, decretumque ut in duabus provinciis, Cracoviensi & Gnesnensi, à singulis capitibus unus persolveretur obolus, qui tum erat in usu, dictus deinceps Denarius S. Petri: sicque Polonia facta est S. Petro vectigalis, à quo multa bona, nullo pretio æstimanda, receperat.

*Normanni Monachis repulsi.* Normanni Apuliâ potiti, antea tutores Cassini, postea facti sunt expilatores, adeò ut Abbatem ipsum captivum abducere deliberarent: verum à Monachis repulsi sunt, atque ex totâ ditione Cassini rejecti: tum acriter utrimque certatum, & S. Benedictus non tantùm suis suffecit animum, sed & tela Normannorum in jacientes retorsit; si viri fortissimi à Monachis; eorumque subulcis, opilionibus, & bubulcis accepere cladem, non tantùm magnam sed & ignominiosam.

MUNDI 5099. CHRISTI. 1046.

*Gregorio VI. deposito succedit Clemens Secundus.* Henricus Germaniæ Rex in Italiam venit, & venientem ad se Gregorium VI. benignè suscepit: mox tamen in Sutrino Concilio eundem deposuit, supposito in ejus locum Suidgero, seu Sindigero Episcopo Bambergensi Saxone, qui multùm reluctatus Petri sedem conscendit, dictus Clemens Secundus; mox Henricum & uxorem ejus Agnetem Imperatores coronavit. Tùm agitata causa trium Pontificum superiorum, quos pecuniâ & reditibus ad deserendam spem Pontificatus Gregorius induxerat, quibus tum redditus ablati; Gregorius autem tum ostendit quis esset, hoc est, amantissimus pacis, qui tum injuriam sibi factam spesque omnes suas condonavit Ecclesiæ; imitatus S. Gregorium Nazianzenum, quem non tantùm nomine, sed & factis repræsentavit.

MUNDI 5100. CHRISTI. 1047.

*Concilia in Simoniacos.* Henricus rediit in Germaniam, quò secum Clementem II. & Gregorium VI. deduxit, veritus Romæ tumultus; cùm prius ibidem Concilium adversus Simoniacos convocandum curasset, ut etiam aliud adversus eosdem in Germania; hâc enim labe ubique fœdè vexabatur Ecclesia, & semper vexabitur, quandiu pecunia, & pecuniæ amantes, poterunt.

*Cle... II. ... tur ... di... sed... roc...* Obiit hoc annno in Germania Clemens II. cùm novem mensibus sedisset, sepultus in Ecclesia sua Bambergensi. Cujus sedē statim occupavit famosus ille & sceleratus Benedictus IX. & octo mensibus tenuit, homo ad perniciem suam, multorumque natus & factus.

*Pe... gar... cat... dit... dre...* Petrum Regem suum receperant Hungari, sublato jam ante tres annos Uvo Tyranno: nunc eundem Petrum exautorarunt atq; excæcarunt, & Andream ducem revocatum ab exilio sibi Regem præfecerunt, eâ lege ut ipsi ad idololatriam redirent, & sacra Dæmoni, de more, peragerent. Tumque multi hîc martyrium passi, atque inter cæteros S. Gerardus Chanodiensis Episcopus, cujus postea corpus Principes Regni, rexque Ladislaus suis humeris extulerunt. Andreas autem Rex electus, & agnitus, regnum optimè administravit; adeo ut non ex tumultu, sed Dei judicio videretur electus.

*Go... Du... thi... ten...* Godefridus Lotharingiæ Dux cùm B. Virginis Virdunense incendisset templum, ex desperatione ablati sibi Ducatus, publicam egit pœnitentiam; se enim attonsum publicè verberandum curavit, sumptus ad templi fabricam suffecit, ipse operæ instar cæmenta, intritamque humeris tulit; atque ita se gessit, ut eum peccasse, & sic emendasse crimen suum, utile videretur Ecclesiæ.

MUNDI 5101. CHRISTI. 1048.

*D... II. m...* Henricus mittit Romam eligendum Pontificem Poponem Episcopum Brixiensem, vel Aquileiensem; qui electus à Clero populoque Romano dictus est Damasus II. sed sedit duntaxat 23. diebus, sublatus, ut quidam credunt, à Benedicto IX. quam cædem ejus impietas credibilem facit. Interea idem sceleratus tenuit sedem, toties scelere partam, ac toties scelere perditam.

*M... O... ni...* Obiit hoc anno Odilo Cluniacensis Abbas (quem Archangelum Fulbertus Carnotensis vocat) omnibus Principibus, & Præsulibus acceptissimus, sed & adhuc Deo charior; cujus inventum esse dicitur memoria fidelium defunctorum sequenti die festum Sanctorum omnium: verùm pietatis hujus videtur potiùs reparator, quàm author: cùm qui ante ducentos annos Amalarius Fortunatus Trevirensis floruit, scribat se mortuorum Officium post Officium Sanctorum omnium adjunxisse in libro de divinis officiis; nisi fortè, id apud Fortunatum irrepserit, securis temporibus; quod indicasse, hujus loci fuit.

*Tu... cu... Pe...* Turcæ qui hactenus ad Boream Cavensis montis insiderant, unde ad stipendia Principum veniebant, quò & ditati spoliis redibant, à Persarum Rege Saraceno vocati, ac malè habiti, eum superarunt, ac tota Perside sunt potiti; sensimque Constantinopolin accedentes, Asiâ Minore perde-

perdomitâ, Orientale Imperium occuparunt, Occidentali terribiles, ac meritò ob disciplinam militarem reformidandi.

MUNDI 5102. CHRISTI. 1049.

Mortuo Damaso, & furente Romæ Benedicto Cardinales misère ad Henricum Legatos, qui peterent ad se virum utilem Ecclesiæ mitti; submisit ille Brunonem Comitis Dagspurgensis filium Episcopum Tullensem Leucatum, *Toul en Lorraine*; qui assumpto habitu Pontificio transiens Cluniaco, monitus est ab Hildebrando monacho (qui postea Gregorius VII. fuit) ut hunc cultum deponeret, pollicitus hoc pacto illum, & Henrico & Clero Romano gratum fore: quare in habitu peregrini Romæ susceptus est, & creatus Pontifex sub nomine Leonis IX. Vir prudens, & pius, signis ac miraculis clarus dum viveret, ac dignissimus qui sederet in Throno, quem tot scelerati non Pontifices, sed propè Dæmones, polluissent.

MUNDI 5103. CHRISTI. 1050.

Hoc anno in Berengarium prolata est sententia damnationis, & excommunicationis, absolutus Lanfranchus, qui in ejusdem erroris suspicionem venerat. Damnatus quoque liber Joannis Scoti, multum laudatus à Berengario; tumque detectum est, mulum à mulo perfrictum esse.

Tum quoque Patriarchatus Gradensis translatus est Venetias; cujus titulo primus insignitus est Dominicus, ornatus pallio, & Episcopis Venetiæ & Istriæ Primas constitutus; ut hæc dignitas in urbe tam celebri tutior esset, & illustrior.

---

## CAP. VI.

## *Decas Sexta.*

*Ab anno Christi* 1050. *ad* 1060.

MUNDI 5104. CHRISTI. 1051.

NAtus est hoc anno Henricus III. quem Agnes Augusta gerens in utero, somniavit se Draconem ferre; quod à Deo fuisse somnium, ostendit eventus. Hunc suscepit ex sacro fonte Hugo Cluniacensis Abbas, factus ei in Christo parens; sed ab eo tantùm nomen, non pietatem accepit.

MUNDI 5105. CHRISTI. 1052.

Leo IX. proficiscitur in Germaniam, ut Henricum, & Andream Hungarum reconciliaret: hunc contumacem expertus deseruit, illum parere promptum secutus est Vormatiam; à quo & obtinuit auxilium contra Normannos, non satis subditos Sanctæ Sedi, quia potentiores.

Nova hæresis exorta est hoc anno de reordinandis Simoniacis, quam zelus quorundam piorum virorum peperit; verùm hæc statim corruit, concussa à Petro Damiani, qui de eâ Tractatum scripsit, effecitque ut loquenti Leoni Papæ omnes obtemperarent. *Hæresis Simoniacorum.*

Pertinet ad hunc annum sententia Leonis IX. quâ declarasse perhibetur corpus S. Dionysii Areopagitæ in Ecclesia S. Emmeranni Ratisponæ asservari. Quam tamen Franci constanter pernegant, & asserunt re in controversiam vocatâ, apertâque publicè S. Dionysii argenteâ capsâ totum ejus corpus inventum esse, præter ossa perpauca, ideoque Leonem judicium suum suspendisse. Sed quoniam lis ista magno utrimq; calore, & inter Monachos agitatur, periculosum est iis sese interponere, & utrique parti hoc prætoris edictum occinendum, *possidete ut possidetis.* *Lis de corpore S. Dionysii.*

MUNDI 5106. CHRISTI. 1053.

Leo IX. Pontifex transigit cum Imperatore Henrico II. & ab eo accipit aliqua loca in Italia pro iis quæ in Germania erant S. Petri, ut Fuldensis Abbatia, Bamberga, & alia ejusdemmodi. Tum igitur Beneventum Pontificii juris factum esse asserunt. Sed insuper exercitum accepit adversus Normannos; verùm is valdè imminutus est, dum pergit in Italiam, proditione Gebehardi Episcopi Aistetensis; qui postea factus Pontifex Maximus, de hoc crimine vehementer indoluit, cujus tum amarissimos fructus degustabat. *Leo IX. transigit cum Henrico Imp.*

Normanni, exercitu Teutonum viso, postulavere pacem; seque submittere Leoni voluerunt, modò ut quæ injustè rapuerant, Rom. sedis beneficio obtinerent. Negavit Pontifex; itaque atrox prælium committitur 14. Kal. Jul. & primo congressu Germani vicerunt; sed cùm res ad Triarios rediisset, Italicorum ignaviâ victi Pontificii, Teutones internecione devicti, Normannis reliquêre victoriam. Pontifex, in vicino castro inclusus, sese dedere compulsus, deductus est perhonorificè Beneventum, eique exhibita sunt officia, quæ victor expectare potuisset. *Normanni vincunt Leonem & Germanos.*

Hoc tempore Michaël Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus, conjunctus cum Leone Archiepiscopo Acridiæ, Bulgarorum Metropolitâ, scripsit aculeatam Epistolam adversus Ecclesiam Occidentalem ad Joannem Tranensem Episcopum, ad Italos, Francos, & Germanos publicandam: In ea objiciebat Latinis Azyma, & sabbathi jejunia, suffocatum, Alleluya omissum in Quadragesima. Hanc latinè convertit Humbertus Cardinalis Episcopus Sylvæ Candidæ; eique accuratè respondit, è suo carcere, Leo Epistolâ illâ egregiâ ad Michaëlem Acridanum, cui anno sequenti aliam adjunxit ad Michaëlem Patriarcham; sed erat ille efferatior, quàm ut posset ad officium per litteras revocari. *Epistola Michaelis Cerularii & Leonis Acridani.*

MUNDI 5107. CHRISTI. 1054.

*Legati Pontificis quid egerint in Græcia.* Leo Pontifex mittit Legatos in Orientem Humbertum & Fridericum Cardinales, & Petrum Episcopum Amalphitanum, viros fortes & industrios, qui Michaëlem tergiversantem, & Leonem Acridanum, publicè in æde S. Sophiæ anathemate perculerunt, ob gravissimos errores, qui commemorantur ab Humberto in hujus Legationis accuratâ relatione; atque operâ Constantini Imperatoris ab insidiis Michaëlis liberati qui eos populo opprimendos, & discerpendos parabat objicere, in Italiam incolumes redierunt, omnia inimica apud Græcos referentes, & capitalissimum in Latinos odium.

*Leonis IX. obitus.* Obiit hoc anno ante Legatorum reditum 13. Kal. Maji Leo IX. ad cujus tumulum multa edita sunt miracula; ideoque relatus est in Sanctorum Catalogum, ejusque memoria quotannis in Ecclesia celebratur 13. Kal. Majas. Sedit annos 5. menses 2. dies 7. vacavitque sedes fermè annum totum, quòd deficientibus Romæ qui tantam dignitatem sustinere possent, missus esset ad Henricum in Germaniam, qui hîc vice Cleri Ro. aliquem eligeret, & consecrandum deduceret Romam. Selectus est in Synodo Moguntinâ Gebehardus Aistetensis Episcopus, charissimus Henrico, ideoque nonnisi ægrè ab eo divulsus. *Benedictus IX. moritur.* Utrùm autem Benedictus denuò irruperit in Rom. sedem, credes si voles; sicut & de eo tunc demortuo sub monstri ex Asino Ursoque permixti formâ per dumeta decurrente usque ad finem judicii, deinde ad inferos detrudendum, quæ tamen tum credita sunt, & narrata à Petro Damiani, magno viro, sed in hisce revelationibus fortè nimiùm credulo.

*Constantino succedit Theodora.* Mortuus est hoc anno Constantinus Monomachus in monasterio quod ipse ædificarat: vir ex magnis vitiis virtutibusque conflatus. Ei successit Theodora Porphyrogeneta, filia Constantini X. Imperatoris, soror Zoës Augustæ, quæ aliquos sustulit Imperium affectantes, supra fœminam fortis, atque generosa.

MUNDI 5108. CHRISTI. 1055.

*Victor II. Pontifex adit periculum.* Venit hoc anno in Italiam cum Henrico, vel sine eo (de hoc enim dubitatur) Gebehardus electus Pontifex, & consecratus Romæ Victor II. appellatus est; qui mox in Gallias misit Hildebrandum, qui hic multa egregiè præstitit pro Ecclesiâ, repressitque Berengarium hominem versipellem, & palinodiam recinere solitum ubi sibi damnationem videret imminere. Tum autem Romæ magnum adiit periculum Victor, huic infuso per Subdiaconum in Calicem, dum mysteria peragit, veneno; quod duplici miraculo detexit, nempe non valens calicem consecratum attollere; & Dæmone Subdiaconum invadente, à quo patefacta fraus: Itaque sanguis in altari repositus, atque servatus ad perpetuam tanti miraculi memoriam: veneficus à Dæmone liberatus precibus Victoris vixit Divinæ justitiæ, & Pontificiæ benignitatis atque sanctitatis monimentum.

MUNDI 5109. CHRISTI. 1056.

Mortua est hoc anno cùm imperasset annum unum & menses 9. ex intestinorum dolore, Theodora, cùm priùs ex Eunuchorum suasione creasset Imperatorem Michaëlem VI. cognomento Stratonicum, crudæ senectutis virum militarem; qui primam Tyrannidem Theodosii filii Constantini Monomachi extinxit; in altera Isacii Comneni succubuit, brevissimi temporis Imperator. *The... succ... Mic... Stra...cus.*

Obiit quoque Henricus Secundus 3. Non. Oct. ætatis anno 39. cùm priùs filium suum Henricum ex Romani Pontificis, præsulum, & procerum electione, regem creasset. Erat hic puer quinquennis à patre commendatus Ecclesiæ, & à matre sanctissimè institutus; sed factus grandior monita utriusque parentis neglexit, factus Ecclesiæ hostis capitalis. *Hen... succ... Hen... III.*

Circa hæc tempora inventum B. Virginis Officium: sicut & flagellorum usus, quæ *disciplinæ* vocantur, quem plurimum promovit Petrus Damiani, exemplo B. Dominici Loricati. Utrùm autem ante hæc tempora Christiani in se verberibus sævierint, & quid Paulus ὑπωπιάζων, alteriùs est tractationis, & otii. *Off... B. ... disc...*

MUNDI 5110. CHRISTI. 1057.

Hoc anno victus ab Isacio Comneno Michaël Stratonicus, suadente Michaële Patriarchâ, rebellionis in eum autore, deposuit purpuram. Qui cùm interrogasset Legatos ad se missos quid ipsi sponderent pro Imperio relicto, iique cœleste regnum respondissent, statim ille privato habitu, privatas ædes suas repetit, sanctè ac religiosè opperiens hujus promissionis fidem. Isacius autem coronatus Augustus, Thesauri Ecclesiastici curam à Laicis præfectis in Patriarcham transtulit; sed impiè Monachorum reditus addixit Fisco, relictâ illis, unde religiosè viverent, portione; aulicis probantibus factum, gementibus Ecclesiasticis, quorum Deus semper erit nutritius, & quibus erepta bona Deo semper sacrilegè rapiuntur.

Mortuus est hoc anno Florentiæ rediens ex Germaniâ Victor II. ibidemque sepultus 5. Kal. Augusti. In cujus locum suffectus 4. Non. Augusti Fridericus Diaconus Cardinalis frater Gedefridi Ducis Tusciæ, Ecclesiæ Ro. Concellarius, Legatus ad Constantinum Monomachum; atque inde rediens factus Monachus Cassinensis, & jam electus Abbas: & quoniam die S. Stephani Papæ Pontifex creatus erat, dici Stephanus voluit, ejus nominis X. Hic Petrum Damiani creavit Episcopum Ostiensem, prope admotâ vi; quare eum Petrus persecutorem appellavit suum. Hic est Petrus vir austerus, ἀγέλαστος & purpuratus Eremita, & frustra conatus sui similes reddere Cardinales, quos tamen faciliùs deserere, quàm immutare fuit.

MUN-

MUNDI 5111. CHRISTI. 1058.

Michaël Cerularius, odiosus factus Imperatori, ob crebras petitiones & ineptas, frequentesque minas, & quòd calceamenta croco tincta induere vellet, Imperatorum more, ab Isacio missus est in exilium, eique substitutus Constantinus Licudex Protovestiarius; vir addictior Imperatori, quàm Latinæ Ecclesiæ.

Obiit hoc anno 4. Kal. Aprilis Stephanus Florentiæ; quò se contulerat, ut fratrem suum, Ducem Tusciæ, crearet Imperatorem. Huic morienti adfuit S. Hugo Cluniacensis Abbas, eumque ab insultibus Dæmonis liberavit: clarus tamen miraculis in vita & post obitum fuit; quibus Deus testatus est eum non terris modò, sed & cœlo fuisse gratiosum.

Eo mortuo, quamquam id severè vetuisset vivus, non expectato Hildebrando, intrusus est à Tyrannis Romanis Joannes Velitrensis Episcopus cognomento Mincius, Cardinalibus bonis fugientibus, aut captantibus latebras; huicque Benedicti nomen impositum. Sed adfuit Hildebrandus mox ex Germania redux, vir rectissimi consilii, qui fretus potestate Godefridi Tusciæ Ducis, atque Florentiæ, cum multis bonis viris selegit in Pontificem Gerardum, ejusdem civitatis Episcopum, quem probavit Imperatrix, Tusciæ Dux armis defendere paravit, bonis omnibus exultantibus, improbis exanimatis metu.

MUNDI 5112. CHRISTI. 1059.

Isaacus Comnenus Imperator ictus fulmine purpuram deponit, eamque tradit Constantino Ducæ, postpositis parentibus & affinibus, quia hunc Imperio dignissimum arbitrabatur. Itaque sumpto monachi habitu, in Studii monasterium se abdidit, ut pœnitentiam perageret, cœlique regnum, quod suis sceleribus amiserat, alio vivendi genere recuperaret.

Gerardus Romam venit, deductus ab Hildebrando, & Duce Tusciæ, & consecratus dicitur Nicolaus II. Statim ad eum accessit Mincius jam depositus in Concilio Sutrino, & in privatam retrusus domum. Absolutus est à novo Pontifice, depositus tamen Sacerdotali officio, qui primum ambitiosiùs locum occupasset. Statim ad regendam Ecclesiam animum appulit Nicolaus precesque Petri Damiani repulit missionem postulantis; convocavit & Concilium Romanum, Generale dictum, in quo damnata atque combusta Joannis Scoti scripta; condemnatus & Berengarius palinodiam recinuit, quæ etiamnum jure Canonico continetur *Ego Berengarius* mox tamen canis reversus ad vomitum; quem suis scriptis exagitarunt Lanfrancus, postea Archiepiscopus Cantuariensis, Guitmundus Episcopus Aversanus, & Algerus monachus Cluniacensis; quorum ne uni quidem par Berengarius fuit. In eodem Romano Concilio jus eligendi Ro. Pontificis concessum Henrico, sed ut parenti fuerat datum, hoc est, ut Papam eligeret, aut confirmaret, in quem Cleri populique Romani suffragia cecidissent; videlicet ne quis Pontifex Tyrannicè intruderetur, & autoritate Principum continerentur in officio, qui eum reformidare desierant ambitiosi prensatores.

*Quomodo Principes tum eligebant Papam.*

Idem quoque Nicolaus Normannos vinculo anathematis exsolvit, eisque feudatario jure concessit Apuliam & Calabriam (excepto Benevento) immò & Siciliam cùm eam occupassent Ducatus nomine. Suscepto itaque fidei Sacramento à primo eorum Duce Roberto Guiscardo, eâ lege ut Pontificem adversus quoscumque defenderent, & huic aliquid Tributi nomine pensitarent. Eorum etiam operâ Tyrannorum munita loca omnia disjecit; adeò ut libertatem Pontificibus Romanis hic Nicolaus restituisse videatur.

*Normanni Nicolaum juvant.*

Hoc anno 4. Idus Majas Parisiis celebrata est Synodus, simulque procerum conventus, in quo jussu Henrici Francorum Regis filius ejus Philippus, septennis puer, à Guillelmo Rhemensi Archiepiscopo inunctus est. Mortem enim imminere sibi præsagiebat pater, & meritò pueritiæ filii sui reformidabat, cui tamen Deus longè meliùs, quàm Henricus ipse prospexit atque consuluit.

*Philippus Rex inunctus.*

MUNDI 5113. CHRISTI. 1060.

Mortuus est hoc anno Henricus Franciæ Rex, qui filio suo tutorem assignavit Balduinum, cognomento Insulanum, Comitem Flandriæ, huic affinitate conjunctum: Neque Rex expectatione suâ delusus; nam hic pupilli ditionem fortiter defendit, & eum sic instituit, ut hic talem sibi rectorem contigisse inter maxima bona numeraret.

*Henricus moritur, Philippus regnat.*

---

## CAP. VII.

### *Decas Septima.*

#### *Ab anno Christi* 1060. *ad* 1070.

MUNDI 5114. CHRISTI. 1061.

Mortuus est sub finem mensis Junii Nicolaus II. Florentiæ, cùm sedisset in Petri Cathedra annos duos, & menses 6. de quo id observatu dignum quod notavit Petrus Damiani, toto anno hunc nullum passum esse elabi diem, quin pauperibus duodecim pedes ablueret. Eo demortuo proceres, seu veriùs Tyranni Romani, potentiam suam depressam restituere conati sunt, missâ ad Henricum puerum legatione, cujus jussu convocata Synodus Satanæ Basileensis, acta Nicolai proscripsit. Mali hujus magna pars fuit Guibertus Parmensis, Regis Cancellarius, ideo postea redactus in Ordinem, ne dedecus in totam Germaniam ex hac Synodo derivaretur. Cardinales quoque, & boni ex Clero aliam eodem misere legationem, quam obiit Stephanus Cardinalis ex Cluniacensi Monacho; sed hic re infectâ rediit: Quare Romani Cleri pars sana elegit Anselmum Lucensem Episcopum, sede Petri dignissimum, Kal. Oct.

*Moritur Nicolaus II.*

*Succedit ei Alexander II.*

Oct. dictum Alexandrum II. tribus circiter mensibus à morte Nicolai II. Sed annitente Guiberto, qui suffectus erat Cancellarius, huic oppositus est Candalous, aliter Candalaus seu Candolus, Parmensis Episcopus, quo sceleratiorem hæc ætas vidit neminem. Hic à duobus tantùm fornicariis Episcopis non tam consecratus est, quàm profanatus Vercellensi, & Placentino, 5. Kal. Novemb. ejus electionem urgente Gerardo Galeriæ Comite antè excommunicato. Sed Cadalous adeò turpiter vixit, ut Nicolaitarum libidines renovarit, veterique expuncto nomine, infames Clerici non Nicolaitæ, sed Gadaloitæ audierint, magno probro Romanæ Ecclesiæ, atque religionis.

*Ei opponitur Cadalous vir turpissimus.*

Tum Petrus Damiani obtinuit ab Alexandro in Eremum suam secessum, nequicquam reluctante Hildebrando; verùm importunæ viri sancti preces tum æquitati prævaluere. Porrò in hac Eremo suâ, & multa scripsit, & manibus suis, more veterum Monachorum, laboravit; ne dum Ecclesiæ causam sustinet, sui oblitus esse videretur.

*Petrus Damiani succedit in Eremum*

MUNDI 5115. CHRISTI 1062.

Cadalous multâ instructus pecuniâ, ac milite conducto vallatus, ad Urbem venit, & in pratis Neronianis castra ponit. Adversus eum erumpentes Romani repulsi sunt, primâ congressione; sed adveniente Godefrido Duce Tusciæ tam malè mulctatus est, ut effusis magnis muneribus, oratâque veniâ diffugerit Parmam, rebus omnibus spoliatus. Nec quievit homo turbulentus, sed omni arte pecunias iterum quæsivit, quibus sibi pararet in Urbem reditum: quando Petrus Damiani ad eum scripsit; sed quo fructu? apud eum qui nihil Deum, multò minùs homines, reverebatur.

*Cadalous repellitur.*

Anno Coloniensis Archiepiscopus Henricum Regem puerum annorum decem, impositum navi invitum eripuit matri suæ Agneti, Coloniamque nolentem deduxit, ubi delinitum obsequiis Principum suscepit instituendum; quod factum est ex procerum concilio, qui Agneti eripere vellent Imperii administrationem, quòd ea à nonnullis malè regi se fineret. Credunt aliqui eam liberiùs egisse cum Henrico Episcopo Augustensi; sed id ab iis tantùm creditum, qui credere voluerunt.

*Henricus eripitur matri Agneti.*

In Germania in loco Osborio collecta ingens Synodus, cui Henricus Rex ipse interfuit, ubi causa Alexandri & Cadaloi agitata est, hic damnatus, adnitente potissimùm Petro Damiani, qui huic interfuit, tum vocatus ab Hugone Abbate Cluniacensi ad reprimendos nobiles Cluniacum vexantes; Neque tamen huic judicio acquievit sceleratus Pseudopontifex, qui aut Papa esse, aut Cadalous non esse decreverat.

*Cadalous damnatus.*

Agnes Augusta sæculi pertæsa Romam venit; ubi factâ confessione suâ Petro Damiani, ab ætatis suæ anno quinto, se totam bonis operibus, ac vitæ austeriori dedidit; & sic vixit, ut plus eam coluerit Orbis universus privatam, quàm Augustam.

*Agnes se Deo consecrat.*

MUNDI 5116. CHRISTI 1063.

Hoc anno quarta pars murorum Hierosolymitanorum refecta est pecuniâ Christianorum, & maximè oblatâ à Constantino Monomacho Imperatore: ideò eis concessum à Calyphâ, ut eam partem urbis incolerent, hîcque à Patriarcha solo judicarentur; quare deinceps hæc pars urbis cessit dominio Patriarchæ, qui exinde potentior, non melior extitit.

*Hie... mu... fect...*

Pertinet ad hoc tempus Joannes Gualbertus, qui quondam parcens inimico suo, veniam petenti in nomine Crucifixi, vidit Christum è cruce pendentem sibi mox annuere dum remitti sibi sua peccata postularet; quare Monachus effectus, mox deserto Abbate Simoniaco, Vallis Umbrosæ Ordinis fundator extitit. Discipulus ejus fuit Petrus cognomento Igneus; ut probaret Florentinum Episcopum Simoniacum esse, per medium ingentem rogum illæsus transiit, & ex eodem sudarium, quod reliquerat, iterum innoxius repetiit: unde ei inditum *Ignei* nomen. Improbavit hoc factum Alexander II. & Monachos se deinceps continere suis monasteriis jussit; deposuit tamen hunc Episcopum, sicque Deo atque hominibus satisfecit.

*Joa... Gu... inst...*

MUNDI 5117. CHRISTI 1064.

Concilium celebratum est Mantuæ, id postulantibus Germanis, legatione, quam obiit Anno Coloniensis: In eam vocatus Cadalous venire recusavit; rationem suæ promotionis addidit Alexander, hic approbatus, ille rejectus. Qui tamen statim armato milite Leoninam Urbis partem occupavit; sed mox panico terrore à suis derelictus, receptus est à Centio præfecti filio, homine scelerato, in Arce S. Angeli; ubi biennio obsessus ab Alexandri militibus, se trecentis argenti libris à Cencio redemit; sicque inter oratores clam dimissus, rerum omnium egenus, ut Schismatici obstinati solent, infeliciter obiit. Quidam tamen volunt ab Alexandro veniâ petitâ absolutum esse, turpi nihilominus exitu vitam terminasse; inglorius profectò, cùm de ejus morte scriptores omnes tacuerint.

In Oriente contigit ingens terræ motus, quo afflictæ sunt in primis Nicæa & Constantinopolis, utrobique multa disjecta templa, ac Principum monumenta; atque inchoatus 10. Kal. Sept. toto biennio tenuit. Quando & nobilis suscepta peregrinatio Hierosolymam septem millium & ampliùs virorum, quorum duces fuere quatuor Antistites; sed splendidiùs, & majori quàm par erat cultu incedentes, ab Arabibus latronibus sæpe vexati sunt, quos armis quidem, sed magis Divino præsidio depulêre, sæpe in ultimum discrimen vocati, ex quo tamen semper victores emersêre, feliciores, & magis pii, quàm prudentes.

MUNDI 5118. CHRISTI 1065.

Uzi Scythæ populi ad sexcenta hominum millia, Istro transmisso, disjectisque limitaneis copiis, Occidentali Imperio magnam intulere vastitatem

ftitatem. Constantinus Ducas Imperator magis pius, quàm generosus ægrè se à Turcis tuebatur, Asiam infestantibus. Coactus ergo à populo Uzis occurrere, vix centum quinquaginta milites invenit, qui eum sequerentur; jejunium igitur indixit, ac supplicationem, quam ipse pedes cum multis lacrymis obiit: mirum! eâdem die viderunt Uzi in se milites irruere, tela jacere tantâ copiâ, ut eorum nemo illæsus abscederet. Moxque exercitu fame pesteque consumpto, eorum reliquiæ cum ducibus suam repetiere patriam; pauci obtentis ab Imperatore agris, in Macedonia consedere, testes divinæ cladis, atq; victoriæ.

Hoc anno Petrus Damiani multum laboravit adversus Nicolaitas, & incœstuosos hæreticos, itemque Simoniacos, qui emi posse Episcopatus contendebant; sed labori fructus minimè respondit; quamquam Deus ipse piæ causæ miraculis faveret, hi improbi, & concionibus, & prodigiis, majori prodigio restiterunt.

Tum denique mortuus est Ferdinandus Magnus Rex Castellæ atque Legionis, uti vixerat, sanctissimè; qui de obitu suo monitus à sancto Isidoro, in Natali Domini ornatu regio profectus in Ecclesiam ibidem ornamenta regia posuit, acceptâ ab Episcopis pœnitentiâ, extremo inunctus oleo, cilicio indutus, tertio pòst obiit die. Reliquit filios quinque non satis inter se concordes, moxque civili distractus bello, & patre tam sancto tam prudenti penitus indignos, atque in se, quàm in liberis feliciore.

MUNDI 5119. CHRISTI. 1066.

In Oriente Constantino Patriarchæ defuncto Constantinopoli suffectus est Joannes Xiphilinus, vir litteratior, quàm melior. Hic Dionis Historiam redegit in Epitomen, ideoque illam nobilem lucubrationem pænè totam nobis eripuit; quod pluribus magnis viris contigit, qui in illiusmodi abbreviatores incidêre, sibi potiùs, quàm rei litterariæ allaborare consuetos.

Richardus Dux Normannorum Aquinum usque pervenit victor, auso ei resistere nemine; cùmque Romam cogitaret, ut à Pontifice insignia Imperatoris extorqueret, occurrit ei cum copiis Godefridus Tusciæ Dux, qui hominem variis præliis ita contudit, ut ei libertatem suam Ecclesia Romana gratulata sit.

Mortuus est hoc anno Rex Angliæ S. Edwardus, cùm regnasset annos viginti duos, ac menses novem, quem post centum annos Alexander III. Sanctorum fastis adscripsit. Hic hæredem sibi delegerat Guillelmum Normannum Nothum, postea cognomento Conquestorem; sed Haroldus Comes sibi statim regium imposuit nomen. Itaque Guillelmus, consulto Pontifice, & ab eo invitatus etiam misso vexillo, rem armis decidere constituit; munitusque, cum suis omnibus, Eucharistiæ Sacramento, ancipiti prælio pridie Idus Octobr. Haroldum debellavit; ejus vexillum ad Alexandrum misit; ac in Natalitiis Domini Rex inunctus Principatum sibi testamento debitum, virtute vindicavit.

Henricus Germaniæ Rex, levior adolescens, spreto Annone Coloniensi, Adalberto Hamburgensi simul & Bremensi Archiepiscopo se atq; Imperium regendum finit; inde in utrumque procerum, subditorumque conspiratio, quâ aut regnum, aut Adalbertum relinquere cogitur; Adalbertus ergo remissus, ægrè furenti populo est receptus; Rex levitatis suæ pœnas utiles dedit. *Henr. à suis bello appetitus cedit.*

Hungaria civilibus motibus vexata est, ejecto Andreâ Rege atque excœcato: suffectus est ei Bela à plebe seditiosâ, quæ & idola reposcebat; Rex triduum ad deliberandum postulat; interim factionis autores captos in reliquorum conspectu crudeliter enecat; moxque cum Salome Andreæ filio partitur regnum; ac fortitudine atque prudentiâ Regno & Ecclesiæ periclitantibus consulit. *Andreæ Hungaro succedit Bela.*

MUNDI 5120. CHRISTI. 1067.

Mortuus est hoc anno Constantinus Ducas Imperator, cùm imperasset annis 7. & mensibus 6. reliquit tres filios Imperatores cum Eudociâ conjuge, quam Imperii Curatricem dixit. Quando Turcæ Cappadociam vastantes, ejus primariam Urbem Cæsaream diripuerunt, & S. Basilii templum toto Oriente celeberrimum omnibus ornamentis suis spoliarunt, intacto tamen sancti viri sepulchro, etiam Dæmonibus venerando. *Mors Constantini Ducæ.*

Circa hoc tempus florebat Adamus Bremensis Canonicus celeberrimus Historiæ Ecclesiasticæ Borealis scriptor, quam ad annum Christi 1072. perduxit; vir syncerissimus, & quo vix veraciorem ullum Historicum producere potest Ecclesia. *Adamus Bremensis.*

MUNDI 5121. CHRISTI. 1068.

Romanus Diogenes creatur Imperator, cùm eum Eudocia, relicta Alexii Comneni, maritum elegisset. Expulsus ille fuerat reus perduellionis; sed revocatus ad Barbaros expellendos. Eudocia autem pollicita erat syngraphâ suâ, se à mariti morte viduam fore, & filiis Imperium conservaturam: cùm autem esset in manu Xyphilini Patriarchæ hæc syngrapha, finxit Eudocia velle se ducere Bardam ejus Germanum; quare prævaricator religionis Xiphilinus ejus irritavit votum, & ut irritum judicaretur apud Senatores effecit. Facta itaque potestate secundarum nuptiarum, illa Diogenem, filiis consentientibus, elegit; Patriarcha ex hoc facto nihil præter dedecus retulit, & nimii in affines suos amoris notam. *Diogenes Romanus Imperat.* *Xiphilinus delusus.*

Eodem anno plerique Galliæ Principes obtulere Alexandro II. arma sua, ut eum atque Ecclesiam adversus quoscumque, tutos præstarent, rati hoc modo arma sua fore feliciora, si Deo consecrarentur. *Procerum Galliæ pietas.*

MUNDI 5122. CHRISTI. 1069.

Henricus Rex conabatur uxorem Bertam repudiare quasi eam cognoscere, fascino implicatus, non posset, & ejus libidini Archiepiscopus Moguntinus adstipulabatur; quominus id fieret, *Henricus Bertham cupit repudiare.*

impe-

impediit Legatus in Germaniam missus Petrus Damiani, interminatus anathema; quare postea deferbuit ejus ardor juvenilis, atque ex uxore suscepit filium cognominem patri, præmium obsequii sui, & legitimi fructum matrimonii.

MUNDI 5123. CHRISTI. 1070.

*Lanfrancus fit Episcopus.* Hoc anno Lanfrancus ex Monacho Beccensi factus Abbas Cadomensis, adnitente Guillelmo Rege, creatus est Archiepiscopus Cantuariensis seu Durovernensis, cùm priùs idem Guillelmus duas Synodos congregandas curasset, in quibus depositi sunt plerique Episcopi Angli, quibus fuerunt Normanni substituti, laboravit invidiâ Rex, quasi plus amori, quàm religioni indulsisset.

*Godefridi obitus.* Obiit hoc anno Godefredus cognomine Barbatus, Dux Lotharingiæ, & Tusciæ, vir optimus, & de sancta Sede bene meritus; cui successit ejus filius Godofredus Gibber, seu Strumosus, sed tantùm in Ducatum Lotharingiæ; cùm ejus uxor Beatrix, Liguriæ & Tusciæ Domina remanserit; cujus filia fuit Mathildis ex priore conjugio ejus cum Bonifacio Duce Tusciæ; totaque hæc familia optimè in Ecclesiam animata, hominum atque Dei benevolentiam promeruit.

## CAP. VIII.

## *Decas Octava.*

### *Ab anno Christi* 1070. *ad* 1080.

MUNDI 5124. CHRISTI. 1071.

*Diogenes victus à Turcis exautoratur.* Celebris hic annus clade & morte Romani Diogenis Imperatoris: hic enim depugnans adversus Turcas oblatam sibi pacem ab Azamo Sultano superbè rejecit, eumque recedentem aggressus est generosiùs quàm cautiùs. Dum autem redit ad suos, posterior acies credens eum fugere, se effusam dedit in fugam, quam universus exercitus imitatus est. Oblatâ occasione bene usi Barbari nobilem retulêre victoriam, ipso Diogene capto. Hic interrogatus ab Azamo quid ei facturus esset, si cepisset eum vivum, respondit se in eum graviùs animadversurum; at tibi, inquit Azamus, non reponam vicem; audio enim Christum vestrum docere hominem injuriarum immemorem esse debere, & Deum humilibus gratiam dare. Denique eum regio more excepit, & pacem cum Romanis firmam sancivit Turca Græcis longè generosior. Auditâ hac clade, electus est statim Imperator Michaël Ducas Constantini Ducæ filius, Eudocia in Monasterium detrusa; missus obviam Diogeni Andronicus, eum toto itinere imposuit mulo; advenientem Michael jussit excæcari; & vulneribus non curatis, ac capite vermibus scatente horribilis objectus populo ad ludibrium, hæc mala tam patienter tulit, ut hæc ei vitam immortalem, & voluptates æternas peperisse nemo hactenus in dubium revocarit.

Substitutus ei fuit Michael VII. cognomento Ducas Parapinaceus, filius Constantini Ducæ, & Cæsar ante decennium cum Joanne Ducâ patruo, & fratribus appellatus; tunc autem, à Xiphilino Patriarchâ cum uxore sua Maria Alanâ inauguratus, Imperium multis casibus exercitum suscepit lubens, & ut serpentem floribus occultatum.

Florebat hoc tempore Theophilactus Archiepiscopus Bulgarorum, qui scripsit in Evangelia; nec enim audiendi qui eum ad anteriora tempora referunt, cùm ex ejus scriptis hæc ejus ætas adeò liquidè constet, ut qui de ea dubitant, ipsi spontè cæcutire velle videantur.

MUNDI 5125. CHRISTI. 1072.

Lis anno superiori mota de primatu Ecclesiæ Cantuariensis, & Eboracensis, hoc adjudicata est Lanfranco Cantuariensi; cui non tantùm locus, sed & eruditio primas adjudicabat.

Eodem anno Petrus Damiani perfunctus Legatione Ravennate, ut reconciliaret Ecclesiæ fautores Cadaloi, cujus partes pertinaciter tuitus erat Henricicus hujus urbis Episcopus, dum redit ad suos, Faventiæ post octo dierum morbum 8. Kal. Mart. expiravit, anno ætatis sexagesimo sexto. Dictus est Damiani à fratre suo, cujus amore, & curâ, infantulus neglectus ex mortis faucibus retractus erat; cujus ideò voluit nomen suo semper adjungi, ut ejus minùs, quàm sui nominis oblivisceretur. Vir planè pius, & qui religionem multorum animis ingessit, Ecclesiæ vindex acerrimus, & huic præfici dignus si in meliora tempora incidisset.

MUNDI 5126. CHRISTI. 1073.

Anno Coloniensis Archiepiscopus sanctissimus, videns Henrici Regis curiam planè depositam esse, Simoniacis prævalentibus, frustraque diu illis etiam cum periculo vitæ obluctatus, Regni deplorati administrationem deserit, ut sibi tantùm, atque gregi vacaret. Cùmque Rex ad rationem factorum reddendam de Simoniacâ labe, & gestis in Othonem Bojoariæ Ducatu spoliatum, Romam evocatus esset, ille contra in Synodo prohiberi jussit, ne appellaretur ad sanctam Sedem. Sic annorum viginti duorum Rex adolescens Henricus, impiorum consiliis abstractus, telam orditus est, tam Imperio, quàm Ecclesiæ perniciosissimam, ac propè utrique fatalem.

Alexander II. cùm sedisset annos undecim, menses 6. ac dies 22. Romæ obiit miraculis clarus. Cui successit Hildebrandus Archidiaconus sub nomine Gregorii VII. quem, propter excellentem peritiam, jampridem Romanæ infulæ manebant. Is patria Soanensis in Tuscia fuit, patre fabro natus: adhuc pusio in officina patris litteras nesciens casu formavit ex ligni segmentis hoc dictum Davidis *dominabitur à mari usque ad mare*, præceptorem sortitus

virum

virum sanctum Laurentium Archiepiscopum Amalphitanum: quem dum Benno Schismaticus magum, & maleficorum principem appellat, non plus meretur fidei in rebus istius Gregorii, quàm quæ denunciato calumniatori tribui debet.

Gregorius VII. adversus Philippum Francorum Regem, quòd Simoniaca labes eò quoque pervasisset (cujus Rex ipse non credebatur innocens, verùs ejus aulici) litteras satis acerbas dedit, & quibus ultimæ denunciabantur minæ. Profuerunt illæ adversus pium Regem, eumque & providere sibi, ac suis invigilare compulerunt; isque prudenter in Pontificiis Epistolis plus ejus animum, quàm verba perpendit.

Concitatus est ingens hoc anno à Saxonibus adversus Henricum Regem Germaniæ motus, quo eum Saxonici proceres exautorare decreverant; sed autoritate Gregorii VII. compressus, nec oppugnato, nec invadentibus salutaris fuit.

S. Joannes Gualbertus, conditor Ordinis Vallis Umbrosæ, sancto quievit fine, multis miraculis clarus; cujus res gestas Antonius Pistoriensis Episcopus conscripsit, sanctissimique viri vitâ etiam suam consecravit manum. In Oriente Nicolaus Dux Græcus piissimus adversus Francos & Persas rem fortiter gessit; quæ tamen nobis prorsus incognita est, & dubia, quia fide Græcâ nititur. Tum quoque Servi, quos etiam Corvatas vocant, in Bulgariam excurrerunt, quam suis deprædationibus exagitarunt, dum in hanc desolatam regionem magistratus Græci exactionibus sævirent, atque ab hostibus domesticis atque externis, miserandum in modum oppressi Bulgari lacerarentur.

MUNDI 5127. CHRISTI. 1074.

Legatos mittit in Germaniam Gregorius Pontifex, & inter eos Agnetem Henrici matrem, quorum suasione Rex pœnitens ad se redire visus est; sed ejus sanam mentem turbavit Archiepiscopus Bremensis, eumque adversus Pontificem concitavit. Interea Concilium celebratum est Romæ adversus Clericos conjugatos, prohibitique fideles eorum sacris interesse, non quòd conficerent illi Sacramenta, sed ut crimine submoverentur qui eâ conficiebant. Qua de re multæ concitatæ sunt turbæ; iidem luxuriosi Sacerdotes multa in Gregorium & Mathildem fœda sparserunt, quæ à bonis rejecta sunt, tum quia in castissimos homines, tum quòd ab impurissimis sacrificulis jactabantur.

Excommunicatus hoc tempore Robertus Guiscardus Normannus Dux Apuliæ, Calabriæ & Siciliæ, rebellis & perturbator Ecclesiæ; neq; tantùm anathemate, sed & appetitus bello à Pontifice; victus agnovit Romæ neque Petri claves, neque ensem Pauli defuisse.

Gregorius parabat expeditionem in Orientem contra Saracenos, jamque quinquaginta hominum millia in armis erant, quibus & fidei hostes capitales retunderet, & Schismaticos Orientales fidelibus Christianis adjungeret, sed pium hoc opus ab Henrico metus extinxit, ne dum Gregorius externa curat, domestica neglexisse videretur.

Magnus etiam hoc anno contigit in Hungaria motus victo Salomone, fugatoque à Jojade seu Geisa filio Beli consanguineo suo: quare victus confugit ad Henricum, à quo petiit auxilium; sed eos inter se conciliare conatus est Gregorius, ut communis pater; sicque eorum negotium curavit, ut Ecclesiæ Rom. non oblivisceretur. *Gregorius pacem curat.*

MUNDI 5128. CHRISTI. 1075.

Henricus sibi à Saxonibus metuens, fingit reconciliationem cum Gregorio, ad quem litteras misit, quibus omnia pollicebatur; sed cùm retulisset victoriam, jam ab hac parte securus, quis esset ostendit, ab Ecclesia matre, ut à Pontifice patre alienissimus. *Henricus hostis Ecclesiæ.*

Cintius seu Cinthius vel Quintius Urbis Præfectus, vir sceleratus, & impotentissimus, frustra sæpe monitus à Gregorio Pontifice, ac tandem anathemate perculsus, mediâ nocte cum suis satellitibus in eum irruens sacris indutum vestibus retraxit ex altari, ac multis affectum contumeliis abduxit in munitam domum. Quæ cùm audisset populus Romanus, Pontificem liberavit, diripuit Cinthii domum, eumque Urbe expulit; qui anno sequenti in Longobardia expirans morte repentinâ, injecisse manum Pontifici nec in hoc sæculo, nec in futuro impunè tulit. Ferunt his turbis valdè implicitos fuisse Guibertum schismaticum, postea Episcopum, & Hugonem Candidum Cardinalem, homines sceleratissimos, dignissimosque hac perduellione, ac parricidio. *Gregorius capitur, & liberatur.*

MUNDI 5129. CHRISTI. 1076.

Erupit demum hoc anno Henrici Germaniæ Regis in Gregorium VII. rebellio: hunc enim in Vormatiensi Pseudosynodo deponendum curat; at ille vicissim in Concilio Romano eum excommunicat, & præcipuos conventiculi Satanici administros: cujus anathematis vim mox expertus est præcipuus ejus fautor Guillelmus Episcopus Trajectensis, paulò pòst expirans, & inter horribiles cruciatus exclamans se vitam præsentem atque æternam perdere, quòd in Gregorium insaniisset. Neque malorum Henricus exsors fuit; depositus enim à Pontifice sensit in se plurimos insurgere, immò in se convocari Synodum in qua accusatus est de multis criminibus. Paratis autem duobus ingentibus exercitibus ad prælium, proceres ab eo obtinuerunt, ut omnino se Gregorio submitteret. Venit ergò in Italiam quasi pœnitens, atque ægerrimè, multoque cum labore superavit Alpes; sed plus eum conscientia, quàm itineris difficultas vexavit. *Henricus in Gregorium VII. rebellat.*

Eodem anno Gregorius VII. Demetrium *Suinmur* dictum Regem Dalmatiæ & Croatiæ creavit, misso ad eum vexillo, ense, sceptro, & coronâ: quando & Rex *Anzir* Saracenus legavit *Ecclesiæ res promoventur.*

gavit Romam Servandum presbyterum, ut hic Hipponensis Episcopus sacraretur. Petiit etiam tum ab eo absolutionem anathematis Rogerius Siciliæ Comes, (cui eam regendam frater Robertus Guiscardus Normannorum Dux commiserat) in Saracenos pugnaturus; quod obtinuit eâ tantum lege, ut cum fratre excommunicato non communicaret: sic dum Ecclesiam Henricus deprimere moliebatur, eamdem Deus erigebat.

MUNDI 5130. CHRISTI 1077.

*Gregorii & Henrici reconciliatio.* Audito Henrici in Longobardiam adventu Gregorius venit Canusium, in arcem Tusciæ munitissimam, ubi adnitentibus Hugone Abbate Cluniacensi, & Mathilde Comitissâ, Henricus sine comitatu receptus pœnitentiæ omnia edidit signa: Pontifex inter solemnia Missarum, parte mysteriorum acceptâ, rogans Deum ut si reus esset subitâ periret morte, aliam partem Henrico obtulit, sed hanc ille recipere non est ausus. Recepit nihilominus à Gregorio absolutionem: quando & Mathildis tum obtulit S. Petro Romanæ sedi Liguriam & Tusciam, verita ne hæc sibi ab Henrico armato eriperentur; maluitque has Provincias esse libertatis suæ monimenta, quàm cupiditatis Regiæ irritamenta.

*Henricus exautoratur.* Intereà prævaricatus Henricus, ad ingenium suum rediit, ac Gregorium, & Mathildem insidiis conatus est excipere. Itaque Principes Germaniæ, ejus perfidiam exosi, in ejus locum Regem creant Rudolphum Sueviæ Ducem, Henrico exautorato, inscio tamen, neque consulto Pontifice; quæ temerè, atque ex perturbatione suscepta, confectaque, nec Imperio nec Ecclesiæ profuerunt.

*Geisæ succedit Ladislaus.* In Hungaria defuncto Rege Geisâ, ei sublectus est Ladislaus, vir Ecclesiæ Romanæ addictissimus, ideoque ab Gregorio Pontifice laudatus.

*Agnetis Aug. mors.* Obiit hoc anno Agnes Augusta Henrici Imperatoris uxor, mater Henrici Regis Germaniæ pientissima mulier, & Legationibus aliquot Pontificiis perfuncta; relicto Augustæ nomine, quàm recepto longe augustior.

MUNDI 5131. CHRISTI 1078.

*Michaeli Ducæ succedit Nicephorus Botoniates.* Nicephorus cognomento Botoniates, Michaële Ducâ cum Mariâ conjuge in Monasterium detruso, coronatus est à Cosmâ Patriarchâ qui paulò ante Joanni Xiphilino, mortuo successerat, Tyrannum excommunicavit Gregorius VII. quòd Michaël Latinis communicaret, multaque dona Cassino Monasterio contulisset, ejus non tantùm libertatis, sed & rectæ fidei monimenta.

*Turbæ inter Greg. & Henricum perseverant.* Perseveraverunt hoc anno inter Henricum Regem, & Gregorium Pontificem turbæ; Romæ Synodo congregatâ, in qua schismatici anathematis fulmine afflati, ac præcipui seditionis autores Guibertus Ravennas, & Hugo Candidus Cardinalis, aliique, impii omnes, & quos Henrico collatæ dignitates ac scelera colligabant.

MUNDI 5132. CHRISTI 1079.

*Be... riu... Ha...* Hoc anno Berengarius Sacramentarius, octogenarius, in Synodo Romana ejuravit hæresim suam, quam sæpe vomuerat, sæpe resorbuerat; contra quem tum disputavit S. Brunus seu Bruno Signiensis Episcopus, vir sanctissimæ eruditionis.

*H... vi... pe...* Ad eandem Synodum delatæ sunt à Legatis Rudolphi Regis multæ in Henricum querelæ de prophanatis sacris, Sacerdotibus & Episcopis aut conjectis in vincula, aut trucidatis. Et Henricus quidem visus est fieri mitior, promisitque se acquieturum Concilii placitis; sed cùm bella huic cum Rudolpho bene cessissent, divinis beneficiis efferatus, se sui semper similem, hoc est sceleratum, & perjurum præstitit.

*S. la... ri...* Martyrio coronatus est hoc anno per Boleslaum Poloniæ Regem S. Stanislaus Cracoviensis Episcopus, cæsus ad altare dum sacra perageret. Monuerat ille Regem sæpius de atrocibus sceleribus, & monitus contemnentem excommunicarat; mortuus autem sanctus, sicut & vivus, sexcenta patravit miracula, ab Innocentio IV. relatus inter martyres. Gregorius autem Gnesnensem provinciam, sub quâ Cracovia, subjecit interdicto, Boleslaum privavit regno, omnesque subditos ejus sacramento fidelitatis exemit. Probavit Gregorii sententiam Deus; nam Boleslaus profugus & versus in insaniam, intra biennium, dum vagatur ut fera, voratus à canibus, terribile Principibus sanctorum persecutoribus justitiæ divinæ propositum est exemplar.

MUNDI 5133. CHRISTI 1080.

Nicephorus Botoniates Imperator, post superatos plures Tyrannos insurgentes, ab Alexio Comneno purpurâ exutus, & in Monasterium dejectus est, ab alio passus quam intulisset alteri meritam pœnam talionis.

Hoc quoque anno Michaël Ducas exautoratus à Nicephoro ante triennium, & conjectus in Monasterium, indeque creatus Episcopus Ephesinus, venit ad Gregorium & Guiscardum, petiturus auxilium: cui neuter defuit, ille adhortatione, hic expeditione in Græcos susceptâ, quam Deus insigni victoria comprobavit.

Eodem anno in Romano Concilio iterum fulminibus Ecclesiæ afflatus Henricus iterum depositus est, confirmatus Teutonum Rex Rudolphus, ad quem coronam auream misit Gregorius his inscriptam verbis, *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.* Quod cùm accepisset Henricus, Gregorium dejicere Pontificatu destinat; atque id præstat Brixiæ, seu Brixinonæ in Noricis; quò convenientes aliquot Episcopi, & proceres Germaniæ, ut Ecclesiæ subversor, & perturbator Imperii, sacrilegus, hæreticus, & Magus depositus est. Huic autem substitutus est ibidem Wigbertus seu Guibertus Archiepiscopus ille Ravennas sceleratissimus, dictusque Clemens, cujus nomine directæ

ctæ sunt in varia loca per Henricum legationes. Sed pro Gregorio adversus Guibertum scripsit Apologiam Anselmus Lucensis Episcopus, vir doctissimus atque sanctissimus; cui tanto plus fidei adhibitum est, quantùm ejus sanctimonia toti Orbi jam erat testatior.

Sed quoniam non scriptis tantùm, sed & armis Gregorius defendendus erat, post triduum Deus Roberti Guiscardi permovit animum, isque sponte ad Gregorium venit, huicque cumulatissimè satisfecit, absolutusque, se vindicem Ecclesiæ Romanæ cum suis Normannis præbuit; à quo & tandem protritus est Henricus, Deo nunquam suis deficiente, & per eos à quibus minus expectetur auxilium.

Commissum est prælium ad fluvium Elstram Idib. Octob. inter Henricum & Rudolphum, in qua vicêre quidem Saxones, sed fructum amisere victoriæ, cæso Rudolpho, qui in hoc certamine manum; & paulò pòst vitam perdidit. Huic dum insultavere Schismatici, non satis adverterunt, piorum calamitates peccantium victoriis & felicitate potiores esse.

Inventum est denique hoc anno Salerni diu occultatum, bellorum metu, S. Matthæi jampridem eò delatum corpus; cui magnificam Basilicam curavit Guiscardus, factus ex improbo, & excommunicato, pientissimus.

## CAP. IX.

## *Decas Nona.*

### *Ab anno Christi* 1080. *ad* 1090.

MUNDI 5134. CHRISTI. 1081.

ROBertus Guiscardus in Orientem quindecim millia suorum Normannorum traduxit; quibus occurrens cum centum septuaginta millibus Alexius Comnenus turpiter superatus, didicit magnos exercitus, paucis fortibus oppositos, pergere ad carnificinam.

Venit hoc anno in Italiam Henricus, jam secutus à Saxonibus; & venit cum modica manu, sed audaciæ furorisque plenâ, quæ à fanatico Duce suo hauriebat. Tum verò à nemine susceptus est, nisi metu ultimi mali; tandem verò Romam venit, obseditque Leoninam Urbem, castellis & circumpositis arcibus expugnatis. Quæ autem tum à Schismaticis passi sint Ecclesiastici, atque Clerici, quæ sit bonorum Ecclesiæ facta direptio, faciliùs tum lugere licuit, quàm scribere, ad quæ fortiter toleranda bonos omnes invitavit Gregorius, meliora mox tempora pollicitus; neque vates falsus extitisse deprehensus est.

MUNDI 5135. CHRISTI. 1082.

Alexius Comnenus clade superioris anni eruditus judicavit donaria Ecclesiis erepta causam suæ calamitatis extitisse; quare hoc anno Constitutionem edidit, quam *Bullam Auream* vocant, quâ promisit se omnia restituturum: sanxitque ne quis unquam Ecclesiæ dona, etiam in adversis casibus, impenderet, imprecatus vindictam Numinis iis omnibus qui id attentassent; & suo atque alieno exemplo factus sapientior.

Guillelmus Nothus in Angliam transfretans, ut in ea regnaret, reliquerat Roberto Normaniam administrandam, in qua se tam malè gessit, ut videretur pater accersendus. Verùm huic filius occurrit armatus, prælioque conserto Robertus Robustior Guillelmum incognitum dejecit equo; sed agnitum statim erexit, atque ab eo in terram prostratus veniam petiit; quam non difficiliter impetravit ab eo, cui jam propè vitam concesserat. *Filius insurgit in patrem.*

Tum Saxones in locum Rudolphi elegere Regem Hermannum Lotharingiæ Ducem, virum militarem, & qui res attritas suâ fortitudine posset restituere. Sed huic felicitas defuit; dum enim irrumpit in Castrum expugnatum, molari lapide per fœminam injecto obtritus; Pyrrhi mortem subiit, cujus fortitudinem æmulabatur. Quæ antequam deferrentur ad Henricum, veritus ille ne in Saxoniam revocaretur, intercipere conatus est insidiis Pontificem, sed quem hostis sui calliditas & furor fecerant prudentiorem. *Hermannus Rudolphi successor cæditur.*

MUNDI 5136. CHRISTI. 1083.

Hoc anno captâ urbe Leoninâ intrusus est in Petri Sedem Guibertus dictus Clemens III. & II. Kal. Aprilis à tribus Schismaticis Episcopis consecratus est, ac paulò pòst ab Henrico remissus Ravennam. Tunc modis omnibus Urbem in suam potestatem redigere conatus est promissionibus, arte, indictâ etiam Synodo, quam tamen fieri prohibuit, invitato etiam Desiderio Abbate Cassinensi, qui se virum fortissimum præbuit. Verùm iis omnibus artibus Ecclesia, Dei fulta præsidio, prævaluit. *Guibertus in Petri sedem intruditur sub nomine Clementis III.*

MUNDI 5137. CHRISTI. 1084.

Alexius Comnenus ingentem pecuniæ vim mittit ad Henricum, ut hic bello aggrederetur Guiscardum, sicque eum ex Thracia, quam populabatur, revelleret. Eam ergo pecuniam insumpsit Henricus ad Romanos sibi conciliandos, quorum operâ tandem Urbe potitus est. Gregorius retinens pontes omnes, & munitiora Urbis loca, in Molem Hadriani recepit sese. Hic Guibertus Henricum coronavit Imperatorem; sed dum hic versatur, nihil propiùs abfuit, quàm ut necaretur miser, parato in ejus perniciem lapide; ejus milites aliquid ultra periculum experti sunt, fœdâ labe consumpti. Guibertus selegit Cardinales ferè conjugatos, omnes sceleratos, & quibus homicidia, ac cædes ludi erant, dignos Pseudo-Pontificis administros. Gregorius igitur in his angustiis evocat Guiscardum, qui nihil cunctatus, parte exercitus cum Boëmundo filio in Græcia relictâ, Romam revolat, Henricum vincit, Urbem *Henricus occupat Romam, ubi constituit suum Pontificem.* *Guiscardus Romam incendit ex qua subducitur Gregorius.*

Urbem rebellem diripit, & magna ex parte incendit, seu ex Romanorum odio, qui à Pontifice flagitiosè defecissent, sive ex amore Pontificis, ita suadente Cinthio Consule; ut occupatis Romanis in restinguendo incendio, faciliùs Pontifex subduceretur. Et verò Gregorius Cassinum, inde Salernum pervenit incolumis, ubi usque ad obitum sanctissimè vixit, Deo sanctimoniam, atque causam, multis prodigiis utrobique comprobante.

*Multi Schismatici ad se redeunt.*

Redierat interea Henricus in Germaniam suam, quia Catholici resumpsere vires, schismatici plures ad se redierunt, quos vinculis sacris exsolutos sic animavit Anselmus Lucensis, ut conjuncti copiis Comitissæ Mathildis nobilem de Henricianis referrent victoriam, tribus tantùm è suis desideratis, paucis vulneratis, ut hic exercitus divino præsidio suffultus fuisse, nec suis, sed Dei armis pugnasse crederetur.

MUNDI 5138. CHRISTI. 1085.

*Pseudosynodus Moguntina.*

Pseudosynodus Moguntiæ celebrata est ab Henricianis, ubi confirmatus Pontifex Guibertus, damnatus Gregorius, ejusque fautores; sed quos absolverant, Deus ipse damnavit, lue magna ex parte consumptos; obiit tum quoque Salerni Gregorius VII. cùm sedisset annis 12. mense uno, diebus tribus, hæc verba pronuncians, *Dilexi Justitiam, & odi Iniquitatem, propterea morior in exilio*, multis miraculis post obitum clarus, quare in sanctorum album relatus est; quod & tempore ipso probatum est, corpore ejus post annos ferè quingentos invento penitus incorrupto.

*Moritur Gregorius VII.*

*Desiderius Papatum fugit.*

Ei successorem plerique optabant Desiderium Abbatem Cassinensem hac sede dignissimum; sed aufugit ille in suum monasterium, plusque adhibuit operæ ne eligeretur, quàm alii multi laboris exhauriunt, ut ad Pontificatum provehantur.

*Robertus Guiscardus moritur.*

Eodem anno mortuus est Robertus Guiscardus naturali morte in Insula Corcyrâ, major sexagenario, cùm tam annos viginti sex Dux esset Apuliæ, Calabriæ, atque Siciliæ; vir optimus cùm bonus fuit, cùm malus, pessimis adnumerandus.

MUNDI 5139. CHRISTI. 1086.

*Victor III. eligitur.*

Electus est tandem omnium votis à Clero Populoque Romano Desiderius Cassinensis Abbas, dictusque Victor III. Verùm post dies quatuor egressus ab Urbe, Terracinæ insignia Pontificatus posuit, fugitque Cassinum, neque ullis precibus aut lacrymis in Sedem suam potuit revocari; in sua pietate propè contumax.

*Victi Schismatici à Catholicis.*

Aliunde in Germania Catholici obsidebant Herbipolin cum decem millibus armatorum, quos ut depelleret Henricus cum viginti millibus venit. Pugna utrimque commissa victi Henriciani, ægrè fugit Rex inter primos elapsus, ejus copiæ funditus deletæ, tribus tantùm in prælio Catholicorum desideratis, & postea duodecim ex vulneribus, ut hanc hostium cladem Deo victores ipsi referrent.

*Ans... Luce...*

Obiit tum Anselmus Episcopus Lucensis, magnus Gregorii defensor, multis post mortem miraculis clarus; quibus longè plures Schismaticorum, quàm scriptis, ad sanam mentem revocavit.

*Bell... Fra... Ang...*

Bellum inter Philippum & Guillelmum, Francos & Anglos, gestum est; cujus causæ cùm dubiæ sint, neque exitus certior, satis est id indicasse lectori, cui tot certa & explorata suppetunt.

*Car... nor... Ord... S. B... inj...*

Hoc anno ortum habuit sacer, & nunquam laudatus satis, Carthusianorum Ordo, cujus parens & conditor fuit S. Bruno Agrippinensis, Canonicus Rhemensis, qui cum sex aliis sociis vocatus à Deo, ut ipse testatur in Epistola de sua conversione scriptâ, venit ad S. Hugonem Episcopum Gratianopolitanum, à quo montes asperrimos, quos incoleret, Carthusianos dictos, accepere. De hujus Ordinis exordio ac sanctâ conversatione scripsit accuratè Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis. Quod autem credebatur olim S. Brunonem conversum esse, portento in morte ex Anastasi Raymundi Diocres Canonici Parisiensis, qui tribus diebus se accusatum, judicatum & damnatum asseruit, ad hanc vocem officii defunctorum *Responde mihi*, jampridem ab eruditis explosum est, & quemadmodum ex Romano Breviario jussu Urbani VIII. Pontificis expunctum est, deberat ex eorundem Carthusianorum depictis claustris obliterari. Sed quid agas? viri boni cum majoribus suis errare volunt, & placet iis error quoniam antiquus est, atque in pariete, & oleo depictus insulsè ac parum eruditè.

MUNDI 5140. CHRISTI. 1087.

Hoc anno Victor Tertius motus precibus & votis omnium resumpsit ornamenta Pontificalia Capuæ, ac Romam veniens 7. Idus Maji in S. Petri Sede locatus est; ac deinceps in Tiberinâ Insulâ habitavit. Sed eodem tempore Guibertus apud S. Mariam ad Martyres se recepit, unde multa damna in Urbem, multa in Italiam invexit, sicque Lupum se non Pastorem ostendit. At Victor sapientior, & justior, expeditionem in Saracenos convertit, missoque in Africam parato ad debellandos schismaticos milite, centum millia hostium cecidit captâ excisâque eorum Urbe præcipuâ, quæ creditur tum fuisse Hippo, laudabilibus & vero Pontifice dignis exordiis.

Victor Beneventi, ubi Synodum coëgerat, ægrotans, se Cassinum reportari jussit, ubi parato sibi sepulchro sexagenarius obiit 16. Kal. Octob. admonitis Cardinalibus, ut se mortuo nullum præter Othonem Ostiensem Episcopum deligerent Pontificem; quam monitionem inutilem Ecclesiæ non fuisse ostendit eventus.

Hoc anno quadraginta septem Barenses redeuntes Antiochiâ, & Myrâ transcuntes, effracto tumulo S. Nicolai ossa ejusdem S. Præsulis in oleo natantia receperunt, & honorificè Barium detulêre, ubi hodie religiosissimè asservantur, hæc lipsana, liquoremque reddunt, vulgò dictum Manna S. Nicolai. Idem autem sanctum latro-

latrocinium parabant Veneti; sed dum tergiversantur, pœnas suæ tarditatis præventi dependêre.

Obiit deniq; hoc anno Guillelmus Normanniæ Dux, & Rex Angliæ 5. Id. Septemb. ætatis 64. Regni 20. cum 10. mensibus, & diebus 28. se divinitus mulctatum ratus, quòd Ecclesias Meduntæ incendisset; quare verè pœnitens thesauros omnes suos in pauperes & Ecclesias effudit, & præcipuè in Clericos Meduntanos; quibus gestis quasi in B. Virginis complexu expiravit. Ejus corpus delatum ad monasterium Cadomense, direptâ ejus supellectili, collatitiâ pecuniâ tumulandum fuit, & cùm loculus angustior ei paratus esset, venter ejus crepuit, ac effudit intestina cum intolerando fœtore; speratur tamen cum ejus animâ, quàm cum corporeactum esse meliùs; certè adversùs ejus sobolem Deus graviter animadvertit, etiam ob exscisas Ecclesias, & in lucos conversas, ubi Principes ex ejus sanguine aliquot malè perierunt; quanquam ipse satis religiosus, & liberalis in Ecclesiam extitisset. Sed cum eo Deus egit ut parens optimus; ejus scelera mulctavit in corpore, virtutem in animâ remuneravit.

MUNDI 5141. CHRISTI 1088.

Electus est Tarracinæ uno consensu 4. Id. Mart. Otho Cardinalis Episcopus Ostiensis natione Gallus, professione Monachus Cluniacensis, dictusque Urbanus II. qui mox Cassinum perrexit, ubi sanatus fuisse perhibetur æger à S. Benedicto, ut ostenderet hîc ejus corpus quiescere. Quare jactant Cassinenses ejus Pontificis Diploma, quo de eâ re dubitantes percellit anathemate; quod tamen multi viri pii atque docti brutum judicarunt, & ab illius loci Monachis confictum: maximè cùm Petrus Cluniacensis Abbas de translatione S. Benedicti in Gallias hymnum cecinerit: quem si ignorasse contenderis hoc diploma, magnæ incuriæ, neque ferendæ, virum diligentissimum accusabis.

Mortuus est hoc anno Hermannus Rex Germaniæ Catholicus in Turingia, quò secesserat Saxonibus rebellantibus; cui datus mox successor ab iisdem Saxonibus Eggebertus: ne pax Henrico concessa bellum in Ecclesia accenderet.

Obiit & eodem anno Cariosus ille Hereticus Berengarius, prope nonagenarius; cui honorificum Epitaphium scripsit ejus amicus Hildebertus Archidiaconus paulò solutioris vitæ, factus tamen postea magnæ sanctitatis & eruditionis Episcopus; quare mirum non est si Hildebertus de Berengario non conveniat cum Lanfranco, & Petro Cluniacensi; quibus sine dubio consensisset, si hanc Epigraphen scripsisset Episcopus. Moriens tamen speravit veniam Berengarius propter pœnitentiam licèt iteratam; timuit autem Divinam Justitiam ob aliena peccata, & eos quos ab Ecclesiæ placitis deduxerat: qui si receptus est cœlo, magnum Dei miserantis ferculum fuit.

MUNDI 5142. CHRISTI 1089.

Expulsus est hoc anno Guibertus Antipapa à Romanis, ac juramento adactus se nunquam Romam reversurum. Habitum & colloquium Catholicorum, & Henrici, in quo tantùm non desertus est Guibertus; sed demum servatus est operâ Episcoporum, qui depositionem suam magis, quàm illius reformidabant. Aliunde celebratum est ab Urbano Concilium Trojæ in Apulia; ubique tristia lætis permixta sunt.

*Mathildis casta nupta.* Mathildis Comitissa conjugio pio copulata est cum Welphone Duce, filio Welphonis Ducis Bojoariæ, nepote Azonis Marchionis Ferrariensis, ut plus posset in Schismaticos, neque tamen cum illo unquam commixta est, simulq; fuit nupta, vidua, atque casta; sicque non tantùm res suas, sed & se totam consecravit Ecclesiæ.

*Victus Henricus.* Henricus hoc anno ab Eggeberto victus est; quando & captus Liemarus Bremensis Archiepiscopus præcipua fax hujus schismatis cum multis Episcopis anathemate fulguritis interiit. *Lanfrancus moritur.* Feliciùs quoque mortuus est Cantuariæ Lanfrancus Archiepiscopus, cui tantùm datus est successor post 4. annos, Angliâ, per Guillelmum Regem juniorem cognomento Rufum, agitatâ; cujus & calamitates in Ecclesiam redundarunt.

*Eustathio succedit Nicolaus.* Eustathius Patriarcha Constantinopolitanus Cosmæ successor, post tres annos sedis mortuus locũ reliquit Nicolao, cognomine Grammatico; cujus sedes diuturnior, quàm melior extitit.

MUNDI 5143. CHRISTI 1090.

*Henricus in omnia vitia ruit.* Mortuo in Germania Eggeberto res Catholicorum visæ sunt hîc concidere, Henrici reparari, itaq; hic in Italiam transire destinat, ut Mathildé opprimeret. Interea vendebat Episcopatus pro pecuniâ, pro gladio, pro adulterio, pro nequitiâ sodomiticâ, adeo ut non jam sceleratus tantùm, sed in suis criminibus furiosus esse videretur.

---

## CAP. X.

## *Decas Ultima,*

### *Ab anno Christi* 1090. *ad* 1100.

MUNDI 5144. CHRISTI 1091.

*Henricus & Guibertus in Italiam redeunt.* Rediit hoc anno Romam impius Guibertus, oblitus Sacramenti sui, receptus à Romanis Henricum reformidantibus. In eam autem cùm ingredi posset cum suis copiis Victor Pontifex, maluit videri minùs posse, ne Urbs desolaretur. Interea Henricus Mantuam jam undecim mensibus obsessam proditione cepit; occupavit & civitates omnes vicinas, nisi quas firmiores tantùm muri ab ejus impetu vindicarunt. Catholici interim se piis operibus dedere; quæ eos meliùs tutos & incolumes, quàm arma atque exercitus præstitere.

*Alphonsi VI. victoria.* Saraceni Alphonso VI. Castiliæ Regi parere recusabant, qui filiam Regis Hispalensis Mauri duxerat uxorem, eamque ad Christi fidem perduxerat; hinc illorum odium in Alphonsum, quem tamen Rex socer defendere voluit, magnis ex Africâ accitis copiis à Josepho Miramolino.

Sed

Sed auxiliaris hic exercitus, in Christianos & Alphonsum perfidiosè conversus est. Cæsus Rex Hispalensis, multaq; Christiana nobilitas. Confugit igitur ad Francos Alphonsus, ad cujus opem multi nobiles accurrerunt, Raymundus Tholosæ Dux, alter Raymundus, & Henricus ejus cognatus; quem tamen ferunt eò tempestate delatum ex itinere in Syriam, ad quam adversus Saracenos properabat. Horum præsidio ac virtute repressi Arabes, victor Alphonsus, ex iis præsidiariis aliquos retinuit; inter reliquos Henricum cui partem Galliciæ ereptam Mauris dotalem, cum filia Theresia concessit; isq; postea regni Lusitanici fundamenta jecit; quem ex Francorum sanguine regio, natum esse & Francici scriptores putant, & Lusitani non dedignantur.

*Initium regni Lusitanici.*

MUNDI 5145. CHRISTI 1092.

*S. Bruno ab Urbano II. detinetur.*

*Yvo fit Episcopus Carnotensis.*

Urbanus II. S. Brunonem ex sua solitudine retraxit, detinuitque reluctantem triennio in Conciliis celebrandis. Quando & Yvo Carnotensis Episcopus ab eodem Urbano consecratus est ex præposito S. Quintini Belvacensis, suffectus in locum Gaufredi viri improbi, sed cujus scelera non nisi tempore revelata sunt; Deo ita providente, ut vir optimus hominis scelerati facta corrigeret.

MUNDI 5146. CHRISTI 1093.

*Longobardia in Henricum rebellat.*

Multæ Urbes Longobardiæ hoc anno adversùs Henricum rebellarunt (quibus Mediolanum præluxit) atque in Welphonis partes transiere. Immò & Conradus ejus filius insurrexit in patrem, ob causam quæ propè justa fuit. Henricus enim Adelaidem uxorem suam (ab aliis Praxedes appellabatur) fœminam innocentissimam atque pientissimam compegit in carcerem, multosque compulit ei vim inferre; atque inter cæteras filio suo Conrado novercam suam constuprandam objecit; cùmq; restitisset ille, negavit filium suum esse, sed Principis cujusdam Sueviæ, quem vultu non malè referebat. Conradus ergo fugit à Patre; sed paulò pòst ab eodem dolo interceptus, malè habitus esset, nisi divino auxilio iterum ex ejus manibus evolasset; Igitur, Welphone curante, Mediolani Rex inungitur Italiæ, Conradus absolvitur ab Urbano Pontifice ibidemq; satis modestè, sed non satis diu regnavit. Henricus autem à Welphone pressus & filio, se quâdam munitione inclusit, ubi satis diu quasi privatus vixit, tanto vitæ affectus tædio, ut se interficere conatus sit; fecissetque, nisi huic sui arma eripuissent, servassentq; quasi fanaticum. At Adelais diuturnum carcerem passa, multisq; malis exercita, de carcere tandem mirabiliter effugit, venit ad Mathildem, per quam deducta est ad Urbanum, ac demum reversa in Russiam, & ad suos, facta est Abbatissa, sortita sponsum toto cœlo ab Henrico diversum.

*Henrici turpissimus furor.*

*Conradus fit Rex Italiæ contra Patrem Henricum.*

*Adelais fit Abbatissa.*

Rediit eodem anno Romam Urbanus, Arce tamen S. Angeli à Schismaticis occupatâ; Guibertus fugit Veronam ad Imperatorem, fingens se deponere Papatum velle, bono pacis; quem tamen tot sceleribus pepererat, homo ad tumultus, non ad concordiam factus & natus.

Alphonsus Hispaniæ Rex multa in Cluniacense monasterium contulit beneficia, & majorem ejus ædem suis sumptibus instauravit; futurus in eo Monachus, nisi Abbas eum gerere sceptrum, quàm cucullū utilius Ecclesiæ judicasset.

Creatus est denique tum Archiepiscopus Cantuariensis S. Anselmus, successitque pridie Non. Decemb. Lanfranco, cujus fuerat discipulus & successor in præfectura Beccensis Monasterii; primùm humaniter susceptus à Rege, deinde expulsus è curiâ, quòd pecuniam in promotionem suam dare recusasset; tantùm diffisus à Simoniacâ labe, quantùm solent esse, qui invitissimi ad sacras Insulas promoventur.

MUNDI 5147. CHRISTI 1094.

Philippus Francorum Rex Bertradam uxorem Fulconis Comitis Andegavensis cognomento Asperi, viri improbissimi, rapuerat, eâq; utebatur, rejectâ uxore legitimâ Berthâ, quam Monstrolium ablegarat: Fulcone mortuo, eandem Bertradam, assentientibus quibusdam Galliæ Episcopis prævaricatoribus, uxorem duxit; quibus tamen nuptiis opposuit se constantissimè Yvo Carnotensis; sed illegitimus amor prævaluit, qui non tantùm unius Episcopi scripta, sed & Concilii, & Pontificis anathema contempsit, docuitq; magnos Principes magnis criminibus obnoxios esse; iis nunquam Episcopos deesse adulatores.

Magna lues per Italiam, Galliam, Germaniam grassata, multos schismaticos ad sanam mentem reduxit, pertinaces prodigiis territi quidam sibi manus intulere, quidam à feris vorati sunt. Contigit tum portentum in fœmina Laudensi quæ confessa crimen occultum, cùm id sacrilegè propalatum esset, ipsa ad incendium damnata, bis ex accensis flammis incolumis evasit operâ Beatæ Virginis, cujus auxilium imploraratut ostenderet Deus, peccata duntaxat Sacerdotibus ad veniam, nunquam ad mulctam judicibus aperiri.

Sed jam bellum Sacrum in Saracenos Palæstinæ nos ad se, atq; ad tertiam hujusce operis partem vocat, tam salutare Christianis, quàm Italicū atq; Germanicum Catholicis extitit perniciosum.

# *Finis Partis II. Tomi II.*

PARS

# PARS TERTIA TOMI SECUNDI,

*Ab expeditione prima*

# FRANCORUM IN ORIENTEM,

Ad captam à Turcis

## CONSTANTINOPOLIN

*SEU*

Ab anno CHRISTI 1095. ad 1453.

AUTORE

***PHILIPPO BRIETIO***

ABBAVILLÆO

*Societatis JESU Sacerdote.*

## PARTIS TERTIÆ PROOEMIUM.



*Quam partis hujus initia lata fuerunt Ecclesiæ Orientali, tam eidem tristis exitus fuit; Turcis in Græcia sic defixis, ut jam Occidentales cogitent potius quomodo hos Barbaros à suis ditionibus rejiciant, quàm ut ab Oriente repellant, quem occuparunt fortiter, prudentiùs conservarunt. Hujus mali causa si quæratur, ab ipsis Græcis repetenda est; qui Latinos exosi, nec eorum auxiliis, nec armis ad sanam mentem revocari potuerunt. Concedendi ergo fuere crudelibus Dominis, qui fratres oderant suos, & impotentiæ Barbarorum relinquendi, qui Christianos nec auxiliatores, nec Dominos ferre voluerant. Novæ Romæ in veterem eò usque processit odium, ut illa ad Ottomannos transire maluerit, quàm ad matrem redire, & Mahumeti ferre potiùs immite jugum, quàm suave Christi atque Ecclesiæ, ab utroque priùs schismate, deinde etiam hæretica pravitate divulsa. Erumpentes hujus discordiæ scintillas videbimus, cùm Francorum virtus & pietas eas maximè sopire debuisset: sed in perfidis hominibus, & ad invidiam natis, atque factis, prævaluit æmulatio; quæ sanctis auxiliatoribus etiam tetendit insidias, & societatem cum Saracenis inire maluit, quàm eorum rescindere Tyrannidem suis cervicibus imminentem. Hanc etiamnum ferunt, illam servant Græci, nondum tot malis edomiti, & atrocibus calamitatibus invidia prævalente; qua subesse malunt Turcis, quàm per Latinos consequi libertatem*, Francosque timent, & dona ferentes.

LIBER



# LIBRI XI.

## PARTICULA AB ANNO CHRISTI 1094. AD ANNUM 1100.

### DECADIS ULTIMÆ

### *PARS EXTREMA.*

MUNDI 5148. CHRISTI. 1095.

*Vrbanus II. tranſit in Gallias.*



PLacentia egreſſus Urbanus II. ubi Synodum celebrarat, Cremonam venit; cui obviam occurrens Carolus Henrici filius, ſtratoris officium peregit. Inde hic profectus Piſas, filiam Rogerii Ducis Siciliæ, adhuc parvulam, accepit ſponſam cũ ingenti dote pecuniariâ. Pontifex autem navibus tranſiit in Gallias, & diem Virginis Aſſumptæ Anicii ſeu Podii celebravit, ubi indixit in Octava S. Martini Claromontanam Synodum, quâ nulla fuit rebus Orientalibus ſi non celebratior, ſaltem utilior.

*Concilium Claromontanum. Philippus Auguſtus excommunicatus.*

Convenerunt ergo Claromontem ad condictam diem 13. Archiepiſcopi, & 205. Epiſcopi, qui Philippum Francorum Regem, propter nuptias cum Bertradâ, fortiter excommunicarunt: quod anathema tam accuratè ſervatum, ut hoc tempore in pleriſque diplomatis, non *regnante Philippo* ſed *regnante Jeſu* ſcriberetur. Tum de Expeditione Hieroſolymitana actum eſt; quam tum ſuſcipiendam eſſe tribus luculentis orationibus probavit Urbanus, in hoc Patrum conſeſſu.

*Petri Eremitæ Legatio.*

Negotium quoque promovit plurimùm Petrus Eremita Ambianenſis, qui non tantùm attulit litteras à Patriarchâ Hieroſolymitano aptiſſimas ad permovendum Chriſtianos Occidentales; ſed & ipſe oratione ſuâ fungi hac Legatione juſſus à Deo; non tamen per Epiſtolam, ut aliqui fabulantur. Addidit & ſuo nomine litteras Orientis Imperator Alexius Comnenus, quem Saraceni graviter urgebant; multa, ſed fide Græcâ pollicitus.

*Cruce ſignati.*

Dimiſſi ergo Patres à Concilio, ſ[illegible] hoc negotium diligenter promoverunt; & tum profitentibus hanc Chriſtianam militiam adhibita crux pro teſſerâ, oblatis pro ſtipendio indulgentiis. Tantâque alacritate hoc ſuſceptum eſt bellum, quaſi non de repetendâ Palæſtinâ, ſed adeundo cœleſti regno ageretur.

Sed uti feliciùs res cederet, Officium B. Virginis Clericis indictum eſt, quod jam ſuis monachis Petrus Damiani commendarat: uſurpavere deinceps Carthuſiani potentiſſimum ad fovendum ardorem ſuum incentivum. Quo tempore S. Bruno Ordinis hujus conditor, miſſionem obtinuit ab Urbano: & ne eum ſequi cogeretur, profectus eſt in Calabriam ad Squilacum monaſterium, quod ſtatuit ex liberalitate Rogerii Siciliæ Ducis. Sed hoc pietatis opus ſibi multùm profuiſſe demùm Rogerius intellexit, liberatus per virum ſanctum ab inſidiis Sergii Græcorum Ducis. Sic Deus addictos ſibi pios homines, egenos licèt, nunquam patitur etiam à viris Principibus liberalitate ſuperari.

MUNDI 5149. CHRISTI. 1096.

Hoc anno Philippus Francorum Rex, rejectâ pellice ſuâ, atque obitâ pœnitentiâ, abſolutus eſt ab Urbano, qui mox in Italiam rediit, & ingreſſus ad Romam, licèt Guiberti fautores turrem Creſcentii poſſiderent: verùm ſatis illum publicus amor tutum præſtabat.

Expeditio ſacra hoc anno ſuſcepta, variis temporibus à variis Ducibus inchoata eſt; quorum primus Gualterus ineunte Martio viam reliquis ſternere conatus eſt; hunc paulò pòſt ſecutus eſt Petrus Eremita, ambo ad pietatem, quam ad arma magis idonei. His peritior copias explicuit Godefridus Bullionius, qui & in eam cauſam Ducatum ſuum Bullionenſem vendidit Epiſcopo Leodienſi, *majori* tamen *vendentis, quàm ementis gloria*; eum & multi ſecuti ſunt Duces, ac Comites, quos tantum virum ſequi, huicque parere non puduit. Denique proximo anno tranſiit in Orientem Apuliæ Comes Bohemundus, &

aliquot

aliquot Episcopi, cum exercitu trecentorum millium armatorum; quos tamen pietas & religio, quàm arma & ars militaris, Arabibus magis metuendos efficiebat.

Initium expeditionis hujus ductum est à Judæis; qui omnes aut trucidati sunt, aut Christi fidem sunt professi, aut sibi violentas intulere manus, fidelibus hoc bellum majori ardore, quàm consilio inchoantibus.

MUNDI 5150. CHRISTI 1097.

Pertinet ad hunc annum diploma, quod creditur concessum ab Urbano II. Pontificatus sui anno x. Salerni tum commoranti, *in gratiam Rogerii Comitis Calabriæ, & Siciliæ, & filii Simonis, & alterius qui ejus legitimus hæres existeret*, quo putatur Princeps Siciliæ Legatus à latere natus summi Pontificis, ideoque sibi jus arrogat puniendi, absolvendi, excommunicandi Clericos, etiam Cardinales; uno verbo sibi tribuit omnia quæ invasit Henricus VIII. in Anglia, nisi quòd se id habere à summo Pontifice profiteatur. Vide quæ habet Baronius ad hunc annum Christi Tom. xi. Annalium, ubi doctissimè confutat *Monarchiam* illam, quam Hispani *Spiritualem* appellant, & Magistratum illum Clericolaicum, quem dicunt Siculi *Monarchiæ Spiritualis Judicem, seu Inquisitorem*; à quo grande nefas provocare ad Pontificem, & cui, licèt homini laico, oblati libelli inscribuntur, *Beatissimo Patri*. Ostendit autem doctissimus Cardinalis hoc instrumentum mutilatum esse, datum duntaxat Rogerio, ejusque filiis, toties revocatum esse, quoties Siciliæ Regnum in novam familiam transiit. Sed & Tomi hujus Baroniani lectio severè prohibita est in utroque Siciliæ regno: hæc quæstio ex Antuerpiensi Annalium Ecclesiasticorum editione sublata; nihil non factum, aut præteritum, ut quod Privilegium eruditi viri concessum Principibus Siculis putant à Pseudo-Pontifice Petro Leonis, seu Anacleto, legitimum habeatur: usque adeò sui qualiscumque juris sæculares Principes, quantumvis pii, solent esse retinentes.

MUNDI 5151. CHRISTI 1098.

Christiani Occidentales, compresso priùs Alexio Comneno perfidisque Græcis, Hellespontum transmittunt, proposito sibi Godefrido Bullionio, quo hæc ætas nec fortiorem militem vidit, nec meliorem Imperatorem. Erant in hoc exercitu centum equitum millia, peditum quà militum, quà peregrinorum, sexcenta millia; à quibus obsessa Nicæa Bithyniæ profligato ejus Principe Solymano, dedita est, atque Imperatori Græco ex pactis reddita. Inde versùs Syriam progressi Christiani, iterum delent obvium sibi Solymanum, cum trecentis equitum millibus; quo in prælio tria millia nobilium Saracenorum desiderata sunt. Obsessa insuper Antiochia, cui præerat Corbanus potens Sultanus: defensa fortiter, generosiùs oppugnata, tandem proditione capta est, atque concessa Bohamondo, cujus potissimùm industriâ venerat in Cruce-signatorum manus. Ibidem inventa divinitus lancea, quâ compunctum est Christi Domini de cruce pendentis latus, piis peregrinis animos fecit, quibus tum maximè indigebant: adfuerunt enim cum innumerabilibus copiis Solymanus & Corbanus, qui sic deleti sunt ambo, ut etiam perderent castra rebus omnibus refertissima, quibus victores ingenti penuriâ pressi sic refecti sunt, ut alacres ad occupandam Hierosolymam pergerent, peregrinationis sanctæ, atque militiæ terminum. Hunc tamen attigere pauci, vix quadraginta millibus ex tanto exercitu superstitibus.

Aliunde impius Comnenus Imperator sibi relictas urbes ab Occidentalibus aut incendit, aut restituit Saracenis, & quominus socii venirent iis in auxilium modis omnibus impediit, iis hostis, quàm ipsi Arabes, infestior & truculentior. *Alexii Imperat. perfidia.*

Cadunt in hunc annum Cisterciensis Ordinis exordia, à S. Roberto Abbate Molismensi, operâ Odonis Ducis Burgundiæ, in diœcesi Cabilonensi; quod Cœnobium fuit sanctissimorum & doctissimorum virorum seminarium. *Exordium Ordinis Cisterciensis.*

MUNDI 5152. CHRISTI 1099.

Capta est hoc anno vi à Godefrido Bullionio Hierosolymorum civitas, cujus in murum primus conscendit Raimbaldus Cretonius nobilis Picardus: Saraceni omnes jugulati, urbs purgata tradita est incolenda Christianis. Inde distributæ præfecturæ; Rex omnium suffragiis electus Godefridus. Selecti quoque Patriarchæ duo, Daybertus Hierosolymitanus, & Bernardus Antiochenus, ambo doctrinâ, virtuteque spectabiles; omnia sic constituta, ut Hierosolyma jam Sancta Civitas meritò nuncupanda censeretur. *Hierosolyma occupata.* *Primus Rex ejus Godefrid. Bullion.*

Mortuus est hoc anno sacri belli promotor Urbanus II. 4. Kal. Aug. Romæ sedatis tumultibus, ut æternâ ipse pace frueretur. Sederat annos xi. menses 4. dies 18. eique prid. Id. Augusti suffectus est Reinerius seu Raginerius Abbas SS. Laurenti & Stephani, dictusque Paschalis II. natione Etruscus, excultus olim à S. Hugone Cluniacensi Abbate, & tali sede omnium judicio dignissimus. *Urbanus II. moritur.* *Succedit ei Paschalis II.*

MUNDI 5153. CHRISTI 1100.

Obiit hoc anno impius Guibertus Pseudopapa, ex animi mœrore, expulsus ab omnibus, omnibus odiosius, etiam post obitum dissipatis ossibus, & projectis in aquas, ne communis parentis gremio, etiam mortuus, tegeretur. Huic autem ab Henrico tres suffecti sunt deinceps, Albertus, Theodoricus, & Maginulphus, omnes ejusdem cum Guiberto & Henrico furfuris, digni qui schismaticis à Principe schismatico præficerentur. *Guibertus Pseudopapa moritur.*

Paschalis II. in Italiâ Tyrannos domuit, multasque civitates & castra recepit, non tantùm dignitate suâ, sed & armis metuendus; quando & Philippum Franciæ Regem, denuò Bertradæ suæ turpi- *Iterum Philippus excommunicatur.*

turpibus complexibus implicitum, iterum excommunicavit, Orienti & Germaniæ providit; non tantùm primæ Sedis prærogativâ, sed & ingenio, ac providentiâ maximus.

*Guillelmus Anglus moritur.*

Guillelmus Angliæ Rex frustra deterritus ostentis à Deo, in venatione sagittâ vulneratus interiit; quem triduo ante mortem S. Hugo Cluniacensis Abbas coram Deo accusatum, judicatum, & damnatum viderat, si qua Monachis fides. Successit ei Henricus Germanus ejus, qui statim S. Anselmum Cantuariensem exulem perhonorificè revocavit; hunc tamen mox turbavit; sed ei fortiter vir sanctus restitit, nec ei cessit, nisi quantùm in Petri successorem obsequium sineret, factus ex cladibus & exilio generosior.

*Moritur Godefrid. Bullion.*

Mortuus est hoc anno, cùm vix 13. mensibus imperasset, Rex Hierosolymorum Godefridus Bullionius 15. Kal. Aug. vir quo fortiorem & robustiorem hoc sæculum vidit neminem; qui camelis colla uno gladii ictu facilè demeteret, armatum loricâ ferreâ Saracenum in transversum secaret medium, ursum Syriacam conficeret solus, aliaque ejusdemmodi roboris sæpe ederet monimenta, quæ ipse suæ adscribebat castimoniæ. Cæterum in eo pietas fortitudini respondebat; neque enim unquam Rex auro coronari voluit, aut in throno sedere, ubi Deus suus spinis redimitus, atque in fœno jacuisset, sed semper sedit in stramine; Regno parto magnus, administrato major, sanctissimè relicto maximus, ipsisque adeo Cæsaribus & Alexandris anteferendus.

Omnium Principum consensu mox suffectus est ei Balduinus frater, Comes vel Princeps Edessenus; qui statim cum mille & quadringentis equitibus venit Hierosolymam, disjectis ubique Saracenis transitum occupantibus. Vir quidem fortis; sed dum litigat de juribus suis cum Patriarchâ, neque satis regno suo, neque satis Ecclesiæ, multo minùs sibi visus est consulere.

# LIBER XII.

## *Ab anno Christi* 1100. *ad* 1200.

### CAPUT I.

### *Decas Prima.*

*Ab anno Christi* 1100. *ad* 1110.

MUNDI 5154. CHRISTI. 1101.

*Altera expeditio in Palæstinam infelix.*



Secunda contigit hoc anno Christianorum in Syriam expeditio, ducibus Hugone Philippi Regis Francici germano, Guillelmo Aquitaniæ Comite, & aliis proceribus, & cum tantis copiis, ut unus Guillelmus sexaginta equitum millia duxisse perhibeatur, neque minorem peditatum. Tum trecenta Christianorum millia simul confluxisse ferunt; quæ multitudo ab Alexio prodita Saracenis, quinquaginta millia suorum perdidit, cum omnibus impedimentis; ac variis itineribus in Syriam tandem rerum omnium egena pervenit. In hâc viâ Tarsi mortuus est Hugo ex morbo, ibique Hierosolymum cœlestem, non terrenam, citiùs quàm sperabat invenit.

*Christianorum res præclarè gesta.*

Tum autem Balduinus bene usus novorum hospitum alacritate progressus est adversùs Saracenos, qui ad eum obruendum trigesies centies armatorum millia confecerant, spe insuper additâ à suis Sacrificulis de certâ exploratâque victoriâ. Nihilominus, licet initio victores, ad crucis aspectum (quæ præferebatur Regi) ingenti cæde deleti sunt. Joppe pariter ab iisdem Arabibus obsessa ejusdem signi virtute liberata est. Appulerunt denique cum suâ classe Genuenses, quorum operâ Antipatris & Cæsarea maritima captæ sunt: Christianis Orientalibus lætis hic annus infaustisque permixtus, quibus tamen læta prævaluere.

Obiit hoc anno Carthusiani Ordinis conditor S. Bruno prid. Non. Octob. vir cœlo, atque terris acceptissimus, qui idem quoque bonum filiis suis impetravit à Deo. Hic Ordo multùm, & nondum satis, à plerisque laudatus est, inter quos excelluere Petrus Cluniacensis, & S. Bernardus Claravallensis Abbas, à quibus laudari tum, fuit excellentissimæ virtutis testimonium.

MUNDI 5155. CHRISTI. 1102.

Henricus III. Imperator, hactenus impius & schismaticus, factus est hoc anno hæreticus, docens esse nihili faciendam excommunicationem. Interea Robertus Flandriæ Comes redux ex Hierosolymitanâ peregrinatione schismaticos exagitavit, & Comitissa Mathildis donationem factam Gregorio VII. cujus instrumentum perierat, novo Diplomate confirmavit; Ecclesia in Oriente & Occidente floruit, licèt utrobique inter bellicos tumultus.

MUNDI 5156. CHRISTI 1103.

Christianorum centum quinquaginta millia hoc anno in Occidentem trecentis navibus renavigantes, tempestate correpti magnâ ex parte perierunt; reliqui à Turcis intercepti in durissimam servitutem adducti sunt. Hoc eis terram sanctam reliquisse, & nimio patriæ arsisse desiderio profuit.

S. Anselmus Romam missus, ut Angliæ Regi investituras obtineret, cùm id ne tentare quidem summâ animi fortitudine voluisset, jussus est à Rege suo Lugduni in exilio subsistere, bonis ejus Eccle-

Ecclesiæ proscriptis. Sed non erat is Anselmus qui his terreretur, Deo ac suâ virtute subnixus.

MUNDI 5157. CHRISTI 1104.

Bohamundus Antiochiæ Princeps carcere Saracenico diu detentus, ac dimissus tandem, persoluto ingenti pretio, rediit in Italiam, & secum adduxit Daibertum Patriarcham Hierosolymitanum, à Rege Balduino artibus impiissimi Arnulphi Archidiaconi ejectum, substituto ei Ebremaro. Perrexit autem in Galliam Bohamundus, ei etiam additis Legatis à Pontifice, ut à Philippo peteret sibi conjugem Constantiam filiam Regis legitimam, & Tancredo nepoti suo Cæciliam alteram filiam natam ex pellice; quò ambo tanto freti socero, non Saracenis modò, sed & schismaticis essent metuendi.

MUNDI 5158. CHRISTI 1105.

Circa hoc tempus appulere in Palæstinam, Anglorum, Danorum, & Flandrorum decem millia, neque multò pòst Norvegiæ Rex cum decem aliis millibus armatorum; qui omnes egregiam Balduino, ac Christo, navarunt operam, non fortes modò, sed & piissimi bellatores. Quare mox Rex Balduinus insignem de Saracenis, prævio S. Crucis ligno, victoriam retulit: cujus tamen retusa est lætitia, auditâ morte Raymundi Comitis Tholosani, cujus magna fuerat gloria militaris, sed & laus pietatis illustrior.

Hoc anno movit in Patrem Henricum III. Imperatorem filius Henricus, qui à proceribus Rex creatus coacto Concilio, se summo Pontifici submisit, Catholicam ubique fidem, & Episcopos restituit: professus tamen se obsecuturum patri, simul atque Rom. Pontifici ille paruisset; idque promisit parenti in colloquio apud Bingam. Mittit itaque Imperator ad Pontificem, sibi fidum hominem, qui de concordiâ & pace cum ipso ageret. Interim habita est Synodus Moguntiæ, & ad locum vicinum Ingelheim, ad vitandum tumultum, venit Henricus pater, ubi promisit plura quam postulabantur; nec tantum, sed quia id res suas videbat exigere, deposuit insignia Imperii Crucem, Lanceam, Sceptrum, Globum, & Coronam, quæ suo filio tradidit; submissusque in omnibus Pontifici, ipse quasi privatus in privatum locum secessit. Schismatici tamen fautores ejus ajunt compactum fuisse in carcerem; quod & ipse rebus suis restitutis asseruit; sed eâ fide, quâ schismatici & scelerati valent.

Tum autem jussu Paschalis II. ossa Guiberti Pseudo-pontificis, Ravennæ sepulta, exhumata sunt, & in profluentem conjecta, ut pœnas salsem resolveret mortuus, quas vivus pomeruisset.

MUNDI 5159. CHRISTI 1106.

Henricus senior fugit Coloniam, inde Leodium, ubi de Pontifice & filio graviter conqueritur, ac copias in Germaniâ conficit. Idem quoque præstat Wernerus ad Aquinum, & corruptis pecuniâ nonnullis Romanorum, dum ageret Paschalis Beneventi, Pseudo-Abbatem de Farsâ intrudit in sedem Petri, sub nomine Sylvestri; qui tamen mox à Catholicis turpiter ejectus, agnovit quantùm viris bonis ac sui dissimilibus placeret.

*Moritur Henricus III. Imp.* Aliunde Henricus Imperator, dum cogit exercitum, miris artibus Paschalem ludificabat, mira pollicitus, donec in tuto res ejus essent, ac copiæ convenissent. Verùm Deum ludere non potuit, qui hominis perjuri supplicio nequaquam defuit 7. enim Id. Aug. Henricus Imp. repentinâ sublatus morte, pœnas ei graves dependit, quia sempiternas: obiit enim schismaticus, hæreticus, apostata; quare cadaver ejus ex loco sacro prope Spiram exhumatum, & in prophanum translatum est. Hujus Principis impii morte toti Ecclesiæ pax reddita est, Henrico filio ejus tam pio, subditoque Pontificibus quam pater ejus sceleratus, & refractarius extiterat.

*Philippus Rex Franciæ moritur.* Philippus Francorum Rex, ætatis ann. 60. regni duodequinquagesimo, mœrore confectus 4. Kal. Aug. obiit ex morbo Meloduni; sepultus, uti statuerat, in monasterio S. Benedicti ad Ligerim, propter ejus dissidia cum Monachis Sandionysianis. *Succedit ei Ludovicus Crassus.* Huic statim suffectus est Ludovicus cognomento Crassus, vir pius & fortis, cui tamen seditiosi aliqui & rebelles obstiterunt; quare 3. Non. Aug. Aureliis Rex inunctus est ab Archiepiscopo Senonensi. Quòd factum cùm vehementer improbaret Rhemensis Antistes, Yvo Carnotensis defendit, & tanti Præsulis sententiam mox Paschalis Pontifex, atque universa Gallia comprobavit.

MUNDI 5160. CHRISTI. 1107.

*Hierosol. turbæ placantur.* Paschalis ut turbas Hierosolymis exortas de Patriarchatu sopiret, eò misit Gibelinum Archiepiscopum Arelatensem. Hic Ebremarum intrusum à Balduino Rege deposuit: quia tamen vir mitis & simplex erat, atque invitus & ingratis electus, datus est Præsul Ecclesiæ Cæsariensi tum vacanti. Cùmque magna esset exorta Clerum inter & populum disceptatio, communibus votis utriusque partis postulatus Gibellinus sedavit litem. Quod tamen fraude Arnulphi & Archidiaconi contigisse suspicari licet; oblato seniori Patriarchâ, cujus in locum ipse successurus erat.

*Henricus Anglus vexat viros sanctos.* Anglorum Rex Henricus reconciliatus S. Anselmo, ejus precibus, uti creditur, vicit fratrem suum Robertum Normanniæ Ducem, ex Palæstinâ jamdudum reducem; ejusque ditionem totam occupavit. Mox tamen ad ingenium rediit, & abire compulit ad Romanum Pontificem Heribertum Cenomanensem Episcopum, virum fortem, & qui unum reformidaret Deum; genus hominum viris Principibus improbis metuendum.

MUNDI 5161. CHRISTI. 1108.

*Lites de Patriarchatibus Hierosol. & Antioch.* In Oriente lis exorta de limitibus Patriarchatuum Hierosolymitani & Antiocheni inter Bernardum, & Gibelinum, dirempta est utcumque à summo Pontifice; ita tamen, ut ex hoc judicio novæ lites orirentur.

*Paschalis in Italia re. ordinat.* Paschalis in Italiâ compressit Tyrannos, hoc est, qui Ecclesiæ bona sibi addicerent; quales erant Ptolemæus Comes Tusculanus, & Petrus Columna Farfensis Abbas: quibus oppositi Petrus Leo, & Leo Frangipanis, rem Ecclesiæ fortiter defenderunt; dum Pontifex Beneventi eam per Synodum ordinaret, ex æquo prudens & fortis.

MUNDI 5162. CHRISTI. 1109.

*Initia Burdini Braccarensis Archiep.* Hoc anno Burdinus Episcopus Braccarensis, quis esset detexit: Is probitatem simulans, Lemovicibus abstractus est à Bernardo Archiepiscopo Toletano, à quo factus Archidiaconus, postea ad Conimbricensem, deinde ad Braccarensem, ejus operâ promotus est. Cùm autem exorta esset persecutio ab Alphonso Rege, & Bernardus exulare compulsus esset, venit Romam Burdinus, & se Mauritium appellavit. Hic Paschali pecuniam obtulit, ut in locum Bernardi benefactoris sui collocaretur. Verum rejectus à Pontifice uti Simoniacus, & ingratus, postea adhæsit Henrico Germanicæ Regi, cujus in amicitiam se modis omnibus insinuavit; nec quievit nisi cùm in Petri Sedem Pseudo-pontifex irrepsit, malitiâ sicut ætate provectior & corroboratior. *Alphonsi Aragonis illicita nuptiæ.* Alphonsus autem Aragoniæ Rex, acceptâ Uracâ Regina, filiâ Alphonsi Castellæ Regis nuper defuncti suis illegitimis & incæstis nuptiis prima mali hujus causa fuit. Jussus est enim Paschalis nomine à Bernardo consanguineam illam suam dimittere: at cùm rebelles in Ecclesiam extitissent ambo, mox vindicem sensere Deum. Uraca enim morte subitâ media crepuit; Alphonsus à Saracenis cæsus: nuptiæ fatales utriusque crudeli morte dissolutæ sunt.

*Mors S. Anselmi, & Hugonis Cluniacensis.* Obiere hoc anno duo viri sanctissimi, Anselmus Archiepispiscopus Cantuariensis XI. Kal. Maji, & Hugo Cluniacensis Abbas 3. Kal. ejusdem mensis; ambo ætate provecti, ambo multis laboribus pro Ecclesiâ obitis illustres; quorum diem natalem eadem recolit, utrique grata simul & justa.

MUNDI 5163. CHRISTI. 1110.

*Betlehem fit Episcopalis.* Bethlehemum civitas erecta est in sedem Episcopalem authoritate Paschalis per Legatum suum: cui Balduinus assignavit dotem, ut se pium in Christum nascentem profiteretur.

*Henr. IV. Imp. venit in Italiam.* Henricus IV. Germaniæ Rex, cum ingenti exercitu venit in Italiam, ut coronam Imperii Romæ de manu Pontificis exciperet. Cùm itaq; Paschalis ab eo armato sibi veretur pacta iniit quæ nec Imperio nec Ecclesiæ nocuissent, si ea servasset Henricus, hæreditario jure perfidiosus.

## C A P. II.

### *Decas Secunda,*

*Ab anno Christi* 1110. *ad* 1120.

MUNDI 5164. CHRISTI. 1111.

*Moritur Bohamundus.* Obiit hoc anno Bohamundus vir fortissimus, sepultus Canusiæ in Apuliâ; successit ei filius nomine similis, sed non fortitudine. Eodem quoque anno à Balduino Rege capta Berytus, & paulò pòst Sidon; sed auxilio Danorum, & Norvegorum, quos pietas in Orientem pertraxerat, hic etiam quàm in patria generosiores.

Henricus ingressus urbem, pactis stare recusavit, ac Pontificem multosque Cardinales vinctos detinuit: quare Romani aliquot ex Germanis interemere. Pontifex cum suis deductus ad Sabinos, in arctissimâ custodiâ, spoliatus insignibus detentus est. Tandem non tam suâ, quàm comitum calamitate permotus acquievit Henrici petitioni de Investitutis; sicque coronatus in æde S. Petri, sed januis clausis, Henricus IV. Imperator, sicque Paschalis dimissus liber improbavit. Henrici sacrilegium Pontifex, sed festinandum lentè in eo emendando judicavit: quod dum ardentiùs damnare volunt Cardinales quidam, alioqui viri boni, nihil propiùs factum est, quàm ut Ecclesia schismate discinderetur; viris etiam sanctis in duas factiones divisis.

MUNDI 5165. CHRISTI. 1112.

Alexius Comnenus misit Romam Legatos, ut Romæ consecraretur Imperator: quare ferè sexcenti Romani ad eum deducendum perrexere Constantinopolin. Sed id negotium evanuit, quia Græci Principis fide subnixum erat.

Hierosolymis mortuo Gibelino Patriarchæ successit Arnulphus Archidiaconus, carcere quàm hâc sede dignior. Obiit, & Tancredius Princeps Antiochiæ, vir fortissimus atque piissimus; cujus hæres Rogerius ita degeneravit ab ejus moribus, ut ejus filius esse nequaquam crederetur.

Celebratum est Concilium Romæ in Palatio Lateranensi, de causâ Henrici IV. in quo combustum est privilegium huic à Pontifice concessum, & lata in fautores ejus excommunicatio: quod iterum factum in Concilio Viennensi sub Guidone urbis hujus Episcopo. Ut tamen in eum libraret anathema Paschalis adduci non potuit; quare ut mollior habitus est à viris sanctis, nec satis retinens Pontificiæ dignitatis, qui tamen eum arguere contenti, cum eo vixere, magno Ecclesiæ bono, conjunctissimi.

MUNDI 5166. CHRISTI. 1113.

Turcæ depulsi Hierosolymâ, quam obsederant, in montem Itaburium seu Thaborem, ejusque incolas monachos Cluniacenses, furorem convertêre, quos glorioso Christi vultu potituros inseruerunt cœlo. Exinde tamen res Christianorum in deterius ire cœperunt, cùm hoc tempore, suadente impio Arnulpho, Balduinus incæstas nuptias contraxisset, ductâ Siciliæ Comitissâ relictâ Rogerii, priori suâ uxore superstite. Iratus enim Deus huic adesse desiit, cujus tantùm auxilio victor, & incolumis extiterat.

Hoc

Hoc anno S. Bernardus nobilis Burgundus annos natus 22. cum sociis plusquam 30. Cistertium venit, ut sub Stephano Abbate viveret, ubi virtutis ea fundamenta fecit, ut fieret propemodum arbiter Ecclesiarum atque Regnorum.

MUNDI 5167. CHRISTI. 1114.

Mortuus esse putatur hoc anno Yvo Carnotensis Episcopus, vir eruditus, & fortis, magnum Ecclesiæ lumen, quod etiamnum in ejus lucubrationibus elucet.

MUNDI 5168. CHRISTI. 1115.

Expulsus est ex Hierosolymitanâ sede Arnulphus Patriarcha per Legatum Pontificium in Orientem missum. At ille navigans Romam, tam blandè Paschalem affatus est, tam multa munera in ejus comites & famulos effudit, ut in sedem remitteretur suam; hoc est, ad pristinam vivendi licentiam, & contaminatissimos mores.

In Germania Moguntini compellunt Henricum dimittere Archiepiscopum suum Adalbertum, quem habebat in dirissimâ custodiâ, adeò ut huic essent tantùm pellis & ossa præ miserâ macritudine. Hic Adalbertus quondam Cancellarius Henrici, & præcipua causa sacrilegii, factus Archiepiscopus ad se rediit, & insurrexit in Imperatorem; quare ab eo crudeliter habitus est. Tunc autem in Synodo Coloniensi consecratus, & laudatus ab omnibus, ab hominibus & à Deo, præmium constantiæ suæ virtutisque retulit.

Mortua est hoc anno Mathildis Comitissa, de Romanâ sede optimè merita, cui non tantum bona sua, sed & se totam addixit; virilis animi fœmina, ideoque par Imperatoribus, ac sæpe superior.

MUNDI 5169. CHRISTI. 1116.

Chrysolanus Mediolanensis Archiep. missus in Orientem à Paschali, hoc anno egregiè disputavit adversus Græcos de processione Spiritus Sancti, nullo alio opere pretio, quam ut ille se eruditissimum, hi se in hæresi contumaces præstarent. Habuit autem adversantes sibi Joannem Monachum, Nicolaum Methonensem, Eustratium, Nicænum, & Blemmidem, cognomento Sapientem, omnes discipulos Photii, omnes Marci Ephesini doctores, & mali germinis malos propagatores.

Hoc anno tandem in Concilio Lateranensi Paschalis Papa, publicè confessus errorem suum, privilegium concessum Henrico de investituris rescidit, & Laicas investituras sub anathemate dantis & accipientis damnavit. Approbavit item facta à Legatis suis Conone Episcopo Prænestino & Guidone Viennensi Archiepiscopo: verùm ut Henricum ore suo damnaret impelli nunquam potuit; tam altè extortum per vim juramentum ejus animo insederat.

MUNDI 5170. CHRISTI. 1117.

Rediit tum in Italiam Henricus IV. quasi amicè impetraturus, quod per vim extorserat à Paschali: sed obsistentes Catholicos impugnabat armis. Itaque Paschalis se contulit Beneventum, unde ab Henrico rogatus absolutionem, eam denegavit; maximè cùm Imperator in æde S. Petri per Burdinum nefarium illum Braccarensem Episcopum se inaugurandum curasset. Quâ de causâ idem Burdinus in Synodo mox excommunicatus est, qui jampridem fidem omnem & religionem perdiderat, Imperatoris & gloriæ vile mancipium.

Obiit hoc anno cum magna sanctitatis opinione Robertus de Abruscellis conditor illustrissimi Cœnobii Fontis-Ebraldi. Hunc Ebraldum nobilem juvenem infestantem vias cum manu grassatorum ad meliorem revocavit frugem, ibidemque monasterium condidit, in quo viros à virginibus distinctos collocavit, ac sanctissimis legibus instituit, sub unâ & eâdem Abbatissâ, quæ summum jus etiam in viros habebet, in honorem B. Virginis, quam S. Joannes Evangelii scriptor piè creditur Dominam suam coluisse. Probatum est id institutum à summis Pontificibus; quare sine causa id convellere turbulenti quidem conati sunt. Quòd autem hunc Robertum graviter increpuerint Gaufridus Vindocinensis Abbas, atque ejus Episcopus Rhedonensis Marbaudus, quorum Epistolæ typis excusæ sunt, & Monachus quidam Salmuriensis, cujus adhuc scripta latere dicuntur; de his mihi statuere, & pronunciare non licet. Hoc assero, Robertum hunc charum S. Bernardo fuisse, laudatum à Petro Venerabili Abbate Cluniacensi, ac multis in vita, & post obitum miraculis illustratum esse; quantumvis in quibusdam visus sit imprudentior à nonnullis, at ex judicio potiùs, quàm voluntate peccasse, quæ sola obstit sanctimoniæ atque pietati. *Roberti de Abruscellis obitus.* *Improbatus à quibusdam.*

Spectare videtur ad hunc annum Ordo Equitum S. Joannis Hierosolymitani; cujus creatus est magister (mortuo Rogerio, qui Girardo successerat) Raymundus de Puteo Delphinas. Hic enim cùm antea ejus religiosi curarent tantùm ægros, atque peregrinos, eos etiam ad arma capessenda incitavit, & in tres divisit classes, Equites, Servientes, & Ecclesiasticos. Dicti sunt autem S. Joannis, vel Baptistæ, vel Eleemosynarii, quòd eorum Nosocomium alterutri sanctorum istorum consecratum esset, propè Basilicam S. Mariæ Latinæ, quæ condita fuerat, antequam Christiani Occidentales Palæstinam occuparent, à Melphitanis mercatoribus, impetratâ ab Ægyptio Sultano potestate. Ex quo autem arma tractare cæperunt hi Equites, antea pii atque liberales, facti sunt exemplar veræ atque Christianæ generositatis. *Ordo Equitum S. Ioan. Hierosolymitani.*

MUNDI 5171. CHRISTI. 1118.

Hoc anno exortus est Ordo Templariorum, initio ducto à novem viris nobilibus, quorum præcipui fuerunt Hugo de Paganis & Gaufredus de S. Ademaro. Dicti sunt porrò Templarii, quòd eis Balduinus partem sui Palatii juxta Templum, & Canonici Templi eis plateam vicinam concessissent. Eorum autem prima cura fuit, *Ordo Templariorum.*

fuit, vias ad Sanctam Civitatem tutas reddere, & peregrinos omni ope auxilioque tueri. His postea vestis candida fuit assignata cum Cruce, & scripta regula, quam satis accuratè servarunt, donec facti sunt ditissimi atque potentissimi, ipsisque adeo Principibus ac Regibus metuendi; quæ eorum ruinæ præcipua causa fuit.

*Balduinus Rex Hierosʃ moritur.* Mortuus est hoc anno Balduinus Rex Hierosolymitanus, sed pœnitens, ob novam uxorem superinductam, quam & remisit in Siciliam: Successit ei Balduinus de Burgo affinis ejus, vir fortissimus, & egregiè pius: cui cùm opponeretur à quibusdam Eustachius Bonomensis Comes, Regis defuncti frater, sponte hic jure suo cessit, plurisque fecit tranquillitatem publicam, quàm propriam dignitatem. Elatus quoque eodem ferè tempore impius Arnulphus Patriarcha; cui successit Guarimundus Ambianensis; vir dissimilis antecessori suo, electusque ut ejus perperam facta religiosiùs emendaret.

*Alexius Comnenus moritur.* Obiit tum & Alexius Comnenus 18. kal. Sept. cùm imperasset annis 37. mensibus 4. vir Catholicus, uti testatur Euthymius Zigabenus, qui ejus jussu Panopliam scripsit adversus omnes hæreses. Certè Basilium quendam authorem hæresis Bongomilorum publicè flammis vivum exuri jussit: cæterùm sceleratus fuit, & invidus gloriæ Francorum, & rem Christianam in Occidente pessundare conatus. *Succedit Calo Ioannes.* Successit ei primogenitus filius Calo-Joannes, hæres Imperii, & paterni in Latinos odii, atque æmulationis.

*Paschali II. succedit Gelasius II.* Mortuus est & Paschalis II. Romæ, ac sepultus XI. Kal. Febr. cùm sedisset annos duodeviginti, menses 5. dies 4. cui successit Gelasius II. Monachus Cassinensis, Joannes olim dictus; & invitus atque reclamans inductus est in Petri sedem. Verùm statim adfuit Centius Frangipanis, à quo Pontifex pugnis & calcibus malè mulctatus est, dissipati atque spoliati Cardinales. Verùm Catholicis accurrentibus, retractus est ex vinculis & in Lateranense Palatium magnâ pompâ reductus. Vix respirabat, cùm Henricus adesse nunciatur: itaque Ostiam fugit Pontifex secundò Tiberi; ubi cùm nihil propius factum esset, quam ut aut raperetur, aut cæderetur à Germanis tela venenata spargentibus, neque tempestas eum se committere mari concitato pateretur, eum senem humeris suis impositum *Hugonis Cardin. in Papam pietas.* Hugo de Alatro Cardinalis Ardeam detulit nocte concubiâ, atque in castro S. Pauli deposuit. Inde paulò pòst, discedentibus Germanis, Cajetam in patriam suam navigavit; ubi Kal. Mart. coram multis proceribus & Antistitibus consecratus est, fuso sanguine suo Pontificatum auspicatus.

*Burdinus fit Pseudo-Papa.* Intrusus in Gelasii locum nefarius ille Burdinus, curante Henrico, dictusque Gregorius; qui & relictus est in Urbe, dum recessit in Germaniam Imperator. Hîc enim Conon Legatus Pontificius adversus eum procerum conventum indixerat. Rediit quoque, aut potiùs irrepsit in Urbem Gelasius, sed latens; deprehensus autem à Frangipanis tantùm non est captus, ægrèque impositus equo cum sacris vestibus fugit; ac demum se recepit in Gallias, tutum semper ac patens miseris & afflictis Pontificibus Asylum. *Gela[sius] fugi[t in] Galli[as].*

MUNDI 5172. CHRISTI. 1119.


Gelasius II. Pontifex in monasterio Cluniacensi obiit 4. Kal. Feb. admonitis Cardinalibus ut eligerent sibi successorem Cononem Episcopum Prænestinum, vel Guidonem Archiepiscopum Viennensem. Cùm ille recusasset dignitatem obstinatiùs, hic absens electus est: cùmque advenisset, & constanter detrectaret onus, victus tandem precibus & lacrymis omnium acquievit, dictusque Callistus II. ejusque electio omnium consensu Romæ approbata. Germani autem Triburium convenientes adversus Henricum, eò reum venire perpulerunt; qui & tum pollicitus est venturum Rhemos ad Synodum Callisti jussu collectam. Adfuit huic Concilio 424. Episcoporum, Rex Francorum; Henricus ex vicino Legatos misit: sed sententiâ excommunicatus ostendit se nihil aliud egisse demissione suâ, & falsâ pœnitentiâ, quàm ut superbior, & sceleratior existeret. *Gela[sio] succ[edit] Call[istus] II.* *Hen[ricus] exc[ommu]nic[atur].*

MUNDI 5173. CHRISTI. 1120.

Mortuus est hoc anno in Oriente Rogerius, qui Antiochenum Principatum usurparat, vulneratus in prælio; quod malè Christianis cessit: melius tamen obiit, quàm vixerat, sic tamen ut à peccatis suis tantùm desertus fuisse videatur. Balduinus autem, cum Comite Tripolitano, obviam Turcis progressus, prævio signo S. Crucis, insignem de iis retulit victoriam. Mox celebratum Concilium Neapoli, seu Samariæ, *Naplouse*, ad corrigendos Ecclesiasticorum mores, immò Christianorum omnium Palæstinorum; quorum ex pietate pendere victorias suas jampridem Principes intellexerant. *Re[s] Ori[entis] gest[æ].*

Callistus II. Viennensem Archiepiscopum præficit tribus Aquitaniis, Narbonensi, Aquensi, Ebredunensi, & fortè Tarentasiensi; quibus gestis repetit Italiam, recipiturque Romæ 3. Non. Junii. Burdinus se in arcem Sutrinam recipit, expectaturus Imperatorem. Callistus benè mereri de Normannis conatur, ut per eos munitionem Sutrinam expugnaret; quorum Dux Guillelmus Pontificem non tantùm uti dominum, sed ut Christi Vicarium suscepit, functus apud eum officio Stratoris. *Ar[chiepi]sco[pus] ...*

S. Norbertus Ordinis sui fundamenta jecit, sub regulâ S. Augustini sociis collectis, atque in Præmonstrato collocatis in Diœcesi Laudunensi; hinc Ordo Præmonstratensis audiit. Vir verbo potens fuit, quod vitæ sanctitate, ac miraculis condiebat; atque hoc tempore fuit utile adversus Schismaticos Principes Pontificis instrumentum. *Ex[ordium] Or[dinis] Pr[æmon]str[atensis].*



## CAP. III.

### *Decas Tertia.*

*Ab anno Christi* 1120. *ad* 1130.

MUNDI 5174. CHRISTI. 1121.

CAllistus II. exercitu Romanorum & Normannorum collecto, Burdinum Pseudo-Pontificem obsidet in arce Sutrinâ, ac tandem capit: huic milites illusere turpiter, ægrè huic à Callisto vita impetrata, ducto in Campaniam ad perpetuum carcerem. Nec ferè melior Henrici conditio fuit, quem sic exagitavit Adalbertus Moguntinus Archiepiscopus, ut missâ Legatione, quâ penitùs submittebatur Concilio, se ad ultimas angustias redactum homo superbissimus fateretur.

MUNDI 5175. CHRISTI. 1122.

Celebris est hic annus pace redditâ Ecclesiæ per celebratum generale.

### CONCILIUM LATERANENSE PRIMUM.

Cui interfuere trecenti & ampliùs Episcopi, atque in eo actum de unitate Ecclesiæ, ac peregrinationibus Syriacâ & Compostellanâ, quas Callistus multis privilegiis exornavit. Missi inde Legati ad res Germaniæ componendas cum ipsis Legatis Germanicis, à quibus coacta est Vormatiensis Synodus. In ea porrò divinitus immutatus Henricus, ex animo reddidit obsequium Pontifici, ejurato jure investituræ, de quo tantopere Antecessores ejus disceptarant, & redditis bonis omnibus ereptis; sicque cum omnibus fautoribus suis absolutus est. Concessum ei tamen, ut eo præsente electiones Episcoporum & Abbatum regni Germanici sine vi ac simoniâ fierent, electique in ejus regno, & Imperio, ab eo per Sceptrum Regalia sumerent, iis exceptis, quæ Juris Pontificii esse cognoscerentur. Ita pax inexpectata coaluit, quæ firma atque syncera nunquam ab hominibus, semper è cœlo venit.

MUNDI 5176. CHRISTI. 1123.

Pellectus in insidias à Balacho potentissimo Turcarum Rege Balduinus II. captus est, & detentus in custodia duodeviginti mensibus, tandem grandi pecuniâ redemptus est. Neque tamen Christiani desponderunt animos, maximè cùm Venetorum adfuisset classis, quæ Ægyptiacam, numero licèt majorem, superavit. Venetorum quoque auxilio capta Tyrus, hactenus credita inexpugnabilis; ideoque magno honore suscepti fortes illi auxiliatores, dictique Terræ Sanctæ Servatores.

Joannes Comnenus Imperii sui anno 5. innumerabiles Scytharum copias Thraciam invadentes cum aliis Barbaris, repetito sæpe prælio, devicit ope Dei Genitricis, cujus imaginem impositam curru Constantinopoli triumphare voluit, quam pedes ipse præcedebat; hâc demissione, & grati animi significatione, meritus sæpe triumphare.

Callistus Galliciam totam subjecit Archiepiscopo Compostellano, quem & Metropolitam creavit. Fuit enim hic Pontifex addictissimus S. Jacobo, & ad ejus corpus peregrinationes omni ope promovit, non peregrinis tantùm, sed & Hispanis eorum operâ defensis salutares. *Compostellana sedes.*

MUNDI 5177. CHRISTI. 1124.

Christiani Syriæ tùm in magnas angustias redacti, capto Rege suo, & quadraginta Turcarum millibus in eos irruentibus, Ninivitarum more jejunarunt. Hoc freti præsidio, ter mille processerunt obviam hosti cum Cruce ac Lanceâ Christi, itemque cum lacte B. Virginis. Victi hostes, cœlesti lumine territi multa suorum millia perdidere, Christianorum periit prorsus nemo, ne de victoria divina dubitaretur. *Christianorum à cœlo victoria.*

Obiit hoc anno Callistus II. 14. Kal. Jan. cùm sedisset annos 5. menses 10. & dies aliquot. Statim convenientes Cardinales elegere Theobaldum Presbyterum Cardinalem S. Anastasiæ, reclamantem licèt, ac Cœlestinum appellavere. At dum Hymnus in gratiarum actionem occineretur, Robertus Frangipanis, cum suis fautoribus, Lambertum Cardinalem Episcopum Ostiensem, Hymnum pro Theobaldi electione canentem, Pontificem dixit; unde magnus est tumultus exortus; qui tamen paulò post mirabiliter est repressus, convenientibus omnium suffragiis in Lambertum, qui dictus est Honorius II. humili loco natus, sed eruditus, & sanctus; quod statim ostendit. Nam post dies 7. coram omnibus Cardinalibus 5. Kal. Jan. depositis mitrâ & manto, dignitati summæ renunciavit; jussus tamen illico abjecta Pontificatus insignia recipere, & ab omnibus uno consensu iterum Pontifex acclamatus, eo dignior quòd se sponte tanto honore spoliasset, magno suo totiusque Ecclesiæ bono. *Callisto II. succedit Honorius II.*

Electus est hoc anno S. Malachias Connerensis Episcopus, disciplinæ Ecclesiasticæ in Hibernia restitutor; vir illustrissimus, & sanctimoniæ suæ Bernardum nactus sanctum laudatorem. *S. Malachias fit Episcopus.*

MUNDI 5178. CHRISTI. 1125.

Henricus IV. Imperii sui anno 15. collecto grandi exercitu, movet in Ludovicum Crassum Francorum Regem, & Rhemos civitatem parat exscindere, in qua fuerat aliàs excommunicatus. Expedit aliunde copias Ludovicus, accersitque S.S. Dionysii ac sociorum ejus patrocinium, ex quorum arâ Vexillum accipit. Quo apparatu territus Henricus, aut potiùs injecto divinitus terrore, fugienti similis rediit in Germaniam suam, ubi mox ex mœrore rei malè susceptæ, ac pejùs gestæ, creditur interiisse. *Henrici IV. infausta expeditio.*

Enimverò hoc anno 10. Kal. Junias expiravit Henricus IV. Imperator, nullo relicto hærede masculo; unde tum ad Saxonas Germaniæ regnum, *Ejus obitus.*

num, mox etiam Imperium translatum est. Lotharius enim Dux Saxonum Moguntiæ Rex electus est 3. Kal. Sept. maximè rem promovente Adalberto; & Idibus Sept. coronatus Aquisgrani. Ab eo Henrici progenies exagitata est, atque ejus affines vexati, ut vir impius in se mulctatus sæpe, in suis etiam post obitum castigaretur.

MUNDI 5179. CHRISTI. 1126.

*Petri Venerabilis initia.* Petrus venerabilis nobilis Aquitanus, patriâ Arvernus, ex militia, in qua sanctè vixerat cum gloria, factus monachus, Cluniacensi præpositus est monasterio, mortuo Hugone Juniori, qui Pontio successerat, ob crudelitatem & sacrilegia Romæ excommunicato, atque exautorato. Petrus autem hoc Cœnobio deinceps accepit nomen cui vicissim reddidit gloriam, ac venerationem.

*Tanchelinus & Bruisus hæretici.* S. Norbertus egregiam hoc anno navavit operam adversus Tanchelinum, Antverpiæ & in Brabantia suas hæreses disseminantem, cum tribus millibus armatorum, quibus metum omnibus incutiebat. Cæterùm hoc hypocritâ nemo turpior, nemo insolentior fuit; atque in ejus fastu retundendo plus fuit S. Norberto, quàm refutandis ejus erroribus, laborandum. Tanchelino quoque σύγχρονος fuit Petrus Bruisius, vivus exustus ob sparsas hæreses ad fanum S. Ægydii, in quem meritò Novatores nostri sectæ suæ primordia possint refundere.

*Ordo Grandimontensis.* Obiit hoc anno S. Stephanus Arvernus, conditor & parens Ordinis Grandimontensis, Idib. Febr. octuagenarius, multis miraculis clarus; quem etiam legati Pontificii invisendum in eremo suâ putaverunt.

MUNDI 5180. CHRISTI. 1127.

*Guillelm. Tyrius Archiep. Tyri creatur.* Hoc anno Guillelmus Anglus, belli Sacri Scriptor accuratissimus, creatus est primus Archiepiscopus Tyrius; in qua sede ex æquo benè vixit, ac scripsit.

*Rogerius Siciliæ Comes.* Rogerius Siciliæ Comes, hoc anno Guillelmo Duci Apuliæ atque Calabriæ mortuo Salerni sine liberis, patruus successit; contemptoque Honorio, ejus etiam agris intulit vastitatem. Sed armis domitus, eidem se submittere coactus est, factus non tantùm ex jure, sed ex necessitate Clientelaris.

*Templariis datæ leges.* S. Bernardus hoc anno certam Templariis vivendi formam præscripsit: laboravit & apud Ludovicum Franciæ Regem pro Episcopis, jam melioribus, & officii sui sollicitis magis, quos Rex ad officia Palatina, immò & ad militiam advocabat, atque compellebat; mirante Galliâ, egentem Monachum arbitrum fieri Regis, atque Pontificum.

*S. Norbertus Archiepisc. Magdeburgensis.* Creatus est denique hoc anno Archiepiscopus Parthenopolitanus seu Magdeburgensis S. Norbertus; cui electioni non est ausus vir sanctus resistere, admonitus jam ante biennium à Deo multùm sibi laboris imminere; cujus potiùs in hac dignitate, quàm pompæ sollicitus erat.

MUNDI 5181. CHRISTI. 1128.

Hoc anno Guarimundo Patriarchæ Hierosolymitano, Sidone mortuo, suffectus est Stephanus Abbas S. Joannis Carnotensis, affinis Balduini, & moribus adhuc quàm claritate generis illustrior. Is Hierosolymam peregrinatus dum cogitat de reditu, in hanc sedem reclamans inductus est. Sed quòd obsisteret Regi constantiùs pro juribus Ecclesiasticis, creditur intra biennium veneno sublatus esse, Martyr occultus Ecclesiæ.

MUNDI 5182. CHRISTI. 1129.


S. Bernardus hoc quoque anno egregiam Ecclesiæ navavit operam, Catalaunensi Ecclesiæ curans Episcopum piissimum, quam Henricus quidam Virdunensis depositus ambiebat; neutrâ dignus, qui vel unam prensaret.

MUNDI 5183. CHRISTI. 1130.

Christiani Orientales novis aucti viribus, iisque magis quàm Deo præfidentes, magno apparatu Damascum obsedere; ex qua depulsi ventis, imbribus, pestilentiâ, autorem victoriarum suarum Deum agnoscere compulsi sunt. Tum quoque Stephano successit Patriarcha Hierosolymitanus Guillelmus, patriâ Mechlinienis, vir optimus, ut geminatum mœrorem pietate ac virtute suâ demulceret.

Celebris est hic annus schismate Innocentii II. & Anacleti Antipapæ. Mortuus est enim tum Honorius II. Romæ 16. Kal. Mart. cùm sedisset annos 5. mensem unum, ac dies 17. eàdemque die electus est Gregorius Cardinalis S. Angeli ex nobili Romanâ familiâ, & olim Monachus, dictusque Innocentius. At oppositus ei statim Petrus Leonis Cardinalis, dictusque Anacletus II. olim Monachus Cluniacensis, sed qui ex claustro nihil pietatis, nihil religionis extulerat. Hic enim mox Basilicas Romanas diripuit, & pecuniam in cives sibi addictos effudit: quare cum suis in Galliam fugere coactus est Innocentius, communem miserorum Pontificum sedem. Huic faverunt Germaniæ, Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Hispaniæ, Hierosolymorum Reges, & qui majoris momenti & autoritatis his Regibus fuit, S. Bernardus, qui & se opposuit Anacleto, & causam Innocentii confirmavit. Eam & generosè fovit Petrus Pictaviensis Episcopus adversus Guillelmum Aquitaniæ Ducem, tum atrocibus factis, postea virtute suâ ac pœnitentiâ celebratiorem.

Anacletus seu Petrus Leonis, ut Rogerium Siculum sibi demereretur, huic parere jussit Episcopos & Abbates Regni sui, in omnibus; unde suspicio est, ortam esse Monarchiam spiritualem, quam boni omnes tam demirantur & timent, quàm oderunt atque detestantur.



## CAP. IV.

## *Decas Quarta.*

*Ab anno Christi* 1130. *ad* 1140.

MUNDI 5184. CHRISTI. 1131.

HOC anno Balduinus II. Rex Hierosolymorum, liberatâ fortiter ac feliciter Antiochiâ, ex morbo obiit XI. Kalend. Sept. assumpto priùs habitu Religionis, & voto professus religiosam vitam, si superesset. Huic suffectus est Fulco Comes Turonensis, Cenomanus, & Andegavensis gener ejus, 18. Kal. Octobr. fortitudinis ejusdem cum socero, sed non felicitatis. Et ne pios Reges morientes dividamus, eodem fermè tempore Stephanus Hungariæ Rex, moriens in habitu Religioso, sceptrum suum reliquit Belæ, vir quoque pietate, magno Ecclesiæ Hungaricæ commodo, illustris atque celebratus.

Hoc item anno indictum est Rhemense Concilium, ubi Francorum Rex coronatus est Ludovicus Junior, seu VII. Ludovici Crassi jussu, cùm ejus filius Philippus jam inauguratus, fato miserabili elatus esset. Nam in suburbio Parisino sus inter ejus equi pedes sese implicans hunc excussit, qui suo pondere regium sessorem obtrivit; nec tot ejus Comites impedivere casum, ne quis Princeps satellitibus confidat.

Profectò Rhemis Leodium Innocentio Lotharius Germaniæ Rex occurrit, qui tum Pontifici functus est officio Stratoris. Huic autem investituras, Henrico Imperatori tanto labore ablatas, repetenti à Pontifice obstitit S. Bernardus, eloquentiâ ac pietate suâ Rege atque Pontifice potentior.

MUNDI 5185. CHRISTI. 1132.

Revertitur in Italiam Innocentius, indictâ pro suo reditu collectâ; atq; in itinere Genuenses & Pisanos jam ad arma paratos, reconciliavit; sicque utrumque Populum Sanctæ devinxit Sedi. Interea furebat Rogerius Siciliæ Rex, repulsus primùm in Beneventanis, mox à Principibus Catholicis convenientibus victus. At postea idem majoribus copiis auctus, & Beneventum, & Apuliam, & Campaniam occupavit, addictissimus Anacleto, cujus omni ope tuebatur partes; Tyrannus Antipapæ.

MUNDI 5186. CHRISTI. 1133.

Reducit Innocentium Lotharius Romam, hicque vicissim ab illo in Basilicâ Lateranensi coronatur Imperator, non tamen in æde S. Petri, quam tum occupabat Anacletus. Tum autem Lothario dedit Innocentius Allodium Comitissæ Mathildis, ut & Henrico Duci Bavaro, Imperatoris genero, ob præstitum auxilium S. Sedi, cum censûs & reversionis conditionibus. Sed & Pontifex & Imperator ab Urbe recessere, quam rerum omnium penuria vexabat, verùm longè magis suis armis atque grassationibus Anacletus. Innocentius autem repetiit Pisas, urbem addictissimam S. Petro, & ita validam copiis, ut metueretur ab omnibus Principibus, ipsa reformidaret neminem.

MUNDI 5187. CHRISTI. 1134.

Concilium Pisanum hoc anno celebratum est à multis Episcopis & Abbatibus, qui redeuntes in Galliam pessimè sunt accepti à Schismaticis. Hanc cladem vitavit S. Bernardus Clarevallensis Abbas, tum missus ad Mediolanenses, qui oppressi à Conrado, suffecto tyrannicè regno Italiæ, sanctæ Sedi nolebant reconciliari; hos tamen vir sanctissimus, & eloquentissimus, miraculis & oratione suâ retraxit à Schismate, dominis suis temporalibus atque spiritualibus Lothario atque Innocentio restituit. *Concilium Pisanum.*

Obiit hoc quoque anno 8. Id. Junii S. Norbertus Archiepiscopus Magdeburgensis, & Præmonstratensis Ordinis conditor, in quo eloquentia, sanctitas, prudentia contendebant; dignus qui duorum Sanctorum, Bernardi & Petri Cluniacensis, calamo laudaretur. *Moritur S. Norbertus.*

MUNDI 5188. CHRISTI. 1135.

S. Bernardus Guillelmum Aquitaniæ Ducem, tergiversantem transire in partes Innocentii, ubi verba nihil prodesse videt, eum potentiori aggreditur machinâ, Christi corpore; cujus aspectu, sanctique viri minacibus verbis territus, prolapsus in terram, quasi Epilepticus, spopondit omnia: &, quod erat caput, promissis stetit. Qui eum hactenus detinuerat in Anacleti schismate Gerardus Engolismensis, impœnitens in lectulo inventus est mortuus; ejus cadaver exhumatum, projectumque; nepotes ejus atque prosapia omnis exterminata; Deo atque hominibus in ejus perniciem conspirantibus. *S. Bernardus Guillel. Aquit. Ducem vincit.*

Obiit hoc anno Kal. Decembr. Henricus Angliæ Rex, cùm regnasset annis 35. ac ferè mensibus 4. Successit ei nepos Stephanus, ope fratris sui Henrici Wintoniensis Episcopi, in Anglia Legati Sedis Apostolicæ, qui ab eo sperabat omnia, sed maluit ille consiliariorum suorum monitis, quàm patrui placitis & pactis acquiescere; neque satis piè, neque satis prudenter. *Henrico Angliæ Regi succedit Stephanus.*

MUNDI 5189. CHRISTI. 1136.

Mortuus est hoc anno Ludovicus Crassus, Franciæ Rex ex dyssenteriâ, cùm regnasset annis 30. vixisset ferè 60. cujus mors, quàm vita religiosior fuit. Verè enim pœnitens obiit, pollicitus se habitum S. Benedicti suscepturum, deposito regno, distributisque inter inopes, & Ecclesias, facultatibus suis, & in cineribus decussatis Crucis formâ humiliter expirans. Quare qui eum viventem perstrinxerat Bernardus, ob religiosos belli tempore vexatos, mortuum laudavit, sicut & Petrus Cluniacensis; homines veritatis & obsequii divini quàm Principum amantiores. Successit huic filius Ludovicus Junior sive VII. quem patris mors jam regnantem invenit. *Lud. Crassus Franciæ Rex moritur.* *Succedit ei Lud. Junior seu VII.*

Est quoque hic annus morte Guillelmi Aquitaniæ Ducis memorabilis, qui susceptâ ad S. Jacobum in Hispaniam peregrinatione mortuus est in via, reliquitque filiam Eleonoram, ac totam ditio- *Moritur S. Guill. Aquitaniæ Dux.*

ditionem ſuam genero ſuo Regi Francorum. Ita ſcriptores huic σύγχρονοι. Quare deridendi qui eum in Tuſciam ad ſtabulum Rhodis (hodie *Malval* in agro Senenſi) cum armatum loricâ, atque pœnitentem, deducunt. Quomodo enim id ignorare potuit Theobaldus Epiſcopus, qui aſſerit primordia ejus converſionis ſe ab ejus diſcipulo didiciſſe, qui tamen de hac re ne γρῦ quidem? Quomodo non providit tumultibus excitatis à filia? Sed cum alio Guillelmo viro ſancto à ſemieruditis confuſus, uberem viris doctis diſputandi materiam ſuffecit.

*Feſtum Conceptionis Lugd.*

S. Bernardus graviter increpuit Canonicos Lugdunenſes, cùm cœpiſſent celebrare feſtum Conceptionis Immaculatæ B. Virginis, cùm id nondum feciſſet, aut indixiſſet Eccleſia. Quod cùm ea poſtmodum præſtiterit, minimùm imprudentes ſunt, qui eam pietatem contemnunt; ſed ſtudio partium potiùs, quàm veritatis.

MUNDI 5190. CHRISTI. 1137.

*Rogerium flectere S. Bernardus non poteſt.*

Lotharius Imperator, veniens in Italiam cum Henrico Bavariæ Duce, Rogerium repreſſit: Sed hic, Lothario recedente, mox recepit omnia, ſacrilegè in Eccleſias, turpiter in virgines ſacras iram effundens. Miſit ad eum Innocentius S. Bernardum; ſed hic induratum ſacrilegi hominis, & efferati, animum emollire non potuit, utensque tergiverſationibus & dolis vir nefarius, ut aliquid impetraret ab Innocentio, maluit dives & potens eſſe, quàm pius & religioſus.

MUNDI 5191. CHRISTI. 1138.

*Petrus Leonis ſeu Anacletus moritur.*

Mortuus eſt hoc anno Anacletus Pſeudo-Pontifex, impœnitens; multorumque criminum ſuorum & aliorum reus, impiam Dæmonibus animam ſuam evomuit. Huic ſtatim ſuſfecere Cardinales Schiſmatici, ex conſenſu Rogerii Siculi, Gregorium Cardinalem Presbyterum, quem Victorem appellavere. Sed mox tam electores, quàm electus ſeſe ſubmiſerunt Innocentio: unus perſtitit in ſchiſmate Rogerius, efferatus in Catholicos, quos dirè ubique vexavit; quia numquam divellitur ab Hæreſi & ſchiſmate crudelitas.

*Sufficitur ei Victor Antipapa.*

*Lotharii Imperat. mors.*

Lotharius Imperator 3. Non. Decembr. obiit in montibus Tridentinis, in vili caſâ, conſtituto ſibi hærede Duce Bavariæ, vir egregiè pius, & omnibus Imperatoribus præferendus, ſi ejus pietati fortitudo reſpondiſſet. Quotidie enim, etiam in exercitu, tribus Miſſis intererat; ſæpe cum Auguſtâ pauperum abluebat pedes, quos eadem Richiza uxor ſuis crinibus extergebat & exſiccabat: colebat Sacerdotes ut patres, pauperes ut filios, viduas ut matres, lacrymis orationes ſuas omnes rigabat, Monacho, aut Cœnobitæ, quàm Imperatori & Principi ſimilior.

*Et virtutes.*

MUNDI 5192. CHRISTI. 1139.

*Conradus Roman. Rex.*

Creatus eſt hoc anno Rex Romanorum Conradus, Imperatoris Henrici ſororius, & Aquiſgrani inunctus à Legato ſummi Pontificis. Henricus autem Bavarus, Lotharii gener, quæ regni aſſumpſerat inſignia deponere coactus eſt Ratiſponæ, ac paulò pòſt obiit ex mœrore; ſpretus, quia electores ſpreverat; neque dictus Cæſar, quia hanc ſibi debitam jam arrogarat dignitatem.

Celebrata eſt hoc anno Romæ ab Innocentio II. mille Epiſcoporum.

## CONCILIUM LATERANENSE SECUNDUM.

In quo damnati fautores Petri Leonis, ſeu Anacleti, nominatim excommunicatus Rogerius Siculus, multaque utiliter in commodum Eccleſiæ ſtatuta. Damnatus quoque Arnaldus Brixienſis Lector, diſcipulus Petri Abailardi, magnus adulator Principum ac Præſulum, & Monachorum hoſtis, cis & trans Alpes hæreticus obſtinatiſſimus, dignusque qui hoc communi, ac multiplici fulmine feriretur.

Innocentius Pontifex hoc anno captus perfidiosè à Rogerii filio, atque deductus ad patrem, non uti captivus, ſed ut Pontifex amicè receptus eſt. Ambo enim, pater & filius, ad ejus acciderunt pedes, erratorumque veniam ſupplices poſtularunt, & impetrarunt. Rogerio enim Pontifex 7. Kal. Aug. Regnum Siciliæ, per vexillum, conceſſit; ſicut & Ducatum Apuliæ, ac Principatum Capuæ, ex feudo tamen ſummi Pontificis. Atque ex eo tempore Rogerius mutatus in melius, pietati ſe dedidit, dignus etiam qui à viris ſanctiſſimis coleretur, atque laudaretur; nulli magis, quàm huic Principi, indulgentia profuit.

MUNDI 5193. CHRISTI. 1140.

Petrus Abailardus, auſus provocare ſanctum Bernardum, procaciſſimus licèt, & verboſus, ab eo mutus & elinguis redditus eſt in Concilio Rhemenſi; ubi damnati ejus errores, & ſententia Romæ confirmata. Sed Romam dum pergeret, à Petro Venerabili retentus Cluniaci, bonus effectus Monachus ex errone, omnes errores ſuos, ex authore, damnavit. Aloiſia quoque Abbatiſſa Paracleti, quam aliàs virginem vitiarat dum eam erudiret, ideoque ab ejus fratribus ita tractatus erat, ut cum eâ caſtè agere poſſet, de Magiſtri ſui, ac propè conjugis honore ſollicita, abſolutionem ejus tumulo inſcribi voluit; ut quæ ejus dedecoris cauſa fuerat, eſſet quoque receptæ exiſtimationis.

---

## CAP. V.

## *Decas Quinta.*

### *Ab anno Chriſti* 1140. *ad* 1150.

MUNDI 5194. CHRISTI. 1141.

Inchoatum eſt hoc anno bellum Tiburtinum, cùm Tiburtes ſchiſmatici auſi ſunt obſiſtere Innocentio, & graſſationibus Romanum agrum devaſtare. Suſcepta igitur in eos à Senatu populoque Romano expeditio; infelix tamen, aggredientibus verſis in turpiſſimam fugam, & antiquæ

tiquæ fortitudinis penitùs oblitis. Quare ejusmodi in eos Romanorum exarsit odium, ut licèt ex animo Pontifici sese dedere cuperent, non reciperentur tamen, nisi mœnia diruerent, ac verterent solum. Cùm huic pervicaciæ sapienter obsisteret Innocentius, concitatâ seditione Romani Veteris Romæ regimen instaurarunt; constitutoque Senatu, distributoque in classes Populo bellum Tiburtibus indixerunt. Insani, qui inter Sanctam & Bellatricem Romam discrimen non agnoscerent; cùm hæc ferro, illa plumbo plus possit.

MUNDI CHRISTI.
5195. 1142.

Fulco Rex Hierosolymitanus equo lapsus obiit, relicto filio Balduino III. annorum tredecim, sub tutelâ matris Melesentis. Hæc regnum administravit sapientiùs, atque feliciùs, quàm ab ejus sexu, atque hisce deploratis temporibus, expectabatur.

Orta est controversia gravis inter Ludovicum Francorum Regem, & Innocentium, propter Archiepiscopum Bituricensem, cùm eo electo per Clerum, ac de more à Rege probato, Pontifex alium superinduxisset. Pontificium Præsulem tuebatur Comes Theobaldus, Regium Ludovicus ipse, & armatâ manu, quâ Comitis regionem ferro, flammisque vastavit, nec ipsis pepercit Ecclesiis. Juvenilem Principis furorem compressit S. Bernardus, effecitque singulari prudentiâ suâ, ut Rex perperam factorum veniam peteret, Innocentius aliquid indulgeret primogenito Ecclesiæ filio, & minùs se posse vellet ejus causâ, per quem tum in Occidente tantùm posset.

MUNDI CHRISTI
5196. 1143.

Mortuus est hoc anno Joannes Comnenus, seu Calo-Joannes, Aprili mense, cùm imperasset annos 24. menses 8. & divinitus, uti creditur, mulctatus est, ob pertentatam Antiochiam, vexatos Latinos, sanctosque Eremitas exagitatos. Nam priùs extinctis duobus liberis, ipse in venatione læsus sagittâ suâ venenatâ, ex pharetrâ defluente, sibi necem intulit. Huic statim successit filius Manuel, seu Emmanuel, qui mox uxorem duxit sororem conjugis Conradi Imperatoris; quibus nuptiis pax inter Latinos & Græcos tam necessaria, quàm optanda, sperabatur.

Innocentius II. graviter afflictus ex Romanorum conspiratione, decubuit primò æger, deinde sanctè obiit 8. Kal. Octobr. cùm sedisset annos 13. menses 7. statimque, omnium consensu, datus est ei successor Guido de Castello, dictus Cœlestinus II. charissimus SS. Bernardo, & Petro Cluniacensi, ex quorum amicitiâ ejus sanctitas colligi potest, cùm illa semper inter pares efflorescat.

MUNDI CHRISTI
5197. 1144.

Christiani Orientales, dum urbem Bostra, metropolin Arabum, obsident, in insidias ruentes incautè, virtute S. Crucis, quam præferebat Robertus Nazareus Antistes, excepti sunt periculo: mox iterum internecione delendi reducti sunt Hierosolymam incolumes, à prævio quodam ignoto duce; quem bonum fuisse Palæstinæ genium omnes, actis Deo splendidè gratiis, agnoverunt.

Mortuus est hoc anno Cælestinus II. sedis suæ mense 5. cum diebus 13. 8. Id. Mart. cui datus est successor Gerardus, ex ordine Canonicorum Regularium, Cardinalis, Cancellarius, & Bibliothecarius S.R.E. dictus Lucius II. Sub hujus Pontificatu Alphonsus Portugalliæ Dux ditionem suam Romanæ Sedis fecit vectigalem, speravitque Ducatum suum sub tutelâ S. Petri fore tutiorem. *Cælestino II. succedit Lucius II.*

Romani tum apertè in Pontificem rebellarunt, eumque decimis & oblationibus contentum esse jusserunt, præposito sibi Patritio quasi Principe, qui administraret Urbem. Quare Romani Politici hæretici dicti, atque Arnaldistæ, quòd ab hoc impuro veteratore fanaticam hanc doctrinam accepissent, & revocassent in praxim. *Arnaldistæ seu politici Hæretici.*

MUNDI CHRISTI
5198. 1145.

Obiit hoc anno Lucius II. Pontifex 5. Kal. Mart. cùm sedisset menses XI. dies 14. Utrùm autem ex lapidis ictu, dum seditionem comprimere nititur, an ex mœrore interierit, incertum. Huic mox suffectus Bernardus, Abbas S. Anastasii trium Fontium à S. Bernardo Clarævallensi constitutus, dictusque Eugenius III. Qui veritus ne à Romanis ad aliquid contra fas in augaratione sua cogeretur, Româ nocte concubiâ profugit, & apud Farfense monasterium in Sabinis est consecratus. At Politici, recepto Arnaldo, infami illo Hæresiarchâ, cuncta Romæ miscuerunt, & coëgerunt cives ut uni suo Patricio obsequerentur, domibus eorum compilatis qui reclamarent; adeò ut Urbs sancta in castra, cives in milites conversi esse viderentur. *Lucio II. succedit Eugenius III.* *Arnaldus Romam vocatus.*

Sed tum ad Eugenium accesserunt Armeni, Rom. Pontifici, nomine sui Catholici (ita summum suum Antistitem vocant) obsequium pollicentes. Confirmati sunt & divinâ visione, quâ Rom. Præsulis dignitatem & sanctimoniam agnovere. Nunciaverunt hi gentem sibi vicinam, à nativitate fœtentem, tetrum hunc odorem recepto semper Baptismate perdere. Videntur Baronio hi fuisse Agareni; quibus tamen aquæ illæ sacræ negatæ sunt plerumque, quòd eas ut pharmacum corporis, non animi disquirerent. *Armeni se Rom. Pontif. submittunt* *Vis Baptismi.*

Legatio quoque hoc anno ex Syria in Occidentem venit, ut expeditio nova in Palæstinam institueretur, sine qua vetus consistere non poterat. Eam autem in primis promovit S. Bernardus, perniciosam sibi, Orientalibus parum salutarem. *Expedit. in Syriam promovet S. Bernardus.*

Romani cum Patricio suo perculsi Anathemate, & præterea Pontificis exercitu atq; Tiburtium pressi, sese Eugenio submisere, recepto Præfecto, suo Patricio exautorato. Subiit igitur Urbem Papa cum omnium plausu; sed mox importunè sollicitatus de Tiburis excidio, secessit in Arcem S. Angeli, ne fanaticis seditiosorum conatibus acquiescere cogeretur. *Eugenius III Urbem reperit.*

MUNDI 5199. CHRISTI. 1146.

*Expeditio Christ. duplex.*

Celebris est hic annus multiplici in Barbaros expeditione: quarum celeberrima, cui S. Bernardus classicum occinuit, & cui dedere nomen Ludovicus VII. Franciæ, atque Conradus Romanorum Reges, cum innumeris populis. Ac primùm prudenter impediit S. Bernardus quominùs Judæi necarentur, Petrus Cluniacensis eos ob usuras spoliandos bonis sapienter censuit, ut milites Christiani sceleratorum furtis alerentur. Alia quoque expeditio in populos Boreales paganos suscepta; alia in Saracenos Hispanos; universa Europa visa est ad arma pro Christo convolare; utinam tam prudenter, quàm religiosè.

MUNDI 5200. CHRISTI. 1147.

*Conradus in Syriam pergit infeliciter.*

Conradus in Orientem festinat; quem secutus est Ludovicus, suscepto priùs magnificè Eugenio ad se veniente. Conradi autem exercitus à Græcis proditus, lacessitus à Turcis, pæne totus interiit. Jussu enim Manuelis calx Latinorum farinæ admiscebatur, & Turcis omnia aperiebantur eorum consilia: quare Germanicus iste dissipatus est exercitus, Conradus redire Constantinopolim compulsus; ubi tamen benignè susceptus est à Manuele, qui eum infelicem, quàm victorem, videre ac recreare maluit.

*Ludovicus VII in Syriam vadit.*

Ludovicus autem Junior, relicto regni sui administro Sugerio Abbate San-Dionysiano, aceptâque Auriflammâ divino vexillo perrexit in Syriam, cum magnis copiis & egregiè instructis, ac quibus nihil præter felicitatem defuit. Hic cùm excepisset Conradum pæne desperatum, ac Constantinopolim securum remisisset, Turcas ingenti clade affecisset, ipse ad Laodiceam Phrygiæ, unius hominis imprudentiâ pænè est in ultimas redactus angustias. Vexillifer enim maximus subsistere jussus in mont, in quo castrorum locus delectus erat, quia Sol adhuc altiùs videbatur, ulteriùs perrexit; agmen igitur ultimum nox occupavit, quod aggressi Turci, & parati, & locorum periti, penitùs delevere; ac nihil propius factum, quàm ut Rex ipse caperetur. Restitutis nihilominus fortitudine, captoque in rem præsentem consilio, negotiis, Rex pervenit Attaliam in Pamphiliam, regionem fertilem; ubi Franci vires difficili longoq; itinere fessas, & crebris Saracenorum assultibus attritas reparavere; hosti deinceps tam metuendas, quàm à Christianis Orientalibus, omni ope destitutis, expetitas.

*A Turcis ferè opprimitur.*

*Gilberti Porretani Henrici, & Apostolicorum errores.*

Tum quoque emersere tres hæreses, quas S. Bernardus afflixit ingenio suo, ut suo quoque modo in Occidente pugnaret. Gilbertum enim Porretanum Pictaviensem Episcopum, meliorem Philosophum quàm Theologum, ac de Trinitate malè sentientem, atque locutum, confutavit: convicit deinde Henricum Petrobrusianum, eruditum quidem monachum, sed impurum Apostatam, hæredemque nequitiæ atque doctrinæ Petri Bruisii, qui non tantùm verbo, sed & miraculis retundendus fuit. Denique opposuit sese Apostolicis, Manichæorum surculis, magnis hypocritis, & virtutis larvâ grandia scelera contegentibus; ex quibus si extortos nostri temporis Novatores putaveris, non vehementer repugnabo.

MUNDI 5201. CHRISTI. 1148.

Appulere hoc anno in Palæstinam Ludovicus & Conradus; hic Ptolemaidem, benignè susceptus à Balduino III. Rege Hierosolymorum; ille Antiochiam, magnificè exceptus à Raymundo Principe, qui ab eo auxilium expectabat. Sed mox Rex huic iratus, propter Eleonoram uxorem ejus affinem, impudicam fœminam, perrexit Hierosolymam terminum suæ peregrinationis. Ambo itaque Damascum obsidere parant, impellentibus Syris, quorum maximè intererat hanc urbem venire in Christianorum manus. Et verò primus Occidentalium impetus eam brevi oppugnandam pollicebatur: verùm ab Orientalibus proditi, solverunt duo Reges obsidionem, & plus apud eos potuit in proditores furor, quàm in Christianos mox atterendos benevolentia.

Interea Rogerius Siciliæ Rex ingentem paravit in Græcos proditores classem, ut illatas Latinis à Manuele ulcisceretur injurias. Quæ tamen magis eosdem Latinos juvit, quàm Græcos afflixit; quos Occidentalium calamitas tum tutos & illæsos præstitit.

In Concilio Rhemensi damnatus est Brito quidam, Eon nomine, multa de se dicta credens in Evangelio, cui nullum meliùs conveniebat, quàm illud Matthæi, *Et assumpsit eum Diabolus*; hic Patribus oblatus, & dedoctus, paulò pòst obiit; discipuli ejus obstinati traditi sunt ignibus. In eodem quoque Concilio damnatus Gilbertus Porretanus, adnitente S. Bernardo, qui tamen ob egregiam navatam operam passus est calumniam. Neque tamen Gilbertus ut hæreticus habitus est, quia se Patribus submisit, nec error, sed pertinacia hæreticum faciat.

Eugenius III. probavit revelationes aliquas S. Hildegardis, de se expertus veras; cæteras quoque laudavere eruditi viri, ac nominatim S. Bernardus; qui hoc anno S. Malachiam Episcopum in Cœnobio Clarævallensi demortuum oratione funebri laudavit, & se tanto viro dignum encomiasten ostendit.

MUNDI 5202. CHRISTI. 1149.

Rediit hoc anno sine exercitu, ut sine gloria, Conradus Rex Romanorum, dignus quem suis litteris Eugenius Pontifex consolaretur. Rediit & Ludovicus Francorum Rex; ac interceptus à navibus Græcorum, vel Turcarum, liberatus est à Rogerii classe, cui dux Georgius præerat. Hic progressus usque Constantinopolin, sagittas aureas in Palatium Imperatoris projecit, incendit suburbia: remisit tamen captivos Græcos in gratiam Ludovici, ut tantum Regem captum non esse Orientales intelligerent, cujus precibus libertatem populares sui consequerentur.

Multæ calumniæ in S. Bernardum actæ sunt, multæ oblocutiones ob infelicem exitum expeditionis: quare cùm de novâ iterandâ cogitaretur, huic obstitere Cistercienses & Clarævallenses,

ſes,de famâ Abbatis ſui,quàm Chriſtianitate ſollicitiores. Huic tamen in ſolatium perſecutionis magnæ dedit Deus magni nominis Monachum,Henricum Ludovici Regis fratrem, qui tamen mox ex SS. Bernardi & Petri Cluniacenſis conſilio accepit Epiſcopatum Bellovacenſem, quia viri ſancti plus res Eccleſiæ,quàm ſuas curare debent.

MUNDI 5203. CHRISTI. 1150.

Rogerio jam Græcis ſatis infenſo calcar addidit Petrus Cluniacenſis in Manuelem Imperatorem, ut ab eo pœnas exigeret ob demeſſum Germanicæ & Franciæ nobilitatis florem. Ille ergo proditores Græcos hoc anno multis cladibus affecit, Corinthum cepit atque ſpoliavit,Corcyram inſulam diripuit, oſtenditque Manueli Græcos callidiores eſſe, Latinos fortiores.

---

## CAP. VI.

## *Decas Sexta.*

### *Ab anno Chriſti* 1150. *ad* 1160.

MUNDI 5204. CHRISTI. 1151.

Balgentiaci in Synodo diſſolutum eſt matrimonium inter Ludovicum Juniorem & Eleonoram,ſanguine,quàm fas eſſet, conjunctiores; utroque id poſtulante: vir, ob impudicitiam conjugis; uxor,quia maritum ſuum Monachum appellabat. Sed malum! reſtituit huic imprudenter Aquitaniam,quam ad novum conjugem Henricum Normaniæ Ducem, deſignatum Angliæ Regem,detulit. Cur enim dotem illa referret, quæ caput perdere debuerat? Sed hæc Regis incauti generoſitas, magno poſtea Franciæ conſtabit.

Hoc anno Gratianus, patriâ Cluſinus, monachus S. Benedicti Claſſenſis, in monaſterio S. Felicis Bononiæ abſolvit opus ſuum,inſcriptum, ***Decretum*** , ***ſeu Concordia, & diſcordantia Canonum.*** Qui autem in annum 1127. id rejiciunt, annum quo inchoatum eſt appellant. Emendatum eſt juſſu Gregorii XIII. anno 1580. ita tamen, ut in eo multi errores relinquerentur: liber majoris laboris, quàm eruditionis, & ſervatus tantùm, quia id exoptavere Doctores Juris,& Romani Leguleji: quanquam multi eruditi atque graves de corpore Juris Canonici opus levidenſe cenſerent expungendum.

MUNDI 5205. CHRISTI. 1152.

S.Bernardus hoc anno libros ſcripſit de Conſideratione ad Eugenium Papam, à Summis Pontificibus,atque præſulibus omnibus, ſemper evolvendos.In his porrò non tantùm ſe ſcriptorem bonum, ſed vatem exhibuit; cùm hoc eodem anno, ſicuti vir Sanctus præcinuerat, Romani ad obſequium Eugenii redierint.

15. Kal. Mart. obiit Conradus Romanorum Rex,non ſine ſuſpicione veneni ſibi propinati à medicis, quos in Sicilia receperat à Rogerio. Reliquit ditionem ſuam non filio ſuo Friderico, tum juniori, ſed fratris filio, item Friderico Suevorum Duci, cognomine Ænobarbo; qui in Archiepiſcopatu Magdeburgenſi oſtendit, qualis deinceps futurus eſſet, hoc eſt, Henricis quàm Patruo ſuo ſimilior. *Conrado Reg. Ro. ſuccedit frater Fridericus Ænobarbus.*

Secutus eſt mox Conradum Robertus Siciliæ Rex, ſucceſſore relicto filio Guillelmo: de quo dici poteſt quod pronunciarat olim Prophetes de ficubus; bono, meliorem non fuiſſe; nec malo, deteriorem. *Roberto Siculo ſuccedit Guillelmus.*

MUNDI 5206. CHRISTI. 1153.

Eugenius III. 8. Id. Jul. poſt annos 8. ſedis, & menſes 4. dieſque 13. reliquit ſtatim locum ſuum Conrado Canonico Regulari, Cardinali Epiſcopo Sabinenſi, qui vocatus eſt Anaſtaſius IV. Filium mox ſecutus eſt pater S. Bernardus Clarævallenſis Abbas 13. Kal. Sept. anno ætatis Climaterico, erectis ordinis ſui 160. Monaſteriis; Pontificibus, Imperatoribus, Regibus charus,ac magnum non tantùm Eccleſiæ lumen, ſed & præſidium. *Eugenii III. ſucceſſor Anaſtaſius IV.*

MUNDI 5207. CHRISTI. 1154.

Reginaldus, ſeu Raynaldus, Princeps Antiochenus Almaricum Patriarcham crudeliter excepit, quem Balduinus III. Rex Hieroſol. ægrè ex ejus manibus eripuit; cùm ad ultionem exigendam Rex par non eſſet, Deus eum tradidit hoſtibus ſuis, ſubditis inviſum, quos tum ingens penuria divinitus immiſſa vexabat; ſic cœlo atque terris abominandum. *Balduinus III. capitur*

Obiit hoc anno Anaſtaſius IV. 4. Non. Decembr. nimiæ facilitatis deprehenſus in Fridericum, quâ hic poſtea abuſus eſt. Poſt diem unum huic ſucceſſor datus eſt Nicolaus Anglus, dictus Hadrianus IV. olim Monachus, & qui præclaris Legationibus ad hanc dignitatem præluſerat. *Anaſtaſium IV. excipit Hadr. IV.*

Eodem quoque anno mortuus eſt Rex Anglorum Stephanus, cui ſucceſſit Henricus Normaniæ Dux,& Aquitaniæ, ductâ Eleonorâ, gratulatus mox Pontificatum populari ſuo Hadriano litteris egregiis, & manu Petri Bleſenſis digniſſimis. *Stephan. Angl. Regi ſuccedit Henricus.*

Deſcendit denique tum in Italiam cum exercitu Fridericus Rex Romanorum, indictâ militibus ſuis collectâ, ob illatas in tranſitu Italiæ, ex penuriâ, colonis injurias. Sed id ex metu potiùs, ne perderet Imperatoriam Coronam, quàm ex æquitatis amore præſtabat. *Fred. Ænobarbus venit in Italiam.*

MUNDI 5208. CHRISTI. 1155.

Arnaldus Brixienſis ingreſſus Urbem, ſecum quoque tumultus induxit; cùm tamen fautores ejus Gerardum Cardinalem vulneraſſent,ejectus eſt. Nec ita multò pòſt ab Urbis Præfecto, quod jampridem meruerat, exuſtus eſt vivus. Fridericus *Arnaldus Brixienſis exuſtus.*

ricus diu tergiversatus functus officio Stratoris Pontifici, sicque amicè receptus, & coronatus Romæ Imperator; unde verbo amicus, animo capitalis hostis recessit.

*Guill. Siculus excommunicatur.* Guillelmus rebellis in Ecclesiam excommunicatus est; cùmque multos deficere videret ad Pontificem, immo & huic offerri à Manuele pecunias, cum eo reconciliari voluit conditionibus honestis. Sed hanc pacem evertêre Cardinales Friderici fautores; quibus erat Imperatoris potentia, quàm gratia Pontificis, & utilitas Ecclesiæ, potior.

MUNDI 5209. CHRISTI 1156.

*Balduinus III parum fidelis punitur.* Anno 14. Balduini III. Christianorum exercitus grandi affectus est clade, quòd datam Saracenis fidem non servasset; noluitque Deus addictos sibi Fide, in perfidos esse infideles.

*Guill. Siculus capit Pontificem.* Guillelmus Siciliæ Rex, grandi coacto exercitu, Pontificem obsedit Beneventi, ac se dedere cogit iniquissimis conditionibus. Quare hoc fœdus postea rescissum sub Innocentio III. & ab eo tempore Guillelmus tam infortunatus fuit in se, in subditis, in filio, ut nisi sceleribus excœcatus esset, satis intelligeret unde sibi tot mala provenirent.

*Friderici novæ nuptiæ illegitimæ.* Fridericus Imperator, legitimâ conjuge repudiatâ, aliam superinducit, Agnetem filiam Ducis Burgundiæ; unde exortum est in Ecclesiâ schisma, eò gravius, quòd à Principe amente, potiùs quàm amante, fovebatur.

MUNDI 5210. CHRISTI. 1157.

*Hadrianus & Fridericus dissident.* Gravis est hoc anno controversia inter Hadrianum Papam & Fridericum exorta, ob Londinensem Episcopum malè acceptum in Germaniâ. Cùm enim scripsisset aliquid ad Fridericum, quod neque huic, neque Germanis placeret, remisit Imperator Legatos Pontificis ignominiosè, Romam suos peregrinari vetuit, atque ita se gessit, ut Hadriano inimicitias capitales denunciasse videretur; Germanis Episcopis interea mussantibus, plùs hominem quàm Deum reformidantibus.

MUNDI 5211. CHRISTI. 1158.

*Conventus Roncaliæ.* Hadrianus misit litteras mitiores per Legatos suos, prudentes viros, ad Fridericum; quibus eum ita demulcebat, ut iram omnem posuisse videretur. Advocavit autem Conventum Roncaliam: inter Placentiam & Cremonam, ad quem adsciti omnes Consules civitatum Longobardiæ, cum 4. Jurisperitis Bononiensibus, inter quos eminebat Martinus insignis adulator, qui & Equum Imperatoris adulationis suæ præmium retulit, quia non dixisset *Æquum*, ut ingeniosè socius ejus Bulgarus cavillatus est; vir aliunde pertinacissimus, quamcumque se dedisset in partem. Quare inter Leguleios pro pertinace *Martini* nomen usurpatum est, & quod proprium fuerat, cœpit esse appellativum. *Martinus Leguleius pertinax.*

MUNDI 5212. CHRISTI 1159.

*Moritur Hadrianus IV.* Rixa iterum inter Fridericum & Hadrianum exorta; quam hic sopire conatus est, ille ventilare. Dum tumultuandi materiam quærit, mortuus est Hadrianus IV. Anagniæ Kal. Sept. cùm sedisset menses 8. dies 24. vir eximiæ pietatis, ut qui nec obolum suis parentibus aut affinibus dederit, & matrem suam inopem eleemosynis Ecclesiæ Cantuariensis alendam reliquerit. Obiit autem ex Anginâ; unde data occasio fabulandi nescio cui Schismatico, eum muscâ in os subeunte suffocatum esse, cùm diceret Anathema Friderico. Nec enim unquam hunc rebellem sacro fulmine perculit, quamquam id propter illegitimas nuptias promeritus esset, & ab omnibus eo dignissimus judicaretur.

Hadriano substitutus est Rolandus, natione Tuscus, Presbyter Cardinalis, ab universo pæne Clero, populoque Romano, sub nomine Alexandri III. cui Pontificatum præcinuerat S. Bernardus, quo propter prudentiam & virtutes dignissimus erat.

At Imperii Cardinales duo, ipsi opponunt Octavianum divitem, ortum ex Comitibus Tusculanis, avidissimum dignitatis hujus; qui paratis satellitibus, & quibusdam Romanis auro corruptis, verum Pontificem & Cardinales obsedit. At illi à populo liberati secessere Nymphas, ubi consecratus est Pontifex ab Episcopo Ostiensi, dum Romæ à nescio quibus cariosis præsulibus, sub nomine Victoris, prophanaretur Octavianus; verè mox excommunicatus à legitimo Pontifice, qui & intruso, & ejus fautori Friderico prævaluit.

MUNDI 5213. CHRISTI 1160.

Fridericus modis omnibus suum Pseudo-Pontificem tueri nititur; anathema in Alexandrum librandum curat Papiæ, quod in ejus caput & Octaviani rediit. Conatus est & in suas partes abducere Franciæ atque Angliæ Reges, quos invenit tam addictos Romanæ sedi, quantùm ipse alienus erat. Venetos quoque, Veronenses, & Longobardos sibi obsistentes appetiit bello; in quo se plus pedibus, valere quàm manibus ostendit, fugâ antè prælium initâ, & rebus ita gestis, ut se suscepisse stolidè bellum, ignaviter confecisse profiteretur.

## CAP. VII.

## *Decas Septima.*

*Ab anno Christi* 1160. *ad* 1170.

MUNDI 5214. CHRISTI 1161.

Regibus Franciæ & Angliæ operâ S. Petri Tarentasiensis Archiepiscopi reconciliatis, utriusque regni præsules, auditis utriusque partis Cardinalibus, Pontificatum adjudicant Alexandro, Victorem excommunicatum declarant. Quia tamen ille tutus esse non poterat in Italia, impositus triremibus Guillelmi Regis Siciliæ in Galliam deportatus est. Hic Princeps, licèt re atque cognomine *Malus*, in hac causa & Pontifici, quem diligebat, *Bonus* fuit: magno tamen commodo suo; cùm sæpe deinceps tentatus sit Alexander Majonem Tyrannum adversus

eum

eum creare Siciliæ Regem: quod si præstitisset, perierat Guillelmo Sicilia, Majo sine dubio in eâ prævaluisset.

MUNDI 5215. CHRISTI. 1162.

Appellit Magalonam Alexander III. & magnificè ubique excipitur. In villa Montis pessulani Saracenorum Princeps ejus osculatus est pedes, eumque à Rege suo Mahumetano salutavit. Exinde congressus indictus apud Avenionem inter Fridericum & Ludovicum, in quo de vero Pontifice statueretur. Fridericus adduxit Victorem suum; Alexander adesse recusavit, nisi per Legatos. Sed cùm venisset paratior ab exercitu Fridericus, & carcerem intentaret Ludovico, nisi repræsentaret Alexandrum, superveniens cum copiis Henricus Anglus negotium discussit, & Alexandrum atque Ludovicum periculo liberavit. Venit quoque & in partem hujus libertatis Deus, immissâ gravi Germanis fame; quare irrisus cum suo Pseudo-Pontifice, recedere compulsus est Fridericus; Alexander medius inter duos Reges Franciæ & Angliæ, Stratorum officio defungentes, se verum Christi Vicarium ex tanto honore intellexit.

Valdemarus Daniæ Rex pientissimus delusus à Friderico, & malè tractatus, ut interesset damnationi Alexandri, & Anathemati quod libravit Victor, adduci nunquam potuit; sed constanter repetiit Daniam suam, relictâ sui Principibus Germanis admiratione.

Creatus est hoc anno Londini, præsente Henrico, in locum Theobaldi Cantuariensis Archiepiscopi, ex regni Cancellario S. Thomas, multùm tergiversatus, asserens regi hanc electionem neutri profuturam. Statim autem induit Monasticum habitum, atque ad Ecclesiæ suæ regimen virtutes omnes, sed maximè constantiam attulit; per quam martyribus meruit annumerari.

MUNDI 5216. CHRISTI. 1163.

Balduino III. Regi Hierosolymorum defuncto successit frater Amalricus; coactus tamen priùs dimittere uxorem suam, quam in quarto gradu consanguinitatis duxerat. Filii tamen ex eâ suscepti legitimi judicati sunt; quibus omnibus Legatus Pontificius adfuit, & præfuit, ne res in dubium revocaretur.

Celebratum est in Gallia ab Alexandro Turonense Concilium, cui S. Thomas Cantuariensis interfuit, honorificentissimè susceptus à Pontifice, missis ei obviam Cardinalibus omnibus, præter duos, sibi de more perpetuos comites. Paulò pòst exortæ sunt inter Henricum & S. Thomam discordiæ; quòd hic repeteret Ecclesiæ prædia à laicis usurpata; quòd fructus Ecclesiarum vacantium addicerentur fisco, ideoque nonnunquam hæ diu Præsules expectarent; quòd Cancellarii munus abjudicasset, ut liberiùs suæ vacaret Ecclesiæ; denique quòd nollet Clericos ad laicorum tribunalia pertrahi. Advocatos ergo Rex Episcopos Angliæ cum S. Thomâ interrogavit de fidelitate sibi præstandâ, quàm polliciti sunt omnes, additâ voce hâc, *Salvo ordine suo*; quâ auditâ, ita Rex excanduit, ut præceps abiret è Conventu, eo etiam malè verbis excepto; qui emollitâ sententiâ, eum demulcere nitebatur. Eo enim Principe sedato, nullus mitior; eo irato nemo ferocior fuit atque truculentior.

MUNDI 5217. CHRISTI. 1164.

*S. Thomas dolet se de constantia aliquid remisisse.* S. Thomas, multis suadentibus ut Regem Henricum flecteret, eidem pollicitus est, pro his vocibus *Salvo officio*, suppositurũ se istas, *Bona fide*: cujus promissi postea pœnitens, accessit ad Regem, appellatoque Pontifice, navigavit in Belgium, irrisus ab aulicis, ab inopibus & populo instar cœlestis Genii salutatus. Venit ergo ad Alexandrum, & coram eo causam suam agit, deponitque Pontificatum; sed statim ab eodem restituitur, damnatis Henrici constitutionibus; unde in utrumque Regis impotentissimi furor. *Pergit Pontiniacum.* Interea S. Thomas commendatus à Pontifice pergit Pontiniacum, nobile Cistercienfis Ordinis Monasterium; ubi sic vixit, ita se gessit, ut qui in Angliâ fuerat idea constantiæ, hîc esset exemplar religiosæ pietatis.

*Moritur Victor Antipapa, succedit ei Paschalis III.* Obiit hoc anno Lucæ impius Antipapa Octavianus, dictus Victor, sepultus extra civitatem, negantibus ei tumulum, majoris Ecclesiæ Canonicis. Statim ei suffectus est Guido Cremensis Cardinalis, vocatus Paschalis III. quem cum suis Schismaticis comprobavit Fridericus. Quo tempore accersitus est Romam Alexander, eo suis gratior, quò ab iis Religionis causâ diutiùs abfuerat.

*Mors Petri Lombardi Episc. Paris.* Mortuus est & hoc anno Parisiensis Episcopus Petrus Lombardus, patriâ Novariensis, clarus quatuor libris sententiarum; in quibus tamen damnatum est, quod dixerat, *Christum ut hominem non esse aliquid.* Passus est etiam adversarium Abbatem Joachimum; à cujus tamen calumniis sub Innocentio III. vindicatus est. Quòd autem aliqui nothos huic addunt fratres, Petrum Comestorem, Gallum Trecensem, & Gratianum Tuscum, digni sunt illi qui ad discipulorum cathedras ploraturi dimittantur.

MUNDI 5218. CHRISTI. 1165.

*S. Thomas propinquos Henricus ejicit.* Pax frustra tentata est inter Alexandrum & Henricum: immo indictus locus, ut eò ambo convenirent. Sed cùm ab eo colloquio Rex S. Thomam excluderet, Pontifex eum interesse cuperet, abruptum negotium, Alexandro in Italiam festinante, fremente Rege in S. Thomam; cujus & propinquos omnes expulit, miserabili cultu, ut eorum aspectu squallido vir sanctus aliquid de suâ sententiâ remitteret; quam boni constantiam, improbi pertinaciam appellabant.

*Alexander Romam venit.* Pontifex autem crebris Romanorum litteris sollicitatus, etiam interminantium se Guidonem recepturos nisi suam ipse repeteret sedem; privatis ergo navibus Magalonâ solvens, inter tempesta-

peſtates, atque inſidias à Friderico paratas, Meſſanam appellit; ubi tanquam dominus receptus à Guillelmo, quem ad prodendum Pontificem Imperator fruſtra provocavit. Itaque Siculis triremibus deductus Oſtiam ſuſceptus eſt à Senatu populoque Ro. tantâ alacritate, ut ad eos rediiſſe de cœlo ipſe S. Petrus putaretur.

MUNDI 5219. CHRISTI. 1166.

*Fridericus venit armatus in Ital.* Fridericus, confirmato Guidone in Pſeudoſynodo Herbipolenſi, (cui tamen obſtitere Antiſtes Moguntinus & Saltzburgenſis, etiam pietate & conſtantiâ, quàm genere ac ſanguine illuſtriores) cum exercitu venit in Italiam ut Pſeudo-pontificem collocaret in Petri Sede, verû aut perderet aut expelleret. Appellit ergo Anconam, ut eam Græcis eriperet, ab iiſdê nuper occupatam; unde & auxilia in Tuſciam mittit ad Guidonem. At Imperator Græcorum Manuel Alexandrum rogavit per Legatos, ut ſibi redderet Imperium Occidentale, pecuniæ tantum pollicitus, quantùm opus eſſet ad Italiam uni Pontifici ſubjugandum. Quòd licèt difficile videretur, ac prope ἀδύνατον, non eſt repudiatum tamen, ut hoc metu Fridericus in officio contineretur.

*Guillelmo Malo Siculo ſuccedit Bonus.* Obiit hoc anno prid. Kal. Maji Regni 13. cum 2. menſibus, ac diebus 3. vitæ 46. Guillelmus Siciliæ Rex, cognomento *Malus*; cui ſucceſſit filius item Guillelmus, ſed cognomine *Bonus*; cujus vim nominis ſtatim expertus eſt Alexander, ab eo, patris nomine, atque ſuo, recipiens ingentem pecuniæ vim, quâ miſer Pontifex turbulentis hiſce temporibus plurimùm indigebat.

MUNDI 5220. CHRISTI. 1167.

*Ro. à Tuſculanis caſi.* Hoc anno Romani pro Alexandro III. adverſùs Tuſculanos eorumque Principem Raimonem moverunt. Hic impetratis ab Imperatore copiis, illis occurrit, tantamque eorum edidit ſtragem, ut prope par Cannenſi videretur. Igitur relictâ Anconâ accurrit ad Urbem Fridericus; ubi tamen ab Arce S. Angli depulſus eſt; ſicut & ab Eccleſiâ S. Petri; cui flammas injici juſſit: at ſeſe piè dedentes præſidiarii incendium prohibuere. Quare ſuaſit Imperator Romanis callidè, ut deponeretur uterque Pontifex, tertius eligeretur: in quod dum inclinare viderentur miſeriis fracti cives; veritus ne dederetur

*Fugit Alexander Roma.* Alexander, depoſitis inſignibus Cajetam fugit; ubi reſumptis iiſdem, Beneventum pervenit incolumis. Exercitus autem Imperatorius peſte afflictus totus interiit, cum viris principibus, & Epiſcopis; itaque miſer Imperator fugere compulſus eſt, exagitatus à Longobardis, in ejus perniciem conjuratis; atque ita preſſus, ut ſolis montibus & locis inacceſſis ſuam deberet incolumitatem.

*Recedit turpiter Frider.*

*Philippus Auguſtus naſcitur.* Natus eſt hoc anno Ludovico VII. Regi Franciæ ex Adelâ, ſeu Adelaide, tertiâ ejus conjuge, filiâ Theobaldi Comitis Campaniæ, Philippus dictus Adeodatus, & Auguſtus, quem vidit in ſomnio pater, antequam naſceretur, in aureo poculo vicinis Principibus ſanguinem propinare; quod indicium fuit atrociſſimorum bellorum quæ cum iiſdem geſſit. In gratiam autem tanti beneficii Rex condidit Abbatiam Barbellam *de Barbeaux*, quæ aliter dicitur Sanctus, Sacer, & Sequanæ portus, magnoque beneficio certè reſpondit munus.

Cùm videret Alexander Henricum S. Thomam exautorare velle, ipſe hunc Legatum ſuum à Latere in Anglia creat; qui ſtatim armatus Pontificiâ autoritate, & Regem, & ſuos inimicos terret, vir alioquin intrepidus, eiſque intermi-natur anathema. Incertus Rex infelix quid ageret, appellat ad Papam; ſed ſtatim excidit appellatione ſuâ, juſſus Legato parere. Itaque minatur excidium Monaſteriorum Ciſtercienſium in Anglia & Neuſtria, niſi præceps ejiciatur Pontiniaco S. Thomas. Ubi Sanctus videt Monachos Regi parere paratos, abit ſponte; timorem eorum parum religioſum, & qui ſæculares ſaperet, deteſtatur. Suſceptus eſt tamen humaniter à Ludovico VII. Rege Francorum, eique Agendicum urbs Senonum adjudicata. Inde dum S. Thomas expedit Eccleſiaſtica fulmina, nonnihil repreſſus eſt Legatione Romam miſsâ, cui præerat Joannes Oxenefordienſis, homo malitioſè nequam; à quo deluſus Pontifex, auroque corrupti ſunt venales quidam Cardinales; Alexander ægerrimè conjectam in ſe calumniam nonniſi tempore ac multis Epiſtolis diluit.

MUNDI 5221. CHRISTI. 1168.

Cùm S. Thomas meritò de Romanâ Curiâ queri videretur, Ludovicus effecit ut Henricus cum illo colloqueretur. Hic Sanctus abjicit ſe ad Regis ſui pedes, pollicitus acturum ſe, quidquid poſſet, *Salvo honore Dei*: ſed cùm urgeret Henricus, ut faceret ſaltem quod à ſuis Anteceſſoribus præſtitum eſſet, idque Ludovicus, & adſtantes omnes æquum eſſe judicarent, reſtitit S. Thomas, & gratas aſſeruit fore ſibi ærumnas omnes, quas Anteceſſores ſui pro Fidei defenſione toleraſſent. Quare deinceps alimenta huic à Rege Franciæ ſuffici ſolita, parum piè negata ſunt, adeo ut in miſerrimam, & indignam tali tantoque viro devolveretur inopiam; Mox tamen Ludovicus ad ſe rediit, petitâque flexis genibus à ſancto viro veniâ, huic de more liberaliter omnia ſuggerenda curavit; atque ita reſpondit Henrico S. Thomam ejici flagitanti, ut piiſſimus Princeps cum ſcelerato diſceptare videretur.

Fridericus ab Alexandro non tantùm excommunicatus eſt, ſed & depoſitus, abſolutis ejus ſubditis à fidei ſacramento. Ille autem aggreſſus Mediolanenſes cum novis copiis, ſuorum viginti quinque millia perdidit, ne caperetur per caſtella latitare compulſus. Tandem finxit ſe pacem exoptare cum Pontifice: ſed cùm obtinuiſſet exeundi poteſtatem à Comite Mauriacenſi, evocatos religioſos viros pacis ſequeſtros irriſit, & nobilem Brixienſem ſuſpendit prope Seguſium. Hîc enimverò irruerunt in illum Seguſiani, eique obſides Italos omnes eripuerunt, ipſumque ſumpto habitu famuli abire com-

compulerunt, furoris & ignominiæ pleniſſimùm.

Eodem anno ad villam Roveretam à Cremonenſibus, Placentinis, & Mediolanenſibus, intra tres fluvios condita eſt civitas, in agro peramœno adversùs Papienſes, & Fridericum Marchioně Montis Ferrati, Friderici Imperatoris fautores. Hæc in honorem S. Petri, atque ejus ſucceſſoris dicta eſt Alexandria, facta S. Sedis tributaria, & magnum divini Numinis Pontifices tuentis monimentum.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5222. | 1169. |

Hoc anno ſacris aquis Baptiſmi tinctus eſt Sultanus Iconii, à matre occultâ Chriſtianâ inſtitutus; quæ eidem juſſerat, ut demortuæ ſepulchro, ſuper pyramidem figeret Crucem. Eam cùm evertere Saraceni conarentur, qui id tentarunt concidêre mortui; reliqui accurrentes fulminibus afflati periere; Angelo, juvenis ſpecie, Pyramidi Crucem affigente; cujus aſpectu multi ſunt ad Fidem converſi, atque inter cæteros Sultanus, lectis inſuper Codicibus ſacris. Is hoc anno Legationem miſit ad Alexandrum, ut ab eo virum obtineret, per quem pleniùs erudiretur, & clam baptizaretur; cùm id fieri publicè circumpoſitâ Saracenorum Principum multitudo perhiberet.

Totus hic annus variis Henrici Angli tergiverſationibus contritus eſt, ne percelleretur anathemate S. Thomæ Legati Pontificii, refugiente quoque Alexandro ipſo, ne Principem parum compotem ſui in deſperationem agere videretur: quæ tamen mollities improbatur pæne ab omnibus bonis, vix à S. Thomâ tolerabatur, qui ex eâ ſceleratorum audaciam incrementa capere querebatur.

Contigit hoc anno terribilis in Siciliâ motus, quo penitùs everſa Catana, in qua quindecim hominum millia cum Epiſcopo, & maximâ parte Monachorum, perierunt in vigilia S. Agathæ. Emerat Præſul ille Epiſcopatum ſuum à Guillelmo cognomine *Bono*; ex quo intelliges qualis pater ejus eſſet, appellatus *Malus*.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5223. | 1170. |

Miſſi ſunt hoc anno à Manuele Legati ad Alexandrum, qui ab eo peterent Imperium Occidentale, oblatâ ingenti vi pecuniæ; quam ille reſpuit, negavitque ſibi pacis inter Chriſtianos ſequeſtro licitum eſſe bellum crudele inter Principes Chriſtianos incendere.

Cùm pararet anathema in Henricum Regem S. Thomas, illo ægrotante, repreſſus eſt, ne animo ſimul & corpore Princeps infeliciſſimus interiret. Itaque hic corpore penitùs, & animo utcumque convaluit, ac magnificè ſanctum virum accepit: cùm tamen à Rege ſæpe promiſſa repoſceret Epiſcopus, nec ultra ſollicitationes negotia procederent, interpoſitæ ex Urbe Romanâ ſimul & Cantuarienſi minæ parere Regem compulerunt. Rediit ergo in Angliam S. Thomas, bonis exultantibus, improbis exanimatis metu; qui omnem movêre lapidem, ut eum deterrerent à reditu: Sed huic ſatis erat, ad periculum omne contemnendum, aſpicere gregem ſuum paſtore jam ſeptennio deſtitutum.

*S. Thomas coronatur.*

Miniſtri Regii ſtatim ab eo exigunt, quæ nec dare poſſet, nec vellet; quibus de rebus cùm ſæpe querelæ deferrentur ad Regem, hic (ut ſolebat furiosè & impotenter loqui) maledicit famulis qui de ſuâ victitarent mensâ, nec dominum de miſero ſacrificulo ulciſcerentur, per quem nec regnare, ne vivere quietus poſſet. Quatuor ergo aulici, audaciâ quàm ſanguine nobiliores, virum ſanctum deſtinant neci, eundemque in Eccleſia conficere deſtinant. Cùm autem ejus Clerici portas Eccleſiæ claudere molirentur, & pararent reſiſtere, negavit ille *defendi Eccleſiam more caſtrorum*; quare percuſſoribus collum & caput obtulit, eâdem conſtantiâ, quâ impio Principi reſtiterat, etiam poſt obitum & in ipſo funere ſuis impertitus benedictionem.

*Guido Antipapa moritur ei ſufficitur Calliſtus.*

Mortuus eſt hoc anno Guido Antipapa, exeſus renes cancro, & putente pulmone cum fœtenti animâ ejecto; cui ſchiſmatici ſuffecere Abbatem Strumenſem, Apoſtatam omnibus ſceleribus coopertum, quem Calliſtum dixere. Fridericus icere fœdus cum Alexandro conatus; ſed cùm ille calidiſſimus eſſet, hic naris emunctæ, doli nihil profuere.

*Naſcitur S. Dominicus.*

Natus eſt hoc anno Calagoræ in Hiſpania, ex nobili Guſmanorum familiâ S. Dominicus, quem mater prægnans vidit in ſomno ſub ſpecie canis, face orbem inflamantis: & hoc ſomnium ex Deo eſſe eventus docuit, cùm eo nullus hæreticos valentiùs allatrarit, nullus majori pietate hominum mentes accenderit.

---

## CAP. III.

## *Decas Tertia.*

### *Ab anno Chriſti* 1170. *ad* 1180.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5224. | 1171. |

*Cauſa mortis S. Thomæ excutitur Romæ.*

Legationes duæ hoc anno miſſæ ſunt Romam, una Ludovici Francorum Regis, & aliorum piorum Principum, Henricum Angliæ Regem de nece S. Thomæ accuſantium; alia ejuſdem Henrici, & Anglorum Epiſcoporum, eum excuſantium. Hujus Legati vix viſi, vix auditi ſunt; adeò tamen demiſerunt ſeſe, ut tantùm damnarentur viri ſancti percuſſores, & qui ejus mortis authores extitiſſent. Ac viciſſim remiſſi in Angliam Legati, qui de Rege inquirerent an ſacrilega cædes ad eum utcumq; pertineret, quam faciliùs fuerat imperare, quàm negare.

*Henricus fit Hiberniæ dominus.*

Hoc quoque anno factus eſt Henricus Hiberniæ dominus, à 4. Archiepiſcopis, & 28. Epiſcopis hujus inſulæ Rex declaratus, cum jure hæreditario; cui tamen cædes S. Thomæ plùs terroris, quam incrementum regni voluntatis afferebat.

MUNDI 5225. CHRISTI 1172.

*Purgat ſe Henricus de nece S. Thomæ.*

Henricus coram Legatis Pontificiis multa pollicitus eſt, quibus ſe verè ſubditum Alexandro profitebatur, & multa opera bona, ut elueret furores ſuos, quibus cauſam dediſſe tam impiæ necis videbatur. Purgavit ſe nihilominus de illâ per juramentum, obſtrinxitque filium ſuum Henricum, ut hic impleri poſſet, quidquid pater perficere nequaquam potuiſſet. Addunt aliqui (quod minùs certum) publicam illum pœnitentiam peregiſſe, & corpus ſuum Epiſcopis permiſiſſe, magnâ animi demiſſione; ſed quam ejus ſcelus, & molitiones in Eccleſiam, exigebant.

*Authores necis S. Thomæ convertuntur, & miſerè pereunt.*

Qui adhæſerant comites viri boni S. Thomæ; omnes providente Deo ad magnas Eccleſiæ dignitates promoti ſunt, contrà percuſſores ejus ita facti ſunt omnibus odioſi, ut eorum aſpectum omnes refugerent, ipſi etiam canes ex eorum manu cibum capere reſpuerent. Petitâ tamen veniâ, juſſi ſunt in Palæſtinam peregrinari: ſed dum eorum primarius Conſentiæ in Italiâ moras nectit, toto corpore ita computruit, ut nervi ejus, oſſaque viderentur, & in auxilium ſanctum Martyrem appellans, inter dolores acerbiſſimos interierit. Reliqui in loco, quem Montem Nigrum vocant, juſſu Pontificis incluſi, pœnitentes ultimum obiere diem, inter lacrymas, ac ibidem donati ſepulturâ, cum Epigraphe quæ eorum ſcelus & pœnitentiam innueret.

*Filius Henrici Angli rebellat in patrem.*

Henricus Angliæ Rex filium ſuum Henricum iterum inaugurari jubet, ut Franciæ Regi faceret ſatis, qui huic filiam ſuam Margaritam uxorem dederat, quam, & optabat cum marito ſuo Regni inſignibus publicè adornari. Hæc cum parente ſuo Henricum juniorem incitavit ad rebellionem adverſus patrem ſuum, ad quam jam ſatis propenſus erat, utpote qui eum jam ſperneret, qui primus eſt filiis ad rebellionem contra parentes gradus.

MUNDI 5226. CHRISTI 1173.

*S. Thomas inter Sanctos adſcribitur ab Alex. III.*

Hoc anno Alexander III. S. Thomam infinitis miraculis illuſtrem inter Martyres retulit; ſicque Eccleſiæ negotium, Chriſti cauſa eſſe judicata eſt, cujus Principes perſecutores poſſunt eſſe, dum in eam inſurgunt. Tum quoque appetitus eſt pluſquam civili bello, hoc eſt, domeſtico, miſer Henricus, filiis Henrico, Richardo, Gofrido, cum uxore ſuâ Eleonorâ, in eum armatis, quibus plerique regni proceres favebant. Eorum ut declinaret impetum Princeps infelix confugit ad Alexandrum, ut eam rebellionem ſacris Eccleſiæ fulminibus inhiberet; quod & præſtitit, pluſque Pontifex officii ſui, quàm injuriarum memor eſſe voluit.

*Alexander Henrico fert opem.*

Hæc ex Petro Bleſenſi, tum à ſecretis Henrico Regi; qui cùm vir piiſſimus, atque religioſiſſimus extiterit, mirum eſt tandiu, & tam improbo Principi charum extitiſſe.

MUNDI 5227. CHRISTI. 1174.

*Henrici Regis de*

Hoc anno Rex Henricus verè pœnitens tranſit in Angliam, atque in habitu pauperis, vili lacernâ, & nudis pedibus, ac lacrymans, S. Thomæ tumulum adit. Hîc petitâ publicè criminis ſui veniâ, à ſingulis Epiſcopis adſtantibus ſe quinquies cædendum, à Monachis plus octoginta ſe ter flagellis verberandum curat, omnibus ad talem aſpectum collacrymantibus, quibus ſe placatum ſtatim Deus oſtendit. Henrici enim hoſtis capitalis Rex Scotus ſine pugnâ captus venit in manus ejus; Ciſmarini, & Tranſmarini motus bellici quievêre; reddita regno atque Regi tranquillitas: vera ſinceraque de tanto crimine pœnitentia non tantùm Regi, ſed & omnibus ejus ſubditis profuit.

MUNDI 5228. CHRISTI 1175.

Fridericus Imperator Alexandriam nullis vallatam mœnibus, grandi exercitu, quatuor menſibus nequicquam obſidet. Cùmque eam vi oppugnare conatus eſſet, (S. Petro pro ſuis ex equo pugnare viſo) tantam cladem accepit, ut fugere ignominioſè compelleretur. Tum tamen fraude, ac colloquii ſpecie, vitavit auxiliatorum Longobardorum manus; ac denique multis cladibus acceptis viſus eſt ſpectare pacem, accitis tribus Cardinalibus; ſed cùm ille nondum ſaperet, nec planè domitus eſſet, hæc abrupta eſt. Alexandria verò facta eſt Civitas Epiſcopalis, Sede Aquenſi in eam translatâ; ut eam non tantùm defendiſſe S. Petrus, ſed exornaſſe videretur.

MUNDI 5229. CHRISTI. 1176.

Exorti ſunt hoc anno Hæretici Albigenſes, Manichæorum ſoboles veriùs quàm Arianorum, licèt Ariani nonnunquam vocitentur; at ipſi ſe *Bonos homines* appellabant. Admittebant principia duo, bonum & malum: non putabant Sacramenta conferri à malis Sacerdotibus, & eos negabant eſſe præſules, qui præſulum virtutibus carerent: Baptiſmum parvulis prodeſſe non putabant; libidinem verò ſervare homines, iis viam ad cœlum aperire; & alia ejuſdemmodi: de quibus convicti ex Novo Teſtamento, quod unum recipiebant, ore profitebantur veram fidem, ne vitarentur; ovinâ ſe ſemper pelle lupi crudeles contexere.

Fridericus tantâ per Mediolanenſes affectus eſt clade, ut ipſe aliquot diebus non comparuerit, uxor ejus lugubria ſumpſerit, ipſe pro mortuo comploratus ſit. Tandem poſt aliquot dies, Ticinum rerum omnium indigus venit; tumque ſeriò de pace cum Pontifice tractare decrevit; agnoſcens tandem divina verbera, contra quæ hactenus, ipſe ferox equus, & indomitus, recalcitrarat.

MUNDI 5230. CHRISTI 1177.

Hoc anno certa Fridericum inter Ænobarbum & Alexandrum III. pax coaluit: ſed quomodo hæc contracta ſit, non eſt facilè ſtatuere, ſcriptoribus in oppoſita diſtractis. Si enim Venetis credimus, Fridericus reparato ingenti exercitu ve-

tu venit in Italiam, & in eas angustias Pontificem compulit, ut hic assumptâ coqui sui veste Venetias fugere compelleretur, ubi & hortulo S. Mariæ de Charitate præfuit olitor. Tandemque agnitus à Sebastiano Duce, totoque Senatu, magno cum honore exceptus est. Cùm autem ab Imperatore, bello etiam repeteretur; non tantùm Fridericus à Venetis victus, sed & in eorum Urbem perductus, & accidens ad Alexandri pedes, calcato collo, hæc verba Psaltæ regii audiit: *Super Aspidem, & Basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem.* Quibus ille reposuit, *Non tibi, sed Petro*; cui Pontifex, *Et mihi, & Petro*: quæ magnificè adhuc depicta cernuntur, & Venetis certam rei hujus gestæ facere creduntur fidem, colorato saltem argumento. Ast alii, & plures, & melioris notæ scriptores, tradunt Pontificem & Imperatorem venisse pacificè Venetias, ibiq; res suas amicè composuisse; absolutum Fridericum cum suis, honores omnes Alexandro exhibuisse, functum stratoris officio, ac non semel ejus pedes osculatum esse; quibus gestis ambo ad sua rediere. Antipapa autem Joannes ab omnibus ejectus, & erro de pace Ecclesiæ atque Imperii unus ingemuit. Quæ tamen ne statim abrumperetur Friderici malitiâ, una tantùm Pontificis inhibuit prudentia.

Hoc quoque anno junctus est Avenionensi ponte Rhodanus à Pastore puerulo, quem Benedictum, vulgò *Benezer* indigenæ vocitant. Hic ex oppido Antiquæ Burgundiæ Almilato monitus est à Christo, confirmatus ab Angelo, ut pontis hujus fabricam aggrederetur; quod & præstitit, delato lapide, sibi ab urbis Præposito per jocum oblato, quem triginta homines loco non movissent. Quo miraculo permoti Episcopus & Avenionenses, ad struendum hunc pontem affatim ei pecunias suffecere, quibus assurrexit opus mirabile, & dignum quod etiam Diplomatis aliquot Pontificiis celebraretur.

Hoc item anno, quo Hugo Etherianus Etruscus misit librum ad Alexandrum adversus Græcos *de Processione Spiritus sancti*, magister Philippus Medicus ejusdem Pontificis retulit ex Æthiopiâ litteras nomine Preste-Jani, quibus se sanctissimum Sacerdotum appellabat. Ab eo tempore Abyssini Romæ utuntur Ecclesiâ S. Stephani Protomartyris cum ædibus adjacentibus, ex S. Sedis beneficio, ac liberalitate.

MUNDI 5231. CHRISTI. 1178.

Regressus in Urbem Alexander, benignè suscepit Joannem de Strumâ Pseudo-pontificem veniam postulantem, quem mensâ suâ, & hospitio cohonestavit, ut meliùs inita pax inter Ecclesiam & Imperium coalescere, nec ullæ odii fibræ relinquerentur.

Ludovicus Franciæ, & Henricus Angliæ Reges, Hæreticos Albigenses exagitandos suscipiunt, ductis secum Legatis Pontificiis, ne res Ecclesiæ ipsi attigisse viderentur. Eorum celeberrimus Petrus Moranus publicam egit pœnitentiam; alii in hæresi suâ & pertinaces, & procaces luculentam materiam ac diuturnos labores non tantum viris eruditis, sed & militaribus reliquêre.

MUNDI 5232. CHRISTI. 1179.

Hoc anno Pontificatus Alexandri III. trigesimo celebratum est Generale.

## CONCILIUM LATERANENSE TERTIUM.

*Concilium III. Lateranense.*

ab Episcopis 300. Ad id etiam invitati Græci, atque ex iis unus vicinior Georgius Metropolites Corcyræ, morbo præpeditus Brundusii, non potuit interesse; mox etiam revocatus est à Manuele Imperatore. In eo multa statuta ad Ecclesias sanctè administrandas; damnati quoque hæretici in Agro Albigensi, Tholosano, & Vasconico emergentes, dicti, *Cathari, Patharini, & Publicani*, ac variis aliis nominibus; atque indulgentiæ iis propositæ, qui adversus eos ad arma convolarent, cùm revocari posse ad sanam mentem monitis desperarentur. In eodem Concilio Nectarius Græcorum Schismaticorum Legatus, Abbas Monasterii Casulorum in Magna Græcia, post multas disputationes pervicax ad suos rediit, triumphantis more susceptus, quòd unus tot Patribus, perfrictâ fronte, restitisset.

*Ludovicus VII. sepulchrum S. Thomæ invisit.* Ludovicus VII. Francorum Rex admonitus à S. Thomâ Cantuariensi, petitâ ab Henrico Rege facultate, sepulchrum ejus invisit, obtinuitque filii sui Philippi jam deploratam sanitatem. Sed rediens incidit in paralysin, quâ usum dexteræ perdidit; quare non interfuit inaugurationi Philippi, quæ Rhemis ab omnibus Regni Episcopis, ac proceribus celebrata: ita bis tum dicendus fuit Philippus Adeodatus.

*Alphonsus fit Rex Portugalliæ.* Hoc denique anno auctus est Regis titulo Alphonsus Portugalliæ Dux, ob res fortiter adversus Saracenos gestas; nec minùs ob pietatem, quâ ditionem suam S. Sedi fecerat vectigalem.

MUNDI 5233. CHRISTI. 1180.

*Saladinus suscipit expeditionem in Hierosolymam.* Saladinus expeditionem suscepit adversùs urbem Hierosolymam; quâ auditâ, in Occidente pariter est suscepta expeditio; & hanc suis litteris promovit Alexander. Huic dedêre nomen Philippus & Henricus Reges; quos tamen plus Manuel Imperator, quàm Saladinus ipse reformidabat.

*Manueli Imp. succedit Alexius Comnenus.* Obiit autem hoc anno idem Manuel prid. Non. Octobr. sumpto Monachi habitu, eleemosynis suis, quàm aliis rebus gestis illustrior. Successit patri Alexius Comnenus Porphyrogenetus puer, cui ætas nec ipsi nec ejus subditis demore salutaris fuit.

*Moritur Ludov. VII succedit ei Philippus.* Hoc deniq; anno mortuus est Ludovicus VII. seu Junior, item & Pius, 14. Kal. Octobr. sepultusque in Abbatia Barbello, seu Sacroportu, *Barbeaux*, ubi conjux ejus Adelais ei magnificum sepulcrum construxit, ex auro, argento, variisque gemmis, ac lapillis, pari amore ac ma-

ac magnificentiâ. Huic successit Philippus filius, jam coronatus, inter quem & Anglum pacem firmam stabiliit Legatus Apostolicus. Francus autem ab hoste nihil jam sibi metuens, statim Judæos compressit, usuris suis jam intolerabiles, quorum nomina, magno multorum inopum bono, nullius ponderis, Rex optimus esse voluit; sicque paucorum sceleratorum damno, multorum innocentium commodis sapienter prospexit.

*Ab eo Iudæi compressi.*

---

## C A P. IX.

## *Decas Nona.*

### *Ab anno Christi* 1180. *ad* 1190.

MUNDI 5234. CHRISTI. 1181.

*Initium Ordinis Carmelitarum.*

HOc anno Carmelitarum Ordo initium habuisse, à viris eruditis creditur, cum Aimericus Antiochenus Patriarcha plerósque monachos in Palestinâ vitam solitariam sanctissimè professos, & patentes incursibus Saracenorum, in monte Carmello tutiùs collocasset, qui alias Eliæ Prophetæ commoratione nobilitatus erat: inde hic Ordo per Orbem spargi cœpit, multis viris eruditione atque doctrinâ præstantibus illustris. Quæ autem de Eliâ, sanctisque aliis Veteris Testamenti in suum Ordinem adscitis, boni illi Monachi tradunt, tantùm habere debet fidei, quantùm rebus incertissimis tribui solet, & Monachorum traditis historiis; quæ plus pietatis simplicioris habent, quàm solidæ veritatis.

*Alexandro III. succedit Lucius III*

Mortuus est hoc anno Alexander III. 12. Kal. Octobr. cùm præfuisset Ecclesiæ annis 22. minùs diebus decem; vir piissimus, humanissimus, constantissimus, neque tantùm diuturnitate Pontificatus, sed rebus in eo gestis clarissimus. Successit ei 4. Kal. Sept. Humbaldus Cardinalis Ostiensis, dictus Lucius III. priùs tam Romanis charus, quàm post ea invisus & odiosus.

MUNDI 5235. CHRISTI. 1182.

*Maronitæ facti Catholici.*

Hoc anno Maronitæ, gens Libanotis, accessere ad Aymericum Patriarcham Antiochenum, à quo dedocti, quem ante aliquot annos errorem Monothelitarum, boni Catholici redditi sunt; viri fortes, numero quadraginta millium armatorum, tam utiles Christianis, quàm Saracenis metuendi. Nomen autem habent, vel à vico Syriæ Maroniâ; vel, quod est similius verò, à S. Marone Abbate; qui longè ante Maronem Monothelitam vixit: & ad hoc usque tempus constantissimi vixerunt in fide; semper generosi, semper addicti Romano Pontifici, atque Latinis.

*Nascitur S. Franciscus Assisii.*

Natus est hoc anno Assisii S. Franciscus, ex patre Bernardone, mercatore; vir austerissimæ paupertatis, & Christi tolerantis tam sedulus imitator, ut eum non tantùm animò, sed & corpore utcumque repræsentarit; imago spirans Dei crucifixi.

MUNDI 5236. CHRISTI. 1183.

Andronicus, qui hactenus Imperium pro Alexio pupillo adversus invasores defenderat, jam ab iis securus id sibi adscivit, puero strangulato, cùm priùs abstulisset absolutionem juramenti fidelitatis à Basilio Camatero Patriarchâ, successore Theodosii. Creatus ergo Imperator teterrimam exercuit in Latinos carnificinam, quòd favissent Alexio Protosebasto Manuelis Imperatoris patrueli, Imperium adversus Alexium Comnenum affectanti. Eorum tamen fortissimi quique, raptis conscensisque navibus, aufugerunt; reliqui trucidati sunt atque combusti, sine discrimine sexus, vel ætatis. Inter reliquos S. Joannes Legatus Summi Pontificis cæsus est, & tractus cum cane turpiter ac contumeliosè. Neque tamen Latini aut inulti periere, vel fugere: omnia enim littora Mediterranei Maris depopulati, Græcos omnes obvios trucidavere, atque spoliavere, ac prædâ divites in Occidentem remigravere: Græcis multùm quidem, sed nondum satis acerbè castigatis.

Romani hoc anno, atque Lucius Pontifex, infestis armis concurrêre: hujus in auxilium venit Archiepiscopus Moguntinus Friderici Cancellarius: sed Romani, infectis veneno fontibus ac puteis, & hunc, & ejus copias sustulere, & Pontificem in ultimas angustias compulere, Quare hic ad Principes confugit; à quibus cùm multùm pecuniæ recepisset, cùm Romanis pepigit, & cum iis maluit auro certiùs, quàm ferro periculosiùs dimicare.

Mortuus est tum Henricus Junior jam Anglorum Rex, ex animi mœrore, quòd patri nocere non posset; veriùs percussus à Deo, quòd Ecclesiæ S. Amatoris manus intulisset. Obiit autem valdè religiosè, & in cineres, sicuti jusserat, fune tractus; receptisque Sacramentis piissimè expiravit, in morte quàm in vita melior. Pater, quem videre postulaverat (sed is insidiarum metu accedere non erat ausus) ad ejus aspectum incidit in λοιποτιμίαν. eumque inconsolabiliter luxit, miserum plangens, quo tamen erat ipse miserior.

Celebris est hic annus Constitutione à Friderico Ænobarbo factâ, in jure celeberrimâ, & à loco inscriptâ *de pace Constantiæ*; digna quæ glossematis Baldi Jurisconsultissimi doctissimis illustraretur.

In agro Bituricensi hæreticorum 7. millia trucidati sunt, *Coterellos* vocabant; hominum genus capitaliter exosum Sacerdotes & Monachos, omniumque scelerum, ac libidinum sentina. In eos cùm exercitum immisisset Philippus, à rusticulis, quos bonis omnibus everterant, grassatores isti facilè sublati sunt, atque ita disparuerunt, ut ne nominis quidem eorum vestigia superfuerint.

MUNDI 5237. CHRISTI. 1184.

Ricardus Cantuariensis Archiepiscopus bona Ecclesiæ turpiter dilapidans, resque sacras incredibili negligentiâ administrans, contemptis etiam Pontificis monitionibus, audiit Christum domi-

dominum hæc ſibi verba intonantem: *Tu diſſipaſti Eccleſiæ meæ bona, ego te extirpabo de terra:* quibus ita territus eſt, ut intra octiduum demortuus oſtenderit, non inane Chriſti fuiſſe vaticinium, nec dormientis ſomnium, ſed admonitionem vigilantis.

MUNDI 5238. CHRISTI. 1185.

Exautoratus eſt hoc anno Andronicus ab Iſacio Angelo, & ad eum in catenis adductus expertus eſt à plebe quæ vix crederentur, niſi à Græcis illata eſſe dicerentur. Nullum fuit contumeliæ genus, quod in eum non ſit expromptum; evulſa barba, dentes excuſſi, præſciſæ manus, ipſe nudus ſcabioſo impoſitus Camelo, per Urbem traductus, in ſe omnium manus converſas vidit, nihil aliud locutus eſt ad Deum, niſi; *Domine miſerere*; & ad populum, *Quid calamum contritum infringitis?* Poſtea turpiter, & atrociter excarnificatus inter tormenta interiit, etiam juſſu Iſaaci Angeli abjectus eſt inſepultus; vir aliunde Catholicus, optimè affectus in Apoſtolum Paulum, & in tempore juſſus à Deo pœnas pendere, ut æternum poſſet eſſe beatus.

Veronæ conveniunt Fridericus, & Lucius, qui negavit Imperatoriam coronam dare illius filio, niſi eam deponeret pater: cùm Imperium non magis admitteret duos Imperatores, quàm Cœlum duos Soles.

Orientales Chriſtiani mittunt in Occidentem Legatos, quorum unus fuit Guillelmus Archiepiſcopus Tyri, qui hîc ſuam claudit hiſtoriam. Miſſa ſunt & ad Henricum Anglorum Regem Vexillum Regium, Claves S. Sepulchri, Turris David, & Sanctæ Civitatis, quaſi Hæredi Regni Hieroſolymitani. Promiſſa quidem expeditio, non ſuſcepta; quam tamen præſentem res Syriacæ flagitabant; quibus omnis mora, erat ſine dubio periculoſa.

Mortuus eſt Veronæ hoc anno 7. Kal. Decembr. Lucius III. Cui ſtatim ſuffectus eſt Lambertus Archiepiſcopus Mediolanenſis, dictus Urbanus III. Pontifex, quem hoc tempus exigebat.

Guillelmus Siciliæ Rex in ultionem Græcorum, Dyrrachium, & Theſſalonicam expugnavit, ubi omnia ſacra profanaque compilata ſunt; atrociùs etiam in eorum Eccleſias ſævitum, quòd hæ impiorum precibus atq; conventibus pollutæ crederentur. At mox iiſdem Siculis Græci vicem repoſuerunt: unde natum inter Latinos & Græcos odium implacabile, mutuis deinceps damnis & injuriis accenſum.

MUNDI 5239. CHRISTI. 1186.

Urbanus III. de multis Fridericum arguit, de quibus meritò reprehendendus erat; aliunde cùm negaſſet Coronam filio, niſi hanc poſuiſſet pater, in odium utriuſque incurrit. Et hic quidem Epiſcopum profeſſum ter ſe à Pontifice dignitatem accepiſſe, per ſervos pugnis contundi juſſit; ille vias Alpium claudi, ne quis S. Sedem adire poſſet: quare utrumque anathemate perculiſſet Urbanus, niſi mors ex manibus ei ſacra eripuiſſet fulmina, neque mittenti, neque recipienti profutura.

Henricus filius Friderici hoc anno Mediolani duxit uxorem Conſtantiam filiam Rogerii Siciliæ regis, amitam tum regnantis Guillelmi. Qui autem hanc Monacham fuiſſe ſcripſerunt, & ſe penitùs ignaros Hiſtoriæ, & rationis expertes, auditorum judicio, demonſtrarunt. *Nuptiæ Henrici cum Conſtantia.*

MUNDI 5240. CHRISTI. 1187.

Iſaacius Angelus exagitatus civilibus bellis, recurrit ad Deum, ac B. Virginem, eorumque patrocinium, inductis etiam in Palatium Monachis, procuravit; quo nullum erat præſentius malis imminentibus remedium. *Iſaacius Angelus auxilium à Deo poſtulat.*

Hoc anno 4. Kal. Octobr. à Saladino capta Hieroſolyma, cùm priùs bis infeliciter pugnatum eſſet Kal. Maji, ac Nonis Julii, ac S. Crux cum Guidone Hieroſolymitano, plurimiſque civitatibus Barbaris ceſſiſſent. Tum autem eadem Crux fœdè tractata à Saladino, profanatum templum; ea denique facta quæ in Arabas illos iram Numinis accerſiviſſent, niſi horum crimina minora fuiſſent, quàm Chriſtianorum. Tum autem eſt inita pax Græcos inter, atque Saladinum, qui conceſſit eis omnes Eccleſias Palæſtinæ, eâ lege, ut ritus Latinus ab iis excluderetur, induceretur Græcus; ideò Barbaris acceptior quòd ab illis nihil ſibi metuerent, omnia ab his reformidarent. *Saladinus capit Hieroſolymam*

His auditis nunciis Urbanus III. ex mœrore incidit in morbum, quo elatus eſt 13. kal. Nov. apud Ferrariam; ac ſequenti die ei ſuffectus eſt Albertus Cardinalis Beneventanus, dictus Gregorius VIII. qui ſtatim ut Deum placaret, atque Orientalibus rebus depoſitis provideret, jejunium quinquennale indixit; videlicet ut toto hoc tempore feriâ 6. fideles omnes obirent Quadrageſimale jejunium, feriâ verò 4. & Sabbatho abſtinerent à carnibus; Pontifex verò, atque Cardinales cum familiis ſuis adderent Feriam 2. qui ſecus facerent, transgreſſores haberentur jejunii Quadrageſimalis, niſi fortè aut infirmitas, aut ſolemnitas magna, aut gravis alia cauſa intercederet. Statuerunt quoque Cardinales omnes, aſſentiente Pontifice, abjectis omnibus deliciis mendicantes proficiſci ad prædicandam Crucem, ac turmas præcedere Crucigerorum. Denique per ſeptennium inter omnes Principes Chriſtianos decreta pax, in eos Dei atque Pontificis effuſa maledictio qui paranda in Dei hoſtes arma contra fratres ſuos converterent; remedium hoc tempore ad coërcendos Dynaſtas, ac Reges ambitioſos, neceſſarium. *Urbano III. ſuccedit Gregorius VIII.* *Jejunium indictum pro rebus Orientalibus.*

Sed Gregorius VIII. nondum duobus menſibus in Pontificatu exactis, obiit Piſis 17. kal. Jan. ne hæc belli moles tanta, ejus tantum humeris niti videretur. *Moritur Gregorius VIII.*

MUNDI 5241. CHRISTI. 1188.

Poſt dies 20. Id. Jan. datus eſt Gregorio ſucceſſor Paulinus Cardinalis Præneſtinus, dictus Clemens III. qui ſtatim Cruciferis omnium peccatorum indulgentiam conceſſit, edixitque ut *Succedit ei Clemens III.*

preces,

preces, pro Expeditione Sanctâ, totâ Ecclesiâ funderentur. Tum apud Gisortium de manu Guillelmi Tyrii Archiepiscopi Reges Franciæ & Angliæ, Philippus & Henricus, & Comes Flandriæ Philippus, sumpsere crucem cum suis proceribus; Francus purpureas, Anglus albas, Flander virides; atque injunctæ omnibus, præterquam iis qui susciperent Expeditionem, bonorum omnium decimæ, dictæ Saladinæ; quæ, quòd plurimùm gravarent inopes & Ecclesias, à multis improbatæ sunt; sed metu majore de futuris, quàm præsentibus malis.

*Expeditio Sacra suscipitur, Decima Saladina.*

Turbavit nonnihil bellum sacrum Ricardus Angli Regis primogenitus, rebellis in patrem, ideò anathemate perculsus à Legato Pontificio. Sed aliunde Fridericus ipse suscepit Crucem de manu Legati, & scripsit ad Saladinum: verùm ultro citroque datæ litteræ nihil præter inanes minas continuere; Epistola Saladini ut Thrasonica magis, magis etiam irrisa est.

*Ricardus Anglus rebellat in patrem.*

Ventilata est hoc anno in Galliâ quæstio utrùm aqua cum vino in calice mixta mutaretur in Christi sanguinem, parsque ajens, atque Catholica, dicitur tum magno miraculo in Turingiâ prope Erpisfordium confirmata. Sed cùm hæc disputatio majoris otii sit, satis est duntaxat tempus attigisse.

*Quæstio de aqua Calicis, an mutetur in sanguinem Christi.*

MUNDI 5242. CHRISTI 1189.

Convenêre ad Feritatem Bernardi Philippus & Henricus ut plenam componeret pacem, antequam proficiscerentur in Palæstinam: & cùm conciliari non possent, Joannes Legatus olfactus Sterlingos Anglicanos, interdictum comminatus est Philippo; quod hic contempsit, & expedivit arma in subditum rebellem; quibus territus Henricus pepigit cum Philippo fœdus, invitus tamen, quia conditiones non satis honestas admittere cogebatur.

*Fœdus Henrici cum Philippo.*

Obiit porrò idem Henricus pridie Nonas Julii, sepultus in Monasterio Fontis-Ebraldi, cum veris pœnitentiæ signis; qui si iracundiam suam frænare potuisset, sibi meliùs, atque subditis consuluisset. Successit ei coronatus 3. Non. Septembr. primogenitus Ricardus, qui mox in Philippum Francum movit, & petiit ad se pecunias ex Anglia submitti ab Episcopis. Sed huic petitioni fortiter obstitit S. Hugo Lincolniensis Episcopus; quare Rex satellites misit, qui eum Sede depellerent. At in vicinis pagis jussit S. Præsul, pulsatis campanis, eos excommunicari qui facinus aggrederentur, & obsequerentur Principi. Itaque deterriti milites illi, & veriti ne malè perirent (quod contigerat excommunicatis à sancto viro) manus continuerunt. Hugo autem ipse perrexit ad Regem, eum graviter increpuit, atque ab invito pacem & osculum extorsit, ideò dictus *Malleus Regum*; cui pares erunt Episcopi, Hugoni constantiâ & sanctitate pares.

*Moritur Angliæ Rex Henricus, succedit ei filius Ricardus.*

*S. Hugo Lincolniensis ei resistit.*

Dum ergò inter se Francus Anglusque disceptant, Fridericus Imperator navalem atque terrestrem exercitũ adornat, & cum centum quinquaginta millibus armatorum pergit in Orientem, majori tamen animo, quàm felicitate.

*Fridericus Imp. pergit in Orientem.*

Mortuus est hoc anno sine liberis Guillelmus *Bonus* Siciliæ Rex, relictâ hærede Constantiâ, Henrici conjuge. Sed Tancredus Guillelmi consanguineus civile conflavit bellum; cujus ut conatus dejiceret Henricus, misit in Siciliam copias, quæ post multa damna Siculis illata, re infectâ recesserunt. Pontifex autem Tancredo favit, eumque Siciliæ creavit Regem, ut sibi atque Ecclesiæ viciniorem, atque animo locoque conjunctiorem.

MUNDI 5243. CHRISTI 1190.

Philippus Augustus cum copiis solvens in Orientem, tempestate conjectus est in Siciliam, & in ea invitus hyemavit cum Ricardo, qui eò quoque appulit. Exortas autem inter Francos, Anglos, & Siculos turbas Præsules discussere. Ricardus etiam hîc ad se rediit, & publicam obiit pœnitentiam de vitæ præteritæ sceleribus, exinde mutatus in bonum Principem, atque religiosum. Florebat autem in Sicilia tum Joachimus Abbas Cistertiensis, vulgò habitus ut Propheres; sed inania dixisse compertus est; quod plus cæteris Ricardus expertus est. Vates autem iste postea cum suis scriptis sub Innocentio III. damnatus ostendit, quo spiritu vaticinatus esset, & quæ huic esset adhibenda fides.

Fridericus ob inconstantiam Isaaci Angeli, nonnisi hoc anno pervenit in Thraciam, ubi & à Græcis multa passius est mala, multa reposuit. Eorum causa fuit præcipua Dositheus Monachus, per quem Angelus abalienatus est à Friderico, quasi hic Græcum affectaret Imperium; ideò postea factus Antistes Constantinopolitanus, pestiferam Cathedram, præmium calumniæ suæ ac prævaricationis, accepit.

Fridericus ergò, superatis difficultatibus immensis, pluribusque adversus Turcas relatis victoriis ad Iconium, Sultanum hujus tractus, stipatum quadringentis equitum millibus, sexcentis tantùm equitibus delevit, operâ S. Georgii qui sæpe visus est in equo Germanos præcedere, cùm eorum ferme omnes equi, pabulo deficiente, interiissent. Mox etiam Iconium à Duce Sueviæ mirabiliter captum; iterumque fugata ab Imperatore equitum ducenta millia: sed ejus inexpectata mors harum victoriarum cursum abrupit. Dum enim in Minori Armenia post prandium in fluvio Calycadno, seu Calydno, nataret, aquis submersus interiit, reliquitque huic fluvio *Salepho*, triste nomen *Ferri*, quod in eo videlicet res Christianorum cum Imperatore haustæ interiissent. Collegit tamen ejus exercitum Sueviæ Dux Conradus, perrexitque in Palæstinam, ubi in obsidione Ptolemaidis moriens, etiam meliùs quàm sperabat virtutis suæ laborumque præmium retulit.

Henricus relictus à patre Friderico in Germaniâ, auditâ ejus morte, à Clemente postulavit Imperium, quod & obtinuit, jussus venire Romam ad Pascha, ut hîc inungeretur; omnia pollicitus, quæ à petentibus Imperia promitti solent.

C A P.

## CAP. X.

## *Decas Ultima.*

*Ab anno Christi* 1190. *ad* 1200.

MUNDI 5244. CHRISTI 1191.

ANtequam Henricus perveniret Romam, obiit 4. Id. April. Clemens III. electusque in ejus locum 17. Kal. Maji, Hiacynthus Cardinalis, ætatis decrepitæ, utpote qui annis 60. Diaconatum exercuisset; dictus Cælestinus III. Is statim coronavit Henricum & uxorem ejus Augustos, adhibitis tamen cerimoniis, quibus se dare & adimere posse Imperium testaretur.

Statim Henricus conatus recuperare Regnum Siciliæ, etiam uxorem perdidit, quam apud se à marito relictam Salernitani Tancredo tradidêre; quæ tamen anno sequente, curante Pontifice, huic reddita est. Sed exercitum amisit suum peste, quam vix vitavit, Mediolanum fugiens paucis comitibus stipatus, anni hujus lætioribus initiis, quàm fine.

Philippus & Ricardus Messanâ solvunt; ille paulò pòst appulit in Palæstinam; hic tempestate delatus est in insulam Cyprum, unde expulit Isaacium Tyrannum, quem & vivum cepit. Inde in Palæstinam perrexit, ubi cum Philippo Ptolemaidem occupavit. Cùm autem parum inter se convenirent Angli atque Franci, Philippus rediit Romam, ubi absolutus à Pontifice, de more palmas & cruces recepit. Ricardus autem substitit in Palæstinâ, ubi cum Saladino sæpe feliciter pugnavit. Obortis tamen inter Principes discordiis, ubi vidit rem Christianam in Oriente depositam, fœdus iniit cum Saladino in triennium, constituitque nepotem suum Henricum Regem Hierosolymorum, Conrado ejus competitore cæso. Ne autem emissus ab Arabibus Guido ex carcere, res satis in Palæstinâ turbatas pessundaret, assignavit ei Regnum Cypri. Solvit itaque Ptolemaide 8. Id. Octobr. sed naufragium passus in sinu Hadriatico, cùm paucis enavit in terram, indeque mutatâ veste per Germaniam redire conatus est in Angliam. Verùm detectus à Leopoldo Duce Austriæ, ei privatim multis de causis infenso, prope Viennam captus, missus est ad Henricum Imperatorem, ex cujus manibus non nisi difficiliter extractus est.

MUNDI 5245. CHRISTI 1192.

S. Ubaldus, Eugubinus Episcopus, hoc anno in Sanctorum numerum relatus est: quare errant qui eum ad annum 1210. floruisse volunt, Pontificio hujus anni convicti diplomate.

MUNDI 5246. CHRISTI 1193.

Turbæ concitatæ sunt multæ in Ecclesiâ Orientali, ex Præsulum intrusione: Dositheum Imperator Constantinopolitanum Patriarcham optabat, & deluserat Theodorum Balsamonem, qui cùm speraret hanc sedem, responderat quòd esset è re sua, non Ecclesiæ. Tandem lectus est Urbis Antistes Georgius Xyphilinus; cui Theodorus Balsamon Nomocanonem suum nuncupavit; vir hostis capitalis Ecclesiæ Latinæ, & flagitiosè nequam, ex quo de ejus amicis sine temeritatis suspicione pronunciabis.

Pseudo-Alexius Tyrannus Persam in auxilium suum evocat, traditis ei Chonis ubi templum S. Michaëlis Ethnici spoliarunt. Sed idem Alexius dormiens, à quodam Sacerdote cæsus, de somno ad mortem traductus est diram & immortalem. *Pseudo-Alexius caditur.*

Henricus Siculos vexat, atrocissimè Salernitanos uxoris suæ Constantiæ proditores. Mortui sunt hoc quoque anno Tancredus & filius ejus Rogerius, superstite Reginâ cum puero ac duabus puellis, quos sibi deditos Henricus inclusit contra datam fidem, puero etiam excæcato. Refodi quoque jussit Henricus Tancredi atque Rogerii corpora, ac mortuis detrahi coronas, ridiculè Tyrannus & in mortuos desæviens. *Henricus sævit in hostes suos.*

Liberatus est denique eodem anno Richardus Angliæ Rex, operâ Pontificis interminati anathema ejus hostibus Leopoldo Austriaco, Henrico Imperatori, & Philippo Augusto: hujus autem divortium cum Botildâ filiâ Daniæ Regis improbatum, non tamen unius Pontificis opus. *Liberatur Ricardus Anglus.*

MUNDI 5247. CHRISTI. 1194.

Henricus hoc anno Siciliam fœdè totam diripuit; Gazam Tancredi in Germaniam deportavit centum quinquaginta jumentis. Deduxit & secum Reginam, ejusque filium cæcum, ac filias duas, multosque proceres, ac Episcopos, sic, ut hujus Regni non hæres, sed Tyrannus esse videretur. *Henricus Siciliam expilat.*

Gaufredus Archiepiscopus Eboracensis, frater Regis Angliæ, venator potiùs & aulicus, quàm Præsul, oblatus est judicandus S. Hugoni Episcopo Lincolniensi: qui cùm appellasset ad Cælestinum Papam, hoc suo se judicio condemnavit. *Venator Archiep. accusatur.*

MUNDI 5248. CHRISTI. 1195.

Discordiâ inter Saladini filios exortâ, spes affulsit Palæstinæ recuperandæ: missæ igitur circumquaque Legationes, sed irritæ, Christianorum peccatis aliud exigentibus. *Palæstinorum spes inanis.*

Alexius Angelus Isaacium Angelum Imperatorem, qui præfuerat Orienti annos 9. menses 8. de solio detractum mittit in carcerem, præmium sui sceleris consecutus Imperium. *Alex Angelus Isaachum Ang. dejicit.*

Cælestinus Pontifex excommunicavit Leopoldum Austriæ ducem, injustè extortam pecuniam Ricardo restituere detrectantem. Statim ejus omnis ditio inundationibus, incendiis, peste ac fame afflicta; quibus non permotus sibi tibiam imprudenter confregit; quare pes ei rescindendus fuit: sed nihilominus in totum corpus lue pervadente, absolutus ab Episcopis inter magnos dolores expiravit. Jacuit diu corpus ejus inhumatum vermibus scatens, quia pecuniam restituere filius ejus negabat; quod tandem *Leopoldus à Deo castigatur.*

dem præstitit, ab amicis compulsus. Sic miser ostendit quantopere sint Ecclesiæ fulmina vivis ac mortuis reformidanda.

*Henr. excommunicatus.*

Henricus quoque Imperator eodem Ecclesiæ fulmine afflatus est à Cœlestino, quod restituere nollet pecuniæ vim eidem Ricardo extortam; quem tamen Leopoldi exitus ad sanam mentem revocare debuerat.

MUNDI 5249. CHRISTI. 1196.

*Henr. Imper. Siculos vexat, vincitur ab uxore.*

Henricus V. Imperator, fingens expeditionem in Palæstinam, cum magnis copiis venit in Siciliam; ubi sævijt in Normannos, atque eos præcipuè, qui alium à se Regem elegissent; quorum nonnullis diademata clavis affixit capiti, alios raptavit alligatos ad caudas equorum, alios variis modis, sed crudelibus sustulit. Quare ejus uxor Constantia ex Normannis orta coëgit exercitum, quo maritum fugavit, atque in munitionem se recipere compulit, gentis suæ, & sanguinis, quàm Imperii, & conjugis amantior.

MUNDI 5250. CHRISTI. 1197.

*Henr pacem facit cum Siculis, & à Græcis tributum extorquet.*

Henricus, quibus voluit conditionibus Constantia uxor, cum Siculis depactus est; factaque hæc mulier, ut tuba belli, sic arbitra pacis. Classe autem ille potens petiit ab Alexio Angelo quidquid interjacet inter Epidaurum, & Thessalonicam, quod fuerat quondam Guillelmi soceri sui, aut pro iis tributum. Missa sunt igitur ad eum Constantinopoli Auri talenta sedecim, idque dictum tributum Alemannicum, ægrè repertum à Græcis, expilatis Ecclesiis, atque Cœnobiis, adeoque refossis ipsis sepulchris. Sed ut hoc violentum & iniquum, sic breve, atque tantùm anni unius fuit.

*Moritur Henricus V. Imp. satis piè.*

Obiit enim hoc anno Henricus V. Imperator, *Asper* dictus, 4. Octobr. Messanæ, excommunicatus à Cœlestino, ob pecuniam à Ricardo per vim extortam. Quare Pontifex noluit eum sepeliri, nisi ex consensu Regis Angliæ; verùm ad eum ante mortem pecuniam præmiserat; & moriens testamentum valdè pium condidit, reddiditque Pontifici, quæ ejus juris erant. Cælestinus ergo dedit regnum Siciliæ ejus filio, acceptis duobus millibus marcharum argenti. Legarat & idem Henricus multa Ordini Cisterciensi; sed id acceptare Monachi & Abbates sanctè recusarunt, ut ab impio quæsita & scelere parta; quæ sæpe Principes, & publici grassatores Ecclesiis relinquunt, cùm iis uti veluti saturæ hirudines non possunt.

*Suppetiæ missæ ab Henrico vanæ.*

Classis Henrici Imperatoris appulit Ptolemaidem sub Conrado Hildesemensi Episcopo, ejus Cancellario. Sed audito adventu filii Saladini, simulque Henrici morte, exercitus turpiter dilapsus est, quanquam mox pugnaturus. Remansere tamen aliqui, inter quos Archiepiscopus Moguntinus Cardinalis Episcopus Sabinensis, missus ad coronandum Armeniæ Regem; cujus operâ idem Rex cum Principe Antiochiæ reconciliatus est, magno Ecclesiæ, majori rixantium commodo.

MUNDI 5251. CHRISTI. 1198.

Georgio Xiphilino Patriarchæ Constantinopolitano demortuo successit Joannes Camaterus, qui huic sedi præfuit usque ad Urbem à Francis occupatam; vir addictior eloquentiæ, quàm veritati, & cujus dignitas diuturnior, quàm melior fuit.

*Xiphi... succe... Cama... rus.*

Confirmatus est hoc anno per Cœlestinum III. Ordo Teutonicorum, uti rogarat Henricus Imperator; magni in Oriente primò, deinde in Occidente, nominis ac fortitudinis.

*Teu... ordo...*

Mortuus est eodem anno Cælestinus III. ex morbo, & senio, 6. Id. Januar. cùm sedisset annos 6. menses ferè 9. qui moriens monuit Cardinales, ut sibi sufficerent Joannem de S. Paulo Cardinalem S. Priscæ, virum in quo nihil ad Pontificatum deesse videbatur; quod ut fieret, voluit moriturus Pontifex se abdicare dignitate suâ; sed reclamavere prudenter Electores. Ergo eodem quo decessit die iidem selegerunt Lotharium Cardinalem annorum 37. dictum Innocentium III. longè Joanne digniorem, cùm hunc non homo, sed Deus elegerit.

*Cæl... II... dit... cent...*

Florebant circa hæc tempora in Hispania Ordines S. Jacobi, & Calatravæ qui Avisienses in Lusitania dicuntur; & iis Hispanica pietas tutelam debet atque præsidium. In Gallia autem Innocentius approbavit Ordines SS. Trinitatis, & Redemptionis Captivorum; item Hospitalariorum S. Spiritus apud Montem Pessulanum; aliaque ejusdemmodi gessit, plena pietatis atque prudentiæ.

*Va... din... pro...*

Francia hoc anno subjecta est Interdicto, & Philippus excommunicatus, ob legitimam uxorem repudiatam; quare Rex in Ecclesiasticos, qui parebant Anathemati, atrociter sævijt. Tunc igitur adversus eum stare Deus visus est; à Ricardo enim ad Gisortium magnam cladem accepit, ubi tantùm captus non est, sed & periculum adiit vitæ, ponte degravato sub ipso subsidente. Quæ præterea clades attributæ sunt Judæis olim expulsis, & postea revocatis; & quia tum indigens pecuniæ Rex pluris faciebat regnum, quàm religionem.

*Ph... An... ex...*

Hoc quoque anno fit mentio Waldensium, quorum author Petrus Waldus, Lugdunensis civis; aliter dicti *pauperes de Lugduno*, in varias divisi sectas; quia mendacium diu esse unum non potest.

*Wa... hæ...*

Denique hoc anno doctissimus Cæsar Cardinalis Baronius adversus Centuriatores Magdeburgicos absolvit Annales suos: quos si dixeris Ecclesiæ propugnaculum, loqueris cum viris eruditissimis, atque omni exceptione majoribus; frustra eos allatrantibus sciolis quibusdam, & Heterodoxis, qui minùs ei nocuêre, quàm canes Lunæ.

*Ba... ter... suo... nal...*

MUNDI 5252. CHRISTI. 1199.

Alexius Angelus duplex evadit periculum, unum mari, alterum terrâ: hoc, terrâ in immensam voraginem juxta ejus cubile dehiscente, quâ multi vorati sunt, ægrè evasit Imperator; illo, cum deprehensâ in mari totâ ejus familia, quò se

*Ale... geli... culu... plex...*

se contulerat animi relaxandi gratiâ, vix ad littus appulit: quibus admonitus est à Deo, immo ab Innocentio Pontifice, melior non evasit.

Mortuus est hoc anno 8. Kal. April. Ricardus Angliæ Rex, ex levi vulnere, sed neglecto, dum in Lemovicibus obsidet castrum in quo latere thesaurum putabat. Sepultus est, ut jusserat, in Monasterio Fontis Ebraldi ad patris pedes, ut sic ei utcumque satisfaceret. Successit ei frater Joannes Moretonius, cognomento *Sine terra*, quòd ei à patre nihil relictum esset. Habuit autem hic adversarium Arturum Ducem Britanniæ, ex Godofredo, majore fratre Joannis genitum; cui etiam Philippus Rex Franciæ favit, unde geminum exortum est bellum, externum, & civile.

Placentini atque Parmenses, exortâ inter eos controversiâ de Burgo S. Domini, adscitis utrinque militaribus viris, Conventum bellicum (Torneamentum vocabant) indixerunt, vetitum licèt ab Ecclesiâ, immo & portentis è Cœlo. Eum autem obierunt 4. Idus Octobr. à mane usque ad vesperam, certamine tantùm nocte, atque defatigatione dirempto cum multo sanguine; quod certè veriùs furor quàm pugna dicendum fuit.

MUNDI 5253. CHRISTI. 1200.

Epistola, uti vulgò jactabatur, de Cœlo delapsa ad altare S. Simeonis in Golgothâ, de celebrandâ die Dominicâ, quæ tum negligebatur, delata est ad Innocentium, atque ab eo publicata, quia saltem nocitura nemini multis profutura putabatur.

Innocentius, auditâ controversiâ Philippi Suevi & Othonis Saxonis (cui aliqui adjungebant Fridericum filium Henrici V. Imperatoris, Siciliæ Regem) de Imperio disceptantium, causam adjudicavit Othoni; unde magnæ coortæ sunt lites, magno Imperii damno, atque religionis. *Multis de Imperio disceptantibus, id adjudicatur Othoni.*

Obiit hoc anno S. Hugo Lincolniensis Episcopus, quondam Carthusianus, cujus feretro supposuerunt humeros Regis Angliæ, atque Scotiæ, cum suis proceribus; ut quibus fuerat metuendus vivus, post obitum colendus videretur. Postea ab Henrico III. relatus est in Sanctorum album, sicque utriusque Principis probata pietas, ac prudens judicata. *S. Hugo moritur, & honorificè sepelitur.*

Florebat hoc tempore Helinandus Monachus Frigidi montis, patriâ Bellovacensis, qui historiam ab initio Mundi ad annum Christi 1212. libris duodequinquaginta deduxit; hoc loco, propter operis similitudinem, nobis non omittendus. *Historia Elinandi monachi.*

# LIBER XIII.

## *Ab anno Christi* 1200. *ad* 1300.

### CAPUT I.

### *Decas Prima.*

*Ab anno Christi* 1200. *ad* 1210.

MUNDI 5254. CHRISTI. 1201.



INterdictum Francicum hoc anno solutum est, cùm Philippus legitimam uxorem Engelbertam recepisset, ac rejecisset Mariam (alii vocant Agnetem) Meraniæ Ducis ad fluvium Athesin filiam; ex qua tamen suscepti liberi, Philippus & Joanna, legitimi judicati sunt; quoniam ejus cum Philippo conjugium aliquot Episcopi probarant. Maria mox obiit ex mœrore; Engelberta missa Stalioclitam (*Stampas* dicunt) nihil præter nomen & cultum Reginæ accepit, captivæ quam uxori similior.

Obiit hoc anno Absalon Lundensis in Daniâ Archiepiscopus, vir illustris, quo impulsore Saxo Grammaticus Siclandus, præpositus Roschildensis, suam scripsit historiam, longè elegantiori stylo, quam hæc sæcula paterentur; atque etiamnum hodie legitur, maximum Historiæ Borealis promptuarium.

Suscepta est hoc anno à Gallis proceribus in Palæstinam expeditio, hortante Innocentio; quorum præcipui fuere Duces Bonifacius Marchio Montis-Ferrati, Balduinus Flandriæ Comes, Henricus ejus frater, Hugo sive Henricus S. Pauli, Simon Monfortius, Ludovicus Blesensis, & qui descripsit hanc historiam Campaniæ Marescallus Gauffridus Villarduinus. Cùm iis pecuniæ deessent ad naves, pollicitus est illis gratuitum transitum Henricus Dandulus Dux Venetorum, senex fortissimus, olim excæcatus à Manuele Græco Imperatore, si Venetos priùs juvissent adversus Istros, & Illyrios Piratas. Admisere conditionem Crucesignati; sed insuper coacti sunt, reluctantes licèt, iisdem Venetis Jaderam capere, quæ tamen Hungarici juris erat; quare tam ij, quàm Veneti sunt excommunicati, mox tamen omnes absoluti quia fortes, & tali gratiâ dignissimi. Ad eos accessit Jaderam Alexius quindecim annorum adolescens, filius Isaaci Angeli Imperatoris, quem frater Alexius excœcarat. Is fugerat ad Philippum Suevum, à quo commendatus erat proceribus Gallis; quibus cùm mira pollicitus esset, atque inter cætera Ecclesiæ Græcæ cum Latinâ reconciliationem, si eorum armis potire- *Expeditio in Palæstinam.* *Crucesignati juvant Venetos.* *Excitantur ad bellum Græcis inferendum.*

tur Imperio, accepta conditio eſt tam à Gallis, quàm Venetis. Eam expeditionem primùm damnavit Innocentius, mox probavit tamen, utpote ad Syriacam non utilem modò, ſed propè neceſſariam.

MUNDI 5255. CHRISTI. 1202.

*Terræ motus ingens in Syria.*

Terræ motus horribilis concuſſit Syriam, quo concidêre Tyrus, & Archas caſtrum inexpugnabile, omnesque urbes maritimæ labefactatę ſunt, integra reſtitit Antarados ſeu *Tortoſa*, ubi primam Eccleſiam B. Virgini ſtatuerat S. Petrus. Inde ſecuta lues atrox, & peſtem fames tanta, ut omnes operirentur mortem, plurimi exoptarent.

*Bellum in Sicilia.*

Bellum in Sicilia geſtum à Gualtero Comite Brennæ, adverſus Marc-Wardum Tyrannum; ille cæſus eſt dum obſidet caſtrum multis relatis victoriis; hic ex calculo, morte quidem dirâ, ſed non ſatis ignominioſâ.

*Turbæ in Gallia & Germania.*

Turbatæ quoque ſunt hoc anno Gallia & Germania: hæc excito bello inter Philippum Suevum, & Ottocharum Bohæmum; illa Britannico bello, immiſſo per Philippum Auguſtum adverſus Joannem Angliæ Regem Britone. Verùm captus Arturus, antequam ei auxilium ferre poſſet Philippus, immo in carcere necatus eſt. Multis autem de Anglo querentibus in Conventu Parium Franciæ, hic damnatus eſt perduellionis; Rex armis judicium fortiter exſecutus eſt, cum magnâ Anglorum pernicie.

*Anglos aggreditur Philippus.*

Circa hæc tempora primùm auditum eſt nomen Tartarorum; de quibus cùm accuratè agamus in Geographicis, non eſt cur nos properantes, iſti remorentur.

*Tartarorum nomen auditum.*

MUNDI 5256. CHRISTI. 1203.

*Vict. à Latinis Græcis capta Conſtantinopolis.*

Capta eſt hoc anno, menſe Julio, à Francis & Venetis Conſtantinopolis; ab his grandi claſſe 150 navium; ab illis viginti peditum, equitum octo millibus. Victi ſæpe Græci, licèt opponerent equitum ſexaginta millia, & peditum copias innumerabiles. Urbs intra octiduum ſe dedidit; fugit Tyrannus Alexius; eductus è carcere ſenex & excæcatus Iſaacus, cum Alexio filio acclamatus eſt Imperator; cuncta promiſſa Cruce-ſignatis meritò confirmata, cum incredibili gloriâ Latinorum.

*Imago B. Virginis Incarnat.*

Mirabilis Imago B. Virginis Sardenacena, prope Damaſcum Incarnata, & oleum perenne emittens, multa tum patrabat miracula. Hoc liquore ſacro Sultanus Damaſcenus, licèt Saracenus, oculis captus recepit viſum, & locum illum apud omnes reddidit illuſtriorem.

*Normania Anglis erepta.*

Philippus hoc anno Joanni totam eripuit Normanniam, quæ ex eo tempore ad Francos rediit: eidem quoque rapta Aquitania, aut parum, aut infeliciter repugnanti.

MUNDI 5257. CHRISTI 1204.

*Conſtantinopolis à Latinis occupata.*

Dum Veneti ſtant in Anchoris, Cruce ſignati reliqui in Hibernis Ver expectant, in eos excitatur atrox ſeditio, ob pecunias exactas; cujus præcipuus author fuit Alexius Ducas Murtzuphlus dictus (alias Myrtylus) ob conjuncta, & eminentia ſupercilia. Is charus erat Alexio, immò & Iſaacio; & ab utroque permotus ad dignitates, iis ingratus malè rependit vicem. Cùm enim populus adoleſcentem Nicolaum Canabum creaſſet Auguſtum, & ad eum opprimendum Alexius Bonifacium cum copiis evocaſſet, dum expiraret Iſaacius, ut creditum eſt potatus veneno, Alexium Ducas, quaſi eum erepturus ex manu furentis plebis, conjecit in carcerem, ſibi arrogavit Imperium, moxque vincto etiam Canabo, Alexium bis veneno fruſtra tentatum, ſuâ manu ſtrangulavit. Inde cùm copias in Francos emiſiſſet, præviâ Imagine B. Virginis, quam νικοποιὸν vocabant Græci, & hanc, & victoriam perdidit. Hæc erat Imago aliàs ab Imperatoribus piis in triumphum ducta, & quæ circumducta per forum, ſudo aut pluvio cœlo, imbres aut ſerenitatem inducebat; tumque Latinis eâ potitis certam ſpem injecit victoriæ. Et verò ſtatim Urbs oppugnata 60. diebus, ac noctibus, tandem capta eſt, fugiente primùm Murtzuphlo, deinde quoque Theodoro Laſcari Alexii Angeli Tyranni genero, & Theodoro Duca, de Principatu in hac civitate decertantibus. Venit autem Urbs in Latinorum manus pridie idus April. ſicuti fuerat Oraculis quibuſdam prænunciatum, quæ ſi voles aliunde repetes.

*Bal... elig... Imp... Con... nop... nui...*

Statim ergò à 12. Electoribus creatus eſt Imperator Balduinus Flander, annos natus 32. ſicut & primus Latinus Patriarcha Thomas Maurocenus. Venetis ceſſere inſulæ maris Ægæi: Bonifacio (præter Cretam, jam ſibi ab Alexio Juniore datam, cum magnâ vi auri) conceſſa quoque à Balduino Theſſalia, ac Peloponneſus, cum Regis titulo. Græci autem fugitivi in Aſia, & Europâ, ex Imperii reliquiis ſibi confecere Principatus. Theodorus Laſcaris Nicææ inſignia ſumpſit Imperii Principatus arrogavere ſibi tres Comneni; Michael Epiri, David Heracleæ Ponticæ & Cappadociæ, Alexius frater ejus Trapezuntis; unde ortum eſt Trapezuntinum Imperium continens ferè Cappadociam, Paphlagoniam, Pontum, & Colchidem, Murtzuphlus verò proditoriè captus à ſocero Alexio Iſaacii fratre Tyranno, & oculis orbatus Latinis deditus eſt, à quibus præcipitatus ex altâ columnâ, gratas Latinis & Græcis pœnas dependit, ſuis tamen ſceleribus mitiores. Alexii verò Tyranni caſus variè narratur: id certiùs, eum bonis omnibus ſuis ſpoliatum à Bonifacio, confugiſſe ad Jathatinem Iconii Sultanum, ut ejus auxilio in locum Laſcaris Imperantis reſtitueretur: verùm hoc Sultano in acie per Laſcarim cæſo, captum eſſe Alexium, & detruſum in monaſterium Nicææ, hic fato functum eſſe, faciliori utique quàm ejus ſcelera poſtulabant.

*Imp... Tr... tin...*

*Ca... nei... Bu... rui...*

Coronatus eſt hoc anno à Legato Pontificis Calo-Joannes ſeu Joannicius Rex Bulgarorum atque Valachorum; qui tantum Latinis obfuit, quantùm profuturus ab Innocentio credebatur.

*Lil... Ar... Pa... cre...*

Tum denique Pariſiis, Libri Ariſtotelis delati Conſtantinopoli, publicè cremati ſunt, curantibus hos ignes Academicis, quòd ejus Philoſophia Hæreticis favere videretur. Eorum tamen Doctorum ſecundæ curæ fuerunt primis ſapientiores.

MUNDI

MUNDI 5258. CHRISTI. 1205.

Balduinum obsidentem Hadrianopolin Calo-Joanne, cum suis Walachis aggreditur. Huic restitere fortiter Latini: at dum Balduinus hostem sequitur ardentiùs, in paratas decidit insidias, in quibus ipse libertatem, & multos ex suis amisit, atque inter cæteros Ludovicum Blesensem Comitem. Cæteri victis similes Constantinopolin redierunt; ubi & mortuus est Dux Venetorum Dandulus, vel ex morbo, vel ex vulneribus. Quid autem Balduino in Bulgariam abducto contigerit, incertum; probabilius tamen in carcere Calo-Joannis mortuum esse: minùs enim verisimile quod Græci scribunt, eum cruribus brachiisque truncatum projectum esse in vallem, ibique post triduum expirantem volucribus & feris relictum esse prædam. Certè crudelis admodum Joannicius fuit, dictusque Romanicida; sed non in talem tantumque virum huic est ejusmodi affingenda immanitas.

Mortuus est eodem anno Almericus Rex Cypri, atque Hierosolymæ, Ptolemaide, ex nimio Auratarum esu, ubi hic piscis & magnus, & exquisiti saporis est. Obiit & paulò pòst filius ejus Almericus puer, & mater Isabella; quare Mariæ filiæ quæsitus gener; selectus est à Philippo Joannes Brennensis Comes, qui dotale hoc recepit regnum, onus veriùs, quàm honorem, & sine controversiâ ἔνδοξον δουλείαν.

Albertus Patriarcha Hierosolymitanus dedit hoc anno Carmelitis Regulam, atque vestem, ex authoritate S. Sedis, postea variis temporibus variè mutatas; unde factum ut deinceps tam versicolores essent, quàm moribus diversi.

Tum quoq; ab alio Alberto Episcopo Rigensi instituti sunt Equites Livonici, dicti Militiæ Christi, & Cruciferi, assutis gladiis duobus decussatis ad vestes suas. Eorum primus Magister fuit Vinno; & postea Equitibus Teutonicis conjuncti egregiam Ecclesiæ Septentrionali navarunt operam, consilio manuque potentes.

MUNDI 5259. CHRISTI. 1206.

Henricus Balduini frater eligitur Constantinopolitanus Imperator, ubi captivi Principis mors audita est; qui mox Valachos & Scythas Hadrianopolin tentantes fortiter retudit. Eodem quoque anno Bonifacius Marchio Montis-Ferrati, dum fortiùs quàm cautiùs pugnat in Bulgaros, perdidit vitam, & caput, quod delatum est ad Calo-Joannem, ut ejus dolorem de victoriâ Henrici demulceret; sic utrobique tristia lætis permixta sunt.

Hoc anno Valo Picardus Canonicus S. Martini Picquiniacensis, factus Canonicus S. Georgii τῶν Μαγγάνων, quia prope Armamentarium Constantinopolitanum hæc ædes structa erat, dum ambulat in ruderibus Palatii diruti ab Andronico Comneno, annis undeviginti antequam Urbs caperetur, in fenestrâ obturatâ fœno invenit paropsides duas, quas extulit noctu: in unâ S. Georgii caput, in alterâ S. Joannis Prodromi condita erant. Majorem autem lancem unam auream fregit, ac vendidit, sanctè pollicitus huic æqualem se repositurum; moxque conscendit navem prid. Kal. Octobr. & intra mensem Venetias appulit. Hinc discedit cum Comite, trajicit Alpes, bis in Galliâ à militibus dissipatis redimere se coactus, tandem adjungit se Clerico, qui mittebatur ad Philippum Namurcensem cum pretiosis reliquiis, pervenitque ad urbem Ambianum. Inde monuit Episcopum Ricardum de Gerberoy, qui ei processit obviam cum Clero 16. Kal. Januar. sicut habetur in Actis hujus Ecclesiæ. In paropside autem interiori hæc leguntur verba ὁ ἅγιος ὁ Ιωάννης Πρόδρομος. Itaque ab eruditis Ambiani creditur asservari, τὸ πρόσωπον S. Joannis Baptistæ, Angeriaci S. Joannis Alexandrini Martyris, Romæ S. Joannis Confessoris, cujus natalis dies cadit in pervigilium S. Joannis Baptistæ. Quæ innuisse sufficiat totius Mundi Historiam in pauca contrahenti.

R. P. Brietii Annales.

Pertinent ad hunc annum gesta S. Dominici, tum adscripti à Didaco Episcopo Oxomensi in numerum Canonicorum Ecclesiæ suæ, qui tum sub regulâ S. Augustini vivebant. Deductus est autem comes à Didaco Romam, atque in itinere aliquot Hæreticos convertit. At redeunte in Episcopatum suum Didaco, ipse relictus in Galliâ Narbonensi egregiam contra Albigenses navavit operam, ibique Ordinis sui fundamenta jecit, firmissimam adversùs hæreses arcem, & illustre seminarium pietatis. *S. Dominici Canonici S. Augustini res gestæ.*

Eodem quoq; spectant S. Francisci Assisinatis initia, quando paternis bonis omnibus renunciavit, ut Deum parentem suum verè posset appellare, ac coram Episcopo suo atque patre iisdem cessit, immo & vestibus, ut Christum nudum propiùs sequeretur. *S. Francisci bonis paternis renunciat.*

MUNDI 5260. CHRISTI 1207.

Germani pertæsi rixarum inter Philippum, & Othonem cujus nutabant partes, eos ad pacem, & nuptias compulerunt, ut Philippus Othoni socero succederet; quod Pontifex probavit. Otho autem transiit in Angliam ubi pecunias accepit à Joanne, sed extortas ab Ecclesiasticis, neque danti, nec accipienti profuturas. *Pax inter Philippum & Othonem nuptiis conciliatur.*

MUNDI 5261. CHRISTI 1208.

Philippus hoc anno perfidiosè cæditur ab Othone Palatino Witelspachii, quem sibi destinatum generum ob magna crimina rejecerat. Statim ergo omnium voce acclamatus est Imperator Otho IV. cujus tamen dignitas & sublatus æmulus mutavere mores, atque ex Principe non malo injustum Imperatorem effecere. *Otho IV. fit Imperator.*

Angliâ interdicto suppositâ Joannes Rex in Ecclesiasticos sæviit. Excommunicatus est Tholosanus Comes, ob cæsum Petrum de Castronovo primum Inquisitorem, & Hæresin: sed cùm hanc ille ejurasset, publicè pœnitens, & flagellis cæsus, Ecclesiæ restitutus est; in quâ *Excommunicati Angli, & Comes Tholosanus.*

Princeps ſceleratus non remanſit, mox ex eâ iterum ejiciendus.

*S. Franciſcus Ordinis ſui jacit fundamenta.*

Tum quoque S. Franciſcus anno ætatis 28. audito Evangelio de omnibus relinquendis, adſcivit ſibi ſocios 12. Romamque poſt biennium accedens, primumque rejectus ab Innocentio, mox benignè receptus ob ſomnium, Ordinis ſui fundamenta poſuit; quo nullus pauperior, & fœcundior fuit.

MUNDI 5262. CHRISTI. 1209.

*Otho IV. coronatur Imp.*

Otho IV. hoc anno Romæ coronatus Imperator, Pontifici Stratoris officio functus, privilegia S. Sedis confirmavit. Mox tamen ejus aliquot urbes occupavit, ſicut & Friderici Siculi, quaſi conſulturus Imperio, quod tamen hac iniquitate concutiebatur.

*Expeditio ſacra in Albigenſes.*

Tum ſuſcepta eſt expeditio ſacra adverſus Albigenſes Hæreticos, quàm profeſſi ſunt hominum ferè quingenta millia, cruce ad pectus aſſutâ, non in humeris, ut in Syriacâ. Duces ejus extitere Dux Burgundiæ, & Comites S. Pauli, Nivernenſis, atque Monfortii. Primo impetu captæ Biterræ in feſto S. Mariæ Magdalenæ, quam hi ſcelerati Chriſti concubinam appellabant; urbs incenſa, cæſi promiſcuè civium 60. aut 70. millia. Mox & ſe dedidit Carcaſſona

*Simon Monfortius præfectus bello eſt.*

munitiſſima civitas, cujus emiſſi cives nudi, cum ſolo linteo. Præpoſitus eſt reliquo bello conficiendo Simon Monfortius; ex ſanguine Regio (erat enim Roberti Regis nothus filius) vir jam probatæ virtutis in Jaderenſi expugnatione & in profectione Syriacâ teſtatæ pietatis.

MUNDI 5263. CHRISTI. 1210.

*Henricus Imp. Græcos reprimit.*


Henricus Imp. Conſtantinop. dilatat Imperii ſui fines, cohibetque Græcos crudeliter in Latinos ſævientes, inter quos primas tenebat Michaëlicius, ſeu Michael Comnenus Angelus Epiri princeps, cui militabant etiam Latini, magnis ſtipendiis invitati, & auri, quàm religionis amantiores.

*Otho Imp. deponitur, ejuſque loco ſufficitur Fridericus Siculus.*

Otho Imperator ſæpe monitus ab Innocentio excommunicatur, atque deponitur, ejuſque loco eligitur Fridericus Siciliæ Rex, ſeu Secundus; renitentibus tamen Siculis, ſibi meritò à Germanorum perfidiâ reformidantibus, & optantibus Principem ſuum eſſe divitem Regem potiùs, quàm inopem Imperatorem.

*Simon Monfortius Albigenſes exagitat.*

Simon Monfortius, acceptis novis copiis Crucigerorum ex Gallia atque Germaniâ, multas urbes eripit Albigenſibus, ubi ſeverè in pertinaces animadvertit. Non ſunt tamen repreſſi Ramundus Rogerius Comes Fuxi, neque Comes Tholoſanus, quòd ille nutaret in hæreſi, & ſpem ejus revocandi ad ſanam mentem miracula patrata tum injiciebant.



## C A P. II.

## *Decas Secunda*,

### *Ab anno Chriſti* 1210. *ad* 1220.

MUNDI 5264. CHRISTI 1211.

*Reſpi[rat] Palæ[ſtina]*

IN Oriente Rex Armenus anathemate perculſus eſt, quòd Templariorum bona retineret. Sed Rex Avogniæ, hoc eſt, Colchidis Chriſtianus invitatus eſt ad tuendam Palæſtinam; favit & Chriſtianis Sultanus Alapiæ: quibus terra ſancta utcumque reſpiravit.

*Frid[ericus] II. v[enit] Conſ[tan]tiam*

Fridericus II. venit in Germaniam, & itineribus occultis, quòd majora, & militaria teneret Otho: Sic ingreſſus eſt Conſtantiam ab omnibus honorificè ſuſceptus, ut novi Principes ſolent, cùm odioſis ſuccedunt.

*Ang[lia] dat[ur] Phi[lippo] Aug[uſto]*

Joannes Angliæ Rex ſpoliatur Regno, quod Philippo Auguſto contribuitur, Anglis exulibus paſſim ad eum confugientibus, & maximè Clericis, in quos Rex Apoſtata furorem converterat.

*Sim[on] Mon[fortius] exp[ugnat] Hæ[reticos] vin[cit]*

Simon Monfortius Raymundum Tholoſanum Comitem iterum excommunicatum, atque deſperatum, ſacro aggreditur bello, ac Tholoſam ipſam obſidet; verùm eam relinquere cogitur, ob ſuorum paucitatem. Immò poſtea viciſſim ad eodem Raymundo Tholoſano, Raymundo Rogerio Fuxenſi, & Gaſtone Benchanenſi in arce Caſtro Novo, à centum millibus armatorum obſeſſus eſt. Relatâ tamen mirabili victoriâ per ſuos de Raymundo Fuxenſi, expedivit ſeſe; novisque auctus copiis, & Jacobo Victriaco, egregiam ei ſuis concionibus operam navante, Comitem Tholoſanum omni ſuâ ditione ſpoliavit, exceptâ Tholoſâ, & Monte Albano. Itaque coactus eſt miſer Comes ad Petrum Aragoniæ Regem confugere, etiam relictus à fratre Baldnino, cui ab hæreſi revocato fides potior, quàm frater Hæreticus fuit.

MUNDI 5265. CHRISTI 1212.

*Ta[rtari] Eu[ropam] po[pulantur]*

Irrupere primùm hoc anno in Europam Tartari, victo Indorum Rege, cui ante ſerviebant, ac totam Aſiam populati magnam Polovuciis & Ruſſis intulere cladem, cùm ab illis in hos, utpote hoſtes ſuos, eſſent evocati auxiliatores; ex æquo amicis, & hoſtibus pernicioſi.

*Ot[ho] ad ne[gotia] gli[æ]*

Fridericus II. ab omnibus receptus cum Philippo Auguſto fœdus init: Otho rejectus ab omnibus ſugit ad Joannem Angliæ Regem, ſocium dementiæ ſuæ, atque calamitatis.

*M[ahomedes] Ch[riſtianorum] gr[avi] cla[de] fel[iciter]*

Miramolinus Mahomedes, cui à pileo viridi nomen, Africæ & Hiſpaniæ conjunctis viribus, hanc ſibi vindicare parat. Verùm Chriſtiani in ſuorum auxilium evocati Cruciferi, ei peditum centum millia, equitum decem objecere, ducibus Alphonſo Caſtellæ, Petro Aragoniæ, & Sanctio Navarræ Regibus, cum auxiliis Regum Luſitaniæ, atque Legionis. Pugnatum ad montes Marianos Bæticæ, vulgò *Sierra Morena*, Mauri de 180. millibus equitum, & innumeris peditum copiis

copiis centum millia perdiderunt, atque ex iis triginta equitum millia. Ex Christianis viginti tantùm quinque desiderati sunt: aut ut alii volunt centum & quindecim; capta opulentissima castra, in quibus tanta est inventa telorum copia, ut hæc per duos dies alendis ignibus suffecerint. Adscripta fuit hæc victoria cruci, & imagini B. Virginis, atque insuper pietati militum, qui se meliùs Eucharistiâ tectos, quàm armis credidere. Data Mox Mauris ab Alphonso pax ob suos vulneratos, accipientibus tamen perniciosa; causâ videlicet belli domestici, omni externo gravioris.

MUNDI 5266. CHRISTI 1213.

Contigit hoc anno ridicula puerorum Gallorum atque Germanorum in Terram Sanctam Expeditio, quæ nullis artibus potuit impediri. Sed verè puerilis fuit: eorum magna pars aut cæsi, aut venditi à Saracenis, pauci pudoris & ignominiæ pleni ad sua rediere.

Mediolanenses Friderico invisi, Cremonenses atque Papienses ejus fautores invadunt; at bis repulsi, magnâ suorum strage, Othonis partes displicere Deo atque hominibus agnoverunt.

Philippus Augustus receptâ uxore suâ Engelbertâ post 20. dissensionis annos, expeditionem Anglicanam suscipit, multis paratis navibus. Eâ territus Joannes coronam capiti suo detractam tradit Legato Pontificis, qui modis omnibus bellum hoc abrumpere conatus est; sed nihil profecit. Conversum est tamen bellum in Flandriam, ejusque Comitem Ferdinandum; quæ repulsis Anglis tota est facta Francici juris; obsides imperati, qui tamen ingenti pecuniâ sunt redempti, quâ plus Philippus, quàm vanis fidei assertoribus indigebat.

Petrus Arragonius fert suppetias Raymundo Comiti Tholosano, aliisque Comitibus hæreticorum insanis fautoribus. Prælio igitur conserto prid. Id. Sept. ad Murellum, seu Muretum, tribus à Tholosâ leucis, centum millibus armatorum, cum Simonis Monforti octingentis tantùm equitibus (nam pedites in præsidio reliquerat) miser Petrus & vitam, & suorum quindecim vel viginti millia perdidit. Successit ei filius Jacobus sexennis, restitutus obses à Simone Arragoniis, jubente Pontifice; qui tamen ab educatore suo animi tantum hausit, ut meritò *Præliatoris*, atque *Expugnatoris* receperit nomen.

Tum S. Dominicus instituisse dicitur Rosarium B. Virginis, aut sic ejus usum propagasse, ut ejus primus author dici posset: cùm id multi ad Petrum Eremitam primæ expeditionis Sacræ procuratorem referant; nunquam satis citò Christianis indicandum.

Florebat & hoc tempore B. Maria Ogniacensis, sic dicta à loco in quo obiit, patriâ Nigellensis, virgo sanctissima, cujus vitam conscripsit Jacobus de Utriaco, ad diditque nonnulla Thomas Cantipratensis; digna quæ duos authores tantos laudatores nancisceretur.

MUNDI 5267. CHRISTI. 1214.

Balduinus Raymundi Tholosani frater, captus ab amicis perfidiosè cùm dormiret, traditus fratri, manibus Comitis Fuxensis suspensus è nuce, martyrio suo ejusque causâ, lethi turpitudinem omnem abstersit. *Balduinus Martyr caditur.*

Celeberrimus est hic annus prælio ad Bovinas; quando Otho Imperator, cum Anglo, Ferrando seu Ferdinando, Henrico duce Brabantiæ, & aliis, Philippo Augusto centum peditum millia (nam de equitatu non liquet) victoriæ pænè certus, objecit. His opposuit Philippus Auriflammam sacrum vexillum, & insuper magnos animos: nam in ara coronam suam, atque sceptrum collocari jussit, edixitque ut à Francis traderentur viro forti, quem digniorem se omnes arbitrarentur; exclamatum ab omnibus, iis Philippo digniorem esse neminem. Pugnatum 6. Kal. Aug. die Dominicâ utrimque fortiter; dejectus est ex equo Philippus; Otho tantùm est captus; vinctus Ferrandus Lutetiam captivus vidit, uti prædixerat Dæmon λοξίας; plerique nobiles capti, totus est hostilis dissipatus exercitus. Ideo Rex nobilem Abbatiam victoriam condidit prope Sylvanectum, perpetuum hujusce prælii, acceptique beneficii monimentum. *Prælium ad Bovinas.*

MUNDI 5268. CHRISTI 1215.

In Concilio Montis-pessulani ditio Comitis Tholosani adjudicata est Simoni Monfortio; cui adveniens Ludovici Philippi Augusti filius cum suis Cruce-signatis dedit authoritatem; dirui enim Tholosæ, Narbonæ, & aliquot urbium ac castrorum muros jussit; quæ omnia confirmata sunt in 4. Concilio Lateranensi, cui tamen prævaluit Ludovici præsentia, & virtus, armis omnia perrumpentis. *Simon Monfortina amplam ditionem recipit.*

Motus in Anglia civilis ingens in Joannem, etiam in ejus ditionem Galliciam transiit, quam ipse rebellem ferro flammisque vastabat; nec Innocentius satis præsens adhibebat remedium. Quare proceres ad Ludovicum Philippi filium confugêre, eumque optavere Regem, cui uxor Blancha Joannis Neptis, si non causam, certè πρόφασιν offerebat; quæ plerumque ad magna bella suscipienda Principibus sufficit. *Angli se submittunt Ludovico filio Philippi.*

Eodem anno Aquisgrani denuò coronatus est à Siffrido Moguntino Fridericus II. Othone post Boviensem pugnam sic attrito, ut omnes ejus obliviscerentur, hic pæne sui; cùm Friderico omnia sensim subjicerentur, optimè tum in Ecclesiam animato, ideoque felicissimo. *Fridericus II. coronatur.*

Tum etiam Novembri mense celebratum Romæ in Palatio Pontificis, cui ipse præfuit,

## CONCILIUM GENERALE IV. LATERANENSE.

Cui interfuere cum Patriarchis Latinis, Constantinopolitano, & Hierosolymitano, Legati Antiocheni ægrotantis Alexandrini Saracenis subditi, Archiepiscopi 7. Episcopi 340. præter absentium procuratores, Abbates ac Priores plures octingentis. *Concilium IV. Lateranense.*

gentis. In eo admissum *Transubstantiationis*, nomen: damnatus Joachimus Abbas, aliique Hæretici; multaque constituta, quibus Ecclesiæ dignitas atque tranquillitas continebantur.

*Ordo Dominicanorum confirmatur.*

Confirmatus est hoc anno Ordo S. Dominici ab Innocentio, viso somnio (ut olim in S. Francisci causâ) quo Lateranense Palatium fulciri Sancti humeris videbatur. Confirmatus idem Ordo S. Francisci ab eodem Pontifice, sancto ejus conditore adveniente Romam; sicque parata duo lumina, quæ in Ecclesiæ cœlo collucerent.

*Nascitur S. Ludovicus Rex.*

Denique hoc anno 8. Kal. Maji natus est Ludovico, qui postea VIII. dictus est, ex uxore Blanchâ S. Ludovicus; cui mater à teneris sic instillavit pietatem, ut huic minùs vitam corporis, quàm animi debuerit.

MUNDI 5269. CHRISTI 1216.

*Henricus Imp. Orient. moritur, succedit ei Petrus Curtiniacus.*

Henricus Orientis Imperator 5. Idus Julii Thessalonicæ obiit, cùm imperasset annis 12. vel 11. à capto, vel mortuo Balduino, vir belli ac pacis artibus clarus. Huic suffectus Petrus Curtiniacus Antissiodorensis Comes, qui sororem Henrici Iolantam duxerat uxorem; Princeps è regio sanguine, nec in Oriente modò, sed & in Occidente notus; omnium judicio, minùs turbato dignus Imperio.

*Ludovicus Dubrim obsidet. Moritur Io. Anglus succedit ei Henricus.*

Ludovicus evocatus ab Anglis, Dubrim seu Doveram obsidet, sed diutiùs quàm ejus res paterentur. Interim moritur Joan. partim mœrore perditi exercitus, quem fluvius hausit cum prædâ, partim ex intemperantiâ, cum miserè ac turpiter supra annos duodeviginti regnasset. Ei successit filius Henricus, ad quem cùm Angli proceres confugerent, pacem cum eo ferire non satis honestam Ludovicus compulsus est, expeditionis nullo alio opere pretio, quàm ut magna tentasse, etiam neglecto anathemate, diceretur.

*Monfortius magnificè susceptus.*

Simon Monfortius Philippum Regem adit, magnificè ob res præclarè gestas ubique susceptus; ubi & accepit Comitatum Tholosanum, quem ei virtus, & impietas Raymundi pepererat.

*Innocentio III. succedit Honorius III.*

Obiit hoc anno Innocentius III. Perusii 17. Kal. Aug. dum Expeditionem in Syriam promovet; quem revelatione quâdam ajunt salutis suæ discrimen adiisse propter occulta peccata, (aliena fortassis) quorum causâ Præsules periclitari solent. Huic datus successor Cencius Sabellus Cardinalis, dictus Honorius III. à quo confirmatus Ordo Prædicatorum, & auctus, concesso huic Palatii Magisterio. Confirmatus quoque Ordo S. Francisci; cùm hic & S. Dominicus, sibi ignoti, in mutuos tamen amplexus ruerunt. Tumque habitum est primum Capitulum Generale Minoritanorum; unde missi fratres in varias Orbis partes, uterque Ordo in multas provincias propagatus, aliam Christianitati faciem induxit.

*Primum Capitulum Minoritarum.*

MUNDI 5270. CHRISTI 1217.

*Petrus Imperator Const. coronatus Ro-*

Petrus Imperator Constantinopolitanus Romæ in Basilicâ S. Laurentii extra Urbem, de manu Pontificis Coronam accepit; quod tamen factum excusavit Honorius apud Patriarcham Constantinopolitanum, quasi hoc necessitas exigeret. Petrus autem postea delusus à Theodoro Comneno Principe Dyrrhachino, captusq; cum Legato Pontificio, postea cæsus est in convivio, etiam contemptus quòd non satis cautè cum Græco Principe perfidioso egisset, à quo omnia tuta reformidanda esse videbantur.

Renovatum est hoc anno bellum in Palæstinâ, appulso in eam Rege Hungariæ cum multis proceribus Gallis, atque Germanis; sed eam expeditionem interrupit Bohamundus Tripolitanus Comes; itaq; statim redierunt in patriam suam isti Crucigeri, ablutis in Jordane corporibus, quasi eò venisse peregrini, non bellatores viderentur. Justitia autē Andreæ in cæde uxoris suæ Gertrudis, cæsæ tempore expeditionis, fuit quàm ejus fortitudo & constantia celebratior.

Henricus Castellæ Rex puer dum ludit cum æqualibus in æde Episcopi Pallentiæ, casu tegulæ decidentis obiit; cui suffecta est in Comitiis Berengaria soror, præteritâ Blanchâ Ludovici uxore, matre S. Ludovici, primogenitâ. Berengaria autem desiderio vitæ tranquillioris, Regnum in filium suum Ferdinandum III. annorum duodeviginti juvenem rejecit, fremente, bellumque inferente ejus patre Alphonso; qui id jam spe devorarat: usque adeo etiam inter sanguine conjunctissimos, regni causâ, naturæ jura violantur.

MUNDI 5271. CHRISTI 1218.

Tentata est hoc anno à Christianis ex Occidente advenientibus Damiata, nobilis Ægypti civitas (olim Tamiathis dicta, vel ut alii vulgò putant, Pelusium, deinde verò Æliopolis, non autem Heliopolis) munita firmissimâ turre in medio Nilo, quæ hoc anno ægerrimè occupata est. Inde tantùm mœroris hausit Sephadinus frater Saladini, tum Orientis dominus, ut ex dolore interirent. Postea Christiani cum Meledino Sultano Babyloniæ, filio Sephadini, sæpe dimicarūt; sed periculosiùs cum Nilo fluvio, extra tempus excrescente, & periculosis morbis; quæ tamē discrimina precibus depulsa sunt; fuitque hic annus sub Henrico Hierosolymorum Rege novem tantùm mensium infantulo fortunatus.

Sed hæc gaudia morte Simonis Monfortii obruta sunt. Dum enim hic Tholosam, quæ se Raymundo ex Hispaniâ reduci dediderat, cum paucis obsidet, lapide ex machinâ in capite ictus, & quinque sagittis confixus, mox religiosissimè interiit. Dictus est *Comes fortis*; immo & *Martyr*, sanguine toties pro Ecclesiâ, & hîc etiam cum vitâ profuso. Successit ei filius Amalricus, cui plurimùm excellens parentis virtus obfuit, quem imitando sequi erat operosissimum.

Mortuus est eodem anno Otho IV. Eximperator, ita pœnitens ut ossa sua ad Pontificem deferri juberet, quò ab excommunicatione solverentur. Utrùm autem per latus sacram Eucharistiam sumpserit, cum eam ob morbum recipere ore non posset, quod & S. Bonaventuræ contigisse ferunt, non est hujus operis investigare, multò minùs utrùm meruerit cœlum, post acerrimas purgan-

purgantis ignis flammas; cùm eâ de re, non nisi temere, ab homine quidquam statui possit.

A Jacobo Arragonum Rege Barcinone institutus est Ordo S. Mariæ de Mercede, pro Captivis redimendis, operâ Raymundi de Penna-forte Dominicani. Primus ejus Magister Petrus Nolascus Gallus: in quo Ordine alii milites seu Equites, alii monachi sub Regulâ S. Augustini, quorum Magister unus residet Barcinone, omnes captivis liberandis intenti, & vinculis Christianorum inter Mauros confringendis.

MUNDI 5272. CHRISTI. 1219.

Obsidetur à Christianis Damiata, & trajicitur fluvius, injecto divinitùs Saracenis terrore, quorum multi cæsi, occupata castra divitiis refertissima. Hac auditâ clade Coradinus alter Saphadini filius muros Hierosolymitanos destruit, & cum copiis in Christianos proficiscitur, eosque obsidente Damiatam ipse vicissim obsidet; at sæpe victus, sæpe suorum multos perdidit. In uno autem certamine Gallorum ferocia & innata temeritas eorum multos Saracenis cædendos objecit, neque tamen reliquos magis cautos reddidit, ac sapientiores. Paulò pôst rejectis conditionibus Meledini ac Coradini, qui Hierosolymitanum offerebant regnum, capta Damiata; in quo 70. aut 80. millia hostium perierunt, & capta noctu admotis muro scalis, Sultano turpiter fugiente, & urbem nobilissimam deserente, quam mulierculæ infantesque defendissent, si Principi non defuisset animus, atque consilium.

Celebratum est hoc anno Assisii Capitulum dictum Storearum, cui fratrum 10. & amplius millia interfuerunt, coacti habitare in casulis ex storeâ compactis, cui S. quoque Dominicus adfuit; vicinis urbibus tantæ multitudini cibaria affatim sufficientibus, quæ Dei providentiæ confidebat, & quo nullus unquam melior & locupletior Oeconomus extitit.

MUNDI 5273. CHRISTI. 1220.

Fridericus II. Romanorum Rex hoc anno in æde S. Petri unctus est Imperator ab Honorio x. Kal. Decembris quando & crucem in Saraceno accepit; indeque anni ejus Imperii procedunt. Coronatus item Robertus Imperator Constantinopolitanus, cujus sororem Mariam Theodorus Lascaris Græcorum Imperator duxerat. Denique inauguratus fuit Henricus Anglorum Rex, jam ab annis 5. sub tutoribus regnans; quare hic annus meritò ***novorum Principum*** dici potuit.

Socii 5. Sancti Francisci, Sub Miramolino Saraceno Martyres, Marochio Conimbricam translati, Ferdinandum Olysipponensem, dictum Antonium Paduanum, Canonicum Regularem S. Augustini, Ordini S. Francisci pepererunt; fuitque vir tantus Martyrum fœtus illustris.

Celebratum est Bononiæ Capitulum generale primum Dominicanorum: iidemque Parisiis recepti ad portam Aurelianensem seu Narbonensem in Ecclesia S. Jacobi, dicti sunt Jacobini, tum sanctitate & doctrinâ illustres; ac per Europam cum Franciscanis sparsi, errores ubique retuderunt, disseminarunt sanctimoniam, cujus ipsi primos fructus messuerunt. *mum Dominicanorum.*

Cumani Hungaris vicini tum quoque ad Christum conversi sunt, atque ex mitiori cœlo, atque solo non solùm exuêre Barbariem, sed & hausere religionem. *Cumani conversi.*

---

## CAP. III.

## *Decas Tertia.*

### *Ab anno Christi* 1220. *ad* 1230.

MUNDI 5274. CHRISTI. 1221.

Orto Damitæ inter Christianos dissidio Pelagius Legatus expeditionem suscipit in Ægyptum, reclamante Joanne Rege Hierosolymitano. Progressi sunt eorum septuaginta millia versus Memphim seu Cayrum: at Sultanus eos ludificavit, donec exundaret Nilus; tunc enim fractis aggeribus in eos fluvium immisit, atque ad turpissimas conditiones compulit, videlicet reddendam Damiatam. I nunc Sacerdotibus committe bellum & copias, quibus Deus sacra, non arma credidit. *Christiani reddunt Damiatam Legati culpa.*

His auditis Pontifex, ne Saraceni fortunâ suâ uterentur, Fridericum impulit ad expeditionem Syriacam; at ille tergiversatus, neque Deo cui arma voverat, nec Pontifici à quo inunctus erat, parere voluit, divini humanique juris prævaricator. *Fridericus voti sui prævaricator.*

In Bohæmiâ Christiana res turbata est, exortis inter Premislaum seu Ottocharum Regem, & Andream Episcopum Pragensem dissidiis. Sed in Septentrione, hoc est, in Daniâ & Sueciâ floruit, in Polonia multò magis sub Rege Lesco Albo, Præsulibus optimis, & populo valdè pio, potissimùm operâ S. Hiacynthi Prædicatoris, qui regressus in patriam ostendit quantum ex S. Dominici disciplinâ convictuque profecisset. *S. Hiacynthus Polonus.*

Hoc anno obiit Bononiæ ex dysenteriâ idem S. Dominicus, elatus funere quod virum sanctum deceret. Sed Deus eodem anno nasci voluit Balneo regii in Tuscia S. Bonaventuram, sicut & sequenti S. Thomam Aquinatem, duo magna duarum familiarum lumina, immo totius Ecclesiæ; quibus tanti viri jactura visa est reparari. *Moritur S. Dominicus: nascuntur SS. Bonaventura, & Thomas*

MUNDI 5275. CHRISTI 1222.

Mortuus est hoc anno Theodorus Lascaris Græcorum Imperator, cùm vixisset annis duodequinquaginta, imperasset duodeviginti; cujus virtute & industriâ Imperium Græcis non penitùs periit Successorem sibi delegit ἄτεχνος Joannem Ducam, cognomento Batatzem, seu Vataci- *Theodorus Lascaris moritur. Succedit ei Ioan. Ducas.*

Vatacium, aut Diplobatasium (sic enim ejus nomen Latini detorquent) generum suum, quem Manuel Patriarcha tertium hujus nominis coronavit, annos natum 27. Hic Imperium suum auxit, retusis primùm fratribus Theodori ejus æmulis, qui Latinis adhæserant, aliunde adscitis in societatem suam Bulgaris, atque Turcis. Eodem tempore Theodorus proditor Petri Imperatoris, occupatâ Thessalonicâ, totâque Thessaliâ, adjunctisque sibi partibus Imperii Occidentalibus, & nonnullis etiam ditionibus Bulgarorum, se inaugurandum curavit per Archiepiscopum Bulgarum; ut ancipiti hoste Latini detinerentur.

*Fridericus rebellat in Pontificem* Fridericus II. æmulatus antecessores suos Guillelmos, rebellat in Pontificem; sed adhuc ambobus deterior: cùmque impelleretur ad expeditionem sanctam, ut S. Sedis gravis esse desineret; id subodoratus vir callidissimus, miris tergiversationibus Pontificis artes elusit, quibus tamen minùs Ecclesiæ, quàm sibi nocuit.

*Mors utriusque Raymundi* Mortui sunt hoc anno Raymundi duo, Tholosanus & Fluxensis, duæ Albigensis hæreseos columnæ; hic in obsidione Mirapinci, ex putri ulcere; ille Tholosæ subditâ morte elatus est impœnitens: quare diu mansit insepultus, licèt ejus pœnitentiam probare vellet Raymundus ejus filius; indignus qui sepeliretur in Ecclesiæ visceribus, quam toties bonam matrem impius hæreticus lacerasset.

MUNDI 5276. CHRISTI. 1223.

*Expeditio Friderici renovatur* Appulit hoc anno Romam Joannes Rex Hierosolymitanus, cum Patriarchâ, & Magistris Templariorum, ac S. Joannis auxilium à Pontifice petituri. Venit eodem Fridericus, qui & eorum operâ cum Honorio reconciliatus est; ac mortuâ uxore suâ Constantiâ huic oblata est Jole, seu Rolanda (aliter Isabella dicta) hæres ex matre Regni Hierosolymitani, dispensante ob consanguinitatis gradum Pontifice. Sic sacra renovata est in terram sanctam Expeditio, his nuptiis procurata. Adiit quoque Joannes Rex Philippum Francum, & Henricum Anglum Reges, à quibus multa munera recepit, ab illo etiam ingentem vim pecuniæ; siquidem testamento suo huic reliquit Philippus centum millia librarum Parisiensium, & totidem Magistro Templariorum, & totidem Magistro Hospitalariorum, ut moriens pietatem suam conjunctam liberalitati Ecclesiæ testatam relinqueret.

*Moritur Philippus Augustus.* Et verò hoc anno Philippus Augustus Meduntæ anno ætatis duodesexagesimo, regni quadragesimo tertio, pridie Idus Julias obiit, cùm toto anno febre quartana laborasset; dictus Adeodatus, quia δημάρητος *populi precibus impetratus*, & Augustus ob dignitatem oris, resque præclarè gestas, à Villanio *Bornius*, hoc est, Cocles, quòd altero oculo parum, aut nihil videret, tamen sine oris pravitate; Francorum Regum post Carolum Magnum Maximus, & in quo (si causam uxorum eximas) nihil potuit desiderari. Ei supervixit uxor Engelberta in bonis operibus, annis 12. Corbolii; successit Patri Ludovicus cognomento Leo, annos natus 36. ex priori Philippi conjuge Isabellâ, dictus VIII. cùm vocandus esset XI. si ad Clodovæum usque procederetur. Is cum uxore Blanchâ coronatus est Rhemis 8. Id. Aug. ex quibus jam natus erat. Ludovicus IX. qui sanctitate suâ ac rebus gestis, Patris sui, quantumvis magni, gloriam obscuravit.

*Succedit Ludov. VIII. seu Leo.*

Pertinet etiam ad hunc annum institutio Monialium S. Francisci, seu S. Claræ, quas Damianitas vocant, ad Ecclesiam S. Damiani. Earum prima, & quasi parens fuit S. Clara, mirabilis virgo, & ipsa amantissima paupertatis; ut præclara illa Christi virtus, non ad viros tantùm, sed ad fœminas pertineret.

MUNDI 5277. CHRISTI. 1224.

Ludovicus VIII. hoc anno suscepit expeditionem in Aquitaniam adversus Anglos, ubi Savaricum eorum Præfectum fudit, & Rupellam, quò solebant appellere, cepit; Reginis interea Parisiis pro ejus incolumitate deprecantibus, quarum precibus est adscripta victoria, quæ sæpiùs & certiùs de cœlo, quàm ex hominibus venit.

Tum quoque Almaricus Simonis Monfortii filius Regi Ludovico cessit, quidquid pater ejus occupabat in Galliis Aquitaniâ & Narbonensi, unà cum Comitatu Tholosano; quoniam hic ea tueri se posse desperabat: vicissim à Rege creatus est Magister Equitum, seu Stabuli Comes; sicque factus à Rege primus, minùs quidem potens, sed securus, & honoratus.

Hoc denique anno, biennio ante mortem, in quodam excelsissimo Tusciæ loco, qui mons Alverniæ dicitur, circa festum Exaltationis S. Crucis, S. Franciscus sacra Stigmata quinque, in manibus, pedibus, ac latere recepit; de quibus tantùm Heterodoxi dubitant, cùm hæc probata à Pontificibus Ecclesia quotannis recolat 15. Kal. Octobris auditis testibus omni exceptione majoribus.

MUNDI 5278. CHRISTI. 1225.

Fridericus Imperator Yolantem filiam Joannis Regis Hierosolymitani coram Pontifice ducit uxorem: sed parum gratus in socerum gener fuit, dum eum cogit se abdicare regno, quod ipse quandiu viveret sibi retinere speraverat. Neque tamen ad iter Palæstinæ accinxit sese, varias subinde causas prætexens, quibus solutis, in eum dictum est anathema, si definito tempore voto suo defuisset: eò compellendus, quò eum Deus hominesque vocabant.

Nebulo quidam Campanus aliàs Eremita finxit se Balduinum esse Imperatorem aliàs captum, quem vultu non malè referebat; sicque multis illusit, & Flandriam in ultimam ferè perniciem impulit. Tandem detectus ex responsionibus suis, & fassus imposturam, suspensus è patibulo elatus est altiùs quàm sibi spoponderat.

MUNDI 5279. CHRISTI. 1226.

Renovatur antiquum fœdus Italorum in Fridericum, dictum *Societas Longobardica*, cùm is diceretur cum filio & magnis copiis in Galliam Cisalpinam descendere, quibus aditum sollicitiùs

licitiùs occluſere. Rebellio quoque adverſus eum in Germania nata, conſpirantibus in eum Bavariæ duce, ac Bohæmiæ, Poloniæ, Hungariæ, & Daniæ Regibus; quæ tamen formidabilior fuit, quam diuturnior.

Contigit hoc anno Ludovici VIII. Francorum Regis altera in Albigenſes expeditio; cum Avenionenſes hujus Hæreſeos labe infecti huic clauſere portas, quas ſibi per vim reſeravit. Perdidit tamen in hac obſidione multos è ſuis, & ferro civibus acerrimè muros ſuos defendentibus, & lue quæ in ejus caſtris atrociſſimè ſæviit. Perſtitit tamen, & rebelles ad deditionem compulit, muris eorum, & urbanis turribus everſis. Multas exinde civitates eodem impetu cepit, ac toti Provinciæ Imbertum Bellojocenſem conſanguineũ ſuum præfecit. Verùm dum redit in ſuam Galliam ad triumphum, Mompenſerii 6. Idus Nov. obiit; Princeps caſtiſſimus, qui nullam ab uxore ſuâ fœminam cognovit unquam; oblatamque ſibi virginem dum ægrotaret, quâ morbum depelleret, conſtanter recuſavit; ſicque purus ex morbo pro religiõe contracto *Martyr* occubuit, ut eum Gregorius IX. appellavit; & in hâc parte cum Pontifice ſic loquente non erratur.

Succeſſit ei filius ferè duodennis Ludovicus IX. dicendus XII. ſed alio titulo meliùs ab aliis diſtinguitur, vulgò dictus Sanctus, ſub tutelâ Blanchæ matris, cui pater moriens adminiſtrationem Regni demandarat, cùm ob prudentiam uſu probatam, tum ob periculum quod à Principibus tutoribus imminebat. Statim ergo inauguratus eſt de more Rhemis, ſicque inſtitutus à matre, adhibitis huic egregiis viris Dominicanis, atque Franciſcanis, ut nec hos, nec illam, laboris ſui atque magiſterii pigeret.

Mortuus eſt denique hoc anno S. Franciſcus Aſſiſii ad S. Mariam de Portiunculâ, ætatis 45. à prima converſione ſuâ 20. ab Ordinis ſui Inſtitutione duodevigeſimo, quo paupertatis amantiorem neminem vidit Eccleſia, & forte nullum Chriſto chariorem.

| MUNDI | CHRISTI. |
| --- | --- |
| 5280. | 1227. |

Fridericus II. Imp. omnibus ad Expeditionem ſacram paratis, adeoque nave conſcenſâ, eam turpiter abrumpit, 40. millibus Cruce-ſignatorum ad propria cum eo redeuntibus. Ferunt hunc tum pepigiſſe fœdus cum Sultano, à quo promiſſum ei Hieroſolymitanum Regnum, ſi nubem hanc belli Saracenis imminentem diſcuteret: ideo omnibus, execrationibus devotus & à ſuis, & ab hoſtibus deriſus eſt. Tum in Calabria ex morbo obiit Cruce-ſignatus Ludovicus Landgravius Turingiæ, maritus S. Elizabethæ, poſt obitum miraculis clarus, & pientiſſimâ atque ſanctiſſimâ hâc uxore digniſſimus.

Mortuus eſt hoc quoque anno Honorius III. ſedis ſuæ anno 10. cum menſibus 8. 13. Kal. Apr. quãdo magni terræ motus contigere. Huic ſuffectus 13. Kal. ejuſdem menſis Hugolinus patriâ Anagninus dictus Gregorius IX. 5. Kal. Apr. coronatus, cui præcinuerat S. Franciſcus hanc ſedem, quam & ſanctiſſimè rexit ſibi à S. viro prænunciatam, ac precibus impetratam.

*Bellum civile in Francia.*

Proceres Franci, de more, turbant Reginæ Blanchæ adminiſtrationem: quorum tamen conatus hæc prudenter diſſipavit, emiſſo ex carcere Ferdinando Flandro, & Theobaldo Campaniæ Comite inter eos potentiſſimo, & magis metuendo, ab iis callidè, & fœmineis blanditiis diſtracto. Conati ſunt illi quidem Regem Stampis intercipere perfidiosè, dum Vindocinum pergit ad colloquium: ſed diſturbatum periculum à Pariſinis accurrentibus ad Montem uſque Latericum, ac fortiter Principem periclitantem cingentibus, atque reducentibus. Cæteri faciliùs ad obſequium revocati ſunt: unus cogendus armis fuit Petrus Armoricus, qui in auxilium ſuum Anglos evocarat. Paruit ille tamen aliquando vi compulſus, etiam ejurato Anglorum dominio, datâque Franciæ Regi fide clientelari. Hæc cùm & ei ac ſubditis ejus eſſet perhonorifica, à ſuis tamen aſſuetis jugo Anglico, ob id vocatus eſt Malus Clericus, *Mauclerc*, quòd litteratus licèt, paſſus eſſet ſibi à Franciſcis imponi; quod tamen nomen alii rejiciunt in vexationes Clericorum, quos ſpoliavit ſæpe, ideoque Pontificio afflatus anathemate, ſubditis etiam fidei Sacramento exſolutis; quibus factis ſe & malum Clericum, & Principem pejorem exhibuit.

*Petrus Dux Malus Clericus.*

*Bellum in Occitania.*

Inter Raymundum Juniorem Comitem Tholoſanum, & Imbertum Bellojocenſem ſæpe certatum vario marte, neutro aut ſatis elato, aut ſatis attrito, & Ludovico atque Blanchâ in factionibus comprimendis utiliùs occupatis.

| MUNDI | CHRISTI. |
| --- | --- |
| 5281. | 1228. |

Fridericus Gregorium Româ expellendum curat, & invadit Eccleſiæ bona; quare huic objicit Pontifex Joannem Regem Hieroſolymitanum, cujus filiam ſuſtulerat, quòd eum de ſtupratâ nepte ſuâ reprehendiſſet. Ab eo igitur viro forti & irato ſibi malè metuens Fridericus, relicto cum magniscopiis in Sicilia Rainaldo duce Spoletino, ut vexaret Eccleſiam, ipſe cum parvâ manu in Orientem navigat; Italiâ omni in duas partes diſtractâ Guelphorum, Pontifici, & Gibellinorum Imperatori faventium. Dicti porrò *Guelphi* à Welphone Bavariæ duce, olim Pontificis acerrimo tutore: *Gibellini* verò à loco educationis; vel nativitatis Conradi Imperatoris ſub Friderico Ænobarbo; quæ nomina ante compreſſa, & eliminata, hoc tempore renata ſunt, pæne cum totius Italiæ pernicie; non tantùm urbibus, ſed & familiis, & domibus in turpes illas factiones diſtractis, & efferatis.

*Guelphi & Gibellini, diſſidia ſua renovant.*

Fridericus autem appellit in Syriam, ubi turpiſſimè cum Sultano paciſcitur, frementibus Chriſtianis, eumque quaſi fautorem Saracenorum deteſtantibus. Nam Hieroſolymã retinuit, ſed muris nudatam, ut ſemper pateret injuriæ, & Saraceni Templum Domini atque Salomonis retinuerunt, ut in iis ritus ſuos prophanos obirent, atque inde fidelibus inſultarent. Spoliavit exinde armis Ptolemaidem, quæ miſit ad Sultanum amicum ſuum; corruptiſque triremibus ad tutelam Palæſtinæ deſtinatis, rixatus ipſe cum Patriarchâ, & Magiſtris Ordinum, ſalutato nemine, à nullo ſalutatus, cum duabus triremibus

*Friderici turpia cum Sultano pacta, reditus è Palæſtina.*

non tam abiit, quam fugit è Terrâ Sanctâ, quam suis vestigiis fœdaverat, cum magno opprobrio, contemptuque Christianitatis.

*Albigensium hæresis compressa.*

Meliùs in Galliâ res Christiana processit. Raymundus enim veritus Francicum exercitum, turpissimis conditionibus cum Ludovico, & Blanchâ pepigit, & quæ in ultimam Albigensium ruinam spectarent. Sic compressa Hæresis quæ tantum humani sanguinis effuderat, & cum plurimùm Raymundus posset, rebus omnibus abundans; & à puero atque muliere compressa, ex civili tumultu emergentibus; ut hoc opus non esse hominum, sed supremi Numinis, agnosceretur.

MUNDI 5282. CHRISTI 1229.

*Roberti Imp. obitus, succedit ei Balduinus II.*

Robertus Imperator Româ rediens obiit in Achaiâ. Successit ei filius, aut frater Balduinus II. cui utpote juniori præsidium ab uxore quæsitum est. Offerebat filiam suam Comnenus Imperator Trapezuntinus, seu Hexagonarum; sed prælatus huic fuit Joannes Brennensis cum filiâ suâ Marthâ virgine pulcherrimâ, cui commissa est Imperii administratio. Hic tamen se non Augustum, sed Cæsarem dixit; socer jam duorum Imperatorum, Occidentis, & Orientis, atque ex privato Rex effectus, regnoq; ac duobus Imperiis dignissimus. Hinc juncti sunt inter se affinitate Græcorum Imperatores duo: dedit enim filiam suam Trapezuntinus Theodoro filio Batatzis, & conjunctis viribus multa eripuerunt loca Venetis, atq; Francis. Theodorus autem Angelus regnans in Thessaliâ cum Bulgaris primùm percussit fœdus, mox abrupit; captusque, dum novis studet rebus, excœcatus est ab Azane Bulgarorum Rege; qui filiam suam dedit uxorem Angelo Michaëli, fratri Theodori. Michaël tamen postea exautoratus est, operâ Theodori, & Azanis, regnumque restitutum Theodori filio, qui demum à Batatze depositus est. Ita se tum habebat Græcorum Imperium, distractum fraudibus, atque coalescens; quibus supra reliquos mortales Græci valent, atque iis suæ consulunt ignaviæ.

*Res Græcorum perturbata.*

Gregorius Pontifex auxilium postulat ab omnibus Principibus adversus Fridericum Apostatam, ipsisque adeò Saracenis nequiorem. Sed tumultibus laborabant Septentrionales; nec erant quieti Hispanienses. Tum nihilominus Jacobus Arragoniæ Rex Mauris eripuit Baleares Insulas, bello per bienniũ gesto, non tamen sine labore, ac procerum cæde, sed capto earum Rege cum filio, qui factus est Christianus, terreni Regni loco cœleste feliciter consecutus.

*Mauri in Hispania victi.*

Eodem anno maximè operâ S. Antonii Patavini conciliatæ sunt civitates Longobardicæ. Venit tum quoque Romam ex Hispaniâ Jurisconsultissimus Raymundus de Penna-Forti Barcinonensis Dominicanus, cujus operâ postea compegit Gregorius Libros Decretalium quinque, magnam Canonici Juris Apothecam.

*Raymundus de Pennaforte.*

MUNDI 5283. CHRISTI 1230.

*Fridericus solvitur anathemate.*

Fridericus Imperator pacem petit à Pontifice, & facilè impetrat, statim solutus anathemate: neque tamen factus est eâ facilitate modestior; multùm enim negotii exhibuit Templariis, & Hospitalariis, iterum feriendus Apostolico fulmine, nisi humanitas Pontificia Imperatoriæ ferociæ prævaluisset.

*Prussi pressi Polon...*

Repressi sunt hoc anno Prussi à fide Apostatæ, & Poloniam devastantes, per Teutonicos milites in Saracenis bellis exercitatissimos; sicut & in Hispaniâ ab Alphonso Legionensi Arabes, de quibus ille nobilem retulit victoriam ope S. Jacobi pro eo depugnantis. Ille pergens Compostellam obiit, & successorem habuit Ferdinandum Regem Castellæ filium, quem exhæredarat ex odio, quod tamen parentis morte feliciter terminatum est.

*Item ...ri in Hispani...*

*Acad. Paris...*

Seditio Parisiis orta inter Academicos, ob lictores immissos à Blancâ, suadente Legato Pontificis, in eosdem, multos ex Scholasticis Andegavum, & Oxonium migrare compulit. At statim nobile illud Athenæum pristinum splendorem recepit; cujus laudes etiam Gregorius ipse cecinit, & laudante, laudatisque dignissimas.

## CAP. IV.

## *Decas Quarta.*

*Ab anno Christi* 1230. *ad* 1240.

MUNDI 5284. CHRISTI 1231.

Contigit hoc anno ingens seditio Romæ, absente Gregorio, quam Tiberis inundans repressit, Pontifex rediens placavit, idem munificus detersit. Postea indicta est in Asiam nova expeditio, quoniam eodem tempore Persarum Rex de invadendâ Syriâ cogitabat; in eâ tamen plus Pontificis propensa voluntas, quàm Friderici Imperatoris apparuit; qui tam paucos milites ad eam misit, ut famæ suæ potiùs quàm religioni providisse videretur.

Ludovicus Bavarus interfectus est à sicario; quem miserat Assasinorum Princeps, seu Vetulus Montanus suasione Friderici, cui erat amicitiâ conjunctissimus. De hoc Principe vide quæ diximus in Geographicis, omnibus tum Principibus reformidando, quos tollebat ad libitum per suos imissos, & mori paratos crudeliter, & cadere, ut beatam vitam, quam obiter hujus Principis arte degustarant, in ævum sempiternum consequerentur. Ex iis porrò nomen Assasinorum percussoribus & sicariis adhæsit. Unde autem dicti sint Assasini, non liquet: an à corruptâ voce *Heissesin*, id est hæretico, an ab Essenis Judæis, an ab Assanitis Saracenis grassatoribus, an ab Assacenis Indiæ pupulis, an ab Arsacidis: Hoc certum, furorem eorum & amentiam, quàm nomen, in Oriente & Occidente magis innotuisse.

Obiit hoc anno S. Antonius Olysipponensis, dictus à longâ commoratione in hâc urbe Patavinus; quem cum perorantem audivisset Gregorius Pontifex, *Arcam Testamenti & Sacrarum Scripturarum Armarium* appellavit; vir maximæ eloquentiæ, & majoris sanctitatis; cui addictissimus est hujus operis scriptor, ab eo semper

per exauditus, & nunquam passus repulsam; quod & experti sunt multi in depositis atque deploratis negotiis.

Hoc anno Marpurgi 13. Kal. Dec. è vivis abiit S. Elizabetha Hungarica, seu Landgravia, cujus corpus inclusum est anno proximè sequenti in Thecâ aureâ coram Friderico Imp. multisque proceribus; ad quam celebritatem supra centum hominum millia convenerunt. Fuit ei famula virgo Jutta, ejus sanctimoniæ & miraculorum imitatrix; ambæ in vitâ adversis probatæ, ambæ ejusdem in malis patientiæ.

MUNDI 5285. CHRISTI. 1232.

Fridericus, quia sic res ejus postulabant, cum Pontifice, & Magistris Ordinum Templi, & S. Joannis, reconciliari conatus est; finxit & concordiam cum Longobardis, ejusdem dolis inter se diffidentibus. Tum etiam recepit Legatos Sultani Babyloniæ, & Veteli Montani amicorum suorum; quando & Saracenorum Pascha celebravit die festo S. Magdalenæ coram multis Episcopis, atque proceribus. Passus est præterea eosdem Saracenos evocatos è Siciliâ ac Luceriæ collocatos Ecclesias diruere; atque ex earum cæmentis sibi conficere domos, ipse nomine Christianus, re Mahumetanus, aut veriùs neuter, & ἄθεος.

Ortus est hoc anno Florentiæ Ordo Servitarum B. Virginis, authoribus 7. viris nobilibus, quorum præcipuus fuit Bonfilius de Monaldis. Hi divino admonitu secesserunt in montem arduum vicinum dictum Sanarium, ibique positâ ædiculâ Dei ejusque Matris laudes sub veste nigrâ, & regulâ S. Augustini occinuere. Postea hic Ordo mendicantibus adscriptus multos magnos viros edidit & eruditos, aliquos tamen majoris doctrinæ, quàm pietatis.

In Angliâ sub Henrico multi qui fiscum rexerant, exagitati, & Spongiarum instar compressi sunt; sed majori Principis, ejusque ministrorum, quàm subditorum utilitate.

MUNDI 5286. CHRISTI. 1233.

Celebris est hic annus magnâ pietate, quam Dominicani atque Franciscani suis concionibus, & exemplis promoverunt; quare dictus est *Generalis devotionis annus*. Quo item enatus est S. Mariæ Gloriosæ Equitum Ordo; quorum erat procurare concordiam, ac viduarum atque Pupillorum suscipere Patrocinium; qui tamen uxores ducebant, dicti vulgò *Fratres Gaudentes*, quorum conditor F. Bartholomæus Vicentinus Dominicanus, vir verbo, exemploque potens.

Viguere quoque hoc anno in Germaniâ hæretici dicti *Condormientes*; quorum fundamentum, Magia fuit; Magister, quidam Toletanus. His fortè adscribas Guidonem de Lachiâ Brixiensem, post mortem exustum, cujus ossa Dæmones in aërem sustulerunt; Sed vi Sacrificii Missæ, eadem in rogum coacti sunt rejicere, & fateri eum fuisse hypocritam, atque sceleratum.

Civile bellum hoc anno turbavit Angliam Henrici Regis imprudentiâ, dum proceres Anglos submover, & Pictavienses atque exteros eorum loco substituit. Tandem sedati sunt hi tumultus, ejecto Petro Wintoniensi Episcopo, pravorum consiliorum autore, quæ in ejus caput recidêre.

MUNDI 5287. CHRISTI. 1234.

Suscepit aliam expeditionem in Palæstinam Fridericus, sed more suo, hoc est, ut tergiversaretur, & falleret. *Friderici nova expeditio.* Contra verò repressi serio Albigenses, qui rebellarant adversus Inquisitores; temperata tamen Dominicanorum, inquisitio, quòd severior videretur. In Germaniâ quoque deleti internecione Stadingi infames hæretici, *Stadingi hæretici.* quos avaritia sordidissimi sacerdotis, à suo præsule non coërciti, crudeliter efferarat: ferarum ergo more tractati sunt, quos ratio domare non potuerat.

S. Ludovicus Francorum Rex, compressis fortiter civilibus externisque bellis, totum se pietati dedidit; duxitque uxorem Margaritam *Margarita uxor S. Ludovici.* filiam Raymundi Comitis Provinciæ ditissimi, & quem fecerat locupletem Peregrinus Romæus, rediens Compostellâ. Hic enim cùm res *Romæus Oeconomus.* illius Comitis administrandas suscepisset, ita promovit, ut quatuor ejus filias, quatuor Regibus uxores daret, cum Regiâ dote. Idem tamen Oeconomus vocatus in suspicionem, rationibus accuratè, ac sanctè redditis, inops uti venerat abiit, relinquens incertum unde esset, quò recessisset; certissimis tamen reditibus Domino suo ingrato relictis.

Hoc anno denique mortuo Sanctio, cognomento Forti, Navarræ Regi, successit Theobaldus Campaniæ Comes, *Theobaldus Campanus Rex Navarræ.* non tantùm sanguinis propinquitate, sed etiam regiis virtutibus hoc sceptro, majorique dignissimus.

MUNDI 5288. CHRISTI. 1235.

Invaluerunt hoc tempore hæretici Patareni, & Bugares corruptè dicti Bulgari, qui ab infami, & *Hæretici Patareni, & Bugares* præpostera libidine videntur traxisse nomen. Eorum unus fuit Robertus *Bugre*, qui conversus factus Dominicanus ardentissimus, vocatus Hæreticorum malleus; at is demum in perpetuum carcerem retrusus ob crimina, docuit non semper in viris magnis finem initiis respondere.

Fridericus Imp. filium suum Henricum jam ab anno superiori rebellem conjicit in vincula, *Fridericus filium punit.* in quibus eum toto quinquennio detinet, carceribus sæpe mutatis, quia non erat uno supplicio dignus.

Wenceslaus Bohæmiæ Rex, Othocari successor, audaci facinore se ex manibus Imperatoris *Wenceslai audacia.* vindicavit, huic soli reperto intentata nece, nisi eum data fide dimitteret; & valuit apud infidum Principem sic extorta fides; & desperationis suæ fructum vir audacissimus non tantùm libertatem tulit, sed & amicitiam Imperatoris.

MUNDI 5289. CHRISTI. 1236.

Fridericus exercitum parat in Longobardos, excitatus ab Ezelino seu Ecelino *de Romano*. *Fridericus favet Ezelino.* Nomen hic habebat ab oppido Marchæ Tarvisanæ, primùm Germanus miles, mox in acerbissimum

mum Tyrannum conversus. Sed antequam Imperator de Italiâ cogitaret, Fridericum Austriæ ducem omnibus criminibus infamem Ducatu suo exuit, urbeque Viennâ; quam tamen mox recepit, dùm qui hæc eripuerat plus intentus esset in piis hominibus turpiter invadendis, quàm impiobis justè coërcendis.

*S. Lud. periculum ab Assasinis.* Judæi multis in locis ex veteri odio, novisque criminibus vexati sunt, maximè in Franciâ. Hîc periculum ingens adiit ab Assasinis Ludovicus; quod Deus mirabiliter discussit. In Hispaniâ quoque res Christianorum floruere, Cordubâ & Bintiâ, sedibus Regum Maurorum, captis à Ferdinando Castellæ & Legionis Rege. *B. Iordani Naufragium.* Periit tum quoque naufragio prope Anconam B. Jordanus Dominicanorum Generalis dum redit ex Palæstinâ, visitatisq; fratribus; cui successit Raymundus de Penna-Forti, quâ præfecturâ ipse post biennium cessit, non tantùm Ordini suo compilatis Regulis, sed & Decretalibus, & summâ casuum conscientiæ, toti Ecclesiæ utilissimus.

MUNDI 5290. CHRISTI. 1237.

*Patriarcha Iacobitarum.* Patriarcha Jacobitarum adveniens Hierosolymam cum multis Archiepiscopis, & Episcopis, ejuravit errores suos, seque submisit Romano Pontifici. Verùm id fecisse metu Tartarorum, & spe auxilii à Christianis, deprehensus est, mox reversus ad vomitum ubi timere desiit ac sperare.

*Moritur Ioannes Brennensis.* Venit hoc anno Balduinus II. In Occidentem petiturus auxilia, Joanne Brennensi demortuo; hic enim tum obierat pientissimè, assumpto etiam habitu S. Francisci, uti Minoritæ scribunt; nec videtur vir eis tantus, tamque eximiæ virtutis denegandus.

*Victoria Frider. ad Curtem novam.* Fridericus Imp. ad Curtem Novam 5. Kal. Dec. magnam de Longobardis victoriam retulit, cæsis eorum decem millibus, & tot captis ut eos Cremona non caperet. Inter reliquos interceptus Teupolus Mediolanensium Prætor, Jacobi Venetiarum Ducis filius, turpiter strangulatus est: in cæteros acerbè sævit Princeps ex sanguine lutoque concretus.

*Valentia capta.* Capta est & hoc anno à Jacobo Arragonum Rege Valentia, quam voto emisso, multisque, precibus conciliato Numine cum paucis obsederat; sed statim huic adfuerunt ex Galliis auxilia; Urbs dedita, ejectis 50. millibus Saracenorum, eorumque loco collocatis Christianis, non tantùm ad ejus præsidium, sed & ornamentum.

*Miesco à muribus voratus.* Hoc denique anno in Cujaviâ Poloniæ ditione Dux Miesco, seu Miecislaus, cognomine Cossisco, direptis crudeliter viduarum, pupillorum, ac inopum bonis, in convivio ab examine murium appetitus, licèt in castrum fugeret aquis præcinctum, ab iisdem per aquas enatantibus devoratus, suis frustra resistentibus, magnum prostitit rapacibus ejuscemodi hominibus divinæ justitiæ terriculum.

MUNDI 5291. CHRISTI. 1238.

Constantinopolis à Græcis iterum obsessa, per Venetos liberata est. Accepere vindices, præmii loco, Lanceam quâ punctum Christi mortui latus, Spongiam quâ potatus, & Sudarium quo involutus fuerat, cum parte S. Crucis; quæ S. Ludovicus ab iis redemit. *Pretio reliqu... S. Lu... scipit.* Accepit dono idem Rex à Balduino Coronam Christi spineam, quam proceres Constantinopolitani vendere statuerant; quæ sunt religiosissimè Parisiis suscepta, & in sanctâ Capellâ magnificè collocata, etiam Diplomate firmata Balduini; nec quis hæc in dubium revocare queat, petitis ex perfidiâ Græcorum rationibus.

*Bald... II. r... Orie...* Balduinus II. itinere terrestri cum 60. Francorum millibus progressus est Constantinopolin, benignè susceptus ab Hungaris, immo & à Bulgaris. Sed cum urbem Tsurulum in Græcorum finibus cepisset, horum Rex Azanes iterum cum Græcis fœdus iniit, deinceps Latinis infensus, quibus eum conciliarat metus. Eodem quoque pervenit Theobaldus Rex Navarræ, qui post aliquas in Græcia moras in gratiam Balduini, ægrè demùm transiit in Syriam, non solùm cum hostibus, verùm & cum rerum omnium penuriâ, naturâque luctatus.

*He... An... rici* Hoc anno, quo Anglia turbata est domesticis discordiis, Henricus Rex ejus tantùm non necatus à milite amentiam simulante, qui absentis Principis lectum multis ictibus pugionis transverberavit, non tamen impunè. *Gui... ris... pus* Guillelmus Parisiensis Episcopus, hujus nominis III. patriâ Arvernus, habitâ cum viris eruditissimis disquisitione, statuit neminem cum animæ suæ salute posse duo Beneficia possidere, quorum unum satis esset ad vitam honestè traducendam. Quod etiamnum ab iis omnibus creditur, qui pluris animam suam, atque cœlum, quàm bona temporalia faciunt.

MUNDI 5292. CHRISTI 1239.

*Re... ria* Theobaldus Saracenos aggreditur, ac Petrus Britanniæ Comes magnam de iis victoriam refert; quam tamen corrupere imprudentiâ suâ Amalricus filius Simonis Monfortii, Comes Francici Stabuli, & Henricus Bariensis Comes: hic nunquam deinceps comparuit, ille captus est à Saracenis. Ferunt quidam huic interfuisse cladi Theobaldum, atque equo pernicissimo diffugisse. Ab hoc tempore, divisis Sultanis Damasci atque Babylonis, disjuncti sunt quoque Christiani; huic Hospitalariis, illi Templariis cum proceribus Regni faventibus, acceptis duabus arcibus, cum territorio Hierosolymitano. Quibus perspectis Theobaldus & Petrus ad sua rediere. Amalricus redemptus Romam venit, ubi & obiit post biennium, sepultusque nobilem Epigraphen meruit; vir piissimus & fortissimus, neque dissimilis patri.

*Fri... cum... fice* Fridericus Sardiniam Pontificii juris insulam occupat, cujus regem creavit filium suum nothum Henricum, aliàs Hencium, seu Entium: ideoque percellitur anathemate, quod aliàs ob causas promeruerat. Agebat tum Patavii Fridericus cum Ecelino Tyranno, digno tali patellâ operculo, unde Romana fulmina deridebat. Deinceps igitur inter Imperatorem atque Pontificem scriptis, armisque certatum; oblatum quo-

quoque Imperium tum Roberto fratri S. Ludovici; quasi verò plus esset Imperator quam Regis Franciæ frater. Veneti autem cum Genuensibus stabant à Pontifice; à quibus victi Imperatorii cum Pisanis eorum fautoribus. Quibus accensus Fridericus in urbem movet: huic Gregorius objicit Cruce-signatos Romanos, quos interceptos Germani, in odium Crucis, crudeliter interemerunt, aut turpiter deformarunt. Quare Pontifex tot malis è cœlo accersens auxilium, statuit, ut post aliquot horas Canonicas *Salve Regina*, hymnus Hermanni Contracti, occineretur, pulsarentur campanæ ad confectionem S. Eucharistiæ, B. Virginis memoria in officio recoleretur, quæ longè plus Friderico, quàm arma nocuere.

Hoc denique anno instituta sunt à Mauris in Hispaniâ Marciæ & Granatæ Regna. S. Ludovicus tumultuantes Albigenses misso exercitu compescuit; Adolphus Holsatiæ Comes, rebus fortiter gestis clarus, fit Minorita; demissione sui ac virtutibus, quàm Principatu, ac præclaris belli facinoribus illustrior.


MUNDI 5293. CHRISTI 1240.

Expeditionem Syriacam cum 40. hominum millibus, & classe ingenti, suscepit Ricardus Cornubiæ Comes, frater Henrici Regis Angliæ, nullo alio operæ pretio, quàm ut vastatâ Sardiniâ, quam Pisani nomine Entii tenebant, induciæ tantùm cum Arabibus protraherentur; quòd Friderici Præfectus amicos domini sui, Saracenos, bello tentari non sineret, in magnum Ecclesiæ atque Occidentis opprobrium.

Ferraria, ditio Pontificis, ab Imperatoriis occupata, recepta à fœderatis Azoni Marchioni Estensi commissa est; unde exortus est Estensis familiæ in hâc urbe Principatus. At Imperator 7. mensibus obsessam Faventiam fame compulit ad deditionem; quando ex corio monetam, pro aureâ cudit, furore fanatico bona sua, seque ipse consumens.

Victi sunt hoc anno Mauri ab Hispanis, quibus compositis 20. cum uno depugnabant: inchoato certamine Sacerdos Missas celebrans hostias involvit Sacro Linteo, ac subdidit saxo; post victoriam inventum est Linteum rubere sanguine; quare hostiæ, cum eodem linteo Darocam religiosè translatæ, hodie etiamnum sanguine rubere videntur, ad perpetuam tantæ victoriæ memoriam.

Hoc tempore, quo Pallentina Academia translata est Salmanticam, Hugo de S. Caro, sive de S. Theodorico, ex Ordine S. Dominici, secundus in Academiâ Parisiensi creatus est Magister (primus enim Rolandus Cremonensis fuit) scripsitque laboriosum opus Concordantiarum Biblicarum; quando & Sacram Scripturam in capita distinctam volunt, faxque prælata cæteris ad Sacrorum codicum accuratam interpretationem.



## CAP. V.

### *Decas Quinta.*

*Ab anno Christi* 1240. *ad* 1250.

MUNDI 5294. CHRISTI. 1241.

Terribilis est hic annus irruptione Tartarorum in Poloniam, Hungariam, Silesiam, cum incredibili earum regionum desolatione. Petâ enim Duce omnes Poloniæ urbes, adeoque ipsa Cracovia, incensæ, cæsis omnibus, aut abductis civibus in acerbissimam servitutem; quare Rex Boleslaüs fugit in arcem ad montem Carpathum, ibique delituit dum tempestas illa defervesceret. Tum conversus in Silesiam hostium furor, quibus tamen fortiter obstitit Henricus Pius Wratislaviæ Dux, filius Henrici Barbati, & S. Hedvigis; qui cùm eos Wratislaviâ generosè depulisset, magicis eorum carminibus victus interiit, cum magnâ parte suæ nobilitatis; hæc tamen inulta non periit, ac Tartarorum impetum retudit, eorum duce Petâ in obsidione Olomutii interfecto; itaque agminis hujus reliquiæ ad suos in Hungariam, ducemque alium Bathum recesserunt. Hic autem interea Hungariam fœdiùs depopulabatur, Cumanis cum Tartaro junctis, quod illorum Regem Cutenem Hungari sustulissent: Cutenes enim à Belâ Hungariæ Rege cum suis admissus non ut socius, sed ut hostis venit; quam ob causam Hungari Regi suo irati, non satis animosè Tartaris restiterunt, ac deinceps iis & Cumanis impares extiterunt. Quare urbes omnes Hungaricæ captæ, præter Albam Regalem, Strigonium, & Arcem S. Martini. Neque finem sæviendi hîc fecere Tartari, nisi auditâ morte Hoccotæ summi sui Chami seu Principis, in patriam suam, prædâ divites, per Cumaniam & Russiam redierere. Bela autem ab Agriensi prælio, in quo deletus fuerat, quia sic Hungari voluerant, huic irati propter receptos Cumanos, fugit in Dalmatiam, & inde in insulas, quibus ea prætexitur; nec rediit in Hungariam nisi Tartaris vacuam, & miserum in modum laceratam, atque spoliatam, & veriùs desertum quàm regnum. *Irruptio Tartarorum in Europam.*

Præsules ex Galliâ ad Concilium proficiscentes intercepti sunt ab Entio & Pisanis, à quibus classis Genuensis, quæ eos vehebat, victa est: durè habiti omnes, quidam etiam cæsi; neque dimissi nisi minacibus S. Ludovici litteris, quem sicut & Francos plus Fridericus reformidabat, quàm Deum & Ecclesiam. *Pisanorum victoria.*

Obiit ex mœrore cladis hujus Gregorius IX. 11. Kal. Sept. cùm sedisset annis 14. mensibus 5. diebus 3. propè centenarius. Cumque vacasset Sedes dies 30. 10. Kal. Octob. selectus est Gaufridus Mediolanensis, dictus Cælestinus IV. at is 18. sui Pontificatus die obiit antequam coronaretur, cùm biduo ante ejus mortem prid. Non. Oct. magna solis Ecclipsis contigisset, apparentibus stellis, omnique luce disparente. Inde vacavit Petri Sedes 20. mensibus, propter Cardinales à Friderico detentos. Quare qui Romæ supererant Electo- *Moritur Gregor 9. succedit ei Cælestinus 4.* *Vacat Sedes.*

Electores, edidere votum de procurandâ octavâ Nativitatis B. Virginis; nec irritum fuisse votum monstravit eventus. Quòd si apud Bedam ejus fiat mentio, respondebis assumentum esse: ac sine temeritatis suspicione loqueris.

*Obitus Regum Daniæ, & Norveg.* Obiere hoc anno Reges Daniæ Waldemarus, & Norvegiæ Haquinus; qui multas turbas, & tumultus ipsi pacifici suis successoribus reliquêre.

MUNDI 5295. CHRISTI. 1242.

*Francici motus Comitis Marchiæ, victis Anglis.* Fridericus hostis denunciatus Ecclesiæ, ne Pontifex eligeretur impedit; quominùs eam electionem urgeret S. Ludovicus, turbæ Gallicæ prohibuerunt. Comes enim Marchiæ, incitatus ab uxore suâ ambitiosâ fœminâ, in eum rebellavit, Anglo in belli societatem accito. Tentata quoque veneno Regis ejusque fratrum vita per nequissimam illam mulierculam, quæ res suas defluere videbat: at demum Anglo devicto per Ludovicum apud oppidum Talleburgum ad fluvium Carentonium, Comes, ejus uxor, tresque filii ad pedes Regis acciderunt, aliquâ ditionis suæ parte nudati, ut dedecori damnum adjungeretur: mox quoque Anglus ubique victus, ac semper fugiens, inducias quinquennales obtinuit, Francis plus lues, quàm hostis nocuit.

*Bellum S. Lud. in Tholosanum.* Bellum mox paravit Ludovicus in Raymundum Tholosanum Albigensium fautorem, in cujus palatio apud Avionettum aliquot religiosi & Ecclesiastici suspensi fuerant. Comes statim se submittere Regi coactus est, & Martyrum carnifices necare suspendio, ut cædes illas sibi displicere testaretur.

MUNDI 5296. CHRISTI. 1243.

*Innocentius IV. Pontifex.* Adnitentibus S. Ludovico, & Balduino Imp. remittuntur à Friderico detenti Cardinales, qui cum Romanis Anagniæ 8. Kal. Julii selegere Sinibaldum Genuensem, dictum *patrem Iuris*, sub nomine Innocentii IV. alias amicum Friderici. Is statim ad Imperatorem Legationem honorificam misit, ex quâ tamen hic est efferatus magis. Suspendit enim Monachos, qui Pontificis litteras deferrent, aut ad eum datas. Quare in eum Viterbienses rebellavere, & Romanis conjuncti se huic pares immo superiores ostendêre, quem jam Saraceno quàm Christiano similiorem Deus & homines detestabantur.

*S. Bonaventura fit Minorita.* S. Bonaventura annos natus 23. Joannes antea dictus, votum suæ parentis implevit, quod in ejus deplorato morbo emiserat; & ingressus Ordinem S. Francisci, hunc jam deflectentem à pristinâ sanctitate revocavit ad antiquum statum; non tantùm hujus familiæ, sed & magnum Ecclesiæ lumen.

*Res Christiana reflorescit.* Blancha impediit quominus Balduinus neptem suam Iconii Sultano daret uxorem: Tartari Turcos devictos sibi pendere vectigal compulerunt: Giennium in Hispaniâ Ferdinando Castellæ Regi deditum à Mauris Granatensibus post menses 8. obsidionis, res Christiana ubique visa est reflorescere.

MUNDI 5297. CHRISTI. 1244.

*Chorasmini Hierosolymam occupant.* Chorasmini, seu Chorasmii, aut Scythæ aut Arabes, à Tartaris expulsi, nusquam invenientes sedem apud suos Saracenos ob improbitatem, in Palæstinam irruperunt, & Sanctam Civitatem fœdaverunt. Bis cum iis pugnatum à Christianis, in festo S. Lucæ hostes Cadmæam retulere victoriam, Magistris tamen Ordinum cæsis ferè cum omnibus suis fratribus. Tum captus Gualterus de Briennâ Comes Joppensis, ac ductus Joppen ut hujus cruciati aspectu urbs dederetur, suos contrà ut fortiter resisterent adhortatus est: unde ductus in Ægyptum, in frusta concisus nobilem Martyrii palmam retulit, etiam fortior Christianus, quàm miles. Ab hoc tempore Hierosolyma Christiana esse desiit, dominos experta Saracenos, eosque omnium turpissimos, & à sanctis moribus magis alienos.

*Inn[ocentius] ... in ... am[...]* Fridericus mittit Legatos suos ad Pontificem, non sibi tantùm sed & aliis melior effectus, curavitque pacem inter hunc & Raymundum Tholosanum, & alios: mox tamen ad pristinam insaniam rediit, & hunc intercipere conatus est. Ille fugit in Galliam, ubi Cardinales 12. creavit Lugduni, viros omnes magnos; ex quibus Hugo de S. Caro Dominicanus fuit etiam Purpuræ ornamentum.

*S. ... cru[cem] ass[umit]* S. Ludovicus graviter ægrotans Pontisaræ, ac depositus Idib. Decemb. ad se rediens postulavit Crucem, & accepit ab Episcopo Parisiensi, mox valetudine recuperatâ precibus SS. Dionysii ac sociorum paravit omnia ad sacram expeditionem, ex quâ plus sanctitatis, quàm terrenæ gloriæ retulit.

MUNDI 5298. CHRISTI. 1245.

*A... ro... C... te...* Missi sunt hoc anno ad Tartaros ex Franciscanis Joan. Planicarpius, ex Dominicanis Anselmus, seu Ascelinus, cum sociis: pervenere illi ad magnum Chamum, benignè accepti; hi in Persidem ingressi eosdem parum benevolos experti sunt; omnes re infectâ redierunt, nullo alio opere pretio, quàm ut multa, & magna pro Christo tolerasse viderentur.

*F... d...* Fridericus Conventum suum egit Veronæ, cui ipse interfuit cum filio Conrado; adfuit & Balduinus II. Fridericus Dux Austriæ, & Ecelinus Longobardiæ Tyrannus. Hîc decrevit Imperator ire Lugdunum cum filio ad Concilium: verùm audito depositionis suæ nuncio, Duci Austriæ homini turbulento penitùs reconciliatus est, eique potestatem fecit crucis in coronâ ferendæ. Sic eum creavit Archiducem, fecitque hanc dignitatem præmium audaciæ ac temeritatis.

Celebratum est hoc anno indictum primò à Gregorio IX. deinde ab Innocentio IV.

## CONCILIUM GENERALE LUGDUNENSE. I.

*C... L... n...* Cui & ipse interfuit cum Patriarchis Constantinopolitano & Antiocheno Latinis (absfuerunt enim Græci) Aquilejensi, cum Archiepiscopis & Episcopis 140. Fridericus citatus, adesse finxit, mox resiluit; itaque excommunicatus est, atque depositus, Concilium tribus Sessionibus absolutum. Fridericus, his auditis, in Pontificem

cem ac Sacerdotes furere cœpit, Missas celebrare recusantes pellere, exigere ab Ecclesiasticis tertiam fructuum partem, unde bello appeteret Innocentium, non se jam Christianum sed Mahumetanum præstare, quasi Legibus humanitatis exsolutum, & prorsus amentem. Sed cladibus aliquot ejus repressus est furor: victus est enim à Mediolanensibus, ejusque filius Entius captus; mox tamen redditus sequester pacis Parmensibus, atque Rhegiensibus. Sed nihil æquè hominem pupugit ac fregit, quàm ei substitutus Henricus VII. Langravius Hassiæ, atque Turingiæ, S. Elisabethæ levir. Hunc enim multi agnovere Imperatorem. Is tamen nec ejus successor Cæsaribus accensiti sunt, quia his inauguratio defuit, vera tessera Christiani ac legitimi Principatus.

Cluniaci inter Anglos & Francos confirmata pax; quò Innocentius & S. Ludovicus convenere; concessus Provinciæ Comitatus Carolo S. Ludovici fratri Comiti jam Cenomanensi, & Andegavensi, cum Beatrice Raymundi Berengarii filiâ, ne Franci atque Arragonii committerentur; sicque non tantùm bellum, sed omnis belli sublatus est metus.

Mortuus est hoc anno Rodericus Ximenius Archiepiscopus Toletanus, in itinere ad Innocentium, ut Ecclesiæ suæ jura defenderet; vir magnus, & cui Ecclesia Hispanica plurimùm debet. Obiit & Alexander Alensis Minorita Anglus, in Academiâ Parisiensi Professor, Magister SS. Thomæ, ac Bonaventuræ; ideo *Doctor doctorum* dictus, itemque *Doctor irrefragabilis*; ex quo reliqui deinceps Theologiam, quam Scholasticam vocant, videntur perbibisse.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5299. | 1246. |

Appetiti sunt insidiis hoc anno Fridericus & Innocentius; ille à proceribus suis, in quos ut parricidas animadvertit, quorum & supplicia in quartum aut quintum gradum consanguinitatis extendit, iis minimùm exustis, aut excœcatis; hic immissis à Friderico duobus percussoribus, immo & aliquot aliis ad hoc sacrilegium inductis. Hoc tempore filius ejus Conradus victus est ab Henrico electo Cæsare; & ejectus esset ex universâ Germaniâ, nisi eum Otho sacrilegus Bavariæ Dux excepisset; quare hic excommunicatus est, ac paulò pôst morte subitâ elatus graviores Ecclesiæ pœnas dedit, quàm ipsa postulasset.

Fridericus Archidux Austriæ sceleratissimus, conserto ad Neapolim Austriæ prælio, victus aut victor, cæsus est dum pugnat in Belam Hungariæ Regem, & fortè à suis laqueo suffocatus. Felicius expiravit 16. Kal. Jul. Aquitiæ in monasterio Brabantiæ S. Lutgardis, Ordinis Cistertiensis, prophetico afflata spiritu, quem multæ virtutes divinum esse demonstrarunt;

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5300. | 1247. |

Obiit hoc anno Ulmæ Henricus Landgravius Romanorum Rex aut ictus sagittâ, dysenteriâ ad vulnus accedente, aut lapsus ex equo; falsum enim quod scribunt quidam, eum à Conrado victum ex dolore interiisse; quomodo enim Conradus victor ad patrem fugere compulsus esset? Henrico paulò pôst suffectus est Guillelmus Hollandiæ Comes; annorum dumtaxat 20. sed virtute senex, 3. Kal. Octobr. qui in die Epiphaniæ convivio exceptus est Coloniæ, in quo Albertus Magnus Dominicanus hyemem in Ver floridum, & æstatem frugiferam commutavit; quem ideo sæculi hujus scriptores quidam ineptè putarunt Magum, Magum certè Dæmonis hostem capitalem.

*Succedit ei Guill. Holland. Comes.*

*Alberti M. hyems mutata in Ver.*

Fridericus opprimere Lugduni voluit Innocentium, invitatus, ut putatur, à duce Burgundiæ, & quibusdam proceribus Francis. Sed nothus ejus Entius, imprudenter agens, sacrilegum ejus abrupit consilium; nam perdidit Parmam, quam Pontificis vitâ improbus Imperator potiorem ducebat. Itaque mox eam obsedit, castraque sic communiit, ut novam urbem exhiberent, quam dixit Victoriam, & in his condidit Basilicam S. Victori consecratam, cudique jussit nummos Victorinos; quæ tandem omnia in ejus dedecus recidere. Parmenses autem enecare fame decrevit, eorumque captivos in oculis civium immaniter torsit; quibus tamen suppliciis ingessit obsessis desperationem, sibi tandem, rebusque suis fatalem.

*Parma obsessa, urbs Victoria condita.*

S. Ludovicus ad bellum sacrum profecturus, denunciandum per Concionatores curavit, ut si quis à ministris Regis passus esset injuriam quam probare posset, eam denunciaret, accepturus ex fisco pretium damni; ut non tantùm fortiter sed & justè Expeditionem inchoasse videretur, victor sui priùs, quàm Saracenorum.

*S. Ludovici æquitas.*

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5301. | 1248. |

Fridericus obsidens Parmam ex Victoriâ suâ, dum oblectatur venatione, & aucupio, ab erumpentibus Parmensibus, præcedente B. Virginis imagine, profligatus perdidit Victoriam suam, omnesque thesauros suos, quos in eam intulerat, & multos è suis trucidatos, antequam ipse exercitum disponere posset. Itaque spoliatus bonis, exercitu, honore, immo & coronâ Imperiali, quæ tum capta est, Cremonam fugit. Mox tamen ad obsidionem rediit; sed quam solvere compulsus est, Guelphis jam resumentibus animos, quos Gibellini abjecerant.

*Fridericus à Parmens. victus.*

Guillelmus Hollandus retentis aquis capit Aquisgranum, & in hâc urbe coronatur: dumque accurrit Conradus auxiliator, à Cruciferis grandi repulsus clade, fugit ad patrem, ut ejus furorem augeret & ignominiam.

*Guill. Holl. coronatur Aquisgr.*

S. Ludovicus Aquis mortuis, *Aygues mortes*, solvit, ac navigat in Orientem, appellitque Cyprum, ubi litteras accipit à Principe Tartarorum *Ercaltay*, quibus ad invadendam Ægyptum accendebatur, dum ipse Babylonicum Sultanum impeteret, sicque ambo, & communibus armis sacris (nam se Christianum profitebatur) impiam gentem exterminarent; quæ sunt quoque ab Armenis, magno omnium gaudio, confirmata. Hîc autem Rex sanctissimus dissidia composuit inter Armenos, & Principem Antiochenum, vi-

*S. Ludovicus solvit è Gallia, ejus pietas*

tatis-

tatiſque inſidiis Sultani Babylonici, ea edidit ſanctitatis exempla, quibus aliquot captivi Mahumetani converſi ſunt ad Chriſtum, negantes hanc religionem falſam eſſe poſſe, quam Princeps tam ſanctus profiteretur.

*Hiſpalis erepta Mauris.*

Hoc denique anno Hiſpalis poſt 16. menſium obſidionem, vallatâ novâ urbe, dedita eſt Ferdinando Caſtellæ Regi, ex eâque emiſſi Maurorum centum millia per Hiſpaniam ſparſi ſunt, aut in Africam trajecerunt; ſicque proviſum tantæ urbi, ut nec ei cives, nec ipſa ſuis civibus deeſſet.

MUNDI 5302. CHRISTI. 1249.

*Damiatam capit S. Ludovicus.*

S. Ludovicus ad Damiatam appellit, & coram Saracenis factâ exſcenſione, Primus ipſe ex prætoriâ irruens audaciâ ſingulari, tantum hoſti terroris injecit, ut urbem inflammatam relinqueret, quæ belli diuturni mora poterat eſſe, & quæ tam diu Joanni Brennenſi reſtiterat. Eadem mox luſtrata, atque refecta eſt: ſed dum idoneum tempus ad bellum opperiuntur Chriſtiani, in eâ vixere luxurioſiùs, quàm expeditio ſacra, ac ſui Principis exemplum poſtulabant.

Cùm Nilus defluxiſſet, ac liberam reliquiſſet Ægyptum, Cruciferi ad Pharamiam, ſeu Maſſoram, perrexere, ubi Saraceni caſtra ſua communierant. Tum obiit Meledinus Sultanus Cayri,

*Meledinus moritur.*

relicto tutore Regni Frachardino, Emirorum ſuorum fortiſſimo, donec filius ſuus ex Oriente rediret. Eò enim magnæ ſpei juvenis perrexerat, ad contrahenda auxilia, & jungendos Principes Mahumetanos in communes hoſtes, à quibus tum ultima pernicies ſectæ ſuæ imminere videbatur.

*Moritur Petrus de Vineis.*

Fridericus Petrum de Vineis, à quo tentatus erat veneno, oculis orbatum, & per urbes ad ignominiam circumductum, tradit Piſanis ejus inimicis, quorum ille metu, capite ſibi ad columnam alliſo, cerebrum ac vitam perdidit. Vir fuit ingenioſus, & eloquens, & cui tantùm cauſa, & melior dominus defuit; quem cùm antepoſuiſſet Deo & Eccleſiæ, pœnas utrique acerbiſſimas, & æternas dabit. Eodem tempore

*Entius captus à Bononienſibus.*

victus eſt & captus à Bononienſibus Entius Friderici nothus, ſancitâ à victoribus lege ne unquam dimitteretur; quod & factum, quanquam ejus pater circulum offerret aureum, quo urbs tota cingeretur. Itaque 23. annis in cavea ferreâ nutritus eſt ad obitum, atque in eo Chriſti anno 1272. Friderici ſtirps viperina defecit, magno Imperii, atque Eccleſiæ commodo.

MUNDI 5303. CHRISTI. 1250.

*S. Ludov. in Ægypto clades.*

Luctuoſus eſt hic annus Francorum clade, S. Ludovici captivitate, & Roberti fratris ejus morte. Hic Robertus vado fluvium Taneos tranſgreſſus, dum Saracenorum caſtra fortiùs invadit, quàm cautiùs, eorumque magnam ſtragem edit, & inſequitur ardentiùs, ab iis convertentibus vultum implicitus ad Maſſoram, cum multis nobilibus interfectus eſt. Mox tamen repreſſus furor Barbarorum, ſublicio ponte conſtrato, totoque trajecto exercitu; quando & Saraceni clariſſimos duces omnes ſuos amiſere, Ludovico ſupra hominem depugnante, & quocumque pugnabat, metum, atque cladem inferente. Cùm tamen paulò pòſt Meleſchala filius Meledini novus Sultanus cum novis copiis adfuiſſet, & Francorum caſtra lues invaſiſſet, tum Damiatam fugientibus ſimiles repetere coguntur. At imprudentiſſimè non reſcindunt pontem; quo uſi Barbari eos aggrediuntur, atque concidunt. Poſt atrociſſimum certamen Rex capitur cum fratribus Alphonſo Pictavienſi, & Carolo Andegavenſi; nihil propiùs factum, quàm ut Damiata Barbaris relinqueretur. Hanc ægrè ſervavit Margarita Regis uxor, hîc edito inter magnos dolores filio, quem ideò Triſtanum dixit. Dum autem habetur in vinculis Ludovicus, nihil clade ſuâ dejectus, Mammaluchi Sultanum ſuum interemêrunt, & captivo ſuo obtulere Principatum: Sed ubi iis Rex oſtendiſſet, nec id è re ſuâ, nec eorum eſſe, cum iis & ab iis electo Principe fœdus iniit: at ut juramentum ederet Religioni Chriſtianæ injurioſum nunquam adduci potuit; unde fabula corruit, de S. Euchariſtiâ iis relictâ, pignoris loco. Reddita ergo à Francis Damiata, ſoluti captivi; at Saraceni non ſtetere promiſſis, paucis captivorum redditis, atque etiam cum pretio, ægris omnibus jugulatis, pleriſque ad Chriſtum ejurandum adactis; aut interemptis. Poſt hæc Rex ſanctus liber hæſit in Palæſtinâ, ac ſuis ſumptibus refecit urbes aliquot, ad præſidium Chriſtianorum: neque tamen Hieroſolymam, quod multum optabat, adiit; quoniam dedecere tantum Regem, id agere precariò judicatum eſt. Interea Sultanus Alapienſis movit in Turqueminium Ægypti Sultanum, & primo impetu victor, deinde victus turpiſſimè rediit, irriſus etiam à ſuis quòd bellum ſuſcepiſſet, maximè ut S. Regem per urbes Saracenicas traductum, Calyphæ demum ſupremo oblatum, aut retineret in perpetuis vinculis; aut Pſeudo-Prophetæ ſuo Mahometi immolaret. Poſtea Damiata à Barbaris diruta, ne dedecoris ſui monimentum ſtaret; ita vixit in Palæſtinâ S. Ludovicus, ut pæne plus faveret Chriſtianitati victus liberalitate, quàm victor fortitudine profuiſſet.

Fridericus dum magnam expeditionem molitur anno ætatis 57. vel ex morbo, vel veneno, vel ſuffocatus à Manfredo notho, aut Panormi, aut Florentiæ, aut in Apuliâ malè periit. Meritò dubitari poteſt an Chriſtianè & in habitu Monachi Ciſtercienſis verè pœnitens interierit: vir magnus profectò, ſi impotentes animi motus comprimere potuiſſet, quos tamen Principes in magnâ fortunâ nati, & educati rarò domare ſolent. Impoſtor neſcio quis poſtea perſonam ejus ſatis callidè ſuſtinuit; at tandem captus, & flammis addictus, regnum ſuum Tragœdiam fuiſſe miſer intellexit.

CAP.

## CAP. VI.

## *Decas Sexta.*

### *Ab anno Christi* 1250. *ad* 1260.

MUNDI 5304. CHRISTI. 1251.

INnocentius Regem Romanum Guillelmum confirmat, Conradum excommunicat, ejusque fautores, relictoque Lugduno redit in Italiam, concessis Indulgentiis, omnibus iis qui pro S. Ludovico precarentur. Quominus autem in Urbem accederet impediit Romanorum pervicacia. Eodem tempore Venetis navibus appulit cum copiis in Italiam Conradus, ac ditione suâ potitus est, præter Neapolim, Capuam, & Aquinum; quas urbes in officio Legati Pontificis retinuerunt.

Contigit hoc anno Pastorellorum factio *des Pastoureaux*, veriùs grassatorum, ut suppetias S. Ludovico ferrent, duce Hungaro quodam Circulatore, ac Mago. Is promiserat Sultano Babyloniæ, se in ejus manus Francicam omnem nobilitatem perducturum: sed eo à Bituricensibus cæso, copiæ ejus dissipatæ momento temporis evanuerunt, & populo graves, Clero metuendi esse desierunt.

Rodolphus Habspurgensis Comes, hoc anno pietate suâ, diuturnum sibi, suisque posteris asseruit Imperium, ob honorem exhibitum SS. Sacramento; dum in venatione, & tempore pluvio, occurrens Sacerdoti id deferenti, illum imposuit equo suo, pedesque equitem deduxit ad ægrum, ac reduxit in Ecclesiam; ideo post annos duos & viginti, sicuti prænunciatum fuerat ei ab eodem Sacerdote, consecutus est Imperium.

MUNDI 5305. CHRISTI. 1252.

Conradus deditam sibi Neapolim, post octo mensium obsidionem, contra datam fidem diripit, atque omni genere crudelitatis vexat: ideo cum percellit anathemate Innocentius, & Crucem in eum prædicari jubet. Neque minor Ecelini in Marchiam Tarvisanam impotentia, quem Dionysium alterum meritò dixeris. Cùm ergo videret Innocentius nihil esse in Italis præsidii, quòd Veneti in Conradum propenderent, Genuenses misso in Syriam milite exhausti essent, Longobardi Ecelino commissi vix ei resisterent, selegit Carolum Andegavensem, cui regnum utriusqne Siciliæ in Feudum daret, exautorato Conrado: verùm res dilata est absente S. Ludovico, sine cujus licentiâ & consilio res tanta suscipi non poterat, nec debebat.

Rex Angliæ Henricus sacram expeditionem suscipere simulavit, non ut S. Ludovicum juvaret, sed ut bona sibi pauperum, & Clericorum adscisceret. Quare laudati Minoritæ, qui ab eo sibi missa munera remisere, atque eleemosynas ex rapinis admittere duxere religioni.

In Italiâ Hæreticorum pestis nova succrevit, in 4. distributa sectas ex aliis interpolatas; quarum una *Credentium* dicta est. Huic dum invigilat S. Petrus Veronensis Dominicanus, eum per sicarium 8. Id. April. Como Mediolanum proficiscentem interemerunt, miraculis clarum, & in sanctorum album relatum 3. Kal. Majas; ne festus ejus dies Paschalibus unquam festis turbaretur. *S. Petri Veronensis martyrium.*

Obiit hoc anno Ferdinandus Rex Castellæ anno ætatis 52. cùm pararet expeditionem in Mauros, Sanctus à suis habitus, non item ab aliis, cùm Regi Francorum viro sanctissimo debitum regnum retinuisset. Ei successit Alphonsus primogenitus, magnus Astrologus, Philosophus, & Historicus; cujus Tabulæ sunt Alphonsinæ dictæ, à Judæis & Arabibus conditæ, pretio tamen quater centenorum millium aureorum. Minùs hic bonus Princeps fuit, quàm eruditus; dictus tamen Sapiens, & laudatus impensè, quoniam viri docti Principum, à quibus culti sunt, nunquam laudibus defuêre. *Alphonsus Rex Castellæ.*

Denique mortua est Blancha S. Ludovici mater optima, cui sanctitatem à teneris inspirarat, hic semper uti dominam coluerat. Sepulta est in cœnobio ab ipsâ condito ad Pontisaram (Malum-dumum, vel Malodunum vocant *Maubuisson*) egregiè dotato; quod tamen ex ejus corpore, quam divitiis plus pompæ retulit, atque majestatis. *Moritur Blancha S. Ludov. mater.*

MUNDI 5306. CHRISTI 1253.

Turbarum aliquid inter Romanos, atque Pontificem intercessit, (quare Perusium relinquere, & Assisium transire hic coactus est) quæ tamen ejus sapientiâ, ac patientiâ compressa sunt; sicut & ejus autoritate sedata lis mota inter Reges Castellæ & Lusitaniæ, de Algarbiis, ejus arbitrio judicioque sese Patris publici committentes. *Innocentius prudentissimus.*

In Galliâ edictum nomine S. Ludovici promulgatum est de Judæis ab eâ depellendis, iis exceptis qui mechanicas profiterentur artes. Tumultus quoque magnus est ibidem inchoatus à Guillelmo de S. Amore Theologo Parisiensi contra Minoritas, & Dominicanos, adversus quos & dixit, & scripsit; sed egregiè ab iisdem confutatus, posteaque damnatus ab Alexandro IV. se habuisse plus malevolentiæ, quàm eruditionis ostendit, atque inanem se fuisse vanumque Theologastrum. *Guill. à S. Amore turbat Religiosos.*

Eodem quoque anno conditum est à Roberto Sorbonâ (humili quidem loco nato, sed divite, & quem S. Ludovicus charum habuit) Collegium Pauperum Magistrorum, magni postea nominis, & quod Richelius Cardinalis postea ex inopi fecit illustre. Robertus ille scripsit aliqua, etiam in Patrum Bibliothecam intrusa; sed stylo tam abjecto atque rudi, ut plus in eo pietatis & nummorum, quàm ingenii, & doctrinæ, liceat suspicari. *Sorbona condita.*

Obiit hoc anno Theobaldus Rex Navarræ, relicto sibi successore ejusdem nominis secundo, sub tutelâ Margaritæ matris: Obiit & Otho Bavariæ Dux, morte subitâ elatus, licèt à rusticu- *Theobaldus Rex Navarræ moritur.*

*Et Otho Bavarus.*

lo antea præmonitus esset; & obiit excommunicatus multis de causis, propter quas à Beatorum consortio videtur exclusus, qui Principem impium antepofuerat Deo. Sed sanctissimè mortua est S. Clara, virgo sanctissima, & S. Francisci in Christo filia, quam invisit Summus Pontifex Innocentius ægrotantem, ejusque interfuit funeri, & eodem die inter sanctas eam retulisset, nisi à Cardinali quodam sapienter admonitus esset, hoc opus præposteræ pietatis esse non debere, sed concoctæ, atque prudentis: quare id ejus successori Alexandro IV. sapientiùs reservatum est.

*Et S. Clara.*

MUNDI 5307. CHRISTI 1 54.

*Conradi mors & triste funus.*

Conradus Rex, sublato fratre suo Henrico duodenni Siciliæ Rege, ut ejus regno thesaurisque potiretur, operâ Ducis Saraceni, ipse quoque vicissim extinctus est veneno à Manfredo notho. Mortuus est autem excommunicatus, cujus exequiæ dum celebrarentur Messanæ, templum inflammatum est, ejusque cadaver igne consumptum, quo vivus propter atrocia crimina flagrare debuerat. Innocentius itaque Neapolim venit, ubi exceptus est magnificè, etiam à Manfredo, quem & vicissim honoravit. Hic tamen paulò pòst ab illo alienatus, ejus etiam exercitum per suos Saracenos Luceriæ degentes delevit; ne patri atque fratri, eorum ipse interfector, impietate decessisse videretur.

*Innocentio IV. succedit Alex. IV.*

Hoc recepto nuncio, non ita multò pòst abiit è vivis Innocentius IV. 7. Id. Dec. cùm sedisset annis XI. mensibus 5. diebus 14. vir eximius sanctimoniâ, & eruditione, quidquid contrà Schismatici Fridericani garriverint. Successit ei Rainaldus Episcopus Ostiensis, dictus Alexander IV. 10. Kal. Jan. quem sibi immeritò vindicant Cistertienses, pii (ut alii plerique monachi) plagiarii.

*S. Ludovicus ex Syria redit.*

Rediit hoc anno ex Oriente cum uxore & liberis S. Ludovicus, 14. navium classe, multis periculis in mari perfunctus, quæ suis precibus avertit; atque ita deinceps vixit, ut ex Terrâ Sanctâ sanctimoniam secum revexisse videretur. Et verò adduxit secum ex monte Carmelo Religiosos Carmelitas, quos Parisiis collocavit, cùm tamen jam Burdegalæ viverent, & ibidem Simon Stochius Anglus, Prior eorum Generalis, sanctè obiisset. Verùm hujus Ordinis historiâ nulla est obscurior, implicatior nulla, quia ejus primi religiosi bene vivere, quàm scribere, olim maluerunt.

*Carmelitæ.*

*S. Lud. ab aliis Regibus honoratus.*

Henricus Angliæ Rex invisit S. Ludovicum ex Palæstinâ reducem; invisit & Rex Navarræ Theobaldus II. à quibus eximiè cultus est: quando & ab Anglo vocatus est **Dominus**. primo loco recusato, & ***Rex Regum terrestrium*** dictus; sic ejus pietas, infelix licèt, etiam ab æmulis Principibus honorabatur.

*Ejecti Mauri Aragonia.*

Ejecti sunt denique hoc anno ex Aragoniâ à Rege Jacobo Mauri, quòd in eum implicitum bello rebellassent. Abiere tum armatorum 60. millia, (præter mulieres, & pueros) in Murciæ & Granatæ regna, vel in Africam: quidam & se cesserunt in montes, ubi se operâ Castellanorum tutati sunt; tandem pernicioso onere Hispaniam seriùs levavere.

MUNDI 5308. CHRISTI 1255.

Mortuus est hoc anno Jo. Ducas, cognomento Batatzes Græcorum Imperator, anno ætatis 60. vel 62. Imperii 33. vir fortis & prudens, sed libidinosus; cui successit ex Irene filius Theodorus Lascaris Ducas, annorum 33. ejus nominis III. Hic statim elatus in clypeum, & acclamatus Imperator, inunctus est ab Arsenio Patriarchâ; cùm Nicephorus Blemydes hanc dignitatem recusasset, eâdem fortitudine, quâ Joannis Imperatoris luxuriem, ejusque conjugis fastum repressérat.

Renovavit hoc anno suam insaniam Guillelmus de Sancto Amore cum suis sociis, adversus Religiosos, quibus obstitêre sapienter & fortiter SS. Thomas & Bonaventura, qui furentem licèt & armatum Academicorum suorum audaciâ, hominem retudere. Quibus acceptis Alexander, & Guillelmum damnavit, & suo diplomate deinceps religiosis cavit adversus magistellorum amentiam. Harum quoque turbarum author Galliam relinquere compulsus est, qui & Anagniæ convictus est coram Pontifice à Bernardo de Bajonâ Minoritâ sibi ignoto; sed quem ex ingenio, & acerrimâ disputatione cognovit. Floruit & hoc tempore Joannes Columna Archiepiscopus Messanensis Dominicanus, author operis quod inscribitur ***Mare Magnum***, ad annum 1250. sed in quo sæpe veritas naufragium patitur, propter errores quibus ut scopulis aspergitur.

Alexander IV. Siciliæ regnum concessit Eadmundo filio Henrici Regis Angliæ, cujus & patrem absolvit de voto Hierosolymitano: sed viciniori Principe opus erat, ad Manfredum retundendum, & majori ad invadendum alacritate.

Othocarus Bohæmiæ Rex ditionem suam à mari Hadriano ad Balthicum usque promovit; Pruthonosque debellavit & asseruit sibi, atque Christo, statutâ urbe Kunisbergâ seu Monte Regali, ad Christianitatis, & pacis præsidium. Tum quoque Rhenanæ civitates, ob Imperatoris imbecillitatem, iniere societatem, quâ sibi quietem comparavere, destructis castellis, & grassatoribus exterminatis, quos Principum ignavia fovere solet.

MUNDI 5309. CHRISTI 1256.

Ortum est hoc anno dissidium, ob monasterium S. Sabæ, Ptolemaide (quæ & Acon, vulgò *Acre*) inter Venetos, & Genuenses, quod jam labantes Christianorum res in Oriente in ruinam impulit. Alexander id componere conatus, commune pronunciavit: sed ejus consilium discussit pugna ad Tyrum, in quâ Veneti ope Pisanorum prævaluere, & occupavere Monasterium, immo & totam Ptolemaidem, maximè cùm ante urbis portum Genuenses superati, iterum illis cessissent: victi itaque hi discessere Tyrum, quam sui juris effecere; sicque la-

cera-

ceravere rem Latinam, atque Palæstinam, ut hæc neutrius populi fuerit, sed Saracenorum.

Hoc anno cæsus est Guillelmus Rex Romanorum 5.Kal. Febr. dum bellum gerit in Frisios, & Hollandiam vexat, glacie sub equo subsidente, & à nescio quibus confossus jaculis atque contis, sepultusque in magnifico tumulo, qui jam antea Regi Romanorum, ex publicâ famâ, paratus erat. Soror ejus fuit Mathildis, seu Margarita, non Hollandica, sed Hennebergensis Comitissa, partu 365. vel 1514. puerorum famosa, ob injuriam pauperculæ fœminæ illatam, & ab eâ diris devotam. Ferunt omnes fœtus vivos sacris aquis elutos, mares sub Joannis nomine, fœminas sub Elizabethæ; quam historiam alii admittunt, alii rident; propositam esse vel adfidem, vel ad risum, nemo molestè feret.

Turbata est hoc anno Roma severitate Brancaleonis judicis acerbissimi: sed longè magis Marchia Tarvisana, ob belluinam Ecelini Tyrannidem, quem ob crudelitatem nonnulli ex Dæmone genitum putavere. Tum autem cruce in eum publicatâ, dum Mantuam obsidet, huic ereptum est Patavium; quam cladem morte 12. millium Patavinorum acerbissimâ ultus est. Postea tamen à Legato Pontificis aliquot insuper locis spoliatus est; quibus tamen adversis casibus minùs repressus est, quàm efferatus.

Quominus eligeretur Rex Ro. Conradus filius Conradi, aliter dictus Conradinus, impediit Alexander Pontifex. Itaque distracti Electores creavere Cæsares duos, Ricardum Comitem Cornubiæ, fratrem Regis Angliæ, & Alphonsum Regem Castellæ, multis ut creditum est effusis pecuniis, quæ nec largientibus nec accipientibus profuere.

Obiit hoc anno Vincentius Bellovacensis, Ordinis Prædicatorum; cujus quatuor Specula, Doctrinale, Historiale, Naturale, ac Morale, Magnum opus, & multæ eruditionis conficiunt. Sed Morale viri hujus fœtus non creditur, verùm alterius Vincentii, qui longè postea vixit; & id opus ex primâ parte, & Secundâ Secundæ S. Thomæ Aquinatis, non tam confecit; quàm descripsit; ne S. Thomam mortuum anno 1274. insignis plagii, & minùs in tanto viro ferendi accusare parum prudenter & religiosè compellamur.

MUNDI 5310. CHRISTI. 1257.

Hoc anno Tartari Assasinorum regionem occuparunt, præter munitissimum eorum castrum Tigadum, quod scribit Haythonius ab iisdem Tartaris obsessum totis 27. annis, & tantùm deditum, vestibus deficientibus. Verùm alii meliùs hos annos 27. in triennium contrahunt, & cibariorum non vestimentorum penuriam, causam probabiliorem assignant.

Ricardus Anglus coronatur Rex Romanorum Aquisgrani; quâ de re graviter questus est; dumque jus suum armis tueri parat Alphonsus, novis Maurorum motibus repressus se continuit, ne similis Æsopico cani rideretur.

MUNDI 5311. CHRISTI. 1258.

*Tartari Perside potiuntur.*

Haolonus, frater Mangonis magni Chami Tartarorum, occupata Perside hoc anno Baldachum cepit, quod plerique perperam Babylonam vocant, totis decem leucis ab eo disjunctum. In hâc urbe captus est Calypha successor Mahometis cum multo auro, atque gemmis; quæ huic oblatæ sunt pro ferculis; sicque mori fame compulsus: Inde dirutæ sunt Mesquitæ omnes Saracenorum, excitatæ Christianorum Basilicæ, majori tamen spe futuri quam præsentium fructu.

*Ecelini victoria & crudelitas.*

Mortuus est hoc anno Brancaleo, ex morbo, dum Cornetum obsidet, relatus Romam; cui successit ejus avunculus Castellanus, homo ejusdem farinæ, hoc est, inimicus Pontifici. Aliunde Ecelinus, apud Gambaram ad fluvium Ollium, Philippum Legatum Alexandri à suis pugnare compulsum vicit, ac cepit, cum multis proceribus, in quos de more Tyrannus crudeliter sæviit: sæviit & in Brixienses, eorum urbe receptâ, ac duabus arcibus communitâ, quam tamen mox civibus exhausit; homo quo tetrior carnifex non potuit Longobardis castigandis etiam divinitus offerri.

*S. Lud cum Arragonis fœdus.*

S. Ludovicus & Jacobus Aragoniæ Rex inierunt inter se arctissimum fœdus, juraque sibi invicem remiserunt cis & trans Pyrenæum; in quo tamen plus dedit Ludovicus, quàm accepit; quare pietas ejus, à quibusdam non satis piis hîc reprehenditur, & qui Principes ex magnâ ditione non religione metiuntur.

*Turba Anglica.*

Turbatum aliquid in Angliâ, Proceribus in Regem insurgentibus; qui & tum iis cedere compulsus est, quoniam in suis Comitiis prævalebant, atque Conventibus; qui semper perniciosi Regibus Britannicis, nonnumquam etiam fatales extiterunt.

MUNDI 5312. CHRISTI. 1259.

*Moritur Theod. Lascaris, Imp.*

Mortuus est hoc anno Græcorum Imperator Theodorus Lascaris Ducas, cùm regnasset annis ferè quatuor, & sumpto habitu monastico paulò ante mortem; quando feriâ 6. ita Sol obscuratus est; ut apparerent stellæ. Ab hujus morte historiam suam Pachymerius inchoavit, qui & Commentarium edidit in Dionysium, ipse Dicæophylax Imperii, atque hoc munere dignissimus.

*Michael Palæologus ambit Imperium.*

Reliquit Theodorus filium Joannem sexennem sub curâ Arsenii Patriarchæ, & Georgii Muzalonis viri egregii, qui mox interfectus est, in gratiam Michaëlis Palæologi ambientis Imperium: immò idem Michael admotus Reip. gubernaculis, donec adolevisset puer, vanis oraculis populum delusit, Μάρκον sæpe jactatâ voce quâ significari dicebatur Μιχαὴλ ἄναξ Ῥωμαίων Παλαιόλογος ὀξέως ὑμνηθήσεται: Alius autem Angelus Michael, Ætoliæ Epirique Despotes affectans Imperium fugatus est à Joanne Sebastocratore, Michaelis Palæologi fratre, insidiis circumventus cum auxiliatoribus suis Guillelmo Wildino Gallo, & Manfredo, qui Helenam hujus Despotæ filiam uxorem duxerat: Sic Angeli hujus consilia disjecta sunt, gravi suo & amicorum damno.

*Turba in Oriente.*

*Moritur captus Ecelinus.*

Ecelinus dum Mediolanum capere proditione cupit, fugere compulsus, à fœderatis interclusus, dum eos perrumpere nititur, vulneratus ac captus, Soncinum deductus, impœnitens ex dolore simul & ex vulnere obiit, dignus qui omnibus suppliciis toitus enecaretur: sed Deus ea æterna voluit esse, dum brevia, & humana cessarunt. Albericus ejus frater (nam carebat prole homo sceleratus) cum thesauris fugit in castrum S. Zenonis munitissimum; ubi sequenti anno obsessus, & se dedere compulsus, cum uxore ac filiis crudelissimè necatus, suo ac fratris nomine pœnas luculentas dedit. Tum autem Mastini Scaligeri initia Principatus sui Veronæ jecerunt, sicque Gibellini eâ potiti sunt, ejectis Guelphis Sanbonifacianis, & nondum obliterato in Pontificios odio.

*Mastini Scaligeri Verona potiuntur.*

S. Ludovicus cum Henrico Angliæ Rege de suis omnibus juribus decidit, & in regni sui perniciem, maluitque minùs posse, ne injustitiæ etiam suspicione laboraret; quare apud suos Princeps sanctior, quàm prudentior audiit. Tunc autem mortuus est ejus primogenitus Ludovicus, sepultus in monasterio Regii Montis, cujus exequias Angli Francique proceres cohonestarunt, solatio quo parum indigebat sanctissimus Princeps, & cui satis erat Dei voluntas, ad veram certamque consolationem.

*Primogenitus S. Ludovici moritur.*

MUNDI 5313. CHRISTI. 1260.

*Michaël Palæologus pupillum suum relegat.*

Nicææ Michaël Palæologus Imperii retinendi cupidus pupillum suum Joannem filium Theodori in Magnesiam relegat sub custodiâ; quare Arsenius Patriarcha se suo inclusit Monasterio, suffecto Nicephoro II. cùm injuriam nec impedire posset, nec tolerare.

*Tartaricæ clades Saracenorum, & Polonorum.*

Tartari in Syriâ Saracenis eripuere Alapiam, Damascum, aliasque civitates; his tamen Christiani Palæstini ejus parum habuere fidei; pars illorum Poloniam infestarunt, captisque urbibus Cracoviâ, Sandomirâ, & aliis, cum magnâ hominum strage, Boleslaüm pudicum Regem cum uxore in Hungariam fugere compulerunt: qui cæsi erant, habiti ut Martyres, superstitum lacrymas utcumque absterserunt: sed tam incerta hæc Tartarorum Historia, quàm certa ab iis illata clades.

*Florentia malè excipitur.*

Manfredus redux in Apuliam mittit Comitem Jordanum contra Florentinos, qui hoc anno victi in Tyranni verba jurare compulsi sunt; atque urbs ferè diruta, occupata à Gibellinis; quominus tota exscinderetur, civis Gibellinus causa fuit, qui tam acriter pugnavit pro patriâ, ut huic tota factio acquiesceret.

*Flagellantes in Italia.*

Celebris est hic annus initio sese verberantium in Italiâ, qui in se flagellis acerbissimè sæviebant, autore Eremitâ quodam Reinerio; de quibus varia fuere variorum judicia: certè demum in superstitionem transiit, immo & turpem sectam; unde tamen contra primam institutionem non ausim pronunciare.

*Accursius Jurisconsult.*

Obiit hoc denique anno Accursius Jurisconsultus Florentinus, ætatis anno 78. cujus Glossæ in Jus universum celebrantur: sepultus est cum filio Francisco, magno item Jurisconsulto, Bononiæ, in eodem tumulo marmoreo; neque eruditione disjuncti.

---

## CAP. VII.

## *Decas Septima.*

### *Ab anno Christi 1260. ad 1270.*

MUNDI 5314. CHRISTI. 1261.

Anno 2. Michaëlis Palæologi servata à Latinis jam annis 56. Constantinopolis, proditione quorumdam rusticorum, immissis per veterem aquæductum 50. viris armatis, occupata est ab Alexio Cæsare, cognomento Strate populo, dum pergeret adversus Michaëlem Ætoliæ atque Epiri Despotam. Fugit Balduinus II Imp. cum Pantaleone Justiniano Patriarchâ. Aliunde Michaël Palæologus accurrens, eam ingressus est pedes, præcedente B. Virginis imagine *Hodegetria*, sicut & Arsenius recepto jam Patriarchatu post Nicephori mortem. Nec Alexius diu potitus est triumphi sui gaudio, captus mox ab Angelo Michaële, traditus Manfredo, à quo permutatus est cum relictâ Jo. Batatzis, sorore suâ. Joannes autem legitimus hæres Imperii excæcatus est à Michaële; qui ideo excommunicatus est ab Arsenio, hic ab illo depositus; unde multæ turbæ in Ecclesiâ, & Imperio, quæ demum in utriusque perniciem redundarunt, populis in Principem rebellantibus, &, quia tributis opprimebantur, Turcis sese perfidiosè dedentibus.

Venetis, Pisanis, atque Genuensibus Latinis artificibus subsistere datum est in Oriente, eâ tantùm lege, ut Galatam, seu Peram, incolerent, in Urbe non degerent: immo & iis omnibus immunitas mercium concessa est; qui eò misere Baylos, Potestates, & Consules, ut jus suis dicerent. Veneti tamen, missâ ingenti classe, Constantinopolin recuperassent, nisi Græcis favissent Genuenses; unde inter eos recruduerunt odia, & ipsis, & Imperio, & Ecclesiæ perniciosa.

Alexander IV. Anagniâ relictâ, Viterbium venit, ubi mœrore confectus ex victoriis Tartarorum, Gibellinorum, & Græcorum, obiit 8. Kal. Jun. vir doctus, liberalis in pauperes, in eruditos munificus, & in quo nihil præter diuturniorem Pontificatum potuit desiderari. Cùm autem vacasset sedes 3. mensibus, ac diebus totidem, post longam altercationem selectus est Jacobus Pantaleo, aliter de Curto-Palatio, Patriarcha Hierosolymitanus, natione Gallus, patriâ Hierosolymitanus, patre sutore veteramentario, sed apprimè doctus, ac prudentiâ, & moribus illustris, dictus Urbanus IV. Hic Cardinales creavit Henricum de Segusiâ, dictum *Splendorem Juris*; & Guidonem Grossum, qui ei successit; omnes & suo, & eligentis nomine dignissimos.

MUNDI 5315. CHRISTI 1262.

Urbanus Cruce-signatos immittit in Manfredum

dum, cui eripitur Longobardia, Spoletinus ager, atque Campania: sed cùm stipendia iis non numerarentur, defluxere copiæ, prævaluit Manfredus; fugere compulsus & Urbanus cum Cardinalibus Urbem veterem, *Orvieto*, ut se loci munitione tutaretur. Juncti insuper fœdere Manfredus, & Jacobus Arragoniæ Rex, datâ illius filiâ Constantiâ (nam maribus carebat) hujus filio Petro, cum spe regni Siculi; tumq; utilitas apud Jacobum prævaluit; nec Pontificis toto conatu repugnantis autoritas, nec Raymundi Pennafortii præsentia quidquam profecere.

Renovatæ sunt in Angliâ turbæ, S. Ludovico Principibus opem ferente, Urbano eos absolvente à juramento, vi per Barones extorto; quæ tantisper sopitæ sunt, ut atrociùs recrudesceret. Feliciùs repressi sunt in Hispaniâ rebellantes Mauri; quibus cùm auxilia Africana per Merinorum familiam promissa defecissent, pacem petere compulsi, præmii loco duxere agrorum partem perdere, ne omnium jacturam paterentur.

MUNDI 5316. CHRISTI 1263.

Michaël Palæologus Imp. pressus domesticis tumultibus, & graviores externos à Latinis metuens, cogitat de Concordiâ Ecclesiæ Latinæ, atque Græcæ: sed cùm eam voluntatem expressisset timor, illa quoq; hoc evanescente disparuit.

S. Ludovicus electus arbiter inter Principes Angliæ, & proceres, ab Henrico Rege pronunciavit. Sed hi non acquievere judicio, & autore Simone Monfortio arma induerunt; ideo excommunicati à Legato Pontificis, cujus neglexere Anathema, neque tantùm in Principem, sed in Deum atque sanctos rebellavere.

Urbanus IV. Siciliæ regnum offert Carolo S. Ludovici fratri; quod ille recipit, urgente potissimùm Beatrice, quæ Regina, ut sorores suæ, volebat esse. Conatus quoque idem Pontifex terminare litem inter Ricardum Anglum, & Alphonsum Castellanum de Imperio: verùm causa tanti momenti majorem judicem, ac Deum ipsum arbitrum postulabat.

MUNDI 5317. CHRISTI 1264.

Michaël Palæologus expeditionem suscipit in Michaëlem Despotam Ætoliæ, & Epiri; sed viso horribili cometâ (qui tum Julio, Augusto, & Septembri mensibus feraliter luxit) eam abrupit ex timore cladis. At dum redit Constantinopolin, captus esset à Bulgarorum Rege, nisi per montes fugisset ad maris littus, hîcque inventis duabus triremibus Latinis sese commisisset, sicque Urbem plenus ignominiæ repetiisset. Hîc Andronico filio suo dat uxorem Annam filiam Hungariæ Regis, sed Imperii insignibus exornato, & jurare compulso se Imperium expectaturum; quod per patrem postulatum esse à filio, & juvene, & Græco, mirum videri non debet.

Boleslaus Pudicus, Minoris Poloniæ Princeps, Iazygas populos sic delevit, ut ab eo tempore illorum defecerit nomen; eorumque reliquiæ ad Christum traductæ, se Scythas, aut Sarmatas esse populatores dedidicerint.

Urbanus IV. ex occasione miraculi de Eucharistiâ in æde S. Christinæ Vulsinii, hostiâ à Sacerdote fractâ reddente sanguinem, Festum Corporis Christi instituit 5. Feriâ post Octavam Pentecostes, eum solemni supplicatione in qua Augustissimum Sacramentum, instar Arcæ circumduceretur. Hujus Festi Officium scripsit S. Thomas Aquinas: Certè hæc festivitas sacris virginibus Leodiensibus à Deo fuerat revelata; exinde autem cœlo, terrâque probantibus, ubique terrarum cum singulari pietate recepta, atque conservata est. *Instituit Vrbanus IV. Festum Corporis Christi.*

In Anglia acriter pugnatum à Rege, ac Simone Monfortio rebellium Procerum ductore. Victus est Henricus, captusque cum fratre Ricardo; cujus cladis causa fuisse dicitur Eduardus Regis filius, dum victor acriùs persequitur Londinenses, quos capitaliter oderat. Eduardus autem & Henricus filii Regis, sese obsides obtulere Monfortio, ut eorum pater meliùs haberetur; minùs de regno, quàm de patre solliciti, magno exemplo pietatis. *Victus Henricus Rex Anglus à rebellibus.*

Obiit hoc denique anno Urbanus IV. 6. Non. Octob. cùm sedisset annos 3. dies 34. vir magni animi, & pietatis, dignusque diuturniori Pontificatu. *Obiit Vrbanus IV.*

MUNDI 5318. CHRISTI 1265.

Cùm vacasset Petri sedes plus 4. mensibus, Non. Febr. electus est absens in Legatione Anglicanâ Guido Grossus Gallus, peritissimus Jurisconsultorum. Rediit paulò pòst ex Galliâ in habitu mercatoris, vel Religiosi; & 8. Kal. Mart. consecratus Perusii. Clemens IV. dictus est; vir integerrimus, & exemplar oblatum Pontificibus: Summis quo animo in propinquos suos debent esse. Nullum enim suorum ad dignitates Ecclesiæ promovit; nullum enim Laicorum evehi passus est altiùs, quàm eorum familia, resque præsentes postularent; ideo bonis omnibus charus, malis metuendus, omnium bonus pater, & judex. *Succedit ei Clemens IV. veri Pontif. exemplar.*

Carolus Provinciæ Comes, Massiliâ solvens, per varia pericula attingit Ostia Tiberina; ac statim Romæ Siciliæ Rex renunciatur. Exercet Senatoriam Urbis dignitatem, & parat omnia ad bellum in Manfredum; dumque copias terrestres expectat, hic annus abiit, spei quàm rerum gestarum plenior. *Carolus Andeg. Romam venit.*

Facta est hoc anno rerum in Angliâ conversio, proceribus quibusdam à Simone Monfortio abalienatis ob superbiam, & Eduardo è vinculis elapso. Acre certamen commissum est, in quo cecidit Monfortius, vulneratus est Henricus, victoria penes Eduardum stetit. Corpus ergo Simonis fœdè laceratum, pœnas ipsi vivo debitas exsolvit; cultus nihilominus à quibusdam ineptis ut Martyr, & miracula aniculis narrata; cùm tamen excommunicatus obiisset. Quare & corpus ejus jussu Clementis exhumatum; omnia facta; quibus ejus fictitia sanctitas, & vana miracula improbarentur. *Simon Monfortius in Anglia cæsus.*

MUNDI 5319. CHRISTI 1266.

Bendochar Sultanus Ægypti frustra Ptolemai-

*Bendochar Sultanus Ægypti res suas promovet.*

maidem tentat: sed deditione recipit castrum Saphet, ubi cives perfidiosè jugulat Christum negare recusantes. Qui etiam eos ad moriendum fortiter incitarant Minoritæ duo, & prior Templariorum, vivi exorciati sunt, & fustibus contusi capite mulctati sunt: hos martyres esse lux de cœlo testata est; & locus ubi passi erant maceriâ circumdatus, Sultani jussu, hujus crudelitatem, illorum fortitudinem diu Syris ostentarunt.

*Hyatho perdit Armeniam, & fit monachus.*

Circa hoc quoque tempus dum Haytho profectus esset ad Tartaros petiturus auxilium, regnum perdidit suum, ac filios. Horum enim alter à Saracenis cæsus, alter captus; quem ægrè factâ pace redemit; ipse Principatu relicto filio suo Tivono, seu Thyno, aliter Lievoni seu Leoni, factus est religiosus sub nomine Macarii, obiitque 1270. relicto regno, quàm administrato longè felicior.

*Cæsus in prælio Manfredus à Carolo.*

CarolusRomæ cum conjuge inauguratus, auctusque pecuniis Clementis, movet in Lucerinum Sultanum (sic enim tum à Piis Manfredus vocabatur) eumque tandem ad Beneventum vicit & occidit; licèt in prælio ipse mortuus proclamatus esset. Corpus Tyranni terrâ profanâ, & lapidibus obrutum est, uxor & filii in vinculis interiere. Mox quoque captum Beneventum, in ejus incolas atrociter sævitum; quidquid intra Pharum fuit, sese Carolo dedidit; Conradino tamen sibi utriusque regni titulum arrogante, contra voluntatem Pontificis; cui dum non obsequitur, & hunc vanum honorem, & vitam perdidit.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5320. | 1267. |

*Carolus fit Ecclesiæ Vicarius.*

Clemens Pontifex sententiam suam de Imperio Alphonsi & Ricardi sapienter suspendit; creavit & Carolum Imperii Vicarium ut Ecclesiæ prospiceret rebus, & ne quid Tuscia detrimenti caperet. Interim Conradinus cum exercitu, & Comite Friderico Austriæ, Veronam accedit: at ultrà tendere minis Clementis prohibitus est; hic ergo dum moratur, defluxit ejus exercitus, adeo ut ex 10. millibus, vix tria superessent.

*Caroli fortitudo.*

Nec melior erat conditio Caroli, ancipiti malo distracti inter Siculos & Germanos. Relicta tamen equitatus patre in Etruria, quæ obsisteret Conradino, ipse cum reliquo exercitu perrexit in Apuliam, ita circumvallavit Luceriam, ut ex eâ Saraceni non possent erumpere, paratus cum omnibus marte congredi, ut se oblato regno dignum præstaret.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5321. | 1268. |

*Capitur Antioch.*

Sultanus Bendochar Antiochiam capit 4. Kal. Jun. absente Conrado ejus Principe, cæsis in ea 17. millibus, centum millibus abductis, dum Christiani in Syria sese mutuis armis impetunt. In hac urbe moniales virgines, ne libidini Saracenicæ objicerentur, sibi omnes, præeunte Antistitâ, nasum præciderunt; quare ab impuris oppugnatoribus omnes cæsæ, puræ ad cœlestis sponsi complexus castissimos evolarunt.

*Quin[sai] urbs [ma]xima [ca]pta à [Tar]taris.*

Capta hoc anno dicitur à Tartaris Civitas *Quinsay*, Orientis maxima, centum milliarium amplitudinis, duce Bajan-Chensam, hoc est *centum oculi*, quem CobilaChamus Tartarorum immiserat. Rex Mangi (sic Tartari Sinas vocant) fugit; restitit ejus uxor animosior; audito tamen ducis nomine, cùm accepisset Oraculo urbem capi non posse nisi ab ἑκατον φθολμῶ, sesè dedidit. Cobila seu Cublay regionem in 9. regna partitus est, quibus imposuit singulos Reges vectigales, ut ipse Rex Regum diceretur.

*Victu[s] Caro[lus] Con[radi]nus, [ca]ptus [et] Frid[ericus] Aus[triæ]*

Clemens IV. Anathemate percellit Conradinum, qui neglectis hisce fulminibus pergit in Carolum, cujus equitatum in Tuscia dissipat 7. Kal. Jun. agitque copias ad Viterbiam, sic ut à Pontifice viderentur. Indoluit Pontifex, eumq; ad cædem pergere victimam prænunciavit. Tandem ad Fucinum lacum pugna committitur, in qua Carolus Rex, industriâ Caroli de Valeriaco nobilis Franci, retulit victoriam, cum magnâ hostium strage. Henricus Hispanus, ab Abbate Cassinensi traditus, annis viginti vixit in carcere: Conradinus & Fridericus calonum habitu fugientes, ad Austram urbem Frangipanum, dum annulum magni pretii vendunt, deprehensi, ad Carolum perducti sunt. Qui eodem loci monasterium condidit S. Mariæ victricis, perpetuum victoriæ, & in suos demortuos pietatis monimentum.

*Pr[agmatica Sanc]tio [Ludovi]ci do[...]*

Eodem anno S. Ludovicus PragmaticamSanctionem edidit, providitque ne Romanæ Curiæ exactionibus Ecclesia Gallicana gravaretur; ex æquo pius; atque justus.

*Cl[emens] IV. [mor]tu[us].*

Obiit hoc anno Clemens IV. ex morbo simul & senio 3. Kal. Decemb. cùm sedisset 3. annis, mensibus 9. diebus 25. breviori tempore quàm ejus industria, atque Ecclesiæ res postularent.

*An[nulus] S. [Maur]itii Sa[baudiæ] ad[...]*

Mortuus est denique hoc anno Petrus Dux Sabaudiæ, instituto sibi hærede Philippo fratre Episcopo Lugdunensi, atque Valentino, sed sine ordinibus. Misit itaque annulum S. Mauritii in Thebæa Legione Ducis, qui Principibus Sabaudis investituræ loco fuit, iique deinceps annulo tanti Martyris consecrati sunt.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5322. | 1269. |

*Pa[ratur] ma[gna] Sa[crum] exp[editio]*

Paratur magna expeditio in Saracenos, & cæteris præluxit S. Ludovicus, crucemque recepit cum tribus filiis suis Philippo, Joanne, & Tristano. Eandem quoque suscepit Eduardus, atque ita inter se convenerunt, ut Anglus rectâ in Syriam, Francus Tunetum pergeret. Equitum 15. millia, peditum 200. millia conscripta esse ferunt. Eodem tempore Alphonsus Arragonius navigavit in Orientem; sed ventis adversis repulsus, redire coactus est. Noluit enim Deus ab Rege adultero promoveri res suas, eumque gestare utiliter crucem, qui criminibus Deum in se crucifixisset.

*Ca[pta] Lu[ceria] cap[...]*

Saraceni Lucerini restibus collo insertis sese Carolo dedunt. Hic dum cogitat bellum sacrum cum fratre S. Ludovico, ne quid turbarum se absente oriretur, convocato Civitatem regni sui conventu Conradinum Suevum, & Fridericum Austrium, ex juris formulâ necari jubet, & utrique magnâ pompâ demessum à tortore caput,

*Con[radi]nus, Fri[deri]cus [ca]pi[te ple]cti*

Conra-

Conradinus Arragonium hæredem suum dixit, ambo terrâ prophanâ sepulti, quia excommunicati, ita obierunt ambo, ut eorum ferali nece theatra personare queant.

MUNDI 5323. CHRISTI. 1270.

Trajicit in Syriam Eduardus cum multis copiis; par tamen Sultano Bendocharo esse non potuit: Itaque satis habuit Ptolemaidem tueri; excitavit tamen utiliter Tartaros ex Perside, à quibus graviter afflicti sunt Saraceni. Tum secutæ sunt intempestivæ inter Reges Cypri, Hierosolymæ, atque Bendocharum induciæ, & Barbaris, quàm Christianis utiliores.

S. Ludovicus Carthaginem appellit, eâque, relatis aliquot victoriis, potitur; inde Tunetum Regni caput obsidet; verùm lues invadit ejus castra, quâ Tristanus jam maturus cœlo sublatus est. Afflavit eadem sanctum Regem, juncta dysenteria; quare cùm hîc Philippum filium suum sanctissimis monitis instruxisset, religiosissimè (uti vixerat) obiit. Ossa ejus vino decocta (nondum enim id ab Ecclesiâ prohibitum erat) translata sunt in Galliam, atque in æde S. Dionysii magnâ pietate servantur; vir verè sanctus, & dum viveret Sanctis omnium judicio adnumeratus; quo meliùs nemo pietatem cum potentiâ conjunxit, fortitudinem cum demissione, dignitatem Regiam cum Christianitate. Successit ei Philippus III. annorum 26. cognomento Audax, seu Cor Leonis; cui duo supererant fratres, Petrus Comes Alenconius, & Robertus, ex quo Stirps Borbonia defluxit; quæ hodie & S. Ludovici sanguinem, & sceptrum Francicum servat, hæres ejus sanctimoniæ, ac generositatis.

Consternatis sanctissimi Regis morte Christianis Carolus Siciliæ Rex appellens reddidit animos. Supervenit & mox Eduardus Anglus, aliique, à quibus victus est Rex Tunetanus: verùm cùm mox lues utrumque afflasset exercitum, pax inita est, sed utilior Carolo, quàm Christianis gloriosa.

---

## CAP. VIII.

## *Decas Octava.*

*Ab anno Christi* 1270. *ad* 1280.

MUNDI 5324. CHRISTI. 1271.

Hoc anno Marcus Paulus Venetus annos natus 15. cum patre Nicolao, & Matthæo patruo Peulis, parrexit in Tartariam ad magnum Chamum Cobilam filium Mangonis, cui charissimus fuit, & sub cujus auspiciis multas provincias Orientis perlustravit; vir cui multa debemus de his regionibus, ante hoc tempus incognitis Occidenti.

Philippus Franciæ Rex, utiliter navatâ Ecclesiæ operâ in Italiâ, redit in Franciam, inunctusque Rhemis ab Episcopo Suessionensi 18. aut 3. Kal. Septemb. se Regis sanctissimi filium præbuit. Toto enim quadriennio ex pietate cœlebs vixit, & cilicio contiuenter usus, etiam sub loricâ, & totâ vitâ prope abstinentior monacho; hoc ei patris innocentissimi convictus protuit. Neque tamen ipse regno, reique publicæ defuit: Comitatum enim Tholosanum, morte Alphonsi patrui ad se devolutum, adjunxit regno, iis fortiter repressis qui eum legitimum hæredem negarent esse; quos aut cepit, ut Comitem Fuxensem; aut petere veniam compulit, ut Gastonem Benehamensem; tam suis charus, quàm hostibus reformidandus. *hæres S. Ludovici.*

Monfortii fratres; Simon & Guido, Henricum Comitem Cornubiæ Viterbii in Ecclesiâ interimunt, & patris sui Simonis mortem impiè & flagitiosè ulciscuntur. Eos punitus est ut potuit Carolus, Guidoni ademptis quas ei concesserat in Apuliâ terris: sed magnorum virorum magna scelera, à Deo potiùs, quàm ab hominibus castigari solent. *Fratres Monfortii sacrilegi.*

Cardinales demum, facto compromisso, adnitente potissimùm S. Bonaventurâ, Thealdum, seu Theobaldum Archidiaconum olim Leodiensem eligunt Kal. Septemb. cùm 30. mensibus vacasset Sedes, & is versaretur Ptolemaide. Hujus electione respiravit utraque Ecclesia, Orientalis & Occidentalis, quo exoptare non poterat meliorem, atque digniorem. *Post 30. men. es creatur Pontifex.*

MUNDI 5325. CHRISTI. 1272.

Thealdus 6. Kal. April. Romæ in Basilicâ S. Petri coronatus, dictus est Gregorius X. plurimùm intentus in res Palestinæ, uti promiserat his verbis; *Si oblitus fuero tui Hierusalem, oblivioni detur dextera mea, &c.* Statimque indixit Generale Concilium, ad quod etiam Græcos invitavit; atque ita se gessit, ut meritò diu expectatus, & serò datus à Deo videretur, ut pluris fieret. *Gregorius X. Pontifex.*

Mortuus est Londini 16. Kal. Decemb. Henricus Angliæ Rex pientissimus, & Missis audiendis addictissimus, cùm regnasset supra sex & quinquaginta annos. Successit ei filius Eduardus, tum Ptolemaide degens, ubi tantùm non est interfectus à sicario Amirato, quem ipsi Sultanus Bondogaris immiserat: vix curatus, relatus est in Siciliam, ubi mortem patris accepit; ac post duos annos Londini coronatus, subditorum de patre lacrymas absterſit, & suas. *Henrico Anglo succedit Eduardus.*

MUNDI 5326. CHRISTI. 1273.

Gregorius X. locum Generalis Concilii Lugdunum assignat, & Florentiæ Guelphos Gibellinis reconciliare nititur; at utrisque renitentibus contumaciter, urbem supponit interdicto. Lugdunum cùm pervenisset, eum Philippus Franciæ Rex invisit, eique restituit Comitatum Venesinum; eodem opere, & justus, & pius. *Florentia supponitur interdicto.*

Electores; Ricardo mortuo, & Alphonsi Castellani jure non satis aperto, compulsi à Pontifice; *Rodolphus Habspurgensis Rex Rom. eligitur.*

ſice, poſt multas altercationes, Francofurti eligunt Romanorum Regem Rodolphum Habſpurgenſem Comitem abſentem, prid. Kal. Octobris. Huic cùm fidelitatis ſacramentum recuſarent Electores, quòd Sceptrum Imperii non adeſſet, acceptâ ille cruce uſus pro ſceptro, eamque deoſculatus, cæteros ut idem facerent invitavit; quod uno conſenſu præſtitere omnes, edito ſimul fidei juramento. Ab eo Auſtriaca profluxit domus, cùm is, Othocaro Rege Bohæmiæ mortuo, Auſtriam Adalberto filio ſuo conceſſiſſet: eaque demum ſenſim ex tenuibus initiis devenit ad tantam potentiam, ut vix ullam familiam ſuperiorem agnoſcere velit, aut poſſit.

*Auſtriacæ domus exordia.*

MUNDI 5327. — CHRISTI 1274.

Celebratum eſt hoc anno à Gregorio X. præſente cum Cardinalibus quindecim,

## CONCILIUM GENERALE LUGDUNENSE. II.

*Concilium Lugdunenſe II.* Cui interfuere præſules 560. aut 570. Abbates, aliique Prælati, mille quingenti cum Patriarchis Latinis Conſtantinopolitano Pantaleone; & Antiocheno Opizione. Huic non interfuit, licèt evocatus, S. Thomas Dominicanus, tum mortuus, dum eò proficiſcitur, in monaſterio Foſſæ Novæ Ordinis Ciſtercienſis in Latio, anno ætatis quinquageſimo Nonis Martii, ex morbo, non ex veneno ei juſſu Caroli Siciliæ Regis propinato, ut Itali quidam impudenter mentiti ſunt. Angelicus Doctor audit, utpote ſupra hominem doctus, & beatis geniis caſtitate ſuppar. Porrò Concilium hoc ſex Seſſionibus terminatum eſt, & in eo inita Græcorum, Latinorumque concordia, bis vocibus hiſce à Patriarchâ decantatis, ***qui ex Patre, Filioque procedit.*** Verùm antequam finiretur Concilium, inter quartam & quintam Seſſionem, mortuus eſt pridie Idus Julii ætatis ſuæ anno 53. S. Bonaventura, à Græcis Ευτύχιος Cardinalis Minorita, Seraphicus dictus, amiciſſimus S. Thomæ; cujus etiam exequias ipſe Summus Pontifex celebravit; ***vir in quo peccare viſus non erat Adam*** (inquiebat magiſter ejus Halenſis) & paris eruditionis ac innocentiæ.

*Moritur S. Thomas.*

*& S. Bonaventura.*

*Turba in Eccleſia Conſtantinopolitana.* Qui interfuerant Concilio Græci, affecti muneribus remiſſi ſunt Conſtantinopolin cum Abbate Caſſinenſi, dum celebris adornaretur Legatio. Sed Joſephi impii *P*atriarchæ malitiâ populus à concordiâ cum Latinis revocatus eſt, nequicquam Imperatore eam confirmante; quare ille depoſitâ dignitate ſeceſſit in monaſterium. Sacerdotes quoque ejus exemplum ſecuti ſeduxere plebem; & quamquam Michaël Imperator minis, relegationibus, verberibus, excæcationibus in pleroſque ſæviret, nihil profecit; immo natæ ſectæ Arſenii atque Joſephi, quibus tamen fortiter obſtitit Joannes Beccus, convictus ſcriptis Nicephori Blemmydæ, ſub Joanne Ducâ: quare hic Beccus Latinæ fidei propugnator acerrimus, fortitudinis & conſtantiæ ſuæ præmium retulit Patriarchatum.

MUNDI 5328. — CHRISTI 1275.

Bendochar Sultanus Ægypti Armeniam hoc anno fœdè populatus eſt, captivis ad 10. millia, pecore & jumentis abductis ad 300. millia. Moriens quoque 5. Id. Mart. Bohæmundus Princeps Antiochiæ hoc anno turbavit Syriam, relicto filio ſibi cognomine, de cujus tutelâ Epiſcopus Tortoſæ, & Hugo Luſinianus Rex Cypri, pueri conſanguineus, diſceptantes, Templarios, Hoſpitalarios, urbeſque Ptolemaidis, Tyri, & Tripolis commiſere, atque jam præcipitantem in exitium rem Chriſtianam impulere.

Turbata eſt hoc anno Hiſpania per Mauros, geminâ victoriâ elatos, & morte Ferdinandi primogeniti Caſtellani Principis, atque Henrici Navarræ Regis jam anno ſuperiore elati. Joannæ enim hujus filiæ nuptias Arragonius & Caſtellanus prenſabant; neutrius tamen fuit, & Philippi Franci potentia prævaluit, à quo timor duos alios in officio continuit.

Gregorius Pontifex tranſit in Italiam, cui Lauſanæ Romanorum Rex Rodolphus occurrit, incitatus ad bellum ſacrum magnâ pecuniâ ex decimis Germanicis. Coactus Pontifex, Florentiæ benedixit quidem civibus; ſed ut in urbe conſiſteret, & ſolveret Interdictum, adduci non potuit, adhuc civitati contumaci neceſſarium.

Mortuus eſt denique hoc anno Raymundus de Penna-Forti Dominicanus Barcinone in patriâ ſuâ, cujus funeri Reges Arragoniæ & Caſtellæ cum Regiis liberis, & Principibus interfuere. Noſtrâ tandem ætate, & quo nati ſumus anno 1601. à Clemente VIII. relatus eſt inter Sanctos, vir ſcriptis ſuis, & exemplis de Eccleſiâ optimè meritus.

MUNDI 5329. — CHRISTI 1276.

Michaël Palæologus Imp. confirmat omnia à ſuis probata in Concilio II. Lugdunenſi, iiſque ſubſcribit filius ejus Andronicus. Indigebat enim Latinorum auxilio, quoniam premebatur à Turcis, qui expulſi à Tartaris, in plures ſatrapias diſtincti, Græcorum ditionem in Natolia invaſerunt, ac Regionibus potiti ſunt à Ponto Euxino ad mare Lycium, deinceps Græcis Latiniſque terribiles, & illorum tandem domini.

Obiit hoc anno Aretii in Tuſcia 4. Id. Jan. Gregorius X. cùm ſediſſet ab electione ſuâ annos 4. menſes totidem, dies 10. à conſecratione annos 3. menſes 9. dies 15. poſt mortem miraculis clarus, & corpore integro diu ſervato; quare de eo referendo inter Sanctos ſub Pio V. deliberatum eſt. Succeſſit ei poſt dies 10. Petrus de Tarentaſiâ Dominicanus 12. Kal. Febr. qui reſtitutis Eccleſiæ Florentinis, dum magna moliretur pro pace Eccleſiæ, poſt menſes 5. ac dies duos obiit; vir doctiſſimus, in cujus tamen ſcriptis reprehenſæ propoſitiones centum propugnatæ ſunt à D. Thomâ, majori tamen defendentis, quàm defenſi gloriâ. Succeſſit ei poſt dies 19. Othobonus Fliſcus Genuenſis, dictus Adrianus V. ſed ſedit tantùm diebus 37. mortuus Viterbii, relin-

relinquens citò Pontificatum, quam nimis gravem, malè jam affecto corpore, sibi arbitrabatur. Evolutis autem diebus 25. Joannes Petrus, natione Lusitanus, creatus est, olim medicus doctissimus, ut testatur ejus opus, inscriptum *Thesaurus pauperum*, dictusque Joan XXI. aliis XXII. aliis XX. quem doctiorem, quàm gerendarum rerum peritiorem fuisse scribitur, ac proinde meliorem medicum fuisse volunt, quàm Pontificem.

Hoc anno Jacobus Arragoniæ Rex cognomento *Prœliator*, seu *Expugnator*, utpote qui trigesies cum Mauris conflixit, mortuus est ex mærore de clade à suis ad Luxenum acceptâ, sepultus in habitu Cistertiensi Valentiæ, vitæ 70. regni 63. Neque tantùm vir fortis, sed & pius fuit, qui templorum duo millia vel excitavit, vel Mauris erepta consecravit. Successit ei Petrus III. cognomento Magnus, qui ex patris sui testamento fratri Jacobo Balearicum regnum, cum Principatibus Ruscinonensi & Montis Pessulani, concessit; quibus tamen odia in fratrem minus repressa sunt.

Alphonsus Castellæ Rex Sanctium, prætermissis nepotibus suis, sibi succedere potiùs passus est, quàm voluit. Tum contigit Magnopolitanum Ducem, in Syriâ annis 26. captivum, aut arte, aut sponte, dimitti à Sultano, origine Germano, & qui sub ejus patre militarat; sicque tandiu perditam, & optatam, dum minùs sperat, libertatem recuperare.

Contigit hoc anno Brossii, *la Brosse*, Turonensis supplicium; qui S. Ludovici Chirurgus, Philippi cubicularius fuerat, utrique percharus. Accusavit ille Mariam uxorem Regis, quasi Ludovicum primogenitum Principis veneno sustulisset, corruptâ etiam Nigellanâ Pseudoprophetissâ, ut idem assereret; quæ tamen postea innocentem Reginam dixit. Is cùm postea detectus esset litteras ad Castellæ Regem dare, & ab eo recipere, aulicis omnibus aliunde infensissimus, suspensus è patibulo docuit, illiusmodi terræ filiis, potissimùm superbis, malum exitum reformidandum esse, & efferri nonnunquam altiùs quàm eorum honor patiatur.

MUNDI 5330. CHRISTI. 1277.

Bendocharis Sultanus Babyloniæ hoc anno vulneratus à Tartaris rediit Damascum, ubi ex ventris profluvio, addito insuper veneno, miser ex mortis triplici causâ, qui sæpe mori debuerat. Successit ei Melech-Saytus longè dissimilis patri, ideo exauthoratus ab Elsi quodam, qui ei substitutus est. Certè si tum, uti promiserat Rodolphus, in Syriam trajecisset, rem Christianam hîc restituisset: verùm maluit bonus esse paterfamilias, quàm Princeps, plus liberorum causâ, quàm Imperii laborare: tribus enim filiis & novem filiabus egregiè providit; atque singulis ita consuluit, ut paucos habuisse videretur.

Joannes XXI. Pontifex Viterbii, corruente camerâ, inter ligna & lapides oppressus, ægrè retractus post sex dies expiravit Idib. Maji, vel 13. Kal. Junii, cùm sedisset mensibus 8. & diebus tribus. Huic suffectus est ibidem 7. Kal. Dec. Joannes Cajetanus, coronatus Romæ 7. Kal. Jan. dictusque Nicolaus III. cui puero S. Franciscus Pontificatum prænuntiarat, atque Ordinem commendarat suum, ab omnibus propter æquabilitatem morum *Compositus* nuncupatus, & curiam Romanam gnarus ordinare, si hæc componi potuisset.

Rodolphus Ro. Rex ire Romam negligit, & concessas sibi à Gregorio pecunias in alios usus impendit: Othocarum Bohæmiæ Regem fallit, eique illudit non inscitè, Austriâ emunctâ; quamvis ille huic antea serviisset. Hæc tamen atrocissimi belli extitere semina, quod uxor Othocari ambitiosa & impotens mulier concitavit, multo utrimque sanguine restinguendi. *Rodolphus negligit ire Romam.*

Maria Hierosolymorum Regina, à multis petita, jus omne suum in regnum concessit Carolo Siculo, simulque inanem titulum, & magnam odii, bellique materiam. *Carolus Siculus Rex Hierosol.*

MUNDI 5331. CHRISTI. 1278.

Carolus Siciliæ Rex deponit sponte Senatoriam Romæ dignitatem, & Vicariatum Etruriæ, in manibus Pontificis, cùm ut Rodolpho faceret satis Nicolaus, tum ut Carolum nimis potentem in Italiâ deprimeret. His adjungas ultionem, quòd Carolus Pontificis ambitioni non satis velificatus esset; quem erga suos nimis propensum extitisse tantùm negant, qui in historiâ Pontificum sponte cœcutire volunt. *Nicolaus deprimit Carolum.*

Othocarus movet in Rodolphum, à quo victus ille ac cæsus est in prælio, magno gaudio Ladislai Regis Hungariæ, clades suas, ejus morte ultas existimantis. Moravia quoque Rodolpho victoriæ præmium fuit, quam hic pessimè accepit, & quasi non illius possessor, sed hostis fœdè devastavit. *Othocarus à Rodolpho caditur.*

Martinus Polonus Ordinis Prædicatorum, qui Summam Juris Canonici, & famosissimum Chronicon scripsit, hoc anno creatus est Gnesnensis Archiepiscopus. Hunc quidam Italum, aut Scotum malè putant, omnes meritò scriptorem parum accuratum, & multarum nugarum interpolatorem. *Martinus Polon. Gnesnensis Episc.*

MUNDI 5332. CHRISTI. 1279.

Dissidium inter Margaritam S. Ludovici uxorem, & Carolum Siculum de Comitatu Provinciæ, & Fori Neronis, seu Folcarquerii, Nicolai III. authoritate & industriâ sopitum est, magni belli alioqui seminarium. *Dissidium de Provincia tollitur*

Alphonso III. Lusitaniæ Regi vitiosissimo successit haud melior filius Dionysius annos natus duodeviginti, qui post biennium duxit uxorem S. Elizabetham primogenitam Petri Regis Arragoniæ, imparibus nuptiis, & quibus virtus cum scelere copulata est. *Alphonso Lusit. succedit Dionysius.*

Obiit hoc anno Boleslaus Dux Cassiliensium, *Pius* à bonis operibus cognominatus: obiit & Boleslaus *Pudicus*, religiosissimus Princeps, cùm ipse virgo Kingâ seu Kunegundem uxorem virgi- *Boleslaus & Kunegundis.*

virginem reliquisset. Vixit illa deinceps quoque piissimè, cum sorore suâ Iolentâ conjuge Beleslai Pii, ambæ moniales S. Claræ, sanctimoniâ quàm sanguine conjunctiores.

MUNDI 5333. CHRISTI. 1280.

*Initia conjurationis Siculæ per Io. Procidam.*

Inita est hoc anno conjuratio de Carolo, & Francis è Siciliâ depellendis, inter Petrum Aragoniæ Regem, Palæologum Imperatorem, & Nicolaum III. autore quodam Joanne Procidâ seu Prochytâ viro sceleratissimo, ob Francorum mores impudicos, & Siculorum insanam zelotypiam: hanc autem texuit Joannes ille veterator sub habitu Minoritæ, ut perduellionem sacrilegio tegeret.

*Mors Nicol. III.*

XI. Kal. Sept. obiit in agro Viterbiensi Nicolaus III. ex apoplexiâ, cùm sedisset duobus annis, ac ferè mensibus 9. vir pius, ac inter sacra mysteria semper lacrymari solitus; sed suis affinibus addictior quàm tanta pietas illa publica postulabat. Vacavit sedes mensibus sex, Cardinalibus in diversa distractis; quæ dissensio tantùm Ursinorum carcere sublata est.

*Iudæi in Insula Majorica conversi.*

Majoricæ insulæ Judæi hoc anno plurimi conversi sunt ad Fidem operâ Inghetii mercatoris Genuensis viri illiterati, qui eorum Rabbinos doctissimos, etiam ex Arragoniâ evocatos, disputando convicit, negantes se divino Spiritui ex ejus ore loquenti pares esse, & Deum in homuncione ignaro victorem agnoscentes.

## CAP. IX.

## *Decas Nona.*

### *Ab anno Christi* 1280. *ad* 1290.

MUNDI 5334. CHRISTI. 1281.

*Martinus II. Papa.*

URsinis Cardinalibus detrusis in custodiam, & fautoribus Caroli Siculi prævalentibus statim electus est 8. Kal. Mart. Simon de Briâ Gallus, qui in gratiam S. Martini Turonensis, in cujus Ecclesiâ fuerat Gazophylax, dici voluit Martinus II. à quibusdam IV. sed qui Marinos Pontifices duos cum Martinis confundunt, coronatus 10. Kal. April. Hic tum Senonas misit costam S. Mariæ Magdalenæ, quam seposuerat dum interfuit ejus translationi Vezeliaci cum S. Ludovico Rege cujus etiam testimonium præstat, sicut & diploma hoc anno datum, quo asseveratur corpus S. Mariæ Magdalenæ quiescere Vezeliaci, consonum diplomatis Lucii II. Urbani III. Clementis III. Innocentii III. de quibus inter Vezeliacenses Monachos & Maximinenses Dominicanos ingens certamen, cui se immiscere vir undecumque doctissimus Joannes Lanoyus amicus noster cognovit esse periculosum.

*Vrgetur Sicula proditio.*

Joannes Procyda conspirationem Siculam urget, & triginta millia unciarum auri ad Petrum Arragonium defert nomine Imperatoris Palæologi. Martinus Carolo Vicariatum reddit; quo facto magis accensus est Petrus, magis timuit Palæologus; sed longè magis cùm se excommunicatum à Pontifice ob occupatum Imperium audiit, & Carolum in se terrâ marique exercitus immittere. Turbavit aliquid immissus in Italiam à Rodolpho Romanorum rege Vicarius, qui sacramentum ejus nomine exigeret: sed à plerisque repulsus, à paucis susceptus, re infectâ redire compulsus est. Interim tradunt Græci, copias terrestres & novales Caroli, dum Græciam adoriuntur, dissipatas esse; de quibus cum Latini scriptores taceant, finamus Græcos in sinu suo de confictis, aut confectis à se victoriis gloriari.

MUNDI 5335. CHRISTI. 1282.

*Vespera Sicula.*

Contigit hoc anno Sicula Gallorum cædes, quam piscis monstrum planctus edens prænunciasse videbatur. Peracta est die sacro Paschæ 4. Kal. April. signo per campanas Vesperarum tempore dato; (quare & *Vespera Sicula* dictæ) quando Franci inermes promiscuè cæsi sunt à Siculis, in partem quoque cædis venientibus monachis. Octo millia Gallorum intra duas horas cæsi perhibentur, exenteratæ etiam Siculæ mulieres quæ de Francis conceperant, ne quid Francici seminis superesset: nunquam fœdiùs & impunè magis in gentem nostram sævitum.

*Ca... cili... dit...*

Statim ac cædem hanc audivere Carolus & Petrus Arragonius, illa auxilia ex Galliis à nepote & filio accersiit, hic paratam classem quasi ad invadendos Africæ Saracenos, quorum & Hipponensem vastabat oram, immisit in Siciliam, ibi jam Gallorum cæde oppigneratam; atque effecit artibus suis operâ maximè dolosi Procidæ, ut Carolus, cujus in potestate adhuc erat Messana, vanâ provocatione & litteris inanibus delusus totam insulam relinquere compelleretur.

*Pe... Ar... ni... di... lu... sin... cei...*

Enimverò Petrus Arragonius videns se imparem Carolo, & sibi longiùs esse petenda auxilia, rem agere dolo parat, & provocat ad singulare certamen æmulum, eâ lege ut victoris præmium esset Sicilia, infamia pugnam detrectantis: sed pluris faciebat Petrus Siciliam, quàm honorem suum, quem totum pro unicâ urbe vendidisset: generosior Carolus, ut eam provocationem defugeret. Assignatus ergo certamini locus Burdegala, in qua centeni equites centenis commissi totam dirimerent litem: eam pugnam vehementer improbavit Martinus, impedire non potuit, cùm eam unius fortitudo, alterius fraus exigeret.

*Sa... Al... sus... tre... dep...*

In Castella Alphonsum patrem filius Sanctius expulit regno, quem contra jus sibi successorem destinarat, rejectis nepotibus suis, hæredibus legitimis. Exceptus est miser ab Hispalensibus, qui pænè soli in ejus fide permansere; ipse postulare pecuniam, & auxilium compulsus est à rege Marochi, & Mauro, qui generosior extitit Christianis, & juvit hostem suum, ut factam humano generi contumeliam ulcisceretur. His gestis pater in filium sententiam tulit, atrocem quidem, sed ejus sceleribus dignam, qui nihilominus

ominus apud suos *Fortis* audiit, qui *Impius* cognominandus esset. Et verò quis esset postea ostendit, junctus Granatensibus Mauris, quibus erat scelere ac moribus simillimus.

Bellum inter Pisanos atque Genuenses renovatum: illi victi eodem ferè loco, quo Præsules ad Concilium euntes ceperant; hi victores ad sua rediere sine pompâ, eamque orationibus tantùm ac supplicationibus publicis celebrarunt; sicque de Impiis Pii religiosè ac sanctè triumpharunt.

MUNDI 5336. CHRISTI 1283.

Mortuus est hoc anno Michaël Palæologus Imperator dum pugnat in Joannem Sebastocratorem prope Lysimachiam ad vicum Parhomium, sicut oraculo pronunciatum erat. Successit ei filius Andronicus, annos natus 22. exorsus Imperium ab impietate, videlicet rescissis omnibus quæ facta erant in Concilio Lugdunensi, & patre propemodum sepulturâ privato. Ad hæc persecutionem adversus Catholicos inchoavit: quare Joannes Beccus sponte dignitate cessit, mox in teterrimum exilium deportatus: eam autem resumpsit Josephus morbo, senio, ac criminibus gravis. Eo mortuo electus est Gregorius Cyprius, cui etiam Schismatici multùm exhibuere negotii, quòd inter Latinos adolevisset; tantâ apud eos Latinum nomen, & amor flagrabant invidiâ.

Circa hoc tempus Brocardus Dominicanus lustravit Palæstinam, & conscripsit Hodæporicon; atque hoc anno in monte Gelboë probè pluviis elutus, ac madidus agnovit maledictionem olim à Davide pronunciatam, ad hæc tempora nequaquam pervenisse.

Celebris est hic annus meditato certamine Petri Arragonii, & Caroli Siculi: quando Carolus cum centum equitibus suis à mane ad Vesperam adversarium suum opperuit: quo recedente, & jam concubiâ nocte, Petrus coram urbis Prætore adstitit, cui & sua arma tradidit, atque incitatissimis equis fugit in Arragoniam; dum ejus uxor Siciliam ordinabat, atque confirmabat. Sic dolus virtuti prævaluit, perdidit Siciliam Carolus fortitudine, eâ potitus Petrus minùs famæ suæ, quam insulæ sollicitus, & ex malo bellatore factus bonus vitiligator.

Furebat interim in Alphonsum patrem Sanctius filius: ille fretus Saracenis, & Pontifice, repugnabat: gemebat Hispania in Castellâ & Arragoniâ, gemino perculsa anathemate, quòd filius in patrem, perfidiosius in generosum depugnaret; eò miserior quod nacta esset Principes in suis criminibus fortunatos.

MUNDI 5337. CHRISTI. 1284.

Mortuus est hoc anno Hugo Lusinianus Rex Cypri, & Hierosolymorum: cui successit filius Joannes, & huic post annum defuncto Henricus frater, quo tempore res Christianorum in Syriâ vergebant ad exitium. Tum enim Hospitalarii Margatum, ductis per fossores undecumque accitos cuniculis, perdiderunt, oppidum munitissimum, & bonis omnibus circumfluens, ex quo indicato periculo Equites discesserunt. Aliunde tenebatur Ptolemais à Rege, Legato Pontificio, Patriarchâ Hierosolymitano, Præfectis Regum Franciæ, Angliæ, Siciliæ, Principe Antiocheno, Comite Tripolitano, Hospitalariis, Templariis, Teutonicis, Venetis, Genuensibus, Florentinis, Pisanis, Armenis, Tartaris, quorum singuli sua habebant jura, immo & regiones suas; unde discordiæ plerumque enatæ, armis dirimebantur, & scelera dimittebantur impunita, dum rei ab unâ in alteram regionem demigrarent. Quid mirum igitur si tot propugnatores tam discordes venerint in manus Saracenorum, qui concordes, & animis armisque conjunctissimi, in eorum perniciem incumbebant.

*Ptolomaidis urbis deploratus status.*

Obiit hoc anno Alphonsus Castellæ Rex, annos natus 63. Hispali, condito testamento, quo hæredes instituit suos, ac sibi invicem Alphonsum, & Ferdinandum nepotes suos, & his ἀντίχθονι Philippum Franciæ Regem, ex matre legitimum & verum hæredem. Huic nihilominùs successit exhæredatus Sanctius, cognomento *Fortis*, meliùs *Ferox*; qui regnum scelere partum, scelere conservavit, dictâ hærede priùs filiâ suâ nothâ, deinde filio suo Ferdinando, Proceribus huic resistere aut nolentibus, aut non audentibus, propter Tyranni potentiam, & spoliatorum imbecillitatem.

*Alphonso succedit Sanctius exhæredatus.*

Hoc anno Rogerius Lauria, Arragonicæ classis præfectis, natione Calaber, relictis Francis, Hispano junctus est, quòd huic antepositus esset Henrichinius Genuensis; atque industriâ suâ rem Francicam in regno Neapolitano prorsus evertit. Cùm enim intercepisset litteras Caroli Siciliæ Regis, quibus significabat adventum suum, vetabatque Carolum Claudum filium suum pugnare; eum probris, subsannationibus, jactis etiam sagittis in urbem Neapolin, ad certamen evocavit, vicit, & cepit prid. Non. Junii. Tertio pòst die cum suis copiis Carolus adfuit, Lauriam utique profligaturus aut expulsurus, si filio suo mens non fuisset læva. Et verò hic temeritatis suæ, & contumaciæ graves pœnas dependit; statim enim à Siculis damnatus est capitis, ut Conradini manibus, ejus sanguine suppliciòque litaretur. Sed Constantia Petri uxor eum morte subduxit, ac misit ad virum suum in Catalauniam, maluitque conjugis sui rebus, quàm Siculorum odio & furori velificari.

*Rogerius Lauria rem Francicam evertit in regno Neapolitano.*

Philippus cognomento *Pulcher*, sive *Bellus* filius Philippi Francorum Regis annos 15. natus uxorem duxit Joannam Navarræ Reginam, annorum tredecim, pari Francorum gaudio, & indignatione Hispanorum.

*Philippus Bellus ducit uxorem Ioannam Navarram.*

MUNDI 5338. CHRISTI 1285.

Mortuus est hoc anno Carolus Siciliæ Rex 7. Idus Januarii, ætatis anno 66. regni Siculi 20. Hierosolymitani 8. rectè *Magnus* à suis appellatus, seu bellandi artem spectes, sive pietatem; quem sub vitæ finem calamitates effecere majorem, atque puriorem. Margarita ejus uxor Comes

*Carolus Siculus moritur, succedit ei Carolus Claudus.*

mes Tronodori *de Tonerre* in domo hoſpitalis, à ſe conditâ, pietatis operibus reliquam vitam impendit in Burgundiâ. Succeſſit patri Carolus Claudus, Princeps Salernitanus captivus; miſſuſque à Pontifice Legatus, Ballivi nomine, à Franciæ Rege, cum pecuniis. Robertus Comes Atrebatenſis, qui unâ cum Margaritâ Hungaricâ Claudi uxore regnum adminiſtrarent, ejuſque ad Arragonium inclinationem, quocumque poſſent modo prohiberent.

*Martino IV. ſuccedit Honorius IV.*

Obiit eodem quoque anno Martinus IV. 8. Kal. April. in die feſto Paſchæ, & B. Virginis Annunciatæ, cùm ſediſſet annos 4. menſem unum, dies 7. à morte miraculis claruit, Peruſii ſepultus, ubi hactenus uti ſanctus colitur Poſt dies 4. ibidem electus eſt Jacobus Sabelius, coronatus apud S. Petrum 17. Kal. Maji dictus Honorius IV. cui frater fuit Pandulfus æquiſſimus judex, & malorum terror, dum ille bonorum decus, atque præſidium vocaretur.

*Petrus Arragonius victus à Francis.*

Petrum Arragonium de auxiliis à Rodolpho paſſum repulſam aggrediuntur Franci; à quibus dum ille ſibi metueret, fallendi quàm pugnandi peritior, bellum dolo gerebat, & inſidiis; in quibus tamen Gallorum fortitudine pænè cæſus, ac interceptus eſt. Cùm enim collocaſſet in aptiſſimo ad fraudem loco quingentos equites, & peditum duo millia, Rodolphus de Nellâ Comes Stabuli, & Joannes Haricurius cum trecentis tantùm equitibus ſelectiſſimis huic occurrerunt, ne multitudine territus ille diffugeret. Pugnatum utrimque acriter, victi, cæſique Arragonii. Petrus tantùm non captus eſt, Gerunda hujus victoriæ præmium fuit. Hæc tamen clades mox à Roberto Lauria vindicata eſt, à quo Gallorum claſſis, ab his improvidè imminuta, atque combuſta, ut itinere terreſtri copiæ reportarentur, devicta eſt, capto etiam ejus Præfecto. Quibus auditis Philippus Rex, quamvis æger, ſe Ruſcinonem ſeu Perpinianum deportandum curavit, ubi ex agitatione aucto morbo expiravit prid. Non. Octobr. ætatis anno 40. regni 15. hæres regni paterni, atque ſanctitatis. Succeſſit ei ſtatim jam ab uxore, Navarræ Rex Philippus Pulcher, omnium ſui temporis mortalium formoſiſſimus, & decentiſſimâ totius corporis ſpecie, atque palæſtrâ, altero majorique regno digniſſimus.

*Moritur Philippus III. ſuccedit ei filius Philippus IV ſeu Bellus.*

*Margaritæ S. Ludovici uxoris obitus.*

Mortua eſt & Margarita, relictâ S. Ludovici, in monaſterio Clariſſarum S. Marcelli in ſuburbio Pariſienſi, pauperum mater; quibus in noſocomio legavit ſupellectilem omnem ſuam, & animo conjuncta, poſt obitum marito ſuo, ut in vitâ corpore fuerat.

*Petrus Rex Arragonius moritur.*

Interiit & hoc anno Petrus Rex Arragonum dum in fratrem ſuum Jacobum Balearidum Regem, qui Francis faverat, bellum parat, ex vulnere, uti creditum eſt, in inſidiis recepto. Abſolutus eſt moriens ab Anathemate per Archiepiſcopum Tarraconenſem: verùm relinquens filio ſuo Anathematis cauſam, dubiam quoque ſalutem ſuam reliquit.

*Philippi Sabaudici obitus.*

Huic etiam morte junctus eſt, ſed ſanctiori, Philippus Sabaudiæ VII. Comes; qui paulò antequàm obiret, præconis voce ſignificari juſſit, ut ſi cui nocuiſſet, aut non feciſſet ſatis, ad eum ſecurus accederet, cum ſuo Principe diſceptaturus. Diſtribuit & ſupellectilem ſuam pauperibus, & monaſterium Altacumbæ, ubi ſepultus eſt, exornavit; vivens bonus; moriens melior.

Wenceslaüs hoc anno in Bohæmiâ regnare cœpit, multis perfunctus malis antequam ſecurè regnaret; & aſſumptâ Juthâ, ſeu Judithâ Rodolphi Cæſaris filiâ uxore, Electoribus adnumeratus eſt, vir piiſſimus, & Monacho quàm Regi ſimilior.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5339. | 1286. |

Henrico Rex Cypri, hoc anno Hieroſolymorum, pulſo præſidio Siciliæ Regis, coronatus eſt Ptolemaide; quare Robertus Atrebatenſis bona Templariorum, & Hoſpitalariorum occupavit; qui innocentes fratrum ſuorum luêre crimen, ut non ſibi tantùm, ſed & ſuis providere diſcerent.

Honorius IV. filium Petri Arragonis excommunicat, Rodolphum ad Imperii coronam invitat; at ille pecuniæ, quàm honoris cupidior libertatem Italiæ civitatibus vendit, ſicque Imperii jura dilapidat. Ladislaus autem Hungariæ Rex, pagano quàm Chriſtiano ſimilior, ob improbos mores Anathemate percellitur: Philippus autem Rhemis ſacro delibutus oleo, non tantùm *Pulcher* ex corpore, ſed ex animo *Magnus* eſt nuncupatus.

Florebat hoc tempore Ægidius Romanus Eremita Auguſtinianus, S. Thomæ diſcipulus, nec inferior magiſtro, charus Philippo Pulchro, & factus Archiepiſcopus Bituricenſis, dictus *Fundamentarius*, ſive *Fundatiſſimus Doctor*, aliter *Prora*, *& Puppis Theologorum*; & tot acceptis nominibus, & tantâ dignitate major.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5340. | 1287. |

Contigit hoc anno crudelis Tartarorum in Poloniam irruptio, quâ unum & viginti millia virginum ad libidinem abductæ ſunt, reliquis trucidatis, Leſco Principe cum uxore, & regni proceribus, in Hungariam diffugiente. Nihilominus hic aliquot monaſteria fœminarum divinitus ſervata ſunt, Deo pro ſacris Virginibus fulmine, imbribus, grandine adverſus impios depugnante. Receſſere tandem in Ruſſiam ſibi ſociam iſti prædones, ubi aquas infecere veneno, non hoſtibus tantùm, ſed ſociis crudeliter pernicioſi.

Mortuus eſt hoc anno Romæ Honorius IV. cùm ſediſſet duobus annis; cui ſucceſſorem quominus Cardinales darent, morbi impediere, valetudinis ſuæ, quàm Eccleſiæ ſollicitiores.

Hoc anno iterum victa à Rogerio Lauriâ claſſis Francica, deſerta flagitioſè à præfecto ſuo Genuenſi Henriquino, viro peritiore belli maritimi, quam fortiore. Capti multi proceres, atque nobiles, pretio redempti dimiſſique, præter Guidonem Simonis Monfortii nepotem, qui obiit in carcere Siculo, & maluit mori, quàm indulgere illi-

illicitæ veneri, quæ morbo ejus unicum remedium judicabatur à medicis; martyr illustris castimoniæ, & virtutis.

MUNDI 5341. CHRISTI. 1288.

In locum Honorii IV. suffectus est F. Hieronymus Asculanus Minorita Cardinalis Prænestinus, cùm sedes vacasset mensibus x. diebus 18. primus ex Ordine S. Francisci Pontifex, dictus Nicolaus IV. quo curante, Carolus Claudus durissimis conditionibus dimissus est liber. Quæ autem congeruntur hîc miracula de Mariâ Magdalenâ, ei vincula eximente, & aperiente ipsi carcerem, somnia sunt aut figmenta bonorum monachorum, qui credi volunt quæ ipsi aut putarunt ineptè, aut subdolè confinxerunt.

Fœdus inter Philippum Franciæ, & Sanctium Castellæ initum est; regnum Murciæ traditum Alphonso Cerdæ, substituto ei Ferdinando: quod ut faceret, impulit in eum conjuratio, ob Lupum Harum, à quo in regnum provectus erat, ex invidiâ interfectum. Quare Alphonsus Arragonius, qui Cerdæ fratres habebat in vinculis, eos exsolvit; Alphonsus autem Cerda à proceribus quibusdam Castellæ Rex salutatus est; sicque hâc coactâ liberalitate, & facilitate, conatus est Arragonius imminentem capiti suo calamitatem, in hostem suum sapienter refundere.

MUNDI 5342. CHRISTI. 1289.

Elpis seu Elsi, qui & Melec-Meser, Soldanus Ægypti & Babyloniæ, Tripolin obsidens, dum abire simulat, improvisâ irruptione cepit, ac diruit, cæsis 7. millibus Christianorum: quæ tum venerant à Pontifice copiæ, uti tardiores inutiles fuerunt; & iis plus Christianis, quàm Saracenis potentiam suam ostentavit Nicolaus.

Carolus Claudus coronatur Siciliæ Rex, & Apuliæ, Reate 3. Kal. Julias die Pentecostes, irritatis omnibus quæ cum Arragonio coactus pepigerat. Jacobus ex Siciliâ progressus, Catanzanum Calabriæ ut à Carolo deficeret impulit, & hanc urbem præsidio firmavit; quod tamen statim obsedit Comes Atrebatensis. Eum dum aggreditur Lauria cum Jacobo, turpissimè victus agnovit, quantùm certamine terrestri Francus prævaleret. Pactæ induciæ biennales inter Carolum & Jacobum, restituto Catanzano; Carolus ut bonus pater-familias regnum ordinare cepit prudentissimè, ideo *Cunctator* dictus, expertus damno suo quantùm sibi Francicus ardor obfuisset.

MUNDI 5343. CHRISTI. 1290.

Constantinus Porphyrogenetus, minor frater Andronici Imperatoris, vultu ac moribus elegantissimus, ideoque acceptissimus patri, cui & Thessaliæ parabat regnum, nisi morte præventus esset, à fratre hoc anno ex calumniâ missus est in carcerem, cum amico suo & fautore Michaële Strategopolo. Quare destitutum his duobus magnis ducibus Imperium, à Turcis labefactatum est, quorum impetus illi fortitudine suâ represserant, & quantùm sibi profuissent, Græci his orbati seriùs intellexere.

*Bulletarum monasterium.*

Contigit hoc anno miraculum Lutetiæ, quod Bulletarum monasterio, *des Billetes*, dedit initium, sic dicto ab aquâ Bulliente, in quam Judæus sacrosanctam hostiam à mulierculâ emptam, percussamque cultello, ac sanguinolentam immiserat. Tum Judæi hujus domus in templum conversa est, ubi adhuc omnia miraculi hujus instrumenta servantur, in opprobrium Judæorum, & Sacramentariorum.

---

## CAP. X.

## *Decas Ultima.*

### *Ab anno Christi* 1290. *ad* 1300.

MUNDI 5344. CHRISTI. 1291.

*Ptolemais obsessa, & capta.*

Hoc anno Acon seu Acra, aliter Ptolemaïs, non jam Christianorum, sed grassatorum, atque scèleratorum receptaculum, obsessa est, ob violatos mercatores Saracenos, à Sultano Melec-Messer sexaginta equitum, peditum centum sexaginta millibus, Nonis April. In hâc urbe numerabantur armatorum supra triginta millia, incolarum plus quadragies millibus. Is omnibus præfectus erat Petrus vel Guillelmus Beliusius Templariorum magister, vir fortissimus, & cujus virtute urbs fortiter defensa est: verùm eo cæso, multisque in Cyprum dilapsis, urbs tandem generali impressione à Saracenis occupata est, direpta, æquata solo Kal. Augusti. Fugit Henricus Rex Cypri, cum multis; plurimi dum fugere conantur, depressis lintribus, hausti sunt mari: abducti captivorum 60. millia. Moniales Clarissæ omnes sibi præscidêre nasum novaculis, sicque deformatæ à Barbaris jugulatæ sunt. His auditis Sidone, Beryti, & Tyri, Christiani naves conscendêre, penitùs est amissa Syria, cùm centum nonaginta duobus annis fuisset in potestate Europæorum, & sic in ea [illegible] essent Christiani, ut maluerit Deus eam ab inimicis [illegible]minibus turpissimis incoli, quàm à viris sibi addic[illegible], atque consecratis prophanari.

*Syria Christianis perit.*

*Templ[illegible] & Hospitalarii discordes.*

Nicolaus IV. Ordines Templariorum & Hospitalariorum dissidentes in unum redigere conatus est; cui negotio perficiendo multùm laboravit Raymundus Lullus; sed difficiliùs erat hanc perficere concordiam, quàm sperare.

Cùm bellum maximum inter Francos & Arragonios pararetur, pax minùs expectata, satis honestis utrimque conditionibus inita est, quarum tamen nullam hi servavere, seu ex gentis indole, seu obsistentibus Siculis, seu Alphonsi morte; qui natus annos 27. obiit 14. Kal. Julii Barcinone, ubi Eleonoram Regis Angliæ filiam expectabat uxorem, & in veste Minoritarum sepultus; habitu & veste, quàm vitâ & moribus melior.

*Alphonso Arragoni succedit frater Iacobus.*

Successit ei Jacobus frater Siciliæ Rex, fratre suo Friderico insulæ relicto Prorege; unde tamen enatæ graves discordiæ, tam Hispanis ingratæ, quàm Francis salutares.

Obiit

*Rodolphus Rex Romanorum moritur.* Obiit hoc anno Rodolphus Romanorum Rex in oppido *Gemersheim* ad Spiram, ſenio ac laboribus fractus, prid. Kal. Octob. cùm vixiſſet annis 7?. regnaſſet duodeviginti, de totâ Germaniâ, ſed longè magis de familiâ ſuâ benè meritus; & qui hanc eò provexit, unde facilè dejici nequeat.

*Nicolaus de Lyra & Gloſſa.* Hoc anno factus eſt Minorita Nicolaus de Lyra, ſeu Lyranus, ſic dictus à pago *Lyre*, diœceſis Ebroicenſis, olim Judæus, qui obiit 1349. ediditque *poſtilla in Gloſſam Ordinariam* Walafridi Strabonis Fuldenſis ſcriptam circa annum 8?0. & *interlinearem* Anſelmi Laudunenſis Scholaſtici Monachi Benedictini emiſſam 1110. ad cujus poſtilla adjunxit *Additiones* anno 14?0. Paulus à S. Mariâ Burgenſis Epiſcopus, quibus denique anno 1440. *Replicas* objecit Matthæus Tornigus, ſeu *Dornich* acerrimus Saxo Franciſcanus; quæ ſimul hoc loco congerenda fuerunt, ut de Gloſſis in Sacram Scripturam ſemel diceretur; quas ſæpe quidam citant, ſæpe confundunt, ut pote jam in unum corpus, & multa volumina conjectas.

*Nazarethana B. Virginis Domus, in Illyricum transfertur.* Hoc anno piè creditur B. Virginis Nazarethana domus ex Palæſtinâ in collem inter Terſactam & Flumen, oppida Dalmatiæ, eſſe translata Angelorum manibus, Quod mirum eſt à nullo ævi hujus ſcriptore commemoratum; & citantur dumtaxat Acta quædam Illyriorum, quæ certam apud omnes fidem non faciant: addunt etiam quidam Hodæporicon pii viri, qui eam ſe poſtea vidiſſe aſſerit apud Henricum Caniſium, & Syrorum Epiſtolam, quâ queruntur poſtea locorum deſolationem circa ſanctam hanc domum in Palæſtinâ: denique etiamnum hodie peregrinis in Syriâ ſaltem pars domus hujus oſtenditur, ut multi teſtantur. Unde enata eſt inter eruditos controverſia; quam non eſt hujus laboris noſtri, multis de cauſis, dirimere.

MUNDI 5345. CHRISTI. 1292.

*Adolphus Naſſovius ſuccedit Rodolpho.* Electus eſt in locum Rodol[illegible] Romanorum Rex Adolphus Naſſ[illegible] Comes, operâ Gerardi Mog[illegible] [illegible]culis conſanguinei ſui; quam dignitate[illegible] rerunt Wenceslaum Bohæmiæ Regem [illegible]atam ſibi repudiaſſe; ſapienter minori, ſed certiori ditione contentum.

*S Kunegundis & S. Alberti Carm. obitus. Moritur Nicolaus IV.* Hoc anno, quo è vivis abiere S. Kunegundis in Poloniâ 9. Kal. Auguſt. S. Albertus Carmelita Siculus 7. Idus, miraculis ambo illuſtres, mortuus eſt Nicolaus IV. prid. Non. April. Romæ, cùm ſediſſet annos 4. menſem unum, dies 14. de cujus ſtudio in Minoritis ſuis ad Pontificatum promovendis quædam ſcripta ſunt, quæ non eſt opus commemorare, refutare multò minùs. Poſt hujus obitum certè diutiùs vacavit Sedes, quàm Chriſtiana Reſpublica, tum ſatis turbata, flagitabat.

*Joannes de Varagine.* Creatus eſt hoc anno Archiepiſcopus Genuenſis Joannes *de Varagine* (ab oppido maritimo Liguriæ ſic dictus eſt) vulgò *de Voragine*, ob crebra nimis S. Scripturæ in ſuis operibus teſtimonia, aſſumptus ex Ordine S. Dominici; qui primus ſacram Scripturam Italico ſermone loquentem induxit. Edidit & Chronicon Genuenſe, & Legendam Auream, vulgò Speculum Sanctorum; in quibus tamen aliqua non ſatis concocta reperiuntur.

MUNDI 5346. CHRISTI. 1293.

Bellum grave ex leviſſimâ causâ, & propter homunciones duos Normannum & Anglum, inter duos Reges exarſit: hoc primùm excurſionibus terrâ marique geſtum, deinde aperto marte; quam ob cauſam damnatus eſt à Franciæ Paribus Eduardus, mulctatuſque Aquitaniâ. Quare Robertus de Nellâ Stabuli Francici Comes anno ſequenti Burdegalam occupavit. Scriptores utrumque Principem damnant, Anglum contumaciæ, Francum cupiditatis; ſed ambo excuſantur à ſuis: quibus vindicibus nunquam Principes, quantumvis nocentes, indigebunt.

Novum fœdus initum eſt inter Jacobum, & Carolum; hic Peruſium venit, ut diſſidentes inter ſe de eligendo Pontifice Cardinales conciliaret; verùm dum eos urget acriùs, disjunxit magis, animis nondum ſatis ad concordiam paratis.

Obiit hoc anno 3. Kal. Jul. Henricus Gandavenſis, Archidiaconus Tornacenſis, qui Pariſiis tantâ doctrinæ laude floruit, ut *Doctor ſolemnis* vocaretur; magnum certè lumen, ac decus Academiæ Pariſienſis.

MUNDI 5347. CHRISTI 1294.

Hoc anno, quo turbata eſt Armenia, fratribus inter ſe regni causâ pietatis & religionis jura violantibus, Caſſanus Tartarorum Rex mirabiliter in caſtra Chriſti tranſiit. Cùm enim filiam Regis Armeniæ duxiſſet uxorem, & ex eâ natus eſſet deformiſſimus filius, eam cum prole Rex adjudicavit neci; cumque hunc priùs baptizari Regina impetraſſet, ſtatim atque ſacris intinctus eſt aquis, pulcherrimus evaſit, quare pater factus Chriſtianus, & acerrimus hoſtis Mahumetanorum.

Electus eſt hoc anno Romanus Pontifex 3. Non. Jul. Petrus de Murrhone, ſic dictus quia montem 2. millibus paſſuum diſtantem à Sulmone Eremitâ incoluiſſet. Is patriâ Eſernienſis fuit, & conditor Congregationis S. Damiani, quæ poſtea Ordo Cæleſtinorum ab eo dicta eſt. Is vitæ ſanctitate illuſtris, ſelectus omnium conſenſu, dum fugam arripere cogitat, à populo detentus ornamenta Pontificalia propè per vim recepit 4. Kal. Septemb. in urbe Aprutii Aquila, dictuſque Cæleſtinus V. vir verè pius & humilis, qui nunquam equo vehi voluit, ſed equitavit in Aſino ad exemplum Chriſti, quem repræſentabat in terris. Sed is ſtatim ſe minùs aptum ad hanc dignitatem agnovit. Eum ergo jam paratum ad illam deponendam etiam impulit Benedictus Cardinalis Cajetanus, huic moribus diſſimillimus, vir ſagax, & rerum gerendarum gnarus, & quem interrogabat ſæpe Pontifex poſt obitum Cardinalis Latini, quo familiariter utebatur, & quaſi pædagogo. Quæ autem ſparſa ſunt de vocibus per tubum Papam deterrentibus, adeo inconcinnè ficta ſunt, ut ab omnibus peritis irrideantur.

Tan-

Tandem, nequicquam Carolo, & universo Populo reclamante, Idib. Decemb. Pontificatus sui mense 5. cum diebus 8. exuit Pontificis ornamenta, editoque publico instrumento, fecit quod omnis ætas mirabitur, nulla imitabitur, etiam miraculo firmatum, cùm sequenti die Cœlestinus sanaverit claudum. Potestate igitur Cardinalibus factâ 9. Kal. Januar. ei substitutus est Benedictus Cardinalis Cajetanus; dictus Bonifacius VIII. cùm VI. appellandus esset, ob duos illegitimos intrusos; vir dignissimus Pontificatu, nisi sordidior, & durior, ac nummorum atque sententiæ suæ retinentior extitisset.

Hoc anno Domus B. Virginis Nazarethanæ ex Illirico in agrum Recinetensem translata fertur 4. Id. Decemb. in Sylvam, quæ erat divitis viduæ Lauretæ, & paucis pòst mensibus in locum tutiorem translata (ob grassatores peregrinos insultantes) & in agrum duorum fratrum: inter quos tamen cùm esset exorta de donariis controversia, divinitus transiit in hunc locum ubi hodie visitur, & colitur magno peregrinorum concursu. Plerique in eâ pietatem se singularem sentire ajunt, quam tamen Cardinalis sanctissimus Baronius, eique comes P. Jacobus Sirmondus Societatis Jesu non sunt experti. Verùm tum observavit Cardinalis, eam esse confectam ex iisdem lapidibus, quibus regionis hujus cæteræ domus conflatæ sunt. Quæ tamen, aliaque ab eruditis objici solita, minuere sancti hujus loci religionem non debent: & in hâc causâ multorum pietas, paucorum doctrinæ, ac criticæ cedere debet.

Eduardus impar Philippo auxilia undecumque quærit: Adolphum ingenti pecuniâ in suas partes trahit; qui petens à Philippo Pulchro Arelatense regnum, & ab eo irrisus, maluit Thuringiam & Misnia emptas Anglicanâ pecuniâ invadere, quàm Franciam. Philippus quoque Flander abalienatus est à Philippo; verùm mox huic pœnas dedit, quas subire solent qui adversus dominos suos potentiores rebellarunt; neque sibi neque Anglo utilis.

Enituit hoc anno Alphonsi Petesii Gusmani virtus in urbis Tariffæ sibi concreditæ propugnatione: filium enim suum ab obsidentibus captum vidit ab hostibus jugulari, quibus etiam gladium suum ad id operis projecerat; & immutato vultu ad mensam, unde evocatus erat, & ad uxorem rediit. Quæ constantia plùs Mauros retudit, quàm urbis situs firmitasque murorum.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5348. | 1295. |

Bonifacii legitimum Pontificatum cùm nonnulli revocarent in dubium: ne quis Petri Murrhonis simplicitate abuteretur, hunc latitantem perquiri jussit, & inventum in Castello Hernicorum munitissimo custodiri. Tum ei vir sanctus prænunciasse dicitur, moriturum ut canem, qui ascendisset ut vulpes, ut Leo regnaret. In hoc carcere ex gravitate aëris, & loci situ, contracto apostemate obiit Cælestinus (quidam suadente Pontificis nepote clavâ mactatum volunt) 14. Kal. Junii, ætatis anno 81. vel 87. à Clemente V. inter Sanctos relatus sub nomine S. Petri Confessoris, ne coleretur ut Martyr, cum magnâ sui successoris ignominiâ. Quæ quidem mors viro sanctissimo gloriosa, huic multæ patientiæ, autori multarum calumniarum uberrima seges extitit.

Mortuus est hoc anno Sanctius Castellæ Rex, relicto successore Ferdinando IV. sexcenni. Tum quoque initum est fœdus inter Francos & Arragonios, cujus sequester fuit Bonifacius, multisque reddita libertas, inter reliquos S. Ludovico, qui tum emisit votum subeundi Ordinis S. Francisci. Nec minor virtus Andreæ Anagnini Minoritæ, cui tum purpuram uri consanguineo Bonifacius offerebat: ideò in vita & post obitum miraculis claruit, magnum spretæ humanæ felicitatis exemplar.

*Sanctius Rex moritur, ei succedit Ferdin. IV. S. Ludov. Francis-nus, & Andreas Anagninus.*

Denique obiit hoc anno Otho Vice comes Archiepiscopus Mediolanensis, qui in familiâ suâ Principatum urbis hujus reliquit, Matthæo nepote non tantùm creato Duce, sed & ab Adolpho Romanorum Rege confirmato, in præmium diuturnæ patientiæ, atque urbis sapienter inter varios gravesque tumultus administratæ.

*Otho Vicecomes Archiep. Mediol.*

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5349. | 1296. |

Bonifacius Siculos modis omnibus ad sanam mentem reducere conatur, atque ut id perficiat per Jacobum Arragonem, eum vexilliferum Ecclesiæ creat. Verùm cùm hic redditus esset suspectus Pontifici, hic evocat Carolum Valesium, quem Imperatorem constituere cogitat, ac Siculis opponere. Id autem ut præstaret commodiùs, imperat inducias Regibus Franciæ & Angliæ: reclamat Philippus, atque in his superiorem habere se Pontificem negat, paratus alioqui de more se huic in spiritualibus obsequi: Sed dum uterque agit ardentiùs, nec ille se patrem, nec hic se filium satis exhibuit.

*Initium discordiæ inter Bonifacium & Philippum.*

Bene usus induciis Francicis Eduardus Angliæ Rex, Scotiam subigit, etiam Joanne captivo abducto, atque exportato lapide in quo Scotiæ Rex inaugurabatur. Huic autem pecuniæ indigo sufficere quidquam denegavit Clerus, Bonifacii prætexens Constitutionem, ex lib. VI. Decretalium, hoc tempore valdè necessariam, quo Principes à rebus sacris non facilè temperabant manus.

*Scoti victi ab Eduard.*

Facti sunt hoc anno Minoritæ Guido Monfeltrii Comes, hostis olim Pontificum acerbissimus, & Ludovicus Caroli Claudi filius, electus à Bonifacio Episcopus Tholosanus anno ætatis 20. Tum autem jus suum in Siciliæ regnum transtulit in fratrem Robertum; cùm ejus primogenitus jam Rex esset Hungariæ, neque duo regna adeò disjuncta possent sine periculo ab uno Principe administrari.

*Facti Minoritæ Guido Monfeltrius, & Ludovicus Caroli Calvi filius.*

Prodiit hoc anno Bonifacii in Columnenses Gebellinos odium, quos à quoquam recipi non est passus, cui non denunciaret inimicitias: projectus etiam, parum piè, in Episcopi Genuensis faciem cineribus, in principio Quadragesimæ, qui eos hospitio suscepisse credebatur.

*Bonifacii ovium in Columnenses.*

MUNDI

MUNDI 5350. CHRISTI. 1297.

*Columnenses in Franciam confugiunt.* Bonifacius in Columnenses Crucem prædicari jubet; hi primùm se generosè defendunt in munitione Prænestinâ; sed tandem fugere compelluntur in Galliam, ubi perhumaniter excepti à Philippo. Redemptus quoque Sarra seu Sciara, frater Cardinalis, multa passus est ne Pontifici venderetur, qui mox huic rependit vicem cum fœnore, quamquam impiè atque irreligiosè.

*S. Ludovici Reg. Apotheosis.* Bonifacius S. Ludovicum Regem Francorum inter Sanctos retulit 3. Idus August. apud Urbem-veterem, habuitque orationes, & laudante, & laudato dignissimas.

*Robertus Siciliæ Rex.* Robertus Siciliæ Rex Jolantem Jacobi Arragonii ex Constantiâ filiam ducit uxorem: huic quoque reconciliati sunt Joannes Procida, autor Sicularum Vesperarum, & Rogerius Lauria Archithalassus, qui mox arma in Fridericum expedierunt; quare hic Jacobum Lauriam capite mulctari jussit. Constantia obiit pientissimè Barcinone, si non animo, saltem corpore Monialis S. Francisci, in cujus veste sepulta est.

*Fratricelli hæretici.* Sed funestarunt hunc annum, atque hæc tempora hæretici Fratricelli, seu Bizochi, authore Hermanno quodam Pongilupo Ferrariensi, fœdum hominum genus exortum ex Fratribus de Paupere vitâ sive Beguinis, sensim in omnem turpitudinem effusis. His affines fuerunt Pseudo-Apostoli; quorum parens Segarellus Parmensis vivus exustus, sociorum audaciam nonnihil repressit.

*Flandriam Philippus invadit.* Eduardus in Flandriam trajicere parabat auxiliaturus Guidoni Comiti, quem auctum licèt Adolphi copiis Philippus ad Furnas per Robertum Attrebatensem evocatum ex Aquitaniâ profligarat: verùm veritus suorum rebellionem, & territus Adolphi casu, qui depositus fuerat, in ejus locum Alberto Austriæ duce suffecto, timuit ne dum miseros juvare parat, eorum adversâ fortunâ implicaretur.

MUNDI 5351. CHRISTI. 1298.

*Cæditur Adolphus ab Alberto.* Adolphus hoc anno, imprudenter sine peditatu commisso certamine cum Alberto in agro Spirensi, victus & interfectus est. Albertus, deposito Imperio, iterum electus legitimè ab Electoribus; quem tamen ægrè probavit Bonifacius, & nonnisi in odium Philippi Pulchri, in quem odium prævaluit Albertino.

*Veneti victi à Genuensibus.* Veneti à Genuensibus, Duce Lambâ Auriâ, ad Corcyram Nigram seu Curzolam victi; quando Dandulus dux illorum captus, ne triumpharetur impactum sibi caput in triremem effregit, non satis Christianè. Superati quoque iidem anno sequenti ad Hellespontum; nihilominus mox ab utroque populo pax inita est, victis atque victoribus attritis necessaria.

*Liber VI. Decretalium.* Hoc anno, quo S. Ludovicus Tholosanus Præsul obiit anno ætatis 23. Liber VI. Decretalium à tribus viris doctissimis compilatus jussu Bonifacii promulgatus est, authoris odio non receptus in Franciâ, & odio quod annis prope quadringentis nondum deferbuit.

MUNDI 5352. CHRISTI. 1299.

Philippus Pulcher & Bonifacius VIII. inter se committuntur; &, hoc reclamante, ille immittit in Flandriam Robertum Atrebatensem; capitur Comes Flandriæ, qui & cum filiis conjicitur in custodiam contra promissa Roberti; unde magnam sibi Philippus conflavit invidiam. Tum quoque Eduardus emisit è carcere Scotiæ Regem, rogante Bonifacio, eâ lege ut nunquam rediret in Scotiam; quare Balioli in Normanniâ consenuit. Scotia tamen magnis motibus deinceps turbata multas accepit ab Anglis clades, multas reposuit, donec tandem ab Eduardo tota subjugata est; nihil non omissum ut Scotia esse desineret.

Bellum Siculum hoc anno gestum est atrocissimè: prælio navali victus Fridericus à Rogerio Lauriâ; itemque terrestri, quo captus est Philippus Princeps Tarentinus filius Caroli. Captus quoque Joannes Lauria Rogeri nepos, Messanæ ex Jurisformulâ capite mulctatus est: ideo patruus ejus acerbissimè in captivos sæviit, multorumque sanguine ejus manibus litavit. Tum autem Bonifacius prohibuit excoqui Christianorum cadavera, ut eorum ossa deportarentur in patriam; cui Constitutioni dicitur occasionem præbuisse Montanerii cujusdam sordidissimi doctoris avaritia; vera causa fuit, quòd ea consuetudo Christianæ pietati repugnare videretur.

Coronatus est hoc anno Hungariæ Rex Carobertus, seu Carolus Robertus, cognomento Strabo, filius Caroli Martelli, item Hungariæ Regis, expertus à quibusdam proceribus adversus Andream Regem. Ille tamen nonnisi post decennium regno potiri potuit, patris sui conditionem, ac turbas expertus.

MUNDI 5353. CHRISTI. 1300.

Cassanus Tartarus Christianus in Saracenos Syriæ ducit ducenta equitum peditumque millia, ut ex eorum manibus Terram Sanctam vindicaret. Et verò occurrentem sibi ad Emesam seu Haman Sultanum Ægypti, tum etiam imperantem Syriæ Melechnazerum cum centum millibus equitum, & peditum innumerabili multitudine profligavit, & in suam retrusit Ægyptum. Sic universâ Syriâ potitus est, quam nullo negotio Occidentales Christianis recuperare potuissent, nisi mentem consiliumque perdidissent; quare in eam jam aliqui ex Cypro venire cœperant. At redire compulsus est in Persidem Cassanus, ob rebellionem Baydonis consanguinei sui: tradidit itaque Damascum Sultano transfugæ Capcaco, eâ tamen lege, ut hanc redderet Occidentalibus, cùm in Syriam copias suas adducerent: at illi dum tergiversantur, occasionem calvam esse cognoverunt.

Pertinet ad hunc annum Turcorum Ottomanorum exordium, hoc est, autore Ottomano (Græcis Osmane;) cui inter duces Turcos sortitione dividentes Asiam, quam Minorem dicimus, seu Natoliam, obvenit Bithynia. Hic, animo

animo & corpore præcellens, Prusæ longâ obsidione captæ regiam sedem defixit, & favore Aladini, seu Azatinis Sultani Iconii, ex parvis initiis magni Imperii fundamenta jecit, quod Græcis fuerat antè prænunciatum. Adoptatus porrò ab Aladino, liberis carente, ei non successit, sed Vizirus Sahibus; quo sublato, Osmanes dictus est Chanes, qui Turcis est Rex vel summus Princeps; atque ab anno decurrunt anni hujus Imperii, tantoperè Christianis ob ignaviam suam, atque simultates metuendi.

Celebris est hic annus JUBILEO, quod nomen verè usurpavit Clemens VI. cùm ex anno centesimo, in quinquagesimum transtulit solemnem illam pœnarum remissionem, & publicam Indulgentiam. Neque verò Bonifacius VIII. hoc primùm proposuit, sed duntaxat renovavit, ac majori pompâ celebrandum indixit. Et verò id accivit in Urbem supra ducenta hominum millia, adeo ut per vias; ac plateas, vix esset transeundi locus. Tantæ tamen hominum multitudini nihil ad victum defuit, & pretio satis commodo; adeò ut huic operi manum ipse Deus admovisse videretur, atque providisse Christianorum corporibus, dum hi animorum suorum saluti consulerent. *IUBILEUM Bonifacii.*

# LIBER XIV.

## *Ab anno Christi* 1300. *ad* 1400.

### CAPUT I.

### *Decas Prima.*

*Ab anno Christi* 1300. *ad* 1310.

MUNDI 5354. CHRISTI. 1301.



IOannes Patriarcha Constantinopolitanus abdicat se dignitate, eique Sedi restituitur Athanasius, quasi Prophetes, quòd terræ motum præcinuisse visus esset. Vivebat tum Nicephorus Callistus, qui Andronico Imperatori suam nuncupavit historiam quorum prostant libri 18. à Christo nato ad 625. reliqui putantur intercidisse. Vulgò parum accuratus creditur in Historiis seligendis, & ea scripsit quæ apud eruditos viros, & emunctæ naris, plerumque non inveniunt fidem.

Carolus Valesius vocatus à Bonifacio hoc anno venit Anagniam, multis honoribus cumulatus, ac dictus Imperii Vicarius. Hic jussus ire Florentiam, nihil profecit; prævaluere enim Guelphi seu Nigri, & Albos seu Gibellinos ejecere; inter quos Dantes Aligerius Poëta ille atque Philosophus excelluit, cui exilium ad eruditionem mirè profuit. Abiit tum quoque Petrarchæ pater, qui eum exul genuit Aretii anno 1304. 13. Kal. Augusti. virum singularis ingenii, atque peramœni.

Contigit hoc anno fatalis causa dissidii Philippum inter & Bonifacium, ex audaciâ Bernardi Episcopi Apamiensis, quem in Franciam Legatum miserat, ut Regem ad Expeditionem Hierosolymitanam excitaret. Hic dum loquitur impotentiùs de Summi Pontificis authoritate in temporalibus, ac Philippo tergiversanti minas depositionis intentat, aliunde huic invisus, quod ad Episcopatum per Bonifacium eo invito promotus esset, ejusdem Philippi jussu in carcerem Archiepiscopi Narbonensis Metropolitani sui detrusus est, ut ab eo, & comprovincialibus Episcopis de crimine perduellionis judicaretur, prolatis capitibus septem, ex quibus accusatio ejus coalesceret. Quæ causa Regi multas ærumnas attulit, Pontifici immaturam necem, ac pænè famæ & existimationis jacturam.

His auditis Bonifacius, ut erat ardentioris ingenii, eum eximi carcere jussit, additis etiam minis Anathematis, ac depositionis; quæ jam nutantem & iratum Philippum in furorem impulerunt. Inde scriptæ utrimque Epistolæ, quæ si veræ sunt, nec Regem Christianissimum, nec Pontificem sanos satis sapiunt. Ferunt & Petrum Flottam nobilem Arvernum unguem utrique fuisse in ulcere, meliorem militem quàm Legatum. *Bonif. & Philippus ad se invicem acerbius scribunt.*

Philippus ergo pecunias ex Galliis Romam inferri vetat; Bonifacius gratias Francicis Regibus à Pontificibus factas suspendit; inventi utrobique qui facta suorum Principum defenderent, & accusarent adversarios, cùm nunquam defuturi sint viri docti, qui Principes defendant suos, ac potentibus adstipulentur, etiam cum religionis discrimine atque pietatis. *Philippus & Bonif. sese factis irritant.*

Eodem tempore in odium Philippi matrimonium incœstum Sanctii, hactenus à Pontificibus repudiatum, habuit ratum Bonifacius, & ex eo nati liberi legitimi declarantur; omnia permissa quibus Hispani attollerentur, Philippo fieret injuria. *Probatum Matrimonium Sanctii.*

Excitatæ sunt denique in Hungariâ turbæ, mortuis Andreâ & Carolo Martello Regibus, dum Caroberto oppositus est Wenceslaus Bohæmiæ Rex. At is cùm recusasset regnum, electus est à nonnullis filius ejus Ladislaus 13. annorum puer: quare hi sunt à Bonifacio excommunicati: quem vice versâ quidam Presbyteri non excommunicarunt modò; sed ei aquâ, & igni interdixerunt, *Turbæ in Hungaria.*

xerunt, usque ad insaniam audaces, & postea gravibus pœnis coërcendi.

MUNDI 5355. CHRISTI. 1302.

*Societas Catalanica, seu Romania.* Pertinet ad hunc annum *Societas Catalanica* dicta, seu *Romania*, orta, ut creditur, ex pace Siculâ, quæ hoc tempore contigit. Nempe Catalani, Genuenses, aliique Itali, quorum plerique erant Templarii, allatis secum ex Syriâ pecuniis instruxere classem 20. Triremium, quâ usque ad Constantinopolin omnia diripuerunt, ac Piraticam exercuere primò, deinde multis sibi Latinis adjunctis Macedoniam vastaverunt. Certè Comitem Brennæ Athenis imperantem occidêre, ejusque ditionem cum Peloponneso occupavere, atque hic ductis cæsorum indigenarum uxoribus consedere. Verum de hâc Societate varia varii: satis est eam indicasse nimis cognitam Latinis & Græcis, atque fatalem utrisque, hoc est, inferentibus, & accipientibus injuriam.

*Pyxis nautica.* Hoc anno inventa est Pyxis nautica à Flavio quodam Amalphitano: non desunt tamen qui antea excogitatam tradant, à Joanne Goja, item Amalphitano; cujus beneficio Novum Orbem detectum habemus, & Veterem accuratiùs.

*Ischia Insula incendia.* Hoc item anno Ænaria, seu Inarime vulgò *Ischia*, tantùm sulphurei ignis evomuit, ut incolas omnes suos, cum animantibus, & arboribus cunctis exterminarit, mare pumicibus impleverit, ad 200. millia passuum cineres effuderit. Id etiam antea contigerat; sed exciderat ex hominum memoriâ, quos tantùm mala præsentia percellunt.

*Carolus Valesius Siciliam vexat.* Carolus Valesius invadit Siciliam cum magnâ classe, quâ Fridericus in munita loca retrusus. Lue tamen in castris Francorum sæviente, inter utrumque pax inita, & Constantinopolis utilius eorum armis proposita est.

*Clades Francorum ad Curtracum.* Contigit hoc anno ad Curtracum horrenda Gallorum clades 5. Idus Julii, quam eorum præceps insanusque furor induxit, dum cœco impetu, & amenti, ruerunt in Incile, idque suis cadaveribus implevere, per quæ transeuntes Flandri opifices, & vulgus inerme, vicies mille pedites, & equites pauci, octo ferè Equitum millia, peditum quadraginta deleverunt. Cæsa sunt Francorum equitum sex millia, innumeri pedites, cum multis proceribus, ac ductoribus; tanta cædes, & tam inexpectata fuit, ut meritò non ab hominibus, sed à Deo curata videretur.

*Perseverat discordia Philip. inter & Bonif.* Et verò perseverabat acerba illa Philippum inter ac Pontificem discordia; quanquam hic fateretur nihil se habere in illum juris in temporalibus, sed tantùm ratione peccati. Verùm facile non est concitatum ignem restinguere, nec Regis furorem. Philippus reparato exercitu Flandriam ingressus, ob pluvias redire compulsus est, nullo alio opere pretio, quàm ut ultionem spirasse videretur. Aliunde in eum Bonifacius Anglos Flandrosque concitavit; ac pater ejus esse desiit, quem filium rebellem, & ingratum, ut ajebat, experiebatur.

*Maphæus, & Guido de Duc. Mediol. disceptant.* Albertus Romanorum Rex jura persequitur Imperii adversus Principes & præsules, qui ea sibi arrogarant. Quo tempore Matthæus, aliter Maphæus, Vicecomes Mediolanensis, Principatu exclusus, Guidoni Turriano locum dedit, donec crimina Guidonis ejus criminibus majora Deus arbitraretur.

MUNDI 5356. CHRISTI. 1303.

Bonifacius VIII. ut haberet quem opponeret Philippo Pulchro, confirmat electionem Alberti Romanorum Regis, quam antè rejecerat; & antequam descenderent ad ultima remedia, mittit in Franciam Legatum Joannem Monachum Cardinalem Picardum, qui Regem induceret ut amicè S. Sedi de 13. capitibus satisfaceret. Verùm cùm Philippi responsiones Pontifici viderentur inanes, hic in illum Anathema fulminat, & adversùs Episcopos, & Doctores omnes qui Romam vocati venire recusassent, aut certè non tentassent. Qui hæc deferebat Nicolaus Benefractus Archidiaconus Constantiensis in Normanniâ, captus Trecis jussu Regis in custodiam detrusus est. Parisiis insuper habitus est Conventus Præsulum, Doctorum, Procerum, in quo accusatus est Bonifacius à Plessiano nobili viro de nece Cælestini, intrusione illegitimâ in Petri Sedem, de simoniâ, luxuriâ etiam abominandâ, gulâ, crudelitate, sacrilegiis, magiâ, contemptu rerum sacrarum, & Ecclesiasticarum, & aliis ejuscemodi, quorum prolati testes, & actus Juridici, quæ omnia Parisiis parum religiosè nuper excusa, tantâ aviditate ab Heterodoxis recepta sunt, quantâ detestatione à bonis perlecta. Quibus auditis, ex eorum judicio qui Conventui interérant, provocatum ad Concilium Generale, & Apostolicam Sedem, cùm nacta esset legitimum caput, neque simile Bonifacio. Quæ cùm Pontifex Romæ didicisset, ac se coram Cardinalibus purgasset de objectis criminibus, censuras in Philippum latas confirmavit, iterum anathemate perculit, Regnum sacris interdixit, Academias docere vetuit, Francos sacramento fidei exsolvit, Franciam addixit Alberto, eundemque cum Flandris & Anglis in eam immisit; denique omnia præstitit quæ irati Pontifices aut possunt, aut audent.

Mittitur itaque in Italiam Guillelmus Nogaretus de S. Felice, nobilis Aquitanus, consilio manuque bonus, cum Plessiano accusatore viro forti, & acerbo, ut denunciarent Pontifici quæ acta essent, & decreta in Conventu Parisiensi. Hi, communicatis consiliis cum Columnensibus, acerrimis inimicis Bonifacii, & adhibito sibi adjutore eorum audacissimo & infelicissimo Sarrâ, seu Schiarâ, veniunt in Etruriam; ubi trecentos Equites expeditissimos, & pedites paucos, sed alacres, scribunt, quibuscum Philippi nomen inclamantes Anagniam irrumpunt, mussante Civitate, & Cardinalibus aut conniventibus, aut fugâ dilapsis. Bonifacius mori paratus cum ornamentis Pontificiis in Cathedrâ sedit, ubi cùm eum audaciùs Nogaretus alloqueretur, Patarenum hunc vocavit, quòd ejus avus ob Hæresin combustus esse vivus ferebatur. At audacior, & efferatior Sciarra, colaphum ei inflixisse armatâ manu, atque ad terram fertur afflixisse; quod

quod aliqui perperam affinxere Nogareto, qui Pontificem tantùm in custodiâ retinendum putavit. Tribus autem diebus elapsis, intra quos thesaurus Pontificis direptus est, Anagnini, resumptis animis, irruerunt in Francos, atque ex iis aliquot interemerunt, vexillum Philippi affixum Pontificiis ædibus discerpserunt, & cum Romanis accurrentibus liberum eum perduxerunt Romam: quod tamen aliqui ab iisdem Francis præstitum volunt, eum captivum semper detinentibus, ac vinctum deducentibus Romam. Utut se res habuerit, statim in febrim ardentissimam incidit Bonifacius, in quâ dimotus mente, impiè multa atque sacrilegè traditur effutiisse, quæ fuerant à Catholicis premenda silentio, non Typis evulganda, ut ætate nostrâ parum religiosè factum est, cum magno gaudio Hæreticorum, qui in his equuleis triumphare, atque in his quisquiliis conciones ad popellum suum adornare solent. Sic mortuus est Romæ Bonifacius 5. Idus Oct. cùm sedisset annis 8. mense uno, diebus duodeviginti; vir acerrimi ingenii, & qui Pontificum potentiam eò perducere conatus est, quò magis non posset assurgere: verùm dum consilia persequitur ardentiùs, defecit in mediis conatibus, & injecit secuturis Pontificibus metum, ne quod vellent, aut possent, auderent.

Audito Bonifacii casu, accurrit Carolus Siciliæ Rex cum mille quingentis equitibus, & octo millibus peditum in auxilium S. Sedis: statimque ejus favore nixi Cardinales elegere F. Nicolaum Bocasinum Dominicanum, qui nunquam Bonifacium deseruerat, patre Opilione natum in agro Tarvisino, virum eruditum & industrium. Is 6. Kal. Novemb. coronatus, in gratiam Bonifacii, qui antea sic vocabatur, dictus est Benedictus XI. cùm vulgo IX. dicendus esset. Ad eum autem cùm paupercula mater accessisset, splendidis ornata vestibus, eam negavit esse suam, vilibus autem pannis amictam, amplexatus agnovit matrem, & in honore habuit, verus humilis piscatoris successor. Ad eum statim Legatos Philippus misit, atque inter cæteros Petrum de Bella-Pertica Jurisconsultum magni nominis; quorum operâ Pontifex Regem atque regnum in integrum restituit, Columnensibus pepercit, Nogaretum tamen & Sciarram diro anathemate perculit; atque ita se gessit, ut parens bonus, & fortis judex esse videretur.

Obiit hoc anno in Armoricâ S. Yvo Trecorensis Presbyter, Jurisconsultus; dictus advocatus pupillorum, atque viduarum, miraculis clarus, & à Clemente VI. inter Sanctos relatus; ne gens ulla, aut conditio à Sanctitate, & maximis honoribus Ecclesiæ seclusa videretur.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5357. | 1304. |

Cassanus Rex Tartarorum obiit hoc anno; cui successit frater Carbanda, in sacro fonte dictus Nicolaus, à matre Christiana, quâ mortuâ ipse defecit ad Mahumetum; alii tamen hunc filium Cassani putant, omnes sub eo Christianitatem inter Tartaros concidisse. Erat Cassanus pumilio, ac deformissimus: sed quem animus ingens & eximius, ætatis suæ Principibus omnibus anteposuerat.

Mortuus est hoc anno Benedictus XI. sublatus à Columnensibus vel Florentinis, per ficus veneno illitas, Perusii prid. Nonas, aut ipsis Nonis Julii, cùm sedisset menses 8. dies 17. Eo mortuo scissi sunt Cardinales, aliis optantibus amicum Bonifacii, aliis Regis Francorum; sicque pravis eorum motibus tum Ecclesia servit. *Moritur Benedictus XI.*

Philippus Pulcher Flandros duplici attrivit clade; navali, quâ captus Guido Junior, submersæ aut captæ naves 80. cum decem armatorum millibus, à Rainerio Grimaldo Genuensi Philippi Archithalasso. Terrestri etiam superior fuit ad Montem Populeti inter Duacum, & Insulas; quo Rex ipse cum 22. Equitum ac peditum 60. millibus eos aggressus, & plures, & bene animatos in suis castris desevit, cæsis sex millibus fortissimorum militum. In eo certamine nihil propiùs factum est quàm ut Rex à desperatis interimeretur: ipse tamen victoriæ præcipua causa fuit, & consilio manuque sapienter juxta & fortiter pugnavit. Cùm autem postea idem Philippus Insulas obsedisset, & desperati Flandri, aut mori, aut obsidionem solvere decrevissent, Philippus rebelles domuisse contentus pacem cum iis iniit, tam honestam victori, quàm victis utilem, ac necessariam. *Philippus Flandros vincit terra atque mari.*

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5358. | 1305. |

Hoc anno, quo frigus atrocissimum sæviit, obiit Wenceslaus piissimus Bohæmiæ Rex, Alberto priùs sibi reconciliato. Successit ei cognominis filius vix annos 16. natus, sed corroboratæ jam nequitiæ adolescens, propter quam & Bohæmiæ regnum perdidit, & Polonicum non servavit, Wladislao Loctico magnam suæ ditionis partem recuperante. Tum quoque Cruciferi Teutonici, & Livonici, sese potiùs ad perniciem harum regionum factos, quàm Ecclesiæ tutores ostenderunt. *Wenceslao Bohæmo succedit Wenceslaus.*

Electus est Non. Junii Romanus Pontifex Bertrandus de Argutis Archiepiscopus Burdegalensis, amicus Bonifacii, olim inimicus Philippi, sed spe injectâ Pontificatus ei reconciliatus occultè, eique pollicitus 5. conditiones, sextam etiam suo tempore exponendam. Dictus est Clemens V. coronatus Lugduni 3. Id. Nov. at dum per urbem veheretur, muri ruinâ multi interiere, atque inter cæteros Joannes Brabantiæ Dux, dum frænum Pontificis tenet, cum Caroli Regis fratre, qui & graviter læsus est. Tum translata in Galliam Pontificis Sedes, ibidem annis 70. defixa est, ideoque ab Italis dicta captivitas Babylonica. Philippus autem præsens huic inaugurationi plenissimè absolutus est, restituti Columnenses, Pontifex sic pacta servavit, ut neutrum promisisse, aut acceptasse pœniteret. *Eligitur Papa Clemens V.* *Ro. Sedes Avenionem translata.*

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5359. | 1306. |

Clemens V. Constitutiones Bonifacii VIII. in Philippum revocat, & alias pro Regno, & Ecclesiâ Gallicanâ conficit. Turbatur magnis motibus Scotia, & multis afficitur cladibus: Olemutii Wenceslaus Bohæmiæ Rex interimitur, & de *Clemens V. favet Philippo.*

& de ejus successore turbatur regnum; quæ percurrendo satis est indicasse.

*Turba Parisina.* In Galliâ XI. Kal. Augu. Judæi expelluntur è Galliâ, bona eorum addicuntur Fisco. Rebellant Parisini ob mutatam monetam, ipse Rex obsidetur: at seditiosi per nobiles conglobatos aut sublati ferro, aut per tortorem laqueo pœnas dedere.

*S. Nicolaus Tolentinus.* Obiit hoc anno S. Nicolaus Tolentinas Eremita Augustinianus natus in Castro S. Angeli; non tantùm Ordinis sui, sed & Ecclesiæ totius ornamentum.

MUNDI 5360. CHRISTI. 1307.

*Clement. præclarè facta.* Clemens in Andronicum Græcorum Imper. vibrat Anathema ut Schismatis & hæreseos fautorem, quem mox Carolus Valesius bello appetiturus erat: induxit & F. Haythonem ut de Armenis rebus scriberet; quod cumulatè præstitit. Promovit & sanctos conatus Joann. de Monte Corvino, quem & Legatum in Oriente constituit, ut ejus operâ Fides inter Tartaros, Persas, Indos, Æthiopas promoveretur; quas pietate suâ vir Orbe major complectebatur.

*Clemens Philippi petitionem de Bonif. eludit.* Philippus Pulcher Clementem urget ut Bonifacii nomen, sicut erat pollicitus, expungeret è sacris diptychis, ejus ossa sicut hæretici flammis absumeret: negavit id fieri posse sine consensu Cardinalium, à quibus tam ipse quàm Bonifacius legitimè electus esset; quare satius esse Concilium Oecumenicum expectare, ut res tanti momenti decideretur: quo responso Philippi petitionem sapienter elusit.

*Extinctio Templariorum.* Supererat sexta conditio, sed tacita, seu extinctio Ordinis Templariorum, quos non tantùm Philippus oderat, sed & alii Principes Christiani, fortè bonis eorum inhiantes. Verùm ut Ordo tanti nominis aboleretur, ea proxima causa fuit. Prior Montis Falconis in pago Tholosano, cum Noffo quodam Florentino, per Magistrum conjectus in carcerem detexit crimina & sacrilegia quæ Templariorum domibus continebantur; quare multi eorum exusti sunt vivi, inter cæteros Joannes Mola Magister Ordinis; quorum tamen ossa quidam, uti Martyrum collegerunt, atque coluerunt. Eos tamen qui interrogandos curarat de 14. capitibus Clemens Apostatas, Idololatras, & hæreticos professus est. Itaque eorum ruinæ vera causa fuit rerum omnium abundantia, deliciarum vitiorumque mater, quibus irretitos & involutos qui negaverit, ille profectò cæcutire cupit.

*Lud Hutinus Rex Navarræ.* Ludovicus cognomento Hutinus, Philippi primogenitus, Pampelone coronatus est Rex Navarræ, ex matre quæ ante biennium Parisiis obierat, cum magno terrore Arragoniorum, quem tamen Ludovici regressus in Franciam mox abstulit.

*Eduardus Rex Angliæ moritur.* Mortuus est tum Eduardus Angliæ Rex ex dissenteriâ, cùm regnasset annis 34. mensibus 7. diebus 21. ætatis 68. Vetuit autem sepeliri se nisi subjugatâ Scotiâ; & crudelitati immortuus est, suspendi jussis 55. Nobilibus Scotorum liberis impuberibus; quare de ejus salute multi desperarunt. Successit ei Eduardus primogenitus, dictus à natali loco *de Caverna*, dissimillimus patri, & ex proverbio παῖς ἡρώων κακός.

Cadit in hunc annum primum Helveticum fœdus ab Uriis Suitiis, & Underunidis adversus Austriacos non præfectos, sed Tyrannos. Dicti autem sunt deinceps uno nomine Suitii, *les Suisses*, quòd apud eos primùm pro libertate pugnatum esset; qui se linguâ patriâ *Eidgenossen* nominavere, id est, *Confœderatos*, Ενωτικοὺς diceres, eorumque conventum ἕνωσιν: de quorum constantiâ, virtute, concordiâ multus deinceps occurret dicendi locus.

MUNDI 5361. CHRISTI. 1308.

Michaël Palæologus filius Andronici Imperatoris ad Apros Thraciæ magnam accepit cladem â Roccafortio duce Catalanicæ Societatis; quando & Palæologi in Montisferrati ditionem inserti, novam hîc familiam ope Genuensium condidere, in Italiâ quàm Græciâ minus protentes, sed feliciores.

Eduardus Anglus Elizabetham Philippi filiam ducit uxorem; odiosus initio regni sui, ob revocatum ab exilio Petrum Gaverstonium; qui dum nimis potest, incurrit in Anglorum odium, à quibus tandem interfectus ostendit, hos Regios ἑταίρους satis modestos esse non posse.

Cæsus est hoc anno Albertus Ro. Rex à Joanne Sueviæ Duce, filio Rodolphi, nepote suo, ob denegatum sibi patrimonium, cùm regnasset annis 9. mensibus 10. Joannes pœnitens Pisis obiit. Alberti uxor, fundato monasterio Clarissarum, ubi obierat *Kingsfeld*, id est, *Campo Nigro*, cum Agnete relictâ Andreæ Regis Hungariæ, in eo obiit, ambæ viduæ, ambæ virtutibus illustres.

Successor ei datus Henricus Lucemburgius 5. Id. Decem. curante Pontifice, ut priùs eligeretur, quàm eam dignitatem fratri suo Carolo Valesio Philippus prensaret. Dictus autem Henricus VII. vocandus VIII. eorum qui coronati sunt VI. luscus sed fortis, & Imperio, si corporis dotes excipias, dignissimus.

Clemens eximit Archiepiscopum Burdegalensem à ditione Bituricensis, cui subjectus erat ut Primati. Transtulit & Pontificalem Curiam Avenionem, ut hic Pontifex in ditione Caroli Siculi liberior esset, neque Philippi petitionibus omnibus acquiescere cogeretur.

Obiit denique hoc anno S. Clara de Monte Falcone moniali S. Augustini, in cujus corde impressa crux; in vesicâ Fellis, tres globis Sanctæ Trinitatis imagines, quorum unus non erat duobus aliis ponderosior. Tum quoque vivebat B. Agnes Politiana, ex Ordine S. Dominici. & B. Angela Fulginas Franciscana vidua, totos annos 12. solâ Eucharistiâ nutrita, ejusque socia B. Paschalina: omnes sanctimonia, & miraculis illustres.

MUNDI 5362. CHRISTI. 1309.

Athanasius Patriarcha Constantinop. cùm annis

nis 8. iterum suæ præfuisset sedi, ab invidis passus calumniam, cùm accusatores suos non multaret satis graviter Imperator, ex indignatione renunciavit sedi suæ, neque dignus titulo Præsulis, atque Christiani.

Henricus VII. Rom. Rex coronatus Aquisgrani, sepelit honorificè antecessores suos Adolphum, & Albertum: Quem & confirmavit Clemens, lato in Venetos Anathemate qui Ferrariam occupassent, mortuo Azone Estensi. Cùm tamen iidem mox victi essent à Legato Pontificio, soluti sunt hoc Sacramento, & quia Florentini Pontifici egregiam navarant operam, interdicto suo levati sunt, simulque fortitudinis, & pietatis præmium recepere.

Mortuus est hoc anno Carolus II. cognomento Claudus, Siciliæ Rex, ætatis 61. regni 25. vir pace, quàm bello melior, non quia minus fortis, sed infortunatus. Successit ei filius Robertus coronatus Avenione 6. Id. Sept. rejectâ postulatione Caroberti Hungariæ Regis, nati ex Carolo Martello, primogenito Roberti; sed judicium Pontificis, & necessitas fortissimi Regis ac prudentissimi, æquitati, & communi juri prævaluere.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5363. | 1310. |

Hospitalarii equites S. Joannis in Insulâ Cypro malè habiti à Rege, & impetratâ ab Imperatore Andronico Rhodo insulâ, eam anno præcedente aggressi, hoc eâ potiti sunt 18. Kal. Sept. in festo Virginis Assumptæ Turcis ex eâ ejectis, qui inde Saracenos expulerant, hi Græcos. Hanc expeditionem suscepit & confecit sapienter juxta ac fortiter Falco de Villareto nobilis Gallus, qui deinceps dominus maris interni Barbaris terribilis extitit. Et ut semel huc omnia congerantur, cùm eam post alterum annum recuperare conati sunt Turci, grandi coacto exercitu, antequam eam munirent Equites, magnâ clade affecti, recedere coacti sunt operâ Amedæi IV. Sabaudiæ Comitis, unde & dictus est *Magnus*, & Crucem Albam in suo stemate retulit cum his litteris F.E.R.T. hoc est, *Fortitudo ejus Rhodum tenuit*, ut vulgò explicantur, quanquam aliud alii suggerant. Certè in hujus rei memoriam Amedæus V. post annos 70. instituit Ordinem Equitum Annunciationis Angelicæ; illustre pietatis, & fortitudinis avitæ monimentum.

Philippus Pulcher hoc tempore damnationem Bonifacii urgebat apud Clementem, & accusationem suam renovabant Nogaretus & Guillelmus Plessianus, cum magnâ comitum turbâ, quibus obsistebat Franciscus Cardinalis Cajetanus Bonifacii ex fratre Nepos, vir acer, ac probè stipatus armatis, adeò ut pugna timeretur. Itaque postulantibus Christianis Principibus aliis, ne sic laceraretur Pontificis demortui fama, oravit Philippum Clemens ut hæc causa rejiceretur ad Concilium Oecumenicum, intermitteretur actio, in quâ plus odio, quàm ratione certabatur. Absoluti interim Nogaretus, Schiarra, & cives Anagnini, quibus injunctæ peregrinationes: quas vel ipsi, vel eorum hæredes obirent. Tum vocatis Doctoribus atque Theologis plerisque Gallis, causâ utrimque ventilatâ, atque discussâ, declaratus est Bonifacius Catholicus, & legitimus Pontifex, sicque in eum calumniæ quieverunt, quas mirum est hac ætate nostrâ, tam parum piè, quàm prudenter renovatas esse, maximè cum Deus miraculo sub initium hujus sæculi eum videretur absolvisse. Nam corpus ejus anno 1605. repertum est integrum præter nasum, & labra nonnihil corrupta, vestibus item Pontificiis illæsis, & integris, ut ad annum Christi 1303. tradit Henricus Spondanus, testis αὐτόπτης, cum universâ Romanâ civitate, quibus qui fidem denegat, facilè loquenti Deo derogabit fidem. *Bonifacii cadaver integrum repertum.*

Franciscus Dandulus, injectâ in collum catenâ ferreâ, tandiu jacuit ad Clementis pedes, donec ejus iram flecteret, & Venetias eximeret anathemate; quare à suis cognominatus est *Canis*. quòd προσκυνήσας ad Pontificis vestigia diu jacuisset, quibusdam ridentibus plerisque laudantibus factum. *Dandulus flectit Clementem.*

Henricus Ro. Rex cum exercitu subit Italiam, relicto Joanne Bohæmiæ Rege Imperii Vicario: ac primò ad Mediolanum coronam accepit ferream restituitque Matthæum, vel Maphæum Vicecomitem, expulso Guidone. Sed malum! Gibellinorum, & Guelphorum partes intermortuas suscitavit, pari Italiæ, atque Ecclesiæ detrimento. *Henricus venit in Italiam.*

---

## CAP. II.

## *Decas Secunda.*

### *Ab anno Christi* 1310. *ad* 1320.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5364. | 1311. |

HEnricus Ro. Rex urbes Italicas quâ minis, quâ vi sibi vindicat, iisque dat præfectos, quos & constituit dominos, sic pecuniis ingentibus confectis. Huic tamen restitêre Florentini, ac Bononienses, & subnixi Roberti Siculi potentiâ, Germanos cis montes non posse omnia docuerunt. *Henricus vendit urbes Italiæ.*

Celebratum est hoc anno à Clemente V. præsentibus Patriarchis Alexandrino, & Antiocheno Latini ritus, & 114. Episcopis, cum aliorum procuratoribus, Rege Franciæ Philippo Pulchro, ejusque fratribus ac liberis

### CONCILIUM OECUMENICUM VIENNENSE,

Tribus sessionibus terminatum, in quo actum *Prima* de recuperandâ Palæstinâ: *Secunda* de extinguendo Templariorum Ordine, eorumque bonis: *Tertia* damnati Beguardi, & Beguinæ, & de Urbe Lugdunensi. Cave tamen ne Beguardos, & Beguinas innocentes, confundas cum Hæreticis: sed unde illæ traxerint nomen, non facilè dixerim; quidam sic appellatas volunt à S. Beghâ Pipini Landensis Ducis Brabantiæ filiâ, & sorore S. Gertrudis; alii aliunde; quæ nos *Concilium Viennense.*

nos prætermittimus, ficut improborum, & improbarum errores, in hac Synodo damnatos, quos aliunde petere poſſis, aut ſine diſpendio eruditionis ignorare.

MUNDI 5365. CHRISTI 1312.

*Catalona Societas turbatur.* Andronicus Imperator auxilium implorat Occidentalium, victo filio ſuo à Turcis in Cherſoneſo; unde excurſionibus ſic vexabant Thraciam, ut Urbe nemo poſſet exire. Tum quoque diſtracta erat Catalana Societas domeſtico bello inter Entenzam, & Roccafortium, in quo ille occubuit, hic à præfecto Eubææ interceptus in Siciliam deductus eſt, ubi in carcere obiit. Quomodo autem ab eo Roccafortio vaſtatæ ſint Macedonia & Theſſalia, occupatæ Athenæ, atq; Achaia ſeu Neopatris, & quomodo harum Ducatus ceſſerit Arragoniis, aliunde repetes, ſicut & hîc occupatam à Reinerio Acciaiolo Florentino Tyrannidem; neque enim omnia commemorare poſſumus, illuſtria quæque ſaltem debemus attingere.

*Henricus Romam venit, ibique coronatur.* Romæ certatum acriter à Roberto Siciliæ Rege, & Henricianis, ex quibus multi cæſi. Recepit tandem Henricus hîc coronam in æde Lateranenſi, non in Baſilicâ S. Petri, à deſtinatis per Clementem Cardinalibus; ac paulò poſt Urbem deſerere coactus eſt. Fruſtra quoque Florentiam obſedit: at dum dubitari cupit de Sacramento fidelitatis Clementi atque Eccleſiæ præſtito, neque ſe pium, neque felicem in ſuis conſiliis præbuit.

*Ferdinandus dictus in jus vocatus.* Mortuus eſt hoc anno Giennii morte ſubitâ Ferdinandus Caſtellæ Rex, provocatus ad Dei Tribunal intra 38. diem à Carvajalis fratribus, quos ſuſpectos homicidii, neque convictos è rupe præcipitarat, ideo dictus *In Jus vocatus*; terriculum Principibus non facilè de cujuſquam capite pronunciandi.

MUNDI 5366. CHRISTI. 1313.

*Henricus Imperat. moritur.* Henricus adverſus Robertum Siculum ſuſcitat Fridericum æmulum, quem Imperii Archithalaſſum conſtituit; repugnat ſuo diplomate Clemens, fortiùs etiam armis Robertus cum Florentinis, & Guelphis; ſed hos motus abrupit Henrici mors apud Bonconventum 12. millibus paſſuum à Senis. Obiit is 9. Kal. Sept. ætatis anno 51. Imperii primo, cum diebus 56. Errant autem qui id contigiſſe volunt venenatâ hoſtiâ, aut ablutione toxicatâ ei oblatâ per F. Bernardum, aut Joannem Politianum Dominicanos; calumniâ in Sanctum Ordinem turpiter à malitioſis, & inimicis confictâ.

*Robertus Imperii Vicarius.* Morte Henrici conſilia Friderici, Piſanorum, Ludovici Sabaudi diſſipata ſunt; Piſani ſibi præficiunt ducem Hugnitionem Fagiolanum civem Aretinum, qui ſuâ fortitudine eorum res tutaretur. Dictus quoque à Clemente Vicarius Imperii; & Senator Urbis conſtitutus Siciliæ Rex Robertus, etiam fulminibus Eccleſiæ munitus adverſus eos qui regnum Siciliæ cis Pharum attentarent, quibus tamen ipſe ſapienter arma permiſcuit.

*Ex[...] in jus[...]* In Franciâ Rex Philippus, & Eduardus Anglus cum multis proceribus ſuſcepere crucem immo & uxores. Tum multæ ſunt auditæ querelæ adversùs Engeranum Marinium, Regii Fiſci præfectum, ob exactiones, & imminutionem monetæ. Tres quoque Regis nurus impudicitiæ accuſatæ ſunt, duæ etiam convictæ; adulteris abſciſſa verenda, vivis adempta cutis, uncoque tracti, ac demum ſuſpenſi, libidinis atroces pœnas perſolvere.

*B. G[...] pe[...]* Inventa denique hoc anno apud Guadalupam in Hiſpania imago B. Virginis miſſa à S. Gregorio Papa, ad S. Leandrum præſulem Hiſpalenſem, & hîc Saracenorum metu abſcondita; quæ multis clara miraculis undequâque peregrinos accivit, & magnum huic regioni attulit ornamentum.

MUNDI 5367. CHRISTI 1314.

*P[...] la[...] re[...] n[...] ci[...]* Andronici cognatus Philes Palæologus, vir eximiæ pietatis, bellicæ licet artis parum gnarus, impulſus à Deo, impetratis ab Imperatore modicis copiis, Turcos ſuperat, redditq; Græcis animos, quos tot caſibus adverſis perdiderant; ſimulque eos edocuit unde rebus afflictis, atque deploratis petendum eſſet remedium.

*A[...] C[...]* Mortuus eſt apud Montem Mauram ſuper Rhodanum Diœceſis Nemauſenſis, dum pergit Burdegalam Clemens V. 12. Kal. Majas, cùm ſediſſet ferè annis novem. Quæ autem de eo circumlata ſunt citato ad Dei tribunal intra 40. dies à Magiſtro Templariorum dum vivus exureretur, ſicut & ejuſdem libidines, & ſacrorum nundinationes, & alia atrociora, ſapiunt Dantis exulis Florentini maledicentiſſimam officinam, cui tantum fidei tribues quantùm calumniatori profeſſo dari ſolet. Hoc mortuo convenere Carpentoractum Cardinales, ſed in duas factiones diviſi, Vaſconum, & aliorum Gallorum cum Italis Pontificem è ſuis depoſcentium; quando multæ turbæ concitatæ ſunt, conclave etiam à Vaſconibus incenſum, diſſipati omnes, non niſi poſt duos annos in unum locum, & concordiam revocati ſunt.

Electores quoque Imperii in duas factiones ſecti ſunt, quarum una Ludovicum Bavarum, altera Fridericum Auſtrium cognomento Pulchrum delegit: de quorum electione tam incerta ſcripta ſunt, ut de hiſtoriæ veritate omnes dubitare queant, de eâ nemo ſtatuere, niſi imprudentiſſimè.

Obiit hoc anno apud Fontem Blaudi, vel Bellaqueum, Philippus Pulcher ex morbo diuturno, ſed medicis ignoto, non autem, ut aliqui ſcribunt, raptatus ab equo ferociente cùm pes excuſſi hæſiſſet ſtapedo, multò minùs ex leprâ: quæ ſunt à Scriptoribus Flandris, & Italis in eum malitiosè conficta. Obiit autem ætatis anno 46. regni 30. 3. Kal. Dec. cor ejus delatum Paſſiacum in Monaſterium magnificentiſſimum & Baſi-

& Basilicam anno suo S. Ludovico consecratam, & monialibus Dominicanis addictam. Ejus opus est Palatium Parisinum in insulâ Sequanæ, ubi eo vivente constituta Parlamenti Sedes; Joannæ verò conjugis ejus Collegium Navarræum, aliaque opera quæ hunc Principem & magnificum, & divitem arguunt, neque tantùm corpore, sed animo decorum.

Successit Patri Ludovicus jam Navarræ Rex, hujus nominis X. vel ut alii XIII. cognomento *Hutinus*, hoc est, *Rixosus*, coronatus tantùm 3. Non. Aug. dum Proceres expectantur, & sedantur turbæ ob Engerranum Marinium Normannum ærarii Regii præfectum, factumque Comitem Longavillæum. Hic eo anno accusatus peculatus, proditionis, & magiæ, anno sequenti ex patibulo pependit innocens, odio Caroli Valesii Regis Patrui, ut plerique meritò putavere. Tum autem exhausto ærario revocati sunt Judæi ejecti à Philippo cùm ingentem vim auri appendissent, eam mox usuris suis, ex subditis Regis perfidiosè recuperaturi.

Robertus hoc anno Siciliam invasit, nullo alio opere pretio, quàm ut magna tentasse videretur; uno tantùm oppido capto, & pactis in triennium induciis, quibus se pæne victum fateretur.

Hoc denique anno Scoti de Anglis nobilem retulere victoriam, cùm hi in exercitu 100. armatorum millia numerarent, Scoti vix 30 millia eduxissent, sed milites induratos, & ritè Sacramentis ante pugnam munitos. Cæsi Anglorum 50. millia, ægrè naviculâ fugit Eduardus. Robertus Scotorum Dux hujus victoriæ præmium firmatum sibi retulit Scotiæ regnum. Anglorum insuper retusa superbia, atque ferocia, quas innata gentis indoles, & crebræ victoriæ ultra modum promoverant.

MUNDI 5368. CHRISTI. 1315.

Niphon Patriarcha Constantinop ob sacrilegia & sordes ejectus, successorem habuit Joannem XII. cognomento *Glycin*, prohibitum fieri monachum, quòd à carnibus non posset abstinere ob articulorum dolores. Hic Atticismum reparare conatus est, & eo doctore usus est Nicephorus Gregoras: quo etiam tempore florebat Theodorus Metochites eruditus ille, sed qui neglecto veterum stylo, plus acuminibus, & verbis, quàm sententiis dedit.

Bellum Etruscum infeliciter gessit hoc anno Philippus Tarentinus Roberti Siculi frater victus à Heguitione Pisarum præfecto; sed Florentinis & Pisanis cruentâ victoriâ. Hâc elatus Heguitio mutatus est in Tyrannum, sicut & ejus filius Nerius Lucæ. Huic dum fert suppetias Pisis ejectus, non admissis à Lucensibus, utramque perdidit urbem imprudentiâ, quam acquisierat fortitudine, ludibrium prosperæ adversæque fortunæ.

Ludovicus Hutinus in Robertum Flandriæ Comitem non felicius administravit bellum, pluviis intempestivis, & defectu pabuli citiùs redire compulsus quàm fortitudo Francica postulabat.

Franciscus Mayronius Minorita hoc anno introduxit in Sorbonam totius diei Actum illum, ad quem plus valetudinis & corporis, quàm ingenii, & scientiæ requiritur. Cognominatus est *de Digna*, & *Doctor Illuminatus*; sed aliquarum sententiarum author, quæ plus ejus fratribus laboris, quàm huic honoris peperere. *Actus Sorbonicus Franc. Mayronii Minoritæ.*

MUNDI 5369. CHRISTI. 1316.

Ludovicus Hutinus urget Cardinales ut Pontificem eligant, eorumque 23. Philippus ejus frater Comes Pictaviensis includit Lugduni, eis interminatus custodiam, donec caput Ecclesiæ dedissent. Tandem electus est Jacobus de Ossâ Cardinalis Portuensis 7. Id. Aug. cùm vacasset sedes annos 2. menses 3. dies 17. ibidemque Non. Sep. coronatus dictus est vulgò Joannes XXII. aliis XXI. verè XX. patriâ Cadurcensis, ignobili patre natus Sutore Veteramentario, parvo corpore, sed magno animo, ac septuagenario major; quæ autem jactantur de compromisso à Cardinalibus facto ut eum salutarent Papam, quem ipse Joannes diceret, quod ipse se nominarit, sicut & de promissione factâ se non consensurum equum, aut mulum, nisi vidisset Romam, fabulas olent, & otiosorum hominum, vel malevolorum figmenta. *Joannes XXII. creatur Papa.*

Obiit subitâ morte, &, ut creditum est, ex veneno in Castro Viennarum Ludovicus Hutinus, annos natus 27. cùm regnasset annum 1. menses 6. & totidem dies. Reliquit filiam Joannem ex priori uxore, & Clementiam gravidam. Quare Philippus Parisios reduxit statim suscepit administrationem regni, dum illa peperisset, & si masculum pareret, donec adolevisset. Edidit illa laborans ex quartana febre filium Joannem I. dictum: verùm eo post 7. aut 20. dies mortuo, Rex agnitus est Philippus: à proceritate corporis cognomento Longus, anno ætatis 25. exclusâ decreto Ordinum Joannâ, & Salicâ lege de masculis conservatâ. *Moritur Lud. Hutinus.* *Joannes I. filius ejus moritur. Regnat Philippus Longus.*

Ludovicus Bavarus statim electionis suæ confirmationem petit à Joanne XXII. quam hic negavit, causâ Friderici Austriaci nondum perspectâ satis, & quia mora neutri nocitura, nec Imperio putabatur. *De Ludovico Bavaro, & Friderico sententiam suspendit Pontifex.*

MUNDI 5370. CHRISTI. 1317.

Joannes XXII. Tholosanum Episcopatum mutat in Archiepiscopatum, subjunctis ei 7. Episcopatibus, Apamiensi quem detraxit Narbonensi; Montalbanensi & Cadurcensi decurtatis, adjectisque novis Episcopatibus Mirapicensi, Vaurensi, Sampapulensi, Lomberiensi, Rivensi, quos ex Abbatiis creavit. Alios quoque novos Episcopos edidit in Galliâ, novosque militares in Hispania, ut Montesiæ in Arragonia, Christi in Lusitania, attributis Dei Templariorum bonis, sicut & Hospitalariis; quæ sine difficultate *Mutationes Episc. in Gallia à Ioan. XXII. Minoritæ de sua paupertate cum Io. disceptant.*

tate confecit. Sed à cervicosis quibusdam Minoritis major ei labor fuit, neque unius anni, cùm hi de paupertate suâ ambitiosiùs, quàm religiosiùs disceptarent.

*Robertus Siciliam vastat.* Robertus Siciliam pænè totam desolat, Friderico ei non auso resistere: eâque totâ potitus esset, nisi Pontifex impediisset, qui uti dominus hanc insulam dari non occupari peroptabat.

*Britannicæ insulæ ardent bello.* Conatus est quoque Joannes Pontifex res Anglicas, & Scoticas componere; sed pax Scotis visa est perniciosa: quare ex Scotiâ exclusi Legati Pontificii, Anglia excursionibus vastata. Nec Hiberniæ melior conditio fuit, in quâ tamen Angli feliciores extitere, quibus favebant indigenæ; unde Scoti non semel male accepti, in eâ se tantùm per vim regnare intellexerunt.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5371. | 1318. |

*Minoritæ rebelles exusti.* Agit Joannes Pontifex adversùs Minoritas rebelles, qui secedentes in Siciliam sibi Generalem Henricum de Cevâ Apostatam præfecere, multaque erronea docuere de Regulâ S. Francisci quam æquabant Evangelio; ideoque eorum 4. ab Inquisitione Minoritâ Massiliæ flammis exusti sunt; usque ad furorem, & amentiam, suæ paupertatis amantes.

*Turba Italica ex Pontificis absentia.* Matthæus, seu Maphæus Vicecomes Dux Mediolanensis rebellat in Pontificem, aliosque sibi Principes Longobardus adjungit, ac per filium suum Genuam obsidet: verùm hæc liberata est à Roberto Siciliæ Rege. Civitates quoque Status Ecclesiastici ab obsequio S. Sedis recessere, unde multa sunt enata mala, quæ Joannes suâ præsentiâ discussisset: ideo commoratio Gallica tam Francis utilis fuit, quàm Ecclesiæ perniciosa.

Renovatum est hoc anno inter Francos & Scotos fœdus, cui addita conditio de horum regnorum hæredibus, & quâ utrique regno sapienter provisum est.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5372. | 1319. |

*Frigus ingens in Italia.* In Italiâ tantum sævit frigus, ut plaustris Eridanus pervius esset, stantes plerique riguerint inopes, & in lecto, aut ante focum, & panem mandere conantes interierint, & alia ejusdemmodi frigoris miracula contigere.

*Expeditio Castellanorum infelix in Mauros.* Procuratores regni Castellæ, Petrus & Joannes, in unum coactis copiis grandem exercitum ad Granatam deduxere. In eum erumpens Dux Osminius cum quinque millibus equitum & paucis peditibus, ut novissimum agmen carperet, die S. Joannis Baptistæ calidissimo, ubi eum turbatum vidit, occasione bene usus invasit: Petrus ex calore mortuus concidit; Joannes alienatus à sensibus corruit, & sub vesperam quoque obiit: nocte se subduxit, sine impedimentis, & perditis aliquot vicinis urbibus, quas eodem impetu cepere Mauri, feliciores quàm fortiores.

*Iacobi Arragonius ...* Jacobus Arragonius Jacobi filius in publico Conventu Tarracone regnum abdicavit, quod paulò severiùs administrarat assumpto militiæ Calatravensis ornatu, & quem postea in Montesinum commutavit. Sed id ex inertiâ potiùs, quàm ex pietate visus est agere, in deliciis, & otio turpiter delitescens: atque majori regni sui fructu, quàm suo, negotium tam difficile perfecit.

*Turb... Lusitan...* In Lusitaniâ inter patrem Dionysium, & Alphonsum filium certatum est; neque procurata pax nisi precibus S. Elizabethæ matris Alphonsi, & singulari prudentiâ patris, cum filio patientiùs, quàm ferro disceptantis.

*Frid... Regi... naci... perfi...* In Africâ quoque certatum inter Reges duos de regno Tunetano, missus à Rege Tinacriæ Friderico auxiliis, ingenti pecuniâ emptis, & majori summâ ab adversario revocatis, perfidiâ quæ plus Maurum, quàm Christianum Principem sapiebat.

*Ord... tus O...* Conditus est hoc anno Ordo Montis Oliveti, à Bernardo Ptolemæo Senensi nobili Jurisconsulto, qui cùm ope B. Virginis cæcus recepisset visum, in montem Oliveti secessit, cum duobus sociis, ex voto; cui deinceps multi sunt adjuncti. Reus factus superstitionis Avenione apud Pontificem absolutus est, & ejus Ordo confirmatus: ipse, sæviente pestilentiâ, dum suis adest fratribus, propè Martyr occubuit.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5373. | 1320. |

*Ge... Pa... cha... sta...* Constantinopoli deposito Joanni Glycy Patriarchæ, morbis afflicto, successit Gerasimus monachus ignarus, & præ senio surdaster: hos enim volebat Imperator præsules suos, qui neque auribus, nec intelligentiâ uterentur.

*Ph... va... tal... pa...* Ut componeret Italicas dissentiones trajecit Alpes Philippus Franciæ Rex: sed cùm deludi se passus esset à Matthæo Vicecomite, re infectâ cum suis copiis, iis securum reditum, sibi libertatem gratulatus est.

*Cr... vio... pis... na... Re...* Coronatus est hoc anno Cracoviæ Uladislaus, cum uxore Floduige, ab Archiepiscopo Cracoviensi; unde jus consecrandi Reges deinceps translatum Cracoviam. Cruciferi quoque damnati sunt reddere Regi Prussiam, & ex eâ perceptos fructus cum litis sumptibus: cùmque non acquiescerent, Anathemate perculsi pluris pecuniam, quàm salutem suam fecere; viri si Deo placet Religiosi.

*Pa... fili... rus...* Turbata Flandria, ob accusatum Ludovicum Comitem Nivernensem sponsum filiæ Philippi, de parato veneno patri suo Roberto, à Roberto fratre juniori. Et verò miser necatus esset parentis jussu, nisi præfectus sapienter ejus supplicium distulisset. Tortus quoque scelerate Ludovici Confessarius, qui tamen nihil protulit, quod pœnitenti suo noceret. Tandem emissus est è custodiâ, ut nunquam Flandriam subiret vivo patre, sicque Roberto cederet; tumque calumnia prævaluit innocentiæ, improbitas pietati.

CAP.

## CAP. III.

### *Decas Tertia.*

*Ab anno Christi 1320. ad 1330.*

MUNDI 5374. CHRISTI. 1321.

TUrbatum est graviter Imperium Orientale rebellione Andronici nepotis filii Michaëlis in Avum Andronicum, quòd hic ferret in oculis Michaëlem Catharum nothum Constantini Despotæ filii sui, optimum juvenem, atque pulcherrimum, & in quo forma cum sapientiâ contendebant. Igitur nepos specie motuum Turcicorum copias legit; quod tardiùs agnovit Avus, nec nisi prodigio monitus, quo equus S. Georgii depictus in pariete adhinniit, uti fecerat quando Balduinus Urbe depulsus est. Statuit ergo nepotem in vincula conjicere: quod cùm uni Gerasimo communicasset, hic infidus fuit, admonitusque Andronicus Junior ad castra sua fugit Hadrianopolin, unde Constantinopolin accedens cum exercitu coëgit Avum huic partem Imperii relinquere. Gerasimus nocte inventus est mortuus: Turcæ paratâ classe hac occasione bene usi res suas promovere. Florebant autem hoc tempore Joannes Cantacuzenus illustri familiâ ortus, & charissimus Andronico Juniori sicut & Nicephorus Gregoras familiaris Theodoro Metochitæ, & acceptissimus Seniori; ambo viri magni, & scriptis illustres, ambo diversarum partium.

Ludovicus Bavarus, & Fridericus Austrius, ambo electi, de Imperio disceptabant; & in hujus partes magis propendebat Pontifex; unde enatæ magnæ turbæ in Germaniâ, nec in Italiâ minores, diffidentibus à Joanne Principibus, & in eum efferato Friderico Trinacriæ Rege, ob libratum Anathema; nec ei Antistites regni sui assentiebantur. Itaque filium suum inaugurandum curavit, ut his & Joanni moveret stomachum: sed his Comitiis non interfuere Præsules, quo essent in eum animo, & sanctam Sedem contestati.

Damnatus est hoc anno à Joanne XXII. Joannes de Poliaco Theologus Parisiensis, quòd asseruisset confessiones Religiosis factas iterandas esse Parocho, neque Pontificem dare posse iis facultatem, ut tempore Paschali alteri quàm Ecclesiæ suæ proprio Parocho confiterentur. Damnatus est homo temerarius, & revocare coactus errores suos; quod mirum est aut ignorari, aut contemni à quibusdam; qui se plus cæteris sapere profitentur, nec hujus exemplo, atque mulctâ fieri sapientiores.

Anglia tum non tantùm vexabatur Scotico tumultu, sed & domestico, propter Hugones Spenserios patrem, & filium, tam gratiosos Regi, quam proceribus exosos. Rex autem Angliæ Scotiam ingressus, deficiente commeatu turpiter redire compulsus est, vix hostium vitatis manibus, malus suorum vindex, pejor Scotorum impugnator.

MUNDI 5375. CHRISTI. 1322.

Mortuus est hoc anno ex febri quartanâ, adjunctâ Dysenteria, apud Campum Longum juxta Parisios 3. Non. Januar. ætatis anno 31. regni 4. Philippus Longus, vir bonus, & lenis, sed amantior pecuniæ; excusatus tamen quòd id faceret, ut mensuras omnes, monetasque ad unam revocaret, & multis opibus esset opus, ut Baronibus, & proceribus jus habentibus fieret satis. Sed & ejus Quæstor Gerardus Gueta, Arvernus Claromontanus; peculatûs convictus obiit in carcere publico, morbo ex mœrore contracto, qui mortem ei probrosam ademit. *Moritur Philippus longus.*

Suffectus est Philippo Carolus frater Marchiæ Comes, *Pulcher* cognominatus, Rhemis inauguratus mense Februario, cujus uxor Blancha filia Othonis, convicta adulterii, inclusa fuerat, matrimonium ejus irritum judicatum, non propter ejus crimen, sed affinitatem spiritualem; quoniam Mathildis Blanchæ mater Carolum ex sacro fonte suscepisset; nec impetrata esset hujus vinculi dissolutio. Duxit ergo Carolus Mariâ Imperatoris Henrici filiam, eâque mortuâ Joannam filiam Ludovici Comitis Ebroicensis patrui sui, impetratâ à Pontifice dispensatione. Eas autem ad nuptias Hollandiæ Comes Guillelmus Bonus adduxit Gygantem fœminam, Selandam, quæ ambabus manibus ferret dolia duo quadringentarum librarum, & transportaret trabem, quam vix octo homines deferre potuissent, dignum hoc conventu spectaculum. *Succedit ei Carolus Bellus.* *Ejus nuptiæ.*

Eduardum Anglum appetiit bello Carolus Pulcher, quòd sibi subjici recusaret; eique per Carolum Valesium totam abstulit Aquitaniam, præter Burdegalam, Bajonam, & S. Severum. Repugnavit Edmundus frater Eduardi, eò missus cum exercitu: sed adeò pressus est in urbe Regulâ, ut susciperet iter in Angliam, impetraturus satisfactionem Regi, si non posset, sponte rediturus, magnâ invadentis gloriâ, magno dedecore repugnantis. *Eduardus appetitur bello à Carolo.*

Matthæum Vicecomitem ejusque filios perculsos Anathemate invadit Fridericus Austrius, spe confirmationis à Joanne, per Henricum fratrem, & copias Cruce signatorum; verùm Matthæus non modò reddidit fraudibus irritam expeditionem, sed Fridericum à partibus Pontificiis avertit. Sic abiit in ventos negotium, quo Guelphi & Pontifex restitui poterant, Gibellini & Vicecomites exterminari; tantùm industria viribus prævalet. *Matthæi Vicecomitis solertia.*

Atenim qui homines fefellerat, incidit in Dei manus Vicecomes, nonagenario major, mortuus Prid. Kal. Julias prope Mediolanum. Mors ejus celata diebus 10. corpore clam sepulto, ne abjiceretur insepultum, & filii rebus suis providerent. Truculentior fuit mors Friderici Comitis Monfeltrii, hostis Pontificii, qui cùm se dedidisset Urbinatibus, fune ad collum religato, ut eos flecteret, ab iis nihilominus cum tribus filiis necatus est, corpus excommunicati in sterquilinium abjectum, eodem anno magni duo Sanctæ Sedis hostes cecidere. *Mors Matthæi Vicecomitis. Et Friderici Monfeltrii*

Fridericus, copiis imparibus cum Ludovico Bavaro

*Fridericus Austrius victus, & captus.*

Bavaro congressus, in Bavaria victus & captus est cum fratre Henrico: hic paulò pòst dimissus à Rege Bohæmiæ Ludovici auxiliatore; ille nonnisi post triennium solutus, licet Leopoldus ejus frater lapidem moveret omnem ut eum eriperet, etiam Acheronte sollicitato, & adhibito Dæmone, qui sub Scholastici formâ eum liberaturus erat; quem tamen sanctè Fridericus rejecit, humanamque captivitatem Stygiæ sapienter prætulit.

*Joannem XXII. mendicantes de sua paupertate, & Christi, exercent.*

Joannem XXII. mendicantes exercuere, de paupertate suâ, atque Christi, quem nihil possedisse contendebant, & à se bonorum dominium amoliebantur, atque rejiciebant in Sanctam Sedem, usum sibi tantùm reservabant. Cùmque Pontifex ab iis definita in Congregatione Generali, sub ministro Michaële de Cæsenâ, repudiasset, & consultis Academiis Decretalem Nicolai III. *Exiit* abrogasset, magni inde concitati sunt motus, qui sanctum hunc Ordinem tantùm non evertêre: certè ex eo plures transierunt ad sequiores partes, contumaci magis quam religioso spiritu paupertatis.

MUNDI 5376. CHRISTI. 1323.

*Bellum Turcis infertur, exitu parum fausto*

Initum hoc anno fœdus inter Francos, Venetos, atque Pontificem adversùs Turcas Ægæum mare deprædantes. Defuere Franci; Legatos Pontificis cum Venetis paratâ ingenti classe trajecit in Asiam, Smyrnam Barbaris eripuit multaque fortiter gessit, donec omnes Turcorum insidiis intercepti, pro fide fortiter interiere, morte suâ quàm victoriis fortunatiores.

*Joannes Lud. Bavar. damnat, ille appellat ad Conc.*

Contra Ludovicum Bavarum ut invasorem Imperii Joannes XXII. insurgit; ille appellat ad Papam meliùs edoctum, & ex eo, de more, ad Generale Concilium. Eo tempore Genuenses exercebant in Oriente piraticam, tandem à Turcis sociis suis proditi, spoliati, necati in diriores grassatores incidere. Alphonsus quoque Arragonius occupabat Sardiniam; in quâ copias ex cœli gravitate perdidit, ipse tantùm non victam.

*S. Elzearii obitus. Ejus uxor Dalphina.*

Obiit hoc anno Parisiis S. Elzearius, vel Eleazarus de Sabrano, Ariani in Provinciâ Comes, 5. Kal. Octob. consecratus Deo à matre suâ pientissimâ fœminâ, quæ *Bona Comitissa* dicebatur. Hic ductâ uxore nobili virgine Dalphinâ, cùm eâ virgo permansit, Siciliæ Regibus charissimus, sed & acceptior Deo; & propter miracula inter Sanctos ab Urbano V. relatus, vitæ suæ sanctimoniâ, etiam quàm claritate generis illustrior extitit.

MUNDI 5377. CHRISTI. 1324.

*Jandunus & Marsilius in Joann. XXII. scribunt, ut & Ochamus.*

Joannes XXII. declarat Ludovicum Bavarum omni suo jure excidisse; quare in illum hic debacchatur scriptionibus per Joan. Jandunum Perusinum, & Marsilium de Menandrio Patavinum doctores hæreticos, quorum calami ut animus venales erant. His quoque impliciti quidam Minoritæ, igne consumpti quòd hæreses foverent multis erroribus permixtas. Adjunxit se quoque Janduno, & Marsilio Franciscanus Ochamus vir acerrimi ingenii: sed his omnibus Deus opposuit Alexandrum de S. Elpidio Ravennatem Archiepiscopum Augustinianum, Pelagium Alvarum Minoritam Hispanum, Petrum Paludanum Dominicanum, magnos Ecclesiæ & Pontificis propugnatores.

Pontifex in Tyrannos Longobardos egit non tantùm anathemate, sed & armis; quibus tamen fortuna visa est iniquior. Nam ad pontem Vaprii Henricus Flander, & Raymundus Cardonius, à Galeatio & Marco Vicecomitibus victi, captique sunt: Modoëtia post iteratam, & diuturnam obsidionem dedita est. Henricus tamen mox redemptus est, Cardonius etiam redditus sine pretio, à quo tractata pax coalescere non potuit. Feliciùs hæc percussa Alphonsum inter & Pisanos de Sardiniâ, his tantùm relictâ Calari: maturabat enim ille reditum in Hispaniam, ne frater ejus Petrus, regno liberos ejus excluderet, si quid ei humanitus extra patriam contingeret, maluitque minùs posse, ut certam suis relinqueret hæreditatem.

MUNDI 5378. CHRISTI. 1325.

Renovatis inter avum & nepotem Andronicos diffidiis, desperans senex hunc inungi jubet, eique dat uxorem Beatricem Sabaudam, quam Græci vocant Annam, odio in amorem ex necessitate converso.

Siciliam hoc anno invadit Robertus, eâque totâ desolatâ potitur, præter Panormum; victi Siculi magnâ clade, fugit in Liparam Fridericus. Duobus annis sequentibus tempore messis etiam à Roberto vexata Sicilia est, & donec eum ad sua tuenda ab alienis invadendis Ludovicus Bavarus avertit.

Dum bellum vigeret in Italiâ Guelphos inter & Gibellinos, pax Francos inter & Anglos inita est, per Isabellam sororem Caroli, uxorem Eduardi. Hæc tamen prudentior, quàm castior visa est: ne enim rediret ad maritum, moras nexuit, ut adhæreret Rogerio de Mortuo-Mari, ex Londinensi turre fugitivo, quem illa deperibat, prætexens tamen Spenserios tam sibi graves, quàm marito charos. Cùm itaque eam Rex iratus cùm filio exclusisset Angliâ secessit illa in Pontivum Comitatum dotalem, datura pœnas vel contumaciæ, vel intemperantiæ.

Obiit hoc anno Carolus Valesius, Regis patruus, ex Apoplexiâ, pœnitens de morte illatâ Engerrano Marinio innocenti, cui & funus honorificum fieri jussit, & preces pro utroque ab inopibus fundi, etiam præmisso mortui nomine: sic Principes, viriq; magni aliter vivi, aliter morituri, de rebus suis, ac salute sentiunt. Dictus est ab Italis Carolus *Sine terra*, à Francis frater & pater Regum (videlicet Philippi Audacis, Philippi Pulchri, & Philippi Valesii) item patruus trium Regum (scilicet Ludovici Hutini, Philippi Longi, & Caroli Pulchri) nec tamen ipse Rex; verùm pœnitentia suâ, & pietate saltem in morte, quàm tot titulis illustrior fuit,

Conve-

Conveniunt inter se Ludovicus Bavarus & Fridericus Austrius ut huic Germania, illi cederet Italia, sicque liber est emissus Fridericus. Hoc tamen fœdus Electores atque Pontifex improbavere, rescissa Friderici & Leopoldi juramenta, ex iis pactis unus liber Austrius profecit.

Postillæ Joannis de Serignano Minoritæ, contra Romanam Ecclesiam, & pro S. Francisco delirantis, jussu Pontificis combustæ sunt, & quæ non tantùm ejus scriptis, sed & corpori flammas accersebant.

Obiit hoc anno Dionysius Lusitaniæ Rex, cùm præfuisset annis propè 46. charissimus suis. Successit ei filius Alphonsus, cognomento *Ferox*. S. Elizabetha ejus uxor annis XI. Conimbricæ propè Clarissas vixit, mortua 1336. 4. Non. Julii, tantùm inter Sanctas relata, ætate nostrâ ab Urbano VIII. licèt antea multis miraculis illustrem populus invocaret.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5379. | 1326. |

Romani vocant in Urbem Pontificem, eoque reditum excusante propter senium, Ludovicum Bavarum. Misit tamen Joannes Romam Legatum suum, & Carolum Calabriæ Ducem cum copiis, quos Castrucius Castracanis Lucensis Tyrannus delusit, perculsus à Legato anathemate, sed quod irridebat, ipse jampridem vile Dæmonis mancipium.

Agitata est hoc anno magnis motibus Anglia, Isabellâ cum filio in eam cum exercitu trajiciente, cui se proceres, & populus adjunxere. Rex ipse captus, Spenserii atroci supplicio sublati: nec Walterum Stapletonium insula Oxoniensis texit, à populo Londinensi discerptum. Adhæc in Comitiis depositus Eduardus, ei filius cognominis substitutus annorum 15. quibus acquievit Pater, id sibi propter peccata contingere confitens; Isabellâ interim ejulante, atque lacrymante, cujus tamen fictos dolores, & questus, plerique deridebant. Denique à custodibus suis Eduardus senior necatus est, immissâ in podicem corneâ fistulâ, & per eam ignito veru in intestina, ne vulneris vestigia conspicerentur. Horum omnium autor creditus est Rogerius de Mortuo-Mari, Isabellæ putatus adulter, atque ex æquo crudelis, & libidinosus; quæ ferè vitia cognata sunt.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5380. | 1327. |

Ludovicus Bavarus ingreditur Italiam, ad quem confluunt omnes rebelles, Apostatæ, Schismatici, Hæretici, excommunicati; quibus præcellebat Magister Ordinis Teutonicorum. Mediolanum pervenit. 3. Id. Maji, hicque coronatus à Schismaticis, & excommunicatis Præsulibus, coronâ ferreâ, in carcerem conjecit Vicecomites Galeatium & fratres, falsi criminis, paratique veneni in ipsum accusatos. Inde versus Romam intendit iter, petiitque à Joanne coronam Imperii, quam hic fortiter recusavit, sed potiùs eum deposuit, & sacro anathemate feriit cum suis, Janduno atque Marsilio. Nec tamen illi resistere potuerunt Robertus Siculus, nec Carolus dux Calabriæ: ille enim Ludovicum Româ prohibere non potuit, Romanis denegantibus opem quam erant polliciti; hic Florentinos, quos opibus spoliarat, flagitiosè deseruit, relicto tantùm iis Astrologo suo Francisco Cecco Asculano, qui vivus flammis exustus imminentem sibi perniciem, ne prævidere potuit, neque declinare.

Eduardus cum grandi exercitu in Scotos movit, Angliæ limitem depopulantes; sed ob suorum ignaviam redire compulsus est, cùm magnum adiisset à Jacobo Duglassio Scoto periculum, quid ad ejus tentorium cum ducentis equitibus penetravit, ministros aliquot ejus cecidit, demumque sibi viam per exercitum Anglicum aperuit. Inde composita pax, quam Angli *turpem* vocant, & meritò, cùm per eam Scoti facti sint sui juris, limitibus utriusque Regni constitutis: Scoti pecuniam, Angli uxorem filio Regis obtulere ut se muliebriter pugnasse demonstrarent. *Eduardus victo similis componit pacem cum Scotis*

4. Non. Novembr. obiit anno ætatis 66. Regni 36. Barcinone, Jacobus Arragoniæ Rex, Princeps religiosus: cui successit annorum duodetriginta filius Alphonsus IV. à quo vindicata Sardinia; haud multùm dissimilis patri, sed & adhuc generosior. *Iacobo Arag. successit Alph. IV.*

Mortuus denique creditur hoc anno S. Rochus, ex patre Joanne, matre Liberâ dominus Montis Pessulani, qui natus est rubrâ insignitus cruce, & duodennis orbatus utroque parente, pecunias omnes, & mobilia bona in pauperes effudit. Principatumque suum patruo suo commendavit. Inde perrexit in Italiam, quam percurrens multas urbes signo crucis à peste liberavit, multos afflatos lue sanavit: ipse sævo anthrace affectus in crure cum ardentissimâ febre utrumque patientissimè tulit, in sylvam secedens, ubi à cane venatico cujusdam Gothardi nutritus est, qui ei denegarat eleemosynam; quod cùm is agnovisset, se Rocho discipulum obtulit, ac multum in sanctitate ex ejus convictu profecit. Postea Montem-Pessulanum rediit, ubi pro exploratore habitus, toto quadriennio vixit in carcere, ac moriens pro afflictis peste oravit, nomenque suum atque progeniem in tabella reliquit: quare honorificentissimè sepultus multis miraculis claruit, maximè erga afflictos lue pestiferâ: cujus opem præsentissimam experti sunt Patres Concilii Constantiensis, anno 1414. quorum jussu ejus imago in supplicatione circumlata multis profuit, non aliter in Sanctorum numerum relatus est. Corpus ejus furtim subreptum, Venetias delatum est, ubi religiosissimè colitur; magnâ Dei providentiâ ne ab hæreticis, hac urbe aliquando potituris, ut aliorum Sanctorum lipsana impiè tractarentur. *Moritur S. Rochus.* *Quomodo inter Sanctos relatus.* *Venetiis colitur.*

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5381. | 1328. |

Exautoratus est hoc anno à nepote Andronico avus Andronicus Imp. suasione Joannis Cantacuzeni *Exautoratur Andronicus avus à nepote, & fit cæcus.*

cuzeni magni Domeſtici. Nepos Urbe potitus eſt artibus Eſaiæ Patriarchæ, quem Avus paulò antè depoſuerat. Confugit ſenex ad Virginis imaginem, & benignè acceptus à Nepote etiam Imperii partem obtinuiſſet, niſi conjurati obſtitiſſent. Reſtitutus ſtatim Eſaias fautores Andronici avi malè mulctavit; ſenex autem retinuit ornamenta Imperii, tantum prohibitus exire Palatio, ubi cæcus effectus, ſuis cuſtodibus ludibrium fuit, qui erat fortunæ.

*Moritur Oſmanes ſeu Othomanus, cui ſuccedit Orchanes.*

Mortuus eſt hoc anno Pruſæ in Bithyniâ anno ætatis unde ſeptuageſimo, regni duodetrigeſimo Oſmanes, ſeu Othomanus Turcorum Princeps, & Sultanus. Succeſſit ei natorum minimus Orchanes, ſeu Urchanes, qui recedens in Olympum montem, dum fratres inter ſe depugnant, collectâ militum manu, utriuſque caſtra ſingulatim invaſit, utrumque occidit, ac rerum potitus eſt. Turcæ tamen volunt hunc fuiſſe primogenitum, & huic fratrem Aladinem, ſeu Alim, omnia ceſſiſſe, ut is privatam duceret vitam, ex conſuetudine Turcorum uſque ad Bajazethem. Tum

*Orchanis initia.*

autem novus Princeps, ut ſe dignum oſtenderet Imperio, Nicæam obſedit, ac cepit, fugato Juniore Andronico, occupavit & Nicomediam, multaſque alias urbes, quibus ſe verum Ottomani ſucceſſorem docuit.

*Lud. Bavarus Romæ coronatur.*

Ludovicus Bavarus ingreditur Romam, corruptis auro multis civibus à Caſtrucio Caſtracane ejus improbo comite, coronatus à 52. ejuſdem ſecum furfuris apoſtatis, atque ſceleratis, inter quos eminebat Sciara ſeu Sara Columna Bonifacii percuſſor; qui ob id intuliſſe dicitur in Columnarum Gentilitium Stemma coronam, potiùs impietatis notam, quàm inſigne nobilitatis.

*Moritur Galeatius. Vicecomes.*

Ludovicus Romæ inter tumultus degens, ac cædes, emittit è carcere, rogante Caſtrucio, Galeatium mox in obſidione Piſtorii mortuum, extorremque non tantùm patriâ, ſed & cœlo; nec

*Item & Caſtrucius Caſtrocanus.*

ita multò pòſt anno ætatis 47. Caſtrucius obiit, munitus quidem Sacramentis in ſpeciem, nè impiè, uti reverâ contigit, expiraſſe videretur. Idem quoque Ludovicus latâ lege de futuris Pontificibus, conſtituit Papam F. Petrum Rainalutium de Corbariâ Minoritam excommunicatum, & Apoſtatam, eumque dixit Nicolaum V.

*Creatur Pſeudo-Nicolaus V.*

qui mox 7. Pſeudo-Cardinales creavit, aliis hanc dignitatem ſeu potiùs ignominiam refugientibus, Joannem damnavit, huic adhærentes ſpoliavit Eccleſiaſticis bonis, ipſe pompâ, & cultu, Regi quàm Pontifici ſimilior. Mox tamen idem Nicolaus diris devotus eſt à Romanis, & cum Ludovico lapidibus appetitus: acclamatuſque Papa Joannes XXII. quia per Bavarum ſuſcepta expeditio in Robertum Siculum malè ceſſiſſet, & quâ ſe tantùm larvam Imperatoris oſtenderat, pluſque habere malitiæ quam poteſtatis.

*Michael de Ceſena & Ochamus veniunt ad Lud Bavarum.*

Fugit Avenione Minorum Generalis Michaël de Ceſenâ; atque ad Ludovicum Piſas venit: venit quoque Guillelmus Ochamus ita Bavarum interpellans, *Tu me gladio à Papæ injuriis defende; ego te verbis, ac ſcriptis defendam*; vir magni ingenii ac doctrinæ, ſed ſuperbiæ, faſtuſque majoris. Tum autem Joannes XXII. de extinguendo Minoritarum Ordine cogitavit; ſed apud præſulem optimum, multorum innocentia paucorum ſceleri & contumaciæ prævaluit.

*Mori... Caro... Dux ... labr...*

Mortuus eſt 5. Id. Novembr. ex febri Carolus Dux Calabriæ, filius Roberti Siciliæ Regis, annos natus unum & triginta, quem pater, & ſubditi amarè luxerunt, & *cum eo cecidiſſe coronam capitis ſui* meritò *doluerunt*; ſub quo videlicet utrumque Siciliæ regnum florere, & terrori Græcis eſſe, atque Saracenis potuerat.

*Car... Belx... rita... ſuc... Phi... Val...*

Kal. Febr. obiit in Caſtro Vicennarum Carolus Pulcher, ex morbo, ætatis 34. regni 7. vir liberalis, ac prudens, ſuiſque chariſſimus. Gravidam reliquit uxorem, ſed quæ mox filiam peperit: ſicque defecit Philippi Pulchri tanta familia, ob vexatum Bonifacium, ſicut ei vir ſanctiſſimus Mauriacenſis Epiſcopus præcinuerat, quem falſum non fuiſſe vatem, hic annus docuit. Diſceptavere tum de regno Eduardus Anglus & Philippus Valeſius; ſed huic Parium judicio lis adjudicata eſt, dictuſque *Benè fortunatus*, ob tres reges ſine prole maſculâ continenter mortuos; appellatus item *Valeſius* à Valeſiâ regiunculâ Carolo ejus Patri attributâ, atque in hâc familiâ, regnum ducentis ſexaginta annis & uſque ad obitum Henrici III. conſtitit, quâ nulla fuit litterarum amantior, eruditorum virorum in ſcriptis atque monimentis nunquam moritura.

*Na... reg... ſti... Joa... fili... ni.*

Statim Philippus Navarræ regnum reſtituit Joannæ Hutini filiæ quæ nupſerat Philippo Comiti Ebroicenſi, Anglo præterito, qui hoc ſibi deberi vociferabatur; ſed auditi ſunt potiùs Navarræi, & Franci aliud exoptantes. Inde movit in Flandros rebelles in Comitem ſuum, quem etiam in carcerem conjecerant. Hi adorti Francos ad Caſelum perfidioſè, tantùm non cepere Regem: ſed tandem repulſi magnâ clade, duodecim millia ſuorum perdiderunt (alii 40. alii 46. millia numerant) Francis vix 17. deſideratis. Sic Flandrorum retuſa eſt audacia; Philippus armatus ingreſſus eſt Baſilicam S. Virginis, eique obtulit equum, & arma: atque etiamnum ejus imago lapidea coram altari B. Mariæ viſitur monimentum ſimul hujus victoriæ, & regiæ pietatis.

*Pe... m... ſp... ſu...*

Mox Judicium de Petro Remio ærarii præfecto conflatum, qui cùm Furcas patibulares, Montisfalconis dictas, extruxiſſet, peculatûs convictus, ex iis primus pependit manu carnificis, inſuper proditionis confeſſus crimen, de quo non accuſabatur; quia ferè ſemper inter peculatum atque proditionem connexio.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5382. | 1329. |

Andronicus Junior, ſanatus ex vulnere quem in bello Perſico receperat, ope S. Demetrii Martyris, incidit in graviſſimum morbum, ex quo jam moriturus, hauſtâ aquâ ex B. Virginis ſacro fonte, repente convaluit. Poſtulavit tum habitum Monachi; ſed hunc ejus avus induere compulſus eſt, ne in teterrimum carcerem compingeretur, Græcis morbo nepotis, Avi imbecillitate, & cœcitate abutentibus.

Petrus Corbarius, Nicolaus V. imaginem Joan-

Joannis XXII. Pisis comburi jubet; quando grando ingens cecidit, frigus magnum sævit: Mareschallus Ludovici, dum aquâ vivâ foveri cupit exustus est vivus, Deo veri Pontificis causam suscipiente; cum magna pernicie adversariorum.

Ludovicus ignominiosè redire cogitur in suam Germaniam: prætexuit tamen Friderici Pulchri Austrii obitum: hic enim cùm regnasset annis 15. ex veneno, aut amatorio poculo mortuus est, vermibus seu pediculis ex toto ejus corpore erumpentibus. Hujus autem uxor Isabella, Regis Arragonum soror, dum maritus in carcere detineretur, in squalore, & luctu sic vixit, ut cæca fieret; lacrymis, & oculis in hujus calamitate malè collocatis.

Mortuus est & hoc anno Tyrannus Veronæ, Patavii, aliarumque civitatum, Canis Scaliger, obsidione capto Tarvisio. Huic successit Mastinus nepos, quæ vox *Canem* quoque sonat, sed *Villicum*; unde autem hæc nomina traxerint, sicut & Scaligeri, & utrum ex illâ familiâ natus sit homo doctissimus, sed vanissimus, Josephus, tu ex Scioppio aliisque repetes.

Obiit & Marcus Vicecomes, qui potissimùm Ludovicum Bavarum in Italiam accersierat, à suis fratribus, & Azone nepote, Mediolani strangulatus, quòd novas res moliri videretur. Florentiæ priùs ejurarat Schisma, & Joannis & Ecclesiæ partes complexus erat; quæ si fecit ex animo, morte suâ, quàm vitâ felicior extitit.

Hoc anno excommunicatus est, cum suis fautoribus Ochamo, Francisco de Esculo, aliisque contumacibus Minoritis, Michaël de Cesenâ olim eorum Minister Generalis; & reddita pax Ordini sanctissimo, reductis ad concordiam Decretalibus Nicolai III. & Joannis XXII. Rursum turbare conati sunt Michaël artibus suis, & scriptis Ochamus; sed retusi sunt ambo, & pertinaciores se, quàm doctiores demonstrarunt. Sapientior fuit Corbarius Anti-Papa: cùm enim nonnihil latuisset apud Bonifacium Comitem, culpam agnovit suam, & Joanni reconciliatus cum Pisanis ostendit, se hujus Schismatis instrumentum, Ludovicum Bavarum primariam causam fuisse.

Mortuus est etiam hoc anno Robertus Scotiæ Rex, vir magnus in utrâque fortunâ, & Scotici restitutor Imperii; cui successit David filius octennis, datusque procurator Thomas Ranulphus, vir illius institutione, & regni administratione dignissimus. Cor autem suum committi jusserat Jacobo Duglassio Hierosolymam deportandum; qui vel in itu, vel reditu, audito Saracenorum in Hispaniâ bello, eò profectus, sanguinem consecravit Christo, quem in patriâ toties periculis objecerat.

Hoc anno renunciatus est Borbonii Dux Ludovicus Claromontii & Marchiæ Comes, ortus è Sancto Ludovico, unde propagata est familia Borbonia, quæ jam ab Henrico IV. rerum potitur in Franciâ, pietatis tantæ, ut perpetuam successionem sibi meritò queat polliceri.

Eodem autem anno docuit quàm addictus esset Ecclesiæ Philippus Valesius, sedatâ controversiâ, quæ de Juribus Ecclesiæ & Regiorum Prætorum erat exorta. Horum causam tuebatur Petrus de Cuneriis, illorum Petrus Bertrandi Episcopus Eduensis, & Petrus Rogerius designatus Archiepiscopus Senonensis, postea Rothomagensis. Rex optimus ab Ecclesiasticis pronunciavit, atque his verbis sententiam clausit suam. *Jura Ecclesiarum aucta se potius, quàm imminuta velle*; dignam plane quæ ex Christianissimi Regis ore prodiret. Petrus autem Bertrandi Reginæ Joannæ Navarræ factus Cancellarius, administratis sanctè Episcopatibus Nivernensi atque Heduensi, factus est S.R.E. Cardinalis sub titulo Presbyteri S. Clementis: Petrus autem Rogerii dictus Clemens VI. eò processit, quò altiùs non poterat promoveri: Philippus Rex cumulatissimè laudatus ab Episcopis, Cleroque Gallicano, ubique felicissimus extitit. Contrà verò Petrus ille de Cuneriis ad perpetuam infamiam Icunculam meruit in templo S. Mariæ Parisinæ sub nomine *de Maistre Pierre du Coignet*, ad quem funalia basilicæ hujus extinguuntur, Ecclesiasticis turpem huic nidorem in præmium suæ dicacitatis exoptantibus. *Petrus de Cuneriis.*

MUNDI 5383. CHRISTI 1330.

Ludovicus Bavarus idem erat, qui hactenus extiterat, hoc est veterator, atque fraudulentus; cujus ideo tractatus fallaces Pontifex rejecit. Corbarius autem Avenione singulatim bis confessus est errores suos, ne coactus id præstitisse videretur, & ne quis ejus Pseudo-Pontificatu abuteretur, cum libris ac sociis inclusus in Palatio, ibidem post triennium obiit; sepultus in habitu Minoritæ, morte utique, quàm vitâ meliori. *Corbarius Pseudop. submittens se Ioanni XXII includitur.*

Rex Hungariæ Carolus, dum in pace justissimè regnum administrat, à Feliciano quodam nobili, cum Reginâ, ac totâ prole fermè cæsus est, ægrè discussum est periculum; percussor membratim conscissus à satellitibus regiis, in ejus familiam sævitum acerbiùs, quàm æquitas postularet, plusque amori in Regem, quàm justitiæ indultum. Dum autem idem Carolus Wayvodam Bazardum injusto appetit bello, à Walachis primùm pacem petere compulsus, mox eâdem ab iisdem perfidiosè violatâ totum amisit exercitum; ipse mutato habitu, vix servavit vitam, qui aliena bona sibi per nefas vindicare voluisset. *Carolus Hung Rex ferè caditur.*

Eodem anno Alphonsus Castellæ Rex feliciter, suis tantùm copiis, pugnavit in Mauros, turpiter à Lusitanis paulò ante prælium desertus. Felicius Joannes Bohæmiæ Rex, dum occasione nuptiarum filii sui, cum filiâ Henrici Carinthiæ Ducis, Brixiam Bergomum, aliasque civitates, ab iis evocatus sibi vindicavit, supra spem hominis, quantumvis ambitiosi. *Alphonsus Castellæ & Ioan. Bohemiæ Reges felices.*

*Turba Anglica, Isabella exautorata.* In Angliâ concitati motus ab Episcopo Londinensi in causâ Eduardi Senioris, quem adhuc vivere audax Monachulus, & Magus mentiebatur. Ob id resciſſum caput Edmundo Cantii Comiti, Regis fratri, & regnantis patruo, curantibus ejus supplicium Iſabellâ & Mortuo mario, summo tum in Angliâ rerum arbitro. Sed hic mox captus in cubiculo Reginæ, pependit ex furcâ publicâ; illa exautorata, acceptis tantùm mille libris annui census inops vivere coacta, ut se Reginam esse dediſceret.

## CAP. IV.

## *Decas Quarta.*

### *Ab anno Christi* 1330. *ad* 1340.

MUNDI 5384. CHRISTI. 1331.

*In Io. Bohæmum conjurant Italici Principes.* JOanni Bohæmiæ sese dedere pergunt Italicæ civitates Crema, Cremona, Papia, Parma, Regium, Mutina, aliaque loca; quare in eum societatem ineunt Florentini, Robertus Siculus, & Principes Mediolani, Veronæ, Mantuæ, Ferrariæ, sollicitato etiam Carolo Hungariæ Rege, & Ludovico Bavaro. Quare Joannes sibi metuens, rebusque Germanicis, ad sua tutanda rediit, relicto filio suo Carolo in Italiâ, sub cura Ludovici fratris Comitis Sabaudiæ. Compositis autem in Germaniâ rebus transivit in Galliam, ubi filiam suam Juditham dedit primogenito Philippi Regis, atque hâc affinitate credidit se longè, quàm reliquis fœderibus suis tutiorem.

*Wladislai de Cruciferis ingens victoria.* Wladislaus hoc anno Cruciferorum 20. aut ut alii scribunt 40. millia, cecidit, cùm ex Polonis vix 30. milites occubuiſſent, pro iis depugnante B. Stanislao Martyre, cujus patrocinio tecti Poloni pii, tam multos impios jugulavere.

*Philippus cogitat de Maurica expeditione.* Philippus Francus de Mauricâ in Hispaniam expeditione cogitat; sed tam multa postulat à Pontifice, & tam absurda, ut quidam non insipienter credant, eum materiam repulsæ quæsiviſſe, ut eam expeditionem ejuraret.

*Robertus Atrebatensis fugit in Angliam.* Robertus Atrebatensis Comes Bellomontanus, à quo maxime Philippus promotus erat ad regnum, ab eodem abalienatus est, quòd ab eo premeretur, ob tabulas à nobili quâdam fœminâ, uti creditum est, adulteratas. Hic citatus à Rege, cùm vadimonio defuiſſet, proscriptus, post adita diversa loca fugit in Angliam, undè *quem evexerat Philippum Valesium tantum non depreſſit.*

MUNDI 5385. CHRISTI. 1332.

*Moritur Senior Andronicus.* Mortuus est hoc anno Andronicus Senior, cùm imperaſſet annis 50. vixiſſet 74. ex nimio conchiliorum esu, & potu aquæ frigidæ, qui cùm Christi Corpus recipere non poſſet, sacram B. Virginis imaginem, quam semper gestabat sinu, salutatam cum multis lacrymis, sibi in os indidit, quæ forsitan ei profuiſſet nisi Schismati eſſet immortuus, & extra Petri cymbam, in quâ tantùm salus, extra quam naufragium. Succeſſit nepos Andronicus, qui mox Bulgaros aggreſſus, fugatus est, & tantùm Alexandri Regis eorum gratiâ liber abire permiſſus. Eodem tempore Turcæ Constantinopolitanam oram vexabant, Urbem occupaturi, nisi huic auxilio Veneti, atque Genuenses adfuiſſent. Abduxere tamen Barbari captivorum Græcorum 10. millia, & Eubœam sibi fecere vectigalem. Paulò pòst tamen idem Andronicus cum iisdem Turcis fœdus iniit, ad Phocæam atque Mitylenem à Genuensibus repetendam, & alios deficientes Christianos in officio continendos, majori curâ Imperii, quàm religionis.

Joannes Bohæmiæ Rex Ludovicum Bavarum cum Joanne Papâ conatus est reconciliare; frustrâ: cum ille hac concordiâ postularet Imperium, quod nec dare hic poterat, nec patiebatur Ecclesia.

MUNDI 5386. CHRISTI. 1333.

Catalanica Societas & Genuenses de maris Imperio disputant, & sese graviſſimis cladibus atterunt; qui si vires suas conjunxiſſent, ipsi Græcis, atque Turcis poterant eſſe formidini: nunc suis odiis intempestivis rem Christianam in Oriente perdiderunt, tàm fortes & industrii, quàm pertinaces & obstinati.

Joannes XXII. suam profert sententiam de defunctorum animabus, quas beatitudine (ex judicio multorum è S.S. patribus) non putabat perfectè frui, sed expectare corporum suorum resurrectionem, ut cum iis plenam, & absolutam felicitatem consequerentur. Hanc opinionem cùm proposuiſſet viris doctis, à pleriſque rejecta est, probata tantùm ab iis qui placere Joanni, magis quàm Deo, peroptarent; Parisiis autem potiſſimùm impugnata fuit, à Doctoribus; quibus & Philippus Rex ipse favit. Verùm in eo eluxit divina providentia, quòd Joannem paratum eam ex cathedrâ, ut ajunt, malè decidere, mors interceperit: quod semper continget quoties Pontifices ex affectu, non ratione, nec afflati Spiritu Sancto, pronunciare volent.

Joannes Bohæmiæ Rex Italiam deserit, exosus ex æquo Italorum mobilitatem, atque perfidiam; prætexuit suppetias Guidonis Delphini adversus Amedæum Sabaudiæ Comitem: sed hoc quoque onere levatus est, mortuo in cujusdam urbis oppugnatione Delphino; quæ mors prænunciata Carolo Bohæmi filio, in agro Parmensi B. Virgini ædem cum vectigalibus erexit. Abiit tum quoque ex Italiâ, & arce Bononiensi Bertrandus Legatus, Joannis Pontificis nepos, ereptus neci à Florentinis, dum obsidetetur à civibus, qui cùm legitimos dominos ferre non poſſent, Tyrannos videbantur exigere.

Hoc anno, quo inundatio Florentiam, aliasque multas urbes in Etruriâ & Romandiolâ delevit, Robertus Siciliæ Rex Joannam, primogenitam filii sui Ducis Calabriæ defuncti, dedit Andreæ (Itali vocant Andreaſſum) secundogenito Caroberti, filii Caroli Martelli, omiſſis aliis

aliis Principibus familiæ suæ, quò æquitati & conscientiæ suæ faceret satis. Sed cùm ambo juniores essent, induere distulit habitum Minoritarum, & sapientiùs subditorum incolumitati, quàm teneris sensibus pietatis indulsit.

Heraclea, nunc *Gilbratar*, ad montem Calpem, capta est à Mauris, qui cum 7. equitum millibus trajecerant Fretum; tantaque Christianorum multitudo capta, ut singula capita nummo aureo vænirent: nec ea urbs recuperari potuit ab Hispanis, re frumentariâ impeditis. Philippus Valesius de expeditione sacra in Hispaniam visus est cogitare; sed ea tantùm sacra erat, quia in Ecclesiasticorum pecunias magis, quàm infidelium clades collineare videbatur.

Eduardus Anglorum Rex ad Barvicum, quod obsidebat, magnam Scotis intulit cladem, deletis eorum saltem 30. millibus cum universâ nobilitate, ipse ex suis equitem unum & 10. aut 12. pedites perdidit. In hujus urbis propugnatione enituit virtus uxoris Thomæ Setonii, qui cùm filium suum Anglis dedisset obsidem, ut urbem redderet certo die, & Angli hunc prævenire vellent, interminati huic necem, & fratri Thomæ in eruptione capto, animum illa nutantem mariti confirmavit, ut utrumque potiùs suspendi pateretur; miserabili tamen virtute, quæ nec urbi mox captæ, nec ejus propugnatori profuit.

MUNDI 5387. CHRISTI. 1334.

Mortuus est hoc anno 3. Non. Decemb. Joannes XXII. cùm sedisset annis 18. & ferè 4. mensibus, nonagenario major, ex profluvio ventris, cujus corpus statim resolutum est; unde magicis carminibus mors ejus adscripta, ejusque successor aliquos uti magos flammis absumpsit. Paulò antequàm obiret, retractavit quæ de animarum felicitate dixerat, & Papa dicta esse noluit, quæ privatus minùs concocta protulisset: Pontifex verè maximus rebus gestis, eruditione, & thesauro parato ad bellum sacrum, quem (ut vulgò loquimur) 20. millionum fuisse volunt. Coluit homines litteratos, inter quos Augustinum Triumphum Eremitam S. Augustini, & Petrarcham, hunc amœnissimi, illum firmissimi ingenii virum. Quòd autem Benedictini jactant eum collegisse ex libris Antecessorum suorum Pontifices, Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates in sacra diptycha relatos incredibili numero, de iis statuant hujus Ordinis Patres, & videant ne sibi ex vanis, & confictis hominibus vanos honores accersant. Post dies 10. ab ejus obitu Cardinales in duas partes secti, conveniebant in Joannem Raymundum Portuensem Episcopum, sed hic constanter hanc dignitatem recusavit; cùmque propositus esset, quasi per jocum, Joan. Fornerius seu de Furno, olim Monachus Cisterciensis, patre molitore natus, ab utrâque parte statim receptus est, ipso etiam admirante, & Cardinales irridente, qui sibi Asellum præfecissent. Electus ergo 13. Kal. Januar. ipse Kal. coronatus dictus est Benedictus XII. qui statim se alium esse ostendit, pius, constans, liberalis, profusis sanctè pecuniis, quas Joannes accuratiùs, & sordidiùs asservasset: dicere solitus erat istud Davidicum, *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero*; quare è suis promovit neminem nisi nepotem ad Archiepiscopatum Arelatensem, alioqui dignissimum, & orantibus Cardinalibus; hunc tamen ut referret in purpuratorum Patrum Senatum, adduci non potuit. Neptem suam mercatori Tholosano dedit uxorem, cum dote quæ conditionem deceret, rejectis nobilibus procis qui nuptias ejus ambiebant & ad se venientibus tantùm dedit viaticum, negans Papam parentes & affines habere: cui in eo similes optavit deinceps Ecclesia, nonnunquam per affines & parentes Pontificum dilapidata. *ejus virtutes.*

MUNDI 5388. CHRISTI. 1335.

Græci refugiunt disputationem cum Latinis, adeò ignari, ut his opponere coacti sint Nicephorum Gregoram laicum, qui eam quoque solerter vitavit, tempore longâ oratione contrito; sed quâ non tantùm tempus, sed & suos, & adversarios fallere conatus est. *Græci admodum ignari.*

Benedictus XII. admonet Ludovicum Bavarum, ut resipiscat, & monitus aspernantem fulminat. Mox ad ordinandas res Italicas admovet animum, quantùm Pontificis, & Imperatoria absentia defectusque patiebantur. Principes porrò eam miserè discerpebant dum suasque quisque molitur extendere; Gibellini & Guelphi plusquam mortalibus odiis inter se depugnabant. Quare terra ipsa ruinam iis ultimam intentare visa est, motibus inusitatis concussa in Etruriâ; quando indidem quoque magna vis serpentum egesta, quorum duo instar canum 4. pedum fuere; ut ea adversus filios suos adeò discordes decertare videretur. *Italia miserè discerpitur.*

In Poloniâ tanta vis locustarum grassata est, ut ipsæ volantes mortalium oculis Solem eriperent, stratæ humi superarent equorum ungulas; quæ omnia depastæ famem atrocem induxere. Sequentibus annis per Europam sparsa lues, fruges omnes, & arborum folia absumpta, præterquàm vitium; denique ab avibus consumptæ, aut nive obrutæ disparuerunt, quibusdam in locis priùs Ecclesiæ orationibus exterminatæ. *In Polonia clades locustarum.*

Controversia inter Polonos, & Cruciferos, nec à Joanne Bohæmiæ, & Carolo Bohæmiæ, nec à Pontifice sedari potuit, hujus sententia Polonis favebat, illorum Cruciferis, neutri tamen acquievere, ideo anathemate perculsi, ut religiosi jam laicis pejores, & contumaciores. *Cruciferi contumaces excommunicati.*

MUNDI 5889. CHRISTI 1336.

Babyloniæ Sultanus hoc anno Minoritis Patribus curam sancti Sepulchri commisit; quam illi, assentientem Benedicto, suscepere, & adhuc retinent pari prudentiâ, & pietate. *Franciscani curant S. Sepulchrum.*

Benedictus Pontifex Constitutione suâ definiit quæstionem de visione animarum extra corpus, quâ & purgavit Antecessorem suum Fraterculorum *Quæstio de animabus extra corpus definitur.*

rum calumniis impetitum; ac partis utriusque rationibus diligenter excussis per viros omni exceptione majores, petitoque Numinis auxilio, quid de eâ credendum esset indixit, cùm de utrâque parte ajente, & negante, antè legitimè, ac sine crimine dubitaretur.

*Lud. Bavarus pacem petit.* Præstare visus est hoc anno Ludovicus Bavarus duplici Legatione, quæ requirebantur ut anathemate, quo vinctus erat, solveretur: confessus est enim crimina quæ in Pontificem, & Ecclesiam perpetrarat, & admiserat pœnitentiam Expeditionis in Palæstinam, & in eâ commorationis quandiu Benedictus judicaret. Sed hanc abrupit bellum sequens, quo ipse implicitus stare nec pactis potuit, nec absolvi.

*Robertus Atrebatensis bellum Anglum excitat.* Enimverò tum exortum est atrocissimum inter Francos & Anglos bellum, atque utrique genti funestum, ac prope fatale, cujus præcipua tuba fuit, & inceptor, Robertus Atrebatensis Philippi Valesii sororius, receptus ab Eduardo; neque defuerunt ambobus Regibus causæ, quas gentis utriusque scriptores accuratiùs exponunt. Tum ergo Ludovicus infensus Philippo, adhæsit Eduardo, sicque evanuit Syriacæ expeditionis cogitatio, quâ sine dubio exterminati essent in Oriente Saraceni, si quod in Europâ sanguinis impensum est, in Palæstinâ defluxisset. Itaque Christiani in Cyprum sunt compacti, reliqui in Oriente duriùs habiti quasi hanc expeditionem procurassent. Ideo Italus quidam monachus Andreas de Antiochiâ Avenione Philippo gravia mala interminatus est, & falsum hunc non fuisse vatem, sed κακῶν μάντιν exitus demonstravit.

*Alphonsus Arrag. moritur, cui Petrus succedit.* Obiit hoc anno Alphonsus Arragoniæ Rex, dictus *Benignus* ob facilitatem morum; cui successit Petrus IV. cognomento *Ceremoniosus*, quòd in ceremoniis obeundis pænè putidus esset; vir inhumanus, ac sævus, ac toto cœlo diversus patri.

MUNDI 5390. CHRISTI 1337.

*Lis inter Græcos de lumine gloriæ in monte Thabor.* Exorta est hoc anno inter Græcos controversia de lumine gloriæ in monte Thabor, an esset increata lux, quod asserebant Monachi Hisychistæ seu Quiescentes Montis Atho, quorum præcipuus & doctissimus erat Gregorius Palamas, posteà Archiepiscopus Thessalonicensis. Huic obstitit constanter Barlahamus, cui & favêre Nicephorus Gregoras, & Acyndinus Monachus, obstitit Joannes Cantacuzenus, multique Episcopi Græci, sed ferè ignari; nec quæstio facilè terminata est, sortita judices simul & indoctos, & pertinaces.

*Moritur Fridericus Rex Trinacriæ succedit ei filius Petrus.* Hoc anno, quo geminus cometes apparuit, mortuus est Fridericus Trinacriæ Rex, ætatis 65. regni 42. cui successit jam regni consors Petrus filius, quem nonnulli parum mentis compotem fuisse scribunt. Mater ejus Eleonora, Roberti soror facta Clarissa meliùs deposuit sceptrum, quàm gessit.

*Bellum atrox inter Francos & Anglos.* Inchoatum est Anglicanum bellum in Galliâ, Francis Aquitaniam, Anglis Xantonas depopulantibus; his favit Ludovicus Bavarus, illis Flandriæ Comes; hujus subditi in Anglorum partes transierunt, impulsore Jacobo Artavello, Zythi confectore. Is Anglicâ pecuniâ corruptus, populariter eloquens, & audacissimus. Flandros suos in Philippum armavit. Pontifex modis omnibus hoc bellum abrumpere conatus est, & Philippus ad pacem inclinabat; sed Eduardus ex innata genti ferociâ usque ad Benedicti contemptum repugnavit. Rex autem uterque per nefas pecnias quæsiit, Anglus etiam per sacrilegium, neutri de more profuturas.

Florebant hoc tempore in Occidente Ludovicus Saxo, ex Dominicano factus post annos 30. Carthusianus Argentinæ: item Simon de Cassiâ Hernicus, Eremita S. Augustini, ambo vitâ Christi piissimè descriptâ celebres: ad hæc Petrus Aureolus Minorita, alter Esau, cunctis oppositus, factus Aquensis Archiepiscopus; denique Guido Carmelita Catalanus, sui Ordinis Generalis, ac postea Majoricensis Episcopus; omnes magni nominis, omnes Ordinem suum, adeoque sæculum suum illustrarunt.

MUNDI 5391. CHRISTI 1338.

Ludovicus Bavarus hoc anno à Pontifice disjunctus est omnino; missi utrimque Legati, re infectâ, & pace desperatâ, redierunt; itaque Constitutionem ille edidit contra Pontificem de Electione Imperatoris; cui plerique Electorum, ac Procerum subscripserunt: restitit tamen huic Joannes Bohæmus; unde magni in Germaniâ motus, quibusdam Pontifici, pluribus Ludovico faventibus, sed metu potiùs quàm voluntate compulsis.

Appellit in Flandriam cum classe 300. navium Eduardus, unde & Ludovicum convenit, à quo creatus est Vicarius Imperii. Inde tentatum ab eo Cameracum, relictum tamen adveniente cum ingenti exercitu Philippo, in quo Joannes Bohæmiæ, Philippus Navarræ, David adolescentulus, Scotiæ Reges cum multis Ducibus & Comitibus. Cumque essent in procinctu acies, Oesiâ tantùm fluvio separatæ, pugnatum tamen non est, Philippo declinante certamen, suasione Roberti Siciliæ Regis eum admonentis per litteras sapienter, ne committeret Regnum suum unius prælii periculo; aut certè Mathematici cujusdam minis, magnam Franco ab Anglis cladem prænunciantis. Cùm itaque ambo exercitus abiissent, Eduardus titulum Franciæ Regis accepit, ex consilio Artavelli, moxque recessit in suam Angliam, relictâ tamen conjuge suâ Antverpiæ, ad spem brevis certique reditus. Quod ubi rescivit Pontifex utrumque Regem adhuc reconciliare conatus est; frustra tamen, quòd spem uterque nimis bonam de expeditionis suæ fortunato exitu concepisset.

MUNDI 5392. CHRISTI 1339.

Venit ad Pontificem Barlahamus ab Andronico Imperatore missus Avenionem cum Stephano Dandulo pollicitus Ecclesiæ Latinæ concordiam, si 4. urbes à Turcis occupatæ, armis Occidentalium redderentur Græcis, & celebraretur Generale

rale Concilium, cui adessent 4. Orientis Patriarchæ, saltem per Legatos suos. Verùm hæc Legatio in ventos abiit, cùm in eâ Græci commodum suum, non pietatem spirarent; consueti vociferari concordiam, cùm eorum res attritæ, aut defluentes, auxilium Latinorum exigerent.

Mauri in Hispaniâ ad Arcobrigam grandi clade prostrati sunt à Gonsalvo Martinio Alcantaræ Ordinis magistro cum paucis copiis: fugiens pedes Abomelicus, ut miles gregarius obiit, magno dolore patris Regis Marochii, & quem tantùm spes ultionis consolabatur. Martinius autem non ita multò pòst de magnis criminibus, aut veris, aut falsis, accusatus, vivus exustus, haud festos tantæ victoriæ ignes expertus est.

Joannes Bohæmiæ Rex uno privatus oculo in expeditione Lithuanicâ pro militibus Prussis, Montem Pessulanum venit ad Medicos, uti curaretur: sed ab iis alterum amisit oculum. Cæcus nihilominus multa bella gessit, multas iniit pugnas, docuitque duces non corpore, sed animo pugnare.

Hoc anno Assisii inventum est Diploma Othonis III. quod tantâ contentione rejecit Baronius Cardinalis; id tamen admisisset vir æquissimi, & acerrimi judicii, si pro eo scripta perlegisset; quia veritas nonnunquam temporis filia dicitur.

Mutatus est hoc anno Genuæ status, ex Aristocratico in Democraticum, primusque de populo Præfectus Simon de Buccâ Nigrâ, dissipatis domesticis seditionibus, ac retusis hostibus, hoc munere dignissimus Genuæ quoque Savona præluxit, ut sunt non tantùm corpora, sed & animorum contagia.

Denique Robertus Siciliæ Rex Astam urbem subalpinam perdidit; sed Liparam devictis Siculis recuperavit, captis aliquot eorum ducibus, & maximè Rolando spurio fratre Petri Regis. Hic redemptus à locuplete fœminâ Mamertinâ Camiolâ Turringâ bis mille unciis auri spe nuptiarum, cum hic negligeretur à fratre, conjugium ipse liber ejuravit. Sed ab eâ vocatus in judicium damnatus est: at illa ut ingratum respuit, seque consecravit Christo, ex æquo fortis atque religiosa.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5393. | 1340. |

Simon quidam à Quarto, cum paucis triremibus in Orientem navigans, Turcos in Euxino mari divagantes magnis cladibus affecit, pervenitque Caffam, olim Theodosiam, Genuensium Emporium, unde Minoritas inter Tartaros degentes juvit; vir bello & pace magnus, nec tantùm fortis, sed & religiosus.

Benedictus XII. multos Imperii constituit Vicarios, ne Italia ab externis hostibus invaderetur; Luchinum Vicecomitem, Mediolani, Scaligeros Veronæ, Guillelmum, Gonzagam Mantuæ, & Reggii, etiam iis imperato pecuniarum censu; quod consilium non fuisse inutile Imperio, & Ecclesiæ, ostendit eventus.

Contigit hoc anno turpe divortium inter Joannem filium minorem Joannis Regis Bohæmiæ, & Margaritam filiam Henrici Ducis Carinthiæ, procuratum à Ludovico Bavaro, ut nuberet ejus filio Marchioni Brandeburgensi; sed impudica mulier etiam hoc conjuge non contenta, se nobili viro prostituit, & maritum, ut impunè magis peccaret, necavit, filiumque ex eo susceptum veneno sustulit. Quare Comitatu suo Tyrolensi privata, inclusaque monasterio miserè periit: mulier quâ libidinosiorem, & nequiorem Germania, ne dum Europa, unquam agnoverat.

Eduardus ad Clusas nobilem de Philippo victoriam navalem retulit, cæsis Francorum decem millibus, ducentis & triginta Genuensium navibus depressis aut captis, biduo durante prælio, æstuque maris & vento faventibus Anglo. Hic tamen quatuor suorum millia perdidit, ac multos nobiles, ipso etiam Eduardo in femore vulnerato. Cùm tamen mox adfuisset Philippus cum 10. millibus equitum, & innumerabili peditum numero, & Ducem Brabantiæ avertisset ab Eduardo, Tornacum insuper à B. Virgine defensum esset, factæ sunt induciæ inter utrumque Regem, comprehensis etiam auxiliatoribus, operâ Joannæ Valesiæ sororis Philippi & socrûs Eduardi, post obitum viri sui Guillelmi Boni Comitis Hannoniæ, Sanctimonialis; cujus tum pietas & magna, & felix extitit. *Victoria navalis Eduardi de Francis.*

S. Gertrudis de Oësten, religiosa in oppido Delfensi, quinque stigmata recepit in corpore, ex quibus septies in die, ad singulas horas canonicas, sanguis effluebat: compressit hæc oratione suâ fluxum istum cruoris, sed cum quinque plagiis obiit imago vivens & moriens Christi de cruce pendentis. *S. Gertrudis de Oesten.*

---

## CAP. V.

### *Decas Quinta.*

*Ab anno Christi* 1340. *ad* 1350.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5394. | 1341. |

Constantinopoli & in Templo S. Sophiæ disceptavere coram Populo Balahamus, & Palamas; sed huic propè succumbenti metuens Andronicus Imperator, disputationem abrupit, & quominus veritas prævaleret, impediit. Quare Balahamus in Italiam rediit, neque diutiùs inter eos vivere voluit, quos jam & schismaticos, & in suo schismate videret obfirmatos. *Disputatio Balahami, & Palamæ.*

Mortuus est hoc anno Andronicus ex lethargo, uti creditum est, ex quo quasi evigilans sexto pòst die, elatus est ætatis 45. Imperii occupati 13. ab obitu Avi 9. quem Cantacuzenus laudat, vituperat Nicephorus Gregoras, & illud meritò quòd venationi nimis indulgeret, aleret 1500. canes, accipitres mille, quibus sapientiùs bonos milites antepostuisset. Reliquit filios impuberes duos, Joannem & Michaëlem, (cùm ille tantùm novennis esset) ex Annâ Sabaudâ, quorum tutelam reliquit Joanni Cantacuzeno, Annâ assentiente, immò & Joanne Patriarchâ, qui hanc sibi debitam curam arbitrabatur. In Cantacuzenum cùm esset exorta seditio ab Apocauco sacri cubiculi Præfecto; Ille hâc occasione usus, effecit *Moritur Andronicus Iunior.*

(quum id se recusare fingeret) ut diceretur Augustus,& exornaretur Tyarâ in oppidoDidymoticho ad Hebrum,cùm Joannes nondum coronatus esset:itaque ille excommunicatus est à Joanne Patriarchâ.Sic eodem tempore duo Augusti fuere, tutor,& legitimus hæres Joannes seu Calo-Joannes,unde enatum civile bellum,quo Orientale Imperium jam concussum, prope eversum est: quid enim aliud ex Græcorum perfidiâ ignaviæ conjunctâ expectaretur?

*Cantacuzenus fit Augustus, & tutor Ioannis.*

*Redintegratur bellum inter Anglos & Francos.*

Ludovicus Bavarus relicto Eduardo, cui Vicariatum abrogarat, reconciliatur Philippo; quando & opera Benedicti continuatæ sunt inter utrumque Regem induciæ; sed orta disceptatio de Ducatu Minoris Britanniæ iterum utrumque commisit. Eduardus enim eò navigans post obitum Joannis Ducis tuebatur jus Joannis Comitis Monfortii, fratris tertio geniti Joannis, qui Reges Angliæ affinitate contingebat: Philippus contrà defendebat partes filiæ Guidonis secundogeniti, quam duxerat Carolus Blesensis Comes, filius sororis ejusdem Philippi, cui etiam à Paribus Franciæ Ducatus erat assignatus. Ex eâ controversiâ consecutum est atrox bellum, & multæ utrimque clades, quales à potentissimis Principibus aliquando paratis, nonnunquam imparatis solent expectari.

*Fr. Petrarcha donatus Laurea.*

Donatus est hoc anno Romæ laureâ in Capitolio Franciscus Petrarcha Florentinus anno ætatis 37.curante Roberto Siciliæ Rege, viro & erudito,& eruditorum amatore. Petrarchæ autem tanta fama fuit, ut non tantùm Principibus acceptissimus esset,sed ad eum videndum multi ex variis nationibus confluerent;sic Tito Livio, atque S.Hieronymo ut ingenio & doctrinâ,sic gloriâ & honore suppar.

MUNDI 5395. CHRISTI 1342.

*Benedicto XII. succedit Clemens VI.*

Mortuus est hoc anno Benedictus XII. cum sedisset annis 7. mens. 4. diebus 6. Avenione 7. Kal.Majas,ex tibiarum Epiphorâ, quam ineptè medici prohibuere. Vir fuit liberalis, pius,& cultor eruditorum, inter quos dilexit impensiùs Gregorium Ariminensem,& Thomam Argentinensem Eremitas S. Augustini. Successit illi Petrus Rogerii Benedictinus olim Casæ-Dei vir litteratissimus,& memoriæ singularis,ex vulnere recepto in capite. Prænunciatus illi fuerat Pontificatus per jocum à Presbytero Stephano Aldebrando, quem postea suum cubicularium fecit,& Archiepiscopum Tholosanum;item & à Carolo IV.Imperatore inter confabulandum; ut ostenderetur etiam viris magnis ludentibus excidere vaticinia.Dictus est Clemens VI. 14.Kal. Jun.coronatus ipso die Pentecostes coram multis Principibus, statimque nomen implevit suum; identidem dictitans,à Principe neminem haud contentum abire oportere.

*Clemens in Italiam venire nequit.*

Romani Clementem Legatione accersunt,qui tamen eorū votis obsecundare non potuit; quòd Ludovicus Bavarus in urbes juris Pontificii Vicarios suos intrudere moliretur, atque ex Comitatu Tirolensi, quem occupare nitebatur pro Margaritâ filii sui uxore, imminere videretur Italiæ.Hunc tamen,ejusque fautores anathemate perculit,multisque factis egregiis se dignissimum Petri successorem præstitit.

*Mors roli I garis Petr Trin*

Obiere hoc anno Carolus Hungariæ Rex in castro Vissigradensi, multùm, sed non satis citò amatus à subditis; & Petrus Trinacriæ Rex in oppido Calataxibettâ, frustrà conatus liberare Mylas obsessas,quæ statim Roberto deditæ sunt. Huic successit filius Ludovicus quinquennis sub tutelâ Joannis Randatii avunculi,quo ægrotante Messana rebellavit, sanato ad sanam rediit mentem: Illi Ludovicus, etiam parente Carolo major, successor Regni Polonici jam declaratus à Casimiro avunculo suo ἀτέκνῳ, optimè ille affectus in S. Ludovicum Minoritam Episcopum Tholosanum Patruum suum, cujus ex precibus, voto ei facto, susceptus credebatur, verè Adeodatus atque Demaratus.

*Petr cedit dov.*

*Inu nes ann ves*

Tantæ hoc anno contigere inundationes, ut urbes omnes in humilioribus locis conditæ navigarentur, pluviis creberrimis è cœlo cadentibus, & campis omnibus, atque montibus aquas reddentibus; quibus potiùs, quàm pluviis, ac nivibus, magnæ eluviones à peritioribus Physicis solent assignari.

MUNDI 5396. CHRISTI 1343.

*Ex tur stic Tu*

Clemens hoc anno contra Turcas Crucem attolli jussit, Thraciam & insulas Maris Ægæi depopulantes; primi armati sunt Rex Cypri, Veneti, & Hospitalarii, ut accusationes diluerent factis,& reliquos Christianos accenderent. Et verò Calo-Joannes, & Joanna seu Anna petebant auxilium contra eosdem Barbaros, & Cantacuzenum Tyrannum,per litteras,quas tamen Cantacuzenus ab Apocauco scriptas tradit: sed in suá causâ quæ fides adhiberi debet,qui hanc suo Principi non servasset?

*Iu à te inj tu*

Clemens 6. Kal. Febr. Jubilæum revocat ad annum 50.& verè Jubilæum facit; mox contra Lud. Bavarum agit,& ejus fautorem Arch. Moguntinum; ille adductus in ultimam desperationem dubitat utrum retineat, an abjiciat Imperium, neque bonus Imperator, neque bonus Christianus.

*M ch Ce*

Obiit hoc anno pœnitens Michaël Cesenas; cujus exemplo permotus, Avenionem venit Franc. Esculanus,planè reconciliatus Pontifici; aliter in vitâ, aliter in morte viri magni judicant.

*R Si R tu*

Mortuus est item Neapoli Robertus Siciliæ Rex, jam ab obitu patris annis 34. vir prudens & Salomoni comparandus si Baldo I. C. fides, qui tanti litteras fecit,ut eas anteponeret regno. Obiit in veste Minoritarum,& nuncupatis hujus Ordinis votis, cui cum conjuge addictissimus erat; quare his curam S.Sepulchri à Soldano obtinuerat,& monasterium Hierosolymis extruxerat.Reliquit hæredem Joannam,ex Carolo filio,desponsatam Andreæ Hungaro seu Andreasso,adjunctis ei proceribus regni; Sed dum Hungari ad se omnia trahere volunt, hoc regnum propè labefactarunt; quod impediit Pontifex, quantùm in se fuit,& ut communis pater, & ut summus

summus Dominus, qui pati non debuit filiæ suæ, atque subditæ ditionem labefactari.

Contigit hoc anno horribilis tempestas Neapoli, qualis ab Orbe condito visa non erat; quam conquassatæ omnes, in portu naves, præter unicam, quæ 400. latrones vehebat. Pervasit & Venetias usque, à S.S. Marco atque Nicolao discussa, dæmonibus expulsis, ejus authoribus. Instituta à Duce Gradonico (qui hoc anno mortuus successorem habuit Andream Dandulum) navigatio in Ægyptum & Syriam, assentiente Pontifice, Christianis necessaria. Venetis utilis, & quæ eorum urbem reddidit locupletem.

Petrus Arragonius hoc anno Jacobum Balearidum Regem propinquum & affinem suum appetiit bello atrocissimo, & utramque insulam Majorem, & Minorem occupavit, eumque demum ad pacem turpissimam compulit. Quâ ille actus in desperationem venit ad Philippum Valesium, cui civitatem Montempessulanam, immò & Comitatum Roscinonensem vendidit, cum Perpiniano. His pecuniis fretus reparavit bellum, in quo tandem anno 1349. interiit. Petrus in ejus familiam, immo & suam sæviit, Saraceno quàm Christiano propior.

Hoc denique anno Robertus Atrebatensis, præcipuus incentor belli Anglicani, & tum fautor Monfortianæ partis in Armoriâ, ictus sagittâ interiit, magno gaudio Francorum, Anglorum mœrore; qui tamen plus ejus proditionem, & desperationem, quàm illum proditorem, & desperatum diligebant.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5397. | 1344. |

Christiani hoc anno satis feliciter initio pugnarunt in Asiâ, & Smyrnam occuparunt, deletâ Turcorum classe: postea tamen aliquas accepere clades; ac demum occupatis aliquot locis recessere, quæ tamen inter eos belli materies fuit, magno eorum damno, majore Christianitatis.

Irrisus est hoc quoque anno à Ludovico Bavaro Clemens Papa, propositis ei conditionibus pacis quas Germani, eo adnitente, rejiciebant; quare de eo evertendo seriò cogitat, atque à Francorum Rege, aliisque ejus inimicis flagitat auxilium: ratus veteratoris hujus Principis eversionem, Ecclesiæ stabilitatem esse.

Algezira, ad Fretum Gaditanum munitissima civitas, hoc anno Mauris erepta est auxilio Francorum, Navarræorum, atque Pontificis. Certè ab eâ expeditione dum redit Rex Navarræ obiit, relicto successore Carolo filio. Tum excogitatum est ab Hispanis, hujus belli causâ, vectigal dictum Mauricâ voce *Alcavala*, quod respondet vigesimæ, *le sol pour livre.* Mauri autem perhibentur in hâc expeditione, igne ac pulvere tormentario emisisse globos in obsidentes Hispanos, quibus usi esse in prælio Cressiaco Angli adversùs Francos scribuntur. Quare qui hujus inventi tartarei autor traditur, Bertoldus *Schvvars*, seu Niger, Monachus, cùm tantùm in annum Christi 1355. aut etiam 1380. rejiciatur, hoc perfecisse potiùs, quàm invenisse credendus est, maximè cùm ante multa sæcula Sinas eodem usos esse didicerimus ex testibus omni exceptione majoribus.

Philippus Valesius vectigal Salinarum instituit, prohibens ne quis sal emeret, nisi ex Fisco, unde eum Salinatorem Eduardus appellabat, ille vicissim hunc lanarum Mercatorem, convitio subditis quàm Principibus acerbiori, atque duriori. *Phil. Valesius Salinator.*

Ludovicus de Hispaniâ, vir nobilis ex mixto sanguine Regum Franciæ, & Hispaniæ, hoc anno creatus est à Clemente Rex Insularum Fortunatarum, & in habitu Regio per urbem Avenionem circumductus, pluviâ probè madidus rediit domum. Turbavit ea Regis electio Anglos quasi de suis insulis ageretur, adeò tum ignaris harum insularum, quæ postea ab unâ earum dictæ sunt Canariæ; tunc autem Genuensium navibus lustratæ sunt. His tamen, comparatâ licèt classe, Ludovicus potiri non potuit, prohibitus Cressiacâ clade, non Francis modò, sed & sociis Principibus fatali. *Lud. de Hisp. Rex Canariarum.*

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5398. | 1345. |

Promulgatur iterum Crux in Turcos; & huic expeditioni, omnium votis, præficitur Imbertus seu Humbertus Delphinus Viennensis: sub cujus auspiciis incensæ sunt Turcorum naves, nihil insuper memorabile gestum. Hoc certè illustrius, quòd ille ante duos annos Philippo ditionem suam eâ lege dedit, ut ejus filius aut nepos cui hæc provincia assignaretur, Delphinus vocaretur, & Delphinos ferret pro stemmate. Factus est is postea Dominicanus, & Alexandrinus Patriarcha, aliisque beneficiis Ecclesiasticis auctus obiit Claromontii in Arverniâ 1355. major Principatu relicto quàm administrato, & sibi relicto successore, qui semper Christianissimi Regis primogenitus esset. *Imbertus seu Humbertus Delphinus.*

Joannes Cantacuzenus à Patriarchâ Hierosolymitano Lazaro coronari voluit, & filiam suam Theodoram dedit Orchani Turcarum Principi, unde factum ut Turci antea vagi; firmam in Thraciâ sedem defigerent, non jam grassatores, sed incolæ, & mox tanti hujus Imperii eversores. *Io. Cantacuzenus res suas firmat.*

Declaratus est hoc anno à Pontifice Rex Neapolitanus Andreas Joannæ maritus, reclamante licèt Carolo Dyrrhachino Joannæ patrueli: sed idem Andreas Atellæ (nunc *Aversa* dicitur) strangulatus est; cujus necis causam alii in Joannæ libidinem, quam hic explere non poterat; alii in regni proceres invidos verisimiliùs rejecerunt. Certè de hac morte dira quæstio exercita est, multi viri ac fœminæ illustres damnati. Edidit paulò pòst Joanna postumum Andream Carobertum, & cum eo factiones in regno multas, quibus providit Clemens quantùm in Christianos, & sibi subditos, amor patiebatur. *Andreas Rex Neapol. necatur.*

Renovatum inter Anglos, & Francos bellum; Vasconiæ ab his occupatæ urbes plurimæ, Eduardi pater & filius in Flandriam appulere Clusas, quibus statim junctus est Artavellus; hic mox in tumultu *Bellum inter Anglos, & Francos renovatur.*

tumultu cum fratre & nepote cæsus dum Eduardum uti Franciæ Regem agnoscendum curat à Gandavensibus; negarunt Flandri se Eduardum Franciæ Principem salutaturos, nisi eam occupasset; sapientiùs profectò quàm rebellium amentia postularet.

*Comes Monfortius moritur.* In Armoricâ obiit tum Comes Monfortius, æmulus Caroli Blesensis, cujus in obitu tam multos corvos apparuisse ferunt, ut ex totâ Galliâ eo corvi omnes advolasse viderentur. Quidam Dæmones putavere; ut ejus animam raperent, hominis scelerati, & pauperum oppressoris; quoniam hoc genus hominum emoriens præda Diaboli solet esse.

MUNDI 5399. CHRISTI 1346.

*Chios insf. occupatur à Genuensibus.* Insula Chios occupatur à Genuensibus, cum magno dolore Venetorum, per Simonem Vignosium justissimum Imperatorem: certè æquitatem ejus ostenderunt filii in tergo vibices, quem ob raptos racemos è Chiensi prædio tota urbe verberari jussit, uvis è collo pendulis, nequicquam deprecantibus Chiis. Idem moriens, ut quibusdam deprædationibus faceret satis, quingentos nummos aureos ad dotandas virgines Chienses reliquit, melior præfectus, quàm pater.

*Adeodatus Magister Rhodius olim Draconis interfector.* Adeodatus Gozonis creatus est Magister Hospitalariorum; defuncto Ebione de Villanovâ, qui eum conjecerat in carcerem, atque ordine deposuerat, quia injussus Draconem ingenté aggressus erat equo, & duobus canibus condocefactis in insulâ Rhodo, sed cum magno vitæ periculo. Mox tamen restitutus, & laudatus fuerat, ob insulam hoc monstro liberatam, quo nullum tetrius hæc viderat, ut militem nullum Adeodato magis industrium, atque fortiorem.

*Sufficitur Lud. Bav. Carolus IV.* Exautoratus est hoc anno, jubente Clemente VI. Lud. Bavarus, ejusque loco electus Carolus IV. filius Joannis Bohæmiæ Regis, natus annos 30. coronatus Bonæ, quòd Aquisgranum Ludovico tenaciùs adhæreret, & periculum esset in morâ.

*Eduardus Norman. vexat, Cadomum capit.* Irrupere hoc anno in Normanniam Angli, cum utroque Eduardo; & classe sexcentarum navium; ac primo impetu Cadomum tumultuosè capit pater cum Comite Stabuli Rudolpho Augensi. Inde Rothomagum proficiscitur, omnia vastans, atque comburens; excluditur tamen ab hac urbe Philippi diligentiâ, sed adverso flumine Sequanâ Pisciacum usque progreditur. Cursum hinc reflectere cogitur, & per Bellovacorum fines transire, cùm ut exercitum enectum fame reficeret, tum ut suis copiis 30. millia Flandrorum adjungeret. Pervenit ergo in agrum Pontivensem, & ad Cressiacum vicem supra Abbavillam in modico colle consedit. Cùm autem Angli omnium rerum inopiâ pressi, sine sanguine debellari possent, eos in castris probè munitis invasit Philippus imprudentissimè 7. Kal. Sept. *Pugna ad Cressiacum.* pugnatum acriter ad concubiam noctem. Victus Philippus acceptis duobus vulneribus fugit Ambianum: cæsus tum Joannes Bohæmiæ Rex cæcus fortiter, & cum Anglorum stupore, depugnans, filius ejus Carolus IV. Cæsar acceptis tribus vulneribus subduxit sese. Cecidere quoque Carolus Comes Alenconii Philippi frater, Ludovicus Flandriæ Comes, Ludovicus item Comes Blesensis, Grimoaldus & Auria Genuensium duces, injustè cum suis initio certaminis ab equitatu Gallico, quasi proditores obtriti, quod eorum sagittarii uti non possent ballistis, nimio humore eorum nervis emollitis. Periit denique sequenti die Rodolphus Lotharingiæ Dux dum venit Francis allaturus auxilium: uno verbo cæsi supra viginti equitum peditumque millia, magnaque pars nobilitatis, Gallia est in ultimam deducta discrimen. Exinde Eduardus frustra tentatis Monstreriolo, atque Bononiâ, Calesium obsidet: sed urbs ista toto anno restitit, civibus tantùm famè sese dedere compulsis. Hos omnes cùm perdere decrevisset Eduardus, exemit tandem eos morte, compulsus precibus matris, uxoris, & duorum Cardinalium Legatorum; sex tantùm ex iis postulavit ad laqueum. Civibus de sex illis consultantibus obtulit se sponte Eustachius à S. Paulo, cujus exemplum secuti alii primarii quinque cives, se pro suis popularibus fortiter devovere, quibus etiam vitam obtinuit Philippa uxor Eduardi, patrui vicina, ad mariti provoluta pedes. Ita periit Francis nobilissima & fortissima civitas, cui nunquam Philippus victus potuit opitulari; ac tota Francia sic turbata est hoc casu, aliunde vectigalibus, & portoriis attrita, ut ruinam ipsa expectare, & quodammodo optare videretur: tantum interest hanc gentem à suis Principibus non opprimi, cui plerumque animus, & pugnandi voluntas cum bonis eripitur.

MUNDI 5400. CHRISTI 1347.

Joannes Cantacuzenus, perfosso muro, à suis fautoribus receptus est Constantinopoli, captis Annâ Augustâ, & filio ejus Calo-Joanne: hos tamen amicissimè tractavit, datâ etiam filiâ suâ Helenâ Calo-Joanni, quem saltem nomine tenus secum voluit imperare, tanta nihilominus ipse elatus superbiâ ut digito se cœlum attingere cogitaret.

Turbata est Roma à nebulone quodam Nicolao Gabrino filio propolæ, vel molitoris, & lotricis, qui Tyrannus in eâ constitutus à plebe, sic intumuit ut se 7. coronis exornaret. Sed mensibus duntaxat 7. insaniit, tandem oppressus modicis Apuliæ Palatini, & præfecti Patrimonii copiis, ac fugere compulsus, ac sæpe mutare latebras, tandem missus est Avenionem, ubi sic servatus est in carcere, ut intelligeret sibi non esse licitum liberè insanire.

Obiit hoc anno Ludovicus Bavarus, hostis Pontificum maximus, & Ecclesiæ, veneno potatus à Joannâ Ducissa Austriæ, & conatus id dejicere agitatione dum Aprum insequitur; itaque Apoplexiâ correptus, ex equo decidit, & interiit impœnitens. Eum tamen Sanctis adscripsit Aventinus, eique affinxit miracula, ut se non mendacem tantùm, sed & sacrilegum exhiberet. Huic mortuo suffecti Eduardus Anglus, Fridericus Marchio Misnensis, abnepos Friderici quondam Imperatoris, & Guntherus Comes

Schvvar-

Schwartzemburgensis, qui etiam electionem suam armis tutari conatus est; sed duobus cedentibus jure suo, Guntherus à Medico suo veneno sublatus est: quare unus Carolus IV. Romanorum Rex agnitus est, cujus inauguratione omnes turbæ quieverunt. Henricus Moguntinus, qui tumultum ciere poterat, morte subitâ elatus, Deo pœnas criminum dependit, quæ non tantùm in Imperium, sed & in Ecclesiam admisisset.

Joanna Regina Siciliæ cis Pharum nubit Ludovico filio Philippi Principis Tarentini: at cùm videret accedere cum copiis Hungariæ Regem Ludovicum, mortis Andreanæ vindicem, pactis illa induciis cum Ludovico Rege Trinacriæ fugit ad Pontificem. Rex autem Hungariæ descendit in Italiam, contemptoque Legato Pontificio, benignè susceptus ab omnibus Aversam venit; tumque desertus ab omnibus Joannæ maritus, collectas copias relinquere, & fugere cogitur regno simul & uxore privatus, factus ex Rege fugitivus, & erro.

MUNDI 5401. CHRISTI. 1348.

Ludovicus Rex Hungariæ Carolum Dyrrhachinum eodem in loco cædi jubet, negato ei Sacerdote, quòd Andream jugulandum curarat, absque pœnitentiâ, & insepultum abjici ejus fratres, aliosque Principes vinculis constrictos mittit in Hungariam. Neapolin inde armatus ingreditur, & spirans cædes: quâ urbe ordinatâ fugit ob pestem, & recedit ad sua contemptus à Neapolitanis, quibus plus terroris intulerat, quàm damni.

Joanna Neapolitana Avenionem venit, ubi maritum suum invenit, ubi se ista purgat de nece Andreæ, ut ejus recens matrimonium à Clemente probaretur. Revocata est statim à suis post Hungari discessum, & deficiente pecuniâ oppigneravit Ecclesiæ, & Clementi, Avenionensem Comitatum octoginta millibus Florenorum auri Florentini. Nugantur enim qui hîc donationem admittunt, aut simulatam venditionem. Recuperavit ergo statim magnam regni sui partem; acceptis tamen aliquot cladibus à Conrado Lupo cum suis Hungaris atque Germanis, à quibus etiam aliquot direptæ urbes, sed tandem amor subditorum in veros Principes, externæ potentiæ prævaluit.

Sævit per totum Orbem pestilentia, qualis hactenus visa non erat, exorta (ut creditur) in Magna Tartaria año 1346. ex igneo vapore è cœlo delabente, vel erumpente de terrâ, cum serpentibus, & horrendo fœtore: inde universam Asiam, Africam, Europam lues illa pervasit, tantâ atrocitate, ut solo visu aut halitu eâ afflati, alios enecarent. Certè Florentiæ tum elata sunt ferè centum hominum millia; inter quos Vilanus historicus. Ob eam pestem cœperunt Religiosi Ordines tepescere, plusque hæc animis quàm corporibus obfuit. Contigerunt & horribiles terræ motus in Germania, & Italia, quibus emotæ sunt Alpes. Accessit & profluvium sanguinis, & ignis sacer, morbi genus carnem ad ossa exedens celeriter; quibus malis Deus emendari vitia voluit, vel eorum authores exterminari.

Civilia bella hoc anno Siciliam, Sardiniam, Arragoniam concussere: sicut & Sueciam Moschoviticum bellum; ex quo Magnus Sueciæ Rex, spernens consilia Israëlis fratris S. Birgittæ (qui hoc anno mortuus est) magnam accepit cladem; tum quia sanctum virum non audierat, tum quia milites impios in suis castris retinebat; per quos nihil unquam feliciter geretur. *Bellum Moschoviticum.*

Denique obiit hoc anno Bononiæ Joan. Andreas I. C. author Glossarum in Decretales, & Clementinas, dictus vulgò *Tuba juris Canonici*, & *fons Canonum*; qui licèt natus patre Presbytero, & matre scorto Mugellano, obscuritatem tamen, & turpitudinem natalium scriptis obruir, & sanctimoniâ vitæ; vir magnæ abstinentiæ simul, & eruditionis. *Ioann. Andreas Iurisconsultus.*

MUNDI 5402. CHRISTI. 1349.

Cantacuzenus Imperator Turcos fovet, & urbes in Thraciâ eos occupare sinit, Græcis in suo damno etiam facetis. Andronicus quoque & Anna primæ fortè hujus mali fuere causæ, & sine dubio Genuenses, omnes sui & Christianitatis inimici. *Turci in Thracia sedes figunt.*

In Septentrione sævitum est in Judæos, quorum multi cremati, multi per vim sacris aquis eluti. Hoc quoque anno, & sequenti, Flagellantes in se acriter sævierunt, crucem ferentes præ manibus, omnia reponentes in sanguine, contemptis etiam Sacramentis, multisque deliriis imponentes plebeculæ. His malis ut provideret Clemens VI. Jubilæum jam revocatum ad annum quinquagesimum publicavit, ut sæpiùs hâc liberalitate publicâ frueretur Ecclesiâ. *Iudæi exagitati. Flagellantium secta.*

Carolus IV. opponit Ludovico Marchioni Brandeburgico, à quo turbabatur, fictitium Waldemarum Marchionem Brandeburgicum, rusticum dictum Mullerum: qui tam bellè sustinuit personam suam, ut hæc fabula longiùs quàm vellet author progrederetur. Hanc ergo retexuit Carolus, & cum Ludovico pacem iniit, itemque cum æmulo suo Guthero, quos auro delinivit, perfecitque pecuniis facilè, quod ferro ægerrimè præstitisset. *Fictitius Waldemarus turbat Brandeburgensem Marchionem.*

Casimirus Polonus Russiam invasit, & occupavit, mox tamen libidine perdidit in turpes amores effusus, inter quos nullus unquam Principum sapiens, & generosus fuit. *Casimirus Polonus libidinosus*

Mortuus est denique hoc anno Guillelmus Ochamus Minorita, vir ardentissimi ingenii, & qui pluris aulam, quàm claustrum fecerat. Doctissimus fuit, & magni nominis Theologus, & utilis futurus Ecclesiæ nisi se dissidiis Pontificum, & Ludovici Bavari permiscuisset. Obiisse tamen creditur pœnitens, & secutus Michaëlem de Cæsenâ Generalem suum, cujus maximè causâ in Christi Vicarium insurrexerat, plurisq; ordinem suum, quàm Ecclesiam fecerat, & salutem. *Ochami mort.*

MUN-

MUNDI 5303. CHRISTI. 1350.

*Renovata lis inter Græcos de lumine gloriæ.* Renovata est hoc anno in Synodo Constantinopolitanâ lis inter Palamam Archiepisc. Thessalonicensem, & Acyndianos Barlahami mortui fautores Episcopos, quibus adstipulabatur Nicephorus Gregoras, unus par omnibus; qui ob id in Monasterio Christi in solitudine clausus est; unde tamen per otium sibi confecit arma, quo petitiones quantumvis callidi declinare nequaquam potuerunt.

*Romanorum in peregrinos sævitia.* Tanta hominum multitudo Romam ad Jubilæum confluxit, ut quotidie à Natalitiis ad Pascha hominum decies, aut duodecies centena millia numerarentur, imminuto deinceps ob calores numero, & vix decimo quoque ad sua regresso. Tunc autem sæviit Romanorum in peregrinos sævitia, quam dum reprimere conatus est Legatus, primùm sagittis appetitus, deinde etiam veneno sublatus est: adeo ut Roma sancta, absente Pontifice, grassatorum & veneficorum receptaculum dicenda videretur.

*Redit in Italiam Lud. Hungarus.* Turbata est quoque hoc anno Italia reditu Ludovici Hungariæ Regis, qui totum prope Regnum Neapolitanum recepit, bis tamen cum magno vitæ periculo. Mox tamen imminuto suo exercitu pepigit cum Legato Guidone, de Bononiâ per Joannem Mediolanensem Archiepisc. occupatâ, de Joanna reâ vel innocente; sicque Romam ad Jubilæum perrexit, magnificus ultor, sed qui pœnas magno suorum damno ab Andreanæ cædis authoribus exegisset.

*Alphonso succedit Petrus crudelis.* Obiit hoc anno Alphonsus Castellæ Rex cognomento Vindex dum obsidet Heracleam, sicque soluta obsidio; successit ei filius Petrus cognomento *Crudelis*, auspicatus regnum à sævitiâ, cum pollicem Patris Eleonoram Gusmaniam, egregiam corporis & animi dotibus fœminam, interemit; sic ultus matri factam à patre injuriam; neque pius sine crudelitate.

*Æra Hispanica abolita.* Abolita est tum à Petro Arragonum Rege Æra Hispanica, ac deinceps anni à Christi Natalitiis hìc inchoati sunt, more Romanæ Ecclesiæ; quòd in Castellâ tantùm factum anno 1383. sicut in Lusitaniâ 1415. in Galliâ tardissimè 1564. cum magnâ ubique Chronologiæ perturbatione.

*Philippo Valesio succedit Ioannes II.* Obiit hoc anno Philippus Valesius Rex Francorum, ætatis anno 57. regni 23. ex nimio veneris usu, cùm mortuâ uxore Annâ Burgundâ, Blancham sororem Caroli Regis Navarræ octodecim annorum pulcherrimam virginem duxisset. Bonus alioqui Princeps, sed infelix, neque satis charus suis ob crebram pecuniæ mutationem, & imposita vectigalia, quibus magna bella prætexebat. Successit ei filius Joannes II. dux Normanniæ, cognomento *Bonus*, vir excelsi animi, sed adhuc infelicior patre. Atenim hic statim regnum à severitate auspicatus est, dum Rudolphum Augensem Stabuli Comitem, reducem Parisios ex Anglicanâ captivitate, quasi proditionis reum in carcerem compingi, ac triduò pòst trucidari jussit. Moxque Clemente adnitente, cum Eduardo inducias biennales pepigit, ut regnum faciliùs componeret, sat paternis bellis concussum, quod ipse propemodùm aversurus erat.

*Ordo Periscelidis.* Tum Eduardus Ordinem Pericelidis, *de la Iartiere*, instituit in Angliâ, cum hac inscriptione ortâ ex Periscelide defluenti Comitissæ Sarisberiensis, quam ipse deperibat, & quam ei amatoriè reddidit, ac ridentibus Aulicis illustrem reddere voluit. Attamen neque de origine hujus Ordinis, neque de tempore conveniunt scriptores, satis est nobis tritam magis sententiam appellasse.

*Car. Rom. per...* Carolus IV. Romanorum Rex, philtro ab uxore Annâ, vel Agnete accepto, omnino depilatus perductus est ad extrema. Cùm ob id, vitæ discrimen adirent Aulici duo, illa crimen confessa obtinuit sibi & sceleris consortibus vitam, sibi ad piè vivendum maritoque salutarem.

*Ge... pa... del...* Celebris denique est hic annus victoriis Anglorum de Hispanis, Venetorum de Genuensibus, & vice versâ, bellis hisce tantùm ob mercimonia concitatis. Tum etiam Genuenses pacti cum Joannâ Neapolitanâ, de mittendis huic 12. triremibus contra Ludovicum Hungarum, si Ingaunum Intemilium, *Vintemille*, acciperent; recepere quidem urbem, sed auxilia denegarunt; unde locum dedere proverbio, ac potentiores habiti sunt, sed deteriores.

---

## CAP. VI.

## *Decas Sexta.*

### *Ab anno Christi* 1350. *ad* 1360.

MUNDI 5404. CHRISTI 1351.

*D... Ch... no... pe... in...* Dira est hoc anno Damasci excitata persecutio in Christianos, ab hujus urbis Præfecto, qui excitato incendio, ejus illos fecit authores, & tandiu torsit, donec falsum admitterent crimen; & cùm omnibus proposuisset, aut Crucem, aut Mahumeti cultum, elegere duntaxat Crucis opprobrium 22. cæteri ad ritum infamem transierunt, magno dedecore Christianitatis. Cùm tamen id resciisset Sultanus Ægypti, ejus dominus, hominem medium discindi jussit, sicque fecit utcumque satis Christianis. Idem Lazarum Patriarcham Hierosolymis sedere passus est Patriarcham, multâ pro fide passum, sed extra fidem; quia nullo sanguine Schisma potest obliterari.

*Ioa... Ne... no... cla...* Hoc anno Cometes ingens apparuit, multarum in Occidente calamitatû prænuncius, ventorum, sterilitatis, aliorumq; malorum. Sed tum Joanna innocens declarata recepit regnum, & pactam ab Hungaro pecuniam: quoniam Ludovicus hoc bellum Andreanæ ultionis gratiâ, non regni, aut ambitionis causâ susceperat.

*Bel... ter... & ... inn... tur...* Bellum inter Anglos & Francos renovatum est, cùm illi Guinas oppidum permunitum arte, aut

aut proditione intercepissent. Clemens frustra utrosque reconciliare molitus est, prævaluit nova Anglorum de Francis victoria, quam illi majorum triumphorum segetem existimabant.

In Franciâ Ordo Stellæ aut institutus, aut renovatus, jam sub Hugone Capetio, & filio ejus Roberto excogitatus, dictique ejus Equites B. Virginis de nobili domo S. Audoëni. Ferebant illi Stellam ex torque pendulam cum hoc lemmate *Monstrant Regibus astra viam.* Verùm in eum Ordinem, occasione bellorum, tam multi irrepserunt, ut cesserit tandem excubiarum Præfecto ejusque satellitibus jam à tempore Caroli V. aut VII. usque adeò egregia & magna paucorum debent esse, quæ pluribus vulgata vilescunt.

Bellum atrox hoc anno enatum est in Belgio, quia plusquam civile inter matrem, & filium. Margaritæ enim Ludovici relictæ favit factio dicta *Cabelliou*, hoc est, Asellorum piscium; filio ejus Guillelmo phrenetico, pars dicta *Houc*, id est, Hamatorum: cùm vario marte acriter certatum esset, modo hoc, modo illâ victoribus, pax demum inita est: Matri cessit Hannovia, filio Hollandia; quibus neuter diu frui potuit, cùm filius fanaticus in custodiâ honestâ consenuerit, mater obierit post quinquennium, ambo infelices, & digni qui Ludovicum Bavarum affinitate contingerent.

Poloni Lithuanos vincunt, illos vicissim vastant Tartari; quibus malis permotus Casimirus ad sanam rediit mentem, sed ejus scelera miseri subditi fuerunt.

Vulgata est denique hoc anno, nomine Satanæ, ad Clementem & Cardinales Epistola, cujus author fuisse creditur perculsus anathemate Joannes Archiepiscopus Mediolanensis, vile Dæmonis mancipium, & dignus qui Dæmoni à secretis esset, ejusque tabellarius.

| MUNDI | CHRISTI. |
| --- | --- |
| 5405. | 1352. |

Calo-Joannes cum matre fugit Thessalonicam, veritus insidias Cantacuzeni: huic ferunt auxilium Veneti, Catalani, Arragonii; illi Genuenses, magnâ utrimque paratâ classe, sed horum majori. Concurritur ad Bosphorum; vicere Genuenses, sed multis suorum desideratis, & cum Turcis obsidere Constantinopolin parabant; quare cum iis pacem iniit Cantacuzenus, collegæ suo imbecillitate par & ignaviâ, calliditate, fastuque superior.

Pace initâ cum Joanne Archiepiscopo Mediolanensi, quæ valdè displicuit Florentinis, obiit Clemens VI. 8. Id. Decemb. cùm sedisset annis x. mensibus ferè 7. vir magnus, & nulli Pontificum cessurus si agnatis caruisset, in quos profusior fuit quàm sua dignitas postulabat. Ante Pontificatum litteris addictissimus fuit; postea compendia quæsiit; ideo huic charus Bartholomæus Urbinas, à quo congestum Milleloquium S. Augustini, jussus idem de S. Ambrosio præstare. Ab eo Francis Regibus indultum, ut quandocumque vellent sub utrâque specie sacra mysteria susciperent; quo tamen privilegio non utuntur nisi in suâ inauguratione, & articulo mortis, ut id se posse significent. Successit Clementi Stephanus Alberti Lemovix 15. Kal. Jan. coronatus prid. Kal. dictusque Innocentius VI. cui antepositum volunt à multis Joannem Birellium Carthusianorum Priorem Generalem, sed hunc rejectum operâ Cardinalis Petricoriensis, ne is Cardinales redigeret in Ordinem, majori rejicientium, quàm rejecti dedecore.

| MUNDI | CHRISTI. |
| --- | --- |
| 5406. | 1353. |

Cantacuzenus pressus à Calo-Joanne, & Philadelphienses à Turcis confugiunt ad Innocentium: hi se etiam in temporalibus submittere parant, ille concordiam inter Græcos & Latinos pollicetur: omnibus injungit Innocentius ut spiritualia curent, pollicitus eis sapientibus auxilia nequaquam à Latinis defutura. *Implorant Græci Pontificis auxilium.*

Reformatâ Curiâ Romanâ & Cardinalibus mittit in Italiam Innocentius Cardinalem Albornium Archiepiscopum Toletanum, virum peritum rei militaris, qui intra quinquennium eam revocavit in obsequium Pontificis, aut armis, aut armorum metu. Turbata quoque hoc anno fuit Roma à Francisco Faroncello Tribuno plebis primùm mox Tyranno; in quem emissus Avenione vinctus Gabrinus, qui eo non melior, tandem captus, suspensus, & combustus est. Hunc autem fuisse magnum, & Dæmonis usum consuetudine, sine temeritatis notâ pronunciabis. *Card. Albonius Italiam asserit Innocentio.*

Vexata fuit hoc anno Italia *Societate magnâ Italica*, cujus caput erat Frater morialis Hospitalarius, coactis in unum militibus exautoratis, quem Gabrinus proditoriè minui capite Romæ vocatum, & judicatum curavit. Sed magis quoque turbata Sicilia factionibus Paliciorum, & Catalanorum, in quibus Rex fugere compulsus, dum ultionem quærit immaturam, se ac Siciliam totam in magnum discrimen adduxit, imprudentissimus vindex suæ authoritatis. *Societas magna Italica.* *Vexata Sicilia factionibus.*

Renovatum est bellum inter Genuenses, & Venetos, cùm his auxiliarentur Arragonii; & utrimque pugnatum acriter in Sinu Calaritano. Victi Genuenses tantam accepere cladem, ut se submittere Archiepiscopo Mediolanensi coacti sint; & verò tum octo civium suorum millia feruntur perdidisse. Rejecere quidam cladis hujus causam in eorum Ducem Grimaldum, qui calente prælio cum duodeviginti triremibus fingens stratagema diffugit; quam melius in eorum superbiam referes, hac clade, atque jacturâ comprimendam. *Genuenses victi dedunt se Duci Mediolanensi.*

Petrus Castilliæ Rex Blancham Borboniam sponsam suam spernit, Mariæ Padillæ pulcherrimi scorti complexibus irretitus; cogitur tamen à matre, & Alburquercio nuptias cum Blanchâ contrahere; quam tamen post biduum deseruit, ut ad suam meretricem rediret. Ferunt à quodam *PetrusRex Blancam rejicit.*

dam Judæo hunc fascinatum esse, sicut & Blancham, quæ ei in complexu conjugali apparebat ut Draco: sed verum fascinum, intemperantissimi, & sceleratissimi Principis libido fuit.

MUNDI 5407. CHRISTI. 1354.

*Turci multas urbes Græcorum occupant.* Suleimanes Turcarum Princeps, audiens in se venire Triballos & Mysos, cum Græcis paciscitur sexaginta millibus dragmarum, ut iis oppida quæ possidebat in Europâ relinqueret, & cum suis recederet in Asiam. Verùm cùm magno terræ motu tum multarum urbium mœnia corruissent, resiliit à fœdere, multis insuper urbibus occupatis. Tunc autem Cantacuzenus vehementiùs pressus à Calo-Joanne Matthæum filium Imperatorem creavit, jam se publicè Tyrannum professus, non tutorem.

*Rasciæ Regis perfidia.* Rasciæ Rex agit simulatè cum Pontifice, ut imminens sibi à Ludovico Hungaro bellum depelleret: & verò hic illum aggressus & vicit & cepit, moxque dimisit liberum; expertus tamen eum sæpe rebellum, sæpeque vincendum, & in homines perfidum, qui in Deum perdiderat fidem.

*Petrus in dies magis efferatur.* Petrus Rex Castellæ sævit in multos, tollitque veneno alumnum suum Albuquercium ægrum per suos medicos; hinc facta in illum conjuratio, cui mater ejus præfuit; ad eam cùm venisset, retentus est in oppido Tauro, quod se rebellibus dederat mater; sed ex eo Segobiam proripuit, ex injuriâ factus efferatior.

*Victi Veneti ad Sapientiam Inf.* Tum Veneti ad Insulam Sapientiam, magnam accepere cladem à Pagano Auriâ Genuensis classis duce, qui absente Pisano Sinum Hadriaticum ingressus, ibidem grassatus cum magna Venetiarum trepidatione in Orientem vela fecit, inventamque classem Venetam ad Peloponnesum pæne sine certamine totam cepit cum suo duce Pisano, & hominum quinque millibus, unâ tantum triremi elapsâ. Tum actum erat de Republicâ Venetâ si Auria uti victoriâ novisset, aut voluisset: verùm vano honore contentus Genuam rediit multis triumphis excipiendus. Neque de hac

*Moritur Arch & Dux Mediolanensis.* victoriâ lætatus est dominus Genuæ Archiepiscopus Mediolanensis, paulò ante repentinâ morte sublatus, relictis hæredibus fratris sui Stephani filiis; ad quos tum accessit Carolus IV. accepitque coronam ferream Modoëtiæ propè Mediolanum, sed hanc pecuniâ redimere visus est, neque satis ex Cæsareâ majestate.

*Plenus perturbationis, & cladium annus.* Plena hoc anno fuerant omnia calamitatibus; cæsus ad Aquilam Normanniæ, conjuratione Caroli Navarræ Regis, per Harcurianos proceres Carolus Hispanus Stabuli Francici Comes; & cædes ea relicta est impunita, ob Caroli potentiam & obsidem datum filium Regis: Siciliam quoque, pæne totam distractam civili tumultu, centum equitibus & quadringentis peditibus Joanna sibi vindicavit: sævierunt ubique bella, fames, pestilentiæ, incendia, terræ motus, grandines; ut à sceleribus avocarentur mortales; quos tamen tot clades perdere potuerunt, non emendare.

MUNDI 5408. CHRISTI. 1355.

Calo-Joannes Palæologus hoc anno, Genuensium operâ; & maximè Francisci Catalusii, rerum potitus est, redacto in ordinem Joanne Cantacuzeno; ideo Imperator huic Catalusio sororem suam dedit uxorem cum Insulâ Lesbo. Cantacuzenus autem sponte, ut ipse scribit, ut alii, invitus, purpuram posuit, factus Monachus sub nomine Joasaphi, ut uxor Irene monialis dicta Eugenia; Callistus autem Patriarcha fugiente Philotheo restitutus est. Matthæus autem Cantacuzeni filius armis appetitus, tantisper restitit, evocatis in auxilium Turcis; sed tandem latitans in palude captus à Principe Triballorum, venditus est Palæologo, ac benignè habitus, ex malo Imperatore factus est Senator & Scriptor bonus; clade suâ, quàm Imperio fortunatior.

Florebat tum Nicolaus Cabasilas, postea Archiepiscopus Thessalonicensis, & Demetrius Cydonius qui contra hunc pro S. Thoma scripsit. Utrum autem Cabasilas ille dictus sit Nilus, & ejus scripta sint Nili adversus Pontificem, non est operis hujus statuere. Hos habuit socios duos habitu, & professione, Cantacuzenus dum Calo-Joannes mira pollicceretur Pontifici, sed fide Græcâ, viro sapienti suspectâ.

Carolus IV. Romam venit coronatus à delectis Cardinalibus die Paschatis cum Anna conjuge; mox suam repetiit Germaniam pace ubique factâ, quoniam reformidabat bellum; quare contemptus ab Italis, quibus rarò Princeps facilis, & pacificus placuit.

Respublica Veneta jam turbata Genuensi clade, à Duce suo Marino Falerio pænè in exitium ruit. Is electus in locum Danduli demortui, Tyrannus volebat esse, destinatâ ad necem nobilitate. Sed patefactâ conjuratione, pridie quam perageretur cædes, ipse cum præcipuis factionis suæ securi percussus; atque in ejus locum suffectus Joan. Grandonicus, non tantum à civibus, sed & à Genuensibus necessariam obtinuit pacé.

Mortui sunt hoc anno Matthæus Vicecomes, & Ludovicus Rex Trinacriæ. Hic obiit ætatis suæ anno 17. relicto hærede fratre Friderico annorum 13. vecordi adolescente, & molliore nomine dicto *Simplice*, cui soror sapiens Euphemia adjuncta est: ille suffocatus à fratribus, quòd vitæ suæ genere Mediolanenses ad rebellionem invitaret; homo impudentissimæ libidinis, & dignus, qui fratres carnifices sortiretur.

Ventum ad arma à Francis, & Anglis: hi ducibus Eduardo filio Aquitaniam, Lanclastrio Principe Armoricæ vicina loca, Eduardo patre Picardiam depopulati sunt. Obviam huic occurrit cum exercitu Joannes Rex, eique obtulit generale, aut singulare certamen; neutrum accepit Eduardus, neque copiis, neque fortitudine par Regi Francorum.

In Castellâ, more suo, sævit Rex Petrus, hoc est atrociter, recepto Toleto, & occupatâ Tauro: in hac necatis in conspectu matris primariis

riis viris; in illo, filio annorum 18. pro patre octuagenario sese devovente; Episcopis etiam & uxore Blanchâ in custodiam amandatis,& Henrico fratre sibi fugâ consulente, nesquis exsors esset ejus crudelitatis.

Statuitur hoc anno Joannis Tauleri Dominicani Theologi Coloniensis obitus; ab aliis tamen 1361.16.Kal. Junii. Hic vir pius,& eruditus, per homuncionem laicum, & inopem, ad perfectiorem vitam translatus est: ejus Apologiam scripsit Ludovicus Blesensis adversus obtrectatores, quibus eximii viri nunquam caruêre. Obiit & hoc anno Bartholus de Saxo-ferrato, omnium sui temporis Jurisconsultorum facilè Princeps, vendibilis Mathematicus, & aliarum disciplinarum non ignarus, de cujus obitu, sicut & vitæ annis variæ opiniones; quia neque satis citò nasci, neque satis tardè mori debuit.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5409. | 1356. |

Carolus IV. Imperator hoc anno Bullam Carolinam edidit de ElectioneRegisRomanorum, & multis ad regimen Imperii pertinentibus: dum Angliæ & Franciæ Reges Clerum exactionibus attererent, quæ huic multùm pepererè damni, illi nihil fructus attulere. Tum autem Eduardus recepto Barvico, quod occuparant Scoti tulit ab Eduardo Baliolo coronam,& Regum Scotiæ, qui tum dedit quod tueri non poterat. Aliunde Joannes Franciæ Rex Regem Navarræ cepit, & conjecit in carcerem, Haricurium extremo supplicio affecit; quam ob causam à Philippo Navarræi fratre Eduardus Rex excitatus Normanniam depopulatus est, quem tamen Joannes aut debellasset, ut in ultimas conjecisset angustias, nisi direptionibus Eduardi filii revocatus partem copiarum in eum emittere coactus esset: uterque tamen coërcitus animos Joannis extulit; mox tamen graviùs affligendos.

Et verò dum Eduardum filium Principem Valliæ Rex Joannes persequitur,eum haud procul ab urbe Pictavio assequitur, cum paucis copiis, ipse grandi septus exercitu equitum, atque peditum. Muniit ergo castra diligenter Eduardus memor Cressiaci prælii, inter vineta, fossas rusticanas, & sepes, ubi tamen se dedere compulsus esset sine cæde, si hunc Joannes obsidere voluisset, eique subtrahere cibaria. Invaditur tamen à Francis imprudenter Eduardus,rejectis ejus quantumvis honestis conditionibus, 13.Kal. Octob. qui se loci iniquitate ita defendit, ut nobilissimam retulerit victoriam, cæsis quinque vel sex Francorum millibus, atque inter cæteros Petro Borbonio,aliisq; proceribus, & octingentis equitibus primariæ nobilitatis. Rex ipse supra hominem depugnavit, acriter defensus à Philippo filio,natu minimo; sed tandem captus, cum eodem raptim Burdegalam perductus est, postea per otium in Angliam traducendus, cùm tamen nullo negotio Anglis eripi posset; sed Francis tum,ut antè Regi suo, mens læva fuit.

Ludovicus Hungariæ Rex hoc anno Venetos retudit,qui tandem huic Dalmatiam,& Iaderam multorum bellorum causam relinquere compulsi sunt, damnatâ omni mentione belli, ut deinceps utiliter mercibus, non bellis perniciosè Respub. illa vacaret. *Venetorum & Lud. Hungarie pax.*

In Italiâ vario marte certatum est, Ægidio Cardinali Legato hîc bellum administrante, qui Manfredos, Ordelassum, & Barnabam, vel Barnabovem fortiter retudit, homines impios, & ferro atque crudelitate in S. Sedem armatos; quando & contra Tyrannos Italicos fœdus initum est à civitatibus, & Vicario Caroli IV. Genuenses etiam recuperavere libertatem suam, autore Duce suo Simone Bucca-nigrâ, qui postea Dux veneno sublatus est, vir majoris, quàm bonæ existimationis cupidior. *Italicæ variæ turbæ, ac bella.*

Res Siculæ varios exitus hoc anno sortitæ sunt, ubi primùm Joannæ, & Ludovici negotia Messanæ floruerunt, mox concidêre Catanensi obsidione minùs bene procedente: sic pars Friderici surrexit,Arragoniis nihil opitulantibus, cùm eorum Rex pressus gravi bello,de se potiùs,quàm de alienis cogitaret. *Sicilia quoque turbatur.*

Gravis terræ motus urbes ad Rhenum concussit, in primis Basileam, quam cùm aggredi cogitaret Albertus Austriæ Dux, auditâ ejus clade,distulit expeditionem, ne jam miseros cives affligere videretur. *Basilea terræ motu afflicta.*

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5410. | 1357. |

Joannes Rex Franciæ abducitur in Angliam, delusis Aquitanis, qui eum deportari nolebant. Quibus auditis magna est Parisiis seditio concitata,autore Marcello Præposito Mercatorum,in quâ tres proceres ad Caroli Delphini pedes confossi interierunt, ipse coactus est ferre tegmen capitis rubrum & cæruleum, seditiosorum insigne. Laxatus quoque ex carcere Carolus Rex Navarræ turbas auxit, quas sopiturus credebatur: quibus auditis, Eduardus fastu tumens postulavit, quæ Francorum didicit nemo sine stomacho. Itaque revocatus est Parisios Delphinus, Marcellus cæsus: Francia nihilominus distracta arte Navarræi, & copiis rusticulorum, qui Jacobum bonum hominem sibi præfecerunt. Accesserunt & milites solutæ disciplinæ, quorum dux fuit Arnaldus de Servolâ Vasco, vulgò dictus Presbyter de Verniis; & ab iis omnibus Francia lacerata, & agitata, navis instar nauclero suo destitutæ, id est, adducta in discrimen, ut salus ejus deposita crederetur. *Turba Parisina, capto Ioanne sub Delphino.*

Agebat interea in Angliâ Joannes captivus cum filio Philippo: hîc cùm nobilis Anglus poculum priùs Eduardo quàm Joanni obtulisset, ei fortis Adolescens colaphum impegit; quare huic Eduardus; *Mon fils vous estes bien Hardy*; unde Audax vel Imperterritus dictus est, huicque illa Regis increpatio gloriosum id agnomen peperit. *Philippus unde dictus Audax.*

Reges Castellæ, & Arragoniæ, suis copiis & sociorum auxiliis inter se pugnabant. Petrus Castellæ crudeliter, de more; Petrus Arragoniæ forti- *Reges Castellæ, & Arragoniæ inter se depugnant*

fortiter, etiam provocato Castellano, qui exercitu ac furore superior adversarium irrisit. Quo tempore obiit Alphonsus Lusitaniæ Rex anno ætatis 77. regni 32. relicto hærede filio Petro annorum 37. ut regni sic etiam libidinis ac crudelitatis hærede.

*Ioann. Busselarius Religiosus arma gerit, & mulctatura suis.*

In Italiâ bellum ab Ecclesiasticis gestum initio parum feliciter ab Androino Legato; quare remittendus eò fuit Legatus Ægidius. Illi quoque geminus Jacobus Busselarius Eremita Sancti Augustini verbo potens, qui Vicecomitibus initio Papiam ademit; sed paulò pôst cum eâdem urbe captus, atque à suis superioribus Vercellis in caveam ferream conjectus ostendit preces, non gladios arma esse Religiosorum.

*Defensorum Curatorum Ricardi Armacani*

Avenione agitata causa Ricardi Archiepiscopi Armacani in Hiberniâ adversùs Mendicantes: hic ediderat *Defensorium Curatorum*, atque in Britannicis insulis fratres illos exagitarat; ideò evocatus erat à Pontifice; verùm lite pendente obiit post mortem miraculis clarus; quæ excutienda Bonifacius IX. curavit. Sed periculosum viris, quantumvis magnis, plures aggredi conjunctissimos, & qui multis calamis, & linguis resistant.

MUNDI 5411. CHRISTI. 1358.

*Nicolai de Monte Corvino Martyrium.*

Passus est hoc anno Cayri Nicolaus de Monte Corvino cum duobus sociis, ob Thomam Hungarum Mammaluchum ab iis ad Fidem conversum, & cum iis Martyrem. Mortem eorum Deo placuisse ostendit lux, etiam ante supplicium eorum corporibus imminens, & futuræ eorum gloriæ index certissimus.

*Eduardus sacrilegus. Societas Landina deleta.*

Eduardus Angliæ Rex immunitates Ecclesiæ hoc anno turpissimè violavit, jam oblitus Dei, à quo elatus erat. Societas quoque Landina à rusticulis Apennini pæne tota deleta, capto etiam duce Lando; und ille efferatus in Florentinos sævìit, quos damni putabat autores, at hi restitere fortiter, duce Pandulfo Malatestâ, magnâ hujus gloriâ, illorum dedecore.

MUNDI 5412. CHRISTI 1359.

*Orchani succedit Amurathes.*

Obiere hoc anno Orchanes Turcorum Rex, & filius ejus Sulermanes; hic lapsus ex equo in venatione, ille naturali morte sublatus anno ætatis octuagesimo. Successit patri Murates, seu Amurathes, cognomento *Gazis* id est Heros, qui mox Didymoticum cepit fraude, deinde quà vi, quà dolo Hadrianopolin, quam & regni sui constituit sedem.

*Iannizzari militia Turcica.*

Hujus inventum sunt Jannizzari, seu Genitzari, hoc est *Novi Milites*, seu *Tirones*, quod tamen aliqui tribuunt Osmani, ejus avo; robur Imperii Turcii, &, Deo dante, quondam ejus futura pernicies.

Petrus Rex Arragonum tumultuum pertæsus, Minoritarum induit habitum, sicut in Franciâ Carolus Comes Alenconius Dominicanorum, postea factus Lugdunensis Archiepiscopus; & uterque in suo Ordine sanctissimè vixit, nec tantùm sibi, sed aliis profuit.

Eduardus quasi Franciam turbatam à Navarræo occupaturus Calesium appellit eum 100. millibus armatorum, & undecies centenis navibus; sed frustra tentatis Rhemis (ubi speraverat inaugurationem) Catalauno & Trecis fortiter à Delphino propugnatis, victo similis Angliam suam repetiit quam eo absente Normanni fœdè depopulati sunt, incensisque navibus plurimis, & neglectis insultibus vanis insulanorum, prædâ divites in suam Neustriam redierunt, nequicquam in eos fremente utroque Eduardo.

Hoc anno Ordelaffus, Forolivii Tyrannus, sese Legato Ægidio dedidit, actâque pœnitentiâ absolutus, duabus urbibus à Pontifice donatus cujus feudatarius esset. Casamirus quoque Poloniæ Rex Walachiam ingressus, ab indigenis perdidit exercitum, in eum impulsis arboribus, antè succisis, & aptè sustentatis, quas postea in ejus copias impulerunt; capti pænè omnes aut cæsi, præter eos qui erant in extremo agmine; bellum contra Walachos Polonis, eorumque Regibus fatale semper fuit.

MUNDI 5413. CHRISTI. 1360.

Obiit hoc anno Romæ Lusinianus Rex Cypri, Senator Romanus factus ab Innocentio; successit ei filius Petrus, vir strenuissimus, & majori, atque meliori regno dignissimus.

Eduardus malè mulctatus fulmine atq; grandine in agro Carnotensi, cum Francis pacem iniit ad Britiniacum, *Bretigni*; juxta Carnutum Non. Maji. Hoc fœdere Anglo cessit Aquitania (ægrè tamen populis ei acquiescentibus) quam filio suo dedit Eduardus, unde nata bella, quæ semper bellicosorum vicinitas parit. Datus quoque Pontivus ager, cum Calesio & Guinis. Redemptus Joannes tricies centum aureorum millibus, hoc est, uti loquimur, tribus auri millionibus in regnum suâ temeritate labefactatum receptus tamen uti lapsus è cœlo genius; tantus est Francorum in Principes suos licet, indignos, amor, nullis unquam damnis, vel casibus debilitatus.

Joannes ut faceret satis Eduardo, filiosque suos, & fratrem obsides redimeret, filiam suam Joanni Galeatio Vicecomiti dedit, cum Comitatu Virtutum in Campaniâ, acceptis ab eo sexcentis florenorum aureorum millibus. Celebratæ sunt eæ nuptiæ magnâ pompâ, evocatis Mediolanum omnibus Italiæ Principibus, pari Italorum gaudio, & pudore Francorum.

Crescebat interea, & ætate, sic crudelitate, Petrus Rex Castellæ, jam parcens nemini, feræque quàm homini similior.

Societates quoque militum exautoratorum, & grassatorum, fœdè vastabant Galliam, ut Albæ, Capelli, Stellæ, Bonorum hominum, Tarde-Venientium, Malandrinorum; & quoniam turmæ erant exercitatissimæ, & sub peritis ducibus, non facilè poterant, nec nisi magnis exercitibus debellari; quod Francica res viris & pecuniis, exhausta non patiebatur:

CAP.

## CAP. VII.

## *Decas Septima.*

### *Ab anno Christi* 1360. *ad* 1370.

MUNDI 5414. CHRISTI. 1361.

PEtrus Rex Cypri, paratâ classe, cum Hospitalariis centum triremium, Sataliam, olim Attaliam urbem Pamphyliæ, triplici licèt vallatam muro, impetu capit, & præsidio firmat. Candaloram quoque, aliàs Sidam, ad deditionem compellit, ejusque Sultanum sibi vectigalem facit; sicque retudit Turcorum audaciam, & quid Christiani possent junctis viribus ostendit.

Delphinus Venetiarum Dux post diuturnum morbum luminibus captus obiit; suffectus ei Laurentius Celsus annorum 46. ex falso victoriæ reportatæ nuncio, qui cùm haberet patrem, crucem auream affixit pileo Ducali, ut pater coram eo stans in ceremoniis non filium, sed crucem honorare viderentur. Ineptus, qui dignitatem à personâ non distingueret, & ad Fabium Maximum, & Romam Veterem, ut erudiretur, ablegandus.

Petrus Castellæ Rex sibi à Francis malè metuens, ad quos frater Henricus confugerat, Blancham, ut malorum horum causam, veneno necat; huic se adjunxit Carolus Navarræus, iisdem cum eo moribus, ut est facilis inter improbos, in bonorum perniciem societas. Idem quoque Petrus Regem Maurum ad se cum thesauris confugientem obtruncavit, misso ad ejus æmulum capite, ut se Saraceno nequiorem præberet.

Contigerunt hoc anno multa prodigia; Mediolanum, hactenus intactum ob soli cœlique salubritatem, pestis exhausit; Romæ Basilica Lateranensis exusta; aër in multis locis ardere visus: vulpes vivos homines devorarunt. Visæ in Franciâ & Angliâ urbes, ex quibus acies erumperent, mox victæ, mox victrices. Nec eorum ultimum Venceslaus Caroli IV. filius, aquas Baptismi sui lotio inquinans, & post duos annos altare in quo coronabatur percacans, in signum turpitudinis, quæ eo rerum potiente, erat à Bohæmis expectanda.

MUNDI 5415. CHRISTI 1362.

Hoc anno, quo visus est Cometes duplex, & horribilis Ecclipsis Solis, tumultibus Roma turbata est, electo à plebe sibi moderatore Lælio Bonadotâ sutore. Mox tamen rediit ad se populus, & Pontificem dominum agnovit suum: tantùm optavit ne Ægidio Legato subderetur, cujus tamen justitiâ, & fortitudine regendus erat.

Obiit Neapoli Ludovicus Rex ætatis 42. præscius mortis suæ, ideoque obitis aliquot peregrinationibus; cùmque nullam reliquisset ex Joannâ prolem, actum est de tertio ejus marito, quo eam carere nec ipsi, nec regno expediebat.

Mortuus est pariter Avenione prid. Id. Sept. cùm sedisset annis 9. mensibus 8. diebus 26. Innocentius VI. vir omni exceptione major, nisi sanguini suo, & propinquis nimiùm indulsisset. Hic Petrarcham ab Epistolis habere conatus est, sed recusavit ille, causatus senectam, viridem tamen, nempè tantùm annorum duodesexaginta; quod obtenderat quoque Imperatori, & Francorum Regi, idem exoptantibus. Postquam diu disceptarunt Cardinales, 4. Kal. Majas electus est Guil. Grimoaldi nobilis militis filius, olim Benedictus, vir innocentissimæ vitæ, tumque absens, & tantùm coronatus 8. Kal. Octobr. dictus Urbanus V. Hic statim, emendatâ Curiâ suâ, in Bernabovem Comitem improbum hominem fulmina distrinxit. Conatus est insuper reconciliare Comites Fuxensem, & Armaniacum; pugnarunt illi ad Insulam prope Tolosam, cæsis utrimque tribus equitum millibus; victor Fuxensis, captus Armaniacus, lis multâ cæde, multo sanguine finita est. *Innocent. VI succedit Urbanus V.*

Celebravit hoc anno Jubilæum suum 50. annorum Eduardus, magnâ liberalitate vinctis omnibus solutis, ac revocatis exulibus: tumque statuit ut deinceps jus Anglicè, non Francicè ut antea, suis diceretur. Quo tempore orta gravi in Poloniâ fame Casimirus frumento, quo abundabat, sapienter usus est ad alendam plebeculam, cujus enutritæ laboribus usus est ad urbes, arcesque muniendas, eodemque facto à suis & otium, & penuriam depulit. *Casimirus tempore famis munit suas urbes.*

MUNDI 5416. CHRISTI. 1363.

Hoc anno Joanna Neapolitana novum accepit maritum Jacobum Arragonium filium Regis Majoricæ, qui ruptis Barcinone vinculis fugiens, dum minùs cogitat, ex carcere conscendit ad solium. *Iacobus Arragonius ducit Ioannam Neap.*

Bernabos Vicecomes, afflatus fulmine Pontificio, dum armis se tuetur, cladem accepit ad Mutinam. Convenere Avenionem Reges Franciæ, Cypri, & Daniæ, acturi de bello sacro in Turcos; quod Cyprius solerter curabat; tumque composita lis inter Carolum Imperatorem, & Ludovicum Hungarum in bellum eruptura, ob verbum à Carolo in Ludovici matrem conjectum; sed facta verbo injuria, verbo quoque sanata est. *Comentus Avenionensis de sacra Expeditione.*

Fervebat interim bellum in Hispaniâ inter Castellanum, & Arragonium; tandem inter utrumque Regem fœdus initum est, cujus victima fuit Fridericus Petri Arragonii frater. Idem quoque contigisset Henrico Petri fratri, nisi præfecti Undecastellani constantia obstitisset, negantis se passurum in castro suo interfecit hominem, quem ipse ad colloquium Arragonii, & Navarræi evocasset. Quidam Fridericum arte hujus Henrici necatum scribunt, sed malevoli, atque ex ma- *Pax perfidiosorum.*

ex malitiâ suâ aliorum metientes facta, & improbitatem.

*Ingens frigus & locustæ.*

Sæviit hoc anno frigus ingens tribus mensibus, etiam Rhodano plaustris pervio, sæviit & ingens locustarum ingentium vis in Italiam, & Dalmatiam projecta; erat eis porrò venenum innatum: quare eas gustantibus animalibus inferebant necem; quæ eas edebant Gallinæ, ova texicata pariebant. Tandem rejectæ vento in mare Hadrianum morte suâ magis nocuere, excitatâ ex earum odore pestilentiâ, quâ sublatus est Matthæus Villanius Joannis frater, quibus fatale fuit & bene scribere, & ex peste interire.

*Matth. Villanius ex peste moritur.*

MUNDI 5417. CHRISTI. 1364.

*Robertus Tarentinus moritur.*

Mortuus est hoc anno Neapoli 15. Kal. Octob. Robertus Princeps Tarentinus, dictus Imperator Constantinopolitanus, redux ab expeditione quâ occuparat Corcyram, Cephaleniam, Zacynthum aliasque insulas Jonii maris cum Leucade, cujus se dixerat Ducem. Successit ei Philippus ejus frater conjux Mariæ, sororis Joannæ; quâ de re excitatos motus Ægydius Legatus sopiit, non minùs pace, quàm bello bonus.

*Cretenses rebellant & reprimuntur.*

Rebellantes à Venetis Cretenses, Genuenses sapienter rejiciunt, & pacem certam levitati Græculæ anteferunt. Sic Creta dominos agnovit suos, frustraque jugum excutere conata, semper gravius fecit, ac rejici difficilius.

*Ioanni succedit Carolus V. seu Sapiens*

Joannes Rex Francus trajicit in Angliam, non amore ductus mulieris Anglicanæ, ut quidam ineptè fabulati sunt, sed ut excusaret fugam Ludovici Andium Ducis obsidis, ac redire obstinatiùs recusantis; insuper ut pacem regno suo necessariam accuratè firmaret. In ea Londini mortuus est, eique funus magnificè ab Eduardo paratum, corpusque remissum in Franciam. Successit patri Carolus Delphinus Normanniæ Dux hujus nominis V. & *Sapiens* cognominatus, quòd bella gessisset cunctando, sicque patris, & avi temeritatem emendasset. Coronatus est Rhemis 1[illegible]. Kal. Jun. cum Joannâ Borboniâ conjuge; statimque recepto Turonum Comitatu, dedit fratri suo Philippo Audaci, vel Intrepido, Ducatum Burgundiæ, morte Philippi alterius ἄτεκ ad se devolutum; nequicquam reclamante Carolo Navarræo, cujus tum neque clamores, nec malevolentia, nec arma timebantur.

*Blesensis cæsus à Monfortio Duce Britanniæ.*

Hoc anno prælium commissum est ad Darienem in Armoricâ inter Carolum Blesensem, & Joannem Monfortium, de Ducatu contendentes. In eo cæsus Blesensis, vir piissimus, & post obitum miraculis clarus, terras permutavit cœlo. Sic Armorica se tota Joanni dedidit, & Carolus V. composuit litem inter liberos ac viduam Blesensis atque Monfortium; ita tamen ut eam potentiori, atque feliciori adjudicaret; de quâ æquitate Deus statuet, cùm de eâ non convenerint homines.

*Guesclinus purgat Franciâ à grassatoribus.*

Societatibus prædonum hoc anno Gallia liberata est, Carolo Regi atque Pontifici metuendis; quæ ad auxilium Henrici Castellani adversus fratrem Petrum Crudelem, datis etiam ab utroque pecuniis, in Hispaniam prudenter rejectæ sunt. Dux Expeditionis hujus fuit Joannes Borbonius, ulturus necem sororis suæ Blanchæ, cui ut juniori adjunctus Bertrandus Guesclinus Armoricus rei militaris scientissimus, qui fortitudine suâ atque consilio grassatores illos retraxit ex Galliâ, atque in Hispaniam deductos ex malis prædonibus bonos milites effecit, magno suæ existimationis argumento, quam tanti faciebant viri isti militares.

Arragonius tantùm non est perculsus Anathemate per Pontificem propter sacrilegia sua; sed impediit sapientiâ suâ patruus ejus Minorita. Tum quoque Bernabos mitior effectus cladibus suis, Bononiâ cessit, acceptâ à Pontifice pecuniâ, & solutus coram hominibus anathemate, aliunde omnium scelerum reus, quæ in Tyrannum cadere possunt, quoniam improbissimi illi homines Deum ultorem, atque æternas pœnas expectant; suis tantùm criminibus pares.

MUNDI 5418. CHRISTI. 1365.

Petrus Rex Cypri cum auxiliis Francorum & Hispanorum paratâ classe navigat in Ægyptum, ibique mirabili felicitate Alexandriam occupat, ac diripit: verùm eam incensam relinquere cogitur, militibus suis cum ingenti prædâ in Occidentem redire volentibus, & Mammaluchis in eum grandem exercitum parantibus. Itaque illa expeditio plus terroris attulit Barbaris, quàm Christianis emolumenti.

Societas grassatorum Anglorum ferè ad 100. millia armatorum irrupit in Sabaudiam, ubi maximè contra nobiles sæviit. Tandem cùm penetrasset in Alsatiam, à Carolo Imperatore, & Germanis debellata est. Jacobo Homobono ejus duci, & Archipresbytero Petracoriensi, vivis detracta cutis, reliqui à rusticis mactati, aut vorati à feris, magno Europam terrore liberarunt.

Carolus IV. Imperator Avenione Rex Arelatensis coronatus est, ut contra Barnabonem moveret, cùm Arelatense regnum contineret Provinciam, Pedemontium, Ducatum Mediolanensem, & magnam Longobardiæ partem. Tum etiam recusavit Urbanus Eduardo Anglo dispensationem de matrimonio cum Margaritâ Flandricâ contrahendo, quam tamen concessit Philippo Burgundiæ Duci; quoniam Flandria in Anglorum manu perpetuum erat belli seminarium: sic Pontifex sapienter noluit privilegium S. Sedis esse tantis Regibus & Franciæ Angliæque perniciosum.

MUNDI 5419. CHRISTI. 1366.

Amedeus Sabaudiæ Dux cum copiis Crucigerorum excitatis ab Urbano V. apppellit in Thraciam, ac Turcis ereptam Callipolin Calo-Joanni

Joanni Palæologo consanguineo suo restituit, quam tamen paulò pòst, inertiâ Græcorum, Turci recuperavere. Aliunde Petrus Rex Cypri Tripolin Turcis eripuit, multasque civitates, adeoque Sultanum Ægypti terruit, ut mitteret Legatos Venetias, quibus Venetos averteret à Sacra Expeditione. Christianos nihilominus ob direptam ab Occidentalibus Alexandriam malè accepit, & compegit in carceres, unde tamen liberati sunt Arragonii, & Catalani, precibus Petri Regis Arragonum; cui & concessit S.Barbaræ corpus, in solitudine à Christianis occultatum, & cultum religiosè. Itaque illa tantæ celebritatis expeditio tota demùm in Christianorum perniciem recidit.

9. Felicior saltem initio res Hispanica fuit. Capta enim per Guesclinum Calagurri, coronatus Henricus Toleti, cui se tota Castella dedidit. Fugit Petrus in Lusitaniam primùm cum suis thesauris, unde rejectus Bajonam ad Eduardum appulit, ubi pacem cum eo iniit, sicut & cum Carolo Navarræo: sed mox hic ab illo resiliit, veritus ne præda esset Francorum, & Castellanorum. Sic bellum gestum est inter Francos & Anglos extra ditiones suas, sed de gloriâ potius, & bellica laude, quàm de prædâ, & emolumentis.

Corruptissimas Francorum vestes cum moribus Carolus V. emendare conatus est, ut antè fecerat Avenione Urbanus. Hanc autem corruptelam invexerant bella, & gentis indoles, in suis potissimùm vestibus amantissima novitatis.

MUNDI 5420. CHRISTI. 1367.

Græci agunt de concordiâ cum Latinis, & cum Paulo Patriarchâ Latini ritus, atque Amedeo Sabaudo venere à Calo-Joanne Legati præsules, Archimandritæ, Callogeri, Viterbii perhumaniter accepti ab Urbano: unde & litteris ultrocitroque datis utrique Ecclesiæ tandiu optatam pacem ostentarunt.

Enim ero hoc anno venit in Italiam Urbanus V. reluctantibus plurimùm Cardinalibus, quorum etiam quinque, sed sine authoritate, substiterunt Avenione, ac primùm Genuam appulit, inde Cornetum nave prætoriâ Hospitalariorum, ubi obvium habuit Ægidium Legatum, à quo Viterbium deductus. Hîc autem obiit idem Ægidius Alvarus 9. Kal.Sept. vir bello, paceque bonus, qui reddens rationem rerum gestarum Pontifici, currum ei plenum obtulit clavibus urbium, & arcium receptarum, cujus & mortem amarissimo animo deflevit Urbanus, & huic similem Cardinalem postea frustra optavit Ecclesia.

Jesuatarum Ordo fundatus Senis à S. Joanne Columbano, hoc anno confirmatus est: usi sunt Regulâ S. Augustini, & eorum 60. Pontificem Corneto Viterbium usque comitati sunt, benignè ab eo suscepti, prout eorum religio, pietasque postulabant.

Obiit hoc anno Petrus Lusitaniæ Rex, severus in primis adversus reos; cui successit filius Ferdinandus irretitus amoribus Eleonoræ Menesiæ, quam viro suo Laurentio Acuno abstulerat; hic autem ex metu potentis rivalis fugerat in Castellam, gestans in pileo suo cornua argentea, etiam in suo dedecore facetus. *Petro Lusit. succedit Ferdinandus.*

Petrum Crudelem Castellæ Regem reduxit cum exercitu ipse Princeps Walliæ Eduardus, cum magno Anglorum exercitu: in eum dum pugnat Henricus copiis imparibus, & repugnante Guesclino, victus profugit in Galliam. Captus cum multis Guesclinus; in quos sæviisset Petrus, nisi ab Eduardo prohibitus esset. Idem Petrus ob cæsos Ecclesiasticos anathemate perculsus ab Urbano, denunciata ei excommunicatio callidè ex triremi, ad quam quasi nunciorum causâ evocatus erat ab Archidiacono. Interea exercitum reparavit in Galliâ Henricus, & recedente Eduardo irato in Petrum ob perfidiam, regnum recepit, urbibus pæne omnibus ad eum deficientibus has pœnas sævitiæ suæ Petrus dedit, hæc præmia suæ comitatis Henricus accepit. *Eduardus Petrum reducit in Castellam.* *Guesclinus captus, fugit Henricus, post recipit regnum.*

MUNDI 5421. CHRISTI. 1368.

Induciæ inter Anglos & Francos abruptæ, quod Aquitani ab illis oppressi, ad hos & Carolum V. confugissent, multis urbibus in Aquitaniâ, & Pontivensi Comitatu huic sese dedentibus, quibus Francicum jugum longè mitiùs, quàm Anglicum videbatur. *Franci & Angli iterum commissi.*

Sedata hoc anno inter Dominicanos, & Cistercienses, de corpore S. Thomæ Aquinatis controversia, furtim ab illis ex Monasterio Fossæ Novæ sublato, ubi obierat. Adjudicatum Eliæ Raymundo Generali Prædicatorum, à quo delatum Tolosam, etiamnum religiosè hîc, & pacificè colitur. *Controversia sedata de corpore S. Thomæ Aquinat.*

Carolus IV. Imperator invitatus à Pontifice Viterbium venit, pace cum Vicecomitibus utcumque compositâ Imperio parum gloriosa, ubi & Stratoris officio functus est; hîc coronatâ Imperatrice, Carolus in Etruriam rediit, ubi Senis fermè oppressus, multos è suis Germanis perdidit, populo pro libertate depugnante; sicque redit in suam Bohæmiam, contemptus ab Italis, qui tantùm potentes Principes non tam colere, quàm reformidare solent. *Carol. IV. Imp. ad Pontificem venit.*

MUNDI 5422. CHRISTI. 1369.

Joannes Imperator Græcus navigat Romam, benignè acceptus à Pontifice, ab eo sæpe vocatus ad mensam: inde Venetias venit auxilia petiturus, ubi tantùm à fœneratoribus pecuniam accepit. Transit igitur in Galliam, quam statim reliquit implicitam bello Anglico: rediens ergo Venetias, à fœneratoribus detentus scripsit ad filium Andronicum ut ad se pecunias mitteret; quod hic contempsit; sed aliquas attulit Emmanuel secundogenitus, & se obsidem pro parente obtulit, unde in hunc Joannis amor, in illum odium, causa magnorum in Oriente tumultuum. *Callo. Ioan. Imp. venit in Occidentem.*

Petrus Crudelis, pridie Id. Martias victus ab

*Henricus Petrum fratrem captum interimit, & regnat.*

Henrico & Francis, duce Guesclino, ad Montielem, & in urbe obsessus, fugiensque captus, & deductus ad Henricum, ab eodem cæsus est 10. Kal. April. omnibus mortem ejus approbantibus, licèt inflictam à fratre. Successit ei spurius frater Henricus, cognomento *Magnificus*, multis virtutibus illustris, quibus vitavit necem, & sibi regnum minùs debitum peperit; quanquam à Lusitaniæ Rege, & Joanne Duce Lanclastriæ, ductâ Petri filiâ prensaretur: sed Henricus partum virtute regnum, prudentiâ servavit, multisque auctum muneribus remisit Guesclinum;

*Guesclini gloria.*

quem Rex Arragonum ad se invitavit, jam pæne Regum, & Regnorum arbitrum, & cui victoria videbatur esse vectigalis.

*Guesclinus Anglos retundit, & victorem Carolum efficit.*

Exortum est bellum Anglicanum ob Legatos Francos in custodiam datos; revocatus ab expeditione Sardoâ Guesclinus; factus Militum magister, & Comes, Longavillæus. Hoc duce retusi Anglorum conatus, receptæ urbes, reparata Francorum gloria, quæ pugnis Cressiacâ, & Pictavâ ceciderat. Tandem post multa prælia Anglus Aquitaniam perdidit, sicut & Britanniam Joannes Dux, qui contra Sacramentum Anglis adhæserat; maximè ex quo Eduardus Princeps Walliæ, postquàm Lemovicum, cæsis omnibus civibus, exscidisset, repetiisset Angliam ægrotus corpore, æger animo, ubi & ante patrem immaturâ morte sublatus est. Navarræus quoq; se Carolo submittere coactus est, ne perderet regnum, & Francus ita contudit ejus ingenium ferox, ut rectè *Sapiens*, & fatui rector potuerit appellari.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5423. | 1370. |

*Ordo S. Birgittæ seu S. Salvatoris.*

Urbanus V. confirmavit Ordinem S Birgittæ sub nomine S. Salvatoris, jam paulò antè statutum. Hæc mulier origine Sueca, ex nobili prosapia, & clara miraculis, etiam antequam nasceretur, Principi Neritiæ nupsit, cui octo filios genuit. Post multas amborum peregrinationes, vir

*S. Birgitta Sueca.*

factus monachus Cistertiensis sanctè obiit. Hæc regulam accepit à Christo, quam viris simul & fœminis dedit, quibus omnibus præerat mulier. Illa tamen cum regulis S. Basilii & Augustini habebat multa communia. Hujus autem Ordinis monasteria, maximè per Septentrionem sparsa, magnâ ex parte cum religione Catholicâ conciderunt, aut Lutheranis adjudicata sunt.

*Vrbano V. succedit Gregorius XI.*

Urbanus V. Avenionem repetit, neglectis monitionibus, & prophetiis F. Petri Arragonii, &c. Birgittæ, exceptus classibus Regem Franciæ, Arragonum, & Siciliæ. Nec ita multò pòst in habitu monachi, quem nunquam deseruerat, obiit 14. Kal. Januar. anno ætatis 61. cùm sedisset annos 8. fere menses duos, post obitum miraculis clarus. Hic primus triplicem coronam gestavit (Regnum hanc vocant) cùm Bonifacius VIII. tantùm adhibuisset duas, non ad pompam, sed ad pietatem. Successit ei Petrus Rogerii Lemovix, Comes Belfortii de valle in Andino pago, ac die Epiphaniæ coronatus sub nomine Gregorii XI. cui Ludovicus, frater Caroli Sapientis, functus est pedes stratoris & equisonis officio, nequaquam vili, quia Christi Vicario deferebatur.

*Moritur Rex Scotiæ, Casimirus Poloniæ Rex.*

Obiere hoc anno David Scotiæ Rex, & Casimirus Poloniæ: hic nomine Magnus, lapsus ex equo, totoque corpore conquassatus, à medicis sanatus, uti cibo intemperantiùs voluit, factus sui parricida; Princeps alioqui bonus, si gulam, & luxuriem excipias; cui successit Ludovicus sororis filius Rex Hungariæ, parùm Polonis acceptus: Ille Edimburgi mortuus est ætatis 47. regni ferè 39. cui fortuna magis ad res magnas quam fortitudo defuit: huic item successit sororis filius Robertus Stuartus, nequicquam reclamante Guil. Duglassio, ex propinquitate Ballioli: Sed obstitit ei nobilitas; dataque Stuartii filio, filia Davidis, ut si dubitaretur de ejus socero, hæc marito suo, ejus filio, regnum dotale pertulisse judicaretur.

---

## CAP. VIII.

## *Decas Octava.*

### *Ab anno Christi* 1370. *ad* 1380.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5424. | 1371. |

*Gregorius XI. ...*

Gregorius XI. Principes Christianos, missis Legatis, reconciliare conatus est; sed id ne fieret, inimicitiæ Regum, & Legatorum imprudentia obfuerunt. Item prædicari vetuit Christum deserere Eucharistiam dum cadit in lutum, aut voratur à mure, &c. quod tum à multis viris doctis jactabatur. Nec id ut Hæreticum damnavit Pontifex, sed populo prudenter vetuit enunciari.

*Pol... per... ...*

Lithuani, auditâ morte Cazimiri, Poloniam depopulantur, atque inter cæteras prædas partem crucis exportant; sed currus quo hæc deferebatur nunquam loco moveri potuit; Itaque à prædonibus restituta est, Ethnicis licèt, tanto miraculo attonitis neque tamen inde factis melioribus.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5425. | 1372. |

Gregorius res Hispanas & Siculas componit, Carolum Navarræum cum suis inimicis reconciliat, perfidum hominem, & qui veneno duos tentavit Reges, alterum etiam perdidit. At Francus Anglo reconciliari non potuit, qui tum Rupellam perdidit, prohibitus tempestate ferre suppetias; quare tum id dixisse fertur Eduardus *Carolo V. minùs arma induisse, neminem sibi plus negotii exhibuisse*; adeo in Rege, Francorum potissimùm, prudentia fortitudini prævalet, qui nunquam viris carebit fortibus & invictis, si suos sapienter rexerit.

Gregorius XI. potissimùm invitatus S. Birgittæ revelationibus cogitat Romam, ac Lateranensem Ecclesiam primam Ecclesiarum pronunciat. Excitat & Occidentales Principes ad auxilium Palæologi, & Armenorum, quos Turcæ vexabant: sed hanc expeditionem disturbavit

Genuen-

Genuenſium & Venetorum diſcordia, in coronatione Petri ſeu Petrini Hieroſolymorum Regis, antea Cyprii, enata. In quâ horum Baylus, illorum Bajulo antepoſitus erat; quâ de causâ cùm hic vindictam quæreret, paſſim Famaguſtæ trucidati Genuenſes. Ita hi grandi claſſe comparatâ totam Inſulam pervagati ſunt, cepere Famaguſtam, eâque centum annis potiti ſunt, levi honoris injuriâ, gravibus damnis vindicata.

Damnati hoc anno quidam Minoritæ; inter quos Montancirius, negans damnari quemquam qui S. Franciſci ferret habitum; Sanctum hunc ſemel quotannis in Purgatorium delabi, unde ſuos extraheret: Ordinem iſtum perpetuò duraturum; & alia ejuſdemmodi, quibus ſe parùm ſapere demonſtravit. Tum quoque ſunt excuſi Libri Raymundi Lulli, Gregorii XI. juſſu, quos ab eodem Pontifice proſcriptos eſſe alii ajunt, alii negant; Sed eâ lite ſub Gregorio XII. & Sixto V. diligenter expensâ, nihil pronunciatum eſt: licèt Emericus dicat in his libris pluſquam 300. errores detectos eſſe, & Bernardus de Lutzemburgo eum hæreticis accenſeat: contrà Arragonenſes eum ut Martyrem colant, & *Doctorem Illuminatum* eum dici velint. Certè Liber in ejus defenſionem ſcriptus, à ſanctâ Sede proſcriptus non eſt; quare de Lullo eruditi prudentiùs ſuſpendunt judicium, quàm pronunciant. Id tamen obſervabis, malè Lullo affingi ſcripta Raymundi de Tartagnâ Ordinis Prædicatorum, hæretici, atque damnati, & toto cœlo à Raymundo Lullo disjuncti.

Enata eſt eodem anno in Franciâ, & Sabaudiâ, ſodalitas paupertatis, aliter dicti Turlupini, renovantes errores Beguardorum, quibus multas turpitudines adjungebant, in propatulo belluarum more coëuntes; quare multi flammis exuſti, in plurimis impudicos ignes extinxere.

MUNDI 5426. — CHRISTI. 1373.

Gregorius hoc anno confirmavit Ordinem Eremitarum S. Hieronymi, à quibuſdam ſanctis viris Italis inſtitutum in monaſterio S. Bartholomæi de Lupinianâ, non procul à Toleto, quod jam Sedes Generalis hujus Ordinis eſt. Jam in Hiſpaniâ hi religioſi magni nominis ſunt, & S. Laurentii Eſcurialis inquilini & cuſtodes, atque Bibliothecarii; qui tamen libros accuratiùs, quàm doctiùs ſervare perhibentur.

Poloniam hoc anno turbavit Monachus excucullatus Wladislaus, cognomento Albus, filius Cazimiri, nepos Wladislai Loctici. Hic Divione factus monachus ex levitate ingenii, abjectâ veſte ſacrâ, reclamante licèt Pontifice, à Polonis Hungaros deteſtantibus Rex agnitus eſt; armiſque correptis, multa intulit, plura recepit damna, donec rebus cum Ludovico Hungariæ, & Poloniæ Rege compoſitis hic Divionem ad Monaſterium S. Benigni rediit, ac demùm obiit Argentini. 1388. animo Rex, corpore Monachus, & neque Princeps, neque Religioſus.

Obiere hoc anno B. Andreas Corſinus Florentinus, & S. Birgitta; hæc Romæ mortua eſt, ejuſque corpus translatum eſt in Sueciam à S. Catharinâ ejus filiâ, unâ ex ejus liberis octo, qui Sancti omnes extitiſſe perhibentur. Hæc Catharina nupta Eghardo viro prænobili, huic caſtitatem ſuaſit, ipſa facta eſt Abbatiſſa monaſterii Waſthanenſis; ſub cujus curâ vixit filia Principis Tartarorum, captiva Neapolin deducta, & huic Sanctæ oblata, atque ab eâ ſanctimoniam hauſit, ut ab eâ nemo videretur alienus. *S. Catharina Sueca.*

MUNDI 5427. — CHRISTI. 1374.

Sæviebat tum in ſuos Bernabos Vicecomes venationi deditus uſque ad inſaniam. Alebat canum 5. millia, quos alendos diſtribuebat inter ſubditos, quolibet menſe repræſentandos; qui ſi ſtrigoſiores viderentur, mulctabantur Alumni grandi pecuniâ; ſi morerentur, omnibus bonis exuebantur. Duos Minoritas auſos eum admonere, ut hæreticos, comburi juſſit. Dignus profectò Actæonis ſupplicio, niſi hunc Deus ſtygiis canibus lacerandum deſtinaſſet. *Bernabovis crudelitas.*

Obiit hoc anno Jacobus Balearicus Joannæ maritus, dum bellum gerit adversùs Arragonium pro Comitatu Ruſcinonenſi: Itaque datur illi quartus conjux Otho Brunſvicenſis, ex ſtirpe Imperatoriâ Germanus Princeps; unde natum in eam odium Caroli Ducis Dyrrhachini conſobrini ſui, quem tamen hæc deſtinabat regno: verùm prævaluit invidia beneficio. *Quartus conjux Ioannæ Otho Brunſvicenſis.*

Tum inventum fuiſſe dicitur cadaver Sethi filii Adami, quæ profitebatur ſe in Chriſtum credere, & hunc atque B. Virginem ex lumbis ejus proceſſuros; quod plerique ſine temeritate fabuloſum putavere. *Sethi cadaver inventum.*

Mortuus eſt denique hoc anno Franciſcus Petrarcha Florentinus, magni vir ingenii, atque peramœni, charus Principibus, atque Pontificibus omnibus, ſed potiſſimùm amicus Joan. Bocacio de Certaldo populari ſuo. Cùm luſiſſet ineptos amores ſeu veros, ſeu fictitios, cum ſuâ Laurâ, eos poſtea religioſè deflevit, ac tempus deinceps melioribus curis impendit: cujus opera in quatuor diſtributa Tomos, ſunt autoris certiſſimæ, atque indubitatæ laudes. *Petrarcha Florentinus obiit.*

MUNDI 5428. — CHRISTI. 1375.

Gratulatus eſt hoc anno Gregorius XI. Joan. Cantacuzeno Eximperatori, & Monacho, ſuam cum Eccleſiâ concordiam, ad quam adductus erat à PP. Dominicanis. Andronicus, exautorato Andronico majori filio, ob duritiem, in Emmanuelem ejus fratrem propendebat, quem Pontifex ſuis litteris ſalutavit. Tum autem Imperator Græcus Amurathi vectigal pendere, huicque in expeditionibus adeſſe cogebatur, argumento certiſſimo Imperii jam in ultimam perniciem incumbentis. *Græci Imp. jam Turcæ ſerviunt.*

Ex prædictionibus S. Birgittæ, atque minis, Italici populi in S. Sedem rebellant, Florentinis autoribus, à quibus ſunt hoc anno multa crudeliter, & ſacrilegè perpetrata. Hinc urbibus multis impo- *In Italia rebellant populi in S. Sedem.*

impositæ arces, ut armorum metu continerentur in officio, quos non poterat religio, pietasque coercere.

*Caroli V. lex de Majoritate Regum.*

Carolus V. Parisiis 12. Kal. Junii in magno conventu Prælatorum, ac procerum, & in Parlamento, legem utilissimam sapienter tulit, ut deinceps Regum filii Franciæ anno ætatis 14. Majores declararentur; cùm antea annus 25. expectandus esset; ne diuturnitate tutelæ seditiosis turbarum relinqueretur occasio; quos una Regis authoritas inhibere solet, atque comprimere.

*Petrus Io. Luna fit Cardinalis.*

Creatus est denique hoc anno à Gregorio XI. Cardinalis Petrus de Lunâ Arragonius, quem monuisse dicitur Pontifex ut caveret, ne sua Luna Ecclipsin pateretur; & verò ea Ecclesiæ magnas tenebras offudit.

MUNDI 5429. CHRISTI. 1376.

*Florentini excommunicati.*

Gregorius expertus Florentinos non tantùm rebelles, sed & contumaces, anathemati subjicit, omnibusque pœnis quæ in civitatem Christianam à Pontificibus constitui possunt; proscripti per totum Orbem Catholicum; eorumque bona Principibus, in quorum ditionibus viverent, addicta. His malis edomiti, mittunt S. Catharinam Senensem ad Pontificem, ut eum demulceret, quod & præstitit. Sed per octo sceleratos quos sibi Florentini præfecerant, pax turbata est. Missæ ergo in eos copiæ Pontificiæ. Verùm & Gregorius in Italiam decrevit iter, ex revelationibus S. Birgittæ, & monitis S. Catharinæ Senensis, quæ tum eximiâ sanctitate inter moniales S. Dominici florebat, Christi 5. stigmatis notata, & utilissima Gregorio, & Urbano, quorum Legationibus perfuncta est; quoniam eam supra fœminæ conditionem singularis pietas evexerat.

*S. Catharina Senensis floret.*

*Gregorius Avenionem relinquit, ac venit in Italiam.*

Antequam recederet Avenione Pontifex passus est nominari ab Electoribus Regem Rom. Wenceslaum, filium Caroli IV. annorum 15. adolescentem, corpore distorto, & animo turpiore, sed eum multis nummis pater inaurarat; coronatus tamen non est, morte Pontificis interveniente. Enimvero hoc anno Gregorius, toto Cardinalium Senatu reclamantem; Genuam, inde Cornetum navigavit, inter tempestates contemptis precibus parentis sui tum superstitis, ac duorum fratrum suorum, ut scribit Theodorus à Niem ejus comes; Deo videlicet uno fretus, quem ut itineris ejus autorem, sic etiam sperabat ducem.

MUNDI 5430. CHRISTI. 1377.

*Belli Clodiani inter Venetos, & Genuenses causa.*

Restituere Veneti Callo-Joannem Palæologum depulsum à filio Andronico operâ Genuensium. Andronicus autem dederat Tenedon, Insulam mercimoniis opportunam, Genuensibus in præmium præstiti auxilii; at illam occupavere Veneti, Callo-Joanne adstipulante, unde exortum est bellum illud grave inter duos istos Populos, dictum Clodianum, quo nullum gravius, & atrocius ætas illa vidit.

Appellit Romam Gregorius per Ostia Tiberina, & in eam urbem retulit sedem Pontificiam post annos 70. & duos menses, cum diebus decem, aut, ut alii volunt, post 71. menses duos, ac dies quinque; quod ***exilium Pontificum*** dicitur, ab Italis tot querelis, verbisque defletum. Statim autem intellexit Pontifex se delusum à Romanis; contemptum à Florentinis, qui apud se Pseudo-minoritam & Pseudo-prophetam Thormasuccium retinebant, de quo varia varii scribunt. Quare secessit Anagniam, prælatâ ante se sacrâ Eucharistiâ; quod quando fieri cœptum nemo facilè statuat. Sed antequam Româ discederet, rescripsit contra errores Joan. Wicleffi Angli Theologiæ magistri, & Rectoris Ecclesiæ ***de Luttleuorth*** Diœcesis Lincolnieniis. Hic dejectus præfecturâ Collegii, & Episcopatu Wigorniensi, in Pontificem & Ecclesiam virus evomuit, contra quem multi scripsere; sed tandem prævaluit, ob negligentiam Eduardi Senioris, & pueritiam Ricardi, & Henrici Perceji Marescalli fautoris, Wicleffi potentia: per quem, facibus accensis, Lutherus & Calvinus Occidentem & Septentrionem inflammavere.

*Gr Ro ve. sec Ar an.*

*Po an pr Eu fli*

*Wi err*

Mortuus est hoc anno xi. Kal. Jul. anno ætatis 65. regni 50. Eduardus Angliæ Rex, implicitus amoribus Aliciæ Peresiæ nobilis scorti, quam Comitia regni huic eripere voluerunt: verùm statim eam revocavit, & pænè in ejus complexu immortuus est turpissimus senex, sine Sacramentis; dicitur tantùm Crucem, à Sacerdote oblatam sibi, cum lacrymis osculatus esse. Alicia videns eum depositum, detractis etiam ex ejus digitis annulis, effugit: sed postea in jus vocata, omnibus bonis spoliata est, quæ amanti seni emunxerat. Successit avo, ex Eduardo Principe Walliæ, Ricardus II. undennis, dictus ***de Burdegala***; de cujus natalibus meritò liceret ambigere, nisi huic addictum regnum, spectante Lanclastriæ Duce filio Eduardi, quæcumque objici possunt abundè dilueret.

*Ed. An Re. rit suc nes car*

Renovatum est bellum inter Francos, & Anglos; his ferè ubique ac semper victis, illis victoribus; quo etiam tempore Carolus Navarræus à Francis in Normanniâ, à Castellanis in Hispaniâ in ultimas angustias redigebatur. Pacem ergo suadebat Pontifex Christianitati necessariam; quoniam Turcæ Italiæ, immo & Galliæ Narbonensi imminebant; eam quoque, quantùm in se situm erat, promovebat Carolus; qui ob eam causam in Franciam venit, ac Cameraci Natalitia celebravit, ac septimam lectionem de more, in habitu Imperiali occinuit; non autem, uti statuerat, in urbe S. Quintini Veromanduorum; quia Franciæ Rex eum in regno suo non agnoscebat Imperatorem, sed amicum.

*Car Imp ven Fra*

Proditus hoc anno ab Ancuto Anglo, duce Grassatorum Societatis Italicæ, & Britonibus S. Sedis auxiliatoribus, emptis auro Florentinorum Gregorius cum his depacisci decrevit. Multa quoque utilia Ecclesia præstitit, ut cùm recusavit Franciæ Regi Parisiensem Episcopum eximere à Jurisdictione Archiepiscopi Senonensis, ne tantæ Urbis Præsul suo tempore ipsi Regi atque Pontifici metuendus esset, ad exemplum Patriarchæ Constantinopolitani, qui quondam Hera-

*Greg cum rentin pacem inire, tuit.*

*Recus Paris dare A chiepi pum.*

Heracleæ seu Perinthi Præsuli subditus, postea Romano Pontifici parere recusavit, & suis Imperatoribus fretus obstitit, magno utriusque Ecclesiæ damno.

Hoc anno, quo Belgium magnis inundationibus & ventis exagitatum est, mortuus est Messanæ 6. Kal. August. Fridericus Trinacriæ Rex ætatis 35. Regni 22. relictâ hærede Regni Mariâ filiâ; unde postea enati tumultus, neque Siciliæ, nec Ecclesiæ salutares.

MUNDI 5431. CHRISTI. 1378.

Celebratus est hoc anno Conventus Sarazanæ de pace ineundâ Gregorium XI. inter, & Florentinos; sed illa hujus morte disturbata est. Obiit enim Romæ 6. Kal. April. cùm sedisset annis 7. ac ferè mensibus 3. Paulò ante mortem doluit se revelationibus adhibuisse fidem, & ea præstitisse, quæ moriens non esse facienda cognoscebat; vir sine dubio magnus, & eò desideratus magis, quòd huic similem diu non vidit Ecclesia.

Tum Romani ut apud se Pontificem retinerent modis omnibus effecere, ut Romanus aut certè Italicus eligeretur, Cardinalibus intentato gravi metu, & quem cecidisse in constantes viros affirmarunt nonnulli, quidam negaverunt. Cùm igitur irrupissent in Conclave Romani, sæpe mortem, sæpe incendium electoribus interminati, favente, & eos, uti creditum est, incitante Bartholomæo Butillo Archiepiscopo Barensi, à Cardinalibus mortem expectantibus idem Butillus Pontifex electus est; dictusque Urbanus VI. qui si mitiùs, & prudentiùs egisset cum suis electoribus, sibi laboris minùs, Ecclesiæ minùs damni accersivisset. Verùm ab iis approbatus (ex metu tamen ut ipsi postea liberi sunt professi) dum in eos agit severiùs, dum interminatur, dum asper & inexorabilis videri cupit, commovit Camarinam, cujus odor non facilè dissipatus est. Duodecim ergo Cardinales Ultramontani, Galli omnes (nam 13. Ambianensis aberat) præter Petrum de Lunâ, Anagniæ; dum Tiburi cum tribus tantùm Cardinalibus ageret Urbanus, de vi protestati sunt coram Petro de Crasso Archiepiscopo Arelatensi S. R. E. Camerario, & Judice, monueruntque Urbanum ut Pontificiam dignitatem & ornamenta deponerent; eoque negante; recedentes Fundos Robertum Gebennensem fratrem Petri Comitis Gebennensis Cardinalem pridie Kal. Novemb. sub nomine Clementis VII. Pontificem Romanum creant. Sic conflatum teterrimum quod hactenus contigerat Ecclesiæ schisma, cùm starent ab utrâque parte viri sancti, & miraculis clari, Principes, & Academiæ, essetque difficile pronunciare quam in partem veritas & justitia vergerent. Certè Illustrissimus Cæsar Cardinalis Baronius significavit suo Jacobo Sirmondo, nihil se æquè reformidasse, quam pervenire ad hoc tempus, de quo quid statuendum, non esset liberè pronunciaturus. Statim uterque Pontifex ad partes suas trahere conatus est Academiam Parisiensem, quæ primùm in Urbanum inclinare visa, Clementi acquievit; an sui Principis secuta partes; an veritatis, ipsa viderit. Tunc autem terribilis extitit ditionis Pontificiæ facies Britonibus & Vasconibus, Romanis quibusdam Clementi, cæteris Romanis, & Joannâ Neapolitanâ Urbano faventibus, cum magnâ divinarum, humanarumque rerum perturbatione.

Confirmarunt ambo Pontifices electionem Wenceslai; obiit ejus pater Carolus IV. Pragæ 3. Kal. Decemb. ætatis 63. regni 35. cum mens. 5. Imperii ferè 24. qui cùm sanctissimis moniti, filium instruxisset; audiit ille potiùs pravos animi sui motus; ac gulæ, inertiæ, omnique turpitudini deditus, deponi meruit, ne sub eo Imperium corrueret, Ecclesia labefactaretur. *Wenceslaus succedit Carolo IV.*

Tum distracti sunt Principes; Arragonius Clementi sic favit, ut fructus seponi juberet reddendos approbato Pontifici; Wenceslaus & Ludovicus Hungarus Urbani rogatu Legatos ad Clementem miserunt; quos hic cùm malè fundis accepisset, & nonnullos Clericos torsisset equuleo, causam suam evertit. Aliunde Angli in odium Francorum adhæsere Urbano, rejecerunt ignominiosè Clementis Epistolas; odio suo fortunatiores, quàm meliores. *Distracti Principes inter duos Pontif.*

MUNDI 5432. CHRISTI. 1379.

Clemens amissis copiis, quas in Urbanum immiserat, Neapolim venit, benignè exceptus à Joannâ Reginâ; veritus tamen Neapolitanos faventes Urbano populari, fugit in Galliam, & Avenionem, hic à relictis Cardinalibus magnificè susceptus. Urbanus autem Ludovicum Hungarum concitat in Joannam, ac bene utitur fautrice suâ S. Catharinâ Senensi, quæ suis Epistolis partes ejus egregiè promovit, virgo omnium judicio acceptissima Deo. Ludovicus mox dat Urbano Carolum Dyrrhachinum opponendum Joannæ, cum suis Hungaricis copiis, quæ Genuensibus contra Venetos militabant: sine quo tamen, & istis auxiliis, Genuenses de suis hostibus superiores extitere. *Clem. VII. venit Neapolim, inde fugit in Galliam.*

Enimverò hoc anno Veneti ad Clodiam urbem munitissimam, atque Venetiarum instar præcinctam, tantam à Genuensibus accepere cladem, ut his sese dedere cogitarent. Sed cùm victores nimis iniquas proposuissent conditiones, victi, reparata classe, animisque resumptis, anno sequenti Clodiam captam recepere, atque ita se gessere, ut tandem uterque populus æquatis damnis, & conditionibus inierit pacem: usque adeò periculosum est viris fortibus, ac miseris injicere desperationem. *Victi Veneti à Genuensibus ad Clodiam.*

Obiit hoc anno Castellæ Rex Henricus Nothus, ex nervorum dolore, contracto, uti creditum est, ex ocreis veneno illitis, sibi oblatis à quodam Mauro. Mortuus est porrò religiosissimè in habitu S. Dominici, relicto hærede filio Joanne omni- *Henr. Notho succedit Ioan.*

omnibus animi & corporis dotibus ornato, qui de materno genere procedebat ex Blanchâ S. Ludovici matre; in quo visa quondam illata Francis injuria quodammodo reparari.

*Scoti Angliam vastant.*

Scoti Angliam vastatam peste fœdè hoc anno incursarunt, atque ab hâc mirabiliter immunes cum multâ prædâ rediere. Turbata quoque Flandria motibus intestinis; quibus occasionem dedit Ludovicus Princeps subditos suos inanibus sumptibus atterrens, quibus hic sibi multùm laboris, illis damni plurimùm intulit.

MUNDI 5433. CHRISTI. 1380.

*Lud. Andegavensis designatur hæres Regni Neapol.*

Urbanus Joannam Neapolitanam regno deponit, ubi audiit adesse cum copiis Carolum Dyrrhachinum: illa confectis tabulis sibi hæredem renunciat Ludovicum Andegavensem Caroli Sapientis fratrem, quem tum Calabriæ creavit Ducem, innitente potissimùm Clemente, ut hic partes suas in Italiâ tueretur. Sicque jus iterum recepit in utriusque Siciliæ Regnum Andegavensis domus, multo postea sanguine vindicandum.

*Carolo Quinto seu Sapienti succedit Carolus Sex. seu Beneamatus.*

Mortuus est 16. Kal. Oct. Carolus V. seu Sapiens, ætatis 42. regni 17. ex veneno sibi olim à Carolo Navarræo propinato; vir magnus, & cui se restitutam Francia debet: quam etiam divitem reliquit, inventis in ejus ærario duodevigesies centies millibus aureorum; tantùm Franciæ prodest Regem sapientem sortiri. Successit patri duodennis Carolus VI. cognomento *Beneamatus*, statim inauguratus administratione commissâ Duci Andegavensi patruorum maximo, curâ educationis Philippo Burgundo relictâ cum Duce Borbonio avunculo Regis, Joanni Bituricensi item patruo Occitaniâ & Aquitaniâ demandatis. Tumque Francia experiri cœpit quantum sibi Rex puer, & semper puer, regendusque nocuisset.

*Moritur Guesclinus ad Castrum Novum.*

Secutus est mox dominum suum Bertrandus Guesclinus Franciæ Stabuli Comes, dum in agro Gabalitano Castrum Novum munitissimum obsidet; etiam in morte victor, utpotè cujus ad feretrum delatæ capti oppidi claves. Sepultus est ad pedes Caroli V. vir cui paucos pares Gallia vidit, sine dubio hoc tempore ubique terrarum neminem. Quare dignitatem Comitis Stabuli recusarunt omnes, suis viribus imparem; quæ tandem delata est Olivario Clissonio nobili quoque Armorico, multùm repugnanti, viro fortiori, quàm fortunatiori.

*Succedit ei Olivarius Clissonius.*

*Moritur S. Cath. Senensis.*

Obiit hoc eodem anno S. Catharina Senensis, Urbani Pontificis magna propugnatrix, annos nata 33. 3. Kal. Majas, multis in vitâ miraculis, & post obitum clara: quando & natus ejus popularis S. Bernardinus, & in Picardiâ Corbejæ S. Coletta Clarissiarum reformatrix; ut gemina Sanctorum vitâ, unius Sanctæ mors sarciretur.

*Nascuntur S. Bernar. & S. Coletta.*

*Ordo Eremitarum S. Hieronymi.*

Institutus est denique hoc anno Ordo Eremitarum S. Hieronymi à B. Petro Gambacurtâ nobili Pisano; qui captus à prædonibus, iis sanctam inspiravit vitam, & construxit Monasterium; nè à religiosâ vitâ atque sanctitate quisquam exclusus esse videatur.

## CAP. IX.

## *Decas Nona.*

### *Ab anno Christi 1380. ad 1390.*

MUNDI 5434. CHRISTI. 1381.

Russi & Tartari atrociter inter se depugnarunt, cæsis utrimque ducentis millibus, Russi victores dum redeunt divites prædâ, à Lithuanis simul, & Tartaris oppressi, prædam omnes, plerique etiam vitam perdidere.

Mergolus Lercarius nobilis Genuensis à Catamito Imperatoris Trapezuntini colapho cæsus, nec acceptâ satisfactione, paratis Genuæ duabus triremibus, oram Trapezuntinam adeo graviter afflixit, ut huic Pæderastes Imperator delicias suas dedere cogeretur. Remisit tamen illum ad dominum suum illæsum, fœminam appellare contentus: neque destitit, donec Genuensibus Trapezunti statutum est diversorium cum multis privilegiis; perpetuum virtutis suæ, & luxuriæ, atque ignaviæ Imperatoriæ monimentum.

Tum Legationibus Urbanus & Clemens in suas partes nitebantur trahere Principes: quando & in Academiâ Parisiensi concitatæ sunt turbæ ob Clementinorum rapinas, datis in custodiam Rectore, & doctore magni nominis, qui ambo ad Urbanum confugere: ideo Andegavensem beneficiis omnibus prosecutus est Clemens, quòd partes suas animosè tueretur, tam verè servorum servus, & Principum vile mancipium.

In Franciâ magni quoque concitati sunt motus, oppressis per hirudines populis, & regios patruos uti præsenti potestate cupientes, Parisiis Aubriotus Burgundus præfectus urbis, ob multa crimina ab Episcopo conjectus in perpetuum carcerem, & raptus à seditiosis, ut iis præesset, fugere quàm perduellionis caput esse maluit.

Neque minores in Angliâ motus ob tributa, & gravissimum servitutis genus, cùm 60. seditiosorum millia convenere, & rapinis ac cædibus omnia miscuere: cæso etiam inter sacra Archiepisc. Cantuariensi regni Cancellario. Quievere tandem, sublato duce suo Tillerio, aliisque aliquot extremo supplicio mulctatis; qui fassi sunt se de Rege, Episcopis, Cleroque perdendo cogitasse, Quid mirum? infecti erant Wicleffi veneno, & hæresi quæ eò homunciones solet impellere.

Carolus Dyrrhachinus, dicendus hujus nominis II. aliter *Parvus* & *de Pace*, ob eam Venetos inter atque Genuenses conciliatam, coronatus est ab Urbano Rex utriusque Siciliæ, & Hierosolymorum. Hic susceptus à Neapolitanis Joannam in Castro novo obsedit, & compulit ad deditionem, inclusitque in munitionibus Lucaniæ, & Apuliæ; Othonem quoque maritum ejus fugavit primùm, deinde cepit. Denique Cardinales & Ecclesiasticos partis Clementinæ dirissimè habuit,

buit,& non aliter, quam ab Hungaris religione, ac furore animatis expectabatur.

Pax denique inter Genuenses & Venetos coaluit, bellandi potiùs tædio utriusque populi, quàm amicorum Principum curâ. Relictâ his ab illis causâ belli Tenedos; pax utrique, vel certè alterutri perniciosa fuit.

MUNDI 5435. CHRISTI. 1382.

Seditionem Romæ constantiâ suâ,& sibi prælatâ cruce sedavit Urbanus; quando Carolus Dyrrhachynus Joannam Reginam Neapolitanam aut strangulari, aut necari jussit anno ætatis 96. Regni 39. jussu Ludovici Hungari. Ejus necem Deus ulcisci visus est peste, quæ Neapoli 27. hominum millia abstulit. Tum etiam Carolus instituit Ordinem de Nave, ut rem maritimam, quâ multùm indigebat, in regno suo promoveret.

A nece Joannæ 8. die 3. Kal. Junii, Clemens coronavit Ludovicum Andegavensem, qui statim in Italiam 30. Equitum millia; innumerosque pedites cum Amedæo Sabaudiæ Comite pertraxit. Sed hic exercitus operâ Magi cujusdam dissipatus est, quem detectum Ludovicus flammis incendi jussit, ut his ignibus, æternis præluderet.

Tum Carolus Rex Navarræ, vetus ille veneficus, per Anglum quemdam, Carolum VI. ejusque patruos tollere conatus est; item & Fuxi Comitem, per filium suum, specie ut matrem philtro reconciliaret Patri. Deprehensus Juvenis, in carcerem conjectus est, vel servi publici manu, vel spontaneâ inediâ, accedente vulnere, quod minitans pater huic ingingìnâ, inter minas inflixerat, obiit: morte ei qui procurarat luctuosâ, & theatris dignissimâ.

Obiit hoc anno Ludovicus Hungariæ Rex ætatis 56. Regni 40. relicto subditis magno sui desiderio. Successit patri Maria, non Regina, sed Rex salutata, sub tutelâ matris Elizabethæ, quæ turbata est Procerum odiis in Nicolaum Garam, ob rem benè gestam creatum Palatinum; quando & vocatus est ab Hungaris Carolus Parvus. Sigismundus quoque electus Poloniæ Rex, ab illis explosus, utraque regio in magnos tumultus exarsit, plebe, potentiorum luente deliria.

Bellum Flandricum recruduit, cùm seditiosi Jacobum Aravellum Philippi filium sibi præfecissent patronum. Rex Francus Philippo patruo tulit auxilium, explicatâ etiam in rebelles Auriflammâ: Flandri ad Rosebecam victi 40. suorum millia desiderarunt, cùm è Francis tantùm 43. cecidissent. Artavellus inter mortuos inventus curari noluit, itaque quasi grassator suspensus est ex arbore: Curtracum, in odium cladis acceptæ hîc ante annos 80. excisum est; cæteræ urbes sese Philippo Duci dediderunt. Carolus IV. cum exercitu Parisios rediit, portisque effractis ingressus, multos seditiosos sustulit: iis permixtus est Joannes Maresius Regius Advocatus, aliis Regibus percharus, nunc turbulentis adnumeratus, cùm iis acriter restitisset, sicut & Patruis Regis, Burgundo atque Biturico, quæ vera causa mortis ejus fuit; securi percussus ob egregiè navatam operam imbecillo Principi pœnas dependit; rebus tum ita confusis, ut bonos supplicia, malos præmia manerent.

Wicleffus hoc anno turbavit Angliam, primò sententiis utilibus regno, mox aliis huic & Ecclesiæ perniciosissimis, quæ statim damnatæ sunt ab Archiepiscopo Cantuariensi. Ibidem quoque terræ motus multùm Britannos terruit, cui hæ insulæ non solent esse obnoxiæ, damno utique majori, quia inexpectato. *Wicleffus turbat Angliam.*

MUNDI 5436. CHRISTI. 1383.

Urbanus Neapolin venit, ubi captivus detentus facere compulsus est, quod ei à suis renitentibus prænunciatum erat. Inde crucem contra Francos promulgari jubet; in quos Anglum incitat: sed inepti illi Cruciferi Ypram dum obsident, adveniente Carolo Rege non tam recedere, quàm fugere visi sunt. Paulò pòst obiit ex morbo Ludovicus Flandriæ Comes, non cæsus à Biturige, ut mentitus est Meyerus impudenter, cujus Principatum, & bellum hereditarium Philippus Audax accepit, Regis tantùm Franci autoritate finiendum. *Ludov. Flandriæ Comes moritur, succedit Philippus Audax.*

Mortuo Petro seu Petrino Cypri Regi successit Jacobus ejus patruus, captivus, Genuæ, à tempore captæ Famagustæ; remissusque cum 10. triremibus: relictâ tamen Genuensibus Famagustâ. Coronatus est, Hierosolymorum Rex Nicosiæ, & post obitum Leonis sui Rex Armeniæ ibidem; verùm utriusque regni titulum inanem gessit, Syriâ & Armeniâ per infideles occupatis. Venit autem tum Leo Armenus, liberatus ex carcere Sultani precibus Regum Franciæ, Castellæ, & Atragoniæ ad Urbanum, petiturus auxilia, quibus Principatum recuperaret; inde missus ad Principes Christianos; à Rege Franciæ, forte & Hispaniæ, accepit unde regio more viveret; miserum solatium amissæ dignitatis. *Petro Cypri Regi succedit Iacobus.* *Leo Armenus Rex creari cogitur.*

Obiit denique hoc anno Ferdinandus Lusitaniæ Rex 13. Kal. Nov. ætatis 43. regni 17. jurisdicundi, quàm bellandi peritior. De ejus successore bellum atrox enatum est inter Castellanos ob Beatricem Ferdinandi filiam, conjugem Joanni Castellæ Regis: & Lusitanos, qui ad Ferdinandi fratres confugerunt. Joannes dicebantur ambo, legitimus unus, alter spurius Ordinis Avisii magister; & ad hunc, ex odio incredibili Lusitanorum, tandem pervenit regnum Lusitanicum, editis hujus odii multis sacrilegis argumentis. *Ferdinandus Lusit. Rex moritur.*

MUNDI 5437. CHRISTI. 1384.

Conjurant in parentes suos duo filii, Suazen Amurathis, & Andronicus Joannis Imp. Constantinop. fide inter se datâ dum eorum patres bello Asiatico contra rebelles Turcas quosdam distinerentur. Convenerunt victores, ut reduces in *Turba in Græcia inter Turcas, & Græcos.*

in Europam hos filios excæcarent: quod & præstitere. Cessisse etiam videtur hoc anno Imperium suum Calo-Joannes Emmanueli, seu Manueli. Sed adeo confusa sunt, & tam variè hæc scripta, ut iis expetitam afferre lucem desperemus.

*Lud. Andegavensis & Amedæus moriuntur.* Urbanus in Ludovicum Andegavensem crucem publicari jubet: hic tamen fortiter se tuetur, & calliditate tantùm ejus victorias Carolus inhibet. Verùm, magno ejus gaudio, mortuus est Ludovicus, morbo ex labore contracto dum urbis Biseliæ direptionem impediret, aut potâ aquâ ex fonte venenato; unde etiam obiisse scribunt Amedæum Viridem Sabaudiæ Comitem, authorem Ordinis Annunciatæ, virum fortem & industrium, neque tantùm de Francis, sed & de totâ Ecclesiâ optimè meritum.

*Iudex sceleris malè mulctatus.* Liberatus tam gravi æmulo Carolus, superbiùs agit in Pontificem, moxque agit de suo itinere in Hungariam, quò à Proceribus invitabatur. Angliæ quoque tum Rex appetitus est insidiis Patrui sui Ducis Lanclastriæ, quæ cum detectæ essent à religioso Carmelitâ, morte crudelissima huic indicium stetit: verùm ejus innocentia miraculo comprobata est, reflorescente crate in quâ corpus ejus per urbem tractum erat: adeo periculosa est potentium, quantumvis sceleratorum, accusatio.

*Lud. Borbonius Africam vexat.* Ludovicus Borbonius usus sapienter induciis inter Angliam & Franciam, cum multis proceribus & fortibus viris trajecit in Africam contra Saracenos, ubi eos egregiè contudit, inde tantùm ciborum penuriâ, & cœli gravitate, redire compulsus; meritis tamen, quàm prædis auctior.

*Gerardus Magnus author Clericorum vitæ communis.* Mortuus est hoc anno Daventeriæ Gerardus Magnus, Parisiensis doctor Sorbonicus, author *Fratrum vitæ communis*, seu Congregationis Vindesimensis, à primo ejus monasterio. Hi pueros non tantùm litteras, sed & probos docebant mores, vivebantque communiter, nihil sibi quidquam quasi proprium vindicantes, non tamen Mendici; contra quos actum in Concilio Constantiensi. Inter eos Fratres vixit Thomas à Kempis, hoc anno quartum vitæ annum decurrens, qui & de his fratribus aliqua scripsit; à quo viro laudari laus non exigua fuit. *Thomas à Kempis puer.*

*Io Wiclefus moritur, ejus postea cadaverexustum.* Obiit & hoc anno Joannes Wicleffus pridie Kal. Junias, desperatus, die S. Thomæ Cantuariensis, percussus paralysi, cùm in eum multa blasphema dicere parasset, humatus in parœciâ suâ *Luttlevora*, donec jussu Constantiensis Synodi exhumatus, & exustus est, ejusque cineres in profluentem abjecti; quod viventi utiliùs contigisset.

MUNDI 5438. CHRISTI. 1385.

*Urbanus sævit in Cardinales conspiratores.* Cardinalis Reatinus cæteros Cardinales in Urbanum commovet Luceriæ; qui de eo deponendo cogitant. Conspirationem ei aperit Thomas Ursinus Cardinalis; quare capti sex aut 7. ferreis compedibus vincti, in dirissimis carceribus, equuleo torti, fame, siti, frigore sic vexati, quasi Calypham non Pontificem Christique Vicarium offendisse viderentur. Carolus ab eo perculsus anathemate, fautores ejus custodiis includit; immo eum Luceriæ obsidet, capto ejus nepote Butillo; nec satis, urbem occupat, & incendit. Resistit tamen ex arce Urbanus, unde quotidie bruta fulmina anathematum conjicit. Tandem corruptis aliquot Ludovici Aurelianensis ducibus, cum suis & captivis Cardinalibus in Apuliæ littus deductus, triremibus Genuensium, quas in hunc locum evocarat, Genuam deportatus est, aliquot in itinere editis sævitiæ exemplis adversus inimicos; quæ si vera sunt, non satis Pontificem redolebant.

Carolus Parvus in Hungariam proficiscitur; quo audito, mater & filia, pactas olim à parentibus nuptias accelerant, & Caroli consilia turbant. Recedit tamen in suam Bohæmiam huic impar Sigismundus. Carolus ergo, proceribus sibi conciliatis, & populo spe ac promissis illecto, assentientibus etiam Reginis ab Archiep. Strigoniensi coronatus est. Secuta tamen mox est Hungarorum pœnitentia, adeò ut si dux adfuisset, Carolus in templo cæsus esset; certè vexillum S. Stephani, novo Regi præferri solitum, laceratum est; & corvorum ingens multitudo regiis tectis insedit: quibus ostentis Rex permotus, non sine timore regnum auspicatus est.

Bellum inter Anglos & Francos renovatum est; hi mittunt Scotis suppetias, quæ plus terroris Anglo, quàm damnorum intulere, Scotis etiam in auxiliatores suos aliquid odii. Statuerat Carolus VI. in Angliam transire; sed bello Flandrico impeditus est, & post aliquas illatas acceptasque clades, cedentibus Gandavensibus, pax inter Philippum Audacem, & ejus subditos inita est, tam his utilis, quàm illi gloriosa.

Joannes Nothus Avisii Ordinis magister, Rex Lusitaniæ creatus cùm insignem de Castellanis victoriam retulisset; his favere Galli, illi Angli, à quibus magnis utrimque odiis decertatum est, nullo alio operæ pretio, quàm ut multùm sanguinis effunderetur.

Denique hoc anno Barnabos Tyrannus Mediolanensis, dum perdere cupit Joannem Galeatium Comitem Virtutum nepotem suum, ab eo quasi simpliciore, atque Ecclesiasticum Ordinem cogitante deceptus, in carcerem cum liberis suis detrusus est, ubi veneno necatus est. Joannes exinde factus est terribilis vicinis Principibus, maximè cùm Scaligeros Veronâ & Vicentiâ exuisset: in quorum familiam se intrudere conati Julius & Cæsar Scaligeri, viri docti, sed ambitiosi, eruditorum se jocis & contumeliis objecere.

MUNDI 5439. CHRISTI. 1386.

Carolus Parvus, Siciliæ simul & Hungariæ Rex, authore Nicolao Garo Palatino, à Blasio quodam

quodam Forgacho graviter ictus in capite, tractus est in carcerem, ibique admoto plagæ veneno, & faucibus insuper constrictis, interiit 8. Id. Feb. Mors ejus Neapolin delata est, cùm de ejus coronatione hic ludi celebrarentur. Statim ergo in ejus locum suffectus Ladislaus, dictus à Francis Lancilotus, decennali major. Sed Thomas Sanseverinas, dux partis Andegavensis, cum Othone Brunsuicensi, filium Ludovici Andegavensis Regem, simulque Clementem acclamarunt. Mater Ladislai cum liberis Cajetam fugit; nec ei favere aut suppetias mittere voluit Urbanus, quamquam illa huic nepotem suum Butillum remisisset, irâ nondum defervescente, quam in Carolum parvum conceperat. Tum autem ea extincta est, cùm auxilia Duce Raymundo Ursino Caroli partibus essent inutilia. Neque tamen meliùs res Ludovici processerunt, adveniente Moniolâ Clementis nepote cum titulo Proregis; Thomas enim & Otho se contemptos rati, hic rediit in suam Germaniam, ille de mutandis partibus cogitavit, consilio nullis salutari.

Post hæc Elizabetha mater, cum Mariâ filiâ & Nicolao Caro, omnia credentes tuta, dum invisunt inferiores regni partes sine militū præsidio, ab Horvato Croatiæ præfecto, olim Caroli duce, captæ sunt: Garus Forgachusque, repugnantes fortiter, interfecti sunt, Elizabetha ore obstructo missa est in Fluvium, Maria in carcerem, comites omnes constupratæ. Verùm statim adfuit cum lectissimis copiis Sigismundus; quo conspecto Horvatus, spondens sibi veniam præteritorum, Mariam remisit. Ac coronatus Sigismundus statim in Horvatum expeditionem suscepit, eum cum præcipulis perduellionis authoribus cepit, ac per urbes vicosque circumductum candentibus forficibus minutatim concidit, ac denique equis quatuor decussatis discerpsit, magno quidem, sed tanto crimine digno supplicio.]

Hoc item anno Iagello Lithuaniæ dux, pollicitus Christianam Fidem, Heduigin missam ab Elizabethâ matre, & coronatam Poloniæ Reginam duxit uxorem; Polonis Guillelmum Leopoldi Austriæ Ducis filium, ut juniorem, & remotiorem ad ferendam sibi opem sapienter repudiantibus. Iagello cum fratribus baptizatus ita se gessit, ut eum, atque ejus familiam, in quâ regnum consisteret, nunquam Polonos elegisse pœniteret.

Apparatus ingens Francorum adversus Anglos bis mille ducentarum navium, cunctatione Joannis ducis Biturigum, discussus est; ei Anglia subjici tota potuerat, Duce Lanclastriæ cum ingenti classe in Lusitaniam profecto, Anglisque de fugâ potius, & deditione, quàm de bello cogitantibus; ideoque decretæ fuerant totâ Angliâ supplicationes; & abruptâ expeditione Deo publicæ sunt actæ gratiæ, privatæ Duci Biturigum, quorum operâ tam certa regni pernicies evanuisset.

Cæsus est hoc anno victus ab Helvetiis Dux Austrius Leopoldus, dictus *militiæ decus, & gloria Auratorum Equitum*, & cæsus à vili, strumosoque homuncione, cui stratus humi ex armorum pondere nomen aperuerat suum. Victus autem à mille sexcentis Uriis, Suitiis, & Undervalliis peditibus, ad propugnationem Sempachii oppidi advolantibus; adversùs quos cùm Leopoldus ejusque nobilitas fecissent impetum dimissis equis, propterea quòd illi locum asperum recessissent, armorum ponderi degravati, æstuque exanimes, & longiùs ab equis suis abstracti, trucidati sunt ad duo millia cum ipso duce. Percussor tamen postea interceptus gravissimo supplicio tortus interiit. Filius cognominis patri, dictus *Ambitiosus*, seu *Superbus*, dum necem patris ulcisci parat, ab iisdem Helvetiis superatus est; ac vilis antea populus, Austriacis subditus, & serviliter habitus, ad tantam dignitatem excrevit, atque potentiam, ut ejus affinitatem & amicitiam Principes Christiani omnes ambiant, & magno sibi pretio redimendam putent.

*victus, ac cæsus.*

*Succedit ei Leopoldus filius.*

*Helvetiorum initia*

Urbanus VI. Genuæ appetitus insidiis & veneno ab inimicis Cardinalium, quos habebat in vinculis, eos in culeum insutos demersit in mare, aut strangulatos, vel cæsos, cum calce vivâ in equili sepeliit, cum aliquot prælatis. Quibus visis, duo ejus Cardinales ad Clementem confugere Galeatius & Pileus; quorum hic dictus Cardinalis trium Pileorum, æternam nomini suo inussit ironiam. Cùm autem idem Urbanus non satis à Genuensibus coleretur, secessit Lucam; de cujus factis cùm duo scripserint, Theodorus Niemus *de Niem* inimicus, & Gobellinus amicus, neutri satis est adhibenda fides, de hoc schismate, ejusque fautoribus, sæpe potiùs ex affectu, quàm æquitate judicanti.

*Urbanus Genua recedit Lucam.*

*Theodorus Niem, & Gobelinus de hoc schismate scripsere.*

MUNDI 5440. | CHRISTI. 1387.

Contigit hoc anno tetra mors improbi Caroli Regis Navarræ, qui dum aquæ vivæ fomentis reficitur, adhibitâ insuper æneâ pilâ, ignibus plenâ, scintillâ in lintea saliente vivus exustus est, & diebus 15. dirè tortus interiit supplicio tot ejus criminibus dignissimo, nisi quòd magis ignominiosâ manu debuerat admoveri. Cùm autem impiissimè vixisset, fertur religiosè obiisse ætatis 55. Successit ei filius Carolus III. cognomento *Nobilis*, multùm dissimilis patri, à suis compositus Salomoni, qui statim Clementem agnovit Pontificem, cùm ejus pater, quasi parum curans judicium utrumque, suspendisset.

*Tetra mors Caroli Navarræ.*

*Succedit ei Carolus III.*

Obiit eodem tempore Barcinone Petrus Aragoniæ Rex, annos natus 74. Astrologiæ & Chimiæ deditus, & ardentioris ingenii, quàm ejus regnum pateretur. Successit ei filius Joannes, ægrotans dum pater obiit; ideoque male habita ejus Noverca cum suis fautoribus, quorum etiam aliqui in quæstionem dati sunt. Statim Joannes adnitente Petro de Lunâ, in partes Clementis transiit; sicque tota Hispania, si Lusitaniam eximas, facta est Clementina.

*Petro Aragonio succedit filius Ioannes.*

Mortuus etiam tum Avenione B. Petrus de Lucembergo Cardinalis, adolescens annorum duode-

*B. Petrus de Lucemb. moritur.*

duodeviginti, ex Imperatorio, & regio ſanguine, magnæ eruditionis & ſanctimoniæ, & poſt obitum multis miraculis clarus; quem ex Sanctorum albo unum excluſit ſchiſma, & Cardinalatus à Clemente receptus: inter Beatos tamen à Clem. verè VII. relatus, & inter Sanctos Patronos ab Avenionenſibus receptus.

*Clemens cum Urban. jus ſuum ...*

Clemens autem præſens agnitus à tam multis Concilium petiit, in quo jus ſuum, Urbanique, decideretur, æqua poſtulare viſus offerre; ſed obſtitit Urbani VI. pervicacia; qui inſuper crucem contra hoſtes ſuos Thomam & Othonem publicavit, nullo alio operæ-pretio, quàm ut ſuum in eos odium, & expetitam ultionem teſtatus eſſe videretur.

*Cliſſonius à ... Duce conſtringitur.*

Cliſſonius juſſus parare claſſem, & Angliam ingredi, tum motibus inteſtinis turbatam ex malâ regni adminiſtratione, per homines chariſſimos regi; unde & civile bellum exarſit. Sed expeditionem Francicam disjecit Britanniæ Dux, ſive ex odio Cliſſonii, qui partes Caroli Bleſenſis reparare velle videbatur, ſive ex amore Anglorum. Igitur Dux Cliſſonium Venetiæ diſtinuit in carcere; immo eum interemiſſet, niſi præfectum arcis ſe ſapientiorem nactus eſſet. Hic enim imperatam Cliſſonii mortem diſtulit ſapienter, donec ſui Principis ira deferbuiſſet; quare huic actæ gratiæ, & iis ſemper agentur, qui Principum animi motibus præpoſteris injicient moram.

*Conceptio B. V. cur præcipuè colitur Rothamagi.*

Patres Dominicani exagitati ſunt Pariſiis ob Conceptionem B. Virginis, & propoſitiones de eâdem Joannis Monteſmi: neque minùs Rothomagi, ubi ineptus eorum concionator iis Huetorum nomen acceſſiit. Unde credidere quidam inſtitutum morem de condendis verſibus in honorem B. Virginis Conceptæ Rothomagi, mutatum poſtea in poëticum certamen magnæ celebritatis.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5441. | 1388. |

*Urbanus ex mulo decidit.*

Novis tumultibus exagitatum eſt regnum Neapolitanum; eò dum properat Urbanus, ceſpitante multo decidens, toto corpore debilitatus eſt, Tiburque delatus, inde Romam venit rogatus ab hujus urbis Civibus. Tum autem ab eo defecere ad Clementem Bononienſes; quibus fuere ſapientiores Florentini, rati expectandum Concilium, ut de negotio tanti momenti ſtatueretur.

*Carolus VI. excutit jugum Patruorum.*

Rex Franciæ Carolus VI. monetur ab Eremitâ neſcio quo de minuendis populi ſui vectigalibus, minis adjectis, quas non fuiſſe vanas paulò pòſt ſenſit. Excuſſit autem hoc anno patruorum ſuorum jugum, ſumpſitq; ipſe, cum magno Francorum gaudio, regni ſui adminiſtrationem, laceratæ ditioni ſuæ atq; populatæ perneceſſariam.

*Nuptiæ Principum Francorum.*

Carolus paulò antè duxerat Iſabellam Bavaram: hoc quoque anno Ludovicus Turonenſis ejus frater accepit uxorem Valentinam Joannis Galeatii Mediolanenſis Principis filiam. Verùm omnes hæ nuptiæ fuerunt Francis fatales, plus maritis pecuniæ, quam laudis attulere.

*Victi Angli à Scotis.*

Scoti hoc anno de Anglis ad Otterburnum Northumbriæ celebrem retulere victoriam; & Francis Angliciſque induciis comprehendi noluerunt, pluſque ſperaverunt, quam eorum regnum, atque divitiæ poſtulabant.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5442. | 1389. |

*Feſtum Viſitationis B. V.*

Urbanus VI. inſtituit Feſtum Viſitationis B. Virginis, & Jubilæum reducit ad annum 33. in gratiam annorum Chriſti; quibus aliiſque geſtis moritur Romæ 3. Id. Octob. cùm ſediſſet annis XI. menſibus 6. & diebus aliquot, ex veneno, uti creditum eſt; à quo ut ſibi caveret, eum S. Catharina Senenſis admonuerat. Extincta quoque mox ejus familia, nepote ejus priùs ſpoliato caſtris ſuis, & poſt ſex annos dum Venetias navigat, cum matre ac liberis naufragium paſſo, cujus cauſâ tantùm, & inutiliter Urbanus laboraverat.

*Urbano ſuccedit Bonifacius IX.*

Succeſſit ei electus à 14. Cardinalibus Petrus, ſeu Petrinus Thomacellus, 3. Id. Novemb. coronatus & dictus Bonifacius IX. vir Pontificatu digniſſimus, annos tantùm natos 45. ſed in quo nemo plures annos ad Pontificatum, & prudentiam deſideraret.

*Carolus VI. Clementem ...*

Clementem inviſit Carolus Francorum Rex; quando ille Ludovicum Juniorem Andegavenſem patruelem Regis, filium Ludovici Andegavenſis Senioris Neapolitanum Regem, Siciliæ, & Hieroſolymorum inauguravit. Hic Ludovicus mox in Arragoniam proficiſcens, Yolandam filiam Regis Arragonum duxit uxorem, magna de ſe, majora de uxore ſuâ pollicitus.

*Ga... bu... Co...*

Carolus Rex Occitaniam inviſit, evocatus querelis populi de rapacitate Biturïcenſis ejus provinciæ Præfecti, quæ ideo huic magno omnium gaudio detracta fuerat. Tum autem vidit, Gaſtonem Phœbum Fuxi Comitem, Principem magnificum, fortem, prudentem, & cujus præſtantiæ corporis (propter quam dicebatur Phœbus) animus egregius reſpondebat. Hic Gaſto poſt unum, aut alterum annum, Kal. Auguſt. tempore calidiſſimo rediens ex venatione, dum manus abluit, annos natus 72 in terram repentè concidit, ac paulò pòſt expiravit: in quo nihil deſideratum eſt præter iram repreſſam, quę huic filium eripuit, ſed majori dolore mortem infligentis, quàm ſubeuntis.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5443. | 1390. |

*Am... de T... victi ...*

Bellum hoc anno geſtum eſt atrox inter Triballum ſeu Zirſos, atque Turcas. Zirſorum Rex erat Lazarus; ſeu Eleazarus, coactus pacem ferire cum Amurathe, qui cum ſæpe bellaverat. Sed cum Zirſi in Turcarum auxilium miſſi, malè ab iis habiti eſſent, Lazarus in Amurathem rebellavit, adſcitis in ſocietatem Boſniis, Bulgaris, Walachis, Hungaris, ac nonnullis Italis. Pugnatum pridie Id. Junii in campis Coſovanis, victi Chriſtiani: cæſus Lazarus: ſed dum Amurathes vel fugitivos inſequitur, vel mortuos recognoſcit, à Triballo ſemortuo ſicâ confoſſus interiit: Vir

Vir fortissimus, & 37. præliis confectis, semper victor, venationi aut aucupio, dum à bello quiesceret, indulgens, ideoque 40. millia canum alebat, & Falcones plurimos, in subditos comis, in peccantes severus, promissi tenax, liberalis; uno verbo cui similem, præter superstitionem, vix Principem Christianum optare possimus. Nondum vulgatâ mortis paternæ famâ renunciatus est Rex filius Bajazethes, qui evocatum quasi à patre Jacupem fratrem strangulandum curavit. Dicebatur autem Bajazethes *Gilderun*, hoc est, fulmen; quod statim Triballi seu Zirsi, & Bulgari sunt experti, quorum multas urbes, inter cæteras Nicopolin, tantâ socordiâ defensam, ut pudor sit de ejus oppugnatione loqui. Tandem Bajazethes cogitans Asiam; duxit filiam Lazari, Regis Zirsorum, quem Græci Stephanum vocant, filii ejus qui in prælio Cosovano ceciderat, & hæres paterni Regni relictus erat, sicut & infelicitatis.

Pertinent ad hunc annum præter propter initia Tamerlanis, seu Themiris, qui à Turcis dictus est *Temir Cham*, id est *Rex*, & *Temirlanc*, id est *Claudus*, à Turcis *Temir Cuthlu*, hoc est *Fortunatus Gladius*. Is fuit natione Scytha, seu Tartarus, in montibus Sogdianæ patre opilione natus; bellando in Persas fortissimus, & rei militaris peritissimus evasit, sed crudelis. Cùm urbem aliquam oppugnabat, primâ die tentorium album, secundâ coccineum, tertiâ nigrum extendebat, quibus gratiam, paucorum cædem, omnium viventium interitum denunciabat. Vocabat ipse se *Iram, & flagellum Dei*: erat militaris disciplinæ observantissimus, quare castra ejus rebus omnibus abundabant. Quidam aliter ejus natales referunt, eumque Principem Sarmacandæ faciunt: hoc tamen certum, fortitudinem ejus, quàm nobilitatem illustriorem extitisse.

Genuenses ab Afris Africanis vexati Caroli VI. implorant opem: Is Borbonium Ducem avunculum suum, cum lectissimis copiis ad illorum auxilium mittit, cui se multi nobiles Angli, atque Franci sponte conjunxere; obtulere quoque auxilium Veneti, quibus Tunetum urbs obsessa, tam graviter pressa est, ut honestis conditionibus, & utilissimis Christianitati, cum Ludovico Rex Saracenus depacisci cogeretur: redière igitur Cruce-signati ad sua cum magnâ gloria, perfecto sine sanguine bello, quod vix inchoandum sine grandi cæde nequaquam sperabatur.

Joannes Castellæ Rex cum frustrà filium suum Lusitanis præficere molitus esset, repentina morte obiit 7. Id. Octobr. excussus equo vel in spectaculo, vel in venatione, dum leporem sequitur. Huic successit filius cognomento *Valetudinarius* annorum undecim, cui dati administratores regnum in ultimam ferè perniciem impulerunt, & ostenderunt quàm periculosum sit. πολυκοιρανεῖν.

Obiit & hoc anno 14. Kal. Maji Robertus Rex Scotorum, cùm vixisset annos 74. regnasset undeviginti, Princeps optimus, & in quo nihil desideratum est, siquidem fortitudinem ejus prudentia supplevit, longè utilior regibus quàm generositas. Successit ei filius Joannes, cui mutatum est nomen in Robertum III. sive ob superiores duos optimos Scotiæ reges, sive ob calamitates Joannis Franci, & Joannis Angli. Cæterùm hic Robertus vir melior, quàm Princeps fuit, & quietis amantior: ideoque se atque regnum fratri administrandum permisit, qui jam sub patre rudimenta imperandi posuisse visus erat.

Denique detectas antea versus Boream Islandiam, Frislandiam, Groenlandiam, & Estotilandiam à Piscatoribus, tempestate ad eas delatis, lustravere hoc anno Nicolaus & Marcus Zenus, nobiles Veneti, sub auspiciis Zichini Daniæ Regis; quorum relationes legi possunt, & cum singulari voluptate eorum pericula considerari. *Regiones Boreales lustratæ.*

---

## CAP. X.

## *Decas Ultima.*

### *Ab anno Christi* 1390. *ad* 1400.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5444. | 1391. |

ARmaniacensis Comes evocatus à Florentinis adversùs Galeatium Mediolani Dominum, dum in obsidione Alexandriæ fortiùs agit, Francorum more, quàm prudentiùs interemptus, & se & copias perdidit, quæ in eo vivere videbantur. *Armaniacensis Comes cæditur.* Ejus metu Bonifacius Pontifex exaravit Epistolam de Schismate, in quâ sic agit de Rege Franciæ, ut de eo plus cogitare, quàm scribere videatur. Concitavit autem in eum Angliæ Regem, quasi Carolus terris omnibus Ecclesiæ immineret, & Ducem Turonensem creare Regem Longobardiæ & Tusciæ cogitaret, simulque Ducem Andegavensem in utroque regno Siciliæ Principem confirmare, quâ nulla fuit aptior machina ad stimulos invidiæ in Anglis concitandos. *Angli in Francos concitati.*

Clemens aliunde Avenione probavit nuptias Mariæ hæredis Trinacriæ cum Martino Exericæ Comite, Regis Arragonum nepote. *Sicilia graviter attrita.* Et cùm non admitteretur in Siciliam Martinus pater, filius in eam exscensione factâ magnam ejus partem occupavit; ac tandem ea tota jugum Arragonicum subire compulsa est, seditionibus tamen, atque tumultibus sic exagitata, ut mirum sit inventos esse homines, qui adeo turbatam incolerent insulam.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5445. | 1392. |

Bonifacius IX. hoc anno errabat per varias urbes Romam, Perusiam, Assisium, Spoletum, nusquam tutus, urbibus Italiæ cunctis tumultuanti- *Bonifacius errat per urbes Italiæ.*

tuantibus; quando & probare coactus est divortium inter Ladislaüm & Constantiam, per Margaritam ingratissimam fœminam procuratum. Nec tantùm à Ladislao separata Constantia, sed data uxor Andreæ Capuano; filio Comitis Altavillæi, quem illa beatum exclamavit, quòd uxorem Domini sui possideret; mulier re adhuc quàm nomine constantior.

*Cliffonius vulneratus à Craonio.*

Turbata est hoc anno plurimùm Francia, Cliffonii Comitis Stabuli vulneribus, qui pro mortuo relictus est à Petro Craonio Lutetiæ; & hic statim ad Ducem Armoricæ confugit. Sanato Cliffonio cùm repeteretur Craonius, Duxque tergiversaretur, ipse Rex Carolus in eum duxit exercitum.

*Carolus VI. incidit in amentiam.*

Sed cùm pervenisset Cenomanos, & egressus urbe æstuosissimo tempore, aliunde ipse æstuans vindictæ cupiditate, incidit in amentiam, ex quâ tamen, arte medici cujusdam Laudunensis, visus est respirare. Interea fuit agitata magnis motibus Gallia, multis administrationem regni pensantibus; expulsus Cliffonius, qui nihilominus de se satis potens tam difficili aggressus est bello Ducem suum, & Armoricæ, vir aliunde fortissimus, & scientissimus rei militaris, ut eum parum honestis conditionibus ad pacem indecoram compulerit. De causâ porrò amentiæ Caroli VI. multi multa scripsere Physici, Theologi, Historici, qui conciliari potuissent, si singuli soli sapere noluissent.

*Schisma continuatum.*

Bonifacius movet omnem lapidem, ut Schisma tolleretur, quod à Rege Franciæ foveri querebatur; sed quod antè præstiterat Urbanus, tum agebat Clemens, Deo nondum conciliato, atque hisce discordiis Ecclesiam suam graviter castigante.

*Erefordiensis Academia.*

Academia Erefordiensis hoc anno constituta est, permittente Bonifacio hîc doceri Theologiam; mirantibus Germanis apud se tandiu publicos hosce fontes eruditionis apertos non esse.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5446. | 1393. |

*Bajazethes vincit Sigismundum.*

Bajazetes, Valachiâ & Bulgariâ devastatis, in Hungariam adjicit animum, quâ de re admonitus est ab Emmanuele Sigismundus. Hujus litteras cùm intercepisset Turca, Constantinopolin terrâ, marique obsidet. Verùm cùm audivisset Sigismundum jam accessisse ad Nicopolin, & jam eâ parte potitum esse, quæ Valachiam spectat, interfluente inter duas ejus partes Danubio, eò protectus est, acrique commisso prælio Hungaros devicit, ut suis litteris fatetur Sigismundus à Francorum Rege postulans auxilium, quidquid Hungari Historici reclamant, & hîc suum Principem victorem confingant.

*Emmanuel Bajazethi reconciliatur.*

His gestis Bajazetes ad Constantinopolin rediit, quem tamen placavit Emmanuel, & cum eo pacem iniit eâ lege, ut vicus unus cum suo Præfecto, atque Mesquitâ, Turcis assignaretur in Urbe; quæ tamen omnia victoria Tamerlanis evertit, & imminentem Græcorum ruinam distulit.

*Caroli VI. rec... dit in ... menti...*

Carolus Franciæ Rex grave periculum adiit dum repræsentat Sylvestres homines, tantùm non igne combustus, dum Dux Aurelianensis admotâ face, ut saltatorum aliquem internosceret, uni eorum vilis lineis admovit ignem, qui pice eorum corporibus adhærebant; hinc ferale incendium, quo quatuor ex iis ludionibus absumpti sunt, quintus servatus, ægrè Rex ipse, qui paulò pòst in pristinam recidit amentiam, & regnum pristinis calamitatibus objecit. Præstigiator quidam eum sanare conatus est; sed ejus sanitas debebatur Deo; quæ anno sequenti contigit; eâ tamen quæ neque regni sedaret turbas, nec hujus clades amoliretur.

*Pari... Leo ... Arm... mor...*

Obiit hoc anno Parisiis Leo Rex Armeniæ, sepultus in albis, more patrio, in æde Cælestinorum, facultatibus suis ita distributis, ut neque filius ejus nothus, nec pauperes, & mendicantes, nec ejus domestici, neque domus præfecti quererentur, quibus divitiæ ex multis Regnis collectæ fecere satis.

*Ju... Ioan...*

Judæi Parisiis exagitati sunt, quorum pleriq; virgis publicè cæsi. Graviùs in Germaniâ mulctati Wicleffistæ, qui eò irrepserant, ex Angliâ, & Bohæmiâ, dum Wenceslaus Bohæmiæ & Germaniæ Rex se totum deliciis daret, ganeis ac stupris turpiter immersus. Huc porrò errores ex Oxoniensi Academiâ cum libris Wicleffi in Bohæmiam primùm transierunt, quorum lectione delectati Magistri Pragenses, iis inditum virus avidè hauserunt, & sparserunt. Inter eos autem primas tenebat Joannes, à tenui villa *Huss* cognominatus (quæ vox Anserem sonat) vir disertus, neque in speciem malus, & ad propagandam hæresin, vel etiam procudendam aptissimus.

*We... lau... det... in...*

Cum ergo Wenceslaus Rex, non jam ut Princeps, sed ne quidem ut privatus viveret, in tantum suorum odium, contemptumque venit, ut Pragæ in publicum carcerem cum facinorosis conjiceretur; ex quo cum evasisset, nec mutaret mores, iterum variis carceribus detentus, ex quibus semper effugit, demum Pragam rediens Principatum suum recuperavit; sæpe potatus veneno, quod semper evomuit illæsus, firmâ ejus valetudine miseriis omnibus, adeoque venenis iteratis, prævalente. Ferunt hunc sobrium satis honestum fuisse, sed cùm ferè semper maderet vino, vitia tandem ejus indoli non malæ, ac diligenti culturæ prævaluerunt.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5447. | 1394. |

*La... vi... Bo... ci...*

Bonifacius IX. Romæ tantùm non cæditur, ægrè subductus à Ladislao Rege, qui tum in Urbem venerat ut de ratione belli consultaret: falsum enim quod aliqui scribunt, tum venisse ad Pontificem ut potestatem obtineret ineundi fœderis cum Bajazete, à quo sollicitabatur, filiâ suâ ei in uxorem oblatâ; cùm hæc posteriùs contigerint. Ladislaus autem, Bonifacio autore, duxit Mariam Cyprii Regis sororem, nuptiis ipsi & Ecclesiæ perutilibus.

*N... m... P... Sc... n...*

Academia Parisiensis abolendi Schismatis tres proposuit vias, cessionis, compromissionis, &

Conci-

Concilii Generalis, contentas Epistola Nicolai de Clamengiis, quæ primùm Regi, bonisque omnibus placuere. Verùm spem omnem concordiæ evertit Petrus de Luna, operâ Ducis Bituricensis Clementi addictissimi. Clemens autem acceptâ hac Epistolâ Parisiensi furore ardens, accedente levi morbo, interiit Avenione ex Apoplexiâ cùm vixisset annos 52. sedisset 16. vir pecuniæ, quam religionis sollicitior, qui in tantâ egestate suâ, reliquit nihilominus in Camerâ Apostolicâ trecenta aureorum millia, ejus successori quàm sibi utiliora. Statim rogati sunt à Rege Franciæ, Cardinales Avenionenses, ne eligerent Pontificem, sed priùs vias extinguendi Schismatis quærerent: sed iis contemptis precibus, mox delegere Petrum de Luna Cardinalem, causati id se coactos facere, ut resisterent Raymundo Comiti Turenio, iis atque Ecclesiæ bonis insultanti. Coronatus est igitur Avenione 5. Id. Octob. dictus Benedictus XIII. addito juramento de abolendo Schismate; cujus desiderium tulit initio sui Pontificatus præ se tantùm, sed verbo tenus, ut exitus demonstravit.

Martinus Barbuda Alcantaræ Magister, sollicitatus à quodam Joanne Sago, homine amenti, & divinas illustrationes confingenti, ut Mauros aggrederetur, Regi Granatæ obtulit singulare certamen, aut turmæ Christianorum, duplicato etiam Maurorum numero; verùm cùm hæc irrisisset Maurus, Martinus versus Granatam movit cum 300. equitibus, & quinque millibus peditum, in quos Rex immisit quinque equitum, & centum millia peditum, quibus Christianos fortiter pugnantes obtrivit. Dimitigati sunt tamen Saraceni, & clade Martini, & Alphonsi Castellæ Regis precibus, ac prohibiti ne Christianis reponerent vicem, ipsis modestiores, & sapientiores.

Rex Angliæ Arundeliani Comitis sanguine funus conjugis suæ Annæ sororis Wenceslai funestavit, levissimâ de causâ, videlicet, quòd ultimus accessisset, primus abire parasset; sed misero Comiti plus odium Regis, quàm crimen obfuit.

MUNDI 5448. CHRISTI. 1395.

Disceptant inter se Academiæ de modis abolendi schismatis, cùmque à pluribus cessio probaretur hanc Benedictus tergiversationibus primùm, deinde minis, & furore rejecit. Alii duo modi, compromissionis atque Concilii, tum à multis probati auxere potiùs schisma, quàm sustulerunt.

Morte repentinâ tollitur Joannes Arragonum Rex, cùm post prandium incidisset in lupum magnitudinis inusitatæ, cujus aspectu territus decidit ex equo, ex immoderato, ut creditum est, cibo, quo se ingurgitare solebat, vir mensæ aptior, quam solio. Successor ei datus est, contra leges frater Dux Momblanci, tum in Sicilia degens, ut filio suo hoc vindicaret regnum, repulsusque Comes Fuxensis Matthæus hæres legitimus propter uxorem suam Joannis filiam. Atque hic quidem sibi debitum regnum armis obtinere conatus est, sed depopulatâ regione, & exercitum, & amorem suorum, & spem opimæ hæreditatis recuperandæ perdidit. Dux autem Momblanci, compositis Siciliæ rebus, atque ex itinere Sardiniæ post biennium ad Benedictum Avenionem, inde in Arragoniam, & ad certum pacatumque Principatum rediit.

Jo. Galeatius Comes Virtutum à Wenceslao Ro. Reg. centum quinquaginta millibus florenorum redimit Ducatum Mediolanensem, deinceps Dux appellatus: quâ nundinatione sibi Rex multum pecuniæ, simul & doloris accersit, ob eam maximè causam depositus, quòd rem tanti momenti inconsultis Electoribus peregisset. *Io. Galeatius emit à Wenceslao Ro. Rege Ducatum Mediolan.*

Rex Franciæ Carolus recidit in amentiam, quo morbo tum plerique tacti sunt tam nobiles, quàm plebei. Repentè enim furebant quasi compuncti acubus, unde quidam magicas artes suspicati sunt; de quibus accusata Valentina filia Galeatii, uxor Ducis Bituricensis, aula dejecta est, quod & creditum magis, cùm solæ preces huic morbo remedium adhibuissent, in quas tum effusi sunt noctu & interdiu Franci; fortè potiùs hæc lues sublata ob expulsos quartùm & ultimùm Judæos, & in Christianissimam regionem deinceps nunquam redituros. *Carolus III. cadit in amentiam.* *Expulsi Iudæi.*

MUNDI 5449. CHRISTI. 1396.

Sigismundus Hungariæ Rex obtinet copias à Rege Francorum adversus Bajazetem, Ducibus Joanne Nivernensi Philippi Burgundiæ Ducis filio, Philippo Artesiensi Comite Stabuli, Joanne de Austriâ Admiralio, & Joanne Bussicaldo Marescalo cum multis nobilibus, & lectissimo equitatu. His maximè fretus Sigismundus centum millia armatorum eduxit, multa oppida cepit, Turcis ubique internecione cæsis; tandem dum Nicopolin obsident, adfuit cum 200. suorum millibus Bajazethes. Placebat sapienter Sigismundo ut Hungari pugnarum Turcicarum gnari certamen inchoarent, sed obstitit huic optimo consilio Stabuli Comes Philippus ex invidiâ in Cussiacum nobilem virum, & multarum palmarum, qui Sigismundi opinionem vehementer probabat. Ille ergo 3. Kal. Oct. indignum vociferans hanc Francis injuriam fieri, ex furore potiùs quam arte, raptim eos trahit ad prælium, Hungarorum copiis nondum explicatis, paratisque: & grandem illi quidem Turcarum ediderunt stragem, certaque erat victoria si Hungari supervenissent: verùm dum equis defluunt Franci, quorum plerosque Barbari sagittis confixerant, & equi sine sessoribus in castra redeunt, fugerunt Hungari omnes, atque inter cæteros Sigismundus, Francis tam animosè certantibus, quam flagitiosè desertis. Tandem hi circumfusi omnes ferè cæsi sunt, præter trecentos, qui jussu Bajazetis mox trucidati sunt, reservatis tantùm octo, quorum plerique in carcere ut comes Stabuli, & Cussiacus, aut ex carceris incommodis, periere. Servatus potissimùm Comes Nivernensis Joannes, asserente Turco quodam Physiognomo ab eo Christianis plus imminere damni, quàm ex simul conjunctis omnibus Saracenis, & redem- *Pugna ad Nicopolin & clades.*

*Joannes Burgundus servatur quasi nociturus Christian.*

demptus ille postea cum sociis aureorum millibus ducentis. Cæsa Christianorum dumtaxat viginti millia tam in prælia, quàm in fugâ, Turcorum sexaginta millia : illorum relicta corpora voranda feris diu intacta & incorrupta remanserunt ; ut ostenderet Deus placuisse sibi eorum mortem, quorum tamen vita ob multa scelera displicuisset. Sigismundus ægrè evasit, & non ausus ad suos redire duodeviginti mensibus latuit, tam ob præsentem cladem ; quàm ob præterita crimina. Cladis quoque hujus suspicio cecidit in JoannemGaleatium, quasi omnia is indicasset Bajazethi : verùm si ritè pendamus omnia, sola cladis tantæ causa Francorum stolida ferocia, & consueta temeritas extitit.

*Genuenses se dedunt Regi Franciæ.*

Genuenses domesticis seditionibus attriti, atque insuper vexati assiduis insidiis Galeatii, Francorum Regi sese dediderunt : neque tamen apud eos cassavere dissentiones, inter eos furentibus Guelphis, atque Gibellinis iisque nominibus renovatis, Italiæ tandiu, & toties fatalibus.

*Conveniunt Frãciæ & Angliæ Reges de Schismate.*

Convenerunt, conciliato per nuptias novo fœdere inter Ardram & Calesium Carolus Franciæ, & Ricardus Angliæ Reges, probataque est ab utroque via Cessionis ad extinguendum Schisma; huic quoque assensus est Wenceslaus; sed repugnavere variis ludificationibus contendentes, honoris sui quàm divini sollicitiores.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5450. | 1397. |

*Græci petunt auxilia contra Turcos.*

Emmanuel Imperator Constantinopol. misit fratrem suum Theodorum Palæologum, Despotam Peloponnesi, in Franciam ut auxilia peteret contra Turcos quibus jam Græci erant penitus impares. Ei promissa sunt, & eorum ducem obtulit se Dux Aurelianensis Regis frater. Joannem quoque filium Andronici misit in Italiam, ut Genuenses sollicitaret, à quibus, eodem assentiente, retentus est diutiùs. Venerat cum illo Emmanuel Chrysolarus qui primus Græcas litteras docuit in Italiâ, cujus discipulus fuit Guarinus Veronensis. Vivebat & tum Caleca, qui Græcus licèt, pro Latinis adversus suos scripsit, minus amans patriæ, quam religionis.

*Emmanuel Chrysolarus, & Caleca.*

*Eremitæ medici mulctati.*

Impostores duo Eremitæ S. Augustini Petrus & Lancelotus medici circumforanei, & Magi, Carolum sanare adorti, in vitæ discrimen eum adduxerunt, ideo capite mulctati, quòd in pretiosâ animâ rudimentum artis suæ ponere voluissent. Erat autem tum miserrimus Franciæ status, sub infirmo capite languentis, omni nobilitate inter Principes distractâ, quibus Rex providere voluit legibus suis, sed eas expertus est telis aranearum similes, quas potentiores impunè perfringebant.

*Augetur remediis Schisma.*

Conati sunt Reges Franciæ, Castellæ, & Arragoniæ, Schisma tollere per Pontifices ipsos inter se convenientes, sed non fuit mali remedium, sed incrementum. Et verò missæ sunt ab utroque vanæ Legationes, nullo alio operæ-pretio, quàm ut concordia deplorata videretur.

*Ricardus in suos proserviit.*

Rex Angliæ Ricardus Thomam Glocestriæ Ducem patruum suum, infensissimum Francis, & hoc odium in nepotem quoq; suum derivantem, dolo captum abduci Calesium curavit, ibidemque suffocari. Gladio quoque in Comitem Arundelii animadversum, aliique complures perduellionis rei, aut carcere aut exilio mulctati sunt; quibus tamen Rex sibi subditorum odium priùs, deinde & sibi perniciem accersiit.

*Lud. deg. suas dit ot*

In Italiâ vario exitu certatum est. Dum enim Jo. Galeatius Mantuam obsidet, à Carolo Malatesta duce fœderatorum magnâ clade fusus est, Ludovicus Neapoli dum magis intendit deliciis quam regno, res abjecit suas, extulit Ladislai : accessit & procerum perfidia, à quibus delusus, impar competitori suo tandem, in exitium ruit, certum semper & paratum Principibus otiosis.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5451. | 1398. |

*Bene obje ven*

Conveniunt Rhemos Wenceslaus Ro. Rex, & Carolus VI. Franciæ Rex, frustra renitente Bonifacio. Cùm igitur his Regibus, adeoque Christiano illuderent Benedictus, & Bonifacius, conventum inter Reges, ut qui his repugnaret, deponeretur, eique negaretur obsequium. Misit ergo Carolus Avenionem Petrum de Alliaco & Bussicaldum, ut Cessionem Benedicto suaderent, vel extorquerent. Cum utrumque respueret homo pertinax, obsessa urbs à Bussicaldo, cui à civibus dedita est : quare munitissimo palatio se continens Benedictus, jurare compulsus est, se non exiturum donec esset Ecclesiæ reddita pax. Benedictum quidem juvare conatus est adductâ classe Rex Arragonius; verum, etiam hyeme Rhodanum fluvium adeo imminutum expertus est, ut re infectâ multisque suorum perditis abire compelleretur. Certè si Benedicto per Francos ad pacem compulso Wenceslaus quoque Bonifacium adegisset, profligatum erat schisma : verùm cùm una pars eaque vegetior & animosior depressa esset, aliâ integrâ, intactâque, non extinctum malum, sed propagatum. Franci igitur utrique Pontifici parere recusarunt; quam substractionem defendit Simon Cremaudus Patriarcha Alexandrinus, eique subscripsere Avenienses Cardinales; impugnavit Nicolaus de Clamengiis inescatus promissis Benedicti, sicut & Academia Tholosana; sicque non tantùm Christianus Orbis, sed & ipsa Francia distracta est, à quâ tamen potissimùm Ecclesiæ concordia sperabatur.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5452. | 1399. |

Mittuntur suppetiæ Emmanueli, duce Bussicaldo ; cùm eò congredi non sunt ausi Turcæ, sicque tanti viri adventus eorum excursiones repressit. Tum quoque Hospitalarii Equites in Cariâ construxere Castellum S. Petri, in quo solebant excubare canes, distinguentes Turcam à Christiano, huic adulantes, illum morsibus lacerantes. Horum etiam canum unus, Christianum fugitivum à Turcis, quotidie in sylvâ diu panis sibi

sibi oblati parte pavit, nec detectus nisi ab alumno, quod strigosior in dies fieret; qui & Christianum abduxit, & canem omnium spectaculo, & laudibus exposuit.

Bonifacius IX. hoc anno Annatas Beneficiorum instituisse fertur, specie quidem in sustentationem Pontificis, & Cardinalium, re ut Pontificis parentes & affines ditarentur: admissæ sunt ab omnibus piè, præterquam ab Anglis sapienter, nisi pro Episcopatibus. Quamquam easdem extitisse jam tempore Joannis XXII. quidam putent, dictasque *Annalia*, & *Vacantias*, principio quidem tenues & modicas: sed tempore, ac sordibus quorumdam Pontificum sic crevere, ut nonnullis intolerabiles visæ sint; justæ nihilominus, si in pios usus (quod à bonis Pontificibus semper factitatum est) utiliter impendantur, atque religiosè.

Bonifacius hoc anno à Romanis ritè receptus est Romæ sublatis Baneresiis, hoc est Regionum præfectis, hominibus semper ad seditionem paratis. Præfectus igitur Urbi Malatesta Pisauriensis, vir providus, & sapiens, à quo munita moles Hadriani seu Castrum S. Angeli, Capitolium, & pontes, ut si maximè vellent Romani non possent in Pontificem rebellare; acceptissimâ bonis omnibus necessitate.

Henricus filius Joannis Ducis Lanclastriæ à Ricardo Anglorum Rege actus in exilium, hoc absente à Londinensibus ex Franciâ revocatus est, spe Regni etiam injectâ. Accepit conditionem vir fortis, & miser, collectisque copiis occurrit redeunti ex Hibernia Ricardo, eumque ad turpissimam deditionem compulit, adduxitque in Turrim Londinensem, ubi specie conjurationis extinctus est annos natus 33. regni sui vigesimo secundo. Fabulati sunt Scoti ad se Ricardum, veste muliebri fugisse, sed irrisi sunt ab Anglis, quibus non facilè Scoticæ pultes imposuerunt. Henricus autem potitus regno jure belli, atque cessionis, non autem hæreditatis, coronatus est & inunctus, Phialâ (ut quidam autumant) S. Thomæ Cantuariensi divinitus traditâ, & quam impiè Mejerus Sanctissimi hujus viri imposturam vocare non erubuit, ut Rhemensem Ampullam S. Rhemigii refutaret. Neque tamen regno scelere parto, Henricus quietè usus est; etenim ut sileam Anglicanos motus, nihil propiùs fuit, quàm ut acerrimo bello eoque justissimo impeteretur à Francis ob Ricardi uxorem, ejusque dotem: verùm, utrâque gente faciente sibi invicem & accipiente timorem, induciæ demum servatæ sunt, quantùm is timor consistere duraturæ.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5453. | 1400. |

Emmanuel Imperator Constantinopolitanus magnificentissimè Parisiis susceptus est, & longè splendidiùs quàm antea Carolus IV. Occidentis Imperator; quia ab hoc sibi aliquid Francia, ab illo nihil reformidabat. Perrexit & in Angliam utrobique petiturus auxilium in Turcos, sed irrito conatu, utroque Regno turbato, hoc novi Regis intrusione, illo sui Principis adversâ valetudine. Cùm ergo & tempus, & multas pecunias absumpsisset, redire ad sua coactus est per Hungariam, Turcis Constantinopolin ita prementibus, ut ejus obsidio per Tamerlanem, quasi Deum è machinâ, soluta esse videatur. *Emmanuel Imp. Parisiis magnificè receptus.*

Jubilæum Romæ celebrandum curavit Bonifacius IX. quando infinita Francorum multitudo (quamquam id Rex edicto suo prohibuisset) Romam confluxit, sicut & alii populi; licèt Wicleffistæ indulgentias, ut furiosi canes lunam, allatrarent. *Iubilæum Romæ celebratum.*

Wenceslaus tandem hoc anno ab Electoribus exautoratus est ob turpissimos mores, Imperium neglectum atq; dissipatum, crudelitatem, libidinem, omnia vitia. Huic statim substitutus est Fridericus IV. Dux Brunsvicensis, vir fortis, & industrius, qui labans Imperium firmare posset. Verùm hic rediens ex Comitiis interemptus est à Walechiano Comite. Itaque ei sublectus est Rupertus, seu Robertus, cognomento *Parvus*, vir bello ac pace clarus Bavariæ Dux, & Comes Palatinus, quem tamen Franci diu negarunt esse Regem Romanorum: sed approbatus est à Romano Pontifice; quamobrem de eo graviter questus est Sigismundus. Contempsit verò depositionē suam Wenceslaus Bohæmiâ contentus; imò ut aliquo Jure magni momenti cederet, auro repudiato, tantùm aliquot vini plaustra exegit, quo facto docuit se pluris facere conviviū, quàm Imperiū. *Wenceslaus exautoratur ab Electoribus. Fridericus IV. ei substituitur. Huic Rupertus Bavarus.*

Adeptus est denique Regnum Neapolitanum Ladislaus recedente Ludovico cum dedecore, cum deditâ per Sanseverinates Neapoli, magnam nihilominus Regni partem haberet in suâ potestate. Recessit ergo in Provinciam suam, & convenit Benedictum, eique ut Ecclesiæ subditus se submisit: dum Ladislaus in multos proceres, qui faverent æmulo suo, acerbè desævivet, atque etiam in ipsos Sanseverinates; ab illo qui ex eorum proditione, & perfidiâ profecerat, meritò justèque castigatos. *Ladislaus regnum Neapol. occupat.*



# LIBER XV.

## *Ab anno Christi* 1400. *ad* 1500.

### CAPUT I.

### *Decas Prima.*

*Ab anno Christi* 1400. *ad* 1410.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5454. | 1401. |

*Tamerlanes invadit Bajazetem.*



Tamerlanes in Bajazetem movet, sollicitatus à Regulis quos hic spoliarat; non autem ab Emmanuele cum promissione Urbis, ut quidam fabulati sunt. Ac primùm inter se Legationibus egerunt, deinde minis: tandem Tartarus Sebastiam obsedit, cuniculis cepit, ad duodecim hominum myriadas in eâ interemit, pueris ac mulieribus ungulis equorum conculcatis, quo spectaculo Tamerlanes oblectari solebat. Hic quoque cæsus charissimus Bajazetis filius Asiæ præfectus, contumeliosè priùs circumductus. Quibus auditis Turca furoris, mœrorisque plenus transit in Asiam, majorem quæsiturus calamitatem. Tamerlanes exinde deflexit in Syriam, ubi Sultanum Ægyptium devicit, & retudit intra suam Ægyptum: quidam tentasse Hierosolymam volunt, sed exercitum ejus muscis atque bruchis vexatum esse; relictis tamen in Syriâ suæ pietatis & æquitatis exemplis.

*Tamerlanes retundit Ægypti Sultanum.*

*Sigismundus datur in carcerem.*

Rupertus Rom. Rex evocatur à Pontifice & Florentinis in Italiam adversus Galeatium; sed ab hoc repulsus ignominiosè coactus est suam repetere Germaniam. Interim Sigismundus à suis capitur, & detruditur in custodiam, evocato Ladislao Rege Neapolitano; qui Jaderam venit, quò res vergerent opperiens:& sapienter quidem; Sigismundus vinculis solutus à matre Garorum, cui traditus fuerat custodiendus, in Bohæmiam fugit, unde rediens cum exercitu, regnum Hungaricũ recuperavit. Ladislaus autem Jaderâ Venetis vendita Neapolin rediit, reconciliato sibi Sigismundo, eique commendatâ perfidorum Hungarorum ultione, ad quem ipse non erat impellendus, & quam suo tempore cumulatissimè perfecit.

*Ladislaus evocatus cedit.*

*Petro puero succedit Martinus pater.*

Fridericus seu Petrus, Martini & Mariæ filius, annos tantùm septem natus in ludicro certamine ærata cuspide interfectus regnum reliquit suo Patri Martino, illumque statim Maria mater ex dolore secuta est. Pater autem duxit Blancham Regis Navarræ filiam anno sequenti, ut ex eâ tot bonorum legitimum hæredem susciperet.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5455. | 1401. |

Tamerlanes octingenta armatorum millia, ducentis millibus Bajazetis opposuit, ut quidam scribunt; certè constat minimùm Tartaros duplo plures Turcis fuisse, atque utraque acies ad Ancyram, & ad eam partem Tauri montis, cui nomen, Stella in ea planicie in quâ Pompejus vicerat Mitridatem, peritissimè explicata est. Ac primo impetu victi ab Europæis, Turcæ militantibus maxime Christianis, Tartari, sed Asiaticis vix Tamerlanis impressionem sustinentibus, & fugientibus effusè, distractus à suis Janizaris captus Bajazetes. Fugere tamen filii ejus duo, Suleimanes atque Mahometes, tertius Mustapha periit in acie: cecidere Tartarorum ducenta millia, Turcarum centum quadraginta millia; multi eorum Proceres capti, spoliati duntaxat remissi sunt. Bajazetes primo benignè habitus; sed cùm se victum non satis agnosceret, spretus est à victore, atque inclusus in caveâ ferreâ, vinctusque compedibus aureis circumductus est. In hoc carcere obiit aut ex mœrore, aut impacto in ferreâ clathrâ capite, anno regni sui 14. Filii ejus quatuor de regno patris duodecim annis disceptarunt, id fœdè lacerantes, quibus tamen prævaluit Mahometes anno Christi 1415. Proponitur à quibusdam & quintus Jesus seu Josephus factus Christianus, aliter Demetrius dictus, cui Mahometes omnia ad vitam liberaliter suffecit, quietem in terris non illiberalem; æternam in cœlo consecutus.

Circa hoc tempus videtur Smyrna à Tamerlane deleta penitus, quòd Hospitalarius Catalanus urbis præfectus ejus vexillum eripere recusasset, quod unum postulabat victor, Christianis haud infensus. Cùmque id fecissent Genuenses in sua urbe Petâ, & hanc & Constantinopolin ab excidio vindicarunt. Tamerlane de gloriâ magis, quàm de prædâ sollicito.

Cæterùm mox rediit ad sua Tamerlanes, quòd Rex Indorum fines ejus popularetur, quem & devicit, & ad pacem admisit ac Sarmacandam olim, olim Marcandam Imperii sui sedem variis devictarum gentium spoliis exornavit. Quid exinde præstiterit, latet: hoc certum, filios ejus à paternâ virtute defecisse, nec hæreditatem à patre relictam satis fortiter, & sapienter conservasse; quoniam malè parta, semper malè dilabuntur.

Emmanuel redit in suam Urbem auditâ clade Bajazetis, & tum poterat Imperium Orientale stabiliri,

ſtabiliri, immo recuperari Syria, ſi coaluiſſent Chriſtiani; ſed Eccleſiâ ſchiſmate divisâ, rectè nihil confici potuit. Emmanuel ergo cum Mahomete victore depaciſci coactus, res ſuas utcumq; ſervavit; hoc tantùm ex clade Turcicâ profecit, ut ſibi non eriperetur Imperium.

David filius Roberti Scotiæ Regis, traditus à patre fratri ſuo regni adminiſtro, ut adoleſcentia ejus libidinoſa domaretur, inediâ ſublatus eſt, voratis ſibi crudeliter membris. Huic vitam tantiſper prorogarunt mulieres, una lacte ſuo, altera pane velo capitis occultato, quæ ideo cæſæ ſunt ambæ, quia miſericordes. Miraculis adoleſcens poſt obitum claruit; quæ tamen ceſſarunt, cùm frater ejus Jacobus ejus gratiâ corripuiſſet arma; adeò etiam pii Chriſtiani etiam mortui refugiunt ultionem.

De ſubſtractione à Benedicto acriter in Franciâ diſceptatum eſt, ac Nicolai de Clamengiis Epiſtola proſcripta, atque lacerata: ſed ei mox reſtituta obedientia Ducis Aurelianenſis operâ; inter quem & Burgundum jacta ſunt magni odii ſemina, cùm his aptior gerendis rebus viſus eſſet Regi; unde excitatum incendium, quo pæne Francia tota deflagravit.

Joannes Galeatius fugato Ruperto, cæſiſque Florentinis, Bononiam capit: cùmque de regni Italici aſſumendis inſignibus cogitaret, obiit 3. Non. Septemb. ex peſtilenti febre ætatis 54. vir nefarius, & cui religio ſua fortuna fuit; Reliquit filios duos Joan. Mariam, & Philippum Mariam, illum Ducem, hunc aliquot Civitatum dominum: Verùm mox exortis inter adoleſcentes diſſentionibus, diſſipatus eſt Principatus, qui tot ſceleribus coaluerat.

Buſſicaldus Mareſcallus Genuenſibus à Rege Franciæ propoſitus eos in omnia crimina prolapſos, & ruentes in perniciem ſuam, autoritate ſuâ, & fortitudine revocavit ad officium; inimicorum etiam judicio virtutibus omnibus inſtructus & verum optimi, atque ſapientis Gubernatoris exemplar.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5456. | 1403. |

Hoſpitalarii Rhodii Equites S. Joannis tam atrociter vexavere Ægyptios, ut horum Sultanus Saladinus, turpem cum iis ferire pacem compulſus ſit; videlicet ut peregrinos Hieroſolymam ducerent, atque reducerent, reciperent loca ſibi in Syriâ & Ægypto erepta, aliaque ejuſdemmodi quibus ſe Saracenis metuendos oſtenderent.

Bellum inter Genuenſes ac Venetos renovatum eſt, cùm Buſſicaldus illorum Præfectus, miſſus ad liberandam Famaguſtam à Joanne Cyprio obſeſſam, omnia compoſuiſſet, Berytum in Syriâ diripuiſſet, & fermè Alexandriam. At in reditu malè acceptus à Venetis legitimam eos invadendi nactus eſt occaſionem, duobus hiſce populis ſemper, ſaltem voluntate, diſtractis.

Benedictus XIII. ſeu Petrus de Luna fugit ex Palatio ſuo Avenionenſi operâ Francorum ſimul & Arragoniorum, ſtatim receptus à Cardinalibus, qui ab eo defecerant. Reſtituta huic quoque fuit à Francis obedientia, quam tamen mox ferociâ ſuâ perdidit, dum confirmationem electionum tempore ſubtracti obſequii denegat. Quando & miſſus eſt ad eum Maſſiliam Joannes Charlerius, à pago agri Rhemenſis dictus Gerſonius, vir magnus, & quantùm hæc ferebant tempora magnæ eruditionis. *Ioan Gerſon.*

Florebat hoc tempore S. Vincentius Ferrerienſis Dominicanus Hiſpanus vir concionibus ac miraculis clarus, & qui tum ubique magnos pietatis ſenſus accendebat. Hic à Confeſſionibus Benedicto XIII. fuit, & ab eo Magiſter Sacri Palatii conſtitutus. Verùm tamdiu huic adhæſit, quandiu dubitare potuit eum legitimum eſſe Pontificem, ubi pertinacem vidit, eum deſeruit, immo & oppugnavit, ſicque ſe fortem pariter atque ſapientem Eccleſiæ Dei athletam probavit. *S. Vincentius Ferrerienſis.*

Cremati ſunt Pariſiis Impoſtores duo Magi Carolo VI. Regi remedium afferre periculosè conati. Henricus quoque Angliæ Rex periculum vitæ adiit dum bellum gerit in Percios proceres, & Comitem Duglaſſium, à quibus ſine dubio cæſus eſſet, niſi plures iiſdem ſecum armis adornaſſet, quo ſtratagemate & incolumitatem, & victoriam de hoc prælio retulit. Pepercit tamen capto Duglaſſio ob ſingularem ejus fortitudinem. Nihilominus perſeveravere motus in Angliâ, fingentibus ejus adverſariis Ricardum vivere, quæ fabula diù fuit Henrico, & pernicioſa, & pericuſoſa. *Impoſtores duo Magi Pariſiis cremati. Henricus Anglus adit periculum.*

Capta eſt hoc anno ad Edanum Hollandiæ Sirena, quæ ornata veſte Harlemum deducta nere etiam didicit, pane & lacte victitans, ſemper muta, & crucem adorans, ideoque poſt mortem ritu Chriſtiano ſepulta; habita tum grande miraculum ſine omni periculo fictionis, atque impoſturæ, & probata per teſtes omni exceptione majores. *Sirena Harlemenſis.*

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5457. | 1404. |

Principes Hungariæ finitimi adverſus Turcos fortiter pugnant, & de iis aliquas victorias referunt, Sigiſmundo his opitulante qui tum Vicarium agebat Imperii, in quem Wenceslaus autoritatem omnem ſuam refuderat; dum ei plus otium & libido placerent, quàm Reip. cura, & adminiſtratio. *Venceslaus negligit Imperium.*

Obiit hoc anno Philippus Burgundiæ Dux, cognomento *Intrepidus*, ſeptuagenarius, in ſtabulo ſeu taberna diverſoria Hallis in oppido Hanoniæ, tam pauper ut ejus uxor Margarita bonis ejus mobilibus ex juris formula nuncium remiſerit, impoſitis ſepulchro viri ſui zonâ, crumenâ, & clavibus. Succeſſit ei Joannes filius cognomento *Audax*, at filia Margarita nupſit Ludovico Delphino Duci Aquitaniæ Caroli VI. primogenito, impubes impuberi: tantus fuit Regis amor in hanc familiam, tum Franciæ delicias, ob egregias in Philippo corporis animique dotes. *Moritur Philippus Burgundus. Succedit ei filius Ioannes.*

Angliæ Regem Eccleſias ſpoliare cogitantem Thomas Arundelius Archiepiſcopus Cantuarienſis inhibuit, fortitudine ſuâ apud populum, demiſſione apud Henricum; quibus utrumque ſic *Thomæ Arundelii Archiep. Conſtantia.*

ſic inflexit, ut negarent viro tam pio, & tam forti vim inferendam eſſe, & qui Thomam Martyrem, re magis, quam nomine repræſentaret.

*Bonif. IX. ſuccedit Innoc. VII.* Benedictus mittit Legatos Romam ad Bonifacium de pace: ſed hic iis receptis mortuus eſt ex calculo Kal. Octobr. Defuncti Nepos in Arce S. Angeli Legatos incluſit, nec niſi perſolutis quinque millibus florenorum aureis dimiſit. Rogarunt hi ne novus eligeretur Pontifex, niſi admonito Benedicto, verùm auditi non ſunt, atque rejecti. Caſtè obiiſſe Bonifacium ferunt, & admonitum ſanari poſſe, ſi mulierem cognoſceret, cohorruiſſe, ac mori, quàm fœdari maluiſſe. Sedit annos 15. minùs diebus 34. vixit ſexaginta, avaritiæ inſimulatus, & aliorum criminum, quæ tamen videntur adverſarii confinxiſſe. Datus ei Succeſſor poſt dies 15. Coſmas Melioratus Sulmonenſis, 4. Non. Novemb. coronatus ſub nomine Innocentii VII. vir bonus & integer, etiam ex adverſariorum conſenſu, quæ res eo tempore quàm virtus ipſa rarior viſa eſt.

*Roma turbatur adventu Ladislai.* Sub initium ejus Pontificatus turbata Roma, accedente Ladislao Rege Siciliæ cum exercitu. Et vero tum electi VII. Viri, qui Urbem adminiſtrarent, omnes Gibellini, Guelphis utcumque ſeſe tuentibus, cùm utraque factio potentes familias ſibi addictas numeraret. Sicque diſcordia ex Urbe per Bonifacium fugata in eam illo demortuo rediit.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5458. | 1405. |

*Innocent. Urbem relinquit turbatam.* Innocentius Romam relinquere cogitur, ex quo nepos ejus captos ſeditioſos undecim necaſſet: fugit ergo Viterbium, ſtatimque palatium ejus à Romanis diripitur. Vocatus à nonnullis Ladislaus cum copiis à Romanis pro libertate paratis mori rejectus eſt: mutatuſq; Reip. ſtatus, ac Triumviris, quos *Bonos viros* vocarunt, commiſſus. Indixit autem Pontifex Generale Concilium, ſcripſit ad Academiam Pariſienſem, excuſans ut potuit factum in Legatos Benedicti, ac præ ſe tulit omnes concordiæ vias, tam ei profugo, quàm Eccleſiæ turbatæ neceſſarias.

*Benedictus Genuam venit.* Benedictus appellit Genuam evocatus à Buſſicaldo, & Archiepiſcopo Pileo Marino, viro ſanctiſſimo, ubique magnificè exceptus primò, ſed mox copiæ quibuſcum venerat excluſæ. Hinc agere conatus cum Innocentio cùm hic recuſaſſet, ille triumphavit. Quæſiti tamen concordiæ modi à Cardinalibus utriuſque partis, irrito tamen conatu, utroque Pontifice in ſuo gradu conſiſtere paratiſſimo, nec adverſario cedere.

*Anglia & Francia vexata.* Laboravere diſcordiis domeſticis, & externis Francia, & Anglia; Francis, Anglis, Flandris maritimas oras utriuſque partis infeſtantibus, ac ſæpe factâ exſcenſione vicinos agros expilantibus. In continenti quoque & Aquitaniâ intercepta oppida, quamquam non eſſet bellum inter duos Reges denunciatum. Sed gravior in Franciâ ab inteſtinis diſcordiis labes, inter Aurelianenſem Regis Fratrem, & Joannem Burgundiæ Ducem. Aurelianenſis enim poſt obitum Philippi Burgundi omnia trahebat ad ſe, ac Reginæ junctus conabatur ab Aulâ trahere Ludovicum Delphinum, ut ſumma rerum potiretur. Rex enim in dies ægrotabat magis, pediculis victitans, nec patiens niſi per vim, & à perſonatis hominibus ſibi veſtes eripi, cum ipſe ſibi ad latus ferrum admoviſſet, ex quo caro jam periculosè computruerat. Burgundus contrà Populi Regnique commoda tantùm præ ſe ferens, in omnium oculis erat, adeoque Regis cùm ad ſe rediret. Expilato interea regno, ſæpe Regi ejuſque liberis neceſſaria deerant. Cùm ergo Burgundus ſocer Delphinum generum extortum ductoribus ſuis Lutetiam reduxiſſet, utrimque paratæ ſunt copiæ; quæ tamen à Rege ſaniore dimiſſæ ſunt; verùm ad breve tempus, cùm valetudo Regis non eſſet diuturna. In Angliâ contra Henricum Regem conſpirarunt Ricardus Scropus Archiepiſcopus Eboracenſis, & Thomas Mombrajus Mareſcallus; ſed ambo proditi à Comite Weſtmerlandiæ, ad ſupplicium ignominiosè rapti ſunt; Præſul miraculis poſt obitum claruiſſe dicitur. Thomæ caput diu expoſitum nunquam computruiſſe. Ferunt & ab eo tempore malè omnia Henrico ceſſiſſe, infectum leprâ, ex quâ ſanari nunquam potuit, in expeditione Wallorum infelici theſauros adeoque coronam perdidiſſe. Certè Innocentius authores necis Scropianæ perculit anathemate; & mittenti Henrico Sagum militare Præſulis ad Innocentium cum his verbis, *agnoſce an ſit tunica filii, an non?* Scitè hic reſpondit *Fera devoravit filium*; quibus verbis innocentem Scropum, percuſſorem ejus Tyrannum indicavit.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5459. | 1406. |

Innocentius VII. vocatus in Urbem, in eâ magno gaudio, uti legitimus dominus receptus eſt: Statimque libravit anathema in Ladislaum, etiamnum occupantem Hadriani molem; at hic mox Oratores ad Pontificem miſit, arcem reſtituit, compoſuit pacem, neutri tamen nec Eccleſiæ profuturam. Enimverò paulò pòſt mortuus eſt, ſeptuagenarius Innocentius ex Apoplexiâ 8. Id. Novemb. cùm ſediſſet annos duos, dies 22. Tum dubitavere Cardinales an electioni Pontificis ſuperſederent, maximè cùm Galli ſuum adegiſſent Benedictum polliceri ſe abdicaturum, ut Collegio Cardinalium utriuſque partis conveniente legitimum Caput Eccleſiæ ſeligeretur, & extra Schiſma. Nihilominus ex metu ne diutiùs vacarat Sedes, ſtatuerunt Romani Pontificem eligere, ſed cum eâ cautione, uti promitteret abdicationem, ſi competitor deponeret dignitatem. Sic electus eſt 9. Kal. Decemb. Angelus Corarius vir doctus & eximiæ pietatis, coronatus 4. Non. Decemb. dictuſque Gregorius XII. in quo nihil deſideratum eſt præter nimiam retinendæ ſanctæ Sedis cupiditatem, quam accendiſſe volunt nimium in promovendis affinibus ſtudium, virtutis Pontificiæ certum, & vulgare naufragium. Atenim ſenſim corruptum eſſe liquet, cùm initio

tio sui Pontificatus nihil præter Ecclesiæ concordiam spectare videretur: sed aliud ejus litteræ, aliud facta docuere.

Obiit hoc anno Robertus Scotiæ Rex Kal. April. cùm regnasset annos 16. ex mœrore capti sui Davidis per Anglos, dum eum in Franciam mitteret, ut tutus hìc adversus patrui sui Roberti insidias viveret. At dum ex jactatione maris æger attingit littus Anglicum, ibidem captus est, ac detentus annis duodeviginti; omnibus tamen corporis exercitiis ac disciplinis eruditus, ex captivitate, quàm libertate melior evasit. Regni administrationem captivi loco suscepit patruus, dignissimus regno, nisi hoc sibi sceleribus arrogare voluisset.

Mortuus est eodem anno 8. Kal. Januar. Henricus Castellæ Rex ætatis 27. regni 17. sepultus in veste S. Francisci. Hujus digna Principe vox fuit, se plus subditorum diras, & maledicta, quàm hostium arma reformidare: ipseque necessariis nonnunquam egens, pecuniæ publicæ administratores severè coërcuit, vitâ iis ægrè relictâ, coactisque in fiscum revomere, quæcumque rapuissent; Rex acceptissimus bonis, Sanguisugis metuendus, & sancti Principis magnum exemplar. Successit ei filius Joannes, 22. mensium puer, cujus curam, atque regni suscepit Patruus Ferdinandus: qui invitatus & dictis & exemplis, ad occupandum regnum, maluit id nepoti suo, sibi gloriam immortalem reservare. Pueri autem moribus formandis adhibitus est Paulus à S. Mariâ origine Judæus, sed conversus ad Fidem lectis S. Thomæ Aquinatis operibus, ac primùm Carthaginiensis, deinde Burgensis Episcopus, à quâ sede & nomen traxit, vulgò dictus Paulus Burgensis, celebris additionibus ad postilla Lyrani. Hujus familia etiamnum restat in Hispaniâ inter Magnates sola ex Judaicis adnumerata, ob periculum quod ipse Paulus aperuit, & docuit Christianos.

| MUNDI 5460. | CHRISTI. 1407. |
|---|---|

Vergebant omnia ad concordiam inter Benedictum, & Bonifacium operâ Cardinalium utriusque partis, & Regis Francorum, selectâ jam urbe Saonâ ad Conventum, & acceptatis utrimque capitibus tribus ac viginti. Verùm hæc evanuit tergiversationibus Gregorii sibi à Ladislao, & urbe Francis addictâ metuentis, Benedicto in speciem ad id parato; quod ipse homo versipellis horrebat: nec à Cardinalibus utriusque partis dimoveri potuit Gregorius, propositis licèt honestissimis conditionibus: quibus etiam confirmatus Benedictus, lætatus est in ventos abiisse concordiam, quam deinceps plenis buccis increpuit, & omnibus contra se prolatis objecit.

Cæsus est hoc anno Dux Aurelianensis frater Caroli VI. jussu Joannis Burgundiæ Principis cognomento Audacis, capti in Nicopolitanâ clade per sicarios, quorum præcipuus Rauletus Octonvillæus Normannus Aurelianensis evocatus Regis nomine ab uno è Cubiculariis Regiis, consilii hujus conscio, dum pergit ad Palatium insidens mulo cum famulo præferente facem, præscissâ dextrâ, effusoque cerebro multis ictibus trucidatus est. Adjunctum homicidio sacrilegium; ambo enim pridie amicitiam coram Bituricensi sibi juraverant. Cùm autem de hoc crimine mota esset quæstio, fassus est scelus coram Patruis Bituricensi, & Andegavensi, Joannes, moxque conscensis equis fugit in suam Burgundiam, sed expectaturus talionem, cum regni pæne ultimâ pernicie.

| MUNDI 5461. | CHRISTI. 1408. |
|---|---|

Carolus VI. metu majoris mali cædem Aurelianensis dissimulare cogitur, evocato Burgundo, cui & dedit veniæ diploma, cùm ejus causam Joannes Parvus Normannus Parisiensis Theologus defendisset. Quare idem postea Joannes judicio quàm corpore ac nomine minor damnatus est ab Academiâ suâ, & Synodo Constantiensi. Repulsam quoque mox passa est vidua Aurelianensis, licèt æqua postularet; sed Burgundus & armis & Parisinorum favore potentior, supra leges, & jus assurrexerat. Itaque quasi per mimum, pax infida, curante & cogente Rege, inter duas illas domos coaluit, tandiu duratura, quandiu ultionis negaretur facultas, & occasio. *Joanni datur diploma veniæ, Joanne Patruo causam ejus defendente.*

Utrique parti à Francis obedientia subtrahitur Gregorius novos Cardinales creat; ejus nihilominus fautores Pisas secedunt, atque excommunicati atque depositi ab eo appellant ad legitimum Pontificem, & Concilium Generale. Quo tempore præpostere Ladislaus conveniens Gregorium discordiam auxit, & occasione usus occupat Romam, quam tamen mox ob fastum & imprudentiam amittit; quid enim aliud ab amenti Principe expectaretur; Benedictus interea vir præferocis ingenii, in Regem, Francosque furebat litteris, quæ publicè tortoris manu crematæ sunt ejusque fautores duo ignominiosè traducti, ut id in Pseudopontificis rabidi dedecus redundaret. Insuper Bussicaldo mandatum, ut huic injiceret manus, nec eum abire sineret: quod ille subodoratus fugit è portu Veneris, in Illiberitanum portum ad radices montis Pyrenæi, ut saltem esset Pontifex in patriâ suâ, qui non poterat esse Orbis terrarum. *Gregorius novos Cardinales creat.* *Benedictus fugit in suam Catalaniam.*

Nec ita multò post Benedictus Perpiniani, Gregorius Aquileiæ Concilium indicunt: at Cardinales eorum, repudiatis recenter creatis suum indicunt Pisis, dum Senis precariò Gregorius moraretur. Ad hoc Concilium uterque Pontifex evocaretur: sed suum celebrat Perpiniani Benedictus, cujus hæc summa fuit, ut idem rogaretur cedere Pontificatu, & omnia præstare, quæ schisma præscinderent; longè sapientiùs, atque prudentiùs quàm ab eo cœtu expectaretur. *Tria simul Concilia celebrata.*

Damnatus est hoc anno ab Academiâ Pragensi Joannes Huz, vir ingenio peracri, & eloquens Sacerdos; maximè adnitentibus Teutonicis: quos tamen idem Joannes callidè depressit; ita constitutâ Academiâ Pragensi, ut *Joannes Huz venenum suum fugit.*

pars

pars Bohæmica tribus cæteris simul junctis æquipararetur sic jubente Wenceslao stolido, & quò hæc vergerent nihili curante. Quare hæc deserta à Teutonicis Academia, Lipsiensis instituta, aucta Erefordiensis, Teutonibus & Bohæmis plaudentibus; hi quòd soli in patria sua regnarent, lusci inter cæcos; illi se ab impiis separatos Germaniæ Catholicæ gratularentur. Itaque Joannes Huz, non jam occultè, ut antea, sed publicè virus evomuit. Verùm statim huic ejusque fautoribus Hieronymo Pragensi Artium Magistro acutissimo, & Jacobetto Misensi, ex urbe Missâ Bohæmiæ, aliisque Wicleffistis opposuit se Stinco seu Subinco cognomine Lepus, Archiepiscopus Pragensis, qui Wicleffistarum supra ducenta volumina pulcherrimè descripta, atque deaurata comburi jussit; quare ex Husso pago latravit impotentissimè Joannes, quem compescere coactus est edicto Rex Wenceslaus, minùs Deum, quàm homines reformidantem.

*Hieronymus Pragensis.*

MUNDI 5462. CHRISTI. 1409.

*Concilium Pisanum de Schismate.*

Hoc anno celebratum est Concilium PISANUM in causâ Schismatis; cui 3. Patriarchæ interfuere, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus, cum 180. Archiepiscopis, Episcopis; & Abbatibus 300. Doctoribus 282. Perfectum est porrò Sessionibus XXII. atque in eo depositi Benedictus, & Gregorius, data facultas Cardinalibus creandi novi Pontificis Quare illi 6. Kal. Junias elegere Petrum Philargi, seu Philaretum Græcum Cretensem Minoritam Theologum Cardinalem, qui dictus est Alexander V. vir dignissimus eo nomine, eâque Sede, ob animi magnitudinem, sed magno Ecclesiæ damno non satis diuturnam.

*Alexander V. in eo creatur Pontifex.*

Interea suum celebravit Concilium Aquileiæ Gregorius, ad pristinas artes, dolosque confugiens. Sed cùm videret insidiari sibi Antonium Patriarcham, fugit dissimulato habitu in equo, cum solis duobus peditibus; ejus autem Confessarius in veste Pontificiâ & apparatu subsequens, captus, & malè habitus est. Gregorius autem triremibus Ladislai exceptus, in Aprutium primò, deinde Cajetam delatus, exinde Ariminum repetiit, pænè desertus ab omnibus. Benedictus autem Barcinonem fugit, ubi tantisper hæsit, donec Peninsulâ, (vulgò *Paniscola*) in regno Valentiæ Diœcesis Dertusensis se inclusit, neque Pontificatum nisi cum vitâ, etiam in morte pertinax, deposuit.

*Fugiunt Greg. & Benedictus.*

Alexandri V. Constitutio Pisis edita pro Minoritis Academiam Parisiensem turbavit; ideò ab ejus successore revocanda: utilius Ecclesiæ contra Joannem Hussum decretum emisit; quod hic recepit, ut hæretici solent, hoc est cum magno furore, atque conviciis, quæ nunquam illiusmodi homuncionibus damnatis deffuere.

*Alexandri V. duæ Constitutiones.*

Martinus Trinacriæ Rex in Sardiniâ, de rebellibus relatâ ingenti victoriâ obiit Carali ex morbo quem contraxerat, ex complexibus pulcherrimæ virginis, nondum recuperatâ valetudine. Asmodei victimâ turpior. Regnum Patri, administrationem Blanchæ, subditis suis & Aragoniis magnum sui desiderium reliquit.

*Martinus Trinacriæ Rex moritur.*

Bussicaldus jam odiosus Genuensibus ob severitatem licèt legitimam, interfecto Gabriele Galeatii notho perduellionis reo, penitùs ab eis abalienatus est. Evocatus ergo Mediolanum à Galeatio ut urbem hanc seditiosam regeret, expulsus est Genuâ, quæ se Marchioni Montisferrati dedidit; neque tamen admissus Mediolani, utriusque urbis administrationem perdidit, & redire in Franciam privatus compulsus est, vir meliori fortunâ dignior. Mox tamen etiam Marchio ejectus est Genuâ, levissimo populo optante semper alium rectorem, nec ferente præsentem.

*Bussi[caldus] ... tur ... nua.*

Joannes de Monte-Acuto magnus Regiæ domus Magister, vir potens, ideoque multis invisus, falsò insimulatus peculatûs, factione Ducis Burgundi perdidit caput Mox tamen ei redditus honor à Delphino, ejusque cadaver honorificè delatum Marcusium ad Cœnobium Cælestinorum, quod fundârat, ostendit damnatos extraordinariis judiciis reos non esse semper ex æquitate, legibusque mulctatos.

*Joan[nes] de [Monte] Acu[to] per[dit] ...*

MUNDI 5463. CHRISTI. 1410.

Hoc anno 5. Id. Maji Bononiæ, mense sui Pontificatus duodevigesimo, ætatis 71. obiit Alexander V. dives Episcopus, pauper Cardinalis, mendicus Papa, ut ipse dicere solebat, à quo primùm mutati Tituli Cardinalium. Suffectus est ei pridie Id. Maji Baltazar Cossa, seu Coxa, Neapolitanus, coronatus 8. Kal. Jun. dictusque Joannes XIII. vir belli, quàm pacis artibus melior, & parum aptus ad Pontificatum, eoque indignior, quò ejus appetentior fuit; quem & vi creatum, & nummis in pauperes Cardinales effusis, & Ludovici cum classe vicini, eumque exoptantis, metu. Petiit autem statim exordio suæ Sedis à Francis subsidia pro decimis, vacantiis beneficiorum, & aliis ejusdemmodi, quæ deberi Cameræ Apostolicæ contendebat; his tamen acriter obstitit Academia Parisiensis: nihilominus aliquid aspersum, non quia id jus, sed id miseratio, & amor in egentem Pontificem exigebant.

*Al[exander] V. ...*

*Su[ccedit] ei [Joannes] XI[II].*

Obiit hoc anno 15. Kal. Jun. Rupertus Rom. Rex, anno regni sui 9. mense 5. sepultus Hildebergæ ubi Academiam erexerat. Optavit ei successorem dari Pontifex Sigismundum Hungariæ Regem: sed huic prælatus est Jodocus Marchio Moraviæ cognomento Barbatus; verùm ei mox demortuo suffectus est idem Sigismundus, qui ut Marchio Brandeburgicus sibi ipse suffragium dedit; asserens se sibi notum esse, non autem alios; quod mirati Electores, huic quoque adstipulati sunt calculis suis, vir pace, quàm bello melior, atque felicior: non est coronatus tamen nisi post annos quatuor, quia sibi adversantem expertus est Wenceslaum, in hoc tantùm fortem, ut fratrem, qui hanc dignitatem tantùm susceperat ut provideret Ecclesiæ, frustra turbaret.


Mortuus est quoque Martinus Arragonum Rex, dum

dum novâ uxore ductâ, saginâ gravis, & valetudinarius, se medicamentis ad prolem gignendam incitat. Multis ejus hæreditatem prensantibus selecti sunt ex Arragoniæ, Valentiæ, & Catalaniæ singulis provinciis tres homines, quorum fuit unus S. Vincentius Ferrerius; hi coram Petro de Lunâ regnum adjudicarant Ferdinando patruo Regis Castellæ, nato ex Eleonorâ sorore Martini defuncti Regis, quæ tamen sententia, non nisi post biennium prolata est. Is autem hoc anno Antequeram obsidens Mauros ad ejus auxilium venientes vicit, & iterum Anchidonam expugnavit, potitusque his duabus urbibus, suis victoriis prolusit ad suam inaugurationem: vir magnus, & exquisitæ moderationis, qui Castellæ regnum sibi oblatum nepoti servare maluit, quo facto quod minùs expectabat, obtinuit.

Hoc anno Wladislaus Jagello Poloniæ Rex, cum patruele suo Witondo, sive Alexandro Lithuaniæ duce, invitus adversus Cruciferos Prussos bellare coactus, Polonorum maximè virtute de iis insignem victoriam retulit ad Gruneval-dum cæsis 50. hostium millibus, unâ cum Magistro, & commendatariis omnibus. Sic horum religiosorum militum contundenda superbia fuit, qui ex fautoribus Christianitatis in illis partibus, dum bonis omnibus circunfluunt, effecti Tyranni sic castigari meruerunt. Postea suffecto Planenio redintegratum bellum, iterumque ad Lancicum pagum obstinatissimè pugnatum. Tertiò post aliquam quietem commisso prælio (quo Poloni victores Prussorum octo millia conciderunt, plures ceperunt) cum iis nihilominus anno sequenti pax inita est, sed victoribus quàm victis iniquior.

Franciæ regnum universum hoc anno in duas factiones abiit, Burgundi & Aurelianensis Burgundus Rege, Delphino, Parisiensi urbe potiebatur, & ab hac parte Angli quidam stabant: Aurelianensibus fratribus favebant Duces Biturigum, Britanniæ, Borbonii, Comites Alenconii & Armaniaci, aliique omnes uno nomine dicti Armaniaci, quòd cæteris arte bellandi præstarent; hanc quoque tuebantur Angli, prædarum utrimque cupidi, cùm excursionibus militum, & deprædationibus lacerata Francia pateret. Neque tantùm ferro, sed & calamis pugnatum, & in partes Mars & Apollo transiere. Utrimquè etiam anathematis, & fulminibus Ecclesiæ, at sine dubio brutis, quia non Dei & Ecclesiæ, sed odii, & ultionis causâ librabantur.

Florebat hoc tempore scribebatque Theodoricus Niemus, malè creditus Episcopus Verdensis aut Cameracensis; fuit enim tantùm Clericus, & nullius dignitatis, sed magnæ in Romanos Pontifices malevolentiæ.



## CAP. II.

## *Decas Secunda.*

### *Ab anno Christi* 1410. *ad* 1420.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5464. | 1411. |

JOannes XXIII. Romam venit, & Ludovicum Siciliæ Regem immittit in Ladislaum, adjuncto illi Paulo Ursino copiarum Pontificiarum duce, & Sfortiâ viro bellicis artibus clarissimo. Hi aggressi Ladislaum, cum ad S. Germanum magnâ strage fuderunt, sed uti victoriâ sua nescierunt, aut veriùs Paulus Ursinus noluit atteri penitus Ladislaum, sed Pontificem inter hunc & Ludovicum semper interjici medium, & se utrique ostentare. Itaque resumpsit animos Ladislaus, dicere solitus se primo die capi potuisse, altero regnum, tertio neque se, neque regnum. Statim autem Ludovicus Italorum exosus levitatem; & proditiones, vir quietioris ingenii ad sua in Galliam rediit, non satis fortis, & prudens ut cum Neapolitanis ferro simul, ac fraude pugnaret. *Ladislaus victus Ludovicum victorem rejicit.*

Lanii duo, Cossulinus & Mongiolinus, Bononiæ Tyrannidem occupant, & nobiles plurimos, loco bovum & pecudum mactant ac jugulant. Excitati sunt exemplo Laniorum Parisiensium, qui hoc tempore in gratiam Ducis Burgundi contra Regem & Delphinum incitati rexere Lutetiam: verùm utrobique retusi ab honestis civibus, sed cum vincentium dedecore, quibus populi fæx negotii tantùm exhibuisset. *Lanii tum Parisiis, & Bononiæ dominantur.*

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5465. | 1412. |

Joannes Papa crucem adversus Ladislaum Siciliæ Regem promulgari jubet: mox tamen abjicit hoc consilium, quòd Paulo Ursino parum confideret, & à Sfortiâ sibi verteretur, qui injuriarum prætextu ab Ursino, Ladislaum respectabat, ipseque Ladislaus submittere sese videretur. Itaque inter eos initum fœdus, cujus victima Gregorius fuit; qui se recepit Ariminum ad Carolum Malatestam, amicum suum, ibique restitit, donec Constantiæ deposuit Pontificatum, meliori tempore diu & frustra expectato. *Io. Papa init pacem cum Ladislao.*

Tum occasione sacri hujus belli Joannes *Huz* debacchatus est adversùs Indulgentias sub Albico Archiepiscopo Pragensi, quem in Stinconis locum ipse Wenceslaus suffecerat, homine sordibus ipsis sordidiore, atque avaritiæ vix credendæ. Hic enim claves cellæ vinariæ servabat ipse, oblata sibi edulia vendebat, non alebat equos, quoniam noctu comederent, & alia ejusdemmodi sordium παράδοξα. Tum ergo indormiente tali præsule missi ab Husso qui publicè reclamarent indulgentiis, Papam Antichristum esse dicerent, iique mulctati jussu Wenceslai Martyrum loco habiti sunt. Quæ cùm accepisset Joannes, Concilium in Wicleffistas, & Hussitas decernit, Husso interim furente, qui demum à Wenceslao ejectus est Pragâ, cujus tamen sectatores gravius tumultuati sunt, audaciores facti, *Ioan. Huz adversus indulgentias furit.* *Albici Arch. Prag. sordes.*

cti, heterodoxorum more, qui facilitate, & blanditiis efferantur.

*S. Vincen. multos Iudæos convertit.*

Hoc anno per Vincentium Ferrerium multi Judæi in Hispania conversi sunt, cùm eo concionante coram iis, in palliis virorum, & peplis fœminarum apparuissent cruces. Eodem tempore lucidâ cruce in cœlo fulgente Castellanis ad concionem Minoritæ, centum viginti duo eorum millia Christum agnoverunt, celeberrimâ utrobique Crucis de impietate triumphantis victoriâ.

*Io. Caleatio succedit Phil. Maria.*

Joannes Maria, filius Joannis Galeatii Vicecomitis, Dux Mediolani, sensim perdito dominatu, & vix servato Mediolano, dum crudeliter in suos desævit, eosque molossis suis vorandos objicit, à conjuratis interfectus, ac vulneribus deformatus in templum delatus est, quem ex commiseratione triobolare Scortum rosis obtexit. Successit ei Philippus Maria, qui non modò ultus est fratrem, sed & ditionem paternam omnem recuperavit, fratris exemplo, atque damno factus sapientior.

MUNDI 5466. CHRISTI 1413.

*Henr. IV. Anglus moritur.*

Obiit hoc anno, Regni occupati 13. cum sex mensibus, Henricus IV. Angliæ Rex ex Elephantiasi, cogitans expeditionem Hierosolymitanam, quia fatalem sibi Hierosolymam audierat. Cùm autem ægrotaret in ædibus Abbatis Westmonasteriensis Londini, atque audivisset cubiculum in quo jacebat Hierusalem appellari, ultimum sibi vitæ terminum didicit imminere. Successit ei filius Henricus V. viginti sex annorum strenuus, & fortis, atque vir melior, quàm fuerat adolescens, coronatus 5. Id. Aprilis, sub quo floruit Walfinghamus, artibus ariolandi, sicut ipse Rex, paulò addictior. Rex autem tantum non est oppressus à Joanne Olcastellio Wicleffistâ, qui fugitivus ex turri Londinensi multos fautores ad Londinum adduxerat, oppressurus Henricum: sed consilium ejus detectum, mulctati conjurati; fugit tamen Olcastellius, & ita latuit frustra perquisitus, ut non nisi post biennium geminatæ perduellionis & audaciæ pœnas lueret.

*Succedit ei filius Henr. V.*

*Walfinghamus.*

*Ladislaus Romam occupat.*

Ladislaus, adjuvantibus fautoribus suis, per fracta mœnia subit Romam, eamque turpiter expilat. Vix manus ejus vitat Pontifex, atque Cardinales versus Sutrium fugientes; inde Viterbium, postea Florentiam, denique Bononiam veniunt jam factam Pontificii juris. Moliebatur majora Ladislaus, ac totius Italiæ dominatum, quem mox cum brevi loculo commutavit.

*Imper. & Papa periclitantur Cremonæ à Gabrino.*

Joannes XXIII. atque Sigismundus eligunt Constantiam, ut in hac urbe Generale Concilium celebraretur, & indiceretur. Sed ambo Cremonæ magnum adiere vitæ periculum à Cabrino, seu Gabrino Fundulo, urbis domino, qui utrumque ex turre, in quâ eos exceperat convivio, præcipitare decreverat. Verùm hunc pudor, & hospitii jus impediit, aut veriùs Deus, qui in eum potuit, in quem nulla jura valebant.

*Samogitia & Lithuania addicta Christo.*

Samogitia hoc anno asserta est Christo operâ Ladislai, seu Jagellonis Poloniæ Regis, viri pientissimi, ac verè Christiani. Quo tempore & Hieronymus quidam Pragensis (diversus ab Hæretico) vir sanctus, & doctus, multos Lithuanos, Witoldi eorum Ducis favore, convertit ad Christum: ut cultores huic assereret, dum populares ejus in Bohæmiâ perirent.

MUNDI 5467. CHRISTI 1414.

Wicleffistæ, & Hussitæ in Bohæmiâ insanire pergunt ob ignaviam Regis Wenceslai: adversus eos scripsit Joannes Gerson, & in iis comprimendis Pontifex Joannes se sollicitum ostendit. Addidit & novum errorem Petrus Desdrensis exul ob hæresin, & Communionem sub utrâque specie necessariam ad salutem asseruit, nactus comitem exilii, & erroris, Jacobellum; quod magnos tumultus excitavit inter populos amantiores vini, quàm religionis.

Obiit hoc anno Ladislaus toti jam Italiæ terribilis, veneno sublatus, uti creditur, à medico Judæo, cujus filiâ Rex abutebatur; sed tum sceleratus pater nummos filiæ prætulit; cui suasit oblinere pudenda sua quodam medicamine, ad excitandam in Ladislao libidinem; quod cùm illa præstitisset, & Judæa, & Rex periere. Alii malunt ex nimio coitu extinctum, alii igne sacro correptis virilibus. Periit autem 8. Id. Aug. ætatis anno 40. regni 29. cum ingenti omnium, nisi aliquot sceleratorum, voluptate. Antequam moreretur Paulum Ursinum perdere voluit; sed hic arte Ducis Atriæ servatus est. Successit Ladislao Joanna II. ejus soror, vidua Guillelmi Austrii, quæ nupsit Jacobo Marchiæ Comiti ex familiâ Borboniâ. Verùm cùm is ingratus eam unàque Sfortiam Comitem Stabuli inclusisset, multosque sustulisset; illis liberatis, hic in custodiam datus est; Joanna verò Caracciolo turpiter se substravit, libidine ulta mariti sui animum ingratum; & crimine scelus.

Joannes XXIII. metu Ladislai solutus Constantiam venit, ad Concilium, hic magnificè susceptus 5. Kal. Novembr. inchoata Synodus Kal. ejusdem mensis, seu veriùs ejus præambula. Nam Sigismundu coronatus est tantùm Rex Romanorum 8. Id. Novembr. nec ante pervigilium Nativitatis ingressus est Constantiam, ubi legit Evangelium de more, *Exiit edictum à Cæsare Augusto* &c. in habitu Imperiali, præcipuus conventûs hujus promotor, ac vindex.

Qui venerat ad Concilium Joannes *Huz*, deprehensus est in hospitio suo disseminare hæresin: quare ad Pontificem Joannem deductus, commissus est custodiæ Episcopi Lausanensis, eique quatuor assignati Cardinales qui ejus causam excuterent. Porrò venerat is Constantiam triumphantis instar, magno stipatus amicorum globo, tribus diebus antequam litteras securitatis, seu *Salvum conductum*, ei Sigismundus expediendum curaret. Hic nihilominus amicè susceptus est, & liberè agere permissus, donec detectus est suos, & Wicleffi errores disseminare; immo cum cogitaret de fugâ, deprehensus in curru stramine pleno, quo ex urbe deportandus erat; quare reductus in carcerem meritò compactus est, jam desperatus; utpote qui in medio Concilio, & inter judices suos insaniret.

MUNDI

MUNDI 5468. CHRISTI. 1415.

Joannes XXIII. B. Birgittam Suecam in Sanctarum numerum retulit 4. Nov. Febr, aut potiùs confirmavit factam ejus Apotheosin ab Bonifacio IX. sicut iterum eadem sancita est à Martino V. exautorato Joanne Pontifice, ut nemini de sanctitate ejus toties excusâ scrupulus relinqueretur. Paulò post accessere ad Concilium Cardinales Bonifacii, atque Benedicti, benignè habiti, ne speratæ concordiæ moram injicerent.

Sexto igitur Kal. Martii habita est secunda Sessio, in quâ promisit Joannes, addito juramento & omnibus formulis, se cessurum Pontificatui, si huic quoque Gregorius, atque Benedictus renunciarent. Verùm paulò pòst dissimulato habitu, operâ Friderici Ducis Austriæ, fugit Scaffusam in oppidum ejusdem Friderici, 4. milliaribus à Constantiâ disjunctum; quæ fuga cùm omnes terruisset, fecit iis animos Sigismundus, pollicitus auxilium, & operam, donec Ecclesiæ pax certa redderetur. Confirmarunt etiam Patres litteræ à Joanne redditæ, omnia fausta pollicentes; quæ tamen non servavit. Sed primùm Loffemburgum duobus diebus à Constantiâ dissitum abiit, indeque Friburgum ditionis Austriacæ, ut hinc ad Joannem Burgundum evolaret: unde constat hunc parricidam, non Franciæ modò, sed & Ecclesiæ bustum, & perturbatorem extitisse.

Ubi res suas in tuto collocatas Joannes vidit, litteras in Sigismundum, & Concilium dedit; ab hoc vicissim redditæ. Verùm recessus ejus ab omnibus improbatus est, ut majoris discordiæ seminarium; maximè ab Academiâ Parisiensi, cujus tum erat summa in Orbe Christiano authoritas. Tum quæstio de criminibus Joannis proposita, quæ licèt à Concilio rejecta esset emollivit hunc tamen, & ad abdicandum Pontificatum reddidit paratiorem; & quod mox præstitit cum singulari Patrum voluptate. Neque verò Fridericus temeritatis suæ pœnâ caruit: damnatus est enim à Sigismundo quòd turbare Concilium conatus esset, ejusque subditi Sacramento fidelitatis absoluti; unde factum ut tum Helvetii res agerent suas, & occuparent ejus ditionem, quam pace cum Sigismundo initâ reddere noluerunt. Certè si tum fortiter Friderico & Joanni Sigismundus non se opposuisset cum exercitu, Concilium sine dubio in ventos abiisset.

Hieronymus Pragensis, acceptâ fide publicâ, venit Constantiam, & ex eâ fugit, sed mox retractus est. Joannes quoque à Friderico reconciliato deditus est Sigismundo; exautoratur publicâ Concilii sententiâ, atque deponitur Celiæ. Gregorius quoque per Malatestam deponit Pontificatum cum ejus insignibus, idque ipse confirmat Arimini; denique decernitur Legatio ad Benedictum plena minarum: ex quibus spes certa Ecclesiasticæ pacis affulgebat.

Ejusdem Concilii Sessione XV. inductus est in Concilium Joannes Huz, & pertinax addicitur flammis, atque comburitur, interminatus Cygnum pro Ansere nasciturum (*Huz* enim Bohæmis Anser est) Lutherum significans, cultus à suis ut Prophetes, & omnium Martyrum primus. Ejus autem securitatis, litteræ ab Heterodoxis adeo jactatæ, nullius momenti sunt, quas ipse fugâ suâ reddiderat irritas, & cujus supplicium qui eas dederat, exegit Sigismundus. Tum quoque damnata octo Joannis Parvi capita, de cædendis Tyrannis, omisso tamen Parvi nomine, quòd quidam hæc à Gersonio conficta quererentur.

*Damnata I. Parvi capita de Tyrannis.*

Sessione XVII. Sigismundus destinatus à Concilio ad Petrum de Luna, & Regem Arragoniæ cum Comitibus, & Patrum benedictione pergit Perpinianum; cùm negaret Pseudo-Pontifex ille, se Nicæam adire posse. Ibi ludificatus & Sigismundum & Arragoniæ Regem, ne caperetur fugit Panis-colam, munitissimum in rupe oppidum, quò se ad obitum usque continuit, homo ex æquo contumax, & perniciosus.

*Benedictus XIII. fugit Paniscolam.*

Denique hoc anno Sessione XIX. Hieronymus Pragensis Artium Magister Laicus damnat hæresin suam, sed mox fugit; cùmque jam ad fines Bohæmiæ pervenisset, à Joanne Duce Bavariæ captus, reductus est Constantiam, inclusus carceri, donec palinodiam cecineret, verùm quæ frustra ab hæretico pertinaci expectabatur.

*Hieron. Pragensis fugiens retrahitur.*

Henricus Angliæ Rex occasionem belli in Carolum quærit, petitis quæ sibi dari non putabat, Aquitaniâ & Pontivo, sine jure clientelæ. Anglus ergo cum mille quingentis navibus appellit Aurifloriurn *Harfleur*, quam urbem & capit: verùm statim ejus exercitum invadit lues, & in velitationibus multos è suis amisit. Dum ergo recedit victo similis versus Calisium, ad vicum Blangium prope Azincurtium, à Francis invaditur, 8. Kal. Nov. licèt honestis conditionibus pacem peteret, & liberum ad sua reditum. Pugna ergo committitur; in quâ victi Franci, cùm ex imprudentiâ suâ, tum Anglorum fortitudine, ac iniquitate loci, vel etiam aliquorum Francorum proditione. Mortui utrimque multi Principes & proceres; ex Francis Duces Alenconius, Barensis, Brabantius, Comites Nivernensis, & Marlæ, cum Comite Stabuli & Admiralio: Ex Anglis Dux Eboracensis Regis patruus, & Suffolciæ Comes, aliique. Capti ex Gallis Duces Aurelianensis & Borbonius, Comites Vindocinus, & Augi, Richemontius, & Bussicaldus, qui saucius in Angliam ductus obiit. Henricus victoriâ suâ usus non est; quam si secutus esset, & se conjunxisset Burgundo, Francia perierat.

*Pugna ad Azincurtium.*

*Bussicaldus moritur.*

Sed publicæ calamitati privata quoque adjuncta est. Mortuus est enim tum Ludovicus Delphinus Burgundi gener; cui successit frater Joannes gener Comitis Hannoviæ, qui anno sequenti fato functus est ex immodico pilæ exercitio, hujus locum occupavit ultimus filiorum Caroli VI. Carolus Comes Pontivensis, annorum tum 14. ductâ uxore filiâ Ludovici Siciliæ Regis, ac Ducis Andegavensis, hostis Joannis Burgundi capitalissimus.

*Lud. Delphinus, & Io. ejus frater obeunt, succedit Carolus postea VII.*

Clades aliquot hoc anno à Turcis acceptæ, quos Sigismundi Regis absentia, & Principum aliquot proditio ad audendum excitarat: abducere

*Mahometes Calebinus Hadrianopoli sedem regni statuit.*

xere post varias clades impositas, & receptas, captivorum 30. millia. Imperabat tum Turcis Bajacetis filius Mahometes, dictus *Ciritzes* corruptè *Christes*, seu *Cyris-Celebes*, Latinè Calebinus, & Calepinus. Statuerat ille invadere Constantinopolin, morte tantùm ab eâ occupandâ prohibitus. Certè ex urbe Prusâ Bithyniæ regni sedem transtulit Hadrianopolin, ut ex Europâ faciliùs Europam aggrederetur.

*Septa capta à Lusitanis.* Capta quoque in Africâ à Lusitanis urbs Septa *Ceute*, multis millibus Maurorum interemptis, propter quam diuturnum bellum inter utramque gentem concitatum est, & inimicitiæ propè immortales.

*Chrisoloras obit.* Obiit denique hoc anno Constantiæ Michaël Chrysoloras anno ætatis 47. cujus Epitaphium scripsit Æneas Silvius postea Pius II. dignum laudantis, & laudati monimentum.

MUNDI 5469. CHRISTI. 1416.

*Ferdinando succedit Alphonsus.* Ferdinandus sentiens sibi mortem imminere subtrahit se ab obedientiâ Benedicti, authore S. Vincentio Ferrerio, qui tum eum reluctantem deseruit, & decretum Regis adversum illum in concione recitavit: omnes Benedictus excommunicavit, jam ex Lunatico factus Fanaticus. Obiit autem Ferdinandus 4. Non. April. regni 4. vitæ 43. vir eximiis animi & corporis dotibus exornatus, dignusque vitâ diuturniori, usurpari solitus sæpe; *Satiùs esse Regem diligi, quam timeri.* Successit ei filius Alphonsus cognomento *Magnanimus*, sui sæculi magnum ornamentum, propter eruditionem fortitudini copulatam.

*Sigismundus Parisios venit.* Sigismundus Lutetiam venit Kal. Mart. ut componeret diffidentes Franciæ & Angliæ Reges, ubi magnificè susceptus, non est tamen permissus obire munera Imperatoria; immo nec Comitem Sabaudiæ Amedæum, postea Felicem V. Ducem creare Lugduni; quare id mox præstitit in arce Monluetanâ. Transiit & Imperator in Angliam, hîc quoque perhonorificè habitus: ubi cùm regem reperisset non alienum à concordiâ, eam turbavit clades Anglis per Francos illata; sed statim eam victoribus Francis Angli reposuere, adjunctis etiam victoriæ suæ magnis populationibus. Accessit & bellis externis domestica conjuratio in Regem, Reginam, & regiam familiam, quæ detecta perduellium sanguine diluta est, Hordeomontius Canonicus in perpetuum carcerem cum pane & aquâ detrusus, pœnâ multatus est omni cruento supplicio graviori, adjuncta est etiam carceri contumelia, priùs per urbem ignominiosè traductus.

*Conjuratio in domum Regiam.*

*Hier. Pragensis vivus exustus.* Constantiæ Sessione XXI. damnatus est Hieronymus Pragensis, ac vivus exustus, habitus est à suis ut Martyr, festo peculiari honoratus in terris, dum in inferis flammis tortus æternis, suorum & alienorum scelerum pœnas lueret sempiternas.

MUNDI 5470. CHRISTI. 1417.

Cùm relata esset ad Concilium Petri de Lunâ pervicacia, actum de eo multis Sessionibus, tandem depositus est: nec ita multò pòst Electores ingressi conclave in festo S. Martini Odonem seu Othonem de Columnâ Pontificem nominarunt; qui se ideo Martinum V. nominari voluit. Is omnium suffragio hâc Sede dignissimus judicatus est, ideoque actæ à Sigismundo, & aliis Patribus gratiæ. Antequam autem eligeretur, Concilia decreta fuerant deinceps primum post quinquennium, secundum post septennium, reliqua post decennium, quibus Ecclesia in capite, & membris reformaretur. Statutum postea de Joanne servando, qui & per biennium in Germaniâ servatus est; corruptis tamen auro custodibus effugit, ex captivo futurus erro, majori Ecclesiæ metu, quàm damno.

Bohæmi, suppliciis Hussi & Hieronymi efferati, calicem retinent, damnatum in Concilio, Ecclesias diruunt, & ad 30. millia convenientes, erectis in patenti campo 300. mensis sub utraque specie communicant. Tunc autem nihil propius factum est, quàm ut ab iis Wenceslaus cæderetur: tantùm deterriti sunt oratione Conradi cujusdam Sacerdotis viri eloquentis, & industrii, qui probavit ferendum esse regem inertem, sed benignum, eumque forti, & severo anteferendum: sic miserando Principi tum sua profuit inertia.

Joannes Betancurtius nobilis Normannus sub auspiciis Castellæ Regis quinque Fortunatas Insulas subegit, earumque se Regem dixit. Successit ei mortuo propinquus Menautes, à quo Canariâ occupata est. Verùm hæ insulæ Gallis nequaquam fuerunt Fortunatæ.

Apparuit hoc anno in Germaniâ hominum subfuscum genus, deditum latrociniis: dicti sunt vulgò Ægyptii, vel Bohæmi, vel etiam Tartari, de quibus agemus in Geographicis; sunt autem hi nobis furtis suis, quàm nomine notiores.

MUNDI 5471. CHRISTI. 1418.

Martinus V. ex autoritate Concilii mittit Legatum ad Petrum de Luna, cui tantùm callidè respondetur: ab hoc deficiunt aliqui ad illum Cardinales: sed induratur in dies magis; maximè cùm videt Martinum aliquid denegasse Regi suo, & hunc ab ipso alienatum: ita nonnunquam Politicæ res Ecclesiæ graviter nocuerunt.

Hoc anno finis imponitur Concilio Constantiensi post XLV. Sessiones; quod probavit Martinus in omnibus quæ spectarent ad Fidem, de reliquis prudenter suspendit judicium suum; & in fine sapienter quid sentiret aperuit; ita tamen ut multos tumultus defugeret, dum plura pollicetur, quàm perficit. Sic absolutum Concilium quod tribus annis, & sex ferè mensibus tenuit, de quo Sigismundus gloriam etiam in terris retulit immortalem, Hercule felicior, excisâ Pontificum Hydrâ, cui nova capita in dies adnascebantur.

Martinus relinquit Constantiam, transit Alpes, Mantuam venit; ubi varias Legationes excipit, intentus in Orbem Christianum, maximè in Franciam, cujus erat tum misera facies, & digna

digna boni Pontificis ac patris curâ, & sollicitudine.

Enimvero hoc anno Parisios ingressi per proditionem fautores Joannis Burgundi magnam edidere stragem, Comitem Armaniacum, Comitem Stabuli, Henricum Morleum Cancellarium, cum aliquot Episcopis, Abbatibus, Senatoribus Parlamenti adversantibus aut suspectis Burgundo, sustulerunt. Eorum cadavera feris objecta & avibus, aut in fluvium projecta, aut è furcis publicis pependerunt; Rex per urbem circumductus equo, hæc probare coactus; Delphinus, qui deposcebatur ad necem, vix nudus subductus est, à Taneguido nobili Britone, harumque cædium ultore. Inter hæc Burgundus Parisiis est exceptus magnificè: tumque excitata est per Capelucham urbis publicum servum iterum seditio in Armaniacos, quo nomine tum Regiæ partis, & Delphini fautores appellabantur, mox tamen tortor iste, jubente Burgundo, cæsus est, quòd plus præstaret, quàm eum emittentis res postularent.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5472. | 1419. |

Joannes primogenitus filius Emmanuelis uxorem duxit Sophiam Marchionis Montisferrati filiam, & coronatus est Imperator: neque tamen tum obiit Emmanuel, sed tantùm post annos sex, cujus filius quoque fuit Constantinus, sub quo capta est Constantinopolis; aliique liberi quinque, inter quos stolidè partitus est Imperium, jam satis infirmum, atque ea divisione in ultimam ruinam præcipitaturum.

Martinus V. omissâ Bononiâ, quæ defecerat à Pontifice, autore Antonio Bentivolio, Florentiam venit ubi splendidè exceptus est. Neque tam cito Romam venire potuit, quia urbis vicina loca tenebat Joanna Sicula, & Braccius Perusinus rei militaris scientissimus maximam Patrimonii Ecclesiastici partem occupasset. Hic Martinum oderat, & Joannem XXIII. restituere moliebatur; quare Romam occupavit, cujus se primò Dominum, deinde tantum Defensorem dixit. Verùm per Sfortiam Stabuli Joannæ Reginæ, ejus æmulum depulsus est. Libravit etiam in eum anathemata Pontifex; sed tandem huic per Florentinos reconciliatus, urbes aliquas Martino reddidit, alias quasi Vicarius Ecclesiæ retinuit, pace tamen cum homine turbulento, & inquieto semper infidâ.

Joanna submittit se Martino V. & ab eo coronam impetrat Regni Neapolitani, misso ad hunc suo Seneschallo, & admissario, eâ tamen lege ut Jacobus maritus ejus emitteretur ex carcere quo jampridem detinebatur. Hic mox molitus bellum in uxorem suam, atque huic impar secessit in Galliam, ubi ex tædio vitæ tot casibus exercitæ primò dedit nomen suum tertio Ordini S. Francisci, deinde uxore demortuâ factus est humilis Minorita, adhortationibus B. Coletæ Clarissarum reformatricis, atque in eo habitu sanctè obiit, fortè melior religiosus, quàm Princeps, & sine dubio longè fortunatior.

Martinus hoc anno suscepit Cardinales Benedicti, immo & Joannem XXIII. qui corruptis auro custodibus fugerat ex carcere; vir aliunde magni animi, & qui à multis deposcebatur ad novos tumultus. Verùm Deus miseratus Ecclesiæ suæ, ejus permovit animum, effecitque ut sine conditionibus, absque cautione offerret se Martino, eumq; verè ac legitimè electum agnosceret, atque veneraretur Florentiæ. Statim autem creatus est Episcopus Tusculanus, & Cardinalium Decanus, magno in honore apud Martinum obiit xi. Kal. Januar. vel ex mœrore, vel ex veneno, cùm vixisset post insignia Pontificatus deposita annos 4. menses ferè 7. Curavit magnificè funus ejus Cosmus Mediceus civis Florentinus, huic conjunctissimus, cujus etiam pecuniâ ditatus fuisse perhibetur. Ex familiâ Cossæâ putant quidam prognatam esse nobilem Andegavensem, alii negant, & hanc illâ credunt antiquiorem; de quo non est facile statuere, magnis sæpe familiis in origine suâ mentientibus, & nobilitatem suam non ex tempore, sed ex nummis atque recenti dignitate metientibus.

*Martinus V Cardinales Benedicti recipit, & Ioannem.*

*An Ioannes iste ex familia Cossaa.*

Hoc tempore S. Bernardinus Senensis concionabatur, eximius cultor sancti Nominis Jesu, prohibitus tamen id depictum deferre in supplicationibus, sed potiùs Crucem, quanquam hoc nomen miro splendore supra caput ejus apparuisset: alii rationem picturæ hujus aliò transferunt, & pictorem chartarum lusoriarum ab iis pingendis deterritum à sancto viro, & huic nomini pingendo addictum, ideoque ditatum. Hic parens fuit Minoritarum Observantiorum, qui tum à Conventualibus distincti sunt, vir eximiæ pietatis, & dignus quem hic sanctissimus Ordo conditorem alterum, ac propè parentem agnosceret.

*S. Bernardinus Senensis eximius cultor nominis Iesu.*

In Bohæmiâ magnos concitavit motus Joannes quidam Præmonstratensis Apostata; cujus auditâ impudentiâ Wenceslaus sic excanduit, ut ex Apoplexiâ intra decem dies interierit 17. Kal. Septemb. sepultus clam, & sine pompâ Hussitarum metu. Horum porrò res multùm promovit Joannes Zisca, hoc est μονόφθαλμος, quòd oculum ludens perdidisset, nobilis, sed inops, militiæq; peritissimus, qui multa oppida redegit in suam potestatem. Cùm autem eum opprimere facilè potuisset. Sigismundus, & sibi vindicare Bohæmiam, maluit in Turcos arma convertere, pietate non satis prudenti. Sic nec defendit Hungariam, & Bohæmiam perdidit; immo præposteris suppliciis multas urbes ad rebellionem impulit, ad res Ecclesiæ, quàm Regni componendas aptior.

*Ioannes Zisca promovet res Hussitarum.*

Turbata est hoc anno maximè Francia Joannis Burgundi nece, cujus crimina hoc anno Delphinus, aut veriùs Deus ipse vindicavit. Cùm enim de pace invicem stabiliendâ cum decem Comitibus ex utraque parte Delphinus & Joannes convenissent, constructo, in Ponte Monasterioli, ubi Ycauna fluvius cadit in Sequanam, ligneo tabernaculo, hîc clavâ impactâ in caput cæsus est Joannes, à Taneguido Castello Britone; atque sublatus morte, quam promeruerat quidem, sed ab omnibus sapientibus improbatâ. Delphinus ab eâ se purgare conatus est, sed ab eâ suos

*Ioanes Burgundus caeditur jussu Delphini.*

suos nunquam potuit eximere, fautores quondam Ducis Aurelianensis; quanquam hi intentatam à Joanne mortem Delphino, etiam admotâ capulo manu, prætexerent, facto tamen ut quidam putant innocenti, & in quo plus temeritatis erat, & audaciæ, quàm malitiæ, & voluntatis nocendi. Sic periit percussor injustus à percussore, implevitque Christi dictum, qui percuteret gladio, gladio quoque periturum.

*Philippus succedit Ioanni.*

Philippus Joannis filius statim bonorum & odii paterni hæres extitit futurus quoque vindex criminis, sed perduellione.

*Omnes in Carolum Delphinũ armantur.*

Hic fœdere cum Anglis inito, tam utili sibi quàm Franciæ pernicioso, omnes amicos & hostes in Delphinum annorum 17. adolescentem armavit; patrem etiam ejus, & matrem; illum quidem innocentem, sed hanc novercâ pejorem, quæ illico in partes Burgundi, atque Angli transiit, ut legitimum filium perderet, & regnum sapienti Principe, se filio optimo privaret; mulier insano marito, etiam cùm sapere putaretur, insanior.

*Moritur S. Vincentius Ferrerius.*

Obiit hoc anno Non. April. S. Vincentius Ferrerius Venetiæ in Armoricâ, tot miraculis in vitâ, & post obitum clarus, ut tempore S. Antonini Florentini, jam 38. mortui ab eo excitati dicerentur. Is quanquam spiritu prophetico afflatus esset, scripsisse tamen perhibetur suo tempore jam natum esse Antichristum. Unde liquet Prophetas, ubique & semper Prophetas non esse, & in iis nonnunquam humanum Spiritum Divino copulari.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 54 3. | 1420. |

*Multi Hæretici Bohæmiam vexant.*

Joannes Ziska dux Hussitarum fortissimus urbem Thabor munitissimam inter duo flumina statuit, atque in Catholicos crudelem exercet carnificinam. Favent Hussitis Judæi missâ pecuniâ, quos ideo Fridericus Austrius bonis omnibus exuit, ne deinceps iis nocerent fautoribus Ecclesiæ. Sigismundus Pragam obsidens, compulsus est à Ziska solvere obsidionem, vocatus ab hæreticis Draco Rufus Apocalypseos, & quia infelix erat contemptus. Eodem tempore Pikardus quidam nomine, natione Belga, infamem Adamitarum hæresin, atque nuditatem in Bohæmiam invexit. Sævierunt quoque ibidem Orebitæ, urbe Oreb constitutâ, instar Thaboris, & Mons Sion urbs extructa à quodam Joanne Roratio, unde in Catholicos fanatici homines erumpunt, Bohæmiæ non minùs, quàm Ecclesiæ perniciosi.

*Ziska cæcus licet optimè dirigit aciem.*

Sigismundus adversùs Hussitas, Cruce publicatâ, grandem conficit exercitum, quo tam infeliciter pugnavit, ut quinquies tentatâ Bohæmiâ, quinquies victus, omnibus amissis, nonnunquam hoste etiam non viso turpiter recesserit. Repugnabat ei videlicet Joannes Ziska, de monoculo, dum urbem obsidet factus cœcus, qui cùm à puero regeretur, scientissimè nihilominus regebat exercitum, disponebat aciem ex relatione situs hostilis exercitus. Sic docuit prudentiam oculis prævalere; pluris esse sapere, quàm videre.

Philippus Burgundus Catharinam Caroli VI. filiam ab Anglo toties expetitam, eidem tradit uxorem, simulque Franciæ regnum dotale, assentientibus Rege fatuo, ejusque uxore dementiore. Rex Anglus Parisiis recipitur cum multis acclamationibus ab imperitâ plebeculâ; Delphinus autem absens postulatus in judicium de nece Burgundi, accusatus ab Advocato Regio Burgundi, & Doctore Theologo Academico, indignusque judicatus, qui succederet in regnum, & omni spe regnandi dejectus. Sed injustè condemnatus ab inimicis prævalentibus, provocavit ad Deum, quem expertus est auxiliatorem, & eo fretus tot hominibus in eum conspirantibus par, immo & superior extitit.

*Cat... Car... filia uxo... glia cum cia...*

Martinus V. recuperatâ Bononiâ, placatisque Florentinis per Leonardum Aretinum, eisque dato Archiepiscopo, cui Fesulanum, & Pistoriensem subjecit Episcopos, Romam venit; sed desertum magnum, non magnam urbem subiit, ædibus omnibus tam sacris quàm prophanis pæne dejectis, aut ruinam minantibus. Quæ brevi tempore se curavit restituenda, ut à Romanis non modò summus Pontifex, sed & Romulus alter diceretur.

*Ma... V. ... rest...*

Malè tamen habitus est inter tot honores à Braccio Perusino, qui & cladibus addebat contumeliam, minitans se Martinum effecturum egentem Sacrificulum, & qui Missam suam sex denariis Turonicis licitaretur, dum ipse sibi totius Italiæ sponderet Imperium: verùm post aliquot annos in prælio cæsus, ne quidem Italiæ sex pedes habuit ad sepulchrum.

*Br... Ma... spe...*


Sfortia iratus Caracciolo Joannæ adultero, ut eum perderet, Ludovicum III. Andegavensem, filium hujus Ludovici qui cum Ladislao de regno contenderat, evocat ex Galliâ, etiam annuente Pontifice factus Ecclesiæ Vexillifer, & Stabuli Comes in regno Neapolitano. His cùm videret imparem Joannam suam Caracciolus, ei suadet evocare in auxilium suum Alphonsum Regem Arragoniæ, qui tum depugnabat in Corsicâ contra Genuenses, eumque adoptare in filium; sicque commissi inter se Alphonsus atque Ludovicus. Genuenses autem qui Corsicam tanto ardore sibi vendicabant, eam amisere, simulque libertatem suam, mox Philippo Duci Mediolanensi subditi; & liberi atque servi semper rerum novarum amantes, marique suo mobiliores, & perfidiores.

*Lu... dof... opp... Wi...*

*Ge... Du... dio... sub...*

Detecta est hoc anno sub auspiciis Henrici Ducis Viseensis & Magistri militiæ Jesu Christi, filii Joannis Regis, Astrologi doctissimi, inter Fretum Gaditanum & Fortunatas, Insula Materia *Madere*, sic dicta ab arboribus quibus tota obducebatur. Hanc autem præcipuæ bonitatis experti sunt Lusitani cùm Sylvas ejus incendissent, periculosè tamen, coacti diutiùs in aquis latere ore tenus ut excitatos per incendia lignorum calores vitarent. Hanc postea, vino suo & saccaro famosam, mirati sunt cupediarum amatores tandiu latuisse.

*Ma... Insu... tec...*



CAP.

## CAP. III.

## *Decas Tertia.*

*Ab anno Christi* 1420. *ad* 1430.

MUNDI 5474. CHRISTI. 1421.

HUssitæ de Sigismundo victores, ut ostenderent se non tantùm armis & ferreo, sed jure ac ratione pugnare, Synodum coëgerunt Pragæ; mox tamen divisi, quibusdam usum calicis tantùm retinentibus (unde dicti *Calixtini*) alii errores Wicleffi, & Hussi propugnantibus. Tunc autem Pragæ Apostata iste Præmonstratensis cæsus est ab urbis Consulibus, verùm horum sanguine manibus ejus litatum est; caput aromatis conditum, inter reliquias à mulierculis servatum est, fœmineæ superstitionis illustre monimentum.

Victi sunt hoc anno Angli, & magnâ clade in suam Normanniam retusi in Andegavensi pago ad oppidum Balgium, per copias Delphini quibus præerat Joannes Stuartus Dux Buchaniæ Comes Stabuli constitutus à Delphino, Regente; (sic Franci Regni Administrum vocant) cæsusque Dux Clarentiæ Henrici Regis frater, cum aliquot proceribus Anglis, ac duobus fortissimorum virorum millibus: multi capti, reliqui sumptis Francorum insignibus ægrè in suam Normanniam rediere. Hanc cladem cùm accepisset Henricus Angliæ Rex, ut fratris sui necem ulcisceretur, cum ingentibus copiis venit in Franciam: sed eas pestis, fames, rustici messuerunt, belloque crudeliùs, quàm fortiùs gesto, Lutetiam repetiit. Minuit tamen dolorem utriusque cladis huic genitus ex Catharinâ filius Henricus, designatus hæres regni Francici, verùm quod non esset suum pater intellexit.

In Hollandiam, Zelandiam, Flandriam æstus maritimi juncti tempestatibus sævierunt, quibus inter Montem S. Gertrudis, & Dordracum, regio fertilissima cum 72. magnis pagis periit. Dordracum magnum quoque discrimen adiit, agnovitq; vicinitatem maris plerumque minùs commodam esse quàm periculosam, & momento temporis perdere, quod pluribus annis congessit.

MUNDI 5475. CHRISTI. 1422.

Mortuus est hoc anno Hadrianopoli Mahometes Turcorum Sultanus anno regni sui octavo. Hunc per Constantinopolin, petitâ veniâ, transeuntem, capere potuerat Imperator Græcus, sed ausus non est, causatus datam perfido fidem & in reditu ex Asia Urbem occupare paranti. Reliquit superstites quatuor filios legitimos; quibus præfecit natu maximum Amurathem; jussitque celari mortem suam diebus 4. dum is rediret ex Asiâ. Verùm huic oppositus est à Græcis Musttapha, filius Bajazetis, verus aut fictitius, qui eis pollicitus est Callipolin, at quam Turcæ reddere noluerunt. Hoc victo atque strangulato, substituêre alium Mustapham Amurathi fratrem, ab eo quoque suffocatum. Sic Amurathes rerum potitus, & expeditus Constantinopolin obsedit aliquot mensibus, frustra quidem tunc, sed ita firmato Imperio, ut certam ab eo Græci ruinam expectarent.

Oblatum sibi ab Hussitis Bohæmicum regnum sanctè recusarunt Wladislaus, seu Jagello Poloniæ Rex, & Vitondus Dux Lithuaniæ, hostes quamvis Sigismundi, nec cum eo sceleribus certare voluerunt: unde nata est vera sinceraque inter eos cum Sigismundo concordia, dolente à Principibus tam bonis se benevolentiâ esse superatum. *Sigismundus hostes suos amare cogitur.*

Obiit hoc anno Angliæ, ac pænè totius Franciæ Rex Henricus in Castro Vicennarum ex Epilepsiâ, aut morbo pediculari, vel Eresipelade, vitæ 36. regni 9 cum sex mensibus. Moriens vovit expeditionem Hierosolymitanam, sed cùm votum non posset implere, utrumque Regnum administrandum reliquit fratribus suis, dum Henricus filius unius anni puer adolesceret. Dedit prudentes monitus de Delphino, Burgundo, & ineundâ pace; verùm hæc consilia Delphini fortitudo, & sapientia, seu veriùs Dei in Francos providentia disjecit. *Henricus Rex Angliæ moritur.*

Secutus est mox generum socer Carolus VI. anno ætatis ferè 52. regni 43. populo suo acceptissimus, unde & dictus *Beneamatus*, sed voluntate, quàm re melior, Rex sine mente atque regno, exposito quandiu vixit Principibus suis & hostibus; quod tamen filius ejus ita restituit, ut nunquam concussum, immo potiùs stabilitum esse videretur. *Moritur & Carolus VI. cui succedit Carolus VII.*

Is Carolus VII. ejus nominis fuit, cognomento *Victor*, per jocum ab hostibus *Rex Biturigum* dictus, coronatus Pictavis anno ætatis 20. cum Rhemos accedendi potestas huic non esset. Aliunde acclamatus Rex Angliæ, & Franciæ Henricus pupulus, verùm huic regendo, multò magis vindicando impar. *Rex Biturigum dictus.*

MUNDI 5476. CHRISTI 1423.

Martinus V. reductum Jubilæum ab Urbano VI. ad annos 33. deduxit in opus: verùm id factum minori celebritate, bellis in Italiâ, Franciâ, Germaniâ sævientibus, cum magnâ non tantùm bonorum jacturâ, sed & pietatis. *Iubilæum ad annum 33. revocatum.*

Coacta fuit hoc anno, uti fuerat in Constantiensi Concilio definitum, Synodus Papiensis, paucis tamen Patribus ad eam convenientibus, quæ peste Ticini grassante, translata est Pisas, ibidemq; magno apparatu inchoata. Verum eam abrupit Pontifex, ut Ecclesiæ fatalem, & in qua posset Schisma renovari. Alphonsus enim Rex Arragonum in ea causam Benedicti volebat retractari, iratus Martino, quòd ei negatum Regis Siciliæ titulum, Ludovico III. Andegavensi concessisset. Conquestus est autem graviter Alphonsus de Martino, cùm ob eam causam, tum quòd ab eo Joannam abalienasse videretur, quæ eum abdicarat, & Sfortiâ huic opposuerat, propterea quòd ingratus Reginam de se bene meritam sperneret. Substitutus est igitur in ejus locum Ludovicus Andegavensis, ille coactus est suam repetere Hispaniam: at ex itinere Massiliam oc- *Concilium abrumpit Martinus.* *Alphonsus tum iratus Martino.*

am occupavit atque diripuit, & ossa S. Ludovici Episcopi Tolosani Valentiam Hispaniæ detulit, perdito quàm adepto regno felicior, & locupletior.

*Franci mà è vexantur ab Anglis.*

In Galliâ vario exitu ab Anglis Francisq; certatum: at hi sæpius victi, & bis magnâ clade, quarum unâ Stuartum Scotum Comitem Stabuli perdidere, cum plerisque Scotis, cruentis tamen, & Anglo victor Cadmæis victoriis. His nihilominus, & sequentibus cladibus valdè attritus est Carolus, & sine dubio regnum amisisset, nisi huic adfuisset Deus, & restitutam Franciam deberi potiùs cœlo, quàm humanis auxiliis maluisset.

MUNDI 5477. CHRISTI 1424.

*Mors Sfortiæ.*

Obiit hoc anno Dux egregius Sfortia, dum obsidionem urbis Aquilæ solvere conatur, & expellere Braccium eam oppugnantem, submersus equo cespitante in Æterno flumine, qui licèt multùm diuque quæsitus, nunquam comparuit. Dicebatur antea Mutius, sed vocatus Sfortia ab Alberico Balbiano Cunii Comite magno duce sub quo militabat, ob repulsam fortiter sibi factam injuriam. Duos reliquit filios nothos Franciscum & Alexandrum, hunc Pisauri, illum Mediolani postea Principem. Et Franciscus paterni dux factus exercitus ultus est Patrem, Braccio ejus æmulo, & mortis causâ; sublato; pius simul in Patrem atque Pontificem.

*Et Braccii.*

Enimvero auditâ Sfortiæ morte Bracciusingemuit, ac sibi statim moriendum intellexit, uti didicerat à fatidico quodam: nec eum fefellit opinio. Nam commisso paulò pòst prælio victus à Francisco Sfortia, dum fugit vulnus accepit in capite, ex quo non ita multò pòst obiit, ejusque cadaver delatum Romam abjectum est in sterquilinium. Verùm inde postmodum occupatâ Româ, & ejecto Pontifice delatum est Perusium patriam suam à Nicolao Fortebraccio nepote suo ac nobili pompâ sepultum est. Extinctus est autem, & Sfortia, anno ætatis 54. ambo sub Balbiano positis belli rudimentis, primùm amici, deinde hostes, ambo sepulturâ, licèt diversimodè, caruerunt.

*Petrus de Luna seu Benedict. XIII. moritur.*

Mortuus est eodem anno Benedictus XIII. seu Petrus de Luna Pontificatus adeò retinens, ut sub æternæ maledictionis pœnâ præscripserit Cardinalibus suis qui aderant, ut novum Pontificem eligerent, & cùm ampliùs loqui non posset, id propriâ manu scripserit. Triginta annos explevit in suo Pontificatu, annosque Petri vidit, & superavit. Ferunt ei venenum à quodam Monacho Thomâ propinatum, authore Cardinali Pisano, qui ad capiendum eum venerat, & statim auditâ ejus morte fugit: tradunt & de hoc monacho sumptum supplicium; quæ sunt parum certa. Neque certius, corpus ejus post sex annos refossum suavem odorem afflasse, & Illuccæ in oppido nepotis quondam sui incorruptum servari. Hoc certissimum, primò eum funere tralatitio tumulatum esse, deinde prophano sepulchro inclusum, utpote in quem Ecclesiæ sacra fulmina, vel nunquam, librata sunt.

*Ei sufficitur Clem. VIII.*

Eo vitâ functo duo reliqui ejus Cardinales, Julianus de Loba, & F. Dominicus Bonæ Spei Carthusianus, Pseudo-Papam elegere Ægidium Sancii Munotii Canonicum Barcinonensem, quem refugientem hanc dignitatem Alphonsus iratus Martino V. coronandum curavit, dixitque Clementem VIII. à quo mox Cardinales creati, ut schisma, odiumque Arragonicum stabiliretur.

*Iage... dem no st...*

Jagello Poloniæ Rex, Sigismundo planè reconciliato, & qui inaugurationi Sophiæ Polonorum Reginæ interfuerat cum Errico Sueciæ, & Norvegiæ Rege, mittit promissa equitum 5. millia ad Bellum Bohæmicum, & Coributhum à Bohæmis postulatum regem negavit; qui cùm ad illos confugisset latronum stipatus manu, bona ejus Jagello addixit Fisco, atque ex Juris formula exulem renunciavit, ut exul, & reus operam Hæreticis navasse Polonus diceretur.

*Mor... Joan... Zisk...*

Bellum Hussiticum magnâ utrimque atrocitate gestû urbibus devastatis combustisque: quo tempore Joannes Ziska dux Hussitarum obiisse scribitur ab eruditis, dum pergit ad Sigismundum ab eo invitatus magnis muneribus, & administratione regni, immo & ipso regno, ut ab ejus partibus staret. Verùm dum eò pergit peste absumptus interiit, nec Dei manus vitavit, qui hominum effugerat. Interrogatus paulò ante obitum ubi sepeliri vellet, jussit cadaveri suo detrahi pellem ex quo tympanum fieret, hostium terriculum, reliquum corpus feris & volucribus objiceretur, videlicet ut eo gustato crudeliores evaderent. Eo mortuo Hussitæ in duas factiones secti sunt, unam quæ sibi præfecit Procopium cognomento *Rasum*, vel, ob res gestas, *Magnum*, retento nomine Thaboritarum; alteram Orphanorum dictam, cujus dux fuit alter Procopius cognomine *Minor*. Orebitæ etiam sibi Presbyterum Bedricum sacerdotum conjugatum præposuerunt, inimici inter se omnes, nisi cùm Teutones invadendi erant, vel repellendi, quos ἀλλοφύλους appellabant, Philistæos, Moabitas, Idumæos, se verò Israëlitas, & Bohæmiam, Promissionis terram atque Palæstinam, & variis hisce nominibus copiis suis animos faciebant.

*Ty... nu... le J... cur... Hu... ve... ph... Th...*

*Sol... Iac... Re... & ... t u...*

Jacobus I. Scotiæ Rex ex carcere Anglico solutus est in quo annis 18. vixerat, datusque suorum precibus, & numeratis à gubernatore Scotiæ Duci Glocestriæ centum millibus Marcharum argenti. Erat ille gubernator mollior, nec suis liberis contumacibus retundendis par. Rediens autem Jacobus statim coronatus est Scotiæ, moxque ordinando regno manum admovit, tribus millibus sceleratorum sublatis, inter quos Gubernator, & filii ejus patrueles Regis, & Principes, ac proceres; sic Scotia ejus ingenio, & fortitudine nunquam floruit magis: adeo exoptandum est regnis Principes eruditos, ac bene institutos obtinere, etiam cum dispendio eorum libertatis.

MUNDI 5478. CHRISTI. 1425.

*M... Em... nu... ra...*

Mortuus est hoc anno 12. Kal. Aug. Constantinopoli Emmanuel, seu Manuel Græcorum Imperator, ex reliquiis Apoplexiæ veteris, indutus habitum monachi sub nomine Matthæi anno ætatis 77. Vir eruditus fuit, ut testantur ejus opera,

opera, laudatus in funere per Bessarionem tunc adolescentem: Monodia quam in manibus habemus hujus ingenii, illius virtutis monimentum est. Successit ei filiorũ natu maximus Joannes VII. cui antè mandarat Imperium. Hic statim diruere conatus est Hexamilon in aditu Peloponensi, à Patre Manuele tanto labore, tot sumptibus communitum: sed non aliter ab Amurathe pax obtineri potuit. Sophia ejus uxor videns à marito se contemni propter inelegantiam vultus fugit ad Patrem Marchionem Montisferrati; itaque Joannes duxit Mariam Comnenam Imperatoris Trapezuntini filiam, alii tamen ejus loco filiam Principis Sarmatiæ substituunt, alii restituunt Sophiam procerum votis ac precibus reconciliatam, nuptiis ejus cum Imperio fluctuantibus.

Alphonsus Arragonius recusat accipere Legatum Martini V. nisi conditionibus duris, quæ rejiciuntur. Idem carcere solvit Castedana fratrem suum, operâ Caroli Navarræ Regis cognomento *Nobilis*, qui & hoc anno obiit, relictâ filiâ Blancha nupta Joanni Alphonsi Arragonum Regis fratri. Tunc autem florebat B. Coleta Clarissarum reformatrix, cui à confessionibus fuit Henricus de Palmâ Minorita, quam ut inviseret S. Vincentius Ferrerius ex revelatione divinâ venit in Galliam. Obiit hæc Gandavi annos nata 66. Christi 447. miraculis clara, à Minoritis culta Clemente VIII. & Paulo V. annuentibus, magnum Picardiæ, adeòque totius Ecclesiæ lumen.

Mortuus est hoc anno Præceptor Joannis Gersonis Petrus de Alliaco Cardinalis, in hoc vituperandus quod Christi natale Astrologis observationibus cognosci posse putaverit, eòq; ineptè retulerit Magorum stellam; vir aliunde magnus, & magnæ prudentiæ, & eruditionis hoc tempore non vulgaris.

MUNDI 5479. CHRISTI. 1426.

Cyprus hoc anno ingenti clade affecta à Soldano Ægypti Sagittarâ, Rex Joannes victus, atque captus, postea redemptus à suis & cive Genuensi 100. aut 200. aureorum millibus, urbes omnes occupatæ, & incensæ cum Ecclesiis præter Famagustam à Genuensibus defensam armis, pensitatione annui tributi quinque millium aureorum; populus universus, aut cæsus, aut abductus. Venerat ad hunc Regem auxilium ex Europâ, sed capto jam Rege: itaque veriti Cruciferi ne Rex, uti minitabatur Sultanus, interimeretur, re infectâ rediit. Idem quoque Sagittara Domini Sepulchro Christianos prohibuit, verùm damno admonitus suo, eis licentiam reddidit: & verò hoc anno Palæstinam adiit præter alios Ludovicus Palatini Rheni, & Bavariæ Dux, indeque ex morbo in mari cæcus rediit, & cum ingenti barba, quam deinceps non deposuit, unde & nomina retulit *Ducis Barbati, & Ducis Cæci*, simulque laudem magnæ pietatis.

Insanire pergit in Martinum V. Alphonsus Arragonius, excluso Cardinali Fuxensi, & prohibito suorum omni cum Pontifice commertio, Quare in eum Martinus severissimam sententiam dixit, quam anno sequenti petiit Rex ex Apostolicis tabulis expungi, ubi tempore furor ejus, & insania deferbuissent.

Pax quoque infida hoc anno coaluit inter Philippum Mediolanensem & Venetos, Florentinos, aliosque Principes fœderatos, à quibus magnas clades acceperat per eorum ducem Franciscum Carmaniolam, quem imprudenter & ingratè à se alienarat. Cùm autem ea pax illi esset gravis, hanc paulò pòst rescidit, multis aliis insuper acceptis damnis, ac tandem viribus reparatis certiorem iniit, atque meliorem; ostenditque Principi nunquam esse in adversis casibus desperandum. *Carmaniola Dux egregius.* *Phil. Mediol. res suas restituit.*

MUNDI 5480. CHRISTI. 1427.

Hussitico flagrante bello missus est ad Anglos suppetiarum causâ Legatus Cardinalis Henricus Anglus, unde multo labore copias aliquas elicuit ad retundendos Bohæmos. Germaniam fœdè populantes, omnesque Ecclesias diruentes. Cùmq; tantus esse coactus exercitus, ut toti subigendæ Bohæmiæ par videretur, fugit ille flagitiosè, hoste non viso, tantâ infamiâ Teutonum, & gloriâ Bohæmorum, ut illi fugere non desinerent, nisi hi persequi cessassent. *Henr. Anglis Card. turpis expeditio.*

Tandem receptus est Petrus Fuxensis Legatus, sopitis aliquot turbis; ideoque hic in Urbem rediens susceptus est perhonorificè, ut qui patientiâ suâ, & sapientiâ, durum & contumacem Regis animum emolliisset, atq; in perniciem suam, & Ecclesiæ, ruere prohibuisset. *Petrus Fuxensis Legatus Alphonsum dom. at patientia.*

In Castellâ turbas domesticas Joannis Regis adolescentia iners, atque imprudens peperit, quòd se Alvaro de Lunâ ita permitteret, ut hic omnia posset in regno. Hunc ergo se depellere, compulsus, paulò pòst revocavit, quasi eo carere non posset; unde multæ seditiones exortæ, atq; bella. Fuit autem hic Alvarus Benedicti XIII. nepos, fortunæ filiolus, quem tamen amavit, mox aversata est, donec eum majora cogitantem penitùs destituit, ac depressit; quod ferè semper, nisi morte præveniantur, Regum, & Principum illi ἐπάξια debent expectare. *In Castella turba ob Alvarum de Luna.*

MUNDI 5481. CHRISTI. 1428.

Celebris est hic annus hyeme in Italiâ florifera, quam secuta est lues, & in Pontificem rebellio Bononiensium: quare urbs eorum interdicto supposita; quod eis Dominicanus quidam indixit grandibus litteris, ex perticâ ostentatis, absque ullo mortis metu, cùm ille ad hanc accipiendam, quàm Bononienses ad inferendam paratiores existerent. *Bononienses interdicto suppositi.*

Sigismundus hoc anno expeditionem suscepit in Turcas, ut excusaret se Pontifici de bello Bohæmico. Verùm in hac nequaquam felicior fuit; certè vituperandus magis. Transito enim lembis aliquot Danubio, partem copiarum Barbaro concidendam objecit. Cecidit inter reliquos Zwisius Niger Sepusiensis vir fortissimus, *Sigismundus in bello infortunatus.*

ad quem recipiendum cum Sigifmundus mififfet lintrem, ut fe fubduceret, maluit cum fociis fortiter mori, quàm turpe factum inertiffimi Principis imitari. Cum ergo videret idem Sigifmundus fe bellicis rebus parum idoneum effe, præfectum adfcivit fibi feliciorem ac belli peritiorem Pipum quemdam, feu Philippum Florentinum, virum graviter fortem à quo variis præliis cæfa funt 40. Turcarum millia; ficque docuit verè dictum à Vegetio milites è Septentrione, duces ex Auftralibus plagis accerfendos.

*Pipus Dux*

MUNDI 5482. CHRISTI. 1429.

*Clemens VIII. Pfeudo-Papa Martinum V agnofcit Pontificem*

Petrus Fuxenfis Cardinalis redit in Arragoniam, & tergiverfantem Alphonfum experitur; fed tandem hic divinitùs immutatus conditionibus acceptis, ac datis acquievit. Igitur 7. Kal. Aug. Ægidius Pfeudo-Pontifex qui fe Clementem VIII. appellabat depofuit ornamenta Pontificalia, rogatis Cardinalibus fuis, ut alium Papam eligerent: hi ftatim Odonem de Columnâ Martinum V. Legitimum Pontificem dixerunt: abdicarunt item Schifmatici Cardinales, etiam duo pertinaces in carcerem detrufi, veniam petierunt, ficque reddita pax eft Ecclefiæ, Panifcola oppidum Arragonio, Dertufenfi Concilio etiam fua facies Arragonenfi Ecclefiæ procurata.

*Carolum VII. ad extrema reductum Deus erigit.*

Redactus erat hoc tempore ad ultimas anguftias Francorum Rex Carolus VII. obfefsâ, & graviter prefsâ Aureliâ, victis in pugnâ quæ Pelamidum dicta eft *des Harencs*, ad Roboretum in Belfia grandi clade Francis & Scotis, quibus confidebat. Statim ad Deum, ejufque matrem converfus ex animo, eorum expertus eft opem. Ut verò faftus Anglicanus turpiter contunderetur, ad id operis adhibita eft rufticana virgo Lotharinga ex pago Damremigii ad Mofam Diœcefis Tullenfis, annos duodeviginti nata, fed fanctis vifionibus illuftris. Ut multa prætermittam, equo, & virili vefte à Roberto Brandicurtio Vallis-coloris oppidi præfecto inftructa, per medios hoftes ad Regem venit Cainonem, & latentem fub vulgari habitu detexit: elatoque enfe crucibus notato ex æde S. Catharinæ de Ferâ Sylvâ, *de Fierbois*, in agro Turonenfi, vexillum præferens candidum, nominibus Jefu ac Mariæ infcriptum, diffipat obfidionem Aurelianenfem, Anglos omnibus fuis munitionibus exuit, & plenos ignominiæ, atque plagarum remittit. Inde dicta eft Puella Aurelianenfis, magnum Hiftoriæ, & Regni Francici decus ac ornamentum. Multò minùs hîc explicare licet præclara ejus alia facinora. Lutetiam acri certamine tentatam, Regem Carolum deductum Rhemos ad inaugurationem, ficuti illa promiferat; funt enim bellica ejus facta libri materies, non Breviarii Hiftorici argumentum.

*Puella Aurelianenfis*

*Præclara ejus facta.*

*Bohæmi Catholicis terribiles.*

Perfeverarunt hoc anno graffationes Huffitarum, qui tripartito agmine Hungariam, Poloniam, Auftriam defolarunt, Catholicis, ubique terribiles; cunctante, aut nihil agente Sigifmundo, immo difcordias inter Jagellonem, & Witondum diffeminante, quibus Ecclefia jam attrita, magis abjiciebatur.

*Obitu Pauli Veneti. Gerf...*


Obiit hoc anno Paulus Venetus, feu Cretenfis, S. Auguftini Eremita, Philofophorum & Theologorum fui temporis facilè Princeps. Mortuus quoque ætatis anno 66. Lugduni, quò fecefferat in voluntarium exilium, propter odium Philippi Burgundi; de excuffis in Synodo Conftantienfi Joannis Parvi articulis, Joannes Gerfon magnum Academiæ Parifienfis lumen, ejus quondam Cancellarius. Eò autem fecefferat, ut Joannis fratris fui Cæleftini confuetudine uteretur; quod nonnullos induxit in fraudem, qui eum fuiffe Cæleftinum putaverunt. Poft obitum fertur miraculis claruiffe, & Beatis accenfendus fuiffe nifi fe Pontificibus, à quibus hanc gratiam accipere debuerat, paulò fe iniquiorem præbuiffet, & Academicis fuis Parifienfibus, ut idem præftarent, prælucere vifus.

MUNDI 5483. CHRISTI. 1430.

Philippus Dux Burgundiæ, fato functis duabus uxoribus fterilibus, tertiam duxit Elizabetham, filiam Joannis Lufitaniæ Regis; quando Brugis in honorem S. Andreæ inftituit Ordinem Velleris aurei, à vellere Gedeonis, ut pii volunt, vel ab aureâ pelle Argonautarum, & Jafonis, ut fcribunt eruditi: & perfeverat adhuc in Hifpaniâ virtutis fimul & nobilitatis infigne.

Cinxit paulò pòft obfidione idem Philippus Compendium; cui ut fuccurreret advolat Aurelianenfis Puella. In Urbem ingreffa, & poftridie dum facit eruptionem, vulnerata, & equo dejecta, vel à feroci quadrupede, vel à Joanne Lucemburgio robufto equite, capta eft; atque ingenti pretio vendita Anglis, Rothomagum perducta eft, ibique viva combufta quafi Maga; cor tamen ejus nunquam uri, confumique potuit. Sententiam tulit in eam Cauchonius Epifcopus Bellovacenfis, patriæ, religionis, & æquitatis proditor. Accufata eft damnataque Magiæ; hærefis, luxuriæ; fed à calumniatoribus Anglis, & Anglorum turpiffimis affentatoribus; poftea innocens declarata à Callifto III. anno 1456. causâ ejus recognitâ, & diligenter excuffâ. Cauchonius paulò pòft repentinâ morte fublatus eft, Judices alii duo vivi exufti, duorum jam demortuorum offa cremata. Immo & à Puellæ fupplicio Anglorum res in præceps ruëre, adeo ut morte fuâ atque flammis, plus eis quàm vitâ & armis, Sampfonis æmula, nocuiffe videretur.

Dux Venetiarum Francifcus Contarenus tantùm non eft cæfus à ficario, & amente Andreâ Contareno, repulfam præfecturæ maritimæ paffo; avertit ictum Senenfium Legatus; percuffor præfcifsâ manu necatus eft, plus habita læfi ratio, quàm percutientis, cui vitam fervare debuerat amentia, nifi Reip. caput appetiiffet.



CAP.

## CAP. IV.

### *Decas Quarta,*

#### *Ab anno Christi* 1430. *ad* 1440.

MUNDI 5484. CHRISTI. 1431.

CApta est hoc anno à Turcis Thessalonica, quam ex desperatione Græci vendiderant Venetis; incolæ cæsi omnes, aut venditi, Veneti suis navibus effugêre, qui deinde satis feliciter cum Turcis pugnavere; nunquam tamen vicem iis reponere potuerunt, urbe tam nobili deperditâ. Inde Amurathes victorias suas per universam Græciam sparsit; cui tum Joannes Castriotus Rex Epiri, ut pacem redimeret atque libertatem, urbem suam præcipuam Crojam, & filium suum Georgium dare coactus est. Institutus est à Turcis Georgius magnâ curâ, propter egregiam ejus indolem dictus Scanderbegus: & verò iidem postea eum Alexandrum esse damno suo sunt experti.

Paratur grandis exercitus à Sigismundo, ex Comitiis generalibus adversùs Hussitas, qui hoc tempore Silesiam, & Austriam crudeliter divexabant. Martinus etiam Pontifex adversùs eosdem arma spiritualia expediit, Concilium scilicet Basileense, cui præsideret Julianus Cæsarinus Legatus à latere contra Hussitas missus in Germaniam. Sed obiit eodem tempore Martinus V. Romæ 01. Kal. Martii, ætatis anno 63. sedis 13. cum 3. mensibus, & diebus 12. vir sine dubio magnus, cujus prudentiâ extinctum est Schisma, quod videbatur immortale, vituperatus tantùm ab heterodoxis, quorum probra, & convicia sunt laudes, ac decora Catholicorum. Huic suffectus est 5. Nonas Martii Gabriel Condelmerius, Venetus, dictus Eugenius IV. 5. Id. Martii, annos natus duodequinquaginta, corpore magno, & cui animus respondebat, ad res illustres gerendas idoneus, cujus ingenio plurimùm Summus Pontificatus tum nutans indigebat.

Interea jubetur Cæsarinus promovere Germanicam expeditionem; sed ea partim infelix, partim secunda fuit. Fridericus enim Brandeburgensis Marchio immissus in Hussitas cum 40. millibus equitum, primùm rem bene gessit populationibus, cæde, incendiis; sed audito eorum adventu, panico terrore correptus diffluere copias suas passus est. Albertus Austriæ Dux rem meliùs gessit in Austriâ, compulit hæreticos se submittere; & definitionibus futuri Concilii Basileensis acquiescere. Quæ cum vidisset, & audivisset Legatus Julianus Basileam se contulit, Concilium non eo quo sperabat successu celebraturus.

Hoc igitur anno inchoatum est BASILEENSE Concilium, quod propemodum annorum duodeviginti fuit. Jacta sunt ejus fundamenta 4. Non. Martii, apertum 14. Kal. Augusti, quando ad id Bohæmi invitati sunt. Verùm statim id Eugenius dirimere conatus est, prætexens arma inter Burgundum, & Austrium, & multos in hac urbe Hussitas; sed acquievit tandem, reveritus Dominicum Capravicam, à Martino Cardinalem creatum, sibi invisum, hominem excellentis ingenii, atque prudentiæ, cui erat à secretis Æneas Sylvius, postea Pius II. & cum eo Concilio interfuit. Prima ergo Sessione 19. Kal. Jan. Concilium, cui renitebatur Eugenius, stabilitum est, quod nihilominus sic revocavit, & Avenioni indixit, invitavitque Sigismundum. Verùm hic in Italiam venit, & coronam ferream accepit Mediolani, seu Modoëtiæ, exclususque arce Mediolanensi, Parmæ atque Placentiæ hyemavit, magis jam memor dignitatis suæ, quàm Ecclesiæ.

*[Eugenius nititur Concilium dissipare.]*

Eodem anno Parisios à suis evocatus Angliæ Rex annum agens 12. coronatus est. Erat tum misera Franciæ facies, agris ferè omnibus incultis, & bellicoso populo tot cladibus efferato. Religiosiùs in Hispaniâ certatum est à Rege Castellæ, Mauris devictis grandi clade, & tum Granata capi poterat, sed impediit Alvarus de Lunâ auro Saracenico corruptus, & suo Regi, quàm Deo charior. Scotia quoque legibus optimis temperata est, resectus in eam invectus ab Anglis luxus & cum eo multa materies vitiorum.

*[Miser Franciæ status.]* *[Castella, & Scotia melior.]*

MUNDI 5485. CHRISTI 1432.

Invitati sunt Bohæmi ad Concilium, iisq; litteræ securitatis datæ, quas *Salvi conductus* vocant. Sigismundus Eugenium graviter increpuit, quòd Concilium dissolvere niteretur; dedit & vehementiores adhuc litteras Julianus Legatus: Angliæ Rex, sicut & Franciæ, habito conventu Bituricensi petiere modestiùs ne Synodus abrumperetur. Itaque habita est II. Sessio, in quâ actum de autoritate Concilii cui se submittere Pontifex obstringeretur; Sequentibus quoq; Sessionibus decreta sunt quibus Eugenii authoritas infringeretur; sed & sigillum Concilii insculptum est, in quo Spiritus Sanctus appictus erat cum hac Epigraphe. *Sacrosancta Synodus Generalis Basileensis*; professus denique se fautorem ejus Sigismundus, atque Patronum; quibus Concilium perturbabatur potiùs, quàm peragebatur, membris à capite divulsis, atque recedentibus.

*[Principes Concilium haberi volunt.]* *[Dissident à Pontifice Patres.]*

Joannes Caracciolus, admissarius & adulter Joannæ, magnus Regni Neapolitani Mareschallus, injuriosus Reginę usq; ad contumelias, & fortè colaphum, hoc anno cæsus est, ea imperante; cumque Ludovicus ex hâc morte omnia expectaret, Joanna in Alphonsum Arragonem conversa est, levitate fœmineâ, & semper nova cogitante, cum præsentium rerum fastidio.

*[Io. Caracciolus cæsus.]*

MUNDI 5486. CHRISTI. 1433.

Recepti sunt 300. Hussitæ in Concilio, quorum duces erant Guil. Cosca, Procopius Razus, Joan. Rochysana, aliique, patienter auditi à Patribus, & cum vinci nollent, remissi Pragam cum Legatione eruditorum virorum. Mox suscipitur & colitur Sigismundus ut protector Concilii,

*[Sigismundus sapienter monet PP. Basileenses.]*

cilii, ejusque defensio probata adversus Eugenium. Interea Roman. Rex agebat Senis, & coronam auream à Pontifice conabatur accipere; assensus est Eugenius, immo & confirmavit Concilium, aliqua tamen postulavit quæ sunt à Patribus improbata; immo & idem vocatus ad Synodum, & Legati ejus remissi, quamquam moneret Patres Sigismundus sapienter, ut moderatè agerent cum Eugenio, neque pacem turbarent Ecclesiæ, dum eam meliorem reddere volunt.

*Franciscus Carmaniola Dux Venetorum jussu Senatus cæsus.*

Circa hoc tempus Franciscus Carmaniola Dux inclytus, humili loco natus, Patre rusticulo, cujus ipse subulcus fuit, primùm Dux copiarum Philippi Mediolanensis, deinde ejus hostium Venetorum, quibus multas pepererat victorias, ab iisdem Venetis proditionis suspectus, jussu Senatus in carcerem conjectus, & cæsus est; cùm tamen 200. Senatores, plerique ejus amici huic consultationi interfuissent, & octo mensibus supplicium ejus dilatum esset, dum versaretur in castris: in quo dubium est, an mirere magis Venetorum taciturnitatem, an severitatem.

*Sigismundus creatur Imper.*

Interea Sigismundus Romæ ab Eugenio susceptus est magnificè, qui illum die Festo Pentecostes prid. Kal. Junii, in Basilicâ Vaticanâ creavit Imperatorem. Tum functus, de more, Stratoris officio, creavit equites multos Italos, & Germanos, ac per Mantuam rediens instituit Franciscum Gonzagam hujus ditionis Marchionem; Venetos, aliàs inimicos sibi, reliquit amicos, gratiis tantùm & beneficiis se professus Imperatorem.

*Compactata Hussitarum.*

Legati à Concilio missi, retulere ab Hussitis 4. articulos qui leviter immutati recepti sunt, factâ eis potestate sub utrâque specie communicandi, eâ lege, ut aliter agentes non damnarent, aliosque deponerent errores: sic confecta pax, editumque publicum instrumentum, dictum *Compactata*. Taboritæ tamen & Orphani recusavere fœdus, & Pilznam obsedere; itaque fuerunt exterminandi ferro, qui ratione sapere noluerant.

*Eugenius adhæret Concilio Basileensi invitus.*

Basileenses Patres, & Eugenius, in se se invicem paulò duriùs agunt; hic etiam irritat omnia quæ contra se acta fuerant Sessione XII. Interim venit Basileam Sigismundus, qui & Sessioni XIV. interfuit. Tunc autem Eugenius permotus Legationibus Sigismundi, Caroli Franci, & Philippi Burgundi, aliunde veritus Principes Italos, &, quod eum pungebat magis, Ecclesiæ Schisma, tandem adhæsit Concilio, eâ conditione ut Patres contra se decreta abolerent, ipse ab iis facta probaret; quò ex necessitate descendisse Pontificem nemo sapiens potest ambigere, & metu damni sibi, totique Ecclesiæ gravioris.

*Sigismundus à Turcis honoratur.*

Tum quoque Turcarum Rex non tantùm inducias, sed & perpetuam pacem pepigit in magnâ Basileæ Ecclesiâ, dona ab eo missa magnificè recepta, huic invicem reposita: hoc Sigismundo coronam recepisse ab Eugenio Romæ profuit, ut ab hoste tam potenti aut timeretur, aut coleretur.

*Ioan. Lusitaniæ Regi succedit Eduardus.*

Obiit hoc anno Joannes Lusitaniæ Rex *Bonæ memoriæ* cognominatus, cùm regnasset supra annos 40. vixisset supra 76. Successit Patri Eduardus annorum 40. cui filius maximus natu Alphonsus cognomento Princeps, felix numerosâ prole, sed longè magis pietate.

*Hostia ...vionen...*

Hostia Divionensis mirabilis, hoc anno Philippo Burgundo à Pontifice missa est, quæ in ejus Sacrario servabatur, tincta sanguine, & cum vulneribus à quodam, fortè Judæo, receptis, magnæ etiamnum in Franciâ venerationis.

| MUNDI | CHRISTI |
| --- | --- |
| 5487. | 1434. |

*Turbæ ...manæ Italica...*

In Concilio Basileensi receptæ sunt amicè litteræ Eugenii, ejusque Legati; promulgatum tamen (sed absente Imperatore) decretum Concilii Constantiensis de authoritate Concilii supra Pontificem. At verò Eugenius id temporis sui, quàm Concilii sollicitior erat; nam Româ fugere compulsus est, & ne per vim retineretur, secundo Tiberi descendere; quando & ferè cæsus est, nihilominus incolumis Florentiam venit. At nepos ejus datus est in vincula, mox commutatus cum captivis, qui spe proditionis in Castrũ S. Angeli fuerant introducti, retentique Res tamen Pontificiæ restitutæ sunt, Sfortiâ in Eugenii partes pertracto, & cæso Fortebraccio per gregarium militem. Nihilominus missi à Concilio Legati Cardinales duo magni viri, qui hasce turbas, & alias Italicas componerent.

*Græci ... cepti ... guæ O... tales ... mend...*

Basileæ Sessione XIX. recepti sunt Legati Græcorum cum litteris Joannis Palæologi Imper. & Josephi Patriarchæ Constantinopolitani. Actum quoque de Judæis, qui ut faciliùs revocarentur ad fidem commendatæ sunt Orientales linguæ, Hebraica, Chaldaica, Arabica, & Græca, multaq; agitata sunt de eorum conversione, quàm vel subdolè, vel verè præ se ferre videbantur.

*Sigis... dus R... Bohæ... ab om... bus ag... scitur.*

Eodem anno soluta est à Catholicis, & auxiliis Concilii, obsidio urbis Pilznensis: cæsi quoque incruento prælio Thaboritæ, & Orphani à Mainardo & Alscione ducibus, per quos etiam plerique; horum hæreticorum combusti sunt in horreis, quibus mox militaturi se incluserant. Unde factum ut mox Sigismundus Bohæmiæ Rex acclamaretur à Catholicis & Hussitis, à victoribus, & victis, in Conventu Ratisponensi, ubi tum idem Imperator versabatur; ubi & disceptatũ de usu Calicis. Conquestus quoq; de Concilio Sigismundus, à quo se contemptum putabat in recuperatione patrimonii Ecclesiastici, litteris non ad illum, sed Philippum Mediolanensem datis: suscepit tamen excusationes, cùm id factum esse ex animo non iniquo, sed pio cognovit.

*Prola... in Co... S. Bir... Revel... nes.*

Erricus Sueciæ, Daniæ, & Norvegiæ Rex scripsit Basileam de Regulâ, & Revelationibus S. Birgittæ, quæ à nonnullis carpebantur; excussæ sunt à Theologis in annum sequentem, per quos à Deo protectæ judicatæ sunt; verùm de iis nihil in Actis Concilii; & uni Blosio, ob pietatem, fides adhiberi solet. Quo tempore Engelbertus quidam videns Suecos suos vectigalibus oppressos, in Regem Erricum insurrexit, Danosque omnes expulit Sueciâ; vir fortis & bonus; qui postea à nescio quo cæsus, patriæ suæ, cujus se amantissimum præbuerat, magnum sui desiderium, mœroremque reliquit.

*Engel... tus S... cæsus.*

Ame-

Amedæus primus Sabaudiæ Dux, alter sui temporis Salomon, cum antiquo omnia vana in hâc vitâ esse deprehendit, factusque Eremita Ripalliæ ad Lemani Lacus ripam juxta Thononium cum proceribus sodalibus secessit, ubi & magnificas struxit ædes, & vixit aliter quàm inopes Eremitæ atque Ægyptii; unde quidam natum putant Francicum Proverbium, *faire Ripaille.* Instituit & tum Ordinem S. Mauritii Sabaudiæ patroni; &, si verum est quod jactatur à multis, irridetur ab eruditis, secessus ejus plus habuit pompæ, quàm pietatis: quæ tamen cessio Pontificatus sibi per vim obtrusi, abundè refutavit.

Obiit hoc anno octuagenarius Wladislaus Jagello Poloniæ Rex cùm annis undequinquaginta regnasset, vir usque ad profusionem pænè liberalis, hospitalis, & pius. Successit patri Wladislaus adhuc impubes, operâ Sbignei Episcopi Cracoviensis viri fortissimi, qui exortum hic bellum dissipavit, & regnum ei quietum conciliavit.

Mortuus est eodem anno Ludovicus Andegavensis III. adoptatus à Joannâ Reginâ, ex nimiâ defatigatione, & æstu, quem hæc luxit impensiùs, tum experta filium optimum, & amantem, cùm eum perdidit. Novam quoque spem adeundi Regni concepit Arragonius, nullumque non movit lapidem, ut eâ gloriosâ prædâ vir ambitiosus, & cupidus, potiretur.

MUNDI 5488. CHRISTI. 1435.

Defuncta est hoc anno Joanna utriusque Regni Siculi Regina annos nata 65. die B. Virginis Purificatæ, cujus se filiam dicebat; atque ut huic faceret satis, & vitæ luxuriosæ à se pœnas exigeret, ignobili tumulo condi voluit. Reliquit hæredem testamento suo Renatum Andegavensem, Ludovici III. fratrem, constitutis proceribus 16. qui regnum ad ejus usque adventum administrarent. Sed Reginæ in hunc prolixum animum, calamitas ejus, & æmuli Alphonsi felicitas obruêre.

Tum enim tenebatur in vinculis Philippi Ducis Burgundiæ Ludovicus, nec datâ fide ad Regnum adeundum exire poterat. Uxor tamen ejus Isabella, virilis animi fœmina, cum duobus liberis Ludovico, & Joanne, eò perrexit, ubique magnificè, & uti Regina suscepta. Alphonsus autem ex Siciliâ huic regno incubans, evocatus à quibusdam seditiosis Capuam occupavit; sed dum Cajetam tentat, victus est ad Pontiam insulam navali prælio à Genuensibus, duce Blasio Assereto Scribâ, & captus cum fratre Rege Navarræ, multisque proceribus, perductusque Mediolanum ad Philippum Ducem, à quo prope ut victor exceptus est: immo & statim dimissus est liber, conspiratione cum eo adversus Francos initâ. Ad hanc dum idem Philippus vocare vellet Genuenses, hi rebellarunt, præcipuo authore Francisco Spinolâ, & Præfectum suum occiderunt. Paulò pòst à Petro Alphonsi fratre intercepta est Cajeta; sic fortuna favit Alphonso, ut victus esse, quò faciliùs vinceret, ab omnibus judicaretur.

Interim Florentiæ tantùm non est captus Pontifex, conspiratione in eum initâ per Episcopum Novariensem; dedit tamen huic vitam Pontifex in gratiam Cardinalis S. Crucis, cui Eugenius magna debebat, à quo majora etiam expectabat. *Conspiratio in Eugenium.*

Philippus Burgundus jam iratus Anglis, agit cum Carolo Rege Franciæ, atque Atrebati fit celeberrimus utriusque partis Conventus, immo & Anglorum, & Legatorum Consilii Basileensis. In eo cùm honestas conditiones offerret Anglis Carolus, illi postularent iniquas, res tantùm inter Carolum & Philippum transacta, cui Rex multa sapienter indulsit; inde in illum Anglorum furor. Hoc autem audito fœdere obiit ex gaudio Isabella Caroli VI. uxor, in filium noverca, quam Angli ad infimam conditionem redegerant, & dum appellarent ejus filium nothum, illam adulterii insimulabant. Sepulta est sine pompâ, quia se & Reginam, & Regis uxorem, ac matrem pænè oblita fuisse videbatur. *Philippus Burgundus reconciliatur Carolo VII.*

Dum Sigismundus reformare conatur Imperium, gener ejus Albertus Austrius cum Hungaris adversùs Turcos feliciter pugnat. Collatâ semel acie cùm jam disjectis signis Hungari fugerent, fecit iis animos gregarius miles, vir fortis, qui securi per Turcos sibi fecit viam ad signa repetenda, sicque nobilem suis paravit victoriam, cæsis Barbarorum octodecim millibus. Factus est postmodum eques à Sigismundo, donatusque multis prædiis, ut se verè nobilem, & virtute ac divitiis ostenderet. *Contra Turcos Gregorius miles victoriæ causa.*

Basileæ Sessione XXI. actum est de Beneficiis, & Ordinibus, ac modestiâ, precibusque Clericorum; quæ tamen parum Eugenio placuere, cùm huic confirmanda proposita sunt: maximè cùm ageretur de Annatis, quas inductas esse in bellum Sacrum contendebat Synodus, & abolendas, Pontificii retinendas esse volebant ut inopibus, & Ecclesiæ necessitatibus subveniretur. Sollicitabantur interea Græci, hinc à Concilio, inde ab Eugenio; tandem illi acquiever., modò ut assignaretur aliqua maritima Civitas Italiæ ad quam Imperator cum Patriarchâ, & Romano Pontifice convenire possent; omniaque ad iter, & viaticum parata sunt, & expedita. Sessione XXII. damnatus liber Augustini de Româ, Episcopi Nazarethani, Ordinis Eremitarum S. Augustini: Rejecere quoque Veneti sententiam Patrum de Patriarchâ Aquilejensi, ideoque excommunicati sunt, ac suppositi interdicto: neque tamen restitutus Patriarcha, quia huic Concilio prævaluit Eugenius, in cujus partes Veneti transierunt, quibus nihil ideo negatum est. *Græci cum Latinis convenire volunt.*

MUNDI 5489. CHRISTI 1436.

Alphonsus Arragonius exclusus regno Neapolitano ab Eugenio, totum se Patribus Basileensibus dedidit: hi Sessione XXIII. Pontificis authoritatem coërcere conati sunt editâ Constitutione, quâ modus vivendi præscribebatur Pontifici, & administrationis tam Spiritualis, quàm Temporalis: Videlicet ne consanguineos aut affines usque ad tertium gradum Duces, Marchiones, Comites, copiarum ductores faceret: dimidia *Basileenses Pontificis authoritatem coercere volunt.*

dia pars proventuum quorumlibet cederent Cardinalibus, qui tantùm 24. crearentur ex omnibus nationibus Christianitatis, viri graves, docti, rerum gerendarum gnari, ætate maturi, prævio priùs accurato reliquorum Cardinalium examine, quorum nullus affinis esset eligentium, aut Pontificis. Deinde actum de liberâ Papæ electione; quæ probata ab omnibus Christianis, exoptanda potiùs, quàm ad exitum perducenda Sapientes cuncti judicavere.

*Constituta de affinibus Cardinalium & Pontificum.*

*Omnia vergunt ad discordiam inter Eugen. & Basileenses.*

Sessione XXIV. confirmata sunt quæ Græcis promissa fuerant, & litteræ securitatis expeditæ, dataeq; Indulgentiæ omnibus qui largirentur aliquid ad concordiam Græcorum promovendã. Verùm huic sacræ liberalitati Pontificii Legati reclamarunt, & de hac graviter, sicut & de Annatis, electionibus, & confirmationibus conquestus est Eugenius; qui & ipse agere cœpit de loco quo Græci commodè reciperentur; quando & Cardinales 60. aureorum millia in Viaticum obtulerunt; frustra tamen, cùm inter Pontificem & Patres Basileenses omnia ad discordiam vergerent.

*Vitelescus Alphonsum retundit.*

Alphonsus Arragonius pænè occupavit Romam; multas certè sibi civitates asseruit. & longè pluribus potitus esset, nisi Joannes Vitellius, seu Vitelescus, Archiepiscopus Florentinus, & Patriarcha Alexandrinus, vir militiæ laude clarus, huic obstitisset. Qui si voluisset uti victoriis suis, Alphonsum exegisset regno Neapolitano, idque Pontifici, vel Renato peperisset; sed fortior quàm prudentior extitit; Romanis certè acceptissimus, cui statuam hi posuere in Capitolio, atque in ejus gratiam Cornetanos omnes populares ejus Romanâ Civitate donaverunt. Hunc profectò mox Eugenius Cardinalem creavit, multa huic se debere professus.

*Bohæmi S. Sedi reconciliantur.*

Iglaviæ in Moraviâ celebratus est Consessus, cui interfuere Sigismundus Imperator, Albertus Austriæ Dux, cum Alcione Regni Bohæmici gubernatore, aliisque proceribus: In eo Bockysana præcipuus Pragensium doctor, cum aliis 4. Presbyteris, nomine totius Cleri obedientiam Sedi Romanæ professi sunt, omnesque Bohæmi soluti anathemate, pax inita est diu exoptata, licèt eam unius Oratorum præposterus zelus fermè abrupisset; qui licèt à se stare rationem ostenderet, datum est tamen tum plus communi bono, quàm privati hominis rationi.

Calesium hoc anno Anglis eripere conatus est Philippus Burgundo, irrito periculosoque conatu. Felicius cessit Carolo VII. tentata Lutetia, quàm Regi suo reddidit, qui pro Anglis ceperat Joannes Villarius. Obiit eodem anno Catharina uxor Henrici V. Caroli VII. soror, quæ Ovino famulo suo juveni formosissimo sed notho Propolæ cervisiario duos genuerat liberos: huic etiam postea nupsit, ut filios hosce legitimos redderet; sed procerum sententiâ securi percussus est iste admissarius, quòd Regium sanguinem plebeio miscuisset. Verùm hi duo spurii, Edmundus & Gaspar, ab Henrico VI. Rege fratre uterino creati sunt, hic Penbrochii, ille Richemondiæ Comites; atque ex Edmundo & uxore ex Lanclastriæ domo natus est Henricus VII. Angliæ Rex, sicque regius sanguis ignobili turpique prævaluit.

*Catharina Reginæ nuptiæ turpes.*

Occisus est hoc anno Jacobus I. Scotiæ Rex perfidiosâ conjuratione Walteri Comitis Atholiæ, anno 12. ab inauguratione suâ. In hac cæde enituit fortitudo Catharinæ Duglassiæ, quæ Reginæ ministrabat: hæc enim tum inseruit brachium in foramen pessuli quod conjurati subduxerant, & id sibi frangi passa est, ut eos ingressu prohiberet: Regina sui corporis interpositione vindicans Regem, duabus plagis affecta est; Rex 28. vulneribus confossus interiit. Conjurati diligenter quæsiti sunt, captique puniti sunt atrociter, & interfecti; Comes author conjurationis triduo toto crudeliter tortus, & coronâ ferreâ candente impositâ capiti Rex proditorum inauguratur, didicit homines semper ab Dæmonibus irrideri, qui huic magnam coronam polliciti fuerant, sed quam sibi fatalem miser expertus est. Successit Patri Jacobus II. septennis puer, cui dimidia facies sanguineo colore inferta erat, expertus grassatione, & seditiones, quibus Regum pupillorum & infantium ætas semper obnoxia fuit.

*Iacob. Scoti. ditur*

*Cath. Dug. forti.*

*Succ. ei Ia. II.*

Rex Erricus Arctoorum regnorum cæso Engelberto recipit Sueciæ Regnum, quod ut & alia duo conatus est relinquere Bogislao Pomeraniæ Duci, patrui sui filio. Sed hic non servavit illa diu, sponte cum thesauris, & pellice charissimâ secedens in Gotlandiam Insulam; unde pariter expulsus à Carolo Rege, in Pomeraniam natale solum abiit, magno humanæ infelicitatis exemplo, cùm huic ne minima quidem Insula relicta sit ad vitam privatam, qui tria quondam magna regna possedisset.

*In... Arct... mot...*

MUNDI 5490. CHRISTI 1437.

Basileæ Sessione XXV. deliberatum est de Concilii loco in quem Græci conveniunt, & cæteris anteponitur Avenio, quæ urbs obtulerat 70. millia florenorum auri, mutua, eique oppigneratæ Indulgentiæ, donec summa ista conficeretur. Sed de eâ iterum gravis exorta controversia Patres in duas partes divisit; factiosi Avenionem, aut Sabaudiam obtulere; qui stabant à Pontifice cum Legatis, Utinum, vel Florentiam; & hanc probavit Eugenius: itaque ab utraque parte missæ sunt in Græciam Legationes: at Græci sapienter adhæsere saniori parti, atque Eugenio; in Basileenses factiosos etiam scripsit Epistolam Georgius Trapezuntinus. Imperator ergo Joannes VII. se ad iter Occidentale accinxit, quod vehementer Turcus dissuasit, veritus ne Oriens, simul & Occidens adversus se conspirarent.

*Græ... poni... Eug... Flor... eaqu... fert...*

Sessione XXVIII. Factiosi Eugenium contumacem declararunt, quando & multi ex Patribus reliquere Basileam: quod cùm didicisset Eugenius, & res Græcas belle procedere, emittit litteras publicas de translatione Concilii Utinum, vel Florentiam; seditiosi contra Basileenses, faventes Pontifici malè mulctant, & ita se gerunt, ut omnia ab illis reformidanda viderentur. Quare Sigismundus eos vehementer increpuit; sed ejus & monitus, & minas contempsere. Itaque nihil jam veritus eos Eugenius Ferrariam locum Oecumenici Concilii assignat, acceptissimum Græcis, ab

*Ferra... assign... locum... cilii a... Euge...*

omni-

omnibus bonis approbatum. At Basileenses mox eam Concilii translationem irritam declararunt, maximè provocati ab Arragonum Rege, qui pluris regnum Siciliæ, quam Ecclesiam faciebat. Hujus spiritu animati factiosi Patres isti nihil deinceps egerunt, nisi quod in Ecclesiæ detrimentum vergeret, jam odii sui, quàm Religionis sollicitiores.

Sigismundus aliquot Bohæmos hæreticos mulctat, plures immittit in Turcos cum Hungaris, qui illis magnas intulere clades, multis tamen utrimque cadentibus, & victoriis sæpè Cadmæis, quod exoptabat ipse, ex victoriâ simul & funere suorum proficiens. Inter hæc obiit ipse in urbe Znoymâ Moraviæ 6. Id. Decembr. ex paralysi, annos natus 70. anno regni Hungarici 51. Romanorum 27. Bohæmici 17. Imperii 5. vir pace, quàm bello melior, & in Ecclesiam optimè affectus, sed parum pudicus: unde adulter, uxori suæ sæpè pepercit adulteræ, non ausus mulctare crimen, cujus ipse reus erat. Hanc tamen detruserat in carcerem paulò antè mortem, quia de novis nuptiis agebat, cum Rege Polonorum, in damnum filiæ suæ Elizabethæ. Imperatrix autem libidinosa, mortuo marito, se in omnem luxuriem effudit; vitamque inter formosos concubinos egit, sine pudore, sine pietate, irridens famulas suas Christianè viventes, cùm ea nullius esset religionis, & cui Dea una Venus erat.

Successit Sigismundo Albertus Austrius in regna Bohæmiæ, & Hungariæ, gener ejus, maritus Elizabethæ; vir multis virtutibus illustris, & quem Imperio parem putabat socer, sæpe dictitans regna fore beata, cui talis Princeps imperaret; & in morte illum vaticinatum esse eventus docuit.

Cùm Lusitania quinque fratribus continendis esset angustior, Ferdinandus Avisii Ordinis Magister in Africam transiit, cum sex tantùm millibus armatorum, omnibus expeditionem ejus damnantibus. Obsedit ergo Tingin; sed accurrere in urbis hujus auxilium sexcenta peditum, & equitum 70. millia Maurorum. Post acre prælium, obrutus multitudine hostium, in suis castris obsessus est; itaque rebus suis deploratis, ut sui abirent incolumes, Septam Barbaris reddere pollicitus, hujus fœderis obsidem se, cum præcipuis exercitus sui ductoribus obtulit. Verùm Rex ejus frater hoc fœdus improbavit: itaque in carcere miser ille captivus multis opprobriis vexatus occubuit, anno 1444. post mortem, uti creditum est, miraculis clarus: ejus reliquiæ postea furto sublatæ à Mauro quodam, in Lusitaniam relatæ sunt; cùm ipse factus esset calamitate suâ patientissimè toleratâ felicissimus.

MUNDI 5491. CHRISTI 1438.

Basileenses Concilii sui Sessione XXXI. Eugenium suspendere ab administratione sui Pontificatus, quam ad Concilium devolutam declararunt, ac Fideles prohibiti eum deinceps audire. Institutum insuper Collegium virorum duodecim, trium videlicet ex singulis quatuor nationibus, qui Ecclesiæ Romanæ patrimonium administrarent, à quibus missi Legati à latere, qui ditiones, & urbes regerent: sed eorum plerique defugêre munus, tantaque inducta est perturbatio, ut eâ permotus Julianus, aliique Cardinales, sibi discedendum esse putarent. Unus remansit Basileæ Cardinalis Arelatensis Ludovicus Alemanus, vir magnæ eruditionis, & pietatis, majorisque austeritatis, qui factus est hujus Synagogæ caput; statimque citati qui Eugenii nomine ad Græcos Legationes obiissent; sed hi judices illegitimos sapienter irrisere. *Concilii Basil. magna perturbatio.*

Interea 6. Idus Januarii inchoatum Concilium FERRARIENSE, Eugenio jubente; cui præfuit ejus nomine Nicolaus Albergatus Cardinalis S. Crucis ex Ordine Carthusianorum, cum Archiepiscopis quinque, Episcopis duodeviginti, Abbatibus decem, aliquot Ordinum Generalibus; ac primâ Sessione post duos dies confirmata Concilii translatio; secundâ verò, præsente ipsomet Eugenio cum 72. Episcopis, damnata Concilii Basileensis decreta, pœnaque in eos constituta qui Basileæ remanerent, & in hoc pestilenti Consessu sederent. Inter hæc Venetias appulit 6. Idus Febr. Joannes Imperator Græcus cum fratre suo Demetrio, Josepho Patriarchâ Constantinop. multisque Antistitibus, ferè ad septingentos; qui omnes excepti sunt magnificè Bucentauro, moxque honorati Pontificis Legatione. Nec ita multò pòst Imperator Ferrariam venit splendidè quoque receptus à Pontifice, & ad ejus pedes advolvi prohibitus, sed tantùm ejus osculatâ manu; quem mox sequutus est Patriarcha nave deauratâ, aliique Antistites omnes, magnâ amoris significatione suscepti: hi statim rogavere Pontificem, ut reliqui Principes Christiani vocarentur ad Concilium, & sic eos ad auxilium invitarent, atque permoverent, non minùs Imperio suo, quàm Ecclesiæ providentes. *CONCILIUM FERRARIENSE.* *Io. Imp. Græcus cum suis appellit Venetias.* *Recipitur Ferrariæ magnificè.*

Dum autem Basileenses factiosi damnarent quæcumque Ferrariæ facta essent, aut fierent, ibidem disponebantur Græcorum atque Latinorum sedes sic, ut in medio statuerentur capita SS. Petri, & Pauli, cum Evangelio, sederent ad Dextram Pontifex cum Latinis præsulibus, ad lævam Imperator Ioannes cum Patriarchâ, suisque Græcis. Hanc autem Synodum Orientales quidam *Octavam* dici voluerunt, qui Octavam Constantinopoli habitam rejecerant; & quamquam id aliqui Græci negarent, prævaluit tamen error: atque hæc Ferrariensis in plerisque eorum Codicibus Octava legitur, quæ tamen est Græcorum nona, decima sexta totius Ecclesiæ. Dum autem tempus abiret Basileensibus absentibus præfinitum, ne idem inutiliter tereretur, disceptatum inter Græcos & Latinos de Processione Spiritus Sancti, de Purgatorio, de Primatu Ro. Ecclesiæ, delectis ex utrâque parte disceptatoribus, qui causas jam exagitatas, probè discussas, ac propè confectas deferrent ad Synodum, in quâ, sublatâ omni lite, deciderentur. *Disponuntur in Concilio Latinorum & Græcorum sedes.* *Expectantur P.P. Basileenses.*

Albertus Austrius Kal. Jan. Albæ-Regali coronatus est Rex Hungariæ; 3. Kal. Julii Pragæ, Rex Bohæmiæ; Francofordiæ 13. Kal. April. ab Electoribus Rex Romanorum denunciatus. Bohæmorum tamen obstitere quidam qui Cazimirum *Albertus Austrius Rex Hung. Bohæmiæ, Romanorum.*

rum fratrem Regis Poloniæ annorum 13. adolescentem evocarant, & auxilia Polonorum: inter eos tamen pactæ induciæ curâ Basileensium, & Eugenii, ut Turci Hungariam depopulantes submoverentur. Tum autem contigit inter Germanos suspensio Judicii, quæ *Neutralitas Germanica* dicta est, ad annos octo producta, ab Eugenio, & Basileensibus damnata; cùm tamen utrique parti favere Albertus videretur, jussis Basileæ hærere Legatis, quos Sigismundus miserat: quare iidem Patres assignavere pecunias in Austriâ collectas ex Indulgentiis pro viatico Græcorum, sic delusâ, atque detortâ Fidelium liberalitate.

*Neutralitas Germanica.*

Basileenses Formatas conficiunt quas vocant *Veritates Fidei*, multasque adversùs Eugenium criminationes proferunt. Quas cùm recepisset Carolus VII. Franciæ Rex, edixit primò ne quis Francorum Præsulum Ferrariam se transferret (cui tamen aliqui minùs paruerunt) deinde per Legatos suos egit Basileæ, ne quid adversùs Eugenium decerneretur. Incertus itaque Rex Christianissimus quid agendum esset, collectis multis Antistitibus regni sui, atque Proceribus, virisque doctis in civitatem Bituricensem Nonis Julii PRAGMATICAM SANCTIONEM edidit: hæc porrò sic vocata est à voce Græcâ in Jure receptâ, in quo dicuntur decreta Πραγματικὰ à Principibus in Concilio procerum edita pro bono Communi. Per eam autem non est receptum in Franciâ Concilium Basileense, ut quidam ineptè garriunt, sed aliqua decreta oblata Regi ex hoc Concilio integra, alia emollita, & modificata: unde nihil autoritatis addidit Concilio, Conventus iste, utpotè qui illud examini suo, judicioque submisit. Verùm enimverò tam Concilium, quàm Conventus Bituricensis, Pontificiis ac Regiis decretis rejecta sunt; & in Ecclesiasticâ, politicâque administratione debent semper priora decreta, posterioribus prævalere. Tum nihilominus Pragmatica Sanctio per totum regnum promulgata est, ipso etiam Clero adnitente, qui dum sibi libertatem vindicare studet, submisit se judicibus sæcularibus, & Pastoris sui dum reformidat pedem, in ora Lupi nonnunquam præcipitavit.

*Pragmatica Sanctio in Francia.*

*An probatum in Francia Concilium Basileense.*

Ferrariæ autem cùm Latini atque Græci de Sessionibus convenissent, & ut disputationes fierent non Rhetorico, sed Philosophico more, Græcis, ut elegerant ipsi, oppugnantibus, Latinis defendentibus, Sessiones XV. vel XVII. celebratæ sunt (earum enim numerus variè initur, cùm aliqui duas primas, quibus non interfuere Græci, admittant, alii rejiciant) & in iis acerrimè disputatum de processione Spiritus Sancti, & an ea vox in Symbolum inserenda esset, *Filioque*, ajentibus Latinis, negantibus Græcis. Ex his disputarunt Marcus Ephesius, Andreas Rhodius, vulgò Colossius dictus, atque Bessarion; ex illis Julianus Cardinalis, & Joannes Dominicanus Longobardiæ Provincialis; sed parvo fructu, cùm Græcis constitutum esset hanc vocem, *Filioque* non admittere, quamquam à Latinis convicti viderentur: itaque illi de reditu suo cogitare cœperunt; sed hunc inhibuere Imperator atque Patriarcha; & quoniam Ferrariæ, grassabatur pestis, Synodum transferri Florentiam probaverunt, sed plus Imperii sui, quàm Ecclesiæ solliciti, hujus concordiam parum aut nihil, illius auxilia modis omnibus procurare conati.

*Disceptatum acerrimè de quibusdam inter Græcos, & Latinos.*

Inter hæc Cardinalis Vitelescus, qui tam egregiam operam Renato Andegavensi & Ecclesiæ adversus Arragonium Alphonsum navarat (quâ ex causâ, ignoratum est) expeditionem suam flagitiosè deseruit; sed & addidit flagitio proditionem: nam induciarum tempore, Alphonsum tantùm non intercepit, facinore quod Christianum, multò magis Patrem purpuratum dedeceret.

*Car. Velesci rum suam pedi flag*

Renatus autem emptâ libertate grandi pretio à Philippo Burgundo, venit in Italiam, & movit in Alphonsum, qui tamen ei fraudibus ac dolo superior extitit. Dum autem Renatus in aliis versaretur locis, ipse Neapolin regni caput obsedit: verùm cùm in eâ obsidione Petrum fratrem amisisset, & copiosi de cœlo imbres ruerent, abire re infectâ compulsus est. Hic autem Petrus Tormentum bellicum displodi jusserat in Basilicam Carmelitanorum: cujus pila cùm elisura esset caput imaginis Christi de Cruce pendentis, demisit caput; Imago ut globus irrito ictu supervolaret: at die sequenti emissa ex eodem loco Tormenti pila, eundem Petrum interemit. Servatur etiamnum hæc Imago Neapoli ad perpetuam miraculi, pœnæque memoriam.

*Ren. libe in I*

*Ima Cru der cap*

Bellum Philippus Mediolanensis, duce Picinnino, contra Venetos & Florentinos Imperatore Sfortiâ gessit: quando in subsidium Brixiæ Serbelus Cretensis in lacum Bennacum per 200. millia passuum, per montes, & aspera loca 2. triremes, 4. celoces, 25. scaphas, deficiente hic ligno, pollicitus est, & quod promiserat (quod majus miraculum fuit) non Græcâ præstitit fide.

*Na net fir lat*

*Pi Di*

Obiit denique Tomari Eduardus Lusitaniæ Rex, cum eò vitandæ pestis causâ secessisset; quâ nihilominus afflatus est acceptâ Epistolâ, anno regni 9. vitæ 47. Reliquit regnum Alphonso V. filio suo sexenni, sub tutelâ matris; sed Lusitani, fœminæ Imperium exosi, abrogato Eduardi testamento huic substituêre Petrum Conimbricæ ducem, Alphonsi Patruum: quod indignè ferens Mater imploravit auxilium fratrum Arragoniorum, & Regis Castellæ, sed frustra; itaque se desperatis rebus in Castellam recepit, ubi miserè periit. Petrum autem socerum licèt, posteà Alphonsus ejecit regno, & armis repugnantem cecîdit, ejusque cadaver diu insepultum jacere sinit, crudeli pietate in matris ultionem.

*Ed Lu cec ph*

MUNDI 5492. CHRISTI. 1439.

Advenere Patres hoc anno diversis itineribus, diversisque Februarii diebus, Florentiam, quò, & Pontifex accessit, declinatis sapienter insidiis, quæ huic à Philippo, vel Alphonso suis hostibus parabantur. Habita est igitur 4. Kal. Martt. *Prima* Sessio SYNODI FLORENTINÆ, quæ erit XVII. vel XIX. si Ferrarienses computen-

*CC LI FL TI*

tentur; in eâ & sequentibus, usque ad VII. actum de his vocibus *Filioque*, vel *per Filium*; ac tandem, uno reclamante Marco Ephesio, decretum, ut Latini dicerent, *Filioque*, Græci *per Filium*; ita tamen ut omnes idem significarent, nec quidquam Filio, & Spiritui Sancto detraherent; immo plerique Græcorum huic voci *Filioque* subscripserunt. Restabant capita de Purgatorio, de Primatu Ro. Ecclesiæ, de fermentato, & Azymo, deque Missæ Sacrificio; dum ad ea excutienda se Patres parant, obiit Josephus Patriarcha è cœnâ in ædem rediens, relictâ tamen schedulâ suo nomine subscriptâ cum nomine Oecumenici, quâ Purgatorium, & Primatum Ro. Sedis admittebat; ipse sepultus Græco funere, sed magnifico. Quibus celebratis exequiis, agitatæ sunt quæstiones: Purgatorio acquievere Græci, eâ lege ut non decideretur, utrum in eo esset ignis, aut caligo, aut turbo, aut aliquid aliud: Azymo item, ut hoc Latini ipsi Fermentato facerent. De Primatu major difficultas extitit, & quæ pœne concordiam discussit; sed ea tandem coaluit, & hic quoque Primatus receptus Græcâ insertâ voce, quæ non satis Latinæ responderet, ut observavit Marcasius. Denique definitio Concilii pronunciata est ab Eugenio, Bullâ quæ incipit *Eugenius*, hoc anno datâ Nonis Junii, Pontificatus sui anno 9. ex computo Græcorum 6947. indictione 2. cui Patres omnes tam Latini, quàm Græci subscripsere, præter Marcum Ephesium, aliumque Græcum, quem Spondanus suspicatur esse Scholarium, Marci discipulum, κακοῦ κόρακος κακὸν ὑιὸν. Actum postea de aliis controversiis, de Sacrificio Missæ, de Chrismate à Sacerdotibus confecto, de confirmatione, utrum esset Sacramentum, quod negabant Græci; sed nihil æquè partem utramque torsit, ac Patriarchæ Constantinopolitani in hoc Concilio electio. Et id maxime optabat Eugenius, atque electo amplum viaticum pollicebatur, cum Patriarchatus Latini apud Græcos abolitione, ut ipse utriusque privilegiis uteretur: verùm restitit pertinaciter Joannes Imperator, nec ullis artibus, aut promissis, ab hâc mente revocari potuit, quasi in eo Imperii; & Ecclesiæ Græcæ cardo verteretur.

Dum autem esset Imperator in procinctu sui reditus, adfuere Armeni Apocrysarii, seu Legati Catholici Armenorum, quærentes à Concilio dirigi, atque doceri. Sed paulò pòst idem Joannes abiit, acceptis ab Eugenio multis beneficiis, cum luculento auxilio, & majoribus promissis; sicque Venetias primùm hoc anno, sequenti Constantinopolin appulit, auctior muneribus, & divitiis, quàm fide, ac religione. Tum autem edita est Professio Fidei ab Eugenio pro Armenis, hoc est Symbolum Constantinopolitanum cum hac voce *Filioque*, recepta ab iisdem Concilia Chalcedonensis, & alia iis ignota, aut hæretica judicata, aliaque ejusdemmodi quæ aliunde repetes. Neque tamen abscedentibus Græcis cessavit Concilium, sed adhuc tribus annis tenuit, actumque variis Sessionibus de Occidentalibus rebus, quas hoc loco prætermittimus; sicut & aliquas in Germaniâ turbas, quia omittere cogimus multa, ne multitudine lectorem obruamus, quem sine tædio suscepimus erudiendum.

*Deponitur Basileæ Eugenius.*

Interea Basileæ Eugenii Pontificis excutiebatur causa, & rationes ob quas hæreticus diceretur, contrà nitente Panormitano Abbate S. Benedicti Nicolao Tudesco, Catanensi, & Burgensi Episcopo, Regis Arragonum Eleemosynario, cum Legatis multorum Principum; ex quâ dissentione natæ fraudes & odia, quæ inter viros magnos numquam parva sunt. Sessione ergo XXX. cui pauci interfuerunt, mirabili artificio, præsulum loco portatæ sunt SS. Reliquiæ, tandem sequenti Sessione missis ab Amedæo Sabaudo omnibus ditionis suæ Episcopis, & Abbatibus, depositus est Eugenius. Et quoniam Basileæ grassabatur pestis, existimabat Cardinalis Arelatensis differendam esse electionem Pontificis; sed aliorum zelus prævaluit, qui dicerent satiùs esse mori, quàm Ecclesiæ deesse; missi ergo Legati ad varios Conventus Francofordiensem, Moguntinum, Bituricensem, ut eos ad partes suas traherent; aliunde contra se invicem rescripsere Eugenius & Basileenses, has accuratè refutavit Joannes à Turre Cremata, vir vegeti, accuratique judicii, cui tamen ipsi responderunt, quoniam viris eruditis nunquam responsiones desunt.

*Eugenius & Basileenses se mutuis conviciis impetunt.*

Sessiones xxxvi. Basileæ editum decretum de Conceptione Immaculatâ B. Virginis, & Festivitas ejus renovata 6. Id. Dec. jampridem in Occidente, & Oriente recepta: quo facto quæ in urbe grassabatur lues extincta est; idque etiam gratiæ B. Virgo seditiosis ac rebellibus indulsit.

*Decretum de Immaculata B. Virg. Conceptione.*

Sessione XXXVII. præscriptæ Regulæ de Pontificis electione; delectique quatuor viri, qui reliquos 28. deligerent quatuor ex nationibus singulis, Italicâ, Gallicâ, Germanicâ, Hispanicâ, à quibus sequenti die creatus Pontifex Amedæus Sabaudus, Eremita Ripalliensis, dictus Felix V. qui primâ Constitutione suâ, Concilium suo nomini anteposuit. Hunc certè negat S. Antoninus sedisse in Petri Cathedrâ, sed Luciferi, & Basileam peperisse Basiliscum; innocens nihilominus extitit, sicut & plerique alii fautores ejus, ut Æneas Sylvius, postea Pius II. quos deceptos esse, quis feret molestiùs, qui eos homines fuisse fateatur.

*Amedæus creatur Pontifex dictus Felix V.*

Hac auditâ Pseudo-Pontificis electione Eugenius in Concilio Florentino 17. Cardinales creavit, & inter Græcos Isidorum Thessalonicensem, & Bessarionem Trapezuntinum, monachos ambos, itemque Archiepiscopum Nicænum; item Joannem de Turrecrematâ, aliosque magni nominis viros, Ecclesiæ tum laboranti Schismate pernecessarios.

*Eugenius Cardinales creat.*

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5498. | 1440. |

Sufficere parabat Joannes Imperator in Orientem redux in locum Josephi Patriarchæ demortui Bessarionem; sed hic redire in patriam suam noluit, sed hæsit in Italiâ cum Georgio Trapezuntino, Gemistio Plethone, aliisque viris doctis, magno rei litterariæ Latinæ commodo. Igitur ejus loco creatus Patriarcha Gregorius

*Gregorius Melissenus creatur Patriarcha Constantinop.*

Mammen, five Meliffenus, dono Prophetiæ illuftris, Hieromacus Protofyncellus, & pater Spiritualis Imperatoris, qui in Synodo Florentinâ locum tenuerat Patriarchæ Alexandrini. Hic poftea ob turbas Græciæ Romam venit, retento tamen titulo fuo, ufque ad captam Conftantinopolin, quo tempore in eâ nullum fuiffe Antiftitem liquet. Marcus autem Ephefius cum difcipulo fuo Scholario in Græciam reduces omnia turbarunt; cui reftitit Bartholomæus de Florentiâ Coronenfis Epifcopus. Cùm autem idem Marcus librum edidiffet in Synodum Florentinam, eum egregiè refutavit Jofephus Methonenfis, ex quo dicimus Marcum morbo comitiali laboraffe, nonnunquam infaniâ, fe ridiculum in Synodo, & extrâ Synodum exhibuiffe, fæpeque ab Antiftitibus pedum ftrepitu explofum effe, atque exfibilatum ob ineptias. Sed & eidem refponderunt fcientiffimè Gregorius Protofyncellus, & Georgius Scholarius, feu Gennadius, aliique Græci; neque eft cur hominem fanaticum, & mentis impotem moremur.

*Marcus Ephefius & Scholarius omnia turbant in Græcia.*

*Inter fe Græci fcriptis pugnant.*

*Ifidorus Archiep. Ruthenorum.*

Rutheni Græcis addictiffimi tum habebant Archiepifcopum Ifidorum virum optimum, qui cum eos Ecclefiæ Romanæ conatus effet adjungere, bonis omnibus fpoliatus in carcerem conjectus eft; unde fugiens Romam venit, ut inde ad novos labores, & majora pericula mitteretur.

*Alberto fuccedit Fridericus III.*

Alberto vitâ functo 5. Kal. Nov. anni fuperioris Francofordiæ, hoc anno electus eft Fridericus III. aut fortè etiam IV. fi Pulchrum æmulum Bavari Friderici annumeraveris. Erat is Auftriæ Dux, filius Ernefti, & Alberti Ro. Regis Patruelis, annos 26. natus, magnæ indolis, & peregrinatione in Terram Sanctam illuftris, dictus *Pacificus*. De die autem quo electus, & coronatus eft, non liquet; hoc certiffimum, eum ampliùs 53. annis Imperium tenuiffe, atque in familiam fuam Auftriacam, magno Ecclefiæ bono, id transtuliffe, pietatis fine dubio præmium & Religionis, quæ huic familiæ femper innatæ fuerunt.

*Turbata Bohæmia & Hungaria Alberti morte.*

Alberto Rege Hungariæ & Bohæmiæ mortuo, hæc duo regna turbata funt imprudentiâ Elizabethæ Reginæ, quæ relicta cum duabus filiabus, & prægnans, parere timens fœminam, paffa eft Hungaros fibi præficere Wladislaum Poloniæ Regem. Sed cùm poftea filium pepeviffet, regnum fervare noluit, unde magnæ concitatæ funt turbæ, Hungaris inter Wencestaum & Ladislaum divifis, inter quas Elizabetha cum filio ad Auftrium confugere coacta eft. Oblatum autem fibi regnum à Bohæmis Albertus & Fridericus recufarunt; fed hic paffus eft adminiftrari regnum per Gubernatores duos, unum Catholicum, alterum heterodoxum, donec Ladislaus adolefceret, exemplo nobiliffimæ magnanimitatis.

*Eugenius, & Bafileenfes fefe anathematis devovent.*

Seffione XL. Bafileenfes Patres fecere poteftatem Felici fuos Cardinales creandi: verùm auctoritatem ejus modis omnibus infregerunt, eumq; verè *Servum Servorum Dei* conftituerunt.

Eugenius Florentiæ Seffione XXVIII. 10. Kal. April. Amedæum, electores ejus, fautores, nifi intra 50. dies ad fanam redirent mentem, ut hæreticos, & Schifmaticos anathemati fubjecit: cui è contra Bafileenfes Seffione XLI. anathemate refponderunt, damnantes Gabrielem (fic vocabant Eugenium) ejufque fententiam Hæreticam, & fcandalum parientem declarantes. Interea venit Bafileam Felix V. ubi & coronatus eft, Epifcopis Cardinalium vices explentibus, nihilominus eâ pompâ, quæ Principem Sabaudum deceret: ut autem ei ad dignitatem tuendam reditus fufficerent, qui in Eugenio Annatas damnarant quintum ei denarium beneficiorum affignarunt, & in aliud quinquennium decimum denarium: quod tamen id decreverunt, ut Principes, aut nationes non offenderentur, in miferum Pontificem omnis derivaretur invidia.

In Franciâ habito Biturigibus Conventu præfulum, atque procerum, cui etiam interfuere Legati utriufque partis, pro Bafileenfibus Thomas de Curcellis, pro Eugenio Joannes de Turrecrematâ Hifpanus. Hic Rex, omnibus auditis, adhæfit Eugenio, eumque uti legitimum Pontificem à fuis agnofci juffit, & Pragmaticam accuratè obfervari Sanctionem, ut fic Ecclefiæ Regniq; commodis confuleretur. Reliqui Principes abierunt in partes, prout eorum res non religio, exigebant. Felici autem plurimùm fua parcitas obfuit, qui fi collectos effundere thefauros tum voluiffet, multos fibi conciliaffet, à quibus periculum imminebat Eugenio: fed paffus eft Deus virum alioqui liberalem, in hoc cafu fordidum effe, ut Ecclefiæ rebus parfimoniâ fuâ imprudens adlaboraret.

Hoc anno Cardinalis Vitelefcus copiarum Pontificiarum Dux egregius, vocatus in fufpicionem affectati Principatus, in Ponte S. Angeli à Præfecto urbis captus, vulneratufque, ex mœrore aut veneno in plagam indito periit, tum honore tumuli privatus, quem poftea propinqui ejus marmoreum Corneti curarunt; vir alio genere mortis propter egregia facinora dignior. Huic fuffectus Ludovicus Mediarota, five Scaramus, ex medico factus Archiepifcopus Florentinus, & Patriarcha Aquilejenfis, æmulus Vitelefci: qui mox Picinninum Etruriam invadentem magnâ repulit clade, fed victoriâ quæ SS. Apoftolis Petro & Paulo potius quàm ejus armis & induftriæ fuit adfcribenda.

Bellum inter Anglos, & Francos hoc anno recruduit, dum illi Aquitaniam, & Normanniam repetunt, hi præfcisè negant. Convenere quoque tum Graffatores ex militibus exautoratis vulgò dicti ***Excoriatores***, & ***Armaniaci***, qui Galliam fœdè vaftarunt, & Bafileam ufque procurrerunt, Eugenii (fi Deo placet) vindices. Sed retufi à Germanis cum multis vulneribus atque dedecore redierunt, ac difparuerunt.

Eft hic quoque annus celebris concordiâ Philippi Burgundi, cognomento Boni, cum Aurelianenfi familia: quando ille Carolum Aurelianenfem captivum in Angliâ à tempore cladis Azincurtianæ per 25. annos redemit quadringentis millibus aureorum, eique dedit uxorem, neptem fuam Mariam Clivenfem. Accepit Ordinem Velleris Aurei Carolus, Philippus Hiftricis, quem Ludo-

Ludovicus Caroli Pater condiderat, sublatæque simultates Francico nomini pæne fatales.

Quidam ad hunc annum Typographicam artem referunt, ex litterulis simul junctis, & illitis atramento, papyro desuper appressâ; quam tamen alii maturiùs, alii tardiùs excogitatam volunt; opus mirabile, & quod non satis citò in rei litterariæ commodum debuerat excogitari; de quo iterum agemus ad annum 1460. quo perfectum fuisse putamus; quando & de ejus inventoribus agemus, qui tam egregii facti gloriâ carere nequaquam debent.

## CAP. V.

### *Decas Quinta.*

*Ab anno Christi* 1440. *ad* 1450.

MUNDI 5494. CHRISTI. 1441.

JAcobitæ Orientales hoc anno ad Concilium Florentinum admissi sunt, quorum Patriarcha Joannes Andream Abbatem Monasterii S. Antonii in Ægypto Legatum miserat: data his fuit Expositio Fidei, quâ eorum confutantur errores; sicque cum Græcis & Orientalibus confecta pax, præcipuis earum partibus illustratis, ac devinctis Basileæ quoque Sessione XLIII. institutus est festus dies Visitationis B. Virginis 6. Non. Julii, ad impetrandam Ecclesiæ concordiam, dum eam ipsi destruerent; & Pontifice suo, tanquam stipite adornato ad pravos animi sui motus abuterentur. Tum autem huic concessere in Sabaudiâ Ecclesiam unam, unum Monasterium, unumque beneficium, quibus eum sibi devincirent, dùm ipsi majoribus, & pluribus, & melioribus inhiarent.

Moguntinus Conventus in causâ Schismatis multos Legatos audiit; in eo tamen Legati Concilii Basileensis Cardinales Purpuram deponere coacti sunt, nec aliter auditi. In Amedæum perorarunt acriter, & Basileenses Joannes Carvajalius, & Nicolaus de Cusa. Decretum est tandem hic novum Concilium, & aliud à Basileensi, atque Florentino quo duorum Pontificum controversia dirimeretur; utraque pars scriptis defendit suum, & iis Apologiis duntaxat, quantùm essent à verâ concordiâ disjuncti, demonstrarunt.

MUNDI 5495. CHRISTI. 1442.

Hoc anno quo contigit infensissimum in Longobardiâ frigus, ac nives copiosissimæ defluxere, nunciatum Sessioni XXX. Florentinæ adesse Legatos Regis Æthiopiæ Zara Jacob, hoc est *Semen Jacob*, quem vulgò Presbyterum Joannem, vel Preste-Joannem vocant. Quis autem fuerit ille Princeps, & quibus nominibus dictus, repetes ex Nicolao Godingo, quem te legisse nequaquam pœnitebit. Tum etiam Concilium Florentiâ in Basilicam Lateranensem translatum, ut ex loco plus authoritatis haberet; quod vehementer improbavere Basileenses, & invitati ab Eugenio per Legatos, quo essent in eũ animo demonstrarunt.

Francofordiæ coram Friderico alter Conventus habitus est, ad quem utriusque partis quoque Legati convenere; quem tamen Cæsar tantisper detinuit, ut Aquisgrani Rex Roman. coronaretur. In eo statutum est novum in Germaniâ Concilium, in quo de vero Pontifice statueretur. Et huic acquievere Basileenses, cùm Fridericus ingredi Basileam recusasset, nisi hoc sibi promitterent. Congressi sunt igitur Basileæ, Fridericus & Felix, nec habitus hic ab illo Pontifex, oblatâ tamen priùs excusatione, ut ipse ad concordiam sanciendam aptior videretur.

Eugenius respondet Legatis Francofordiensibus mirari se peti Concilium, cùm legitimum celebraretur; se tamen consultaturum de hoc negotio cum Patribus. Erexit tum animos Basileensibus Sfortia, iis offerens arma, in odium Eugenii; sed huic nihil præter metum attulit, ut illos spe inani lactavit. *Sfortia turbat Eugenium.*

Alphonsus hoc anno Neapolin occupavit, immisso per cuniculum aquæductus milite, quem ipsi Faber Cæmentarius indicarat, ex urbe fame pressâ diffugiens. Renatus Andegavensis functus officio boni Ducis, ac militis, in arcem se recepit unde conscendit naves Genuenses, quæ hic stabant in Ancoris, & commeatum attulerant; quæ si pridie suos in terram exposuissent, dubiã reddidissent victoriam. Pisas ergo devectus Renatus, inde Florentiam venit, exinde in Gallias; Alphonsus ingressus urbem, de Francis, Neapolitanis, Pontificiis magnificè triumphavit. *Alphonsus Neapolin occupat.* *Renatus fugit in Galliam.*

Amurathes post septimestrem Belgradi, seu Albæ Græcæ, obsidionem, infectâ re abire compulsus est, tribus insuper magnis cladibus affectus à Joanne Huniade Waivodâ Transylvaniæ, quem Turci Jancum, alii Corvinum vocabant, à vico in quo natus erat. Eo autem duce Turcus acerbiorem hostem nullum expertus est, & sub quo fortitudo Christiana magis enituerit. *Belgradi obsidio solvitur, & Turcus malè afficitur ab Huniade.*

MUNDI 5496. CHRISTI 1443.

Principes Constantinopolitani inter se dissentiunt, & Demetrius junior rebellans in fratrem, Turcorum auxilio Urbem, ac Joannem fratrem obsedit: pacem tamen cum eo statim iniit, & tamen nondum satis citò. *Motus fratrum Græcorum.* *Nic. Albergati Card. moritur.*

Mortuus est hoc anno Cardinalis S. Crucis Nicolaus Albergatus Carthusianus, quem ægrotantem, noctu sæpe invisit Eugenius. Obiit ex calculo bilibri in ejus vesica reperto; quem reliquiarum loco servavit Pontifex, quò ejus sanctitatem Orbi testaretur; quod fuit propemodùm hunc virum Beatis adscribere.

Interea Alphonsus deludebat Eugenium, & Felicem, certus ei adhærere, qui pinguiores conditiones offerret. At demum dum inconcessa postulat de industriâ à Felice, ab eo recedit, & se dat Eugenio, qui etiam huic non concedenda dedit, indigna Rom. Pontifice, & quibus Monarchia Sicula visa est confirmari. Quare statim Alphonsus revocat Legatos suos ex Concilio Basileensi, omnesque sibi subditos Prælatos Basileã deserere jubet. Tum rediit in Italiam Panormitanus, positâ purpurâ, obiitque post duos annos Panormi; in cujus tumulo Musa cecinit ingeniosè, cum eo Canones, & jura, & leges cecidisse. *Alphonsus Eugenium agnoscit Papam legitimum.*

Basileenses Sessione ultimâ, & XLV. statuunt Con-

*Concilium Basileense terminatur.* Concilium post triennium in urbe Lugduno celebrandum esse; quod si fieri non posset, assignata Lausana, in quâ tum, vel Genevæ morabatur Felix, nec invitatus licèt redire volebat Basileam. Tum autem, factâ sibi à Concilio potestate, creavit Cardinales quinque, sed duos tantùm publicavit. Sic terminatum est Basileense Concilium multiforme, initio Ecclesiæ commodum, tandem perniciosum, atque ita - *turpem desiit in piscem mulier formosa supernè.*

*Accusatur apud Pontificem Tostatus.* Accusatus est apud Eugenium hoc anno Alphonsus Tostatus Hispanus, qui Madrigalæ in Vaccæis natus, volumina nobis editionis Venetæ 26. reliquit, pollicitus aut veriùs minatus centum. Impugnata sunt ejus dicta aliquot à Joanne de Turrecrematâ Dominicano, cui idem Tostatus opposuit suum *Defensorium*: id autem submisit arbitrio Summi Pontificis, sicque se non eruditum modò, sed & verè Catholicum ostendit; quod est omni doctrinâ illustrius, & optabilius.

*Eugenius Ecclesiæ paci & bonis providet.* Eugenius Senis, ubi nonnihil hæserat, profectus, Romæ magnificè suscipitur, unde toto decennio abfuerat, sublato priùs vectigali quod fuerat impositum; quare Populus cum magnis acclamationibus prosecutus est. Hic Concilium ad Lateranum indixit; mox omnem curam adhibuit, ut Picenum eriperet Sfortiæ, usus Alphonso Arragonio, & Picinnino Duce Philippi Mediolanensis; ne raptor bonorum Ecclesiæ diutiùs in suo hæreret sacrilegio.

*Huniades Turcos sæpe vincit.* Wladislaus Rex imperat Huniadi, ut Turcos ad Moravum fluvium castra collocantes invadat; hic nocte concubiâ cum decem millibus equitum Barbaros aggressus, eorum triginta millia cecîdit, quatuor millia cum novem signis cepit, cæteris fugâ dilapsis ad centum millia. Hinc processit ad fines Thraciæ, & Macedoniæ, ubi objectum sibi Carambejum Præfectum Asiæ cepit, ejusque copias grandi cæde delevit; & nisi Christianis patientia defuisset, periclitabantur res Turcarum in Græciâ: Pugnæ ad fluvium Moravum Georgius Castriotus interfuit, qui sponte,

*Scanderbegus ab Amurathe deficit.* vel coactus cedens Huniadi, Secretarium Bassæ scribere compulit litteras ad præfectos Crojenses, & Epirotas, ut ei urbes redderentur: quare mox Crojæ receptus est, unde ex Epiro Turcos submovit; cujus viri jacturam pluris fecit Amurathes, quàm omnes acceptas clades, in hoc homine se copiarum nervos ratus amisisse.

MUNDI 5497. CHRISTI. 1444.

*Rhodus fortiter resistit Ægyptiis.* Sultanus Ægypti Rhodum obsidet; sed adeò fortiter Hospitalarii restitere, ut inde fugeret cum ignominiâ, & disceret urbem expugnari non posse, cui Equites essent pro muro vivo, atque spiranti.

*Bellum in Turcos Christiani parant.* Christiani in Turcos hoc anno magnum bellum parant, magnoque apparatu navalium & terrestrium copiarum, etiam Sultano Carmaniæ sollicitato, ut Amurathes ejiceretur ex Europâ. His territus Turca, pacem honestis conditionibus offert; & verò fœdus initum est inter eos, sed cujus mox Christianos puduit. Itaque suadente Juliano Cardinali pax abrumpitur flagitiosè, & movetur in Turcos, cùm Amurathes delusus in Carmaniam trajecisset. Sed mox recurrit in Europam; trajectoque Genuensium operâ Bosphoro, Christianis ad Varnam occurrit 4. Id. Novembr. Pugnatur utrimque acerrimè, & diu anceps fluctuavit victoria: sed demum Wladislaus fortissimè pugnans cæditur; ejus resectum caput impositum pilo, Turcorum erexit animos, Christianorum abjecit; fugit Huniades ipse, sed detentus est à Draculâ Waivodâ, qui ejus capite filii sui caput redimere decreverat. Cæsus & Julianus Cardinalis Legatus à naviculario, uti creditur, ut ejus auro frueretur; Christiani magnâ affecti clade; Amurathes, de more, elatus non est, verùm ultorem se violati fœderis à Deo putavit electum, qui & tum Cadmæam victoriam se retulisse professus est, & similem victoriam hostibus suis exoptavit. Verùm & paulò pòst grande periculum adiit: cùm enim ex captivis Polonis juvenes formosissimos nobiles duodecim selegisset ad nefariam libidinem, ac Circumcisionem, hi de interficiendo Principe turpi cogitarunt, cumque jugulassent, nisi perfidioso captivo meditatum facinus indicassent: ab eo igitur proditi, & capiendi clausis cubiculi foribus, mutuis sese vulneribus confecere, & mori fortiter & pudicè, quàm impiè & luxuriosè vivere, Christi (uti piè credi potest) martyres maluere. *PUG… V A… NEN… infel…*

Induciis inter Francos & Anglos initis, susceptæ sunt expeditiones duæ, una à Ludovico Delphino, alia ab ejus patre Carolo VII. Hic Metas urbem obsedit in gratiam Renati Siciliæ Regis, quæ se liberam dicebat esse: quinque autem mensibus expugnata, tandem libertatem suam redemit ducentis millibus aureorum Carolo persolutis, & centum millibus sibi debitis, quæ remisit Renato; quod profectò fuit potius cauponari bellum, quàm belligerare. Ludovicus verò Suitios aggressus cum collectitiis militibus exautoratis, eos sæpe vicit, Montempelgardum cepit, Basileenses semel, & iterum retudit, ubique victor: donec amisso duce sibi à Friderico dato, regionis ignarus, & à Germanis, & Helvetiis, quos depopulatus erat, valdè pressus rediit in Franciam, quam militibus teterrimis cum hostium pernicie repurgaverat. *Am… the… por… a … bu… nis.*

Celebrata Romæ Sessio XXXI. Synodi Florentinæ, Romam translatæ, in quâ data professio Fidei Syris, & eorum Archiepiscopo Abdalæ; gratiis actis Deo, quòd tam multi Populi, in Ecclesiæ concordiam rediissent. *Syn… Flo… Sess… XX…*

Hoc anno S. Bernardinus Senensis Franciscanus, vir eloquentissimus, atque piissimus, obiit Aquilæ in Vestinis; ubi etiamnum corpus ejus integrum visitur, multisque miraculis inclarescit, quibus & corporibus, & plus quoque animis profuit. *Ob… Ber… nu… fis.*

MUNDI 5498. CHRISTI. 1445.

Mortuus est hoc anno Joannes Palæologus Imperator Constantinopolitanus, cùm imperasset annis 24. vel 27. secundùm varia Imperii ejus initia: vixit annis 57. decem mensibus, & diebus aliquot. Successit ei Constantinus frater, ex superstitibus natu major, nominis hujus XV. adversùs *Ioa… laol… suc… Con… nus*

versùs quem Demetrius frater turbulentus insurrexit, quia Porphyrogenetus erat, hoc est Imperatore patre natus: verùm huic antepositus est, & à Græcis, & ab Amurathe Turcâ, Constantinus: eò enim redacti erant Græci, ut id absque ejus consensu præstare non possent. Porrò hic dictus est Dracones, seu Draco, ob bellicam fortitudinem, quando Peloponnesum, & Hexamilon defendit, generosior utique quàm fortunatior.

Ladislaus tum renunciatus est Hungariæ Rex sub tutelâ Joannis Huniadis, qui interim Gubernator regno cum summâ potestate præesset; ut autem illum redderet Hungaris Fridericus adduci non potuit, quamquam hujus Huniades provincias aliquas desolasset. In Poloniâ verò electus est Casimirus Wladislai frater, qui tamen nonnihil tergiversatus est, atque ea cunctatione ferè perdidit regnum, jam plerisque in Boleslaum Mazoviæ ducem inclinantibus; quia semper hujusmodi beneficium periculosè rejicitur.

Missus hoc anno à Friderico ad Eugenium Æneas Sylvius, ab eo non tantùm veniam, sed & amicitiam obtinuit, factus ei à secretis; nequaquam tamen deserto Cæsare; quia tum duobus Dominis servire, nec erat jubentibus, nec obsequenti perniciosum.

Romæ decretum est factum de Chaldæis, & Maronitis recipiendis; qui tum Ecclesiæ restituti sunt cum magnâ Eugenii voluptate, exteris & Orientalibus ad eum accedentibus, cùm domestici, & Occidentales ab eo flagitiosè deficerent.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5499. | 1446. |

Hoc anno Germania Eugenio planè reconciliata est favore Friderici, industriâ Æneæ Sylvii, concessis sapienter nonnullis quæ à Germaniæ Proceribus optabantur, aliis dilatis, aut elusis: re itaque tractatâ *Neutralitas* illa famosa Germaniæ sublata est; Eugenius Germanos Ecclesiæ filios, illi Pontificem agnovere Patrem, cum omnium utilitate.

Tum Basileenses, rebus suis planè deploratis, verè atque ex animo petiere Concilium ad tollendum schisma; depositis jam tumentibus animis, quibus etiam Reges, & Imperatorem audire recusabatur; sic eos sapere malus officii magister timor adegit.

Genua hoc anno fœdissimis tumultibus agitata est, ob Ducatum Reip. & administrationem ab Adorniis, Fulgosis, & Fliscis prensatam. Utrùm autem ab iisdem evocati sint Franci, non liquet, cùm id hi asserant, Genuenses negent: hoc certum eos amisisse Finale oppidum, quod hoc anno Carolus VII. occupavit, dum illi suorum obliti mutuis sese discordiis lacerarent.

Nec turbæ minores in Angliâ contigere: Margarita enim uxor Henrici VI. mulier ingeniosa, & fortis quantùm fœmina patitur, maritum suum impulit, ut regni susciperet administrationem, cujus curam omnem in Humfredum Glocestriæ Ducem transfuderat, ut ipse quietus viveret, aut potiùs otiosus. Submoto igitur à Regni negotiis Humfredo, multæ huic sunt intentatæ accusationes, potissimùm crudelitatis, quas ille dum contemnit, quasi nihil metuens, & nullius culpæ sibi conscius, Procerum jussu (ne tumultus fieret) noctu strangulatus est, cùm ab obitu Henrici V. annis viginti quinque regnum administrasset, & apud plerosque magnâ laude integritatis; sed tum æmulorum vis, & Reginæ crudelis æmulatio prævaluit, iratæ quod nuptias suas prohibere conatus esset, ut Regem cum Armaniaci Comitis filia copularet; quod connubium impediisse potiùs Carolum Francum, quàm Humfredum certum est; sed metuendæ sunt in primis ab hac parte mulierum potentium etiam suspiciones. *Humfredus Anglus caditur.*

Dominicâ Palmarum Dordracum ruptis aggeribus inundatum centum hominum millia perdidit cum pecoribus, & armentis, ac rebus omnibus, quâ clade vix quidquam legitur in historiâ tristius, atque truculentius. *Dordracena eluvies.*

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5500. | 1447. |

Confectâ Germanorum pace cum Eugenio, post sex & decem dies inter gratulationes idem Eugenius IV. obiit 7. Kal. Mart. annos natus 64. cùm sedisset annis 16. minùs diebus octo, vir sine exceptione maximus, ac perniciosis hisce temporibus dignissimus; quibus non modò peritè rexit Petri naviculam, verùm & eâ multos naufragos excepit. Huic datus successor prid. Non. Martii Thomas Sarzanensis tenui genere ortus, patre medico, matre Gallinarum, ovorumque propolâ; vir doctissimus, & omnibus corporis animique dotibus illustris; omnique operâ Pontificatum amolitus à se, & quem tandem nonnisi invitus, ac prope coactus suscepit. Porrò in memoriam Nicolai Albergati, cujus domesticus fuerat, dictus est Nicolaus V. coronatus 14. Kal. August. cujus primum opus fuit tentata pax cum Philippo, Venetis, Alphonso, atque Florentinis, ut se pacis Angelum ostenderet. *Eugenio IV. succedit Nicolaus V.*

Habitum est paulò pòst Concilium, seu veriùs Colloquium Lugdunense, in causâ Schismatis; ad quod multi confluxere. Hîc statutum conveniendum Felicem V. Genevam, ubi tum compositi aliquot articuli, quibus si Nicolaus assentiretur, idem Felix Pontificatum deponeret; sicque magna patuit ad plenam, optatamque concordiam janua. *Tentatur de pace Felix V.*

Obiit hoc anno Philippus Dux Mediolanensis annos natus 57. Idib. August. uti vixerat impiè, sine Sacramentis, & verè moriens oblitus sui, qui vivens oblitus erat Dei. Ejus autem vitia quis recenseat? aut quis in eo virtutes inveniat? De ejus successione, cùm mortuus esset sine prole, multi disceptarunt; Fridericus Cæsar, Alphonsus Arragonius, & Carolus Dux Aurelianensis, ut pote natus ex Valentinâ Philippi sorore, & filiâ Joannis Galeatii primi Ducis Mediolanensis, cujus jus certius, atque exploratius videbatur. Cùm autem Mediolanenses se in libertatem vindicare voluissent, huic impares operi, pressi à Venetis, & Sfortiâ, huic se dedere compulsi sunt; unde magna sunt enata bella, nec aggredientibus ipsis utilia, multò minùs appetitis. *Philippus Dux Mediolan. moritur.* *Ejus hæreditatem multi prensant.*

*Poloniæ Rex coronatur Casimirus.* Hoc anno Poloniæ Rex coronatus est Casimirus, qui in publico consessu Nicolaum, non Felicem Papam agnovit; ideo aliqua obtinuit ab illo in bellum Turcicum, non tamen omnia, ut id fecisse liberè Poloni viderentur.

*Laurentius Valla mulctatus.* Laurentius Valla Romanus, Latinitatis purioris, quam vitæ, Neapoli dixit aliqua quæ saperent hæresin; & detrusus in carcerem igne combustus esset, nisi huic vitam Alphonsus impetrasset; ejus tamen scripta flammis absumpta sunt; ipse privatim virgis, post terga manibus revinctis, per claustrum Cœnobii Dominicanorum egregiè vapulavit, ut meliùs deinceps loqui disceret, ac sentire. Fuit enim vir elegantis sed & atrocis styli, qui & Augustinum, Hieronymum, Boëtium pupugit, ausus etiam impiè jactare sibi adversùs Christum, spicula in promptu esse, ne cuiquam parcere videretur, ut ab eo sibi omnes metuerent.

MUNDI 5501. CHRISTI. 1448.

*Carvajalius Rockysanam Hussitam confundit.* Misit hoc anno Pontifex in Bohæmiam Joannem Carvajalium Legatum, qui magnum discrimen adiit ab Hussitis, quoniam recusabat consecrare Rockysanam Archiepiscopum Pragensem, & lupum ovili Christi præficere. Tum autem Rockysanam in disputatione, quàm hic toties postularat elinguem reddidit, ultra hæc tria verba nihil proferre valentem *Æternum Patris Verbum* iisdem ex intervallo sæpe repetitis; at Carvajalius orationem ejus memoriâ mirabili, spirituque confecit; quamobrem multi ad fidem rediere, divinū credentes opus, seu magistri sui stupore tacentis, seu æmuli gratiâ, orationem ejus proprio marte conficientis, & absolventis. Recessit tamen paulò pòst indidem Legatus; quando & Hussitæ in Maynardum Gubernatorem rebellantes Pragam Pediebraccio tradere statuerunt. Et verò hunc apertâ portâ, ignèque admoto nonnullis domibus admiserunt in Urbem, Maynardumque in carcerem veneno dato necaverunt, sic hæretici prævaluere, resistentibus tamen utcumque Catholicis; sed fide, quàm armis potentioribus.

*Hussitæ Pragæ prævalent.*

Joannes Huniades dum ignominiam acceptam in pugnâ Varnensi parat abolere, majorem à Turcis accepit cladem. Proditum enim à Georgio Despotâ prævenit Amurathes, diligentiâ sua Scanderbegum eludente, qui eodem tempore Turcos aggredi promiserat. Certamen non detrectavit Huniades, licèt imparibus copiis, in planitie Rigomezoviæ, seu Cossovæ, in quâ totis pænè diebus tribus decertatum est; tandemque cæso Zechele Huniadis sororis filio Walachiæ præfecto, magnâq; parte Procerum, & nobilitatis, victi sunt Christiani; fugit Huniades, itatamen ut magnum Ducem suis reservaret. Neque enim hic audiendi Turcæ dum eum ignaviæ, ac timiditatis arguunt, quorum calumnias ipse ferro sæpe refutavit. Fugit ergo Huniades equo perniciosissimo, quem deserere cū armis coactus est triduò impastus ac per avia decurrens. Quarto die incidit in latrones duos, qui dum de ejus Cruce aureâ disputant, unius arripuit gladium, quo percussit unum, alterum fugavit; & deductus est per rusticulum Senderoviam, cùm in aliud castrum ire cogitaret, ubi Georgii Despotæ jussu retentus, dimissus non est nisi dato obside juniori filio Ladislao, quem tamen armis idem mox recepit. Cæsa in hoc prælio Christianorum 8. millia, Turcorum triginta quatuor millia; post victoriam lixæ omnes, calonesque qui se animosè defenderant, & donec iis arma deessent, cum omnibus sauciis, & captivi trucidati sunt; qui fugerant rerum omnium egeni Hungariam repetierunt. Amurathes in loco certaminis suum celebravit Pascha, ubi & octo millia Walachorum qui deserto Huniade, se illi dederant, circumfusos concidit, ultus magnificè proditionem, & impietatem Christianorum.

*PRÆLIUM COSSOVENSE.*

*Huniades ægrè elabitur.*

*Felix ... multi ... vocantur ... Schis...* Actum hoc anno de revocando Felice, à Carolo ejusque filio Delphino, & Friderico; sed fortiùs longè à Ludovico Sabaudiæ Duce, Felicis filio; qui & Bolomerium pacem dissuadentem, multorū aliunde criminum reum, lapide ad collum appenso præcipitavit in lacum Lemanum, ut hic discordiæ, quâ flagrabat, sitim extingueret.

*In S... trion... vi ...* Carolus Canuti filius, ex antiquis Gothorum regibus exortus, mortuo Christophoro Rege, trium regnorum Princeps electus est. Dani quoque & Norvegi elegere Christianum, seu Christiernum; inter quos Principes de Gotlandiâ Insulâ disceptatum, quæ tandem Danis cessit, Errico antiquo Rege in suam Pomeraniam abscedente, ne nidulo quidem unius parvæ Insulæ huic de tribus regnis reservato.

*Nic... Cus... Car...* Creatus est hoc anno Cardinalis Nicolaus de Cusâ, sic dictus à villâ ad Mosellam, vir omnium disciplinarum laude clarus, antea Basileensis Concilii defensor, mox cum Juliano Cardinali Cæsarino quem secutus erat, desertor, & magnus oppugnator, cujus laudes ejus scripta meliùs, quàm aliena collaudabunt.

MUNDI 5502. CHRISTI. 1449.

*Felix Pont... tum ... cat.* Felix V. hoc anno, potissimùm adnitente Carolo VII. Francorum rege, magno Ecclesiæ bono Pontificatum abdicavit, magnis ei reservatis honoribus, videlicet ut perpetuus esset Legatus in Sabaudiâ, ei venienti Pontifex assurgeret, ille tantùm osculum oris redderet, reservaret ornamenta Papalia præter delationem Corporis Christi, Annulum Piscatoris, Crucem in pedibus, & umbellam, nec unquam cogi posset venire Romam, id factum Lauzanæ in Synodo, ubi à Legatis impensè laudatus est Amedeus, & dictus egisse quæcumque fecerat in bonum Ecclesiæ, ut huic laboranti liberalitate suâ, industriâ, & diligentiâ subveniret: quare cantatus ubique ineptus ille versiculus *Fulsit lux mundo, cessit Felix Nicolao.* Recepti quoque à Nicolao Cardinales Felicis, & veris atque legitimis adnumerati, omniaque constitutionibus, ac diplomatis firmata. Amedeus autem secessum suum Ripalliam repetiit, ut Deo, sibique deinceps vacaret, deposito Pontificatu gloriosior, & sanctior, quàm recepto.

*Sforti... titur ... diol.* Hoc anno, quo promulgatum est Jubilæum, Sfortia potitus est Mediolano, fame presso, repulsisque Venetis auxiliatoribus, cujus ipse Dux crea-

creatus 8. Kal. April. omnibus eum agnoſcentibus præter Carolum Francum, & Fridericum; unde magni belli ſeminarium.

In Hiſpaniâ Alvarus de Lunâ belli civilis author fuit Proceribus in hunc cum filio Regis armatis. Sævitum uti ſolet in tumultibus pluſquam civilibus, meritò ſubditis inter ſe diſtractis, cum Pater & Filius diſſiderent.

Renovatum eſt hoc anno bellum inter Francos & Anglos, captis Fugeriis, atque direptis; quâ de re cum non fieret ſatis, Franciſco primo Duci Armoricæ bellũ & Anglis indictum, authoribus belli. Hoc perdidêre Rothomagum aliaſque urbes, quibus jugum Anglicum propter arrogantiam videbatur, Francis omnibus, intolerandum. Neque tantùm Angli foris, ſed & domi fuerunt infelices; ſeditiones Londini excitatæ, in quibus cæſus Epiſcopus Gloceſtrenſis, Dux Suffoltius conjectus in carcerem, & poſtea interfectus; Regi prope illata vis coacto dedere ſibi gratioſos à populo tum trucidatos; Deo & hominibus Anglorum perfidiam ulciſcentibus.

Bellum in Germaniâ concitatum ab Alberto Marchione Brandeburgenſi in Nureburgenſes, quibus Bavari favebant. Octies ille vicit, uno tantùm prælio victus, cæſis exercitibus, omnibus metuendus; captis aliquot urbibus, nunquam detrectato ſingulari certamine, nunquam vulneratus; ideoque dictus Achilles Teutonicus, ex veritate non ex adulatione.

MUNDI 5503. CHRISTI. 1450.

Amurathes obſidet Crojam urbem, cujus erat ingens propugnaculum Scanderbegus. Itaque Nicolaus egit de mittendis adverſus Turcos auxiliis ut hi agnoſcerent, quid Chriſtiani poſſent niſi diſſiderent.

Celebratum eſt hoc anno Jubilæum Romæ tanto Chriſtianorum concurſu ob redditam Eccleſiæ pacem, ut multi eliderentur, aut in fluvium caderent. Eò quoque venere Proceres, inter quos Comes Duglaſſius ex Scotiâ, ex itinere revocatus à Rege, atque cæſus: Comes item Ciliæ in Styriâ, vir nequam, & qui deterior ex urbe ſanctâ rediit, alter Sardanapalus, & cui ſimile Epitaphium moriens omnibus criminibus coopertus exoptavit.

Inter Sanctos relatus eſt S. Bernardinus, maximè adnitente ejus diſcipulo Joanne Capiſtrano Vicario Ordinis ſui Generali, qui huic celebritati cum 3800. fratribus adfuit. Eorum unus fuit B. Didacus ex Inſulis Canarinis, præfectus conventus ſui, licet laicus multis miraculis tum, ac poſtea clarus, ideoque mox Sancto, quem venerabatur adnumerandus.

Franci hoc anno nobilem de Anglis retulere victoriam ad vicum Forminiacum inter Carentanum, & Bajocaſſes de quâ actæ Deo Pariſiis gratiæ ab Epiſcopo ſupplicatione 12. millium puerorum. Secutæ ſunt multarum urbium deditiones Bajocaſſium, Faleſiæ, Cæſaroburgi; denique ejecti ex Normanniâ Angli Aquitaniæ conſulere decreverunt, cui invadendæ Carolus paratus erat actis ubique gratiis, ut nova ſibi beneficia de cœlo accerſeret.

Strangulatus eſt hoc anno in Armoricâ Ægidius frater Ducis Franciſci, falsò accuſatus ab Arturio Montalbano Nobili Britone, ejuſque cuſtodiæ traditus toto quadriennio, ac fruſtra tentatus veneno, ab ejuſdem Arturii ſatellitibus ſublatus eſt. Ægidius autem, paulò antequã moreretur, Minoritæ, cui detexit peccata ſua, injunxit ut audita morte ſuâ fratrem adiret, eiq; vadimonium intra dies 40. diceret coram Chriſto; & verò intra hoc tempus Franciſcus Dux diem clauſit extremum. Parricidæ variis tormentis, & acerbis necati. Arturus Pariſiis factus Cæleſtinus vitavit mortem, poſtea in gratiam Joannis de Montalbano Præfecti maris, à Ludovico XI. factus Archiepiſcopus Burdegalenſis, avunculus Ludovici Cravilii item Archithalaſſi. Porrò Franciſcus ille Primus Armoricæ Dux in memoriam avi ſui Joannis cognomento *Conqueſtoris*, equeſtrum Ordinem inſtituerat Spicæ, ſeu Muris Pontici *de l'hermine*, ob torquem ex ſpicis intextis ex quo pendebat mus Ponticus cum hac Epigraphe, *A ma vie*, quoniam hoc animal mori mavult, quàm fædari. *Ægidius Ducis Armoricæ frater ſtrangulatus. Franciſcus Dux Britanniæ moritur. Ordo Muris Pontici*

Obiit hoc anno Henricus Landshutenſis Bavariæ Dux cognomento *Dives*, cui ſucceſſit filius Ludovicus ejuſdem cognominis, celebratiſſimæ in Patrem duriſſimum obſervantiæ. Fridericus & Guillelmus Saxoniæ duces hoc anno ſe veros fratres oſtendere: hic enim evocatus ab illo, & admonitus à Conſiliariis ut ſibi caveret, monitores contempſit, fratrique ac ſanguini magis confidens didicit Conſultores Principum, rebus ſuis potiùs quàm dominorum conſulere, atque providere. *Amor fratris in fratrem.*

## CAP. VI.

## *Decas Sexta.*

### *Ab anno Chriſti 1450. ad 1460.*

MUNDI 5504. CHRISTI. 1451.

Amurathes Turcorum Imperator coactus turpiter obſidionem Crojæ ſolvere, quia Scanderbegus ſupra hominem defendebat urbem, ex mœrore, & Apoplexiâ diem clauſit extremum, cùm in convivio nimium hauſiſſet vini. Hic Janizaros ad Phalangem Macedonicam reduxit, pedites militare juſſit, uxores ducere vetuit, eoſq; ſtatariæ pugnæ columen, & robur eſſe voluit. Succeſſit ei filius primogenitus Mahometes II. viginti & unius anni juvenis, adeò Chriſtianos exoſus, ut ſi in eos incidiſſet, ſtatim ſibi oculos elueret aquâ. Statim hic ſe totum militiæ dedidit, omiſſis omnibus aliis vitæ oblectamentis. Quibus auditis Nicolaus V. Græcos ad concordiam invitavit, eiſq; intentavit minas, quas à viro ſanctiſſimo pronunciatas intellexere. Et verò ſeu ſponte, ſeu ab aliis actus in tranſverſum Conſtantinus VIII. Imperator Eccleſiam Latinã oderat. Quominus autem per Iſidorum Cardinalem cum Senatu ſuo revocaretur ad ſanã mentẽ, ingruens Urbi tempeſtas impediit, & à Deo repulſi ſunt, qui toties monentem Deũ rejecerant. *Amurathi ſucceſſit Mahometes II.*

Fridericus Ladiſlaum puerum jam duodennem

*Ladislaus cum Friderico in Italiam pergit.*

nem secum in Italiam ducere parat, eumque subditis suis nisi virum, & aptum regno redditurum negat. Probavere tandem factum ejus Bohæmi flexi per Æneam Sylvium, immo huic egregium Comitatum obtulerunt; tantùm viri sapientis oratio potest.

*Ioan. Capistranus mira in Germania perficit.*

Joannes Capistranus Minorita in Germaniam missus mira concionando præstitit, & in debili, exsuccoque corpusculo magnum sæpe animum, vegetumque latere docuit. Hunc illusoriè ad disputationem provocavit Rockysana Præsul Hussitarum, cùm eum litteris suis invitaret, armis Gyrgischonis Gubernatoris Hussitæ repelleret; adversùs quem cùm egisset, conviciis & probris bonus cœnobita facilè superatus est, cùm hæc hæreticis minùs, quàm Pannuciæ Baucidi deesse soleant.

*Angli pelluntur ex Francia.*

Angli per Dunensem Comitem totâ sunt depulsi Aquitaniâ, etiã de perditâ metropoli Burdegalâ, quæ se dedidit, & redditâ Bajonâ post gravissimam oppugnationem. Sic Anglus deinceps in Franciâ nihil præter Calesium habuit: & hunc contectæ victoriæ Deus cruce de cœlo præluxit: Francorum insignibus in aëre Cruce lucidâ candidâque mirabiliter appictis, & victis ad terrorem, victoribus ad lætitiam ostentatis.

*Navarricæ turbæ.*

Navarra hoc anno filium Carolum Vianæ Principem, contra patrem suum Joannem Arragonium in armis vidit, huic Agramontiis, illi Belmontiis faventibus. Carolus se totum litteris addixerat, & sapienti otio Patris ditionem expectabat: sed eum Patrem novis nuptiis implicitum vidit, in eum, Belmontiis impellentibus, rebellavit. Verùm victus à Parente, paucis, at veteranis militibus depugnante, biennio detentus est in custodia, nullis gustatis cibis, ex timore veneni, nisi quos frater Alphonsus, cui se dediderat, ante prælibasset; juvenis meliori fortunâ, patreque dignior.

MUNDI 55[illegible]5. CHRISTI. 1452.

*Fridericus in Italiam venit.*

Fridericus Rom. Rex in Italiam cum Ladislao Rege Hungariæ, & Bohæmiæ, suoque fratre Alberto, ac magno nobilium comitatu descendit. A Venetis magnificè susceptus, eorum munera vitrea per morionem suum frangenda curavit, ut reciperet aurea. Bononiæ quoque splendidè susceptus à Bessarione Legato & Nicolao Perotto laudatus est, quem ille laureâ coronâ donavit: ut ad Sfortiam invitatus accederet, induci nunquam potuit, plusquam veteribus odiis, quàm amori præsenti credidit indulgendum. Nec minori apparatu subiit Romam; ubi Pontificis pedes exosculatus audiit orationem Æneæ Sylvii, & Panegyricum Ladislai pueri de laudibus primæ Sedis. Coronatus est autem Romæ coronâ simul ferreâ, & Aureâ, cum suâ conjuge idibus Martii, peractisque omnibus ceremoniis Neapolin ad Alphonsium venit, uxoris suæ avunculum, ubi quoque nihil splendoris omissum. Venetias demum rediens Ferrariæ Borsium Marchionem Estensem, virum eximium Ducem Mutinæ, ac Rhegii creavit: ibidemque Galeatium Francisci Sfortiæ Ducis Mediolanensis filium Equitem fecit, multis ab eo receptis muneribus. Sic recessit in suam Germaniam ferè contemptus ab Italis, qui bellicosos Principes, quàm splendido, pluris facere solent.

*Coronatur ibi.*

*Mar... Este... Dux... rina...*

In Austriam cùm rediisset Fridericus, nec reddere vellet Ladislaum, à suis obsessus, eum reddere compulsus est ignominiosè, Hungariâ Huniadi, Bohæmiâ Podiebraccio, Austriâ Ulrico Ciliæ Comiti commendatis. Quibus tamen non meliùs habuerunt se hæc regna, in quibus & ipse Fridericus Imperator, & Nicolaus V. Pontifex contempti sunt, rejectusque Nicolaus de Cusâ Legatus: quæ contingere semper ferè solent Ecclesiæ damna, dum Juniores Principes adeunt regna, per tutores administranda.

*Frid... redd... coa... L... um...*

Talbotus Anglus dux fortissimus, & experientissimus, cum exercitu à Burdegalensibus receptus est; unde & multa oppida vicina, castellaque cepit. Sed eodem tempore per varios fortesque Francos duces Angli impediti sunt: itaque Talbatus pater ad Castellionem in Petracoriensi agro cæsus est cum filio, qui mori cum patre, quàm fugere maluit: unde dedere se compulsi sunt Burdegalenses, gravioribus quàm ante conditionibus, & duabus arcibus deinceps in officio continendi. Angli verò liberi dimissi sunt ex Aquitaniâ, cui ferè annis 300. insederant; eorum Imperio in Franciâ propter arrogantiam semper odioso.

*Ta... An... ...*

Obiit denique hoc anno Genevæ prid. Kal. Martias annos natus 67. cum 4. mensibus Amedeus (antea Felix V.) Ludovico filio Sabaudiæ Duce successore relicto, post mortem, ut à nonnullis jactatum est, miraculis clarus; vir sine dubio magnus, dum se demittere potuit, atque ex Pontifice fieri Legatus Pontificis, & ornamenta Papalia ferre contentus; non titulum atque dignitatem, ut quid potuisset esse, saltem recordaretur.

Nec ulteriùs nos progredi hujus operis granditas, & ubertas materiæ finit; itaque hîc hærendum monet, & sequentem partem, atque ultimam, ab Orientis, & Novæ Romæ casu, ac lacrymis, auspicari.

*Finis Partis III. Tomi II.*

# PARS QUARTA TOMI SECUNDI,

*A CAPTA*

CONSTANTINOPOLI PER TURCAS

*SEU*

Ab anno CHRISTI 1453. ad 1663. exeuntem.

AUTORE

*PHILIPPO BRIETIO*

ABBAVILLÆO

*Societatis JESU Sacerdote.*

Cum supplemento usque ad unum 1692.

## PARTIS QUARTÆ

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.



*QUo magis accedimus ad nostra tempora, crescit hujus operis difficultas; sive ubertas materiæ, sive dicendi ratio consideretur. Quis enim in pauca contrahat recentes omnium gentium historias, & nominatim tot bella, quorum etiamnum damna, vel utilitates propè sentimus? Quis non hic optet laudari majores suos, suaque præclara facinora? præ quibus, à nobis commemorata minoris momenti putet, sive ita se res habeat, sive id de se, suisque rebus cujusque postulet æstimatio. Quibus ut faciamus satis (nec enim quemquam vel ipsa taciturnitate lædere volumus) hoc asserimus, multa nobis imprudentibus excidisse, multa latuisse nos; inter quæ computabit quisque quod his annalibus insertum, vel saltèm verbo perstrictum esse voluisset. Aequi verò bonique consulent reliquæ nationes, si de Francicis plura, quàm de suis dicamus: Cùm enim illa magis explorata sint & certa nobis, utpote ob oculos nostros posita, vel parentum, avorumque nostrorum; Id agemus quod in sua quemque gente fecisse cuperemus, ut sic puriores, atque tersiores Mundi totius Annales procederent. Præterea quoniam de præsentibus loqui periculosum, & de Principibus maximè, qui exemplo suo, & suis perperàm factis subsequentia tempora, nepotesque suos doceri, ac erudiri nolunt; de Magnatibus sic agemus, ut eorum res præclarè gestas exponamus; si quid contra fas, & decorum egerint, ea secuturis historicis, vel audacioribus relinquamus; nisi fortè sic illa occurrant in oculos singulorum, ut ea taceri velle, sit omnium oculos configere, & in meridiana luce tenebras exoptare. Denique & hanc partem, & superiores omnes ita subjicimus Ecclesiæ judicio, atque Pontificis, ut si quid exciderit nobis, quod aut temerè dictum sit, aut falsum, aut non bene concoctum, id relinere, atque expungere parati simus, & pluris religionem nos facere, quàm doctrinam, publicè his Mundi Annalibus profiteamur.*

# LIBRI XV.

## PARS ALTERA.

*Ab anno CHRISTI 1452. ad 1500.*

*Decadis Sextæ*

## PARS SECUNDA.

*Ab anno Christi 1452. ad 1460.*

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5506. | 1453. |

*Obsidetur à Mahomete Constantinopolis.*



Mahometes Turcorum Imperator Constantinopolin obsessurus, arcem extruxit munitissimam ad Bosphorum, non longè ab Urbe, quasi primam obsidionis stationem. Qui potuerant opus impedire Græci nullo negotio, etiam promoverunt, suffectis cæmentis, atque cibariis; tantus erat vel à Turcis metus, vel ab urbis suæ munitione fiducia. Hâc perfectâ, ingentis magnitudinis Bombardas fabricari jubet, quæ lapides pondo mille ducentorum, vel 1000. vel 800. librarent. Ineunte ergo Vere, ambitu 13. milliarium, seu centum & quatuor stadiorum vallo præcingit Urbem; sed quoniam à continente firmissimis mœnibus præcincta erat, navibus 70. per 70. item stadia incredibili labore & industriâ impulsis, atque perductis ad portum, eam à mari aggreditur, ponte insuper solutili fabrefacto, qui murum contingeret, ex quo vægrandibus machinis infirmiora partis hujus mœnia disjiceret. Urbem porrò defendebant tantùm sex Græcorum millia, tria Venetorum, ac Genuensium, adversùs Turcorum ducenta quinquaginta octo millia, & naves trecentas viginti: sed, quod caput erat, hinc Amurathes, illinc staret Constantinus Helenæ filius, tantùm ab alio fortitudine & felicitate disjunctus, quantum anni mille centum viginti, primo atque ultimo numero distinguntur.

*Justinianus Longus enuetur.*

Neque tamen hæc civitas aliquo tempore in sui propugnatione suo Hectore caruit: fuit hic Joannes Justinianus cognomento *Longus*, patriâ Genuensis, qui navium præfectus, Græcorum miseratus ignaviam, Urbis tuendæ curam suscepit, tantâ fortitudine & industriâ, ut illa tantùm hoc destituta ciciderit, sicut eo pugnante steterat, cum gravi damno Turcorum.

Tulere suppetias Urbi obsessæ tres Genuensium naves, Imperatoriæ frumentariæ comites, quæ classem Turcicam universam tam malè mulctavere, ut supra duodecim hostium millia interemerint, & fremente licèt Mahomete, atque in mare cum suis equum incitante, subierint portum, nullo è suis desiderato: quod factum ut Græcos erexit, sic Turcos abjecit; maximè cùm Huniades ex Hungariâ, cum pedestribus copiis, classis Occidentalium mox affutura nunciaretur, qui tamen nuncii timore parum diuturno Turcos, Græcos brevi voluptate perfudere.

*Gen... nav... Tur... terr...*

Tandem decretoriâ oppugnatione Urbem invadere Mahometes statuit, ut aut eâ potiretur, aut se fateretur inferiorem. De eâ admoniti per Haly Bassam Græci, divinam opem diligenter imploravere: nec precibus solitis defuere Turcæ, hac pugnâ rati felicitatem suam, Imperiumque contineri.

*Dec... Urb... pug...*

Die ergo Martis 4. Kal. Junias, Feria 3. ante Festum Corporis Christi Urbs invaditur à Barbaris, sed cum magnâ eorundem strage. Quo in certamine leviter sagittâ vulneratus in crure Justinianus, nullo qui loco suo præesset imprudenter relicto, quasi vulnus obligaturus recessit, nec ullis precibus ab Imperatore potuit revocari. Peram ergò primùm trajecit, inde Chium, ubi ad se rediens, ex flagitii recordatione & mœrore obiit, cùm Urbis propugnationem tam generosè inchoasset, quàm turpiter absolvit; initio supra hominem fortis, in fine infra mulierem ignavus & abjectus.

*Just... nu... fla... des...*

Tum ergo Græcis fugientibus magis quàm repugnantibus Urbs capta; Constantinus Imperator vulneratus, abreptus à multitudine, sæpe cadens, resurgens sæpe, conculcatus tandem, & obtritus interiit; cui & refectum caput circumlatum est ad terrorem Christianorum. Quæ autem monimenta crudelitatis, & impietatis tum ediderint Turci, facilius fuit Græcis lugere, quàm commemorare. Quadraginta hominum millia trucidati; sexaginta millia capti, ac venditi; eorum thesauri refossi Turcis cessere, qui ex hâc Urbe tantum prædæ coëgere, ut deinceps apud eos ditissimi, Constantinopoleos direptioni interfuisse, vulgari parœmiâ, dicerentur; quas pecunias si impendissent in stipendia Occidentalium militum, magnam earum partem cum libertate suâ conservassent. Multi tamen eorum, sed nudi, & egentes, ac maximè litterati in Occidentem magno Musarum

*Urb... tur... rip...*

rum commodo profugere. Isidori autem Rutheni Cardinalis, Legati à Nicolao, mirabilis casus fuit; qui mutatâ cum cæso milite veste, creditus mortuus, vili postea pretio redemptus est. Genuenses autem eodem die, etiam non rogati, Peram Mahometi reddiderunt, meritò ab eo omnibus exuti bonis; qui si Græcis vires suas conjunxissent, sine dubio repulissent Turcos, magnâ suâ gloriâ; quam tamen, sicut & pecunias, quarum avidiores erant, ignaviter & flagitiosè perdiderunt, milites turpissimi, sordidissimi mercatores.

Interea Scanderbegus missos in se Turcas egregiè retundebat, nec victus, nec victor gnarus quiescere. Expertus sibi rebellem ducem suum Mosem, eum subactum recepit in gratiam, immo & amicitiam; plusque in virum fortem valuit pristinæ virtutis recordatio, quàm cogitatio præsentis rebellionis.

Nec quietiores in Occidente res Christianorum extitere, commissis inter se Francis & Anglis, Sfortiâ ac Venetis, Alphonso atque Florentinis. Romæ etiam Nicolaus V. Stephani Porcarii conspiratione tantùm non est obrutus. Fugerat iste vir improbus Bononiâ, ubi detinebatur, evocatus à quibusdam Romanis rebellibus: sed diligenter quæsitus, inventus, & tortus, ex muris Arcis S. Angeli pependit ignominiosè, terriculum seditiosorum.

Celebris denique est hic annus duorum gratiosorum; Alvari de Lunâ, in Hispaniâ; & Iacobi Cordii Biturigis, in Franciâ. Hic accusatus commercii cum Sultano Ægypti, bona omnia perdidit; ille, jam nobilitati, populo, ac Regi ipsi gravis Valisoleti perdidit caput, sepultus etiam vir ditissimus, ac potentissimus, collectâ stipe; & exitu sublatus tam infortunato, ut etiam inimicis suis lacrymas cieret.

MUNDI 5507. CHRISTI. 1454.

Habitus hoc annus Ratisponensis Conventus à Friderico, de bello Turcis inferendo, inutilis fuit; Philippus enim Burgundus imprudenter abalienatus est. Alii quoque Principes Christiani mutuis odiis decertare maluerunt, quàm Christi causam tueri; Genuenses quoque exclusi communi fœdere Italiæ, & Veneti factâ perperam cum Turcis pace, hoc negotium turbavere; sicut & Helvetii incredibili flagrantes in Austrios odio; apud quos omnes privatæ rationes, & inimicitiæ plus valuere, quàm Imperii Orientalis excidium, & in eo jactura religionis.

Obiit hoc anno 13. Kal. Aug. quinquagenarius, regni sui anno 48. Ioannes Castellæ Rex, cùm vix anno uno regni sui negotiis invigilasset, hoc est, à morte Alvari de Lunâ. Huic successit filius Henricus IV. annos 30. natus, homo turpissimus moribus, atque in venerem usque ad insaniam propensus; ideo & dictus impotens, sed aliunde *Liberalis*, & sic etiam dictus; quare posterius nomen, prioris fœditatem abstersit.

Denique hoc anno in Conventu Francofordiensi, adnitentibus maximè Ioanne Capistrano Minoritâ, & Æneâ Sylvio (quorum hic oratione, ille pietatis opinione potentissimus erat) decretum in Turcos bellum, quod Imperator susciperet, peteret Pontifex, Christus præscriberet; quibus non possent majores adstipulatores adhiberi.

MUNDI 5508. CHRISTI. 1455.

Obiit hoc anno S. Laurentius Iustinianus ætatis anno 74. 6. Id. Ian. primus Venetiarum Patriarcha; quo, & in quem hæc dignitas à Nicolao V. translata fuerat. Hic suam ita rexit Ecclesiam, ut lapsus è cœlo Genius videretur; idem à Clemente VII. relatus inter Beatos, multis miraculis clarus, & adhuc vitæ innocentiâ clarior. *S. Laur Iustinian. obitus.*

Mortuus idem, dum bellum Turcicum promovet, Nicolaus V. 6. Kal. April. ex mœrore captæ Constantinopoleos, cùm sedisset annos 8. dies 19. vir sanctissimus, magnificentissimus, eruditissimus, verè Musarum parens, quas fugientes ex Græciâ bonus parens amicè, ac liberaliter excepit. Huic mox propositus successor Bessarion Cardinalis; verùm negotium discussit Alanus Coëtivius, Armoricus, Avenionensis Archiepiscopus, negans Græcum Neophytum Ecclesiæ gubernaculis admovendum esse. Itaque hoc omisso delectus est Alphonsus Borgia, coronatus 12. Kal. Maji, dictusque Callistus III. Hic statim votum emisit de bello Turcico, quod etiam Principes omnes, omnes Resp. probavere (si Alphonsum unum excipias Aragonium) & quantùm in se fuit, magnâ animi alacritate promovere, ne à capite membra diffidere viderentur. *Nicolao V. succedit Callistus III.*

Statim initio sui Pontificatus Callistus judicium Puellæ Aurelianensis jussit retractari, hæcque innocens declarata, pronunciatum judices perperam statuisse, atque ex odio tantùm, & perturbatione causam hanc tractatam esse, cœlo atque terris reclamantibus. Quo etiam tempore Carolus VII. Armaniacum Comitem per vim bonis omnibus exuit, contumacem, sacrilegum, divini humanique juris perturbatorem, dignumque qui Regis Christianissimi exercitu attereretur. *Puellæ Aurelianensis supplicium damnatur.*

MUNDI 5509. CHRISTI 1456.

Insignis est hic annus Turcarum ad Belgradum clade, illustrique victoriâ Christianorum. Belgradum, aliter Albam Græcam, Serviæ munitissimam urbem ad Savum atque Danubium confluentes fluvios, Mahometes centum quinquaginta millibus armatorum obsidebat, jam aliàs à patre suo frustra tentatam. Igitur Legatus Cardinalis Io: Carvajalius Christianorum circiter 40. millia in ejus auxilium adduxit, quos accenderat Ioannes Capistranus Minorita voce, exemplo suo Ioannes Huniades, urbis hujus jam alias propugnator. Certatum primò in fluvio; sed tantâ utrimque cæde, ut hic sanguine totus ruberet. Subiere ergo urbem Christiani, jam in ultimas angustias redactam. Hanc nihilominus tali auctam præsidio, Mahometes *Belgradum liberatur à Christianis.*

xj. Kal. Aug. expugnare decrevit: & sanè eâ potitus esset nisi Capistranus imagine Christi propositâ, Huniades armis eum repulisset. Turcis ergo ingressis urbem, sæpe victoribus, sæpe victis, alternante fortunâ, Christiani tandem victores extitere, Barbari tumultuosè recessere. Et verò Mahometes in pectore plagam acceperat, quæ cùm lethalis crederetur, sequenti nocte soluta est obsidio, relictæ machinæ omnes, omnia lignea incensa. Cæsa tum fuisse perhibentur Barbarorum quadraginta millia, plerique proceres cum Balsâ Europæ; nusquam majorem Turcus accepit cladem, neque turpiorem. Certè nunquam recoluit eam Mahometes, quin huic diei malediceret, ac detestaretur ad Albam Græcam expeditionem. Scripsere ad Pontificem Capistranus & Huniades de hac victoriâ, neque tamen alter alterius meminit; quod toleratum in Huniade viro militari, mirabili in Capistrano religioso ac semiprophetâ: unde datum est intelligere facilius esse calcare opes, & voluptates, quàm gloriam; hanc in crassioribus pannis, & male consutis, nonnunquam tutiùs, & amantiùs, quàm in purpurâ, & serico delitescere.

*Capistranus & Huniades causa victoriæ.*

Non ita multò pòst, ex nimio labore, incidit in febrem ardentem Huniades, ex quâ sanctissimè obiit, ab eo nunquam revulso Capistrano: vir planè magnus; non Rex, sed Rege major, victusque ac victor semper admirandus. Reliquit filios duos, Ladislaum jam armis assuetum, & Matthiam adhuc impuberem, utrumque paternæ ditionis, atque fortitudinis hæredem.

*Moritur Huniades*

Huniadem paulò post secutus & Capistranus septuagenario major 10. Kal. Nov. à commilitonis morte nunquam ridere visus, sed sensim contabescere. Comitem laborum suorum habuit Iacobum Picentem, in vitâ & post obitum miraculis clarum: qui cum Capistrano rejectus est à Nauclero deficiente naulo, super undam expanso pallio cum comitibus trajecit Eridanum, stupente sordido portitore, & avaritiam suam atque duritiem seriùs condemnante.

*Obiit Capistranus.*

*Iacobus Picens.*

Alphonsus interea Neapoli Lucretiæ amoribus irretitus insaniebat, quam aliqui honestissimam faciunt, alii turpe ejus Scortum. Hanc autem sic ardebat, ut eâ præsente furere videretur; dum interea Callistum Christi Vicarium contemneret, ipse muliercula vile mancipium, ad ejus omnes nutus, atque voluntates intentum.

*Alphonsi Neapol. Regis amor insanus.*

Creatus est hoc anno Cardinalis Æneas Sylvius, vir maximus eruditione, atque prudentiâ, viginti quinque annis in ministerio, ac variis peregrinationibus contritis sine ullo censu, & unde sibi calceos parare posset; ut nemo primordia fortunæ tenuioris spernat, cum Æneas ex tam vilibus initiis ad purpuram, ac Petri Tyaram assurrexerit.

*Æneas Sylvius Cardinal.*

Ludovicus Delphinus, qui antè fugerat à patre Carolo, iterum hoc anno ad Philippum Burgundiæ Ducem recessit, nec invitatus unquam redire voluit; quidam filium, quidam accusavere patrem, hunc contumaciorem, illum parciorem, atque tenaciorem; eorum sanè neuter excusandus erat, dum neque filius paternæ indoli satis, nec pater ætati filii satis indulgeret. Addunt aliqui Lodovicum pulchram Agnetem concubinam Caroli veneno sustulisse, ideo illum furorem amantis patris meritò reformidasse. Monuit Philippum Carolum, illum alere vulpem ac lupum qui ejus gallinas, ovesque voraret: Sed hæc vaticinia recepit Burgundus, ut ab inimico profecta; Immo & Icatus filio suo Comiti Carolesio, eidem per Ludovicum reconciliatus est. Cùm autem Ioannes Alenconii Dux, Princeps Regii Sanguinis, Anglos evocaret in Franciam, captus, atque convictus in consessu Patrium, addictus est morti, quam tamen Rex in perpetuum carcerem commutavit: sed eum mox Rex Ludovicus effregit.

*Ludovicus iterum fugit ad Burgundiæ Ducem.*

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5510. | 1457. |

Turbata est hoc anno Cyprus Ioannis ejus Regis interitu, qui vocatus ad nuptias Carlottæ filiæ unicæ Ioannis hujus insulæ Regis demortui, veneno sublatus est ab Helena Græcâ uxore antè dicti Regis. Quamobrem eadem data est Ludovico alteri filio Ducis Sabaudiæ, nepoti Felicis V. At hujus regnum parum quietum esse passus est Iacobus Nothus, factus ab Helenâ Archiepiscopus Nicosiensis, sicque misera insula bellis externis concussa, domesticis præcipitavit.

Turci copias suas immittunt in Scanderbegum, quæ fortiter ab hoc Achille Christiano retusæ sunt, atque dissipatæ. Iidem quoque Barbari Mitylenem in insulâ Lesbo oppugnarunt, eamque jam capi paratam, hiante muri labe, virgo armata defendit, & Turcos subire ausos trucidavit: cujus exemplo cives excitati, magnam Barbarorum stragem ediderunt, quæ cum ingenti cæsorum dedecore conjuncta fuit.

Eodem tempore Ussumcassanus Persarum Rex excitatus à Callisto Pontifice aggrediebatur Turcos ab Oriente. Hic ex familiâ Assembejâ, pulsis Tartaris, potiebatur universâ Perside, cùm antea sorte illi Cappadocia, & Armenia obtigissent. Verùm Ussumcassani exordia in Turcos fuere, quàm finis lætiora.

Ladislaus Hungariæ Rex annorum 17. Ladislaum seu Ludovicum Huniadis filium annorum 24. formosissimum, ac fortissimum juvenem, Budæ captum interfici publice jussit; cum tantâ etiam tortoris commiseratione, ut vix ei quarto ictu secuerit caput; causa necis fuit quòd hic Ulricum Comitem Ciliæ Huniadarum hostem Albæ interimendum curasset. Matthias autem Ladislai frater à Rege Viennam adductus est, eique vitam tenera magis ætas, quàm Regis sopitus furor indulsit.

Cessantibus Principibus Christianis, & Friderico Imp. venationibus indulgente, in quibus tantùm non periit, Callistus mittit Cardinalem Aquilejensem cum classe in Orientem,

tem, ubi multas Turcorum naves depressit, insulas aliquot eis ademit, Ægyptios, Cilicas, Syros terruit; non tantùm bonus Imperator, sed justus, utpote qui duos Papæ nepotes Cyprum populatos dederit in vincula; ejusque probatum à Pontifice, & Cardinalibus judicium, de ejus integritate ne quidem ausis dubitare.

Ladislaus Bohæmiæ & Hungariæ Rex, operâ Callisti reconciliatus Friderico, Pragæ, in quam venerat celebraturus nuptias cum Magdalenâ Franciæ Regis filiâ, magno ambitu & splendore petitâ, magno datâ, repentinâ morte interiit 9. Kal. Decemb. veneno, uti creditum est, ipsi à Podiebraccio & Rockysanâ propinato. Summæ expectationis adolescens fuit; & quo maximè Turcorum ferocia retundi poterat; sicque hujus fato multorum spes elusæ conciderunt.

Franciscus Foscarus Dux Venetiarum, jam ab annis 35. multis rebus fortiter atque sapienter gestis, exautoratus est, non aliam ob causam, quàm quòd esset nonagenarius: cæterùm venerabilis senes, & cui mens sana esset in sano corpore. Reliquit Palatium duntaxat cum indignatione, bonis omnibus, præter ipsum, querentibus; cùm nimis ejus in Remp. beneficia, Venetorum in eum ingratus animus appareret.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5511. | 1458. |

Mahometes II. expugnatâ Corintho, toti Peloponeso vectigal imponit, Demetrio & Thomâ Palæologis inter se decertantibus, & illius negotia promoventibus, dum abjicerent sua; mali fratres, pejores Christiani. Nec in Ecclesiâ Græcâ quies erat: quare Patriarchatum reliquit Gennadius, atque in Monasterium secessit, ut sibi saltem prodesset, qui aliis utilis esse non poterat.

Hungariæ Regnum armis & prudentiâ Zilagii avunculi sui adjudicatum est Matthiæ Huniadis filio, cui & Podiebraccius filiam suam dedit uxorem cum sexaginta millibus aureorum, eumque in suum regnum deduxit: mirabili fortunæ ludo in duobus fratribus, quæ unum prope ex thalamo nuptiali ad ferale supplicium, alterum ex carcere rapuerit ad solium. Multis prensantibus Bohæmiæ regnum, Friderico Imper. Carolo VIII. Franco, & Casimiro Polono, cæteris antepositus est Gyrziko, seu Georgius Podiebraccius, vir fortis, sed Hussita; cui Fides multa peperit bella, quæ partim armis, partim prudentiâ discussit, tandem medius Catholicum inter & Hæreticum, sed hæretico propior.

Obiit hoc anno 5. Kal. Iul. annos natus 66. Alphonsus Rex Arragoniæ atque Neapolis, ex multis vitiis & virtutibus concretus, sed in quo vitia prævaluere; quæ tamen ab eruditis detersa sunt, quos impensiùs adamavit. Reliquit regnum suum Arragonum Ioanni fratri suo Regi Navarræ, seu veriùs raptori, Neapolitanum filio Notho Ferdinando, suscepto ex duplici adulterio: cujus tamen natales eruditio fortitudini conjuncta cohonestarunt. Regnum tamen adire prohibitus est à Callisto; hujus minas, conatusque sprevit; difficiliùs cum Carolo Viennæ Principe, Navarrici regni hærede, & Ioanne Andegavensi filio Renati, Competitoris Alphonsi, conflixit; ut in terris faciliùs Pontificis, quàm Principum fulmina devitantur.

Mortuus est hoc anno Callistus III. Romæ 8. Id. Aug. octuagenarius, cùm sedisset annos 3. menses ferè 4. minus litterarum amans, quàm ejus antecessor; sed plus intentus in bellum Turcicum, ad quod 150. millia aureorum seposuerat. Datus ei statim successor Æneas Sylvius patriâ Senensis, ex nobili, sed inope familiâ, coronatus 3. Non. Septemb. dictusque Pius II. qui statim Principes Christianos reconciliare conatus est, indicto Mantuæ conventu; & nihil omisit, ne parata in Barbaros arma, in mutuam illorum perniciem converterentur. Vitam suam ipse descripserat, quam edidit ei à secretis Gobelinus, qui tamen eam videtur corrupisse, dum aliqua minùs certa interposuit: usque adeo periculosum est peritorum hominum fœtus, à minùs peritis retractari.

*Callisto III. succedit Pius II. Æneas Sylvius.*

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5512. | 1459. |

Thomas & Demetrius fratres Palæologi dum sibi invicem eripere partem Peloponnesi volunt, totam perdidere, quâ potitus est Mahometes auxiliator. Demetrius huic cum suâ Spartâ se dedidit, fugit in Corcyram Thomas exutus regno. Sic fratres duo, miseri licèt, concordes regnare non potuerunt; adeo erat innata Græcis invidia, ut eam nec calamitates, nec affinitas, & sanguis extinguerent.

*Thomas & Demetrius ditiones suas perdunt.*

Iacobus Nothus Archiepiscopus Nicosiensis, contra Carlottam affectans Cyprium regnum, fugit in Ægyptum, cùm à Proceribus Cypriis vinciendus esset. Hic operâ Mahometis Turcæ ab Ægyptio Sultano classem obtinuit, & auxilia, quibus sibi regnum, vel potiùs perfidiâ suâ, miser vindicavit.

*Iacobus Nothus Cyprum turbat.*

Pius II. Senas, patriam suam, ex itinere Mantuano invisit, eamque Metrapolitanâ sede exornat. Agit & prudenter cum Bohæmis, & Silesiis, quos parere Georgio jubet quandiu hic nihil eis negotii circa Fidem exhiberet. Et verò hic Georgius litem inter Wenceslaum Decanum administratorem Ecclesiæ Pragensis missum à Pontifice, & Rockysanam præsulem Hussitarum, dirimere non est ausus; atque utrumque dirigere jussit Catholicos suos, aut Hussitas, quietè tamen, ne religio publicam turbaret administrationem.

*Pius II. Senas invisit.*

Senis Pius Florentiam venit, magnificentissimè susceptus à Cosimo Medicæo, quem navigationes in Ægyptum, & per Europam, parem Regibus fecerant, divitiis, palatio, apparatu. Et verò Florentiæ non jam civis, sed pæne dominus erat, omnium arbiter, & cui nihil deerat ad Principatum præter titulum. Agebat tum porrò annum septuagesimum, sed crudâ utens viridique senectute, stipatus

*Cosmi Medicæi magnificentia.*

tus viris eruditis quibus ipse accensendus erat, cùm locupletissimâ Codicum Latinorum, Græcorumque Bibliothecâ. Ab eo prognata est nobilissima familia Medicæorum, in quâ jam nihil ad Regnum præter nomen desideratur, cujus Principes omnes, divitiis, magnificentiâ, virtute magnum Cosmum repræsentant, sed potissimùm exquisito ac liberali in litteratos amore; quibus publicum hoc grati animi monumentum, hoc loco reddi Musæ postularunt.

*Et in litterato amor.*

*Moritur S. Antoninus Archiep. Florentinus.*

Obiit hoc anno 5. Non. Maji septuagenarius S. Antoninus Archiep. Florentinus, multis miraculis clarus, ideoque in SS. album relatus ab Hadriano VI. In demortui domo nihil inventum est, præter mulum, quo vehebatur, & vilis suppellex; omnia eo vivente jam pauperibus cesserant; verum ac germanum vocati ex cœnobio Præsulis exemplar.

*Viri docti Florentiæ.*

Salutavere Pium II. Florentiæ viri doctrinâ illustres Guarinus Veronensis, seu Ferrariensis, Ioannes Aurispa Siculus, Iannotius Manetus, & Poggius, ambo Florentini; omnes ætate, atque amicitiâ Pii Secundi, & Cosmi Medicæi, dignissimi.

*Mantuanus Conventus de bello Turcico.*

Habitus est hoc anno Mantuanus de Turcico bello Conventus præsente Pontifice, multis ad eum tardiùs advenientibus, omnibus fere nihil ardoris afferentibus, inter quos enituit Philippus Burgundus, ad civilia bella, quàm sancta magis idoneus. Adfuit & Sfortia Mediolanensis magnum cœtus hujus ornamentum, quem salutavit oratione Franciscus Philelphus, à Pio dictus Musa Attica: vir ætatis suæ exquisitissimæ eruditionis. Reges Angliæ & Franciæ, sibi invicem diffidentes, militem in suis regionibus colligi posse negabant; Itaque in Germaniam Pii spes omnis conversa est, cui & Basileensem Academiam indulsit, in hanc gentem, quàm in alias pronior; quo tamen amore intempestivo, publica rei Christianæ negotia minùs promovit, quam impediit.

*Ioan. Andeg. bene inchoat bellum Neapol.*

Ioannes Andegavensis, validâ classe in Regnum Neapolitanum invectus, receptus est à multis proceribus, & urbibus, atque ad Sarnum fluvium Ferdinandum profligavit; at uti suâ victoriâ nescîit: si enim tum obsedisset Neapolin, Ferdinandus nullus erat. Dum ergo suadente Tarentino Principe alias urbes occupat, interim auxilia à Pontifice, & Sfortiâ, venere Ferdinando; quibus rem suam inclinatam restituit, immò & fecit Andegavensi meliorem.

| MUNDI | CHRISTI. |
| --- | --- |
| 5513. | 1460. |

*Principes Orientis incitant Occidentales in Turcos.*

Multi Principes Orientis misêre Legatos ad Pontificem, quos Pius in Franciam & Burgundiam misit, ut Principes earum regionum aspectu suo permoverent: pollicebantur illi aggredi Mahometem in Asiâ, dum eum Christiani in Europâ distinerent. Quo tempore Monobassia, olim Epidaurus, vulgò *Malvasia*, Græcis recentibus, *Monembosia*, sese Pontifici dedit, cùm eam tradere Turcis vellet Thomas huic defendendæ par non esset Demetrius. Uno tantùm aditu subiri potest, ferè inexpugnabilis, diu à Pontifice, & Venetis servata, tandem subiit commune Græcis Turcorum jugum; nunquam capienda, si defendi voluisset.

*Nicol. Cusan. datus carcer.*

In Germaniâ Nicolaum Cusanum Cardinalem Episcopum Brixionensem dedit in custodiam Fridericus Austrius, quem ideo novo anathemate perculit Pius, defendit Heimburgius, appellans Concilium; & ipse excommunicatus; qui postquam amaro libello respondisset Pontifici, fugit ad Hussitas; factus ex contumaci, & fulgurito, turpis hæreticus.

*Iacob. Scot. cedit bus I...*

Iacobus II. Scotus dum Castellum obsidet, fractæ bombardæ, & dissilientis frusto necatus est; neque tamen ejus uxor filia Ducis Gueldriæ solvit obsidionem, sed Anglos ad deditionem compulit. Patri successit sub matri tutelâ Iacobus III. & electis ad regni regimen tutoribus, quos in officio continuit Iacobus Kennethus, S. Anderæ Episcopus; sed eo atque reginâ mortuis, tutores ostenderunt quàm periculosum sit multos imperare.

*Gen. bell. Fra...*

Genuenses hoc anno in Francos rebellavere, duce Prospero Adornio, Pio II. fautore; & in palatium, & arcem compulere: frustra suis auxilia Carolus VII. misit, ea deleta sunt à Paulo Episcopo, qui pedum in ensem irreligiosè commutarat. Fugato denique Rege Renato Siculo, auxilii navalis ductore, Arx dedita est; Adornii mox à Fulgosis ejecti; quorum denique unus Paulus Tyrannidem invasit, eò crudeliorem quòd ex Pastore in Lupum conversus erat.

## CAP. VII.

### *Decas Septima,*

*Ab anno Christi* 1460. *ad* 1470.

| MUNDI | CHRISTI. |
| --- | --- |
| 5514. | 1461. |

*Iac. thu... pat... pr...*

Iacobus Nothus, armis Ægyptiis & Turcicis subnixus, totam fermè occupat Cyprum; petit à Pio II. coronam hujus regni, rejicitur; Cerine castrum proditione capitur, Famagusta post tres annos Genuensibus erepta. Ludovicus Rex Ripalliam venit, ut hic quiesceret; uxor ejus Carlotta generosior, cùm in Galliâ nihil auxilii impetrasset, frustra Mahometem, & Sultanum Ægyptium placare conata, restitit fortiùs, & constantiùs, quàm fœmina pateretur; nec nisi perditis rebus omnibus, spem perdidit.

*Imp. Tra... tini... ver...*

Corruit etiam hoc anno Trapezuntinum Imperium, quod steterat à captâ per Francos Constantinopoli annis 257. Captus enim, captis Sinope & Trapezunte, David Comnenus qui fratri Ioanni successerat, contractâ cum Usumcassano amicitiâ. David autem paulò pòst cæsus est cum filiis, quorum unus factus erat Mahumetanus, filia Mahometi nupsisset, domus tota, tantùm quoniam erat suspecta, penitùs extincta est.

Initium

Initium hoc anno datum est tributo, à Græcis dicto Pescesio, primùm tantùm initio Patriarchatus soluto, deinde quotannis; quod postea materies multorum scelerum fuit, & sacrilegiorum.

Scanderbegus, pactis cum Mahomete induciis, venit in auxilium Ferdinandi, agrumque Tarentinum, qui favebat Andegavensi, latè depopulatus est Albano equitatu. Mox tamen, arce Tranensi servatâ, redire ad sua coactus est, ne ditionem suam perderet, dum tuetur alienam. Quæ autem scribuntur de ejus magnâ ad Barletam victoriâ, fabulæ sunt otiosorum hominum, qui veritati minùs, quàm voluptati servire maluerunt.

Pugnatum in Angliâ acriter inter Margaritam Reginam, & Ricardum ducem Eboracensem; quando & hic victus interiit; vicit & mox Comitem Vvarvicensem, & marito suo Henrico libertatem peperit. Verùm cùm copias reparasset Eduardus Marchiæ Comes, filius Ricardi, totis diebus tribus pugnatum ad Fariburgum seu *Touton*, quando & 30. millia regiorum periere, multi capti, Rex & Regina cum parvulo Eduardo in Scotiam fugere compulsi sunt, & Barvicum Scotis pretium suæ salutis reddere.

Hoc anno delatum ex urbe Patris Achaiæ S. Andreæ caput à Thomâ Palæologo, relictum Anconæ, anno sequenti Romam deportandum, cum eodem Thomâ, ut ibidem ex alienâ misericordiâ viveret, qui fratrem Demetrium consortem Principatus ferre noluisset. Evanuit & hoc anno nobilis illa Legatio Principum Orientalium ad Regem Franciæ, quâ multæ tantùm eleemosynæ collectæ sunt, per Ludovicum Minoritam Pseudo-patriarcham; qui jussu Pontificis rapiendus in carcerem ita fugit, ut cum suo mimico apparatu evanuisse crederetur.

Obiit hoc anno Magduni Biturigum Carolus VII. cognomento *Victor*, ex humore melancholico, quo periit dum metu veneni abstinet cibo: mortuus est natus annos 59. cum mensibus 6. regni sui ferè 40. Desertus à suis omnibus, ad Ludovicum Delphinum confugientibus, à Tannequido nobili Armorico propriis sumptibus Lutetiam revectus est; vir fortis, justus, benignus, & regnandi peritissimus; sed in mulieres propensior, & melior Princeps quàm privatus. Successit ei filius Ludovicus XI. verè XIV. vir ingenii perspicacissimi; in quo nihil defuit ad perfectum Principem, nisi quòd litteras oderat, magno tamen ejus famæ dispendio, cùm ab eruditis tamen malè exceptus sit, ut Rex alioquin egregius, contemptissimus habeatur, vitiis tantùm ejus enarratis, virtutibus obrutis silentio. Philippus Burgundus, apud quem vixerat exul, ei sapienter suasit ut Rex oblivisceretur injuriarum, quas Delphinus passus esset; sed prævaluit ulciscendi libido, nec ipsi, nec regno salutaris.

Abrogata est statim, Ludovici jussu, Pragmatica Sanctio, rogante Pio II. reclamante licèt Academiâ, & Parlamento, Basileensis Concilii fautoribus, cujus illa fœtus erat. Id autem Concilium capitaliter oderat Pontifex, cujus tamen vindex fuerat ipse Æneas Sylvius; sed Pium potiùs quàm Sylvium Orbi Christiano proposuit imitandum.

MUNDI 5515. CHRISTI 1462.

Gestum est hoc anno à Mahomete bellum Dacicum, seu Vvalachicum; quo regno spoliatus est Bladus, suffecto ei fratre Draculo. Profugit in Hungariam ad Matthiam Bladus, ubi datus est in custodiam, invitantibus iis quorum affines & propinquos sustulisset; fuit enim hic crudelitatis portentum, multis suffixis palo, multis concrematis, aut elixatis, quibusdam etiam excoriatis, & conditis sale, posteaque adhibitis capris, ut linguæ asperitate dolor augeretur. Verùm carceris vera causa fuit Epistola ad Mahometem intercepta. Decennali ergo custodiâ domitus, ac restitutus bello Turcico periit; ejusque caput ad Mahometem delatum, magni muneris instar fuit. Fuit quoque Blado frater, quo abuti cùm tentaret Mahometes, hunc gladiolo graviter percussit in femore, atque aufugit: at postea sponte rediit, eidemque se turpiter submisit, factus ex forti adolescente impurus catamitus. *Bladus ejicitur Walachia.*

Hoc etiam anno Joannes Andegavensis toto ferè Neapolitano excidit regno; unde Pius & Ludovicus amarioribus inter se litteris egerunt. Victus & Joannes ad Trojam Apuliæ, cùm Princeps Tarentinus, & multi proceres ab eo ad Ferdinandum defecissent. Idem quoque præstitit Picininus bellator optimus, tandem jussu Ferdinandi compactus in carcerem, & bovis instar mactatus. Nec melior Tarentini conditio fuit, & quam proditores expectare debent, seriùs ociùs proditione mulctandi. *Ioan. An. deg. rem malè gerit.*

Bohæmia turbata est propter *Compactata*, quæ Pius improbabat; Georgius rex dubius hæsit, an se contumacem præberet Pontifici, an faveret Hussitis; pluris regnum faciens, quàm religionem. *Compactata Bohæmia.*

Fridericus Imperator obsessus Viennæ à fratre Alberto, adjutus est à Georgio, ac soluta obsidio: hinc filios ejus creavit Principes Imperii Victorinum, & Henricum; neque Pius in Georgium libravit anathema, Imperatoris patrocinio impeditus. Id tamen emisit in Sigismundum Austrium, ejusque fautorem Heimburgium, & Sigismundum Malatestam Arimini, & fratres ejus Cæsenæ Tyrannos. Verùm postea Malatesta veniam obtinuit à Pio, & re fortiter adversus Turcos in Peloponneso gestâ, in patriam redux obiit, morte meliori, quam vitâ. *Fridericus obsessus Viennæ.*

Hoc anno, quo natus est Ludovicus XII. filius Ludovici Aurelianensis, agitata est nobilis illa quæstio inter Dominicanos, & Minoritas, utrum sanguis in triduo Passionis unitus perseverarit; negantem sustinebant illi; hi, ajentem, duce Jacobo Marchiano S. Bernardini Senensis socio; & quamquam cum Dominicanis sentiret Pius, nihil est tamen ausus contra Minoritas statuere, quorum auxilio ad bellum Tur- *De Christi Sanguine tempore Pass.*

Turcicum indigebat. Post duos annos utrique parti silentium injunxit, vetuitque alterutram sententiam hæresis accusari, Constitutione editâ Kal. Aug. 1464. quam pleriquè Theologi aut nesciunt, quod illis condonandum, aut non satis piè contemnunt; nisi forte hæc non fuerit promulgata, videlicet diebus 15. ante obitum Pii emissa; quo tantùm modo potest quorundam temeritas excusari.

MUNDI 5516. CHRISTI. 1463.

*Bosniam Turcæ occupant.* Bosniam provinciam hoc anno Turcus occupavit, ejusque Princeps jussu Mahometis, contra datam fidem, aut sagittis confixus, aut vivus exustus fuit. Mox tamen Matthias cum suis Hungaris Iayzam hujus ducatus caput recuperavit; quam dum recipere tentat Mahometes, fortiter repellitur à civibus, fœminis etiam ac pueris animosè sua mœnia defendentibus: donec audito Hungarorum adventu Turcæ abjectis in præfluentem tormentis recesserunt cum multis vulneribus, ac majori dedecore. *De corpore S. Lucæ Evangelistæ.* Cum autem in expugnatione Iayzæ per Turcas Minoritæ S. Lucæ Evangelistæ corpus extulissent, id æde S. Iobi Venetiis repofuere; colebatur tamen antea ejusdem Sancti corpus Patavii in cœnobio S. Justinæ; Bessarion Cardinalis à Minoritis pronunciavit Gregorius XIII. stare visus à Monachis S. Justinæ, maximè cum Iayzense caput haberet. Patavinum careret capite, quod Romam S. Gregorius Magnus Constantinopoli detulerat. Franciscani tamen Bessarionis sententiam mordicus tenent; non quòd illa sit verior, sed quia sic volunt esse.

*Henricus & Lud. ad regnorum fines conveniunt.* Convenere ad Regni sui fines, & fluvium Vidassonem Henricus Castellæ Rex, & Ludovicus Francus, ex quo congressu mutuum duntaxat retulere contemptum, dum utriusque Principis aulici, naturâ dicaces, mutuis sese dicteriis pungunt, quæ nunquam viris illis otiosis defuere.

*Ludovicus res suas agit.* Profecit nihilominus ex eâ peregrinatione Ludovicus, suis semper rebus intentus, Comitatibus Ruscinonensi & Cerdaniæ regno suo adjunctis. Nec iis contentus, 4. ad Sommonam urbes, Sanquintinum, Peronam, Ambianum, Abbavillam cum Comitatu Pontinensi, aliaque, pace Atrebatensi à Carolo VII. pretio quadringentorum millium aureorum Philippo oppignerata, corrasis undequaque pecuniis redemit; quod quidem Carolum Comitem Carolesii prope in furorem egit; quem tamen in suo sinu Ludovicus irridebat.

*Expeditio in Turcos.* Suscepta est hoc anno in Turcas expeditio à Venetis, spe Peloponnesi excitatis à Philippo Burgundo, qui eam voverat, & Pio Pontifice qui eam promovebat. Tempus itaque indictum, & locus Ancona, circa Non. Junii: cujus ductores essent tres viri ætate provecti; Pontifex, Burgundus, & Christophorus Maurus Dux Venetiarum, quia hoc bellum prudentiæ plus, quàm roboris exigebat.

*Ioannes Regnum Neapol. amittit.* Finis est hoc anno impositus bello Neapolitano, cùm obiisset ex morbo princeps Tarentinus, ejus tuba, licet cum Ferdinando subdole pacem iniisset. Obiit autem sine Sacramentis, & (uti vixerat) malè; cujus opes magnæ devenientes in Ferdinandi manus ei regnum asseruere. Ab hoc enim tempore Ioannes omnia perdidit, nec triremibus suis ut Rex, sed ut pirata pugnavit. Tandem in Franciam redire coactus est; vir etiam inimicorum judicio magnus, & cui non virtus, sed tantùm fortuna defuit.

*Flav. Blon. mors.* Obiit hoc anno Flavius Blondus Foroliviensis Historicus, cujus laus summa, scripta ejus à Pio II. in Epitomen esse contracta: in eo tamen vituperandus, quòd sollicitior scriptionis fuerit, quàm veritatis; studuerit plura dicere, quàm veriora.

MUNDI 5517. CHRISTI 1464.

*Frid. per. Ma... fæd... eun...* Fridericus Imperator coronam Hungaricam Matthiæ non tam reddidit, quàm vendidit: inter eos tamen inita amicitia, cùm hic illum patrem, ille hunc filium deinceps appellarit. Mox Matthias in Turcos profectus, dum Zoynichum Rasciæ urbem obsideret, panico timore perculsus, & machinas & impedimenta, & quod caput erat, gloriam antè partam tot victoriis perdidit.

*Ve... tia Lu...* Ludovicus XI. Sfortiam Ducem Mediolanensem agnovit, imò ei Saonam reddidit, in odium, ut creditum est, Domus Aurelianensis; aut potiùs amicum utilem, quàm adversarium gravem habere maluit.

*Co... in XI...* Hoc anno in Ludovicum XI. magna est concitata tempestas, authoribus Francisco Britanniæ Duce, & Carolo Carolesio Philippi Burgundi filio; à quibus nobiles Franci sollicitati, se adversus Regem, quem oderant, paratos ostenderunt: omnium tessera fuit ligula sericea, nec Rege, neque magistratibus ad hanc novitatem satis invigilantibus, quæ semper regnis, rebusque publicis perniciosa fuit.

*Tu... Ca...* Nec tantùm Francia, sed & Castella fuit impacata, cujus proceres, Alphonso Regis fratre in suas partes attracto, contra Henricum Principem rebellarunt. Huic objecta sunt multa crimina, vel vera, vel conficta, qualia nunquàm seditiosis desunt. Tandem inita pax eâ lege, ut Alphonsus succederet Regi, ductâ ejus filiâ spuriâ; Bertrandus Magisterio S. Iacobi abdicaret, qui Reginæ adulter credebatur, & suo Regi turpiter illudere: mulctatus est miser aulicus, quod Principem satis fortem nactus non esset.

*Mu... Pii An... con... nus...* Pius II. parat se ad Turcicam expeditionem, licèt ægrotus, ut valetudinem recuperaret humani nihil divinique remedii prætermittens. Auxit hunc morbum Philippus Burgundus militiam detrectans, & tantùm copias, ac duos filios nothos, Antonium & Balduinum, offerens, quia sibi non videbatur tutum ditiones suas relinquere Carolo filio, non satis Ludovico, hosti nimiùm sapienti. Pergit nihilominus Pontifex Anconam, ad quem innumerabilis Christianorum multitudo armata confluxit, cui alendæ cùm par non esset Pontifex illa

illa venditis armis & equis defluxit, priùs acceptâ peccatorum indulgentiâ; ficque facra hæc militia plus pietatis habuit, & perturbationis, quàm ordinis, atque prudentiæ. Crevit interim Pontificis morbus, quo tandem elatus eft 19. Kal. Sept. ætatis 58. ferè cum 10. menfibus, Sedis verò fexto; vir fine dubio magnus, ab eruditis multùm, & nondum fatis laudatus, à novatoribus exceptus contumeliofiffimè; quorum tamen convicia, à peritis rerum æftimatoribus laudes judicantur.

Datus eft Pio II. *fucceffor* 5. Kal. Sept. Romæ Petrus Barbus Venetus fanatus ex pefte à B. Virgine Lauretanâ, cùm pollicitatione infuper Pontificatus; & cùm fe primò Formofum dici vellet, deinde Marcum, tandem fe Paulum II. paffus eft appellari. Hic initio fui Pontificatus cùm multa juraffet, quibus Pontificis authoritas reftringi videretur, ad majus tamen Ecclefiæ bonum, hæc poftea irritavit ipfe, & ut irritarent Cardinales compulit, præter Joannem Carvajalum Hifpanum feptuagenarium, virum conftantiffimæ religionis. Cave tamen de hoc Pontifice Platinæ fidem adhibeas, à quo hic longo carcere fubactus, immo & tormentis fubjectus ob confpirationem, & impietatem, multa in eum effutiit, ex recordatione potiùs pœnarum, quàm ex veritate.

Hujus Pontificis funt inventa Cardinalium ornamenta, & Bireti rubri, quibus eorum alienatos animos delinere conatus eft; nec defuit ipfe fuæ magnificentiæ, paratâ fibi cum tribus coronis Tiarâ Gemmeâ (vulgò dicitur Regnum) centum viginti millibus nummûm æftimatâ.

Bellum Turcicum Pontifex tantum promovit, quantùm alii Principes Chriftiani ceffarunt: Veneti cum Saracenis parum feliciter in Græciâ pugnavere; Hofpitalarii magis profperè, qui & Mahometem aliunde occupatum, ad pacem compulere improbatam à Pontifice, & ordini fuo gloriofam magis, quàm Chriftianis falutarem.

Refpiravit, auditâ Pii morte, Georgius Bohæmiæ Rex; egit tamen cum Catholicis mitiùs; quia id regni fui novi ftatus exigebat, ad quod fuam, ipfe, Dei parum follicitus, aptabat religionem.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5518. | 1465. |

Thomas Defpota filios fuos Andream & Manuelem cum Sophia filia ex Corcyra Anconam accerfit: Obiit tamen antequam eos videre poffet, anno ætatis 56. Itaque Romæ juffu Pontificis liberaliter educati funt: fed Manuel familiarium fuafione fugit Conftantinopolin, à Mahomete lautè habitus, ubi & duos genuit liberos, quorum unus junior obiit, alter relictâ fide factus eft Saracenus, Demetrius verò Thomæ frater abductus à Mahomete, variamque fortunam expertus, Hadrianopoli factus monachus, obiit anno 1470. fuâ bene ufus calamitate, atque in æternam felicitatem fapienter commutatâ.

*R. P. Brietii Annales.*

*Scanderbegus defendit Crojam*

Scanderbegus hoc tempore Crojam adverfus Mahometem defendebat: follicitatus enim à Chriftianis, cum eo fœdus abruperat; quando & victus eft ingenti clade, & Epirotæ ejus à Turco malè vexati. Credunt quidam hunc tum veniffe Romam, hîcque pecuniam & auxilia fufcepiffe, quibus multa Turcis intulit damna, nonnulla recepit; vir ad miraculum fortis; cujus tamen exiftimatione fcriptores quidam abufi videntur effe, ut de illo magna confingerent; quia fine mendacii fufpicione illuftriffima quæque facinora huic Heroi Chriftiano poterant imputari.

*Ferdinandi Siculi res promoventur.*

Mahometes, ut turbaret confilia Chriftianorum Principum, Ferdinandum Siciliæ Regem magnis muneribus, & promiffis majoribus follicitavit; quem tamen hic rejecit, ideo laudatus à Pontifice, qui ejus copiis ufus eft ad retundendos Tyrannos; erexit tamen animos Ferdinandi ad ea poftulanda à Pontifice, neutri neque utilia, nec honefta.

*Henricus Angliæ Rex incarceratur.*

Henricus Angliæ Rex, vel exilii tædio, vel compulfus à fuis, ex Scotia clam irrepfit in Angliam. Verùm agnitus, Londinũ perductus eft; ubi juffu Regis falutatus à nemine, ante Turrim Londinenfem ter circa Cippum ignominiosè circumactus, eâdem inclufus eft, ex folio detrufus in carcerem.

*Factio boni publici in Ludov. XI.*

Erupit tandem hoc anno in Ludovicum XI. conjuratio Francicorum Procerum, ac nobilium, dicta *Factio boni publici*, cujus præcipui Duces erant, ac fautores, Carolus Dux Biturigum Regis frater, & Carolus Carolefius: Fugit ad Francifcum Ducem ille; per univerfam Franciam arma expedita funt, proceribus omnibus adverfus Ludovicum in partes abreptis. Hic tamen copias conficit, addictâque fibi Lutetiâ per Cardinalem Baluem Epifcopum Ebroicenfem, partem exercitus objicit Britoni, partem versùs Parifios ducit, quò feftinare Carolefium cum magnis copiis didicerat. Ad Montem Letericum *Mont Lehry* uterque conftitit exercitus, ubi temeritate Brezæi Normanniæ Senefchali prælium initum eft; inter primos hic concidit, ter captus Carolefius, ter à fuis receptus eft, leviter in jugulo vulneratus; multi utrimque cæfi, multi utrimque capti, adeò ut utrimque fletiffe victoria, utrimque clades accepta videretur. Rex tamen mox Corbolium recedens, fe victum faffus eft. Hæc tamen victoria utilis victo, perniciofa victori fuit; hic enim fic intumuit, ut deinceps nullius audiret confilium; ille monitus à Guillelmo Epifcopo Parifienfi viros probos fibi confultores adhibuit; quibus tamen omnibus, fubtilitate, prudentiâ, dexteritate præcellebat, & à quibus illuftrari, non circumagi poffet.

*Prælium ad montem Letericum.*

*Pax initur inter Regem & fœderatos.*

Convenerunt ergo Factiofi ad Stampas (*Stampas* hodie vocant) ubi & magnas undecumque copias accepere, 500. etiam Helvetios pedites, primos in Franciâ ftipendiarios, ac milites notæ fortitudinis in pugnâ ftataria. His territus Ludovicus, & Parifios



occul-

occulte sollicitati videns ad Principes recipiendos, consilium audiit Francisci Ducis Mediolanensis, viri amicissimi, qui ad eum miserat, cum magnis copiis, filium Galeatium, etiam non invitatus: videlicet ut quibusvis conditionibus cum Factiosis pacisceretur, & tantùm tempestatem declinare conaretur, quam cum ultimo discrimine frangere tentabat. Cùm igitur hinc alimenta deessent fœderatis, illinc Parisinorum villæ diruerentur, & comburerentur, Rex pejora vereretur, ac suorum odium nimis agnosceret, ab utrâque parte exoptata pax ad Confluentias inita est, inde dicta Confluentina *Paix de Conflans*, quâ Carolo Regis fratri Biturigum loco concessa Normannia, Carolesio 4. urbes ad Sommanam, Comiti sancti Pauli dignitas Comitis Stabuli, alia aliis: selecti quoque 36. viri ex Clero, Nobilitate, plebe, qui cum Rege de stabiliendo regno statuerent. Sic omnes ad sua recessere, Carolus in Normanniam, Franciscus in Britanniam, ab se invicem dis junctis animis abalienati. Carolesius verò se difficili cum Leodiensibus implicuit bello; quâ occasione bene usus Ludovicus recepit Normanniam, unde Carolum expulit, ad Franciscum inimicum suum abire compulsum, quo facto hic ostendit se moribus, quàm ætate juniorem esse. Interim Leodienses multa fecere crudeliter, multa sunt passi; in suum Principem, immo & ipsum Pontificem, Deumque contumaces.

*Carolesius implicat se Leodiensi bello.*

Suas etiam turbas Castella sensit; Henrici statuâ in campo, authore Archiepiscopo Toletano Carillio viro impudentissimo, exautoratâ, ejus loco frater Alphonsus duodennis substitutus est. Multi tamen mox ad Henricum redierunt, & ad 80. millia peditum, equitum 14. Sed iis regendis impar erat Henricus, & sine fortitudinis micâ. Itaque tantus, re infectâ, defluxit exercitus; rebelles Alphonsum retinuere, quem Henricianis uti larvam opposuerunt: usque adeo Principes imbelles suorum injuriis parent.

*Turba Castellana contra Henricum.*

Arragonia suos quoque tumultus sensit rebellantibus Catalanis, & improbantibus sententiam Regum Franciæ, & Castellæ. Itaque omni nudati præsidio Petrum Lusitanum Equitum magistrum, Regem Arragoniæ creaverunt Barcinone, renovatis juribus quibusdam subrancidis; sed anno sequenti hic victus, & extinctus veneno, locum suum reliquit Renato Andegavensi, qui à Catalanis judicatus est idoneus ut cum his esset hostis Arragoniorum capitalis; quod in suo Principe tum maximè viri amentes postulabant.

*Arragoni tumultus à Catalanis.*

MUNDI 5519. CHRISTI 1466.

Anathemate hoc anno perculsus Georgius Bohæmiæ Rex, jam rebellis in Pontificem, in Catholicos Tyrannus, atque Romanâ sententiâ spoliatus regno. Tum etiam Rokysana subitâ paralysi perculsus, loqui desiit, hac corporis parte potissimùm mulctatus à Deo, quâ graviùs deliquerat.

*Georgius Bohæmus excommunicatur.*

Rudolphus Laventinus Episcopus, qui jam pacem inter Fridericum & Matthiam conciliarat, hoc tempore Polonos & Cruciferos conjunxit; longe antea componendi, ut multo sanguini parceretur, in bello Turcico utiliùs profundendo.

*Pax i[nter] Polon[os et] Cruc[iferos].*

Obiit hoc anno Franciscus Sfortia Dux Mediolanensis, vir bello ac pace clarus: eòque melior creditus, quòd inter duos Principes nequam interjectus esset. Agebat apud Ludovicum XI. Galeatius filius, qui dissimulato habitu in Italiam rediit non sine discrimine, & Principatum à sacrilegiis auspicatus est, Ecclesiasticis spoliatis. Matrem etiam Blancham, rectè monentem, & liberiùs increpantem veneno sustulisse fertur, ut se alterum Neronem exhiberet.

*Franc. Sfort. cedit... leatiu...*

Mortuus denique hoc anno Jacobus Kennethus Santandreanus Episcopus, religionis ac regni columen, ac Santandreanæ conditor Academiæ: huic successit Patritius Graamus, frater ejus uterinus, qui Primas Scotiæ judicatus est Romæ, Eboracensi Præsule necquicquam reclamante, & usum contrarium indicante, sed acquisitum inter bellicos tumultus; quo tempore minùs habetur ratio juris, quàm virium, & huic adjudicatur sæpe tum causa, qui eam per vim potest extorquere.

*Prim... Scot... sul... tan... nus.*

MUNDI 5520. CHRISTI 1467.

Obiit hoc anno Climaterico suo 8. Kal. Febr. Lissi ad Drillum fluvium, ex febri, Georgius Castriotus Scanderbegus, ibidemque sepultus tantæ apud Turcos venerationis, ut hi captâ Lisso, ejus ossa postmodum diripuerint, & thecis aureis aut argenteis incluserint, ad conciliandam sibi fortitudinem. Reliquit filium Venetiis enutritum, qui postea familiâ nobilem in Apuliâ propagavit, in ditione ejus patri ab Alphonso donatâ; quam paternâ, potiùs quàm propriâ virtute fecit illustrem.

*Scan... gus ... tur.*

Eodem anno mortuus est Brugis ætatis 72. Philippus cognomento *Bonus*, omnibus acceptissimus; qui reliquit filium sibi dissimillimum annos natum 34. Carolum cognomine *Audacem*, veriùs *Pugnacem*, qui negotii multùm aliis exhibuit, plus etiam sibi. Hic sui Principatus initio Leodios rebelles aggressus, quibus favebat Ludovicus, eos ad Centronem devicit, & ad pacem inhonoram compulit; quæ tamen mox soluta est, neutris satis paratis ad accipiendam injuriam, ad inferendam aptissimis.

*Phil... Bon... ritu... Succ... Car... dan.*

Ludovicus XI. modis omnibus serebat discordias inter vicinos Principes, ut pace solus ipse frueretur: sic Britanniæ Ducem à Burgundo divellere nitebatur; in Angliâ partes Henrici debiliores adversùs Eduardum invasorem fovebat, ratus hostes conjunctos sibi nocere posse, diffidentes nihil incommodare. Parisiis autem abolere penitùs conabatur Pontifex Sanctionem Pragmaticam per Legatos suos Cardinales Jo. Atrebatensem, seu Albigensem, & Joannem Baluem; sed Senatus obstitit & Academia, hæc Rectore suo, ille procura-

*Lud... inter... nos... dias... git.*

ro-

tore Regio contranitentibus; qui non tantùm vim vi, sed & fraudes fraudibus repulere. Erat autem is Balues Cardinalis Molitoris seu Sartoris Virdunensis filius, qui primùm famulatus Juvenali Ursino, deinde Jo. de Bella Valle Episcopo, tandem innotuit Regi propter callidissimos mores, eique ab eleemosynis primò, deinde Cardinalis & Episcopus Ebroicensis creatus est omnibus negotiis implicitus, & purpuratus ardelio; quare cùm aliquando milites recognosceret, rogavit Regem Comes Dammartinus vir scientissimus belli, ut Ebroicensem ipse lustraret Episcopatum, ut ejus ageret vices, qui suas usurpasset.

Bohæmi, exhautorato per Pontificem Georgio, confugiunt ad Casimirum Polonum, cujus filium postulant sibi dari Regem: sed regnum sapienter respuit, ne cum eo reciperet bellum: Matthias, in quem respectabat Pontifex Moldavico & Walachico implicitus bello, suis tantùm rebus consulere cogebatur: Ita tutus remansit Georgius, Pontifex ab Hussitis cum suis fulminibus irrisus.

Petrus, Magni Cosmi successor, adversantem habuit sibi Luccam Pittum, hominem tenuioris fortunæ, sed valde popularem, cùm Petrus acrioris ingenii contempsisset plebem: favere his duabus partibus externa auxilia; Lucam defendere Veneti, eorumque doctor egregius Bartholomæus Colinæus Bergomas: Petrum tuiti sunt Galeatius Mediolanensis, & Ferdinandus Neapolitanus, duce Friderico Feretrano, quibus & adhærebant Florentini. Post leviora prælia, decretorio certatum in agro Bononiensi ad Fl. Ricardinam: ex quo neutra pars victrix, neutra victa discessit, & animis efferatis potiùs, quàm elatis, aut abjectis.

In Castellâ magno prælio aucti sunt potiùs, quàm repressi motus, Henrici Regis ignaviâ, per impudicam Reginam multorum virorum scortum: certè Rex mente dejectus videbatur, cum paucis equitibus oberrans. Itaque coactus est se permittere Comiti Placentino, cujus in arce magnificè habitus & lautè, captivus quàm liber felicior extitit.

Obiit hoc anno Laurentius Valla Romanus, scriptor melior, quàm Sacerdos. Scripsit adversus ineptum libellum qui inscribitur *Donatio Constantini*; sed majori in Pontificem odio, quàm eruditione: & malam aggressus causam imprudentiâ suâ, ac dicacitate pæne bonam reddidit: tantum interest, & à quo, & quo modo bona causa defendatur.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5521. | 1468. |

Hoc anno Phranzes Historicus Græcus, egestate & epiphorâ oppressus, factus est monachus, pro Georgio Gregorius dictus; sicut & uxor ejus Helena velum accepit cum nomine Eupraxiæ; ambo jam re pauperes, facti sunt voluntate.

Matthias Hungariæ Rex, cùm ei esset à Mahomete, & Præfecto Turcico, quies in Pannoniâ, suadente Pontifice Georgium aggreditur in Moraviâ; nusquam tamen pugnatum æquatis copiis, & utrimq; prudentissimo duce. Tandem post multa colloquia, captasque aliquot urbes, & receptas, factæ induciæ, aut potiùs infida pax, ut ejus brevitas docuit. *Matthiæ & Georgii commissi.*

Ludovicus XI. inter inimicos suos serebat discordiarum semina, in quibus ferè periit. Cùm excitasset Leodienses in Burgundum, ipse ut hunc exarmaret, fratrique adimeret Normanniam, cum illo colloqui petiit, & Peronam hostilem urbem male comitatus subiit; sed tantâ perturbatione, ut omitteret revocare Legatos suos Leodium missos, belli incentores. Igitur Leodienses permoti ab oratoribus Francis, Tungrensem civitatem cum Episcopo suo intercipiunt, aliquot à Clero cæsis, eumque triumphantes captivum reducunt Leodium. Pupugit ea res graviter Burgundum, qui & increpitum Regem militari præsidio cinxit. Nunquam turpiùs Rex, alioqui sapiens, errasse traditur: at ut erat prudens, & callidus, quò ab iis se expediret laqueis quos induerat sponte, conditiones quantumvis abjectas, & inhonoras admisit; quarum hæc turpissima, ut quasi miles gregarius, Ducem subditum suum sequeretur ad expeditionem Leodiensem. Hæc contigisse quidam putant artibus Cardinalis Baluis, quorum ipse postea meritas dependit pœnas, diuturno ac gravi carcere, sui Regis ignominiam luiturus. *Ludov. XI. Peronæ detentus ob suam imprudentiam.*

Tandem Leodium à Duce, & Rege obsessum; quando uterque grande periculum ab erumpentibus Francimontiis adiit, tantum non interemptus. Quominus verò urbs ocyùs caperetur, impediit civium in suum Principem odium, Onuphrii legati arte ventilatum, ut hujus Episcopus crearetur. Urbs demum vi capta, in quam atrocissimè sævitum, ferro, libidine, flammis, submersione; locus sic exæquatus, ut ubi statutum olim fuisset Leodium, ambigeretur. Interea Deus ipse in Flandriam, Hollandiam, Zelandiam alias clades immisit aggeribus confractis, & Leodiensi graviores; adeo ut in Principis crudelissimi subditos cœlum atque terra, Deus & homines, conspirasse viderentur. *Leodium captum à Carolo Burgundo, & dirutum.*

Perseverant quoque Hispanicæ in Castellâ turbæ, nullo anathemate, nec ipsâ Alphonsi morte compositæ; sedatæ tamen utcumque pace malè concinnatâ. Nec quietior Catalania fuit, evocato Joanne Lotharingo Duce Calabriæ, filio Renati Andegavensis; Interea Joannes Arragonius, Rex cœcus, à Judæo detractâ albugine recepit lumen; filius quoque ejus Ferdinandus annos natus sexdecim, Siciliæ Rex renunciatus, huic bello præpositus est. Neque tamen Lotharingus despondit animos; & res suas promovisset, nisi intra biennium Barcinone finem vivendi, turbandique fecisset. *Turbæ Arragoniæ perseverant.*

Hoc anno, quo obiit Cardinalis à Turre crematâ Dominicanus octuagenario major, venit Romam Fridericus Imperator, ut persolveret votum; ibiq; de more in Natalitiis Christi septimam *Cardinalis à Turre cremata moritur.*

mam lectionem decantavit: hic cum Pontifice de bello Turcico consultavit; cùm tamen in hoc negotio plus armis, atque factis, quàm deliberationibus & consiliis opus esset.

MUNDI 5522. CHRISTI 1469.

*Votum Mahometis II.*

Mahometes II. Æno oppido nuper à Nicolao Cænalio duce Venetæ classis capto, direpto, inflammato, immane atq; truculentum emisit votum adversus Christianos; sed ejus arma magis, quàm vota ab iis meritò reformidata sunt.

Ludovicus XI. Aquitaniam nobiliorem provinciam confert fratri suo Carolo, ut huic Campaniam, ac Briam, & cum Burgundo societatem eriperet. Pupugit hæc permutatio Carolum Ducem, sed Joannem Baluēm Cardinalem multò magis, qui potentiam suam credebat imminui sublatâ discordiæ materiâ. Immanem igitur adversus Regem suum proditionem molitur, quâ conatus est Carolum à fratre disjungere, Burgundum ad invadendum regnum invitare; adhibito sceleris conscio Guill. Haraucurtio Episcopo Virdunensi.

*Proditio Cardinalis Balues, in Ludov. XI. mulctata.*

Detecta est prope mirabiliter conspiratio, nuncio quodam ad Clayam capto. Dati ergo in custodiam Cardinalis & Episcopus omnia confessi sunt, Ludovicus & Carolus omnino reconciliati, plaudente universâ Franciâ, & consultores pessimos, à quibus distracti erant, execrante. De perduellium judicio acriter Romæ, & in Franciâ disceptatum; Balues in carcere XI. annos contrivit; Virdunensis, auctor cavearum ferrearum, annis 14. inclusus in earum una, Perillæo supplicio mulctatus est.

*Ordo S. Michaelis institutus.*

Institutus est hoc anno Ordo S. Michaelis à Ludovico; qui oblatus Duci Britanniæ, & repudiatus, belli materies fuit, brevis tamen, quia leviori de causâ videbatur esse susceptum.

*Turbatur Castella nuptiis Isabellæ.*

Isabellam sororem Henrici Castellæ Regis multi proci prensabant, hæredem regni designatam; hæc tum inscio fratre nupsit Ferdinando, Arragonum Regis filio, Ferdinando Archiepiscopo Toletano harum nuptiarum pronubo atque promotore. Quare Henricus eam abdicavit, & Joannam filiam scripsit hæredem, testatus cum Reginâ hanc esse legitimam. Dedit etiam eam uxorem Carolo fratri Ludovici XI. luculentam bellorum materiam, nisi hanc Caroli mors ante consumatum matrimonium sustulisset.

*Bellū Pauli II. in Malatestam.*

Pontifex Paulus bellum gessit ad Ariminum in Robertum Malatestam; cui tulit auxilium Ferdinandus, in sanctam sedem ingratissimus, cujus opera bis regnum consequutus erat. Sed quid aliud Pontifex ab iis Principibus expectaret, quibus fallere, fallique jocus erat?

*Matthias vincit & vincitur.*

*Stephanus Walachus victor.*

Bellum hoc anno feliciter gessit in Georgium Bohæmum Matthias Hungarus, qui & Victorinum ejus filium cepit, quamquam Imperator ei defuisset, nec promissam pecuniam misisset. Sed asserunt quidam hoc anno Matthiam à Stephano Walacho geminam accepisse cladem. In hunc Stephanum cum Tattari Ultravolgani, seu Zavolgenses, duce filio Mamachi Chami seu Imperatoris, eos ille retudit egregiè, capto duce; quem cùm pater per centum legatos repeteret, Stephanus hunc filium in oculis legatorum conscidit in frusta, eos autem palis infixit, uno tantùm excepto, quem truncatis naso ac auribus remisit ad Mamachum; ut disceret in eum jactare minas, qui verbis posset facta reponere.

MUNDI 5523. CHRISTI 1470.

*Mahometes ... urbe[m ca]pit.*

Mahometes hoc anno ingenti classe, majori exercitu pedestri, votum suum implere parat; Lemnum vastat, Imbrum capit, ac denique Chalcidem, hodie *Negrepont*, Eubϧæ insulæ urbem primariam oppugnat diebus 30. & capit, indicatis à Thoma quodam Liburno murorum debilioribus locis. Potuerat Canalius classis Venetæ præfectus pontem dejicere quâ insula continenti jungitur, sicque Mahometem in ultimam adducere desperationem; sed aleam prælii tentare non est ausus. Ideoque mox exautoratus à successore Petro Mocenico, à Senatu in exilium actus. Paulus Erizzius urbis gubernator, factâ deditione, per medium corpus sectus est, crudeli Mahometis joco dicentis capiti non lateribus promissam incolumitatem; filia formosissima adducta Sultano ad libidinem, negans ejus petitioni acquiescere, jugulata purum Christo reddit spiritum.

*Cha... pitu...*

*Ger... tur...*

Turbata est tum Germania, diffidentibus inter se Friderico III. Imp. Casimiro Poloniæ, & Matthiâ Hungariæ Regibus; quæ contentiones Georgio & Bohæmiæ salutares fuerunt. Matthias etiam raptim fugere compulsus à Bohæmis; & Georgius, à Casimiro invitatus, se Pontifici submisisset, nisi veternosus Rockysana prohibuisset; quem tamen tum Rex ægrè ferebat, quoniam veterator iste plus impeditâ linguâ, quàm hic armis poterat.

*Res... reg... rit... glia...*

Restitutus est solio Henricus Anglus; expulsus Eduardus ab eodem qui eum collocarat in throno Ricardo Comite Varuicensi, auxiliis evocatis è Franciâ. Fugit ad Carolum Burgundum Eduardus, cujus sororem duxerat; Henricus adversam fortunam expertus est, ut hanc prosperam jucundiùs degustaret.

*C... Bu... à L... exa... tur*

Ludovicus XI. diem dici curat Carolo Burgundo coram Paribus Franciæ, cùm ab eo alienati essent Duces Biturigum, & Britanniæ, odisset que Comes S. Pauli Comes Stabuli. Tandem perditis urbibus Ambiano & Sanquintino, inducias facere coactus est, reclamante Comite, mussantibus Ducibus, qui ex utriusque concertatione multum utilitatis colligebant.

*Car... cus... succ... Ster...*

Obiit hoc anno Carolus Sueciæ Rex, suo clarus exilio, sed & sui successoris institutione clarior. Is fuit Stero, ex sorore Sturâ nepos, cui moriens suasit ne se diceret Regem, ac nomen Suecis odiosum usurparet. Itaque populum & clerum totis 30. annis facillimè rexit, & Christiernum Danum ingenti prælio victum repu-

repulit ignominiosè. Adjutorem habuit Iacobum Ulfonis Archiep. Upsalensem; cujus pietate ac prudentiâ experti sunt Sueci quid possint Princeps & præsul, sacrâ inter se societate conjuncti.

Datus est in custodiam, jussu Caroli Burgundi, Adolphus filius Arnoldi Ducis Gueldriæ, qui patrem aliàs conjecerat in carcerem; ex quo non exiit nisi post obitum Caroli; quando à Gandavensibus solutus, præpositus est bello contra Tornacenses, in quo cæsus. Ideo tandiu detentum ferunt quòd litteras ad Ludovicum scripsisset contra Carolum; sed quid mirum in Principem perfidum extitisse, qui in patrem fuerat perduellis?

---

## CAP. VIII.

### *Decas Octava.*

*Ab anno Christi* 1470. *ad* 1480.

MUNDI 5524. CHRISTI. 1471.

HOc tempore circiter Dionysius Patriarcha Constantinopolitanus, cum sedisset annos 8. sponte dignitatem deposuit, quòd innocens accusatus esset; & quanquam probasset non tantùm se non esse circumcisum, sed & virginem, denudatis in Synodo τοῖς αἰδοίοις, recessit tamen in monasterium, huicque suffectus Simeon, antea exautoratus, persolutis in Pescesium bis mille nummis aureis; adeo sunt, Christianorum damno, Turcæ consuetudinum retinentes.

Obiit hoc anno Georgius Bohæmorum Rex, quem diebus quinque præcessit impius Rockysana, -Calypha Hussitarum. Dubitavit diu Georgius cui relinqueret regnum, cùm filiis suis id se posse desperaret; an Polono, ut meliori; an Hungaro, ut utiliori sibi, qui filium Victorinum retinebat in vinculis; fluctuantem & dubium mors intercepit, Summo Pontifici, ut ferunt, antequam expiraret, reconciliatum. Mox in Comitiis Bohæmicis electus Uladislaus primogenitus Casimiri Poloni, adolescens 15. annorum magnæ expectationis, & filius sororis Ladislai qui Georgium præcesserat. Venit ergo cum magnis copiis in Bohæmiam, ne interciperetur à Matthiâ, ejus fortunæ invidenti. Sed & Hungari quidam in Matthiam conjurarunt, petito in Regem altero filio Casimiri, qui pariter cum ingenti exercitu adfuit; at Hungaris non satis paratis prævaluit Matthias, Poloni recedere coacti; quibus satis esse debuerat, regno uno suam auxisse ditionem.

Eduardus expulsus Angliâ cum auxiliis Caroli Burgundi, redit in patriam, adjuncto sibi fratre Duce Clarentiæ: qui, adversariis non satis fortiter resistentibus, partes erexit suas, Londinumque ingressus cepit Henricum. Adfuit tamen mox hujus uxor Margarita cum filio Eduardo, ac duce Sommersetensi: at pugnâ initâ, Eduardus & Sommersetensis interempti, Margarita pretio redempta, ex mœrore contabuit in Galliâ, Henricus in Turri Londinensi gladio cæsus, vir religiosissimus, & post obitum miraculis clarus, etiam mortuo ad vitam revocato. Regnavit à primâ inauguratione annis duodequadraginta, vixit duobus & quinquaginta, in terris infelix, ut meliori fortunâ in cœlo frueretur.

In Castellâ præsules adversus Henricum Regem suum non satis fortem rebellarunt, frustra à Pontifice ad concordiam invitati: Arragonii feliciores extitere, receptâ Gerundâ, ac fusis hostibus: sed omnium felicissimè Alphonsus Lusitaniæ Rex, paratis 300. navibus, & 30. millibus armatorum, Azillam & Tingin in Africâ occupavit, ac muniit, propugnacula simul & monimenta suæ victoriæ. *Tota Hispania turbatur bellis.*

Borsius Estensis Marchio, Dux Mutinæ & Rhegii creatus ab Imperatore, insuper à Paulo II. Ducatum Ferrariæ recepit, quoniam de Ecclesiâ optimè meritus erat. Verùm eâ dignitate vix mensibus 4. potitus, hæc omnia reliquit fratri suo Herculi, cùm ipse ἄτεκνος obiisset; neque sibi, sed generi suo tantùm laborasset. *Estensis familiæ initia.*

Hoc anno Kal. Aug. obiit Paulus II. apoplexia correptus, non (ut Heterodoxi confinxere turpiter) in actu venereo strangulatus à Dæmone. Sedit annis 6. mensibus 5. diebus 26. cùm vixisset annos 53. menses 5. dies 3. Pontifex inter bonum & malum medius, & aliis melior quàm sibi, propter rigidam morum censuram. In hoc Pontifice desiit Bartholomæus (non Ioannes Baptista) Platina; cui de Paulo loquenti, non est adhibenda fides, à quo malè habitus erat, ultione nec erudito, nec Historico, nec Christiano homine dignâ. Datus Paulo successor, Bessarione hanc dignitatem refugiente, quia certis conditionibus huic offerebatur. 5. Id. August. Franciscus Ruvereus. Utrum autem is fuerit ex nobili familiâ, an ex patre Ligure naviculario, vel piscatore, sicut & an nobilis familia Roborea, eum sibi ex nominis similitudine duntaxat adsciverit, non est hujus operis dissolvere. Hoc certum fuisse Minoritam, atque Ordinis sui Ministrum Generalem, factum Cardinalem adnitente Bessarione, cui propter virtutem & scientiam acceptissimus erat. Coronatus est 8. Kal. Sept. dictus Sixtus IV. anno ætatis 57. statim à se promissa vana declaravit, negans ullis legibus adstringi Pontificem, nisi divinis. Certè duos nepotes suos Cardinales creavit, Iulianum fratris sui filium, qui postea Iulius II. Pontifex fuit, & Petrum Riarium sororis suæ filium, ultra fas omne profusum, & anno duodetrigesimo voluptatibus confectum, ignominiâ in avunculi famam meritò redundante. *Moritur Paulus II. Sixtus IV. ei succedit.*

Hoc anno mortuus est 4. Id. Mart Dionysius Rikel Carthusianus, patriâ Leodiensis, ex vico Rikelo, dictus Extaticus, ob revelationes; qui tantùm scripsit, ut non orasse; tantùm oravit, ut nihil scripsisse videatur. *Dionysius Cartusianus obit.*

VIII. autem Kal. Aug. eum secutus est Thomas à Kempis, à vico Coloniensi sic dictus, Canonicus Regularis S. Augustini, cui à pleris- *Moritur & Thomas à Kempis. Autor libri de Imitatione Christi.*

que

quæ tribuitur Opus de Imitatione Christi, atque hæc sententia in præsentiâ plus probabilitatis habet. Qui enim obtrusus est Ioannes Gessen Abbas Italus, ex Benedictinis manuscriptis, sine dubio adulteratis, repudiatus est à viris emunctæ naris, etiam cum fastidio; & ab iis tantùm jactantur qui pluris faciunt Ordinis sui gloriam quàm veritatem, & falsam quærunt nonnunquam, ipsi sinceræ atq; indubitatæ ditissimi.

MUNDI 5525. CHRISTI. 1472.

*Expeditio Christianorum, & Persarum in Turcos.*

Suscepta est hoc anno in Turcos expeditio 85. navibus Pontificiis, Venetis, Siculis; quibus Cardinalis Caraffa Neapolitanus præfuit. Nusquam comparuere Turcæ, & Bosphoro se atque Hellesponto continuerunt. Tentata ergo, sed irrito conatu, Attalia Pamphiliæ, hodie *Satalia*; Smyrna direpta, omnibus incolis abactis: quibus conatibus si Persa vires terrestres adjunxisset, magnam Asiæ partem Turcus amisisset; hæc expeditio plus pompæ Romam, quàm fructûs retulit. Ab aliâ autem parte Usumcassanes in Turcos cum 50. millibus equitum irruit, Trapezuntem, & Neocæsaream (hodie *Tocatam*) cepit, cum auxiliis Caramani, & Czaris seu Cæsaris Tartarorum. Hunc maximè Veneti ad hoc bellum excitarant; sed dum nimis avidè suam sectantur gloriam, se non satis optimos ostenderunt.

*Sophia datur uxor Ioa. Moscho.*

Sophia, Thomæ Despotæ fratris Constantini Imp. Constantinopolitani filia, data est uxor Ioanni Moschoviæ, seu Russorum Principi, dote à sanctâ Sede numeratâ, ut hæc maritum ad veram adduceret fidem: sed à marito in pravum abducta, docuit spem innixam fœminæ, & maximè Græcæ, vanam esse; Romanos Pontifices ut Christianam promoverent fidem, nullis sumptibus pepercisse.

*Amedeus Dux Sabaudiæ III. moritur.*

Obiit hoc anno Amedeus, IX. Sabaudiæ Princeps, Dux III. obnoxius comitiali morbo; vir miti admodum ingenio, & omnibus virtutibus illustris, sed maximè liberalitate in pauperes, unde & miracula post obitum patrare meruit. Ludovico Franco, cui moribus dissimillimus erat, fuit tamen conjunctissimus; elatus anno ætatis 37. sed jam maturus cœlo, quò non annis, sed meritis aditus reseratur.

*Moritur Cardin. Bessarion.*

Mortuus est & hoc anno ætatis 77. Cardinalis Bessarion, perfunctus in Galliam Legatione, quæ minùs ei honorificè cessit; quare inde concepto mœrore creditur obiisse. Fuit in utrâque linguâ, Græcâ & Latinâ, eloquentissimus, peritissimus Platonicæ Philosophiæ, hostis Aristotelicæ, ætatis suæ viris doctissimis amicissimus Georgio Trapezuntio, & Io. Argyropilo Græcis, Francisco Philelpho, Flavio Blondo, Leonardo Aretino, Poggio Florentino, Laurentio Vallæ, Antonio Campano & Bartholomæo Platinæ Italis. Ejus etiam domestici fuere Theodorus Gaza, Gemistus Pletho, Andronicus Thessalonicensis, Domitius Calderinus, Nicolaus Perotus, Valerius Viterbiensis; adeo ut ejus pectus eruditionis sacrarium, ædes Musarum domicilium esse viderentur.

*Carolus Bituricensis obit.*

Tum sibi invicem insidiabantur Ludovicus XI. & Carolus Burgundus, hic furiosè, ille callidè; sed utriusque furorem & fraudes Caroli Bituricensis Ducis obitus compressit. Is autem veneno sublatus est ab Abbate Angeriaco ejus Eleemosynario, Ludovico suadente; quare Abbas iste Nannetas in carcerem abductus, in turri fulminatus est; certusque de hominum judicio, Dei manus non effugit. Ludovicus autem hâc morte plurimùm profecit: nam recepit Aquitaniam, Britanno metum, Burgundo desperationem injecit. Sed, quod cæteris præferendum fuit, adscivit tum sibi consultorem optimum Philippum Cominum, prudentissimum virum, quem magnâ ditionis suæ parte Carolus redimere debuerat, nisi jam præceps in exitium ruere cœpisset.

Ludovicus XI. hoc anno suadentibus Præsulibus suis, edixit ut quotidie circa meridiem ad pulsum campanæ B. Virgo salutaretur; unde & in quibusdam locis etiamnum dicitur *Le Pardon du Roy*. Fuit enim hic Princeps reverâ pius (malevoli dixere superstitiosum) & B. Virgini addictissimus, cujus & imaginem plumbeam pileolo suo assutam identidem deosculabatur, maximè cùm ex perduellibus aliquem sublaturus erat, cujus caput, & vitam à suâ Virgine postulabat, petitâ cum osculo veniâ, ut hic quoque tolli posset. Sed & hæc facultas, hoc osculum sæpiùs recurrebant, quàm boni Principis clementia postularet.

Suscepit Legationem in Hispaniam suam Rodericus Borgia Vicecancelarius Cardinalis, postea Alexander VI. tantùm ut se populis suis ostentaret, & quantùm posset ex Castellâ, Lusitaniâ, Arragoniâ nummorum corraderet. Quare nec Populo, nec Clero, nec Principibus fecit satis. Quorum cùm effugisset furorem, Dei non vitavit, alterâ ejus triremium fluctibus haustâ, sæviente tempestate, cum omni prædâ Hispanicâ & 75. domesticis; aliâ quâ vehebatur ipse, fractâ atque conquassatâ, cœlo atque mari in purpuratum prædonem conjuratis.

MUNDI 5526. CHRISTI 1473.

Auspicabimur hunc annum ab egregio facinore Christiani adolescentis, Antonii Siculi, sese ut Turcis incommodaret fortiter deventis. Cùm is Callipoli detentus captivus agnovisset Mahometis classem & armamentarium malè servari, utrique flammas injicere decrevit. Venit ergo Naupliam, ubi Mocenicus in hibernis stabat; huic consilium aperit suum, acceptâque scaphâ, cum pomis venalibus, eò venit, ac sequenti nocte ignem armamentario injecit. Parabat idem classi incendium; sed accurrentibus multis, fugere compulsus est: dumque per Hellespontum redit, demersâ naviculâ, in sylvam proximam secessit, ubi detectus, & ex pomis fluitantibus agnitus, Tyranno fassus est suum facinus, ac ejus jussu per medium sectus doluit tantùm, quòd majus non admisisset. Senatus Venetus ejus fratri censum annuum, sorori assignavit dotem; ut hæredes ejus, fraternæ virtutis meminissent.

Moce-

Mocenicus in Caramaniâ rem bene gessit adversus Turcos, tribus præcipuis eorum urbibus receptis, totoque Regno, quod Principi suo reddidit; ac deinceps Lyciam deprædatus, ab hâc parte multùm damni, plus terroris injeçit.

Aliunde Usumcassanes exercitum Turcicum profligavit etiam, cæso Bassâ Europæ, seu Bedlierbego, filio Thomæ Palæologi Apostatæ, cum multis proceribus: at repetito certamine à trecentis viginti Turcorum millibus, & Persarũ trecentis quinquaginta millibus, cùm nondum Bombardas à Venetis Persa recepisset, quibus Mahometes instructissimus erat, victus est Usumcassanes; &, quod dolendum magis, filium primogenitum, cujus virtute priorem victoriam retulerat, plumbeâ glande trajectum perdidit. Persæ cum Rege suo se in montes Armeniæ receperunt, Mahometes circumpositam regionem depopulatus, rediit Constantinopolin, in singulis stativis quingentos captivos interimens, ut multis in locis crudelitatis suæ, dolorisque monimenta relinqueret.

Obiit hoc anno Iacobus Rex Cypri, reliquitque uxorem suam Catharinam Venetam, de se gravidam, Mocenico, atque Senatui. Ab iis Carlotta, legitima quamvis hæres regni, dejecta; cujus tamen causam sustinere simulavit Archiepiscopus Cypri Catalanus, cum suis Catalanis per totam insulam sparsis, à quibus est invitatus Ferdinandus Castellanus; unde aliquot factæ cædes, quas accedens cum ingenti classe Mocenicus ultus est. Arcibus ille receptis omnibus, ac repressis rebellibus, regnum quietum Catharinæ reliquit, quam sicuti filiam Senatus Venetus consideravit, & ejus amorem legibus & æquitati prætulit.

In Franciâ hoc anno cæsus est Comes Armaniacus, obsessus & captus in urbe Lectorio, in quâ Petrum Borbonium Aquitaniæ præfectum à suis proditum interceperat: adfuit illicò cum Regiis copiis Cardinalis Atrebatensis, cui se Comes, urbsque dedidit: neutri tamen servata fides, urbs fœdè direpta, Armaniacus cæsus, Cardinalis ex hoc facto plus dedecoris, quàm gloriæ retulit, cùm & bellum, & belli gerendi modus hominem addictum Ecclesiæ dedeceret. Erat autem Armaniacus, iste vir nequam, maritus sororis suæ germanæ, adulterato Pontificis diplomate; cujus tandem ultus est crimen Deus, cum huic hominum justitia defuisset.

Carolus Burgundus, Gueldriâ sibi comparatâ à Friderico, Regis ambiebat nomen, promissâ filiâ suâ Mariâ Maximiliano Imperatoris filio. Cùm autem Carolus priùs coronari vellet, Fridericus nuptias celebrari, paratis omnibus ad unctionem ingenti sumptu, summo mane hic Treviros illo insalutato diffugit; in cujus odium Nussiensem expeditionem suscepit, contemptus ab omnibus, qui tantùm impendisset pecuniæ ut irrideretur.

Hoc anno 6. Kal Iun. primùm est confirmata à Sixto IV. regula S. Francisci, atque Minimorum. Hic natus ex parentibus sterilibus, & precibus S. Francisci Asissinatis impetratus, sui sæculi, atque retro deinceps annorum factus est Thaumaturgus, humilitatis veræ, ac solidæ charitatis exemplar; quas virtutes in filiorum suorum moribus, ac nomine voluit elucere; ut nunquam appellarentur, quin Christianæ demissionis meminissent.

MUNDI 5527. CHRISTI. 1474.

Usumcassanes hoc anno multa Christianis pollicitus, hoc est, decies centum armatorum millia, & varia variis Principibus Christianis, bello civili distractus est à filio Unghermanmeto, quem Mahometes auxiliis juvit; tandem hic interceptus parentis jussu necatus est. Inde Usumcassanes arma convertit in Sacrochum Taxnerlanis nepotem, in Sultanum Ægypti, in Cappadocas, Armenos, Georgianos, quos Persico adjecit Imperio; jam toto Oriente, Turcisque metuendus, nec Christianorum indignus auxilii. *Usumcassanis victoria.*

Mocenicus fit dux Venetiarum; ejusque loco Antonius Lauredanus, qui Scodram tam generosè defenderat, præficitur classi; hic statim Naupactum à Turcis servavit; mox Coccinum Lemni insulæ oppidum, ubi Marulla puella, patris ad portam cæsi arrepto ense & clypeo, popularibus suis restituit animos, & Turcos ad naves usque fugavit cum eorum clade ulta parentis necem, & ejus hæreditate dignissima. *Victi Turcæ à Christianis.*

Simeoni Patriarchæ Constantinop. à Mahomete successor datus Raphaël, qui plus pecuniæ pollicitus erat; homo illiteratus, & adeò crapulæ deditus, ut diebus Parasceves, & Paschatis vix pedibus insisteret, & lecto potiùs, quàm throno indigeret. Cùm autem vertente anno pecuniam repræsentare non posset, catenâ ferreâ ligatus à Turco satellite, circum ductus est per domos ad colligendam stipem, ac paulò pòst ex mœrore moriens, facili morte multorum criminum pœnas dependit. *Raphael Const. Patriarcha ebriosus.*

Obiit hoc anno Petrus Riarius Cardinalis S. Sixti, nepos Sixti IV. & opprobrium, dignus ob luxum qui Lucullus purpuratus diceretur, cùm tamen fuisset Minorita, & S. Francisci professus paupertatem, quam eo magis nemo contempsit. Mortuus dicitur ex veneno, veriùs ex cupediis & gulâ, quibus nullum est venenum præsentius. Ejus hæreditatem adiit Hieronymus frater, factus Princeps Imolæ, & Fori-Livii, ejusque in administrandâ re Ecclesiasticâ successor, magno tamen Ecclesiæ bono; vir ingenii durioris, & voluptati minùs patentis. *Mors Card. Riarii Sixti IV. nepotis.*

Novesium seu Nussiam obsidebat Carolus Burgundus, sed acerrimè urbs propugnata est 46. hebdomadis; tandem obsidio soluta, quòd Caroli res Ludovicus Francus turbaret; cui & ille reponebat vicem, sed hanc cautiùs, & prudentiùs Rex vitabat. Conatus est etiam agere veneno Carolus, per Harditum, cui 50. aureorum millia pollicitus erat; sed patefactâ re, veneficus decussatim distractus est, ejusque caput infixum lanceæ, ad majorem atque diuturniorem invitantis contumeliam. *Novesii à Burgundo obsidio.*

Caro-

*Carolus Ferdinandum deludit.*

Carolus Burgundus Ferdinandum deludit, qui filiam suam uxorem pollicitus erat ejus secundo filio; Antonio Notho fratri idoneo pronunciato, qui ei succederet, cùm hic fortiter Ludovico, Francisque resisteret: Sed miser, plus prudentiâ & consilio, quàm armis & virtute indigebat.

*Wladislaus precario regnat.*

Pax denique coaluit inter Matthiam & Casimirum; in quâ felicior ille fuit; hujus filius Wladislaus appetitus veneno, & turpius Hussitarum scommatis, ea dissimulare coactus est; quia tantùm precariò regnabat, & iis qui faciliùs dabant imperia, quàm obsequebantur.

MUNDI 5528. CHRISTI. 1475.

*Stephani Vaivodæ victoria.*

Stephanus Vaivoda, seu Palatinus Moldaviæ, & Walachiæ, cum 30 suorum millibus irruit in Turcorum centum viginti millia, omnesque aut occidit, aut cepit; Bassas 4. cecidit, signa centum rapuit. Ut gratias ageret Deo, sequenti quatriduo in pane & aquâ jejunavit; mox ad Mahometem scripsit, paucosque fugitivos, non ut hostes, sed uti grassatores sibi reddi postulavit. Matthias in partem hujus victoriæ venire voluit, quasi à suo subdito relatam, qui tamen eam turbare conatus erat, emissis in Walachiam sex Hungarorum millibus, quos tamen debellatos Stephanus Turcicæ victoriæ præludia fecerat. Cepit tamen Matthias arcem *Sabacs* ad Savum permunitam; at Turcæ reposuerunt ei atrocem depopulationem, neque victi, neque victores soliti quiescere.

*Genuenses Caffam perdunt.*

Hoc anno Genuenses culpâ suâ perdidere Theodosiam, (vulgo *Caffam*) in Tauricâ Chersoneso Emporium nobile, atque utilissimum Ponti Euxini. Hujus expeditionis, quæ tantum terroris injecit Christianis, dux fuit Acmetes Bassa Epirotes, humili loco natus, sed maximus Imperator, & Mahometi charissimus: cujus uxorem pulcherrimam cùm in balneo corrupisset

*Æquitas Mahometis.*

per vim Mustapha filius Mahometis, questus est apud patrem Acmetes; sed auditus quasi mancipium à domino; paulò pòst tamen non tantùm Mustapham increpuit, sed & nervo strangulari jussit, Sultanum se simul, judicemque professus.

*Iubilæum ad annum 25. revocatur.*

Celebratum est hoc anno Iubilæum, revocatum à Sixto IV. ad annum vigesimum quintum; quod multos etiam Principes Romam accivit. Communicatum est tamen aliquot urbibus, ac regnis, ut plenius esset Pontificis, & ad plures pertinens beneficium.

*Eduardus cum magno exercitu transit in Franciam.*

Eduardus cum majori, quàm antea Rex ullus Anglorum, apparatu transiit in Franciam, bello priùs per Fecialem denunciato; cui Ludovicus bellatorem remisit equum. Carolus Burgundus venit, sed cum exiguis copiis, aut attritis ad Novesium, aut in Renatum Lotharingum missis, Ludovicus Lucemburgius Comes S. Pauli neutri se dedidit, & utrumque delusit Regem. Anglus itaque se proditum ratus, imminente hyeme, & cum magnis copiis Ludovico, qui eum modis omnibus invitabat ad pacem, cùm eo honestis conditionibus decidit, & inducias novennales pepigit (receptâ pecuniâ) quas etiam ab eodem Ludovico Burgundus obtinuit. Comes S. Paul invitatus à Rege, quasi ejus capite (id est consilio) egeret, satis intelligens eum sæpe figuratè loqui, & crudeliter agere, fugit ad Carolum; a quo proditus Ludovico, perduellionis convictus, Parisijs publicè perdidit caput, religiosissimè tamen, & ut solent viri magni, qui se mori vident, ac sentiunt. Carolus autem solutus Ludovici metu, Lotharingiam facilè occupavit, adeoque Nancejum hujus Ducatus caput; cui tantùm restiterat Renatus, quia hunc graviori, & diuturniori bello implicandum putarat. Ludovicus autem festum Caroli Magni 4. Kal. Febr. toto suo regno innovari jussit; cujus, ut & Virginis imploravit opem, quàm hoc tempore nunquam magis necessariam.

MUNDI 5529. CHRISTI 1476.

Stephanus Vaivoda in se irrumpentes Tartaros magnâ clade delevit, eos usque ad Borysthenem fluvium cædendo insecutus. Mox tamen rediere cum Turcis in Walachiam & in eam quingenta hominum millia infudere; quare Stephanus, ad meliora se tempora reservare compulsus est. Repressit tamen eorum excursiones Casimirus cum magnis copiis adventans, quibus territus Mahometes, & peste, ac machinis amissis tempestate, victo similis recessit. Matthias audito Turcarum recessu, ex eo sibi quæsivit gloriam, effecitque ut pecuniâ juvaretur à Christianis, & ad cœlum usque tolleretur. Sed Turcæ eodem ferè impetu in ejus ditionem irrventes, vanas eum quæsivisse laudes docuerunt. Tum quoque idem Matthias à Friderico Imperatore abalienatus est, quod uxorem duxisset Beatricem filiam notham Ferdinandi Regis Neapolitani; quæ nuptiæ Carniolæ, Stiriæ, Carinthiæ direptionibus funestaræ sunt.

Veneti quoque ad Soncium fluvium Foro juliensem magnam accepere cladem, in quâ eorum ductor Hieronymus Novellus, vir militiâ clarus, interiit, duce etiam Turcorum Asabego graviter vulnerato. Hâc victoriâ elati Barbari totam regionem incendiis deformarunt, Alpibus incredibili temeritate superatis. Equos enim suos simul complicatos & conjunctos, per juga præcipitarunt in subjectas valles; quorum conatus nisi cunctatione suâ Carolus Montonius Ductor Venetarum copiarum inhibuisset, actum erat de hâc regione, cùm in eâ omnes de fugâ potiùs quàm dem iis retundendis cogitarent.

Sublato Constantinopoli ebrioso illo Patriarchâ Raphaële, electus est Manuel factus monachus, dictus Maximus, vir eloquens, & charus ipsi Mahometi, cui ostendit vim excommunicationis, in quibusdam anathemate afflatis, quorum cadavera nigra instar tympani intumescebant, nec dissolvebantur in cineres, nisi sublatâ excommunicatione, & precibus adhibitis Ecclesiæ, tum enim reliquorum more hæc corpora in cineres redigebantur; quod in mulierculâ, & duobus Patriarchis, Arsenio & Ioannicio, confirmavit. Id etiam-

etiamnum contingere Patres Societatis nostræ scribunt: in quibus tamen magnum est periculum fraudis & imposturæ, quâ Græculi supra reliquos mortales valent, & hominibus quantumvis prudentibus imponunt.

Hoc anno, qui Tiberis inundatione funestus fuit, & morte Joannis de Regiomonte Astrologi insignis funestior, evocati à Sixto, ut Computum Dionysii Paschalem emendaret, idem Sixtus IV. officium Conceptionis B. Virginis immaculatæ comprobavit, & indulgentiis illustravit: quibus cùm obsisterent Dominicani, retusi sunt constitutione, quâ vetatur alterutra sententia erroris damnari; sicque priorum Catholicorum Beatissimam Dei parentem amor, privatis Theologorum disputationibus ubique terrarum prævaluit.

Carolus Burgundus hoc anno bellum adversus Helvetios nullâ ferè de causâ suscepit, ob pelles aliquot ab iis direptas, aut certè levem in obsidione Novesianâ, & Ferettæ recuperatæ injuriam. Igitur in eos movit, & Gransonium castrum, quod hi eripuerant Carolo Sabaudiæ Duci confœderato suo, aggressus, expugnavit, propugnatoribus ejus omnibus laqueo enecatis. Sed mox adfuere Helvetii auxiliatores, à quibus peditibus, ac ferè inermibus, 4. Non. April. victus, omnia sua impedimenta, & pretiosam suppellectilem perdidit. Victores porrò tam rudes erant, ut aurum pro ære, argentum pro stanno aut plumbo distraherent: suspensi è Gransonio castro honorificè tumulati sunt, eorum loco substituti præsidiarii Burgundi, major accepta est ignominia, quàm clades, omnis equitatus subductus, fuga veriùs, quàm prælium fuit.

Neq; diu quiescere victus Carolus potuit, sed reparato exercitu Moratum Helvetiorum oppidulum obsedit; verùm illico adfuere Helvetii, cum sociis, & equitatu Renati Lotharingi: prælium atrox commissum est 11. Kal. Jul. quo duodeviginti millia Burgundorum perierunt, Carolus fugere, ac latere compulsus. Quo tempore Renatus Dux Lotharingiæ, & Nancejum recepit, ac rebus omnibus ad obsidionem tolerandam instruxit; quod tamen paulò post exercitu reparato Carolus conatus est recuperare. Admonitus à Ludovico XI. ut sibi caveret à Nicolao Campobassio, Apulo proditore, neglexit, qui etiam à Germanis receptus non est ut dubiæ fidei, ideoque pontem Mossellæ occupavit cum magnâ Burgundorum pernicie, quorum hac fugam præscidit. Igitur in Vigiliâ Epiphaniæ, terrâ nivibus albescente, certamen inchoatum, fusi nullo negotio Burgundi, Carolus dejectus equo tribus vulneribus confossus interiit, fratres ejus nothi cum omnibus proceribus capti, reliqui internecione deleti. Ita Carolus, annos natus 44. cùm Principatum annis 9. & mensibus 7. tenuisset, vitam ad Nancejum amisit, cùm priùs ad Moratum gloriam, ad Gransoniũ suppellectilem perdidisset: si ita vir quietis impatiens, & sibi atq; aliis impacatus, frustra sibi pollicitus Imperium Galliæ, & Italiæ, tribus diebus insepulus jacuit, ægrè cognito à suis cadavere. Quare postea à nonnullis vivere creditus est, & 7. añis per Germaniam pœnitentem decurrisse, delusisq; multis tandem disparuisse. Compobassius autem proditor omnibus odiosus, exul & erro tandem vitam citiùs finiit, quàm ejus exigeret crimen; vile mancipium pecuniæ, quâ labefactatus, exitium Carolo, æternum sibi dedecus accersit. *Campobassius proditor.*

Auditâ Caroli morte Ludovicus XI. Burgundiæ Ducatum invasit, & 4. ad Sommonam oppida; & totam ejus ditionem occupasset, si fortiter agere, non more suo callidè voluisset: Sed hoc imprudentissimè, quod Mariam relictam Caroli hæredem aut Delphino, aut suorum Principum alicui non dederit uxorem: at ejus imprudentiam postea Francia, & sensit, & luxit. *Ludov. XI. partem ditionis Caroli occupat.*

Interfectus est hoc anno Dux Mediolanensis Galeatius, in æde, ac festo die S. Stephani, à conjuratis, propter scelera, & libidines intolerandas, anno ætatis 33. identidem has voces appellans *O domina nostra.* Intercepti percussores meritas parricidii pœnas exsolvere, quorum primarius Hieronymus Olgiatus sub carnificis manu etiam versus recitavit, quo sibi famæ immortalitatem ob facinus egregium gratulatus est. Successit patri Joannes Galeatius puer sub tutelâ matris ac procerum, dum multi Principes in hunc Ducatum nequicquam inhiarent. *Galeatius Dux Mediol. cæditur.* *Succedit ei Ioan. Galeatius.*

MUNDI 5530. CHRISTI 1477.

Turci Crojam Epiri primariam deditione receperunt: Scodram quoq; fortissimè antea propugnatam, cum Tænaro Laconiæ promontorio, & Lemno insula, cum pensitatione octo millium aureorum Veneti Mahometo tradiderunt: sicq; redemere pacem, ut comercia liberè per Græciã exercerent, utilitatis quàm gloriæ cupidiores. *Veneti pacem à Turcis emunt.*

Matthias Hungarus Fridericum appetiit bello, ipsamq; Viennam obsedit, latè Austrâ depopulatâ. Imperator meticulosus, & quietis amans, pacem redemit pecuniâ quàm nonnisi coactus, & novo tentatus bello numeravit; scientior numos colligere, quàm effundere. Aliunde filius ejus Maximilianus Mariam Burgundam Gandavi duxit uxorem, frustra Ludovico, per Gaguinum Historicum in Germaniam missum, repugnante: ex quâ intra annum vertentem natus est Philippus Caroli V. pater, affinitate tam utili Austriæ familiæ, quàm Franciæ perniciosâ. *Maximilianus ducit uxorem Mariam Burgundã, ex qua natus Philippus.*

Alphonsus Lusitaniæ Rex, contra suorum consilium profectus in Galliam, ad petenda auxilia contra Castellanos, toto anno delusus est à Ludovico XI. itaq; statuit fugere Romam, ibiq; relicto sæculo Hierosolymam proficisci; scripsit itaq; epistolas duas, unam ad filium ut statim capesseret regnum, alterum Ludovicum quâ reddebat rationem fugæ suæ. Verùm interceptus ab eodem Rege, cum classe, emissus est in Lusitaniam, quò appulit die quintâ ab inauguratione filii. Is statim obviam processit patri, eiq; restituit regnum, quod aliquot annis prudenter administravit, composito etiam de successione Castellæ negotio: quod regnum sine dubio consecutus esset, si cum auxiliis maturiùs accessisset; tergiversatione Ludovici, tanti momenti evanuit. *Alphonsus Lusitanus ex Gallia redit in regnum.*

Obiit hoc anno Campanus orator eximius, & poeta, matre rusticâ natus, quæ eũ sub lauro pere- *Campanus obit.*

pererat; à patre destinatus opilio, datus est famulus Sacerdoti, sub quo litteras didicit; factusque Perusinæ Scholæ moderator primò, deinde Episcopus creatus alias oves pascendas suscepit, quàm quas ei parens villicus addixerat.

MUNDI 5531. CHRISTI 14 8.

*Usumcassano succedit Iacuppus.*

Mortuus est hoc anno ætatis 78. Usumcassanes; cui successit minor filius Iacuppus dictus *Chiorzeinal*, id est Monoculus, qui eâdem quâ pater obiit die fratrem natu majorem interemit. Is annis 7. regnasse perhibetur potatus veneno ab uxore suâ impudicâ, cujus tamen haurire partem cum filiolo coacta est. Reliqui Persidis Principes nullius nominis extitere, usque ad Ismaëlem *Sophi*, in quo visa est Persica dignitas reflorescere.

*Henricus postea VII. subducitur.*

Henricus Richemontiæ Comes ex sanguine Henrici VI. Angliæ Regis, quem Eduardus necaverat, postulatus est hoc anno à Francisco Britanniæ duce, grandi oblatâ pecunia, verbo ad nuptias, re ad necem. Verùm cùm ex mœrore Sammaclovii incidisset in febrim, revocatus est à Francisco; servatus diligenter, donec ex carcere ad Anglicum thronum ascendit, ut huic prænunciarat Henricus VI. non inanis vates.

*Georgius Dux Clarentiæ in vino Cretico suffocatur.*

Eduardus Angliæ Rex, variis de causis iratus fratri suo Georgio Clarentiæ Duci, hunc per duellium supplicio addixit, sed id imminuit mater; dataque huic pœnæ optio. Selegit Princeps vinolentus, dulce quidem, sed infame mortis genus, videlicet ut in dolio vini Cretici, seu Malvasiæ suffocaretur; neque turpissimæ voluptatis, dum moreretur oblitus.

*Turbæ Scoticæ sub Iacobo II.*

Turbari cœpit hoc anno Scotia, Jacobo II. Astrologiæ deditissimo, per Andream quemdam veteratorem dementato; per quem & ejecti proceres, & vilibus homuncionibus commissa est regni administratio. Ab iis etiam Regis frater Joannes Murriæ Comes venâ sectâ interiit: Albaniæ Dux Alexander, datus in custodiam, fugit in Franciam, inde ad Eduardum. Interim Scoti proceres, duce Arcimbaldo Duglassio, ἑταίρους illos Regis captos suspendio necaverunt; Jacobum in custodiâ Edimburgi retinuerunt; ex quâ retractus est à fratre Alexandro cum Anglicis auxiliis: qui tamen mox iterum in Franciam fugere ob novos tumultus compulsus, ibidem obiit, frater melior, quàm fortunatior.

*In Medicæos dira conjuratio.*

Tetra est hoc anno in Medicæos orta conjuratio; quorum artifices fuere Pazzi, seu Pactii eorum æmuli; author, uti creditum est à plerisque, Sixtus ipse Pontifex, aut minimùm Hieronymus Retiarius ejus nepos. In Ecclesiâ majori. 6. Kal. Maji. cæsus est Julianus minor natu, Laurentius leviter vulneratus, in jugulo fugit in sacrarium, portisque æneis, quas pater ejus Petrus posuerat, defensus est Cardinalis Raphaël Retiarius adolescens, conspirationis ignarus, datus est in custodiam, Franciscus Salviatus Archiepiscopus Pisanus suspensus est laqueo è fenestris palatii; quò advolarat, quasi re confectâ. Pazzi cæsi atque tracti, eorum opes direptæ, Medicæorum hoc casu firmata potentia; nequicquam in eos & Florentinos fremente Pontifice, & Ecclesiæ fulmina bruta non satis prudenter collibrante. Adjuti sunt enim Florentini equitibus cataphractis Ludovici, & principum Italiæ auxiliaribus copiis; quæ tamen iis parum profuissent, nisi Ferdinandus sapienter à Laurentio placatus esset, Sixtum Turcus imminens Rhodo, atque Italiæ, mitiùs agere compulisset.

*Lud... tra... Sixt... pa.*

Ludovicus XI. terrere conatur Pontificem revocatâ Pragmatica Sanctione, Annatis abrogatis, & petitione Concilii. Sixtus eum verbis demulcere conatus, nihil profecit: nec enim facilè fuit verba dare Principi callidissimo, & alios deludere consueto.

*Inq... prim... cho... Cas...*

Hoc anno primùm instituta est in Castellæ Regno inquisitio propter Mauros, & Judæos; cujus cura demandata est Thomæ à Turre Cremata Dominicano, adnitente Petro Gundisalvo Hispaniæ Cardinali. Per eam Fides in hisce regnis servata est; hæresis quò minùs ea subiret; prohibita; judicium improbis valde metuendum, bonis quandoque in his tantùm partibus necessarium.

MUNDI 5532. CHRISTI 1479.

*Tu... Wa... vic...*

Turci centum millia armatorum sub quinque ducibus in Walachiam immiserunt, qui operâ Stephani Bathorii ab Hungaris adjuti internecione deleti sunt: quamobrem hanc victoriam Stephanus acceptam Matthiæ retulit. Item Mathias paulò pòst Fridericum invasit, promissamque pecuniam armis repetiit; quamquam ab aliis aliæ causæ suggerantur, quæ nunquam Principibus bellum inferentibus desunt.

*Ge... Du... Ba... gos... gu...*

Pontifex rogatus à multis Principibus Christianis, ut pacem Florentinis daret, semper aures occlusit. Eodem tempore Genua Mediolanensiûm Ducum jugum excussit, creato Duce Io: Baptistâ Fulgoso, cum octovirorum consilio: quod tandem Italici belli per Francos seminarium fuit.

*Pu... Gu... tum... Fra... cto... sun...*

Bellum autem inter se gerebant Maximilianus, & Ludovicus: huic tamen (quod mirum) dolo ac fraudibus ille prævaluit. Pugnatum inter eos ad Guinegatam, non procul à Tervanâ, quam obsederat Maximilianus; victique Flandri, & Austrii, à Philippo Vesquerdo, ex fugâ resumpserunt animos, & palantes atque effusos in prædam ipsi vicissim Francos profligarunt, operâ Comitum Romontii, & Nassovii. Campus & victoria Maximiliano cessit, sed Cadmæa; quare non est ausus redire ad obsidionem Tervanæ.

*Nob... susp...*

Certatum postea inter utrumque, sed crudeliùs quàm generosiùs, & nobili Vasconi per Austrios suspenso litatum est nobilibus quinquaginta captivis, in conspectu Insularum & Atrebati, quorum furcas atque supplicium 800. cataphracti equites, & sex peditum millia cohonestarunt.

*Obi... Rex... gon...*

Obiit hoc anno Joannes Rex Arragonum 14. Kal. Febr. ætatis 81. cùm 7. mensibus; cujus morte pax Hispaniæ data. Ferdinandus successit patri; Joanna bellorũ causa, Conimbricæ facta Clarissa, dedecus suum crucis ignominiâ sapienter obruit.

Famosus

Famosus erat hoc tempore Salmanticæ Petrus Oxomensis, multorum errorum parens, sicut in Germaniâ Joan. Ruchardus, ambo damnati: hic in cœnobium Augustianorum relegatus obiit ex mœrore, morte superbis hominibus familiari. Felicius excessit è vivis Jacobus Amanatus Picolomineus Cardinalis Papiensis, cujus Epistolæ plurimùm illustrant Historiam, ut ejus prudentiam, & eruditionem testantur.

Hoc anno fundatum videtur IMPERIUM MOSCOVITICUM, cùm Joannes Basilii, vulgò Dux Magnus, Novogardiæ Russiæ Metropolin occupasset. Erat antea Moschus Tartarorum vectigalis, ac prope mancipium; sed eorum jugum fortiter excussit, impellente Græcâ conjuge, & potitus callidè Novogardiâ, tantùm inde divitiarum exportavit, maximè ex ædibus Archiepiscopi, ut finitimis deinceps metuendus esset, cùm nihilominus Novogardiensibus civibus tertiam bonorum suorum partem reliquisset, ut potè quos subditos divites, non attritos, vellet, & ad Imperii sui tutelam paratiores.

MUNDI 5533. CHRISTI. 1480.

Mahometes II. hoc anno Rhodum obsedit per Vizirem suum Mesitem; quam defendit fortiter Petrus Albussonius Arvernus Magister Equitum S. Joannis Hierosolymitani. Urbis mœnia vægrandibus machinis labefactata corruerant, eamque subierant Turci, sed semper erant repulsi Equitum armis; quæ tamen mihi profuissent, nisi Deus adjunxisset auxilia. Hic enim ostentis Turcos terruit, quibus & octo millium suorum cæde, & 15. millium vulneribus labefactati reliquerunt Insulam; illustre Christianæ virtutis monimentum.

Eodem tempore Mahometes ad distinendum Ferdinandum, ne suppetias Rhodiis ferret, miserat Geducem cum ingenti classe in Italiam. Hæc Aulone (vulgò *Valona*) Epiroticâ solvens, Hydruntum appulit, & hanc urbem diebus septemdecim tormentis graviter verberatam expugnavit. Nusquam sævitum atrociùs; duodecim millia Christianorum cæsi, vel abducti; Archiepiscopus senex serrâ ligneâ sectus, aut vivus excoriatus; prægnantibus alvi apertæ; senes equorum ungulis conculcati; virginibus omnibus, & matronis illatum dedecus. Tantus autem Italos incessit timor, ut eorum plerique de deserendâ patriâ cogitarent, ipse Sixtus respectaret Galliam. Resumptis demum animis, pacem Florentinis dedit, & Principum Christianorum imploravit auxilium. Turcæ verò Lauretanam ædem cupientes expilare, ad ejus aspectum tanto terrore correpti sunt, ut hunc divinitùs injectum homines improbissimi faterentur.

Hoc anno recreatus ex gravi morbo Ludovicus XI. Cardinalem Baluem jam annis undecim carcere maceratum dedit precibus Juliani Ruverci nepotis Papæ in Gallia Legati. Balues autem Romam non salutato Rege reductus, à Pontifice atque Cardinalibus humaniter habitus est; immo etiam mortuo Ludovico meruit Gallicam Legationem, ut ejus ignominia, & carcer utcumque relinerentur.

Tum primum fœdus initum est inter Ludovicum, & Helvetios; quorum ille primus civis, & fœderatus renunciatus est. Horum operâ Franci Reges utiliter usi sunt, & sine dubio his servatam religionē debemus, ob fortitudinem in prælio Druidensi, in quo supra homines pugnavere. *Primum fœdus Francorum cum Helvetiis.*

## CAP. IX.

## *Decas Nona,*

### *Ab anno Christi* 1480. *ad* 1490.

MUNDI 5534. CHRISTI 1481.

MOritur hoc anno Mahometes II. dum bellum parat in Rhodios, Sultanum Ægypti, & Italiam, de ætate ejus, atque regni diuturnitate nihil statui potest, scriptoribus in diversa distractis. Successit ei filius natu major Bajazethes II. ægrè tamen, cùm proceres in minorem ejus fratrem Zemem seu Zizimum propenderent, utpotè bellicosiorem, & humaniorem. Sed cùm hunc ille prævenisset, Zemes Prusam invasit ut saltem Asiatico potiretur Imperio: verùm victus ab Acmete Bassâ ad Neapolin Natoliæ, fugit in Ægyptum, inde Mecham; rursum junctis cum Caramano viribus fugatus Rhodum confugit, unde missus est in Arverniam ab Albussonio, vixit Burginoni, permittente Ludovico XI. ubi liberaliter habitus est (Bajazethes enim in ejus alimenta 45. millia aureorum accuratè quotannis Rhodiis persolvebat) qui tamen Legatos pro ipso missos, & in provinciam appulsos, statim regredi jussit; nec voluit unquam videre Zemem, quamquam id enixè postulantem, quia Saracenus erat; facto Principis verè Christianissimi. *Moritur Mahometes II succedit ei Bajazethes II.* *Zemes ejus frater vixit in Franc.*

Turcæ Hydruntini, morte Mahometis auditâ, & apparatu Christianorum, accepto commeatu recedunt in suam Græciam. Hoc metu soluti Itali ad ingenium suum, hoc est, ad bella civilia redierunt; tunc autem vænalia facta sunt Curiæ Romanæ officia, antea ex necessitate; postea affinium & consanguineorum Pontificis ditandorum sæpe luculenta materies. *Recedunt ex Italia Turci.*

Matthias quæ debuerat arma convertere in Turcum expediit in Fridericum, urbes aliquas cepit, immo & Viennam obsedit. Principes quidam Christiani Turcis immixti bellum religiosiùs confecere: Nicolaus enim Gingi Dux Macedoniæ ditionem recuperavit suam, magna edita strage Turcorum, sicut & Joannes Cernovicius, quem nonnulli cum Joanne Castrioto confundunt, distinguunt aliqui, uterque aut alteruter dignissimus qui sua ferro recuperaret. *Matthias appetit bello Fridericum.*

Obiit hoc anno Alphonsus Lusitaniæ Rex, vir magnus, & religiosus, dictus *Captivorum Redemptor.* Successit ei Ioannes II. filius, cognomento *Magnus*; cujus est opus Castrum S. Georgii de Metallis *S. George de Mina*, in Guineâ; quam ditionem pater ejus acquisierat, filio præsidio servavit, & ad reddendum aurum reddidit aptiorem. *Moritur Alph. Lusit. Rex, succedit Ioan. II.* *Castrum S. Georgii de Mina.*

Mortuus quoque Rex Danorum Christernus, vir eximiæ, ac propè nimiæ liberalitatis: successit ei filius major natu Ioannes, non inferior patre, at longè multò fortunatior. *Moritur Christiernus, ei succedit Ioannes.*

MUNDI 5535. CHRISTI 1482.

*Moritur Maria Burgunda.*

Obiit hoc anno Maria Burgunda uxor Maximiliani, relictis duobus liberis Philippo & Mariâ, quorum tutela ægrè patri commissa est, nec nisi civitatibus in ejus societatem adscitis (quas sibi Ludovicus demeritus erat) & maximè Gandavensibus. Tum verò iidem Gandavenses cum Ludovico pepigere fœdus, & Mariæ nuptias cum ejus Delphino, dotemque Comitatuum Burgundiæ, & Artesiæ spopondere. Quare Maximiliano agendum fuit adversùs Gandavenses, ut iis Philippum filium eriperet, non satis in eorum manibus tutum.

*Ludovic. ægr. advocat. S. Franc de Paula.*

Ludovicus gravi atque diuturno implicitus morbo, aliunde appetentissimus vitæ, nullũ non invocavit Sanctum ut valetudinem recuperaret. Evocavit etiam ex Calabriâ S. Franciscum de Paulâ, sed hîc plus salutẽ ejus animæ, quàm corporis curandam duxit. Iacobo Corterio medico suo singulis mensibus decem aureorum millia numerari curabat; huic parebat ut pusio pædagogo, & increpitus, probrisque vexatus hiscere non audebat; munierat ædes suas ferreis clathris, tempusque eum vilibus homuncionibus conterebat; quæ satis innuunt eum plus animi, quàm corporis remediis indiguisse. Morti ergo vicinus sanctis monitis filium suum instruxit, ne facilè quemquam ministrorum mutaret, quod sibi perniciosum fuisse cognoverat; jussit etiam exonerari tributis subditos suos, quæ ante hunc tam levia fuerant, ut vix annuum censum Ducis hujusce nostri temporis æquarent, hoc est, dies octo centenarum librarum Turonensium, cùm Rex iste tributa ad quadraginta septies centena librarum millia promovisset, quæ summa morituri Ludovici conscientiam vexabat acerbiùs; sed Principes aliter in vitâ, aliter in morte sentiunt.

*Populum tributo levari jubet, & se ad mortem parat.*

*Pestis atrox in Francia.*

Sæviit hoc anno in Franciâ pestis peracerba, quâ afflati dabant se ex tectis præcipites, aut in fluvium, aut puteos ruebant ululantes; multi hac nobiles, multi Præsides, & Senatores afflati; nec enim illa purpuram à pannis distinxit.

*Bellum in Mauros Hispanienses.*

Denique hoc anno exortum est bellum Granatense in Hispaniâ adversus Mauros, quod decennio, tenuit, magnis utrimque cladibus, capto ab his Zaharâ oppido, à Christianis Alhama. Tum autem Ferdinandus impetravit à Sixto Bullam Cruciatæ, & Indulgentias, magno Christianitatis majori Regii fisci emolumento.

MUNDI 5536. CHRISTI 1483.

*Moritur Lud. XI. succedit ei Carolus VIII.*

Mortuus est hoc anno Plessiaci ad Turonas Ludovicus XI. 3. Kal. Sept. annos natus 61. cum diebus 55. cùm regnasset viginti duos annos, nuncio mortis æquiùs, quàm sperabatur, accepto, precibus & adhortationibus S. Francisci Paulani. Sepeliri voluit Clariaci à Cleri in æde B. Virginis, cui addictissimus erat, malus filius, malus pater, malus maritus, malus frater, sed Rex bonus, & qui Reges Francicos sui juris fecit. Eo mortuo, de tutelâ Caroli VIII. disceptatum, quam Ludovicus moriens Petro Borbovio domino bellioci genero suo, ejusque uxori Annæ consultissimæ fœminæ mandarat, sed obsistebant Principes Regii sanguinis; verum hæc controversia non ultra annum tenuit, cùm jam Carolus esset tredecim annorum, sed pusillis & exilibus membris, ideoque nullis imbutus artibus, & præterea quia pater ejus satis esse putabat si hoc latinè sciret *nescit regnare, qui nescit dissimulare*. Servata ergo voluntas Ludovici morientis; sed ejus rescissa in domesticos dona, cum nonnullorum supplicio, quod abusi infirmitate Regis, ultra quàm par esset res suas cum fisci damno promovissent.

*Fran. Phœ. cedit ... thar. Alel. uxor.*

Ludovicum præcessit Franciscus Phæbus Rex Navarræ, nepos ejus, annorum 15. sed expectationis magnæ; cui successit Catharina soror, nupsitque Ioanni Alebreto, fremente Ferdinando, qui hanc filio infantulo suo pollicitus erat, nec quievit donec id fraudibus obtinuit, quod nuptiis, ac jure speraverat.

*Edu. Ang. tus r. inv. frat. car.*

Præcesserat utrumque Eduardus Angliæ Rex dum bellum parat in Francos, ætatis anno 53. regni 23. relictis duobus filiis Eduardo Principe Walliæ, & Ricardo duce Eboracensi; sed his prævaluit patruus Ricardus Glocestriæ Dux, causatus fratrem suum ex adulterio genitum, eisque vitam & regnum eripuit; vi ac cædibus Tyrannidem, sed non diuturnam consecutus.

*Io. Fulg. exa. tus scri.*

Hoc anno Genua bello domestico laboravit, exauthorato Io. Baptistâ Fulgoso, qui ut dolorem leniret suum, animum ad scribendum appulit, librosque reliquit 9. dictorum ac factorum memorabilium, instar Valerii maxim, Italico idiomate, quos in Latinum vertit Gilinus Mediolanensis. in quibus tamen nimium indulgens ultioni, in patruum suum Paulum Archiepiscopum evomuit, quæ nec nepotem, nec Christianum, nec hominem sanum satis decerent.

*Hu. ban. vea.*

Hussitæ in Bohæmiâ furores antiquos renovarant, quos foverunt Georgii filii, & Mathias Hungarus, ab hoc regno exclusi: quominus autem eorum audaciam reprimeret Wladislaus Polonus, impediit nondum bene stabilitum regnum, hæreticorum insidiæ, quas prudenter declinavit; sicque non tantùm sibi Bohæmicum, sed & Hungaricum vindicavit.

*Na. Lut.*

Denique hoc anno Islebii in Saxoniâ natus est Martinus Lutherus, ex tenuibus parentibus; hunc aliqui ex Incubo genitum putarunt, sed ex odio magis, quàm quòd ita putarent esse. Cùm autem Lotter, aut Lauther, appellaretur, quæ vox *Scurram* sonat, *Luther* dici voluit, hoc est purus, ut se Manetis æmulum profiteretur.

MUNDI 5537. CHRISTI 1484.

*S. Io. sta rec. Rh.*

Albussonius magister Equitum Rhodiorum accepit à Bajazethe Turcorum Imperatore S. Ioannis Baptistæ dexteram manum, quam magnâ veneratione susceptam inclusit pretiosissime, ut

non

non minùs religiosè in insulâ Rhodo, quàm Constantinopoli, & tutiùs coleretur.

Obiit hoc anno Sixtus IV. ex mœrore, uti creditum est, de bello Ferrariensi, & Venetis non satis atteritis, ætatis anno 70. Pontificatus 14. inchoato. Ejus est opus pons impositus Tiberi ab Antonino Pio primùm conditus; sed ejus qui repararat prævaluit nomen. Conatus est reconciliare S. Thomam & Scotum, Dominicanos & Minoritas; in quos (uti loquitur Spondanus) *non tantum fluenta sed & magna maria gratiarum effudit.* Impensè laudatus est à Theodoro Gazâ, qui ei libros Aristotelis de Animalibus nuncupavit; sed postea contempsit, cùm eum in se parcum agnovisset. Verùm has in viros eruditos sordes non fuisse proprias Sixti, sed Urbis Romanæ conquestus est Raphael Volaterranus, qui plures viros doctos Romam adventantes, fame compulsos indidem demigrare, tam dolenter deploravit, quàm verè. Hieronymus autem Riarius Sixti nepos, cujus causâ tantùm miser avunculus laborarat, pòstea in urbe Foro livio, ubi Tyrannidem exercebat, seditione populari necatus, è fenestrâ palatii projectus in forum, ostendit quò ejus anima post obitum præcipitasset.

Sixto datus est successor Io. Baptista Cybo nobilis Genuensis, dictus Innocentius VIII. prid. Id. Sept. anno natus 51. qui statim Principes Christianos ad concordiam invitavit, in communem hostem Christianitatis, pari cum antecessoribus ardore, parique fructu.

Res Christiana non malè procedebat in Hispaniâ ex Maurorum Principum discordiis inter nepotem & patruum, cùm hic ob fortitudinem, & victorias aliquas fratri suo antepositus esset; sed cùm interemisset hic fratrem & cœcum, & senem, & aliunde victus esset ad Malacam, exauctoratus est; Maurorum negotia, quæ concordiâ creverant, discordiâ defluxere.

Obiit hoc anno S. Casimirus filius secundogenitus Regis Casimiri Poloniæ Regis, annos natus 24. 4. Non. Mart. miraculis post obitum clarus, & Lithuanorum suorum propugnator egregius, à Leone X. anno 1521. Sanctorum adscriptus albo, magnæque jam in Ecclesiâ venerationis.

Detectum est hoc anno regnum Congo in Æthiopiâ per Jacobum Canum nobilem Lusitanum, cujus primitiæ quatuor nobiles adolescentes per sanctum lavacrum asserti sunt Christo, sementisque jacta multorum Christianorum, atque laborum.

MUNDI 5538. CHRISTI 1485.

Hic annus, qui Leopoldum, dictum Pium Marchionem, Sanctorum numero vidit adscriptum, miratus est quoque Innocentium ægrotantem sanatum B. Virginis Annunciatæ Florentinæ beneficio. Pontifex sanus statim appetiit bello Ferdinandum Neapolitanum; cum quo tamen pacem Ecclesiæ non satis honestam inire compulsus, ostendit sibi vel prudentiam, vel felicitatem defuisse.

*Vienna capitur.*

Viennam Austriæ hoc anno Matthias cepit, cum magno Imperatoris dedecore; qui tum per Germaniam circumcursans, in parietibus stabulorum scribere solitus erat, *rerum irrecuperabilium summa felicitas est oblivio.* Matthias Austriam bonis legibus temperavit, non tamen satis religiosus in Archiepiscopum, quem clausit carcere; tum autem ad eum venit Ant. Bonfinius Asculanus, scriptor Hungaricæ Historiæ, amantior tamen Mecœnatis sui, quàm veritatis.

*Matthiæ Regis prudentia.*

*Henricus VII fit Rex Angliæ.*

Henricus Richemondiæ Comes, diu à Francisco detentus, invitatus in Angliam, acceptis à Carolo VIII. auxiliis in Walliam appulit, vicit Ricardum, & occidit, ductâque Eduardi filiâ rex acclamatus est Henricus VII. Per eum sublatæ discordiæ inter familias Lanclastriam, & Eboracensem; primus stipatores sui corporis adhibuit, quibus Angliæ Reges jampridem indigebant.

*Sudor Anglicus.*

Contigit & tum dira lues, dicta *Anglicus Sudor*, antea nunquam audita vel visa, salvis tantùm iis qui calorem, & sudorem ferre possint. Tum enatas ipse conjurationes, immo & bella Henricus sustulit; in quibus non se strenuum modò, sed & facilem, contra hujus gentis indolem & genium, ostendit.

MUNDI 5539. CHRISTI. 1486.

*Turcus, & Sultanus Ægyptius commissi.*

Commissi sunt hoc anno Bajazethes Turcus, & Caitbejus Sultanus Ægypti Circassus à Mamalucis evectus ad solium. Hic Zemis uxorem cum liberis magni belli sementem receperat, & repetitos à Bajazethe reddere noluerat. Victi duo Turcorum exercitus cum duobus fortissimis ducibus in Ciliciâ; & tertius eandem aleam subiisset, nisi ductor certamen prudenter detrectasset.

*Maximil. Austrius creatur Rex Ro.*

Hoc anno creatus est Rex Rom. Maximilianus Austrius. 5. Id. April. Aquisgrani coronatus, nequicquam prohibente Matthiâ Hungaro: sed huic diuturnum patris Imperium, & res in Francos gestæ hanc dignitatem peperere. Eodem Conventu Francofordiensi quo electus Ro. Rex, statuta lex de pace Germaniæ; unde & postea natum, *Suevicum fœdus*, & *Clypeus Georgianæ Societatis*, quod qui sequerentur clypeum gestare cogerentur, instituto meliori quàm fructu.

*Maximil. & Carol. VIII. sibi invicem minantur.*

Maximilianus & Carolus VIII. ad se invicem minaces dedere litteras, ut solent qui timent, & timeri volunt; unde tamen quo essent in se invicem animo docuere.

MUNDI 5540. CHRISTI. 1487.

*Bellum insanum dictum.*

Excitata est ingens hoc anno in Flandria seditio, ob pecunias imperatas, quæ in bellum Francicum absumebantur, & auxilia mittenda Ludovico Aurelianensi, ac Britoni, adversùm Ludovicum rebellantibus: tum enim furebat bellum Insanum dictum *La Folle guerre*, sub auspiciis Ludovici, qui veniâ sæpe petitâ, & exoratâ, confugerat in Armoricam. Multas igitur urbes Carolus recepit, multum

tum damni Flandris ac Britonibus intulit, quibus suppetiæ multo sanguine, multis pecuniis ſtetere.

*Matthias & Carolus VIII. conveniunt.*

Eodem tempore pacem iniere Matthias, & Carolus, miſſis legationibus magnificentiſſimis, ut Maximilianus & Fridericus diſtinerentur. Petebat & Matthias ab Albuſſonio Zemem, ſed jam Pontifici traditus erat; miſit ergo Matthias ad Bajazethem legatum, qui cæſus eſt à Turco Gaze, ultore privatæ injuriæ, ac fraternæ cædis, nec diù poſt ultionem vivere permiſſo.

*Damnatæ Io. Pici 13. concluſ.*

Damnatus eſt hoc anno liber 900. Concluſionum Ioan. Pici Mirandulæ & Concordiæ Comitis ab Innocentio VIII. Hic annos natus 24. de rebus omnibus divinis & humanis diſputare conatus, obtulerat has concluſiones; quarum 13. inventæ ſunt erroneæ, & in quibus plus ingenium, quàm fidem, propugnator oſtendebat.

*Detectum Bonæ Spei prom. & India atq; Æthiopia.*

Detectum eſt hoc anno à Bartholomæo Didacio nobili Luſitano Promontorium Africæ, in Auſtrum plurimùm procurrens; admodum procelloſum, dictum *Le Cap Tempeſte*, ob crebras ad id tempeſtates; quod tamen Rex, Bonæ Spei dici voluit, *Le Cap de bonne Eſperance.* Miſſi quoque terreſtri itinere Petrus Coüilanus, & Alphonſus Payava, quorum ille Armuzam, & Calecutum inviſit, hic Æthiopiæ, & Prætejanis ditionem; quorum litteris excitatus Ioannes Luſitaniæ Rex ea ſuſcepit, quæ vix ab omnibus Europæ Principibus ſuſcipienda videbantur.

*Quomodo Dux Sabaudiæ dicitur Rex Cypri.*

Obiit hoc anno Carlotta, Regina Cypri, Romæ, quò ſe depulſa receperat, ibique victitans ex penſione ſummi Pontificis. Hæc cùm res ſuas depoſitas videret, coram Papâ & Cardinalibus renunciavit regno Cyprio in favorem Amedæi Sabaudiæ Ducis, fratris Ludovici olim conjugis ſui: quæ donatio excuſſa diligenter coram Clemente VII. & Carolo V. Imp. legitima judicata eſt; unde Sabaudus dixit ſe Regem Cypri; Venetis contradicentibus; Selimus, nec horum, nec illius eſſe voluit.

MUNDI 5541. CHRISTI. 1488.

*Maximilianus à ſuis captus & ſolutus.*

Detruſus eſt hoc anno à ſuis Brugenſibus in cuſtodiam Maximilianus & fruſtra eum Pontifex anathematis, pater Principibus evocatis eximere ſtuduit, cùm tandem Carolo Franco à ſuis Gandavenſibus tradendus eſſet, ipſe à Brugenſibus, omnia pollicitus, libertatem impetravit. Tum initum magnum fœdus inter Auſtrium, Anglum, Hiſpanos adverſus Carolum VIII. quos omnes irriſit, ac vicit ad S. Joannem de Cormerio in Britanniâ per Ludovicum Tremolium annorum 26. adoleſcentem, ubi de Britonibus, eorumque confœderatis triumphavit, capto Ludovico Aurelianenſi rebellium duce, aliiſque permultis. Ludovicus carcere concluſus eſt ferè triennio, datuſque demum Ioannæ ejus conjugi, à fratre ejus Carolo didicit faciliùs Reges flecti precibus, quàm armis labefactari.

*Caroli VIII. victoria de Britonibus.*

Cum Britonibus confecta pax, eâ lege, ne filiæ Ducis Franciſci, Anna & Iſabella, ſine conſenſu Regis cuipiam nuberent. Nec ita multò pòſt earum pater Franciſcus ex lapſu in lethalem incidens morbum obiit religioſiſſimè, chariſſimus ſuis, variaſque vices expertus, dum plus poſſe voluit, quàm Ducis dignitas poſtulabat. Ejus autem filiam Annam, defunctâ ſorore ſuâ Iſabella, prenſabant Carolus Rex, Maximilianus, Ludov. Aurelianenſis, meritò Rex cæteris antepoſitus eſt à Britonibus, qui Margaritam Maximiliani filiam jam in cunis ſibi deſponſatam, & tum novennem virginem dimiſit, quoniam ſic regni ratio, paxque poſtulabant.

*Genu[a] dedu[nt] Lud. [Sfor]tiæ.*

Genuenſes pertæſi dominationis ſui Archiepiſcopi Pauli Fulgoſi dedunt ſe Ludovico Sfortiæ Duci Mediolanenſi cognomento Mauro, à fuſco colore. Hic præfecit urbi Adornum Vicarium, Paulus Romam fugit, vir peracris ingenii, ſed acerbioris, & qui meliùs arma, & quàm pedum tractare norat, Dux veriùs, quàm præſul & Cardinalis.

*Iacob. III. à Scot[is] ſus.*

In Jacobum III. Regem ſuum Scoti inſurrexere cùm ſe hic totum voluptatibus immerſiſſet, & victum interemerunt, ac jure cæſum in Comitiis declararunt. Succeſſit ei filius Jacobus IV. annorum 16. patre & corpore & animo longè præſtantior, cujus prudentiâ pax in hoc regno reſtituta eſt: & ut pœnitentiam pro ſuis ſubditis ageret, quoad vixit catenam ferream geſtavit, cui quotannis addebat annulum, ut cum vitâ ejus quoque mœror creſcere videretur.

*Succ. Iaco.*

MUNDI 5542. CHRISTI. 1489.

*Vene[ti] pri[u] Cat[hari]na.*

Veneti hoc anno potiti ſunt inſulâ Cypro, Catharinâ Reginâ iis jus omne ſuum cedente; quæ in agro Tarviſino oppidum Aſulum accepit, ubi vixit uti Regina cum nothis filiis Jacobi; inſula deinceps per Vicarios adminiſtrata, reclamante ſemper, & ſingulis quinquenniis, Sabaudiæ Duce; ſed melior ſemper fuit conditio poſſidentis.

*Zem[es] Tur[co] trad[itus] Pon[t.]*

Datus hoc anno Pontifici à Carolo VIII. Zemes Bajazethi frater, ſed additis conditionibus, ſub pœnâ decem millium librarum auri; videlicet ut ſervaretur ſemper à Rodiis equitibus, nec de illo niſi conſulto Rege ſtatueretur. Venit ergo Romam annos circiter natus 40. vultu ferox, & Turcicum animum vultu referens, quo pedes Pontificis oſculari renuit; ut terriculam ſemper oſtentatus Bajazetho, qui ſemper 45. ducatorum millia quotannis accuratè perſolvit, & hac pecuniâ certam ejus cuſtodiam prudenter redemit.

*Inte[r Ma]xim[il.] Car[ol.] pax [ini]tur.*

Omnia ſpectabant ad bellum inter Carolum, & Maximilianum; & Angli erant in partibus, eorum tamen Rege reclamante, ne ingratus videretur. Tandem interventu Legatorum Pontificis, & Comitis Naſſovii pax coaluit, etiam firmior & major quàm ſperabatur, ſociis quoque in fœderis ſocietatem accitis.

*Phil. Com. mali[...]*

Philippus Cominius Argentonii dominus, cum multis aliis inſimulatus agitaſſe conſilia cum

cum Ludovico Aurelianensi in Carolum Regem, litteris interceptis à Senatu Parisiensi, quartâ bonorum suorum parte mulctatus est, quam sibi fiscus adjudicavit, jussus degere in aliquâ è suis domibus ipsi per Regem assignatâ. Quæ si vera sunt, nec vir tantus passus calumniam, in aulâ familiarem, meliùs sine dubio scripsit quàm vixit.

Tartari hoc anno vel egestate coacti, vel à Turcis evocati Podoliam Rubram, vel Nigram, & Polonis subditas provincias, infestarunt. Verum à patre Casimiro immissus Ioannes Albertus, eos ita retudit, ut ad internecionem, non ad prædam venisse viderentur.

Fuit hic annus celebris multorum Principum fœdere: Matthias enim cum Wladislao pacem fecit, sollicitatus & de ea à Bajazethe, quem Sultanus Ægyptius geminâ clade afflixerat. Sultanus quoque cum Innocentio societatem obtulit ad Turcos invadendos. Matthias denique & Fridericus concordes extitere, post tam graves & tam sæpe iteratas contentiones verùm pleraque horùm fœderum laborem potiùs, quàm quietem pepereruut.

Joannes Baptista, cognomento Hispaniolus, patriâ Mantuanus, poëta suo tempore vendibilis, viso in æde Lauretanâ miraculo Energumenæ Gratianopolitanæ, ejus historiam scribere aggressus est oratione solutâ: cujus postea conatus felicius absolvit Horatius Tursellinus Societatis Jesu, tersissimus & elegantissimus historicus, & dignus cujus stylus in purissimæ Virginis laudes adhiberetur.

Bemoinus quidam Ialoforum Princeps in Guineâ expulsus à fratribus confugit ad Lusitanos, qui tum hîc exercebant commercia. Benignè susceptus est à Ioanne Rege Lusitano, & sacris aquis intinctus ejus, nomine insignitus, cum viginti navium classe remissus est in patriam, duce Petro Vasæo de Acugnâ, qui tamen miserum Principem pugione confodit, majori damno Christianitatis, quàm suo.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5543. | 1490. |

Hoc anno multa prodigia Constantinopoli contigere, terrâ motibus, cœlo fulgetris & tonitribus insolitis infremente. Verùm hujus tractûs Ecclesia, mutatis subinde Patriarchis, ex Turcorum avaritiâ, & iniquitate, longè graviùs exagitabatur.

Innocentius interea in Occidente Christianos ad sacram expeditionem incendebat, ostentato Zeme fratre Bajazethis: & verò decimæ imperatæ, quarum duæ partes Principibus Cruciferis cederent, tertia in Cameram Apostolicam deferretur: nullo tandem alio operæ pretio, quam ut miser Ecclesiastici attererentur; unde Academiæ Parisiensis querelæ, quæ unâ cum ejus pecuniis evanuerunt.

Sultanus Ægyptius minas intentavit regibus Hispanis & Neapolitano, nisi Mauri Hispanienses, quieti esse sinerentur, denunciatâ Christianorum omnium in Syriâ, & Ægypto clade. Terruerunt hæ Ferdinandum Siculum; Hispanum ne commoverunt quidem; quin animum appulit ad expugnandam Granatam, cùm ipsi Mauri inter se dissiderent, & ad suam perniciem Christianos invitare viderentur.

Obiit hoc anno Matthias Corvinus Hungariæ Rex Viennæ ex Apoplexiâ, cujus mors fuisse prænunciata dicitur, leonibus Budæ eo quo periit die mortuis, & nullis tum corvis ibidem visis, Albæ autem ingenti multitudine. Suspicio fuit eum veneno à Beatrice conjuge dato interiisse. Vir sine controversiâ maximus, & ad contundendos Ottomanos factus, si cum eo Principes Christiani conspirassent. Insuper litterarum amans, & literatorum, ideoque ab iis impensè laudatus, qui amori ac benevolentiæ laudes non parcè reponere solent. Cùm ejus regnum prensarent Albertus de Tartaris victor, Ioannes Corvinus Matthiæ nothus, cui pater thesauros arcesque reliquerat, & Wladislaüs Bohæmus, hic cæteris antepositus est operâ Beatricis quæ nuptias ejus sperabat; has tamen Hungari ob hujus sterilitatem prohibuere; unde pæne incidit in amentiam, simulque excidens causâ apud Pontificem, in Ænariam insulam seu Ischiam secessit, in quâ de Wladislao, de Pontifice, de domus suæ ruinâ liberiùs quereretur.

*Moritur Matthias Corvinus.*

*Succedit ei Wladislaus.*

Ioannes Varadinensis Episcopus, in Hungariâ maximæ post Matthiam autoritatis, coronato è sententiâ Wladislao factus est Minorita, ut deinceps vacaret sibi, habitus Hungariæ pater, & major adhuc aulâ relictâ, quàm administratâ. Eodem tempore sanctissimè obiit Averii *Avetro.* Dominicana Ioanna soror Ioannis Lusitaniæ Regis, à multis Principibus ob singularem prudentiam, & exquisitam pulchritudinem expetita; quæ tamen, consecratæ Christo ac Virginitati, meliorem huic sponsum, atque diuturniorem addixerunt.

*Ioann. Varadinensis Episc. fit Minorita.*

*Ioanna Lusit. moritur.*

Hoc anno natum est in Scotiâ mas Monstrum, ab umbilico ad pedes unum, uniusque, suprâ duplex geminique sensûs, voluntatis, & omnium quæ duos homines arguerent. Si pungeretur infrâ, dolebat uterque, si suprâ, tantùm alteruter; vixit annos duodetriginta, magnum naturæ miraculum, & luculenta materies Philosophandi.


*Monstrum in Scotiâ.*

Hoc anno scribit Volaterranus Innocentium VIII. permisisse Norvegis, ut in Zytho sanguinem Christi conficerent, quòd in partibus vinum propter ingens frigus servari nequeat: cùm tamen Theologi ad id vinum ex vite exigant necessariò, sicque tres mundi Zonas, gelidas duas, & torridam, hujus mysterii expertes velint, in quibus nulla vitis vinum emittat.

*An Norvegis permissum in Zytho sacrificare?*

Mortuus denique est hoc anno Ambrosius Camaldulensis Florentinus, Abbas Generalis hujus Ordinis, litteris Græcis atque Latinis excultissimus, quarum specimen edidit Ferrariæ coram Imperatore Græco, etiam linguam suam in hoc viro demirante.

*Ambrosii Camaldulensis obitus.*



CAP

## CAP. X.

## *Decas Ultima.*

*Ab anno Christi* 1490. *ad* 1500.

MUNDI 5544. CHRISTI. 1491.

*Carolus VIII Annam Britan. ducit.* CArolus VIII. Franciæ Rex, dimissâ Margaritâ Maximiliani filiâ, Annam Britannam duxit uxorem, magno gaudio Britonum & Francorum, additis conditionibus, quæ omnes de Principatu Armoricæ controversias tollerent. Margarita primùm data est Joanni filio Ferdinandi, & Isabellæ, quo mortuo, Philiberto Sabaudo nupsit, à quo vidua relicta ditiones Caroli V. neptis sui prudentissimè rexit, & digna est meliori fortunâ judicata, Verùm ex eo repudio bellum natum est duplex, Anglicum & Austriacum. Henricus enim Anglus nequicquam tentatâ Bononiâ pacem icere compulsus est, maximè cùm circa hoc tenpus in eum Ricardus quidam Rex fictitius per Margaritam hisce fraudibus assuetam comparatus esset. Maximilianus autem perdito Atrebato, & Ambiano frustra appetito, fœdus quoque inire coactus est, receptâ dote filiæ suæ, magnâ Caroli gloriâ, nuptias suas duplici pace, vel potiùs victoriâ celebrantis.

*Granata obsidetur.* Obsessa hoc anno Granata Maurorum primaria, mille ac trecentis turribus præcincta, complectens domorum sexaginta millia, & tentata per Ferdinandum cum quinquaginta hominum millibus 9. Kal. Maji. verum acriter defensa ad 7. Kal. Dec. quando hanc Boabdiles reddere compulsus est, non tamen sine periculo suo, Mauris ægerrimè deferentibus hanc urbem, quam Christianis tam splendidè paraverant.

*Regnum Congo recipit fidem.* Christiana religio disseminari cœpit per Regnum Congi à Patribus Dominicanis, nobilibus Congianis cum classe per Lusitanos reductis. Tum Rex ipse Congi cum filio sacris undis elutus Emmanuel dici voluit. Sed primùm fides enascens tantùm non est extincta, cùm de vitiis extinguendis actum est, & maximè de pluribus uxoribus ejiciendis: & evanuissent tot suscepti labores, nisi Alphonsus filius Regis Apostoli vices obiisset, etiam multa passus, legitimè hoc munus impleret. Tandem cùm idem mirabilem *Alphonsus Rex tuetur fidem.* de rebellibus victoriam retulisset, & adiisset regnum, fidem firmavit, missis etiam in Lusitaniam nobilibus pueris Congianis, qui eam puriùs combiberent. Eos autem Rex Emmanuel Joannis successor ita fovit, sic instituendos curavit, ut neutrum laboris, ac sumptuum pœniteret.

*Hermolaus Barbarus obit.* Hoc anno mortuo Marco Barbo Aquilejensi Patriarchâ Pauli II. patruele, Innocentius VIII. dignitatem eam concessit Hermolao Barbaro, filio Zachariæ tum Venetæ Reip. apud Pontificem Oratoris: verùm id fieri contra patrias leges Veneti prohibuerunt; quam ob causam mox pater Venetiis, filius Romæ, uti creditum, ex mœrore obierunt; cui tamen adjuncta pestis hominem de litteris optimè meritum citiùs abstulit, quàm Musæ postularent. Mortuus est enim anno ætatis undequadragesimo, Christi 1494. 11. Kal. Jun. cujus opera legit nemo, quin ei diuturniorem vitam apprecetur.

MUNDI 5545. CHRISTI. 1492.

*Caith. Ægypt. mori.* Circa hæc tempora Caitbejus Ægypti Sltanus senex impulsus ab uxore Arabissâ, ut filium suum contra leges patrias ad solium eveheret, id præstitit, proceribus pecuniâ & muneribus corruptis. Nec ita multò pòst obiit, quare Mamaluchi dolentes sibi regnum, & eligendi Regis potestatem ereptam esse, eundem Mahometem trucidarunt, & deinceps quatuor Sultanos; omnibus cæteroquin illam dignitatem prensantibus, quamquam tot Principum sanguine rubesceret.

*Gra. capi. Reg. post Cat. rur.* Granata hoc anno post octo mensium obsidionem 4. Non. Jan. venit in manus Christianorum, eamque triumphantes ingressi sunt Ferdinandus & Isabella, nacti exinde *Catholicorum* nomen, priùs olim impositum Recaredo. Tum egere iidem Principes de Judæis è suâ ditione exterminandis; & verò indidem ejectæ sunt centum septuaginta familiæ, & ad *Ma. Hi. Spa.* octingenta ferè capitum millia, multis tamen simulatâ Christianitate remanentibus, eò perniciosioribus, quod jam magis illi, eorumque venena laterent.

*Ti. Cr. lan.* Circa hoc tempus Romæ dum ornaretur Ecclesia S. Crucis inventus est titulus affixus Dominicæ Cruci, litteris ut videtur rubris exaratus. Eodem tempore oblatum ferrum lanceæ Christi; à Legato Turcorum, sed sine cuspide, quòd eo jam S. Ludovicus Franciæ Rex potitus esset, ut ipse Turcus fatebatur. Sic Bajazethes Pontificem incitare voluit ut Zemen fratrem retineret, munere quod largiens, nihili faceret, accipiens potius thesauris omnibus judicaret.

*Pa. Po. Fe. du.* Pax hoc anno inter Pontificem & Ferdinandum Neapolitanum coaluit, cùm hic petiisset præteritorum veniam, ille res familiæ suæ promovisset. Reclamavit tamen per oratores suos Renatus Lotharingus, cui sic responsum est, ut spes relinqueretur regni, sceptrum negaretur.

*C. VI. cu. di. H.* Cùm autem Carolus VIII. de invadendo Neapolitano regno cogitaret, ne turbaretur à Ferdinando Hispano, sive ejus excursionibus sive auxiliis in Italiam missis, cum eo fœdus iniquissimis & pudendis conditionibus iniit. Eò tamen potissimùm impulsus fuisse perhibetur à duobus Minoritis, quorum unus ei erat à Confessionibus. Is persuasit Principi patrem ejus Ludovicum flammis purgantibus retineri, ob Comitatus Ruscinonensem, & Cerdaniæ, injustè detentus; accessere Ludovicus de Ambasiâ præceptor ejus, auro Hispaniensi, uti creditum est, labefactatus; itemque soror ejus, & *D. C. O.* Franciscus de Paulâ vir bonus, quibus facile poterat ab illis veteratoribus Minoritis imponi. Quid ageret Princeps & juvenis, & pius, & delusus ab iis quibus fidem derogare grande piaculum crederet? Ita recepit Ferdinandus duos illos Comitatus utilissimos Franciæ, per quos petebat Francis in Hispaniam aditus. & anti-

antiquæ Galliæ limitibus contentos ; quorum loco Ferdinandus verba dedit, multa pollicitus, nihil exſeqvutus, niſi quibus ſe doloſum,& perfidum oſtenderet.

Ferdinandus Rex Barcinone à ſicario tantùm non eſt interfectus, quem duntaxat ſomnium ad id facinus impulerat: verùm exquiſitiſſimis tormentis adhibitus didicit, non eſſe tam pretioſi capitis periculo ſomniandum.

Pertinent ad hunc annum Hieronymi Savonarolæ Dominicani initia,afflatusque divininæ, quibus imminentem Italiæ calamitatem creditur prænunciaſſe. Concionator fuit egregius,& crimina tum paſſim regnantia potentibus verbis exagitavit; quare multorũ ſibi conflavit odium, quo ſemper flagrabunt Eccleſiaſtæ, qui Dei potiùs gloriæ, quàm ſuæ velificari volent.

Eodem anno fato functus eſt Laurentius Medices anno ætatis 44. quo meliorem, prudentiorem, & litterarum amantiorem Principem ætas illa non tulit. Huic extitere chariſſimi Chriſtophorus Landinus, Marſilius Ficinus, Angelus Politianus, Demetrius Chalcondylas, Marullus Tarchaniota,& omnium inſtar, Joannes Picus Mirandulanus; dictus meritò ſui temporis Phœnix ingeniorum. Laurentii opus eſt celebris illa Bibliotheca Florentina, cui libros conquiſivit magnâ ſollicitudine miſſus ad Bajazethem Joannes Laſcaris; uno verbo ; cujus laudes omnes recenſere, viri eruditi deſperarunt, eumque omni laude ſuperiorem judicarunt. Succeſſit ei, repugnante nemine, Petrus filius ſimillimus patri, annorum viginti atque unius juvenis, cui frater fuit Joannes Cardinalis, poſtea Leo XI. etiam Pontificatum cohoneſtaturus.

Mortuus eſt hoc quoque anno Innocentius VIII. 8. Kal. Aug. ætatis anno 60. Pontificatus 5. cum 7. menſibus, diebus 27. Reliquit liberos duos Franciſcum & Theodorinam ante Pontificatum ſuſceptos ex puellâ Neapolitanâ, quos ditavit magis, quàm boni Pontificis conſcientia poſtularet. Datus eſt tamen ei ſucceſſor qui eum viſus eſt abſolvere; is fuit Joannes Borgia, de cujus electione nihil eſt opus commemorare quæ de eâ vulgò jactantur parum certa, cùm alia ſuppetant crimina ejus indubitata , & à ſcriptoribus omni fide dignis prolata. Electus eſt autem 5. Id. Aug. coronatus 7. Kal. Octobr. dictusque Alexander VI. mirâ populi gratulatione,& cui parem vix unquam viderat Roma. Erant enim in eo ſolertia, ſagacitas ac diligentia mirabiles, ſingulari ſub initium Pontificatus comitate conditæ; ſed quibus poſtmodum magna vitia prævaluere.

Suſceperat etiam Cardinalis ex Vanociâ Romanâ pellice quinque liberos, Petrum-Ludovicum primogenitum, quem Ducem Gandiæ conſtituit, empto multis pecuniis illo ducatu; Cæſarem, factum Cardinalem, deinde Ducem Valentinum; Joannem, quem ſubſtituit Petro demortuo, ex quo natus eſt Joannes alter, pater B. Borgiæ Soc. Jeſu III. Generalis , & qui ſanctitate ſuâ præteritas omnes Atavi ſui ſordes deterſit; Gotifridum Principem Squilacii; denique Lucretiam multorum virorum uxorem, qui omnes Chriſti ſanguine, & pauperum patrimonio ditandi fuere, cùm eſſe debuiſſent , ob natales ſuos turpiſſimos, Eccleſiæ mendicabula.

Exceſſit etiam hoc anno ex vivis in Lithuaniâ Caſimirus III. Poloniæ Rex, anno ætatis 64. regni 45. vir admodum ſobrius vini, ſed non veneris, & ſatis prudens ac fortis. Reliquit filios 4. omnes Reges, Vladislaum primogenitum Bohæmiæ & Hungariæ, Joannem Albertum, Alexandrum, & Sigismundum deinceps Poloniæ Reges; quintus autem Fridericus Cardinalis ſimul fuit Archiepiſcopus Gneſnenſis, & Epiſcopus Cracovienſis ; ſicque familiam genuit multis regnis adminiſtrandis, adeoque Eccleſiæ parem.

*Caſimiro III. ſucceſſit ei Ioan. Albertus.*

Hoc anno verè primùm detectus eſt Novus Orbis, antiquis forſitan incognitus, poſtea dictus America, ab Americo Veſputio Florentino, qui eum luſtravit diligentiùs : Hiſpani atque Luſitani Indiam Occidentalem nominant; multique putant eſſe Atlanticam Inſulam, cujus Plato meminit in Timæo. De primo ejus inventore poſterioribus hiſce temporibus non eſt facile ſtatuere, cùm hunc ſibi Hiſpani arrogent, ſibi vindicent Itali probabilitate majori. Fabuloſus enim eſt , meo judicio , Alphonſus ille Sanctius Bæticus, qui Materiæ in Columbum incidiſſe, eique navigationem ſuam reliquiſſe ſcripto, jactatur ab Hiſpanis. Ut ut ſe res habuerit hoc anno Chriſtophorus Columbus, natione Ligur, ex vico Arbizolo prope Saonam, Aſtrologus nobilis, & melior nauclerus, fruſtra ſollicitatis Regibus Luſitaniæ, Franciæ, Hiſpaniæ , & ab iis rejectus, tandem à Ferdinando captâ Granatâ auditus eſt. Acceptis autem tribus navibus ſolvit à Gadibus ineunte Auguſto, præteritisq; Canariis inſulis in Occidentem vela fecit, & intra dies 30. comodæ navigationis ad inſulas appulit, quarum maximam dixit Hiſpaniolam, ſociis ejus & nautis reditum importunè flagitantibus. Hic arcem ligneam erexit, in qua duodequadraginta præſidiarios reliquit, ſecumque revehens indigenas decem,cum multo auro,quod cultellis, ſpeculis, crotalis , vitroque redemerat, anno ſequenti menſe Martio in Hiſpaniam rediit ; cæteris jam mortalibus prælatus, qui vix antea inter compotes ſui repererat locum.

*Chriſtoph. Columbus Novũ Orbem primus detegit.*

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5546. | 1493. |

Hoc anno Bajazethes II. tantùm non eſt interfectus in Macedonia per Derviſium quemdam ( Torlacos vocant Turcæ) qui ad eum petendæ eleemoſynæ causâ irrepſerat ; & eum inſanus ille interemiſſet ſtricto, qui ſub veſte latebat acinace , niſi hunc vicinus Baſſa, impactâ in caput clavâ, præveniſſet. Quare proſcriptum id hominum genus, obnoxium furori, & à quibus jam nec ipſi Principes tuti viderentur.

*Bajazethes II. ferè interimitur.*

Suſceptum eſt hoc anno, aut potiùs informatum, à Carolo VIII. Francorum Rege bellum Nea-

*Carol. VIII. ſuſcipit Exped. Neapolitanã.*

Neapolitanum; cui causam aliquam dedit Antonellus Sanseverinus Princeps Salernitanus, vitatâ procerum carnificinâ per Ferdinandum Neapoli factâ; alteram Ludovicus Maurus Sfortia, mox à Rege Neapolitano appetendus bello, quia nepoti suo Joanni Galeatio Duci pæne ademerat principatum, quem & operâ Maximiliani jam arrogare sibi decreverat. Et verò id mox præstitit empto Ducatu Blanchæ Mariæ neptis suæ nuptiis & grandi dote, quam pluris longè quam uxorem Maximilianus faciebat. Hanc autem expeditionem in Franciâ probavit sanus nemo; decrevit eam tantùm Rex juvenis, impulsoribus Joanne Versio Seneschallo Belcariensi, & Guillelmo Brissoneto quæstore Regio simul & Episcopo Maclovienſi, hominibus inexpertis belli, ac pellectis, pollicitatione Principatus, & purpuræ Cardinalitiæ. Ita miseris Principibus, ac populis per sordidos homunciones, & consultores corruptos illuditur.

*Friderico Imp. succedit filius Maximilianus.*

Hoc anno, quo Christiani in Croatiâ grandem cladem accepere à Turcis imprudentiâ Becardini Frangipanis, obiit Fridericus Imperator in oppido Lintzio, neque die, neque mortis genere satis certo, cùm regnasset annis 53. & aliquot mensibus, vixisset 78. Successit ei statim filius Maximilianus, jam Ro. Rex, annos natus 35. & ad Imperium, non ætate modò, sed & rebus gestis idoneus.

*Primus Meridianus ubi fixus ab Alex. VI.*

Cum rediisset hoc anno Columbus, Ferdinandus & Isabella ab Alexandro Pontifice obtinuerant omnes insulas & regiones versus Occidentem detegendas, à primo Meridiano, quem ipse tum statuit centum leucis à promontorio Viridi *le Cap Verd* aut Azoribus insulis, uti constat ex Indicâ Historiâ Lopesii, ubi Bulla Pontificis proponitur. Hujus tamen judicio acquievit nemo, quia non uti pater bonus, & judex æquus, sed ut Hispânorum suorum fautor pronunciarat. Porrò exinde magnæ sunt exortæ contentiones inter Castellanos & Lusitanos de novis hisce terrarum lustrationibus, dum hi Eugenii IV. diploma, hi Alexandri VI. obtruderent; idcirco novæ subinde inductæ sunt lineæ, quas tamen potentiorum Principum avaritia fixit, aut refixit, cùm in eas Principibus tantum sit juris, quantum sibi armis, & exercitibus arrogant.

*Ferdinandus factus Magister ordinum S. Iacobi & Calatravæ.*

Eodem anno Ferdinandus ad Alexandro Pontifice constitutus est Magister Ordinum S. Jacobi atque Calatravæ, qui ad retundendos olim Mauros fuerant excogitati, nunc verò ab eo regendi meliùs judicati sunt, qui hostes Christiani nominis, tam potenter, quam sapienter retuderat.

MUNDI 5547. CHRISTI. 1494.

*Ferdin. Neapol. Regi succedit Alph. II.*

Mortuus est hoc anno Ferdinandus Rex Neapolitanus, annos natus unum & septuaginta, 8. Kal. Febr. cujus initia regni meliora fuere, quàm finis, primùm facilis, deinde moderatus, denique crudelis ac sævus. Successit patri filius Alphonsus hujus nominis II. subditis suis nihilo gratior quàm pater, ac vestigiis ejus ultimus insistens, qui statim fœdus iniit cum Pontifice adversus Carolum; à quibus sollicitatus Ferdinandus Hispanus, etiam ei adjudicatâ pecuniâ adversùs Mauros paratâ, immò & ipso Turco Bajazethe concitato; quod fuit profectò in Francos etiam Acheronta commovere.

*Carolu[s] ... [O]ctavus [I]talicam expedi[tio]nem i[m]paratu[s] inchoa[t]*

Aggreditur itaque meditatam expeditionem Carolus VIII. & ineunte Julio, Lugdunum venit, indeque compositâ Franciâ, ne quid domestici tumultus oriretur, annos natus 24. Gratianopoli profectus, per Annibalis viam, bello dedit initium, à pecuniâ sic imparatus, ut mundum muliebrem Ducissæ Sabaudiæ, & Marchionissæ Montis-Ferrati coactus sit Turcini, & Casale S. Evasii oppignerare, & à Mercatoribus Mediolanensi, & Genuensi, sub sponsione procerum suorum, centum millia Ducatorum accipere mutua; non Regis, sed mendici instar, tantam expeditionem auspicatus.

*Alph[onsus] parat [ir]rump[ere]*

Eam abrumpere parabat Alphonsus, misso fratre Friderico cum ingenti classe Genuam, ut hanc eriperet Ludovico Sfortiæ; sed cùm ea classis tardiùs advenisset, neque satis prosperè cum Francicâ conflixisset Neapolin cum dedecore redire compulsa est, nullo alio opere pretio, quàm ut vela fecisse videretur.

*Exerc[itus] Carol[i]*

Carolo VIII. ducenti nobiles destinati sunt ad custodiam, mille & sexcenti Cataphracti equites, singuli cum binis armigeris, Helvetiorum peditum 6. millia, totidemque Francorum, cum multis tormentis bellicis, iisque æreis, vecturâ facilioribus; quodque instar omnium fuit, cum ingentibus animis, qui ferè plus quam arma, & milites possunt.

*Ægr[otat] Ast[æ] pust[ulis] Caro[lus]*

Astam igitur ingreditur Carolus, ubi eum pustulæ morbus toto mense distinuit. Quo tempore cùm obiisset Joannes Galeatius, & de ejus successore Francisco quinquenni ageretur, Ludovicus Maurus consilium discussit, & apud Mediolanenses artibus suis effecit, ac pollicitationibus, ut quasi invitus & reluctans ad principatum capessendum compelleretur. Itaque

*Lud[ovicus] Mau[rus] Prin[ceps] Medi[olani]*

se non septimum, sed quartum Ducem Mediolanensem dixit, ut interjectos ostenderet fuisse illegitimos, & à Maximiliano sibi legitimè concessam esse dignitatem; verùm id erat cornicum oculos configere.

*Usur[pat] Iter[um] per ... liam*

Cùm venisset Placentiam Carolus, de reditu in Franciam cogitavit; sed id quoque consilium per Ludovicum Sfortiam discussum est. Venit ergo Pisas, & Florentiam, ubique magnificè susceptus, & hinc etiam ejecto Petro Medicæo à civibus, quòd addictior Alphonso putaretur. In hanc urbem Carolus armatus ingressus est; atque inde, non tamen sine tumultibus, quos Savonarola conpescuit, pecunias multas ad bellum accepit. Inde progressus est Senas quas præsidio tenuit, & Romam venit, huic resistente

*Rom[am] ingre[ditur]*

nemine, etiam Pontifice, licet id vehementer optaret; quam Urbem quoque Rex cum copiis armatus subit sub noctem, tot tamen luminibus accensis, ut nihil Solis radii requirerentur Rege tot inter faces Solis instar emicante.

*Mori[tur] Io. Pi[cus] Mira[ndula] Ang[elus] Polit[ianus]*

Obiit hoc anno Joannes Picus, Mirantulæ & Concordiæ Comes, ætatis anno 33. vir excellentissimi ingenii, ut ejus opera docent, quæ edenda curavit Jo. Franciscus Galeoti Pici, ipsius fratris filius, ipse quoque excellen-

tis

tis ingenii. Picum autem secutus est Angelus Politianus, ei conjunctissimus, Canonicus Florentinus, alumnus Laurentii Medicei, ejusque liberorum magister, vir Græcis ac Latinis litteris excultissimus, & tersissimæ eruditionis.

MUNDI 5548. CHRISTI 1495.

Interea meticulosus ac tremens in arcem S. Angeli secesserat Alexander, in quem bis Carolus educenda bellica tormenta curaverat, plerisque invitantibus Regem ad spoliandum Pontificatu hominem nequam qui in eum per crimen irrepserat, & per scelus administrabat; sed vicit Christianissimi Principis pietas in sanctam Sedem, & Brissonetus spe sacræ purpuræ. Itaque pax inita inter Regem, atque Pontificem; datæ illi aliquot arces, donec bellum Neapolitanum profligaretur; Zemes dederetur ad bellum Turcicum; Cæsar Borgia Valentinus, huic specie Legati, reveta obses, quatuor mensibus adjungeretur. Hunc enim Alexander parens, quasi ex legitimo alio thoro susceptum, dejerantibus testibus, Cardinalem crearat; ad quam dignitatem spuriis & nothis nunquam aditus patet. Sic ab Alexandro in æde S. Petri Carolus receptus est, Rexque Neapolitanus dictus, confecto diplomate; immo, ut quidam volunt, Imperator Constantinopolitanus, cœlo atque terris in ejus gloriam conspirantibus.

Interea Alphonsus Rex Neapolitanus videns se flagrare invidiâ, & populum avidè Francorum adventum opperiri, statuit regnum deponere, idque in filium innocentem Ferdinandum transferre. Et verò Rex hic dictus est ejus nominis Secundus 10. Kal. Febr. statimque Alphonsus pater cum supellectili quatuor triremibus effugit, quasi ejus tergo jam Franci imminerent, venitque Mazaram Siciliæ, inde Messanam; ubi voto deserendi sæculi nuncupato, jejuniis & corporis afflictationibus excrucians sese, ac verè pœnitens in Olivetano cœnobio intra annum mœrore confectus obiit. Carolus ergo, nullo obsistente; & Ferdinando secedente in Ischiam, ingreditur Neapolin, totoque potitur regno, hyeme cum parvo exercitu, adeo ut venisse in Italiam (sicuti jocabatur Pontifex) tantum cum cretâ ad obsignanda hospitia videretur.

Supererant tantùm Arces Brundusina, & Gallipolitana in Apuliâ, & Rhegina in Calabriâ, cum Ischiâ insulâ in potestate Ferdinandi, non ex ejus amore, sed quia Rex ad ea loca recipienda miserat neminem; tum enim Franci, de more, oblectationibus se dediderant, ac ludis, tantâque incuriâ hoc administrabant regnum, ut ad id dissipandum, non occupandum, venisse viderentur. Turci autem, auditâ hujus expeditionis famâ, tantum timoris hauserunt, ut visis è Macedonia Francorum signis aufugerint, & Bajazethes omissis aliis bellis de unâ servandâ Græciâ cogitarit; Sed metum hunc sedavit utcumque Zemis fratris sui mors Neapoli, aut Cajetæ, aut Terracinæ, pari dolore Christianorum, ac voluptate Turcorum. Curata creditur nex illa ab Alexandro Pontifice, promissis 300. millibus aureorum à Bajazethe, quâ summa filiis ille spuriis Principatum aliquem coëmeret, Indignâ Christiano, ne dicam Pontifice Romano, nundinatione. Reliquit autem Zemes filium sibi cognominem factum Christianum, & Rhodi captum atque cæsum à Solymano victore, terrestrisque regni spe in certam cœlestis possessionem commutatâ. *Moritur Zemes frater Bajazetis.*

Itali auditis successibus Caroli VIII. & ab eo sibi jam metuentes, in eum conspirarunt, & Pontificem violatum prætexentes, Hispanis, Germanisque conjuncti, inter se magnum fœdus inierunt pridie Kal. April. Carolus, antequàm eorum coirent copiæ, in Galliam redire decrevit, relictis in regno Neapolitano præsidiis sub Prorege Gilberto Montpenserio è Borboniâ regiâ familiâ, cum lectissimis præfectis; sed priùs in habitu Imperatorio 5. Id. Maji Neapolin triumphans subiit, & post octo dies Romam versùs proficiscitur cum novem circiter millibus armatorum. In itinere Pisas à jugo Florentinorum exemit, quorum & retinuit arces, superatoque Apennino, & per eum incredibili Helvetiorum labore tormentis trajectis, ad Forum novum, *Fornove*, in montis hujus radicibus consedit, octo circiter à Parmâ millibus passuum. Hic transitum à confæderatis cùm non impetrasset, per vim in eos irrupit, atque ita pugnavit ex equo ferocissimo lusco, obvia quæque dentibus, calcibus, impressione perrumpente, ut huic victoriæ gloriam omnes adscripserint. Infra quadrantem horæ res confecta est, victi Itali majori tamen dedecore quàm clade. Post Novariensem obsidionem dissipatam, & pacem iniquam cum Ludovico Mediolanensi Duce juratam, Rex in Franciam tantâ celeritate rediit, ut timere Italos victos, nec victor esse, sed fugitivus videretur. *Fœdus Italicorum Principum in Carolum.* *Caroli reditus in Galliam.* *Pugna ad Forum Novum.*

Hoc tempore Venerea luës, dicta Neapolitanus, aut Gallicus, aut Hispanus, certè libidinosorum morbus, tum primùm in Europâ visus est: allatus, ut creditur, ex Orbe Novo, ubi tam facilè arripitur, quàm sanatur; In Europâ non item, ubi luxuriosi brevis temporis belluinam voluptatem, acutissimis & diuturnis doloribus redimunt. *Morbus Neapol.*

Ioannes Lusitaniæ Rex, cognomento Magnus, obiit hoc anno ex aquâ intercute, non sine suspicione veneni, ætatis anno 40. regni 14. Alphonso filio ejus ex equi lapsu defuncto, successit ei Emmanuël Patruelis, natus annos 26. omnibus animi, & corporis dotibus ornatus, atque hoc regno, etiamsi affinitas abesset, dignissimus. *Io. Lusit. Regi succedit Emmanuel.*

Hoc anno Vormatiæ constituta Camera Imperialis, postea translata Ratisponam, ac denique Spiram, ubi supremo judicio causæ dirimuntur; cujus autor fuisse dicitur Bertholdus Archiepiscopus Moguntinus, & Archicancellarius, vir juris consultissimus, ad compescendas primùm lites; sed proceden- *Camera Imperialis statuitur.*

te tempore, ad eas ampliandas & intricandas magis.

MUNDI 5549. CHRISTI. 1496.

*Franci perdunt RegnumNeapolitanum.* Alexander VI. in dies Francis iratior, eos copiis, & anathematis aggreditur; quæ nihil eis nocuissent, Montpenserio, Albinio Scoto, & Persio fortiter resistentibus, nisi Caroli negligentia, & Cardinalis Brissoneti perfidia omnia corrupissent. Accessit & Ferdinandi cum Montpenserio iniqvum fœdus, ex quo hic creditur Puteolis obiisse. Itaque Francos in Galliam Albinius reducendos suscepit, tam facilè perdito Neapolis regno, quàm parto.

*Ferdinandus obit, succedit ei Fridericus.* Inter hæc obiit Ferdinandus Rex in urbe Somma, ad radices Vesevi montis ex dysenteria, vel nimiâ venere, suis jam acceptus, ac multis lacrymis defletus. Successit ei patruus Fridericus, bonus & ipse Princeps, cui adfuit, sicut & Ferdinando, Gonsalus Ferdinandus Hispanus dictus *Magnus Capitaneus*, cujus potissimùm ductu res Gallica concidit in Italia, accedente insuper Francorum socordiâ, eorum ingenitæ levitati conjunctâ.

*Exercitum frustraCarolus parat* Paraverat interea Carolus ingentes terrâ marique copias, quibus Ludovicus Aurelianensis præficiendus erat; sed hic quoque apparatus Brissoneti proditione, & Ferdinandi Hispani artibus evanuit; nunquam fœdiùs Franci externis, & domesticis insidiis patuerunt.

*Maximilianus in Italia infelix.* Nec felicior fuit Francis in Italia Maximilianus; in eam cùm irrupisset invitatus à Venetis, & Ludovico Mediolanensi, etiam oblatis pecuniis, tam malè comitatus venit, ut se Italis deinceps ridendum præberet. Et Cæsareum nomen Longobardicis scommatis objiceret.

*Emmanuel Judæos vexat.* In LusitaniâEmmanuelRex iniquiùs cum Judæis egit, & sibi tantum dedecoris inussit, quantùm iis damni, atque desperationis. Tum etiam obtinuit à Pontifice ut Ordines militares, præter Hospitalarios, voto castitatis solverentur: quò facto penitùs est in iis restinctus militaris ardor; Equitum bona in Aulicos translata, nec castos, nec fortes dominos invenerant.

*Phil.Callimachi obitus.* Obiit hoc anno Philippus Callimachus Etruscus, Pomponio Læto, Platinæ, aliisque συγχρόνοις charus; qui exagitatus in Paulina conjuratione fugit in Poloniam, ubi Regis Casimiri filios instituit, comparatus Cornelio Tacito, & in exilio suo, quam in patria sua longè felicior.

MUNDI 5550. CHRISTI 1497.

*Alexander VI morte filii sui commovetur.* Alexander Pontifex in fautores Francorum Ursinus fremebat; quibus tamen par non fuisset, nisi ei Gonsalvus Fernandus auxiliator accessisset; hic non tantùm armis Pontifici, sed & consilio profuit, qui tamen mox ad ingenium rediit: conturbatus est taman in primis morte filii sui Petri Ducis Gandiæ, quem à Cardinali Valentino fratre sublatum volunt, post sumptam cœnam apud matrem Vanociam. Hâc morte commotus pater, meliorem pollicitus est vitam; sed quam promittere solent in suis sceleribus indurati, dum magnâ calamitate percelluntur.

*Ferdina[ndi] sobole[s].* Mortuus est hoc anno Salmanticæ Joannes filius unicus Ferdinandi & Isabellæ, relictâ uxore suâ gravidâ Maximiliani filiâ Margaritâ, quam Carolus VIII. rejecerat; hæc mox fœtum immaturum enixa est; filias quoque habuere quatuor, quæ variis Principibus nupserunt, ac tandem tota ista domus in familiam Austriacam decidit; ut Hispanica gravitas Germanicâ ingenuitate temperaretur.

*Ma[gnæ] turbæ [Flo]rentin[æ].* Florentiæ magnæ concitatæ sunt turbæ, quibusdam Petrum Medicæum exoptantibus, aliis cum Savonarola popularem præferentibus statum. Cùm ergo constitutâ horâ ob copiosum imbrem adesse Petrus non potuisset, capti fautores ejus ultimo supplicio sunt affecti: quod cùm impedire Savonarola potuisset, lege agi permisit; hinc in eum magnæ sunt concitatæ tempestates. Immissi sunt enim in illum Religiosi æmuli feroces, qui hominem ex sacris pulpitis lacerarunt; sed & eum Alexander perdere decrevit, concionibus interdixit, venire Romam jussit, quò pergere sine periculo non poterat; quare eum anathemate perculit, immo & Florentinos, nisi eum sibi victum traderent. Verùm in hominem valdè pium, & religiosum amor, Pontificis vulgò malè audientis fulminibus, ac minis prævaluit.

*Savo[na]rola a[nathema]lex.[ex]muni[ca]tur.*

*Fran[ciscus] Xime[nius] Arch[iep.] Tolet[anus].* Franciscus Ximenius Minorita, utili loco natus, qui fratres suos optimè instituerat, factus Archiep. Toletanus clerum suum modestiorem reddidit, nec Ferdinandi & Isabellæ fefellit expectationem.

Joannes Albertus Poloniæ Rex, magno quasi in Turcos collecto exercitu, & velut ulturus Varnensem cladem, evocato etiam in auxilium Stephano Vaivoda, improviso impetu aggressus est Walachiam: sed sibi fortiter obsistentem eundem Stephanum sensit; à quo repulsus ignominiosè, ad sua redire compulsus est. Itaq; anno insequenti Stephanus, adjunctis sibi Turcorum & Tartarorum copiis, Poloniam ingressus, eam vastavit, abductis plus centum millibus captivorum, cum multis gregibus, & armentis, quæ per Macedoniam, Thraciam, & Asiam distributa, has regiones Polonicis servis, ac spoliis impleverunt.

*Vas[co Ga]ma i[n In]diam [ap]pellit.* Emmanuel Lusitaniæ Rex naves bellicas Vasco Gamæ commisit, viro cui neque ingenium, nec animus deerat. Hic cum 170. militibus, & nautis hoc iter aggressus, ægrè promontorium bonæ spei flexit, cum tempestatibus diu, & cum suis, reditum, per vim extorquere conantibus, fortiter luctatus. Tandem aliquot regnis aditis, ac Saracenorum quâ fortitudine, quâ prudentiâ, vitatis insidiis, 13. Kal. Junias anni proximi Calecutum pervenit, benignè susceptus à Zamorino hujus tractus Imperatore; vitatisq; iterum Saracenorum dolis post bienniú in Lusitaniam cum navibus rediit, & aliquot Malabaribus, magno honore susceptus ab Emmanue-

manuele, utpote qui regionem Indicam totius Orientis ditissimam detexisset Europæorum commercia, pari damno ac furore Dæmonum ac Saracenorum.

MUNDI 5551. CHRISTI. 1498.

Turcorum septuaginta millia per Walachiam & Russiam Nigram effusi, collectâque ingenti prædâ, frigore tam intenso correpti sunt, ut eorum 40. millia diriguerint; reliquos in Moldaviam progressos, Stephanus cum suis Walachis delevit, paucis ad sua redeuntibus: ex quo Turcos incessit religio Polonos aggrediendi quasi divino præsidio fultos, nec unquam impunè à Barbaris, aut hostibus Christi esse tentatos.

Incesserat Pontificem, & Ludovicum Mediolanensem timor, ne Carolus novam in Italos pararet expeditionem; quare ad omnem auram mobiles, & nihil aliud præter amplitudinem familiæ suæ spectantes, cum eo reconciliari, & novo fœdere conjungi postulabant: verùm eorum, adeòque Francorum metum Caroli mors repentina discussit. Cùm enim Ambaciæ apud Turonos illiso sibi capite ad superliminare portæ concidisset, apoplexiâ mox correptus, expiravit 6. Id. April. Dominicâ Palmarum, annos natus duodetriginta, cùm regnasset annis 14. mensibus 7. cum diebus aliquot. Vir felicior sanè, quàm sapientior; quem tamen errata, indeque secuta damna correxissent, si ulteriùs produxisset vitam. Fuit corpore pravo, atque deformi, quod etiam, parum castè traductâ adolescentiâ, turpius reddiderat, & magis effœtum; animo tamen magnifico, atque liberali, &, si cultura accessisset, ad magna nato. Obiit autem, uti creditum est, piè, & quamquam morte repentinâ, prævisâ tamen, ac maculis conscientiæ paulo antè detersis accuratè per pœnitentiam. Porrò reddidit animam in loco Palatii sui sordidissimo, ac miserâ culcitrâ stramineâ, cui ad pompam & magnificentiam nihil deerat; sed ita ludit in magnis capitibus divina providentia, ut Reges intelligant qui sint, & quò cadere possint, atque exaliorum casibus erudiantur.

Carolo VIII. successit Ludovicus Dux Aurelianensis, filius Caroli, nepos Ludovici fratris Caroli VI. Regis, quem Burgundiæ Dux interemerat, Rhemis inauguratus 6. Kal. Iun. dictus Ludovicus XII. verè XV. & *Populi pater*, cujus effatum dignum Rege Christianissimo jactatur, cùm incitaretur ad ultionem, ***non esse Regis Franci, Ludovici Ducis injurias persequi***, utpotè quem jam Deus superiorem injuriis effecisset. Statim ergo majora cogitans, ad bellum Italicum animum appulit, & Ducatum Mediolanensem sibi debitum, ex aviæ suæ Valentinæ hæreditate; unde magni tumultus exorti, qui Italiam totam, ac propè Franciam concussere.

Principio Ludovicus divortium fecit cum Ioannâ Ludovici XI. filiâ, Caroli VIII. sorore, annuente Alexandro, per judices selectos pronunciatâ sententiâ. Ioanna verò, jampridem conjuncta Christo, & auctrix congregationis B. Virginis Annunciatæ Biturigibus, ita deinceps vixit, ut Sanctarum honores meruerit; in cœlo, quàm terris felicior. Ita Ludovicus, quod pridem exoptarat, Annam relictam Caroli duxit uxorem, & sic Armoricam Britanniam adjunxit Gallico sceptro, jam quasi duplici matrimonio firmiùs colligatam. *Ducit Annam Britannicam.*

Inter hæc Cæsar Borgia impurus ille Pontificis filius rogavit purpuratos Patres, ac suum, ut quoniam invitus, & reverentiâ in parentem coactus factus esset Cardinalis atque Diaconus, utramque dignitatem deponeret; quod & obtinuit, mimicâ tantùm præviâ tergiversatione. *Cæsar Borgia exuit purpuram.* Statim ergo ad Ludovicum in Franciam transiit, detulitque purpuram, quam fœdarat, ad Georgium Ambacianum Archiepiscopum Rhothomagensem, virum charissimum Regi. Itaque accepit à Ludovico Ducatum Valentinum, Equestrem Ordinem, & centum Equitum Cataphractorum alam, cum pensione 20. millium librarum Turonicarum. *Creatur Dux Valentinus.* Sequenti quoque anno duxit uxorem, eodem Rege adnitente, Carlottam filiam Alani Alabreti, ex sanguine Francico, sororem Ioannis Regis Navarræ, cùm Carlotta Friderici Neapolitani Regis filia impuri Diaconi nuptias toto pectore repudiasset; quas tamen Pontifex supra modum concupierat, ut filius suus armis Pontificiis fretus socerum suum dejiceret regno Neapolitano, & partem impurissimam sui per tot scelera eveheret ad thronum, & Regiam dignitatem. *Et ducit uxorem.*

Hæc cùm in Alexandro VI. à plerisque carperentur, Hieronymus Savonarola intermissas conciones resumpsit, & quid eloquentia posset, in luculentâ materiâ, non piè satis ostendit. *Savonarola resistit Alexandro.* Hinc fulmina Pontificis in eum, atque Florentinos; qui cùm Alexandro indigerent ad Pisas recipiendas, aliunde invitarentur à Ludovico Duce Mediolanensi ad perdendum Hieronymum, isque in urbe perdidisset aliquid authoritatis suæ, ex inepto conflictu Minoritæ, & Dominicani, quem sapienter impedierat, à Magistratu Florentino cum duobus sociis datus in carcerem, atrociter tortus, ac demum vivus exustus est. *Vivus exuritur.* Qui profectò si mori debuit, mitiori supplicio exterminandus erat; vir alioqui magnus, & magnæ olim in Ecclesiâ utilitatis, licet fortè aliis, quàm sibi melior. De quo cùm varia à variis scripta sint, eumque constanter accusarint multi, multi fortiter defenderint, non est hìc nostrum interponere judicium, ne non tantùm de Savonarolâ, sed de viris magni ac nimis potentibus statuisse videamur.

MUNDI 5552. CHRISTI. 1499.

Renovatum est hoc anno Turcos inter & Venetos bellum, magnis utrimque damnis, sed majoribus Christianorum, Venetorum enim ditio Forum Iulium vastatum est captæ urbes Naupactus *Renovatum inter Turcos & Venetos bellum.*

pactus & Methone, hæc singulari civium imprudentiâ; itemque Corone, atque Dyrrhachium. Aliunde Turci perdidere Cephaleniam insulam, & Leucadem, vulgò *Sante Maure*; quominus autem majorem Barbari cladem acciperent, Venetorum cunctatio, & Francorum impatientia prohibuit.

*Ismael Sophi in Perside Imperii fundamenta locat.*

Interea Ismaël Sophi in Perside magnæ dominationis locabat fundamenta. Hic Usumcassanis nepos, filius Sacaidaris Harduellis fuit, à quo nova secta condita fuerat, inimica Homaris, Hali addicta; sed cùm is Principis jussu sublatus esset, fugit Ismaël puer in Hircaniam ad Pyrchalim paternum amicum, à quo servatus, & paternam ditionem recepit, & invasit Persidem. Ejus quoque potentiam promovit Tekelles patris Harduellis discipulus, dictus *Kasetbas*, quòd tegmine capitis rubro uteretur, cùm Turca album, Tartarus viride ferant; ejus autem tegmen cùm non esset lineum, ut aliorum, sed laneum, inde dicti *Sophi* à voce Arabicâ, quæ *lanam* sonat. Ismaël autem factus sectæ suæ caput, naturâ eloquens, & manu promptus, & dictus est *Kasel-bassi*, & *Sophi*; factusque Persarum Rex, odium in Turcos reliquit posteris suis hæreditarium; quo si bene usi essent Christiani, jam Mahumeti religio minimùm in Europâ concidisset.

*Ludov. XI. charissimus Cardinalis Georgius.*

Ludovicus XII. bellum parans in Ludovicum Maurum, cum Regibus Hispaniæ & Angliæ paciscitur, inducias facit cum Maximiliano, de Venetis atque Pontifice securus: regnum ergo optimè constituit per Georgium Ambacianum Cardinalem (qui hoc anno Scacarium, Rhotomagense judicium procuravit) virum magni ingenii, sed cui Ludovicus nimium indulsit, nimis ejus confidit industriæ, cum aliquo suæ autoritatis detrimento.

Quid ageret Ludovicus Maurus Sfortia; nec enim tum poterat expectare auxilium à Maximiliano, quem sibi tot pecuniis devinxerat: hunc enim Helvetii distinebant, ubique malè mulctatum. Nec Fridericus Neapolitanus satis poterat, pecuniis, & suorum benevolentiâ destitutus: itaque ambo illi confugiunt ad Bajazethem, ut saltem hîc Venetos distineret, ne Ludovico Franco jungerentur. Interim Maurus parato exercitu sibi ipse non defuit, qui tamen mox dissipatus est per Ludovicum Lucemburgensem Lignium, Stuardum Albinium, & Joannem Jacobum Trivultium Mediolanensem, hostem Mauri Sfortiæ capitalem. Ac primo impetu capta Alexandria; mox dediderunt sese Papia & Genua, ac denique, fugiente Mauro, Mediolanum; adeò ut venisse Ludovicus XII. in Italiam videretur non uti pugnaret, sed oblatum sibi à fortunâ Mediolanensem Principatum reciperet. Verùm rediit paulò celeriùs in Franciam, quàm prudentia postularet, nondum satis bene ordinatis rebus, & Francico tantùm impetu, ac ardore stabilitis, ut tam facilè perderetur victoriæ fructus, quàm facilè esset parta victoria.

*Ludov. XII. Maurum Ducem Mediol. spoliat.*

*Eduardus suppositi-tius suspenditur.*

Hoc denique anno Petrus Varbelkus, patriâ Tornacensis, quem Margarita sub nomine Eduardi Clarentiæ Ducis supposuerat; post varias fortunæ vices, inanesque conatus, qui etiam mortis causa fuerat Eduardi Comitis Warvicensis, tandem captus. Regis jussu laqueo suspensus, huic comœdiæ fidem imposuit, quàm ipse Tragœdiam est expertus.

MUNDI 5553. CHRISTI 1500.

*Jubilæum minori frequentia celebratum.*

Jubilæum celebratum Romæ, sed minori frequentiâ ob bella Longobardiæ. Maurus enim Mediolanensis, recuperato sub anni principium dominatu, in Francos Romipetas sæviebat, pronunciato in singula eorum capita Ducato aureo; quod cum innotuisset, stabularii aliquot cum suis diversoriis cremati sunt. Recepit autem Principatum suum Maurus, Trivultii culpâ, qui à se Mediolanenses abalienavit asperitate suâ, parum in novos subditos opportunâ: Itaque hi revocarunt Ludovicum suum, qui cum Ascanio fratre Cardinali rediit, & exercitu Helvetiorum peditum octo millium, & quingentorum equitum Burgundorum. His copiis Comum primò, deinde Mediolanum recepit, arce tamen à Francis servatâ. Novariam quoque expugnavit præter arcem. Sed illicò adfuit cum novis Helvetiorum copiis Trimolius, & Ambasianus, qui cum reliquo exercitu Italico Novariam obsedere, quâ se incluserat Naurus; unde dum effugere parat, eum suorum aliquot, sub Helveticâ veste, deprehensus à Francis deductus est in Galliam, ubi in Loquiensi carcere, decennio vitam & crimina finiit, dignus ob Tyrannidem, & crudelitatem, qui acerbiori supplicio tolleretur. Ejus quoque frater Ascanius traditus à Venetis, & inclusis turri Bituricensi, tandem datus est Cardinali Ambaciensi, qui tum omnia poterat apud Repem. Mauri filii duo, Maximilianus & Franciscus, apud Imperatorem à patre relicti, diu exules, & inopes, per Germaniam erraverunt; rebellibus data venia est, acerbiùs imposito tributo, quàm exacto.

*Ma[urus] capi[tur] & in turri carce[ratur].*

Gravis hoc anno casus Alexandrum VI. perculit, camino in triclinium per turbinem deturbato, quo confractû tabulatum duos ad Pontificis pedes elisit, tertium graviter vulneravit, ipse capite & manu graviter sauciatus inter rudera inventus est exanimis. Quare sanatus Constitutionem Callisti III. renovavit de salutatione B. Virginis per campanam in meridie significandâ, cui vitæ Pontificiæ emendatio longè magis attinisset.

*Ale[xander] VI[.] ...*

Rebellavere hoc anno Mauri, & sequenti anno domiti, aut recipere Christianam fidem, aut decem aureis persolutis in Africam navigare compulsi sunt; quare multi eorum ejuravere Mahumetum, sed ore duntaxat, mali Saraceni, & pejores Christiani. Id plurimùm lætitiæ Ferdinando, & Isabellæ peperit. Sed majorem adhuc attulit in festo S. Matthiæ anno Bissextili Caroli V. ex Philippo Archiduce filio Maximiliani Imperatoris, & Joannâ alterâ filiâ Ferdinandi & Isabellæ, natalis dies. Alia quoque his contigere fœlicia, mox tamen tristibus permiscenda; sicut humanæ res exigunt.

*Ma[uri] reb[ellant] ... Hi[spania].*

*Na[scitur] Ca[rolus V.]*

Hoc


Hoc quoque anno nova expeditio in Indiam suscepta est Regis Emmanuëlis Lusitani jussu, 13. armatis navibus, quibus Alvarus Capralis præerat; huic additi sunt Minoritæ octo, ut Christi negotia cum Lusitanicis promoverentur. Solvens classis, gravi tempestate jactata ad terram projecta est, quam Capralis, à fixâ cruce nigenti, dixit *Sanctæ Crucis*, & postea Brasilia nominata est. Inde repertâ navigatione, post septem absorptas naves, cum solis sex appulit in Indiam, regibus in itinere multis ad societatem Lusitanorum allectis. Benignè susceptus est primò à Zamorino Calecuti, deinde appetitus insidiis, aliquot è suis perditis, fœdus cum regibus Cochini, & Cananoris pepigit, & utrobique onustis navibus, diversis Aromatis, amissis denuò aliquot in reditu navibus, anno sequenti Olylipponem subiit, cum incredibili gaudio Emmanuelis, quem hæc Indica expeditio communi omnium gentium gratulatione celebravit.

*Robertus Gaguinus.*

Floruit hoc tempore Robertus Gaguinus Belga Artesiensis. Generalis magister Ordinis S. Trinitatis, qui ad hunc usque annum historiam per mille ducentos annos in Epitomen contraxit; vir eruditus, & prudens, ac multis legationibus perfunctus in Italiâ, Germaniâ, Angliâ, & à Ludovico XII. præfectus Bibliothecæ Regiæ quàm hîc multis libris locupletavit Regiâ pecuniâ quæsitis. Vitam adhuc ad duos produxit annos, cum magnâ pietate conjunctâ eruditioni.

*Naucleri Chronicon.*

Vixit & hoc tempore Nauclerus, nobilis Suevus, filius Joannis Vergæ, quæ vox *Nautam* sonat, unde suum nomen Græcè edi voluit: hîc Chronicon suum ad hunc usque annum perduxit, quod tamen dicitur interpolasse Philippus Melanchthon; ideo sic legendũ, ut caveas ab heterodoxorum fraudibus, quas sæpe nobilium scriptorum nominibus contexuerunt.



# LIBER XVI.

## *Ab anno CHRISTI 1500. ad 1600.*

---

### CAP. I.

### *Decas Prima.*

*Ab anno Christi 1500. ad 1510.*

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5554. | 1501. |



Udovicus XII. & Ferdinandus sic inter se partiuntur regnum Neapolitanum, ut Apulia, & Calabria huic cederet, illi Neapolis cum reliquo regno. Prætextus spoliandi Friderici Neapolitani Regis fuit Bajazethes evocatus in auxilium, & spes ab Alexandro VI. Regibus injecta, ut nepotes sui Principatibus ditarentur: ita diplomate Francum dixit Neapolitanum & Hierosolymitanum Regem, Hispanum ducem Apuliæ, Fridericus autem nihil minùs expectans, quàm à Ferdinando bellum, in auxilium suum evocavit è Siciliâ Gonsalvum, hoc est, admisit in ovile Lupum, à quo delusus miser totum regnum vidit in potestate ejusdem Gonsalvi, Albinii Scoti, & Philippi Ravenstinii Genuæ gubernatoris. Fugit itaque in Ischiam insulam; ubi animi pendens cui se committeret, an Franco, an Hispano, hunc magis exosus quia proditorem, illi se dedidit, à quo Ducatum Andegavensem cum pensione annuâ triginta millium aureorum, & titulo Regis sine ullo discrimine, ac labore decidit; fœdere utique turpitudinis, quàm quietis pleniori. Filius ejus Fridericus dictus Calabriæ Dux, obsessus Tarenti, contra datam fidem missus est à Gonsalvo in Hispaniam, ubi regio pæne cultu habitus, nihil optare potuit præter libertatem.

*Ludov. Monpenseri pietas in patrem.*

Francis potientibus Neapoli, Ludovicus Monpenserius accessit Puteolos, ut sepulchrum videret patris, qui hîc sub Carolo VIII. Prorex mortuus erat. Adolescens optimus tot hîc effudit lacrymas, tanto hîc mœrore correptus est, ut hîc efflaret animam, & statuerit in Italiâ patri omni marmore preciosius monimentum pietatis.

*Legatio Petri Martyris Anglerii ad Campsonem.*

Missus hoc anno à Ferdinando Petrus Martyr Anglerius ad Sultanum Ægypti Campsonem Gaurum Circassum, electum à suis Mamalucnis, ab eo obtinuit, ut facilior esset accessus Christianis Hierosolymam, portoria & tributa levarentur, loca sancta reficerentur; quæ quidem facilè impetrata sunt, quia hæc vergebant in emolumenta Sultani, quâ nulla est apud Saracenos machina potentior.

*Philippus Archidux in Gallia magnificè recipitur.*

Philippus Archidux evocatus cum Joannâ uxore à Ferdinando, per Galliam transiit, magnificè ubique susceptus, & potissimùm Blesis à Ludovico; quando & Claudia hujus filia, Carolo illius filio promissa, cum dote Ducatûs Mediolanensis. Advenit tandem Toletum, priùs amicissimè susceptus ab Arragonis, in ejus gratiam propè suorum privilegiorum oblitis.

*Poloni, & Transylvani cum Tartaris fœdus ineunt.*

Hoc anno à Polonis, & Stephano Waivodâ, inita est aliqua societas cum Tartaris Zavolnensibus, adversus Præcopenses seu Tauricos, ut divisi minùs terribiles essent. Nec ita multò pòst ex Apoplexiâ obiit Io: Albertus Poloniæ Rex, dum parat expeditionem in Fridericum Magistrum Teutonicorum, & reliquit successorem fratrem suum Lithuaniæ Ducem, qui sic adiret regnum, ut hoc magno Ducatu ad augeret.

MUNDI

MUNDI 5555. CHRISTI. 1502.

*Franci, & Hispani commissi.* Capitanatus, pars regni Neapolitani pecore dives, Hispanos hoc anno, Francosque commisit, rixis priùs inter duces Ludovicum Armeniacum Ducem Nemorosii, & Gonsalvum Magnum Capitaneum, deinde inter Reges ipsos concitatis. Ac primùm quidem, de more, Franci victores extitere, pulsis undicumque Hispanis; sed tandem Ludovici negligentiâ, & cunctationibus, Francicæ res in exitium præcipitavere.

*Lud XII. in Italiam venit.* Hoc autem anno venit Ludovicus XII. Mediolanum, ut huic urbi, atque regioni prospiceret, quas Maximilianus attentabat, nec deesset Neapolitano regno, ubi res ejus titubare videbantur, denique Florentinis ferret opem, quos Valentinus armis Pontificiis oppugnabat, adjunctis sibi Medicæis asseclis. Hos omnes Ludovicus retudit; mox tamen cum Valentino renovavit fœdus, in gratiam patris, in Hispanicas partes nimis inclinantis, & qui non poterat aliter in Francicas detorqueri. Receptus est tum quoque Ludovicus Genuæ tantâ amoris significatione, ut dies adventus ejus decreto publico inter festos numeraretur. *Genua recipitur.* Quæ autem contigerint Alexandro Pontifici, supplicationem & Missarum solemnia celebranti, prætermittimus, quia iis subest calumniæ suspicio; nec opus hominem, ob vera scelera satis contemptum, dubiis criminibus onerare, atque traducere.

MUNDI 5556. CHRISTI 1503.

*Francorum res in regno Neapolitano ruunt.* Celebris est hic annus Francorum in regno Neapolitano conversâ fortunâ, cujus causa fuit, eorum in prosperis solita fiducia, & Gonsalvi summa virtus, atque constantia. Hic diu Barlettæ obsessus, non modò urbem fortiter propugnavit, sed & multis cladibus affecit hostem. Et pacis aliquam speciem informavit Philippus; sed eam Gonsalvus sapienter discussit, ut Hispanicis rebus parum utilem. Hic ergo novis auctus copiis, Francos deficientes in dies, atque inconsultè ruentes in prælia, bis delevit, primùm ad Seminariam in Calabriâ, ubi victus Albinius, & captus in arce Angitolâ, deinde graviori prælio ad Ciriniolam in Apuliâ, ubi Nemorosius cecidit, illustri funere à Gonsalvo donatus. Hæc victoria Neapolin Hispanis dedit, Franci se Cajetam recepere, quam statim Hispani, terrâ marique obsedere. *Bis deleti Franci.* Huic urbi subvenire modis omnibus conatus est Ludovicus, sub ducibus Tremolio, & Francisco Gonzaga Mantuano, sed cùm Tremollius obiisset, Franciscus circa Romam hæsisset diutiùs ut Pontificatum Cardinali Ambaciano procuraret, datum est tempus Gonsalvo colligendi sui, atque exercitus. Exinde cùm Mantuanus parum prosperè pugnans à Francis contemptus esset, & huic suffectus Marchio Saluciarum se tanto oneri minùs parem ostendisset, tandem Francicus exercitus virtute Hispanorum 6. Kal. Ian. deletus est; quando Petrus Medices, tum Gallorum fautor, cum multis nobilibus in ostio *Cajetam perdunt.* Liris fluvii haustus interiit. Sic Cajeta dedita Gonsalvo Kal. Ian. liberatus Albinius, Franci turpiùs ejecti sunt regno, quàm id gloriosiùs intraverant.

*Alex. veneno necatur.* Funestus est hic quoque annus Pontificis nece, & nece à Cæsare filio procuratâ, à quo nihil non funesti expectari debuit propter ultimam & summam improbitatem. Post multa ergo crudelitatis in suos adversarios exempla, Senogalliæ strangulatus, Cardinalem Ursinum veneno sublatum, Valentinus locupletes, & pecuniosos Cardinales quosdam veneno necare decrevit, inconsulto utique patre. Hunc igitur, & illos invitavit ad cœnam in hortis Cardinalis S. Chrysogoni, dato servis medicato vino, quod Cardinalibus offerretur. Verùm per imprudentiam mutata vasa, medicatum vinum biberunt Alexander & Cæsar, innocuum Cardinales. Pontifex, utpote senex, & qui meracius hauserat, nullo remedio sanari potuit, obiitque prid. Id. Aug. munitus omnibus Sacramentis. *Cæsar Borgia sanatur, perdit omnia.* Filius, qui dilutius hauserat, & juvenis, exenteratæ mulæ visceribus inclusus, pilos tantùm omnes, cutemque perdidit. Valentinus autem, qui sæpe præviderat omnia, quæ patre moriente contingerent, hoc unum non vidit, videlicet quòd in ejus morte graviter ægrotaret: itaque veritus tumultum Romanorum, Nepetum cum suis copiis lecticâ se recepit, indeque in civitatem Castellanam, rebus suis improviso patris obitu desperatis, & eversis.

*Pius III. succedit Alex.* Alexandro suffectus est 5. Kal. Octobr. Franc. Todeschinus Picolomineus, ætatis 64. coronatus 8. Id. Oct. dictusque Pius III. vir bonus, & dignus vita diuturniore. Nam decimo pòst die obiit ex ulcere in crure, cui inditum fuisse venenum suspicio fuit. Ad hujus mortem Raphaël Volaterranus Anthropologiam suam perduxit, & commentaria Urbana, ex mille voluminibus collecta; quod opus Julio II. nuncupavit. *Pio Iul.* Et vero in locum Pii electus est prid. Kal. Octob. ille Julius, antè dictus Julianus Ruvereus. Hic ut venerabilior appareret (non terribilior, ut alii volunt) contra morem antecessorum suorum aluit barbam; cui & Pontificatum prænunciasse ferunt S. Franciscum Paulanum, quamquam eum à tantâ dignitate, & morositas, & multorum procerum odium, & Alexandri de eo judicium removerent, sed hæc omnia largitiones superarunt, quæ ei Franci affingunt, & Itali. Certè dicere solitus erat, petri sedem pluris æstimandam esse, quam emi aut vendi ab imperitis solebat; sive dictum hoc ridentis jocus, seu invidorum calumnia fuit.

*Cæsar Borgia carcere ... ebitur.* Cæsar Borgia Dux Valentinus sub Pio III. In arce S. Angeli detentus primò, mox laxatus, sub Julio II. iterum vinctus est donec oppida, & arces redderet Ecclesiæ. Ex Ostiensi carcere confugiens ad Gonsalvum, ab eo missus est in Hispaniam, ubi detentus in Castro, corruptis custodibus fugit ad Joannem Navarræ Regem, nec ita multò pòst anno 1507. in tumultuariâ militum excursione incognitus cæsus est, atque spoliatus;

liatus; vir improbus usque ad parricidium, & Pontificis parricidium, in opprobrium Ecclesiæ, ac fermè generis humani natus, de quo multa atrocia scelera fortè conficta sunt, sed quæ propter ejus impietatem apud plerosque fidem invenerunt.

Obiit hoc anno celebris ille Rhodiorum Equitum Magister Petrus Albussonius Cardinalis, & belli adversus Turcos Dux creatus, anno ætatis 80. cùm Oridini suo 20. præfuisset. Successor ejus Emericus Ambacius Cardinalis frater, sic munit insulam, eas clades Turcis & Ægyptiis intulit; ut de Albussonio mœrorem conceptum abstergeret.

Missus est hoc anno ab Emmanuele in Indiam Alphonsus Alburquercius, *Magnus* cognominatus, ob assertam Lusitanis Indiam fortitudine, cui tamen sine dubio pietas, in tanto viro, prævaluit.

Vivebat hoc tempore Jacobus Philippus Bergomensis Eremita sancti Augustini, qui ad hunc usque annum Chronicon perduxit, mortuus anno 1518. cui σύγχρονος & popularis fuit Ambrosius Calepinus, eiusquequoque Ordinis, sic dictus à Calepio vico in agro Bergomate, obiitque anno 1510. cujus opus omnium manibus teritur, nomen à plerisque nescitur.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5557. | 1504. |

Franci hoc anno artibus Gonsalvi Neapolitanum regnum penitus reliquere, & in eo Hispani non ex suis stipendiis, sed laboribus rusticulorum vivere cœperunt; quorum exemplum aliæ secutæ sunt gentes militares, Franci etiam magistros suos superavere, non in hostico tantùm, sed inter suos publici, atque tolerati grassatores.

Mortuus est hoc anno Fridericus Rex Neapolitanus, Turonibus, posuitque vitam cum spe regni sui recuperandi. Obiit & Isabella Hispaniæ Regina, ex fœdo ulcere, equitatione ad Granatam contracto; mulier prudens, & supra fœminam fortis, cui etiam maritus præclara sua facinora debuit, ab eâ potissimùm excitatus ad magna.

Veneti hoc anno pacem cum Turcis iniere, quam non refugiebat Bajazethes, illi votis omnibus expetebant, cùm bello Turcico semper aliquid perderent, eorum Orientalis negotiatio conquiesceret. Ægerrimè autem tulerunt Lusitanorum in Indiam navigationes, & Sultanum Ægyptium impulere, ut ex Indiis eos expellere conaretur; immò & egere apud Turcum, ut materiam Sultano ad fabricam navium concederet; cujus tamen magna pars ab Equitibus Rhodiis abducta est, magno commodo Christianitatis. Sed Sultanum vehementiùs impulere Saraceni degentes in Indiâ, cum Regibus indigenis, Calecutano & Cambajensi, inimicis Lusitanorum. Ac primùm minacibus litteris egit Sultanus apud Pontificem, Ferdinandum, & Emmanuelem, quibus eversionem S. Sepulchri, Hierosolymorum, & Monasterii S. Catharinæ in monte Sinai intentabat. Verum eas minas Lusitanus irrisit, interminatus vicissim dissipare ossa Pseudoprophetæ Mahometis Mechæ. Has autem Legationes obiit Minorita, nomine Maurus, litterarum utrimque bajulus, quæ Sultani impotentiam, Emmanuelis audaciam ostenderunt.

*Pacieti Lusitani de Zamorino victoria.* Hoc anno Zamorinus Rex Calecutanus aggressus Regem Cochini cum 70. armatorum millibus, per Eduardum Paciecum ibidem relictum ab Alburquercio, cum centum Lusitanis, ita retusus est, ut amissis suorum 20. millibus, abire cum dedecore compulsus sit. Hic Paciecus redux in patriam, à Rege supra modum honoratus est, mox ejus jussu detrusus in carcerem, ac demum mortuus est egenus, multùm ex suis factis gloriæ, nihil utilitatis retulit.

*Stephano Waivodæ succedit Bogdanus.* Obiit hoc anno Stephanus Waivoda Transylvaniæ, vir sæculi sui fortissimus, & experientissimus rei militaris, à quo victi Matthias, Bajazethes, Io: Albertus, Tartari. Successit ei Bogdanus cognomento Luscus, hæres ditionis paternæ, non virtutis.

*Alexander ab Alexandro.* Circa hoc tempus vivebat Alexander ab Alexandro Neapolitanus, vir doctissimus, & qui multam eruditionem conjecit in libros suos Genialium dierum, quos accuratissimis commentariis illustravit Tiraquellus vir omni litteraturâ perpolitus; is reddidit singulis auctoribus quæ quasi de suo dixerat Alexander, effecitque ut hic deinceps, non nisi à rudibus & illiteratis citaretur.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5558. | 1505. |

*Iulii II. Constitutio de Simoniaca Pont. intrusione.* Constitutionem edidit hoc anno Iulius II. si Simoniaca labes Pontifici, aut Cardinalibus adhæsisset, ut electio illiusmodi irrita esset, eligentes excidisse Cardinalatu judicarentur, & reliqui puri Concilium convocare, ac Principum sæcularium opem implorare possent: sanctum omnino decretum, sed plenissimum tumultus, si revocetur ad praxim.

*Pax Lud. Maximiliano, & Ferd.* Ludovicus XII. cum Maximiliano Imp. renovat fœdus per Cardinalem Ambacianum, sed majoris momenti aliud cum Ferdinando Hispano, datâ ei uxore Germaniâ Fuxensi cum dote regni Neapolitani; hâc tamen lege, ut si nulla proles mascula ex his nuptiis oriretur, regnum rediret ad Francos; & 70. (aut ut alii volunt 50.) aureorum millia intra decennium numerarentur, in sumptus belli Neapolitani; quibusdam reclamantibus, anno sequenti nuptiis illustribus quæsita pax bello maximo finem imposuit.

*Ximenius gratia sui Regis optime utitur.* Ximenius Archiep. Toletanus operâ Ferdinandi Cordubæ in Africa Mazalquivirum, hoc est, *Portum Magnum* cepit, assentiente Rege Ferdinando; nec enim ille Præsul gratiam sui Regis aucupabatur, nisi ut Deo esset acceptior.

*Fr. Almeida primus Indiarum prorex.* Primus hoc anno delectus est Indiarum Prorex Franciscus Almeida, cui data 22. navium classis, ut in orâ & Africæ & Indiæ arces excitaret, & navibus aliquot remissis in Lusitaniam, reliquas in suum & arcium præsidium retineret;

utrumque fortiter, ac prudenter præstitit, domitis Regibus nonnullis, & Emmanueli subditis. Inter eos excelluit Mahomedes Aconibus, qui suffectus in locum Tyranni exautorati dignitatem recepit tantùm lege, ut non ad suos, sed spoliati liberos transiret, raro æquitatis exemplo in homine, quem nondum suis radiis Christus illustrasset.

*Mahomedis Aconibi æquitas.*

Eodem anno Sophalæ Regnum, auro dives, & à quibusdam creditum Ophir Sacræ Scripturæ, detectum est, ac firmatum arcibus, ex consensu Monomotapa Regis, quem octuagenarium, & cæcum, ob proditionem Lusitani trucidarunt. filio huic Solymano, deinde alteto huic suffecto, facti jam arbitri Regum & Imperiorum.

*Sophalæ Regnum detegitur.*

Mortuus est tum Joannes Basilii, Magnus Moschoviæ Dux, celebris excusso jugo Tartarorum, quorum aliquos sibi subdidit: ejus principatum obtinuit filius Basilius Joannis, qui per enatam cum suis fratribus controversiam res suas potentiùs firmavit, usus prudenter domesticâ discordiâ, quæ raro, nec nisi sapientissimis prodesse solet.

*Ioanni Basilii Moscho succedit Basilius Ioannis.*

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5559. | 1506. |

Philippus Archidux navigans in Hispaniam, tempestate rejectus est ad Anglicum littus; ubi magnificè susceptus, reddere tamen coactus est exulem in Belgio Edmundum Polam, Ducem Suffolciæ, in regnum sibi jus arrogantem, pactâ tamen vitæ incolumitate, quæ huic servata est ab Henrico VII. ab VIII. non item. Inde perrexit in Hispaniam, itinere ejus non satis probato per Ferdinandum, quem tamen, sicut proceres, submissione demeruit. Redire tamen compulsus in Belgium, ibidem mortuus est Brugis 7. Kal. Oct. potatus, uti creditum est, veneno anno ætatis duodetrigesimo; de cujus virtute, & egregiâ indole multa sperabantur; verùm spes illas eximias mors inexpectata demessuit.

*Philippus Archidux in Anglicum littus rejectus.*

*Moritur Brugis.*

Hoc tempore navigarat in Italiam Ferdinandus, specie ut inviseret regnum Neapolitanum, reverâ ut inde retraheret Gonsalvum Magnum Capitaneum, quem sibi vindicare velle regnum erat suspicio. Falsa tamen deprehensa est, ex ejus litteris & occursu, donatusque est à Rege tantùm Ducatu Suessæ, meritis ejus majorem gratiam exigentibus. Neque diu Ferdinandus in Italiâ substitit, revocatus ad regni Castellæ administrationem, mortuo Philippo; cui regendæ Joanna uxor par non erat, quæ vix mentis erat compos, & maritum post aliquot annos resurrecturum credebat, amore in insaniam converso, quam Carthusianus quidam haud sapientior, ineptè fovisse putabatur.

*Ferdinandus navigat in Italiam.*

*Ioanna uxor Philippi parum sana.*

Julius II. imploratis frustra auxiliis Maximiliani, atque Ludovici, Ecclesiæ Perusiam, atque Bononiam, suis tantùm viribus recuperavit, exanimatis metu Ballione, & Bentivolio earum dominis, à quibus Pontifex imprudens poterat retineri: quare hæc expeditio felicior fuit, quàm prudentior, ac bene concocta; usque adeò ad res magnas exsequendas, & tollen[das] d[i]fficultates, Principum præsentia valet, qui sæpe plus famâ, quàm viribus possunt.

*Iulius II. recuperat Perusiam, & Bononiam.*

Hoc anno missi sunt ex Lusitaniâ in Indiam Tristanus Acunia, & Alphonsus Alburquercius: Tristanus, uti jussus erat, Socotoram insulam Mauris eripuit, & Jacobitas Abyssinos auxilio suo texit, arce captâ, atque munitâ. Alburquercius missus successor Almeidæ, dum administrationis suæ tempus adveniret, Armuzam occupavit, emporium nobile in ore Persici sinus; quibus præludiis quid Prorex esset acturus ostendit.

*Alburquerci. successor Almei. renunc. tus.*

Obiit Hispali primus ille Novi Orbis repertor Christophorus Columbus, quater repetitis navigationibus; aliquando vinctus in Hispaniam remissus, mox honorificè restitutus, tandem post tot labores quietè in lectulo efflavit animam; terrâ marique multas expertus tempestates, sed ab hominibus, quàm à ventis tetriores.

*Moritur Christ. Colum.*

Mortuus est hoc anno Alexander Poloniæ Rex, anno ætatis 46. regni 5. auditâ de Tartaris victoriâ; in cujus obitu Matthias Michovius Medicus, & Canonicus Cracoviensis, atque Astrologus, itemque Martinus Cromerus, suis Chronicis finem imposuerunt. Successit Alexandro Sigismundus frater Dux Glogoviensis, ætatis anno 40. vir magnus, & cui restitutam Poloniam omnes meritò gratulati sunt.

*Alex. Polon. cedit. mun. Mich. & C. meru.*

Denique hoc anno inchoata est fabrica Basilicæ S. Petri in Vaticano, designante ideam tantæ molis Bramante Architecto; quæ à Paulo V. demùm perfecta, ab Urbano VIII. exornata, hodie mundi miraculum prostat.

*Basil. Petri. ticana choa.*

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5560. | 1507. |

Genua contra Ludovicum XII. rebellat; nobilibus reclamantibus, ac Ducem eligit raptum ex officinâ Fullonem. Sed mox Rex adfuit cum exercitu, dissipatisque seditiosis, qui montium apices insederant, cum copiis armatus subit urbem, cui grandem imperat pecuniam, arcemque ædificat in portu, ad eam in officio continendam. Seditionis authores cum suo Fullone suspensi: paucorum supplicio omnium consultum est incolumitati.

*Genu. Fran. bella. puni.*

Ludovici potentia, recuperatâ Genuâ, Italis Principibus suspecta fuit, Pontifice eos concitante, quasi Cardinalis Ambacius ad Pontificatũ, Ludovicus aspiraret ad Imperium. Eam ob causâ hic statim dimiserat exercitũ; & suam repetiisset Franciam, nisi Ferdinandum Hispanum Genuæ expectasset. Et verò hic mox adfuit cum Gonsalvo Magno Capitaneo; ad cujus Triremem magnâ confidentiâ Rex accessit, eumque magnificentissimè recepit. Gonsalvum quoque mensæ suæ cum Ferdinando & Regina accumbere voluit, detractum sibi torquem inseruit ejus collo, adeo ut hic dies fuerit honorabilior Gonsalvo, quàm triumphus Neapolitanus. Albinium quoque Ferdinandus honoravit plurimùm, laborantem podagrâ ipse invisit, Venefranum illi Comitatum promisit, verbo tamen, quàm re liberalior. Quid autem hic Reges consilii ceperint, adhuc latet: verisimile est egisse de Concilio, ut Ecclesia emendaretur in capite, ac membris, Maximiliano

*Lud. XII. dina. Genu. loqu.*

*Gons. & Al. à Re. hono.*

no

no Francis reconciliando, Venetis retundendis, ut putarunt, qui ab exitu occulta metiri solent.

Obiit hoc anno 4. Non. April. S. Franciscus Paulanus anno ætatis 91. Ordinis inchoati 71. cujus vita mirabilis, nec minùs mors ejus fuit; ideo dictus sui sæculi Thaumaturgus, & à Leone X. Inter Sanctos relatus. Ejus corpus diebus undecim omnium oculis expositum, & osculis, suavem odorem, ac multa miracula effudit, integrum post annos 55. inventum est ab Hæreticis; qui id Turonibus, lignis ex Crucifixi imagine conscissis, anno 1562. combussere, communi viro Sancto atque Christo injuriâ.

Alio mortis genere hoc anno elatus est, ex lue scilicet venereâ, septuagenarius M. Antonius Sabellicus, quem aliqui volunt fuisse Fabri ferrarii filium, alii nobilem ex Cocceiorum in Æquicolis familiâ; vir sine dubio eruditus, ut ejus Enneades, Historia Veneta, & alia opera docent; laudatus oratione publicâ à Joanne Baptistâ Egnatio, hoc est, à laudato viro.

MUNDI 5561. CHRISTI. 1508.

Maximilianus expeditionem suscepit in Italiam penitùs infortunatam, quia sine consilio parata, sine judicio confecta fuit. Vix tentato per montana Vicetiæ aditu cum modicis copiis, nullâ re gestâ retrocessit; cùm Alvianus Venetorum Dux in Foro Iulio copias ejus reliquas concidisset; paulò pòst ægrè pacem obtinuit à Venetis tumentibus fastu, quasi eorum armis, non suâ temeritate, atque insaniâ victus esset Imperator.

Tum ergo Ludovicus, Maximilianus, & Pontifex, adversus Venetos Societatem inierunt, præclaris obvelatam titulis, quasi de bello Sacro ipsi cogitarent, priùs tamen retundendis Venetis, per quos stabat ne appeterentur Saraceni: ita Principibus belli gerendi nunquam prætextus defuerunt.

Sultanus Campson Ægyptius hoc anno, ubi vidit nihil suas minas profuisse, classem in Indiam mittit, duce Mirhocemo Persâ. Hic omisso Alburquercio, ad portum Ciauli contendit, ubi Laurentium Almeidam proregis filium cum octo navibus imparatum vicit, & occidit. Verùm mox adfuit cum classe undeviginti navium Franciscus pater, quâ & Dabulem urbem cepit, & Mirhocemum eum 200. navibus, quas suis, quâ Calecutanis, devicit, ingenti editâ strage Mammalucorum: itaque cum multis navibus, exustis aliis, & Mirhocemo ægrè cum unâ diffugiente, Cochinum triumphans ingressus est. Inde cum Alburquercio de præfecturâ Indiæ contendit; quem & dedit in vincula; mox tamen hic solutus est à Cutignio Marescallo adveniente ex Lusitaniâ, qui & illum proregem & dixit, & Almeidam non satis ex dignitate remisit in patriam. Eò dum navigat, flexo Bonæ Spei promontorio, dum exscensione factâ pugnat in Barbaros nudos, & tantùm sudibus instructos, interiit Kal. Mart. 1510. morte præclaris ejus facinoribus non satis respondente.

Hoc anno in orâ Neustriæ inventa est navicula ex viminibus & arborum cortice contexta, in quâ 7. homines mediocri staturâ, colore fusco, vestiti pellibus piscium variegatis, quibus cibus erat caro cruda, potus sanguis, incognitâ omnibus loquentes linguâ. Sed in mari interiere, septimus cùm ipsâ navicula oblatus Ludovico; sed unde venerint nunquam resciri potuit, immo nec conjici. *Barbari in Franciam tempestate delati.*

MUNDI 5562. CHRISTI 1509.

Contigit hoc anno Constantinopoli terribilis terræ motus, quo multa ædificia corruerunt; mare inter Urbem & Peram sic intumuit, ut muros utriusque superaverit. Multi mortales elisi, fugit Bajazethes Hadrianopolin, ubi vix tutus vixit in campo. Mox tamen quæsiti fabrorum 80. millia qui ruinas Urbis repararent; per quos mox redditus huic splendor, & dignitas. *Constant. terræ motu, & æstu maris vexata.*

Hoc item anno Tekel famosus ille Mahumetanæ legis interpres apparuit, cùm in speluncâ Phrygiæ annis 7. latuisset, fotus pecuniâ ab ipso Bajazethe. Ac priùs captâ Attaliâ, brevique collectis decem armatorum millibus sectæ suæ, Natoliam pæne totam diripuit, & flammis, ferroque vastavit, Bassis, & Ianissaris ubique debellatis. Cùm autem tot rebus gestis ad Ismaëlem rediret, & in itinere συνοδίαν diripuisset, multosque interemisset, conscissis etiam commeatûs litteris, Ismaël plerosque ejus duces copiis suis concidendos objecit, Thekelem ipsum vivum exuri jussit, cùm tamen tam gnaviter rebus ejus allaborasset, Bajazethes quoque in ejus sectæ fautores inquiri jussit, quorum ducentæ domus Constantinopoli eversæ; unde de aliis ejus sectatoribus, eorumque suppliciis duces conjecturam. *Tekelis Res gestæ atque supplicium.*

Florebat hoc tempore Arsenius Metropolitas Monembasiæ, qui ex antiquis collegit Scholia in Tragædias Euripidis, easque Paulo III. nuncupavit, questus non esse unum, aut alterum Græcum inter Cardinales. Hic obiit excommunicatus, & instar tympani tumens post obitum, qui fastu vivens intumuerat. *Arsenius Episcopus Monembasiæ.*

Ludovicus XII. armis in Venetos, Julius anathemate fulminat: illi provocant ad futurum Concilium, quare novâ excommunicatione perculsi, Rex autem in eorum ditionem cum 40. millibus armatorum irrupit; atque Idib. Martii functus officiis boni Imperatoris ac militis nobilem victoriam retulit ad *Ghiaraddam*, hoc est ad Abduam fluvium, non procul ab urbibus Laude, & Rivoltâ: hujus victoriæ fructum collegêre Ludovicus, Pontifex, Maximilianus, Italiæ Principes, immo & Ferdinandus, dum quisque urbes miseris Venetis eripit, qui hac clade attriti, de relinquendis regionibus mediterraneis cogitabant: contenti maritimis; immo tributum offerebant Maximiliano, si eos ab armis Francicis tutos præstaret. Et verò de exscindendis Venetiis inter fœderatos deliberatum erat. Ubi tamen hi boni socii rebus suis consuluerunt, Francum, cujus operâ felices *Nobilis de Venetis Ludovic. XII. victoria ad Ghiaraddam.* *Veneti res suas restituunt.*

 erant,

erant, rejecerunt, præter unum tamen Maximilianum, quem & depellere ex Italiâ statuerunt. Ludovicus autem solâ gloriâ, ac suis urbibus contentus, quievit: unde injecta spes est Venetis recuperandi sua, maximè cùm repulissent Maximilianum, ferrum licèt auxiliis Francicis, Patavio, jam nihil indigi auxilio Bajazethis cujus opem non implorarant, rebus suis depositis, sicque tantùm superos, non Acheronta sollicitarent.

*Fr. Ximenius in Africa bellum feliciter gerit.*

Interea, uti sanctior, ita sanctiùs bellum gerebat Ximenius Archiepisc. Toletanus, dictus Cardinalis Hispanus, sub cujus auspiciis, ac precibus Petrus Navarrus, ex vili Nauclero factus Dux magnus, Oranum uno die cepit; anno sequenti Trabacam, nunc *Bugiam*, Jol Cæsaream, seu *Algerium*, aliasque urbes, tributum ei certatim offerentibus Regibus, ex quo Tripolis capta esset; sicque universa pæne Barbaria, sub Sanctissimi præsulis armis & pietate contremuit.

*Maximilianus, & Ferdinandus malè reconciliantur.*

Maximilianus & Ferdinandus de tutelâ Caroli V. disceptantes, operâ Cardinalis Ambaciani, reconciliati sunt, cùm tamen eos discordes esse res Franciæ postularent: Sed Ambacianus Pontificatum ambiens eorum operâ indigebat, jam certus de favore sui Principis. En quibus sæpe Principes confidunt, qui eorum negotia jacere sinunt, ut erigant sua, improbi prævaricatores.

*Henrico VII. Anglo succedit VIII. maritus Catharinæ.*

Obiit hoc anno Henricus VII. Angliæ Rex ætatis 52. regni 24. vir bonus dum vixit, & adhuc moriendo melior. Successit ei filius Henricus VIII. annorum 18. vultu pulcherrimus, & adhuc indole suâ præclarâ commendatior, coronatus 8. Kal. Iul. cum Catharinâ conjuge suô filiâ Ferdinandi & Isabellæ, relictâ ab Arturo fratre intactâ, &, dispensante Iulio II. ejus factâ uxore; quibus nuptiis Angliæ, & Ecclesiæ nihil accidit infortunatius.

*Wladislaus Lud filium Regem creat.*

Turbata est hoc anno Bohæmia factionibus hæreticorum, quos Calixtinos seu Hussitas, & Pikardos vocabant. Ut hos tumultus compesceret Wladislaus, Ludovicum filium suum tres tantùm annos natum, jam ante biennium creatum Hungariæ Regem, inungendum curavit. Hic natus est sine extremâ cute (ἐπιδέρμιδα vocant) quæ huic medicamentis procurata est, atque etiam adolescens canos habuit, judices potiùs imbecillitatis corporis, quàm animi prudentiæ.

*Phil Comminius moritur.*

Obiit hoc anno, annos natus 62. Philippus Comminius; cujus historiam cum antiquis componere, & cuivis æquare non dubitavit tersissimi vir judicii Iustus Lipsius. Hujus historia jam propemodum omnium gentium linguis loquitur, terenda maximè Principum nostrorum manibus, si absque adulatione, ad regni sui rectam administrationem velint erudiri.

*Nascitur Ioannes Calvinus.*

Denique & hoc anno venit in lucem altera fax Occidentis Ioannes Calvinus, natus Novioduni 6. Id. Iul. ex parentibus Catholicis; qui se ineptâ metathesi *Alcuinum* dixit, cùm verè dicendus esset ob impietatem *Lucianus*; factus postea Capellanus in Ecclesiâ Noviomensi, & parochus in pago Pontis Episcopi, ac denique Calipha Genevensis.

| MUNDI | CHRISTI |
| --- | --- |
| 5563. | 1510. |

*Iulius hostis F[rancorum de]nuncia[tus].*

Julius II. jam denunciatus hostis Francorum atque Lud. XII. Venetos Ecclesiæ reconciliat; Maximilianum à Francis disjungere nititur; Helvetios iratos Ludovico ad suas partes pertrahit, atque ex Cardinalibus Francis revocatis à Rege Franc. Guill. de Claromonte, venantem festo die S. Petri, tetractum quasi fugitivum inclusit Castro S. Angeli meliorem certè venatorem, quàm Cardinalem.

*Morit[ur] Georg[ius] Amba[cia]nus C[ardi]nalis.*

Eidem Julio Pontifici mors Georgii Ambaciani Cardinalis gratissima accidit: Obiit hic Lugduni ann 50. cujus exequias Rex ipse cohonestavit. Mortuus est dives legatus trecentis aureorum millibus, de quibus orta est inter Ludovicum & Julium controversia, sed cujus ille & actor, & arbiter extitit.

*Iuliu[s] Ferdi[nan]do Re[gnum] Neap[olitanum] confir[mat].*

Aliunde Julius Regnum Neapolitanum Ferdinando confirmavit diplomate tam amplo, ut ab ipso Ferdinando dictatum crederetur. Genuam item tentandam, terrâ marique curavit; in agrum Mediolanensem 12. millia Helvetiorum immisit, sicut & copias suas in agrum Ferrariensem; quibus expeditionibus, tam diversis tantùm inter se diffitis, ferociorem & turbulentiorem hostem se, quam prudentem & justum Pontificem præbuit. Et vero non ita multò pòst dum agit omnia præposterè, tantùm non est obsessus Bononiæ à Chamontio Francorum duce, licet cum paucis copiis, liberatus Venetorum auxiliis, atque Turcorum iis militantium, quâ de re multas Tragædias egit, de Ludovico acerbissimè conquestus, qui tamen mox ei querelarum justiorem materiam suffecit.

*Et om[nia] agit p[rœpo]stere.*

*Para[t] Iuliu[s] Conc[ilium].*

Enimvero Rex cum Maximiliano conveniens, ut odium odio parum Christianè repelleret, egit de Concilio congregando, quòd opponeretur furenti Pontifici, eumque redderet ex oppugnatore propugnatorem. Mox congregata Turonibus Synodus ex omnibus præsulibus, & nominatissimis Theologis Galliæ, & quibus multa proposita, quæ ad Schisma vergerent, octo capitulis contenta. Priùs tamen visum mittere Legationem nomine Ecclesiæ Gallicanæ ad Julium, quæ eum admoneret de pace cum Ludovico ineundâ, alioqui Concilium liberum huic significaret; quæ quidem promoverunt Cardinales nonnulli jam irati summo Pontifici, à quibus omnibus, agentibus tantùm ex pravis animi motibus, recti nihil potuit expectari.

*Maxi[mili]anus [ju]nit L[udovico] XII. Ferdi[nan]dus.*

Quod fecerat in Franciâ Ludovicus, facit in Germaniâ Maximilianus, cui oblata sunt *Gravamina decem* per Pontificem curanda. Sapientiùs Ferdinandus noluit his tumultibus implicari, & negavit tempus esse curandæ Ecclesiæ per Concilium, adeo inter se discordibus Christianis. Quare in bellum Africanum prudentiùs incubuit. Accepit tamen gravem cladem, ad Meningem insulam, nunc *Gerbim*; ut fortiter, & sapienter bellum gerentibus victoriæ non solent esse constantes, atque perpetuæ.

Julius

Julius Papa Polonos ad bellum Turcicum invitavit: renuerunt illi in suis Comitiis, & fidem etiam Infidelibus servandam asseruerunt; ne dum Turcos ab aliis avertere conantur, in se converterent, aliorum commodo infelices.

Neapolitani Inquisitionem Hispanicam detrectant, & tantùm Judæos, & Mauros expelli postulant; quibus depulsis Inquisitio non est visa necessaria iis hominibus, quibus displicebat nomen, res placebat.

Hoc anno Epiphora gravis & inusitata totam pervasit Galliam, dicta *Cucullata*, vulgo *Coqueluche*; quod qui eâ laborarent cucullis, aut linteis caput involverent. Quo tempore sævIit & in Scotiâ morbus qui maximè nobiles delicatos sustulit, plebeis parcens, ideò vulgo dictus *Stoup - Galland*, quòd eo superborum fastus retundi videbatur; Deo utrobique irato, & furorem suum calamitatibus istis publicis demonstrante.

Tum obiit Bononiæ, cùm hîc Julius versaretur, Philippus Beroaldus sexagenarius, vir magnæ eruditionis, ac laboris, quem relictus filius longè superavit arte Poëticâ, cætera inferior patri.

Cepit hoc anno Goam Alphonsus Alburquercius Prorex Indiarum, absente ejus Rege Idalcane; quam tamen idem mox recepit, sed ut turpiùs perderet, eamque reciperet fortiùs Alphonsus. Hanc autem constituit hic Lusitanicæ ditionis, & Ecclesiæ Indicæ caput; ubi & selectas puellas militibus suis uxores ad sobolem dedit: quando & inventa Christi è cruce pendentis imago, in eâ Christianam olim fidem viguisse docuit, & ejus augmentum prænunciavit.

---

## CAP. II.

## *Decas Secunda.*

*Ab anno Christi* 1510. *ad* 1520.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5564. | 1511. |

HOc anno Bajazethes Achmetem filiorum superstitum natu maximum sibi successorem destinat: Corchutes, quamquam olim ante patrem in solio collocatus, prætermissus est, quod studiis, quàm armis aptior videretur. Selimus tertio loco genitus cæteris audacior arripere conatus est Imperium, evocatis Præcopensibus Tartaris, quibus erat nuptiis conjunctus; sed commisso prælio victus est à patre: neq; tamen despondit animos, sed mox solium conscendit sibi debitum fortitudine, ob impietatem multasque alias causas denegatum.

Eodem tempore ortum in Africâ Imperium Cheriffforum, authore quodam Zidamete, quem alii Mahometem *Ben hamet* vocant, qui se ex Pseudoprophetâ Arabe genitum jactabat. Hic Monachus Mahometanus, Astrologus & Magus, cum duobus filiis suis, ejusdem secum indolis & ingenii, post obitas varias regiones, copias scripsit, quasi bellum Lusitanis illaturus: sed populis se huic certatim dedentibus, occupavit hanc Regionem, neque se Regem, sed Cheriffum dixit, hoc est *Sacratum hominem*, ut plus venerationis consequeretur, quâ regna Marochi, Fessæ, Tremiseni, aliaque minora sibi adjunxit, factus deinceps non Christianis modò, sed & suis Mahumetanis metuendus.

Iulius II. magnis periculis defunctus Mirandulam ipse capit, eamque per muri labefactati partem eques ingressus est, propè septuagenarius, verùm odio vires supplente. Mox tamen Ludovicus in eum Chamontium cum exercitu misit, ut ditionem etiam Pontificiam occuparet; sed hic mox pœnitens obiit, petitâ per publicum instrumentum à Pontifice veniâ; huic successit Trivultius Mareschallus donec adesset Gasto Fuxensis Nemorosius filius sororis Ludovici, adolescens quidem, sed quem indoles egregia magnis jam ducibus accensebat. *Iulius II. Francos exagitat.*

Tum discussis cogitationibus pacis, Trivultius Bononiam cepit, ex quâ fugiens Cardinalis Papiensis, à Francisco Urbinate, indidem quoque fugiente, confossus est pugione, quod urbs tanta ejus culpa periisset. Indictum est quoque Concilium Pisis ad Kal. Sept. Julius victores videns ubique Francos tantisper demisit animos, mox tamen eos resumpsit, dum vidit secum agere mitiùs Ludovicum, pietate ac beneficiis ejus, ut viles animi solent, magis efferatus. *Papâ vice versa Franci dejiciunt.*

Julius ergo Pisano Concilio Lateranense opponit; Maximilianus ridiculè spem adipiscendi Pontificatus concipit, unà cum regno Neapolitano; tantaque fuit in hoc homine levitas, ut antiqua sibi animo informaret tempora, quibus idem Augustus erat, & Pontifex Maximus. Ludovicus autem sic promovebat Pisanum Concilium, ut id appellaret Larvam, ad terrendum Pontificem. Hic tum Romæ tam graviter ægrotavit, ut ejus salus deplorata putaretur: quod multos ibidem tumultus peperit, ejusdem valetudine sedatos. *Concilio Pisano opponitur Lateranense.*

Interea inchoatur Pisanum Concilium à quibusdam Cardinalibus Kal. Sept. suique facti promulgarunt Apologiam cum Philippi Decii viri Iurisconsultissimi consultatione. Tribus autem sessionibus consilium inchoatum: ob seditionem inter Gallos equites Concilii propugnatores & cives enatam, translatum est Mediolanum, ubi populus hoc segreges patres irrisit palàm, postea repressus authoritate Nermorosii, oculis duntaxat & nutibus iis illudere contentus. *Concilium Pisanum inchoatur.*

Maximilianus Augustæ Vindelicorum conventum habuit, ubi Concilium Pisanum damnatum est; quo tempore multa in Longobardiâ prodigia contigere; Igneus pavo per cœlum visus discurrere, horrendæ tenebræ, cum tonitribus metuendis, saxa de cœlo lapsa centum pondo, cum enormi grandine: quæ vulgus terruere, viros eruditos exercuere. *Prodigia in Italia.*

Alphonsus Alburquercius in Aureâ Chersoneso Indiæ Malaccam cepit, relatis aliquot terrâ marique victoriis, quibus vicinos reges terruit; dumque Goam spoliis ditissimus redit, naufragium *Alburquercius capit Malaccam, & facit naufragium.*

gium passus omnia perdidit, vix incolumis emersit, ut vir piissimus disceret è cœlo venire victorias, ex suis peccatis existere calamitates.

MUNDI 5565. CHRISTI 15 2.

*Selimus occupat Imperium.* Selimus à Ianizaris revocatus Imperium recepit à patre, quod ei remittere ab iisdem seditiosis Prætorianis compulsus est. Dum ergo exautoratus Bajazethes Didymothicum ad quietem se recipit, à filio veneno potatus interiit septuagenario major 9. Kal. Julii, cùm regnasset annis uno & triginta. Statim autem Achmetem & Corchutem fratres Selimus in Asiam transgressus sustulit, *Et necat patrem & fratres.* & quotquot habere potuit filios fratrum: Amurathes enim filius Achmetis fugit ad Ismaëlem Persam, cujus filiam duxit uxorem; Aladinus alius in Ægyptum venit, ubi febre interiit. Sævit quoque in amicos fratrum, benignior in Christianos. Barbam autem suam tonderi jussit, nè à subditis (inquiebat) ut pater Barbatus huc, illucque distraheretur, probavitque factis, quod verbo pollicitus erat.

*Bononiam servant Franci.* Bononia acerrimè tormentis verberata, & cuniculis suffossa, capta non est; cum murus elatus pulvere tormentario in eundem unde excussus erat locum integer decidisset. Hanc autem mox subiit Gasto Fuxius; & adolescens 22. annorum Raymundum Cardonium & Petrum Navarram, veteranos duces, recedere compulit.

*Brixiam Gasto recipit.* Inde idem Gasto Arci Brixiensi tulit auxilium, cùm urbem Veneti à civibus evocati tenerent cum exercitu cujus octo millia concidit. Delevit & in itinere Petrum Ballium cum parte Venetarum copiarum, tantâque felicitate ab eo ubique pugnatum, ut hujus adolescentis nomen Italia tota contremisceret. In hoc tamen victoriarum cursu Ludovicus desertus est ab omnibus sociis, etiam ab Henrico VIII. Angliæ Rege, munere ridiculo per Julium sollicitato. *Ludov. XII. in Julium ultra fas furit.* Mandat ergo ille Gastoni nepoti, ut Pontificium exercitum ocyus adoriatur, & parta victoriâ invadat Romam; quando & nummum cudit cum hac Epigraphe *Perdam Babylonem*, non satis ex Francicâ pietate; & Julio potiùs furente, quam Petro, Christoque considerátis.

Gasto igitur Fuxius collectis omnibus copiis hostem adoriri parat, & modis omnibus prolicit ad pugnam decretoriam: sed hanc illi refugiebant: verùm hanc obsessa Ravenna, & in ultimum discrimen adducta tandem extorsit sacro Paschatis die, qui item S. Leoni Papæ sacer erat 3. Id. April. *Pugna ad Ravennam.* Tum Franci nobilem illam retulere victoriam, Ravennatem dictam, victoribus, quam victis funestiorem. Fuxius enim dum insequitur victor instructo agmine recedentem Hispanum agmen cum unâ equitum alâ, & iniquiore loco, ab eo circumfusus equo dejectus, atque confossus interiit: *Caditur Gasto Fuxius.* maximæ spei adolescens 22. annorum, priùs Imperator, quàm miles, & toto Orbe propter victorias victoriis accumulatas celeberrimus, & adhuc morte suâ famosior.

*Raven... diripi...* Statim ergo victoribus Francis Ravenna se dedidit: sed dum cives de pace magis, quàm de suis mutis cogitant, ab irrumpentibus in eam Germanis atque Vasconibus expilata est, sævientibus atrociter, ne inultam relinquerent Imperatoris sui necem. Mortui cadaver triumphantis instar cum vexillis, & captivis, deportatum est Mediolanum, sepultumque in æde maximâ, unde postea deturbatum est à Cardinali Sedunensi, cùm Mediolanum occupavit, in Pontificis gratiam. Julius hac audita clade, cum suis de fuga cogitabat: & verò res ejus erant depositæ, si supervixisset Fuxius. *Fuxii ... pus p... tur M... lanu...* Sed Palissio & Sanseverino voluntate etiam magis, quàm exercitu disjunctis, auditoque rumore advenientium Helvetiorum resumpsit animos, atque initium dedit Concilio Lateranensi, ut Ludovicum spiritualibus armis attereret, quem temporalibus superare parùm prudenter attentasset.

V. Igitur Nonas Maji inchoatum est magnâ pompâ.

## GENERALE CONCILIUM V. LATERANENSE,

*Conc. Later... se.* Præsente Julio ipso Pontifice cum Cardinalibus 15. Patriarchis Alexandrino, & Antiocheno, Archiepiscopis, & Episcopis 77. multis Abbatibus, ac Principum Legatis, ac primò Concilium Pisanum irritum declaratũ est, habitæ tantùm Sessiones duæ, aliæ ob calores æstivos dilatæ, cum tamen alio & majori calore Julius æstuaret.

*Med... Car... liber...* Enimverò tum recusavit Pontifex omnes conditiones pacis, etiam quas obtulerat ipse, interminatus anathema nisi statim Medicæus Legatus Cardinalis à Francis dimitteretur. Solutus est tamen ipse per rusticulos, duce quodam Rinaldo Zeno; neque tantùm, sed & Franci perdidere Mediolanum, immo & Genuam electo Duce Iano Fregoso, Deo sic omnia moderante, ut victus Pontifex vincere, victor Ludovicus superatus esse videretur. *Res l... cica... lia l...*

*Sfor... cupe... ditio...* Francis ex Italiâ depulsis, fœderati alterno disjuncti sunt metu, & cùm non minùs Hispanus, & Germanus, quàm Francus ab Italis timeretur, ne Mediolanensem Principatum occuparent illi, maximè adnitentibus Helvetiis, restitutus est in paternam ditionem Maximilianus Sfortia, hactenus exul per Germaniam: nec ita multò post restituti Florentiæ per Arragonios Medicæi, belli hujus fructum, qui minùs expectabant, collegere.

*Iuliu... spend... Ponti... tu.* Interea Pisani segreges Mediolani coram multis præsulibus evocatis ex Galliâ, quatuor habuere Sessiones; in iis accusatus contumaciæ Julius suspensus est Pontificatu, quasi rebellis Concilio. Utrum autem tum fuerit exautoratus, & in ejus locum substitutus sit Bernardinus Cardinalis S. Crucis, sub nomine Martini, quidam ajunt, quidam negant; nihil intentatum reliquisse Pseudo-concilium. *Pisa... Conc... pe tr... tum.* Mediolanum, Taurinum, ac denique Lugdunum translatum, sine temeritatis labe, possis suspicari.

*Helv... prop... tores dicti.* Quod spectat ad Lateranense Concilium, venit Romam diu expectatus Gurcensis Episcopus Maximiliani Vicarius in Italiâ supra dignitatem rece-

receptus à Pontifice; ut potè delectus in Conventu Trevirensi, in quo volunt quidam Germaniam in circulos decem distributam esse. Tum autem Helvetii *Propugnatores*, *&* *defensores Pontificiæ dignitatis* appellati sunt à Julio, multa concessa Venetis, ne Francis reconciliarentur; omnia denique in Concilio facta, quibus Ludovico XII. conflaretur invidia.

Neque tantùm in Regem, sed in ejus socios sævitum est: Ferdinandus enim Navarræ regnum occupavit, idque eripuit Joanni legitimo Regi, qui tunc temporis metu Angliæ, & Arragoniæ Regum, qui simul in Ludovicum conjurarant, & junxerant copias, fugit in ditionem suam alteram trans Pyrenem Benehardum, atque ab hoc tempore cœpit hoc regnum esse Hispanici juris; minor Princeps dependit pœnas in majorem intentatas. Quo autem jure jam retineatur hoc regnum, apud Spondanum leges, hoc loco pænè usque ad nauseam accuratum, sicque meliorem Francum, quàm Historicum. Utut se res habeat, hujus expeditionis fructum retulit Ferdinandus: Angli delusi sua repetiere, cum pluribus damnis, quàm spoliis; Ludovicus tentatus non est, quoniam ab eo non sperabantur spolia nisi cruenta; & lectu facilia hoc bello potiùs, quàm Ecclesiæ defensio quærebatur.

Præcopenses Tartari equitum 25. millibus Russiam atque Poloniam infestantes, à quatuor millibus Polonorum & Lithuanorum, centum desideratis tantùm Christianis, ita sunt concisi, ut hæc victoria patrocinio S. Vitalis, cujus festo die pugnatum est, à piis victoribus adjudicaretur.

Obiit hoc anno in Sveviâ Steno Princeps moribus, & fortitudine celeberrimus, cui suffectus est filius Steno Sture, unde bellum enatum est, magno Upsalensis Ecclesiæ damno terminatum.

In Indiâ liberata est Goa Joannis Machiadis illustri facinore. Cùm enim hæc civitas, absente Alburquercio, & bello Malacensi impedito, in ultimas deducta esset angustias ab Idalcane, videns Joannes qui tum apud Regem Indum agebat, quasi Mahumetanus, multos Lusitanos fugere, & Christum ejurare, statuit urbem ingredi, & reliquos in officio continere, suffocatis tamen priùs duobus liberis suis infantibus quos baptizarat ipse religiosâ crudelitate, ut eos insereret cœlo. Sic ab eo servata Goa donec rediret Alburquercius, qui desertores promissâ vitâ receptos sic excepit, ut ejuratum Christum sibi non impunè cessisse, mulctati graviter intelligerent.

Venit hoc anno Goam, missus ex Æthiopiâ per Helenam aviam Davidis Regis, Abraham dictus aliter Matthæus, Legatus ad Emmanuelem Regem. Is ita receptus est ab Alburquercio, tam securè & magnificè deportatus in Europam, ut intelligeret Emmanueli longas esse manus, ejusque potentiam esse omni famâ majorem.

Florida denique seu Florita hoc anno detecta esse dicitur à Joanne Pontio Legionensi, sic dicta quòd in Dominicâ Palmarum, quod vulgo Pascha Floridum vocant, inventa esset. Volunt tamen antea lustratam fuisse anno 1496. à Sebastiano Gaboto Veneto sub auspiciis Henrici VII. Angliæ Regis: non tamen culta fuit, & addicta Christo, nisi 1534. & 1599. ac demum 1562. facta belli theatrum Francis & Hispanis, quorum ardorem bellicum tantùm mare interjectum non restinxit.

| MUNDI | CHRISTI |
| --- | --- |
| 5566. | 1513. |

Hoc anno 5. Sessio Lateranensis Concilii celebrata est, ægrotante Julio, nihil tamen de odio suo in Ludovicum remittente, quem spoliare titulo Christianissimi Regis, ut hunc in Anglum refunderet, atque ejus regnum proscribere, ac primo occupanti dare moliebatur. Sed ferocem ejus animum Deus ipse contudit, ac lentâ tabe tandem absumpsit 9. Kal. Mart. cùm sedisset annis 9. mens. 3. diebus 21. verè pœnitens de bellis à se concitatis, qui eorum conciliator esse debuerat. Datus est ei successor communibus suffragiis 5. Id Mart. Ioan. Medicæus annos natus 37. dictus Leo X. cùm *Nonus* potiùs vocandus videretur, deductus per urbem eodem equo in quo equitans in prælio Ravennate captus erat, quem postea sollicite ab hoste redemerat. Statim autem ex ejus suavissimis moribus sperata pax: & verò statim ad eum perrexere, sine cautione, Cardinales S. Crucis & Sanseverinas: qui tamen ita servati sunt, ut eum non minus facilem, quàm prudentem agnoscerent.

*Iulii Papæ odium in Lud. XII.*

*Iulio II. succedit Leo X.*

Versa quoque in Italiâ ex Iulii morte bellorum facies. Ludovicus enim XII. initâ cum Venetis pace, Mediolanum & Genuam recuperavit, & omnes urbes quas amiserat, præter Gomum, & Novariam: ad hanc obsessam, ab erumpentibus Helvetiis magnam accepit cladem, quæ iterum Francorum victorias corrupit, omnibus ab iis passim deficientibus. Nec Veneti faciliores extitere: urbe enim multas iis Hispanus eripuit, ægrè Tarvisium atque Patavium servavere. Helvetii victores à Leone pronunciati sunt *Ecclesiæ defensores*, scriptæ gratulatoriæ litteræ, magnæ indices voluptatis.

*Francorum ad Novariam clades.*

Exinde actum est in Lateranensi Concilio, de Polonis & Cruciferis reconciliandis; horum causam tuebatur Maximilianus, inito etiam fœdere cum Basilio magno Moschoviæ Duce, cui & spem regiæ coronæ injecit, & artifices dedit ad conflanda tormenta bellica, quibus Smolenkum Polonis eripuit, & Sigismundum gravi implicuit bello, in suis fæderibus simul, & inconstans, & imprudentissimus. Aliunde mitiùs actum cum Cardinalibus Pisani Conciliabuli: humaniùs item actum cum Ludovico Franco; quâ ille facilitate victus, & assiduis precibus Annæ conjugis suæ, misit ad Leonem oratorem suum, sapientem virum, à quo sic negotia Galliæ tractata sunt, ut ab omnibus propediem inter Pontificem, & Ecclesiæ primogenitum pax diu expectata speraretur.

*Bellum inter Moschos & Polonos.*

*Mitiùs agitur cum Lud. II. & Pisanis Cardinal.*

Tentata quoque pax inter Venetos, Germanos, & Hispanos inter quos acriter certabatur, frustra ob-

*Bellum inter Germa. Venetos, & Hispanos.*

obſeſſo Patavio, ubi Veneti feliciores fuere obſidione ſolutâ, quam ad Vicetiam, ad quam Creatinâ clade affecti ſunt cum Duce ſuo Alviano ſeu Liviano; vaſtati quoque eorum agri per Cardonium proregem, etiam tempore induciarum; nec hilum profecit Leo arbiter conſtitutus, quia Germanus habere omnia, Venetus nihil volebat relinquere.

*Pugna Calcarium.* Aliunde Henricus VIII. Anglus junctus Maximiliano, exercitu octuaginta millium armatorum Ludovico Teruanam eripuit, & ad Huchinum Pagum Francos delevit, qui in urbem feliciter commeatum invexerant; verùm negligentiùs, & Francico more recedentes, vincendos ſe Anglis objecerunt, pugnâ quæ Calcarium dicta eſt *des Eſperons*, quia tum plus calcaribus quàm gladiis uſi ſunt: in eâ capti Dux Longavillæus & Bajardus, cæteris audaciores. Captum etiam eodem impetu Tornacum: ſed adveniente hyeme tantus apparatus, quo territa eſt univerſa Francia, diſparuit. *Helvetii Divionem obſident.* Nec minus ab Helvetiis periculum, qui Divionem obſederant; at hi per Trimollium auro pactiſque quibuſdam rejecti ſunt, tam utilibus Franciæ, quàm probroſis Ludovico.

*Iacobo IV. Scoto ſuccedit Iacobus V.* Jacobus IV. Scotiæ Rex dum Anglos invadit, ut Henricum diſtineat, interiit in prælio in Tyllum fluvium cum multis proceribus & nobilibus Scotis, cùm ex Anglis tantùm gregarii milites cecidiſſent. Succeſſit patri Jacobus V. ſub matris tutelâ, quæ cùm alteri nupſiſſet viro, Albinius poſt annum redux in Scotiam recepit tutelam, depulsâque Reginâ, multi concitati ſunt motus, donec anno 1528. Rex annorum 17. eos omnes ſuſtulit.

*Turci, & Mauri victi.* Turci Illyricum vaſtantes repreſſi ſunt à Ladislao Rege. Ereptum quoque Mauris Azamorium Africæ, de quibus victoriis habitæ ſunt gratulationes Romæ, Deo & hominibus, quam de Francis; Scotis ac Venetis acceptiores.

*Lud. XII. ejurat Piſanam Synodum.* Ludovicus XII. Seſſ. VIII. Concil. Lateranenſis ejuratâ Synodo Piſanâ, adhæſit Romanæ, clabidus ſuis, precibus Annæ ſollicitatus, & omnia jure metuens ab Arragonio. Tum quoque damnati Philoſophi, de animabus malè ſentientes, inter quos Petrus Pomponatius Mantuanus, Lætus, Phædrus, Politianus, Calderinus, aliique ejuſdem farinæ homines, litteris prophanis, quam ſacris inſtructiores.

*Leo X. diligit eruditos.* Leo Pontifex habebat ab epiſtolis Petrum Bembum, & Sadoletum, poſtea Cardinales creatos à Paulo III. præfecit & Bibliothecæ Vaticanæ juniorem Beroaldum; cui demortuo ſuffecit Zenobium Acciajolum. Romanum quoque illuſtravit collegium evocato Auguſtino Nipho Sueſſano nobili Philoſopho, Iano Parrhaſio Conſentino, Baſilio Chalcondyle Demetrii filio, conſtituto etiam ſeminario Græcorum juvenum, quos ad omnem eruditionem, & politiorem litteraturam curarat inſtituendos, innato genti ſuæ, atque familiæ in Muſas amore.

*Adenum Arabiæ fruſtra tentatur ab Alburquercio.* Alburquercius hoc anno Adenum nobile Felicis Arabiæ emporium fruſtra tentavit, quando & nobilem in cœlo crucem vidit, quam multis lacrimis, feſtoque Bombardarum ſono ſalutavit: vir egregie pius, ac fortis, atque in utroque ſæculi ſui miraculum.

MUNDI 5567. CHRISTI 1514.

*Bel. ter &.* Parabat hoc anno Selimus exercitum, cùm audiit Iſmaëlem cum magnis copiis fratris ſui filium Amurathem Conſtantinopolin reducere: huic igitur occurrit, aut potiùs ejus duci Uſtaogolo, quem Iſmaël cum 40. millibus Cataphractorum præmiſerat, illum adortus in campis Calderanis, ad urbem *Choim*, (quæ Artaxata dicitur eſſe) victus eſt primùm, mox ſcitè uſus bombardis ſuis, ſuperior extitit, cæſo etiam cum Uſtaoglo viginti Perſarum millibus, Cadmæâ tamen victoriâ, quinquaginta ſuorum millibus deſideratis. Verùm cùm ſe jam tutum putaret victor Selimus, ſupervenit Iſmaël cum Amurathe, per quos univerſus eſt deletus Turcarum exercitus, ipſe fugit Amaſeam Cappadociæ ut repararet exercitum atque bellum. *Su bu vi bi.* Scribunt tamen aliqui vulneratum in hoc prælio Iſmaëlem, aliique aliter hanc hiſtoriam narrant, & captum Tauriſium, ac ſtetiſſe tantùm per Janizaros quominus Selimus totâ Perſide potiretur. Nec hîc omittenda Hali Sultani Perſici virtus, qui in fugâ quâdam Iſmaëlis, dum eum Turcæ ſequerentur ardentiùs, finxit ſe Iſmaëlem eſſe; deductuſque ad Selimum fraudem aperuit, ac cædi juſſus etiam amari meruit à Turcis, & ab eo qui vitam illi eripiebat laudes extorſit.

*M A ta* Obiit hoc anno Anna Britannica Franciæ Regina ætatis anno 37. digna Britonum ſuorum, & Francorum omnium lacrymis, propter eximiam pietatem junctam ſingulari prudentiæ. Anglus tum quoque reconciliatus eſt, per nuptias ſororis Henrici cum Ludovico, Abbavillæ celebratas. Bella autem inter Venetos, Hiſpanos, ac Mediolanenſes perſeverarunt in Italiâ, ubi & Franci perdidere Laternam, quam vocant, Genuæ deficientibus civibus; & illa quidem tum funditus everſa eſt, quaſi Francicæ Tyrannidis frenum, atque monimentum. *F ni ſu*

*V C L n* Urgebatur Concilium Lateranenſe, & in eo recepta munera Emmanuëlis Luſitani, pretioſæ veſtes; qui enim etiam adducebatur Rhinoceros, ad ſcopulos Genuæ fecerat naufragium. Querelæ quoque perlatæ ſunt de Clero Gallicano, quæ per Legatum Ludovici ſedatæ ſunt, & inanes demonſtratæ; multaque pia ſunt edita decreta reformationis, quibus tum indigebat Eccleſia.

*R C g li d d* Crucesignati contra Turcos, adverſus nobiles arma converterunt: quare Joannes Waivoda Comes Scepuſienſis eorum ducem Georgium Zechelium, ſeu Cæculum, cum aliis captum, gravioribus ſuppliciis ſuſtulit, ſicque factio illa ruſticulorum diſſipata, quorum tamen 60. & amplius millia perierunt: adeo periculoſum eſt etiam juſtis de cauſis armare plebeculam.

*S d ſ a* Sigiſmundus hoc anno in Lithuaniâ ad Aras Alexandri triginta Moſchorum equitum millia concidit &

concidit, quinquaginta reliquis millibus fugatis, cùm quadringentos tantum Polonos amisisset. Cùm autem mitterentur Romam Moschi nobiles captivi, eos Maximilianus interceptos, ac solutos, remisit ad sua; sicque Sigismundo, sed per læsum Pontificem, inflixit injuriam.

Matthæus Legatus Æthiops missus ab Alburquercio in Lusitaniam, diligenter commendatus Navarchis, ab iis toto itinere ut impostor habitus est, & jocis scurriliter impeditus. Quare appulsis Olysipponem injecta sunt vincula, & graviùs castigati essent nisi Matthæus intercessisset. Is honorificè susceptus est cum litteris Helenæ Reginæ ac Davidis Regis; de ejus tamen legatione postea meritò dubitatum, maximè cùm Episcopus à Davide ad Clementem venit 1524. qui multa revocavit in dubium, ut ferè fit in iis longinquis peregrinationibus, quibus veteratores nonnulli ad suos quæstus abuti solent.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5568. | 1415. |

Kal. Jan. obiit Ludovicus XII. Rex Francorum dictus *populi pater*, ætatis anno 54. regni 17. inchoatis; vir sine controversiâ magnus, si solus regnare voluisset, nec sibi gratiosos in partem administrationis venire passus esset. Quantæ autem æquitatis esset, & quàm syncerae, ostendit Caroli V. undenis relicti educatio, commissa ab eo Guill. Croyo Ceurio nobili Flandro, à quo Princeps maximus formatus est, etiam cum rei Franciæ damno. Successit Ludovico, qui duxerat ejus filiam Claudiam, Franciscus I. hæreditario jure, annorum 20. adolescens, unctus Rhemis 8. Kal. Febr. Princeps magis strenuus, quàm prudens, & qui fortitudine non satis sapienti regnum in magnas conjecit angustias. Et vero hic statim rebus utcumque cum Anglo compositis, Mediolanensem Ducatum recuperare decrevit, licet oppositos sibi videret Hispanos, Maximilianum, Helvetios, ipsumque Pontificem, immo & naturam ipsam, Alpium transitu superandam. Occupaverant enim Helvetii transitus Cenisii ac Genebræ montium, per quos erat facilior, & vulgaris Franco in Italiam transitus. At aliud inter Alpes Cottias & Maritimas detexit iter Trivultius, per quod arte, multoque labore, tormenta bellica, equos, cæteraque impedimenta in plana Salutiarum loca inexpectatus eduxit. Mox Carolus Comes Stabuli Palissium Marescallum Villefrancam misit, ut Prosperum Columnam copiarum Pontificiarum ducem opprimeret, antequam se conjungeret Helvetiis; quod & factum, eo capto, ejusque exercitu facilè dissipato. Ea clades Pontificem, & Helvetios invitabat ad pacem & jam ea seriò tractabatur: cùm quasi œstro perciti ad 40. aut 35. millia Helvetiorum Mediolano exeuntes, à Sedunensi Cardinale, hujus belli tubâ, concitati, Regis castra furiosè aggrediuntur ad Melinianum, seu Marinianum *Marignan*, non procul à Mediolano: atque ad Novariam poterat renovari clades, nisi Franciscus statim explicuisset, & ordinasset exercitum. Itaque Idib. Sept. atrox prælium commissum est, ad quartam noctis horam productum, multis utrimque cadentibus, cùm furore magis, & Andabatarum more, quàm ex arte, & militari disciplinâ pugnaretur. Fessus tandem quasi ex condicto uterque nonnihil quievit exercitus, & quo quisque erat loco permixtus Helvetio Francus summum cæpit: Rex ipse armatus, ne detractâ quidem galeâ, in tormento bellico, & inter complexus militis cataphracti dormit, horis septem ac viginti nullo gustato cibo, & partibus omnibus expletis; non modò ducis, sed & militis. Sequenti die albescente cœlo iterum majoribus animis decertatum horis quinque; neutrisque cedentibus, apparuit cum aliquot equitibus Livianus Veneti dux exercitus. Helvetii omnes auxiliares copias adesse rati, servatis ordinibus, & tormentis, Mediolanum recessere. Cecidere eorum 14. millia, Francorum tria duntaxat, sed eorum paucitatem nobilitas sarcit. Victi statim viâ Comensi, relicto Mediolano, majores pollicitì copias, in patriam remigravere, relicto tamen in arce præsidio, quâ se Dux Maximilianus inclusit: Francisco certatim se dedidere urbes, ipsumque Mediolanum, ipse tres dies in castris religiosè transegit, equitesque creavit, quorum ipse primus accinctus est gladio à Petro Terralio Bajardo notæ virtutis equite, ibidemque locavit ædem B. Virginis de Victoriâ, quam patribus Cælestinis commisit; pietatis suæ ac fortitudinis illustre monimentum.

*Helvetii multis amissis recedunt.*

Vix elapso mense Dux Maximilianus Arces Mediolanensem, atque Cremonensem, seque ipsum Francisco dedidit, deducendum in Franciam, ibidemque victurum cum 30. aureorum millibus annuæ pensionis à Rege, ut hîc quietiùs viveret, quod semper optaverat, quamquam minùs gloriosè. Rex Mediolanum triumphans ingressus est, jam omnibus charus simul atque metuendus, ipsique adeo Pontifici Leoni X. qui-cum Bononiæ congressus est 6. Idus Decembr. Receptus est hic Franciscus ut Ecclesiæ primogenitus, &, quod erat caput, gloriosus, ac victor, hicque factum *Concordatum*, ut vocant, abolitâ Pragmaticâ Sanctione, malæ matris soboles pejor, quâ ut pinguiores Annatas, & pecuniæ plus reciperet Pontifex, spirituale Francisco dedit, ejusque successoribus; videlicet ad Ecclesias Cathedrales, & Abbatias nominationem, Rege ipso sub initium ipsam repudiante gratiam, quasi nocituram conscientiæ suæ, quam tamen deinceps & ipse, ejusque successores, sine scrupulo concoxere, potissimùm ex quo Sessione 11. Concilii Lateranensis v. hoc *Concordatum* probatum est; ad cujus tamen cogitationem boni hactenus omnes Theologi, ambitionis expertes, intremuerunt.

*Franciscus potitur Ducatu Mediolanensi.*

*Concordatum inter Franc I. & Leonem X.*

Rebus in Italiâ compositis, Franciscus egregiè laudatus à Pontifice, atque destinatus ad bellum

*Franciscus I. rediit in Franciam.*

bellum Turcicum Christianorum omnium Imperator, rediit in suam Franciam, paucis tantùm, sed egregiis in Italiâ servatis copiis, cum Borbonio Comite Stabuli, sed qui ipse magni esset instar exercitus. Cum Helvetiis quoque renovatum fœdus, paratis pro Francisco adversus quoscunque, præterquam Pontificem atque Imperatorem, depugnare. Ita Franciscus atque Leo ad propria rediere, prius ex necessitate, jam etiam ex voluntate concordes.

*Conventus Viennæ.* Hoc anno magnus est Viennæ in Austriâ Conventus celebratus, quo variis nuptiis stabilita est Austriaca domus. Is primò Selimum terruit; sed ubi ad unius familiæ commodum non totius Christianitatis convenisse novit, recepit animos, atque hostes aggressus suos, ad invadendos Christianos præbuit se deinceps paratiorem.

*Moritur Alburquercius.* Obiit eodem anno magnus ille Indiarum Prorex Alphonsus Alburquercius, ætatis anno 63. in portu Goano, non à Lusitanis tantùm, sed & à Mauris & Indis defletus. Obiit autem, uti vixerat, pientissimè, relicto tantùm ex ancilla filio spurio, quem Emmanuel in gratiam patris ad magnas nuptias, ac divitias extulit, ut aliquid semper tanti viri superesset.

*Obiit Gonsalv. Magnus Capitaneus.* Mortuus quoque Fernandus Gonsalvus Aquilaris à Corduba Magnus Capitaneus vulgò dictus, ab omnibus expetitus. Pontifice, Venetis, Belgis, cùmque in Belgas & Carolum inclinaret, per vim, & invidiam à suo Rege detentus est, ac paulò post Granatæ ex febre interiit; vir quo majorem hæc ætas, magnorum virorum ferax, vidit neminem, quem sua virtus extulerat, sui Principis invidia depresserat; eâ dejectione nihilo seciùs magnum & illustrem.

*Biblia Complutensia Fr. Ximenii.* Prodiere hoc anno famosa illa Biblia Complutensia dicta ab urbe ubi edita sunt *Alcala de Henazez* variis linguis editâ, curâ, & impensis Francisc. Ximenii Cardin. Archiep. Toletani, qui multos eruditos viros ad id opus evocarat; egregius Ecclesiastici patrimonii distributor, & idea divitis Præsulis, Christi divitias non ad pompam & delicias: sed ad Ecclesiæ & inopum commoda religiosiùs impendentis.

*Augustini Iustiniani Psalteriū.* Eodem tempore Augustinus Justinianus Genuensis Dominicanus Episcopus in Corsicâ Nebiensis informabat Biblia sua Octapla ex linguis Hebrææ, Chaldaicâ, Græcâ, & Arabicâ, quibus versiones suas Latinas addidit, cum scholiis: verùm ultra Psalterium non processit, quod Leoni Pontifici nuncupavit: nimium opus aggressus, & privati hominis ingenio, ac divitiis majus.

MUNDI 5567. CHRISTI. 1516.

*Campson in prælio moritur succedit Tomumbejus.* Campson Caurus Sultanus Ægypti hoc anno lacessitus est à Selimo, & ab Emiro Cheirbego Alepi præfecto evocatus, flagitiosè desertus victusque magnam Mamelucorum suorum partem, ac vitam perdidit, ungulis equorum obtritus, ipse abdomine gravis, & laborans herniâ. Statim huic Mammaluci sufficere Tomumbejum Alexandriæ præfectum, militarem virum, & afflictissimis eorum rebus necessarium.

*Sinan B... ſa, & S... mus in ... iam v... n...unt.* Sinan quoque Bassa Eunuchus insignem retulit de Præfecto Gazensi victoriam, quæ Gazam ei quoque tradidit. Selimus Bethlehemum, & Hierosolymam perrexit, utrobique preces fudit; ac largas eleemosynas in templi Sacerdotes ac inopes effudit, quæ huic inutiles ad hoc bellum profligandum non videntur extitisse.

*Moritu... Ferdin... Hispan... Rex.* Mortuus est hoc anno Ferdinandus Rex Hispaniarum, ætatis 6?. Regni Arragonii 37. Castellani 42. 1. Kalend. Febr. ex amatorio poculo, quod ei prolis gratiâ ante biennium uxor miscuerat; vir prudens, sed callido propior, & ultimus Berengariorum Comitum Barcinonensium. Obiit autem in villulâ dum Hispalim pergit, adeo inops, ut apud eum vix inveniretur unde funebris pompa perageretur. Testamento suo præfecit Arragoniæ Præsidem Cæsaraugustanum. Castellæ Francisc. Cardin. Ximenium, adjuncto huic Hadriano Batavo Legato Leodiensi, Magistro Caroli, donec hic annorum 16. egregius adolescens *Succe... Carol...* adveniret. Atque hîc Mariana finem historiæ suæ Hispanicæ imponit, cui postea adjecit appendicem ad annum Christi 1612. iisdem ubique elegantiâ, nitore, nervis, & amore veritatis. *Mari... Histo... Hispa...*

*Henr... ad t... Nava...* Tum facilè poterat recuperari Navarræ regnum, subditis jam respectantibus legitimum Principem, & conantibus excutere jugum Hispanorum: sed eorum conatus infregit Joannis, & Catharinæ obitus: itaque utriusque hæreditatem laceram adiit eorum filius Henricus annorum 14. ideo impar tanto oneri malè colligato atque defluenti.

*Vlad... Hun... succe... Ludo... filius.* Mortuus est eodem anno Budæ Vladislaus Hungariæ Rex annorum 62. vir pacis amans, & adeò taciturnus ut nihil responderet nisi Latinè *bene*, aut Bohæmicè *Dobre*, ideo à suis Idolum mutum est appellatum. Certè adeò res suas abjici passus est ignaviâ suâ, ut sibi nonnunquam prandium emendicare cogeretur. Successit ei filius Ludovicus decennis, indolis optimæ, sed quem pessima institutione Georgius Marchio Brandenburgensis corrupit, ejus sicut & virtutis, ac Christianitatis, verè capitalis inimicus.

*Max... lian... Fra... aggr... in I...* Parabat tum Franciscus I. invadere Neapolitanum regnum, verùm ad sua defendenda revocatus est. Maximilianus enim, adnitente Leone X. Ducatum Mediolanensem ferè totum occupavit, & tantùm non Mediolano Francos depulit. Verùm cùm ei deesset pecunia ad stipendium exercitus, repente fugienti similis recessit, nullo alio opere pretio, quàm ut magna tentasse, etiam perfide, videretur. Postea tamen inito fœderi inter Franciscum, Carolum, & Ve-

&Venetos Maximilianus accenseri voluit; quod nulli magis quàm Venetis, & Carolo profuit, cæteris suâ exspectatione delusis.

Hoc anno Fernandus Petrejus Andradius, ejusque frater Thomas, Sinas ingredi tentavere, atque ægrè ad Portum Cantonensem admissi; ubi & legatus Thomas relictus est cum sociis, qui cùm malè se gessissent, ipse inter sceleratos vinctus occubuit; sicque Lusitanis, atque Evangelio præclusus ad Sinas aditus, postea feliciùs & certiùs à Patribus Societatis Jesu aperiendus.

Romæ in Concilio Lateranensi Seſſ. xi. suscepti Maronitarum Legati, Romanæ Sedi sese addictissimos ostendere. Tum quoque probabatum Concordatum Bononiense, abrogata Pragmatica Sanctio: quæ tamen ægerrimè in Franciâ recepta sunt, seditionibus etiam concitatis, quæ ferro & armato milite reprimendæ fuerunt. Certatum quoque libellis Academicorum atque Senatorum, qui demum gratiis quibusdam ac privilegiis deliniti, quasi ossa inescati canes latrare desierunt.

Eâdem Sessione edita Constitutio de privilegiis Religiosorum, quomodo cum Episcopis hi se gerere debeant: quæ si prudenter observetur, & Pontificibus summis honorifica est, & præsulibus utilis: Sic enim iis adjuncti sunt auxiliatores, qui eorum authoritatem non imminuant, sed adaugeant; sic opitulantur Christianis Cænobitæ, ut sibi laborem reservent, gloriam omnem & honorem in Principes Ecclesiæ prudenter ac religiosè refundant.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5570. | 1517. |

Selimus, Syriâ potitus, aggreditur Ægyptum per Sinanem Bassam, transitque feliciter Arabiæ siticulosa loca, quibus illa munita esse videbatur, pluviis è cœlo delapsis, quales nunquam viderant indigenæ, vel audierant. Commisso prælio ad Memphim seu Cayrum victus est Tomumbejus, in quo tamen Sinanes Bassa fortiter pugnans occubuit. Verùm paulò post cum novo exercitu Tomumbejus rediit, iterumque superatus inter arundines latens deprehensus, reductusque Cayrum diu hîc tortus est, ut Campsonis thesauros indicaret; demum vili jumento traductus per urbem triduo, strangulatus est, & suspensus unco ferreo in celeberrimo ejus loco. In eo defecit nomen & Imperium Mammaluchorum, quod supra 260. annos duraverat; Erant hi educti ex Circassis, sic dicti quasi *Stipendiarii* voce Syriacâ, omnes fortes ac strenui equites duodeviginti mille, ex suo ordine Principem eligentes, sed omnes subditarum sibi gentium Tyranni, sacrilegi, Apostatæ, qui tandem per sceleratiores Turcas exterminari meruerunt.

Selimus occupatam Ægyptum ordinat, ejusque distribuit præfecturas. Hîc suscepit scriptum, Mecchæ Dominum ex Mahomete Pseudoprophetâ oriundum, quem & multis muneribus coluit, vicissim ab eo majoribus cultus. Tum & copias aliquas immisit in Ismaelem, à quibus hic nocturno prælio victus magnam accepit cladem. Cur autem ex Ægyptiaco bello non profecerit Ismael causa fuit, cùm bellum Hyrcanorum, à quibus læsus erat, tum quia Persæ non egrediuntur facilè regni sui limites, maluntque sua tueri, quàm appetere aliena.

*Finitur Later. V. Concilii.* Sessione XII. impositus est finis Concilio Lateranensi V. post annos ferè quinque quàm inchoatum erat à Julio II. Hoc clausit oratione potentissimâ Joan. Franciscus Pici Comitis Mirandulani, quâ corruptissimum Ecclesiæ hujus temporis statum repræsentavit; cui emendandæ postea Deus remedium potentius adhibuit, & verbera quorùm plagæ ac vibices nondum coaluerunt, ac detumuerunt.

*Tentatur Leonis X. vita.* Tentata est hoc anno Leonis Pontificis vita, per Alphonsum Petrucium Cardinalem Senensem, adhibito in sceleris societatem Bendinello Cardinali Saulio; paratum medicis venenum, sica ab ipso Petrucio libranda. Sed conjuratione patefactâ uterque vocatus in urbem datus est in carcerem; hic perpetuum, quem tamen mox aperuit Leo; ille ibidem strangulatus: in eorum socios acerbè sævitum; quibusdam etiam viris magnis scivisse tantùm crimen, neque patefecisse, vitâ, minimùm bonis stetit; quia semper est perduellis ista de Principum cæde taciturnitas.

*Moritur Francisc. Ximenius.* Mortuus est hoc anno Franciscus Ximenius Cardin. Hispaniæ Arch. Toletanus: qui cùm evocasset ex Belgio Carolum, & vicissim ille Toletum ab eo remissus esset ad quietem, tantùm inde doloris hausit, ut ex eo conceperit febrem, quæ mox lethalis fuit. Et verò aliud præmium pro Ecclesia & Hispania exantlati labores exigebant, quorum Deus unus merces esse voluit, nec homines in ejus partem venire.

*Initiũ hæresis Lutheranæ.* Hoc anno hæresi Lutheranæ datum est initium ex Indulgentiis, Patribus Dominicanis ab Archiep. Moguntino commissis, cùm antea Eremitæ S. Augustini earum promulgatores essent. Nominatim autem ab illo Antistite electus erat Joannes Tetzelius, quòd multam pecuniam militibus Teutonicis confecisset, ad bellum Moschoviticum. Dum ergo Tetzelius iste, ejusque Collectores multa dicerent, & facerent, quæ sapiens probaret nemo, Joan. Staupitius Augustinianorum Vicarius generalis per Germaniam, ejusdem Ordinis Martinum Lutherum Theologiæ Professorem Wittembergæ in quæstores illos concitavit; qui non modò multa perperam ex superiori loco contra Indulgentias effutiit, sed & promulgavit Theses, quibus & earum inanitas, & quæstorum sordes aperirentur. *Augustiniani & Dominicani commissi, ob indulgentias* Has statim Tetzelius ipse Inquisitor Francofordiæ ut hæreticas exussit, eisq; opposuit centum sex alias, quas Wittembergenses Scholastici, afflati jam Lutheri ac dæmonis spiritu, publicis flamis cremaverunt; ex quibus ignibus mox immensa eruperunt incendia, quæ aquæ guttulâ (inquiebat Sadoletus) prudenti manu adhibitâ extingui potuerant.

Sed corruptissimi Ecclesiasticorum mores exigebant hanc pestem, quos potissimùm Lutherus exagitandos suscepit, atque in eos jacienda scommata voluit esse sectæ suæ, errorisque fundamentum.

*Albertus Krantzius moritur.*

Hoc demùm anno exeunte obiit Albertus Krantzius Bambergensis, Hamburgi Canonicus, & Decanus, & Theologiæ Professor, cujus varias historias accuratissimas habemus; quas tamen Heterodoxi notis ad marginem turpissimis infecerunt, ideoque prohibitæ sunt, donec Catholici hominis manu hæc opera purgarentur.

MUNDI 5571. CHRISTI. 1518.

*De Turcico bello serio cogitatur.*

Dum Selimus de occupando toto Imperio Recogitat, vicissim Leo Pontifex in eum Principes Christianos accendit, ut eum impeterent potiùs, quàm expectaret. Quare de bello Turcico multæ sunt habitæ consultationes in Conventu Augustano, sed quæ inventos abiere.

*Lutheri causa remissius tractatur, nec prudenter satis.*

Grassabatur interea in Ecclesiâ Lutherana pestis, quam Joannes Ekius, & Sylvester Prierias suis lucubrationibus exagitabant: sed potentiori remedio opus erat, ut Maximilianus Pontifici significabat, & ad id suam offerebat operam. Cùm ergo Lutherus Romam evocatus esset, effecere Fridericus Saxoniæ Dux, & Academia Vittembergensis, ut Lutheri causa priùs excuteretur in Germaniâ; sic ejus cura commissa est Cardinali Cajetano. Sed hunc hæreticus versipellis, ut antea Leoni fecerat, malitiosè delusit, utrique in speciem se submittens, cùm revera supra Ecclesiam ipsam assurgeret, & à Cardinali ad Pontificem, à Pontifice ad futurum Concilium, duntaxat ut tergiversaretur, appellaret.

*Christiernus Danus ignavus, & perfidus.*

Christiernus Daniæ Rex hoc anno Suecos invasit cum Francorum auxilio, ipsamque Holmiam seu Stocholmiam tentavit; sed fortiter à Stenone Principe repulsus est, ac periisset fame nisi ejusdem misericordiâ cibis adjutus esset. Cui tamen Rex perfidiosus struxit insidias, ingratus simul, & ignavus; quæ ferè vitia copulata sunt.

MUNDI 5572. CHRISTI. 1519.

*Maximilianus Imperator moritur.*

Obiit hoc anno prid. Id. Jan. Linzii, aut Welsii in Austriâ, Maximilianus, incertum an pharmaco, an venatione, an nimio Melopeponum esu, ætatis anno ferè sexagesimo, regni ab obitu patris 25. cum 5. mensibus; vir cui ad magnam gloriam tantùm felicitas defuit. Disceptavere de ejus successione & Imperio Franciscus I. & Carolus V. apud Septemviros; sed hujus demum factio prævaluit. In hujus creatione Friderici Saxoniæ Ducis virtus enituit; cui cùm à plerisque deferretur Imperium, eo digniorem Carolum asseruit, repudiatis tamen ejus muneribus; vir non tantùm fortis sed etiam aliâs pius, sed demùm infelix hæreseos propagator, dum plus terrenis rebus, quàm cœlestibus indulsit.

*Sufficitur ei Carolus V.*

*Militius causa Lutheri cauti tractat.*

Militius Cubicularius Leonis X. missus in Germaniam egit humaniter cum Luthero, eumque impulit, ut ad Pontificem demisse scriberet, quod & præstitit, fassus Militium, si Cajetani venisset loco, potuisse tumultus omnes sedare. Inter hæc instituta disputatio Lipsiaca inter Ekium & Lutherum cum suo Carlostadio coram Georgio Saxoniæ duce judicibus Theologis Parisiensibus, & Erefordiensibus, quos tamen suspectos habebat Lutherus. Adjudicata in eâ palma Lutherum egit in furorem, qui tum vinciendus fuerat, si Germanis Principibus mens læva non fuisset.

*Desi... Eras... flore... lo... ris na...*

Hoc tempore florebat Erasmus, natus Roterodami in Bataviâ anno 1465. aut 1467. ex furtivo concubitu Sacerdotis cum ancillâ, aut, ut alii volunt, patre pistore Goudano. Priùs dicebatur Gerardus Gerardi, sed cùm ea vox Belgicè significet *Desiderare*, hæc duo nomina in Latinum Græcumque commutavit. Vir sine dubio eruditionis magnæ, ut ejus opera testantur, sed paulò liberioris; quare dicitur Luthero materiam sufficisse, ac dedisse huic proverbio causam, *aut Lutherus Erasmizat, aut Erasmus Lutherizat.* Certè à fide illum nunquam defecisse, immo improbasse Lutherum, plerique magni viri putant; sed traductum, & infamatum à Monachis, in quosdum incurrit impotentiùs, apud Catholicos aliquos subiit impietatis notam, apud alios imprudentiæ.

*Zui... init...*

Spectant & ad hunc annum Ulrici, seu Udalrici Zuinglii Helvetii initia, qui priùs Glaronensis, deinde Eremitanæ, denique Tigurinæ Ecclesiæ parochus, ubique se impudicum, ebriosum, omnibus vitiis deditum ostendit. Sacramentarius demum acerrimus extitit, bonorum & malorum, hostis, infensissimus Luthero; quamquam huic in quibusdam accineret.

*Mor... Pau... Æm... Hist...*

Hoc anno mortuus est Paulus Æmilius Canonicus Parisiensis, patriâ Veronensis, quem secum Lud. XII. ex Italiâ reduxerat. Hic historiam Francicam eleganter & accuratè conscripsit, etiam Justi Lipsii judicio, eamque ad annum 1488. & obitum Francisci Britanniæ Ducis deduxit, quam ad obitum Francisci I. Regis Antonius Ferronius Burdegalensis continuavit, eodem conatu, sed dispari laude, ut eloquentiâ.

*Obi... them... Abb...*

Hoc quoque anno vivere desiit anno ætatis 57. Trithemius Abbas Spenheimensis in Diœcesi Moguntinâ, cujus opus de Steganographiâ, sive de Occultis, ad eum videndum ex ultimis partibus Galliæ, atque Germaniæ multos accivit: verùm hoc opus meritò prohibitum fuit, ut qui aliqua magica contineat, quod & postea damnavit ipse, multas ob id objurgationes & calumnias passus, ut ipse fatetur. Vir eruditionis non vulgaris fuit, & majoris laboris, in quo ab anno vitæ 27. perduravit, felicior profectò, si ad sobrietatem sapere, & magis orare, quàm scribere maluisset.

MUNDI CHRISTI.
5573. 1520.

Mortuus eſt hoc anno XI. Kal. Octobr. Tzuruli, ſeu Ciurli Thraciæ, ubi quondam patrem veneno necaverat, Selimus Turcorum Imperator, ex peſtilenti anthrace, cùm vixiſſet annis 46 imperaſſet annis 8. cum 5. menſibus: vir magnus ſi crudelitate caruiſſet, quâ & filium Solymanum tollere voluit. Succeſſit ei filius Solymanus ſeu Suleimanes II. annos natus 30. qui ſtatim advocatus à Ferhate Baſſa, tergiverſatus eſt inſidiarum metu, & donec ab omnibus Baſſis admonitus eſt de obitu patris. Interim Gazelles Syriæ præfectus, unus ex ducibus Ægyptii Sultani, conſilio communicato cum Cajerbego præfecto Ægypti rebellavit; ſed ab hoc proditus, victus à Ferhate ad Damaſcum cum reliquis Mammaluchis pugnans fortiter, victus ac cæſus, tantùm abfuit ut imminueret, quin potius Solymani firmaret Imperium.

Hoc demum año Lutherus recreatus adhortationibus, factisque Friderici Saxoniæ Ducis, qui nuncios Pontificis rejecerat, itemq; excitatus à nobilibus Franconibus, & maximè Huttено Equite, faceto, & ad mordendum nato, quis eſſet in Pontificem, & Eccleſiam oſtendit. Sed Carolus V. profeſſus ſe ejusdem Eccleſiæ patronum Lutheri libros non tantùm in Hiſpaniâ, ſed & in Belgio juſſit exuri, quò tum ex Hiſpaniâ rediit, ſalutatis in itinere Henrico VIII. & Franciſco I. ita rebus ſuis providens, ut jam ab omnibus tuendus videretur. Poſt hæc coronatus eſt Aquisgrani, tumq; fratri ſuo minori Ferdinando Auſtriam, avique Maximiliani ditiones adjudicavit: verùm eo abſente concitati ſunt magni trans Pyrenæum motus, dolentibus Hiſpanis ſibi Principem eripi; qui repreſſi non ſunt niſi rebellium cæde, & Regiarum copiarum victoriâ, utrique, uti ſemper ſolet, parti funeſtiſſimâ.

Chriſtiernus Daniæ Rex, Stenone Suecorum Principe ſeu gubernatore mortuo ex vulnere in pugna glaciali, evocatus à fautoribus ſuis Holmiæ coronatus eſt. Sed illicò in eos ſæviit à quibus repulſam paſſus erat; quare electus gubernator Guſtavus Eriſcon, qui ex vinculis Danicis effugerat, tandem Danis ejectis conſecutus eſt humanitate, quod impotentiâ & crudelitate Chriſtiernus perdiderat.

Ortum eſt hoc anno ingens diſſidium inter Caſtellanos & Luſitanos, de Molucis; cùm Ferdinand. Magellanus ſtipendiis multis ſub Alburquercio factis, nec ſatis honoratus ab Emmanuele, ſeſe Carolo V. dedidiſſet. Hic acceptis ab illo navibus quinque in Occidentem direxit iter, detectoq; nobili freto, quod ab eo nomen traxit, ad Molucas cum duabus tantùm navibus pervenit; quas cùm Luſitanis abſentibus oneraſſet, una earum ad ſcopulos alliſa ante Promontorium bonæ ſpei periit; altera, cui Victoriæ nomen, Hiſpalim, poſt trienniumappulit, Orbe circum navigato, Argo illâ veterum longè illuſtrior.

Denique Franciſcus Corteſius nobilis Bœticus Mexicum urbem Regni cognominis caput, in America Septentrionali incredibili indigenarum ſtrage, aut veriùs carnificinâ, occupavit; Moteczumâ & Rege ejus cæſo, magni Imperii in Novo Orbe fundamenta jecit. Eò enim deductæ ſunt multæ coloniæ, ne inaniter magna hæc, divesque regio Nova Hiſpania vocaretur.

---

## CAP. III.

## *Decas Tertia.*

### *Ab anno Chriſti* 1520. *ad* 1530.

MUNDI CHRISTI
5574. 1521.

Solymanus hoc anno Belgradum urbem munitiſſimam cepit, cùm eam duobus menſibus ſatis imparatam offendiſſet: interea proceres Hungari, Rexque Ludovicus annorum 15. indulgebant genio, voluptatis quàm belli ſollicitiores. Allatas ex hac urbe à Turcis reliquias redemit Hieremias, olim Sophiæ Metropolites, tunc Patriarch. Conſtantinopolitanus, tam acceptus ſuis, quàm ejus anteceſſor Theoleptus fuerat odioſus. *Solymanus Belgradum occupat.*

Lutherum evocatum Vormatiam, datâ fide, ſanare conatus eſt Carolus V. ſed remiſit ut inſanabilem, atq; proſcripſit, certus eum perdere. Id veritus Fridericus Elector eum includit Caſtro Warbergo, & lautè excipiendum curat. Hic cum dæmone colloqvutus carcerem ſuum in ſcholam Stygiam vertit, indeq; maledicentior exiit. Senſêre virus ejus Theologi Pariſienſes, ſicut Philippi Melanchtonis ſannas, qui ut meliùs lateret ſe Hippolytum Melangæum dixit, annos natus 24. quando & ſcurriliter Lutherum defendere conatus eſt, dum hic inſtar rabidi canis inimicos, atque Catholicos morderet aut allatraret. *Lutherum ſervat Fridericus Saxo.*

Henricus VIII. Angliæ Rex in Lutherum ſcripſit, ideo *Defenſor Eccleſiæ* dictus eſt: Lutherus autem ſic eum excepit, ut omnes intelligerent illum deploratis rebus ſuis furore magis, quàm ratione confligere. *Henr. VIII. Anglus ſcribit in Lutherum.*

Inchoatum eſt hoc anno bellum propemodũ duodequadraginta añorum inter Franciſcum I. & Carolum V. quod impedierunt quandiu vixere Arturius Guffierius Boëſius, & Guill. Croyus Ceurius, ambo Principibus ſuis acceptiſſimi; ſed iis fato ſublatis, aliunde incentore Leone Pontifice, Principes duo æmuli, & æqualium virium, commiſſi ſunt, initiis à Regno Navarræ deductis. In hoc miſſus cum exercitu Aſpartus natu minor frater Odeti Lautrechii, totam facilè recepit, captâ primariâ urbe Pompejopoli *Pampelune.* Hujus urbis arcem dum fortiter defendit Ignatius Loyolæus, nobilis Cantaber, tormenti bellici globo graviter eſt vulneratus in corpore, ut animo ſanus eſſet, & multorum animis exinde medicinam afferret. Hic eſt Societatis JESU illuſtris conditor, qui tantùm magnanimitatis ad pietatem attulit, quantùm oſtenderat in re militari, intentus in unam DEI gloriam, quam ſanguini, gloriæ, adeoque ſaluti prætulit ſuæ, & dignus qui Sectatorum atque cognominum Jeſu Chriſti copiis auxiliaribus, & ad omnia *Bellum inter Franc. I. & Carol V. inchoatur.* *Vulneratur Pampelune Ignatius.*

nia pericula paratiſſimis, glorioſè præficeretur.

*Aſparus dux victus capitur.* Aſparrus dum Navarrâ non contentus in Caſtellæ fines irrumpit, effecit ut populi antè diſcordes arma conjungerent, & in Francos victores, conſuetâ degentes incuriâ, rebellarent; quando & dux expeditionis hujus non tantùm amiſit parta, ſed & libertatem.

Aliunde Carolus V. ut Franciſco I. reponeret vicem, pace initâ cum Leone, pleraſque Ducatus Mediolanenſis urbes occupavit. Hujus mali cauſa fuit Aloyſia ſeu Ludovica Franciſci mater, mulier nequam, & ex æquo avara, & vindictæ cupida, quæ infenſa Lautrechio Proregi Mediolanenſi, eum cum filii ditione perdidit, ac pecunias paratas in hoc bellum in ſuos uſus flagitioſè convertit: dum Franciſcus indulgens voluptatibus, adminiſtrationem Regni ſui negligeret, ac per ſuos omnia geri perperam pateretur; dignis omnibus, qui à Deo præpotente graviter caſtigarentur, his vitæ ac bonorum, illis gloriæ ditioniſque jacturâ.

*Ducatus Mediolanenſis perit culpa Aloyſiæ.*

*Carolus V. ad Maſerias pugnat infeliciter.* Nec fortunatior fuit ab aliâ parte Carolus V. dum Maſerias obſidet, quam urbem propugnabant Monmorantius, & Bajardus, vir ad miraculum fortis, & bonus. Cùm ergo Franciſcus accederet, Carolus recedere tergiverſaretur, hic ſine dubio captus erat, atque debellatus, niſi delectus ab Aloyſiâ Sabaudâ Regis matre Mareſchallus Caſtillonæus, parum fortis & ignarus belli, objeciſſet moram. Ita Franci ſibi victoriam ſimul & Carolum è manibus elabi paſſi ſunt; dum Franciſcus parum prudens, manu quam conſilio melior eſſet, & ad magna potiùs oſtentanda, quàm gerenda natus; atque inſuper regeretur à matre, Regni fatali furiâ, cui odium fax, colubri vindictæ cupiditas fuere.

*Franciſcus I. ab ſuis ſe regi ſinit.* Nec à matre tantùm, ſed à ſubditis, & ἑταίροις ſe circumagi paſſus eſt; cùm enim pax eum inter & Carolum per Henricum VIII. Regem Angliæ ſatis honeſtis conditionibus procurata eſſet, & pacta, & Fontarabia ex fœdere repeteretur; qui eam ceperat Regi gratioſus Bonivetus, eidem ineptè perſuaſit pacem potiùs abrumpere, quam urbem reddere, quam nihilominus perdidit, ſimulque Tornacum, ac ſe implicuit bello quo gloriam, divitias, ac libertatem perdidit, equitum alæ aut urbeculæ, quàm exercitu aut regno regendis aptior.

Mortuus eſt hoc anno Leo X. 4. Non. Decembr. ex lento veneno huic propinato per cubicularium, aut pocillatorem, de quo tamen nulla eſt inſtituta quæſtio, ne Princeps aliquis potentior vocaretur in crimen. Vixit annos 46. ſedit 8. cum menſibus 8. diebus 20. feſellitque omnes, cùm electus majoris prudentiæ ſpem injeciſſet, minorem probitatis. Luxus quoque in eo reprehenſus eſt, ſed ſupra modum à Lutheranis, qui hunc *Purpuratum, & infulatum Sardanapalum* vocitarunt; à quibus tamen vituperari magna ejus gloria fuit. Floruere ſub eo viri docti Marſilius Ficinus, Paulus de Middelburgio, Auguſtinus Juſtinianus, Petrus Martyr Angleſius, Joan. Ekius, Albertus Pighius, Eraſmus, omnes huic chari, acceptique; cujus etiam operâ Xantes Pagninus translationi ſanctæ Scripturæ incubuit, eique ſuffecti ſunt ſumptus ad accuratam editionem neceſſarii: uno verbo, in Leone Muſæ publicum Mecœnatem, & tutelam domui ſuæ innatam perdidere.

*Viri Docti ſub Leone.*

*Emmanuel ſuccedit Ioannes III.* Emmanuël recepit litteras à Davide Abyſſinorum Imperatore, quæ multùm voluptatis in Europâ bonis omnibus attulere. Nec ita multò pòſt Idib. Decembr. mortuus eſt idem Emmanuel, bellis in Africâ, & Aſiâ, tam glorioſè quàm religioſè geſtis. Vixit annos 52. cum dimidio, regnavit 26. cum duobus menſibus; eique ſucceſſit Joannes III. natu major jam annum vigeſimum agens; ſed cui patris virtus excellens, & ab omnibus laudata, minùs profuit; magnus videri poterat, niſi patrem maximum habuiſſet.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5575. | 1522. |

*Rhodus obſidetur à Turcis, Villerio fortiter defenſa.* Celebris eſt iſte annus ſimul & funeſtus occupatâ per Solymanum Rhodo, & equitibus hoſpitalariis ex eâ depulſis. Hanc enim Turcus cum trecentis primùm, deinde quadringentis navibus, & ducentis vel trecentis armatorum millibus obſedit, per Muſtapham terreſtrium, & Curtoglium navalium præfectus, quibus Philippus Villiericus ex Liladami familiâ cum ſex millibus ſupra hominem repugnavit. Sperabatur ab Occidente auxilium, ſed Carolus rebus ſuis intentus, Franciſcus & Henricus inter ſe commiſſi, religionis obliti ſunt, & Chriſti. Ipſi Veneti timuerunt diſplicere Solymano, ac Gabrielem Martinengum nobilem Machinatorem Brikianum, quia ſubierat Rhodum, bonis omnibus exuerunt. Faverunt quoque Barbaris Judæus Medicus magni nominis, & Andreas Amaralus Luſitanus Prior Caſtellæ, & magnus Ordinis Cancellarius, inimicus Villerii, per quem hoſti omnia enunciabantur conſilia; quare mirum non fuit Rhodum preſſam domeſtico, externoque malo, periiſſe.

*Proditio Rhodi.* Principiò tam malè habiti ſunt Turci, ut de obſidione ſolvendâ cogitarent, nonnihil tamen reſtituit eis animos præſentiâ ſuâ Solymanus, ita tamen reſiſtente Villerio, ut ſub tanto duce capi poſſe Rhodum, jam ipſe Solymanus deſperaret. Jamque convaſabant Barbari cùm per transfugam, & Amaralum moniti ſunt expectare tantiſper, Rhodios vulneratos, cæſos, rerum omnium egenos diu reſiſtere non poſſe. Inter hæc Cancellarii proditio paulò tardiùs detecta, deprehenſio ejus cum litteris ſervo, quas ejaculabatur ad Turcos; hic Baptizatus ſuſpenſus eſt, Amaralus impœnitens perdidit caput. Medicus quoque detectus obiit Chriſtianus, cùm Eques ætatis provectæ, diuque religioſus, Judæum aut Saracenicum animum dæmoni evomuiſſet.

*Rhodus deditur man...* Initio itaque Decembris Acmetes Baſſa, qui Muſtaphæ ſucceſſerat, videns pæne ſuos omnes cæſos, aut vulneratos, perſuadet Solymano, ut

no, ut spe clementiæ, promissisque magnis Rhodios ad deditionem invitet. Hi sine muris, sine pulvere tormentario, pænè vulnerari omnes, suis lachrymis ut se dederet Villerium compulerunt; honestissimis tamen conditionibus, & quæ contra consuetudinem à Turcis servatæ sunt: videlicet, ut qui vellent abirent, qui remanerent liberi quemadmodum sub Equitibus viverent. Ipse etiam Solymanus Villerium invisit, patrem appellavit suum, & ut apud se viveret invitavit; egit ille gratias, & Kalen. Jan. conscensis navibus in Cretam abiit, Secuti sunt eum incolarum Coi insulæ (hodie *Lango*) quatuor millia, multique Rhodii, qui dominos suos equites jam ab annis ducentis atque duodecim relinquere noluerunt. Periere in hac subsidione morbis & fame Turcorum 50. millia, ferro atque vulneribus supra septuaginta millia, adeo ut Solymanus eam victoriam Cadmæam appellaret, & huic similem hostibus suis apprecaretur.

Mortuus est hoc anno Sammagiæ, non procul à Taurisio, Ismaël Persa, annos tantùm natus unum atque quadraginta; vir magnus & quem meritò Solymanus reformidabat. Successit ei filius natu major undenis Tammasius, datis amplis Præfecturis fratribus suis, Turcicis bellis inclytus, & majora perfecturus, nisi fratres habuisset, aut saltem cum primogenito magis concordes.

Leoni X. suffectus est Idibus Januar. Hadrianus Belga Trajectensis Batavus, quondam Caroli Quinti præceptor, eidemque percharus, absens, & in Hispaniâ tum degens. Appulit Romam 3. Kalend. Septembr. sequentique die coronatus antiquum retinuit nomen, dictusque Hadrianus VI. quo tempore in Urbe dira grassata est lues, depulsa ut creditur precibus, & supplicationibus, non autem Magico Tauri sacrificio; quod historici non satis religiosi confinxere.

Odetus Fuxius, dictus Lautrechius, Mediolanensem Principatam fortiter tuebatur, & Mediolani recipiendi spes erat; sed eam adventus Francisci Sfortiæ, minoris filii Ludovici Mauri, disjecit. Obfuit plurimùm & frustra tentata Papia; sed res Francicas penitus evertit prælium ad Bicocam, tertio à Mediolano lapide, Helvetiis aut stipendia, aut pugnæ copiam temerè deposcentibus. In hac tria suorum millia perdidêre, &, quod caput fuit, ad multos annos innatam in prælis ineundis alacritatem. Odetus sine pecuniâ, sine milite, relicto in Italiâ Lescuto fratre, repetiit Gallias; ubi graviter increpitus à Francisco, egregiè se tutatus est, ob non recepta stipendia, quæ tamen imperata fuisse Jacobo Belnensi Samblancæo summo ærarii præfecto Rex contendebat. Verùm hæc interverterat avara, & odio in Lautrechium flagrans, Aloysia Regis mater: & tum utcumque excusavit se Samblancæus; sed alio postea damnatus judicio publicè suspensus est sexagenarius, jam sub tribus Regibus ærarii præfectus, nullius criminis reus, & tantùm quòd rerum suarum negligentem Regem, & choreis ac voluptatibus vacantem fortitus esset, dum ejus mater avaritiâ, & odio furens, filii ditionem dissiparet. Lescurus autem reliquas urbes Principatus Mediolanensis perdidit, servatis tantùm arcibus Mediolani, Cremonæ, atque Novariæ. Periit quoque Francis, ac suis civibus Genua à Cæsarianis occupata, atque direpta; ubique sub improvido Rege res labare cœperunt.

*Lutherus redit Witembergam.* In Germaniâ Lutherus ex arce, in quâ reclusus vix erat, & quam Pathmon suam vocabat, etiam invito Friderico Wittembergam rediit; cui adjuncti, Carlostadius, factus Agricola, & Philippus Melanchthon Pistor. Ille etiam, Archidiaconus licet, duxit uxorem, cui Epithalamii loco Lutherus Missam ridiculam & turpem occinendam composuit. *Carlostadii nuptiæ.* Celebratæ sunt hæ nuptiæ Germano more, ebriis omnibus, & saginatis veteris Asinæ carnibus, quam ferinæ loco scabiosam è molendino mactari jusserat vicinus Dynasta, submissis deinde ejusdem jumenti auribus & pedibus ferratis, ut intelligerent convivæ, quas epulas in hoc convivio comedissent.

*Lutherus alter Mahometes.* Multa quoque tum Lutherus scripsit, aut veriùs evomuit, jam in omnem turpitudinem effusus, & in quam omnem trahebat Germaniam, fornicationem probans, illicitosque concubitus; & ad omne nefas ipse cunctis prælucens, jam prope alter Mahometes. Hominem abominandum fovebant Fridericus Saxo Elector, & Joannes ejus frater; exagitabant Ferdinandus Austrius, & Georgius Saxoniæ Dux; per quos, sicut & Reges Franciæ & Angliæ, non stetit, quominus flamma illa restingueretur. Sed cùm segniores essent, de more, qui eam comprimerent, quàm qui ventilarent, eò crevit incendium ut sopiri non posset, Septentrionem pænè omnem inflammaret.

MUNDI 5576. CHRISTI 1523.

*Turbatur Ecclesia Constant.* Turbata est hoc anno Ecclesia Constantinopolitana intempestivâ peregrinatione Hieremiæ Patriarchæ Hierosolymam, & substituto in ejus locum Joannicio Metropolitâ Sozopolitano, & aucto charatzio pendi solito. Hieremias tamen operâ Ibraimi Bassæ amici sui restitutus est sedi, eâ lege ut quingentos aureos adderet; quam summam persolvit Clerus & populus, eo repugnante: excommunicatus Joannicius obiit, & tumente post obitum cadavere ostendit se non fuisse bruto fulmine verberatum.

*Villerius Cretam appellit.* Appulit Cretam Liladamus cum lacerâ classe, graviter expostulans de Venetis, qui paratas habebant bellicas naves sexaginta, certissimum auxilium Rhodiorum. Perrexit inde Messanam cum apparatu lugubri, ubi & reperit multos equites suos, quibus tantùm navigia ad transitum defuerant. Mœroris ergo plenus Romam venit amicissimè susceptus ab Hadriano, eoque mortuo cura ei conclavii tradita; mox etiam Viterbium, donec ei Melita concederetur, quam speculam maris Hospitalarii facerent, ex

quâ

quâ de morte vexarent Turcos, quibus internecinum bellum indixerunt.

*Borbonius deficit ad Carol. V.*

Rebus Francicis in Italiâ collapsis, & arce Cremonensi perditâ, Franciscum turbavit magis Borbonii Ducis Franciæ Conestabilis detestanda proditio. Hujus causa fuit Aloysia Regis mater, intentatâ viro forti injusta lite de bonis uxoris suæ, quòd nuptias impares animosè repudiasset. Hominem extra se raptum sanare conatus est Franciscus, sed ipsa remedia Aloysia impotens corrupit. Fugit ergo Borbonius dissimulato habitu, ac copiis Cæsarianis præpositus ostendit Francisco, quàm fortem & exercitatum ducem amisisset.

*Bonivetus Admiralius mittitur in Italiam.*

Turbatus Borbonii defectione Franciscus in Gallia restitit: misit tamen trans Alpes Admirali m Bonivetum, qui consueta Francis facilitate multas recepit urbes & Mediolanum occupasset, si rei militaris peritior, neque cunctator extitisset. Eodem tempore Hispani Bajonam frustra tentârunt: accepere Fontarabiam, malè à Frangeto defensam; qui ob hanc causam nobilitatis insignibus exutus est, quòd in hujus urbis propugnatione se minùs nobilem exhibuisset.

*Fontarabia Franciis perit.*

*Lutherus conviciis respondet.*

Exagitata est, de more, per Lutherum Apostatam Germania; cùm ipse gloriaretur se impedivisse quominùs Ecclesia Germanica exactionibus & annatis gravaretur. Invectus est & ipse in Principes ferociter, qui versionem suam Novi Testamenti damnassent; quare in eum insurgere coacti sunt Ekius, Fischerus Roffensis Episcopus, Thomas Morus, Joan. Cochlæus, Jodocus Clictovæus, aliique eruditi viri, omnes ab eo conviciis proscissi, quæ nunquam ei, nec aliis hæreticis defuere.

*Hæresis Anabaptistarum.*

Hoc anno prodiisse dicitur hæresis Anabaptistarum, authore Nicol. Stokio quondam Lotherano, vel Balthazare Pacimontano; sic dicti, quòd adultos rebaptizarent, cùm credere possent: dicti sunt aliter Enthusiastæ, quòd vitam austeram, & piam præ se ferrent, omnibus tamen vitiis, hæreticorum more, contaminati.

*Gustavus Suecus Lutheranus.*

Tum Lutheri virus hausere Gustavus Sueciæ primùm Gubernator, deinde Rex, successor Stenonis: Fridericus item Dux Holsatiæ, patruus Christerni Daniæ Regis, cui etiam successit in Regnum. Sic Septentrio infici cœpit erroribus, qui nullis adhuc artibus, nulla cura extirpari potuere.

*Hadrianus VI. moritur.*

Obiit hoc anno Hadrianus VI. annos natus 64. cum dimidio, sedis suæ anno primo cum mensibus 8 diebus 6. ex veneno, uti creditum est. *Nihil sibi infelicius in vita, quam quòd imperaret, duxit,* sicut leg tur in ejus Epitaphio; vir ad literas, quàm ad Pontificatum aptior.

*S. Thomæ corpus inventum.*

Inventum est hoc anno in India S. Thomæ corpus in ruderibus antiquæ urbis Meliaporis, delatumque corpus ejus Goam, cum lancea qua confossus fuit, & baculo, quo peregrinatus erat. In hujus honorem urbs reparata est in uberi solo, & ad commercia ob situm peropportuno: verùm ad eam renovandam plus pietas, & religio valuit.

*Clem. VII. c... tur...*

Hadriano VI. suffectus est Julius Medicæus, post longam altercationem inter eum & Pompejum Columnam, nec nisi tædio diuturnæ inclusionis, & timore hyemis imminentis abruptam. Patruelis is fuit Leonis X. cumque Julius dici vellet, evicere amici, ut potius Clemens VII. diceretur 6. Kal. Dec. Vir gravis, moderatus, diligens, annos natus 46. & dignissimus Pontificatu, nisi ipsum prensasset ambitiosius.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5577. | 1524. |

*Victi... ci a... redi...*

Pulsi sunt hoc anno ex Insubria Franci, Boniveti Ducis imprudentia, proditione Francorum, qui omnia Borbonio significabant. Bonivetus ad Eporediam dum copias reducit vulneratus, curam exercitus committit Bajardo, & Chabaneo Vendenesso: sed hic interfectus est, ille graviter vulneratus faciem sibi in hostem obverti jussit, obviumque Borbonium consolatorem uti proditorem repulit, eumque de fatis Coriolani, Themistoclis, Cæsaris admonuit, qui armati in patriam turpiter periere. Hoc viro meliorem & fortiorem ætas ista vidit neminem, & cui nihil optari potuit præter Regem, qui ejus fortitudine & peritia militari sapientiùs uteretur.

*Borb... Fran... ingr... arm... &... ejic...*

Actum de pace inter Franciscum & Carolum, arbitro Henrico VIII. aut potiùs Volsæo Cardinali Eboracensi Episcopo, & Cancellario regni; ex quo Rex pendebat totus, eoque elatus ex tenuibus initiis, ut jam præcipitium reformidare deberet. Hæc tandem consilia pacis discussa sunt; Borbonius ingressus in Galliam, Aquas Sextias, & minora oppida cepit. Repulsus Massilia, adveniente Francisco maturè se recepit in Italiam, quò eum Rex cum luculento exercitu secutus est. Mediolanum facilè occupavit; arx tamen ab Hispania servata est. Inde Boniveti consilio, ex quo pendebat totus, Papiam obsedit, in qua inclusus erat Franciscus Sfortia Dux Mediolanensis cum Antonio Leva Hispano, & luculento equitum peditumq; præsidio: per quos injecta foret urbis capiendæ prudens desperatio, nisi sperare contra spem atque rationem Franciscus, ejusque aulici, homines temerarii, consuevissent.

*Lut... vest... nac... jici...*

Perdurarunt in Germania de religione tumultus, multis habitis Conventibus Norembergæ, Ratisponæ, Spiræ. Initæ quoque disputationes acerrimæ; quando & in hoc concertationum æstu Lutherus habitum Monachi posuit, simulque cum Augustiniana veste reliquum moderationis, & fictæ sanctimoniæ, jam se publicè turpissimum, & ignaviter impudentem Apostatam, dictis, factisque professus.

*Th... run...*

Orti sunt hoc anno Clerici Regulares Theatini dicti; quibus initia dedere Petrus Caraffa nobilis Neapolitanus, Episcopus Theatinus, & Marcellus Cajetanus Tieneus nobilis Vicentinus Protonotarius. His cùm usus esset Hadrianus Pontifex ad emendandos Ecclesiasticorum mores, placuerunt quoque Clementi VII. & adjunctis sibi duobus sociis, permissi sunt instituere

ſtituere Clericorum Ordinem ad emendationem Eccleſiæ; adeò inopes, ut oblatis tantum ſponte, non quæſitis eleemoſynis alerentur, rati ſibi unam Dei gloriam quærentibus nihil defuturum. Sic Ordo parum amplificatus eſt, refrigeſcente jam in Chriſtianorum animis charitate.

In Regno Mexicano Martinus quidam Valentinus cum 12. Monachis verbo, & miraculis promovit Fidem; factuſque Vicarius Pontificis coëgit Synodum, in quâ decretum, quod Chriſtianis novis una tantùm relinqueretur uxor; ſicque inita inter unum & unam conjugia, pignus eſſet & arrha veræ Chriſtianitatis.

Britones & Normanni jam ab anno 1504. dum vacarent piſcatoriâ Aſellorum Marinorum, *des Morues*, promontorium & inſulam Britonum detexerant *l'Isle du Cap. Breton*. Hoc anno exinde ad Floridam luſtravit Joannes Verrazzanus Florentinus, ſub auſpiciis Franciſci I. unde eam regionem Novam Franciam dixit, & Canadenſem à fluvio magno qui eam alluit, dictus *Canada*, & poſtea S. Laurentii. Hic autem cùm anno ſequenti iterum in eaſdem oras rediiſſet, exſcenſione factâ, ut terras in Septentrionem detegeret, à Barbaris captus & voratus eſt. Poſthæc regio accuratiùs detecta nobilem eduxit Eccleſiam, multis ſudoribus, multoque ſanguine, de more, ſtabilitam.

MUNDI 5578. CHRISTI. 1525.

Jubilæum de anno raro & tenui concurſu Romæ celebratum eſt, ob Italica bella, & hæreticos Indulgentias allatrantes, dum Catholici augere crimina ſua, quàm ea relinere ſatagunt.

Pugna hoc anno ad Papiam commiſſa eſt, quam diſſuadebant omnes periti rei militaris, & cenſebant diſcedendum eſſe in tuta loca, donec hoſtilis furor deferveſceret: ſed prævaluit Admiralius Bonivetus, in regni perniciem ab Aloyſiâ elatus ad ſumma, & ex quo Rex tantùm pendebat, imprudens ex imprudentiore. Itaque pugna inita eſt ab Hiſpanis 6. Kal. Martii, tumultus à Francis, & Helvetiis priſtinæ virtutis oblitis, qui vix viſo hoſte pedem retulere. Alenconius in extremo agmine non vidit hoſtem, Rex ferociùs quàm fortiùs pugnans, ore, manu, femore ſaucius, equoque ſuffoſſo captus eſt, cum Henrico Navarræ Rege aliiſque proceribus. Bonivetus, ne veniret in Borbonii manus, in confertiſſimam irruens aciem non inultus occubuit cum Paliſſio & Leſcutio Mareſcallis, multiſque viris magni nominis. Octo Francorum millia aut ferro, aut in Ticino fluvio periere: ex hoſtibus vix ſeptingenti cæſi, inter quos Ferdinandus Caſtriotus equitum Præfectus, Magni Scanderbegi pronepos, Regis interfectus manu. Franciſcus, ut ſe dederet Borbonio, adduci nunquam potuit: venit ergo in Lanoii manus, liberaliter habitus, & ut tantum Regem deceret; quando & oblitus ſui, obtinuit ut pueri ephebi Franci ex Italorum manibus eriperentur, darenturque Hiſpanis apud quos caſtiùs ſervarentur. Ad ejus pedes advolutus Borbonius veniam petiit, excuſavitque factum, ad quod ab Aloyſiâ impulſus eſſet; jam expertus ultionis ſuæ dulcedinem multo felle dilutam fuiſſe.

*Conſilium optimum Epiſc. Oxomenſis.* Ex hac victoriâ tantum timoris cepit Clemens, quàm Carolus voluptatis, huic autem utile dedit conſilium, & valdè pium, Confeſſarius Epiſcopus Oxomenſis, ut honeſtis conditionibus cum Franciſco paciſceretur, & ambo communibus armis invaderent Turcum; quod Fridericus Toletanus Albæ Dux tam ſuperbè, quàm irreligioſè diſcuſſit. Itaque propoſitæ captivo conditiones graves, quas conſtantiſſimè repulit, paratus in carcere mori potiùs, quàm eas ſubire: obtulit nihilominus quæ juſta æquis rerum æſtimatoribus viderentur, & quæ poſtea duritas Caroli vix potuit extorquere.

*Franc. I. transfertur in Hiſpaniam.* Interea alienatus eſt à Cæſare Henricus VIII. operâ Volſæi, qui ſemper in Franciſcum benè affectus fuerat. Miſſus ergo in Hiſpaniam, & Madritum Franciſcus, primùm liberaliter habitus. Piſcarius quoque iratus Cæſari, proditionem molitus eſt, quam poſtea retexuit, magno conjuratorum damno, ſed potiſſimùm Clementis, & Ducis Mediolanenſis, qui ab ipſo Piſcario exutus eſt ſuo Principatu. Mortuus eſt tamen paulò poſt idem Piſcarius ex febre Ecticâ: plaudentibus bonis omnibus, perfidum hominem proditionis ſuæ fructu caruiſſe.

*Ægrotat hic periculosè.* Ægrotavit inter hæc Madriti periculosè Franciſcus; quare ſuadentibus medicis eum inviſit Carolus, eique ſpem libertatis injecit; exinde meliùs habuit, certus tamen non exire de carcere niſi conditionibus honeſtis. Tum etiam venit in Hiſpaniam Ludovicus Borbonius; cùmque huic peteret hoſpitium Carolus ab Hiſpano nobili, hic obtulit quidem domum ſuam, ſed mox evertendam, vel comburendam, quòd inquilinum proditorem texiſſet.

*Entuſiaſtæ ſeu Anabaptiſtæ.* In Germania Enthuſiaſtæ ſeu Anabaptiſtæ magnos concitarunt motus, & ruſticulos primùm in Clerum, deindè & in ſuos Principes armarunt. Itaque miſſæ in eos copiæ, centum quinquaginta millia conficiunt; quam cædem probavit Lutherus, qui antea eorum rebellionem probaverat, ne iis involveretur; jam enim in eorum concitatores agebatur legibus atque ferro. Nicol. Stockius, dictus Pelargus, inter mendicos fugitivus obierat: errabat Baltazar Hubmeierus Pacimontanus, tandem poſt longum carcerem 1528. Viennæ flammis éxuſtus, uxor ejus aquis ſubmerſa; ambo per ignem & aquam ad majora ſupplicia, & diuturniora, tranſituri.

*Zuinglius ſectam ſuam procudit.* Eodem tempore *Zuinglius* Sectam procedebat ſuam inter Helvetios, auctus jam Carloſtadio, Lutheri deſertore; quem ab eo calamitates abduxerant, & inopia, cùm factus agricola, lignator, & propola, unde viveret non haberet, Baſileæ quoque ſuam Hæreſin ſpargebat Jo. Oecolampadius S. Birgittæ Sacerdos, & Monachus Apoſtata. *Oecolampadius, hæreticus.* Hi cùm vires ſuas conjungere cum Luthero adverſus Ro. Pontificem peroptarent, ut miniſtri dæmonis, ab ejus fautore re-

jecti sunt: nec enim terræ hujus belluæ sectatores facilè conveniunt.

*Lutherus ducit uxorem.* Lutherus, Mortuo Friderico Electore ex calculi doloribus, quasi solutus importuno monitore, uxorem ducit Catharinam à Borá, monialem nobilem, inter scholares Wittembergenses diu turpiter volutatam: quas nuptias improbarunt multi; sed inter cæteros Angliæ Rex Henricus VIII. qui Lutherum severè admonuit, ipse postmodum dementatus per Annam Bolenam nobile Scortum, atque ejus vestigia turpiter & impurè sectatus.

*Lutherani molles.* Tunc exorti videntur molles Lutherani, cùm Philippus Melanchthon Philippum Hassiæ Landgravium pertraxisset in hæresin, eique persuasisset nihil immutare de ritibus Ecclesiæ, ideoque dicti Melanchthonici, Catholicis similes, aut potiùs simiæ Catholicorum.

*Teutonici equites extincti.* Hoc anno Albertus Magister Equitum Teutonicorum & Crucigerorum extinxit ordinem suum in Prusiâ, factus Lutheranus, acceptâque hæreditariâ Prusiâ Ducali seu Orientali (cujus caput Regio mons) ab avunculo suo Sigismundo. Sic magistrum suum Lutherum imitatus est Albertus, ductâ anno sequenti uxore Dorotheâ, Regis Daniæ filiâ, factus deinde liberorum ex carne pater, non in Spiritu, & Christo, Cruciferorum.

*Primus hæreticorum Martyr.* Parisiensis Senatus, ne serperet Lutherana pestis providit, eoque anno Jacobum Paurinam Picardum Bononiensem pannorum textorem flammis exussit, quem Beza Protomartyrem suorum dixit, nequaquam altiùs petito suæ Synagogæ exordio.

*Secta Libertinorum.* Erupit & tum secta Libertinorum dicta, autore Quintino sartore Picardo, cujus præcursor fuit Coppinus Insulanus, Catabaptistarum soboles, & in quibus Gnostici & Valentiniani afflati Lutherano spiritu revixere. His affinis David Georgius vitriarius Gandavensis, qui se tertium Davidem afferebat, & Messiam verum Dei filium, non ex carne, sed spiritu; deliri omnes atque fanatici, simulque turpissimi, ideoque passim flammis aboliti, atque purgati.

Neque tamen tum Deus suæ defuit Ecclesiæ, opposuitque spurcissimis homuncionibus cœtum carnis inimicissimum, & Christi patientis imaginem, Ordinem Capucinorum, ita dictum à caputio ex quadrato panno confecto. *Ordo Capucinorum.* Hujus author fuit Matthæus de Bassio Umber Sacerdos Minorita, apud montem Falconium, in agro Piceno, visione quadam excitatus; cui se adjunxit anno sequenti Ludovicus Forosempromensis item Minorita, ex quibus iste celeberrimus Ordo processit: quem tamen hi duo deseruere, ut Dei non hominum opus haberetur. Quòd autem inepti quidam faciunt hujus Ordinis authorem Bernardinum Ochinum, aut certè eum primis ejus quatuor conditoribus accensent, Chronologiæ saltem ignari sunt; cùm hunc Ordinem confirmarit Clemens 1528. eum subierit Ochinus 1534. & cùm in eo jam supra 300. fratres numerarentur, nec eum homo nequissimus reliquerit, nisi 1542. ut ostenderet ex optimis quibusque determinata fieri.

*Peru regio detecta à Pizarro.* Detecta est hoc anno à Francisco Pizarro Hispano, duce Regio, Peruana, cujus caput Cusco Yncarum Sedes; quam intra annos octo Hispanico adjunxit Imperio, cæso contra datam fidem Atalipâ ejus Imperatore. Quàm autem fuerit hæc regio dives ex aliis edisces, sicut & cædes horrendas ab Hispanis factas in his regionibus, quas Bartholomæus *de las Casas* Dominicanus Episcopus Chiapæ in Orbe Novo libris complexus est; ut tamen suspicor ex cupiditate promovendæ expeditionis suæ in hunc Orbem, quam & infeliciter suscepit, & miserabiliter exsecutus est, vir ad magna dicenda, quàm gerenda paratior.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5579. | 1526. |

*Ludovicus Hungariæ Rex à Turcis cæsus.* Solymanus, veritus ne post captam Rhodum coirent Principes Christiani, Ludovico Hungariæ Regi pacem offert; quam ille recusat, suadente Clemente, ac Venetis. Ingreditur itaque Hungariam cum 300. armatorum millibus Solymanus, ut Annales nostri, ut Turcici cum 50. vel 60. millibus, cui occurrit cum 25. millibus Ludovicus, Duce Paulo Tomoreo Archiepiscopo Colocensi Minoritâ, fortiori duce, quàm prudente, & 4. Kal. Sept. prælium conserit. Victus cum ingenti strage suorum interiit in palude mersus Ludovicus annos natus 20. periit & Paulus, cum multis Episcopis, atque Baronibus, & magnâ parte nobilitatis; cæsi omnes, aut capti duces præter Annibalem Cyprium copiarum Pontificiarum præfectum; latè vastata Hungaria, cæsi vel abducti 300. millia Christianorum: & ne ulteriùs progrederetur Turcus impediere in Asiâ motus excitati à quodam Calendero Zelebe Monacho Saraceno, cui se multi Bassæ conjunxerant; sed hic demum victus ab Ibraimo Bassâ morte suâ pacem Turcis, metum Christianis reddidit.

*Ferdinandus ditione ...* Ludovico successit Ferdinandus Archidux frater Caroli V. operâ Stephani Bathorii Palatini, & Mariæ relictæ Ludovici, rejecto Joanne Zapolio Wayvodâ Transylvaniæ, qui Rex quoque acclamatus fuerat. Malè tamen novum servavit Regnum Rex novus, amisitque Bosniam, & Croatiæ partem, quas Turcus occupavit. Quominus enim Hungaris succurreretur Lutherus inhibuit, distractâ in sectas Germaniâ, & in quâ plus calamis, quàm armis certabatur, commissis etiam inter se heterodoxis, nullo alio operæ pretio, quàm ut omnes furere, atque insanire crederentur.

*Lu... ex...* Sigismundus Polonus Fidem restituit Gedani, unde anno superiori depulsa erat, autoribus facti capite mulctatis. In variis quoque locis cremati Lutherani restrinxere hæresin, ubique hoc tempore sese blandiùs insinuantem, ut postea atrociter debaccharetur.

*Fr... I. ...* Duris conditionibus emissus Franciscus I. datis duobus filiis suis obsidibus, pacta cum Cæsare cunctatione eludit, & cum Pontifice, Sfortiâ, ac Venetis fœdus init. Sed plus sociis suis nocuit, quàm sibi profuit Rex, quem carcer non effecerat sapientem. Exutus enim Sfortia Principatu, etiam arcem Mediolanensem reddere com-

re compulsus est: vexatus à Columnis Cæsarianis Pontifex, direptâ supellectile in castrum S. Angeli se recipere coactus est; neglecta Ecclesiæ fulmina. Interim Franciscus & Carolus magnas copias compararunt; & hoc quoque anno Lanoius cum classe Hispaniâ Cajetam appulit; &, quod caput erat, cum Caroli sapientiâ, & felicitate, quam Francisci imprudentiæ, & calamitatibus opposuit.

MUNDI 5580. CHRISTI 1527.

Funestus fuit hic annus direptione Romæ: quando Ludovicus Borbonius ad oppugnandum Pontificem perrexit; ut sacrilegus diceretur, qui jam proditor erat; & Ecclesiam invaderet, qui jam patriam bello appetiisset. Igitur 3. Non. Maji ad Urbem castra locat eam sequenti die expugnaturus: quod & præstitit ipse scalam ferens ad murum, ut eam transcenderet; sed sclopeto ictus, pugnandi, vivendique finem fecit. Ita periit uti miles gregarius Dux maximus, quem animi impotentia patriæ proditorem effecit, desperatio divini humanique juris contemptorem, mors impia, atque sacrilega, inferorum ac Dæmonis victimam. Ejus tamen morte non est militum restinctus ardor ad prædam: sed ultionis adjunctâ causâ succensus, Philiberto Arausicano Duce eum ventilante. Itaque per vim à furentibus Urbs occupata, obvii quique armati, inermesque trucidati, cruciati nobiles atque divites, matronis & virginibus etiam sacris ereptus pudor, reliquiæ Sanctorum dejectæ, combustæ, dissipatæ, sanctissima Eucharistia conculcata, quodque instar omnium malorum fuit incensa Bibliotheca Vaticana; adeò ut non à Christianis, sed ab Ottomanis urbs capta putaretur. Certè tum Lutherani quo essent animo in Pontificem & Ecclesiam ostenderunt, nulli non parcentes contumeliæ in Antistites & Sacerdotes, quorum multi ex plagis, & vulneribus interiere; & Lutheranis permixti Hispani, & Itali, cum lupis canes ululare cœperunt. In hoc rerum statu Clemens obsessus in Arce S. Angeli, durissimis conditionibus sese dedere compulsus est: cujus audito casu Florentini Medicæos expulere, & antiquam restituere Reip. formam, disjectis Leonis & Clementis imaginibus. Carolus V. contra, in suo sinu gaudens, de capto Pontifice, atque Româ, magnum mœrorem præ se tulit, habitis etiam publicis supplicationibus; nihilominus illum deportandum curasset in Hispaniam, nisi ab Episcopis suis, Henrico VIII. & Francis impedivisset timor; eum igitur emitti jubet è custodiâ, sed iis conditionibus quæ à Solymano expectare debuisset; ad cujus sceleris auditionem dicitur etiam Turcus exhorruisse.

Verùm ut Pontifex imperatam pecuniam repræsentaret, sex Cardinalatus addicere pretio compulsus est, & decimas, atque Ecclesiæ bona abalienare: neque tamen ex Hispanorum manibus abiisset, nisi ementito habitu fugisset, & per varios casus ad Lautrechium pervenisset. Sic mulctata Roma, sic Pontifex; prænunciatis tamen antea per viros bonos his calamitatibus, ut à Deo immissa esse nemo dubitaret.

Interea acriter scriptis certabatur in Germaniâ; Lutherus parcebat nemini, non Tyaræ, non coronis; vicissim ipse impetebatur à multis, sed omnium generosissimè ab Erasmo, qui sic furentem retudit *de servo liberoque Arbitrio*, ut os obturatum sibi, atque magistro, taciturnitate suâ Lutherani faterentur. Accidit & id mali Luthero, quòd tum Philippum suum Melancthonem perdere visus sit, factum Ducem Semi-Lutheranorum, & Mollium, qui & postea Adiaphoristæ, & Confessionistæ dicti, nempe à bello Smalcaldico, & consessu Augustano: his autem oppositi Rigidi Lutherani aliter Illyricani, à Matthiâ Fiacco Illyrico, antea Philippi discipulo, postea hoste capitali, quia sic ejus res, & superbia exigebant. *Lutherani molles & rigidi.*

Exeunte anno Comitia Regni Parisiis celebrata sunt, in quibus se Rex paratum ostendit ad redeundum in carcerem: verùm id facere prohibitus est, ut & dare Burgundiæ Ducatum. Oblata tamen vicies centum aureorum millia, ad filios ejus redimendos; quibus si contentus Carolus non esset, pronunciatum est, eum esse appetendum bello, liberandum Pontificem; admonito tamen Rege, ut quibuscunque posset honestis conditionibus cum Cæsare victore, & felici, miser ipse victusque pacisceretur. *Comitia Parisiensia de Francisco redimendo.*

MUNDI 5581. CHRISTI. 1528.

Indictum est hoc anno Carolo V. ab Anglis & Francis fecialibus bellum. Idem quoque provocatus est à Francisco I. ad singulare certamen; sed elusit hanc provocationem Cæsar, tantum Francisco superior ingenio, quantùm viribus corporis huic erat inferior. *Franciscus I. Carolum V provocat ad singulare certamen.*

Lautrechius cum exercitu ingressus Regnum Neapolitanum, ex innatâ levitate gentis urbes omnes occupavit, præter Neapolin, & Cajetam; immo & illam obsedit. Ad eam Philippinus Auria Genuensis, Andreæ nepos, classem Hispaniensem devicit, Hugonem Moncadam Proregem occidit, multos proceres cepit, quos ad patruum Andream misit Genuam. At Andreas relicto Rege, ad partes Cæsaris transiit, & Franciscus adeo malè rebus suis providit, ut victoriæ hujus fructum omnem perderet. Periit quoque in obsidione Neapolis Lautrechius, periit & Petrus Hispanus aliique permulti magni viri, postea sepulti Ferdinandi Gonsalvi Nepotis munificentiâ, & sumptibus, ut virtutem hic etiam in suis hostibus coleret. Tumulatus quoque ibidem Moncada, cui præda Romana non fuerat satis, fato functus inhonoro, ut & alii omnes qui Romam expilarant, projecti in ignes virgarum instar à DEO, cùm his filios suos graviter verberasset. *Occupatur à Francis regnum Neapol. & perditur.*

Funestus est hic quoque annus inchoato Henrici VIII. cum Catharinâ Caroli V. materterâ, divortio; cui dedit initium impius Car- *Inchoatur divortium inter Catharinam, & Henricum VIII.*

Cardinalis Volſæus. Hic cùm videret Regem deſpicere uxorem ſuam, ex qua tamen Mariam ſuſceperat, quam ſibi deſtinarat hæredem, illi ſuſpicionem injecit utrùm verum eſſet atque legitimum ejus matrimonium, eique Margaritam Alenconiam Franciſci I. ſororem obtulit. Verùm Rex impudicus in Annam Bolenam conjecerat oculos, fœminam non venuſtam, ſed ſtaturâ, cantu, fidibus, facetiis, non illiberalem. Hanc quidam Scortum nobile Pariſiis fuiſſe volunt, immo & ſuſceptam ex Henrico de adulterio, qui matrem ejus aliquando deperierat; quod tamen nihil fecit, admonitus ab aulico Scurra eum non plus peccaturum ſi matrem iniret & filiam, quàm ſi in prandio gallinam, in cœna pullam ejus comediſſet. Impetrati ergo ab Henrico de ſuo matrimonio cum Catharina. Judices Laurentius Campejus, & Thomas Wolſæus Cardinales, juſſi tamen moras nectere, nec pronunciare, niſi novam à Pontifice facultatem obtinuiſſet. Sperabat enim Pontifex negotium tempore, & patientiâ, extingui poſſe, quod impetu & celeritate inſanabile redderetur.

*Henricus VIII. Annam Bolenam deperit.*

*Ordo Capucinorum confirmatus.*

Confirmatus eſt hoc anno à Clemente V. Non. Julii Ordo Capucinorum, multiq; in eum recepti, pietate ſuâ & ardentiſſimis concionibus mortales ad pœnitentiam impulerunt, quam præferebant in corpore, & exoptandam eſſe, exemplis melius, quam verbis oſtendebant.

MUNDI 5582. CHRISTI 1529.

*Pax inter Papam, Carolum, & Franciſcum inita.*

Sub initium hujus anni diu ſperata pax affulſit inter Pontificem, Carolum, & Franciſcum, ſed ſenſim hæc curanda erat. Primùm initum fœdus inter Clementem & Carolum, causâ Catharinæ & Henrici Romam advocatâ; item inter Carolum & Franciſcum, gravibus quidem conditionibus, ſed ferendis, pace conciliatâ Cameraci, magno bono Chriſtianitatis.

*Italiæ pax redditur.*

Paulò poſt appulit Genuam Carolus V. cum 10. millibus armatorum, aliunde Witembergus cum octo millibus Germanorum. Italis omnibus territis metum abſterſit Caroli & Clementis Bononiæ congreſſus quo turbæ omnes Italicæ compoſitæ ſunt; redditus Principatus Sfortiæ; ſed certis conditionibus; à Venetis emuncta pecunia; Florentinis ſua in Medicæos contumacia magni ſtetit. Sed ut de jure ſuo, & expectatione multa remitteret Carolus V. effecit Solymanus imminens Auſtriæ, effecit & Lutherus domeſticum malum, & Turcico longè pernicioſius.

*Volſæus ab Henrico exautoratur.*

Henricus Volſæum, à quo ſe deluſum putabat in cauſa ſui Matrimonii, exuit Cancellarii dignitate, & relegat Eboracum. Hic bonis pænè omnibus ſpoliatus, cunctis in eum miſerum irruentibus, & vocatus Londinum, ut cauſam læſæ Majeſtatis diceret, in itinere ex dyſenteria obiit; vir ingenio, ſolertiâ, criminibus magnus, quo tamen ſtante Anglia floruit, dejecto præcipitavit. Tractatum eſt deinde divortii negotium inter Theologos, & viros eruditos; Rex ſuos habuit, ſed ſceleratos omnes; Catharina probos tantùm, & amantes veritatis: inter quos cùm emineret Thomas Morus, eum Henricus Cancellarium creavit, ut ad partes ſuas pelliceret. Stetit & à Regina Reginaldus Polus Regis conſanguineus, magnæ expectationis, & doctrinæ juvenis, ſed adhuc majoris conſtantiæ, qui & mortem ſibi paratam Regis manu neglexit, ne veritati deſuiſſe videretur.

*Cauſa ... trimo... Catha... excuſ...*

Turbæ magnæ ſunt inter Helvetios concitatæ propter Zwinglium, & Miſſam abolitam; propter quas Eraſmus Baſileam reliquit, ac venit Friburgum Briſgaviæ, in ditionem Ferdinandi. Ab aliâ parte ſtatutum Spiræ, ut ubique decretum Wormatienſe ſervaretur, nec innovaretur quidquam donec Oecumenicum Concilium celebraretur. Cui cùm Joannes Elector Saxoniæ, Georgius Brandenburgicus, Philippus Landgravius Haſſiæ reclamaſſent, appellati ſunt Proteſtantes, quod nomen deinceps ad Lutheranos & Sectarios tranſiit, & quod politiæ tantùm erat, factum eſt religionis.

*Prote... tes in... mani...*

Celebratum eſt hoc anno Colloquium Marpurgenſe, inter celeberrimos hujus temporis Heterodoxos, quod diſſolutum eſt negante Luthero Zwinglium appellare fratrem. Poſtea Proteſtantes Smalcaldiæ conventum egêre, rati eos deinceps quaſi hoſtes excipere, qui doctrinæ repugnarent ſuæ; mutuoque inter ſe fœdere devincti de Turcis nequaquam cogitarunt: quos in Germania verſari, & potentiores eſſe exoptavit Lutherus, jam Ottomanis deterior, & reformidandus magis.

*Collo... Marp... genſe... Smal... cum.*

Hoc autem tempore Joannes Wayvoda excluſus regno per Ferdinandum Auſtrium Solymano ſeſe ſubmiſit, tributum pollicitus ſi per eum reciperet regnum. Igitur cum magno exercitu Turcos adfuit, hoc eſt cum ducentis millibus armatorum, ac eodem impetu quinque Eccleſias, Albam Regalem, Peſtum, Budam, Strigonium, Altemburgum occupavit, ac reliquis ſeſe certatim dedentibus, Viennam etiam obſedit & eam oppugnavit graviter; verùm fortiùs tutatus eſt Philippus Palatinus Rheni. Quare Solymanus poſt 20. dies acerrimæ oppugnationis, deſideratis ſuorum 60. millibus, receſſit, minatus citò redire cum majoribus copiis; ſed illud citò, duodecim annos tenuit.

*Turc... rump... Hung...*

*Vienn... ſtria... tur, &... fendit...*

MUNDI 5583. CHRISTI. 1530.

Hoc anno coronatus eſt Carolus V. Bononiæ, creavitq; Mantuanum Ducem Gonzagam, Medicæos reſtituit Florentiæ, dato illi Duce Alexandro Pontificis nepote, cum Margarita Cæſaris notha. Adjudicavit quoque Ferrarienſi Duci Rhegium, & Mutinam, fremente licet Clemente, cujus jam iracundiam nihili Carolus victor faciebat.

*Caroli... corona... Imp. B... nia.*

Celebrata ſunt hoc anno, Cæſaris juſſu, Auguſtana Comitia 6. Idus April. ad quod Proteſtantes acceſſere, immo & Zwingliani datâ fide. Confeſſionem concinnavit Melanchthon ex articulis 17. Lutheri, qui iis non interfuit,

*Augu... Comit...*

ne

ne Pontifici insultare videretur; sed ipse Carolus 17. Kal. Jul. capite nudo, & ardentissimo Sole, supplicationi, manu præferens facem. Hic post multas tergiversationes initum inter Catholicos fœdus pro servanda Fide, ut inter Heterodoxos: datumque omnibus spatium ad 17. kal. Majas, ut de re tanti momenti omnes consultarent, & paratiores ad pacem atque concordiam accederent.

Hoc tandem anno recepit liberos suos Franciscus, & sibi desponsatam Eleonoram sororem Caroli, relictam Emmanuelis. Paulò pòst obiit Margarita ejusdem amita Belgii procuratrix, cui successit Maria relicta Ludovici Regis Hungariæ; quando in Flandriam exundavit Oceanus ruptis aggeribus, in Urbem Tiberis, eluvione utrobique metuendâ, & valdè damnosâ.

Obiit hoc anno Actius Sincerus Sanazarius Neapolitanus vates insignis, vitæ suæ 72. comes individuus Friderici Siciliæ Regis in Galliâ, ubi hic Ducatum Andegavensem ex fœdere receperat. Hujus ingenio, atque eruditioni multa concessit Ludovicus XII. eique in patriam restituto bona reddenda curavit, exteris, de more, longè chariori, & acceptiori.

Concessa est denique à Carolo Equitibus S. Joan. Hierosolymitani insula Melita cum viciná Gozo 7. kal. Majas sub feudo unius accipitris in quotannis proregi Neapolitano persolvendi, & professionis clientelæ, quoties novus Princeps adiret regnum. In eam appulsi Equites 9. kal. Novemb. exinde traxere nomen, Ottomanici faces Imperii; quos tantùm Turcæ despiciunt verbo, dum Piratas appellant; sed illi horum convicia egregiè ferro, flammisque retundunt.

---

## CAP. IV.

## *Decas Quarta.*

*Ab anno Christi* 1530. *ad* 1540.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5384. | 1531. |

IN Comitiis Coloniæ celebratis electus est Cæsar Ferdinandus, & coronatus Aquisgrani 3. Idus Januarii, Joanne Saxone reclamante, cum Protestantibus, qui & Regum Franciæ, & Angliæ, implorarunt auxilium: immo & Smalcaldiam rursus convenientes de suâ defensione deliberarunt, si invaderentur à Catholicis, eorumq; causam seditiosissimis libellis de fendit Lutherus. Ferunt Franciscum eis opem esse pollicitum, sicut & Waywodæ Transylvano, si hæc Christianitati non incommodaret. Scribunt aliqui ab eo sollicitatum esse Solymanum, quod nec inficiari possumus nec Hispani probare; certè de ejus animo damnis efferato, & non satis prudenti, omnia Carolo reformidanda videbantur.

Circa hoc tempus restitutæ sunt in Franciâ & Parisiis litteræ, authoribus Guill. Budæo viro doctissimo, & Jano Lascari Græcorum eruditissimo. Electi quoque Professores Franciscus Vatablus, *Watebled*, Hebraicæ, Petrus Danesius, & Jacobus Tussanus Græcæ linguæ Professores, Mathematicarum disciplinarum Orontus Fineus, aliique excellentes viri in Medicinâ, & Philosophiâ, & liberalibus artibus, à quibus factum est ut Rex, indignus licèt, ab omnibus gentibus magnus haberetur: adeo Principibus utile, viros eruditos colere, ex quibus eorum gloria pendet, alioquin, ut in Ludovico XI. vidimus, interitura.

*Litteræ Parisiis restitutæ.*

Quinque Pagi Helvetiorum (Cantones vocant) Lucernates, Urienses, Suitienses, Undervaldenses, & Zugenses, egregiè Catholici, malè accipiebantur à Tigurinis, & Bernatibus Sacramentariis, quorum præcipua erat potentia. Itaque iis denunciatum est bellum 4. Non. Octobr. quo quater victi, eodem mense, licèt numero plures, & Basileensium, ac Schaffusentium auxilio fulti. Primo autem prælio quod 5. Id. Octobr. commissum est, pugnans cecidit Zuinglius, accepto lethali vulnere, oblatus judicibus ut proditor & hæreticus, confiteri negans, flammis exustus est annos natus 44. cor ejus nunquam ardere potuit, cineres magnâ religione collecti à suis, ac deinceps culti. Nec ita multò pòst Oecolampadius in lecto repertus est mortuus, vel à Dæmone, aut ab incestâ conjuge strangulatus: huic successit Henricus Bullingerus Sacerdos Apostata, quem ut alios Sacramentarios capitaliter oderat Lutherus, ut afflatos à Dæmone, cujus ipse conviva fuit.

*Zuinglius cadit in Bellos & cumburitur.*

*Oecolampadius extinctus.*

Eodem anno bellum Helveticum terminatum est victoriâ quam retulere Quinquepagani de Tigurinis, ut Templum & Virginis in Eremo servaretur. Cecidêre Zuinglianorum 5. millia: quibus hæreticorum animi, quamvis contumaces, detumuerunt.

*Quinquepagani victores.*

Procudit hoc anno novam hæresin Michaël Servetus Hispanus, Sacramentarius, Anabaptista, Trinitarius; cui accinuit Joannes Campanus Germanus, Lutheranæ Scholæ desertor, sicut & Georgius Wicelius Hassius, vir doctissimus, quem Lutherus carceri mancipandum curavit, quòd Catholicam fidem defendisset libro, & Lutheranis os oppilasset: hic tamen omissus est, ne alios ejusdem rationis, & virium attraheret.

*Michael Servetus, Et Georgius Wicelius.*

Poloni hoc anno Moldavos Turcarum tributarios variis damnis affecêre, Petrumque eorum Principem tantùm non ceperunt, ac vulnerarunt; Polkutiam regionem sibi ereptam recuperarunt. Quam injuriam dissimulavit Solymanus, & Petrum Polonis jussit facere satis, justus ex necessitate.

*Moldavos Poloni vexant.*

Pontifex hoc anno Basilium Moschum Ecclesiæ reconciliare conatus est, quod ante tentarat Leo, spe coronæ, atque regni. Verùm res ultra litterarum & Legatorum commercia, non processit. Hanc pacem quantùm potuerunt impediere Poloni, ne Crucis auxiliis adversus eos orbarentur.

*Actum de pace inter Moscho, & Polonos.*

Mortua est hoc anno Aloysia Francisci I. mater, paulò tardiùs quàm Gallicæ res exigerent. Tum quoque Rex Conventum juridicum indixit, qui armata manu, nobilibus, & plebi querenti jus dicerent, vulgò *les Grands Jours*, remedium in Franciâ post bella necessarium, ad retundendam

*In Francia Conventus dictus les Grands Jours.*

dendam procerum Tyrannidem, bellatoribus viris, & ex rapto vivere assuetis familiarem.

*Somascharum Institutio.* Hieronymus Æmilianus nobilis Senator Venetus Somascharum ordinem instituit, Clericorum Regularium, quibus curæ est orphanos alere, & artes, ac bonos mores erudire, dicti aliter Clerici S. Majoli de Papia, alio nomine Somaschæ, à loco inter Mediolanum, & Bergomum. Obiit hîc Hieronymus 1531. miraculis clarus, & huic Ordini in Gallia adjuncti sunt Patres Doctrinæ Christianæ (nam ultra Italiam non processit) eorum quasi ramus, sub eodem vexillo atque Generali meruerunt.

MUNDI 5585. CHRISTI. 1532.

*Libertas Germanis data usque adGenerale Concilium.* Celebratus est hoc anno Ratisbonensis Conventus, ubi constitutum est 10. kal. Aug. ut ad usque Generale Concilium in causa religionis negotium facesseretur nemini; unde multi de Carolo questi sunt: sed quid ageret? cùm id bellum Turcicum, id turbata Germania, id ejus familiæ magnitudo postularet.

*Bellum Turcicum magno apparatu gestum.* Bellum Turcicum hoc anno gestum est majori utrimque apparatu, quàm fructu. Ferunt enim in exercitu Carol. numerata esse ducenta sexaginta bellatorum millia, in Solymani castris trecenta equitum millia. Cur non committerentur exercitus effecit Ibraimus Bassa, amicus Caroli, & occultus prævaricator. Narrant tamen Gujusium Hungariæ oppidum à Turcis fortiter oppugnatum fuisse, eos terdecies repulsos esse per Nicolaum Jurisium seu Nicolizzam, sed auxilio S. Martini, qui non inde procul natus erat. Ajunt & Cazanem Waivodam cum 15. millibus Turcorum deletum esse per Fridericum Palatinum in finibus Austriæ; quæ si vera sunt, nec ad obtegendum Caroli dedecus conficta, malè Turcis cessit expeditio; Christianis non satis utilis fuit, nec apparatui, sumptibusque respondit.

*Andreas Auria occultè Turcis favet.* Christianorum res maritimæ non meliùs processere, culpâ Andreæ Auriæ, qui cum longè pluribus navibus Venetis, Pontificiis, Cæsareis, Melitensibus, 70. Turcicas malè armatas capere poterat, immo & ipsam Constantinopolin, absente Solymano; sed prætexuit fœdus initum cum Turcis, immo & Himeralem Præfectum Turcicum admonuit, ut evaderet. Quare audito Solymani ex Hungaria reditu, majori cum pompa, quàm gloriâ rediit.

*Francisc. I. & Henricus VIII. fœdus in CarolumV.* Franciscus I. & Henricus VIII. inter se conveniunt; hic cupiens abrumpi matrimonium suum, ille cupidus recipiendi Principatus Mediolanensis: sed eorum consilia maturior Solymani reditus ad sua, & Caroli in Italiam, disjecit. Idem Carolus antequam pergeret in Hispaniam cum Clemente colloqvutus Bononiæ promissionem de nuptiis Henrici ab hoc obtinuit, quàm nemo sapiens poterat denegare.

*Franciscus Delphinus Dux Britanniæ.* Creatus est hoc anno Franciscus Delphinus, Britanniæ Dux, in Comitiis Venetensibus, ut omnis deinceps tumultuandi causa tolleretur.

Christiernus crudelis ille Daniæ Rex, dum recupearre nititur sua regna, captus à patruo suo Friderico datus est in carcerem, in quo vixit ad annum usque 1559. hæreticis illis inter se agentibus dolo, apud quos cùm nulla sit divina fides, jacet etiam humana. *Christ... nus D... carceri mane... tur.*

*Andr. ... letinu... Mart.* Hoc anno, quo Andreas Spoletinus Minorita, in mediis flammis illæsus prædicavit fidem Fessæ, atque uti magus lapidibus obrutus à Mahumetanis, Clemens Congregationem Recollectorum S. Francisci approbavit, & Conventus eis commodos dari præcepit: unde tamen concitatæ sunt lites, quas nondum tempus extinxit. *Recoll. appro...*

MUNDI 5586. CHRISTI 1533.

*Veneti Turci fligu...* Certatum est hoc anno Turcos inter & Venetos; victus & captus à Canali Præfecto classis Venetæ Morus Alexandrinus pirata cum 13. navibus; & Solymanus victi atque victoris accepit excusationem, cùm hic pugnare se voluisse cum Ænobarbo piratâ mentitus esset, ille cum Andrea Auria. Ænobarbus enim seu Barbarossa Mitylenæus, aliter Hariadenus dictus, totius maris Beglierbegus constitutus erat, ablato Imperio maris Saniaco Callipolitano: præerat insuper Algerii regno, quod vel occuparat, aut acceperat à fratre hæreditarium, exautorato Selimo Arabe legitimo Rege. Hoc autem Solymanus usus est deinceps magno Christianitatis damno, quam suis excursionibus sæpe vastavit, solo deinceps nomine littoribus maris interni terribilis. *Æno... bus...*

*Henr... VIII. ... uxor...* Henricus VIII. Annam Dolenam sibi sumit uxorem, causâ divortii per Thomam Cranmerum Archiepiscop. Cantuariensem dijudicatâ, quæ causa præcipua fuit cur Clemens cum Francisco I. colloqueretur in Gallia, ut tanto huic malo provideret, quod multorum malorum videbat esset seminarium. Susceptus est autem Massiliæ cum Cardinalibus à Rege magnificè, de more: nullum tamen initum fœdus, nihil de Anglo publicè factum, aut dictum: creati tantùm aliquot Franci Cardinales: adeo ut si de rebus in speciem pronunciare licet, visus est tantùm Pontifex in Galliam venire, ut se liberum esse demonstraret. *Clem... veni... Galli...*

*Luth... cum... ne col... tur.* Clemens proponit conditiones aliquas Protestantibus, quas, optimas licet, Elector Saxonicus rejecit: Tunc Lutherus cum dæmone collocutus, ostendit cujus fidei professor esset, quæ talem Magistrũ nanciceretur: ex eo colloquio Missam abolere, Eucharistiam retinere decrevit; ineptissimè, qui victimam divinam admitteret sine sacrificio.

*Cong... tio B... bitar... appr...* Probata est hoc anno Bononiæ à Clemente congregatio Clericorum Regularium sancti Pauli decollati, erecta Mediolani à tribus nobilibus viris excitatis, à Seraphino concionatore Canonico sancti Augustini. Hi adhortantes populum publicis expositionibus Epistolarum sancti Pauli Apostoli, multis profuere, & allectis aliquot sibi sociis in Ecclesia S. Barnabæ Mediolani dicti Barnabitæ, post biennium à Paulo III. confirmati, sese utroque nomine dignissimos ostenderunt.

Obiit

Obiit hoc anno Basilius Moschorum Dux, ætatis anno 47. relicto filio Joanne Basilide quinquenni. Sub hujus tutelâ variis motibus est concussa Moschovia, dum Joannes adolesceret non tam ad Imperium, quàm ad crudelitatem, quâ patrem suum longè superavit, licet Principum suæ ætatis omnium impotentissimum.

Denique mortuus est hoc anno Joan. Georgius Marchio Montisferati, Patruus Bonifacii, cui successerat, relicto Principatu Friderico primo Duci Mantuano. Is Margaritam Bonifacii sororem duxerat uxorem: sicque duæ ditiones in unum Principem recidere, potentiorem factum, non quietiorem.

MUNDI 5587. CHRISTI. 1534.

Solymanus Christianis offert pacem, quam recipere dum cunctantur, Coronem, Patras, & aliquot alia loca perdidere. Irruit enim in eos cum classe 100. triremium Barbarossa, quâ non tantùm firmavit Turcis Græciam, sed & oram Italiæ fœdè vastavit, occupaturus Neapolin, & Romam, si tentasset. Sed divertit in Africam, ut ejecto Muleasse Tyranno, Roscetem primogenitum legitimum Regem ejectum restitueret; quod & præstitit, eumque compulit, fide Solymano datâ regnare precariò.

Aliunde Solymanus Persas invasit suasione Ibraimi Bassæ, vel Vlamanis profugi qui sororem Tamnasi duxerat: ac principio nullus occurrit Turcis, quare facilè Taurisium, Assyriam, Babyloniam occuparunt. Sed collectis viribus, paulò post Tammasus & Taurisium recepit, & impedimenta Solymani diripuit, factus ex calamitate sua felicior, & opulentior.

Impulsus est hoc anno Henricus Anglus in ruinam, quam ipse sibi paraverat, multis adversus Pontificem gestis, in quibus prudentia desiderabatur. Hanc tamen inhibuisset Franciscus I. per Joannem Bellæum Episcopum Paris. si huic Romæ esset adhibita fides. Nam Henricum continuerat in officio, & à Clemente tempus obtinuerat; quod cùm elapsum esset, & moras nectere videretur, uno conventu peractum, quod tribus fieri prudentes optassent. Itaque sententia lata est biduo antequam veniret ab Anglo Nuncius cum amplissima potestate: verùm jam alea jacta erat, & hic anathemate fulguritus 9. Kalendas April. cùm tamen nihil aliud peteret, quàm ne audirentur suspecti Cardinales, in sua causa, & Conventus haberetur Cameraci de hoc negotio; qui si celebratus esset, Catharinâ post 10. menses demortuâ, rem eò loco statuisset, quo locatam esse magno emere postea Pontifex, & Ecclesia peroptavit.

Hoc accepto nuncio, se caput Ecclesiæ Anglicanæ vocat Henricus, Papam in Anglia nominari vocat, & à quoquam adiri; Catharinam ornamentis Regiis spoliat, ejus filiam exhæredat, substitutâ ei prostibuli filiâ Elizabetâ; obsistentes sibi Fischerum Roffensem Episcopum, & Thomam Morum, aliosque complures carcere mancipat, factus ex Ecclesiæ defensore Diocletianus. Hoc ejus factum improbavere Lutherani, Calvinus irrisit, Franciscus I. rejectis etiam Henrici Legatis, sese primogenitum ostendit Ecclesiæ.

*Ioannis Calvini initia.* Ad hunc annum præter propter spectant initia Joannis Calvini. Hic Biturigibus studens, à Melchiore Wolmario, & linguam Græcam, & venenum hausit; quod dum disseminat in patria sua atque Parisiis, igne combustus esset hæresis causâ (non abominandæ Veneris quam aliqui confinxere) nisi maturè fugisset. Perrexit igitur in Germaniam, ubi Phil. Melanchthonem, Sarcerium, Oecolampadium magistros habuit erroris, omnes facilè superaturus, in Galliam cùm rediisset, medius inter Lutherum & Zwinglium stetit; voluit enim Christum verè, & οὐσιωδῶς inesse cœnæ, nihilominus figurate, & *Sacramentaliter*, quod tamen ex Wicleffistis hauserat, sed verbis adornarat. Hanc hæresin primùm vulgavit in hortis Pictaviensibus, nactus aliquot discipulos quibuscum *manducationem*, ut vocabat, celebravit; quorum unus restitit Pictavii, assumpto nomine Collectoris, *le Ramasseur*, alter Boni Viri *le Bon Homme*, qui Franciam universam veneno suo inficiendâ suscepere. Vir autem ille Bonus professus in *Ministraria* Pictaviensi (sic dicitur Pictavii Auditorium Juris) Minister appellatus, nomen suum, sicut hæresin, Calvinianorum proceribus & prædicantibus reliquit; atque ex tam tenuibus initiis extorta lues, tot bellorum, incendiorum, cladium per Europam seminarium fuit. *Ministri unde dicti?*

*Monasterii Rex Bocoldus.* Monasterium, nobilis Westphaliæ civitas, turbata est, constituto in ea Principe Bocoldo sartore Lugduni Batavorum, qui *se Regem Justitiæ* dixit, per orbem suos Apostolos misit cultum ipse Regis, uxor ejus Reginæ ornatum assumpsit, civibus hujus urbis ita delusis, ut meritò omnes insaniisse putarentur.

*Clementi VII. succedit Paulus III.* Obiit hoc anno 6. Kal. Octob. Clemens VII. ætatis 54. cum mensibus 4. ubi sedisset annos 10. cum 10. mensibus, ac diebus 7. vir magni ingenii, sed callidi, ideoque meticulosi; qui dum omnium gratiam sibi conciliare voluit multorum perdidit. Huic suffectus est 3. Id. Oct. Alexander Farnesius, annos natus 67. coronatus 3. Non. Decemb. dictus Paulus III. singulari omnium gentium lætitiâ quibus magnam spem, nec inanem de se concitavit.

*Initia Societatis IESV.* Eodem anno Parisiis in æde sacra montis Martyrum jacta sunt fundamenta Societatis JESU per Ignatium Loyolam nobilem Cantabrum, vulnere Pampelonensi ad Christum conversum, & ad ejus sequenda vestigia mirabiliter inflammatum. Nactus ille Socios novem, Fabrum, Xaverium, Lainium, Salmeronem, Bobadillam, Simonem Rodericum, Jajum, Codurium, & Broëtum, tum Scholasticos Parisiensis Academiæ, votis quibusdam nuncupatis, orbem universum addicendum Christo, sub B. Virginis patrocinio, suscepit; atque ex diversis gentibus, tum odio capitali inter se disjunctis, Ordinem instituit, quo nullus alteri aut citiùs dilatatus est, aut plus Ecclesiæ profecit, invidiâ major, bonis

bonis omnibus charus, ſceleratis tam exoſus, quam metuendus.

*Mortui Card. Cajetanus, Philippus, Villerius, Cornelius Agrippa.*

Mortui ſunt hoc anno tres magni viri; Thomas de Vio Cardinalis S. Sixti Cajetanus ex Ordine S. Dominici, vir ſane doctus, quamquam in quibuſdam titubaſſe viſus ſit, neque ſatis prudenter egiſſe in causâ Lutheri, ut ii credunt, qui ex eventis facta metiuntur. Præceſſerat eum Philippus Villerius Melitenſium Equitum magiſter, etiam perdita, & redditâ Rhodo glorioſus. Ac denique Henricus Cornelius Agrippa mortuus Gratianopoli; aut Lugduni in ignobili diverſorio, omnium rerum egenus, præterquam eruditionis, quam tamen Necromantiâ creditur infeciſſe; atque ejus ſcripta meritò ex Catholicorum manibus excuſſa ſunt, quæ nemo abſque crimine, vel ſaltem periculo legerit.

MUNDI CHRISTI.
5588. 1535.

*Solymanus Turcos invadit*

Solymanus, traductâ hyeme Babylone, Tauriſium regreditur, eamque urbem militi diripiendam objicit, atque vaſtandam, ejus incolis abductis Conſtantinopolin, quò ſtatim ille regreſſus eſt. Eum inſecutus Tammaſus cum magnis copiis; ſed cùm eum opprimere ſuo gravi equitatu deſperaret, reliquit Delimenti Duci ſuo fortiſſimo, idque exoptanti leviores equitum alas, quibus recedentes Turcos carperet. Ejus tamen conatus eluſit Solymanus, & ſuos præſtitit tutos ad Tauri montis uſque radices, & oppida Betlin, & Amidam.

*Delimentes Perſa Turcos delet.*

Hîc cùm Turci quaſi periculis omnibus perfuncti ſeſe reficerent, 3. Idus Oct. pluvio â nocte deleti ſunt grandi clade, impedimentis, tormentis, omnique bellico apparatu ſpoliati. Sic redit in Urbem inglorius Turca, cùm in ea expeditione quadringenta hominum millia perdidiſſet; unde abjecit cogitationem omnem perficiendi belli; immo & Ibraimum Baſſam hujus authorem, proditionis cum Carolo V. & Chriſtianis inſimulatum, dormientem interimi juſſit, ne falleret huic datam fidem, ſe nunquam ei vivo nociturum, cùm dormientem non vivere, ſed mortuum eſſe à Taliſmane ſuo didiciſſet.

*Ibraimus Baſſa dormiens cæſus.*

*Mervelius cæſus Sfortiam & Franc. I. commiſit.*

Mervelius Mediolanenſis civis, ſed domeſticus Franciſci Regis, ejuſque ad Sfortiam Legatus, in carcerem conjectus ob rixam, atque cæſus, adnitente Carolo V. Franciſcum & Sfortiam commiſit. Periit ille tranſitum à Duce Sabaudo avunculo ſuo, & negatum extorſit, captâ etiam Auguſtâ Taurinorum, & totâ ferè ejus ditione, unde alia ex aliis enata ſunt bella, tam inferentibus, quàm accipientibus pernicioſa; multo ſanguine, unius hominis (de cujus legatione dubitabatur) manibus litatum eſt.

*Franc. I. hoſtis Sacramentariorum.*

Franciſcus I. hoſtem ſe Sacramentariorum præbuit, in ſupplicatione publicâ facem nudo capite præferens, & aliquot impiis in machinâ lento igne, ad aliorum terrorem, horribiliter crematis: nihil tamen propiùs factum eſt, quàm ut per Margaritam ſororem ſuam Navarræ Reginam in tranſverſum ageretur; ſed non tantùm ipſe ſervatus eſt, ſed & revocata ſoror per Cardinalem Turnonium. Interim Calvinus, martyrium exoſus, Baſileam fugit, ubi *Inſtitutionem* ſuam condidit, Gallicè primùm, deinde Latinè, mutatis tamen ſubinde titulis, ne redargui poſſet. Venit & Ferrariam, ut Renatam Ludovici XII. filiam uxorem Herculis Ferrarienſis inficeret hæreſi; unde tamen anno ſequenti Genevam fugit, ut civium ejus tutus eſſet rebellione, cui facilè ſolet hæreſis adhæreſcere. Enimvero circa hoc tempus Geneva corrupta eſt per Guill. Farellem Vapincenſem, & Petrum Viretum Orbenſem, indormiente Petro de Balmâ Epiſcopo, qui ejectus ex ovili ſuo, miratus eſt, dum non ſatis invigilat caulam ſuam lupis patentem, verum paſtorem nequaquam ferre potuiſſe.

*Fugi… vim… ſi en… cond… am… tion…*

*Far… & … Gen… occu…*

Ad Smalcaldicum Conventum miſere Legatos ſuos Franciſcus & Henricus; hic jam hoſtis Eccleſiæ invitans Proteſtantes ut Concilium indictum Mantuæ ſpernerent; ille ſupplicia de hæreticis ſumpta excuſaturus; ſed ita tamen ut eorum captare gratiam, horrere Fidem teſtaretur.

*Leg… Fra… I & … VIII … cal…*

Henricus hoc anno Fiſchetum & Morum ſuſtulit, & illum quidem in carcere creatum Cardinalem; quorum capita in conto exponi juſſit, & Joannis quidem nunquam contabuit; quod ne contingeret Thomæ capiti, id excoqui juſſit ad horrorem, utriuſque corpus raptim ſepultum, cùm id prohibitum eſſet à Tyranno, ultra mortem ſæviente. His acceptis Paulus III. ſeveriſſimam in eum ſententiam parat, quæ toto tamen triennio ſuſpenſa eſt, orantibus Principibus, ut ad ſanam mentem Rex impius revocaretur; ſed inſaniit magis expilatis 376. Monaſteriis, unde quingenta aureorum millia confecit, ipſe tamen inops, quia impiè parta, luxurioſè ſpargebantur.

*Fi… & … caſi…*

*Hen… exc… nic… ma… ſan…*

Monaſterium, civitas obſeſſa, ſeſe fortiter contra Epiſcopum ſuum tuetur; & licet ejus cives liberorum ſuorum carnibus veſcerentur, opiparè nihilominus alebant Regem ſuum, & de cœlo ſperabant auxilium. Tandem hæc proditione capta eſt, Rex cum præcipuis fautoribus candentibus forficibus diſcerptus. Ferunt tamen ad plures annos hoc regnum perduraſſe, & tres huic Regi deinceps ſuffectos eſſe Anabaptiſtarum Reges omnes infelici caſu ſublatos: Joannem Bruxellis capite minutum; Cornelium, Ultrajecti; Joan. Guillelmum 20. uxorum maritum, Clivis 1580. poſt diuturnum carcerem, lento igne toſtum; ſicque impoſitum finem Regno Monaſterienſi, quod tandiu fanaticorum hominum fovit inſania.

*Mo… um… Cap… Rex… tur… gn…*

Carolus V. expeditione in Africam ſuſceptâ Muleaſſem reſtituit regno, Goletam arcem cepit, Barbaroſſam magno prælio ſuperavit, ac Tunetum fugere compulit; in eâ urbe mox obſeſſus eſt. Captâque mox per captivos Chriſtianos arce, ipſe evolavit, aſſerti in libertatem Chriſtianorum 20 millia. Urbs direpta eſt, in quâ res pretioſiſſimæ diſſipatæ ſunt, nullo diripientium fructu, magno perdentium mœrore; ſic regnum inops Muleaſſes egentior adiit.

*Car… Reg… Tu… tum… Mu…*

Barba-

Barbarossa autem Hipponam delatus, inde pariter insequentium incuriâ evolavit, ac venit Algerium ubi reparavit classem, quâ Minorem Balearem occupavit, & vastavit, sicut & multas Christianorum oras; receptusque Constantinopoli tanquam victor, quia non desperasset. Verum autem triumphum egit Neapoli Carolus, non aliam ob causam, quàm quòd deteriorem Saracenum adversus minùs malum Mahumetanum defendisset.

Obiit hoc anno Franciscus Sfortia Mediolani Dux ἄτεκνος cujus Ducatum arrogabat sibi Franciscus I. jure ex aviâ Valentinâ repetito, quod Maximilianus Cæsar confectis etiam tabulis probaverat. Cæsar tamen hanc opimam prædam retinere statuerat; itaque Principatum Antonius Leva statim occupavit, quem Carolus ostentavit semper Francisco; verùm quem fallere potiùs, quam exornare decreverat.

MUNDI 5589. CHRISTI 1536.

Mortua est hoc anno Catharina legitima uxor Henrici VIII. anno ætatis 50. partim ex mœrore, partim ex loco parum salubri in quem secesserat. Ab eâ scriptam Epistolam Rex cum lacrymis legit, & aulicos omnes suos pullatos esse voluit; contrà Anna flavi coloris induit vestem indicem lætitiæ suæ, sed quam statim ingens mœror excepit; facta est enim odiosa Regi, cùm ob editam molem carneam, tum quia Joannam Semeiram ejus famulam deperibat: Itaque postulata est adulterii, & incæstus cum fratre Georgio Bolleno; atque utriusque criminis convicta 14. Kal. Junii, publicas pœnas capite luit; ad Semeiræ, quam capitaliter oderat, locum ac thalamum reliquit. Exinde nulla in Angliâ religio nisi voluntas Regis, cujus se dicebat caput, vix tamen tribus Anticyris sanandum.

Carolus V. triumphans ingressus Romam, multa primùm hîc in Franciscum deblateravit, mox palinodiam recinuit; priora tamen ejus dicta gravi Apologiâ diluta sunt; sed hanc contempsit in fortiorem machinam intentus. Suadente enim Marchione Salutiarum Francisci subdito, atque proditore, & Antonio Levâ Hispano, cum magno exercitu Provinciam ingressus est, Aquas Sextias desertas occupavit, & aliquot minora oppida. Nunquam Franci pugnavere sapientiùs, authore Annæo Mommorantio Mareschallo, postea Connestabili. Cibaria enim omnia delata sunt in munitas urbes, vel corrupta; incensæ molætrinæ omnes, relictæ tantùm vites & fructus in arboribus, quibus dum utuntur copiosiùs Cæsariani passim periere. Frustra ab iis tentata Massilia, Rege geminis castris semper iis imminente; quare Carolus relictis hîc suorum viginti millibus, morbo ferè consumptis, celeriùs quàm venerat trajecit Alpes, cum desperatione Franciæ unquam invadendæ.

Tum autem obiit Turnovii Delphinus Franciscus, annos natus undeviginti, omnibus corporis & animi donis armatus, ex veneno, uti vulgò creditum est. Certè & Sebastianus quidam Italus Comes Monteculus, quæstioni subjectus, seu ut tormenta finiret, seu quod ita res se haberet, mortis hujus accusavit Antonium Levam, & Ferdinandum Gonzagam Siciliæ Proregem, culpâ obliquè in Carolum V. derivatâ, quam omnes à se conati sunt amoliri. At Sebastianus publico judicio damnatus Lugduni, equisque in diversa incitatis per χιασμὸν distractus, non minuit tanti sceleris suspicionem.

Indictum est hoc anno Generale Concilium Mantuæ inchoandum 10. Kal. Junias anni sequentis: sed hanc urbem meritò Fridericus recusavit, impar ipse huic oneri ferendo; quare subiecta Vicentia, ac denique Tridentum: ubi demum confectus est consessus ille, tot votis, & toties ab omnibus expeditus. *Mantuam recusat Fridericus ad Conc. General.*

Obiit hoc anno Basileæ, in quam remigraverat, Desiderius Erasmus, ætatis anno circiter 70. olim Eremita Augustinianus, postea liber, & litteris tantùm incumbens, lustratis omnibus Europæ Academiis, Monachorum hostis acerrimus. Fama est Paulum III. cogitasse de eo inter Cardinales cooptando; quod Ecclesiæ magis, quàm ipsi profuit, cùm purpuræ hujus expectatione in castris Catholicorum retentus esse perhibeatur. Ejus opera omnia 9. vægrandibus tomis Basileæ procusa sunt, in quibus nonnulla reprehendit Franciscus Titelmanus Minorita, postea factus Capucinus, quem unum reformidabat Erasmus: at obiit Titelmanus anno sequente Anticoli in Italiâ, magno rei litterariæ, majori Ecclesiæ dispendio. *Moritur Erasmus.* *Titelmanus Capucinus.*

Pax demum inita est inter Ferdinandum, & Joannem, Hungariæ regnum prensantes apud Vaciam oppidum, utrimque conditionibus honestissimis; ex quo fœdere intellectum utrumque bellis fatigatum esse, & exhaustum, tumque sperandam pacem quando hanc gravia bella præcessere. *Pax inter Ferd. & Ioan. inita.*

Nuncius hoc anno perlatus est Olysipponem de urbe Diu magni momenti in insulâ, cum nobili emporio Lusitanis traditâ à Badurio Rege Cambaiæ, ut pacem redimeret à Nonnio Acunâ Indiæ prorege; quod jampridem Joannes exoptabat. In eâ arx munitissima extructa est, quæ Badurium tegeret si quando ab hostibus vicinis premeretur, & thesauri ejus, uxorum ac liberorum esset receptaculum; minùs tutum tamen in manu suâ, quàm Lusitanorum. *Diu Vrbs tradita Lusitanis.*

MUNDI 5590. CHRISTI 1537.

Decrevit hoc anno Solymanus, ut Græcorum civitates, quæ vi captæ essent, carerent Ecclesiis, neque in iis divinum officium celebraretur. Itaque oblati sunt duo Turcæ Janizari Hadrianopolitanis, centenariis majores, & qui interfuerant Constantinopolis expugnationi, auro corrupti, ut dicerent claves Urbis oblatas fuisse Mahometi à Constantino: quod mirum est aut credidisse Turcos, aut credere voluisse. *Decretum Solymani de Ecclesiis Græcorum.*

Hoc anno ineunte Jacobus V. Scotiæ Rex Margaritam Francisci I. filiam primogenitam duxit uxorem, magno Scotorum gaudio, irâ Henrici VIII. *Iacobus V. Scotus ducit Margaritam, eaque mortua Mariam.*

ci VIII. ſed utrumque breve fuit,eâ ſtatim demortuâ. Itaque Mariam Guiſii Ducis filiam, & Longavillæi Ducis relictam duxit, prudentiſſimam fœminam, quæ Scotorum de Margaritâ dolorem utcumque demulſit.

*Alex. Medicæus cæditur.* Alexander Medicæus Princeps Florentinus Caroli V. ſocer, cæſus eſt à Laurentio Medicæo conſanguineo, dum fingit ei matronam adducere, quam deperibat. Attonitus tamen hác cæde Laurentius, non eſt auſus,uti decreverat, populum ad libertatem vocare ; ſed Venetias fugit, ſtatimque proſcripti caput addictum eſt 7. millibus aureorum.

*Succedit ei Coſmus filius.* Suffectus ergo patri Coſmus Medicæus annorum duodeviginti,magnæ expectationis adoleſcens , adnitente Guicciardino hiſtorico, aliiſque, Principatum diu, & ſapienter adminiſtravit.Laurentius autem fugit Conſtantinopolin; ubi veritus ne à Solymano dederetur, regreſſus Venetias , à duobus militibus interfectus vitam.& patriæ libertatæ gloriam perdidit.

*Franc. I. ſocietatem init cum Solymano.* Sub initium quoque hujus anni in Parlamento Parium Franciæ dicta dies Carolo V.uti rebelli,tamen contra tractatus Madritenſem & Cameracenſem , eiq; bellum indictum eſt per fecialem. Sed & Franciſcus cum Solymano fœdus iniit ut eodem tempore Franci Inſubriam, Turcæ Calabriam, Apuliamque tentarent. Itaque Aulone ( hodie *Valona*) Barbaroſſa in Salcentinos ſolvit cum Lutz in Baſſa,quos ſecuturus erat mox ipſe Solymanus ; at Franciſcus ſtare pactis non potuit ; unde à Turcis contemptus, à Chriſtianis irriſus , ex flagitioſo fœdere minùs fructus , quàm dedecoris retulit.

*Barbaroſſa diripit Italiam.* Barbaroſſa interim emiſſo in continentem equitatu totam regionem vaſtavit , quæ inter Brunduſium & Tarentum jacet,multis captivis , pecore omni , armentoque abactis ; inde in Venetos iram , copiaſque convertit , ſed has repreſſit Corcyra : Carolus Solymanum modis omnibus flectere conatus, oſtendit ſe plus Neapolitani regni & honoris ſui , quàm Chriſtianitatis ſollicitum fuiſſe.

*Clades Chriſt. in Hungaria.* Aliunde acceptæ ſunt geminæ in Hungariâ clades à Turcis, Eliſiâ urbe captâ, & ad Eſſekum multis Chriſtianorum trucidatis , cum ſuis ducibus , omnium nationum;quâ clade nulla viſa eſt ſimul turpior atque funeſtior.

*Smalcaldiæ Conventus.* Smalcaldiæ Proteſtantes repudiabant Mantuanum Concilium , repudiabat & Henricus VIII. Franciſcus, *more majorum*, haberi volebat. Cùm ergo vidiſſet legatus Heldus à Carolo miſſus ſpretum Pontificem in Legato ſuo, huic præferri ab Heterodoxis Lutherum , de vero Concilio habendo cogitat in Conventu Nurembergenſi ; ita tamen ut hæretici, de more, erroris ſui , quàm Catholici veritatis tuendæ ſollicitiores viderentur.

*Lutheri ſecta in Dania,& Suecia recipitur.* Mutatus eſt in Daniâ à Chriſterno III. Eccleſiæ ſtatus, inductâ Lutheri ſectâ, & 7. Superintendentibus pro 7. Epiſcopis ; quod & in Norvegiâ factum ; jactique antea in Sueciâ à Guſtavo, Jo. Magno Archiepiſcopo Upſalenſi Apoſtolicæ Sedis Legato nequicquam reclamante , qui tum plus Eccleſiæ patientiâ ſuâ , quàm labore profuit.

Hoc anno Sicilia à Kal. Maji inſolitis motibus intremuit ſimul & intonuit per 12. dies;hiatus poſtea aliquot aperti torrentes igneos emiſerunt , obvia quæque diſſipantes toto quatriduo à quibus Catanenſes, oppoſito S. Agathæ velo, liberati ſunt ; inde multùm cineris egeſtum ex cratere Æthnæ montis , cujus apex magno cum mugitu ſubſidens , & ingenti hiatu abſorptus finem periculo ,atque indigenarum timori , dedit.

MUNDI 5591. CHRISTI 1539.

Initum eſt hoc anno nobile inter Chriſtianos fœdus, paratæque ducentæ triremes , centum naves, quinquaginta hominum millia, ducibus claſſis Andreâ Auriâ , terreſtris exercitûs Ferdinando Gonzagâ Prorege Siciliæ. *Expe... Chriſ... per ... am ... citur* Nunquam majori alacritate bellum ſuſceptum (adeo ut de ſpoliis jam ageretur) nullum fœdiùs geſtum ſocordiâ Auriæ vel proditione. Nec enim navibus 250. Barbaroſſam cum 150. invadere voluit, ſed turpiter ad Leucadem receſſit ; & eodem poſtea offerente certamen , frementibus Chriſtianis, recuſavit, eorumque alacritatem variis circuitionibus ac flexibus eluſit,non ſine certiſſimâ notâ inuſitati timoris,aut proditionis ; quod dedecus nullo Sigonii de Auriâ & Venetis mendacio unquam obliterabitur.

*Inſe... pedi... lym... Indi...* Suſcepit hoc anno Solymanus in Indiam adverſus Luſitanos expeditionem , cui præfecit Solymanum Eunuchum Epirotam Ægypti præfectum,cum claſſe quam Sueſii in Arabico Sinu magnis ſumptibus ædificavit. Ac primùm claſſis Adenum appulit , cujus Regem Turcus ad ſe vocatum. Mahumetanum licet, & omnia liberaliter claſſi ſufficientem , ſuſpendit ex antennâ Prætoriæ navis , atque ex eo tempore Adenum Turcis paruit. Inde Divim appulit pridie Non. Sept. Badurio jam mortuo , quem Nonius Acena ad ſe accedentem amicè , quaſi Luſitanos perdere voluiſſet , perfidioſiùs interemerat. *An... ver... tite... tur Di...* Obſeſſa igitur à Turcis Arx Dienſis, cui præerat Antonius Sylveria, & quàm fortiter ad miraculum tutatus eſt , 40. tantum è ſuis ſuperſtitibus (reliquis cæſis aut vulneratis) qui oblatas omnes conditiones repudiarunt. Quare audito auxilii adventu obſidionem turpiter ſolvit Solymanus; ac rediens in Zebethi Regem & urbem amicos, & Mahumetanos licet, iram effudit ; indeque perrexit Meccam, ut in Pſeudoprophetæ fonte crimina ſua , & ignominiam ablueret. *Ind... 335 ...* Tunc autem ad Nonium Proregem acceſſit è gente Gangaridum ſenex, qui ſine fraudis ſuſpicione probavit ſe vixiſſe annis 335. dentibus ſubinde cadentibus , & renaſcentibus, & barbâ canâ decidente, ut nigræ locum relinqueret : quæ tam certis teſtimoniis confirmata, miſſa ſunt in Luſitaniam , ut nullus dubitationi relinqueretur locus ; quare ibidem decretum ut aſſignatus à Regibus Cambienſibus cenſus annuus, nomine deinceps Joannis ei numeraretur.

*Co... nn... & V. Ill... ca...* Hoc quoque anno Paulus III. conatus ad concordiam revocare Franciſcum & Carolum ; ideo Pontifex , licèt ætate gravis, Nicæam venit, Cæ-

nit, Cæsar Monæcum, Franciscus Villam Francam, qui ambo Pontificem salutarunt; sed ut colloquerentur ambo, adduci non potuerunt. Hic Franciscus obtinuit Indultorum confirmationem Senatoribus Parisiensibus à Pontifice, quod quomodo fiat, & quàm syncerè, non est hujus operis dicere. Tandem Principes, agente potissimùm Eleonorâ, ad Aquas-Mortuas, *Agues-Mortes*, convenerunt ex condicto, & se magnâ amoris significatione complexi sunt: egit tamen simpliciùs Franciscus, callidiùs Carolus, uterque indolis suæ fructum, hic utilitatem, ille gloriam retulit.

Concilium translatum Vicentiam dilatum est in anni sequentis Pascha; & spem injectam de revocandis Protestantibus Lutherus evertit. Ejecti quoque tum Genevâ fuere Farellus, & Calvinus, quasi malè de Christo, & Trinitate sentirent. Hic autem Argentoratum secessit, ad quem confugêre multi ex Belgio, & Franciâ, ubi exagitabantur. Ibidem quoque uxorem duxit Ideletam viduam, ex quâ nullos suscepit liberos, ne tam infamis hominis vita propagaretur.

Hoc anno Henricus VIII. crudelitati suæ laxavit fræna, sicut & insaniæ. Sanctum enim Thomam Cantuariensem expunxit ex Sanctorum albo, ossa ejus ex aureâ thecâ, gemmis distinctâ, traxit, & comburi jussit carnificis manu, & cineres in ventum spargi. Hunc ideo pœnis Ecclesiasticis subjecit Pontifex, quibus ad officium revocaretur; sed mentem miser cum Fide perdiderat, una Dei manus poterat Ecclesiæ Anglicanæ laboranti subvenire.

MUNDI 5592. CHRISTI. 1539.

Convenere hoc anno Francofurtum Catholici atque Protestantes, hi jam illis propè numero pares, & audaciâ superiores, absente Carolo, & Ferdinando non satis constante atque forti. Itaque Pontifex suspendere Concilium coactus est, quia Heterodoxi erant in suis rebus aptandis, quàm Catholici sollicitiores. Accessit & aliud malum, Georgii Saxonis mors egregiè Catholici; ideo à Luthero conniventibus ejus patruelibus malè accepti. Qui licet Ecclesiæ benè providisse videretur, relictâ ditione suâ Henrico fratri, eâ lege ut nihil immutaretur, alioquin hæc Imperatori cederet; quia tamen fœdere Smalcaldico continebatur, omnia sibi licere putavit iste, cuncta mutavit in Misniâ, eamque Lutheranus ipse Lutheranam effecit.

Hoc tempore Hæretici in Scotiâ flammis cremati sunt, aut ejecti, inter quos Buchananus excucullatus Minorita, Poëta melior, quam Christianus; non tantùm Lutheranus, sed & Judæus, Agnum Paschalem edisse convictus in Quadragesimâ, aut veriùs nullius religionis, quàm ventris & gulæ, ob ingenium malè subductus est flammis, & reservatus non tam ad scribendam Historiam, quam Satyram in Catholicos.

Henricus VIII. fluctuabat inter Catholicum, & hæreticum, sed jam hæretico deterior; tunc autem avaritiæ habenas laxavit, omnia monasteria tam virorum, quàm mulierum addixit fisco; monachos expulit, aut necavit, disjecit cœnobia, eorumque reditus addixit nobilitati, quò eos tenaciùs retineret; coëgit quoque Catholicos divites ad eos emendos; ut ex eorum sceleribus ipse quoque fieret scelerator.

Ecclesiæ igitur tam graviter laboranti in Septentrione, Hungariâ, Germaniâ, Angliâ, Franciâ, hoc anno suffecit Deus Societatem JESU, tam malis invisam, atque terribilem, quàm bonis amabilem, atque fructuosam. Hanc enim hoc anno Tibure, 5. Non. Sept. Paulus III. approbavit verbo, atque hoc nomine, cùm Concilio Generali, insignivit; cui nomini hæretici frustra, & hæreticorum fautores ridiculè ogganniunt. *Probatur à Paulo III. Societas IESV.* Hujus autem instituti, quod Ignatio indicarat Christus ipse, hæc summa fuit, ut qui se huic addicerent, præter Dei gloriam, salutemque suam ac proximi curarent nihil, in id curas omnes suas, labores, vitamque ipsam impenderent, ad salutem hominum curandam ire parati quocumque à Pontifice mitterentur, solo Deo subnixi, cui nec homines nec Dæmones prævalerent. *Institutum Societatis IESV.* Cæterùm regimen hujus Ordinis Ignatius admirabili vir ingenio, ex tribus statibus bonis (quod Philosophus optabat) temperavit, Monarchico in Generali, Aristocratico in Assistentibus, Timocratico in Procuratoribus tertio quoque anno mittendis Romam; quibus omnibus prævaleat legitimè congregata Societas; politices genere à viris maximis nondum satis laudato, probatoque. Ad hæc in eo Ordine retinuit viros pietate & eruditione præstantes, dum eos ab Ecclesiæ dignitatibus modis omnibus, etiam emisso voto, arcuit; expulit autem alios nec sibi, nec aliis utiles, & fortè perniciosos, retentis aliis per varias probationes, & ferè à juventute sedulò ad bonos honestosque mores excultis. Seligendos aliunde curavit suos, ex magnâ qui versarentur, & docerentur in Collegiis, juvenum notissimorum copiâ, ex quibus viros evadere posse & eruditos, & illustres, negaverit nemo, nisi qui stolidè cæcutire, & irrideri voluerit.

Veneti Turcis impares, & videntes fœderatorum res dilabi, de pace cum Solymano ineundâ seriò cogitarunt: maximè cùm Castrum Novum expugnasset Barbarossa, quatuor Hispanorum millibus aut cæsis aut ad remigum transtra damnatis. *Veneti de pace cum Turcis cogitant.* Horum autem sortem misertus est nemo, cùm ipsi diripuissent Romam, & in omnium gentium odium suis rapinis, & sacrilegiis incurrissent. At idem Ænobarbus Oatarum oppidum Dalmatiæ cùm tentasset, cui præerat Matthæus Bembus, vir præstantissimus, id omittendum putavit, acceptis ab eo quibusdam muneribus, sed qualia à viris fortibus dari solent. Quare repetiit Constantinopolim afflictam incendio, atq; peste, & quæ tum plus ejus præsentiâ, quàm victoriâ indigebat.

Gandavenses, aliæque urbes Flandriæ tributis oppressæ, rebellant in Carolum, & se dedere Francisco volunt, quos ille tam repulit impru-

denter, quàm antea sapienter pronunciaret esse suos. Ad hæc eidem Carolo postulanti per Franciam iter, stolidè concessit, & ab eo se deludi sivit, quem magnum doli, & insidiarum artificem; nec eum apud se retinuit, donec implesset promissa. Verùm Franciscus ineptè alios ex se metiebatur, ad pompam quàm ad res magnas aptior. Susceptus est autem Carolus ubique magnificè, pollicitus tum Francisco Ducatum Mediolanensem, sed ut patres pusionibus liberis aureos nummos ostentare solent.

*Franci I in rebellione Belgarum imprudentia.*

Franciscus I. vetuit hoc anno ne deinceps Decreta judicum latinè pronunciarentur, sed tantùm francicè ad linguæ hujus gloriam, sed detrimentum eruditionis.

*Ius latinè reddi desinit in Francia.*

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5593. | 1540. |

Carolus V. magnificentissimè Parisiis susceptus, in hac urbe tandiu substitit, quandiu ejus negotia postularunt: & verò statim fugere visus est Valencenas; ubi sollicitatus de promissis, aliter se in Flandria, aliter in Francia loqui respondit. In Belgio rebelles acriter edomuit, Protestantes blandè recepit, licet eos audiendos non esse Michael Cervinus Legatus Pontificius admoneret. Nihilominus ut omnibus faceret satis, Conventus Hagenoensem & Vormatiensem indixit; libros etiam hæreticorum in Belgio comburendos edixit; fortiùs Franciscus Heterodoxos ipsos, qui disseminabant hæresin, frementibus Germanis, quos deliniebat verbis, dum eorum fratres ignibus exureret.

*Carolus V. Parisiis susceptus.*

*Francisc. I. hæreticos exuri jubet.*

Henricus VIII. Annam Guill. Cliviæ Ducis sororem Lutheranam duxit uxorem, ex consilio Thomæ Cromueli; mox tamen hic propter rapinas publico supplicio affectus est, Anna repudiata, quinta superinducta uxor Catharina Hauvarda Cathólica: sæviebat nihilominus in Catholicos, quos supplicio Zwinglianis conjunxit, ipse nec Catholicus, nec Sacramentarius.

*Henr. VIII. variæ nuptiæ.*

Mortuus est hoc anno Parisiis natus annos 73. Guill. Budæus litterarum decus, & magnum regni ornamentum, quem Erasmus Galliæ portentum appellavit; vir aliunde piissimus, & alienissimus ab hæresi; rara hisce temporibus virtus in hominibus doctis, & ingeniosis.

*Moritur Guil. Budæus.*

Obiit hoc anno Joannes Waivoda Transylvaniæ, annos natus 53. relicto filio ex Isabella Sigismundi Poloni filiâ, qui dictus est Joannes-Sigismundus. Huic Solymanus Turca addixit Hungariæ regnum, sub tutela Georgii Episcopi Varadinensis, cognomento Monachi, rejecto Ferdinando, quamquam hic Turcis se submittere paratus esset. Is autem Georgius: nobili genere natus, ex parvis initiis pervenit ad summa; ideo dictus Monachus, quod fuisset Eremita S. Pauli, non autem Benedictinus, ut aliqui fabulati sunt. Porrò hic egregiam Joanni navarat operam, filii tutorem voluitque esse, qui patris utilissimus fautor extiterat.

*Io. Wayvoda Transylv. succedit Ioan. Sigismundus.*

*Georgius Monachus.*

Societatis JESU institutum commissum Cardinali Guidiccionio, magno novorum Ordinum inimico, ab eo sic probatum est, ut etiamsi alios rejiceret, id admittere se fateretur ingenuè Pontifici. Ita diplomate 5. Kal. Octobr. confirmatus est, numero tamen sociorum ad 60. restricto, & statim huic Ignatius præpositus Generalis. Hic statim Dei spiritu, quo plenus erat, animavit suos, & per Italiam, Germaniam, Galliam, Belgium, Hispaniam, Indiam sparsit, incredibili animorum fructu; cunctis gentibus eos quasi Apostolos recipientibus, multis tamen ubique contumeliis, & calumniis, exemplo Ducis sui Christi JESU, exagitatos.

*Diplomate hoc IESV confirmatur.*

In Indiam Orientalem propagabatur Fides, non tamen ut Lusitani pientissimi exoptabant. Itaque auditâ Societatis famâ Rex petiit à Pontifice & Ignatio per Mascareniam Legatum suum sex minimùm Socii ad se mitterentur, quos per Indiam spargeret. Concessi sunt duo duntaxat, Simon Rodericius, & Franciscus Xaverius nobilis Navarræus, vir magni animi, & utroque Orbe majoris. Hi cùm advenissent in Lusitaniam, tantos effecere motus animorum, ut Ordini suo Apostolorum nomen pepererint, unus tantùm è duobus in Indiam mittendus videretur; ne tantorum virorum pietate careret Lusitania, Joannes plus Indis, quàm suis Lusitanis, profuisse diceretur.

*Ignatii ... Socii Lusitanis ... cessi.*

Veneti demum hoc anno pacem à Solymano urbibus Nauplio, *Næpli de Romanie*, & Epidauro *Maluaisie* Peloponnesi redemêre, atque uti Castores parte sui, totum corpus integrum servavere.

*Veneti Turcis eunt ... cem.*

Mortuus est denique hoc anno Guicciardinus Florentinus nobilis historicus, vir magnæ prudentiæ, & tantæ vivus inter populares suos autoritatis, quantum mortuus inter eruditos fuit.

*Guicci. dinus ... rentin. moritu.*

---

## CAP. V.

## *Decas Quinta,*

### *Ab anno Christi* 1540. *ad* 1550.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5594. | 1541. |

HAbitus est hoc anno Conventus Ratisponensis, cui interfuit Cardinalis Contarenus, tergiversati sunt hæretici, de more, multùm laboratum ut nihil ageretur. Huic etiam Calvinus interfuit, qui & hoc anno Genevam postliminiò revocatus est. Cautum in hoc Conventu Protestantibus per *Interim*, ut vocant; scriptum ad Franciscum I. de non exagitandis fratribus, maximè in Merindolo, & Cabrierâ pagis; sicque promissa in Turcos auxilia, quæ communis causa jampridem expetebat,

*Conve. Ratisp. nensis.*

*Calvi. Genev. redit.*

Bellum gestum est hoc anno inter Solymanum & Ferdinandum, cujus hic causa fuit, dum Ioannem Sigismundum nititur opprimere, huicque repugnant Georg. Monachus & Regina. At nec Ferdinandi, nec Ioan. Sigismundi Hungaria fuit, sed Solymani auxiliatoris. qui depulso Georgio cum suo Principe in Transylvaniam, regnũ hoc vectigale obtulit Ferdinando, & quod turpissimum fuit, hic recepit. Quod si Carolus fratri suppetias

*Ferdin dus ... Solym. bellum rit.*

pertias tulisset, aut Hungariam non tentasset Turcus, aut ab ea depulsus esset. Sed cogitabat ille expeditionem Algerianam, & ad Juliam Cæsaream, *Alger*, 10. kal. Novembr. appulit cum ingenti classe, 22. millibus peditum, & equitibus mille. Capta erat civitas in quâ vix 800. Turcæ, nec Mauri plures, sed obstitere tempestates & inclementia aëris; hac multi sublati, illis 130. naves, 15. triremes, omnes Lembi periere. Itaque re infectâ dedecoris plenus redire Carolus indidem compulsus est, adversus Christianos quàm infideles fortunatior. Franciscus I infortunatum aggredi noluit, ob jus gentium violatum, cæsis Rincone & Fregosio Legatis per Vastium Marchionem, & negatâ satisfactione, ne apud Christianos audiret malè, cui jam invidiæ satis Carolus atque Ferdinandus callidiores conflaverant.

Navigavit hoc anno in Indiam cum Martino Alphonso Sosâ Indiarum Prorege Franciscus Xaverius, Apostolicus Nuncius cum amplissimâ in Indias potestate, factus nihilominus omnium servus, tot ac tantis virtutibus illustris, atque miraculis clarus, ut Indiarum Apostolus audire meruerit, & quod obtinuerat in Lusitaniâ Societati nomen, à populo, ab Ecclesiâ & Pontificibus inter Sanctos relatus gloriosè receperit.

Christophorus Gama missus à fratre Stephano Prorege, ut Æthiopiæ Principem Claudium, Davidis successorem defenderet adversùs Gradaametem Adelis, & Zeila tyrannum, bis cum eo feliciter conflixit: tertiò demum certamine victus, & captus, virgis cæsus perdidit caput, ab Æthiopibus vulgò habitus Martyr. Gradaametes autem victor, dimisso Turcorum auxilio, dum ad Nilum se reficit, & sedet incautiùs, à Claudio & Lusitanis collectis appetitus periit, nec diu crudelis victoriæ voluptate fruitus est. Lusitani, nullâ datâ redeundi potestate, vixere inter Æthiopes, facti ex necessitate miseræ regionis hujus inquilini.

Obiit hoc anno, ætatis 47. Philippus Theophrastus Paracelsus Medicus Salisburgi celeberrimus; obiit & Lugduni Sanctes Pagninus Dominicanus, vir apprimè doctus, & cui sacræ paginæ plurimùm debent.

MUNDI 5595. CHRISTI. 1542.

In Conventu Spirensi decretum est Turcicum bellum; Tridentum, ad Concilium Generale assignatum, reclamantibus Protestantibus, neque rem, neque locum optantibus Magnis animis expeditio suscepta est; sed hæc Germanorum cunctatione dissipata est, quam adeò formidabat Solymanus; cui astipulatus est Lutherus, atque longè quàm Imperatori addictior.

Franciscus I. bella spargit in Caroli ditiones per exercitus quinque, nullo aut parvo operæ pretio; qui si simul conjuncti essent, ut sapienter suadebat Langeus, tot sumptuum fructum recepisset; verùm adversarium nactus erat Carolum, qui immotus movebat, cùm Franciscus omnia ad pompam peragens multa ageret, ut tandem nihil egisse videretur.

Proscripta fuit hoc anno Calvini Institutio, tetrum opus, & in quo multùm de Dæmone, hujus ore & calamo loquente, atque scribente.

Henricus VIII. Catharinam Hauvardam, adulterii damnatam; capite mulctavit, & sextam duxit viduam, ne peccaret in virgine; quam etiam sustulisset propter hæresin, nisi hunc mors prævenisset, cupidissimum novi matrimonii, & maritum verè desultorium. *Henrici variæ uxores.*

Scotis commissis cum Anglis, & in suum Principem insuper rebellantibus, Jacobus V. in febrim incidit, ex quâ obiit ætatis 32. regni 30. relictâ filiâ ante dies octo natâ, quæ Maria dicta est. Mors ejus turbavit Scotiam universam, immo in eam induxit hæresin, quæ demum & Regnum, ejusque Reginam Mariam perdidit. *Iacobus VI. regnum Scotiæ relinquit filiæ Mariæ.*

Indicitur Concilium Tridentinum, emisso diplomate XI. Kal. Junii, quò omnes invitabantur ad Kal. Novembr. creatis tribus Legatis à latere: interea depugnabant inter se Franciscus & Carolus, etiam scriptis hoc anno, moribus factisque admodum discordes; quorum minùs sapiens habitus est qui plura fecit, & effutiit. *Indicitur Conc. Trident.*

Pervenit hoc anno Goam pridie Non. Maji Franciscus Xaverius, qui statim potestatem omnem suam Legati à latere Joanni Alburquercio submisit; quâ dejectione plus profecit, quàm sibi concreditâ omni Romani Pontificis autoritate. *S. Franc. Xaverius appellit in Indiam.*

MUNDI 5596. CHRISTI 1543.

Carolus V. Philippo filio suo dat uxorem Mariam Lusitanam sororis suæ filiam, eumque annorum sexdecim adolescentem Regem Hispaniarum denunciat. Inde venit in Belgium, ut Ducem Clivensem seu Juliacensem retunderet, victoriâ suâ ferocientem, quem & exuit Gueldriâ, propter quam bellum concitatum erat, & societati Francisci eum renunciare cogit; cæteroqui non inhumaniter tractatum. Aliunde Franciscus ditiones ejus vastavit, eumque depulit Landrecio, quod ingenti exercitu obsederat. Hoc opus fortitudinis, & prudentiæ fuit; istud neque Christianitatis. Turcicam enim classem, atque Barbarossam evocavit, ut ejus opera Nicæam Ligurum expugnaret; quod & factum: arx tamen fortissimè restitit, & Turcorum Francorumque assultus elusit: sed cùm Franci non satis parati accessissent, irrisi sunt à Turcis; qui re infectâ recedentes, excensionibus factis in Italiam multos Christianos abduxere captivos, & regioni fœdam intulere vastitatem, spoliisque divites rediere Constantinopolin: En quo discordia Principum miseros Christianos adducebat. *Carolus & Franc. bellare pergunt.* *Franc. evocat ad Nicæam Barbarossam.*

In Africâ civile concitatum est bellum: Amida enim patris Muleassis occupavit regnum: quod dum repetit bello, captus & excæcatus est cum duobus filiis. Mox tamen Amida ejectus est à Thovarte Hispano Gubernatore Golettæ, ejusq; loco patruus Abdamelchus substitutus est, seu eo statim mortuo, & filio ejus duodenni intruso, dum tutores ejus rapinis cædibusque grassantur, revocatus est à Tunetanis Amida, cùm priùs Muleasses ad Hispanos confugisset. Quæquidem non fuerunt unius anni, uno tamen loco ad historiæ lucem congerenda. *Turba in regno Tunesano.*

Suspensum est hoc quoq; anno Tridentinum Concilium, dum Pontifex Franciscum & Carolum *Conc. Trid. suspenditur.*

lum reconciliare nititur, quorum discordiis nihil tum erat Ecclesiæ perniciosius.

*Pax Henr. VIII. & Carol. V.*

Hoc anno, quo Carolus V. cum Henrico VIII. turpissimè, & contra datam fidem, reconciliatus est, & Biblia Tigurina à Leone Judâ informata absolvit, Theodorus Bibliander, adjutoribus Conrado Pelicano, & Petro Cholino, obiere Joannes Ekius, & Albertus Pighius viri multarum in sectarios palmarum. Aliunde mortuus est Basileæ Carlostadius, cùm ei terribile monstrum mortem denunciasset; quem tamen in pace obiisse contra sacrorum codicum fidem Heterodoxi asserunt. Denique fato functus est Guillelmus Bellæus Langæi dominus, frater Cardinalis & Episcopi Parisiensis, & Martini Historici, laudatus etiam impensè ab hostibus Francicis, quem Vastius Ducibus omnibus anteponebat, & Carolus V. magnam consiliorum suorum appellabat moram.

*Obiere Ekius, Pighius, Langæus.*

MUNDI 5597. CHRISTI 1544.

*Barbarossa evocatus à Francisc. I. iterum Christianos Cæsarianos vexat.*

In Spirensibus Comitiis multa adversùs Franciscum Carolus dixit; ideoque decretum in eum, bellum, & promissa pecunia, atque copiæ. Frustra Pontifex utrumq; reconciliare conatus est: effecit tamen ut Barbarossa, qui tum Teloni agebat cum classe, recederet ex Provincia, nec arcem Nicææ oppugnaret. Recedens autem fœdè populatus est Cæsaris ditionem, abstinuit à Pontificiâ, quia sic Franciscus optabat, ita præscribebat Polinus Gardia, cujus operâ Turcus evocatus erat. Unde Franciscus apud Christianos ingenti flagravit odio, in quem & scripsere multi, quem multi defendere; hujus litis arbitrium meliùs Deo reservabitur.

*Pugna ad Cerisolas.*

Franciscus Borbonius Anghujanus celebrem illam ad vicum Cerisolas victoriam retulit, quâ Alphonsum Danalum Vastium vulneratum fugere compulit, duodecim hostium millia cecidit, bis mille quingentos cepit, cum obsesso Cariniano. In hoc prælio Dux Rorariorum Monlucius egregiam navavit operam, cujus oratione prælii facultas à Francisco extorta, ejus armis & manu victoria in partes Francicas venit. Et totâ potitus esset Insubriâ Anghinius, nisi à Francisco impeditus esset, quòminus Mediolanum aggrederetur; nec insipienter. Anglus enim Picardiam, Carolus Campaniam tentabant octoginta peditum, viginti equitum millibus, ac geminis castris. Tantus hic tamen apparatus evanuit, & si grassationes excipias, parum Franciæ nocuit.

*Blasius Monlucius.*

*Pax inter Franc. & Carolum.*

Cùm res ergo Cæsaris, & Henrici, minùs bellè procederent, Carolus inclinavit ad pacem, quã tamen dubiam, & implicitam fecit; Franciscus accepit, ut præ se ferebat, ex subditorum commiseratione, reclamante Henrico Delphino, qui Cæsarianas copias defluere, ac sensim perire animadvertebat. Verùm prævaluere in Franciscum amores Annæ Piselenæ Stampensis, nobilis scorti; Imperatori tacitè faventis, quæ imprudentem, & libidinosum in deteriora consilia Regem adduxit. Hac autem pace comprehendi noluit Henricus Anglus, cui reddita fuerat Bononia Maritima, sed Vervinii ignaviâ cujus mox sub Henrico II. pœnas capite luit. Cùm autem Dux Norfolcius Monstrolium obsideret, ad famam advenientis Delphini suam repetiit Angliam, suâ contentus Bononiâ, quam non erat diu servaturus.

*Anna Piselena Stampensis*

*Bononiam reddit Vervinus:*

*Filius Regis Ceylani Martyr.*

Rem Christianam tum egregiè promovebat in Oriente Xaverius, dictus Magnus pater: quando & Regis Ceylani filius, factus Christianus, cum multis suis subditis ab ipso parente pro vera religione cæsus numerum Martyrum auxit: cujus mortem placuisse Deo ignea crux in cœlo, in terra lucida, nullis Mahumetanorũ artibus eradenda, populis illis attonitis cecinerunt.

*Ioan. Magnus Upsalensis moritur.*

Mortuus est denique hoc anno Romæ Joannes Magnus Upsalensis Archiepiscopus, Legatus Pontificius exantlatis pro fide laboribus ærumnisq; toleratis, quæ nascente Ecclesiâ subibant sancti præsules; cui tamen Deus una merces fuit, ab iis neglectus, quorum magni intererat, Septentrioini ejusmodi Pontificẽ obtigisse.

MUNDI 5598. CHRISTI. 1545.

*Turcorum avaritia in Pe[...]*

Obiit hoc anno Patriarcha Constantinop. Hieremias; cui suffectus est Dionysius Metropolita Nicomediensis probatus Solymano, auctoque ad tria millia Ducatorum Pescesio, cum initio tantùm quingentorum esset. Quid enim aliud à sordibus & impietate Mahumetanorũ expectaretur?

*Protestantes C[oncil]ium [fu]giunt.*

Initâ inter Reges Christianos pace agendum erat de Concilio tandiu ac toties expetito; sed id refugiebant Protestantes, eorumq; caput Lutherus, qui tum ridiculis imaginibus Papæ, ac dæmonis, Cardinalis & morionis eâdem facie, in eodem nummo insaniebat. Tum autem agebatur Vormatiæ Conventus, in quo negabant Protestantes auxilia sufficere contra Turcos nisi prius à Decretis Concilii, & Jurisdictione Cameræ Imperialis eximerentur. Quare de induciis cum Solymano Carolus egit, cujus Legatis, & suos Franciscus adjunxit. Cùm tamen mox Carolus Dux Aurelianensis Francisci I. minor filius obiisset, futurus gener, aut affinis Caroli V. & inter utrumq; pacis vinculum, omnia uti inque hostilia expectata sunt. Quare Franciscus cum Anglo ferire pacem decrevit, maximè cùm Bononiam per Biezium Marescallum, Angliam per Añebaldum Archithalassum frustra tentasset.

*Carol[us] Aurel. [fil.] Franc. moritur.*

*Franc. Guisianus [mira]bile.*

Ad Bononiam contigit vulnus mirabile Francisci Lotharingi, filii Claudii Ducis, qui hic ab Anglo equite lanceæ ferrum recepit inter oculum dextrum & nasum, sic tamen ut hoc ferrum ad occiput pervaderet: desperantibus omnibus medicis, extractum est nihilominus vulnerato roganti spiculum, & sine ullo gemitu patientis, coaluitq; paulò post vulnus, sed uti creditum est divinitùs, ad tutelam Christianæ religionis, ac mortem pro eâ fortiter subeundam.

*Henri[cus] Brun[s]censis [cap]itur.*

Dux Brunsuicensis Henricus Catholicus, contra voluntatem Caroli V. Philippum Hassiæ Landgravium, à quo spoliatus erat, aggressus, ab eodem victus, & captus est. Quem emitti juberet Imperator obstitit Lutherus, jam factus Carolo superior. Verùm Deus illum depressit. Dum enim exorcismis, à se concinnatis Energumenam à dæmone liberare conatur in Sacrario Ecclesiæ, à malo Genio obseratâ ja-

*Energ[ume]na [...]*

nnâ malè multatus esset, nisi januam securi fregisset Staphylus ejus discipulus, qui rem scriptis prodidit, & cacatas Magistri sui caligas facetus ἴρων secuturis temporibus turpiter ostentavit.

Inchoatum est hoc anno Tridentinum Concilium, indictum Idibus Martii, à Legatis Cardinalibus de Monte & S. Crucis (nam impeditus Polus abfuit) ad Idus Decembris, tot contritis mensibus, in vana de sedibus disceptatione: ac primæ Sessioni tantùm 4. Archiepiscopi, 22. Episcopi præsederunt. Cave sic autem adhibeas fidem Actis hujus Concilii scriptis à Petro Soave Polono, homine minimùm Schismatico & hæreticorum saltem fautore; cui suffecere materiam Sleidanus Lutheranus, & Paulus Vergerius etiam Apostata; ipse turpi materiæ, ex odio in Pontificem, turpiorem adjecit formam. Eum porrò doctissimè confutavit maximi vir ingenii Cardinalis Palavicinus, ex Societate JESU vocatus ad purpuram; futurus alioqui suspectus, nisi Acta quæ in plerisq; Franciæ Bibliothecis asservantur: quibus fatemur opponi posse Acta contraria, ex iisdem Bibliothecis, & rancidis scriniis eruta: sed ab iis scripta, qui miseris hisce temporibus Hæreticis, quàm Pontifici, atque Ecclesiæ favere maluerunt.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5599. | 1546. |

Continuatum est hoc anno Tridentinum Concilium, cui tum Petrus Danesius Francisci I. Legatus interfuit, cùm de eo abrogando Francofurti Protestantes consultarent. Habitum & aliquanto post colloquium Ratisponense inter eosdem & Catholicos, ex quo tamen illi turpiter aufugere. Sed & additum huic dedecori gravius damnum: tum enim 12. Kal. Martii Islebii Saxoniæ in patria sua extinctus est Lutherus, fax Europæ, inimicus Pontificis atque Dei; habitus tamen à suis uti Sanctus, & Prophetes Germaniæ, servatis ejus turpibus reliquiis, quibus nulla aromata fœtorem adimere potuerunt, ex libidine, & crapulâ, à monacho excucullato contractum.

Expedita sunt hoc anno arma à Protestantibus, quorum præcipui fuere Fridericus Dux Saxoniæ Elector, & Philippus Hassiæ Landgravius, conscriptis 70. millibus peditum, & quindecim Equitum, cum 120. tormentis bellicis, reliquoque ad magnum bellum apparatu. Hi tandem diu inter se altercati bellum denunciant Carolo V. quem si statim adorti essent, sine dubio debellassent: sed dum bellum non satis concordibus animis gerunt, interea recepit Imperator 12. armatorum millia à Paulo Pontifice; Duce Octavio Farnesio, dum ipse luculentum exercitum comparavit ex Hispanicis, Belgicis & Italicis copiis, quo saltem repugnare posse videretur. Itaque dum Duces Protestantes inter se non satis conveniunt, eorum sensim defluxit exercitus, maximè ex quo Fridericus Elector Palatinus, eorum auxiliator, à Cæsare sapienter in gratiam receptus est. Quare deinceps rebelles isti sic contempti sunt ab Imperatore, ut eis pacem nonnisi duris conditionibus annueret, qui antea de eo exautorando cogitabant.

Mortuus est hoc anno Marchio Vastius, magni belli concitator, ob jus gentium violatum, multis criminibus oneratus, & Imperatoris jussu amotus præfecturâ. Quo audito nuncio, ex mœrore obiit, & optandâ morte, multis accersitam criminibus ignominiam feliciter devitavit. *Moritur Vastius Marchio.*

Henricus VIII. post tot rapinas & sacrilegia inops, cum Francisco I. depacisci coactus est, redditâ Bononiâ cum omnibus tormentis, atq; commeatu, acceptis octingentis millibus aureorum, intra annos octo numerandis. Hac quoque pace inclusi sunt Scoti, qui inter se atrociùs tumultuati sunt; quando David Cardinalis Betonius Archiep. Santandreanus cæsus est, & habitus Martyr, ejusque percussores omnes & hominibus & Deo pœnas graves dependerunt. *Pax inter Henr. VIII. & Franciscum I.*

Arx *Diu* in India iterum obsessa est à Mamudio nepote Badurii, operâ Sosaris natione Chii, origine Itali, sed fidei desertoris, ducis nequaquam contemnendi. Hæc fortiter quidem defensa est à Joanne Mascereniâ; nihilominus venisset in hostium manus, nisi auxilium huic tulisset Indiæ Prorex Joannes Castrius, qui B. Virginis ope, cum eodem Mascareniâ insignem de Indis reportavit victoriam. Hic tamen Castrius, præmiis ingentibus cumulatus, in Xaverii sanctissimis complexibus obiit pientissimè; non tantùm ab hominibus, sed à DEO magnis muneribus exornatus. *Arx Diu obsessa ab Indis, defenditur à Mascarenia.*

In Americam missi Hispani, non tam administrabant Provincias, quàm lacerabant, divisi inter Pizzarros, & Almagros, veriùs latronum quàm militum duces, & præfectos. Ad turbas illas compescendas missus Petrus Gasca, juris peritissimus Doctor, consilio & ingenio tumultus sedavit omnes, paucorum, & maximè Francisci Carvajalis, & Joannis Acostæ, seditiosorum supplicio; probavitque ingenium atque prudentiam in præfectis & gubernatoribus, armis & viribus sæpe prævalere. *Turbas in Nova Hispan. a jedat Petrus Gasca, sapientissimè.*

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5600. | 1547. |

Tridentinum Concilium sedulò promovebatur, jam octo celebratis Sessionibus, cum exorta lues id Bononiam transferre coegit. Jamq; celebratis in hac urbe duabus sessionibus, id abrupit Petro Aloysio Duci Placentinæ & Pontificis filio illata nex, per ejus inimicos, audaciores factos ex Cæsaris in eum odio Placentiam statim occupat Ferdinandus Gonzaga, Vastii successor; ægrè Pontifici servatur Parma; conjurationis afflavit suspicio Carolum V. non aliam ob causam, quàm quod ex eâ profecerat. Pontifex autem ex ea nece tantùm doloris hausit, atque exinde consecutis tumultibus, ut suspenderet Concilium; proferuntur *Concilium Tridentin transfertur Bononiam. Petr. Aloysius Dux Parmensis caeditur.*

&c aliæ

& aliæ hujus facti causæ, sed ab iis tantum qui vaticinari volunt.

*Saxonem bello appetit Carolus V.*

Bellum interea dictum Smalcaldicum prospere gerebatur à Cæsare. Nam Dux Wittembergicus, qui maximè petebatur, persolutis 300. millibus aureorum, reconciliatus erat, ejusque exemplum multæ sequebantur civitates. Supererat Saxonicus Elector victoriis ferox, & Mauritio patruele suo omni suâ ditione spoliato. Quare in eum totus belli impetus conversus est: ac principio Albi fluvio propè per miraculum superato Carolus cum Ferdinando, aliisque Catholicis, ad Mulbergum eum assecutus, & sylvam Lochanam 8. Kal. Maji grandi prælio novem horarum fudit, ac vulneratum cepit, cùm priùs boni omnes militis ac ducis partes obiisset. Captus est cum eo quoque Ernestus Brunsuicensis, amboque dati in custodiam; Saxo etiam paulò duriùs acceptus à Cæsare, quàm humanitas, & victoria postulabant. Multa de hac victoria jactata sunt, ut de Aquilâ obeunte Cæsaris castra, nebula adventum Caroli Saxonibus celante, Sole pallido, immo, & uti tempore Josue stante, ad pleniorem victoriam; quæ sunt ab adulatoribus confficta potiùs, quàm à veris historicis enarrata.

*Caroli V. ingens de Protestantibus victoria.*

*Elector Saxonicus captus mulctatur.*

Mox à Cæsare sententia capitis in Saxonem pronunciata est, vitam tamen obtinuit, Electore Brandeburgensi, & Clivensi Duce pro affine suo deprecantibus; verùm exutus est Electoratu, qui concessus est fratri ejus Mauritio, arcibus Wittembergâ, & Gothâ spoliatus, indictâ insuper grandi pecuniâ, & bonis ejus inter Ferdinandum, & Mauritium divisis. Ut autem acquiesceret Concilio nunquam induci potuit, sicque expuncta est hæc conditio; cùm Cæsar sollicitior tum esset Imperii, quàm religionis.

*Landgravius deluditur à Cæsarianis.*

Landgravio quoque iidem deprecatores obtinuere veniam, sed gravibus conditionibus, in quibus & delusus est miser duarum litterarum mutatione ab Albano Duce, vel Granvellano, aut potiùs à Cæsare, qui duobus hisce ingenio ac fraudibus superior erat.

Tum autem celebrata sunt Augustana Comitia ab armato Cæsare, qui & in eam urbem triumphans ingressus est, quoniam erat præcipua Smalcaldani fœderis. In iis Catholica Fides erecta, hæresis abjecta est; Coloniæ suffectus Archiep. Adolphus in locum Hermanni hæreticis cedentis, & tam sceleribus, quàm ætate gravioris.

*Tumultus Genuæ ac Neapoli.*

Genua hoc anno cum Auria periclitata est conjuratione Lud. Flisci, & Julii Cibi; quæ ubi detecta est, cessavit periculum. Tumultus quoque Neapoli concitatus ob Inquisitionem, quem Cæsar sapientiâ suâ repressit, sibique ac populo fecit satis.

*Henricus VIII Angliæ Rex obit.*

Quinto Kal. Febr. obiit Henricus VIII. Angliæ Rex, anno ætatis 57. regni ferè 39. ex nimia pinguedine; ut qui libidinosè instar canis vixerat, turpiter instar obesi porci moreretur. Statuerat Ecclesiæ reconciliari; sed parasitorum, & aulicorum turba quos sacris bonis locupletarat, impediit. Sumpsit tamen Catholico more Eucharistiam, hæredesque instituit primo Eduardum ex Semeira filium, deinde Mariam ex Catharina, denique Elizabetham ex Anna Bollena: filio autem adjunxit 16. tutores omnes ferè Catholicos; & hunc in Catholica fide voluit erudiri, sed primatum Ecclesiæ retinere. Atenim ex iis tutoribus Eduardus Herefordiæ Comes, frater Semeiræ Zwinglianus, jus omne sibi arrogavit; &, huic favente Cranmero Archiep. Cantuariensi, inducta est hæresis in Angliam, per Hugonem Latimerum Anglum facetum concionatorem, Petrum Vermilium Martyrem, Bernardinum Ochinum Capucinorum quondam Generalem, tunc nequissimum Apostatam. En quibus hominibus Anglicana pseudoreligio debet initium!

*Eduar. ex Se... ei succ...*

*Induc... hæresis Angli...*

*Franc... morit...*

Mortuus est eodem anno Franciscus I. prid. Kal. April. anno vitæ 52. cum dimidio, regni 32. cum 2. mensibus, munitus Ecclesiæ Sacramentis omnibus, *Litterarum parens* vulgò appellatus; quibus, mentientibus licet, existimationem suam debet & gloriam. Vir sine dubio magnanimus, sed absque prudentia; & ineptis amoribus implicatus, quibus attendit potiùs sæpe, quàm regno, unde magnæ clades, quæ in ejus quoque caput aliquando reciderunt. Successit ei filius Henricus II. annos natus duodetriginta, qui statim à patre expulsum Annæum Mommorantium revocavit; Annebaldum sibi maximè ab eodem commendatum ejecit, & Cardinalem Turvonium, peritissimos sub Francisco regni moderatores: retentus tamen Franciscus Olivarius Cancellarius invidiâ major. Alii quoque in secretum consilium allecti, inter quos Diana Pictaviensis, Brezæi Normaniæ Seneschalli uxor vetula; cujus tum philtra & amatoria pocula jactata sunt ab imperitis, propter ejus ingenium atque prudentiam, fœmineis majora.

*Succe... Henri...*

*Diana... ctavie...*

*Morit... Petr... bus, S... letus,... tabiu... Tussa... B. Rh... nus, ... rad... tinger...*

Obiere quoque hoc anno Petrus Bembus, & Jacobus Sadoletus Cardinales, linguæ Latinæ peritissimi; Franciscus Vatablus, Hebraicæ Græcæque scientissimus, sicut Jacobus Tussanus ejusdem Græcæ linguæ Professor; Beatus Rhenanus Schelestadiensis multis illustratis auctoribus celebris; denique Conradus Peutingerus, cui Tabulam Imperii Geographicam debemus, postea editam ab ejus populari Augustano Velsero, viri omnes magnæ eruditionis, & famæ.

*Morit... Barba... sa, ei cedit... Asan...*

Mortuus quoque Constantinopoli Hariadenus Ænobarbus seu Barbarossa Turcicarum navium præfectus, & Algerii Rex, cui successit filius Asanes patri tantùm fortitudine, quantùm ætate inferior. Obiit & in novo Orbe Ferdinandus Cortesius Mexici domitor, & Novæ Hispaniæ conditor, vir felicissimæ fortitudinis, quam & pietate condiverat.

MUNDI 5601. CHRISTI. 1548.

*Bellum Persicu... ob Baja... them f... tivum.*

Bellum hoc anno gestum inter Persas atque Turcos, quoniam Bajazeets ad illos confugerat qui patrem Solymanû in Selimum fratrem propensiorem videbat, Solymanus cum 200. armatorum

torum millibus eum repetiit à Tammaso, ejusque regionem latè vastavit: Tammasus enim detrectabat certamen, donec Lusitanorum auxilia, atque tormenta bellica reciperet. His fretus, & virtute Bajazethi, quem suis copiis præfecerat, aggreditur Turcos ad Euphratem, & eorum 130. millia delet; Solymanus, multis etiam in reditu amissis, sine filio, sine exercitu, sine gloriâ Constantinopolin rediit. Turcæ contra faciunt Ercasem Imirsam fugitivum fratrem Tammasi, & à Solymano victorem restitutum; fatentur nihilominus Principem suum, fame debilitato exercitu, victo similem in urbem rediisse.

Ortâ inter Legatos Cæsareos & Pontificios controversiâ, Carolus V. procudit suum *Interim* (veriùs *Interitum animarum*) nec probatum à Catholicis, & ab Heterodoxis improbatum, ab utrisque scriptis confutatum; ab his quidem per Philippum Melanchthonem molliter, per Calvinum petulantissimè; ab illis per Robertum Cænalem in Galliâ, Nicolaum Bobadillam in Germaniâ, Franc. Romæum Dominicanum Romæ. Itaque triplicis generis fuerunt Interimistæ *Cæsarei* Catholici, *Lipsici* Lutherani, & *Francici* Calviniani, omnes ab adversariis adnumerati Adiaphoristis. En quibus se difficultatibus Principes implicant, dum plus posse volunt, quam Deus, & Ecclesia sinunt.

Obiit hoc anno Kal. April. die Paschatis Sigismundus Poloniæ Rex ætatis 82. Regni 42. vir fortis & sapiens, magno suorum bono, & Christianitatis. Successit ei Sigismundus Augustus, annos natus duodetriginta, qui in epulo funebri die Mercurii, carnem Germanis, pisces Polonis apposuit; quia hic dies tum à carnibus abstinentiam his præscriberet, quam deinceps usus sustulit.

Ad Comitia Augustana Legatos suos misit Basilius Moschus, ubi cum Cæsare in Turcos iniit societatem. Mauritius quoque in iisdem creatus est Elector, & in loco, unde ceremonias spectare possit è fenestrâ, Joannes-Fridericus exauthoratus, quas tamen aspexit sine ullo animi motu. Eodem quoque venit Muleasses; à præfecto Golettæ Francisco Thouvarro Hispano gazâ suâ spoliatus, mortalium infortunatissimus, cui Barbarossa regnum, Amida filius visum, Thouvarus bona eripuerat. Remisit eum in Siciliam Carolus, ut publicis Siculorum sumptibus aleretur, fieretque de Rege nobilis mendicus.

Carolus V. ut Imperium in domo suâ relinqueret hæreditarium, Maximiliano Ferdinandi fratris filio Mariam filiam suam dedit uxorem, qui hoc anno venit in Hispaniam, & Pintiæ nuptias celebravit. Philippus autem navigavit Genuam, ubi de Arce urbi imponendâ cogitavit, deterritus tantùm ab Auriâ in gratiam patriæ suæ. Inde Mediolanum, Mantuam, Tridentum, ac denique in Belgium venit, non ejusdem cum patre urbanitatis, & humanitatis, vel quòd filius Imperatoris esset, pater tantùm Ducis; vel potiùs quia excelsos illos tumentesque spiritus hauserat ex Hispaniâ.

In Angliâ sævitum in Catholicos, abolita Missa, inducta Calvini secta. Cùm Angli in Scotos bellum gererent ob Mariam, quam Eduardo suo volebant uxorem, eam Scoti in Francia transmiserunt, Franciæ Delphino collocandam, acceptisque ab Henrico II. auxiliis, retuderunt Anglos, res suas erexerunt. *Turba in Anglia, & Scotia.*

Henricus II. judices selegit qui de hæreticis graviter statuerent: lustravit & ea loca quæ Cæsar posset invadere; denique nuptias curavit inter Antonium Borbonium Ducem Vindocinensem, & Joannam Labretanam hæredem regni Navarræ, filiam Henrici Regis, & Margaritæ sororis Francisci I. ex quibus magnus heros Galliæ Henricus IV. prodiit. *Henricus II. regnum suum ordinat.*

Horribilis est excitata Burdegalæ seditio propter vectigal Salinis impositum, quam dum comprimere nititur Tristanus Monenius *de Moneins*, vicarius Henrici Regis Navarræ, unguibus populi laceratus, & sale conditus est miserabilis Salinator. Missus eò statim ab Henrico II. Annæus Connestabilis cum Guisio, & exercitu, per muri labefactati partem subiit, seditionis autores sustulit, urbis extinxit omnia privilegia, cadaver Monenii unguibus præcipuorum civium refodiendum curavit, & sepeliendum ab universo populo cum facibus, vociferante coram Conestabilis domo, se improbè fecisse, & graviores pœnas promeritum esse. Senatus quoque, uti mollior, & visus connivere, exautoratus; mox tamen omnes facilitate Franciâ in pristinum statum restituti sunt. Hos autem motus Aquitanicos cùm didicisset Cæsar, eorum occasione oblatâ uti decrevit; sed ubi citiùs quàm putasset consopitos vidit, factum excusavit suum: Princeps cui neque nocendi voluntas, nec excusatio unquam defuere. *Seditio Burdegalensis, in qua cæsus Monenius.* *Hac occasione uti conatur Carolus.*

Hoc denique anno Paulus III. orante Francisco Gandiæ Duce, libellum aureum exercitiorum ab Ignatio societatis JESU conditore, initio suæ conversionis scriptum, approbavit diplomate suo; divinum opus, quodammodo tantæ Societatis obstetrix, & alumnus, atque fons & origo pietatis, hujus libelli operâ, in Christianis, Laicis, Clericis, & Religiosis mirabiliter excitatæ. *Exercitia S. Ignatii approbata à Paulo III.*

MUNDI 5602. CHRISTI 1549.

Concitatæ sunt hoc anno in Angliâ multæ turbæ, sublatis publico supplicio Thomâ, viro Catharinæ relictæ, Henrici VIII. quæ & ex mœrore obiit; & postea ejusdem fratre Eduardo Sommerseto Angliæ Protectore, sæpe dato in carcerem, sæpe liberato, ac tandem servi publici manu capite minuto. His autem tumultibus commodè usus Henricus II. Franciæ Rex, multas arces circa Bononiam cepit, unde data turbis Anglicis materies. Nec tantùm de regni administratione, sed & de religione disceptatum; ex quibus disputationibus multùm profecere hæretici, multis libellis evulgatis, quibus nihil est Fidei perniciosius. *Turba Anglica.* *Henricus II. ex iis proficit.*

In Galliâ fœdus cum Helvetiis renovatum; sævitum acerbè in hæreticos, ex quorum castris

*Margarita moritur.* nonnulli retraxere pedem, in cæteris Margarita, hoc anno mortua, decima Musarum dicta, & quarta Gratia, in viros eruditos uti frater Franciscus optimè affecta, ideoque Poëseos, & eloquentiæ luculenta materies.

*Theodorus Beza fugit ad Calvinum.* Ad Calvinum hoc anno Theodorus Beza accessit Clericus libidinosus, atque pæderastes, omniq; turpitudine infamis (quod arguunt ejus juvenilia) tumque cæteris criminibus addidit hæresin colophonem. Natus erat anno 1519. Vizeliaci litteris Latinis ac Græcis, ac potissimum poësi apprimè excultus: at veritus ignem à Senatu Parisiensi ob præposteram libidinem, venditis beneficiis suis, nec uni tantùm emptori, in sceleratorum omnium Asylum, & criminum sentinam Genevam fugit, ut eam magis corrumperet, atque funestaret.

*Paulus III. Papa moritur.* Mortuus est hoc anno Paulus III. 4. Idus Sept. annos natus 82. cùm sedisset annos 15. dies 20. ex perturbatione vehementi, lectis litteris Octavii nepotis sui interminantis. Quare moriturus idemditem illud Davidicum carmen occinebat: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo.* Vir sine dubio magnus, & frustra laceratus ab hæreticis; quorum convicia, tanti viri laudes extitere. Huic pænè suffectus est Reginaldus Polus; at suffragia in illum inclinantia discussit Petrus Caraffa Cardinalis Theatinus, morosus ac suspiciosus senex, in eo temerè suspicatus aliquid de Lutherano veneno, & tum *in vitium talis credula turba fuit.*

*Petr. Gasca redit inops in Hispaniam.* Hoc anno rediit in Hispaniam, compositis Novi Orbis rebus, Petrus Gasca Jurisconsultus, sine armis, sine milite potens, & sublato jugo quod Indis imposuerant Hispani. Porrò in patriam multo auro navibus imposito appulit proximo anno, cum eodem quod extulerat pallio, sed detrito, Curiis atque Fabriciis anteponendus, & *magnas inter opes inops.* Quare meritò postea creatus est Episcopus Pallentinus, qui non ut judex, sed ut Episcopus Novum Orbem administrasset.

*Xaverius adit Iaponiam.* Adiit hoc anno Iaponiam Franciscus Xaverius, invitatus à quodam Angerio Japone, ut hîc primus mortalium Christi Fidem nunciaret. Ut autem Meacum, caput hujus tractûs, adiret, nobili se Japonio pedissequum obtulit, quem equitem pedes, domini atque suam sacram ferens suppellectilem, secutus, rigente hyeme, & per asperrimam, ac grassatoribus obnoxiam regionem; quâ tandem virtute, multisque editis miraculis, hanc regionem asseruit Christo, in tres majores insulas, & quinquaginta sex regna distinctam; unde plus centum è suis Sociis Martyres inserit cœlo, horrendis suppliciis cruciatos, atque, uti speratur, ubi quondam existet, ingens Ecclesia, atque sanctissima, *si sanguis Martyrum semen est Christianorum.*

MUNDI 5603. CHRISTI 1550.

*Iulius III. creatur Papa.* Collocatus est in Petri sede 8. Kal. Mart. Maria de Monte dictus Julius III. in gratiam Julii II. quem imitari decreverat, exorsus Pontificatum à Jubileo. Deinde ut se gratum Farnesiis ostenderet, à quibus maximè ad Pontificatum promotus erat restituit Octavio Parmam cum stipendio bis mille aureorum ad ejus tutelam. Denique in Concilium totus incubuit, & se Ecclesiæ patrem, aliquid Cæsari denegans, sed fortem præbuit.

*Comitia Augustana celebrari perg...* Celebrabat tum Carolus V. Augustana Comitia, & Protestantibus parere recusantibus novum bellum parabatur, Mauritio ab Imperatore nihil deinceps expectante, & invidiam omnem, in hunc derivare conante; quare ne his Comitiis interesset, bellum Magdeburgense susceperat, quod & anno sequente confecit, civibus ad duras satis conditiones redactis. Venit autem ad hæc Comitia non vocatus Maximilanus, cùm accepisset appellatum ad ea Philippum à patre Cæsarem destinari. Verùm hos conatus utriusque juvenis præsentia discussit: erat enim Maximilianus indolis optimæ, & perhumanus, Philippus vultuosus, & fastum toto corpore præferens, quo nihil est apud Germanos odiosum magis. *Philipp. & Maximilian. his in junt.*

*Pax i... Angli Scoto Franc. inita.* Pax demum inter Francos, Anglos & Scotos inita est, redditâ Bononiâ, cum vicinis arcibus, omnique bellico apparatu, itemq; Scotis aliquot urbibus restitutis, persolutis autem ab Henrico gemina pensitatione quadringentis aureorum millibus. Tumque jacta semina belli inter Carolum V. & Henricum II. per Mariam Belgii procuratricem, paratis Legato Franco insidiis, quibus dum providetur paulò acerbius, utrimque animi jam ad bellum nutantes impulsi sunt.

*Mor... ciati ro.* Obiere hoc anno duo Jurisconsulti nobiles, Andreas Alciatus Mediolanensis Papiæ, & Eguinarius Baro Leonensis Armoricus Biturigibus. Salmanticæ quoque mortuus Joannes Vasæus Historicus, Patavii Joannes Pierius; omnes scriptis suis percelebres.

*Frum. pluit Germ.* Hoc denique anno in Carinthia, inter Villacum & Clagenfurtum, frumento pluit, ad duo milliaria, ex quo panis optimus confectus est, & oblatus Cæsari, in cujus ditione frumentum non satum humanâ manu colligeretur.

## CAP. VI.

## *Decas Sexta.*

*Ab anno Christi* 1550. *ad* 1560.

MUNDI 5604. CHRISTI 1551.

*Oct. Par. con. Fra.* Resumptum est hoc año Tridenti Conciliũ, ejus xi. Sessio hîc celebrata Kal. Maji, quò pauci convenere, ob belli Parmensis metum. Tum enim Octavius videns se imparem Ferdinando Gonzagæ, in urbem inferri comeatũ prohibenti, & negante opem Pontifice confugit ad Francos quorum præsidium recepit. Id ut Julius improbaret, cum appetere bello cum Cæsare decrevit, ineptus auxiliator, ut malus pater, qui parum uni parti nocuerit, alteram juverit parum.

Bellum igitur inchoatum duos potentissimos Prin-

*um in- Caro- V. & r. II.*

Principes commisit, cui adjectum bellum Inalpinum sub Cossæo Brisaco egregio duce, sub quo pugnabat Monlucius bellator acerrimus, multarumque palmarum; & majori fortitudine & felicitate à Francis, quàm ab hostibus gerebatur bellum: itaque fortiter defensæ Parma, atque Mirandola, sub Regis patrocinio positæ. Nec cessatum in Gallia Francisco Clivio Nivernensium Duce, Campaniæ Præfecto, vicinam Lotharingiâ carpente, & Antonio Vindocinensi Flandriam & Hannoviam diripiente: eò enim usque belli Parmensis initium pervasit.

*stan- um co II. sus um V. t fæ-*

Aliunde jacta sunt semina belli Germanici, Carolo V. Landgravium solvere recusante, licet id quidam Electores, adeoq; Daniæ & Hungariæ Reges postularent. Quare initum fædus inter eos Principes & Henricum II. in quod multæ civitates transierunt, bonis Regis Franci conditionibus, cui Cameracum, Metæ, Tullum, Virodunum, Argentoratum, urbes Imperii assignatæ sunt, si has sibi vindicare posset, quod postea cum inani furore Caroli præstitit.

*Tur- un-*

Bellum quoq; Turcicum enatum, cujus autores fuere Carolus & Ferdinandus, ob aliquot urbes occupatas in Hungaria dum Solymanus bello Persico distineretur, & oppugnatum Aphrodisium expulsumq; Dragutem; cujus tamen mali causa in miseros Francos, quasi hujus incentores belli derivata est à Cæsarianis. Hoc bello, ducibus Sinane Bassâ, & Dragute, direpta Sicilia, Augusta civitas capta, & incensa, tentata Melita, occupata insula Gozo, atq; desolata, indigenis omnibus abductis, aut necatis; dum mutuis sese cladibus Christiani Principes attererent, dum communis pater filiorum se contentionibus implicaret, qui earum arbiter esse debuerat.

*s ous*

Hoc tempore cæsus est Georgius Monachus Cardinalis per sicarios, operâ Castadi Ducis Ferdinandi, ejus divitiis imminentis, quæ tamen famâ minores inventæ sunt. Qui ejus attigere spolia omnes malè perierunt; quodque luctuosum magis, in Hungariam & Transylvaniam inducta hæresis, ejus industriâ hactenus eas regiones subire prohibita. Quare ostendit Georgius morte suâ quantùm Regi suo, quantùm Ecclesiæ, quantùm Christianitati necessarius esset, omnibus iis, illo sublato, pessumdatis.

*II. at*

Henricus II. per Amiotum Abbatem Bellozanensem protestatus est, se Tridentinam Synodum pro Generali nequaquam habiturum, quandoquidem per Cæsarem, atq; Pontificem hostes suos, sibi atq; suis ad id liber accessus non esset; atque ut Helvetii atque Rhæti idem præstarent effecit; ac denique pecuniam vetuit deferri Romam, quo nullum est adversus Romanos telum potentius.

*a- sco*

Cazanum oppidum regni Tartarici caput, quod à Basilio defecerat, 7. annis vexatum, & tormentis acerrimè verberatum, hoc anno à Joanne Basilide receptum est: magna pars civium Christianis aquis eluta; qui tamen postea ad Mahumetum, vel idola defecerunt; pauci tamen Græcum servarunt ritum, omnes ferè nullius Religionis, aut certè Principis sui.

MUNDI 5605. CHRISTI 1552.

Imminentis belli nuncius, & dissidium inter Cæsarem & Julium de expectandis Protestantium Legatis, Concilium Tridentinum suspendit, factâ omnibus abeundi potestate. Dum autem Romam redit Legatus Marcellus, ex nimio labore Verronæ ubi obiit, incidit in febrem, & phrenesim; in qua dum à se postulat abigi canem, hinc Sleidano data occasio dæmonis inducendi; quæ fictio tam frigida visa Polano, ut omittenda judicaretur.

*Marcellus Legatus Concilii moritur.*

Tum igitur circa Kal. April. bellum Protestantium fœderatorum erupit. Mauritius enim Saxonicus Elector, & Albertus Marchio Brandenburgicus, cum Guillelmo Landgravii majore natu conjunxere copias suas, & Augustam Vindelicorum obsessa intra dies quatuor occuparunt. Inde versus Oenipontem movent, disjectisque præsidiis, ex angustiis Alpium, & Erebergâ capta, quæ putabatur inexpugnabilis, tantùm terroris injecere Cæsari, atque Ferdinando, ut repente intempestivâ nocte diffugerent, plerique etiam nobiles pedibus, relictis equis, & impedimentis. Pervenerunt ergo Villacum Carinthiæ, ubi cum equitum præsidio eis Venetus Legatus adfuit, tantùm primo aspectu terroris afferens, quantùm postea auxilii. Tùm sponte emissus est Joannes-Fridericus Saxo, qui secutus est Carolum, quanquam sociis potiùs deberet libertatem suam; sed uni, quàm multis eam debere gratiam maluit. Capta exinde Oenipons, in qua parcitum civium bonis, atq; Ferdinandi; at Caroli, Cardinalis Augustani, atque Hispanorum direpta suppellex militi cessit, cum magno Imperatoris dedecore.

*Bellii Protestantium in Carolum V. & Ferdinandum.*

*Saxo liberatur à Carolo V.*

*Victores Protestantes.*

Aliunde Henricus Franciæ Rex, præmisso Annæo Monmorantio Connestabili, cum luculento exercitu Lotharingiam ingressus, totam invenit suam, ac Principem Carolum novennem in Franciam cum Delphino suo nutriendum misit, pollicitus ei Claudiam filiam suam, totiq; Regioni Nicolaum Valdemontium pueri patruum præfecit. Occupavit quoq; Tullum, Virodunum, & Metas, sibi concessas ex fœdere; quominus autem Argentorato potiretur, effecit prudentia civium, qui rebus omnibus bene instructi, ac bene animati, sui juris esse perrexerunt. Monitus præterea per Cardinalem Turnonium de induciis cum Pontifice factis, properabat alacriter in Germaniam, cùm rogatus est ab Electoribus, & Principibus fœderatis, ne pergeret ulteriùs. Statim ergo compressit gradum, acceptisq; frigidis Mauritii excusationibus, vultu dolorem simulans, & gratulatus sibi libertatem Germaniæ, ejusque Principum, rediit in Campaniam, quam Maria Belgii Procuratrix excursionibus, & incendiis deformabat. Reposuit ergo vicem agro Lucemburgico, & cum fœnore, militemq; in stativa dimisit; delusus turpiter à suis fœderatis, qui nullam ejus, aut ridiculam in tractatibus suis fecere mentionem: expertus hæc minorum Principum iratorum fœdera, tanti esse facienda magnis Principibus, quantùm eorum commoda postulant.

*Henric. II. rem suam conficit.*

*Deluditur à Principibus Germaniæ.*

*Pax secunda seu Mauritiana.*

Pax itaque confecta dicta Mauritiana, seu secunda, cùm prior vocaretur Nurembergensis. Per illam *Interim* abolitum est, concessumque Protestantibus, ut arbitratu suo viverent. Henricus, quamquam iis iratus, remisit obsides, plura, & majora pollicitus, quàm exsequi decreverat. Carolus autem intellexit, Imperium esse filio desperatum, imò & avitam in Germania Religionem, sicut & quietem; maximè cùm hanc etiam pacem Brandenburgensis improbaret, nec eâ contineri voluisset, & ad bella civilia omnia in his regionibus præcipitarent.

*Carolus V. Metas obsidet, & repellitur à Francisco Guisio.*

Nihilominus ad recuperandas urbes Imperii adjecit animum, ingenti parato exercitu, cum Alberto Brandeburgico proditore, Metas XI. Kal. Novembr. obsedit, centum peditum millibus, & 12. equitum, fossorum 7. & majoribus tormentis bellicis centum & quatuordecim. Verùm hanc urbem ingressus Franciscus Guisius, cum multis nobilibus, ejus animatis fortitudine, sic tutatus est, ut Caroli gloriæ posuerit metas, atque ex ejus stemmate, *plus ultrà* expunxerit, atque *non ultrà* antiqvum restituerit. Ferunt Imperatorem in hac infortunata expeditione 40. Germanorumm illia perdidisse, relictis sub pellibus multis ægrotantibus, atque peregrinis, quos omni diligentiâ Guisius fovit, ac sanos cum pecunia remisit in patriam, Carolo non tantùm armis, sed & virtute, ac liberalitate superior; ac tum, & deinceps, propter singularem & eximiam pietatem junctam heroicæ fortitudini, futurus terror hæreticorum.

*Agria fortiter defensa.*

Procedebant interea res Turcorum in Hungaria, multis captis urbibus, donec Agria civitas eorum impetus cohibuit, à duobus Stephanis, Dobone & Nescutio, contra triginta quinque assultus fortiter propugnata. Tum nihilominus pacem à Solymano periit Ferdinandus per Legatos suos, quorum unus fuit Augerius Gestenius Busbequius Belga, vir egregius qui eâ Legatione, & Ferdinando, & litteris illustrem navavit operam.

*Turcæ Principem Salernitanum juvant, evocati ab Henrico II.*

Classis quoque Turcica, ducibus Sinane Bassâ, & Dragute, ingressa est mare Tyrrhenum evocata ab Henrico II. ut ferret suppetias Principi Salernitano, quem Petrus Toletanus Prorex ad desperationem adegerat. Paratæ sunt quoque Massiliæ 25. triremes quæ Turcicis adjungerentur. Auria venit auxiliator Toletano, qui tamen non impediit aliquot oppida incenderentur; immo propiùs factum est nihil, quàm ut hic perderet classem: atque hæc sine dubio periisset, nisi meliores remiges, quàm milites nacta esset. Fugit igitur in Sardinam primùm inglorius senex, hactenus vincere solitus; & si tempore adfuisset Salernitanus, capta erat Neapolis; quare hic increpitus est à Turcis, promisso tamen reditu, ne de reconciliatione cogitaret.

*Sena Francis dedita.*

Senenses quoque hoc anno ab Hispanis malè habiti, evocatis Francis, jugum excussere, & arcem suam diruêre funditus, ac circumposita oppida recepere. Inde magna sunt enata bella, dum Franci hanc urbem retinere nituntur, in umbilico positam Italiæ, & ad Neapolitana bella perutilem, Hispani recuperare ut immortale belli Francici seminarium.

*Moritur Franciscus Xaverius.*

Mortuus est hoc anno in Insula deserta Sanciano, & in conspectu Sinarum, à quibus tantùm leucis 30. disjungitur, S. Franciscus Xaverius, 4. Decembr. ætatis 55. expeditionis Indicæ XI. dum eò transire parat, ut saltem in carceribus moraretur, sicque vinctos Sinas ex dæmonis compedibus exsolveret. Vir animi incomparabilis; & cujus laboribus Orbis erat angustior. Hujus corpus, calce vivâ licet obrutum, post menses 15. integrum vividumque repertum est, multisque miraculis illustre Goam reportatum est, centum annis adeo illibatum, flexile, ac succi & sanguinis plenum, ut dormire videretur; donec ei exciso, jussu Pontificis, brachio, quod deportaretur Romam, & quo decies octies centena hominum millia sacris aquis intinxerat, siccari cœpit; ab hoc tempore mirabilis Ecclesiæ ubique terrarum Thaumaturgus; & ex suis imaginibus etiam papyraceis potentissimus.

*Obitus Cochlæi, Iovii, Nauseæ, Catharini, A... ci, Nov... Osiand... & Mu... steri.*

Obierunt quoque hoc anno Jo. Cochlæus, Paulus Jovius, Fridericus Nausea, Ambrosius Catharinus Dominicanus, Petrus Apianus Astrologus, Lazarus Bonamicus Philosophus, Lilius Giraltius Ferrariensis, Ferdinandus Novius Pintianus, doctissimi omnes, & magnæ existimationis. Ex heterodoxis autem Andreas Osiander Bavarus Lutheranus, Regiomonte in Prussia ex epileptico paroxismo, & Sebastianus Munsterus Franciscanus Apostata, vir improbi laboris, atque vitæ.

MUNDI 5606. CHRISTI 1553.

*Solym... à Rox... na de... tatus.*

Solymanus Roxolanæ uxoris philtris dementatus, cui & favebat Muphti Pontifex Turcicus, Mustapham cum filio strangulari jubet; viso ejus cadavere Giangires frater gibbosus sibi pugionem defixit in pectore. Roxolana secura Bajazetem juniorem anteponit Selimo fratri, eiq; multas turbas, ac tandem perfido mortem accersit.

*Mauri... Electo... ritur.*

Mauritius Elector Albertum Brandeburgicum vincit, ad fluvium Visurgim; sed obit post biduum ex vulnere. Successit ei frater Augustus, qui mox cum Joanne-Friderico bona sua repetente concordiam iniit, immo & cum Alberto, qui vir inquieti ingenii post multas clades fugere compulsus est in Franciam, ac demum anno 1557. ætatis 35. obiit apud Marchionem Badensem, vixitq; diutiùs quàm ejus levitas, & impotens perfidia postularet.

*Teru... civit... cisa... rolo V.*

Teruana civitas hoc anno penitùs excisa est à Carolo V. ejusque sedes Episcopalis partim Bononiam translata, partim Episcopis Yprensi, & Audomarensi contributa. Hesdinum quoq; arx capta, cæso Horatio Farnesio citiùs quàm expectabatur: Henricus tardiùs copias suas colligens Cameracum frustra tentavit; reposuit tamen hosti vicem ad Dulendium Mommorantius, & cladem intulit magnorum virorum nece, quàm cæsorum numero, nobiliorem.

Pe-

Petrus Toletanus Prorex, dum Senas obsidere parat, moritur Florentiæ, cui Garsias filius succedit; sed eum revocavit Turcica classis juncta Gallicæ sub Principe Salernitano. Thermæus Senis ordinatis auxilio Turcorum totam Corsicam occupat: superveniens tamen Andreas Auria annos 87. natus, sed adhuc crudus & viridis senex, multa recuperat loca. Prosperè quoque à Francis in regione Inalpinâ pugnatum: quando obiit Carolus Sabaudiæ dux semper iniquam fortunam expertus, cui successit Emmanuel Philibertus excellentis vir ingenii, quo & ditionem recuperavit suam, & hanc affinitate Francicâ sapienter firmavit.

Transylvaniam turbavit Isabella malè habita à Ferdinando; quare illa evocavit Turcos, qui huic tantùm atque regioni incommodavere, mali semper Christianorum auxiliatores.

In Angliâ moritur Rex Eduardus anno ætatis 17. exhæredatis testamento suo duabus sororibus suis, Mariâ & Elizabethâ, eisque substituta Joanna Craja filia Henrici Suffolcii, suadente Dudlejo Duce Northumbriæ, per quem fuerat sublatus Eduardus Sommersetus. Cognitâ Eduardi morte statim Maria se Reginam dixit, ad quam Angli, ex odio Dudlæi, accurrere, qui & caput cum filiis publicè perdidit; inde datus in custodiam Thomas Cranmerus Arch. Cantuariensis, aliique Pseudo-Episcopi, supra 30. millia hæreticorum exulare jussi; restituti passim Catholici, Maria titulum capitis Ecclesiæ Anglicanæ statim abjecit, & Legatum in Angliam accersiit Reginaldum Polum, qui in eâ restituere Fidem. Tum deliberatum de ejus marito: selegit illa, rejectis Polo, & Curtenæo Devoniæ Comite, Philippum Caroli V. filium, ut plus illa in alienigenam, quàm Anglum posset: ideo ab hæreticis malè scriptis excepta: quis enim rabidos canes, malè mulctatos latrare prohiberet?

Michaëlem Servetum Hispanum nefarium hæreticum Samosatenum, Arianum, Macedonianum Calvinus Genevæ compingi jussit in carcerem, ac postea vivum exuri; hujus tamen sectam Valentinus Gentilis & Georgius Blandrada, Itali, per Hungariam, Transylvaniam, Poloniam disseminarunt. Fuit enim hæc ætas impostoribus famosa: certè Tholosæ quidam mentiens se Joannem Evangelistam crematus est; Basileæ duo professi sunt se habere Genium S. Petri atque Mosis; quibus etiam meritò Calvinum accenseas, qui hoc anno conatus Brulleum quemdam Heduum, fingentem mortuum excitare, huic ademit vitam, ejus uxore veris jam lacrymis Calvini fraudes, & mariti mortem prosequente.

Receptus est hoc anno Romæ à Julio III. Simon Sulaka Orientis trans Euphratem Patriarcha: exceptus quoque Moses Mardenus Assyrius Jacobita missus ab Antiochiæ Patriarcha; cujus opera, & Joannis Alberti Widmonstadii Austriæ Cancellarii, editum est Viennæ anno 1555. Novum testamentum, linguâ & charactere Syriacis, quod Immanuel Tremellius ex Judæo Zuinglianus Genevæ charactere Hebræo incredibili perversitate publicavit (ut observavit peritissimus Genebrardus) & opus excudit oculis, quàm ingeniis accommodatius.

*Mortui Dubravius Jo. Bapt. Ignatius Hier. Fracastorius.* Obiere hoc anno Jo. Dubravius Olomucensis Episcopus, Bohæmicæ scriptor historiæ; Jo. Baptista Egnatius Venetus, historiæ antiquæ bonus illustrator; Hieronymus Fracastorius Philosophus, & Mathematicus insignis, omnes de literis bene meriti, & Musarum lacrymis digni; quæ tamen exsiccatæ sunt natalibus Henrici Magni, qui Flexiæ in Andecavis conceptus, hoc anno Id. Decemb. natus est Pali in Bencharniâ, vir adhuc suo nomine major. *Nascitur Henricus Magnus.*

MUNDI 5607. CHRISTI 1554.

*Bellum civile in Anglia ob Philippi nuptias.* Bellum in Angliâ civile concitatum est ob Philippi nuptias, ducibus Thomâ Viato, & Duce Suffolcio, qui primo impetu in se missum Nordfolcium fugarunt. Sed cùm Maria oratione suâ populum Londinensem sedasset, iidem proscripti, atque capti, cum Joannâ illa Pseudo-reginâ doctissimâ, & innocente, publico supplicio necati sunt cum aliis octoginta. Dati quoque in carcerem Elizabetha, & Curtenæus, conjurationis hujus postulati: hic emissus abiit in Italiam, illa in carcere Mariæ mortem & regnum expectavit.

*Nuptiæ Mariæ cum Philippo.* Leges matrimonii Philippi cum Mariâ scriptæ sunt Anglis tam utiles quam necessariæ. Appulit ille in Angliam creatus à patre Carolo Rex Neapolitanus, ut Maria Regina nuberet Regi; sicque celebratum conjugium Wintoniæ; at ut Philippus coronaretur, Maria impetrare non potuit; ne dominum, non maritum accepisse videretur.

*Reginaldus Polus destinatur usque ad nuptias consummatas.* Reginaldus Polus, diu Dilingæ detentus, post multas querimonias Bruxellas perductus est, unde discedere prohibitus est nisi consummatis Philippi cum Mariâ nuptiis; tum verò ab iis evocatus in Angliam magnificentissimè susceptus est. Reconciliavit ille regnum Pontifici, & solvit anathemate; beneficia tamen relinquere coactus est laicis nobilibus, & eorum conscientiæ permittere, decimæ tantum Ecclesiasticis persolvi jussæ: cœnobia privatorum pietate resurgere cœperunt; omnia demum à Paulo IV. confirmata pacem diuturnam Ecclesiæ, sed frustra, spoponderunt. *Anglia solvitur anathemate.*

*Victoria Guisii in Belgio victi in Italia Strozzius.* A Carolo V. & Henrico II. in Belgio, & Italiâ vario exitu pugnatum est. Nam ad Fauquembergam virtute Francisci Guisii, fortissimi, & sapientissimi ducis, celebris est relata de Cæsarianis victoria. Contra paulò antea Strozzius à Marchione Mariniani Cæsareo duce, & Cosmo Florentiæ Duce, victus est imprudentiâ suâ ad Marcianum, & Senæ graviùs obsessæ, quas fortiter, & diu defendit Montlucius; ita Cæsaris & Henrici dolor & gaudium temperata sunt. Sed in Subalpinâ regione res feliciter omnino cessit sub Cossæo Brisaco experientissimo duce; sicut non malè in Corsicâ sub Thermæo, Turcis interea Italiæ littora turpiter infestantibus. Oblatum etiam à Cæsare Melitensibus Equitibus Aphrodisium, quod illi recusarunt, causati ærarii sui tenuitatem. Ita disjectum est muni- *Montlucius à Senis tuetur.*

munitissimum oppidum, ut neutri parti prodesset, quod alterutri poterat incommodare.

*Astracanum regnum cedit Moscho.*

Astracanum regnum hoc denique anno Joanni Basilidi cessit, metropoli, & emporio occupatâ ad fluvium Rha, seu Volgam, qui hic 70. ostiis in mare Caspium spargitur: Astracanenses omnes aut Baptismo sacro eluti divinam consecuti sunt vitam; aut contumaces aquis feralibus suffocati vitam corporis, & animi perdiderunt.

MUNDI 5608. CHRISTI 1555.

*Iosaphatus Patri. Templum suum exornat.*

Dionysio Patriar. Constantinopolitano mortuo suffectus est Iosaphatus metropolites Hadrianopoleos, qui arte & donis effecit ut Pescesium trium millium ducatorum, ad duo revocaretur. Templum quoque suum multis aureis vasis, & argenteis exornavit, Palatium variis ædificiis auxit, quod & muro castri instar præcinxit; vir elati ingenii, sed tumentis fastu, quò sibi non ita multò pòst accersiit infortunium.

*Craumerus caeditur.*

In Angliâ sævitum est in hæreticos; quando & Thomas Craumerus, Archiep Cantuariensis, convictus fictè recinuisse palinodiam, impœnitens, multaque in Ecclesiam deblaterans, vivus combustus est. In ejus locum suffectus est Reginaldus Polus jam Presbyter, hoc honore propter Regium sanguinem, eruditionem, Legationem Pontificiam, & obitos labores pro Ecclesiâ dignissimus.

*Parisiis Hæretici tolluntur.*

Parisiis paulò tardiùs in hæreticos animadversum, & cùm supplicia augerent potiùs eorum numerum quàm imminuerent, Episcopis non satis in greges suos vigilantibus, in quibus plures lupos, quàm oves reperere. In Germaniâ prudentiùs data cura Petro Canisio Jesuitæ ut Catechismum concinnaret, atque hæreticorum Catechismis opponeret, qui non modò tum profuit multis in Germaniâ, sed etiam deinceps sparsus per Orbem universum propositus est Doctrina purissima Christianitatis.

*Catechis. Canisii.*

*Iulio III. succedit Marcello II. mox sublatus.*

Hoc anno 10. kalend. April. obiit Julius III. ætatis 67. cum sex mensibus, & diebus quatuordecim. Sedis anno 5. cum diebus 44. De mortis genere pronunciare non licet, cùm aliqui velint eum veneno sublatum, alii imprudenti medicorum consilio, nonnulli inediâ dum fingit morbum ut Cardinales falleret. Obiit certè meliùs inito Pontificatu, quàm finito, cùm in Juliâ villâ ædificandâ totus esset, & cùm de cœlesti sibi parandâ domo, non terrenâ struendâ, cogitare debuisset. Huic suffectus est Marcellus Cervinus, vir laudatissimis moribus, & qui laudes suas etiam ab hæreticis expressit. Hic sine pompâ coronari voluit, servatoque nomine dictus Marcellus II. Sic autem Pontificatum inchoavit, ut ab eo expectarentur omnia: sed proh dolor! hunc, ut Marcellum Virgilianum, *terris tantùm ostenderunt fata*, elatus intra 22. dies, non sine suspicione veneni, in ulcus infusi, per chirurgum, quem nonnulli tantæ virtutis invidi, & ab eo sibi metuentes, corruperant. Vixit annos tantùm 54. sepultus tenui pompâ, sed cum multis lacrymis, quas nunquam meliori causâ Romani profuderant.

*Succe... Ca...*

Decimo autem kal. Junii suffectus est in ejus locum Jo. Petrus Caraffa Neapolitanus nobilis, filius Comitis Matalonæ, Episcopus Theatinus, & Theatinorum Clericorum alter institutor, coronatusque 7. kal. Junii dictus Paulus IV. qui cùm propter austeros mores reformidari se nimium videret, initio se lautum & magnificum præbuit: postea tamen ita se gessit, ut & Cleri sapiens censor, & Cardinalium prudens emendator, & deliciæ populi Romani, ab eo publicâ statuâ donatus, audierit.

*Sena dedit...*

In Italiâ post diuturnam obsidionem, & acerbissimam famem, Senæ deditæ sunt, emisso perhonorificè cum præsidiariis Francis Blasio Monlucio. Et primùm Philippo cessere; mox venditæ Duci Florentiæ, servatis tantùm quibusdam maritimis locis, ut tam Dux ipse, quàm Summus Pontifex in officio continerentur. Tum autem fœdus initum est inter Paulum, & Henricum II. de occupando regno Neapolitano. Oderat enim Carolum Paulus, & ut Pontifex, & ut Caraffa, in suis & in se jam sedente violatus. Quare & copias scripsit, quibus nepotes præfecit militares viros, & patruo morum asperitate simillimos.

*Pauli... cum... II fæ... Caro...*

*Mori... Ioann... matre... rol. V...*

Carolus V. mortuâ Joannâ parente suâ, satis piè, in manibus Francisci Borgiæ, olim Gandiæ Ducis, tum Societatis JESU Sacerdotis, 8. Kal. Novembr. Bruxellis abdicavit sese statibus suis, filio suo Philippo traditis, repetiturus Hispaniam privatus, ubi primùm per cœli clementiam pateret mare. Reservavit sibi dumtaxat centum millium aureorum possessionem, Ferdinando admonito, ut provideret Imperio. Ferunt illum paulò pòst facti hujus pœnituisse, dissimulasse tamen sibi factam à filio injuriam; quia faciliùs deponitur, quam resumitur Imperium.

*Caro... relin... statu...*

*Socie... Iesu... spani... Pari... exagi...*

Societas JESU, ut verè Jesu Societas probaretur, ut hic olim à Principibus Religionis Judaicæ, sic illa in Hispaniâ ab Archiepiscopo, Parisiis à Scholâ Sorbonicâ dirè exagitata est, decreto in eam edito quod tantùm in Hæreticos, & profligatæ vitæ homines pronunciari solet. Neque eâ de re admonitus Ignatius passus est quemquam ex Ordine suo hoc Decretum iniquissimum confutare, pollicitus magnam aliquando Parisiis pacem, & fructus uberes patientiæ, quos tum filii sui lacrymantes sererent, eorum postea successores cum gaudio meterent, graves nemini, inimicis etiam suis utiles, atque fructuosi, & agni inter lupos.

*Patri... cha Æ... thiopi... gitur... Societ... Ovied... mira... tientia*

Verùm aliud tum fuit Pontificis de hac Societate judicium: provisurus enim Æthiopiæ, ex eâ selegit Patriarcham Joannem Nonnium Barretum, cui adjunxit Melchiorem Carnerium Nicænum Archiepiscopum, & Andream Oviedum Hierosolymitanum adjutores, & si quid ei contingeret humanitùs, successores. Barettus nunquam Æthiopiam vidit; sed Oviedus in eâ impigrè usque ad obitum laboravit, in vitâ, & post mortem miraculis clarus, & eò redactus inopiæ, ut bubulcum agere, & aratro terram proscindere cogeretur, mortuus sanctissimè anno 1577. & nascentis Ecclesiæ præsulibus adnumerandos.

Dete-

Detecta est hoc anno per Nicol. Durandum cognomenti Villaganonium Equitem Melitensem, hortatu Gasparis Colignii Castillonis Franciæ Archithalassi, pars Americæ Meridionalis supra Brasiliam, quæ ab indigenis Ganabara, à nobis Francia Antarctica dicta est. Sed cùm deduxisset secum Ministellos Petrum Richerium Carmelitam excucullatum, & Guill. Carterium, statim ostenderunt se non esse idoneos ad procurandam aliorum salutem, qui neglexissent suam. Eò quoque perrexit Andreas Thevetus, primùm Franciscanus, qui de hac regione scripsit librum sed eâ fide, quæ à mendace simul, & incauto potest expectari.

Mortuus est hoc anno Pali in Benearniâ Henricus Labretanus Rex Navarræ, qui cùm aliquando titubasset in fide, antequam moreretur egregiè firmatus est. Sed reliquit Joannam filiam magnum hæreseos præsidium, cujus tamen acta impia filius atque nepos expunxêre, ac verâ religione, atque virtutibus obruere.

Obierunt & hoc anno viri docti perillustres Isidorus Clarius Brixianus Benedictinus Fulginas Episcopus, cujus Biblia celebrantur, Georgius Agricola Misnensis nobilis medicus atque Philosophus; Gemma Frisius Mathematicus, & medicus Lovanii, Orontius Fineus Delphinas item Mathematicus Parisiis; Petrus Gillius Albicensis, cujus habemus Constantinopolim, Bosphorum Thracium, & alia opera: ex Heterodoxis autem Conradus Pelicanus Rubeaquensis Alsatius Minorites Apostata; fortè & Wolfangus Lazius, ex medico Ferdinandi factus Eques, rerum Romanarum, & Germanicarum author locupletior, quàm accuratior.

MUNDI 5609. CHRISTI 1556.

Inducias quinquennales Philippus & Henricus juravere; hortantibus Mariâ & Reginaldo Polo, sed has dissidia Columnarum & Pontificis contraxerunt, cùm huic Henricus, illis Albanus tulisset auxilium. Missus est igitur in Italiam cum validis copiis Franciscus Guisius, jussus tamen parere Herculi Ferrariæ Duci Imperatori summo confœderati exercitus, cui tamen longè præcellebat. Hîc varia commissa sunt certamina, cunctantibus inter duas partes Venetis, & quo fortuna vergeret de more circumspicientibus.

Reliquit hoc anno Belgium Carolus V. & abdicavit Imperium, pervenitque in Hispaniam ad Laredum Cantabriæ portum cum Reginis Mariâ Hungariæ, & Eleonorâ Franciæ, & terræ salutatæ obtulit corpus suum, animum Deo; salutatoque Carolo nepote Vallisoleti, secessit in Extramaduræ vallem amœnissimam, in cœnobium S. Justi Hieronymitanorum non procul à Pallentiâ, duodecim sibi tantùm famulis, & uno equo ob imbecillitatem reservatis; ubi sic vixit, ut quotidie disceret mori, bonis tantùm operibus intentus, ut se tandem cognosceret, qui alios tam sæpe fefellerat.

Turcæ hoc anno accepere duas clades, unam minorem ad Oranum Africæ, unde repulsi sunt, alteram majorem ad Sigethum Hungariæ, unde rejectus est Hali Bassa missus à Solymano vegetâ propugnatione Marci Horvathi. Sed in Transylvaniâ feliciùs opitulati sunt Isabellæ; expulerunt enim omnes indidem Ferdinandi copias, verùm aliquantò plus sociis, quàm hostibus ipsis infestiores, & acerbiores.

*Moschus Societatem Germanicam optat, & abjicit.* Joannes Magnus Dux Moschoviæ hoc anno Societatem Germanicam optavit, seque Ferdinando adversùs Turcos socium obtulit, professus se Christianum; verùm id fide promisit Græcâ post biennium Livonico implicitus bello; & tùm gloriæ suæ, quàm religionis visus est sollicitior.

*Io. Sleidani obitus.* Obiit hoc anno Joannes à Sleidâ Ubiorum oppido dictus Sleidanus, sine cognomine, quia spurius, altero captus oculo, apud Bellajum Cardinalem enutritus, factus Lutheranus, vel Calvinianus, fugit Argentoratum, ubi suam scripsit historiam; sed eâ fide humanâ, quàm expectare debes ab eo qui divinam ejurarat.

*S. Ignatius moritur.* Mortuus est hoc item anno S. Ignatius Loyolæus Societatis JESU parens anno ætatis 65 cùm per universum Orbem filios suos in Collegia centum, & provincias 12. distribuisset; vir ad miraculum Christianæ Politices gnarus, & quem Armandus Cardinalis Richelæus politicos omnes longo intervallo superasse judicabat, ejusque constitutiones Ideam absolutissimam Christiani regiminis putabat esse. In vitâ & post obitum multis miraculis claruit; quorum primum & maximum, instituta JESU Societas.

MUNDI 5610. CHRISTI 1557.

*Guisius auxiliatur Pontifici.* Guisius in exilium Pauli IV. Pontificis adversùs Albanum optimè rem gerit in Insubriâ, indeque pergit in regnum Neapolitanum, ubi Civitellam frustra obsidet, & re infectâ recedere cogitur. Inde accitus à Pontifice Romam venit cum exercitu quia Albanus de invadendâ Româ cogitabat, & eâ potitus esset, nisi territus inusitato Urbis silentio, & veritus insidias, abscessisset, magis callidus quàm fortis Imperator.

*Pontifex Hispanis reconciliatur.* Pontifex 18. kal. Octobr. monitus à Guisio in Gallias revocato cum Albano paciscitur; ab eo veniam petit Albanus, ille vicissim Francico fœderi renunciat, omnibus parcit præterquam Columnis, & se victum, atque prostratum, factis ostendit. Tum autem idem quasi redditus sibi, ut paci, in hæreses & crimina accuratiùs inquirit; Cardinalem etiam Moronum custodiæ mancipat, aliosque complures, in severitatem tamen, quàm in clementiam pronior.

*Curat res Ecclesiæ.* Sed probare nemo potuit quod Cardinalem Polum, religionis columen in Angliâ, Legatione privaverit, huic iratus ob varias causas, sed in quibus Poli magis, quàm Pauli virtus eluceret.

*Sanquintinum obsidetur.* Denunciato inter Philippum & Henricum bello 7. Idus Junias Emmanuel Philibertus Dux Sabaudiæ præpositus Belgio cum 14. equitum millibus, peditum quadraginta, variis fictionibus Franco deluso Sanquintinum urbem ad fluvium Sommonam obsidet, malè instructam, atque paratam. Huic urbi ferre suppetias parabat Henricus ipse, sed impediit Annæus Monmorantius, qui cum 4. equitum millibus, sexdecim peditum, & 14. tormentis bellicis,

licis, dum hostem levioribus præliis detinet, in urbem immisit pulverem tormentarium, & pedites præsidiarios. Sed de reditu non cogitavit satis, & quem de die coram magno exercitu molitus est. Irruit enim in recedentem cum omnibus copiis Sabaudus, & prælio horarum quatuor insignem victoriam retulit prudentiâ suâ, virtute Comitis Egmondani. Multi nobiles cæsi, Joannes Borbonius Dux Anguianus, Antonius Regis Navarræ frater, Franciscus Turius Vicecomes Turenæ, aliique minoris notæ; captus ipse Monmoratius, Dux Longavillæus, aliique complures; majus dedecus, quàm damnũ acceptum est clade, quæ dicta est Sanquintina, aut Sanlaurentiana à die quâ contigit inter Essignium pagum, & Rizerollam castellum. Neque tamen despondere animos Gaspar Colinius Franciæ Archithalassus, & Andelotus ejus frater; verùm muris per tormenta aut cuniculos subrutis, cùm octingenti tantum propugnatores superessent ex militibus, & fortissimis civibus, urbs per vim capta, in quam sævitum crudeliter, adeo ut tota sanguine natarer. Capti duces duo, aliique nobiles; sed ex eorum manibus primâ nocte fugit Andelotus. Minuta oppida tantùm, & prædæ ex agris, tantæ victoriæ duntaxat præmia fuerunt.

*Clades Sanq. intina, seu Laurentiana.*

*Sanquintinum capitur.*

Henricus ex hac clade factus sapientior Helvetiorum 14. millia evocat, atque ex Germanis auxilia, &, quod caput fuit, Franciscum Guisium accersit ex Italia tantis copiis præesse dignissimum. Is ne tanto exercitu abusus esse videretur, & Regis de se judicio defuisse, Calisium etiam hyeme aggredi parat, & hostibus aliò aversis obsidet Kal. Jan. nihil duos veritus Reges, quodque mirandum magis, anni tempestatem.

*Guisius evocatus ex Italia. Calisium aggreditur.*

Obiit hoc anno Olysippone Idibus Junii, Joannes III. Lusitaniæ Rex, omnibus virtutibus exornatus, sed quibus pietas præcellebat. Ei successit Sebastianus, ejus ex filio Joanne ante defuncto posthumus nepos, tum trimulus, sub tutela aviæ Catharinæ sapientissimæ fœminæ, per quem sic institutus est puer, & per tantos, talesque viros, ut eam educationis suæ non pœniteret.

*Joan. III. Lusitano succedit Sebastianus.*

Buaconis reditu turbata est Africa, quem Lusitanus juvabat: sed hoc victo per Turcas, ab his idem Buaco petit auxilium, & restituitur in Regnum Fessæ, expulso Xeripho. Hic tamen iterum aggressus Fessam, cæso in prælio Buacone eam recepit: verùm mox à Turcis proditus atque cæsus regnum reliquit filio Abdalæ, qui Imperio reparato, atque firmato, longè patre felicior fuit.

*Africa turbatur à Cheriffis.*

Livones cum Moscis diffidere cœperunt, quibus turbis initium dedere hæretici Torpati, eversis Ritus Græci Basilicis, unoque in foricas turpiter converso. Quam ob causam Moschus Torpatensem agrum fœdissimè vastavit, & deinceps Livoniam universam: nec finis calamitatum fuit, nisi cùm eam obtinuere Poloni, qui & ab ea depulerunt hostes, & longè mitius jugum, quàm Livonici Equites, imposuerunt, nec boni domini, nec propugnatores.

*Livonicũ bellum exoritur.*

MUNDI 5611. CHRISTI. 1558.

Guisius, acerrimâ tormentorum verberatione, quæ etiam Antverpiæ audiebatur, intra 7. dies Calisium ad deditionem adigit, quod jam ab annis ducentis & decem Anglicum ferebat jugum. Sic Anglis erepta est Franciæ clavis, quam è zona Regis sui pendêre jactabant. Sat duris autem conditionibus emissi sunt: Domfrontius præfectus cum aliis 10. arbitrio Guisii servati sunt, omnia tormenta bellica, vexilla, suppellex, aurum & argentum oppugnantibus cessit; milites remissi, civibus libertas data aut abeundi, aut remanendi. Calisii fortunam secutæ sunt Guisna & Hama, Anglis nihil relictum ubi pedem in Francia ponerent; uno verbo abolita Sanlaurentiana clades, & obruta etiam tanto facinore hujus recordatio.

*Calisiu[m] Guisiu[s] occupa[t]*

Usus sapienter felicitate suâ Guisius Theodonis villam obsedit, & cepit; in qua obsidione cecidit Strozzius Mareschallus, cui Thermæus Calisii gubernator successit. Tum quoq; in locum Francisci Colinii Andelotii, præfecti peditatus Gallici, electus est à Rege Blasius Monlucius, vir fortissimus, & scientissimus rei militaris. Colinius enim interrogatus à Rege quid sentiret de Missa, impiè responderat; & interiisset, nisi eum Monmorantius avunculus, & Diana Pictaviensis eripuissent supplicio. Nec tantùm hic hæresin professus est, sed & Archithalassus ejus frater, & Odettus Cardinalis qui hâc quoque labe infecit purpuram, quos tùm sapienter sustulisset Henricus, & meliùs consuluisset familiæ suæ, si plus Ecclesiæ, quàm suis amoribus tribuisset.

*Theod[onis] villa[m] capit.*

*Andel[otus] exaut[hora]tur.*

*Henri[cus] nimiu[m] favit[...] næ Pi[cta]viens[i]*

Thermæus captâ Dunkerkâ dum Calisium redit, & prædam sollicitiùs quàm par esset, servare cupit, ab Egmondano Comite ad Gravelingam grandem accepit cladem, vulneratus, & captus. Quibus fortunæ alternantis casibus permoti Reges ferociam posuere, quam & emolliebat Monmorantius fide datâ liber emissus, & de captivo factus optatissimæ pacis sequester, sed non satis honestæ.

*Therm[æus] victu[s] captu[s]*

Parisiis 13. Kal. Maji celebratæ sunt nuptiæ inter Franciscum Delphinum & Mariam Scotiæ Reginam. Fremebant interea hæretici Scoti; & quia non comprimebantur, etiam Catholicis insultabant, & Ecclesiæ; unde prima mali Scotici labes, quæ mox in Reginam ipsam innocentem redundavit.

*Mari[a] Scota[...] Franc[isco Del]phino*

Obiit 17. Kal. Dec. Maria Angliæ Regina, regni sui anno 5. mense 4. ætatis 44. ex hydrope, & fortè ex mœrore capti Calisii, aut certè quia contemnebatur à Philippo. Statim Maria Scotiæ Regina, se quoque Angliæ Reginam dixit, & jubente socero usurpavit insignia Regni. Sed ab Anglis electa est Elizabetha, mulier ingeniosa & solers, & professa tantùm hæresin, ne natales ejus Ecclesia damnaret; verè nullius religionis, sed Regni tantùm solicita, unicuiq; initio sui Principatus liberam religionem, permisit. Auditâ Mariæ morte Reginaldus Polus Cardinalis ex quartanâ decumbẽs febre, intra sexdecim horas obiit, ætatis año 58. cùm dimidio; vir pietate, eruditione, prudentiâ nulli secundus, & à plerisque

*Morit[ur] Maria Anglia[e Re]gina.*

*Succed[it] huic E[li]zabeth[a]*

*Morit[ur] Cardin[alis] Polus.*

que judicatus Summo Pontificatu dignissimus. Hæredem omnium bonorum suorum scripsit Aloysium Priolum veterem amicum suum, qui statim omnia in pios usus effudit, nihilque sibi præter Breviarium, & Diurnale tanti viri reservavit. Sepultus est optimus Præsul Cantuariæ, in Sacello S. Thomæ cum hac Epigraphe ***Depositum Cardinalis Poli***, in omnium animis splendidius monimentum consecutus.

*and. ctor.* Francofurti agnitus est Ferdinandus Imperator ab Electoribus; quod improbavit Pontifex, & ut Imperio renunciaret, quandiu vixit, expetiit; quæ tamen Pauli pertinacia cum ejus vita evanuit.

*r s V.* Mortuus est hoc año XI. kal. Oct. Carolus V. cùm vixisset annis duo de sexaginta cum 7. mensibus; cujus mortem cometes insignis sub Coma Berenices prænunciasse creditur; vir magnæ prudentiæ, sed quæ in calliditatem vergeret, futurus sine dubio totius Europæ dominus, nisi Franciæ Reges impediissent, à quibus multùm accepit damni, aliquanto plus reposuit. Mortuus est autem pientissimè, & non uti olim, sed paulò ante vixerat. Filium unum reliquit legitimum Philippum, & filias duas Mariam Maximiliani, & Joannam Principis Lusitani conjuges; ante conjugium Margaritam Octavii Parmensis uxorem, & viduus Ratisponensi fœminâ Joannem Austrium bellicosum ducem. Præscripserat filio reddere Navarræ regnum, ut non suum, quod & alii fecisse deinceps perhibentur; sed grande periculum id aliis peragendum relinquere, quod ipsæ præstare possis.

*Zo- Epi- er-* Mortuus est hoc anno cæsus ab Equitibus 15. Melchior Zebellus Episcopus Herbipolitanus jussu Grumbachii, qui demum detectus, & post aliquot annos captus, ipse sui miserandus tortor extitit, sibiq; custodibus sopitis laqueo fregit gulam. *Iu- ali- ne- Ti- us,* Obiit quoq; Julius Scaliger criticus & vates bonus, cui sua superbia multos adversarios, sicut & filio ejus Josepho hæreditarius fastus peperit. Denique extincti sunt Joannes Fernelius Ambianus medicus Regis, vir tersissimæ latinitatis, & Andreas Tiraquellus Fontenæus Picto, vir doctissimus, & fœcundissimus pater, qui singulis annis & singulos libros, ac liberos, edere solitus erat.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5612. | 1559. |

*hes* Bajazethes victus à fratre Selimo fugit cum filiis ad Tamasum Regem Persarum. Veritus Solymanus familiæ suæ turbas, egit cum Persa & pollicitationibus & minis, uti rebelles illi tollerentur; misso qui eos probè noverat pocillatore suo; omnes itaque arcus nervo strangulati pacem Imperio Turcico peperere.

*IV. ex- po-* Paulus IV. in nepotes suos severè animadvertit; Cardinalem enim Caraffam Bononiâ submovit; Joannem, Imperio exercitus Ecclesiastici; Marchionem Montis-belli, custodiâ Palatii Apostolici, omnesque relegavit: cæterùm id tam placidè, ut non de suis, sed exteris statuisse videretur. Tumque multa constituit quibus emendari potuerat Roma, & Pontificis palatium, si his remedium posset adhiberi.

Tum quoq; 4. Id. Maji Paulus IV. Episcopatus Cameracensem subditum Rhemensi, & Ultrajectensem Coloniensi, mutavit in Archiepiscopatus, cui adjunxit Mechliniensem, qui dictus est Belgii Primas. Et *Mechliniensi* attribuit Episcopatus Antverpiensem, Brugensem, Gandavensem, Yprensem, Ruremondensem, Buscodecensem; *Cameracensi* verò Atrebatensem, Tornacensem, Santaumarensem, Namurcensem; denique *Trajectensi* Deventeriensem Groningensem, Harlemensem, Leovardiensem, Middelburgensem, & iis omnibus civitatibus dati sunt illustres Episcopi: verùm qui jam Belgæ propendebant in hæresin, inde rebellandi sumpserunt occasionem, ac sibi novum imponi jugum stolidè crediderunt.

*Novi Episcopatus in Belgio.*

In Anglia visus est efferare Paulus IV. Elizabetham, sed ad ferociam facibus non indigebat; nam hæresin fovebat in pectore, agnatum crudelitati malum. Sævit itaque in Catholicos & Religiosos, novamque inducit Religionis formam, ut se Anglicanæ Ecclesiæ caput ostenderet. Cùm autem ejus nuptiæ prensarentur à plerisque, se quoque pluribus ostentavit, sed ad nuptias inepta, & subditos suos, & procos irrisit.

*Elizabetha furit in Catholicos.*

Tum Philippum inter & Henricum constituta pax sequestro Monmorantio, pertæso carceris sui, sed magis incrementi Guisiorum. Accidit hæc toti orbi gratissima, sed perniciosissima Gallis, cùm per eam centum nonaginta octo urbes, aut oppida reddiderint, ut Sanquintinum, Hamum, & Castelletum, hoc est urbem unam, & oppida duo reciperent; sed placebat in gratiam sui Monmorantii Henrico uvas edenti, quibus filiorum ejus dentes obstupuerunt.

*Pax inter Phil. & Henricum Francis damnosa.*

Repetitæ sunt ab Imperatore ex Augustano Conventu Metæ, Tullum & Virdunum; sed cùm Cameracum, & Trajectum urbes non essent redditæ, nec ab ipso Ferdinando Constantia, ultra verba hæc controversia non processit, repetitæ tantùm, ne non repetitæ esse viderentur.

*Repetuntur urbes Imperiales.*

In eodem Conventu Religionis libertas in Germania stabilita viedtur esse, Ferdinando protestante per se non stare quominus omnes ad avitam religionem redirent, cogere se neminem, sed tantùm mali majoris metu.

*Libertas Germanis Relig. relicta.*

Actum quoq; in his Comitiis de conservanda Livonia; sed cùm oblata essent tantùm Livonibus centum aureorum millia; hi Polono arces octo oppignerarunt, ut ab eo defenderentur, ita tamen, ut sexcentis aureorum millibus redimi possent. Nihilominus arx Vedinum capta cum Furstembergio Magistro, qui dignitatem suam in Gothardum Commendatorem transfuderat, cum Mariemburgo. Ravalia quoque adeo pressa, ut se Sueco, contempto Sigismundo dedere cogeretur; Moscho identidem cum ingentibus copiis in eam quotannis irrumpente, & omnia, locustarum more, depascente: ita miseri Livones, Dominorum suorum luebant ignaviam.

*Livonia se Polonis dedit.*

Parisiis celebratæ sunt nuptiæ Elizabethæ filiæ Henrici II. cum Philippo, variis concertationibus, & hastiludiis, in quibus se bellato-

*Nuptiæ Elizabethæ filiæ Henrici cum Philippo II.*

rem excellentiſſimum, & equitem optimum ac robuſtiſſimum Rex oſtendit, duobus diebus: tertio die, & 3. kal. Julias, impeditus licet ab uxore, ſomnio deterritâ, cum Gabriele Comite Mongomerico filio Lorgii Scoti cohortium prætorianorum duce, equite optimo & valentiſſimo, quamvis repugnante, decertare voluit. In decurſu lanceis fractis τὸ χίδιον haſtæ Mongomerianæ, in buculam apertam galeæ Regiæ irrumpens per oculum ad occiput usque penetravit, ex quo vulnere titubans, relatus in palatium, poſt dies undecim, ſine ullo ſenſu, læſo cerebro, 6. Idus ejusdem menſis expiravit, cum ingenti Catholicorum dolore, gaudio heterodoxorum. Reliquit ex Catharina (quæ decennio toto ſterilis fuerat, ob τῶν ἐμμήνων ſuppreſſionem, ex qua ſanata fuerat per Fernelium) filios quinque, & totidem filias, quorum reliquit 4. filios ſuperſtites, Franciſcum, Carolum, Henricum, & alium Franciſcum Ducem Alenconienſem, & tres filias Elizabetham Philippi, Claudiam Lotharingi, & Margaritam Henrici IV. nihilominus in tam multiplici prole ſtirps Valeſiorum defecit. Succeſſit patri jam Scotiæ Rex ex Maria uxore Franciſcus II. annos natus ſexdecim cum dimidio, qui ſtatim Mommorantium, & Dianam Pictavienſem expulit, & duobus Guiſiis Franciſco, & Carolo Cardinali ſe commiſit, huic ærario, illi armis concreditis. His Mommorantius opponere conatus eſt Antonium Borbonium Navarræ Regem; ſed cùm hic mitioris eſſet ingenii, & nimis tergiverſatus eſſet, prope ſibi accerſiit infortunium. Olivarius Cancellarius reſtitutus eſt, depulſo Bertrando Procancellario; evocatus Româ Cardinalis Turnonius vir ſapientiſſimus; ablegati ſpecie honorificæ legationis Condæus Princeps, & Rupiſurio in Belgium ad confirmandam pacem, & torquem S. Michaelis deferendum; nova eſt in aulam inducta facies, ſerena primùm, mox origo magnæ tempeſtatis.

*Henricus in haſtiludio caditur.*

*Succedit ei Franciſ. II.*

*Turbatur Aula Francica.*

*Calvinianis Annas Burgius exuritur.*

Interea ſævitum acriter in Calvinianos, quorum plerique addicti flammis; qui exinde acerbiſſimis ſcriptiis in Guiſios furere cœperunt. Tum eliſis prius faucibus combuſtus eſt Annas Burgius cùm priùs ad omnia tribunalia appellaſſet, in omnibus damnatus eſſet, etiam petitus à Friderico Palatino; habitus ab hæreticis martyr, vir conſtantiſſimus, & cui ad martyrium non pœna, ſed cauſa defuit.

Philippus relicta Margaritâ ſorore ſuâ Belgii procuratrice Hiſpaniam repetit, ad quam deducta eſt magnificè Elizabetha. Hic ſeverè animadverti juſſit adverſus ſeſe inſinuantes in Hiſpaniam hæreticos, exemplo Francorum doctus, initiis potiſſimùm ejusmodi hominum inſaniæ eſſe providendum. Quando & Bartholomæus Caranza Archiep. Toletanus (is Concilia in Epitomen compegit) ſuſpectus duntaxat hæreſeos in carcerem datus eſt; ſed hunc defendit Martinus Navarrus Aſpilcueta, qui eum nunquam deſeruit. Catechiſmus ejus inter libros prohibitos adhuc numeraretur; unde author minimùm ſuſpectus eſſet, niſi tantum adſtipulatorem habuiſſet.

*In Hiſpaniam providetur ne hæreſis ſerpat Caranzam Arch. defendit Navarrus.*

Turbata eſt hoc anno Scotia per Joan. Knoxum ſceleratiſſimum Apoſtatam Presbyterum, cui ſe adjunxit Jacobus Stuartius nothus Jacobi V. ex Priore Monaſterii Santandreani factus poſtea Moraviæ Comes. Has turbas qui ſopire debuerunt Franci imprudentiâ ſuâ, ac levitate ſibi innatâ foverunt. Miſſus tamen Legatus Pellevæus, ductis ſecum 3. Doctoribus Pariſienſibus, multos revocavit ad fidem. Quare deſperati rebelles hæretici confugerunt ad Elizabetham Reginam Angliæ, ei armorum Francicorum intentantes metum, quibus perturbata eſt, aut voluit videri perturbata.

*Ioan. Knoxus & Iacobus Stuartius Scotiam turbant.*

Hoc anno Coſmus Dux Florentiæ inſtituit Ordinem Equitum S. Stephani Martyris; & Florentiæ Epiſcopi, quia die feſto hujus Sancti ad Marcianum cum Marchione Mariniano Francos profligaſſet. Vivunt hi Equites ſub Regula S. Benedicti, profitentes caſtitatem, ſed conjugalem, quos Romani Pontifices etiam ſuis laudibus ſæpe cohoneſtarunt.

*Ordo Equitum S. Stephani Fl... Epiſcop. ... Martyr.*

Obiit hoc anno Chriſtianus III. Rex Daniæ, atque Norvegiæ firmatâ hæreſi Lutheranâ; cui ſucceſſit Fridericus II. Hic ſtatim Ditmarſos olim ſubditos Archiepiſcopo Bremenſi ſibi asſeruit per Joannem Ranzovium fortiſſimum Ducem. Sic populi illi rebelles in Eccleſiam, libertatem filiorum DEI, ſimulque avitam, miſerabiliter perdidere.

*Chriſtiano III. ſ... cedit Fridericus I...*

Eodem anno mortuus eſt Paulus IV. 15. kal. Sept. ætatis 83. Pontificatus 4. cum 2. menſibus, & diebus 24. confidenter expirans. Qui autem alias adeò populo gratus fuerat, nepotum culpâ huic adeò inviſus fuit, ut ejus ſtatua malè acciperetur, & Caraffarum ſtemmata totâ urbe abolerentur. Vir tamen æqvus fuit, & propoſiti tenax, & aliis affinibus, atque temporibus dignior.

*Moritur Paulus ...*

De eligendo Pontifice diu inter Cardinales concertatum: quorum plerique ſubito motu Laynium Societatis JESU Generalem, virum omni exceptione majorem eligendum proclamarunt. Sed tandem in die Natalis Chriſti, omnes in Joannem Angelum Medicinum Mediolanenſem convenerunt. Coronatus eſt 8. Idus Jan. dictusque Pius IV. cujus cellæ ſupervolitans columba, & in ea quieſcens creditur Pontificatum prænunciaſſe, multis ut ad ſuam veniret exoptantibus, & huic libenter porrecturis manum.

*Sufficit... ei Pius...*

Obiit tum Romæ ſanctiſſimè, & patientiſſimè, Robertus Nobilis Julii III. ex ſorore nepos, & anno vitæ 13. factus Cardinalis, electionem ejus improbante nemine. Vixit tantùm annis 17. ſed jam maturus cœlo, & meritis, quàm annis cumulatior. Huic quoq; accenſebis Joannem Gropperum Cardinalem magnum hoſtem Proteſtantium; Aloyſium Lipomanum Venetum, Epiſcopum Veronenſem eruditiſſimũ virum; Ruardum Taperum Lutheranis nimis notum; Joachimum Perionium, virum exquiſitiſſimæ Latinitatis; Franciſcum Duarenum Armoricum Juris conſultiſſimum; deniq; Robertum Stephanum Pariſienſem Typographum, qui profugus Lutetiâ, extulit ſecum characteres Græcos Genevam, pu-

*Robert... Nobili... Cardin... obit.*

*Idem G... perus, ... pomanu... Taper... Perion... Duare... Rober... Stepha...*

rioris in utraque lingua sermonis virum, quam vitæ ac religionis.

MUNDI 5613. CHRISTI 1560.

Salutare hoc año exemplum in Pontificum nepotes initio sui Pontificatus statuit Pius IV. Carolo & Alphonso Cardinalibus, & Joanne nepotibus Pauli IV. cum aliis eorum affinibus in Molem Hadriani, & multis eorum clientibus domus Caraffæ in publicum carcerem conjectis. Post novem menses causâ eorum diligenter excussâ, Carolus Majestatis convictus strangulatus est: Joannes ejus frater, cum Comite Allifano, uxoris fratre, perdidere capita, exposita mox in Ælio ponte, ad terrorem. Inventi sunt qui eos excusarent, ut magni viri ac divites nunquam patronis carent; & verò Pius V. eorum causâ iterũ retractatâ, honorem familiæ restituit, jusq; ad dignitates reddidit, quod tamen aliqui ex liberalitate magis, quàm ex æquitate factum contendunt. Alphonsus mitioris vir ingenii mitiùs etiam habitus, grandi ære, & Cameræ præfecturâ mulctatus obtinuit vitam. Ita Pius IV. Pauli IV. inchoatã duntaxat in nepotes suos austeritatem absolvit, eamq; legitimam fuisse demonstravit.

Tum autem idem Pius IV. sororum filios & filias ad se evocatos provexit & ditavit omnes: in quibus si peccavit, ex uno tamen obtinuit veniam, Carolo scilicet Borromæo Mediolanensi sororis Margaritæ filio, quem annos natum unum & viginti Cardinalem creavit, & postea Archiepiscopum Mediolanensem; in quibus ita vixit ut purpuram & infulas sanctissimâ vitâ atque virtutibus illustrarit.

Hæretici quærebant in Francia suæ factioni Ducem, specie in Guisios, quos etiam nonnulli Catholicorum oderant; nec Antonius Navarræ Rex propter mollitiem huic negotio satis aptus esse videbatur. Itaque substitutus est ei Ludovicus Condæus frater, miles bonus & fortis, sed inops, & ad quidlibet audendum paratus, cæterùm Guisiis infensissimus. Datus ei à Calvinianis Legatus Godefredus Barrius Renaudius, qui ut meliùs lateret se Sylvanum seu Forestum vocabat, vir acer, eloquens, ingeniosus, ac multis notus. Hic obitis provinciis, suorum Comitia Nannetas convocat, in quibus statutum adeundum Regem Blesis degentem, exautorandos Guisios, aut si resisterent cædendos; tum Condæum latentem sub nomine *capitis muti* locuturum. Verùm ea conjuratio per Avenellum quemdam causidicum patefacta est; quam ut eluderent Guisii Regem Ambaciam deduxerunt, supplicia de hæreticis remittenda curarunt, & accitis undequaque nobilibus Catholicis, & jussis cædi, atque dissipari, qui sine authoritate Regiâ conglobati venirent. Quare tum multi jugulati, capite mulctati, suspensi à præfectis provinciarum; ipse Renaudius interfectus, Ambaciæ, pependit ex patibulo, ejusq; capto secretario tota concidit patefacta conjuratio, cum magna rebellium cæde, Francisci Guisii gloriâ, quem Senatus Parisiensis titulo *patriæ conservatoris* cohonestandum putavit. Tum autem plerique putant exortum nomen *Hugonotorum*, de quo certi nihil statui potest. Similius verò, sic dictos à lemure Turonensi (alii Meldensem malunt) dicto *le Roy Hugon*, quoniam hi sectarii noctu conventus agebant suos, & quasi lemures discurrebant. Verùm nomine suo ignoti, cædibus, crudelitate, rapinis statim facti sunt toti Regno notissimi.

*Unde dicti hæretici?*

Interea Olivario vitâ functo Cardinalis Lotharingus Michaelem Hospitalium Cancellariũ creandum curat, contra domesticorum suorum sententiam, hæreticum Calvinianum, & Castilionæis fratribus addictissimum. Nova statim in Guisios inita conspiratio, quâ multi impliciti, ipsaque Catharina Regis mater, quæ regnandi studio tumultuum horum pars magna fuit. Quare ut præsentibus malis remedium aliquod quæreretur, indictus est Bellaquensis Conventus, in quo multa dicta sunt, nihil effectum, quoniam intestinis motibus Gallia, & Franciæ caput, & Aula, laborabat.

*Mich. Hospitalius fit Cancellarius.* *Aula turbatur.*

In Scotia rem Catholicam fortiter tuebantur Franci; cùm tamen iis ex Gallia nihil subsidii veniret, bello civili distractâ, turpis inita pax, Scotiæ & Franciæ, sed Ecclesiæ multò magis perniciosa.

*In Scotia pax inita est.*

Quoniam autem in Francia mentio facta erat Nationalis Concilii, Pius IV. Tridentinum Generale renovare parat. Quare indictum ad proximum Pascha, cunctaque expedita, ut jam denuò propemodum videretur inchoatum.

*Renovatur Concilium Trident.*

Inter hæc hæretici palam rebelles multas urbes occupant, inter cæteras Lugdunum, atq; Valentiã. Quibus Rex ut provideret Comitia Meldis indicta transfert Aurelias. In his captus Condæus addictus est morti: suspensum est tamen ejus supplicium, ob Regis Francisci morbum, qui obiit Non. Dec. ætatis anno duodevigesimo, Regni mense 17. cui in aurem infusum fuisse venenum creditum est ab Ambrosio Chirurgo Calviniano. Huic statim successit Carol. IX. años natus decem cum dimidio, dictus & Maximilianus; cujus tutelam artibus suis sibi Catharina mater vindicavit. Hæc in Comitiis Condæum absolvendum curavit, inter partes media, quas fovit, & divisit omnes, ut sola regnaret, mulier ex æquo callida & ambitiosa. Tandem absolutus est hic Conventus nullo alio fructu, de more, quàm ut vitia patefacta nullum remediũ acceperint, multi ambitiosiùs quàm fructuosiùs perorarint.

*Comitia Aurelianensia.* *Francis. II. moritur, succedit ei Carolus IX.*

Tripolitana expeditio contra Dragutem, qui hanc tenebat urbem, sub auspiciis Philippi suscepta, Hispanorum cunctatione, malis fœderatorum consiliis, excitâ ad Lotophagitem seu Gerbem insulam arce, pessimè cessit. Datum enim tempus expediendæ Turcicæ classi quæ Ducibus Piali Basâ, & Mustaphâ, classem Christianam oppressit duodeviginti millia Christianorum perdidit, & triremes 28. onerarias 14. cum multis minoribus navigiis. Fugere turpiter Christiani duces, capta arx Gerbensis, Turci de nostra calamitate triumpharunt.

*Tripolitan. expeditio infelix.*

Gonsalvus Sylveria Soc. Jesu Christanam fidem in regno Monomotapa multùm promovit, quam & suo rigavit sanguine, jussu Regis, quem sacris aquis intinxerat, impellentibus Mahumetanis

*Gonsalvus Sylveria pro fide moritur.*

tanis strangulatus,& dignus qui Dei causâ vitam cum multis laboribus effunderet.

*Gustavo Sueco succedit Erricus.*

Mortuus est hoc anno Gustavus Sueciæ Rex Lutheranus,cui filiusErricusXIV.successit.Obiit quoque PhilippusMelancthon Vittembergæ anno Climaterico,verè Adiaphoristes,& dubius in quam inclinaret partem. Et verò statuerat interesse Concilio,ejusque decretis acquiescere; quare post obitum ab aliis exagitatus, ab aliis defensus multorum scriptorum materies fuit.

*Centuriatores Magdeburgenses.*

Centuriatores Magdeburgenses, quorum caput erat Matthias Flaccius Illyricus rigidorum Lutheranorum caput, hoc anno Centurias suas emittere pararunt, exorsi à quartâ, quam Elizabethæ Anglicæ nuncuparunt. Coadjutores Illyrici fuere Joannes Wigandus,Matthæus Judex, & Basilius Faber,aliique permulti. Postea emissæ sunt Centuriæ seu Tomi XIII. ***Aureum opus*** ab Heterodoxis dictum, sed quod stramineum esse ostendit Cardinalis Baronius, unus par tot gladiatoribus pugil.

*Mortui Jo. Bellaius Cardinalis, & Andreas Auria, seu Doria.*

Obierunt denique hoc anno Jo. Bellajus Cardinalis Princeps sacri Collegii, Romæ, vir eruditione ac legationibus illustris, & Andreas Auria, seu Doria Genuensis, felicior si maturiùs è vivis abiisset; multùm enim senectus de ejus virtute remiserat, ejus famâ cum ipso senescente.

---

## CAP. VII.

## *Decas Septima.*

### *Ab anno Christi* 1560. *ad* 1570.

MUNDI 5614. CHRISTI 1561.

*De Concilio disceptatur inter Principes.*

PRotestantes in Germaniâ Namburgum Thuringiæ conveniunt acturi de Concilio, statimque parum concordes discessere. Catholici Principes huic acquievere; voluerunt tantùm aliqua verba in Diplomate renovationis emendari. Sed tulit graviter Philippus receptam à Pio Pontifice Antonii & Navarræ Regum obedientiam verùm iram suam Rex iste bonus, cum hoc Regno concoxit,& patris sui monita,quandiu vixit,parùm religiosè contempsit,successori suo quàm sibi melior.

*Pauci Episc. inchoant Concil.*

Inchoatum est Concilium à Legatis Tridentum per Pontificem missis;qui tantùm in hac urbe novem Episcopos invenerunt, cunctantibus cæteris,& quò ista vergerent expectantibus.

*Mommorantius Guisius reconciliatur.*

In Franciâ Mommorantius vir antiquæ probitatis perspectâ jam Hæreticorum malitiâ, desertis eorum partibus cum Guisiis ex animo reconciliatus est: non ita Condæus, idque tantùm præstitit, quia Rex imperabat; qui & tùm edictum in gratiam Calvinianorum emisit, & vetuit adhiberi voces ***Papistarum***, & ***Hugonotorum***, quasi contentionum seminaria. Denique Juliano edicto (sic à mense dictum est, quo exiit) ita cautum omnibus, ut spes certa Pacis ab omnibus meritò speraretur.

*Comitia Pontisara.*

Pontisaræ celebrata sunt Regni Comitia, in quibus ortâ controversiâ de loco inter Cardinales, & Principes Regii sanguinis, his adjudicata est causa, reclamantibus Turnonio, Lotharingo, & Guisio, qui interesse noluerunt, & collegas qui interfuerant, ut molliores increpuerunt. Secutum est Colloquium Pisciacense, cui Principes, Senatores, Cardinales, Episc. 40. cum Theologis delectis Claudio Espencæo, & Sanctesio Canonico regulari interfuerunt. Ab Heterodoxis stetere Marloratus Augustinianus Apostata, Theodorus Beza, Joannes Malo Presbyter desertor, PetrusMartyr,aliique.Inchoatum colloquium 5. Non. Sept. in quo eloquentes se juxta,ac impudentes hæretici præbuere. Confutarunt sese invicem Lutherani ,& Calviniani; utrosque retudere fortiter Cardinalis Lotharingius, & Laynius Societatis JESU Generalis, quem Cardinalis Ferrariensis Comitem adduxerat; qui & Reginæ sapienter ostendit, quàm perniciosa essent ista colloquia; quod & hujus exitus docuit, plusquam quadraginta millibus abductis à Catholica fide. Et verò non ita multò post Archithalassus Colinius, subnixus Cancellario, postulavit à Regina & Rege templa duobus millibus & quinquaginta (sicuti vocabant Ecclesiis) seu Synagogis. Sic in dies crescebant hæretici, partesque suas naviter tuebantur; nec in Francia modò, sed & in Belgio, ubi deficere à Philippo moliebantur, & in Scotiâ, ubi pænè extinctâ jacebat fides, studio JacobiNothi Comitis Moraviæ:adeò ut vix Mariæ Reginæ, quæ eò se receperat, religionis Catholicæ liberta, relinqueretur:in vallibus quoque Sabaudiæ jam non latebant Valdensium reliquiæ, sed efferebant caput, verâ ubique religione pessumdatâ, vel neglectâ.

*Colloq um Pi cen,e.*

*Cresc passim retici.*

Parisiis etiam ausi sunt Calviniani insultare Catholicis, eosque in suburbio San Marcelliano malè mulctare, conniventibus magistratibus: sed illico Catholicis animus rediit, à quibus incensa est sectariorum Synagoga,occurrentibus illico urbis præfectis, qui antea sederant otiosi, à quibus viles aliqui Hugonoti damnati sunt ad patibulum, ne hæresi favisse viderentur, & à Catholicâ plebeculâ ipsi discerperentur.

*Insult etiam tetia tholic*

Lectatio hoc anno instituta est à Pontifice ad Cophtos, cui adhibiti Christophorus Rodericius, & Joan. Bapt. Elianus Jesuitæ, dari comites Abrahamo cuidam Syro. Sed ab iis detecti sunt tantùm Cophtorum errores, & mores, sicut & fraus Abrahami, qui hanc legationem commodi sui gratiâ confinxerant.

*Legat Jesuit rum Copht*

Livones hoc anno se penitùs Sigismundo submiserunt, extinctusque Livonicus Ordo cùm 357. annis viguisset: Gothardus ultimus ejus Magister creatus est Dux Curlandiæ, & Semigalliæ,ac Livoniæ Gubernator. Extinctus quoque Rigensis Archiepiscopatus, & in Ducatum Transdunanum mutatus à Joanne Kothevicio, bonis Ecclesiasticis inter nobiles distractis; quæ omnia fuere fructus in Livoniam inductæ Religionis Lutheranæ.

*Apud voni ligio tholic defici*

Contigerunt quoque graves in Valachiâ, & Moldaviâ motus, per Jacobum quemdam Græcum veteratorem, qui per varios casus etiam Moldaviam occupavit, & Alexandrum legitimum

*Extin Ordo vonic In Wa chia, Molda motu*

mum dominum expulit: verùm post biennium à suis cæsus, finem vivendi, regnandi, fallendique fecit. Quare restitutus Alexander, cui mortuo successit Bogdanus filius, & huic Joannes, qui simul in unum locum ad hujus historiæ lucem fuere conjiciendi.

MUNDI 5615. CHRISTI 1562.

Resumptum est hoc anno seriò Concilium Tridentinum, & habita Sessio XVII. quo tempore plurimùm Gallia turbata est: adnitentibus enim Condæo, Coliniis & Hospitalio Julianum Edictum emollitum est, & factum Januarianum, quo multa perperam Calvinianis concessa, & quod habuit excusare apud Pontificem Carolus IX. Guisii verò tùm absentes Confessionis Augustanæ nonnullos ad partes suas pellicere studuerunt, cum iis collocuti ad Tabernas Alsatiæ *Zabern*, ubi Cardinalis spem iis aliquam reconciliationis injecit: quare malè Romæ, Tridenti, immo & in Francia audiit; quæ parum curavit ipse, hæc eloquentiâ suâ, atque vitâ refutaturus.

Vassiacenus tumultus, quo circiter 60. Calviniani impudentes cæsi sunt à comitibus Francisci Guisii, plus rumoris fecit, quàm eorum postulabat cædes. Sed aliunde classicum insonuit Condæus clamitans à Triumviris (sic vocabat Franc. Guisium, Mommorantium, Santandreanum, Christianæ fidei propugnatores) ignominiosè Regem detineri. Quare Hæretici ad arma convolant, Aurelias occupant, aliaque oppida, ubi Turcorum more deseviunt. Tum dirutum B. Virginis Clariacum templum, cadavera Ludov. XI. Principum Longavillæorum eruta, combusta, dissipata; Francisci II. cor Aureliis incensum, eversa S. Crucis ædes. Secutæ sunt fortunam Aurelianorum Rothomagus, Lugdunum, Pictavium, Andegavum, Turones, Bituriges; & idem periculum adiisset Tholosa, nisi fortiter repugnantibus Catholicis nobiles cum Blasio Monlucio auxiliatores advolassent. Tum quoq; Cluniacensis Bibliotheca à Ponsenaco Hugonotorum duce inflammata est, magno rei litterariæ detrimento, cujus jacturam nulla ætas, nulla pecunia resarciet.

Interea Tridentinum Concilium peragebatur, in quo magnæ concitatæ sunt inter Legatos Principum dissentiones, quæ in Ordinum quoque Generales transierunt. Difficultas erat de Laynio Jesuita, quem ceremoniarum magister post Generalem Clericorum Regularium collocarat; at repugnabant Generales aliorum Ordinum, & minabantur discessum; at Laynius ultimum expetebat locum, dummodo Clericis accenseretur. Tandem litis hujus componendæ causâ statutum ut ultimus sederet inter Episcopos, ultimus inter Generales peroraret, inter quos cùm emineret doctrina, & eloquentia tantùm gloriæ ex hoc consessu retulit, quantum dederat specimen modestiæ, ac religiosæ demissionis.

Idibus Novembr. Tridentum ingressus est Cardinalis Lotharingus, qui ita se gessit in hoc Concilio, ut omnes ejus ingenium, & eloquentiam mirarentur, multi etiam ab eo sibi reformidarent, qui abusus Ecclesiæ sublatos nollent, ad quos exterminandos illum & authoritate, & ingenio valere nimis intelligebant.

Pius Pontifex veritus ne in Concilio de reformanda Curia Romana tractaretur, eam ipse emendare decrevit sanctissimis constitutionibus, quæ multarum querimoniarum materiam adimerent: verùm eas facilius fuit statuere, quàm servare. *Pius IV. emendare parat Rom. Curiam.*

Maximilianus 8. kal. Decembr. Francofurti creatus est Rex Rom. jam coronatus Rex Bohemiæ, & utroque Principatu dignissimus. Ibidem Protestantes rationes suas proposuere cur Tridentinæ Synodo nollent acquiescere, sed quæ à contumacibus hæreticis expectabantur. *Maximil. creatur Rex Romanorum.*

In Francia bellum utrimque acriter gerebatur, & jam huic impares Hugonotti, ut auxilium impetrarent ab Elizabetha, huic Portum Gratiæ concesserant, idem quoque de Deppâ & Rothomago facturi. Sed hanc cum exercitu Regio oppugnavit Antonius Rex Navarræ, quàm tamen non subiit, nisi lethaliter vulneratus, & elatus triumphans humeris Helvetiorum, ac paulò post obiit Andeliaci, sibi mortem pro religione obitam gratulatus. Res quoque Heterodoxorum in Aquitania, virtute & consilio Blasii Monlucii nutabant; & Condæus se continebat Aureliis, atque indies obsidionem expectabat: cum rediens succinctus Hassianis copiis & Germaniâ Andelotus, sic ei restituit audaciam, ut jam de invadenda Lutetia cogitaret. Ubi tamen sibi negari pugnæ copiam videt, pergit in Normaniam ad excipiendos Anglos. Sed eum assecutus ad Drocas, *Dreux*, Connestabilis Mommorantius, invasit 14. kal. Jan. Pugnatum ab hora decima ad noctem; captus Dux utriusque partis Mommorantius, equo suffosso, atque vulneratus statim ductus est Aurelias. Cùmque jam se hæretici victores putarent, Helvetiorum invicta virtus, & industria Francisci Guisii eis victoriam eripuit. Captus Condæus à Damvilla filio Mommorantii; Archithalassus victus, quasi victor recessit, relictis tamen 4. tormentis, aliquot signis, & campo; Santandreanus captus perfidè cæsus; Guisius Condæum mensâ suâ, adeoque lecto suo dignatus est, & plus eum humanitate, quàm armis devicit. *Antonius Navarræus caditur.* *Pugna Drocensis.*

Duci Sabaudo profuere tumultus Francici; tum enim Laurinum, Cheriam, Villanovam recepit Pinarolum, Savilianum & Perosam reddidit. Auctus est & filio ex Margarita Caroli IX. amita, quem Carolum Emmanuelem dixit, & qui non ultima causa extitit benevolæ restitutionis. *Sabaudus res suas agit.*

Obiit hoc anno Franc. Justus Turnonius Cardinalis, & Collegii Princeps, eximius pietatis cultor atque litterarum, ideoque addictissimus Jesuitis, quorum in æde sepeliri voluit, nec ab iis vel morte disjungi. Mortuus quoque Joannes Medicæus Cardinalis, Cosmi Ducis filius, annos tantùm natus undeviginti: verùm de ejus morte scriptores non conveniunt; plerique omnes tradunt, eum cum fratre Garsia ex

aëris

aëris gravitate Grosseti mortuum esse; alii cæsum à fratre Garsiâ truculenti ingenii adolescente, quem Cosmus ipse pater convictum ex effusione sanguinis fraterni coram illo, sine furore, ex summâ æquitate interemerit, cum Brutis & Manliis componendus; immo iis sapientior, cùm jusserit taceri factum, ut simul æquitati atque familiæ consuleret.

MUNDI 5616. CHRISTI 1563.

*Franciscus Guisius ad Aurelias caditur à Io. Poltrocio.* Franciscus Guisius Regii ductor exercitus Anrelias obsidet, quam urbem Andelotus propugnabat; & hæc capta foret, nisi Guisius perfidiosè à Joanne Poltrocio Mereo cæsus esset, minori sclopo. Captus percussor fassus est se incitatum fuisse ab Archithalasso, Theodoro Bezâ, & alio Ministro cujus ignorabat nomen, monuitque Reginam ut sibi caveret à similibus sicariis, quos depinxit. Id maximè creditum de Bezâ, ejusque gregalibus, sanguinariis hominibus. Mortuus est autem religiosissimè Guisius 6. kalen. Mart. vir sine dubio, ætatis suæ maximus, & adhuc morte suâ quàm vitâ major, quam non pro vanâ, Regisque gloriâ, sed æternâ profudit ac Dei. Pax exinde cum Hugonottis inita, turpis quidem; (quare de eâ se Rex purgare coactus) sed uti monuerat Guisius moriens, hoc tempore sine dubio necessaria.

*Controversia de loco inter Legatos Hisp. & Francum.* Anno superiori inchoata de loco controversia inter Legatos Francum & Hispanum hoc anno continuata est; unde multæ in Concilio turbæ, & in quibus Francus non satis fortis, Cardinalis Lotharingus honoris Francici non satis sollicitus fuit: Rex Hispaniæ sapiens contentus Legatum suum unum fecisse gradum, ultra progredi vetuit.

Sed & lis ista anno sequenti continuata est, aut potiùs iterata, quoniam Legati Franci dum resistunt in Concilio molliùs, ad audendum adversarios invitarunt.

*Finis Tridentini Concilii.* Cùm turbaretur Concilium vehementioribus Ferrerii Legati Franci orationibus, & Legati Pontificii, ut ajunt, lupum tenerent auribus; suasione Lotharingi Cardinalis, placuit statim imponi finem Concilio, quem pariter omnes exoptabant, at Pontifice nemo magis. Breviato igitur deinceps Sessionum tempore, & capitibus de reformatione Principum (quæ plus facessebant negotii) ad unum revocatis, quod improbare posset nemo, finis est impositus Concilio per solitas acclamationes Prid. Idus Decembr. post ejus Sessiones xxv. Huic subscripsere 2. Legati, duoque alii Cardinales, 3. Patriarchæ, 25. Archiepiscopi, 168. Episcopi, 7. Abbates, 39. procuratores absentium, & 7. Generales Ordinum. In id Concilium maximè debacchati sunt hæretici, utpote quod non præsentibus modò, sed & hæresibus quoque futuris providisset, atque sic novatoribus non errores modò, sed & errandi materiam subtraheret.

*Maximilianus coronatur.* Maximilianus 6. Id. Sept. jam Rex Bohæmiæ, atque Romanorum, etiam Hungariæ coronatus est Posonii *Presbourg* ab Archiepisc. Strigoniensi; quo tempore etiam Rex fictitius sibi regnum arrogabat. Dicebatur in Macco Consentinus Calaber, qui etiam missum contra se cum copiis Legatum à Prorege, delevit. Tandem majori immisso exercitu victus est, atque ægrè captus, cum diademate tandem Consentiæ aureo laqueo suspensus interiit, etiam servatis in morte, quæ sibi spoponderat, insignibus regni.

*Sodalitates B. Virginis in Schol. Iesuitarum.* Cœptæ sunt hoc anno in scholis Societatis JESU, B. Virginis sodalitates, ac primùm Romæ, in quibus adolescentes quem debent omnes Christiani Deiparæ cultum, eidem perpetuum pollicentur; opus mirabile, ac propè divinum, ad juvenes in pietate simul ac litteris erudiendos; quibus Catholica religio decus suum, Religiosi Ordines alumnos, juventus mores innocentissimos debent; ipsa B. Virgo sibi singularem cultum, & castissimam venerationem gratulatur.

*Brodæus. Ferron. Musculus. Castalio.* Mortui sunt hoc anno Joannes Brodæus Turonensis vir doctissimus; Arnoldus Ferronus Senator Burdegalensis Pauli Æmilii continuator: ex heterodoxis verò Wolfangus Musculus Benedictinus Apostata Lotharingus; Sebastianus Castalio Allobrox Bibliorum concinnator, in quibus Deum potiùs Latinè curavit loqui, quàm syncerè, plusque in operibus suis se Gentilem, quàm Christianum professus est.

MUNDI 5617. CHRISTI 1564.

*Concil. Tridentin. recipit.* Tridentinum Concilium, quamquam obsisterent ministri Curiæ Romanæ, à Pontifice confirmatum est 7. kal. Febr. & Congregatio 8. Cardinalium instituta de ejus exsecutione. Non placuit tamen Principibus Ferdinando Imperat. Carolo IX. & Philippo II. sed omnium minimè Carolo. Quare veriti Pontifex, & Catholici Principes, ne in tenerâ Regis ætate, hæc alienatio noceret Ecclesiæ, ad eum Legatos misere, quos ita Rex excepit, ut se Christianissimum ostenderet, & ad servanda Ecclesiæ jura cæteris Principibus paratiorem.

*Carolus Molinæus Hæretic.* Edidit nihilominus consultationem magni nominis Jurisconsultus Carolus Molinæus; ideoque jussu Parisiensis Senatus in carcerem datus, unde tamen postea jussu Regis emissus est. Vir judicii sui nimis tenax, & qui non semel patriam potiùs quàm sententiam mutare maluit. Et sine dubio hæreticus fuit, ut ejus Epistola ad Joannam Navarræam arguit; quod qui negant, profectò cæcutire volunt, & plus amicitiæ, quàm veritati tribuere. Utrum autem resipuerit incertum, mortuus anno 1566. &, ut quidam volunt, munitus à Parocho suo omnibus Ecclesiæ Sacramentis, & paulò ante obitum evocatis tribus magni nominis Theologis; qui officio suo meliùs functi essent, atque sapientiùs, si eum ad mutanda scripta sua, vel ejuranda instrumento publico compulissent.

*Initium anni Francici.* Ductum est hoc anno in publicis instrumentis Regis jussu à Kal. Januarii, imbrius anni non à Paschate ut antea, sicuti diximus in prolegomenis. Quando & Rex invisere cœpit regnum suum, partibus ejus omnibus ritè lustratis provisurus. Parum placuit Aulicis hæc concursatio, maximè

ximâ cùm hoc anno terribilis hyems sævìisset, ac duobus mensibus totis rigentes fluvii admisissent plaustra, viatoribus sæpe nasus & aures decidissent. Tum autem Rex decretum emisit Ruscinone, *Perpignan*, quo aliquid detractum hæreticis videbatur, de quo graviter conquestus est Condæus, sed placatus verbis à Rege, quibus eum se reformidare nimis innueret.

Philippus post conservatum anno superiori fortiter Oranum, hoc feliciter occupavit Penolium, *le Pennon de Velez*, munitissimam arcem in Africæ littore quæ per Garsiam Toletanum citiùs capta est, quàm sperare potuerat, diffugientibus flagitiosè propugnatoribus. Infeliciorem expeditionem suscepere quidam Talismani Mahumetani; qui somniarant Mauros hoc anno totâ Hispaniâ potituros, urbium patentibus portis ad eorum fumigationes, & exorcismos: quod cùm tentassent collectâ incredibili Saracenorum multitudine ad urbem Milisiam Hispanorum, eâ de re admonitus gubernator Vanegas, ad eorum præstigia, jussit portas patere, quingentos admisit, reliquos demissâ catarractâ exclusit, omnium grandem edidit stragem, & tristissimum edidit hujus adeo decantantæ expeditionis rudimentum.

Detecta est hoc anno in Pontificis vitam conjuratio per Benedictum Accoltium, cum aliquot aliis insanis, nec minùs ære, quàm consilio egentibus. Ab uno è suis proditi, & quæstioni suppositi nihil aliud confessi sunt præter revelationes Angeli factas Accoltio, qui & ipse ridens inter tormenta obiit, suam tum etiam magis professus insaniam.

Scripsit hoc anno Georgius Cassander Brugensis Belga, invitatus à Ferdinando Imperatore, libellum *de officio viri boni in hoc Ecclesiæ dissidio*, nec probatum à Catholicis, & heterodoxis valdè odiosum, in hunc enim Calvinus suum virus evomuit, & in Franciscum Balduinum, quem hujus autorem putabat, cùm primùm exiisset sine nomine. Sed & eum proscripsit Ecclesia, & codicibus in primâ classe prohibitis adnumeravit. Neque diu postea ejus author superstes fuit, mortuus 3. Non. Febr. 1566. Coloniæ Catholicus, & vulgò malè sensisse, non contumaciter existimatus. ×falsum-

Mortuus est hoc anno Genevæ 6. Kal. Junias, ætatis anno 55. Joannes Calvinus, horrendis cruciatibus tortus, dejerans, ac Dæmonem invocans,× cujus mox præda futurus erat. Fuit totâ vitâ suâ morosus & asper, adeò ut hunc Bucerus× amicus rabidum appellaret canem, alii viperam, alii scorpionem, verè omnes loquerentur. Successit ei in Caliphatu Theodorus Beza amœnioris ingenii: quare Genevenses vulgò jactabant malle se cum Bezâ in inferis vivere, quam in cœlo cum Calvino.× ×falsum.

Obiit eodem anno Ingolstadii Fridericus Staphylus, annis 10. Lutheri comes, & ab eo sejunctus ob præclarum illum ac fœtentem exorcismum; vir Græcè ac Latinè doctus, atque Ferdinando à consiliis, quem in Lutheranos scribentem (quos ut ungues suos noverat) intempestiva mors oppressit.

Est hic quoque annus celebris morte Ferdinandi Imperatoris Viennæ 8. Kal. Aug. die festo S. Jacobi, uti antè prædixerat. Vixit annos sexaginta, menses 9. cum diebus aliquot; imperavit annis 7. vir religiosissimus, & amans Ecclesiæ, cujus pacem non semel suo antepofuit Imperio. *Ferdinandus Imp. moritur.*

Maria Scotiæ Regina, quòd eam turbaret Jacobus frater nothus, secundis nuptiis post longam disceptationem, quibusdam probantibus aliis rejicientibus hoc conjugium, nupsit Henrico Stuarto Catholico, & ex regio sanguine. In eum cùm insurrexissent rebelles, Jacobo duce, eos Rex collectâ subditorum fidelium manu profligavit, & in Angliam fugere compulit. Quæ sic narrantur à Buchanano, ut in eo fidem hæretici scriptoris, & splendidè mendacis expectes. *Maria Scotica secundæ nuptiæ.*

Mortuus est denique hoc anno Romæ Michaël Angelus Bonarotta, ætatis anno 90. pictor, sculptor, architectus excellentissimus, & antiquis aut par, aut superior. Æmulum habuit Raphaëlem Urbinatem pictorem; sed eo in ætatis flore sublato, sine dubio Principatum obtinuit. Delatum est corpus ejus Florentiam, pompam deducentibus 80. præstantissimis artificibus, curante funus ejus Cosmo Duce cui ut ejus avis, & posteris, plurimùm artes omnes liberales debent. *Michaël Angelus pictor moritur.*

MUNDI 5618. CHRISTI. 1565.

Josaphatus Patr. Constantinop. in Synodo quam coegerat ut ab ipsa ferret auxilium, exauctoratus ob Simoniam, in suum monasterium detrusus est. In hac vetitum aliquid recipere præter ἐμβατίκιον; quod fuit arborem succidere relinquere radices Simoniæ. Successit Metrophanes Cæsariensis Metropolita, qui licèt exosus quòd Latinos amare videretur, vicit tamen ejus prudentia eruditioni conjuncta; & temporum necessitas, quæ odium in Latinos sopiverat. *Simonia in Græcia.*

Solymanus compositis in Transylvaniâ rebus, & Sigismundo Wayvodâ reconciliato cum Imperatore, abruptoque victoriæ Germanicæ cursu, in Melitense bellum totus incumbit. Pudebat eum à paucis, ut ajebat, piratis illudi Imperio Ottomanico, expeditionem nullam in Turcos suscipi, cujus Equites Melitæ aut fautores, aut authores non essent. Et perierat hæc insula nisi Joannem Valetam Parisotum Ordinis magistrum nacta foret; maximè cùm hic ab omnibus imparatus esset, exhausto ærario, & qui ei auxilium toto mense Junio sanctè pollicitus erat Garsias Toletanus, Siciliæ Prorex, flagitiosè defuisset. Obsidetur ergo Melita per Mustapham Solimani propinquum, & Pialim Bassam 40. millibus armatorum, & navibus ducentis, præter eos qui cum Dragute Prosultano Tripolitano, & Chassane Algerii Rege, filio Barbarossæ, ex Africâ adfuerunt; sed adjecta ingens bellicorum tormentorum copia, & quibus tota insula concuti poterat. Erant in Melitâ circiter octo propugnatorum millia, & quod caput erat, iis præerat Parisotus. Principiò oppugnata est arx S. Hermetis, expugnata post 24. dies, duodeviginti *Melita obsidetur à Solymano.*

viginti globorum millibus in eam collibratis. In eâ cæsi mille ducenti Christiani, centum & decem equites, qui vulnerati etiam ex sedilibus ad mortem usque repugnarunt. Periere tamen supra quatuor Turcarum millia, & omnium instar Dragutes, quem duabus Melitis Solymanus redemisset. Nec tamen Parisotus hac clade demisit animos, sed magnâ alacritate Turcos excepit: donec arce S. Michaëlis & Burgo ad magnas angustias redactis 7. Idus Sept. Garsias diu tergiversatus adfuit, conviciis Equitum Melitensium, & obtorto collo tantùm non attractus, cùm jam vasa colligerent Turcæ & Melitam capi posse desperarent. Cùm nihilominus vidissent Ottomani adducta duntaxat auxiliatorum octo millia, ea delere cogitarunt, antequam jungerentur Parisoto, atque ex maris nauseâ reficerentur, expositis in terram raptim decem suorum millibus. Sed cùm Christiani in eos fortiter pergerent, perturbatissimè naves suas repetiere, multis suorum amissis, atque victoriâ prid. Idus Sept. quindecim millibus armatorum desideratis, octo nautarum millibus, & 78. millibus majorum tormentorum globis frustra ejaculatis. Parisotus ultimo perfunctus periculo, Deo grates egit, & reddere conatus est immortales: Solymanus, magnâ æquitate animi cladem hanc, aliis etiam conjunctam, accepit: Garsias denique ob præposteram cunctationem exautoratus, in suis ædibus consenescens, errati sui, vel Principis pœnas luit diuturnas.

*Jesuitæ Parisiis docent.* Societatis JESU Patres obtulere Senatui Parisiensi libellum supplicem ut juventutem erudire possent in scholis publicis, prout jam impetrarant à Rege, cujus voluntatem probari postulabant. Verùm reclamavit Academiæ Rector, & partes ejus consultatione peracerbâ Carolus Molinæus fovit. Pro Jesuitis eloquentissimè Petrus Versorius, vir in quo dicendi facultas cum virtute certabat; pro Academiâ peroravit Stephanus Pasquerius confusissimæ eruditionis, vitæque liberioris orator, simul consutis hæreticorum atque improborum mendaciis, & fabulis. Stetit & ab Academiâ contra Patres Joannes Baptista Menilius cognitoris Regii sustinens partes, ejusdem cum Pasquerio farinæ. At Senatus suspendit judicium sapienter, relictâ Jesuitis docendi potestate, tum adversus hæreticos necessariâ: non effeeratâ tamen Academiâ, in quam heterodoxi irrepserant, meliorum, & plurium authoritate coërcendi.

*Carolus IX. excipit Elizabetham sororem.* Carolus IX. interim lustrabat Aquitaniam, ubi & sororem suam Elizabetham excepit, multis spectaculis, & sumptibus in alios usus magis necessariis. Hîc hæretici suspicati sunt conjurationem inter duos Reges ad cos opprimendos; quare paraverunt arma, occultè tamen, querimoniis tantùm agentes, ut distinerent Regem; cumque incautum opprimerent: omnia disponente Colinio Archithalasso, quo in gerendis negotiis cautiorem sæculum istud neminem tulit.

*Hæretici Belgæ conjurant in Philippum.* Hæretici quoque Belgæ Francorum exemplo, ac monitis incitati, in Philippum conjurarunt, accensi duabus facibus, innatâ rebellione; & huic agnatâ hæresi. Ac principiò egere supplicibus libellis ut obtinerent libertatem, quam à Rege suo Franci extorserant. At Rex verè sapiens tergiversationibus petitiones elusit, & Tridentini Concilii decreta accuratè servari jussit: contra illi pararunt arma, quæ retundere quoque statuit ipse, edoctus Francorum damno, vi tantùm hæreticos ad obsequium sanamque mentem revocari.

*S. La[zari] Ordo [res]titu[tus].* Pius Papa hoc anno Ordinem militiæ S. Lazari, seu pauperum leprosorum ab Innocentio VIII. cum Rhodio conjunctum, servatum tamen in Franciâ Bonjaci, *Boigny*, in Diœcesi Aurelianensi, ubi erat Ordinis Sedes, à Ludovico VII. seu Juniori stabilita, restituit; eique propinquum suum Joanottum Castilionæum Mediolanensem præfecit. Verùm hoc mortuo Greg. XIII. magistratum assignavit Emmanueli Philiberto Sabaudiæ Duci ejusque successoribus; quod tamen in Sabaudiâ duntaxat habuit locum. Nam in Galliâ Lazarinorum bona collata sunt Ordini S. Mariæ de monte Carmelo, quem Paulus V. rogante Henrico Magno, instituit, cujus Magister creatus est Philibertus Nerestangus, vir fortissimus, & majori Magisterio dignior.

*Morit[ur] Pius [IV.]* Idem Pius Pontifex ex victûs intemperantiâ in morbum incidit, in quo munitus omnibus Sacramentis in nepote suo sanctissimo Cardinali Boromæo piissimè obiit 5. Id. Dec. annos natus ferè 67. cùm sedisset annos ferè 6. cujus optimum opus, licet non omni ex parte bonum. Carolus nepos factus Cardinalis, & Archiepiscopus Mediolanensis Præsulum lux, & exemplar, & cui si plures similes nancisceretur Ecclesiæ, nihil sibi ab hæreticis, & improbis Catholicis reformidaret.

*Chari[onis] Chron[icon] auctu[m a] Peuce[ro].* Prodiit hoc anno liber quintus Chronici Carionis expositus, & auctus à Gaspare Peucero Phil. Melanchthonis genero, quem meritò dixeris cloacam conviciorum in Pontificem, Ecclesiam. Orthodoxos, ideo tanto in pretio apud sectarios, quanto odio apud Catholicos, immo apud prudentes quoslibet rerum æstimatores.

*Mori[untur Tur]neb. G[o]veani Gesne[rus].* Obiit hoc anno Lutetiæ Hadrianus Turnebus, Andelii ad Sequanam nobili genere natus, verè Catholicus, ut scribit ejus discipulus Genebradus, eo præceptore gloriari solitus: Taurini quoque mortuus est Antonius Goveanus Lusitanus Poëta, Philosophus, & Jurisconsultus maximus: denique ex sectariis elatus est peste Conradus Gesnerus, multæ, sed malè ordinatæ, neque satis concoctæ, eruditionis.

*In Flo[ridam] damn[osa navi]gatio [Calvinistarum].* Instituta est hoc anno, seu reparata sub auspiciis Caroli IX. curâ Gasparis Colinii Architalassi in Floridam navigatio, duce Ribaldo cum 7. navibus. Hæc tamen extitit infelicissima, utpote ab impiissimis hæreticis suscepta. Nam Ribaldus ortam dissentionem auxit imprudentiâ suâ, & Carolinam arcem perdit, ubi Galli omnes sine discrimine ætatis, aut sexus trucidati. Ribaldus fugiens cum navibus, passus naufragium

fragium dedere se Hispanis coactus est, à quibus contra datam fidem necatus est cum sociis: sexcentos hac clade periisse volunt, malè acceptos ab Hispanis, sed minùs ex gentis odio, quam religionis.

MUNDI 5619. CHRISTI. 1566.

Excitatum est hoc anno à Solymano Hungaricum bellum, cui causam dedit Maximilianus, postulans ab eo fœdus eâ lege, ut Joannes-Sigismundus Transylvaniæ Princeps excluderetur. Iratus in illum aliunde Turca Legatum Cæsaris custodiri jussit, ipse licet annis gravis suscepit expeditionem in Christianos, ut Melitense dedecus relineret. Verùm antequam discederet Constantinopoli, Pialin Bassam maris præfectum occupare jussit Chium insulam, sub Genuensibus & Justinianâ familiâ sibi tributariam. Hanc sine cæde, sine armis calliditate sibi vindicavit, & à direptione, præterquam Ecclesiarum, abstinuit. Justiniani omnes Cassam abducti; 20. pueri ad Solimanum ac per vim circumcisi sunt, quorum nullus ejuravit fidem in tam tenerâ ætate, pæne omnes virgis cæsi periere. Quidam eorum, libertate pecuniis emptâ, repetierunt Italiam; cæteri postea, interveniente Carolo IX. patriæ restituti sunt cum umbrâ Principatus, ne insula nobilis, incolis demigrantibus, deserta relinqueretur. Quibus & impetravit ne inde pueri Constantinopolin abducerentur; quod etiamnum servatur accuratè. Chiis sub Ottomanico jugo placidè, sed prudenter, viventibus, & pietate magis suâ, quàm Principum suorum potentiâ tectis.

Solymanus Zygethum oppugnare parat, munitissimum Hungariæ oppidum duplex, duplicique arce munitum, paludibus circumfusum, extructo per Dravum fluvium, & paludes, ponte, mille passuum longitudinis; latitudinis 14. cubitorum, intra 12. dies, per Hamsam Quinqueecclesiensem Præfectum Turcam, quem suspendii metus intentatus à Principe per missum linteum, tam diligentem effecerat. Et obsidionem discutere potuisset Maximilianus Javarinum usque progressus cum ingenti exercitu, in quo Henricus Guisius, & plerique nobiles Galli militabant, si animi ipse satis, consiliarii ejus prudentiæ paulò plus habuissent; verùm dum cunctatur; diffluxere socii, urbs capta; quam tamen fortissimè Nicolaus Comes Zrinius tutatus est. Hic cùm se dedere honestè posset, cum 300. militibus reliquis, impressione in Turcos factâ, certus mori, non inultus cum suis occubuit, quatuor tantùm servatis. Triduo ante expugnatam civitatem prid. Non. Sept. obiit ex Apoplexiâ Solymanus; mors tamen ejus celata est à Mahomete Bassâ Selimi genero, donec in Asiâ agens Selimus, & coronaretur Constantinopoli, & veniret in Hungarica castra, intentato medicis & famulis metu pœnæ gravissimæ, si mors Principis vulgaretur. Quo facto militares inhibitæ sunt turbæ, servatus Solymani Thesaurus, alioqui diripiendus. Successit ergo patri annos natus quadraginta duos Selimus, multùm corpore, ac moribus dissimilis patri, qui tamen ejus felicitate usus, non minùs quàm pater nomini Christiano terribilis ac perniciosus extitit.

Auditâ Melitensi clade unus ex Tammasi liberis Babyloniam recuperare conatus est, immissisque Bagdetum aliquot suis, ab uno eorum proditus, regredi coactus est, & inire prælium in quo suorum 9. millia perdidit, ægrè reliqua tria retraxit. Excusavit hanc expeditionem Tammasus, quasi se inscio factam: non credidit Selimus, misitque Legatos qui Bajazeti apud Persas cæsi spolia repeterent; quod cùm unus ex iis præstaret superbiùs, huic Persa nasum, & aures amputari jussit. Hic cùm ad Turcorum fines rediisset, etiam jussu Selimi perdidit caput, ne Persicam ignominiam Constantinopolin deferret. Reliquo vitæ tempore Tammasus satis feliciter regnavit; quidam è contra fuisse infortunatum scribunt; neutris satis fide dignis, dum non sua & longinqua narrant. Sed nos jam ad certiora, nostraque redeamus. *Persa frustra Bagdetum tentant.*

Septimo Idus Januar. electus est Pontifex Cardinalis Alexandrinus, Ant. Michaël Ghislerius, patre aratore natus, licèt ex Senatoria familiâ Bononiensi, anno ætatis 14. factus Dominicanus. Coronatusque 16. kal. Febr. dictus est Pius V. Sub eo & Roma, & Aula, novam faciem sumpsit, sequi solita Pontificum mores. Tum de Fide suspectos inquiri jussit; Caraffas restituit; Melitenses etiam pecuniâ juvit ad statuendam Valletam; medicos post tertium diem ægrotum invisere vetuit, nisi confessum; ejusque provideri noluit corpori, qui animæ salutem neglexisset. *Pius V. creatur Pontifex.*

Molinis edictum exiit à Carolo IX. quo multa vitia sublata sunt; reconciliati in speciem cum Coliniis Guisii; illorum dissimulata clam nova proditio in Regem, & Reginam, per Majum quendam peragenda; qui tantùm ut grassator, non majestatis reus in rotam fractus conjectus est, ne dedecus in concitatores rediret. *Edictum Molinense Caroli IX.*

Erupit tandem hoc anno Hæreticorum in Belgio væsania; quando fœdere inito ad sanctam Gertrudem, non longè ab Antverpiâ, Henricus Braderodius, Guillel. Nassovius Guill. Arausicani Principis frater aliique viri nobiles ad 400. Nonis April. Bruxellis ex ædibus Comitis Culembergii prodeuntes quaterni, aut quini, magno silentio, quasi mimum agerent, in vestibus cinericiis, cum ligneis scutellis è zonâ pendentibus, & numismatis è collo pendentibus, ad Margaritam pervenerunt libertatem petituri. Hujus autem numismatis pars antica repræsentabat Philippum, postica duas manus conjunctas, & manticæ superpositas cum hoc lemmate *jusque à la Besace.* Margaritam perterritam ut firmaret Carolus Comes Barlæmontius exclamavit Gallicè; *Que veulent ces Gueux?* hoc est, Mendici; unde iis adnatum nomen, ut qui in Franciâ Hugonoti, in Belgio Geusii dicerentur. Proposuere tamen tùm placi- *Geusiorum rebellio in Belgio.* *Insignia Geusiorum.*

dè libellos suos ; quibus libertatem Religionis exposcerent ; at cùm in Hispaniam remissi essent, & Philippus necteret moras, atque adversus eos arma in Hispaniâ, & Germaniâ pararentur ; ipsi inclamantes, *Vivant Geusii*, rebellarunt, & Francicis hæreticis juncti, iisque sacrilegiis ac crudelitate pares, sacra omnia profanaque Antverpiæ, multisque in locis, miscuerunt. Restitere tamen iis fortiter quidam Catholici, qui & appenderunt sibi ex collo numismata cum imaginibus Christi ac Virginis, quibus & Pius Pontifex indulgentias affixit, ut eas quasi Fidei Symbolum Heterodoxorum numismatis, ac manticis opponerent.

*Scotica turba.*

In Scotiâ etiam truculentiores tumultus extitere, seu veriùs Tragœdiæ. Revocati enim in Scotiam Elizabethæ operâ exules hæretici induxere Henricum Regem, ut Davidem Reginæ à secretis, quasi ejus adulterum, coram eâ interimeret. Erat iste David cognomento Riccius, patriâ Taurinensis, musicus, & Catholicus bonus, qui ingenio suo ad eam dignitatem pervenerat : verùm cùm eâ superbiùs uteretur, alioquin infensus ob Fidem, hæc ei techna parata est. Cæditur ergo in oculis Reginæ, ut prægnans intempestivo partu ex metu, & horrore, fœtum perderet. Cùmque de occidendâ quoque Reginâ conjurati deliberarent, Rex Henricus magnitudine sceleris territus, ad eam quasi capita nonnulla propositurus accessit, ad ejus pedes accidit, totam retexuit fabulam, obtinuit vitam ; elusisque mox custodibus cum ea ad Dumbarum arcem profugit. Hic exercitu collecto, ambo iterum fugarunt rebelles, & eorum aliquot captos sustulêre suppliciis. Sed exulibus postea iterum Elizabetha veniam, & reditum impetravit in Scotiam cum Jacobo notho, hoc est iis ducem ad omnia scelera reddidit.

*David Riccius cæditur à Rege.*

*Rebelles in Scotiam redeunt.*

*Nascitur Jacobus postea Rex Angliæ.*

Mariam sic afflictam consolatus est Pius V. litteris suis, quibus addidit viginti millia aureorum. Hæc tum filium peperit, quem ægrè ritu Catholico baptizandum curavit, dictum Carolum-Jacobum, qui postea primum nomen omisit, dictus tantùm Jacobus, Rex simul Scotiæ, & Angliæ, proindeque Majoris Britanniæ, factus hæres regni materni, sed non religionis.

*Æthnæum incendium.*

Æthna mons in Siciliâ Kal. Dec. cum terribili terræ motû, & fragore, igneos fluvios evomuit, & campos ad mille passus ignito torrente exussit ac steriles reddidit ; ex consuetudine, majori damno, quàm terrore Siculorum.

Mortuus est tum Nostradamus, Fatidicus ille vates, Salone in patriâ suâ, cujus nomine deinceps multi abusi sunt ad vaticinia confingenda, ejusque versus recens conditos, quasi ab eo scriptos typis edendos curarunt, ut imponerent plebeculæ, huicque prophetæ nomen adsciscerent : quod tamen huic meritò concessum, nonnulli putant, virumque bonum fuisse scribunt, & hoc cœlesti munere, propter ingenuitatem, & probitatem suam non indignum.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5620. | 1567. |

*Induci[æ] Cæsari[s] Turcon[…]*

Hoc demum anno tandiu optatæ induciæ saltèm octennales initæ sunt inter Maximilianum & Salimum, minori tamen hujus, quàm illius commodo, cùm Cæsar paulò antè plura occupasset loca, quæ in possidentium manibus relicta sunt. Id perfecere pretiosa munera à Maximiliano missa; sicque verum quod cecinit Flaccus, *Munera navium savos illaqueant duces.*

*Henri[cus] Rex Sc[otiæ] cæditu[r]*

Henricus Scotiæ Rex Jacobum nothum perdere destinat, quo vivo nec ipse nec Regina tuti essent. Deterretur à Reginâ ; idque consilium subodoratus Jacobus, ad Henricum interficiendum excitat Jacobum Heburnum Comitem Bothuelium, huic injectâ spe nuptiarum cum Reginâ. Assentitur ille ; supposito pulvere tormentario cubiculum evertit, ac Principem necat. Postulatus ad supplicium absolvitur à judicibus consciis ejusdem sceleris, qui ei insuper dato instrumento publico Reginam despondent uxorem. Ille moræ impatiens, eam rapit, & ad nuptias consentire qua vi, quà blanditiis cogit. Verùm illicò rebelles in utrumque irrumpunt, at mutato habitu antequam caperentur ambo ; Dambarum fugiunt. Regina collectis copiis, rebellibus occurrit : negant hi sibi rem cum eâ esse, sed cum Bothuelio, si dimittat exercitum, & Bothuelium dedat, eam incolumem fore. Incauta utrumque præstat : at perfidi captam Edimburgum raptant, & compingunt in carcerem, indeque in arcem Levini lacus, *Lohlevin*, ignominiosè trahunt. Hîc de ejus nece, exilio, exauthoratione deliberatur. Cùm ergo per Knoxum Scotiæ Caliпham, & Moravium tum in Franciâ, quæ crimina promovebat, occultantem, Reginæ mors decreta esset, eam impediit missus ab Elizabethâ Trogmonius, qui Mariæ suasit, ut deponeret regnum, Jacobo relinqueret, cautione priùs editâ se id per vim facere. Statim ergo Jacobus Rex inauguratur ; Regina innocens postea detecta est, sicut & impostura Buchanani post homines natos mendacissimi omnium, atque impudentissimi calumniatoris.

*Regina Bothu[elio] nubit.*

*Capit[ur] & reg[no] deponn[ere] cogitur*

*Actum [de] nuptiu[s] Elizab[e]thæ cum Carolo [Ar]chiduc[e]*

Actum de nuptiis Caroli Archiducis, fratris Maximiliani, & Elizabethæ Anglicæ, quas non tam discussit religio, quàm quod hæc nubere nec posset, nec vellet ; nec ad matrimonium, nec ad ullum bonum opus habilis.

Geusiorum res in Belgio declinant captis Valenceniis, ac debellatis eorum auxiliis ; eorum aliquot laqueo, aliquot gladio necati. Antverpiæ quoque in seditione malè habiti sunt, conjunctis in eorum perniciem Catholicis atque Lutheranis. Quare fugit in Germaniam Bredenrodius, ubi ex mœrore obiit ; Arausicanus ad alia se scelera reservavit. Interea mittitur à Philippo in Belgium Albanus vir acer, ac recti tenax, & venit cum exercitu Bruxellas ad Margaritam

*Alban[us] Geusio[s in] Belgio agitat.*

xi. kal.

xi. kal. Sept. Nec ita multò pòst Lamoralium Egmondanum, & Philippum Mommorantium dat in custodiam, carceres implet reis, & per Belgium durissimas rebellionis, & religionis quæstiones exerceri curat, quarum metu 30. & amplius Belgarum millia in Angliam, Franciam, Germaniam profugere. Instituit & Concilium, quod propter acerbitatem Concilium sanguinis dictum est. Quorum pertæsa Margarita recessit in Italiam, cum Philippi veniâ; Arausicanus copias in Germaniâ confecit, cui Albani sæveritas plures & meliores in Belgio paraverat.

Ubi vidêre Condæus & Colinius, conscripta esse sex Helvetiorum millia & delectus haberi per Campaniam, ne exercitus Albani aliquid in Franciâ tentaret, rati has parari adversus se copias Regem prævenire parant, eumque cum Reginâ intercipere Moncelli ad Meldas. Habito militari consilio, statutum est Lutetiam esse reducendum Regem, ne in oppido Meldis parum firmo se debere cogeretur. Quare Rex mediâ nocte se committit viæ cum octingentis nobilibus, & sex millibus Helvetiorum agminis latera præcingentibus, & paratis mori. Vix emensus erat leucas quatuor cùm apparuit Condæus, albescente jam cœlo, cum suo equitatu. Receptus est fortiter à Regiis: at veritus Mommorantius, ne hîc pugna committeretur, Aumalio, qui cum lectissimâ equitum alâ venerat, commisit Regem ac Reginam, & aliâ viâ Parisios pergere jubet. Ipse servatis ordinibus recedit, idemtidem frontem ostentans, pugnaturus si appeteretur, donec rebelles abscessere. Rex ante vesperam sequentis diei cum matre Parisios subiit jejunus ex quo discesserat Meldis, ex indignatione, quam nisi cum vitâ deposuit.

Urbs ergo obsidetur ab Hugonotis, sparsis circumquaque excubiis: missusque ad eos Hospitalius omnia infausta retulit; itaque per Fecialem regium, iis nisi arma deponant indicitur bellum. Ferunt tum Sandionysii Ludovicum Condæum ab Heterodoxis coronatum esse Regem, percussamque monetam cum hac Epigraphe *Ludovicus XIII. Dei gratia Francorum Rex primus Christianus*: quam etiamnum in curiosiorum scriniis servari ajunt.

Inter hæc captis quoque Aureliis, & urbe ad summam penuriam redactâ, plebs fremere, de Mommorantio quærere, pugnam cum rebellibus deposcere. Itaq; is deteriora veritus, sedecim peditum millia, equitum tria educit ex urbe, quibus nihilo seciùs Condæus & Colinius mille quingentos equites, mille ducentos pedites opponunt, &, quod erat caput, magnos animos. Itaque 4. Idus Sept. in patentibus Sandionysii campis ab horâ primâ pomeridianâ ad noctem pugnatur; Franciscus primogenitus Connestabilis oppositam sibi aciem dissipavit; ab alterâ desertus à suis Mommorantius non ducis modò, sed & boni militis partes explevit, donec tandem à Roberto Stuarto Scoto, quem vulnerarat, lethalem plagam accepit. Mox tamen acies restituta per Damvillam & Aumalium; Condæus equo suffosso periculum adiit; Colinius diu inter regios versatus agnitus non est, nox una prælium diremit. Regii tamen castris & cadaveribus potiti sunt, & victoriâ, sed Cadmæâ, cùm eorum plures, & majoris nominis, quàm rebelliũ ceciderint. Connestabilis sex vulneribus acceptis postridie non minùs religiosè, quam gloriosè expiravit, paulò minor octuagenario, Regio elatus funere, delatâ in ejus exequiis imagine, nunquam honorandus satis, qui pro Deo simul & patriâ vitam profudisset.

*Mommorantius Conestabilis caditur.*

Veriti ergo Rebelles ne confluentibus undequaque ad Regem copiis circumfunderentur, Parisios relinquunt, & Carnutum obsident. Urbs acriter verberata, fortiùs defensa est à Lignerio, & Burdelio, sed meliùs à B. Virgine ejus Patrona. Immò & hîc pax inita per Legatos Angliæ & Florentiæ, sed ficta brevisque fuit, & ab impiis data, qui nec se, nec alios quietos volebant. Porrò ab iis hoc tempore multæ occupatæ sunt urbes, inter cæteras Rupella, quæ proditione Trucharis urbis Majoris (sic præfectum vocant) Condæo se, atque hæresi dedidit, exinde facta asylum rebellium, atque seditiosorum.

*Carnutum liberatur; Rupella rebellat.*

Dominicus Gurguesius nobilis Aquitanus Senatoris Burdegalensis filius hoc anno Hispanis in Floridâ reposuit vicem. Is bello Italico captus, & contra datam fidem, addictus remo, liberatus à Romegasio equite Melitensi, suis sumptibus tres paravit naves, quibus ducentos milites electos imposuit. In Floridam appulit, Carolinam arcem, cum duabus aliis, intra biduum occupavit, quamquam à 400. Hispanis servarentur, quos omnes interemit, aut suspendit cum hâc Epigraphe, *Pendent non quia Hispani, sed Homicidæ*. Tormentis autem bellicis & prædâ navibus impositâ Rupellam appulit, unâ tamen deperditâ nave cum viris octo, & aliquot nobilibus in expugnatione arcium. Verùm in Franciam redux latere debuit, Philippo de eo acerbiùs querente, & precio in ejus caput pronunciato; id tamen per amicos incolume præstitit, & ad alia, & ad publicum in hostem odium sapienter reservavit.

*Gurguesius Hispanos exterminat in Florida.*

MUNDI 5621. CHRISTI 1568.

Inclusus est hoc anno 15. kal. Febr. à patre suo Philippo Carolus, sublatis ei priùs omnibus, quibus ipse sibi mortem posset consciscere. Ferunt eum de patris nece cogitasse, de ejus occupando regno, tentatâ novercæ pudicitiâ, de hæresi, certè magnam fuisse causam suspicari licet, cùm pater tam acerbè in primogenitum suum statuerit. Scripsere quidam huic parentis jussu propinatum venenum; vulgò alii volunt sibi procurasse mortem, partim inediâ, partim ingurgitatione ciborum, & crebrâ potione aquæ frigidæ, adolescentem 23. annorum, præcipitis ingenii, ac temerarii, obiisse tamen creditur piè, quare magnificè tumulatus Philippi jussu, qui uti creditum est, optimus pater pluris animæ ejus salutem, quàm corporis fecit.

*Caroli Philippi filii mors.*

Maria Scota fugit ex arce Levini lacûs, operâ Jo. Duglasii, 6. Non. Maji suscepta ab Hamiltoniis; ejus coactas copias Moravius delet. Itaque fugit hæc in Angliam repugnantibus suis.

*Maria in Angliam fugit, ubi carcerem invenit.*

ſuis, qui huic potiùs Belgium, Franciam, aut Hiſpaniam oſtentabant. Et verò in Angliâ carcerem invenit; ubi tamen bis innocens declarata eſt Eboraci, & coram Elizabethâ, quidquid contra Moravii mercenarius ſcriptor Buchananus garriat. Tandem juſſa deduci Tubariam à Salopiâ duce arctiori cuſtodiâ detinenda, ut hîc ſe ad mortem Martyre dignam per otium compararet.

*Albanus in rebelles ſævit.* Albanus multis rebellibus vadimonium dicit; illi ſe libellis tuentur; & auditâ Caroli morte faciunt, quod deſperati ſolent; eum tollere deſtinant, ſed conjuratione patefactâ multi perierunt. Inde inter Albanum, & rebelles certatum eſt, non tantùm in acie, ſed & judiciis. Aliquot Hiſpani cæſi, multi ſuſpenſi: vice versâ Egmondano & Hornano Comitibus, publici ſervi manu, Bruxellis demeſſa capita, lugentibus omnibus, & iis maximè qui Sanquintini prælii meminiſſent. Egmondani quoque Secretarius quadrigis laceratus eſt, aliique fautores ejus igne cremati, tanto Albani odio ut vulgò *Buſiris Belgicus* appellaretur, deſperarint plerique, & ab hoc tempore duret eorum deſperatio, & in Hiſpanos odium.

*Albanus ſeverus exactor diſciplinæ militaris.* Nec tantùm Albanus domi ſed & militiæ ſeverus ſuis. Relatâ enim ad Groningam in Emdenſi Comitatu victoriâ (ubi ab aquis Regiæ copiæ periculum adiere) cædem à meridie ad veſperam, & totâ nocte in ſequentem diem continuavit, cæſis ſeptem millibus rebellium, cùm ex Regiis vix decem cecidiſſent; Naſſovius natando fugiens vitavit necem. Mox Amſtelodami duces legionis Sardorum, per quos Arembergenſis Comes victoriam perdiderat, ac vitam, capite mulctari juſſit, in pace atque in bello diſciplinæ militaris ſeveriſſimus vindex. *Victi duo fratres Naſſovii.* Qui autem fortitudine Ludovicum, prudentiâ Guill. Arauſicanum, fretum licèt auxiliis Francicis ſub Coſſæo & Janlio, negatâ ei pugnæ copiâ, expulit Belgio. Hic in Germaniam demum abire compulſus, rejectus ex Galliâ, ſupellectile ſuâ divenditâ, ut ſuis Ducibus faceret ſatis, verè ad manticam redactus eſt.

*Henricus Andeg. præficitur copiis Regiis, tertio Bello Hugonotico.* In Franciâ Hugonoti dum arma deponere renuunt, Regem ad ea ſumenda impulere. Tum exauctoratus Hoſpitalius, ſigilla data Morvillerio Epiſcopo Aurelianenſi, deinde Renato Birago Cardinali. Utrimque ergo paratus exercitus; Regio præfuit Henricus Dux Andegavenſis, magnæ expectationis juvenis, & ad bella natus antequam Polonicum frigus virtutem ejus militarem extingueret. Sic ergo inchoatum eſt tertium Hugonoticum bellum, quando & Odetus Cardinalis Caſtillonæus ſupplicii metu, cum ſuâ pellice tranſiit in Angliam, & ut ſuorum cauſam apud Elizabetham, cui gratioſiſſimus erat, accuratiùs promoveret.

*Hæreticorum Franc. deſperatio.* Parum eſt, hæreticos Franciæ ab Anglis & Germanis ſectariis auxilium poſtulaſſe, confugerunt & ad Selimum Turcam, à quo rejecti, ſe Turcis nequiores oſtenderunt.

*Carolus IX. Hæreticos alliciit.* Aliunde Carolus IX. ne eos efferaret, pollicitus eſt ſecuritatem omnibus ſequioris Religionis, ſi quieti viverent; ſed ea felicitas nihil profuit; multò magis quòd nulli admiſſi ſunt ad magiſtratus, quàm qui Catholicam profiterentur Fidem. Permiſit & Pontifex Carolo ut de bonis Eccleſiæ 50. aureorum millia annui reditus abalienarentur, nec unquam Eccleſiæ, perſolutio pecuniæ eidem utilior extitit, & meliori jure conceſſa.

*Puritanorum ortus in Angliâ.* Hoc anno ſtatuitur Puritanorum ortus in Angliâ præcipuis authoribus Butteno, Colmano, Hallinghamo, & Benzono, qui ſe cæteris Calvinianis accuratiores, & puriores arbitrabantur, rigidi Calviniani dogmatis ſectatores, qui alios Parlamentarios, & Calvino-Papiſtas appellabant; tetrum hominum genus inimicum Regibus, & vero Calvini ſpiritu, hoc eſt Dæmonis animatum.

*Errico Sueco exauctorato ſuccedit Ioannes frater.* Erricus Sueciæ Rex crudeliſſimus, cùm fratrem ſuum Joannem Filandiæ ducem, ex falſâ ſuſpicione, detinuiſſet in carcere toto decennio, multos innocentes ſuſtuliſſet, ſcortum curaſſet coronandum; exauctoratus eſt ab utroque fratre, totâque nobilitate, & datus eſt in cuſtodiam, in quâ detinuerat fratrem, atque in eâ hæſit ad annum 1578. Succeſſit ei Joannes frater ejus nominis III. qui bellum cum Danis fecit, ſed ut mox cum iis pacem firmiorem iceret.

*S. Theresia primum cœnobium ſtatuit.* Fundatum eſt hoc anno primum monaſterium Carmelitarum diſcalceatorum à Sancta Thereſia Durnelbi ad Abulam, in quo primùm rigidam regulam profeſſi ſunt, ejuratâ molliore, Antonius Heredius, dictus deinceps de Jeſu, & Jo. de Yepez nominatus à Cruce, magnorum deinceps in hoc ordine virorum parentes, quibus hæc ſancta Virgo mater fuit, ſui ſæculi prodigium, & digna viris imperare.

*Onuphrius Panvinius moritur.* Obiit denique hoc anno Panormi in Siciliâ ætatis anno 38. Onuphrius Panvinius Veronenſis Eremita S. Auguſtini, ſcriptor eruditiſſimus, & omnium judicio maturiùs ereptus, quàm Hiſtoria Eccleſiaſtica poſtularet.

MUNDI 5622. CHRISTI 1569.

Hoc anno 3. Id. Mart. inter Jarnacum, & Caſtrum Novum ad pagum Buſſacum, & Fl. Carentorum, commiſſum eſt ingens prælium inter Catholicos, quibus præerant Henricus Dux Andeg. Guiſius, Briſacus, & Hugonotos ducibus Lud. Condæo, duobus Coliniis, & Lanovio. *Condæus in prælio Iarnacensi caditur.* Decem totis horis acerrimè pugnatum, cæſus Condæus à Monteſquio ductore ſatellitum ducis Andegavenſis, licet offerret centum aureorum millia: corpus ejus ad contumeliam impoſitum Aſinæ, delatum eſt Jarnacum, & conceſſum Henrico Beneharniæ Principi ad ſepulturam Colinii fratres Angeriacum confugêre, tumque Architalaſſo credita eſt adminiſtratio belli, quâ ſe digniſſimum oſtendit. *Condæo præficitur hæreticis...* Ut tamen potentiùs ageret bellum, geri voluit ſub auſpiciis Principum Henrici Beneharnenſis, & Henrici filii Condæi, tum adoleſcentium, qui nomina ſua factioſis commendarent, Colinius caput, & manum. Andelotus enim ejus frater ex febre

ex febre post duos menses obiit, sacerdotum acerrimus hostis, ex quorum auribus torquem ferre consueverat; cui ludus erat Sanctorum reliquias flammis addicere, templa inflammare, Ecclesias spoliare, inter primos Cacodæmonis satellites numerandus.

Paulò post ingressus in Franciam cum 1600. equitibus, ac totidem peditibus Germanis hæreticis Bipontinus, cui se adjunxere Belgæ atque Franci unà cum Arausicano Principe ac fratribus, adeo ut decem equitum millia, 20. peditum conficerent. Eum impedire conatus Aumalius longè viribus impar, nihil potuit. Cùm autem has copias jungere Archithalasso Bipontinus conaretur, ex febri quartana, veriùs ex crapula ebriosus Germanus interiit, curâ exercitus Volrado Mansfeldio relictâ. Ejus cadaver Rupellam translatum, inde mari in patriam deportatum. Hîc copiis auctus Colinius, etiam superbiam auxit, & majora postulavit, quæ rejecta sunt, sicut oblata pugnandi copia. Cùm ergò Regiæ turmæ reficerentur, missus in Aquitaniam & Beneharniam Mongomerius, ac bene usus dissentione Damvillæ atque Monlucii. Res Hugonotorum promovit, & ostendit malos nonnunquam ad injuriam, quàm bonos ad æquitatem magis esse concordes.

Aliunde Archithalassus Pictavium obsidet, quod fortiter defendit Ludensis Comes cum Henrico Guisio, ejusq; fratre Carolo Meduano. Itaque obsidionem solvere coactus, cùm hanc urbem 50. diebus acerrimè oppugnasset, ut suppetias ferret Castro Eraldi *Chastel raud*, quod Dux Andegavensis oppugnabat. At Henricus liberato Pictavio, quod cogitabat unum, copiis inferior recessit, donec omnis ejus exercitus convenisset, non tantùm fortis, sed & prudens ante ætatem Imperator.

Interea judiciis actum est Lutetiæ cum rebellibus Colinio, Fererio, Mongomerio; quorum effigies traductæ contumeliosè ex publicis furcis pependerunt. Andium autem Dux auctus copiis Pontificiis, & Etruscis, deposcebat prælium quod defugiebat Colinius, ad quod tandem compulsus est prid. kal. Octobr. ad vicum S. Clari in Pictonibus, & quominus omnino deleretur nox tantùm impediit. At quarto post die ad Monconturium duabus abinde leucis decretoria pugna inita est. In ea Hugonoti ad internecionem cæsi, duodeviginti suorum millia perdidere. Pugnavere fortissimè Andium dux & Guisius, hic vulneratus in pede, ille equo suffosso, Germani pedites ad unum ab Helvetiis concisi, nunquam fœdior à sectariis accepta clades.

Sed Catholici non sunt usi victoriâ; statim refectus hæreticorum exercitus, adjunctis Mongomerii copiis; itaque Colinius paratum objecit victoribus exercitum, æquè metuendus ac si non victus, sed victor abscessisset.

In Anglia res quoque Catholicorum turbata, dum bellare potiùs quàm pati malunt. His tumultibus dedisse causam creditur Pius Pontifex Philippum rogans, aliunde offensum ab Elizabetha, ut Catholicorum partes tueretur. Conspiraverunt ergo in Elizabetham Thomas Nawartus Norfolciæ Dux, Percius Northumbriæ & Nevillus Westmerlandiæ Comites; sed cùm eorum fautores & timidiùs, & tardiùs convenissent, facilè dissipati sunt, eorum plures aut capite, aut exilio omnes bonorum jacturâ mulctati sunt. Maria Scota, hujus quoque conjurationis suspecta, servata est diligentiùs, & urgente Moravio etiam ad mortem destinata, Catholici plerique non jam ut Martyres, sed ut perduelles ab hominibus habiti, palmam nihilominus Martyrii meruerunt.

*Belgium turbatur auctis vectigalibus.*

Turbatum quoque Belgium vectigalibus, ab Albano impositis Decimis, vigesimis, centesimis, quibus ærarium tam auctum est, quàm imminutus subditorum in Principem amor. Ita statutæ in urbibus arces, quibus injiceretur dumtaxat metus, malus officii magister, neque diuturnus.

*Cosmus Magnus Dux Etruriæ.*

Hoc anno 6. kal. Sept. Cosmus Florentiæ Dux de Fide optimè meritus, à Pio V. Dux Magnus Etruriæ nominatus est, & coronâ regali donatus, qua uti ipse posset, ejusque successores. Reclamavere Romæ Maximilianus, & Philippus: sed neglecta intercessio est; & Pontificis voluntas, atq; honorati dignitas prævaluere.

*Maurorum in Hispania rebellio.*

Rebellavêre Granatenses Mauri, & sibi Ferdinandum Valorium annorum 25. ferocem adolescentem præfecere Regem Cordubæ, & Granatæ, sub nomine Aben Humeja, Præfectorum ad invicem æmulatio, & in eos odium Regis hujus negotia promovêre, unde multis urbibus captis totum Granatense regnum in ejus partes inclinabat. Neque satis potuit Joannes Austrius Philippi frater nothus in eum missus, cùm propter solutam militarem disciplinam, tum ob Turcas & Afros grassatores ad prædam huc advolantes. Mox tamen Rex ille per libidinosam concubinam suam, ejusque adulteram, sublatus est. Suffectus ei Abdala Aben-Abus, vir moderatus & prudens, qui rem Mauricam valdè promovit. Tandem Ducis Aracosii sapientiâ turbæ illæ sedatæ sunt, magno Hispaniæ bono; in quam si Selimus paratas in Cypriam expeditionem copias immisisset, non facilè sedari potuisset illa Maurorum rebellio, & quam fortè Christiani Principes ventilassent.

MUNDI 5623. CHRISTI. 1570.

*Selimus Cyprum invadere cogitat.*

Inflammato Venetorum Armamentario ex pulvere tormentario, vel casu, vel malitiâ incenso, Selimus Cypriam aggressurus in Ciliciam immittit copias, ab eâ insulâ vix sexaginta millibus passuum diremptam. Invitati sunt à Pontifice ad auxilium Christiani Principes; hi aut bellum, aut belli metum prætexuere; itaque in unos Venetos tanti belli moles incubuit. Tum mortuo Petro Lauredano Venetiarum duci successerat Aloysius Mocenicus, qui statim Hieronymum Zanium classis præfectum creavit, & magnam paravit classem, majorem à Pontifice Philippo, Auriâ expectavit; sed tantos illos sumptus & conatus, Hispanorum, & Auriæ cunctatio discussit.

In-

*Nicosiam occupant Turci.*

Interea paratur per otium Turcica classis, instruitur magnus exercitus, & ducibus Mustapha, Piali, & Hali Janizariorum præfecto in Cyprum immittitur, dum Christiani moras agunt, & pesti se demetendos objiciunt. Obsidetur Nicosia olim *Leucosia* reguli caput in umbilico insulæ, & intra 45. dies expugnata est ex Ducum discordiâ, & torpore Nicolai Danduli non satis animosi; qui tamen urbe captâ fortiùs quàm credebatur mortuus est animis ex desperatione collectis. Turci incitati suorum damno, qui multi ceciderant, in omnes atrociter sævierunt sine discrimine, reliquos in durissimam adduxere servitutem, cum multa præda quam navibus tribus imposuere, simulque speciosas virgines & matronas, atque adolescentes ad libidinem.

*Matrona Cypria audax facta.*

Sed matrona Cypria immisit ignem in pulverem tormentarium, quo tres illæ naves implicitæ cum multis Turcis inflammatæ perierunt; prædam omnem aut ignis absumsit, aut mare sorbuit, castissimæ mulieris virtute; de cujus nobili desperatione nullâ unquam ætate tacebitur.

*Christiani re infecta recedunt.*

Eodem die, quo capta est Nicosia, misit Mustapha præcisum Dandulo caput ad M. Ant. Bragadinum Famagustæ præfectum, quem statim intellexit Dandulo meliorem Ducem, & magis reformidandum. Itaque audito Christianæ classis adventu abstinendum putavit obsidione, & recessit Limissum, decertaturus maritimo prælio, si Christiani aleam pugnæ subire vellent. At hi auditâ Nicosiæ jacturâ, cujus causâ venerant, ortis dissidiis repetiere patriam suam, omnes inglorii, omnes exhausti sumptibus, quos tam inutiliter collocatos esse meritò doluerunt.

*Iacobus nothus caditur.*

Jacobus nothus Moraviæ Comes sceleratus inter suos cæsus est à Jacobo Hamiltonio, cujus familiam persequebatur, & trajectus glande plumbeâ, inter blasphemas voces desperatam evomuit animã; quem tamen Buchananus frustra inserere voluit cœlo, & huic affingere martyrum patientiam, fictione quæ nec Poëtam saperet, neque Christianum. Fugit Jacobus in Franciam, ubi Catholicus factus, de malo sicario bonus effectus est miles; dum Hamiltoniorum castra per Elizabethæ copias immissas everterentur.

*Maria se ad necem parat.*

Tum actum est de libertate Mariæ, quam multi Principes postulabant; sed cum eas conditiones proposuisset Elizabetha, quibus Maria & Catholica, & Regina esse desineret, rejectæ sunt constanter; unde acerbiùs tractata Maria, jam se ad nobile martyrium animosè paravit, quod sibi ab Elizabetha imminere satis agnoscebat.

*Elizabetham Pius V. percellit anathemate.*

His auditis Pius V. 5. kal. Mart. Anathemate perculit Elizabetham, ejusque subditos omnes exsolvit fidei sacramento; quod affixum est ad Episcopi Londinensis valvas à Feltono nobili Catholico, qui & hanc audaciam morte constantissimâ luit. Inde acerbè in Catholicos sævitum, negantes Anglicanum Primatum; Christiani Principes libratam in hanc furiam neglexere excommunicationem, plurisque ejus quàm Pontificis fecere amicitiam, atque potestatem.

*Hæretici ægrè vin... Caroli & Phi.. ppi concordi..*

In Gallia hæretici modò victi, modò victores de stipendiis auxiliatorum solliciti, cum Rege alioquin exhausto pacem inierunt 6. Id. August. Philippo vehementer reclamante, ne tot utrimque copiæ in Belgium infunderentur. Tum nihilominus affinitate juncti sunt ambo Reges, ductis duabus sororibus filiabus Maximiliani; quorum junior Elizabetha Carolo, major quartis nuptiis Philippo nupsit; quod hæretici utrimq; improbavere, tantam inter tantos Principes exosi concordiam, sibi serius ocyus nocituram.

*S. Borro... maus ap... petitur ... sicario.*

S. Borromæus jussus, à Pontifice perditos Humiliatorum emendare mores, ab iis primùm veneno tentatus, demum ab eorum uno Donato Farinâ Apostatâ, appetitus est sclopo, cujus tamen globus, magno miraculo nihil ei nocuit: sacrilegus meritas dependit pœnas, extinctus ordo quasi insanabilis, quorum præcipui datâ sicario pecuniâ tanti sceleris authores extitissent.

*Martyr... Jesuita... vigint... Brasilia...*

Celebris est hic annus multorum Jesuitarum martyrio, quorum 38. cum eorum Duce Ignatio Azebedio Jacobus Sora Deppensis Calvinianus pirata inseruit cœlo, reliquos 30. alter ejusdem farinæ grassator Jo. Cardavilius; quorum sanguinem multùm profuisse Brasiliæ, regionis hujus ad fidem conversæ eximia pietas docuit.

---

## CAP. VIII.

## *Decas Octava,*

### *Ab anno Christi* 1570. *ad* 1580.

MUNDI 5624. CHRISTI. 1571.

*Veneti p... rant se... Turcas ... cipiendo...*

Veneti de sua Cypro solliciti, quàm honestis possunt cum Selimo conditionibus depacisci conantur; nihil obtinent; quare ad resistendum se fortiter parant; atq; insulam nonnisi cum ultimo Reip. periculo deserere statuunt.

Interea labore Pii Pontificis conciliatur inter Principes Christianos adversus Ottomanum societas, decretæ 200. bellicæ triremes, 100. onerariæ peditum 50. equitum supra quatuor millia, cum bellicis tormentis plurimis; Lusitani & Franci Indicum, & Hæreticum prætexuere bellum, non minùs Ecclesiæ, quàm Ottomanicum, salutare.

*Famagu... oppugna... tur, & ... ditur.*

Interim Famagusta impugnatur graviter à Turcis dum Pertaüs Bassa Piali exautorato ob non tentatam Christanorum classem suffectus, ditionem Venetam in Occidente depopulatur. Et urbem sibi commissam fortiter tutatus est Bragadinus, Græcisque ipsis mulieribus inspiravit animos. Sed demum cum muri urbis aut suffossi, aut verberati tormentis corruissent, propugnatores, jam pauci integri superessent, augeretur in dies Turcorum exercitus, auxilii nulla spes affulgeret, urgentibus maximè indigenis fœminis, repugnante tamen Bragadino, honestissimis conditionibus urbs Turcis dedita est.

*Bragadi... nus exc... riatur.*

Harum tamen nullæ servatæ sunt; Bragadinus frustra tentatus de ejuranda religione vivus excoriatus est; sævitum

tum denique in reliquos duces, & milites, atrociter, ob octoginta Turcorum millia in oppugnatione cæsos. Octingenti duntaxat Græci in urbe relicti sunt, reliqui cum præsidiariis, captivi sunt abacti; continuâ dierum 70. verberatione feruntur in muros emissa esse centum globorum millia. Mustapha triumphans receptus est Constantinopoli à Selimo qui jam de dividendo inter suos Occidente deliberabat; sed de pelle, nondum captâ ferâ, imprudentiùs agebatur.

Deliberant itaque hoc anno Christiani, cum eo certamine navali decernere, ejusque ferociam, fastumque retundere. Venit ergo, Joanne Austrio summo Imperatore Christiana classis 209. triremium, Liburniacarum Venetarum sex, Celocium 70. in quibus erant armatorum 20. millia ad Echinadas insulas, bene animata, paratis omnibus vincere, aut mori, plerisque etiam nobilibus Cruce-signatis, ut fortiùs vincerent, aut constantiùs morerentur. Hac observatâ Christianorum alacritate, dubitarunt de prælio Turci; evicit tamen Piali Bassæ ferocia, decretumque certamen. Delectus ab utrisque Naupacti sinus *le Golfo de Lepante* patens ad 25. passuum millia, in cujus medio Echinades scopuli hodie *Curzolares*, ingenti victoriâ, sicut & ipse Sinus deinceps nobilitandi. Nunquam utrimque majori ardore simul, & arte certatum est, quatuor duntaxat horis: tandem Christianis per B. Virginem est concessa victoria, mutato de repente vento, & tormentorum fumo in oculos Ottomanorum delato. Et verò hæc Pio Pontifici revelata est, qui ideo Festum B. Virginis de victoria prima Dominica die Octobr. recoli voluit, adjuncto huic præcipuo Rosarii Festo, ut esset hæc gratiarum actio celebrior, atque diuturnior. Turcorum cæsi 30. millia, capti tria quingenti, duces ferè omnes periere. Interiit Hali Bassa, Pertaüs ægrè Naupactum fugit; Ochialis insignis ille pirata Calaber Algeriæ Prosultanus, prætoriâ Melitensium nave primùm occupatâ, mox perditâ, undequaque circumfusus Christianis navibus, nihilominus cum 30. triremibus Constantinopolim fugit, usus insigni stratagemate, elusoque Auriâ, cujus pænè culpâ victoria perdita est. Captæ Turcorum naves 117. triremes 15. biremes 13. quinquaginta tantùm evaserunt, cæteris aut allisis ad scopulos, aut inflammatis: quindecim millia Christianorum subducti sunt remo; erecta Christiana res, Turcica si victores usi essent victoriâ suâ, penitùs afflicta, & labefactata.

Enimverò jam Turcæ de relinquenda Constantinopoli cogitabant; Thracia, Peloponnesus, Insulæ rebellionem meditabantur. Verùm statim immutata rerum facies, dum Christiani circumspicere, & mirari victoriam suam malunt, quàm promovere. Certè mox eam irrisit Selimus, nihili fecit Tammasus Persa, & utrumque fuisse vatem ostendit eventus.

Moschum invitavit Pontifex ut equitatum suum in Turcos emitteret: ubi tamen audiit ejus crudelitatem in fratrem, & proceres suos, ac fregisse Polonis fidem, legato suo significavit ne excederet Poloniâ. Aliunde Tartari Præcopenses obtinuerunt & incenderunt præcipuam urbem ejus Moschuam, ac prædâ divites redeunt, Moschis qui prædam iis excutere nitebantur internecione deletis: has Deo atque hominibus Basilides impius luebat pœnas crudelitatis.

Iterum agitata est Mariæ Scoticæ causa, ut precibus Principum fieret satis; cùm interea ejus amici in Scotia subjicerentur suppliciis: certè tùm suspensus est è patibulo Jo. Hamiltonius Archiep. Santandreanus, non aliam ob causam quàm quod in eam, & religionem optimè affectus esset. Hic Lenoxius Prorex crudelis cæsus est; ejus quoque successor Joan. Areskinus Mariæ Comes morte repentinâ sublatus, ambo ut Moravio scelere, sic & morte pares. *In Scotia amici Mariæ tolluntur.*

Mortuus est hoc año Jo. Sigismundus Waywoda Transylvaniæ 17. kal. April. ætatis anno 32. perfidus Arianus, cujus operâ in hoc tractu hæresis ista profundas radices egit. Successit ei Stephanus Battorius Somlianus, corporis dignitate Principatu dignus, cui animus quoq; respondebat, probatus à Maximiliano simul & Selimo; cùm ab eo uterque speraret, ille utriq; se ostentaret, ut rem promoveret suam. *Ioan. Sigismundo Transylvano succedit Stephan Battorius.*

Parisiis hoc anno magnus est tumultus exortus ob Gastineam crucem, Philippus Gastineus mercator Parisiensis hæreseos convictus, & habiti apud se Hugonotorum cœtus, damnatus erat à Senatu, ejus eversa domus, ejusque loco ex illius bonis statuta Crux, cujus in basi erat in ære incisa sententia. In gratiam Archithalassi hæc expuncta fuerat, & ejus loco descripta Epigraphe in honorem Crucis, Cruxque ipsa in Cœmeterium SS. Innocentium translata fuerat noctu. Re tamen patefactâ à pueris & mulierculis cæsus latomusi domus ejus eversa & aliquot suspectorum de hæresi. Accurrens præfectus urbis aliquos interemit, homuncionem suspendit, cujus supplicio restincta seditio est. Ferunt tum cœlum ardere visum, ventos vehementissimos perflasse, audita tonitrua, visa fulgura, mediâ licet hyeme; quæ quantumvis publica, negata sunt tamen, ab iis qui hæc contigisse noluerant. *Tumultus Lutetiæ ob crucem Gastineam.*

Mortuus est hoc anno Claudius Espencæus magnus Theologus, donandus purpurâ, nisi malè sentire de fide accusatus esset. Certè Beza in multis sibi accinuisse asserit; verùm hæretico de hoste suo loquenti quæ potest adhiberi fides? piè enim admodum discessit, & in vita & in obitu habitus est ab omnibus Catholicis religiosissimus simul, & eruditissimus. *Claudius Espencæus moritur.*

MUNDI 5625. CHRISTI 1572.

Metrophanes Patr. Constantinop. sponte abdicavit se dignitate, cui suffectus Hieremias Archiep. Larissæus annorum duntaxat 32. sed eximiæ pietatis, qui turpe illud Simoniacæ labis seminarium ἐμβατίκιον sustulit, ac Patriarchium sic illustravit suum, ut in eo desinendum sibi *Hieremias tollit Seminarium Simoniæ.*

sibi Malaxus, non ineptus scriptor, putaverit.

*Malaxus scriptor. Rebellio in Albanum, ejusque victoria.*

Erupit hoc anno jampridem informata in Albanum rebellio, Briela oppido à Geusiis occupato, cum aliquot aliis in Hollandia, & Zelandia, defixis ubique crudelitatis hæreticæ monimentis. Montes quoq; capit in Hannovia Lud. Nassovius, quam urbem obsedit Albanus, & recepit; licet eâ se Lanovius Gallus cum Ludovico Nassovio inclusissent, victus quoque ei ferens suppetias Jenlisius, mox & à rusticis captus; Albanus non se modò præfectum bonum, sed & Imperatorem præbuit. Certè sub eo militare non erubuit Dux Medinæ Sidoniæ, submissus illi successor, fassus huic tanto oneri post tantum virum se non esse parem.

*Congregatio FF. Joannis Dei.*

Approbata est hoc anno kal. Jan. congregatio fratrum Joañis Dei Lusitani Eborensis, quam inchoarat anno 1538. Granatæ: in Francia *de Charitate* dicta est, pauperum morbis scitè sublevandis utilissima, & Dei, nec tantùm Joannis opus.

*Pii V. Papæ obitus.*

Pius V. post diuturnam gravemque δυςουρίαν patientissimè toleratam, uti vixerat obiit, multis editis signis eximiæ pietatis kal. Maji, ætatis 68. sedis 6. cum mensibus 3. & diebus 24. Certè plus sibi ab ejus precibus, quàm armis Christianorum Selimus metuebat, & Naupactinam illis adscribebat victoriam; vir ab omnibus culpis alienus, etiam ab iis quæ in Pontificibus tolerantur ex amore in propinquos; quem mirum est in Album Sanctorum nondum relatum esse, quamquam huic proximum. Hunc etiam probavere Hæretici, in ejus tantùm nomine frigidè ludere contenti hoc Epigrammate, contumeliâ tantùm in Ecclesiam derivata.

*Papa Pius Quintus moritur, res mira tot inter*
*Pontifices tantùm quinque fuisse pios.*

*Succedit ei Gregorius XIII.*

Huic paulò post datus est successor Hugo Boncompagnonus coronatus 8. kal. Junii die Pentecostes, & in honorem S. Gregorii, cui addictissimus erat, dictus Gregorius XIII. Ejus adhortatione ingens est parata classis Christianorum, quæ non minorem Naupactinâ pollicebatur victoriam; verùm eam cunctatio Joannis Austrii & Ochialis calliditas evertit. Itaque re infectâ discessere fœderati, quibus non fortuna defuit, sed ipsi fortunæ, Ochialis meritò triumphans receptus est Constantinopoli, cui non esse victum, tum magna victoria fuit.

*Christiani frustra armantur.*

*Moritur Joanna Navarræa.*

Evocata Lutetiam Joanna Navarræa ad nuptias filii sui Henrici Regis Navarræ cum Margarita IX. sorore, mortua est hæretica mulier, & quæ Calvini sectam omni ope promovit. Ferunt hanc veneno enecatam esse chirotecis veneno illitis, quas subornatus Seplasius Mediolanensis huic adornarat; quod tamen Medici constantissimè denegarunt. Itaque dispensante Pontifice, quoniam hic eas impedire non poterat, inter Henricum & Margaritam contractæ sunt nuptiæ, coram Condæo, Colinio, Rupifulcadio, & aliis heterodoxis rebellibus, qui tum, magno suo damno, ad eam celebritatem accurrerant, in eorum perniciem, uti postea creditum est, à Rege callido, & vindictæ cupido, comparatam.

*Nuptiæ Henrici cum Margarita.*

*Vulneratur Colinius.*

Enimverò post aliquot festos dies extrema gaudii luctus occupavit, cujus præludium fuit Archithalassi Colinii vulnus, à Morevellio quodam, qui disploso in eum sclopo, per posticum statim equo concitatissimo profugit. Rex vulneratum invisit, multa ei pollicitus, contra quam ipse cogitabat. Nam Dominico die festo S. Bartholomæi ex condicto, ad sonum S. Germani Antissiodorensis inchoata est ubique Hugonotorum cædes dicta Matutinæ Parisienses, quia summo manè cœpta fuerat. Primus cæsus est Colinius Archithalassus, tractus à pueris per plateas, & in Sequanam fluvium projectus. Eundem casum subiere Rupifulcadius, Telinius, Lavardinus, Pardalianus, Pilius, aliique viri fortes, & Calvinianæ sectæ præsidia: multi tamen effugêre, aut servati ab amicis, aut lintribus in suburbium Sangermanium transeunt, ubi socios admonuere de periculo, & cum iis maturè fugerunt. Nec tantùm in militares viros, sed & litteratos tempestas sæviit, tum enim cæsus Petrus Ramus vir rerum novarum cupidissimus, factus demùm Calvinianus, & aliquot alii. Dionysius autem Lambinus, auditâ Rami cæde, veritus sibi à Carpentario adversario, quem Ramææ cædis autorem putabant, ita territus est, ut in morbum inciderit, ex quo intra mensem sublatus est. Tum autem cæsa perhibentur fuisse Sectariorum præter propter tria millia: quo tempore Oxyachantes: Verè tantùm florere solita, in Cœmeterio SS. Innocentium, flores emisit; ad quod spectaculum populus universus adeoque ipse Rex accurrit, pollicitus sibi ex hoc signo consilii severioris felicitatem.

*Matutinæ Parisienses, seu c. des Sanbartholomæi.*

*Navarræus & Condæus ejurant hæresin.*

His peractis Navarræus, & Condæus, hæresin ex metu ejuravere, atq; ad Pontificem supplices dedere litteras. Excusavit & hoc factum Edicto suo Carolus IX. negavitq; mulctatos esse ut hæreticos, sed uti rebelles, regni perturbatores: ac cæteris quiescentibus impunitas promissa. Sævitum quoque in aliis urbibus Catholicis, unde in hæreticas sectarii transiere, sicque non est sublata perturbatio, minùs reformidanda tamen, cæsis ducibus factionum, atque rebellionis.

*Sigismundus Aug. Pol. Rex moritur.*

Mortuus est hoc anno Non. Julii Poloniæ Rex Sigismundus Augustus, nullis relictis liberis ex tribus uxoribus: cui cùm Carolus IX. successorem optaret fratrem suum Henricum Ducem Andegavensem, excusavit Sanbartholomæam cædem apud hæreticos Principes, quorum tunc indigebat auxilio; at hi tantùm illi adhibuere fidei, quantum illorum negotia postulabant.

*Quartum bellum Hugonoticum in Francia.*

Interea paratum est quartum Hugonoticum bellum adversus Rupellam, Montalbanum, & alias hæreticorum urbes, quæ Regis excusserant jugum, auxilia ab exteris Principibus, & potissimùm ab Elizabetha, postulabant. Quare per Armandum Gontaldum Bironium rei tormentariæ præfectum obsessa Rupella; sicut & Cereris Fanum seu *Sancerra* per Claudium Castræum; Rupellam autem missus à Rege Lanovius, ut eam revocaret ad obsequium, ubi hanc obstinatam vidit, ex sequestro propugnator effectus, eam defendendam suscepit, nequaquam

quàm turpi apud perfidos hæreticos prævaricatione.

Rodolphus primogenitus Maximiliani, successor ejus electus est in regnum Hungariæ, Posonii: quando impostor quidam miseris Hungaris illudens opinione sanctitatis, quasi eos à Turcorum servitute, vel metu liberaturus, detectus tandem suspendio necatus est, ut ejus insania, vel temeritas postulabant.

Institutus est hoc anno in Sabaudia à Philiberto Emmanuele Ordo Militiæ S. Mauritii, cujus Magistrum perpetuum creavit Ducem Sabaudiæ Gregorius XIII. Dictus autem Ordo S. Mauritii & S. Lazari, cùm inter se conjuncti essent ad majorem dignitatem.

Hoc deniq; anno mense Novembri novum sidus deprehensum est sub signo Cassiopeæ, etiam Jovem fulgore superans, & magnitudine; quæ post octavum mensem extenuari visa, tandem sub initium anni 1574. penitus evanuit, materies illustris suffecta Philosophis, & Astrologis, & litis nunquam dirimendæ.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5626. | 1573. |

Veneti sumptibus exhausti pacem cum Selimo, inutilem quidem, sed necessariam, composuere: displicuit illa Pontifici, qui tamen mox placatus est; Philippus ne commotus quidem, sed corpore magis, quam animo.

Joannes Austrius Regnum Tunetanum, aliàs à Carolo V. occupatum, postea deperditum, recuperare parat. Urbem ergo ingreditur desertam à præfectis Turcarum, & ditissimis quibusque civibus. Tum novam arcem inter Guletam, & urbem excitat, cui Gabrielem Serbelonum Mediolanensem præficit Philippi II. in Africa legatum. Eodem impetu Bisertam occupat, & toti Regno Philippi nomine constituit Madimetem, seu Muleassem Juniorem. Amida octuagenarius invasor spoliatus regno suo cum duobus liberis deductus est Neapolin, ut hic viveret sub custodia, nec saltem tantillo tempore successorem turbaret.

Harlemum obsessum à Friderico Toletani filio post octo mensium acerrimam oppugnationem, & propugnationem sese dedidit, cùm priùs naves Hispanæ 60. Gueliorum 100. retudissent. Ex deditiis duo ferè millia cæsi, quia ex aliis urbibus venerant quæ juraverant se non militaturas, & in reliquias & imagines obsidionis tempore sæviissent; itaq; non ut Harlemenses sed ut sacrilegi perierunt. Tum columbæ ut quondam Mutinæ litteras detulere, volantibus per cœlum nunciis. Cùm autem Albanus etiam malè audiret in Hispania, & ejus jussu in Belgio carnifices hominum 10. millia cecidissent, revocatus est in Hispaniam inglorius, eique substitutus Ludovicus Zuniga Requesenius Dux Cesanus, qui egregiam in bellis Granatensi & Tunetano navarat operam, & nuper in Africa Joannis Austrii Legatus fuerat; sed aliud erat militi, aliud civibus, & civibus Belgis, atque Saxonum veterum coloniis imperare.

Sacrum Cereris aut Cæsaris *Sancerra*, experta parem Numantinæ, & Hierosolymitanæ famem, se dedidit, civibus tantum mulctatis pecuniâ, ne quid truculentius auderent, cùm totis octo mensibus regium exercitum, & vicinas provincias distinuissent.

Rupella ut majoris momenti, majoribus etiam copiis obsessa est, etiam adjunctâ classe, & utrique præesse jussus Dux Andegavensis. Nunquam utrimque decertatum acrius, cùm pro Religione depugnaretur. Anglicana classis, duce Mongomerio, deprehensâ Francicæ alacritate, eam tantùm tormentis salutavit eminus, & abscessit. Quominus tamen veniret in Henrici manus, impediit regnum ei Poloniæ commissum: tum enim pacis renovati tractatus, inter quos tantùm non est cæsus Henricus. Soluta tandem obsidio, submisere se Carolo Rupellani; sed eorum obsequium verè mimus fuit; quod tandem ætate nostrâ verè ab iis extortum est. *Rupella obsessa simul & obsequium.*

Tunc enim, multis prensantibus regnum, cæteris prælatus est Dux Andium Henricus, fortitudine, & victoriis ubique notus; missique legati eum à Carolo fratre obtinuerunt. Nec ita multò post stipatus ipse multis nobilibus, & aliquot eruditis, ac prudentibus viris, cùm iisdem legatis in Poloniam abiit, respectans tamen subinde Franciam, quam nonnisi ægerrimè relinquebat; cùm sibi agendum esset cum populis fortibus quidem, sed longè minùs quàm in Francia politis & cultis: quod cùm antea tantùm auditione accepisset, oculis hausit in via, ac multò magis in viæ termino. Porrò per Germaniam dum transiit, à Friderico Palatino malè visus est accipi verbis, ob San-Bartholomæanam cædem, quam cùm nihil ad se pertinere sapienter respondisset, elusit ferociam Principis, rixarum occasionem parùm prudenter exquirentis, & meritò ab aliis ejusdem sectæ Principibus improbatam. *Henricus Andegavensis fit Poloniæ Rex.* *Friderici Palatini in Henricum ferocia.*

Mortuus est hoc anno Michaël Hospitalius Franciæ Cancellarius, quem Calvinianum fuisse nepotes ab eo instituti, ejusque testamentum, nimis arguerunt. Occultus autem fautor suis mirificè profecit: quod tum multi magni nominis viri in Francia perfecere, in speciem Catholici, revera hæretici & lupi inter oves magno religionis damno versati, & occultè grassati. Obiit tum quoque Andreas Masius, vir linguarum peritissimus, & qui Bibliis Antverpiensibus Philippi II. Πολυγλώττοις egregiam cum Aria Montano navavit operam. Iis quoque adjungendus Franciscus Balduinus, designatus Cracoviensis Academiæ administrator ab Henrico Rege Polono, vir doctissimus, quondam amicus Calvino, postea capitalis hostis, ideo ab hæreticis graviter exagitatus, quâ non potest afferri laus ejus illustrior. *Moritur Michael Hospitalius Cancellarius.* *Et Andreas Masius.* *Et Franc. Balduinus.*

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5627. | 1574. |

Ivonia, seu Joannes Moldaviæ Wayvoda, ejecto Bogdano Principatum consecutus, eum relinquere jubetur à Selimo, aut duplicare tributum, quod persolvere Petrus Wayvodæ Valachiæ frater ejus æmulus pollicebatur. Id cum suis constanter negat, ac bellum exorsus, *Io. Moldaviæ Wayvoda perfidè cæditur à Turcis.*

ſus, & Walacho, & Turcis ſuperior fuit, eorumque vim incredibilem ſuſtulit. Tandem perductas in inſidias, ut ſuis exitum obtineret, ipſi ſe dedidit, eâ lege ut vivus offerretur Selimo. Verùm huic non eſt ſervata fides: crudeliter enim cæſus eſt, vir meliori dignus fortunâ, ac Sertorio geminus, quem Turcæ tanti hoſtes nonniſi fraude & perfidiâ vincere ac perdere potuerunt.

*Selimo ſuccedit Amurathes III.* His de Moldavia auditis, ſicut & de Africa minùs lætis nunciis, majora volvebat animo Selimus cùm Idib. Dec. Apoplexia correptus interiit, annos natus 50. cùm imperaſſet annis 8 & menſibus 3. diſpar patri fortitudine, ſed felicitate ſuperior. Succeſſit ei filiorum natu maximus Amurathes. III. annorum 27. regnum exorſus à morte quinque Juniorum fratrum, ad cujus minimi blanditias dicitur illacrymaſſe, vir ſimilior avo, quàm patri, & utroque longè juſtior, ac temperantior.

*Henricus coronatur Rex Poloniæ.* Henricus in Poloniam ingreſſus 8. kal. Febr. in Feſto S. Matthiæ coronatus eſt Cracoviæ, turbantibus nonnihil hæreticis, quos tamen Catholicorum multitudo major, & ejusmodi Rege munita, diſjecit.

*Factio Politicorum in Francia.* Eo abſente Francia turbari cœpit, quòd rebellibus ſe commodare Dux Alenconius videretur, olim Coliniorum amicus, & Sectariis, plus quàm par eſſet, indulgens. Hæc factio dicta eſt Politicorum, vulgò *Malcontens*, & in eam tranſierant Monmorantii æmuli Guiſiorum. Quare in carcerem dati Monmorantius & Coſſæus, Alenconio & Navarro militaris eſt adhibita cuſtodia; Condæus Picardiæ Prorex Ambiano fugit in Germaniam. Mongomerius Danfronii obſeſſus à Matignonio captus, & Pariſios deductus, capite minutus eſt, ut multa crimina, & ut Henricianam necem, cujus erat minùs nocens, ſuo ſanguine miſer elueret.

*Carol. IX. moritur.* Die Pentecoſtes 3. kal. Jun. Carolus IX. obiit, relictâ adminiſtratione regni Catharinæ matri, donec Henricus rediret ex Polonia, vixit autem annos ferè 25. regnavit annis tredecim, ferè cum dimidio; naturâ ad iram propenſior, ideo & ad juramenta, quæ didicerat ab aulicis perditiſſimis. Amabat Muſicam, quare Orlandum Laſſum evocarat ex Norico; ſicut & Poëtas, *Orlandus Laſſus.* quos equorum more alendos, non ſaginandos ajebat; quod ſanè in Petro Ronſardo, Aurato, & Baiſio ſordidiùs præſtitit. Tum mortuus eſt, cum jam regni adminiſtrandi ſibi ſcientiam comparaſſet. Ejus mortem didicit poſt dies 14. *Henricus III. redit in Franciam.* Henricus, qui & ſtatim eluſis Polonis abiit; ſuſceptus magnificè à Maximiliano, Carolo ejus fratre, Venetis, ac Philiberto Emmanuele, quibus plura pollicitus eſt, quàm dare decreverat. Receptus demum Pariſiis ſic inchoavit regnum, ut meliorem Principem & ſapientiorem Francia vix auderet exoptare.

*Res Hiſpanica labat in Belgio.* In Belgio res Hiſpanica ſub Requeſenio fluctuabat, occupato per Aurangium Middelburgo Zelandiæ. Aliunde victi Geuſii ad Mukum Clivenſis Ducatus magnâ ſtrage, qua tamen victoriâ uti neſcierunt Hiſpani; ſed & corruperunt, direptâ penè à ſuis Antverpiâ: Lugduni quoque Batavorum obſidionem ſolvere compulſi ſunt; ac denique Philippus paulò tardiùs veniam iis obtulit præteritorum ab anno 1566. verùm irriſus eſt, quia tum exigere non poterat ultionem.

*Everti... & in Africa.* Nec felicior in Africa quàm in Belgio Hiſpanus fuit: cùm enim paulò ante obitum, Selimus contra Tunetanum Regem emiſiſſet 300. navium claſſem, duce Ochiali, & 40. armatorum millia duce Sinane Baſſâ, captæ ſtatim Tunetum & Biſerta omnibus rebus deſtitutæ, ob regios miniſtros, invidentes Joanni Auſtrio: Guletana arx tam flagitioſè defenſa per Portocarreram, ut prodita dici poſſet: arx nova à Serbellone fortiùs defenſa, per vim capta eſt: Hiſpani penitùs ejecti ex Africa, etiam ſpem eam recuperandi perdiderunt.

*Coſmus Magnus moritur; ſuccedit ... filius Fran... cus.* Obiit hoc anno XI. kal. Maji Coſmus Magnus Etruriæ Dux, verè Muſarum publicus Mecœnas, & litteratorum præſidium. Reliquit hæredem Franciſcum filium, maritum Joannæ Auſtriacæ, ex quo nata Maria Medicea uxor Henrici Magni, quæ præter reliquas virtutes, etiam ſecum extulit ex Tuſcia magnam in viros litteratos propenſionem.

*Card. Lotharingus moritur.* Mortuus item Avenione Cardinalis Lotharingus, vir eruditus & eloquens, cui Eccleſia multùm debet, ejus virtute, ſcientiâ, authoritate fortiter, & malis temporibus propugnata.

MUNDI 5628. CHRISTI 1575.

*Iubilæum celeberrimum ſub Greg. XIII.* Celeberrimus hic annus Jubilæo fuit Romæ magnâ pietate, prudentiâ, liberalitate Gregorii, redditus illuſtris, prælucente aliis in bonis operibus Pontifice. Certè à Natalitiis Chriſti ad Pentecoſten in Xenodochio. SS. Trinitatis excepti ſunt, & aliquot diebus honeſtè refecti peregrini 96348. & cùm in Italia, atque Sicilia peſtis graſſaretur, nullus eſt in urbe repertus, qui eâ afflaretur. Venerunt tum quoque in urbem aliquot hæretici qui in ea erroris virus evomuere, & indidem, contra parœmiam, rediere meliores.

*Pax fruſtra tentatur in Belgio.* In Belgio Maximilianus Princeps turbas componere voluit, & in urbem Dordracum, pars utraq; convenit: verùm tam abſurda petiere Geuſii, ut à ſapientibus omittendi viderentur, & quævis potiùs & bella & damna ſubeunda. Hæretici autem primo impetu belli urbes aliquas perdidere in Zelandia, quare ad Elizabetham Angliæ Reginam confugêre. Hæc diu tergiverſata, eorum demum patrocinium ſuſcepit. Tum etiam Arauſicanus repudiatâ uxore ſuâ Electoris Saxonici filiâ, Carlotam Borboniam ſuperinduxit, Montiſpenſerii Ducis filiam; quod Calviniani licitum judicabant. Author etiam *Academia Lugd. Batavorum & Duaci excitata.* fuit Academiæ Lugdunenſis Batavorum, quæ deinceps hujus Reip. liberalitate exculta viros egregios tulit, in opprobrium Catholicarum Academiarum. Phlippus autem eodem tempore Duacenſem inſtituit, magno juventutis appulſu exinde celebrandam.

Hen-

Henricus III. Rhemis inauguratus est à Lud. Card. Guisio Episcopo Metensi, cùm Rhemensis vacarat sedes; postridie duxit Aloysiam Nicolai Lotharingii Valdemontii Comitis filiam. Hinc cœptæ in Francia turbæ, sub nomine belli pro regni tranquillitate suscepti, cujus se ducem præbuit Alenconius Parisiis Drocas fugiens; ad quem profecta Catharina mater, nihil præter inducias impetravit cum amplis & ipsi & Heterodoxis conditionibus. Quibus tamen spretis Condæus acceptas à Palatino magnas copias immisit in Franciam, litteris Bezæ animatus, quarum partem præmissam ad Castrum Theodorici delevit Henricus Guisius & in prælio vulnus accepit in mala cicatrice relicta gloriosum, inde dictus *le Balafré*, hæreditariâ, & propriâ virtute generosissimus.

In Poloniam cùm satis maturè venire non potuisset Pibrachius, invenit jam decretum interregnum; Henricum suâ dignitate excidisse. Cùm ergo jam pænè electus Maximilianus in comitiis Varsanienfibus, immo acclamatus ab Archiepiscopo Gnesnensi, reclamavere plerique Poloni, atque ut sibi Rex daretur ex Polono sanguine postularunt. Verùm cùm inter eos non convenirent, proposita est Anna Sigismundi Augusti soror, cui Stephanus Battorius Transylvaniæ Princeps maritus adjungeretur; quod statim omnibus placuit. Dum autem tergiversatur Maximilianus, statim advolavit Battorius, ac præmium suæ diligentiæ, & Annam, & regnum retulit. Kal. Maji anni sequentis Rex inauguratus.

Hoc anno 6. Kal. Novembr. Ratisponæ creatus est Rom. Rex Maximiliani Imp. primogenitus Rudolphus, ætatis annum agens 24. & suo, & patris merito dignitatem consequutus.

Genuenses jampridem quieti, ad suas turbas rediere, jam in tres factiones distracti, Antiquorum, Novorum, & Plebejorum; nec tantùm verbis & sciptis, sed & armis egerunt, accitis etiam externis auxiliis. Tandem admittentibus Pontifice, Cæsare, & Philippo inter eos inita pax, quam ausus est improbare nemo, per tres illiusmodi sequestros conciliata.

Instituta est hoc anno Romæ, Presbyterorum Oratorii congregatio, cujus author fuit S. Philippus Nerius vir excellentissimæ pietatis. Concessa est huic primùm Ecclesia & parœcia B. Mariæ Vallicellanæ, ut in ea cum suis commissam sibi curaret plebem, & peculiaria sui Ordinis instituta magno animarum fructu exsequeretur. Fuit hujus Ordinis surculus Cæsar Cardinalis Baronius, ex quo in hoc opere multa desumpsimus, magnus eruditione, pietate major, ac prope omni laude superior.

MUNDI 5629. CHRISTI. 1576.

Mortuus est hoc anno 5. Id. Majas Tammasus, aliter Techmas, vel Thomas Rex Persarum cum vixisset, annis duodeseptuaginta, quinquaginta regnasset, undecim relictis filiis qui statim inter se parum concordes vixerunt. Maximus natu Mahometus Codabanda, hoc est *cæcus*, vel *Adeodatus*, vel *servus Dei*, vir mitioris ingenii, facilè sibi debitum reliquit regnum, quod occupavit secundo loco natus Haidaz Mirizes: sed hunc paulo post sustulit Pieriæconcona soror primogenita insidiis interceptum. Ergo regnum adiit tertius Ismael, quem pater destinarat regno, sed incluserat carcere ob Turcos lacessitos; hic Imperium exorsus est à fratricidio fratribus suis septem necatis; nec ita multò post ab eadem sorore sua, vel veneno, vel laqueo necatus est. Itaque revocatus est in solium suum Mahometes, verùm priùs oblato sibi sororis capite. Verùm hic cùm non satis fortis esset, multi sunt enati in Perside tumultus; quare injecta spes est Amurathi ditionis Persicæ Ottomanico Imperio conjungendæ, initiis tamen, quàm fine melioribus.

*Discordia inter filios Tammasi.*

Hoc anno pestis atrocissima per Italiam sævit, & maximè in Longobardia, ubi S. Borromæus se totum suis Mediolanensibus addixit. Nec pepercit bonis suis, qui vitam offerebat, distractâ omni suâ suppellectile, adeo ut in nuda tabula cubare cogeretur. Flexit & divinam iracundiam humillimâ supplicatione laqueo in collum inserto, crucem ferens, & nudis pedibus offendiculo cruentatis, sese pro grege suo victimam obtulit. Cujus exemplo incitati præsules alii, se veros Ecclesiæ pastores, non Mercenarios, & honoris atque divitiarum mancipia præbuerunt.

*S. Borromæi pietas tempore pestis.*

Alenconius Dux tandem hoc anno quis esset ostendit, litteris ad Senatum Parisiensem datis. Aliunde ineunte anno collectum in Germania exercitum, Duce Casimiro Electoris Palatini filio, Condæus adduxit in Franciam, hoc est mille Germanos equites, & peditum 12. millia, hæreticos pæne omnes, à quibus est potissimùm in res sacras sævitum. Tandem post multos circuitus junctæ sunt illæ copiæ Alenconio in agro Borbonio. Cùm autem Principibus deessent pecuniæ ad stipendia, & aliunde Regis exercitus esset inferior, Catharina Regina mater in cœnobio Belliloco apud Turonas pacem confecit, sed turpissimam. Per eam enim obtinuerunt hæretici, quæ nondum potuerant extorquere Synodorum facultatem, Sacerdotum & Monachorum nuptias, admissionem ad magistratus, concessas urbes octo ad securitatem in variis provinciis, aliaque ejusdemmodi 62. capitibus comprehensa. Multa quoque Casimiro promissa, multa Alenconio data; & ut Germani remitterentur in patriam, permittente Pontifice alienata sunt Ecclesiæ bona; sicque hæc non tantùm ab hostibus suis, sed & ab amicis spoliata.

*Casimirus irrumpit in Franciam.*

*Rex turpem pacem cum hæreticis fecit.*

Pupugit ea pax acerrimè bonos Catholicos, qui tum novum inter se fœdus de Fide defendendâ inierunt, initio à Picardis ducto, apud quos floruit semper, floretque religio. Hîc cum data esset Condæo Perona turpi hâc conventione, cum repulit Humerius aliique nobiles, neque jubenti atque minanti Regi parere voluerunt; certi potius emori quam munitissi-

*Catholici inter se fœdus ineunt pro tuenda religione.*

mum locum, & Belgii Franciæq; nexum hæreticis prodere. Picardos imitata est Pictaviensis nobilitas Tremolio duce, sparsumque per universam Galliam fœdus de bonis, honoribus, sanguine pro Religione, & Henrico III. legitimo Rege profundendis. Hoc fœdus promovisse putant egregiè Guisium, quem tum ad id pietas, & avita tantùm religio concitabat; sed ambitionem deinceps irrepsisse nonnulli crediderunt, sive hæc vera fuit, sive conficta ab adversariis, quibus nunquam magni viri caruerunt. Id autem fœdus cùm videret Rex sibi, ac Franciæ perniciosum, eo distrahit populos suos in factiones duas, quæ sibi quærerent duces, quos pæne Regis haberent loco, consilio parum honesto, sed quod Morvillerius Aurelianensis Episcopus necessarium putavit, Rex fœderis hujus se Ducem, & caput dixit, ut sic Catholicos amore, hæreticos metu in officio contineret.

*Rex se fœderis hujus caput profitetur.*

*Comitia Blesensia.*

Indicta tum fuerant Regni Comitia Blesensia, quæ medio circiter Novembri inchoata sunt. In iis unica est statuta in Francia religio: verùm aliqui Heterodoxos amicè revocandos; alii per vim cogendos arbitrabantur. Cùm inde Rex bellum videret emergere, moras de industria nexuit, clam egit cum Navarro, Condæo, Damvillâ, Guisios verò à quibus sibi reformidabat, & videbat in oculis esse Catholicorum, deprimere conatus est, edito decreto de Principibus sanguinis Regii, atque paribus Franciæ, reliquis omnibus anteponendis; sed eo non sunt depressi viri fortes, sed eò elati unde cum magna Regis, & Regni pernicie deciderunt.

*Henric. III. Guisios deprimere nititur.*

In Belgio sub Requesenio, mitioris ingenii viro, res magis turbatæ fuerunt, quàm sub Albano: unde didicit Philippus adversus hæreticos mollibus & inertibus consiliis nihil esse deterius; cùm hi ex benignitate colligere soleant audaciam. Mortuo igitur ex peste Requesenio, Senatus omnem sibi authoritatem arrogavit in Belgio, & id Philippus ratum habuit, magno tamen rei Hispanicæ damno. Sic enim coaluit Belgium fœderatum, cui fœderi etiam initio Ecclesiastici turpiter subscripserunt Catholicis etiam Hispanicum jugum, tum sine dubio (absque Duce qui militum licentiam inhiberet) grave & intolerandum, excutere molientibus. Sic informata Respublica quæ terrâ nullum jam Principem timet, mari nec timere potest. Neque tamen tum Hispani rebus suis depositis animos desponderunt, sed propè Lovanium fœderatos fuderunt, Trajectum occuparunt, Antverpiam contra arcem firmatam diripuerunt, facti ex desperatione fortiores, ac timendi. Interim venit in Belgium Joannes Austrius; sed hic quoque spretus est: eo enim invito fœderati Gandavum convenerunt, Hispanos declararunt hostes Belgii, Ordinibus administrationem commiserunt, & Arausicano Zelandiæ, & Hollandiæ Præfecturam, tamen sub Philippi nomine, & Religione Catholicâ ubique stabilitâ, sublatis tantùm pœnis ab Albano in Heterodoxos statutis. His conditionibus delusi Belgæ, nullo negotio sese fœderatis adjunxerunt; paucis tamen metu potiùs, quàm voluntate, in officio, & obsequio Hispanorum remanentibus.

*Requesenius moritur ex peste.*

*Initium Belgii fœderati.*

*Ioan. Austrius venit in Belgium.*

Maximilianus Poloniam sibi vindicare tardiùs & frustra conatus, ex dolore calculi & palpitatione cordis obiit Ratisponæ 4. Id. Octobr. anno ætatis undequinquagesimo à morte Ferdinandi patris 12. cum duobus mensibus & 17. diebus, vir pacis amantior & mitior quàm hæc tempora postulabant; ipse sibi religiosissimus, aliis non satis, cùm Protestantibus multa neganda concesserit. Successit ei filius Rudolphus II. jam annos 25. natus, & jam Imperii, quia Cæsar, sine controversia candidatus.

*Maximiliano Imperatori succedit Rudolphus II.*

Mortuus est hoc anno Hieronymus Cardanus Mediolanensis Medicus, & Mathematicus insignis, Josephi Scaligeri adversarius. Illum nonnulli putant inediâ sibi mortem accelerasse, ut die à se assignato periret, & melior Astrologus, quàm Christianus videretur.

*Hieronym. Cardanus moritur.*

MUNDI 5630. CHRISTI 1577.

Continuata sunt Blesensia Comitia, in quibus actum est accuratè de una religione conservanda, ita tamen ut Rex hæreticos ad desperationem adigere nolle videretur. Quâ benignitate magis efferati, de Casimiro revocando, & externis auxiliis iterum cogitarunt, & inierunt fœdus junctis duabus factionibus Catholicorum, uti vocabant *Malecontentorum*, & hæreticorum; cui tamen fœderi, Damvilla, & plurimi Catholici minùs acquieverunt, ac Regi firmiùs adhæserunt. Rex igitur factus animosior duces suos, & copias, in factiosos immittit, qui adeò fortiter atque feliciter se gessere, ut adversarios ad pacem compellerent. Hanc Henricus suam dicere solebat, Catholicis proficuam magis, quàm hæreticis, qui eam nihilo seciùs magnâ animi alacritate susceperunt, aliquid perdentes sponte, ne iis omnia funditus interirent.

*Hæretici rebellant … à Rege vi… …*

In Belgio magnæ concordiæ spes in fœdissimum bellum desiit. Cùm enim Joannes Austrius Ordinum petitioni acquievisset, ac novam condidisset formulam nomine *perpetui Edicti*, ea continens capita undeviginti magno ubique studio recepta est, & pace ubique factâ, arcibus traditis Hispanicæ copiæ in Italiam recessere; receptus est magnâ pompâ Bruxellis Joannes Belgii gubernator. Sed statim eum turbavit Arausicanus, & sic exagitavit, ut securitatis gratiâ arcem Namurcensem intercipere cogeretur. Quo audito Ordines Antverpiensem occuparunt ac diruerunt, eumque ut turbarum causam apud Philippum accusarunt. Quare in Lucenburgensem Ducatum recipere se coactus est, creatus est ab Ordinibus Arausicanis Brabantiæ gubernator, quæ dignitas ei multos invidos peperit. Catholici itaque ne Religio sub Præfecto Heterodoxo periclitaretur, evocare Matthiam Rudolphi Cæsaris fratrem, quem opponerent Arausicano 22. añorum adolescentem, & in quo plus esset spei, quàm fructus. At hic statim expertus est Arausicanum nimis posse; itaque volens nolens transiit in ejus partes; sic-

*Perpetuu… Edictum…*

*Pax Bel… ca defini… in bellum atrox.*

*Matthi… evocatu… Catholi…*

que

que magnificè receptus Antverpiæ, atque ita præpositus Belgio, ut præfecti larva esse videretur, sine ordinum consensu movere non auderet pedem. Factus autem Ordinum Vicarius Arausicanus in societatem pertraxit Elizabetham, cui intentavit metum ab Joanne Austrio quasi is Mariæ Scotæ nuptias prensaret. Hæc autem Elizabetha credidit, aut credere simulavit, cum ut Societatem cum Ordinibus excusaret apud Philippum, tum ut materiam sæviendi reperiret in Mariam atque Catholicos; quos hoc tempore vexavit acerbiùs, eorumque Sacerdotes conata est funditus exterminare, quia eorum operâ vigere veram Religionem deprehendebat, jacere suam.

Detectus est hoc anno Sinus in Americâ Septentrionali supra novam Franciam, ab inventore dictus *Forbisherius*, Martino scilicet Forbishero, qui hàc viam in Catayum, & Sinas quærebat; unde nihil retulit præter mulierem unicam cum duobus infantibus, & aliquot saxa in quibus aurum latere credebat: verùm cùm ea mera saxa inventa essent, eaque prædura, iis stratæ sunt viæ, irrisus miser Forbisherus, qui lapides tantùm, difficilis ac periculosæ navigationis præmium, reportasset.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5631. | 1578. |

Inchoatum est hoc anno bellum inter Codabendam Persam, & Amurathem, cui à Turcis præpositus est Mustapha, atque in eo feruntur 70. Ottomanorum millia cecidisse, vocatis ab utrâque parte Georgianis, ac Tartaris. Cùm rei malè gestæ Mustapha accusatus esset, avarus aliunde, & superbus, in ejus locum substitutus est Sinanes Bassa, pollicitus se Persarum Regem captivum abducturum, quod quam longè fuerit ab ejus expectatione, postea cum ejus dedecore videbitur.

Reparatum est hoc anno in Belgio bellum per Joannem Austrium, & missum cum magnis copiis Octavium Parmensem. Ac primo aspectu Austrio accidere visa est fortuna, relata insigni ad Gamblacum victoriâ, in quâ 8. aut 10. millia Geusiorum interierunt, vix Austrianis decem desideratis. Verum mox illi Amstelodamum interceperunt, ubi hæreticorum more in res sacras atque Sacerdotes sævire, omnibus Catholicæ religionis insignibus exterminatis. Auditâ autem clade Gemblacensi Franciscus Henrici III. frater, ante Dux Alenconius, nunc Andegavensis inhians Belgio, Ordinibus se & mille equites Volonos, octo millia peditum obtulit. Sic impediit Austrium partâ uti victoriâ, cui junctus est Arausicanus, & pecuniâ Elizabethæ Casimirus excitatus, multum Hispanis nocuere. Arausicani autem potentia crevit, atque Geusiorum, qui exinde disjecerunt ubique templa, carceres Catholicis impleverunt, in prosperâ fortunâ non soliti servare modum. Tum autem aliqua est injecta pacis mentio per Legatos Cæsaris, Henrici, & Elizabethæ; sed cùm Joannes Austrius unam optaret Religionem Romanam, & alia quæ parum Geusiis placerent, omnes re infectâ discesserunt.

Tum quoque ut in Francia, sic in Belgio excitata est *Malecontentorum* factio ex proceribus Catholicis, quòd Ordines favere magis Hæreticis, quàm Catholicis viderentur; quæ factio plurimùm turbavit Ordines, sed Hæreticos multò magis, in quos potissimùm erat comparata.

*Factio Malecontentorum in Belgio.*

Verùm tum accidit intempestiva mors Jo. Austrii Kal. Octobr. apud Namurcum ex peste; vel ex phthysi concepta ex mœrore quòd ei parum Rex fidere videretur, quem tamen ex animo & sincerè diligebat. Obiit autem ætatis anno 32. & eo ipso die, quo Naupactinam victoriam retulerat. Ei ergo suffectus est in administratione Belgii Alexander Farnesius, inter Imperatores sui sæculi facilè Princeps, & antiquioribus sine adulationis notâ comparandus, quem experti rebelles Geusii, Austrium non valdè Catholici desiderarunt.

*Io. Austrius moritur, succedit ei Alex. Farnesius.*

Joannis Austrii nihilominùs obitu Belgicæ res admodum desolatæ sunt, dum Matthias cum Ordinum exercitu, Casimirus cum suis Germanis, Andegavensis cum Gallis, *Malecontenti* cum suis fautoribus Belgium lacerarent, & omissâ boni publici curâ res suas promovere studerent. Arausicanus interea omnibus ostentans sese, omnibus videbatur imperare; nec tamen Parmensis despondebat animos, verâ religione, & causæ bonitate confisus, qui & tum oppida nonnulla cepit, nec industriâ nec virtute ullas officii partes omittens. Tum autem Franciscus Andinus questus sibi non servari promissa, munitis quibusdam urbibus in limite, exercitum suum inter Ordines, & *Malecontentos* partitus est, atque inde discessit inglorius, nec à Francis nec à Belgis probatus satis. Casimirus ut stipendia reciperet in Angliam transiit, milites ejus in Belgio malè accepti, nudi, atque semineces in Germaniam recessêre, quò mox eos sequutus est, Belgium, Ordines, & Elizabetham execratus.

*Parmensis rem fortiter & sapienter gerit.*

In Scotiâ Mortonius Prorex quàm consequutus erat prudentiæ & virtutis famam apud omnes suis sordibus perdidit; quare quodammodo exauthoratus est, regni administratione Jacobo regi duodenni traditâ, cui adjuncti consiliarii 12. ex quibus unus Mortonius fuit, ne omnino dejectus videretur. At is omnibus experientiâ, & ingenio superior, statim ad se traxit omnia, & Regem in suâ potestate, non invitâ Elizabethâ, retinuit. Quo facto irritati proceres in eum Atholiæ Comitem concitarunt: huic opposuit Mortonius fautores suos; cùmque nihil propiùs esset, quàm inter se armis confligerent, per Robertum Rowes Anglum inter eos inita pax: Mortonius quasi pertæsus aulæ, se recipit domum, Atholiæ Comes non sine suspicione veneni mox interiit, quæ suspicio postea in ultimum discrimen eundem Mortonium impulit, propter alia crimina morte digniorem.

*Mortonius exautoratus restituitur.*

*In eum conspiratur.*

Memorabilis est annus iste Sebastiani Lusitaniæ Regis casu, atque cæde. Hic implicitus discordiis Xeriphorum, Mahamedem exautoratum contra Abdelmelechum Regem Fessæ & Ma-

*Sebastiani Lusitani infelix expeditio, & cædes.*

& Marochi defendere parat, & cum exercitu in Africam trajicere. Tandem neglecto sapientum consilio cum quindecim millibus armatorum transfretat, & excipitur à Mahamede cum paucis copiis, nec iis quas pollicitus erat. Occurrit utrique cum sex millibus equitum, & peditum quatuordecim Abdelmelechus, & in campis Tonitensibus pugna conseritur pridie Nonas Aug. die Lunæ. Et principiò Lusitanis visa est favere fortuna, sed demum ad Mauros conversa est. Fecit enim suis animos Abdelmelechus æger, egressus tamen è lecticâ, equoque conscenso, ac restituto prælio, paulò pòst obiit, monitis suis ut ejus celarent mortem, & victoriâ fruerentur. In sinistro cornu cecidit Georgius Lanclastrius, Averi Dux cum multis proceribus, in dextro Sebastianus tertio equo suffosso, quartum conscendit, & supra hominem pugnans, invitatus à Mauris ut se dederet, cum tribus nobilibus in cuneum hostium irrupit, in quo suâ manu multos occidit. Tandem captus atque exarmatus cùm de eo milites duo disceptarent, centurio superveniens litem diremit, & interemit Regem, spectante Nonio Mascareniâ, qui solus ex tribus comitibus nobilibus superfuit. Mahametes fugiens in Mucazzeni cœnoso vado submersus interiit, mortuoque detracta pellis atque salita, per totum regnum plena fœno circumlata est, ne quis eum cecidisse dubitaret. Cum Sebastiano cecidit tota ferè Lusitana nobilitas, aut capta est, octo millibus trucidatis, aut captivis; nunquam major accepta clades, cumulata tanti Principis, & tantæ expectationis casu, cùm vixisset annis 24. mensibus 7. cum diebus 15. Hametes Abdelmelechi Regis frater, accurrens ad lecticam ei gratulaturus victoriam, eum reperit mortuum, ac lacrymis perfudit suis, inter quas Rex acclamatus est. Sebastiani corpus Septam, (Ceute, ditionis Lusitanæ, delatum, inde cùm publico instrumento in Lusitaniam translatum est. Hoc ergo bello vix ullum est auditum funestius, in quo tres interiere Reges, unus morbo, alter aquâ, tertius ferro; eò hic gloriosior quòd cum Christi hostibus pugnans quodammodo pro fide Martyr occubuerit.

*Henricus Cardinalis succedit Sebastiano.* Auditâ statim morte Sebastiani Henricus Cardinalis Presbyter frater Joannis III. filius Emmanuellis 4. kal. Octobr. annos natus 66. sed cùm infirma valetudo huic paucos sponderet annos, de hoc regno agere cœperunt Philippus Hispaniæ Rex, natus ex Isabellâ Henrici sorore, & Emmanuelis majore natu filiâ; Philibertus Emmanuel Sabaudiæ Dux ex Beatrice alterâ filiâ Emmanuelis ortus; Reinutius Farnesius Dux Parmensis, ex Mariâ Eduardi item Henrici fratris filiâ primogenitâ natus; Catharina minor filia ejusdem Eduardi, quæ nupserat Duci Bragantiæ; quorum omnium jura per magnos Jurisconsultos disceptata sunt: his tamen jus bellicum prævaluit, & primi occupantis arma. Accesserunt & Antonius Crati prior Ludovici Henrici fratris filius nothus, & Catharina Henrici III. Francorum Regis mater, altiùs ex Alphonso jure repetito ante ann. 335. quibus se ad-

*Qui disceptarunt de Regno Lusitaniæ.*

miscebat Gregorius XIII. tum quia regnum erat Beneficiarium, sanctæ Sedis, tum quia bona Cardinalium ad Pontificem spectare videntur; lis magna profectò, tot digna competitoribus maximis, neque facilè ab hominibus, arbitris dirimenda.

Henricum quidam sollicitabant ad nuptias, haud novo exemplo, quod ille firmare recusavit; inclinabat in Bragantinum, sed utrumque territabat Philippus; jamque Bragantinus debebat manus impar Philippo, & eò quoque Henricus trahebatur; sed obsistebant Lusitani, ex innato in Castellanos odio, sibique regem indigenam dari postulabant; nec acquievere nisi cùm ætate nostrâ Bragantinum elegere, mirabili consensu in Europâ, Asiâ, Africâ, Americâ in eum convenientibus, tam dissitis loco, quam conjunctis animo Lusitanis. *Lusitan... expetun... regem in... digenam*

Circa hoc tempus Jo. Sturmius Lutheranus conatus est novam sectam inducere, quam appellabat *Mediam Viam*; hæc tamen vulgò rejecta est. Mortuus est & Franciscus David, per quem infecta fuerat Transylvania, conjectusque in carcerem à Christophoro Battorio; ibidem amens multaque deblaterans obiit. Ut autem ejus errores populus dedoceretur, statuti sunt Jesuitæ Claudiopoli, qui profecere plurimùm, simul & passi sunt, quoniam pauci agni multis lupis circumfundebantur. *Media... Jo. Sturm... Luthe... rani. Franci... David... Hæret. moritur*

Tum etiam piè admodum obiit Laurentius Surius, Carthusianus Lubecensis, Coloniæ, vir improbi laboris, ut ejus testantur historiæ, vitæ Sanctorum, Concilia, aliaque ejusdemmodi, quæ vel ab uno homine scribi potuisse vix posteritas credet. *Laurent... Surii... th. obit*

MUNDI 5632. CHRISTI 1579.

Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus destitutus patrocinio Michaelis Cantacuzeni (hic accusatus de turbis in Moldaviâ concitatis Anchiali in domo suâ suspensus fuerat) hoc anno operâ Metrophanis depositus est, qui & ei substitutus est. Ferunt hunc à Lutheranis accusatum apud Turcos ideoque depositum, & iis, quia studiosus erat odiosum, virum bonum æqui rectique peramantem; quod tunc temporis inter Græcos instar miraculi fuit. *Hierem... Patriar... cha Con... stantino... politani*

Institutus est hoc anno ab Henrico III. Ordo Spiritus Sancti, quòd Sacro Pentecostes die ipse duo adiisset regna, Francicum atque Polonicum, & jam S. Michaelis à Ludovico XI. statutus ita viluisset, ut jam Francico convicio diceretur, *le Collier à toutes Bestes*. Ejus autem formam Henricum accepisse ferunt à Venetis, atque excogitatam anno 1352. à Ludovico Rege Hierosolymitano, qui eodem die Rex creatus fuerat. Scio in ejus insignibus, atque coloribus, nonnullos malevolos amores obscœnissimos suspicatos esse; verùm ut id credam, impedit qui erat Henrico à confessionibus Edmundus Augerius Soc. JESU, vir mirabilis eloquentiæ, & majoris adhuc solidiorisque virtutis. *Institu... Ordo Spi... ritus S. ab Hen... co III.*

Verùm aliunde nocuit Henrico, quo minùs pius satis haberetur, Genevæ suscepta tutela, *Henricu... III. susc... pit Gene... væ patr... cinium.*

quæ

quæ cùm esset hæreseos sentina, & omnium errorum cloaca, patrocinium ejus Regem Christianissimum dedecere videbatur. Id tamen suscepisse creditur invitus, ne Helvetiis aditus in Franciam intercluderetur, si veniret illa in Sabaudi, vel Hispani manus; quamquam Principibus nunquam perperam factorum excusationes desint.

In Belgio *Malecontenti* proceres, quia se ab Ordinibus contemptos videbant, in Regis partes inclinant; eos ergo retrahere conatur Arausicanus; sed evicit Parmensis; sicque Gallobelgæ in Regis verba juraverunt; itaque multa in eos gesta hostiliter, at hi demùm prævaluere. Interea Parmensis Trajectum ad Mosam obsidet, & oppugnat magnâ cæde; neque tamen uti victoriâ suâ potuit, cùm ob imminutum exercitum, tum quia in gravem incidit morbum, sine dubio Geusiis salutarem.

Quominus pax in Belgio sanciretur impediit Arausicanus; cum Philippus ad pacis conditiones omnes descenderet: cum id deprehendissent honestissimi quique Belgarum, se à Geusiis sejunxerunt, quorum exemplo prudenter usus Parmensis, nec corpore, nec animo docuit se infirmum esse.

Prensabat tum Elizabethæ nuptias Franciscus Dux Andegavensis, ideoque trajecerat in Angliam: quas dum confectas putat, illusum se deprehendit à callidâ muliere, quæ religionem prætexens nihilminus, quàm illam curabat.

Gregorius XIII. Romæ, ac Rhemis Anglorum Collegia condit: Hibernis sufficit auxilia Philippus, quibus freti illi rebellant in Anglos; sed ii non satis concordes, docuerunt se ad lites, quàm arma aptiores esse, & linguâ meliùs quàm manu pugnare.

Bellum hoc anno Polonos inter Moschosque susceptum Stephanum Battorium, & Joannem Basilii. Capta urbs Polotia, in quâ capta nobilis Moschorum Bibliotheca: ejusque loco suffecti Societatis JESU Patres, vivi libri, atque spirantes.

Agitata lis inter competitores Regni Lusitanici, adhibitis Legulejis, & viris qui omnes juris apices nossent ut ungues digitosque suos; sed aliud parabat Philippus, validas scilicet copias ad jus suum conservandum; disputationibus omnibus aptiores.

Celebre fuit hoc anno Æthnæum incendium, quo quinque Crateribus apertis post graves terræ concussiones, ac fremitus, quinque ignei rivi eruperunt, jactis lapidibus ignitis vægrandibus qui ultra visum ferebantur in sublime, & magno impetu decidebant; adeò ut gyganteum bellum hic jactibus, & casibus repræsentari videretur.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5633. | 1580. |

Mustapha Bragadini carnifex ex mærore, quòd ei Sinanes Bassa prælatus esset ad bellum Persicum, & in Vicariatu, immo & in eâdem dignitate Achmetes, sibi conscivit necem vel veneno vel nimio melopeponum esu, dignus ob crudelitatem, qui αὐτόχειρ sui carnifex esset. Sinanes autem, qui mira de bello Persico pollicitus erat, ita circumduxerat copias, quasi peregrinaturus, non pugnaturus advenisset. Accepit autem & duas clades, in quibus etiam tormenta bellica perdidit. Quare cùm videret Codabendam ad pacem inclinare, effecit ut hic Legatos ad Amurathem mitteret. Ipse Constantinopoli susceptus magnificè, ridentibus Persarum Legatis in suo sinu qui ejus ignaviæ, & stoliditatis testes extiterant.

*Sinanes Bassa patrem icere cogitur.*

Comitia Amerini sunt hoc anno in Lusitaniâ celebrata de successore regni; inter quæ contigit obitus Henrici prid. kal. Febr. cùm regnasset mensibus 17. Selecti erant ab Henrico gubernatores 5. ad quos scripsit statim Philippus, multa pollicitus, multa minatus. Cùm hi tergiversarentur, immittit in Lusitaniam duos exercitus, maritimum sub Alvaro Marchione S. Crucis, & terrestrem sub Ferdinando Alvaro Albano, relegato ob erratum filii, & quem tum etiam Rex videre noluit. Expediunt arma gubernatores, magis ut placerent furenti plebi, quàm ut repugnarent. Creatus Rex interea Antonius Crati prior regia sumpsit insignia, & Olysipponem pergit, ubi negligentiâ Joannis Tellii Gubernatoris, & Petri Acunæ Præfecti negligentiâ receptus est, ab omnibus Rex salutatus, etiam à Monachis, quorum plures ei manus, & arma polliciti sunt, sanctiùs in suis templis atque cellis oraturi. Aliunde Hispani duces multas urbes occupavere: Cascajum Albanus, ubi Didacum Menesem Antonii Præfectum, quòd ad primam jussionem non reddidisset urbem, capite truncari jussit, nec in Lusitaniâ Belgicæ suæ severitatis oblitus.

*Moritur Henricus Lusit. Rex.*

*Philippus invadit Lusitaniam.*

*Antonius nothus creatur Rex Lusitaniæ.*

Gregorius amicè controversiam Lusitanicam componere voluit; verùm Legatus ejus Alexander Cardinalis Riarius inter arma non est auditus. Albanus inter hæc Antonium compulit ad subeundam prælii aleam: id commissum est 8. kalend. Septembr. ad vicum Alcantaram; sed tumultus veriùs, quàm prælium fuit. In eo vulneratus in facie Antonius ægrè diffugit; nusquam tutus: cùm in ejus caput octuaginta millia aureorum essent pronunciata. Tot ergo militibus ad eum quærendum intentis, nunquam inventus est tamen; apud Monachos, & nobiles subinde latens, tam charus Lusitanis, quàm iisdem erant odiosi Castellani.

*Antonius victus ab Albano, latere cogitur.*

Philippus inter hæc graviter ægrotavit; ubi convaluit, suam ingressus est Lusitaniam, ubi ad se venientem Ducem Brágantiæ perhumaniter excepit, & avitis honoribus atque novis cumulavit. Statim ergo ubique Rex agnitus est, præterquam in Azoribus, operâ Franciscanorum, quæ Antonium agnovere: Episcopus tamen insulæ S. Michaëlis, eam in officio continuit. Sic Philippus nullo, aut parvo sumptu potitus

*Philippus potitur Regno Lusitaniæ.*

titus est regno, quòd dimidiâ ditionis suæ parte redimendum videbatur.

*Hugonoti cum Henr. pacem inire compelluntur.*

In Franciâ diu non quieverunt Hugonoti: Navarræus enim Cadurcum, magnâ suorum & civium clade, occupavit, ex improviso urbem adortus. Perrexit & Condæus ad quærenda auxilia in Germaniam; sed his opposuit Henricus tres exercitus; quibus, sicut & diplomate securitatis, iis qui remanerent quieti, ostentato, adeo pressit Navarræum, ut hic de pace cogitaret. Verùm & promovit eam Condæus ex Germaniâ vacuus rediens, & postulatus Belgii Princeps ab Ordinibus Franciscus Dux Andegavensis; itaque hæc pax Flexiæ icta est, quod & eam Henricus, otii nimis cupidus, exoptaret.

*Franciscus Andeg. eligitur Belgii Princeps.*

Franciscus ergo eligitur Belgii Princeps, ab Ordinibus fœderatis commendatus ab Elizabethâ, adstipulante Arausicano, qui mortem aliter defugere non poterat. Jam enim caput ejus 25. millibus aureorum constitutis insuper atrocissimis pœnis, qui latentem occultarent, aut non indicarent, ex quo periculo illum sua duntaxat felicitas eripuit. Missi sunt igitur in Franciam Legati, qui Franciscum fratrem obtinerent ab Henrico, & cum novo Principe transigerent. Quæ cùm videret Matthias Austrius, deserere Belgium cogitavit, petitis tamen sumptibus, quos impenderat; hi sunt ipsi quidem, sed malignè suffecti, assignatis pensionibus in bona Ecclesiasticorum, ut disceret hæreticis, & rebellibus famulari, quorum præmia essent sacrilegia.

*Sacerdotes in Angliam transeunt Personius, & Campianus.*

Turbata est hoc anno Anglia terræ motibus, sed multò magis edictis in Catholicos, atque Sacerdotes, qui ex Collegiis Romano Rhemensi, Duacensi docti, piique redibant in patriam; in quorum parentes graves sunt pœnæ constitutæ. Hæ tamen non impedierunt quominus Robertus Personius, & Edmundus Campianus è Societate JESU Sacerdotes suam repeterent patriam, tam alieni tamen à subditis alienandis ab Elizabethâ, quàm parati ad populares suos Ecclesiæ, ac veræ Fidei restituendos.

*Varii hæretici tum celebres.*

Eodem tempore novæ quoque hæreses ex Hollandiâ transierunt in Angliam, authoribus Hermanno Nicolao Lugdunensi Batavo, (cujus plerique libri publicis flammis exusti sunt) & Hadriano Hamstedio improbo homine, & ad væsaniam inclinante. Eodem quoque anno Jo. Willemius Ruremundensis Anabaptista in Arce Juliacensis ditionis, in vinculis licèt, toto quinquennio rebus omnibus circumfluens, inter suos Reginarum greges versabatur, corruptis auro custodibus ejus, per gregales suos; verùm tum detecto mimo duabus Reginis obstinatioribus resecta capita, reliquæ ad pœnitentiam servatæ, ipse lentis ignibus assatus est, cum eâ pertinaciâ, quæ afflatum illum malo genio satis indicaret.

*Petrus Elcius Martyr.*

Maroci Petrus Elcius Madritensis creditus Mahumetanus retractus è fugâ, ad portam civitatis exsectâ linguâ clavis affixus est, ubi & locutus est expeditè, & nihil se pati professus est, donec à pueris lapidatus, duplici martyrio affectus animum triumphantem immisit cœlo, cum magnâ spectantium Maurorum admiratione.

*Michael Bajus se submittit Pontifici.*

Hoc anno missus est Lovanium Franciscus Toletus è Soc. JESU postea Cardinalis, vir magni ingenii atque prudentiæ, ut ageret cum Michaële Bajo Academiæ Lovaniensis Decano, qui multa asseruerat Fidei non satis consona, & à Pontificibus Pio V. & ipso Gregorio jam damnata. Hunc hominem doctissimum licet Franciscus sic convicit, ut daret huic manus; adeo ut Bajus errasse, hæreticus non fuisse videatur. Cujus primi Magistri sui (fuit enim Bajus Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi præceptor) si exemplum secuti essent Janseniani, non tantas excitassent in Ecclesiâ tempestates; & qui retulerunt aliquam ingenii atque scriptionis laudem, eam pertinaciæ, & hæreseos labe nequaquam inquinassent.

*Stephanus Battorius feliciter in Moschum pugnat.*

Stephanus bellum Moschoviticum; de more, fortiter gessit atque feliciter, & Livoniæ aliquot arces occupavit, adeo ut Moschus ei partem hujus regionis offerret; sed volebat totam Stephanus, & sperare debebat. Itaque rediit ad hiberna, communi suorum acclamatione susceptus, & Polonico sceptro, adeoque meliore, dignissimus judicatus.

*Per Dracum Orbis circumnavigatio.*

Rediit hoc anno in Angliam Franciscus Dracus, qui anno 1577. Plimutho cum 5. navibus solvens Brasiliam Pirata vexarat, inde transito Magellanico freto Peruviæ & Mexici littora, adeo dives, ut navim suam unicam ex reliquis superstitem argento saburrarit. Multa de eius itinere Angli fabulati sunt, ut de Nova Albione, quæ diu in tabulis apparuit, jam in recentibus expuncta est. Verùm hoc certum, accessisse ad Molucas, & Javam, & flexo Bonæ Spei promontorio (dum frustra expectabatur ab Hispanis ad fretum Magellanicnm) 3. Non. Novembr. Plimuthum rediisse. Creatus est eques à Reginâ, ejusque navis ad memoriam juxta Depfordiam ad Tamesin fluvium servata est Orbis circumnavigati illustre monimentum.

---

## CAP. IX.

## *Decas Nona.*

### *Ab anno Christi* 1580. *ad* 1590.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5634. | 1581. |

*Anton. Possevinus ad Moschum Legatus.*

JOannes Basilius Moschoviæ Dux, impar Stephano, petit à Pontifice & Cæsare, ut arma sua, & Polonorum, in Turcam potiùs quàm in Christianos impendantur. Pontifex, tantum ne officio suo defuisse videretur, misit ad eum Antonium Possevinum è Soc. JESU, virum eruditum, & rei gerendæ gnarum, cujus operâ inter Polonum & Moschum pax inita est, huic non nimis gravis, illi perhonorifica, quam & Pontifex firmavit. Moschus autem admonitus ut fidem Ro. Eccle-

Ecclesiæ ex Synodo Florentinâ profiteretur, contempsit, quia multùm de terrenis, nihil de cœlestibus sollicitus erat. Neque verò hic tot cladibus illatis à Polono, aut filii Joannis morte, ad se rediit; quem ipse ex iracundiâ, quasi seditionis autorem baculo ferrato interemit; ideo deinceps à populo spretus, ab hostibus irrisus, mœrori suo, ex quo obiit turpiter, derelictus.

Comitia Lusitaniæ Tomari celebrata sunt: in quibus sapientiam suam cum æquitate conjunctam Philippus ostendit. Egit enim blandè cum subditis, severiùs in rebelles, & Monachos maximè, qui se imprudentissimè civilibus negotiis immiscuerant. Antonius Batavicâ nave, quam huic callidè mulier paravit ad portum Centobricæ, pretio 600. aureorum, Callisium appulsus, inde Parisios venit à Rege benignè susceptus, sed sine spe auxilii. Inter hæc Philippus Olysipponem magnificè ingressus, & illustri exceptus pompâ, didicit Lusitanos quantumvis feros, posse tempore & facilitate dimitigari.

Philippus graviter questus est de Henrico III. quòd Franciscum Audinum Principem dedisset Belgis, nuptias ejus cum Elizabethâ curaret, recepisset Antonium perduellem; quibus Francus satis fecit, uti Principes solent; atque ut recipiuntur excusationes, probatæ, cùm vi refelli non possunt.

In Belgio pars utraque attrita sustinere potiùs bellum quàm gerere videbatur, utraque victrix, utraque victa. Strunicâ enim ab Ordinibus liberatâ, Franciscus obsidionem Cameraci ois jecit; aliunde Parmensis recepit Bredam, & Tornaçum; rogabatur Andegavensis ut pergeret ulterius in Belgium; sed videns diffluere copias suas, ex Volonibus ferè côflatas, deflexit in Angliam, ut nuptias suas cum Elizabethâ promoveret, sicque & major, & paratior regrederetur in Belgium. Et verò eâ de causâ nobilis est Francorum in Angliam missa Legatio. Verùm & Henrico, & Francisco, & Batavis callida mulier illusit, omnibus speciem religionis obtendens, quam nullam unquam habuit.

In Belgio & Comitiis Hagæ Comitis 9. Kal. Aug. à rebellibus omnis est ejurata Philippo legitimo Principi fides; statutum est liberum esse Ordinibus alium Principem eligere, delectusque Franciscus Andegavensis; quæ bonos adeò pupugerunt, ut qui substiterat Matthias, statim Antverpiâ sibi putaret exeundum, ne tam sceleratos homines videre cogeretur.

Elizabetha, ut metum adimeret suis, de nuptiis cum Francisco Andegavensi, Catholicos ad supplicium rapi jubet, atque intèr cæteros Edmundum Campianum Jesuitam, eloquentissimum virum, quem cum suis calumniis Ministelli exagitassent, eos egregiè retudit *Rationibus decem*, quibus elucet magnum Tullianæ orationis exemplar. Sublatus est vir tantus perduellium supplicio, cum aliquot aliis Sacerdotibus; atque in eo viri eruditi Ciceronem, in Elizabethâ Fulviam repræsentatam esse doluerunt.

Mortonius olim Scotiæ Prorex, dum perdere conatur Albinium Stuartum, Regis consanguineum, huicque charissimum, eum compegit in carcerem Jacobus; & quanquam eum modis omnibus eximere conaretur Elizabetha, Rex eum capite minui jussit; negavitque huic vitam dari posse, quem Deus, & homines ad mortem deposcerent.

*Ioan. Mag. Equit. Melitensium in carcerem conjicitur.*

Joannes Episcopius Casserius Arvernus Equitum Melitensium Magister prope octuagenarius accusatus est quasi bona Ordinis dilapidasset, reverâ quod severè disciplinam Ordinis exigeret, & maximè prostibula fugaret. Itaque suspensus est ab officio, & in arcem S. Angeli compactus, factionis hujus duce Mauritio Scuto Vascone, viro fortiori, quàm sapientiori. A Gregorio statim laxari jussus est ac venire Romam cum Romegasio Equite. At cùm ille magnificè susceptus esset à Pontifice, & Cardinalibus, hic Magistrum adire jussus esset; tantum hic inde mœroris concepit, ut Turcorum, atque Orientis terror, paulò pòst interierit. Altero pòst mense secutus est Romegasium Magister, ut factorum uterque rationem Deo redderet, quem homines judicare non potuissent.

*Romegasius Eques Melit. moritur.*

Obiit hoc anno Guillelmus Postellus Normannus vir ad miraculum doctus, in quo tamen plus eruditionis & ingenii, quàm sapientiæ & pietatis fuit; ideoque hunc à Societate suâ excluserat S. Ignatius. Librum edidit quem inscripsit *Virgo Veneta*, in gratiam vetulæ Virginis, quam credebat fœminas reparaturam, & alia ejusdemmodi, quæ satis hujus hominis insaniam arguunt. Mortuus est prope centenarius in Cœnobio San-martiniano Parisiensi piè, atque Catholicè, corpore ob castimoniam, ut ajebat, semper vegeto atque sano; utinam & mente.

*Guill. Postellus moritur.*

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5635. | 1582. |

Celebrata est hoc anno Constantinopoli maximo apparatu Circumcisio Mahumetis, filii Amurathis, annorum sexdecim adolescentis. Celebrati sunt ludi varii generis totos 50. dies, convivia, & largitiones; in quibus tamen, Mocenico teste, qui his omnibus interfuit, plus Barbaricæ pompæ, quam elegantiæ mirati sunt Europæi spectatores.

*Mahumetes circumciditur.*

Interim est Turcis per Persas magna clades illata, tempore induciarum; quare horum Legatus, qui primo loco sederat antea in spectaculis, in teterrimum carcerem conjectus est. Sinanes Vizirus, quòd petulantiùs respondisset, nec satis patienter Domini sui tulisset convicium, exautoratus est, ac relegatus inops in Macedoniam, substituto ipsi Sianse, qui & mox Osmanem successorem accepit, cui bellum Persicum, post Ferhatum commissum fuerat, ut valde fragilis est, & desultoria Sultanorum benevolentia.

*Turcorum clades à Persis.*

*Sultanorum Turcicorum fragilis benevolentia.*

Excitata est hoc anno tanta persecutio in Catholicos Anglos, ut hâc veram fidem abolendam in Angliâ sperarent Heterodoxi. Ex eodem regno emissus Franciscus Andegavensis

*Vulneratur Arausicanus.*

probe instructus milite, & pecuniâ, ab Elizabethâ, venit in Belgium magnificè susceptus Antverpiæ. Verùm lætitia hæc turbata est periculoso Arausicani vulnere, sclopo trajecti à quodam Lauregio Bilbaensi adolescente, quem Gaspar Anastrus Cantaber mercator dives, & Timmermanus Dominicanus, Sacramentis munitum, & incitatum spe beatæ vitæ, flagitiosè immiserant. Fugit Anastrus, reliqui omnes cæsi, & in partes dissecti, Arausicanus ex vulnere ægrè convaluit; à quo tantùm suspicione hujus criminis liberatus est Franciscus. Hinc atrocius bellum exortum, evocatis ex Hispaniâ à Parmensi auxiliis, adjunctis Francisco cum Francicis copiis Mompenserio, & Marescallo Bironio, & quod caput fuit, cum ingenti spe liberandi Belgii, vel vindicandi.

*Bellum recrudescit.*

Turbavit eodem tempore non tantùm Galliam, sed & pænè totam Europam, vel vera, vel ficta in Henricum III. Franciscum Andegavensem, totamque familiam Regiam patefacta conjuratio. Hanc Nicolaus quidam Salseda, qui profugerat ad Franciscum ut hunc aut ferro vel veneno tolleret, captus ex suspicione, totam hanc conspirationem retexuit, ejusque complices fecit Philippum Regem, Parmensem, Pontificem, multosque proceres Franciæ, de Regno Galliæ in Philippum transferendo; quæ tamen postea inficiatus est omnia, & falsa esse, ac tormentis expressa pronunciavit. Auxit tamen suspicionem Franciscus Bassa Brixianus, adjunctus ei consiliorum comes à Parmensi, ut ferebatur, qui sive sceleris, sive atrocis quæstionis metu, sibi consciverat necem. Missus Parisios Salseda damnatus à Senatu quatuor equis distractus est, lis abolita flammis ad abolendam tanti criminis, vel calumniæ memoriam. Suspicio tamen haud levis fuit paratam hanc Henrico, à fratre strópham; ut eum tereret, atque distraheret à proceribus suis; neque id temerè judicatum esse, paratus ad omnes dolos animus Francisci nimis arguebat.

*Conjuratio Salsedana.*

Suscepta est hoc anno parum felix à Francis in Azores insulas expeditio, sub auspiciis Catharinæ reginæ matris, quæ aliquid in Lusitaniæ regno sperabat, & Antonii Nothi sibi mira exinde pollicentis. Parata classis 60. navium cui impositi sex millia bellatorum cum multis nobilibus Francis, Duce Philippo Strozzio Florentino; ejusque Legato Cossæo. Eò quoque perrexit Antonius Nothus, & Vimiosus Comes hujus incentor belli, cui tantùm Mars in ore calebat, frigebat manus. Primo impetu occupata insula S. Michaëlis, urbsque ejus præcipua Villa-Franca, ubi Antonius Rex acclamatus est. Cùmque res confecta putaretur, advenit cum ingenti classe Marchio S. Crucis; à quo victi Franci suorum duo millia, cum octo navibus perdiderunt; capti Strozzius, & Vimiosus paulò pòst ex vulneribus interiere; ægrè fugit amissâ nave Cossæus. Pridie quàm dimicaretur fugerat Antonius, ut ridiculum servaret Regem, & ut, quem nomine referebat, Antonium Triumvirum repræsentaret. Capti omnes Galli carnificis manu strangulati sunt, cum suo sacerdote, qui eorum confessiones audierat, jussu Sanctacrucii quod scelus Christiani Principes omnes, & qui fortè impetrarat Philippus, exhorruere, ad Turcas atque Saracenos amandandum.

*Suscepta per Francos infelix in Azoras Insulas expeditio.*

Obiit hoc anno magnus ille Ferdinandus Albanus, in hoc felix, quòd assidentem habuit sibi morienti perpetuò Ludovicum Granatensem, sæculi sui lumen, & in quo Deus ostendit quid Christiana posset eloquentia.

*Moritur Dux Albanus.*

Antonius vanus ille Rex Lusitanorum hæsit in suâ Tercerâ, ubi se totum libidini dedidit, quam ut expleret etiam in virgines Deo consecratas, nullas rapinas omisit. Quare ab insulanis sibi metuens, relicto hic Francisco Sylvâ cum aliquot Francicis cohortibus, renavigavit in Galliam, ut hic omnium digitis ad dedecus ostentaretur.

*Antonius Lusitanus redit in Franciam.*

Conjuravere hoc anno in Regem suum Jacobum Scoti, eumque in Castro Rutheno detinuerunt, & ut factam sibi apud Elizabetham probaret injuriam, compulere. Quod tamen ut ederet libello Buchananus, adduci non potuit, ac paulò pòst obiit, annos natus 76. magni ingenii & impietatis, Apostata simul Ordinis S. Francisci, atque Ecclesiæ, proditorum atque rebellium propugnator acerrinus, ut bonorum atque Catholicorum virulentus calumniator.

*In Iacobum Scotica conjuratio.*

*Moritur Buchananus.*

Interea Henricus III. de Jacobo sollicitus, misit in Angliam & Scotiam, qui ejus incolumitati providerent, cui etiam Maria mater precibus apud Deum, & litteris ad Elizabetham, quod unum poterat, consulebat, afflictissima, & magnum depressæ pietatis exemplar. In hanc enim Elizabetha sæviebat, ac mendaciis occultabat crudelitatem suam, atque calumniis: quæ vitia malis Principibus, & hæreticis maximè, semper ingenita Catholici deprehendere.

*De Iacobo Scoto sollicitus.*

Pertinet ad hunc annum Gregoriani Kalendarii reformatio, dignum Pontifice Romano negotium, de quo diximus in Prolegomenis. Recepta est ab omnibus Catholicis, quam & suscepissent Græci, nisi Turcorum suspiciones ineptæ prohibuissent. Eam impugnavere Iosephus Scaliger, & Michaël Mæstlinus Tubingensis Mathematicus; sed ita retusi sunt à Christophoro Clavio Societatis JESU, sui sæculi peritissimo Matheseos, ut intelligerent ab eo sibi ereptum esse in his disciplinis, quem sibi vanissimi homines arrogarant, doctrinæ principatum. Cui succenturiatus demum Dionysius Petavius ex eâdem Societ. Scaligerum illum Emendatorem temporum, vaniloquentissimum sui temporis hominem, sic emendavit, ut Germanis ac Septentrionalibus, Scaligeri fautoribus magnis, defendendi magistri sui etiam ademerit voluntatem.

*Gregorianii Kalendarii reformatio.*

Geb-

Gebhardus Truchesius Archiepiscopus, & Elector Coloniensis, & magni Othonis Cardinalis nepos, ex familiâ Waldeburgensium, Agnetem suam duxit uxorem, & ut cum eâ liberiùs viveret, Lutheranam sectam in ditionem suam inducere voluit. Sed huic fortiter obstitit Coloniensis Senatus, & armis etiam armatum repulit, unde magnæ consequutæ sunt turbæ, quæ neque hujus ditionis tantùm, neque hujus anni fuerunt.

Mortuus est hoc anno Parisiis primus Senatus præses vir egregiè Catholicus, & virtutibus etiam quàm dignitate illustrior, Christophorus Thuanus, defletus ab omnibus bonis, & lacrymis veris; quem utinam imitatus esset historiarum consarcinator filius Augustus, vel Augustinus, de quo id optari potuit, ut hæresin publicè professus esset, nec hæreseos venenum Catholici nominis melle contectum propinasset. Successit Christophoro Achilles Harlæus, vir sui plerumque sensus tenacior, & improbos homines odii non semel amantior, quàm æquitatis.

Obiit denique eodem anno ætatis suæ duodeseptuagesimo 4. Non. Octobr. S. Theresia, Ordinis Carmelitarum, tam virorum quàm fœminarum, sanctissima mater, Virgo nobilissimæ, ac generosissimæ pietatis. Hæc Deo freta plus potuit, quàm vir & magnus, & dives, sibi vel animo informare potuisset; atque inops ipsa, obsistentibus hominibus ac malis geniis, præstitit, quæ vix posteritas credet; ætas omnis admirabitur.

| MUNDI | CHRISTI |
| --- | --- |
| 5636. | 1583. |

Franciscus Andegavensis veritus feroces Belgarum animos, eorum quibusdam fortiter imperare, quàm omnibus precariò, maluit. Occupavit ergo Dunkerkam, Dixmundam, Teneramundam, atque aliquot minora oppida, in quibus Franci prævalebant; repulsus est Brugis, Antverpiâ etiam cum magnâ clade, atque damno, mille suorum & quingentis trucidatis, multis captis, cum universâ supellectile. Henricus tamen frater has turbas composuit; Franciscus tamen reliquit Belgium, ut desiderium sui subditis relinqueret. Sed interim Parmensis rem Hispanicam promovit; quo tempore impostor quidam Batavus Cornelius de Hooch se filium Caroli V. finxit, fabulâ non inconcinnè adornatâ; sed is demum quis esset detectus, caput & spes suas perdidit.

Hoc demum anno Azores insulæ jugum Hispanicum recepere in Tertiam seu Terceram, misso Sanctacrucio, quam Æmarus Melitensis Eques cum mille ducentis Præsidiariis ingressus erat. Æmarus ad deditionem cum suis compulsus, remissus est in Franciam. Sylva per avia fugiens, tandem proditus à servâ Maurâ pœnas luit, plaudentibus insulanis in ejus morte, quem calamitatum suarum causam agnoscebant.

In Germania Truchesius depositus est, atque ei suffectus Ernestus Bavariæ dux, bellum maximum conflatum, in quo Tuitiense Monasterium S. Heroberti, olim Divitense munimentum, captum & incensum est. Demum Truchesium reliquit Casimirus protector, ut tutelam susciperet nepotis Friderici, mortuo fratre suo Ludovico Electore Palatino; sicque miseri Archiepiscopi res defluxere; statim enim bona perdidit, & cum thesauris & Agnete suâ in Hollandiam fugere compulsus est, à Catholicis simul, & hæreticis irrisus.

*Henrici III. supplicationes.* Interea Parisiis pietati vacabat Henricus III. cum suis pœnitentibus, & obibat supplicationes suas, adnitente Edmundo Augerio concionatorum ætatis suæ, sine controversiâ, maximo. Quas cùm traducerent, etiam ex sacris pulpitis, concionatores quidam, ac de Rege liberiùs loquerentur, contempsit eos Henricus non satis prudenter, immo & addidit nobilium sese flagellantium turmas, & peregrinationem cum Reginâ suscepit pedes; quæ, licet de se bona, hoc potissimùm tempore Regem hæreticis circumseptum, & improbis, uti ferè contigit, aulicis vallatum, dedecebant.

*Iacobus Rex in Scotia prævalet.* In Scotiâ Jacobus Rex captivus evolavit ex rebellium manibus, eosque sic repressit, ut Scotiam relinquere cogeret. Cepit etiam Gurium Principem, quem fremente licèt Elizabethâ, capite mulctari jussit. Ministros quoque exauctoravit, Episcopis dignitatem reddidit, omnes à tam forti, ac sapiente supra ætatem Rege fausta omnia speraverunt. Aliunde in Angliâ Parlamentarii, & Calviniani, inter se atrocibus conviciis pugnavere, quæ tamen nimis esse vera fautores eorum doluere. Hic quoque coronati sunt Martyrio Catholici quidam quibus accensendum non putamus Guill. Parrium, qui confessus, se in Reginam conspirasse, ne quidem dignus qui vocetur Christianus; hic enim Principem, quantumvis improbum, quasi Dei spirantem imaginem colere, multò magis tolerare debet. *Guill. Parrius perduellis.*

*Primitiæ Christianorum apud Sinas.* Celebris est hic annus primitiis Christianorum apud Sinas quibus initium dedit Matthæus Riccius Iesuita, æde tum Sianchini impertatâ; qui & de Sinicâ expeditione librum Italicum informavit, quem Latinum fecit, & absolvit Nicolaus Trigaltius, ejus successor, & alter hujus Ecclesiæ parens, postea à Principibus Europæis magno cum honore, ac veneratione susceptus.

| MUNDI | CHRISTI. |
| --- | --- |
| 5637. | 1584. |

*Moritur Francisc. Andegavensis.* Mortuus est hoc anno ad Castrum Theodorici Franciscus Dux Andegavensis. receptis Ordinum legatis, qui spe auxilii Francici huic iterum submittebant sese. Obiit autem, uti creditum est ex veneno sanguine ex partibus ejus corporis omnibus erumpente; quod tamen nonnulli in vehementiorem equitationem refudere. Sepultus est, uti Dux Brabantiæ, vir magnanimus, sed inquietus, & in quo sæpe prudentia desiderata est. Ejus frater Henricus plurimùm turbatus est, inter ἑνωτικὸν (*Ligam* dicebant Franci) & Hugonotos medius. Navar-

ræum igitur ad se, & ad Catholicam fidem per Espernonium revocare conatus est; quem si ille recta monentem audiisset, & se laboribus magnis, & regnum magno periculo eripuisset. Nam hoc tempore repræsentari cœpere Parisiis depictæ Anglorum Sacerdotum cædes, & horrendæ carnificinæ, quibus imperita plebs in Navarrum, & Regem efferabatur. Hæc fovere Guisius credebatur; nec aberat à temeritate suspicio, cùm hic id temporis Jonvillæ conventum habuisset, in quo actum est de Fide in Galliâ conservandâ, cui interfuere legati Regis Hispaniæ, & Caroli Borbonii Cardinalis; cujus hic summa fuit, ut si Henricus III. ἄτεκνος moreretur, exclusis hæreticis, succederet ei Carolus; sola Religio catholica retineretur; promulgaretur Tridentinum Concilium, & alia quædam minoris momenti, quæ Regem & omnes quietis amantes ac patriæ, vehementer perculere.

*Consilia in Navarraum.*

*Caditur Arausicanus.*

In Belgio Yprâ à Parmensi captâ, Brugæ se eidem dedidere: inter hæc cæsus Delphi in Hollandiâ Arausicanus à Baltazare quodam Geraldo (qui se jampridem in ejus familiaritatem insinuarat) tribus glandibus veneno illitis; qui cùm jam pæne effugisset, captus est. Toto triduò excarnificatus nullum tristitiæ signum edidit, negavitque semper se à quoquam impulsum esse, sed tantùm ut Tyrannum Belgicum tolleret. Elatus est Arausicanus funere regio, regimen Ordinum delatum ejus filio adolescenti annorum duodeviginti, sed magnæ spei. Hac morte perculsum Gandavum se Parmensi dedidit, ac tota Flandria, præter Ostendam, & Slusas, ut munitiones aliquot; quibus invitatus Parmensis ad obsidendam Antverpiam se accinxit, ut publicâ trepidatione sapienter uteretur. Conatus est tamen Ordines ad Officium revocare blanditiis; sed eas hi contempsere, & se Franciæ Regi dedere, quàm possent honestis conditionibus, decrevere, missâ ad eum perhonorificâ legatione; certi quemvis alium accipere Dominum quàm Hispanum; tantùm est periculi viros fortes efferare.

*Perturbatione publica bene utitur Parmensis.*

*Io. Basilides moritur, ei succedit Theodorus.*

Mortuus est hoc anno 5. Kal. April. Moschorum Dux Joannes Basilides, veste monachi indutus Russico more, cujus cadaver vermibus arrosum evanuisse Poloni scribunt, ejus inimici. Successit ei filius Phædron sive Theodorus, imbecilli vir ingenio, cui ideo quatuor viri à patre assignati, admonito ut in pace cum Polonis viveret, & suo contentus esset Imperio, cui regendo vix par esse videbatur.

*S. Card. Borromæus moritur.*

Obiit & hoc anno sanctissimè Cardinalis Borromæus, exacto ætatis anno 46. cum uno mense, morbo inter recolendos patientis Christi dolores concepto; anno 1610. inter Sanctos adscriptus, quem jam viventem populi, ac Principes uti Sanctum coluerant, omnibus gubernatoribus & præfectis, etiam publicâ authoritate armatis, sua virtute superiorem. Cui similes erunt præsules omnes, si pietate, atque sanctimoniâ, non pompâ & ambitione, contra potestates sæculares armaverint.

Ad hunc usque annum perduxit Chronologiam suam Gilbertus Genebrardus Ricomagensis Benedictinus Monachus, Hebraicæ linguæ Parisiis Regius Professor, postea Aquensis Archiepiscopus, eruditione ac pietate vir maximus, atque his temporibus Ecclesiæ necessarius

*Chronic[...] Genebra[...]di.*

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5638. | 1585. |

*BellumP[...]sicum c[...]tinuatu[...]*

Chodabendes Persarum Rex hoc anno à Philippo belli societatem petiit, jam Lusitaniæ Rege, cùm ipse fortiter Turcis obsisteret. Perdidit tamen Taurisium immunitum, ubi Osmanes arcem ædificavit relictis in eâ 12. præsidiariorum millibus, ac compulsus à suis prædâ gravibus, rediit in Europam. Verùm eum insecutus est Emir. Buza Chodabendis primogenitus, eique octuaginta millia interemit; atque ex iis quadraginta veteranorum millia, inter quæ certamina Osmanes periit ex dysenteriâ. Taurisium quoque receptum, præter arcem, Turcæ de more initio Persici belli, quàm in fine feliciores extitere.

*Ibraimu[...] Druso[...] Maroni[...] vincit.*

Interea in Syriâ Ibraimus Bassa Ægypti Præfectus Maronitas & Drusos populos Christianos vexabat. Erant hi Drusi seu Trusci Christianorum, tempore Godefredi Bullionii, reliquiæ, solo nomine Christiani, variis inquinati erroribus; & cum Maronitis conjuncti, à Selimo Amurathis patre vinci non potuerant; nunc ab iis disjuncti, facilem victoriam reliquerunt Ibraimo.

*Ordine[...] opem H[...]rici im[...]rant.*

Ordinum Belgicorum Legati ab Henrico petunt auxilium, eique se submittunt: negat Rex implicitus turbis domesticis se iis opitulari posse, perfecturum se tamen asserit, ut iis Elizabetha non deesset; quod certè fuit eos ex Franciâ in Angliam rejicere.

*Invita[...] Navar[...]us ad fi[...] Catholi[...]cam.*

Varii hoc anno libelli sparguntur, Cardinalis Borbonii, Henrici III. Henrici Navarræi, quò hic negat se hæreticum esse atque pertinacem, doceri se tantùm velle, ut sponte faceret, quod antea præstiterat inuitus. Henricus III. cùm videret Catholicos potentioes, se iis adjungit, invitatque Navarræum, ad veram, Romanamque religionem, cujus præmium esset regnum Franciæ, pertinaciæ pœna rerum omnium perturbatio. Ita respondet Henricus Navarræus, ut se Ministrorum spiritu afflatum ostenderet. Itaque fœderati agunt apud Pontificem ut anathemate feriretur. At Gregorius festinandum lentè putavit, ut sapiens pater, & ad Ecclesiæ potiùs incommoda, quàm præposterum quorumdam ardorem attendendum judicavit.

*Legatio[...] ponica [...] mam.*

Celebris est hic annus Iaponum Legatorum in Urbem adventu, quo mirificè Pontifex optimus recreatus est: erant hi regum nepotes, vel ex præcipuâ nobilitate adolescentes quatuor, eximiæ spei atque pietatis; qui tanto amore sunt excepti à Gregorio, ut ex gaudio mortuus esse senex piissimus à quibusdam meritò sit judicatus.

*Moritu[...] Gregori[...] XIII.*

Obiit enim hoc anno ex epiphorâ Gregorius XIII. 6. Idus Aprilis, ætatis anno 83. cum 3. mensibus, sedis ferè decimo tertio, vera Ro-

mani

mani Pontificis Idea, qui in pauperes vicies centena aureorum millia (ut ex publicis tabulis constat) scribitur impendisse, rectè usus Christi sanguine, & liberalitate Christianorum: sub cujus Pontificatu in S. R. E. ditione justitia, pax, rerum omnium copia floruisse perhibentur, atque informasse Principibus Christianus imaginem, ex quâ sanctè subditos sibi populos regerent. Laudatus est eximiè à M. Ant. Mureto Lemovice excellentissimo Oratore, & non satis, materiâ orationem omnem superante. Datus est ei successor 8. Kalend. Majas Felix Perettus Picens, humili loco natus, & ipse aliquando subulcus, ac postea relictis porcis factus Franciscanus, deinde sui Ordinis Generalis, tum Cardinalis; ac demum eodem quo natus erat die, Kal. Maji, coronatus Pontifex dictus Sixtus V. Hic, qui ante Pontificatum *obstipo capite, & defigens lumine terram*, incedebat, statim erexit caput, jocatus antea se quæsivisse claves, tunc seram quærere, ut Cœli portam reseraret. Statim grassatoribus, atque sicariis purgavit Pontificiam ditionem, & effecit, ut propositâ impunitate percussores mutuis sese cædibus conficerent. Adjunxit & industriæ severitatem: nam Joannem Pepulum è prima Urbis nobilitate, exules in ditionibus suis extra terras Ecclesiæ retinentem, & se privilegio munientem, noctu interceptum strangulari jussit; cujus exemplo reliqui admoniti modestiores se, atque obsequentiores præbuerunt; uniusque hominis vitâ multorum fortunis, & incolumitati prospectum est.

Sixtus V. Henricum Navarræum anathemate percellit 5. Id. Sept. Hæretici non tantùm libellos in Pontificem, sed & arma in Catholicos expediunt, & urbes aliquas intercipiunt. Condæus Jacopolin seu Broagium obsidens, vocatus Andegavum, Æsopico similis cani neutro potitus, dissipatis copiis in insulam Greneseam fugere compulsus est; unde nummis adjutus Anglicanis Rupellam rediit, ut foveret partes suas, jam in pluribus locis prævalentes.

In Belgio Parmensis Antverpiam toto anno obsessam ad deditionem compulit; quare Geusii ad extrema redacti Belgii dominium obtulerunt Elizabethæ, si eis opitularetur: hoc promisit, illud recusavit; quòd illorum non esset dare dominium, neque suum recipere. Itaque receptâ Vlissingâ cum arce Ramecanâ, misit eis Regina Comitem Lincestriæ cum magno apparatu, ut quid vellet, ac posset, Ordinibus ostenderet.

Contigit hoc anno Franci Draci in Americam excursio, cum 21. navium classe. Hac diripuit Insulam S. Jacobi è regione promontorii Asinarii *le Cap Verd*, in Hispaniolâ urbem S. Dominici, in continente Carthagenam, editis ubique sacrilegæ crudelitatis exemplis. Legit & Floridæ littora; lustravit Virginiam, unde colonos cum Valtero, rerum omnium egenos reduxit. Nec enim multò antè detexerat eam Ricardus Greinvilla Eques Anglus, & in gratiam Reginæ suæ innuptæ Virginiam dixerat, quæ ab Anglis deinceps veriùs ad pompam, quam ad utilitatem conservata est.

*Elizabetha exagitat Catholicos.* Exagitata est hoc anno Maria Scota, exagitati Sacerdotes & maximè Jesuitæ, quasi omnium conjurationum in Elizabetham autores existerent. Philippus quoque Hauvardus Comes Arundeliæ primogenitus Ducis Norfolciæ, dum Angliam parat relinquere, Reginâ per litteras salutatâ interceptus, in carcerem conjectus est, ter judicatus, bis addictus neci, spoliatus est bonis omnibus, pro Fide Confessor, antiquis Martyribus meruit annumerari.

*Iacobus à conjuratis capitur.* Rex quoque Iacobus iterum à conjuratis, adnitente Elizabethâ, Sterlini obsessus & captus est. Fugit huic fidissimus Araniæ Comes, & tandiu erravit, donec interfectus est; miser Jacobus Rex esse desiit, larva Regis effectus, & umbra.

*Sebastianus fictitius.* Lapicida ex insulâ Tertiâ fingens se Anachoretam, dixit se Sebastianum Lusitanum esse, sibique circiter septingentos fautores adscivit. Tandem captus ab Austriaco Cardinali Prorege, & in quæstione fassus quod erat, pendit è furcâ, cum suis aliquot sectatoribus, ne solus, & incomitatus Rex mimicus moreretur.

*Moriuntur Cardinalis Armaniacus & Sirletus.* Celebris & hic annus multorum illustrium morte: obiit enim Georgius Cardinalis Armaniacus Avenione, quam urbem pietate potiùs suâ, quàm armis tutatus erat; Romæ Cardinalis Sirletus, vir doctissimus, & præfectus Bibliothecæ Vaticanæ; ibidem M. Antonius Muretus, vir eloquentissimus, laudatus à discipulo Franc. Bencio, gloriâ sui præceptoris: Mutinæ Carolus Sigonius Romanæ illustrator historiæ: Lovanii Jo. Molanus Theologus in historiâ Ecclesiasticâ versatissimus: denique Petrus Ronsardus nobilis Vindocinus Poëtarum Francicorum princeps & doctissimus, & ingeniosissimus, ad Turonas, in Cœnobio S. Cosmæ obiit, laudatus à Jacobo Davitio Perronio magnæ spei adolescente, qui postea de se conceptam spem longè superavit. *Muretus Sigonius, Molanus Ronsardus.*

| MUNDI | CRHISTI. |
|---|---|
| 5639. | 1586. |

*Emir-Emsa cæditur.* Extincto in cubiculo per domesticum Eunuchum *Emir-Emsa*, res Persica concidit, quo vivente, nec Ferhatus, nec Osmanes Turcarum duces profecerant. Certè ex ejus morte tantùm doloris hausit pater Chodabenda, ut ipse paulò pôst interierit, relicto filio Abu Mirizâ, sub quo continuatum bellum, nec illatum fortiter, nec ut antea generosè propulsatum.

*Obeliscus Sixti.* Obeliscus ille Pyropæcilus ex uno lapide 107. pedum longitudinis, olim delatus ex Thebaide, consecratus primùm Soli deinde Augusto, & Tiberio Imp. à Totilâ dejectus, & latens in loco sordido Vaticani, jussu Sixti V. per Dominicum Fontænam Novocomensem, in aream S. Petri translatus est, & ei crux aurata imposita; de cujus translatione ipse Architectus librum edidit, ex quo & difficultatem operis, & ingenium ejus deprehendes.

Sixtus

*Fulienſium Ordo.* Sixtus V. Congregationem B. Mariæ Fulienſis confirmavit 3. Non. Maji, quam paulò antea inſtituerat Jo. Barrerius Abbas Monaſterii Fulienſis, in Diœceſi Rivenſi: quæ primùm eò loci fixa, inde in varias regni partes effuſa viros edidit & pietate, & litteris illuſtres.

*In Gallia & Belgio res turbatæ.* In Galliâ veriùs parabatur, quam gerebatur bellum, dum Navarræus, ad omnes Ordines ſcriberet, Proteſtantes & Helvetii Henricum Regem ad pacem hortarentur. In Belgio, utrimque res meliùs agebatur, & à Parmenſi, & Linceſtrio occupabantur urbes, ſed ab hoc majori faſtu; unde factus odioſus populis liberis, exire compulſus eſt, cum magno dedecore ſuo, majori Elizabethæ furore.

*Maria Reginæ judicatur.* Comparata eſt hoc anno in Mariam Scotiæ Reginam accuſatio, ſed coram judicibus qui ſententiam mortis priùs informarant animo, quàm ejus defenſionem audirent; & verò ita hæc reſpondit, ut innocentia non aliter loqueretur. Elizabetha hâc auditâ ſimulavit horrorem & ſe cogi voluit; Maria ſententiam mortis accepit, ut ſub Diocletiano martyres. Tria tantùm poſtulavit, ut Catholico ritu ſepeliretur, moreretur coram domeſticis, ipſi poſtea cum ſuis reculis dimitterentur. Vitam ei conati ſunt impetrare Henricus Francus, & Jacobus filius; ſed illi parum Elizabetha fidebat, in hunc Scotiæ miniſtros ſic armarat, ut vitæ ſuæ quàm maternæ ſollicitior eſſet.

*Stephanus Battorius moritur.* Mortuus eſt hoc anno Idib. Decembr. Stephanus Battorius Poloniæ Rex Grodnæ in Lithuaniâ ex epilepticis paroxyſmis, ex iracundiâ, ob repudiatum Gregorianum Kalendarium & Jeſuitas Rigæ malè acceptos. His acceſſit malitia medici Ariani Nicolai Bucellæ, ut diſcant Catholici Principes illiuſmodi perfidioſis hominibus vitam ſuam non facilè committere. Princeps omnium judicio maximus, digniſſimus habitus qui bello Turcico præficeretur unus, & Godefridum Bullionium repræſentaret.

*Perſecutio Iaponica.* Exorta eſt hoc anno in Iaponiâ crudelis Chriſtianorum perſecutio, in regno Bungenſi, quam propagavit Quabaçondomus, aliique deinceps Iaponiæ Imperatores, Diocletianis & Maximianis ſæviores, ſuppliciis excogitatis quæ duo hæc crudelitatis portenta olim latuerant.

*Mortui Martinus Navarrus Auguſtinus, & Petrus Victorius.* Mortui ſunt hoc anno, Martinus ab Aſpilcuetâ (dictus Navarrus, quòd ex hoc regno ortus eſſet) anno 96. Romæ: Tarraconæ verò Antonius Auguſtinus Archiep. hujus urbis, ſeptuagenario major, vir undicunque doctus; denique Florentiæ in patriâ ſuâ Petrus Victorius, vir eruditionis exquiſitæ, quorum ſinguli, ſingulas ætates illuſtrare potuerunt.

MUNDI 5640. CHRISTI 1587.

*Mariæ Reginæ Scotiæ caput amputatur.* Subſcripſit hoc anno, quaſi renitens, & invita morti Mariæ, Elizabetha: itaque illa 12. Kal. Mart. ad ſupplicium ſe comptiùs, quàm ad nuptias paravit; crucemque ac Roſarium manu tenens, ad Martyrii locum perrexit. Hic ſe Catholicam mori profeſſa, datiſque ad filium Jacobum ſanctiſſimis monitis, caput ſuppoſuit trunco, quod ei altero ictu reſciſſum eſt; ſtatim omnia ſupplicii inſtrumenta, aut aquis eluta, vel flammis abſumpta, ne quid à Catholicis ſervaretur. Sic periit Maria Stuartia propter Catholicam fidem, nullius alterius criminis rea, licèt etiam ejus umbram, acerrimi Leguli Anglicani perquiſiiſſent, multas in hac vitâ experta calamitates, & inſtabile regnum, ut æternum ac ſtabile conſequeretur. *Dolere fingit Elizabetha.* Elizabetha fecit omnia quæcunque potuit excogitare callida & vafra mulier, ut dolorem ſuum de hac morte teſtaretur; nam & lugubria ſumpſit, & qui judicium urſerat compegit in carcerem, & pecuniâ mulctavit, adeò mimicè, ut ipſa rideret ſeſe, vixque riſum ſuo contineret ſinu. Eadem quoque excuſavit ſe apud Mariæ filium Jacobum, & coactus eſt miſer adoleſcens accipere excuſationem, ne fato ſuo matris fatum cumularet.

*Angli male rem gerunt in Belgio.* In Belgio Angli Duces Daventeriam, & Arcem Zutphaniæ tradiderunt, Scotus etiam quidam Gueldriam. Quare Ordines Imperium Mauritio mandarunt, & ut Sluſis à Parmenſi obſeſſis opitularetur. Accurrit quoque in urbis auxilium Linceſtrius, ſed ut ejus captæ ſpectator adeſſet, cum magno Anglorum dedecore; itaque revocatus eſt in Angliam, huicque alter ſuffectus eſt. Sed Mauritius ſervavit Imperium, in ejus manu, quàm cujusvis fortunatius.

*Prælium Curtracenſe.* In Franciâ commiſſum eſt prælium Curtracenſe ad inſulam amnem, in finibus Petrocoriorum; in quo, licèt copiis inferior Navarræus, ſuperior extitit. Cecidit cum fratre Annas Joyoſa, non in prælio, ſed cùm captus ſervandus eſſet; ſicque pœnas luit approperati certaminis, & ne in victoriæ partem veniret Mareſchallus Matignonius. Fructus autem hujus victoriæ nullus fuit quia major ſperabatur. *Germani malè in Francia mulctantur.* Expectabantur enim octo millia Equitum Germanorum (*Reitras* illi vocant) & ſex peditum (quas *Landſquenetos* dicunt) cum 20. millibus Helvetiorum. Verùm eorum 4. millia Valleta Eſpernonii frater in Delphinatum miſſa cecidit: reliquus exercitus à Guiſiis carptim trucidatus, aut à Rege Lugerim tranſire prohibitus, ad ultimam redactus inopiam defluxit, atque ab Henrico pecunias, & commeatum accipere compulſus, ruſticorum, quos ſpoliarat præda fuit; Germanis nondum edoctis in Galliâ ſibi tumulo apertos eſſe, & eorum corporibus ſæpe Franciam tumuiſſe.

*Sigiſmundus III. Poloniæ Rex creatur.* In Poloniâ actum de Rege, multiſque prenſantibus antepoſitus eſt Sigiſmundus III. Suecus, juvenis viginti annorum; quamquam eam dignitatem prudenter defugeret, & huic oneri ſe nos eſſe parem profiteretur. Erat autem Catholicus & enutritus in Fide; ejus parens Joannes privatim in manibus Ant. Poſſevini Ieſuitæ Lutheri ſectam ejurarat. Texerat inſuper & foverat Moniales S. Birgittæ, quas nec precibus, nec minis, nec verberibus ad nuptias Lutherani perduxerant, certas in virginitate mori. Hujuſmodi parentis filius, Polonorum Rex electus, factus eſt gloria, & propugnaculum Chriſtianitatis.

MUNDI

MUNDI 5641. CHRISTI 1588.

Hoc anno, quem Joannes Regiomontanus & Stoflerus dixere *Mirabilem*, alii *Climatericum Mundi*, Nancei inter Lotharingiæ Ducem, Guisios, aliosque fœderatos inita est conspiratio, in Ecclesiæ commodum, sed Henrici III. perniciem, ejusque legitimi successoris. Hoc fœdus se probare simulavit Rex Henricus, sed metu majoris mali, cum videret Concionatores Parisiis addictos hisce fœderatis, & ad plebem incitandam comparatos. Aberat tamen Lutetiâ Guisius, & à Catholicis ardentioribus petebatur; sed eò venire prohibebatur à Rege, qui in eum iracundiam suam non satis occultabat. Tandem igitur, amicos suos prætulit Regi, ac Parisios venire statuit; & ut se nihil timere ostenderet, venit cum comitibus octo duntaxat. Statim Catharinam adiit quam verbis ita demulsit, ut hunc illa ad Regem deduceret, quem cum Rex iratus suscepisset, eum sic affatus est ut saltem in speciem, iram omnem suam posuisse videretur.

Adventu tamen Guisii animata multitudo 4. Idus Maji, quæ nullo negotio reprimi poterat, Helvetiis, & Prætorianis Francis per urbem universam scitè dispersis, cum fidis Regi civium cohortibus, in ultimam est perducta dementiam. Itaque extendi catenæ, doliis, & curribus impediri viæ (unde dictus iste dies Septorum, *le jour des Baricades*) ad fenestras lapides, & saxa comportari, jam non agnosci Henricus, sed Guisius acclamari. Cùm autem Rex jam timidior audivisset Scholasticis arma distributa, veritus ne obsideretur ac detineretur, pedes ipse, cum paucis peditibus aulicis, dum figit deambulationem, excedit Urbe huic interminatus perniciem, quâ mox ipse sibi graviorem accersiit.

Scribit igitur ad omnes provincias Henricus, iisque Principis inculcat obsequium; scribit & Guisius Fidem Catholicam personans; quæ autem hæserat Parisiis Catharina Mater Regis, effecit ut Senatus ad Regem Legato mitteret, quos hic ita recepit, ut omnia læta sperarentur; cùmque flagraret odio apud populum Espernonius, ejusque ad Aulâ recessus peteretur: prævenit ille Decretum Regis, & regni tranquillitatem honori suo sapienter antetulit.

Interea multa sunt habita colloquia, multæ consultationes: Sixtus etiam ad Guisium litteras dedit, quibus eum Machabæis æquabat. Henricus Rex aliunde demulcebat Cardinalem Borbonium, quem uti larvam fœderati ostentabant Navarræo. Hunc autem supra modum afflixit Henrici Condæi Principis minùs expectata nex, inter summos cruciatus demortui, & ut credebatur ex veneno. Quare qui curam domus ejus gerebat, quatuor equis discerptus est vivus, & uxor ejus Catharina Trimolia, data est in custodiam, donec gravida fœtum emisisset. Peperit illa demum Kal. Sept. filium cognominem patri, magnum postea fidei Catholicæ propugnatorem, & capitalem hostem hæreticorum. Hæc item postea anno 1596. absoluta est, & omnia rescissa decreta, quæ tumultuariò edita esse jactabantur.

*Nascitur el filius Henricus.*

Cùm nullam lucem rebus suis affulgere videret Henricus III. indicit Blesensia Comitia, ex omnium judicio publicam compositurus pacem; quæ Rex aperuit tantâ eloquentiâ, ut huic pacem & prudentiam omnes apprecarentur. In his autem comitiis deprehendit Rex Guisios omnia posse, Navarræum incredibili flagrare odio, quod in se quoque redundaret. Itaque consilium capit plenum desperationis: Henricum Guisium ad se evocatum, per suos satellites confodi jubet, ejus fratrem Cardinalem includi, quem mox quoque sustulit. Multos quoque eorum amicos inclusit, sed plures elabi passus est, & inter cæteros Meduanum, in quo mox Guisium revixisse deprehendit; sicque agnovit Princeps infortunatus, se inchoasse fabulam, sed non absolvisse, ultimaque remedia, semper cum ingenti periculo esse conjuncta.

*Blesensia Comitia.*

*In iis Guisii caduntur.*

In iisdem Comitiis nunciatum est Ducem Sabaudiæ occupasse Principatum Salutiarum, ejusque urbem Carmaniolam cum quadringentis tormentis bellicis & ampliùs, quæ hic ad Italica bella reservabantur, statim ergo huic bellum indici placuit; sed cùm hic prætexuisset se hanc ditionem usurpasse, ne veniret in hæreticorum manus, suscepta est excusatio, quia id erat faciliùs credere, quàm ei Principatum extorquere.

*Salutiarū Principatus occupatur à Sabaudo.*

Periclitata est hoc anno Anglia à Philippi II. Classe, quæ ambitiosè nimis, *invincibilis*, dicebatur. Hæc centum & quadraginta navium erat, quarum aliquæ ita grandes, ut arces fluctuantes viderentur: his erant imposita armatorum viginti millia, cum octo nautarum millibus, & magnâ Volonum multitudine ex primariâ Hispaniæ nobilitate, quibus omnibus præerant experientissimi duces, iis omnibus Parmensis ex Belgio Classem suam adjuncturus erat. Huic apparatui tanto, tamque metuendo; nihil præter fortunam defuit. Cùm enim Parmensis tempore non abfuisset, nec in rem præsentem satis benè capta essent consilia, aliunde supra quàm putabatur Angli repugnassent, non tantùm fortiter, sed & callide, immissis in Classem Hispanam secundo vento ardentibus navibus; illa disjecta atque dissipata, & circum Britannicas Insulas circumflectere coacta, dedecoris & ignominiæ plena in Hispaniam rediit, amissis 32. navibus, & 10. armatorum millibus, cum magnâ parte nobilitatis, adeò ut de hac Classe, id in ære percussum sit tam verè, quam ingeniosè, *venit, vidit, fugit.*

*Classis invincibilis Philippi II. in Angliā.*

*Re infecta redit.*

Cladis hujus nuncium recepit Philippus, quo recipere debent modo Christiani Principes, petitis à Deo auxiliis, nec impetratis. Mulctavit tamen duces aliquot qui defuerant officio, ne pietas obesset æquitati. Aliunde Elizabetha gratias Deo per totam Angliam agendas curavit; quæ in tanto regni periculo nunquam despondit animos; & in parandâ Classe sæpè visa est

*Nuncium hujus cladis accipit Philippus Christianè.*

est cum baculo militari, nec tantùm animo virili, sed & habitu. Duces quoque suos excepit magnificè, atque inter cæteros Drakum, quem victoriæ hujus præcipuam causam, & manu, & consilio fuisse inter omnes esse constabat.

*Drakus hujus author.*

Sæviit exinde crudeliter in Catholicos Elizabetha, quos expeditionis hujus fautores arbitrabatur, & credebat expectasse exscensionem Hispanorum in Angliam, ut iis jungerentur. Pace tamen corporum hic compositâ, bellum atrox animorum exortum est, nato inter heterodoxos dissidio; quod gravius esse solet inter eos, qui odio se, furorique permittunt.

*Catholici vexati. Hæretici discordes in Anglia.*

Mortuus est hoc anno Fridericus II. Daniæ Rex Lutheranus, anno ætatis 54. Regni 30. cui successit primogenitus Christianus IV. annorum undecim puer, assignatis huic quatuor consiliariis, qui ejus regno, ac moribus providerent.

*Friderico II. Dans succedit Christianus IV.*

Obiit & hoc anno pænè octuagenarius Jo. Auratus Lemovix, cujus discipulus fuit Petrus Ronsardus, aliaque hujus ætatis lumina, qui præceptorem de se clarum illustrare potuerunt.

*Ioannis Aurati obitus.*

MUNDI 5642. CHRISTI 1589.

Hoc anno initæ sunt inter Ottomanos & Persas induciæ decennales, factâ etiam hic potestate retinendi 4. arces excitatas in Perside, donec plena pax inter utramque gentem coalesceret; quæ tamen non tam citò expectabatur, ob sectæ diversitatem, quâ nulla est odii causâ capitalior.

*Induciæ Turcarũ, & Persarum.*

Tum quoque concitati sunt inter Turcos à novæ sectæ hominibus motus, ferro etiam & armis compescendi. Sed longè gravior à Ianizaris Constantinopoli, reversis ex Perside, quibus etiam alii juncti sunt, iisque persolvi stipendia voluerunt, tincta sanguine Ibrahimi, quem Amurathes ferebat in oculis. Tunc ergo Assanus Bassa partem horum seditiosorum imposuit Classi, quam mutato cursu in Tripolitanos rebelles deduxit, à Religiosis quibusdam Turcis concitatos; in quibus retundendis impar fuisset Assanus, nisi armis & militi fallacias, & dolos adjunxisset, nunquam apud Turcas inhonoros.

*Tumultus inter Turcos.*

Mortua est hoc anno Catharina Medicæa, ætatis anno 61. ex mœrore de nece Guisiorum, in quos erat propensior, & tumultuum, quibus sedandis filium non putabat parem, à quo vicissim ipsa despiciebatur. Sepulta est in Mausoleo novo Valesiorum, quod ipsa inchoarat magnificè, atque etiamnum hodie, extinctâ familiâ Valesiorum imperfectum visitur, quia inter Principes magna est viventium cura, nulla, aut parva mortuorum.

*Moritur Catharina Medicæa.*

Comitia Blesensia, stabilito fœdere de fide Catholicâ tuendâ, dissoluta sunt, cùm priùs à singulis deputatis Rex exegisset fidem, quam pauci servarunt. Tum enim Parisiis concionatores non dicere, sed debacchari cœperunt. Nec iis sapientiores extitere Sorbonæ magistri: decreverunt enim servandam non esse datam Henrico fidem, ejus sacramento populos exsolutos, fas esse armari plebem, & pecunias cogi in eum, ejusque fautores, quæ, aliaque facultas ipsa saltem probavit ex metu, misitque ad Pontificem, qui sapientior illa rejecit. Præterea preces pro Rege fundi solitæ in sacris mysteriis obliteratæ sunt, aliæque pro Principibus Catholicis suppositæ; quibus omnibus viri isti boni, se sapientibus Christianis deridendos objecere.

*Concionatorum & Sorbonicorum insania.*

Cùm igitur omnia spectarent ad vim, & ad cædem, dati sunt in custodiam Achilles Harlæus Senatus princeps, & ferme 50. Senatores, à nescio quo Joanne Bussio vitiligatore in Bastiliam: tunc enim aliquis erat qui auderet, & dabant authoritatem scelus, & petulantia. Tumque ab omnibus expressum juramentum de fide Catholicâ, & Henotico; Aumalius urbis Gubernator locum Meduano uti apud populum chariori cessit, & omnium judicio prudentiori; hisque temporibus, ac turbis magis necessario.

*Petulant. seditiosorum Par fiis.*

*Meduan. Henotico præficitur.*

Enimverò tum Meduanus Regni Vicarius (Locumtenentem vocant) constitutus est: fracta sigilla Regia, alia substituta cum throno vacuo, & insignibus regni. Metropolis amentiam secutæ sunt pleræque urbes, non quò eundum esset, sed quò iretur, pecudum ruentes more. Quod cùm videret Henricus, & jam Lutetiam desperaret, hujus urbis Senatum Turonas transfert; evocat ad se Navarræum, & evocatis auxiliis Germaniæ & Helvetiis exercitum 35. millium peditum, quinque equinum conficit, atque ad Fanum S. Clodoaldi *S. Cloud*, castra locat, obsessurus seditiosam urbem. Confluxit quoque ad illum pænè universa Franciæ nobilitas, sed heu! ut ejus exequias cohonestaret.

*Lutetia Henrico deficiens obsidetur.*

Enimverò Kal. Aug. Jacobus Clemens Dominicanus 24. annorum, illiteratus, & rudis, excitatus fanaticis concionatorum vocibus, & fortè privatis quorumdam, quasi ab Harlæo litteras afferret, ad Regem admissus, venenatum ei cultrum in alvo defixit, ac reliquit. Monstrum statim à Regiis satellitibus trucidatum, cadaver quatuor equis distractum est, & flammis absumptum, projectis cineribus, ad abolendam immanis parricidii memoriam. Vivit Rex vulneratus duos dies, datâque inimicis veniâ piè mortuus est, Princeps bonus & meliori tempore, ac morte, dignior.

*Henricus III. à Iacobo Clemente o- ditur.*

Sicarii factum fanatici quidam probarunt, & Clementem pro martyre coluerunt. Ejus quoque Prior Edmundus Burgonius, factum hoc cum Judithæ facinore comparavit; qui mox in obsidione Parisinâ captus, suspectus aliunde tam scelerati consilii vivus quatuor equis decussatis distractus pœnas atrocissimas Turonibus sui persolvit sceleris, vel imprudentiæ.

*Prior e pœnas l atroces.*

Tum igitur de Henrici III. successore deliberatum; ac deficiente Valesiorum familiâ, quæ 260. annis regnaverat, ad Borboniam recur-

*Sufficit Henric III. He cus IV Borbon*

curritur, & ad Henricum Navarræ Regem, qui demortuum Regem 22. tantùm contingebat gradu: quare leguleji quidam jus eligendi Regis ad populum devolutum contendebant. Verum prævaluit Aulæ pars ſanior cum exercitu, iiſque accedens Henrici III. voluntas. Itaque Rex Franciæ, & Navarræ declaratus eſt Henricus Borbonius, hujus nominis IV. expreſſo tamen priùs juramento, ſe nihil contra Catholicam fidem moliturum. Haud tamen hæc electio placuit omnibus; itaque multi nobiles varia prætexentes receſſere; quare coactus eſt Henricus in Normanniam recedere, ut auxilia reciperet ſibi ab Elizabethâ ſubmiſſa. Verùm paulò poſt apud Arquas, haud procul à Deppâ, per Meduanum obſeſſus eſt, qui jam captam feram ſcripſerat Pariſios. Sed ab eo ſe Henricus, relatâ inſigni victoriâ, fortiter expediit, ſtatimque ad Lutetiam rediit, ut huic urbi jugum imponeret, quæ cæteris præluxerat ad rebellionem. Et verò eam occupaſſet, ſi in Pariſinos irruiſſet, ab eâ urbis parte, quæ Carthuſianos ſpectat, tanta erat omnium perturbatio. Tempore autem reſumpſerunt animos fœderati, & Carolum Borbonium dixere Regem X. nomine; cujus imagine, & titulo monetam vidimus, & hæc in pleriſque eruditorum ſcriniis adhuc invenitur.

Interim à Sixto V. Pontifice miſſus eſt in Franciam Cardinalis Cajetanus, cum viris aliquot eruditis, inter quos eminebant Panigarolus, & Bellarminus Jeſuita poſtea Cardinalis. Diſplicuit vehementer Regis fautoribus adventus Cajetani, quem norant Hiſpanis, Philippo conjunctiorem: id tamen tum ferendum fuit, quod hæc tempora, plus modeſtiæ, quàm majeſtatis exigerent. Sabaudus quoque tum Delphinatum ſperavit, eumque à Senatu Gratianopolitano petiit; ſed is illum ad comitia rejecit, neque tamen huic ſpem abſtulit, à quâ tamen abeſſe procul arbitrabatur.

Speravit hoc anno in Regnum Luſitaniæ reſtitui Antonius nothus, armis Elizabethæ, auxiliis Turcorum, & Maurorum. Et verò parata eſt in Angliâ claſſis 166. navium: ſed cùm neque Turcæ, neque Mauri adfuiſſent, & quieta manſiſſet Oliſippo, poſt piraticas excurſiones, Anſeaticis urbibus pernicioſiſſimas, tanta claſſis, amiſſis 6. hominum, millibus, deficiente tormentario pulvere, rediit in Angliam. Angli tamen fabuloſis narrationibus, & mendaciis occultavere veritatem; & tam vani hiſtorici, ac ſuperbi, quàm miſeri milites extiterunt, & infortunati.

In Belgio Gertrudberga in Arauſiorum ditione oppidum permunitum deditum eſt Parmenſi à militibus veteranis, cum aliquot aliis urbibus; fortuna hoc anno Hiſpana magis, quàm Belgica fuit.

Maximilianus hoc anno ſolutus eſt ex Polonico carcere, in quo ab ultima clade detinebatur, coactus abdicatione regni redimere libertatem. Verùm hanc ubi conſequutus eſt, omnia ejuravit: quibus tamen diſcordiis nuptiæ fecere medicinam, vulgaria principibus, bellò defatigatis amuleta.

*Moriuntur Mart. Cromerus, & Dudithius.*

Mortuus eſt hoc anno diligens Polonicarum rerum ſcriptor Martinus Cromerus Varmienſis Epiſcopus, variis perfunctus legationibus, & factis ac ſcriptis illuſtris. Finem quoque vivendi & inſaniendi; fecit Andreas Dudithius Epiſcopus Quinque Eccleſienſis, qui in Tridentinâ Synodo inter Patres cum laude conſederat, ſed irretitus aulicæ puellæ in Poloniâ amoribus, eam duxit uxorem, & eâ mortuâ aliam, ex quâ liberos ſuſcepit; tandem Uratislaviæ obiit ex Apoplexiâ, nullius religionis, ex quo veram turpiter reliquiſſet.

| MUNDI | CHRISTI. |
| --- | --- |
| 5643. | 1590. |

*Legatio Pinei Romam.*

Lucemburgius Pinei Dux hoc tantùm anno ad Sixtum Pontificem venit, excuſaturus factum Procerum Francorum in eligendo Henrico Navarræo, cum cautionibus pro Catholicâ religione, quoniam id Regni jus & publica tranquillitas exigeret. Ita reſpondit Pontifex, ut rerum eventum præſtolari videretur, unde poſt Yuriacenſem pugnam viſus eſt paulò placatior, nec à recepto per proceres Rege tantùm abhorrere.

*Pariſiis receptus Magnificè Cajetanus.*

Pariſiis receptus eſt Cajetanus magnificè, & Sixti diploma à Senatu Pariſienſi amicè, quamquam aliquid contra jus Francicum contineret; ſed à Turonenſi contumelioſè, ipſe Cajetanus, ut regni perturbator proſcriptus. Sed hoc Edictum damnatum eſt Pariſiis, & in Senatu, & Sorbonâ, quæ tum maximè incaluit, & cujus ſententiis tanquam leſbiâ regulâ adverſus Henricum IV. fœderati abutebantur. Sed quid agas? id potiùs temporis, quam hominum error fuit.

*Sixtus V. de Henrico IV ſtatuere cupit.*

Qui miſſus fuerat à Pontifice pacis ſequeſter Cajetanus, ſe totum fœderatis dedit; quod vehementer Sixtus improbavit. Quo tempore Philippus Hiſpanus operam obtulit ad Religionem in Franciâ conſervandam, & ſimul ad partes ſuas Sixtus V. pertrahere conatus eſt; ſed cum Olivarius Comes ejus Romæ legatus, precibus adjunxiſſet minas; ita ſe geſſit Sixtus, ut in hoc negotio à Principibus negaret conſilium accipere, ſed expectaret à Spiritu ſancto, ſicque voluntatem Ppilippi collaudavit, ut ſibi ſemper hujus cauſæ reſervaret arbitrium.

*Prælium Yuriacenſe.*

Inter hæc ad Parmenſem Belgium Meduanus excurrit, atque ab eo auxilia ſub Philippo Egmondano Comite recepit. Hic fretus movit in Henricum Drocas obſidentem; is fortiter occurrit hoſti & pridie Idus Mart. ad Yuriacum prælium conſerit; poſt diuturnum certamen victoriam retulit, cum ſupra hominem ipſe manu pugnaſſet, 800. equites cæſi; in his Egmondanus, & Brunſuicenſis nothus; Germanus, & Helveticus peditatus ſe dedidit, Gallicus omnis armis abjectis effugit, capta omnia Tormenta, omnia impedimenta, ægrè Meduntam *Mante* receptus Meduanus, unde Sandionyſium venit, non auſus ſe Pariſinis oſtendere, ſcommatum in Thraſones illiuſmodi paulò liberalioribus. Eodem tempore de fœderatis, & Lud. Rupifucaldio Randani Comite, Regii Duce Franc. Chabanio retulere victoriam

*In Arvernis Regii prævalent.*

ctoriam ad Issoriacum in Arvernis, ubi vicinisque in locis firmatæ partes Henrici Regis, fœderatorum labare cœperunt.

*Lutetia iterum obsidetur ob Henricum IV.*

Obsidetur iterum ab Henrico Lutetia; Parisienses animati à concionatoribus ad propugnationem, se paratissimos ostenderunt. Habitæ sunt in hac urbe supplicationes una religiosorum omnis generis & coloris; qui arma ridiculè superinduerant, ad magnam ἐχθρῶν voluptatem. Sed altera Festo Ascensionis die processit religiosiùs, & Deum precibus placare conata est. Certè nihil omisit Nemorosius urbis gubernator, quo cives ad omnia toleranda invitaret non tantùm fortiter, sed & ingeniosè: & conatibus ejus respondit eventus. Quotidie enim erumpebant cum magno Regiorum damno Parisini, parati vincere vel mori pro religione, quâ nulla est ad accendendos animos machina potentior. Accedebant concionatorum adhortationes crebræ, discursationes Religiosorum per domos, largæ eleëmosynæ, quibus divites continebant inopes in officio, ostentato passim Dei, & hominum auxilio, mendaciis, & falsis etiamnum rumoribus suffulto. Verùm enim-verò tandem fame prævalente facienda erat deditio nisi Parmensis, quasi Deus ex machinâ auxiliator adfuisset.

*Parmensis fert auxilium Parisinis.*

Venit enim ille Meldas 12. Kal. Sept. junctisque copiis, captoque spectante ipso Rege Latiniaco *Lagny*, ad Parisios venit. Pugnandi copiam huic non semel fecit Henricus Rex; verùm ille liberaturus urbem, non pugnaturus accesserat; quod & præstitit, & se tum Henrico meliorem ostendit Imperatorem. Alii tamen ajunt tum stetisse per Regem, quominus Lutetia caperetur: Sed ille sapienter intactam; & divitem, quam populatam, & egentem habere maluit. His gestis Henricus exercitum remisit in Hiberna, Parmensis capto Corbolio; ubi magnam edidit stragem, recessit in Belgium, quo evocabatur, Ordinibus jam Hispano insultantibus, & quasi carente animis, cùm ab eo Parmensis abesset.

*Latiniacum occupat.*

*Redit in Belgium.*

*Mercurius Armoricam affectat.*

Aliunde Mercurius Dux receptis ad Blabiam *Blavet* sex Hispanorum millibus, de adsciscendâ sibi Aremoricâ cogitabat. Prensabat & Provinciam Sabaudus; occupatis jam Foro-Julio, Draguignano, & aliquot oppidis, quanquam aliquot cladibus affectus esset à Valettâ ejus præfecto, & Lediguerio Delphinatus. Sed cùm copiis prævaleret, hæc ei commissa est, à Senatu Aquensi; vicinis omnibus ex tanto regno laciniam aliquam expectantibus.

*Sabaudus Provinciam.*

*Biblia Sixtina perversa.*

Inter hæc mortuus est Romæ Sixtus V. editis Bibliis, quæ tantùm negotii nobis exhibuerunt, quibus & præfixerat Bullam, quam Bullam non esse deprehensum est, nec adhibitos in consilium peritos viros, ut perperam in eâ ipse profitebatur, & sic tanti momenti opus non satis emendatum emisisset. Sed tum huic obsistere audebat nemo; & fertur Hispano Legato huic constantius resistenti parasse perniciem, quæ hujus sapientiâ, magno Ecclesiæ bono, declinata est. Obiisse creditur, vel ex iracundiâ, aut ex Arthritide, vinoque Græco, ut dolores sedaret suos, liberaliùs hausto, anno ætatis undeseptuagesimo, Sedis quarto cum 4. mensibus, & diebus tribus, 6. Kal. Septembr. Vir ingenio magnus, & ad res gerendas aptus, qui & in Arce S. Angeli ad subitos casus ad quinquagies centena aureorum millia, dicitur seposuisse; quanquam egregiè exornasset Urbem, & rerum omnium copiam in ditionem Pontificiam induxisset; nulli sine dubio secundus, nisi sub vitæ finem, suo judicio fuisset paulò addictior, quod in eo vitium authoritas summa, & rerum experientia pepererant. Statuerat recuperare S. Sedi regnum Neapolitanum, ideoque tantùm pecuniæ confecerat, si in ejus Pontificatum Philippi mors incideret; sed omnia hæc ejus consilia, mors disjecit, sicut & magnam atrocis belli materiam.

*Moritur Sixtus V.*

*Sixto V. succedit Clemens VII.*

Suffectus est Sixto V. Jo. Baptista Castanea dictus Clemens VII. qui die 13. ab electione suâ mortuus est, gratiasque egit Deo, quod ex periculis tantæ dignitatis eum eriperet; & quod poterat unum, in paupers largas eleemosynas effudit. Statim ergo huic suffectus Non. Decembr. Nicolaus Sfondratus, Mediolanensis 6. Id. ejusdem mensis coronatus, vocatus est Gregorius XIV. cujus quoque Pontificatus brevis fuit, ut hanc dignitatem obiter multi degustarent.

*& huic Gregorius XIV.*

*Moriuntur Cujacius, Franciscus Hotomanus, Bartasius, Ambrosius Morales, Walsinghamus, Bragadinus.*

Hoc denique anno obiere Jac. Cujacius Tholosæ magnus juris interpres: Franciscus Ottomanus, tam illustris doctrinâ, quàm infamis hæresi; Guill. Bartasius, Poëta Vasco item hæreticus; Flaminius Nobilius editione Latina Sixtinorum 70. Bibliorum Clarus; Ambrosius Morales Cordubensis, ejectus à Dominicanis, quod Origenem imitatus esset; Franciscus Walsinghamus à secretis Elizabethæ, & crudelitate suâ in Catholicos infamis; quibus addere possis illum Marcum Bragadenum χρυσοποιόν. Olim Capucinum, suspensum quod multis aurum pollicitus, multis illusisset; qui cum cæsi duo nigri canes; sub quibus latere Dæmones vulgò credebatur; his porro impostoribus, nunquam carebit Orbis, quandiu non deerunt insani, qui fidem eis adhibeant.

## CAP. X.

## *Decas Ultima,*

*Ab anno Christi* 1590. *ad* 1600.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5644. | 1591. |

*Bellum inter Turcas & Rudolphum.*

Sinanes Vizirus, æmulo Ferhate sublato, ex Perfide parat transferre bellum in Christianos, quos capitaliter oderat: cùm Muphti pacem servandam contenderet, veneno sublatus est, atque ex crapulâ obiisse senem vulgò jactatum est. Monetur ergo Hassanes Bassa Bosniæ, ut quantum possit Hungaros vexet; ille in Illyricum & Croatiam irrupit; multas intulit clades, multas

multas accepit; questusque de violatâ à Cæsarianis pace mendaciis effecit, ut bellum in Rudolphum decerneretur, faciliùs cœptum, quàm terminatum.

Gregorius XIV. Parisinos & Catholicos invitat ad resistendum fortiter Navarræo, inductus ab Hispanis, pollicitus 15. aureorum millia quolibet menso, ex Pontificio ærario. Sed superveniens Lotharingus Cardinalis, & copias, & iis præfectum nepotem obtinuit. Negavit tamen tam Philippo quàm Meduano alienationem bonorum Ecclesiæ, quia hanc fieri majori Principum, quàm Ecclesiæ utilitate jampridem cognoverat.

Interim bellum gerebatur in Franciâ, Fœderati Sandionysio per Dominicum Vicum rejecti cæso Claudio Aumalio Equite, Regii Lutetiæ farinis amissis, quibuscum in urbem irrepere moliebantur. Lutetia quoque tum & Meldæ Præsidia Hispanicum recepere. Henricus Carnutum recepit, à Burdeserio fortiter propugnatum; sed perdidit Castrum Theodorici; unde copiosa annona Parisinis subvecta; sic cladibus victoriisque permixtis, ut neutra pars desperaret, neutra nimis attolleretur.

Tum jacta creduntur semina Partis Tertiæ vulgò *le Tiers Party*; cujus author fuisse creditur Cardinalis Vindocinensis, jam Borbonius dictus, ab obitu Caroli Borbonii Cardinalis, quem Fœderati sub nomine Caroli X. colebant Regem. Is apud Pontificem egit, ut ejus haberetur ratio tanquam proximi hæredis, si Henricus IV. perseveraret in hæresi, cùm Contius, medius inter ipsum & Henricum, mutus esset, & surdus, nec aptus ad regnum; quæ consilia sensim multis patefacta, iisdem placuerunt. Interim Philippus, Lotharingus, Sabaudus, Guisius, aut regnum, aut partem sperabant regni, & miris artibus res promovebant suas, bonis Francis inepto pietatis zelo cœcutientibus.

Famâ percrebescente imminentis exercitus Pontificii Gregorius Henricum uti relapsum excommunicat, & omnibus suis ditionibus privatum declarat. Hæc ridentur à Senatibus Catalaunico, Turonensi, Rothomagensi, probantur à Parisiensi. Franciæ tamen Præsules edixerunt colendum esse Henricum Regem, dum pacta servaret, mittendos Romam Legatos, qui Pontificem malè edoctum dedocerent.

Aliunde res fœderatis malè cessit; Sabaudus Provinciâ rejectus est per Valettam & Dediguerium; Pontificius exercitus malè mulctatus ad Pontem Charræ ab eodem Dediguerio ægrè Virdunum pervenit, oppidò lassus, & quietis amantior, quàm pugnæ. Hic dum reficitur ut Parmensi conjungatur, Pontificis est audita mors; quâ perculsus copiarum ductor ejus nepos, magis de suâ quàm de Francorum salute cogitavit. Junctus est tamen Parmensi ad solvendam obsidionem Rothomagensem, quam Rex, auxiliis Germaniæ & Angliæ receptis oppugnabat, certus vi sibi parare regnum, quod hæreditario jure debebatur.

Parisiis autem omnia per Sexdecim viros agebantur, Philippi Hispani emissarios, & ab eo emptos, aut delinitos, homines improbos, atque ex sanguine sordibusque concretos. Quare ab iis sibi metuens Cardinalis Contius Episcopus, reliquit urbem. Hi Barnabam Brissonium munus primi Præsidis obeuntem, & prudenter iis obsistentem, cum duobus Senatoribus, Arcenio & Tardivio, suspenderunt per publicum servum, tali supplicio indignissimos. Inclinabant illi porrò in Guisium, quem sibi Philippus generum designabat, jam prope electum Franciæ Regem, & qui tum evolarat ex carcere Turonensi, aut veriùs emissus erat ab Henrico IV. ut inter eum, & Meduanum discordiam sereret, rebus suis utilissimam. Quare Sexdecim virûm audacia vel insania Meduanum revocavit in urbem, ubi eorum quatuor comprehensis in Luparâ gulam frangi jussit; quo supplicio ita reliquos 12. repressit, ut ex eo tempore, quantùm bonis injecerant metus, tantumdem ingererent contemptus sui, atque voluptatis.

*Brissonius suspenditur.*

*Henricus Gui. Rex Franciæ destinatur.*

*IV. viri repressi.*

Intereà sævientibus Romæ, & in Italiâ fame, atque peste obiit Gregorius XIV. 17. Kal. Octob. cùm vixisset annos 57. sedisset menses 10. ac totidem dies, ex calculo inter magnos dolores, quos patientissimè tulit. Hic primus assumptis Cardinalibus ex ordine Regulari Pileum rubrum indulsit. Denegavit quoque Alphonso Duci Ferrariæ ἀτέκνῳ seligere aliquem ex Atestinâ, seu Estensi familiâ, in quem hunc Principatum refunderet; cum eâ tantùm lege recepisset; & ab ejus successoribus laudata est tanti Pontificis fortitudo 4. ergo Kal. Novembr. ei suffectus est Ant. Fachinetus Bononiensis, coronatus 3. Non. Novembr. sub nomine Innocentii IX. qui duobus tantùm mensibus sedit, mortuus 3. Kal. Jan. Eclipsin patiente Luna, cum Ecclesia sui Solis aspectabilis lugeret absentiam.

*Moritur Gregorius XIV.*

*Sufficitur ei Innocentius IX.*

Contigit hoc circiter tempore causa Antonii Peresii Arragonensis, de cujus crimine, carcere, fugâ, variisque casibus, non est hic commemorandum, cùm totum exigant codicem. Sciendum tamen hunc in Angliam & Franciam transiisse, & utrobique parum prudentem agnitum, tandem egentem obiisse, suarum duntaxat rerum commemoratione, & variis casibus illustrem, multisque gratum.

*Antonii Peresii causa.*

| MUNDI | CHRISTI |
| --- | --- |
| 5645. | 1592. |

Electus est Pontifex ætatis 56. 3. Kal. Febr. Hippolytus Aldobrandinus Florentinus, orato priùs Deo, ut nisi hæc dignitas in ejus gloriam cederet, priùs obmutesceret, quàm electioni suæ assentiretur. Quare 4. Non. coronatus, dictus Clemens VIII. magnam sui Pontificatus bonis omnibus spem injecit.

*Clemens VIII. fit Pontifex.*

Statim initio sui Pontificatus judicavit alium ab Henrico IV. Regem in Franciâ eligendum esse, eâque de re scripsit ad Legatum suum Philippum Selgam Card. Placentinum, sed ejus litteræ igni traditæ sunt jusso quarumdam Curiarum, quarum quoq; decreta parem aleâ subiere Parisiis adeò ut hic mimicè nô serió res agi viderentur.

*Rex novus eligendus decernitur.*

Rothomagum jam tribus mensibus obsessum erat, fortiter defensum ab Henrico Agullonio Meduani Ducis primogenito adolescente, verius

*Parmensis auxiliatur Rothomago.*

riùs ab Andreâ Brancarsio Villarsio, qui crebris, & acerrimis eruptionibus multos ex Regiis trucidavit. Venit ergo in hujus urbis auxilium Parmensis, cui Francicæ, & Pontificiæ copiæ conjunctæ sunt; quibus cùm Henricus Rex occurrisset, relicto in obsidione urbis Bironio, agnovit numero plerumque viris fortibus cedendum esse, leviter vulneratus Nonis Febr. ad Albamalam *Aumale*. Sic res Fœderatorum restituta est; & si (uti volebat Parmensis) ursissent Regem, fortè illum in ultimas compulissent angustias; verùm tum Meduani prævaluit æmulatio. Mox igitur Rex valentior ad obsidionem rediit; itaque revocatus est Parmensis, per quem penitùs est obsidio soluta, Rex fugienti similis abire compulsus; quem cùm insequendum & urgendum putaret Parmensis, iterum evicit Meduanus esse potiùs oppugnandum Calidobeccum *Candebec*, unde annona copiosior Rothomagum deportaretur ad quod oppidum Parmensis vulneratus est. Rex ergo sapienter ad Yvetotium collocavit castra, unde sic Fœderatos vexavit, ut Sequanam trajicere compelleret. Si autem Rex per Pontem Arcuatum *le Pont de l'Arche*, equitatus partem trajecisset, ex fœderatis superfuisset nemo. Pontonibus ergo, & ratibus, Parmensis trajecit exercitum, sed tam tacitè, ut Regem transitus iste lateret. Sic recessit Parmensis Sanclodoaldum, victori similis; quia sic abire coram hoste potentissimo, instar victoriæ, ab æquis rerum æstimatoribus judicatum est.

*Vincitur Henricus ad Albamalam.*

*Solvitur penitùs obsidio Rothomagensis.*

*Parmensis Henricum eludit.*

Obiit hoc anno Antverpiæ, quò redierat Parmensis, dum novam expeditionem parat in Franciam, 4. Non. Decembr. pientissimè, rebus Belgii Ordinatis, & Fœderatorum tuto relictis loco; Princeps fortissimus, experientissimus, & Græcis ac Romanis Ducibus æquandus, eorum pletisque felicior, quod rerum à se gestarum scriptorem nactus est Famianum Stradam, antiquis Historicis nequaquam inferiorem. Reliquit filios duos Ranucium Parmensem Ducem, & Odoardum Cardinalem: successit ei in Belgio Ernestus Austrius Rudolphi Cæsaris frater; & dum adveniret Ernestus Mansfeldius rerum administrationem suscepit, ne Ordines ex Parmensis morte aliquid supra vires, & præsentem statum auderent.

*Parmensis moritur Antverpiæ.*

In finibus Cenomanorum ad fluvium Odonem victi Contius Princeps, & Dux Dumbarensis, qui Cranonem obsidebant, à Mercurio Lotharingo pridie Idus Maji. Cæsus quoque à Theminio ad Villamurium Antonius Scipio Ioyosa, unde factum ut frater ejus Henricus Buchagiæ Comes, jam sexennio toto Capucinus, hortantibus quibusdam Theologastris fœderatis, cucullum cum galeâ mutaverit, relictâ S. Francisci militiâ, ut sæcularem parum religiosè sequeretur. Obiit autem Espernaci in Campaniâ, globo tormenti bellici eliso capite, Mareschallus Antonius Bironius, cùm urbem lustrat; sicut & in Provinciâ Valetâ Espernonii frater annorum 37. fortissimus, & belli scientissimus Imperator, cujus locum frater nihil ei inferior occupavit; à quo, sicuti & à Dediguerio repressus Sabaudus, etiam ultra Alpes infortunatus.

*Ioyosa cæditur Henricus Capucinus arma induit.*

*Bironius interfectus & Valetia.*

Actum inter Præsules de remediis Ecclesiæ Gallicanæ tunc temporis turbatissimæ, in quâ quidam constituendum Patriarcham censebant, quia Pontifex videbatur esse in partibus. Sed obstitit maximè qui ad schismaticam dignitatem deposcebatur Cardinalis Borbonius. Satiùs itaque judicatum est mittere Legatos Romam; selecti Cardinalis Contius, & Marchio Pisanius; hic Andesani ad Benacum lacum substitit; ille dum ultrà pergit, stare à Clemente jussus est, quod esset Principis hæretici fautor; sed ita se excusavit, ut accerseretur Romam, ubi tam Galliæ, quàm Ecclesiæ utilissimus extitit.

*Ecclesiæ Gall. con... status tu... batior.*

Germania turbata est morte Joannis Episcopi Argentoratensis, cui suffecti sunt duo, unus à Protestantibus, alter à Catholicis. Tandem Electi positis armis Cæsarem arbitrum audire compulsi sunt. In Saxonia quoque & Palatinatu tumultuatum est; hic Calviniani, illic prævaluere Lutherani. Joannes quoque III. Sueciæ Rex obiit anno ætatis 55. cui successit Sigismundus Poloniæ Rex, non tantùm duplici regno, sed & Imperio dignissimus.

*Turba...*

*Ioan. Su... succedit... gismun... III.*

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5646. | 1593. |

Ad arcem Scissiam Croatiæ, & Savi ac Colapis fluviorum confluentes Turcorum 12. millia cum Assane Bosniæ Præfecto, & Mahomete, ex sorore Mahumetis nato, ceciderant, licet 30. millibus armatorum tantùm Christianorum sex millia invasissent. Hinc decretum Rudolpho bellum, quamquam hic omni arte ac demissione quæreret pacem. Sinanes Vizirus cum ingenti exercitu Hungarium ingressus multas urbes cepit, Christianis tamen acriter resistentibus, & sæpe non inultè devictis.

*Turcæ ... cti Chr... anos ... dunt.*

Mulejus Xequus; filius Mahometis Fessæ & Maroci Regis, quem Sebastianus restituere frustra conatus erat, datusque ei obses à parente, & postea sub Philippo piè educatus, tandem cum cognato, & aulicis suis baptizatus est. Unde enata sunt bella, quæ nec facilè confecta sunt, nec breviter possunt recitari.

*Mulejus Xequus Christianus.*

Indicta sunt hoc anno Parisiis Comitia, quæ Clemens Pontifex, & Philippus urgebant, hic ut filia sua eligeretur Franciæ Regina, ille ut Henricus IV. excluderetur regno; neutrum optabat Meduanus, sed ut suspenderetur negotium, ipse de more posset omnia. Cùm ad ea invitarentur Regii, Schombergius natione Germanus, affectu & animo Francus, accipiendam conditionē putavit. Itaque habitum est colloquium Surenæ *Sureine* ad Sequanam fluvium, & radices montis Valeriani, cujus hæc summa fuit, nihil præter religionem impedire quominus Henricus IV. Francorum Rex ab omnibus exciperetur, & remissus Schombergius, qui id significaret Regi. Hic Ministros interrogat suos, utrum esset in Catholicâ religione salus; affirmarunt ipsi. Ille, ut erat ingenio

*Colloqu... Suren...*

*Henric... docetu... tur.*

genio folerti & acuto; fatius eft, inquit, me Frā-ciæ Regem adire cœlum: ftatimque de articulis controverfis fe doceri petiit. Is nuncius Fœderatos perculit, fed Hifpanum multò magis; hic itaque nihil deinceps cunctandum ratus offert Claram Eugeniam Elizabetham à Francis Reginam eligendam, cui demum poft varios maritos propofitos à Duce Feriâ, Guifius fponfus addicitur. At Meduanus callide disjecit hoc quoque confilium; ficque irrifi funt Hifpani, dum miferis Francis illudere volunt, & eorum infaniâ, atque vanâ religione ad res fuas promovendas abuti.

Rex itaque accuratè inftitutus per Epifcopos eruditos (inter quos eminebat Jacobus Davitius Perronius Ebroicenfis) iifque per fex horas patientiffimè auditis, afferuit fe ab iis didiciffe, quæ eum latere Miniftri fui voluerant, nihil moræ effe, quin Romanam profiteretur fidem. Sed obftitit Cardinalis Placentinus, negavitque id fieri poffe, nifi priùs Rex abfolveretur à Pontifice, & illi Meduanus, & Fœderati ardentiffime adftipulabantur. Quare vetuere nequifquam Parifinorum Regiæ Profeffioni intereffet; quod tamen edictum plerique contempferunt; magnoque numero, & animo, Sandionyfium confluxerunt.

Igitur die Dominicâ 8. Kal. Aug. qui dies hoc anno S. Jacobo facer erat, ut plus doloris haurirent Hifpani, Hærefin publicè ejuravit Henricus, feque filium Ecclefiæ obfequentem profeffus, factâ peccatorum exomologefi abfolutus eft ab Archiepifcopo Bituricenfi; ac raligiosè Montis Martyrum invifit Ecclefiam, ut omnibus Parifinis, ejus effet religio teftatior. Debacchabantur nihilominus ex facris pulpitis concionatores, eaque effutiebant quæ fibi ab Hifpanis, & fœderatis fuggerebantur; fed jam contemni cœperant, & plus jam populus fuis oculis, quam auribus credebat. Induciæ infuper armorum denunciatæ, rem promoverunt magis; promovit & Dux Nivernenfis Legatus ab Henrico delectus Romam; eumque fruftra fcriptis fœderati laceffebant; fed fcelerate fcriptis etiam addiderunt facta, quæ eorum confilia penitùs evertit Inventus enim Barterius olim Navicularius Aureliavenfis, nunc miles, captus Meloduni, qui confeffus Regis attentatum parricidium, fractus in rotam conjectus eft; unde intellectum Fœderatorum caufam defperatam effe, qui ad tam horrenda & ultima remedia confugerent.

Profectus autem Romam Nivernenfis obvium habuit Antonium Poffevinum Jefuitam, virum eruditum, & Legatione Mofchovitica illuftrem, qui ei denunciavit hanc Legationem, uti à Rege miffam, recipi non poffe. Perrexit ille nihilominus, & Pontificis omnia mandata diligenter exhauriens, faltem effecit ut Clemens dubitaret, nec jam fibi ab Hifpanis pateretur imponi: denique ita fe geffit, ut ejus prudentia, natales etiam atque dignitatem fuperaffe videretur.

In Belgio Mansfeldius Comes, fuafione Comitis Fontani, Albano moribus gemini, vetuit captivos redimi, & conferri pecunias, ad arcenda incendia, verùm id improbavere non modò Ordines, fed & Hifpanorum fautores, & pertercere monitis fuis, ut bellum hoc non inter barbaros, fed inter Chriftianos geri cenferetur.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5647. | 1594. |

Sigifmundus Battorius Tranfylvaniæ Waivoda filius Chriftophori, cui frater Stephanus electus Poloniæ Rex ditionem fuam cefferat, irritatus Sinanis Viziri minis, & adhortationibus Rudolphi, fe Principibus Chriftianis adjungere decrevit. Sed fuos renitentes expertus tractavit eos acerbiùs; ac demum nuptiis junctus eft cum Cæfare, quas tandem agnovit Tranfylvaniæ fuiffe fatales. *Sigifmundus Battorius adhæret Cæfari.*

Dux Nivernenfis videns addictum Pontificem fententiæ fuæ de differendâ Henrici IV. abfolutione, & Ant. Poffevinum jam ad partes fuas adductum, ejectum Urbe, proteftatus eft caufam deinceps turbarum Clementem fore, idem quoque præftitit Venetus Epif. opus Cenomanenfis, cui ad Urbem accedenti poteftas negata fuerat. Quibus Pontifex commotus, minùs properare decrevit, fic Hifpanis unam accommodaret, ut alteram Francis refervaret aurem. *Clemens audire ftatuit Francos.*

In Franciâ moliebantur omnia Fœderatorum duces, ut fubditos alienarent ab Henrico, nec artibus, nec mendaciis parcentes. Regi nihilominus fe aliquot dedebant urbes; & Meldæ, Aquæ Sextiæ, Lugdunum, Bituriges Henoticon ejuraverant, aliis mox fecuturis, cùm Rex facro oleo inunctus effet. Cùm ergo vifum effet, nihil opus effe unctione Rhemenfi, delata eft Turonibus facra S. Martini ampulla, quâ vir ille Sanctus præcipitatus à Dæmone, per Angelum fanatus erat, uti referunt Severus, Fortunatus, Paulinus, teftes omni exceptione majores. Hac inauguratus eft Henricus IV. Carnuti ab Epifcopo urbis Nicolao, à quo & Ordinem S. Spiritus recepit, ac pro S. Marculphi peregrinatione, perrexit Sanclodoaldum, ut inde rebus fuis, atque Parifinis faciliùs profpiceret. *Henricus IV. Carnuti oleo S. Martini inungitur.*

Hinc autem Rex egit cum Briffaco Lutetiæ Præfecto, ut reciperetur urbe: fed huic confilio obftitere Sexdecim viri authoritatem fuam recuperare conantes, & ex facris pulpitis concionatores paffim in Politicos (fic appellabant fautores Regis) intonantes. Verùm cùm hi omnes Edictis Senatus, & Meduani Ducis autoritate, repreffi effent; idemque Dux in Belgium auxiliorum causâ profectus effet, Briffacus ad Regias partes Mercatorum præpofitum, Ædiles duos, Tribunos aliquot, & Centuriones pertraxit. His fubnixus 12. Kal. Junias, quatuor militum Regiorum millia delectorum, per varias portas in urbem immifit, qui eâ potiti cum levi Germanorum cæde, eam mox patentem Regi fubmifere, cum Luparæ Palatio. Inde dimiffi funt per urbem Feciales qui ἀμνηστίαν proclamarent, quibus refpondit populus vitam Regi fuo accinens: dimiffi ergo Hifpani, Belgæ, Neapolitani milites cum Duce Feriâ, actæ Deo in majori Bafilicâ gratiæ, intra tres ab ingreffu Regis in urbem horas, quieta, *Briffacus Lutetiam Regi reddit.* *Parifiis intra 3. horas, ejectis Hifpanis omnia*

ras, apertis tabernis commercia restituta sunt, quasi in eâ nullâ belli suspicio viguisset. Unde intellectum, tumultuum omnium Hispanos fuisse concitatores, quibus abeuntibus, belli etiam umbra dispatuisset.

*Card. Placentinus exit Parisiis moritur Pellevæus.*

Invitatus benignè ad Luparam & Regem Placentinus Cardinalis, honestè recusavit accedere: itaque jussu Regis à Davitio Perronio deductus est Montargium. Pellevæus verò Cardinalis, cujus maximè industriâ steterat Henoticon, audito Regis in urbem ingressu, cùm in lecto jaceret ægrotus, converso ad parietem vultu, loqui ac vivere desiit, ex dolore, uti creditum est, exanimatus.

Tum ad studia pacis omnia sunt conversa; conjuncti Senatores Parisienses, Catalaunici, Turonenses, vetita præteritorum recordatio; abolita Senatusconsulta; scripta utrimque emissa, ignibus addicta. Quæ egregiè confirmata sunt visâ Regis in Paschalibus feriis pietate; quare Academia contra eum edita, irrita jussit esse, eique parendum esse sanctè decrevit. Huic tamen decreto non statim paruere Religiosi; quidam Carthusiani etiam bonorum proscriptione fuere compellendi; tergiversati sunt Capucini, Jesuitæ, Minimi, aliique non nisi ægrè dedere manus. Itaque reliquis omissis tempestas nova in Jesuitas concitata est ab Academiæ Rectore, homine turbulento, & eorum hoste denunciato, lite sopitâ, & pendente, in Senatum denuo revocatâ. Pro Academiâ maledicentissimè Antonius Arnaldus peroravit, & quod jampridem foverat in Patres illos, & suis hereditarium reliquit virus, turpiter evomuit. Neque sapienter & religiosè magis dixit Dolæus consarcinatis in accusatos omnibus hæreticorum, & impiorum calumniis, atque conviciis. His autem modestâ æquè, & eloquenti oratione respondit Claudius Duretus, cui cùm adjunxisset suam, moderationis, & ingenii plenissimam, Antonius Seguerius cognitor Regius, iterum comperendinata lis, novæ accusationes veteribus adjunctæ, pendere sapientes jussæ, ad obliterandam tempore, rixæ hujus, & æmulationis turpissimæ memoriam.

*Religiosi quidam decreto Sorbonico de Rege non facilè acquiescunt.*

*Jesuitæ exagitantur ab Academicis.*

*Lis ista suspenditur.*

*Urbes sese Regi certatim dedunt.*

Interea urbes Franciæ certatim Henricum agnovere Regem; prima ex urbibus Picardicis Abbavilla, deinceps Regibus addictissima, & in factionibus iis semper constanter adhærens; quando & imminens sibi Castellum evertit, eo deluso, & ejecto Principe, qui id dejecerat. Idem Rtohomagus aliæque Normaniæ urbes præstitere, aliæque quamplurimæ. Restitit Laudunum, quod obsidendum à Rege fuit, cui dum suppetias Hispani ferre volunt, duce Carolo Mansfeldio, victi ad Crepiacum, re infectâ abire compulsi sunt. Tunc autem Guisius optimis condition bus cum fratribus, reconciliatus est Regi, eique attributa sapienter Provinciæ præfectura, unde videbatur ejiciendus Espernonius, nec acceptus Regi, nec suis Provincialibus satis charus; per quem erat etiam refellendus Sabaudiæ Dux, qui ab hac parte adhuc ostentabat arma, nec eum toto conatu Rex volebat, aut poterat reprimere.

*Guisii Henrico reconciliantur.*

*Mercurius in Armorica Henoticon tuetur.*

In Armoricâ Mercurius suis Hispanis fretus Henoticon fortiter defendebat, cui oppositus est Mareschallus Aumontius cum Francicis, & Anglicis copiis. Hic Crodunam munitionem inter Brestam, & Conquestum ad Imperium maris retinendum, loco peropportuno excitatam cepit, cæsis ejus propugnatoribus quadringentis. Cui cum auxiliari peroptaret Aquila ductor Hispanici auxilii, Mercurius obstitit ex æmulatione, ut ille minùs, ipse omnia in hac provinciâ posset.

*Bellum Philippo denunciat Henricus.*

Bellum insuper, stimulante Hentrico Turrio Turenio, Rex Francus indixit Philippo; sed id Hugonotorum consilium fuit, res suas promovere molientium, ut Regi semper utiles essent ac necessarii. Sed id bellum nec inferenti multùm profuit, nec nocuit accipienti, quia nec erat ex prudentiâ, neque ex pietate susceptum.

*Henricus vulneratur à Jo. Castello.*

Inter hæc Henricus IV. Parisiis 6. Kal. Jan. magnum vitæ periculum adiit, à Joanne Castello perditissimo adolescente, & ad insaniam usque scelerato, cultro vulneratus in facie; qui captus, confessus est se id criminis suscepisse, ut peccatorum suorum consequeretur veniam, si Tyrannum, & rebellem Ecclesiæ Principem sustulisset. Is, quoniam fuerat antea Jesuitarum discipulus, quamquam alium postea Magistrum audiisset, miseros Patres tum flagrantes invidiâ apud hæreticos qui tum poterant omnia, & fœderatorum inimicos, quibus favere nimis visi fuerant, improbosque plurimos quibus odiosi semper erunt, suo involvit parricidio. Eorum ergo scripta sunt excussa diligenter: in quibus cùm inventa essent aliqua Epigrammata adversùs Benebarnensem, (sic tumultus tempore dicebatur Henricus IV.) in scrinio Jo. Guignardi Sacerdotis, patriâ Carnotensis, magnam eis perniciem creavere. Maturè ergo peracto in re tanti momenti negotio Castellus forcipibus candentibus concerptus, manuque, cum cultro, resinâ ac sulphure plumboque crematâ, vivus ab equis quatuor laceratus est; corpus incensum, projecti cineres; pater exulare jussus; Jesuitæ ejecti regno; Guignardus publicè suspensus; Gueretus, qui parricidam alias in confessionibus audierat, immaniter tortus; domus deinque Castelli diruta; ejusque loco erecta pyramis; quæ sententiam in eum latam, & Patres Societatis JESU contineret, cum atrocibus multis versibus, quos hæretici, atque Academici scripserant, in eos tum permissis habenis effusi. Eos abeuntes multi viri boni cum lacrymis prosecuti sunt, & miseros innocentes scelerati quondam discipuli sui desperationem & insaniam luere doluerunt.

*Jesuitæ quoniam ejus magistri vocantur in ... men.*

*Ejiciuntur à regno ... tumultu iis ...tur.*

*Frustra pax tentatur in Belgio.*

Ernestus frustra hoc anno Belgas cum Hispanis reconciliare conatus est, recentibus adhuc nimis odii capitalis causis: Mauritius autem Groningam urbem potentem ac firmam, duorum mensium obsidione cepit, & in ea Hispanicæ dominationis, simul & Religionis monimenta disjecit.

In

In Scotiâ, & Angliâ, conjurationes etiam aliquot detectæ eſſe perhibentur, quæ contra Catholicos decreta ſeveriſſima expreſſerunt, hæreticis utrobique innatâ ſibi calumniandi facultate ſcitè & gnaviter abutentibus.

Sigiſmundus Poloniæ Rex anno ſuperiori ad accipiendum Sueciæ regnum hæreditarium evocatus, ab obitu patris hoc anno coronari voluit Upſaliæ. Cùm huc revocare veram fidem conaretur, ſenſit ſibi adverſantes Lutheranos; itaque ſolam confeſſionem Auguſtanam relinquere coactus eſt, & recipere coronam ab Abrahamo Andreâ Lutherano, habitis regni comitiis, quibus Rex optimus nec ſibi, nec Eccleſiæ profuit.

In Hungariâ perſeverabat bellum, initio quidem Matthiæ Cæſari fratri proſperum ſatis, captis Novogrado, & Strigonio Vetere (Strigonium enim triplex) ſed cùm Novum obſideret, ſuis repulſis, & advenientis Sinanis panico terrore correptus, omiſsâ obſidione tertiæ partis, duas alias turpiter reliquit, reclamantibus Germanis ducibus, & obſeſſis quoque ignaviam ejus irridentibus. Sinanes autem adveniens Javarium (*Rab* vocant) præfecti proditione, vel ignaviâ potius occupavit, quàm fortitudine Turcorum. Repulſus eſt tamen ab arce Comaronii inſulæ in Danubio; gloriæ nihilominùs, tumoriſque plenus rediit Conſtantinopolin, quaſi aliquid eximii geſſiſſet, quod bene uſus eſſet timore & ignaviâ Chriſtianorum.

MUNDI 5648. CHRISTI 1595.

Mortuus eſt hoc anno Conſtantinopoli 15. Kal. Febr. ex calculi doloribus, aut Epilepticis paroxiſmis, Amurathes III. Turcarum Imp. anno vitæ 48. regni 21. inchoato, à ſanguine quàm anteceſſores ſui alienior, per duces ſuos bellicoſus, de ſe gulæ, ac veneri deditus, quas abrumpebat Hiſtoricorum lectione, quibus mirifice afficiebatur. Succeſſit ei Mahumetes III. qui mox fratres 18. vel 21. ſuſtulit; ſorores 27. vivere permiſit; vir aliunde ſæviſſimus, quem ideò pater, naturâ mitior, tollere decreverat; ſed diutiùs humanitas inter Turcos non poterat imperare.

Denunciatum hoc anno inter Francos & Hiſpanos bellum, magno utrimque ardore geſtum eſt; in quo Henricus ipſe Rex magnum diſcrimen adiit ad Fontem Francicum Burgundiæ, cùm eò Velaſcus Caſtiliæ Coneſtabilis magnas copias adduxiſſet. Hic enim Rex congreſſus cum hoſte ſic pugnavit, ut Villarius, & Bironius vulnerarentur; & ſi Velaſcus Meduano copias univerſas commiſiſſet, Henricus aut cæſus, aut captus erat. Itaque actæ Deo de hac victoriâ gratiæ, quam Rex perdere debuerat, minùs tum prudens, quàm fortunatus.

Petrus Guſmanus Comes Fontatus res Belgicas poſt Erneſtum adminiſtravit, & rem bene avdersùs Francos egit, Henrico magis fruente regno, quàm id adminiſtrante. Tum enim Caſtelletum periit; Dulendium obſeſſum eſt; magnâque priùs acceptâ clade (in quâ Villa ſius pugnarat obſtinatiùs, quàm prudentiùs) captum eſt tandem cùm grandi nobilium cæde, viceſque repoſitæ, ob Hiſpanos Hami interfectos. Poſtea à Guſmano tentatum Cameracum, quod Joan. Monlucius Balanius, Joannis olim Epiſcopi Valentini nothus ab Alenconio regendum ſuſceperat, tunc Princeps poſſidebat, ſuſceptus in patrocinium Regis. Urgebat porro hanc obſidionem Lud. Barlemontius ejus Archiepiſcopus, ut ad Imperium, & antiquum dominum rediret, oblatâ pecuniâ, quod & præſtiterant Atrebatenſes, Hannonii, & Tornacenſes. Quamquam autem urbs iſta defenderetur à Carolo Rethelèſio filio Ducis Nivernenſis, & Dominico Vico fortiſſimo ductore, nihilominus capta eſt, quod Balanius ob rapinas civibus exoſus eſſet, nec in arcem in quam ſe receperat ex ſupinâ incuriâ induxiſſet annonam. Balanii uxor Renata Ambroſia, ubi exprobraſſet marito inertiam, antequam exiret ex arce obiit, ipſe honeſtis conditionibus abſceſſit. Corpus Caroli Gauri Incii qui hanc Alenconio prodiderat, exhumatum; Urbs Archiepiſcopo, Arx Philippo, Francis & Balanio dedecus, & ignominia ceſſere.

*Cameracum perdit injuriâ ſuâ Balanius.*

Aliunde Henricus Faram ad confluentias Oeſiæ, & Saræ à Meduano ſecuritatis loco datam Parmenſi, menſe Novembri ineunte obſedit, nec niſi poſt ſex menſes recepit; eum interea urbes aliæ ſe vi coactæ, aut ſponte dederent, ex quo Rex ſimul & Catholicus, & ſuperior eſſe cœpiſſet.

*Faram Henricus obſidet.*

Hoc quoque anno, curante Arnaldo Oſſato, & Jacobo Davitio Petronio, negotio accuratè precibus commendato Henricus IV. Clementi Romæ reconciliatus eſt, plaudente totâ civitate. Egregiam autem Francis navavit operam Franciſcus Toletus, primus è Societate JESU Cardinalis, qui & popularium ſuorum conatus diſcuſſit ingenio ſuo, & eloquentia; quare in eum deinceps optimè ejuſque Societatem meliùs, affici cœpit Henricus, qui nunquam immemor beneficiorum extitit, ut magnanimi ſolent.

*Henricus IV. Romæ reconciliatur Eccleſiæ maximè opera Card. Toleti Ieſuitæ.*

Obiit hoc anno Romæ 7. Kal. Junii S. Philippus Nerius parens Congregationis Oratorii Romani, octuagenarius & adhuc meritis, quàm annis gravior; qui poſtea relatus inter Sanctos, publicam recepit, quam vivus conſequutus erat privatim tantùm Romæ venerationem.

*Moritur S. Philippus Nerius.*

Pax inter Suecos & Moſchos, Sigiſmundum Polonum, & Theodorum conciliata eſt, Rudolpho Cæſare ſequeſtro. Sueci quoque pertæſi parere Principi Catholico, ipſi Lutherani Carolum Sudermaniæ Ducem patruum ejuſdem Sigiſmundi, ſibi gubernatorem dari poſtularunt; quem cùm nimis poſſe Rex paſſus eſſet, hic eum etiam jure exuit regni, fide palnè hæreticâ atque Lutheranâ.

*Carolus partus Sigiſmundi petitur Gubernator Sueciæ.*

*Mansfeldius præficitur ab Hungaris bello Turcico.*

In Comitiis Hungaricis & Polonicis actum & de bello Turcico: in his cùm propenderet Rex Sigismundus, consilium discussit Zamoscius Cancellarius, & magnus exercituum ductor; in illis petitus Comes Mansfeldius bellis Francicis, & Belgicis exercitatus. Hic Strigonium statim obsedit, in quod dum Turcæ parant immittere præsidium 14. suorum millia cum signis, & tormentis perdiderunt: verùm eo die tantùm laboravit Mansfeldius, ut contraxerit morbum ex quo mox obiit vir bellicosus in primis & citiùs quàm ætas sua, & res Christianorum postularent. Eò mortuo Matthias Archidux in castra venit certus Ernestum imitari: venit & Vincentius Gonzaga cum 300. equitibus, ac peditibus totidem è suâ ditione collectis; post varia certamina Strigonium deditum est; secutum mox Wisigradum, & si perrexisset Matthias eodem impetu Budam occupasset; Turcica perstitit, quia eam tentare Christiani noluerunt.

*Mansfeldio mortuo succedit Matthias.*

*In Transylvania vicit turpiter Ottomani.*

In Transylvaniâ Sigismundus Battorius adscitis in societatem belli contra Turcos Aaraone Moldaviæ, & Michaële Walachiæ Transalpinæ Waivodis feliciter pugnavit, Itaque cum Michaële ditionem Turcicam ingressus (neque enim fidere ausus est Aaraoni, immo & eum exauthoravit, suffecto ei Stephano Resuano Moldavo) multa hîc occupavit loca. Cùm Sinanes Vizirus in eos movisset ad Girgionem seu S. Georgium victus turpiter redire compulsus est unde venerat, Constantinopolin: nunquam Turcis est illata clades turpior, & unde plus dedecoris haußerint.

*Christianorum victoriam Poloni turbant.*

Victorias tamen Sigismundi Battorii nonnihil impedit occupata per Zamoscium Moldavia, captusque Resuanus, prælio victus, quod ea esset Polonici juris non Pannonici: nec eam controversiam terminare potuerunt Pontifex & Cæsar, tam utilem tum Ottomanis, quàm Christianis perniciosam.

*Turci urbem Patras perdunt.*

Petrus Toletanus ut ulcisceretur clades Italiæ tam mari supero, quàm infero, à Turcis illatas, classem in Achaiam ad urbem Patras deduxit, ubi nundinæ magno convenarum appulsu celebrantur. Igitur occupavit urbem & incendit, merces omnes rapuit, & extulit, Cicada cum classe 22. triremium stante ad Tænarum promontorium, nec se movere auso, ne classis Turcicæ jacturâ, urbis hujus damnum cumularetur.

*Mortui sunt Lavinus Torrentius, Torquatus Tassus, Antonius Nothus Lusitanus.*

Mortui sunt hoc anno Lævinus Torrentius Gandavensis, secundus Antverpiæ Episcopus, vir scriptis & Legationibus illustris. Eodem cum ipso die 6. Kal. Majas Romæ Torquatus Tassus Etruscus annos 45. natus, identidem furore melancholico correptus, adeò ut sapere nonnisi ex intervallo videretur, scripsit excellentissimam poësin, & in eo tantùm arguendam, quòd nimis admirabilis videatur: quibus addes Antonium illum nothum Lusitaniæ Regem, qui Parisiis, annos natus 64 omnium rerum inops obiit, relictis duobus liberis, qui ex patris hæreditate, nihil præter egestatem, & vanum Regis titulum extulere.

MUNDI 5649. CHRISTI. 1596.

*Sigismundus Battorius Cæsari jungitur.*

Sigismundus Battorius ad Rudolphum Cæsarem Pragam venit, petiturus auxilia, ubi grave periculum adiit vitæ à pustulis. Sanatus plura sibi promissa, & animo prolixiori vidit, quam postea data expertus est. Sed tum ei Legatus Pontificius in singulos menses 40. millia aureorum promisit, quibus uti certioribus animatus, suam repetiit Transylvaniam, sedavitque motus, quos absentia Principis solet excitare.

*Abeo à ... capitur.*

Paulò pòst idem Sigismundus Temesvarium, olim munitissimum oppidum, tunc Bassæ Turcici sedem obsedit, ejusque labefactatis mœnibus; cum Tartari in eum irruissent & cum illis dubio marte pugnassent, nec promissa Cæsaris venirent auxilia, recepit se in suam ditionem, ut copias sibi conficeret, satis augurans Germanos cunctatione suâ rem Christianam eversuros.

*Clissa à Turcis ... que ab ... recipitur.*

Clissa tum munitissima in rupe civitas (forte olim Dioclea) non longè à Salone ruderibus. ab Uskochiis capta: sed quia huic obsessæ statim auxilium ferri non potuit à Pontifice, Venetis prohibentibus, frustra parato à circumpositis indigenis auxilio, recepta est; nullo alio operæ pretio; quàm ut Turcæ ab hac parte irritarentur.

*Maximilianus ... quot ... recipit.*

Aliunde Maximilianus Rudolphi frater, collectis Viennæ copiis, Vaciam à Turcis relictam occupat; inde Hathuanam munitionem expugnat, ubi acerbè sævitum etiam in infantes & prægnantes; quam cùm defendendam suscipere auderet nemo, combussit, cum magno Germanicæ gentis dedecore.

*Mahometes venit in Hungariam.*

Mahometes expeditione susceptâ eò ipse mox adfuit, frustra dissuadente Ibrahimo novo Viziro, qui Sinani octuagenario successerat, anno superiori, mœrore acceptæ cladis; mortuo. Is Agriam primò bene defensam, deinde ignaviter, deditione recepit; ubi tamen contra datam fidem sævitum in dedititios, in ultionem Hathuanensis cædis; quod tamen adeò Mahometi displicuit, ut Prætorianorum præfectum statim in frusta concidi jusserit, quò fidem etiam Christianis servandam esse suos edoceret. Maximilianus ergo cum 70. armatorum millibus huic occurrit ad Kerestium sive Crestesium, & cum eo prælium conserit 7. Kal. Novembr. In eo Mahomete jam cùm paucis recedente Christiani victores, citiùs quàm par esset in prædam conversi ab Assane Cicadâ Calabro Apostatâ ultimi agminis ductore superati sunt, relictis suorum 12. millibus. Cùm facilè prælium reparari posset, victi non sua castra, sed quisque in patriam suam recessere, sicque Mahometi plenam, & certam reliquere victoriam. In hac expeditione nihilominus Mahometes 70. Turcorum millia perdidit, Christiani 20. millia, sed quod pluris erat, gloriam tot præliis, tam copioso sanguine quæsitam. Cicala invitus & repugnans Vizirus creatus est, unde tamen

*Agria capit.*

*Vincit Christianos ... restitu...*

*Cicala ... ria fert ...*

mox dejectus est (rogante Mahometis matre, ut restitueretur Ibrahimus) & relegatus in fines Persidis, ita post biennium præpositus est maritimis copiis, luculentum fortunæ variantis monimentum.

Ineunte hoc anno Meduanus cum Rege reconciliatus est, & honestis quidem conditionibus, sed non iis quas ante rejecerat: hoc ei pervicacis diuturnior stetit. Suscepti quoque Nemorosius, & Joyosa, satis honorificè Massilia ad hæc recepta per Guisium opera Petri Libertati Corsi, cæso Casalio Consule, seu veriùs Tyranno qui hanc Hispanis prodere moliebatur, jam recepto in portu cum aliquot triremibus Auriâ. Sed proditor fugit, seditiosi compressi, Massilia, plaudentibus simul Italiâ, & Galliâ, Francica fuit.

Ab alterâ parte Galliæ Rex Henricus minus fortunatus fuit. Calisium enim ab Alberto Austrio Cardinali opera Ronei experientissimi ducis Francici intra dies sexdecim cum arce captum est, cæso cum plerisque præsidiariis Bidassano præfecto, licet Henricus relicto ad Faram Mommorantio, Bononiam usque excurrisset. Secutæ sunt mox Hama, & Guinæ, tantùm per tubicines tentatæ. Reddita insuper Ardra munitissimum oppidum à Belinio parum fortiter, cùm hîc prius Monlucius, Blasii Mareschalli nepos, occidisset; Belinius precibus amicorum se magno dedecore exemit. Has clades effecit aut Henrici parcitas 20. aureorum millibus Roneum ad se trahere cunctantis, aut Elizabethæ Calisium iniquè postulatis; sed maluit Rex ab hostibus, quàm amicis spoliari, cùm id esset ignaviæ, illud fortunæ posset imputari. Exinde recessit Austrius, quia jam par exercitu non erat Henrico; obsedit tamen Hulstum in Flandria, cepitque, sed Cæso Roneo, quem decem illiusmodi urbibus redemisset.

Henricus reddita Farâ XI. Kal. Junias per Alvarum Osorium Hispanum, fœdus cum Elizabethâ renovavit; quo, reluctantibus licet Anglis, Belgici Ordines comprehensi sunt. Missa inde in Hispaniam Anglica classis, ut bellum Hibernicum discuteretur, quod parabat Hugo Comes Tiranæ Catholicus potentissimus, in dies operiens Hispanica auxilia. Ad Gadeis facta est exscensio, ibique acriter pugnatum depressis ac crematis plerisque navibus in Novum Orbem destinatis. Urbs quoque Gadira capta & expilata, at ne servarent eam Angli effecit prædæ magnitudo, quam dum revehere volunt, fructum omnem corrupere victoriæ. Hispanus vice versâ in Hiberniam classem immisit suam, quæ tempestatibus jactata, multis navibus amissis ad Tiranium appulit, nullo alio fructu, quàm ut bonus ille Comes egregiè Catholicus, & in fidem optimè affectus esse videretur.

Alexander Medicæus Cardinalis Legatus in Franciam missus à Clemente magnificè susceptus est. Missus & Romam Franciscus Lucemburgius Pineus, anno sequente tantùm accessit; quando & mota de regno Navarræ difficultas, Ossati ingenio sublata est, viri egregii, & cui multùm Henricus, plus etiam Ecclesia debuit.

*Comitia Rothomagensia.*

Habitus est Rothomagi Conventus pridie Non. Novembr. parvo, uti solet fructu, nec labori & sumptibus convenientium respondenti: sicuti nec Comitia Parisiis Cleri Gallicani, quæ tantùm, de more, iis qui interfuerunt, profuere.

*Navigatio Batavorum in Orientem per Septentrionem.*

Navigatio in Orientem per Septentrionem hoc anno suscepta est à Batavis descripta per Gerardum Vohetum, qui ei interfuit. Fuit eis acre certamen cum ursis candidis, graviùs cum frigore, eorum nave, glacie constricta, & frangenda, ut in domum converteretur, inter tenebras ab initio Novembris ad finem Januarii. Quare duo tantùm ex ea expeditione superstites professi sunt, se meritò pœnas luisse temeritatis.

*Moritur Franc. Cardinalis Toletus.*

Mortuus est denique hoc anno ætatis ferè 74. 18. Kal. Octobr. Franciscus Toletus Cardinalis è Societate JESU, vir omnium judicio maximus, & quem ægrotantem ipse Clemens invisit. Morbum conceperat, cùm calente cœlo die Sabbati, ut semper solebat, pedes ad B. Virginis Ecclesiam processisset; sic pietatis operibus immortuus est, de totâ Ecclesiâ, sicut & de Francia optimè meritus; quare illi Parisiis in majori Basilicâ Regio funere, & filiorum Franciæ parentatum Henrici Magni jussu, & tum in Societatem bene animari cœpto; hæreticis nequicquam, atque sceleratis omni conatu resistentibus.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5650. | 1597. |

*Mauritii de Austrio ad Tornahutum victoria.*

Mauritius Belgicorum Ordinum ductor Alberti Austrii copias ad Tornahutum in Brabantiâ magnâ strage delevit, cæsis duobus armatorum millibus cum duce Varassio; captis omnibus impedimentis, aliquot signis, & pecuniâ ad stipendium paratâ; sicque dedecori additum est damnum.

*Portocarrerus Ambianum intercipit.*

Hoc anno Ferdinandus Tellius Portocarrerus, Dulendii præfectus, admonitus à quodam Dumolino exule interdiu servari negligentiùs Ambianum, id magnâ audaciâ, ac pænè temeritate occupavit. Usus est carris; quos pomis & nucibus oneravit, & hos fortissimi milites aurigarum loco, deducebant; eorum unum supponunt pensili clathro, loris equorum rescissis, alterius effundunt nuces, & poma, quæ dum colligunt præsidiarii cives, trucidari ab Aurigis probè armatis portam patentem reliquerunt sequentibus copiis. Sic urbs nobilis capta est, in cujus suburbio Helvetii plurimi; & quæ supra 14. armatorum civium millia continebat, per tria equitum, peditumque millia. Vix octuaginta cives repugnantes cæsi sunt, sex tantùm Hispani; res tantâ inertiâ tantoque metu peracta est, ut superet fidem. Perturbatus est hoc casu mirificè Rex Henricus, perturbata Lutetia, quæ hostem jam adesse putabat ad portas. Statim nihilominus urbs per Bironium obsessa est, ab ea parte quâ venire poterant auxilia; in quam tamen Joanne

Gusmano duce 500. equites post arce certamen irruperunt, sed exiguum tantæ urbi mox diligentius obsidendæ auxilium. Ad eam igitur cum ingenti exercitu venit Henricus, accitis etiam 4. Anglorum millibus. Ad eam fortiter utrimque certatum, donec Portocarrerus glande plumbeâ, casu tantùm trajectus interiit, vir parvi corporis, sed industriæ, & fortitudinis Maximæ. Mortis hujus lætitiam inter Francos compressit cæsus Franciscus Spineus Sanlucius rei tormentariæ præfectus experientissimus, atque doctissimus. Nihilominus Ambianum aut vi aut deditione capiendum erat: accessit igitur Cardinalis Austrius cum ingentibus copiis. 17. Kal. Octobr. cum Duce Albamalæ, & Principe Aurangio, & si impetu invasisset Regia castra, ea perturbata, sine dubio perrupisset. Sed dum cunctatur, præcedenti nocte quâ transiturus erat viam fossoribus abrupit Meduanus, & in eâ Tormenta priùs occultata scitè disposuit. Quare transire parans Albertus, fortiùs quàm sperabat exceptus, sibi recedendum esse intellexit, ne penitùs deleretur, & qui venerat ut fortis Imperator, uti Presbyter ignavus abscessit. Urbem ergo reddidit Hieronymus Caraffa Marchio Montis Nigri qui Portocarrero præfectus Equitum successerat, emissi gloriosè Hispani, cum armis, impedimentis, & magnâ prædâ; Urbi præpositus Dominicus Vicus, Arx ædificata ut eâ tuti essent cives, qui privilegia caussati ab Helvetiis Regiis defendi noluerant per superbiam, à suis per ignaviam non potuissent propugnari. Sic Ambianum perdiderunt Hispani, simulque pacis ineundæ cum tam forti Principe desiderium concepêre.

*Obsidetur ab Henr.*

*Austrius nequicquam ei afferre parat auxilium.*

*Urs Regi deditur.*

*Carolus Suecus Regnum sui nepotis occupat.*

Carolus Suecus Lutheranus Sueciæ Gubernator patruus Sigismundi præfecturam deposuit, ut Rex coronaretur: celebrata sunt Arbogiæ Comitia, quæ impedire Polonus non potuit; in his Carolus declaratus est prorex, confessio Augustana recepta, aliis omnibus explosis; Holmia insuper Regni metropolis occupata, Catholica fides cum Catholico Rege Sigismundo ejurati sunt.

*Alphonsus Dux Ferrariæ moritur.*

Obiit hoc anno 6 Kalend. Novembr. Alphonsus Ferrariæ Dux annos natus 64. sine liberis, dicto hærede Cæsare Atestino, agnato suo sed notho, factâ sibi gratiâ à Maximiliano, & Rudolpho de ditionibus Mutinæ, Rhegii Lepidi, & Carporum, quàm de Ferrariâ Pontifices negaverant. Hic ergo Cæsar accitis in auxilium aliquot Principibus Italiæ, sibi Ferrariam vindicare conatus est; sed ei fortiter obstitit Clemens paratus armis agere, spretis precibus Venetorum, & minis Hispanorum. Immò Aldobrandinum Cardinalem cum copiis versùs Ferrariam misit; quibus territus Cæsar Atestinus honestissimis conditionibus Dux Mutinæ Regii & Carporum agnitus Romæ, ditionem minorem quidem, sed tranquilliorem consequutus cum Pontificis amicitia, ei deinceps profuturâ.

*Clemens recipit Ferrariam, & Cæsarem Atestinum in amicitiam.*

*Christiani in Turcos movent parvo fructu.*

Maximilianus Archidux Cæsariani dux exercitus Tartam oppidum à Turcis occupatum dolo recepit, vi expugnavit Pappam, cum arce. Sed ad Turcarum adventum maturè recessit. Hi ergo iterum cepere Tattam (sed deditione) in quâ se acerrimè defendêre Cæsariani. Nec plura hoc anno tentarunt Ottomani, ob Bassarum discordias, & Janizarorum tumultus. Battorius interim frustra expectatis à Cæsare auxiliis, selectum militem misit qui pontem impositum Savo dejiceret ad Belgradum; ipse rursus Temesvariam obsedit, hyemis tamen asperitate eam relinquere coactus; captis aliquot oppidis minoris momenti ut levaret utcunque dedecus, & ignominiam urbis tam sæpe frustra tentatæ.

Idem Sigismundus anno ineunte Pragam venit pertæsus laborum, atque belli, acturus de principatu suo Cæsari relinquendo, accepto Oppolitano in Silesiâ, & 50 millibus aureorum, cum spe Cardinalatus impetrandi à Pontifice. Conjugem itaque remisit ad matrem, quoniam illam oderat ex fascino conjugali, nec ea erat æquior in maritum animo, Princeps bello, conjuge, negotiatione infortunatissimus extitit.

*Sigismundus Battorius principatu Cæsari relinquit.*

Eodem tempore in Angliam Hispana, Anglicana in Hispaniam navigabat, incredibili utraque ardens pugnæ desiderio, quod tempestas discussit; Anglica Tertiam ex Azoribus diripuit; sed frustra expectavit Indicas naves, quæ portum incolumes, cum incredibili Anglorum dolore, tenuerunt.

*Classis Anglicana Hispana pugnam negant.*

Mortui sunt hoc anno Gabriel Palæottus Cardinalis, vir doctus, & commodæ senectutis, de quâ & scripsit, sed majore conatu quàm gloriâ: ibidem Romæ quinquagenario major Aldus Manutius, Pauli filius, Aldi nepos, alterius Aldi pronepos, omnes de litteris benè meriti; denique Gilbertus Genebrardus, Henotici tempore designatus Aquensis Archiepiscopus, quo tamen dejectus est, & læzæ Majestatis postulatus innocens, sed prævalente ejus æmulo majoris authoritatis, verùm qui longè minus Ecclesiæ dignitatis allaturus erat.

*Mortui Card. Palæottus, Aldus Manutius, Genebrardus.*

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5651. | 1598. |

Clemens VIII. Ferrariæ Principatum adjungit Pontificiæ ditioni, eoque pergit. Interim Veruini agebatur de pace inter Philippum & Henricum, selectis utrimque viris prudentissimis, qui de rebus controversis disceptarent: verebatur enim Philippus II. vehementer ab Henrico, ne filius ejus item Philippus prope puer, cum veterano Imperatore, multarum que palmarum congredi armis imparibus cogeretur.

*Agitur Veruini pace inter Philippum & Henr.*

Et verò hoc tempore Rex Franciæ Mercurium jam desertum ab omnibus, & se demittere compulsum, recepit in gratiam; verùm eam paulò tardiùs imploravit, ideoque minorem recepit; quare de eo dictum, quod ipse de Meduano jactare solitus erat, nec bellum facere novisse, nec pacem. Nihilominus receptus est, ob filiolam suam, quam Rex Cæsari filio suo notho ex Gabriele Estræa junctam connubio volebat. In eo quasi ultimo fautore, Henoticon, seu *Liga* evanuit, & quod Rex hæreditarium acceperat regnum, fortitudine, consilio, industriâ, novo

*Mercurius in gratiam cum Henrico redit.*

*Ejus filia paratur uxor Cæsari notho.*

vo

vo alio jure suum effecit, meritò liberator patriæ, Franciæ restitutor, & populi Pater appellatus.

Monuit Henricus Anglos, & Ordines Belgicos de fœdere suo cum Hispanis, ut eo si vellent continerentur; recusarunt illi suis intenti rebus, neque addicti Franciæ, nisi quantum sua commoda postularent. Tum quoque, ingratis licet, & invitus, ac partim pressus Hugonotorum minis, partim ne in eos à quibus impensius adjutus esset parum gratus videretur, Edictum emisit, quod à loco unde prodiit Nannetense dictum est: id tamen promulgari vetuit sapienter, nisi post Legati Pontificii discessum, ne ex eo tumultus oriretur Romæ; Catholicis Edictum sine dubio perniciosum, hæreticis utile, sed hoc tempore necessarium, ne bellum externum, in domesticum ac civile mutaretur. Tandem post multas altercationes, & tergiversationes Ducis Sabaudiæ, Principatum Salutiarum restituere denegātis, pax confecta est 6. Non. Majas Vervivensis dicta, duodequadraginta articulis contenta, cujus beneficio, & Regis sapientis, industriâ Francia sic refloruit, ut paucos intra annos nullo bello aut civili aut externo concussa fuisse videretur.

Senatus Parisiensis, qui tanto ardore, tam præcipiti depulerat Jesuitas, eos quoque vexare extra jurisdictionis suæ limites voluit, & Turnonio depellere; quod oppidum pendet ex Senatu Tholosano: verùm contrariis edictis ab hoc Senatu retenti, defensique sunt: quod factum res Francicas Romæ plurimùm turbasse scribit Ossatus, & in hoc judicio Senatus illustrissimi prudentiam desideravit. Quare adnitente Clemente non modò suspensum est Senatusconsultum Parisiense, sed & Laurentius Magius è Societate Jesu Venetus ab Henrico petitus est Visitator, atque exinde cognita Regi sagacissimo Societas, quam hactenus nonnisi ex malevolorum sermonibus agnitam tulit in oculis, & ejus se parentem esse, atque alumnum supra reliquos Principes Christianos ostendit.

Periculosè tum Henricus Magnus ægrotavit, & per biduum sine ullâ spe vitæ; quod Francos mirificè perculit: redditus est tandem precibus bonorum omnium, qui in hoc capite fortunas suas & incolumitatem verti, nec immeritò, judicabant.

Non idem contigit Philippo II. Hispaniarum Regi, qui ætatis 74. cum mensibus 4. Regni 42. mense 9. Idibus Septembr. Esculari obiit, quò se Madrito succollantibus famulis portari jusserat. Erumpebant autem ex ejus corpore vermes, & pediculi tantâ copiâ, ut per duos famulos, sibi per vices succedentes abstergi vix possent, inter quos aliosque acutissimos dolores patientissimè toleratos, pientissimè mortuus est, qui ferè totum orbem, saltem ex parte, viderat suum, & cujus Imperio *Sol semper alluceret*. Successorem reliquit filium suum Philippum III. Eugeniæ claræ Alberto Austrio jungendæ nuptiis Belgium; Navarram, uti ejus pater, reddi imperavit, ex facto suo, filii sui facta non satis piè, prudenterque dimensus.



*Magna celebrantur matrim.*

Exinde magni momenti matrimonia celebrata sunt, Philippi III. cum Margaritâ Austriacâ, Isabellæ cum Alberto. Hic depositâ purpura in templo B. Virginis Hallensis perrexit in Germaniam, ut Margaritam adduceret, quam & Ferrariam deduxit à Clemente magnificè susceptam, unde Pontifex redit Romam. Tertio ab ejus adventu die sic exundavit Tiberis, ut nunquam eluviem similem viderit Roma, nec parem Pontificis & Cardinalium liberalitatem in egentibus miserisque sublevandis.

*Iavarinum intercepit Valvecurtius.*

Hoc quoque anno Javarinum munitissima civitas per Valvecurtium nobilem Campanum fractâ portâ per catapultorium tubum, captum est; dubiâ tamen diu victoriâ quingentis Francis interfectis, mille sexcentis Mahumetanis jugulatis. Mox à Schvvartzenburgio Cæsarianorum duce obsessa Buda, parsque ejus inferior capta, sed obsidionem solvere propugnatorum virtus, annique tempestas sævior compulerunt.

*Sigismundi Battorii levitas.*

Sigismundus Battorius magnâ animi levitate deserit Transylvaniam, ut in Silesiâ Principatus Oppoliensem, & Ratiboriensem adiret, & adhuc majori repetit, facilè receptus à suis. Inde ad se advocat Andream Cardinalem Battorium, ut cum eo de Transylvaniâ consultaret, quam ei relinquere meditabatur; Princeps non satis firmus, & in quo constantia in negotiis suscipiendis, & exsequendis semper expetita est.

*Sigismundus perdit regnum Sueciæ.*

Sigismundus Poloniæ Rex cum modicis copiis in Sueciam imprudenter navigat, regnum à Carolo patruo repetiturus; quem hic ludificatus est, donec majorem conflasset exercitum. Post aliquot prælia, victus terrâ marique Sigismundus Gedanum, seu Dantiscum fugit. Ita Carolus eum exautorandum curat nisi mallet filium suum Ladislaum quinquennem dare in Sueciâ instituendum. Quod cùm negasset Sigismundus Carolo firmatum est regnum; cunctis in ejus verba jurantibus, & perfidis Deo, hominem etiam hominibus perfidiosum Regem exoptantibus.

*Moritur Theodorus Moschus.*

Mortuus in Moschovia Theodorus Dux Magnus reliquitque principatus sui administrationem Gerniæ uxori suæ, & Patriarchæ Russorum; illa dignitatem in fratrem suum Borisium callidum hominem transferre voluit; hic dum se imparem clamitat, & onus omni industriâ deprecatur, asseruit sibi, mense Majo diebus Borisius *phedorovitz Godunouu*. Huic tamen negotii multùm exhibuit Demetrius quidam frater Theodori, quem hic ante cædendum curarat, tunc autem aut servatus erat, aut se servatum simulabat; & si fallacia fuit, huic imposturæ suæ non furca, sed diadema, pretium fuit.

*Succedit ei Borisius.*

*Eum turbat Demetrius.*

*Mortua Arias Montanus, Stapletinius Ortelius.*

Mortui sunt hoc anno Benedictus Arias Montanus, egregiâ in edendis Philippi II. Bibliis operâ; Thomas Stapletonius Anglus magnus Theologus, exul Lovanii; denique Antverpiæ Abrahamus Ortelius de Geographiâ optimè meritus, quam multùm promovit, antiquā maximè, dum hujus thesaurum eruditis omnibus liberaliter aperuit.

MUNDI 5652. CHRISTI 1599.

*Servatur Christianis S. Sepulchrum Christi.*

Actum est hoc anno Constantinopoli de adimendo Christianis Sepulchro Christi Domini, & donariis indidem efferendis, authore quodam Mahumetano Hispalensi. Verùm hoc consilium autoritate suâ Legatus Francicus discussit, Venetus rationibus: quæ tamen absente Franco, nihil potuissent.

*Andreas Cardinalis factus princeps Transylvaniæ cæditur.*

Sigismundus Battorius Transylvaniam transfert in Cardinalem Andream patruelem suum, qui eâ diu potitus non est in eam imminentibus Cæsare, Turco, Polonis. Statim autem appetitus est bello à Michaële Walachiæ Transalpinæ Wayvodâ, victusque in campis Cibiniensibus, errans, & famelicus tertio die inventus, ac cæsus est. Hujus tamen corpus Albæ Juliæ Michaël sepeliri jussit magnificè; de cujus nece postea habita est Romæ quæstio, cùm jam alter Cardinalis (is erat Georgius Monachus) in his partibus interfectus esset, & ad Cæsarem utriusque nex spectare videretur.

*Cardinales creati Ossatus, & Bellarminus.*

Creati sunt hoc anno Romæ 12. Cardinales inter quos Arnaldus Ossatus, de Franciâ, adeoque totâ Ecclesiâ optimè meritus, dum causam bonam defendit optimè, sine eo fortè periclitaturâ: huic adjunctus Robertus Cardinalis Bellarminus è Societate JESU, vir doctrinæ incomparabilis, à quo editum opus in hæreticos, à viris sapientissimis *Ecclesiæ Armamentarium*, & *Turris David* appellatum; eò dignior sacrâ purpurâ, quò majori curâ, & sollicitudine eâ religiosè defugit.

*Dissolutū matrimonium Sigi. Battorii, & Mariæ Austriæ.*

Dissolutum est hoc anno matrimonium inter Sigismundum Battorium, & Mariam Austriacam, causâ in partibus judicatâ, atque utrique parti factum satis, cùm nec vir conjuge, nec conjux viro satis contenti essent.

*Turcæ & Tartari Christianos inertes expilant.*

Tentata pax inter Turcos & Cæsarem coalescere non potuit, neutris conditiones justas proponentibus, aut admittentibus. Hoc tempore Cicala bellum gerebat in Persas, nec satis rem Turcicam promovebat, ob annonæ penuriam, non in Græciâ modò, sed & in Asiâ. Disjecto consilio pacis, Turcæ, ac Tartari, Christianorum terras diripuere, & innumerabilem captivorum abduxere multitudinem, cum pecoribus & armentis. Harum cladium spectator iners erat Schvvartzemburgius in suis castris, qui tandem permotus de se sermonibus, ac propè conviciis, in palantes hostes, & jam propè saturos prædæ movit, eisque aliquot castra eripuit, minus ut eis noceret, quàm uti suam velaret ignominiam.

*Batavorū Navigatio in Novum Orbem infelix.*

Batavi navigationem suscipiunt in Novum Orbem, quam displicere plurimùm Hispanis norant, classe octuaginta navium. Verùm ea infelix fuit: exscensione enim factâ ad Canariam insulam, & vicinas adjacentes, in eas flamma ferroque sævierunt. At in reditu classis magnâ ex parte tempestate periit, milites & navicularii morbis absumpti, aliquo tempore, ne quid auderent ejuscemodi, popularibus suis injecere desperationem.

*In Belgium redeunt conjuges Albertus, & Isabella.*

Rediere hoc anno in Belgium post celebratas Valentiæ nuptias Albertus & Isabella. Lovanii more antiquo inaugurati, ubi audivere Justum Lipsium Plinii Panegyricum enarrantem, cujus lectionem præsentiâ suâ cohonestavêre, virum magnum, & tantis auditoribus dignissimum.

*Henr. Joyosa Mareschal. mit Capucinorum habitum.*

Hoc anno Henricus Joyosa factus Mareschallus Franciæ, qui alias Capuccinorum vestem exuerat, eandem induit sub aliis signis religiosiùs militaturus. Paulò post conscendens in suggestum auditores suos in admirationem rapuit; sed exemplo potentiùs, quàm verbo perorans; & ignarus licet (vix enim litteras puer degustarat) habitus est orator maximus, quia fieri posse, quæ dicebat, exemplo factisque suadebat.

*Edictum Nannetense promulgatum.*

Hoc anno 5. Kal. Mart. post multas difficultates Regis patienti sapientiâ superatas, obnitentibus Senatu atque Clero Edictum Nannetense promulgatum est, sed eâ cautione, ne id Ecclesiæ fraudi esset, quod sanctè promisit Henricus. Quod cùm ingratissimum accidisset Clementi, Rex hunc ita demulsit, ut tandem fateretur Pontifex Henricum sapientem Patrem esse, plus ei cordi salutem subditorum esse quàm plerique rerum iniqui æstimatores putarent.

*Nuptiæ Henrici & Margaritæ Valesiæ irritantur.*

Actum est tum de matrimonio Henrici IV. cum Margaritâ Valesiâ, quod plerique irritum volebant esse. Re accuratè discussâ pronunciatum est has nuptias nullas esse, Regi concessum aliam uxorem ducere. Ferebatur eum propendere in Gabrielem Estræam ex quâ jam duos filios susceperat, Cæsarem quinquennem, & Alexandrum anniculum; verùm hoc matrimonium Deus avertit, eâ mortuâ ex violentissimis appoplexiæ paroxysmis, vultu in tergum detorto tantâ deformitate, ut hæc dæmoni quàm mulieri similior videretur; unde multa à popello jactata, & credita; Rex certè auditâ ejus morte, post multas lacrymas ad se, Deumque rediit, quem hujus casus, & mortis autorem in Franciæ commodum agnovit, & veneratus est.

*Gabriele Estræa ...tus.*

MUNDI 5653. CHRISTI. 1600.

*In Jubilæo Clementis pietas.*

Celebratum est hoc anno, magno etiam virorum Principum concursu Jubilæum: certè tricies centena hominum millia tum Romam venisse in Clementis VIII. vitâ scribitur. Qui & tum ostendit quantùm posset Rom. Pontificum pietas ad hæreticos ab errore deducendos. Multi enim Lutherani, & Calviniani ex ejus aspectu, modestiâ, pietate ad aram facientis impia Sectariorum dogmata evomuere. Ferunt eum tum frequenter abluisse pauperum pedes, accumbentibus peregrinis ministrasse, accommodasse aurem pœnitentibus; quibus etiam permoti Turcæ ad salutares aquas Baptismi accessere: Illis enim hæc visa sunt opera in tanto Pontifice miraculis omnibus potiora.

*Nuptiæ Mariæ Medicææ cum Henrico.*

Actum hoc anno de nuptiis Henrici Magni cum Mariâ Medicæa filiâ Francisci Ducis Etruriæ, quæ sub tutelâ Ferdinandi patrui servabatur; cui cum eas probasset Pontifex magno est petita ambitu, magno data, triremibus Pontificiis, Melitensibus, & Florentinis; eam deducentibus Massiliam. Lugduni magnificentissimè recepta, Regem expectavit Sabaudico implicitum

tum bello; cui cùm nupsisset, intra novem menses Delphinum dedit, ex æquo nobilis, dives, & fœcunda.

Tum autem in Sabaudiâ gerebatur bellum, quoniam Carolus Emmanuel conditionibus pacis acquiescere noluerat, nec reddere volebat Salutiarum Principatum, fretus sibi promissis auxiliis ab Hispano per Comitem Fontanum Proregem Mediolanensem, qui tandem miserum principem delusit. Rex ergo Henricus per Desdiguerium Sabaudiam occupavit, per Bironium Mareschallum Bressiam, dum otiosus Taurius sederet Emmanuel oppeciens Hispanicas copias, quæ nonnisi utroque perdito Principatu recipere potuisset. Tandem Dux ad se rediit, & satius duxit paratiorem Henrici clementiam implorare, & permutato Principatu Salutiarum cum Bressiâ, à se tempestatem amoliri, cujus erat Hispanus spectator, non auxiliator: Rex ex eâ pace, & permutatione & fructum, & gloriam retulit.

Cùm Rex & Regina Parisios rediisset, aliud concitatum est bellum, sed incruentum, & quod Linguis & Calamis peractum est. Ediderat librum de Missâ, & Eucharistiâ Philippus Mornæus Plessius Marlius, nobilis Normannus, Salmurii præfectus, magni inter Calvinianos nominis, sed ita scripserat, ut hic stylum, Ministelli huic materiam, & dicta Patrum suggererent. Cùm hæc adulterata esse questus esset Jacobus Davisius Perronius Episcopus Ebroicensis, & plusquam 500. loca corrupta se invenisse publicè professus esset, dicam ei Plessius dixit, apud Regem, è quo assignati sex Judices tres Catholici, tres Calviniani, qui de calumniâ, vel veritate statuerent. Dicta ergo die convenere actores coram Rege, Cancellario, atque judicibus, excussisque locis novem, sex ipsis horis, pronunciatum est omnium judicio omnia aut corrupta, aut truncata, aut detorta, ac certamen in diem sequentem rejectum est. Sed noctu ægrotavit Plessius, Parisiosque deferri permissus, insalutato Rege Salmurium fugit, unde ausus effutire quæ victi solent hæretici tam veritatis inanes, quàm modestiæ. Unus ex tribus Heterodoxis judicibus, hæresin ejuravit, idémque fecisset Casaubonus, nisi eum innata superbia prohibuisset; verùm quod non fecerat pater præstitit filius, etiam Capucinorum Ordinem ingressus, ut sibi, atque aliis bonus esset: Rex in fide confirmatus, ejus deinceps laudator fuit, magno emptam hanc Collationem Plessius; cæterique hæretici voluissent.

In Belgio frustra pace tentatâ bellum recrudivit; Mauritius cum classe bis mille octingentorum omnis generis navigiorum venit in Flandriam, ut Ostendæ subveniret. Verùm inter hanc urbem, & Neoportium *Nieuport*, in pontis transitu magnam accepit cladem; Cùmque sapientiores Alberti duces censerent, huic tantùm intercludendum commeatum, ut se fame compulsus dederet, evicit opposita sententia, ut hostis attonitus urgeretur, nec si sui colligendi daretur tempus & copia. Igitur redintegratum certamen, in quo pænè victus Mauritius animum suis indidit ex desperatione, ac grandem illam retulit victoriam Neoportensem dictam; Albertus leviter vulneratus, recedere compulsus est à suis. Nec est victos insequutus Mauritius, ne ad eundem cum Alberto lapidem impingeret; nec multum profecit ex hac victoriâ, obsidionem Neoportensem solvere coactus, restauratæ circa Ostendam munitiones, victi victoresque sperare, & bellare perrexerunt.

In Scotiâ Rex Jacobus in Gaurianâ conspiratione tantùm non periit, ad Perthum oppidum, servatus est quia percussoribus, ipsi animus nequaquam defuit. Advocavit enim domesticos à quibus percussores trucidati sunt, sævitum in eorum cadavera, nihil omissum, ut detestandi parricidii gravitas omnibus innotesceret. *Jacobi Scotiæ Regis periculum.*

Hibernicum quoque perseverabat bellum, & Tiranius Comes Catholicus, fretus Hispaniensibus auxiliis, totam sibi faventem experiebatur Insulam. Ab eo victi Proreges Angli repugnabant magis, quàm aggrediebantur. Neque cæteris meliùs egit Comes Essexius gratiosissimus Elizabethæ; immò accusatus ab invidis conjectus est in turrim Londinensem: unde dimissus, iterumque vocatus in crimen perduellionis, præmii loco tulit à Reginâ amicâ suâ, ne publicè, & tortoris manu tolleretur. Ejus loco missus Baro Montiojus, ut res Anglicas utcumque restituit, sic Hibernicas penitùs non afflixit. *Hibernicum bellum adversus Tiranium.*

In Pannoniâ Christiani ipsi res turbarunt suas. Qui enim erant Pappæ 1200. præsidiarii; Franci & Gallobelgæ, ob rem benè gestam ad Javarinum nobiles, ideòque sibi arrogantes omnia, tumultuati sunt ob dilata stipendia; immò cum Turcis Albæ Regalis egerunt, ut iis urbem proderent, præfecto suo in vincula dato, electisque ducibus nequissimis Finno atque Mothâ. Ab iis Pappa Turcis prodita est, cum civibus Christianis, qui obsistebant socii modestiores trucidati. Schvvarzenburgius statim Pappam obsedit, ut servaret arcem; at rebelles eruptione factâ, desperatorum more pugnantes, & hunc, & multos Germanos interemerunt. Huic quoque suffectus Melchior Roderus paulò post obiit ex morbo; Subrogatus denique Nadastius, fugientes intercepit, plures repugnantes fortiter cecidit, quosdam captos omnibus suppliciis excarnificandos objecit, Pappa multo sanguine Christiano stetit. *Rebellio Pappensium præsidiariorum.*

Interea Turcis magno exercitu per Ibraimum Bassam invadentibus Hungariam oppositus est Dux Mercurius; petitus à Rudolpho, non illibenter ab Henrico concessus, qui eò perrexit cum Henrico fratre Comite Chalignio, & Joanne Tillio fortissimo Belga legato suo, & multis nobilibus, quos Dei vel vana armorum gloria rapiebat. Ejus prima expeditio, & magni nominis recessus fuit ab urbe Canisia, quam obsidebat Ibraimus, & cui propter cœnosas voragines, nunquam afferri auxilium potuit. Verùm periculosus receptus erat, inopiâ jam urgente Chri- *Mercurii ad Canisiam nobilis recessus.*

Christianos; & per vias lutulentissimas. Eum autem sic instituit Mercurius tormentis etiam bellicis subductis, ut apud peritos artis bellicæ æstimatores, glorioso certamini antepositus sit, & coram hoste numerosissimo, nec non equitatu prævalente ita recessisse ingentis victoriæ habitus sit loco. Canisiam autem Paradisius præfectus, citiùs quàm par erat reddidit, ideò capite multatus; Mercurius autem diffluentibus Germanis, pænè solus relictus Viennam rediit, ubi ex morbo fratrem amisit, factus tamen solo nomine Ottomanis terribilis, & ad Turcæ ardentissimas petitiones ex Hungariâ ab Henrico IV. revocandus.

*Motus in Transylvania Christianis fatales.*

Sigismundus Battorius iterum resumpsit hoc anno Transylvaniæ Principatum, invitatus à suis, & Hieremiæ Moldaviæ Despotæ viribus subnixus. Sed à Michaële Waywoda Walachiæ, & Georgio Bastâ Cæsaris nomine affectus est magnâ clade, cum Moyse ciculo, fortissimo duce, sed Ariano. Postea sunt commissi inter se Basta & Michael, hic ut proditor ab illo sublatus, ipse Transylvaniam non tam regendam, quàm expilandam suscepit. Zamoscius ergo Poloniæ Cancellarius hisce turbis immiscuit sese tum quòd Sigismundum affinitate contingeret, tum quia has regiones juris Polonici putabat esse, unde atrocia enata sunt bella, magnoque Turcorum commodo, sese laceravere Christiani.

*Legatio ex Perside in Turcos.*

Venit hoc anno Viennam ab Abaso ex Perside legatio, credita Ant. Sirlejo nobili Anglo, ut Turcus simul ab Occidente, & Oriente impeteretur, quæ tamen plus pompæ, & ostentationis, quàm fructus & utilitatis attulit.

*Clementis petitiones.*

Petebat ab Henrico IV. Clemens VIII. ut admitteretur in Franciâ Concilium Tridentinum, & expulsi Jesuitæ revocarentur, sed obsistebat utrique Senatus magnâ contentione; primum igitur obtinuit Senatus, alterum ut consequeretur jam conceptus in hunc Ordinem Regis amor, & detecta sanctorum hominum à solertissimo Principe innocentia prohibuit.

*Controversia de Sebastiano Lusitano redivivo.*

Denique hoc anno contigit celebris illa de Sebastiano Lusitaniæ Rege redivivo controversia, qui jam anno 1598. exeunte Venetias accesserat eodem vultu, ætate, staturâ, sermone cum eo, jurabantque eum ipsum esse qui aderant Venetiis Lusitani. Cùm Senatui hæreret aqua, dimissus est; dumque pergit in Lusitaniam, ubi jam aliquid turbarum, in Etruriâ à Duce Ferdinando captus, Hispanis traditus est, & Neapolin perductus, hic contumeliosè traductus est, inde missus in Hispaniam, ubi finem vitæ atque Tragœdiæ imposuit. Hunc quidam Calabrum fuisse volunt, à Lusitanis excitatum, quod alii negant ob mitius ab Hispanis de eo sumptum supplicium, illiusmodi reis nequaquam parcere solitis, & tam levem mulctam, certum proferunt ejus innocentiæ testimonium.

# LIBER XVII.

## *Ab anno CHRISTI 1600. ad 1663.*

### CAP. I.

### *Decas Prima.*

*Ab anno Christi 1600. ad 1610.*

MUNDI 5654. — CHRISTI. 1601.

*Canonizatio S. Raymundi Pennafortii.*



Clemens VIII. hoc anno F. Raymundum Pennafortium Catalanum Dominicanum Sanctorum festis adscripsit, ejusque festum diem 7. Idus Janu. designavit. Sedavit & turbas aliquas exortas in Angliâ inter Religiosos & Sæculares Sacerdotes ex occasione Archipresbyteri plus juris quàm par esset sibi arrogantis; adeo etiam suas est superbiæ pænè inter martyres locus.

*Obsidetur Ostenda.*

In Belgio ab Alberto Archiduce obsessa Ostenda urbs munitissima in Flandrico littore, quæ etiam aliquot annis restitit; quia obsessis claudi mare non potuit, per quod semper commeatus,, novumque militem recepit, emissis vulneratis, ac defessis. Itaque Belgicis Ordinibus non est erepta Ostenda, sed Ostendæ locus.

*Mercurii in Turcas gesta.*

In Hungariâ Ferdinandus Archidux cum ingenti exercitu Canisiam anno superiori amissam duobus mensibus obsedit, unde pluviis probè elutus, & frigore torpescens abscessit, relictis cum magno dedecore tormentis bellicis, impedimentis, atque vulneratis. Felicior ibidem Mercurius fuit: nam & Albam Regalem cepit, & accedentem ad eam recuperandam Turcam non semel profligavit, ab hac parte Mahumetanorum terror, & Christiani nominis gloriâ.

*Carolus Suecus repressus.*

Carolus Suecus Sigismundi Poloni patruus Livoniam Tyrannidi suæ voluit adjungere: verùm à Polonis fortiter rejectus, etiam & Carolum filium Nothum perdidit, in occupando regno, quam dilatando fortunatior.

Joannes

Joannes Aquilanus cum Hispanicâ classe descendit in Hiberniam, ut Comiti Tirænia, atque Catholicis ferret opem; sed Hibernis parum auxilii conferentibus, sæpè victus, se dedere compulsus, remissus est in patriam. Tirænius quoque pacem inire cum Elizabethâ coactus est, obtentâ præteritorum veniâ, & tandiu repugnavit, quandiu prudenter potuit. Nec felicior fuit Algeriana tum expeditio Hispanorum: missus enim in Africam cum 70. triremibus 10. Andreas Docia Algerium vidit, & abiit, quasi urbem tantùm salutaturus advenisset.

Eo denique anno nata est Philippo III. 10. Kal. Octob. festo die S. Mauritii Anna Maria Mauritia, & quinto post die festo SS. Cosmæ & Damiani 4. Kal. ejusdem mensis Ludovicus Delphinus postea XIII. cui recens nato Pater Henricus IV. gladii capulum inseruit dextræ, precatus, ut eo ad Dei gloriam, & Ecclesiæ utilitatem uteretur; quæ vox non optantis, sed vaticinantis fuit.

MUNDI 5655. CHRISTI. 1602.

Clemens Pontifex damnavit opinionem quorundam Theologorum, qui putabant pœnitentem absentem per litteras peccata sua confessum absolvi posse: tum quòd absolutionis verba præsentiam denotent; tum quòd hoc tempore pœnitentis status sit incertus absolventi. Sed major excitata est controversia, & difficilior de Auxiliis divinæ gratiæ inter Dominicanos, atque Jesuitas, magnis utrimque studiis agitata, cùm illi Molinæ opinionem ut hæreticam damnare vellent, in Tribunalibus Inquisitionis: cui præsunt; hi Catholicam esse defenderent. Selecti ergo viri magni qui coram Pontifice, ac Cardinalibus; aliisque judicibus disceptarent, sed ardore tanto & labore, ut ex iis nonnulli interierint. Verùm hæc pugna neque unius anni, neque sub eodem Pontifice, nec ab iisdem pugilibus fuit, quâ nulla est unquam majoribus studiis impugnata, atque defensa, Ordinibus magnis venientibus in partes.

Dum obsideretur ab Hispanis Ostenda, Mauritius Graviam ad Mosam oppidum permunitum duobus mensibus oppugnavit, ac cepit, ut Ostendæ jacturam præveniret.

Mercurius magnâ gratulatione à Rudolpho Cæsare susceptus est Pragæ, ob bellum ex æquò fortiter, atque feliciter confectum, dum redire parat in Galliam, ut hic conficeret equitatum, ad domandos Turcos idoneum, quorum jam artem bellandi penitùs inspexerat, Norimbergæ acutâ febre correptus interiit, non sine suspicione veneni, sibi ex invidiâ propinati. Auditâ ejus morte Ottomani Albam Regalem receperunt, Christiani vice versâ tentarunt Budam; sed huic oppositum Pesthum duntaxat obtinuerunt, cum ingenti prædâ Germanorum, majori gloriâ Caroli Gonzagæ Ducis Nivernensis, qui hic fortiter depugnans illustri plagâ vulneratus est.

Pacem publicam Franciæ turbavit domesticus tumultus excitatus à Mareschallis Carolo Gontaldo Bironis, & Henrico Turrio Turenæ, ac Bullionii dynastâ, viris inquietioris ingenii, & pacis tempus exosis. Bironium Jacobus Lafinius Æduus tentarat ab Hispaniæ Rege, promissâ filiâ, & iis quæ polliceri solent, qui proditores labefactare volunt, horum sequestro Comite Fontano. Cùm autem hæc conspiratio detecta esset, nec eam sæpè monitus Bironius Principi suo fateri voluisset, aliunde sibi & filio si quid ei contingeret humanitus reformidanti ab homine forti juxta (& ambitioso) damnato amputatum est caput prid. Kal. Aug. à tortore Burgundo, sicut huic à fatidico quodam prænunciatum fuerat. Ita vir sui temporis bellicosissimus, & alias utilissimus Henrico, caput, quod ut Pater tormento bellico debebat, servi publici manu ignominiosè perdidit. Bullionius Calvinianus, & callidior periculum vitavit, & Genevam primò, deinde Heildelbergam ad Palatinum confugit, ubi Protestantium operâ, anno 1606. Henrico reconciliatus est. Carolus quoque Valesius Caroli IX. nothus, ejusdem conspirationis reus conjectus est in custodiam; moxque dimissus, non quòd innocens, sed quòd Principem bonũ offenderat: qui post biennium alterius conjurationis postulatus, in Bastiliâ annis 12. detentus, carcerem suum mutavit in Scholam, ex quâ exiit & doctior, & sapientior. *Conspiratio Bullionii, Bironii, & Caroli Valesii.*

Henricus IV. societatem cum Helvetiis amicissimè renovavit, quos promissis oneravit, sed multò magis vino, eorum convivium dignatus præsentiâ suâ, & in capite mensæ perbibens bonis compatribus suis, quos eo facto sibi magis, quàm auro devinxit. Tum quoque Edictum in duella promulgavit, quibus intra paucos menses quatuor virorum nobilium millia cæsi esse ferebantur: sed ut erat generosus & fortis, cùm laudaret admittentes duellum, nihili faceret, aut irrideret recusantes, manu dextrâ quod sinistrâ statuerat improvidè diruebat. *Pax cum Helvetiis.* *Duella malè repressa.*

MUNDI 5656. CHRISTI. 1603.

Ad finem anni hujus Mahometes III. anno ætatis undequadragesimo, Imperii nono, mortuus est Constantinopoli, cùm priùs uxorem aquis, filium primogenitum laqueo suffocasset, sicq; animam duplici inquinatam parricidio dæmonibus evomuit. Paulò antequam interiret Scribani Bassæ Asiatici rebellionem extinxerat, & Janizarorum tumultum in ministros Principis, quibus omnia perperam facta tribuebant. Aliquot eorum sanguine extinctæ sunt illæ turbæ, quæ semper apud Turcas laqueo, & morte sedantur. *Mahometis III. obitus.*

Successit patri Achmetes annum ætatis 14. ingressus; cujus tamen frater minor occisus non est ex Turcicâ consuetudine; sed in carcerem datus, donec frater filium genuisset. Tertium quoque huic fratrem fuisse ajunt Jucajam dictum, qui ex matre Christianâ natus, factus & ipse Christianus diu per Asiam, & Europam vagatus est, ut sibi copias conficeret, & solio deturbaret Achmetem, tam vano conatu; quàm vani erant, & incerti ejus natales. *Achmetes ei succedit.*

Mortua

*Maria & Elizabetha moriuntur.* Mortua est hoc anno Madriti Maria Imperatoris Caroli V. filia, Philippi II. soror, Maximiliani II. conjux, & mater Rudolphi II. ac Matthiæ, anno ætatis 75. meritis tamen, quàm annis gravior. Huic ætate prope par, sed dissimilis vitâ, obiit Elizabetha prid. Non. April. ex mærore: quod se à suis despectam videret, alioquin annis satura, & sanguine Anglorum Sacerdotum, quibus aditum in Angliam frustra prohibere conata erat.

*Elizabethæ succedit Iacobus.* Successit Elizabethæ Jacobus ejus nominis Scotiæ Rex VI. Angliæ primus, qui se dixit eruditè Regem Majoris Britanniæ, cùm hâc insulâ, quæ prius Albion, deinde Britannia Major dicta est, duo regna Angliæ, & Scotiæ contineantur. Ingressus Angliam detexit magnam conjurationem Anglorum procerum in caput suum, & Arbelam sanguine regio natam, jam Reginam designatam. Verùm hæc extincta est multorum sanguine, quorumdam carcere, ac bonorum jacturâ. Quo etiam tempore in his regnis exorta lues atrox subditorum de novo sibi Rege dato, atque servato, lætitiam temperavit.

*Christianorum Hungarica & Transylvanica.* Christiani in Hungaria Turcos grandi clade prostravere, cujus fructus fuit Hathuanum oppidum receptum, illis peropportunum. Transylvania magnis motibus exagitata, cùm eam Moses Ciculus Arianus, copiis Turcicis munitus, occupasset. Victus est tamen à Georgio Basta, Rudolphi Cæsaris nomine eam administrante. Verùm cùm idem Moses reparasset exercitum, multosque sibi proceres adjunxisset, iterum victus ab eodem Bastâ, & Radulpho Wayvodâ Walachiæ, cum magnâ parte Transylvanæ nobilitatis interiit, sicque magno nudatam præsidio Turcis fautoribus suis diripiendam regionem objecit.

*Res Cherifforum in Africa.* Obiit hoc anno Hametes Cherifus Marochi, & Fessæ Rex, cum annos totos 25. à prælio Alcazariensi regnasset; subinde tamen turbatus à filiis Abdelmelechi. Successit ei secundogenitus Busserius, delectus à patre, non tamen sine vi: qui tamen superior factus, fratrem suum Xequum, cui pater thesauros reliquerat, Fessæ regnare indulsit: melior frater, quàm gentis hujus genius postulabat.

MUNDI 5657. CHRISTI 1604.

*Iesuitas revocat Hen. IV.* Hoc anno Henricus Magnus Petrum Cotonum Jesuitam sibi à Confessionibus, & concionibus accivit, quem filii sui instar dilexit, ut patrem coluit, multis licet contra nitentibus. Nec ita multò pòst Societatem JESU, quam (uti sæpè professus est coram testibus omni exceptione majoribus) impulsus calumniis hæreticorum, & impiorum, ejecerat ex Francia, postliminio recepit, & pectore, eamque sic deinceps amavit, tantis cumulavit beneficiis, ut tam inexpectatam, tanti Principis benevolentiam, & gratiam, non uno tantùm exilio sibi redimendam putarent. Hinc autem hoc anno non tantùm in 14. urbibus Franciæ restituit, sed & in Palatio suo, atque cunabulis Flexiæ collocavit, ubi Collegium sic dotavit, sic rebus omnibus instruxit, ut nullum statutum sit in hoc Regno magnificentius, & quod conditoris sui pietatem cum munificentiâ conjunctam nobiliùs eloquatur. *Flexiense Collegium statuit.*

*Slusa capta, Ostenda redditur.* Mauritius in Belgio dum fingit ferre suppetias Ostendæ, quam premebat graviter, omni arte bellicâ Ambrosius Spinola Genuensis, dux sui temporis peritissimus belli, Slusas vicinum oppidum cepit, ut Ostendæ jacturam sarciret. Dedita ergo Ostenda xi. Kal. Octobr. cum totos 39. menses tenuisset obsidio, nec jam urbs videretur, sed urbis cadaver; sine domibus, ac prope sine solo. In eâ obsidione 150. hominum millia periisse, uno mense quinquaginta millia globorum ex majoribus tormentis explosa fuisse perhibentur; tanta fuit Belgarum in unius oppidi propugnatione, atque oppugnatione pertinacia.

*Pax inter Anglos & Hispanos.* Pax inter Anglos, & Hispanos hoc anno coaluit, & restitutum commercium, ab utraque gente diu, & ardenter concupitum. Ne tamen Catholici aliquid exinde sperarent, emissi omnes carceribus Sacerdotes, & redire volentibus, & audentibus pœna gravior constituta, atque denunciata. Ab iis autem liberi Anglo-Calviniani, & Puritani, seu Rigidi Calviniani, inter se depugnarunt, uti solent lupi cùm canes abegâre.

*Turcarum gesta in Hungaria.* Turcæ receperunt hoc anno Pesthum, atque Hathuanum, non suâ fortitudine, sed panico Christianorum metu. Strigonium cùm iidem obsedissent Turcæ, repulsi sunt turpiter, tantùm quia statim urbs dedita non est; sed acriter defensa, conceptam de eâ facilè occupandâ spem elisit.

*Transylvanicæ res.* Turbatior fuit Transylvania, quia Stephanus Bostkajus Hungarus cognatus Sigismundi Battorii; Zwinglianus, aut Calvinianus, Gabrielem Betlehemum, ex clade Mosaicâ superstitem sibi adjunxit, ut conjunctis armis Bastæ, & Cæsarianis obsisterent. Quare hoc anno proscriptus licet à Cæsare magnam hujus regionis partem occupavit, quàm sperabat quoque suo tempore Betlehemus.

*Ossati Cardinalis, Perronius & Marzatus Cardinales.* Obiit hoc anno Arnaldus Ossatus Cardinalis, magnæ in Regem Henricum fidei, & eximiæ prudentiæ, quam Itali quoque suspexerunt. Nec ita multò pòst electus est à Clemente item Cardinalis Jacobus Davisius Perronius Episcopus Ebroicensis, vir eruditionis maximæ, multarumque adversùs hæreticos, palmarum; cui adjunctus est Socius Anselmus Marzatus eximius Theologus, & concionator, qui primus cilicium Capucinorum mutavit in purpuram.

MUNDI 5658. CHRISTI. 1605.

*Clementi VIII. obeunti succedunt Leo XI. & Paulus V.* Clemens VIII. Pontifex annos natus undeseptuaginta cum annis 13. & diebus 30. Ecclesiam sanctissimè gubernasset, 5. Non. Martias, Sanctorum morte, qui eorum vixerat more, pientissimè obiit. Suffectus ei Kal. Aprilis Alexander Medicæus dictus Leo XI. appellandus tamen X. diebus tantùm 27. ostensus est Ecclesiæ; in cujus locum 17. Kal. Jun. electus Camillus Burghesius, nuncupatus Paulus V. vir egregiis moribus, & quo meliorem optare tum Roma non potuit.

Bost-

Bostkajus fractus licet aliquot infaustis præliis; ope tamen Turcorum emersit, & Comitiis celebratis Princeps dictus est; in Transylvaniâ tres tantùm religiones toleratæ, Catholica, Lutherana, Zvingliana. Regem quoque eum dixit Ottomanus coronâ missâ, quæ Ladislai Hungariæ Regis fuisse ferebatur, ut quoties Rex diceretur ( nisi ingratus audire vellet ) Turcorum meminisset.

Turcæ in Hungariâ Strigonium occupant 35. dierum obsidione, Germanorum ignaviâ, quibus Dampetra Comes, urbes Præfectus animos reddere non potuit ipse generosissimus. Sævitum in deditionis authores, qui si à duce cæsi essent, melius esset his, illi, imperioque consultum. Minùs felices in Asiâ iidem Turci extitere; victi sunt enim iterato certamine Cicala, & Bassa Trapezuntinus, à Rege Persarum. Adenum quoque Emporium in Erythræo mari iis ereptum est, quondam à Solymano occupatum. Legatione quoque Persicâ Cæsar est admonitus ne pacem iniret cum Turcâ, quem victum, ac probe subactum in Asiâ, ab Europæis facilè debellandum Rex Persarum pollicebatur.

Carolus Suecus Rigam Livoniæ urbem obsedit; unde repulsus à Polonis licet inferioribus numero, eos non esse facilè tentandos didicit, seque ad fraudes pacis, quàm ad belli munia esse aptiorem.

Demetrius sive verus, sive fictitius ex monacho miles, dictus proprio nomine Griska, sive Gregorius Strepius, adjutus à Polonis Russiam sibi subdidit, mortuo Borisio, qui in expeditione ex apoplexiâ perierat. Uxorem duxit filiam Palatini Sandomiriensis, cujus consilio res suas promovit ad solium, sicque partem ejus filiam in societatem Imperii venire voluit, tam gratus, quàm fortis & generosus.

Parisiis dejecta est Regis jussu infamis illa pyramis excitata in areâ domus Petri Castelli perduellis, non tam ad percussoris, quàm ad Jesuitarum innocentium ignominiam: quod optimi atque sapientissimi Regis judicium Senatusconsultis omnibus prævaluit, & publicum fuit eorum innocentiæ testimonium omni ære perennius & marmore, quod tum conflatum est, atque ita confractum, ut in eo nulla littera legeretur.

Hoc anno Londini Robertus Catesbius, & Thomas Percius Angli nobiles, cum pluribus aliis ferè Catholicis, Regem Jacobum, & plerosque Angliæ proceres tormentario pulvere extulissent, atque discerpsissent, nisi patefactis mirabiliter eorum consiliis, Deus ostendisset, veram synceramque fidem nō augeri Hæreticorum sanguine, sed Catholicorum. Captus inter cæteros Henricus Garnetus è Societate JESU Sacerdos septuagenarius proditorum supplicio sublatus est, & fassus, se hanc conjurationem in sacramento pœnitentiæ novisse, sed dissuasisse. Ejus sanguinis gutta in spicam tritici decidens ejus veram effigiem cum coronâ & cruce depinxit; quare à plerisque cultus pro martyre, quem tanto miraculo Deus ipse depinxisset.

*R.P. Brietii Annales.*

Solis Ecclipsin horâ primâ circiter pomeridianâ tantam vidi puer quinquennis Abbavillæ, ut dies in noctem conversus esse videretur 6. Non. Octobr. cunctis attonitis novitate rei, cujus rei, utpotè quæ tum me plurimùm affecit, memoriter memini. *Solis Ecclipsis magna.*

Obiit denique hoc anno Theodorus Beza Genevensis Calypha, jam à duobus annis sine mente, sine memoriâ, natus annos octuaginta sex & ampliùs, sed adhuc criminibus, quàm annis gravior. *Mors Theodori Bezæ.*

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5659. | 1606. |

Gambolatus Alepi Bassa contra Achmetem rebellavit, & Cicalam Orienti Præfectum vicit Tripoli, & Damasco urbibus captis. Itaque se Syriæ Sultanum dixit; initoque cum Persis fœdere Ægyptum quoque conatus est adjungere Syriæ. Sed tandem à Turcis profligatus, & desertus à suis, veniam ab Achmete petere coactus est; quam obtinuit eâ lege, ut adversùs Persas militaret, & hostes haberet, quos socios elegisset. *Gambolatus Bassa rebellis subactus.*

Paulus V. controversiam de Auxiliis, hoc anno quiescere voluit, cùm Cardinalis Perronius, vir omni exceptione major, eum admonuisset Dominicanorum sententiam Heterodoxis placere magis, & ab eorum erroribus minus alienam ostendisset, quàm opinionem Jesuitarum. Itaque utrique parti silentium indictum, permissum utrique tueri sententiam suam, vetitum alterutram Hæreseos insimulare, quo judicio lis adjudicata est Jesuitis. Inhibitæ insuper de hac materiâ scriptiones, & libri; sed eas prohibitiones Jansenìani magno Ecclesiæ damno violavêre, atque ut confutari possent, Catholicos ut idem facerent, prope nolentes coëgere. *Controversia de auxiliis terminat.*

Pontificem inter & Remp. Venetam gravior est exorta lis, ob quædam jura, quæ sua ajebat esse Paulus, negabat Senatus; eoque res processit, ut universus Status Venetus subjiceretur interdicto. At impediit Senatus ne id ex juris formulâ innotesceret: quod tamen rescire cùm viri aliqui religiosi, misso Romam nuncio, voluissent, recessere Venetiis & turbas in hanc Urbem invexere. His autem cum præluxissent Jesuitæ, editum est Senatusconsultum atrox, ne unquam de iis revocandis agere fas esset. Ita viri alioqui prudentes nunquam peccaverunt imprudentiùs, nunquam imprudentia severiùs ab illa Republica, & pœnâ diuturniori castigata est. *Controversia inter Paulum V. & Venetos.* *Ejecti Venetiis Iesuitæ.*

Turbatæ sunt hoc anno, Anglia, & Scotia; hæc quòd ritus Anglici in illa inducerentur, authoritas esset adempta ministris, quorum aliqui frendentes compacti erant in carcerem, inter eos seditiosissimus Nelvinus in turrim Londinensem, ut hîc rabiem suam, furoremque concoqueret: illa autem excogitato novo juramenti genere quod ab omnibus Anglis Catholicis exigeretur. Cùm id emitti posse viri quidam docti crederent, negavit semel, & iterum Paulus Pontifex, & eâ de re litteras uberiores Bellarminus dedit, quæ sunt contrariis litteris, à Ja- *Turbæ Anglicæ, & Scotiæ de Relig.*

cobo ipso Rege confutatæ, & hæ iterum à Bellarmino: quæ omnia nec unius anni, nec unius aut alterius hominis opera fuerunt.

*Demetrius Rex Moschoviæ cæsus.* Hoc anno Demetrius, quòd Germanis potiùs, & Polonis quàm suis Moschis confideret, à suis cæsus est 16. Kal. Junias, cadaver ejus per vias lutulentas raptatum, sine sepulturâ projectum est. Poloni quoque qui huic sponsam adduxerant trucidati, eorumque suppellex direpta. Quæsita tum huic cædi πρόφασις, quòd Pontifici Romano adhæreret, quòd Jesuitas amaret, quòd ritum Græcum exterminare cogitaret. Ejus loco creatus est conjurationis Princeps, Theodorus Sueskius, origine Bojarius, qui se Basilium Joannidem dixit. *Succedit ei Basilius Joannides.* Finxere tamen Moschi quidam Demetrium non esse cæsum, sed profugisse in Hungariam, altero in ejus locum substituto, unde bellorum materies seditosis, fabulatorum impostoribus suffecta fuit.

*Sigismundus Polonus hæreticos retundit.* In Poloniâ quoque in Sigismundum Regem, ab hæreticis facta conspiratio, paratis eum exautorare, nisi quibusdam articulis subscriberet. Sed Rex fortis in eos sine calamo, sed cum armis irruit, & fugavit perduelles; quos tamen cùm benignè tractasset, eos hac facilitate revocavit ad officium suum, sapienter tamen priùs vi depressos, ut hæc gratia sponte data, non extorta videretur.

*Bostkajo mortuo succedit Sigism. Ragotzius.* Bostkajus qui Transylvaniam, Valachiam, & Moldaviam occuparat, morbis conflictatus, videns res Ottomanorum turbatas, pacem cum Rudolpho iniit, à quo & accepit partem ei relictam à Battorio. Ejusdem quoque Bostkai operâ induciæ vicennales Achmetem inter, & Rudolphum initæ sunt; quibus juratis obiit ille anno exeunte. Huic autem Transylvani successorem elegere Sigismundum Ragotzium Calvinianum, à quo dignitas hæc quæsita non est, sed tantùm recepta. Approbarunt silentio suo hanc electionem Austriaci, qui potuerant impedire, cùm Bostkajus ἄπαις mortuus esset, verùm quia dignus erat Principatu Ragotzius, huic relinquere, quàm disceptare maluerunt.

*Ambrosius Spinola magnus Imperator.* Ambrosius Spinola in Belgio Grollam & Rhinbergam obsidione cepit, Mauritio huic cedente, cui par militari scientiâ non erat: & verò castra Spinolæ erant veræ militiæ schola, in quibus impunè titubaret nemo: quare hunc imitari conatus est Mauritius, nec eum puduit hostem habere doctorem; ejus secutus exemplum factus est Mauritius idea vigilantissimi, atque experientissimi Imperatoris.

*Justus Lipsius moritur.* Eodem anno Lovanii Martio exeunte mortuus est magnum litterarum, reique Christianæ decus Justus Lipsius, cui tum Europa paucos similes pietate, eruditione vidit neminem.

MUNDI CHRISTI.
5660. 1607.

*Lis Veneta extinguitur etiam non admissis Iesuitis.* Lis Veneta magni momenti, & quæ vergebat in schisma, Anglicano geminum, hoc anno ab Henrico IV. composita est, per Cardinales Joyosam, & Perronium. Quamquam autem peteret Joyosa, & urgeret Pontifex, ut Jesuitæ restituerentur, id tamen nunquam impetrari potuit, Venetis paratis ejurare potiùs Pontificem, & omne cum eo fœdus, quàm eos admittere. Itaque Paulus generosus ille Præsul, & flecti nescius, constantiæ suæ oblivisci, & Religiosos viros, qui in ejus authoritate defendendâ peccaverant, deserere compulsus est; minori tamen expulsorum, quàm Papæ id tolerare coacti dedecore.

*Carolus Suecus Rex denunciatur.* Poloni hæretici iterum & tertio rebellantes in Regem semper eum invictum, mitemque senserunt. Carolus autem Suecus contra nepotem suum electus, & jam inauguratus, huic etiam eripere Livoniam voluit; certè eam fœde vastavit, jam minùs timendus, quia denunciatus hostis, neque par fortitudine Sigismundo.

*Donavertam Bavarus occupat.* In Germaniâ Vertia seu Donaverta civitas Imperialis ad Danubium, nidus hæreticorum, proscripta à Cæsare ob Abbatem S. Crucis cum sodalibus suis malè ab iis acceptum in supplicatione S. Marci. Hanc autem occupavit Maximilianus Bavarus, quia juris Bavarici olim fuisse dicebatur. Tunc quia hæresi stimulante egit quod non debuit, quod noluit passa est cum jacturâ libertatis.

*Iacta pacis Belgicæ fundamenta.* In Belgio jacta sunt fundamenta pacis inter Albertum, & Belgicos ordines, quando ille passus est, ut cum his, tanquam cum liberâ Rep. ageretur, factis induciis in menses octo quibus mirum est quàm oblectati sint heterodoxi, eorumque fautores.

*Mors Cardin. Baronii.* Denique mortuus est hoc anno ætatis sexagesimo nono Cæsar Cardinalis Baronius, quem Centuriatorum maledicentiæ & fraudibus Deus objecit, unum quatuor gladiatoribus parem. Fuit is eruditionis magnæ, sed sanctimoniæ excellentioris, & qui eodem ardore à se Summum Pontificatum depulit, quo sæpe numero, à quibusdam prensatus est.

MUNDI CHRISTI.
5661. 1608.

*Legatio ... Card. Nivern.* Carolus Gonzaga Dux Nivernensis Legationem obiit Romæ magnificentissimam, nomine Henrici IV. eò gratiorem, quò fuerat expectata magis.

*Ordo S. Mariæ de Monte Carmelo.* Creatus est hoc anno, aut veriùs reparatus Ordo. S. Mariæ de Monte Carmelo, adnitente Henrico IV. Eum instaurare conatus erat Aimarus Castus nobilis Hierosolymitanus Eques, sed ejus conatus mors interciderat; primus igitur Magister ejus tum creatus est Philibertus Nerestangus, vir fortissimus, & scientissimus belli, cui adjunctus quoque Ordo Lazarinus in Galliâ. Hi equites centum debent esse, uxores ducere possunt, eorumque ornatus illustris est & pius, quique semper eos admoneat de B. Virginis cultu & patrocinio.

*Batavi in India potentes.* Pax inter Hispanos, & Batavos coalescere non potuit, quod illi hos arcere volebant ab Indiis quò tamen isti maximè spectabant. Et verò hoc anno recepere Legatos à Rege Sionis seu Siami potentissimo, qui bellatorum 300. millia educebat, ac bis mille Elephantos, & cui 5. aut sex parebant Reges. Hæc Legatio quid in Indiâ possent ostendit; utinam cum Ecclesiæ minori incommodo.

Venis-

Venissent ad arma Rudolphus Cæsar, & Matthias Archidux ejus frater, collectis jam utrimque copiis, nisi ille pacis amantior fuisset, & acquievisset Legato Pontificis. Matthias ut flecti difficilior, plus obtinuit; Rudolpho sua facilitas, & ad pacem propensio nocuit.

Transylvania hoc anno cessit Gabrieli Battorio, Ragotzio eam cedente, quem tot turbatum; laborum, ac periculorum tædebat. Gabriel autem, neglecto Cæsare confugit ad Turcos, quos potentiores agnoverat; & piè licet educatus, atque Catholicè, defecit ad hæresin, plusque apud eum potuit recens Calvinianorum convictus, quàm patrui sui vetus institutio.

MUNDI 5662. CHRISTI 1609.

Missi anno præcedente Patres Societatis JESU Constantinopolin, hoc anno stabilem sedem Peræ, seu Galatæ, Collegiumque receperunt à Turcis, quia sic flagitarat Henricus Magnus, cujus victoriæ & potentia tantum Ottomanis etiam intenta bant metum, ut huic nihil denegandum putarent.

In Persidem quoque Fides translata est adnitente Rege Abassio, vulgò *Scha Abas*, qui id Pontifici per litteras significavit. Debebatur is fructus Goënsi Archiepiscopo Alexio Menesio Augustiniano, cum Ordinis ejusdem viris egregiis, quibus & se Carmelitæ Discalceati conjunxere, à Rege tam bene habiti, ut Pontifex huic gratias habendas esse judicaret.

Rex Poloniæ Sigismundus rem in Livoniâ per Legatos suos; ipse in Moschos bene gessit. Et Sueci antea victi sæpè, tum etiam profligati sunt, dumque Rigam obsident, turpiter abire compulsi, de vitâ suâ, quàm de victoriâ sollicitiores. Sigismundus autem sapienter usus civili bello Moschorum, quo Demetrius Suiskium deturbare conabatur, cùm ille ab hoc victus esset, confugit ad Polonum, qui ei auxiliaturus Smolenskum quondam Polonici juris obsedit. Huic suppetias tulit Suiskius, Polonosque vexavit, sed quantùm vires, furorque sinebant.

Socord à Rudolphi bellum civile in Germaniâ ortum est. Protestantes enim in Cæsarem & Catholicos moverunt, seque *Correspondentes* dixerunt, quorum Dux erat Palatinus, Vicarius Anhaltinus. Aliunde Catholici inter se inierunt fœdus, quod *Ligam Catholicam* dixere, cui facile fuit reperire ducem.

Dux Juliacensis, Clivensis, Bergensis Joan: Guillelmus moriens ætatis anno 47. duos reliquit hæredes, Marchionem Brandeburgicum Lutheranum, & Ducem Neoburgensem Catholicum; unde Hæretici, & Catholici Principes venerunt in partes; nec qui hanc controversiam dirimere debuerat Rudolphus, huic sedandæ par erat: quo cunctante, & æquitate dubiâ, omnia ad vim & arma spectarunt.

Hoc pariter anno diem clausit extremum Magnus Etruriæ Dux Ferdinandus, & reliquit hæredem Cosmum II. annorum undeviginti, vel ipso nomine, ne ab avitâ gloriâ degeneraret, invitatû.

Mortuus quoque 12. Kal. Febr. ætatis anno 68. Lugduni Batavorum, quò splendidè vocatus erat post Justi Lipsii discessum Josephus Scaliger: obiit autem uti vixerat Calvinianus, vir sanè doctus, sed superbissimus, quod vitium nunquam ab hæresi disjungitur. *Mors Josephi Scaligeri.*

Ibidem etiam extinctus est Arminius Theologiæ Calvinianæ Professor, creditus Socinianus, cui hostis antea fuerat in eâdem Scholâ Franciscus Gomarus Brugensis, & qui eum excepit Vorstius, unde nati Arminiani molles Calvinani, & Gomariani rigidi. Eorum præcipua controversia fuit de prædestinatione, & reprobatione; quibus se immiscuit Theodorus Cornartius, Ordinum Secretarius, qui peccatum Originale negabat, & de suo quoque nomine sectam effecit. Inter eos non tantùm linguâ, & stylo, sed & armis certatum est, in quibus se paratus semper ostendêre Calviniani. *Arminius, Gomarus, Cornartius.*

MUNDI 5663. CHRISTI. 1610.

Abassus Persarum Rex hoc anno adversus Turcos expeditionem suscepit, eisque Babyloniam provinciam eripuit, cæsis eorum 20. millibus; paratus ultra progredi, si Christiani voluissent, qui tum minus Christi commoda, quàm sua curaverunt. *Persa Turcos vincit.*

Hic annus non Franciæ modò, sed & Ecclesiæ, ac bonis omnibus funestissimus extitit. Cùm enim Henricus Magnus pararet exercitum, toti Europæ adeoque Asiæ metuendum, inter plausus, & magnificentiam coronandæ Reginæ dum lustrat urbem, ab amente sicario vili ludimagistro Francisco Ravalliaco Inculismensi bis in corde percussus repentè interiit prid. Idus Majas, annos natus 57. regni sui 21. Sic periit Henricus IV. verè, & sine adulatione Magnus, Gallicæ gentis deliciæ, & Orbis amor, aut timor, qui sibi hæreditate debitum regnum armis pepererat, ut duplici jure Rex Franciæ diceretur. Ex acerbissimis percussorem quæstionibus nihil extortum, nisi hunc insaniisse; in eum nihilominus resinâ, plumbo, sulphure, forficibus candentibus, equisque decussatis sævitum, & tamen nondum satis atrociter. Obtulerunt etiam se ad eum vivum excoriandum, sic ut ei vita ad reliqua tormenta subeunda superesset, Lanii Parisienses; sed laudatus est eorum in Principem amor, pœna rejecta, quæ Barbaros saperet. Cor Regis, sicuti jusserat, Flexiam delatum est, & Patribus Societatis concreditum, quod mœstissimi suscepere, non tantùm uti Principis sui, sed & parentis optimi, à quo tot bona tantâ amoris significatione susceperant, ut iis sperare majora non auderent. *Henricus IV. Caeditur à Ravalliaco.*

Statim parenti suo successit Ludovicus XIII. qui debet esse XVI. sub tutelâ matris Mariæ Medicææ, post aliquot menses inauguratus Rhemis; qui statim dictus est Justus, editis ab adolescente magnæ æquitatis exemplis. Illicò sub ejus regno cœpti exagitari Jesuitæ, quos texerat Henrici Magni favor; addictusque flammis Jo. Mariani liber, de Rege, & Regis institutione; interdictus Roberti Cardinalis Bellarmini tra- *Lud. XIII. Patri succedit.* *Exagitantur Jesuitæ.*

ctatus de potestate Ro. Pontificis, sed impedita edicti promulgatio, &de emisso edicto Romæ se Regina purgavit Damnata deinceps & aliqua scripta ut Becani, Eudæmonis Joannis Santarelli, quæ nunquam scripta esse prudens Societas exoptavit, cautumque deinceps, ne quis in hos lapides impingeret. Ludovicus tamen edicto suo Patrum innocentiæ prospexit, neque passus est in æquitatis regno calumnias, & invidiam adversus veritatem atque scientiam prævalere.

*Mauri ejecti ex Hispania.*

Turbata est eodem tempore Hispania, sed tumultu Ecclesiæ utiliori. Mauri enim omnes indidem facessere jussi, qui sollicitare Turcas, & Mauros Africæ adversum Philippum certum erat dubium an non Jacobum Anglum, & Henricum Francum invitassent. Abiisse tum dicuntur variis ex locis supra novies centena Saracenorum millia: neque tamen hac grandi medicina penitus sublatum est in Hispaniâ malum: gliscit adhuc periculosiùs, quia latet, &inde in Galliam, Angliam, Belgium occultè dispergitur. Tum quoque rogatus Philippus III. suppetias à Xequo Seripho adversus fratrem suum Zidanum, cepit ejus industria Larachiam munitissimum Africæ propugnaculum, atque Hispanis hactenus perinfensum; quod satis magnis auxiliis non poterat à Christianis redimi, atque vindicari.

*Larachia ab Hispanis occupata.*

*Polonis hic annus fortunatissimus.*

Polonis hic annus felicissimus extitit. Dum enim Sigismundus ipse Smolenskum oppugnaret, alius Volonum Polonorum exercitus, Moschuam regni caput aggressus est, alius quoque cum Lithuanis multas reportavit victorias, capto etiam Suiskin cum duobus fratribus; quando & Novogardia Sigismundo se dedit, &Tartarorum Astracanensium Chamus, rem Moschoviticam desperans, se quoque Polonis adjunxit. Denique Demetrius turbarum domesticarum author & fautor Polonicæ victoriæ, postea futurus hostis, trucidatus est, ne quid Sigismundus, præsentis, aut futuræ fortunæ posset expectare.

*Borromæi Canonizatio.*

In Italiâ hoc anno Paulus V. S. Carolum Borromæum sanctorum adscripsit albo Kal. Nov. & eo die qui sanctis omnibus sacer erat. Quando patruelis ejus Fridericus Borromæus excitavit nobilem illam Bibliothecam Ambrosianam dictam, evocatis undequaque viris magnis, ex quibus Collegium conflavit; nec præsulis hujus votis successus defuit.

*Bibliotheca Mediolanensis.*

*Institutus Ordo Visitationis.*

Franciscus Salesius Antistes Genevensis, vir in quo pietas ipsa, & Christiana prudentia vivere videbantur, Ordinem Visitationis B. Mariæ instituit, cui præposita est Francisca Fremiota mulier ex æquo solers, ac pia. Antequam includerentur Moniales istæ invisebant inopes; reclusæ suscepere sorores ægrotas, & quas morbus ab aliis ordinibus excludebat; ne unquam carerent primæ suæ charitatis materiâ, sic Ordinis sui nomen implerent.

*Vorstius Hollandiâ turbat.*

Hollandiam hoc anno turbavit Conradus Vorstius ex Steinfurto, ubi Ministrum primarium agebat, vocatus Lugdunum Batavorum, ut Arminii demortui locum occuparet; sed hic rejectus est, ut schismaticus à quibusdam, ab aliis obstinatissimè cultus multas turbas excitasset, nisi authoritatem suam, & potentissimas minas interposuisset Jacobus Magnæ Britanniæ Rex. Igitur adnitente hoc Principe Lugduno Batavorum præceps ejectus est ut hæreticus, scripta ejus in Angliâ flammis exusta. Receptus est nihilominus in aliis urbibus uti vir de cælo lapsus, & persecutionem passus ob fidem; multosque etiamnum habet deliriorum suorum, atque errorum sectatores.

## CAP. II.

## *Decas Secunda.*

### *Ab anno Christi* 1610. *ad* 1620.

MUNDI 5664. CHRISTI 1611.

*Dux Aurelianensis moritur.*

Obiit hoc anno Parisiis anno ætatis 4. Dux Aurelianensis Ludovici XIII. frater, piissimus puer, & jam maturus cœlo. Mortuus & Carolus Meduanus Henoticarum partium (quam vocabant *Ligam*) dux maximus, & sub initium, prudentiâ suâ Henrico Rege potentior. Is ad tempus saltem partis Galliæ Rex esse potuisset, si patriam suam cum Hispano partiri voluisset; verùm totam reservare legitimo Principi maluit; quo sanè facto probavit, se tot prœliis & laboribus, non ejus sceptrum ambitiosè, sed fidem religiosè quæsivisse. Mortem ejus graviter tulit Maria Regis mater, quæ prudentibus ejus consiliis multùm indigebat, & manu; cùm Calviniani in Conventu Salmuriensi minitarentur arma, qui tamen tum duntaxat injecit metum.

*Caroli Meduani obitus.*

*Matthias fit Hungariæ Rex.*

Leopoldus Austriacus nomine Cæsaris collectum exercitum, ut Juliacensem Ducatum, adjunctasque ditiones in officio contineret, donec statuisset Rudolphus, præposterè eum in Bohæmiam, Pragamque convertit: & quamquam eundem paulò post dimisisset, Matthias nihilominus eodem cum magnis copiis advolans Rex coronatus est, sicque quodammodo exauthoratus est Rudolphus; quem tamen hæc parum pupugit infamia, cùm ex pusillanimitate ad illiusmodi probra jam pridem ejus animus occaluisset.

*Smolenskum capitur.*

Expugnatum est hoc anno Smolenskum, magna ab his partibus belli mora, ad quam urbem periisse dicuntur, ducenta Moschorum millia. Sigismundus in Poloniam rediit, Moschoviam mox repetiturus cum filio Wladislao, quem Moschorum plurimi exoptabant Ducem. Dedit & hoc anno idem Rex, Joanni- Sigismundo Electori Brandeburgico Prussiam clientelarem, sicque Poloniæ Regnum ab hac parte, nec minus amplum, nec minùs tutum reddidit.

*Prussia fit clientelaris Brandeburgico.*

*Carolo Suecico succedit Gustavus Magnus.*

Obiit hoc anno Carolus Suecici raptor Imperii atque eo perfidiosior, quòd id nepoti patruus rapuisset. Mortuus est autem inito in Danos, & Suecos bello, quo hic Christianopolin, illi Calmariam arcem munitissimam expugnarunt; unde tantùm doloris hausit, arthritide alioqui gravi vexatus, ut paulò post expirarit. Eo demortuo cum regni proceres plerique, in Sigismundum Poloniamque respectarent, Adolphus Gustavus Caroli filius magnæ spei, atque audaciæ juvenis consilium intervertit, & veteranum Imperatorem,

torem, factione suâ Dux idem, & propè miles superavit: & quis futurus esset aliquando vir, tum pænè puer ostendit.

Inchoatus hoc anno Parisiis Ord. S. Ursulæ ad instituendas puellas, curâ potissimùm & industriâ D. Bobiæ *de Sainte Bevue*, pientissimæ fœminæ, & ad Dei gloriam promovendam factæ. Quo pænè tempore alius similis est excitatus Burdegalæ, dictus Congregatio B. Mariæ, à nobili matronâ Mariâ Lestonacâ: aliusque item sub nomine Congregationis sanctæ Virginis à Petro Fererio Augustiniano Parocho Matincurtio in Lotharingiâ, qui Ordines omnes suscepere puellas ad artes fœmineas simulque ad pietatem, & honestos mores magno cum religionis, & Christianæ modestiæ fructu erudiendas.

MUNDI 5665. CHRISTI. 1612.

Achmetes à Dervisio quodam monacho grandi lapide appetitus, periculum adiit. Cùm eo Batavici Ordines iniere fœdus; sicut & Persæ misso Legato: verùm cùm hic ignominiosæ paci subscripsisset, redux in Persidem capite minutus est, Legatus Turcicus remissus, bellum atrociùs recruduit.

Hoc anno magna matrimonia contracta sunt, inter Ludovicum XIII. & Annam Mariam Mauritiam Austriacam, & Philippi Principis Hispaniarum cum Elizabethâ Francica; nuptiæ tamen utrimque dilatæ, ob immaturam conjugum ætatem. Displicuerunt illæ quibusdam proceribus, & causæ vel prætextus secutis tumultibus, extitere, quibus nunquam carent, qui regna turbare volunt.

Majores excitasset turbas, ut in periculosiori negotio, Edmundus Richerius Syndicus facultatis Theologicæ Parisiensis, edito Libro de Ecclesiasticâ, & politicâ potestate. Verùm hæ maturè compressæ sunt à Jacobo Cardinali Perronio Archiepiscopo Senonensi, coactâ Parisiis Synodo, in quâ liber iste proscriptus est, salvis tamen Juribus Regis, & Ecclesiæ Gallicanæ. Confutatus est à multis seditiosus iste Liber, sed potissimùm ab Andrea Duvallio, doctissimo juxta, atque sanctissimo ejusdem facultatis Theologo, cui semper parem Academia illa nobilis exoptabit.

Obiit hoc anno Pragæ 13. Kal. Febr. Rudolphus Imperator anno ætatis undesexagesimo, cum mensibus 4. Imperii ab obitu Patris 35. mense 3. vir pacis, & tranquillitatis, quàm ejus honor, & dignitas postulabant, amantior: Suffectus est ei mox Francofurti Idib. Junii Matthias frater, jam Hungariæ, & Bohæmiæ Rex, qui mox sedem Pragâ Viennam transtulit, fortitudine suâ, rebusque gestis aliam Imperio faciem inducturus.

Polonis hic annus infortunatus extitit. Deserti enim à Moschis fœderatis, ob non persoluta stipendia, à Moschis hostibus qui novum elegerunt Ducem Michaëlem *Phædorvvitz*, superati sunt ingenti prælio, quo Moschuam ipsi, Wladislaüs spem omnem Ducatus hujus perdidit.

Turbatior etiam fuit Transylvaniæ status: cùm enim Gabriel Battorius misisset ad Achmetem Andream Gyetzium, ut auxilia adversus Hungaros obtineret, hic obtinuit ab Achmete sibi Principatum; jussus ergo Mahometes Bassa Battorium ejicere, Principem constituere Gyetzium. Sed Battorius ad Matthiam confugit, à quo suppetias obtinuit; at quominus bellum indiceretur Matthiæ, nimis audere Turcis viso, Arabes tantùm rebelles impedivere. *Turbatur Transylvania à Gietzio.*

Mortuus est hoc anno Franciscus II. Dux Mantuanus, sine virili prole, cui successit Ferdinandus frater Cardinalis, nondum inauguratus sacris. Ortæ tamen sunt turbæ inter hunc, & Carolum Emmanuëlem Sabaudum, ob Principatum Montisferrati, quem deberi Maria filiolæ relictæ, ex eodem Francisco, & Margaritâ primogenitâ suâ contendebat; cùm aliunde eandem ditionem putaret suam: quâ de re non scriptis tantùm, sed & armis propriis atque socialibus decertatum est. *Francisco II. Duci Mantuano succedit Ferdinandus frater.*

Tentabatur inter hæc novum à Batavis per Oceanum Tartaricum ad Sinas iter, labore sumptuque majore quàm fructu. Roëssinus dux hujus expeditionis, cùm in vastissimo mari vix invenisset lucem, nullas terras, multis suorum desideratis rediit unde discesserat; hoc tantùm non vituperandus, quòd magna tentasset. *Novum iter ad Sinas tentatum.*

MUNDI 5666. CHRISTI. 1613.

Abassus Persarum Rex hoc anno Turcos magnis cladibus affecit, & suis, & Arcomati Ducis sui fortissimi auspiciis; ac bene usus victoriis suis ditionem suam ab Occidente promovit. Hæc causa fuit cur Achmetes Turcus Melitam omitteret, & paratas in eam copias converteret in Orientem, ne sua perderet dum affectat aliena. Cozaki etiam à Septentrione eum vexarunt, & in quodam Euxini maris portu 24. ejus triremes incenderunt. Aliunde triremes Etruscæ aliquot oppida Natoliæ ceperunt, ac diripuerunt. Hispani quoque eorum multas onerarias intercepere, multisque Christianis reddidere libertatem, Saracenis eorum locum, & ignominiam suffectis. *Turcæ ubique malè habiti.*

Parisiis instituta est Congregatio Oratorii autore Petro Berullo, viro piissimo, & ad instituendos ad officia divina Sacerdotes nato, atque facto; cujus curas & pium ardorem multùm promovit P. Petrus Cotonus Societatis Jesu Regi à Confessionibus, & Concionibus, quo ille plurimùm utebatur, etiam ingressurus Societatem, nisi aliter Cotono visum esset, hanc Presbyterorum Institutionem mirificè comprobanti. Dicta est hæc *Congregatio Oratorii Jesu Christi Domini*, Ecclesiæ perutilis, & ad formandos Clericos valdè accommodata, diversa tamen ab eâ quam Romæ Philippus Nerius instituit, & Gregorius XIII. approbavit, ut major esset in Ecclesiâ Dei famulorum varietas, atque nationum. *Congregatio Oratorii Paris. instituta.*

Danus victoriæ suæ cursum contra Suecos tenere non potuit, acerbissimâ peste, in ejus exercitum grassante, & Danis plus vitam suam, quàm gloriam curantibus. *Dani afflicti peste.*

Gabriel

*Gabr. Battorius cæsus Betlehem.*

Gabriel Battorius vir aggrediendis negotiis, quàm perficiendis aptior, & constitutus inter Matthiam Imperatorem, atque Turcam, quorum hunc metuebat, illi non fidebat satis, à Betlehemo Gabore Calviniani, Græcique schismatis fautore profligatus, postea cæsus est à suis, non alterius criminis reus, quàm quod infelix esset; & nactus æmulum callidiorem, fideique sequioris. Gabor tamen initio antecessoris sui pressit vestigia, medius inter Cæsarem, & Achmetem, donec ab Ottomano Transylvaniæ Wayvoda dictus, Matthiam sprevit, in quo plus invidiæ, quàm virium agnoscebat.

*Gabor ei succedit.*

*Cozakorum depopulationes.*

Cozaki hoc anno non tantùm Turcis metuendi, sed & Moschis, & Tartaris extitere, quorum concursavere regiones, & prædarum divites ad sua redierunt. Pugnax hominum genus, atque ex rapto vivere solitum; quibus duntaxat eripi vita potest, quam in manibus habent, ideoque semper hostibus terribiles, quia desperati, & alienæ vitæ domini, quia negligentes suæ.

*Moritur Sigismundus Battorius.*

Denique mortuus est hoc anno Pragæ ex Apoplexiâ Sigismundus Battorius, quondam Transylvaniæ Wayvodâ sæpe deposito, sæpe resumpto, ex incredibili levitate animi, Principatu, quem tamen penitus reliquerat anno 1602. donatus arce Lobcoviciâ in Bohæmiâ, in quâ privatim annis circiter undecim vixit, in suâ calamitate, quàm fortunâ felicior, & tum contentus cum nihil, aut parùm speravit.

MUNDI 5667. CHRISTI. 1616.

*Civilis in Francia motus ob Concilium.*

Ob obitum Henrici Magni (tantum valuit apud Francos tanti Principis recordatio) quatuor annis omnia satis tuta constitere. Civilium armorum, & motuum prætextus fuit Concinus Florentinus factus Galliæ Mareschallus, ejusque uxor Leonora, Reginæ collactanea in aulâ minus potentes, neque satis Principum, ac procerum reverentes; Causa verò genius gentis inquies, maximè cum Regem non timet. Itaque secessionem tum fecere Princeps Condæus, Ducesque Vindocinensis, Nivernensis, Meduanus, & Mareschallus Bullionius, qui primùm scriptis, mox etiam armis repugnavere. Verùm capti fuissent omnes, si qui præerat Regiis Copiis Mareschallus Boscodelphinus uti totâ militari suâ virtute, & exercitu potentissimo voluisset. Quare mox est inita pax, maximè cum Rex annos natus 14. 6. Non. Octob. administrationem regni de more suscepisset. Tum autem, id exoptantibus proceribus, convocata sunt Parisios magnâ Pompâ totius regni Comitia. In his cùm aliqua proposita essent à Plebeio (seu uti vocant *Tertio* Ordine) de authoritate Summi Pontificis, repudiata sunt à Clero, & Nobilitate, adnitente potissimum Cardinali Perronio, qui adversus hæc eloquentissimè peroravit; quare Paulus Pontifex & judicibus, & Oratori pietatem in sanctam Sedem gratulatus est. Tandem anno sequenti soluta sunt hæc Comitia, peracta nullo alio emolumento, quàm ut multi convenisse, multa sine ullâ emendationis spe adversus præposteram regni administrationem congesta esse viderentur.

*Comitia Regni Parisiis.*

*Dissentio Brandeburgici, & Neoburgensis augetur.*

Dissentiones inter Brandeburgicum, & Neoburgensem foverunt hinc Archidux, duce Spinola, inde Ordines, duce Mauritio, magni utrimque, magnisque copiis fautores. Spinola etiam occupavit Aquisgranum proscriptum à Cæsare, propter tumultus excitatos, adversus Catholicos, atque urbis hujus cives ita repressi, ut abiis sibi nihil Ecclesia metueret.

*Francofurti seditio.*

In Germaniâ Francofurti ad Mœnum est concitata seditio inter cives, Senatores quidam ejecti ab urbe, quidam novi in eorum locum substituti. Sed mox autoritatem suam Cæsar interposuit, & prope armatus loquens, expulsos restituit, seditionis authores castigavit, ostenditque quid esset discriminis inter Matthiam, & Rudolphum Imperatores.

*Bellum Italicum inter Saband. & Hispan.*

Italia etiam motus suos sensit commissis inter se Hispano, & Sabaudo, cùm hic esset ausus illi resistere, Montisferrati patrocinium suscipienti. Nec satis; cùm Mediolanensis Prorex Subalpinam Regionem invasisset, Sabaudus invasit Insubriam, præliis utrimque initis, & aliquot urbibus captis, majori tamen Ducis gloriâ, quem Rex tantus primo impetu non potuisset opprimere.

*Poloni commodè bellum gerunt in Moschos.*

Polonis hoc anno bellum commodè cessit. Moschi enim eorum confœderati accepto stipendio utilem illis navarunt operam, Smolenskum servarunt, & Neudam arcem occuparunt. Cùm autem apud eos Achmetes Turcus de Cozakis grassatoribus questus esset, hi simulavere omnia tamen priùs Constantinopolin regressum, omnia tamen priùs depopulati; unde in Nagahiensium regionem irruperunt, in hanc quoque grassati fædiùs, ex objurgatione Turcicâ, & Polonicâ prohibitione facti deteriores.

*Cozaki grassantur in Turcos & Tartaros.*

*Abassus rebelles vincit.*

In Perside Abassus Rex Alquevinum nepotem suum rebellem vivum cedit, & capite minuit: ejus quoque patruelem Cadum rebellionis ejusdem reum prælio vicit, felicem qui non venerit in victoris manus, ex quo vivus nequaquam abiisset.

*Persecutio Japonica.*

Copioso sanguine Martyrum hoc anno est irrigata Japonia, quem Cubo profudit, incitatus à Dæmone, Anglisque ac Batavis Dæmone ipso deterioribus. Hi enim Principi, alioqui naturâ sævo, & crudeli suaserunt, Christianos Japonas jungi tantùm religione Lusitanis, & Hispanis; ut iis aditum in Japoniam aperirent, eosque Regni sui Dominos constituerent. Id autem confingebant, ut iis aditum ad mercimonia in has insulas præcluderent, aperirent sibi. Crudelem calumniam, & Christianis, ne dicam Barbaris indignam, quam auri sacra fames aqud homines sacrilegos procudit.

*Ejus authoris Angl. & Batavi.*

MUNDI 5668. CHRISTI 1615.

*Achmetes cum Matthia pacem init, re cogitur cum multis.*

Achmetes cum Matthiâ pacem, aut potiùs inducias vicennales pepigit, sed longè meliùs quam Rudolphus servandas curavit, quia arma semper habuit parata, ipse bellicosior. Aliunde Turcus premebatur à variis hostibus Mingreliis, Georgianis, Persis; ne tot hostibus circumfunderetur, cum eorum quibusdam fœdus inire compulsus est; jam bellicâ virtute inter suos marcescente. Celebres

Celebres hoc anno Romæ susceptæ sunt Legationes una Japonum longioquior ab Indare Rege *Voxu*, alia ut propinquior ita nobilior à Lud. Justo Rege Francorum, quam obiit Alexander Vindocinus Melitensis Eques, & magnus Prior Tholosæ, quem excepit Pontifex perhumaniter, quoniam in eo aliquid Henrici Magni considerabat.

Romæ prid Kal. Febr. obiit Romæ Claudius Aquaviva Quintus Societatis Jesu Generalis, vir absolutissimæ prudentiæ, & cui suus Ordo debet accuratam administrationem & Oeconomiam; adeo ut alter ejus parens ab Ignatio possit appellari.

Hic annus Valesiæ familiæ funestus fuit: desiit enim tum in vivis esse Margarita mulier erudita, & quod innatum fuit ejus familiæ, doctorum hominum Patrona. Separata ab Henrico IV. cui invito, invita nuptiis illegitimis conjuncta fuerat, postea annuente Pontifice separata, retinuerat nihilominus utcumque Reginæ insignia, ut & nomen, quibus & se filiam Regis; & sororem trium Regum, & Regis uxorem meminisset. Quo tamen anno Francia Reginæ umbrâ spoliata est, veram feliciter accepit Annam, Mariam Mauritiam Austriacam sapientissimam, & piissimam Principem, & in utrâque fortuna, magnum exemplar Christianæ magnanimitatis, atque constantiæ. Eodem quoque tempore Gallia reddidit Hispaniæ sæculi sui lumen Elizabetham, brevioris quidem vitæ, sed maximæ, & nunquam morituræ apud eam gentem virtutis.

Mortuus est hoc anno Avenione Franciscus Cardinalis Joyosa, sacri Collegii Decanus anno ætatis 54. Rothomagensis Archiepiscopus, vir prudentissimus, piissimus, doctissimus, ut arguit, ejus Bibliotheca, quæ partem illustrem facit Bibliothecæ Parisinæ Societatis JESU; eidem porro Societati fuit addictissimus, & hujus sicut Ecclesiæ & Galliæ magnus protector, quique tam citò ad illarum commodum, & gloriam mori non debuerat.

Pax inter Sabaudum, & Hispanum inita est adnitentibus Regibus Franciæ Angliæ, & Rep. Venetâ, renitente tamen Duce cui fecerant animos illatæ clades Hispanis, quorum spreverat minas, eosque fortiter armis depulerat, consilio potiùs, & fortitudine, quàm numero copiarum.

MUNDI 5669. CHRISTI. 1616.

Infelices bello ubique hoc anno fuerunt Turcæ, expositi deprædationibus Hispanorum, Florentinorum, Melitensium in mari Interno, & Palude Mæotide, Cozacorum in Asiâ, atque Persarum, qui iis acceptas quondam clades, cum fœnore reponebant.

Hic annus tertiùm in armis civilibus Francos vidit, & opposita Lilia Liliis. Cùm enim fœdus incertum, & dubium ictum esset inter Regem, & Principes, sive ob novas molitiones, sive ob veteres nondum obliteratas, adnitente potissimùm Concino, qui tum omnia poterat in Aulâ, datus est Henricus Condæus partium caput in arctissimam custodiam primùm in Regiâ Juparâ, deinde in Bastiliâ, denique in castrum Vicennarum. In utroque porro carcere bene usus oblato otio, sic excoluit omnibus disciplinis ingenium, aliunde acre, ac magnum, ut detentionem istam, etiamsi parum justam nonnulli putaverint, nemo tamen dicere potuerit fuisse regno, atque incluso perniciosam.

Renovatum est in Italiâ bellum inter Hispanum, & Sabaudum, cui causam dedit novus Prorex Mediolanensis Petrus Toletanus Castellæ Connestabilis; quod ut impediretur, aut certe ne deveniret ad ultima, multùm Pontifici, & Franciæ Regi per Legatos laborandum fuit; in quo tamen sopiendo tantùm tempori concessum est, quàm industriæ. *Bellum Italicum iterum accenditur, & sopitur.*

Uskochi Croatæ gens crudelis, & dedita latrociniis, non insultabat modò Turcis, ac Venetis vicinis, sed Archiducem Græciensem, cui subditi erant, nihili faciebant; quare appetiti sunt bello jubente Ferdinando, quod quidem alacritate singulari suscepere, immò & in Stiriam irrumpere conati sunt: verùm aliquot cladibus ab Austriacis repressi, de audacia & feritate suâ multùm remisere. *Uskochi Kroatæ ab Austriis repressi.*

Hoc denique anno M. Antonius de Dominis, quondam Societatis Jesu, postea Segniensis Episcopus, ac denique Spalatensis in Dalmatiâ Archiepiscopus, homo levissimus, atque vanissimus, nescio quo, œstro percitus, fugit in Angliam, benignè susceptus à Rege doctissimo, ipse non ignarus. Hic duo concinnavit vægrandia volumina *de Rep. Christiana*, in quibus multa stolidè effutiit adversus Pontificem, & Ecclesiæ administrationem. Hoc hæreticis visum est opus palmare; quod tamen ipse rejecit, ad sanam mentem, ac lucidum saltem intervallum revocatus, neque enim se planè sapuisse postea demonstravit. *M. Antonii de Dominis Apostasia, & reditus.*

MUNDI 5670. CHRISTI. 1617.

In Oriente cùm annos ferè 14 Achmetes Ottomanicum regnum administrasset, id Osmano filio suo impuberi (erat enim is tantum annorum 12.) moriens reliquit, ipse natus annos triginta. Itaque è Cella raptus est ad Solium Religiosus Mustapha, homo stolidæ pietatis, & vergentis ad insaniam. In hac tantâ Imperii luce, tantâque Majestate, dum cerebro diminutus caligat, & titubat; dum crudeliter in omnes desævit, ut intelligant quid possit, dum deliciis illiberalibus indulget, ac iis totus immergitur, ostendit se magis idoneum esse Mahumetano Cœnobio, quàm Solio. Et verò anni sequentis exordio, substituto in ejus locum Osmane, exauctoratus à Janizzaris beneficii loco duxit repetere Cellam suam, nec inficere suo sanguine Solium, quod istic hactenus nemo, nisi cum vitâ reliquisset. Verùm amenti, & stulto Eremitæ non sua semel stoliditas profuit. *Achmetes moritur ei succedit frater Mustapha.* *Osmanes succedit Mustapha exauthorato.*

Abassus Persarum Rex, aliquot Christianos Reges frustra conatus ad suum Mahumetem pertrahere, per insidias eos sustulit; aliis reservavit vitam, qui hanc suæ religioni prætulerunt. Inter Prin- *Abassus Principes Christianos corrumpere conatur.*

Principes enituit Catharina Christiana, quæ per tormenta, martyribus debitam palmam promerita est; à Patribus quidem Augustinianis, sed longè meliùs à Spiritu sancto ac pleniùs erudita, ac sanctiùs corroborata.

*Suessiones urbs obsessa.*

Ludovicus XIII. in Principes Franciæ confœderatos suum immisit exercitum, cui præerat Comes Alveniæ, per quem urbs Suessiones, & in eâ Dux Meduanus obsessus est, cùm aliunde Dux Guisius cum aliis copiis cæteros rebelles urgeret. Verùm tandem recidit malum in ejus caput, quod jam tribus civilibus bellis appetitum erat. Concinus Florentiæ quondam civis de plebe, in Galliâ Ancrensis Marchio, atque Mareschallus, eò potentiæ devenerat, ut jam timeret neminem, omnium capitibus, & fortunis insultaret impunè. Ostentabat se suosque nimiùm, ut à Rege & juvene, & ejus inimicis circumsepto (grandi enim apud Francos omnes flagrabat invidiâ) diu tutus esse posset. Fama est hunc à Rege impellente potissimùm Luynio, qui se penitiùs in animum ejus insinuarat, sub specie venationis, & aucupii, addictum esse neci. Alii Regem optimum & innocentissimum duntaxat imperasse malunt, ut in carcerem raperetur; hominem in Franciâ parendi Regiis Satellitibus rudem, dum tergiversatur, etiam admota capulo manu, & vitam inter suos tueri parat, inter suos eam amisisse. Utut se res habuerit glande plumbeâ trajectus interiit 8 Kal. Majas. Paulò post exhumatum ex Ecclesiâ S. Germani Antissiodorensis à plebeculâ cadaver ejus raptatum, discerptum, combustum ignominiosè. Regina Mater Blesas tantisper secedere jussa, quæ nimis extulisse hunc terræ filium jactabatur. Eam secutus est Armandus Richelæus Lucionensis Antistes, paulò post ad Episcopatum remissus, atque inde aliquanto post Avenionem relegatus, ubi sancto usus otio, vir incomparabilis ingenii, nec minoris eruditionis, opera scripsit immortalitate donanda, adeò ut hoc exilium tam ei fuerit grave, quàm toti Ecclesiæ salutare. Neque egestum tantùm in Concinum repentè, & tumultuosè, jampridem in eum collectum malevolentiæ virus; animadversum quoque in ejus domum ex Juris formulâ, & Senatus Parisiensis autoritate: uxor ejus Leonora, invidiâ, & odio, quàm criminibus gravior capite truncata publicè, flammis absumpta est, liberi dissipati; unius familiæ citò nimis potentis & magnæ litatum est tranquillitati Franciæ, Principibus illicò certatum ad Regem advolantibus.

*Concinus Ancrensis Marchio caditur.*

*Regina Mater Blesas relegatur. Armandi Richelæi secessus.*

*Leonora uxor Concini cremata.*

*Bellum Sabaudicum & Venetum à Germanis & Hispanis.*

Bellum interea in Subalpinâ regione & Venetâ majoribus animis, quàm damnis gerebatur: Venetorum hostis erat Archidux Ferdinandus Græciensis, Sabaudi Gubernator Mediolanensis Regis Hispani nomine: sed major erat metus, ut periculum majus imminebat à sociis, ab incentoribus, quàm authoribus belli. Petrus ergo Toletanus Vercellas obsessas, altero mense ad deditionem compulit; Sabaudus Gallicis instructus copiis aliquot oppida Mediolanensis agri occupavit, hostemque obvium delevit sæpe, majori tamen affectum dedecore, quàm damno. Archiducem Dux Ossunæ Neapolitanus Protex superiorem Venetis effecit. Ille in oras Hadriani maris circumferens bellum, ostendit Hispanorum Germanorumque bella iisdem auspiciis geri, nec Germanis dum vicinos appetunt aurum & consilia Hispanorum deesse, nec Hispanis ferrum, & sanguinem Germanorum.

*Gomariani & Arminiani Hollandi.*

In Belgio graves extiterunt, ex more, de religione motus, inter Gomarianos, & Arminianos, hos *remonstrantes* vocabant, illos *contraremonstrantes*: sed Gomarianis favebat Mauritius Comes, utpote antiquioribus; multi tamen erant in partibus Arminianis viri eruditi, & magni. Frustra eos reconciliare conatus Jacobus Angliæ Rex, magnus controversiarum conciliator; utrique etiam parti suspectus fuit; nec satis charus utrique, nec reformidatus.

*Congregatio fratrum Joannis Dei.*

Hoc anno Romæ primùm instituta est Congregatio *Fratrum Joannis Dei*, qui pauperibus ægrotis, & peregrinis alendis, & fovendis egregiam navabat operam. Facti sunt igitur hoc anno Religiosi, sub regula S. Augustini, eorum conditor postea Beatorum adscriptus est Albo per Urbanum VIII. jampridem, & facilè receptus cœlo, qui tam sæpè Deum aspectabilem hospitio, lectoque susceperat.

*Jubilæum Pauli & Lutheranum.*

Paulus Pontifex hoc anno Jubilæum piè promulgavit, ad furorem Dei placandum, ejus gratias obtinendas; Lutheranus Joan. Georgius Saxo Elector paulò post suum quoque indixit impiè; quia tum annus centesimus ab Lutheri Apostasiâ defluxerat; curavitque cudendam monetam auream, & argenteam cum hac Epigraphe *Sæculum Lutheranum* 1617. quod disputationibus frivolis, & compotationibus, non bonis operibus celebratum est.

*Terra Australis detecta.*

Multa hoc anno dicta scriptaque de Terrâ Australi, non ita pridem per Hispanos detectâ, Americâ nequaquam minor, nec ei rerum copiâ decedens, si auri argentique copiam eximas, quam nonnulli quintam Orbis partem appellavere, sic vocanda sine dubio, si ejus amplitudinis creditæ ratio habeatur.

*Moritur Augustinus Thuanus.*

Denique mortuus est hoc anno Augustus (veriùs Augustinus) Thuanus vægrandis historiæ scriptor, quam in manibus, & oculis ferunt Heterodoxi, eamque nobis obtrudunt ad calumnias in Pontificem, virosque probos adstruendas, & suos ab impietate atque sceleribus vindicandos, ideoque hunc Ecclesia meritò expungit è suorum scriptorum numero; qui autem ei Sacramenta impertiit Parochus S. Andreæ de Arcubus, eumque sacra sepulturâ donavit, aut ejus scripta nunquam legerat, aut dicendus fuit in Ecclesiæ defendendis Juribus prævaricator, qui huic morituro non injunxerit publicam, solemnemque palinodiam.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5671. | 1618. |

*Turcæ & Persæ inter se confligunt.*

Turcæ atque Persæ magnis animis & copiis ad Ardavillam pugnavere, & prælio tam atroci, ut in eo utrimque octuaginta millia ceciderint; plures tamen Ottomani, quam Persæ. Hi tamen illis obtulere pacem, & victoriâ nihil feroces, quam magnus Vizirus statim accepit, non minus sibi, quàm Imperatori suo necessariam.

In

In Galliâ hoc anno receptæ duæ nobiles Legationes, una Mauritii Principis Cardinalis Sabaudiæ, Ludovico XIII. gratias habituri de auxiliis, atq; insuper petituri Victori Amedæo filio Ducis uxorem Christianam, virginem expectationis maximæ, quam & ipsa superavit. Susceptus est Mauritius magnificentissimè, quia sic ipse, sic Legationis causa flagitabat. Venit quoque tum Lutetiam Legatus ab Osmane, ut Regi faceret satis de Legato malè accepto Constantinopoli, tempore Mustaphæ, qui nec à se, nec ab aliis arcere potuerat injuriam.

Ibidem mortuus est ætatis suæ anno Climaterico Non. Sept. Jacobus Davitius Cardinalis Perronius Archiep. Senonensis Regi ab Eleemosinis, meritò dictus *hæreticorum malleus*, cui eorum, sine controversiâ par nemo fuit. Multa reliquit eruditionis suæ monimenta, sed ejus ingenio, atque eloquentia longè minora, & quæ in libris tantùm distant ab iis quæ fundebat ore, quantùm dissidet vivus à mortuo. Cor suum addixit Patribus Soc. JESU Professæ Domus, ut ostenderet quanti eos faceret, à quibus nec vivus, nec mortuus amore disjungi voluisset.

In Italiâ pax duplex inita est, duoque bella magni momenti sublata. Ferdinandus enim jam designatus hæres Matthiæ non illibenter ad fœdus cum Venetis descendit, quia de Imperio magis, quàm de incertâ, vanâque victoriâ cogitabat. Petrus quoque Hispanus, territus minis Galliæ Regis, ad fœdus Vercellasq; reddendas compulsus est. Venetiis Joanni Bembo Duci mortuo substitutus est Nicolaus Donatus, major Octuagenario, qui vix uno mense Rem. administravit. Minusque huic commodi, quàm suæ familiæ attulit gloriæ. Itaque datus est ei successor Antonius Priolus absens, & in dimittendis copiis quibus præerat occupatus, ut exercitui Respublica succederet.

In Germaniâ magnæ concitatæ sunt turbæ ab hæreticis Bohæmis, qui impellente Comite Turrensi Pragenses ad rebellionem invitati sunt, expulsis Patribus Societatis Jesu, & tribus Cæsaris Consiliariis ex præaltis fenestris furiosè præcipitatis qui tamen damni nihil mirabiliter experti sunt. Hinc Moraviâ, Silesia, Lusatia sollicitatæ scripserunt copias, ducibus eodem Turrensi, & Mansfeldio notho. Sed his suas Matthias fortiter objecit, ducesque maximos Buquojum, & Dampetram, seu Tampirium, qui licet minori præessent exercitui, eum tamen animo, & alacritate fecerunt hostili superiorem.

Hoc anno sub initium Novembris obiit Archidux Austriæ Maximilianus, Matthiæ Cæsaris frater sexagenarius, cùm paulò antea Kleselium Viennensem Episcopum Cardinalem custodiæ mancipasset, de quo majores Romæ quàm in Germaniâ de morte Maximiliani tumultus extitere.

Rhæti, (*Grisones* vocant) Catholicos hoc anno malè vexarunt, Archipresbyterum Sundrensem in quæstione necarunt, Curiensem Episcopum perpetuò mulctaverunt exilio, unde factum ut à Catholicis arma sumerent Hispani, luculento prætextu, de more; ut simul fuerentur Fidem, & res curarent suas, quas inter se ingeniosissimè colligarunt. Quo tempore in eâdem Rhetiâ pridie Non. Sept. post ingentem terræ motum mons vicinus, Plurium oppidum, in quo tria & amplius civium millia, cum duabus Ecclesiis, & aliquot Cœnobiis sic obruit, ut nulla hujus vestigia superfuerint, quatuor tantùm urbis hujus civibus turbinis impetu abreptis, ut testes calamitatis tantæ restarent. *Plurium oppidum obruitur.*

In Belgio de Religione rixæ tristiùs sævierunt. Cùm enim Gomariorum patrocinium suscepisset Mauritius, factus tum Princeps Arausicanus morte Philippi fratris sui. Joannes Barneveldius Hollandiæ Generalis Advocatus vir prudentissimus, Hugo Grotius Syndicus Lugdunensis, & aliquot alii compacti sunt in carcerem. Inde cum copiis Hollandiam ac Westfrisiam percurrit Arausicanus, expulitque Prædicantes omnes Arminianos, & faventes iis abdicavit Magistratu, vi ut credidit tum necessariâ, ne religionum varietate Ordines Belgici disjungerentur. *Arminiani malè habiti ab Arausicano Princip.*

In Scotiâ quoque prognatum est Schisma ob administrationem Ecclesiarum, in quam novi aliquid induxerant Angli, Puritanis contra nitentibus; nec hoc tempore sopitum est, sed Regis prudentia repressum nonnihil, suo tempore in majores, & periculosiores discordias erupturum. *In Scotia de religione tumultus.*

Hoc denique anno ineunte Novembri Cometes apparuit Lunâ plenâ longè majori lumine illustris horribili caudâ: Constantinopoli sub specie visus est acinacis: quid autem præcinuerit, jam pœnè sentimus adhuc, & lugemus; ab hoc enim tempore Europa in armis, & lacrymis est. *Cometes horribilis apparet.*

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5672. | 1619. |

Bohæmi cum aliis hæreticis conspirantes bello appetendi fuerunt, cùm neq; monitis, neque minis possent ad officium revocari. Inter has turbas moritur Matthias 13. Kal. April. ætatis anno 62. Imperii sexto, cum mensibus novem, ut antecessore suo melior, sic deterior successore; post cujus obitum Ferdinandus ejus patruelis, jam electus Bohæmiæ, atque Hungariæ Rex, universam ejus hæreditatem adiit, annos natus quadraginta duos, & in quo nihil ad bonum, justumque Principem desiderabatur. Is primùm suis adhortationibus conatus est compescere seditiosos: at eorum de more, uti hæreticorum, ex facilitate crevit audacia. Expulerunt enim, quos capitaliter oderant, Jesuitas, Cardinalem Olomucensem inclusere, obvia quæque diripuere; & tentasset Viennam Turrensis Comes, nisi Mansfeldii clade deterritus esset, quem Buquojus malè mulctarat, & prudentiâ suâ, armisque retuderat. Paulò post electus Imperator Francofurti Ferdinandus II. spes Catholicorum, & bonorum Germanorum erexit. Verùm statim in eum insurrexit Fridericus Elector Comes Palatinus Rheni, qui stimulante Elizabethâ conjuge, saltèm Rex esse voluit. Hæc enim Angliæ Regis filia vehementer angebatur *Matthia Imp. succedit Ferdinandus II.* *Palatinus Comes in eum rebellat, & se Regem Bohæmiæ dicit.*

ſe marito Rege carere, & impares natalibus ſuis nuptias querebatur. Itaque vir uxorius Bohæmiæ Rex electus in conſeſſu tumultuario, ſibi atque uxori Pragæ feſtinantiùs & nondum firmatis rebus ſuis, coronam imponendam curavit Regnorum duorum Hungariæ ſimul & Bohæmiæ, quæ ſpe tantùm devorarat. Sed hæc turpiter mox revomere compulſus eſt; infelix Elizabetha nec Regina fuit, & deſiit eſſe Palatina, reliquamque vitam cum inimico Rege ſuo in Hollandiâ trahens, ac propè victitans precariò, ſatis longas, & acerbas pœnas dedit, avidiùs, & incautiùs appetitæ dignitatis, atque Majeſtatis.

*Gaborius Hungariam vaſtat, & Catholicos male excipit.*

Interea Betlehemus Gaborius Wayvoda Tranſylvaniæ Calvinianus, aut veriùs nullius religionis, Ottomani cliens, invaſit Hungariam, impoſito etiam ſibi diademate, quod Poſſonii, *Presburg*, reperit, Catholicis, & hominibus Deo ſacris crudeliter exceptis, uti Fridericus in Bohæmiâ fecerat; cùm ſit immanitas certus hæreſeos character, hæc ſanguine, & lacrymis Catholicorum, ut lacte, paſcatur.

*Eſpernonius Reginam Matrem Bleſis abducit.*

In Galliis relegata Bleſas Maria Medicæa, quanquam regio haberetur cultu, exulem tamen ſe magnam, & miſeram illuſtrem appellabat, ac carcerem ſuum fortibus Francis oſtentabat. Eſpernonius vir ingenii, & fortitudinis ſummæ, licèt naturâ paulò durior, & vulgò habitus μισογύνης, Dominæ ſuæ querelis inflexus eſt, cui in primâ regni tutelâ egregiam navarat operam. Crimen ergo non putavit eripere matrem filio, iram fortè ſimulanti; aut certè veniâ dignum ſcelus, effringere Regium carcerem, quem Rex optimus, optimæ matri Aulici gratioſi ſuaſione paraſſet. Eam porro ducit Inculiſmam, quò ſtatim Rex copias miſit, ut illam cum fautore ſuo, etiam per vim retraheret. Verùm cum revocatus Armandus

*Richelæus Regem placat.*

Richelæus ad Regem miſſus eſſet, ſic ejus animum demulſit, ut penitùs placaret matri, qui deinde ſuaviùs ab eâdem exoratus, liberatori quoque non invitus, & ingratis veniam indulſit, Atque ut eſſet tum Franciæ lætitia plenior, & cumulatior, qui in arce Vicenarum ſervabatur Condæus acceſſit liber ad Regem, paratum uti jam ejus conſilio, & prudentiâ, quam ſibi longo otio, & diuturnâ codicum lectione comparârat.

*Condæus liberatur & reconciliatur Regi.*

*Impii Doctores in Francia mulctati.*

Detecti ſunt hoc anno in Galliis non ſibi tantùm, ſed aliis impii, & morum, ſicuti religionis corruptores. Tholoſæ Luciolus Italus detectus clam docere nullum eſſe Deum, exuſtus eſt vivus. Pariſiis etiam Theophilus quidam Poëta melior, quàm Chriſtianus, eodem fortè ſupplicio interiiſſet, niſi fautores magnos in aulâ nactus eſſet, & alumnos, quibus perniciem, corporis ſaltèm, creditur accerſiiſſe.

*Dordracena Synodus.*

Hoc anno habita eſt in Belgio famoſa illa Dordracena Synodus excitis ex Germaniâ, Angliâ, Belgio Miniſtris; quominùs enim venirent quoque Franci, Rex inhibuit. In hac Gomariani, & Arminiani laceraverunt ſeſe, & illa tandem ſecta prævaluit, quia ſic Arauſicanus peroptabat; non jam hîc armorum tantùm, ſed & religionis arbiter. Hi expulſi ſunt Belgio, eorumque præcipuus fautor Barneveldius, uti ſeditioſus, capite mulctatus. 3. Idus Majas Hagæ. Hugo Grotius carcerem, & paratam ſibi mortem, uxoris ſuæ fraude defugit, & virum magnum Muſis atque eruditioni reſervavit; in quo vix hæretici quidquam fuit, præter externum cultum & nomen, quæ etiam parabat ejurare, ut ſignificavit mihi, & Dionyſio Petavio, idque feciſſet maturiùs, niſi ad Eccleſiam comitatior, licèt fortè imprudentiùs redire maluiſſet.

*Barneveldius, & Hugo Grotius mulctati.*

*Ordo de Sacra Militia Chriſtiana.*

Hoc anno Viennæ in Auſtriâ novus Ordo *de ſacra militia Chriſtiana*, ſuperiori tantùm informatus, perfectus eſt à Carolo Gonzagâ Duce Nivernenſi Gallo, Adolpho Althano Germano, Joanne Baptiſtâ Pretignano ſub patrocinio B. Virginis, S. Michaëlis, & S. Franciſci, ad compeſcendas Turcarum in mare Internum excurſiones: magnum in ſpeciem opus, & majori inchoatum pompâ, quam prudentiâ propagatum quod tandem etiam cum Chriſtianorum riſu evanuit, cum Mahumetanorum contemptu; quia aliud, quàm Dei gloriam, & fidei præſidium, præclari illi, ſi Deo placet, Ordinum conditores ſpectaſſe videbantur.

| MUNDI | CHRISTI |
| --- | --- |
| 5673. | 1620. |

*Bellum atrox inter Ferdinandum II Comitem Palatinum.*

Bellum geſtum eſt hoc anno in Germaniâ, quo ætas noſtra nullum atrocius vidit: agebatur enim de duplici ſceptro, immò & de Imperio, & quod erat caput utrimque mala, & vera Religio erant in partibus. Poloni enim & Hiſpani copias, Pontifex pecuniam Ferdinando; Angli & Batavi ſuppetias Palatino ſuffecerant. Fruſtra Rex Franciæ nobili Legatione ſollicitatus à Ferdinando, eos reconciliare per Legatos ſuos conatus eſt, adeò utrimque animos vera, & falſa pietas efferarat, ut omnes arma ſpirarent, & ſanguinem. Inter hæc Joannes Georgius Elector Saxonicus, Lutheranus licèt, Cæſari tamen addictus Luſatiam occupavit; Ambroſius Spinola cum exercitu Hiſpanico Palatinatum ingreſſus in eo multa oppida, quâ vi, quâ deditione cepit: Dux Bavarus Cæſaris, & Catholici in Germaniâ ductor exercitus cum Bucquojo junctus Bohæmiam ingreſſus, urbes aliquot ſibi vindicavit, demumque ad Pragam venit. Hic Dominus à Jeſu Maria Hiſpanus Carmelita diſcalceatus cùm inveniſſet Imaginem B. Virginis, cui oculos ſuffoderant Hæretici, Catholicis animos addidit, & ardentiſſimâ oratione eos ad vindictam Deiparæ fortiter incitavit. Igitur initum eſt certamen, quo primùm vincere viſi hæretici grandi poſtea clade proſtrati ſunt. Hâc victoriâ dedita Praga, Bohæmia ſubjugata, reducta Moravia, Sileſia repreſſa, Germania facta eſt ſui Juris, ac verè Catholica. Palatinus autem ex hac ſuorum ſtrage tantùm timoris hauſit, ut nunquam illum depoſuerit, unoque prælio, & perdiderit victoriam, & ſpem omnem alienæ ditionis invadendæ, atque ſuæ recuperandæ dignitatis.

*Palatinus victus nunquam recepit animum.*

*Poloni Bella & Turcici initia.*

In Walachiâ & Moldaviâ non minores extitere motu, cùm Oſmanes Campagium miſiſſet ad cædendum Gratianum Wayvodam Chriſtianum Græcum, ſibi vectigalem. Hic enim Campagium vice verſâ interemit, & à Polonis luculentum

recepit

recepit auxilium, quo fretus bis cum Turcis conflixit, primò feliciter, deinde malè, cæsus etiam cum multis nobilibus Polonis. Quæ causa fuit cur Osmanes, jam quietus à Persis arma converterit in Polonos; quæ hi tam fortiter depulerunt, ut non tantùm victoriam Turcis adimerent, sed & eos aggrediendi voluntatem.

Telina Vallis ditionis Rhæticæ, nexus Italiæ, atque Germaniæ, jugum hæreticorum excussit, cæsis aut depulsis eorum fautoribus. Cùm sibi meritò à Dominis Grisonibus hi reformidarent, imploravere Feriæ Ducis auxilium; qui sic eis tulit opem, ut miseros Telinenses ex Grisonum servis, mancipia faceret Hispanorum, collocatis ubique arcibus munitissimis. Ea res Venetos, Helvetios, Francosque meritò turbavit; quare primùm legationibus actum est, ut tam pinguis præda eriperetur Hispanis: verùm opus erat aliâ machinâ, ut hæc regio retinentissimis hominibus sui atque alieni tolleretur.

Inter hæc Franci dum ad Pontes Cæsaris, *le Pont de Ce*, in pago Andegavensi bella gerunt, ludere videbantur; (quare hæc expeditio linguâ patriâ dicta est, *la Drolerie du Pont de Ce*) verùm hic ludus, in veras Hæreticorum lacrymas conversus est. Proceres enim irati Luynio, quem ex ultimâ nobilitate, cum duobus fratribus suis Chalnio, & Lucemburgio, pervenisse videbant ad summa, illo etiam facto Connestabili, ad Reginam matrem confugere: hæc cum rebellibus, copias scripsit; sed Cadomo diligentiâ Regis, & prudentiâ Condæi occupato, necnon Reginæ Matris exercitu ad Pontem Cæsaris, fœdè debellato, victi clementiam Regis implorarunt, qui sic excepit Matrem, ut hæc illas ei copias coëgisse videretur. Septus rego Rex jam ingenti exercitu (copiæ enim omnes in una castra confluxerunt) de mulctandis rebellibus hæreticis egit, quos idem Rex pientissimus capitaliter oderat & cum iis inimicitias, pæne cum lacte, suxerat. Tum Beneharnus, & Rupella, Calvinianæ religionis in Galliis propugnacula, jampridem cum Romanæ Ecclesiæ jugo, Regium excusserant. Obediebatur utrobique Regi tantùm imperanti placentia, aut certè iis mandatis, quæ Calviniani Doctores Trossuli, accincti gladio præscripsissent. Enimvero id intolerandum visum est exercitui Catholico, ex filii atque matris ad Andegavum convenientibus copiis conflato. Alterutra non poterat imparata resistere. Antepolita est igitur urbi provincia, quam Rex fortissimus iniquissimâ anni tempestate, non tam passibus, quàm victoriis peragravit. Restitutus ubique veræ Religionis ablatus jampridem cultus; aspersasque Borbonio nomini, atque familiæ Regiæ, ab Aviâ impotenti fœminâ maculas, sapiens & religiosus nepos abstersit.

## CAP. III.

## *Decas Tertia.*

*Ab anno Christi* 1620. *ad* 1630.

MUNDI 5674. CHRISTI 1621.

Sequenti anno Turcus Osmanes Polonos aggreditur, cujus fortitudini si Janizzari respondissent, nec Ladislaus Sigismundi filius, cum suis, supra mortalium conditionem repugnasset, actum erat de Poloniâ, & ab hac parte de Christianitate. Sed ita repressus Osmanes, tam crebris cladibus est affectus, ut cùm graviores expectaret à Sigismundo, qui cum ducentis millibus equitum mox adfuturus nunciabatur, cum Ladislao ægrotante licet, & rerum omnium egeno, non satis ex Ottomanicâ majestate deciderit. Centum millibus suorum gladio, totidemque morbo, aliisque casibus absumptis Constantinopolin rediit, Polonis utique quàm suis placatior, quos inertes, & ignavos appellabat; quod ei mox vitâ stetit, & Imperio; quoniam erat ad accipiendam injuriam, quàm ad inferendam paratior.

In Hungariam veniens Bucquojus rem Cæsaream reparavit, urbibus ei certatim sese dedentibus; quando & Posonium captum est. Verùm cùm hic in prælio ad Neuvensolum cecidisset, Gaborius multa recepit oppida. Pacem nihilominus oblatam accepit; sed utiliorem sibi quàm gloriosiorem; cùm hac aliquot urbes suæ adjunxerit ditioni, Coronam Hungaricam tam propriè, quàm metaphoricè restituerit. *Bucquojus caditur: Gaborius pacem init cum Cæsare.*

Ludovicus autem in Galliâ bellum id temporis gerebat & sanctius, & si spectes initia, fortunatius. Fanum enim S. Joannis Angeriaci, *S. Joan d' Angely*, quia diutius restiterat Regi, muro spoliatum est, ad reliquarum urbium hæreticarum terrorem. Cætera oppida ambulando recepta: & tum actum erat de Hæreticis in Francia, nisi Montem ipsi Albanum objecissent, locum naturâ, & arte munitum, plenumq; propugnatoribus mori paratis aut vincere. Hæc tamen parum eis profuissent, nisi casu trajectus plumbeâ glande Meduanus Catholici ductor exercitus occidisset. Tanta erat Ducis hujus gloria, tanta bellicæ virtutis existimatio, ut eo sublato, præsente licèt Rege, Gallis omnibus animi conciderint. Obsidio certè soluta est curante Luynio Stabuli Comite, occulto prævaricatore, simulque viro aulicarum rerum, quàm belli scientiore. Is autem paulò pòst inglorius obiit; jam enim Regi cœperat minùs acceptus esse, neque satis æquis oculis respiciebatur, ob Montalbanense dedecus: adeo gratiosis apud Principes semel titubare periculosum. *S. Angeriacum capitur. Caditur Meduanus. Montalbanensis obsidio solvitur. Moritur Luynius.*

Rhæti procrastinantibus Hispanis, restituere Telinam Vallem, in eam armati irrupere, recuperaturi ferro, quam precibus & minis non poterant. Verùm iis objecti cum lectissimis copiis Feria, & Leopoldus Austrius, advenientes ita retuderunt, ut concordiam turpem inire coacti sint, metu mali gravioris. *Rhæti repulsi ab Hispanis.*

Fuit hic annus virorum illustrium morte celebris. Nam elatus est ætatis undeseptuagesimo, Sedis 15. cum mensibus novem, Paulus V. moribus incorruptissimis, & sub quo Roma, quantùm potest reddita melior. Ejus locum implevit Gregorius XV. in quo supra Paulinas virtutes gratia major, facilitas suavior elucebant. *Paulo V. succedit Gregor. XV.*

Obiit hoc quoque anno, ætatis 62. Albertus Archidux, veris lacrymis defletus à suis Belgis; quo sublato statim ejus uxor Isabella velum, & *Albertus Archidux moritur.*

*Spinola aliquas urbes capit.*

vestem Clarissarum suscepit, pietati vacatura deinceps, dum Ambrosius Spinola, fortiter arma tractaret. Hic Juliacum obsidens anno proximo ineunte cepit; Aurangio Principe nequicquam obsessis succurrere conato: erat enim Spinola sæculi sui scientissimus Poliorcetes.

*Philip. III. Hisp. rex moritur succedit ei Philippus.*

Interiit & Philippus III. Hispaniarum Rex ætatis 43. regni 23. reliquitque locum filio, ejusdem nominis Quarto, annorum sexdecim adolescenti, quem tamen virum statim sunt experti Dux Ossunæ, olim Siciliæ Prorex, itemque Rodericus Calderonus. Hic ex humili fortunâ ad summam evectus, cùm omnia posset, non potuit saltèm non carere multorum criminum suspicione: at si ex morte de vitâ conjecturam capere licet, odio majore flagravit, quàm scelere. Ossunensis turbulenti vir ingenii ob res Neapolitanas, animi impotentiâ in ultimum discrimen adductas, carceri mancipatus est, ut per otium ad se rediret, animique sui moribus præposteris fræna moliretur, atque procuderet.

*Comes Olivaresius Ducis Lermæ locum occupat.*

Sed & aliæ turbæ Hispaniensem aulam distraxerunt. Rex enim statim ἑταῖρον habuit Comitem Olivaresium, qui Ducis Lermæi, sub Philippo III. potentissimi locum occupavit. Hic prævisâ Principis sui morte, sapienter ad sacram purpuram promoveri curarat sese, quæ hunc à novi Regis iracundiâ texit, jussum ab aulâ tantùm recedere, in quâ tandiu propè Regis vices obierat.

*Hispani de Mauris, & Batavis victores.*

Fortunatè hoc anno res Hispanis terrâ, marique cesserunt. Rex enim Marochi obsidens arcem ab iis statutam ad fluvium Mamoram prope Alarchiam, adveniente Hispanâ classe fugatus est: eadem classis paulò pòst incidit in 32. Batavicas naves Venetiis redeuntes, elapso jam tempore induciarum, quas aut cepit, aut demersit; fortunâ primo aspectu iis arridente, ut eos postmodum turpius irrideret.

*Cosmus Medicæus II. moritur, succedit ei Ferdinandus II. Card.*

Mortuus hoc anno Cosmus II. Magnus Etruriæ Dux ingenio, quàm corpore vegetior. Reliquit liberos multos magno inter se amore concordes, quibus præfuit Ferdinandus II. decem circiter annorum puer sub tutelâ Aviæ, Matris, & Patrui, quorum curæ, & studia, Principis optimæ indoli responderunt.

*Bellarminus obit.*

Felicius item migravit ad Deum Robertus Cardinalis Bellarminus Politianus, ferè octuagenarius, qui virtutibus suis & eruditione, plus honoris addidit sacræ purpuræ, quàm ab illâ recepit; futurus etiam major si voluisset, aut in sanctiora tempora incidisset.

MUNDI 5675. CHRISTI. 1622.

*Osmanes tollitur sufficitur ei Mustapha, & huic Amurathes IV.*

Osmanes Turcus dum majora molitur, quàm ejus ætas, aut ratio regni postularet, exautoratus est à Janizaris, & Spachiis (hi equites sunt, illi pedites in militiâ Ottomanicâ) quibus exterminatis novam militarem disciplinam cogitabat. Itaque ab iisdem restitutus est in solium stolidus Mustapha, tantùm ut nepotem suum cædendum curaret; quod ubi præstitit, & quasi impositam sibi personam Regius motio non malè gessit, deturbatus est, ei anno sequente substituto Amurathe, hujus nominis Quarto; & datus est in custodiam dumtaxat, bis licet spoliatus regno, magno apud Turcas ejus vecordiæ, & stoliditatis argumento.

*Capta Hildelberga, & Bibliotheca Romam defertur.*

Hoc anno capta est à fortissimo Bavaricarum copiarum duce Tillio Hildelberga, Palatinatus Rheni caput, hujusque urbis Bibliotheca conflata ex omnibus pæne Germaniæ Monasteriis, ideo simul & semel eorum præcipuo Domino Pontifici Romano restituta fuit. Romam itaque tota missa est, magna tamen deferentis incuriâ, qui codices exquisitissimos diripi passus est, eamque maluit deferri in Urbem librorum numero, quàm delectu copiosiorem.

*Passi in Iaponia Martyres.*

Passi sunt hoc anno in Japoniâ gloriosi Martyres Petrus de Suniga Augustinianus, Carolus Spinola Genuensis, & Sebastianus Quimura, primus è Japonibus Sacerdos, ambo Societatis JESU, aliique multi nobiles, lentis ignibus cremati, majoribus se flammis ardere docuerunt in animo. Multis etiam infantibus Christianis demessa capita, qui se constantiâ maturos cœlo demonstrarunt.

*M. Ant. de Dominis Papæ reconciliatur.*

M. Antonius de Dominis operâ Legati Hispanici, reconciliatus Ro. Pontifici, ab eo veniam obtinuit, & recinuit Palinodiam; homo magni ingenii, & majoris levitatis, cui plus & Ecclesiæ carcer, quàm concessa libertas profuit.

*Vignacurtius Magister Melitensis obit.*

Mortuus est hoc anno Magnus Ordinis Melitensis magister Adolphus Vignacurtius, quem annis ferè duobus, & viginti magnâ cum laude prudentiæ administravit, magistratu æquè sancto, atque diuturno.

*Moritur & Franc. Salesius.*

Nec ita multò post exeunte anno eum secutus est Franciscus Salesius, Episcopus Genevensis, ætatis anno 56. sedis 20. Lugduni, vir innocentissimæ vitæ, dignusque qui die sanctis Innocentibus sacro moreretur. Singularis ejus pietas, mirâ suavitate, & humanitate condita, multis & religiosis, & sæcularibus profuit; cùm ex eâ nescio quem horrorem deterserit, & sapienter ostenderit aditus nemini ad excellentem sanctimoniam esse præclusos.

*V. Sanctorum Canonizatio.*

Gregorius XV. altero sui Pontificatus anno, Isidoro, Ignatio, Xaverio, Theresiâ, atque Philippo, indigetibus quinque Sanctorum numerum auxit. Ignatii atque Xaverii fretus auxilio quibus tantum honoris procurarat Ludovicus XIII. hæreticos aggressus aut malè

*Lud. XIII. hæreticos sibi parere cogit.*

mulctavit, aut ad obsequium, & fidem redire compulit. Victus enim ad Riensem Insulam, non tamen sine periculo Regis, Subizius. Eidem quoque Regi se tum submisit Rohanius illius frater, revocatus per Desdiguerium, quem Ludovicus Comitem stabuli mortuo Luynio suffecerat, multorum annorum, palmarumque Ducem, Rupellani etiam ipsi terrâ pressi, ac mari domiti, jussa Regis implere simularunt, & aliquid

*Mansfeldius nothus exclusus Francia victus ab Hispanis.*

visa est in urbe tam superbâ, rebellique, vel obsequii, simulatio.

Trepidatum est tamen in limite Campaniæ; quia Mansfeldius nothus, cum collectitiâ Germanorum prædatorum manu, per hanc in Belgium irrum-

irrumpere moliebatur; at prohibitus est prudentiâ & fortitudine Ducis Nivernensis Campaniæ Proregis latronibus istis cum exercitu semper imminentis, quos demum in aditu Belgii Gonzalo Cordubæ Hispano concidendos, dissipandosque tradidit.

Gregorius XV. Armandum Cardinalem Richelæum postulante Ludovico, & Maria Medicæa, sed longè magis exigentibus tanti viri prudentiâ, & ingenio inter purpuratos patres adscripsit, ut supra omnes emineret, eòque efferret dignitatem illam, quò ulterius promoveri non posset. Civitas quoque Parisiensis de se tam illustris, facta est etiam splendidior Archiepiscopatu, substracta Senonensi, eique attributis suffraganeis Carnotensi, Aurelianensi, Meldensi Episcopatibus. Hujus primus Archiepiscopus fuit Joannes Franciscus Gondius, nepos atque frater Cardinalium Petri & Henrici Gondiorum, qui diu expectavit purpuram, quæ in ejus nepotem, & corpore, & ingenio digniorem translata est.

MUNDI 5676. CHRISTI. 1623.

Mansfeldius, & Halberstadiensis duo Germaniæ funera, idoneos putarunt sese, qui latrociniis suis, ac deprædationibus ulciscerentur Fridericum Palatinum Electoris dignitate ab Imperatore spoliatum. Verùm oppositus eis Tillius fortissimus & experientissimus copiarum Cæsarearum ductor, latrones istos contudit & contrivit ad Statabum, ut quò diffugissent eorum reliquiæ, Germania ipsa diutiùs ignorarit.

In Comitiis Ratisponensibus Electoratus Palatini in Ducem Bavariæ translatus erat, cujus & ditio creverat, huic adjuncto Palatinatu superiori, ejusque potentiam domus Austriaca, cui addictissimus erat ille Princeps, putabat esse suam. Turbabat etiamnum Hungariam Gaborius; cum quo tamen factæ sunt induciæ; quas minùs Imperii gloria, quàm necessitas postulabat. Denique tum Vallis Tellina Summo Pontifici consignata est, ut bellum inter Francum & Hispanum, Sabaudum & Venetos componeretur; cui præpositus est Marchio Bagnius, vir bonus & prudens, & sic omnibus acceptus, uteo meliorem nec ipsi Grisones exoptarent.

Carolus Walliæ Princeps Jacobi Angliæ Regis filius unicus Mariam Philippi IV. filiam postulavit uxorem, atque eam ut obtineret, per Galliam cum quatuor sociis incognitus transiit, & Madritum venit: eas etiam nuptias probat Pontifex, quasi profuturas Ecclesiæ, aut saltem nequaquam nocituras. Cur autem hæc non coaluerint, incertum, Anglo & Hispano sibi invicem causam abrupti matrimonii objicientibus; ambo certè rei, aut non innocentes.

Urgebat tum in Hispania *Illuminatorum* Secta, inquinatissimum hominum genus, & deditissimum orationi, quæ solâ mente peragitur, cui & Sacramentorum, & alia Christianæ pietatis opera posthabebant. Verùm septem ejus authores igni traditi, in aliis excitatos libidinis ignes extinxerunt.

In Germania quoque, horum monstrorum feracissimâ, nata est secta vocata *Fraternitas S. Crucis à Rosa*, cujus professores se invisibiles, & incognitos dicebant, omnia indulgentes corpori, fœdisque voluptatibus ventris, & infra ventrem addictissimi: Lutherani omnes, Empirici, simul & Magi; quo ex contextu, quid mali non expectandum fuit? *Fraternitas S. Crucis à Rosa.*

Obiit tum Gregorius XV. ætatis 72. sedis 2. cum quinque mensibus, magno bonorum omnium mœrore; quem utcumque sedavit sublectus eidem Maphæus Barberinus vir eruditissimus, dictus Urbanus VIII. qui tam diuturnum, quàm utilem Ecclesiæ gessit Pontificatum. *Greg. XV. succedit Vrbanus VIII.*

MUNDI 5677. CHRISTI 1624.

Vallis Tellinæ negotium non satis procedebat ex fœderatorum voluntate, & Bagnius cui commissa erat hæc ditio ab Hispanis circumclusus, illam iis servare potiùs quàm Pontifici videbatur: cum Marquio Coëurius Estræus Legatus Regis Franciæ ad Helvetios & Rhætos depositâ Legati personâ, & Imperatoris assumptâ, eam nomine sui Principis, Sabaudi atque Venetorum, armis fortiter invasit atque intra duos menses totam occupavit; querente Pontifice graviter, quasi per Francos contemptus esset apertè, cùm tamen priùs, occultè licet, magis ab Hispano sperneretur, & taceret. *Vallem Tellinam occupat Marchio Coëurius.*

Urbs Breda in limite Brabantiæ egregiè communita ab Hispanis duce Spinola, magnis operibus circumvallata, longa quidem, & in annum sequentem protractâ, sed certâ, securâque obsidione ad deditionem compulsa est. *Bredam capit Spinola.*

Tum etiam confirmatus est à Pontifice Conceptionis Ordo institutus à Duce Nivernensi, majori pompâ, quàm emolumento, & cujus præter nomen nihil adjuvere Mahumetani, quorum in perniciem comparatus erat. *Conceptionis Ordo à Duce Nivernensi institutus confirmatur.*

Damnati sunt hoc anno Parisiis, novi quidam Antiperipatetici, Chymistæ, Medici, eorumque prohibitæ theses, quibus turbabatur potius, quàm illustrabatur Academia. *Damnati Antiperipatetici*

Mortuus est 13. kal. August. Henricus Lotharingiæ Dux, anno ab obitu Patris decimo sexto. Reliquit tantùm filias duas quarum natu major Nicolea nupsit Carolo patrueli suo filio Francisci Comitis Valdemontii, fratris Henrici, cui aut dotalem attulit Lotharingiam, aut saltem ei debitam firmavit, cùm maritum aut uxorem nemo negare posset esse Duces Lotharingiæ. *Henr. Loth. obit, relictis duabus filiis; Nicolea Carolo nubit.*

Frater Paulus Venetus Servita Summi Pontificis magnus hostis, ipsisque hæreticis Sanctæ Sedi longè infestior, & cucullatus Lutheranus, anno superiori mortuus, isto à plebecula Veneta Sanctorum honore consequutus esset, nisi sub Anathematis pœna prohibuis- *Fr. Paulus Servita mortuus coli vetitus.*

buisset Urbanus ad ejus sepulchrum appendi Anathemata, & coli Venetiis, qui Romæ ignibus (ut creditur) addictus foret. Et verò compar ejus, ac propè æmulus Marcus Antonius de Dominis in Dalmatia Spalatensis Archiepiscopus, Apostata quondam, & ad relictos Anglos per summam levitatem respectans, Romæ in custodiam datus est, ut per vim desipere prohiberetur. Hic senex, & Ventriosus contraxit morbum, ex quo paulò post mortuus est, Sacramentis omnibus Ecclesiæ munitus. Nihilominus inquisitorum judicio, cum suis scriptis in campo Floræ crematus est igne mortuus; quem fortè vivus nunquam effugisset.

*De Dominis post mortem comburitur.*

*Pax inter Ferdinand. Imper. & Gaborium.*

Hoc anno demum pax inita est inter Ferdinandum Imperatorem, & Bethlehemum Gaborium Principem Transylvaniæ, qui titulum Regis Hungariæ deposuit, ejusque administrationem, servatis tamen aliquot urbibus, quandiu viveret, & quas ut Princeps Imperii possideret; eâ tamen lege, ut nihil negotii Catholicis Calvinianus, aut potiùs nullius religionis Dynasta facesseret; conditionibus sine dubio utrimque honestis, & quæ omnes belli pertæsos innuerent.

*Tartari grassatores repressi a Polonis.*

Tartari Podoliam, & Russiam Nigram, seu Rubram infestantes, tandem in Polonos & Cozakos inciderunt, à quibus grandi sunt affecti clade, multis suorum desideratis, ac primario duce. Ita jam de reliquiis exercitus sui servandis, quàm prædæ sollicitiores, maturiùs utique quàm venerant patriam suam egentes atq; vulnerati repetierunt.

*Batavi vincunt Hispanos ad Peruviam & Brasiliam.*

Batavi hoc anno Hispanicam classem 30. navium ad Limam oppidum Peruviæ, 12. tantùm instructi navibus vicere, ac magnâ ex parte depressêre. In Brasiliâ quoque cum 9. navibus occupavere Sinum omnium Sanctorum, & urbem S. Salvatoris expilarunt magnis refertam divitiis, capto etiam Prorege cum filio, Episcopo, & aliis primariis viris, quos in Hollandiam, victoriæ suæ fercula, submisere. Verùm statim adversus eos paravit ingentem classem Philippus, cui præfecit Fridericum Toletanum. Hic Batavos auxiliatores cum 36. navibus prævenit urbem iis eripuit; & quod caput fuit, hæreticorum ac rebellium audaciam fastumque repressit.

*Turba Mexicana inter Arch. & Proregem.*

In urbe Mexico Novæ Hispaniæ lis exorta inter Proregem Sylvesium, & Archiepiscopum, de Juribus Ecclesiæ, publicam rem in ultimum pæne discrimen adduxit. Jussus enim vinciri Archiepiscopus, fortitudine suâ Proregem detrusit in carcerem, causâque coram Rege in Hispania excussa, pietas & religio, severitati, atque impotentiæ prævaluere.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5678. | 1625. |

*Barberinus Legatus à latere.*

Venit in Franciam Legatus à latere Urbani VIII. nepos Franciscus Barberinus, ut dissidentes inter se Francos, Hispanos & Genuenses reconciliaret; nullo tamen alio operæ pretio, quàm ut venisse, & magnificè receptus esse videretur.

*Subizius & Rohanius reconciliantur Regi.*

Subizius & Rohanius inquietissimi fratres, & hæretici, populos ad rebellionem sollicitarunt, & terrâ, marique prædas egerunt. Sed Subizius ad Reacum seu Ream Insulam Rupellæ vicinam terrâ marique victus est à Mommorantio Franciæ Archithalasso. Itaque ambo compulsi sunt à Rege veniam petere, quæ iis concessa est, quia nocere poterant, Rex subditorum, quàm sui voluit videri sollicitior.

*Salica lex in Lotharingia.*

Salica lex de successione masculorum in Ducatum Lotharingiæ, in Comitiis Lotharingicis hoc anno admissa est. Huic etiam subscripsisse perhibetur Nicolea, sed coacta; reclamavit certè ejus soror, & adhuc lis est sub Judice, magnis utrimque propugnatoribus defensa, & quam vis tantùm, & potentia spe, & decident.

*Carolus Walliæ Princeps ducit Mariam Henricam.*

Carolus Walliæ Princeps Mariæ Henricæ Francicæ nupsit, Catholicis exultantibus, frementibus hæreticis, vanis utriusque partis & timore.

*Iubilaum Roma.*

Jubilæum promulgatum Romæ multos etiam Principes accivit in Italiam, quibus præcelluit Ladislai Poloni pietas multis gratiis per Pontificem honorata.

*S. Elizabetha Canonizatur. Andreas Abelinus & Felix Cantelicius Beati.*

Ibidem Elizabetha Portugalliæ Regina tertii Ordinis Sancti Francisci in sanctarum Album relata est 8. Kal. Junias. Beatos quoque dixit Urbanus Pontifex Andream Abellinum, Theatinum, & Felicem de Cantelicio Capucinum, magno omnes Ecclesiæ plausu receptos.

*Genuenses pacem à Francis redimunt.*

Hoc tempore Respublica Genuensis appetebatur à Francis ob injurias Sabaudis illatas, nec Hispani, quorum in potestate, vel tutelâ Genua est, aut volebant, aut poterant resistere. Et Francus quidem victor; perrumpere paratus omnia, jam imminebat urbi, neque jam de finibus, & ditione, sed de muris agebatur. Metu itaque cives perculsi discrimen quod armis & ferro amoliri non poterant, consilio, & auro discusserunt. Ut se res habuerit, non est hujus operis dicere; id tamen taceri non potest, ut publicum nimis, ex illa expeditione Francos ignominiæ, ac dedecoris plenos cum suo Duce rediisse.

*Moritur Iacobus Angliæ Rex, cui succedit Carolus filius. Mauritio succedit frater Henricus.*

Anno vitæ undesexagesimo, Regni Anglici 22. obiit Jacobus Rex, Princeps amantissimus pacis, adeòque addictus procurandæ inter vicinos concordiæ, ut hæc ejus sollicitudo ab illis rideretur, & apud plebeculam abiret in proverbium. Mortuus est quoque Mauritius Arausicanus Princeps, cui successit Henricus frater, cùm ipse ἄτεκνος obiisset, neque duxisset uxorem, quam impedimentum viri bellatoris appellabat, ipse tantùm intentus in bellum, in quo vir magnus evasit, factus tandem longo usu, multisque damnis acceptis bonus Imperator.

*Pax inter Turcam & Cæsarem. Ferdinandus creatur Rex Hungariæ.*

Renovatâ inter Ferdinandum & Amurathem pace, eique inserto etiam Gabore Transylvano, idem Ferdinandus filium suum, Regem Hungariæ curat eligendum, qui coronatus est Sopronii ætatis anno 17. Nec enim

enim Hungari admittere ullum voluerunt Regem aut cessione, aut hæreditate; idque sapienter indultum est eorum pertinaciæ, quam solâ facilitate bonus Princeps posse credidit emendari.

Chistianus Daniæ Rex, Dux electus Protestantium inferioris Saxoniæ, ut Palatinum restitueret, tam malè à Cæsareis Ducibus exceptus est Tillio & Walsteinio, ut dum alteri providet, parum sibi consuluisse putaretur.

Melitenses Equites susceptâ ad Leucadem, *Sainte Maure*, expeditione, urbem occuparunt quidem, sed cruento certamine, eamque incendere compulsi sunt. In reditu cum 5. triremibus occurrentes Bisertinis sex, è suis amisere duas, tres plane conquassatas, & inutiles Melitam reduxere; sed non omnes Equites quorum multi cæsi, aliquot captivi relicti sunt, sive ea militum, seu Ductorum culpa fuit, cum magno Ordinis dedecore copulata.

MUNDI 5679. CHRISTI 1626.

Bellum hoc anno gestum est magnâ contentione, atque ardore Turcos inter, & Persas, cum hi Bagdetum suo restituissent Imperio, illi perditum ferrent impatientissimè; quare & Vizirem suum Amurathes exauthoravit, atque ei, quem fortiorem & sapientiorem putabat, substituit alium. Babylonem vulgo hanc urbem inepti vocant, quasi Bagdetum veteris Babylonis ruderibus impositum sit, & non Seleuciæ quæ eluitur Tigri ut Bagdetum, cùm Euphrates Babylonem interfecaret; de quibus tanta est inter Geographos controversia, quanta tum fuit inter Persas & Ottomanos.

Crevit hoc anno Pontifica ditio Urbinate Ducatu, qui ab hac parte Patrimonium Ecclesiæ denormabat, sponte cedente Francisco Maria de Rovera, quem tutiùs à Romano Pontifice, se vivo possideri, quàm à mortuo expectari judicavit.

Tentatum in Belgio opus audax, Incile quo derivabatur Rhenus in Mosam, & commercia Batavorum inhibebantur, quod incredibili partium labore atque sumptu tentatum est, atque impeditum.

In Gallia Vindocini fratres duo, Mareschallus Ornanus aliiq; proceres in regni perniciem aliquid moliti, conjecti sunt in carcerem; unus Chalæsius caput perdidit, non cujus animus, sed lingua fuerat sceleratior, atque nocentior. Suessionensis Comes, maturè, & sapienter fugit; Dux Aurelianensis cujus causa fuerat hæc inita conspiratio, non modò nihil passus est mali, sed & accepit Mariam Borboniam conjugem, filiam unicam Ducis Montispenserii è Regio ortam sanguine, formâ, & prudentiâ adhuc, quàm genere illustriorem. Quem autem deprimere conati fuerant isti conjurati Cardinalem Richelæum, extulerunt magnam ab eo tempore Rex illum pluris fecit, expertus singularem in hoc negotio dissuendo ejus prudentiam; ideo ut se deinceps illi regnumque administrandum permiserit, frementibus licet multis, & adversus eum lapidem omnem moventibus, quos ille nihil veritus, aut tacere compulit, aut nimis renitentes exterminavit, quasi regno aut Principi suo perniciosos; mirabili politices genere, & cui Theologi quidam sunt adstipulati, de quorum doctrinâ posteritas judicat.

In Germania quoque adversus Cæsarem nova est facta conspiratio, cui Bethlehemus Gaborius Turcos quoque suos permiscuit, vir quietis impatiens, & nullius apud homines, ut apud Deum fidei. Huic conjunxerat consilia sua, atque vices Mansfeldius; quem hoc anno ad Pontem Dissaviensem Walsteinius deleverat, peditatu ejus cæso ad internecioné, equitibus ægrè cum ipso duce dilapsis. Reparavit nihilominus statim exercitum, & per Germaniam populabundus in Hungariam ad Gaborium venit, cui latronum suorum reliquias commisit. Ipse dum ad Venetos pergit, in Bosnia mortuus est morbo; Attila Germaniæ vulgò nuncupatus, cui grassando, desolandoque vix cessit, huic etiam morte dissimilis parum.

*Gaborius cum aliis in Cæsarem conspirat.*

*Mansfeldius notibus victus à Walsteinio.*

*Paulò post moritur.*

Christianus Daniæ Rex, qui Palatini susceperat patrocinium, in agro Brunsvicensi à Tillio duce Cæsareo victus, suos pænè omnes duces, 22. tormenta bellica, 66. signa militaria, & quod caput fuit existimationem suam perdidit, non ab hostibus deinceps tantùm, sed à suis derisus ignominiosè.

*Christianus victus grandi clade à Tillio.*

In Austria desæviit 70. millium rusticulorum furor, quos armarat desperatio. Hi Legatos quoque miserunt impudenter ad Imperatorem, & æquo pænè jure egerunt cum suo Principe: quâ audaciâ, nobiles (quorum in perniciem conjurarant) contra se accenderunt, à quibus fracti sæpe, atque profligati, aut fame enecti sunt in sylvis, aut ex arboribus in via militari consitis, popularibus suis terricula pependerunt.

*Rusticulorum in Austria rebellio, & pœna.*

Pertinent ad hoc tempus Gustavi Adolphi magni Sueciæ Regis initia; quando hic in Prussiam navigantes Gedanum valde terruit, unde & postea rediit cumulatus gloriâ, visus par esse Sigismundo Polono. Corrasit & tum undique pecuniam, quâ fretus & auro Gallico, sic ejus aspectu inflammatus est, ut hujus splendore perculsus magnas intulerit in Germaniam tenebras, divini humanique juris perturbationem.

*Gustavi Adolphi initia.*

MUNDI 5680. CHRISTI 1627.

Hoc año iterum majori conatu tentatum Bagdetum à Turcis, Calilio Vizire, majori horum ignominiâ defensum atque servatum. Tum autem Constantinopoli Cyrillus Patriarcha, ex Turco, Græco, Calviniano hybrida, homo versipellis atque sceleratus, adolescentes Græcos misit in Hollandiam instituendos, qui deinceps per Græciam, quod hîc combiberant Calvinia-

*Bagdetum iterum tentatum à Turcis.*

*Cyrilli patr. Const. professio fidei.* vinianum spargerent virus. Hujus prævaricatoris nomine edita professio fidei; sed qualis hæc porro? missa videlicet ab impio, & ad impios, etiam optima quæque corrumpere solitos.

*Duella duorum supplicio repressa.* Parisiis duella repressa sunt, nobilibus gladiatoribus publicè tortoris manu capite minutis, Francisco Mommorantio Buttevillio, & Francisco Rosmadeco Comite Capellarum; duorumq; pœna, & ipsis, & multis aliis saluti fuit.

*Santarelli Jesuitæ liber damnatus.* Antonii Santarelli Societatis JESU liber hoc anno à Parisiensibus Theologis damnatus, turbarum aliquid commovit, Richerianis Theologastris erigentibus caput; atque in Pontificem paratis insurgere. Verùm eos egregiè retudit Franciscus Cardinalis Rupifulcadius, magnus Ecclesiæ patronus, cui se auxiliatorem quoque præbuit Cardinalis Richelæus, à quo tamen hæc tempestas in Societatem concitata, non improbabiliter credebatur; sed ubi hanc vergere in detrimentum Ecclesiæ vidit, sapienter sedavit; & fassus est postea se Societatem tum non agnovisse satis, cognitam impensiùs amare, ac sibi obstringere beneficiis destinare, ut hanc sarciret injuriam.

*Turbæ Virodunenses ob arcem.* Turbæ tum quoque Viroduni concitatæ sunt per Franciscum Lotharingum urbis Episcopum, dum Anathemate perculit aliquos, qui Regis nomine hac in urbe statuerent arcem; quod quidem locis publicis affixum Præses tolli jussit, lacerari, & publici servi comburi manu. Episcopus provocavit ad Cæsarem, ejusque tum auditæ querelæ, sed omissum remedium, quod non poterat absque majori malo adhiberi.

*Angli ad Ream Insulam appellunt.* Appulerunt hoc anno ad Ream Insulam (hæc veteribus Geographis Reacus est) permixti rebellibus Francis Angli, à Rohanio & Subizio concitati, Duce Buckimgamo, privatis injuriis accenso; & illam occupassent, nisi fortissimum, & scientissimum rei militaris præfectum nacta esset Joannem Sanbonetum Thorasium. *Thorasius arcem S. Martini egregie tuetur.* Is enim non modò cum hostibus, sed cum fame, rerumque omnium penuriâ mensibus quatuor luctatus, ostendit quò Francica fortitudo pertingeret.

*Angli in Rea Insula devicti duce Schombergio.* Rex interea cum exercitu stabat in littore; at æstuario latissimo dirimebatur à suis. Magni Richelæi consilio factum, ut eò naviculæ, atque cymbæ ex vicinis omnibus oris appellerent, quibus impositus miles Francus animatus oculo Regis contemptis Britannorum Liburnicis ad varias insulæ stationes fecit exscensionem. Is demum collectus à Schombergio magni nominis, majorisque virtutis duce, S. Martini arcem, Thorasiumque liberavit, & Anglos naves suas non satis celeriter repetentes oppressit, extremò exercitus agmine disjecto, atque trucidato. Sic Rupella Ream Insulam ab hoste Gallico tentandam curavit, nullo alio opere pretio, quàm ut se magis ream ostenderet, & justum furorem optimi Regis excitaret, quem inertem & inanem non fuisse, mox erat aspectura.

*Horribilis Apuliæ terræmotus.* In Apulia exeunte Julio mense, ingenti motu terra contremuit, horis quinque: quo tempore multa sunt absumpta hominum millia, cum fortunarum omnium jacturâ, ædes sacræ profanæque corruerunt, inter quas Venturius urbis Sanseveri Episcopus mirabiliter servatus est, ne deesset afflictissimo gregi pastor, qui eum solaretur.

*S. Norberti corpus ... tum Ma... deburgo.* Danus hoc anno planè retusus est à Tillio, & Walsteinio; quando & S. Norberti Archiepiscopi corpus ex urbe Magdeburgo exportatum est Pragam, ut hic coleretur, neglectum illic à Lutheranis, quibus incautis magnum est ereptum præsidium.

*Sigismundus Rex Gustavum superat.* Poloni & Sueci sub magnis ducibus, Regibus suis Sigismundo, & Gustavo fortiter pugnaverunt: sed prævaluere tandem Poloni, Gustavo, & Magno Sueciæ Mareschallo vulneratis; cruentâ tamen victoribus victoriâ, quæ sic horum extulit animos, ut illorum nequaquã deprimeret.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5681. | 1628. |

*Angli & Batavi turbant ... Constantinopoli.* Constantinopoli Angli & Batavi hæretici pacem turbare conati sunt inter Ferdinandum, & Turcos. Cùm nihil obtinuisset, Venetis adjuncti Jesuitas expellere conati sunt Græciâ: verùm obstitit eorum conatibus Regis Franciæ Legatus Cesius, & unus tribus aliis Legatis superior extitit: quia causam optimam fortissimi Regis, ipse bonus ac fortis defendebat.

*Rupella munitionibus circumvallata.* Rupella hoc demum anno grandi indagine cincta est, multisque arcibus, & præsidiis circumvallata non ad terrorem obsessorum, & obsidentium tutamen modò, sed & ad horum quoque voluptatem. Ita tamen inclusis favebat mare, ut ab eo rebelles sperarent omnia, nec jam Regiis esset duntaxat cum hominibus, sed cum teterrimi Elementi furiis depugnandum. Quid ingenia non possunt supra conditionem mortalium elata? Richelæus æstum hunc aggere lapideo putavit frænare posse, & audacibus ejus consiliis respondit eventus. *Moles ... struitur æstuario Rupellæ.* Relicto itaque tantundem spatii, quantùm satis esset ad emittendas aquas è continenti defluentes, reliquam æstuarii partem, ducto ab utroque littore divisit muro, ex lapidibus impolitis, & grandibus, quos inter aqua se maris insinuans cum alga, intritam calce omni arenâque tenaciorem convehebat. Sic stetit opus Rupellanis inclusis, & Anglis auxiliatoribus metuendum. Ne quis autem aditus, exitùsve superesset ad fauces, quas agger interruptus relinquebat; in iis depressæ sunt magnæ naves probè saburratæ, longis crassisque trabibus inter se cohærentes, quibus irrumpens classis Anglorum implicaretur; si tamen priùs eminentes è mari proceras arbores, huic ostio prætentas, & brachia ferro armata longe objicientes (*candelabra* vocabant artifices multo molimine, majorique discrimine perfregissent. *Candelabra prætenta ... dio ...* Et verò bis Angli viderunt, & mirati sunt molem, ac displosis frustra in eam tormentis, quasi suæ expeditionis obicem salutarunt. Sed quid tantum Anglos appello? immo quis Rupellam capi præter Ludovicum; & Richelæum optavit? Hispani ipsi (quod Francis magno crimini vertunt) Hugonotis favebant tantùm non apertè, atque obla-

oblatis magno apparatu auxiliis ſapienter metuendi. Qui eam obſidebant nobiles Galli, & proceres tentari volebant, non expugnari Aſylum ſuum ſi quando Regem offendiſſent, Richelæus tamen divini vir ingenii eorum omnium diverſa conſilia, atque pugnantia traduxit ad ſua, & Rupellam capere nolentes licet atque reluctantes ingenioſè compulit expugnare. Itaque fame maliſque domiti Rupellani, non jam homines, ſed viva cadavera, quæ ſibi invicem faciebant terrorem, & accipiebant poſt quindecim menſium obſidionem Regi ſe humaniſſimo, exeunte hujus anni Octobri dediderunt. Nihil imperatum urbi ab optimo Principe graviùs, nihil quod exigeret tam atrox atque diuturna rebellio: disjecta tantùm propugnacula quæ hanc foverant, & accenderant diruta, omnibusque proviſum modis, ne ſi maximè vellet, ipſa ſe perderet; & dum pateret undecumque, furori duntaxat, & conjurationibus occluderetur.

Interea furebat in Occitania Rohanius, in cujus caput aureorum 50. millia pronunciata ſunt; remedium in hac forti gente ſemper improbatum, & ex quo ſemper pronuncians plus hauſit dedecoris, quàm appetitus incommodi. At prudentiùs in eum miſſus Condæus cum Mommorantio & Ventadutio, eum nusquam paſſi ſunt conſiſtere. Multis urbibus captis, laqueo & furcis ſævitum in rebelles; qui & Catholicis repoſuerunt vicem, feliciùs utique morituris. Verùm cùm Rex ubique prævaleret, viſa eſt intempeſtiva crudelitas iſta, ac deinceps cum iis actum mitiùs; quæ facilitas, armorum oſtentatione condita, multos revocavit ad Eccleſiam inter quos excelluit Dux Tremolius Richelæi qui eum inſtituit ſapienter, & eruditè dedocuit, nobile ferculum.

Novum eſt tum conflatum inter Anglos, Danos, Suecos, Batavos de Palatino reſtituendo fœdus; inutile tamen, prævalentibus ubique Tillio atque Walſteinio. Danus ad Volgaſtum Pomeraniæ, fugere compulſus eſt; multæ urbes captæ à Tillio atque Papenhemio, qui egregiam in his bellis navavit operam, vir ſupra Germanos ſuos intrepidæ fortitudinis, & expeditæ.

Inter Suecos & Polonos continuatum eſt bellum, fortunâ tamen illis ſecundiore, his adverſâ; ex qua Gedanenſes plus incommodi recepere, dum tentantur atque defenduntur; ſicque hoſtium, atque ſociorum rapinis patuere, quas minuere boni Duces poſſunt, penitùs impedire, deſperant.

Italiam mors Vincentii Mantuani anno ſuperiori exeunte fato functi, hoc anno turbavit. Hæreditatem enim ejus adiit Carolus Gonzaga Dux Nivernenſis, cujus filius Dux Rethelius Mariam filiam Franciſci, fratris Vincentii, hoc jubente, duxerat uxorem. Reclamabat tamen Ferdinandus Gonzaga Dux Guaſtallæ, ſicut & Margarita vidua Ducis Lotharingiæ, ſoror natu major trium ultimorum Ducum Mantuanorum, totamq; ſibi hæreditatem vindicabant: Sabaudus quoque ſibi Montisferratenſem ditionem depoſcebat, & rationes ſuas armatus offerebat. Imperator optabat hanc dirimere litem, Hiſpanus turbare, Francus tollere: verùm Hiſpanus prævaluit. Gonzales enim Cordubenſis, Mediolani præfectus Caſale S. Evaſii obſedit; Sabaudus huic concors, Trinum & Albam cepit; Nivernenſis nequicquam expectabat auxilium à Ludovico quem Hugonoti rebelles diſtinebant in Gallia, difficili bello. Verùm hoc maturiùs finitum eſt, quàm expectabant aut optabant Catholici Principes, &, ſi Deo placet, acerrimi hæreticorum oppugnatores.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5682. | 1629. |

*Franci hyeme Alpes trajiciunt & hoſtes turbant.*

Jam inchoatus erat hic annus, & hoſtes in Italia hyeme, Alpibusque freti magna moliebantur: utrumque cùm contempſiſſent Franci, & montibus ſuperatis, etiam Seguſium, *Suze*, cepiſſent, viſæ tantùm Italiæ, & Caſali pacem reſtituerunt. Eam enim urbem ſtatim Hiſpanus liberam deſeruit, & gratiæ loco duxit, non eſſe Mediolanenſis agri urbem aliquam ab exercitu victore, & inexpectato tentatam, quam, ſine dubio imparati perdidiſſent.

*Vrbes Hugonotorum ſe dedunt, præter Privaſium.*

In Gallia poſt Rupellam captam, quæ civitas jam ſui juris vellet eſſe? certatim ergo ſe dedebant Hugonotorum urbes, muroſque dejiciebant ſuos, jam Regis nomine & amore, quàm propugnaculis ac mœnibus tutiores. Privaſium tamen inſigni temeritate auſum eſt reſiſtere, & occludere portas Regi victori; ſed ſtatim agnovit periculoſum eſſe Principi ad veniam prono, & facili reſiſtere; ſic enim exceptum eſt, ut ex urbe buſtum fieret, atque morticinum.

*Rohanius paulò tardiùs ſe ſubmiſit Regi ideò Regno cogitur exire.*

Hujus mali cauſa, & author Rohanius extitit, dum ab Anglis & Hiſpanis expectat auxilium; qui nec poterant dare, nec volebant, videlicet nec dantibus, nec accipientibus profuturum. Tandem ipſe deſperans hæreticorum negotia, ſe ſubmiſit Regi, ſed paulò tardiùs, quàm vir ſapiens, & benè affectus in regnum debuiſſet: ideoque juſſus eſt Gallia faceſſere, nec ſibi, nec Regis ſubditis, quandiu in ea viveret, ſatis tutâ.

*Multa hujus anni fœdera.*

Hoc item anno pax inita eſt inter Anglum, & Francum, cùm jam hic nihil, ille timeret omnia. Eadem inter Danum & Cæſarem coaluit, hunc victorem, illum ſæpe profligatum, ſed utrumque diuturno fatigatum bello. Inter Polonos & Suecos non pax, ſed induciæ conſtitutæ ſunt neutris pacem, ſed tempus ad bellum reparandum exoptantibus.

*Andreæ Corſini Canonizatio: Cajetani Thienæi Beatificatio.*

Sanctorum numerum auxit hoc año Andreas Corſinus Florentinus Carmelita, & Epiſcopus Fæſulanus; Beatis quoque indigetibus adſcriptus Cajetanus Thienæus, alter Theatinorum conditor, & in eo antepoſitus etiam Collegæ Romano Pontifici; quoniam Beatos, ab omnibus recepta probataque virtus, non dignitas quantumvis ſumma & illuſtris, efficit.

*Boſcoducus Veſalia capta.*

Captæ ſunt à Batavis in Brabantiæ limite Boſcoducus (ſic Sylvam Ducis patriâ linguâ Flandri nuncupant) & Veſalia in Cliviæ Ducatu: hæc

intercepta nocte; illa mensibus quatuor oppugnata, & deficiente tormentario pulvere sese dedere coacta, quamquam cives nihil intentatum, nihil inausum reliquissent. Cessit utraque Hollandis magno Rei Hispanicæ damno majori dedecore.

*Ducem Mantuanum Lud. defendit adversus Hispanos & Casarem.*

Dux aliàs Nivernensis, tum Mantuanus appetitus est bello ab Imperatore, & Hispanis, ducibus Ramballo Comite Collalto Forojuliensi, & Ambrosio Spinolâ jam præfecto Mediolanensi; verbo quoniam Princeps Imperio non satis se submisisset; re, quoniam Francus erat, & Austriacæ familiæ metuendus. Verùm fretus armis Ludovici expertus est, saltem hoc anno, amicum Franciæ Regis Dynastam, quicunq; sit ille, haud Hispanum reformidare simul, & Imperatorem.

*Moritur Cardinal. Berullus.*

Mortuus est denique hoc anno Petrus Berullus Oratorii Francisci conditor, Creatus Cardinalis ab Urbano, Rege Ludovico tolerante potiùs, quã exoptante; sed id postulaverat enixiùs Maria Medicæa Regis mater, ut hunc opponeret Richelæo, quem jam odisse cœperat; quoniam odio quo flagrabat illa in Nivernensem, hic nolebat velificari, nec quis olim fuerat, sed quis jam esset gloriosè cogitabat. Obiit autem Petrus inter sacrosancta Religionis nostræ mysteria, quæ inchoata non potuit absolvere; vir sine dubio pius, & cui nec purpura, nec ejus amicis profuit.

MUNDI 5683. CHRISTI 1630.

*Bagdetum à Turcis malè tentatum.*

Bagdetum hoc quoque anno de more tentarunt Turcæ Duce Visiro Coserono; qui multis suorum amissis rediere turpiter compulsus est, atque Amurathis inter pellicum greges otiantis, delicias abrumpere.

*Sabaudicum belliũ inchoatũ.*

Inchoatum est hoc anno ab ipso Armando Richelæo Cardinali bellum adversus Sabaudum, qui tergiversationibus suis, & artibus plus nocebat Franco, quàm vi, & armis. Itaq; huic denunciatum est bellũ, occupato Pinarolio. Rege Gratianopolin accedente, universa Sabaudia jugum ejus accepit, præter arcem Momelianam. Monmorantius quoq; trajecit Alpes, & non semel fusis hostibus Salucias occupavit. Rex Lugdunum regressus, ægrotavit periculosè, vixque & non nisi pæne per miraculum ex fati faucibus emersit; tandem recepit valetudinem suam Franciæ intus & foris omnino necessariam.

*Lud. XIII. morbus.*

*Mantua cœpta à Germanis.*

Interim Mantua à Venetis non satis providè, ac diligenter servata, atque insuper afflicta peste, per Germanos intercepta, experta est Barbarorum rapinas, luxuriam, crudelitatem, ædibus omnibus prophanis, & sacris turpissimè compilatis. Dux, & Estræus in arcem confugêre, unde fide datâ recessere Ferrariam. Hujus cladis nuncius Carolum Emmanuelem Sabaudum intra triduum sustulit anno ætatis undeseptuagesimo, Principatus quinquagesimo, virum ingenio magnum, cupiditate majorem, cujus tamen vires & potentia non respondebant consiliis; & sine dubio futurum majorem, nisi ditio ejus tenuior inter duos Reges nimium potentes esset constituta, quorum vires ipse perfringere non potuit ingenio.

*Moritur Carolus Emmanuel Dux Sabaudus.*

*Moritur Ambrosius Spinola.*

In oppugnatione Casalis S. Evasii minus felix fuit Ambrosius Spinola, quàm Colaltus in expugnatione Mantuæ: habebat enim repugnantem sibi Thorasium gentis Gallicæ decus, & gloriam. Nam ad hanc urbem sæpe malè mulctatus obiit inglorius Spinola, vir alioqui bonus & fortis, & dignus exitu fortunatiore, & Principe minùs credulo, apud quem calumniis oneratus, tempore extinctus est. Ei è vivis sublato successit Marchio Sancta-crucius, cui tandem urbs dedita cum arce, servatâ tantùm ad tempus Acropoli, donec ex Francia veniret auxilium. Et verò id paulò post adfuit sub tribus Mareschallis omnia perrũpere paratissimis. Cùmq; jam essent in procinctu acies, hinc animosior Gallica, inde Hispana numerosior intra munitiones suas, 7. Kal. Novembr. eas Julius Mazarinus, magno Franciæ bono, majori fortè Hispaniæ, crebro itu, redituque conciliavit, & quid aliquando facturus esset in Purpura, tùm privatus ostendit.

*Urbs Casale, dedita Sancta-Crucio.*

*Casalis obsidio solvitur pariter Francum & Hispanum initur.*

*Gustavus Suecus mittitur in Germaniam.*

Gustavus Adolphus Sueciæ Rex pecuniis Francicis invitatus, & artibus boni Monachi (qui in Claustro suo religiosiùs orasset, & sanctiùs) ut Ferdinandum Imperatorem incubantem Italiæ distraheret, Imperii sese tumultibus & controversiis implicuit, bellumque susceptu toti Germaniæ, adeoque Ecclesiæ periculosissimum: ex quo tamen utraque Dei duntaxat unius ope, contra omnium expectationem emersit incolumis, non tamen sine aliqua jactura atque dedecore.

*Cardinalibus dicti Eminentiss.*

Eminentissimi titulus hoc anno Cardinalibus est concessus jubente Pontifice, ut non tantùm purpurâ & colore, sed & nominis nobilitate ab aliis distingueretur.

*Pernambucum occupatum. Mexicus aquarum eluvie diruta.*

Batavi denique in Brasiliâ Pernambucum occuparunt atque munierunt, ditionis hujusce potentissimum propugnaculum. Quo tempore Mexicus urbs, regni cognominis in Nova Hispania caput, aquarum eluvie sic deformata est, ut pulcherrimæ urbis vestigia vix agnoscerentur.

---

## CAP. IV.

## *Decas Quarta.*

### *Ab anno Christi 1630. ad 1640.*

MUNDI 5684. CHRISTI 1631.

*Dissensiones inter Reginam Matrem & Richel.*

Erupere tandem hoc año domesticæ dissentiones in aperta odia, atq; denunciata Cardinalem inter Richelæum, & Reginam Matrem; felicem planè fœminam, si tantũ hominem, aut non adhibuisset rebus suis, aut non reliquisset. Sed cum eum, uti servum perutilem, dedisset illa filio suo; hic Regis auxiliatoris gloriosi Minister, quàm fœminæ odio flagrantis servus esse maluit. Regina indignè ferens minùs apud filium posse maternum amorem, quàm Cardinalis ingenium, fugit

fugit in Belgium; quò perrexit & Dux Aurelianensis, jam infensus Cardinali: sed hic ita jam sibi Regem demeruerat, ut eum parentis haberet loco, atque in ejus gratiam, & matris, & fratris, ac propemodum oblivisceretur sui.

Incubuit & hoc año magna tempestas in Germaniam à Septentrione. Gustavus enim Suecus diu collectas in regno suo vires, & paulò ante paratas in Pomerania, tandem exeruit, junctusque Saxoni, uno prælio ad Lipsiam, quid posset, ostendit. Ita Cæsarianos cecidit, ut eum jam vinci negarent posse, atq; fugæ satis legitimam putarent causam, in armis vidisse Gustavum. Sic Sueviam, Bavariã, Alsatiam, Palatinatum, Westphaliam deambulando depopulatus est, maximè ex quo ad Lyci fluvii transitum devicit Tillium. Hîc dux fortissimus, & experientissimus globo minoris tormenti vulneratus paulò post obiit, cum magno Cæsaris & Catholicorum dolore. In ejus locum restitutus est, antea exauthoratus Walsteinius, illi non inferior fortitudine, sed fide atq; pietate. Itaq; Suecꝰ impunè per universam Germaniã pertraxit exercitũ, initio pellitum, egentem, suspensisq; fune è collo gladiis, mox Ecclesiasticorum maximè spoliis locupletem, quorum in bona, ceu vacuam possessionem, sibi jure belli debitam, involabat. Jamq; eò progressus erat, ut pænè sociis quoq; metuendus esset, Rhenoque pertransito, eos etiam contemnere videretur, sine quorum auxilio inter Gothicas nives torperet, atq; venaretur: at inspectis aliquot Gallorum copiis, eas tentari non posse sine periculo, judicavit, & Ludovicum non paucioribus, neque minoribus illustrem victoriis, esse Gustavo parem. Itaque in Germaniam jam magnâ ex parte suam retrocessit, ut hîc victorias suas firmaret, atque potentiam.

Inter hæc mense Majo Magdeburgum jamdiu obsessum, à Tillio primum, deinde à Pappenhemio expugnatum, totum pæne in cineres abiit, sive hos ignes victor ex ira, seu victus injecit ex desperatione, quos vehemens statim procella circumtulit. Hoc profuit urbi miserrimæ corpus præsulis sui S. Norberti perdidisse.

Italica pax hoc demum año firmata est: Mantua restituta Duci Nivernensi, dum etiam Mantuano, eiq; data, uti vocant, Ducatus *investitura*, quæ jure non poterat denegari, & si negaretur, erat armis Francicis extorquenda. Ejus item Ducis, cum Sabaudo, utcumq; compositæ lites; ut & cum Marchione Guastallensi; sicque omnia à Gallis erepta Sabaudo liberaliter restituta sunt, Rege ex hoc bello sibi nihil præter gloriam reservante. Pinarolium tamen ab eo emit Ludovicus cum Perosa valle, idq; sic communiit, eamque viam per Alpes deduxit, ut Antiquis Romanis faciat invidiam, & Franci quando volent, cum tormentis bellicis & impedimentis iter expeditum in Italiam inveniant.

Exeunte hoc año, & 18. kal. Januar. Vesuvius mons inter horrendos mugitus, atq; tonitrua intestina, terribiles flamas evomuit, iisq; permixtos lapides ignitos cum cinere, qui in mare usque Ægæum fertur esse delatus. Erupit quoque ex montis cratere fluvius bituminis inflammati, in septem rivos mox dissectus, obvia quæque ad mare usque exurens, & in fluctibus ipsis, duodecim dierum spatio aquas ipsas accendens, depascensque. Ex opposita verò montis parte erumpentes aquæ fœtidæ, atque bullientis torrens, multa loca inundavit atq; fœdavit. Quæ clades año sequenti mense Februar. renovata mirificè. Neapolin perculit, & ejus plerisq; civibus pœnitentiam extorsit, quantumvis in malo induratis. Portus naves omnes suas vidit in sicco, aquis supra modum recedentibus, quas ignis iste Tartareus exederat. Tandem urbs liberata etiam timore per reliquias S. Januarii urbis hujus celeberrimi patroni, cui jam pridem urbs tanta, ac sæpe periclitari solita, suã debet incolumitatem. *Neapolis tandem metu liberata.*

MUNDI 5685. CHRISTI. 1632.

Hoc año demum Germanis postliminio animus rediit, post aliquot velitationes etiam cum victore Sueco congredi ausis, ad Luzenam, duce Walsteinio. Atque in prima acie ita Suecos excepere, ut hi se vinci posse, dum molliùs repugnant, innuerent. Pupugit ea res audacem Gustavi animum, & qui hactenus Germanorum terga, non vultum vidisset, procurrit ad frontem copiarum, non jam magni exercitus Imperator, sed pæne gregarius miles, aut certè ductor Rorariorum. Hic dum vilem plebeculam cædit, omnium telis appetitur, incertum à quo, Rex tantus, miles inglorius occubuit, ætatis duodequadragesimo, ita vulneratus, atque deformatus, ut vix à domesticis agnosceretur. Quin etiam cum vitâ tot victoriis illustrem perdidisset exercitum, nisi prudentiorem ipso Imperatore Legatum nactus esset, & præstantioris ingenii Bernardum Weimatium Saxonem. Is enim sapienter occultatâ Regis nece, simulatoque duntaxat vulnere, Suecos ad vindictam Regii sanguinis accendit, iisque hac arte non incruentam, ac prope Cadmeam servavit victoriam. *Gustavus ad Luzenam cajus.* *Weimarius reportat victoriam.*

Trevirensis Archiepiscop. damno admonitus vicini sui Moguntini, cujus ditionem Suecus fœdè diripuerat, suis rebus consulere statuit, & à Ludovico, Francisq; suppetias, & præsidium petere. Itaque eis non tantum Hermansteinam arcem è regione Mosellæ in Rhenum confluentis munitissimam rradidit, sed & Treviros urbem committere decrevit. Ejus tamen Canonici Hispanum præsidium evocavere: quare urbs Francis obsessa, capta, ac legitimo Domino reddita fuit, Gallis interim sub Archiepiscopo, huic invigilantibus, & ne quid aut à Sueco aut à Cæsare damni pateretur, accuratè providentibus. *Trevirensis Arch. Francorum implorat opem.*

Sigismundo ex Apoplexia mortuo ætatis año 66. regni 45. Ladislaus, seu Vladislaus IV. successit, magni parentis, major filius, & cui res in adolescentia fortiter, prudenterq; gestæ, pacem diuturnam, quietemque peperere. *Sigismundo Polono succedit filius Ladislaus IV.*

Hoc item año Fridericus Palatinus, quondam Elector, ejus nominis, V. ætatis anno 37. obiit Moguntiæ, ex pestilenti morbo, cùm nihil propiùs esset, quàm ut à victore Sueco restitueretur; turbarum Germanicarum primus ac præcipuus au-

author, quarum tamen pœnas dedit peracerbas, eò redactus, ut precariò, ac prope emendicato viveret, ex Palatino Rex, ex Rege mendicus, ac nihil.

*Bellum civile in Occitania.*

Irrupit demum hoc anno Dux Aurelianensis cum Duce Mommorantio ab Occitania in Gallias, quasi Regem vi erepturus ex manibus sui Richelæi; is enim civilibus hisce tumultibus prætextus inanis ac ridiculus fuit. Verùm statim ab utroq; emissus cum expeditissimis copiis veteranus Ductor Schombergius, ostendit quantùm sapientia prævaleat audaciæ. Nam vallo latissimo per eqvum bellicosissimum superato, progressum longiùs à suis & graviter vulneratum, ad Castrum Ariani Mommorantium vivum cepit, Principem indignum consilii, defluentibus copiis; pacisci cum Rege fratre, parum honestis conditionibus impulit. Et verò ubi primùm is potuit, in Belgium refugit. Neque enim hærere poterat in regno, cujus tranquillitati, uti ferebatur, litatum erat sanguine Mommorantii, hominis sibi amore cōjunctissimi, cui rebellionis convicto Tholosæ caput, ex juris formula resectū est. Sed quidquid dedecoris intulerat Servi publici manu illata nex, pietas abstersit; atq; adeo religiosè sanctèque mori, omnibus victoriis, nobilis verè Christianus anteferat.

*Victus dux Aurel. captus Mommorantius.*

*Mommorantius capite plectitur Tholosæ.*

MUNDI 5686. CHRISTI 1633.

*Incendium Constantinopolitanum.*

Urbs Constantinopolis tristissimo est fœdata incendio, mense Septembri, quo tertia pars urbis creditur deflagrasse. Inter cætera damna quamquam litterarum rudes, queruntur Turcæ absumptam esse Bibliothecam, quam Muphti, qui tum rei sacræ præerat, ejusque Antecessor comparaverat; viri quidem minus eruditi, sed lusci cæcis præcellentes.

*Germania turbatur à Suecis.*

Hic annus Germaniam totam in armis vidit, Cæsarianis eam pacare, ac pristinæ dignitati restituere; Suecis hanc turbare, atque diripere volentibus. Gustavi enim locum occuparant Weimarius, Hornius & Banerius, sub præcipuo regni Suecici administro Aretio Oxensternio, in quibus Sueca felicitas, atque fortitudo visæ sunt reflorescere.

*Lud. XIII. occupat Lotharingiam.*

Movit & eodem tempore Ludovicus XIII. adversus Carolum Lotharingum in multis eidem suspectum: maximum tamen ejus crimen erat Aurelianensi Duci sororem suam Margaritam uxorem dedisse: sororis felicitas fratri, suâ ditione stetit. Coactus est enim Gallis eam cedere Carolus, à quibus illam servare non poterat, suadente hoc ipsi Cardinali Richelæo, qui eum oratione sua delinierat, & magna amoris significatione eum reconciliaverat Regi; quare huic tradere sollicitatus erat sororem suam: verùm eam simulato habitu ad suum Aurelianensem in Belgium abire passus est. Nancejum insuper consignavit Ludovico, quam urbem diu servare poterat, si Regis armis, & Cardinalis consilio repugnare ausus esset. Hanc sicut & Lotharingiam dum postea recuperare cupiit alienissimo tempore, pæne totam desolavit, ac perdidit, malus traditor, ac pejor recuperator.

*Nancejum ei traditur à Duce Carolo.*

*Legatio Crequii Romam.*

Romæ susceptus est magnificè Dux Crequius Franciæ Marescallus, sui prope temporis scientissimus belli, & Italiæ terror. Tunc autem damnata est opinio Galilæi Florentini, excogitata per Nicolaum Copernicum, quâ in orbis universi centro Sol locatur immobilis, circa quem alii planetæ, adeoq; terra ipsa circumageretur. Explosa est ergo ab Inquisitoribus sacris, ut opposita codicibus sacris; Isq; cum pollicitus esset eam damnare, & nihilominus scripto etiam docuisset atq; vulgasset, septuagenarius licet inclusus est carcere, non quia hæreticus, sed quòd fidem datam in re tanti momenti fefellisset.

*Opinio Galilæi damnata.*

*Carolus Rex Britanniæ coronatur in Scotia.*

Coronatus est hoc anno Carolus Magnæ Britanniæ Rex in Scotia 7. kal. Julias, quando & rogatus est habitum præscribere omnibus publico officio vel politico, vel Ecclesiastico defungentibus, cùm antea nullâ publicâ distinguerentur notâ: unde inter homines seditiosos & φιλοσεῖκους, multæ exortæ sunt contentiones, quæ demum in miseri Regis caput reciderunt.

*Scotia turbatur.*

*Ladislai Poloni fortitudo.*

Ladislaus Polonus hoc anno Moschos Smolenskum obsidentes comisso prælio, grandi repulit clade, eosdem Lithuaniam, sicut & Tartaros ditionis suæ provincias infestantes, per Duces suos profligavit; ipse tamen periclitatus sæpe, quia non tantùm cōsilio, sed & manu pugnabat.

*Isabella Eugenia Clara moritur. Infans Cardinalis succedit.*

Obiit hoc anno Isabella Eugenia Clara, magnum pietatis exemplar, & cujus precibus, atq; sanctimoniæ pax Gallum inter & Hispanum debet adscribi. Successor ei datus est Ferdin. Infans Cardinalis, Philippi Regis frater sed tantùm Gubernatoris titulo; qui hoc anno Mediolanum venit, nonnisi sequenti in Belgium mense Oct. magificentissimè susceptus, quod id ejus natales, & de eo concepta expectatio postulabant.

MUNDI 5687. CHRISTI. 1634.

*Franciscus Lotharingus Claudiam ducit.*

Agnovit Ducem alium hoc año Lotharingia Franciscum excardinalem ductâ Claudiâ, Nicoleæ sorore, pro Carolo, pactis tamen non satis constantibus & certis. Itaq; de titulo disceptabant fratres, re fruebatur Ludovicus, qui Caroli uxorem diffidentem à marito Parisiis magnificè haberi jussit; non quia placebat illa, sed ut ejus conjugi metus intentaretur. Metis autem à Rege constitutus est Senatus (Parlamentum vocant) qui regionibus hisce jus diceret, & aliis quæ in hoc tractu sperabantur. Nam Ludovici patrocinio submiserant se Alsatiæ pars magna, Episcopatus Basileensis, Spira, & Philippoburgum, oppida à Suevis reddita, adeo ut Francus ab hac parte belli ac pacis arbiter appellaretur.

*Parlamentum Metense.*

*Dux Aurelianensis Franciam repetit.*

Dux Aurelianensis degens in Belgio cum suis rerum omnium egenis, aliunde multis appetitus injuriis post obitum Isabellæ à ministris Hispanis, ne novas, & majores adveniente Cardinali Infante devorare cogeretur, quasi ad venatione proficiscens cum equitibus sex redit in Franciā, insalutatis hospitibus suis. Receptus est à fratre Rege perhumaniter, pollicitus amorem Richelæo, ejusq; matrimonium & à Rege, & à Senatu irritum declaratū est, quod inscio principe contra-

tractum esset. Eâ de re acriter utrimque disputatum est, cum ab utraque parte, docti, & ingeniosi fautores steterint; qui nunquam Principibus deerunt, qui eorum partibus, quæcunque sint illæ, patrocinentur.

In Bohæmia non satis generosè Albertus Dux Frislandiæ Comes Wallsteinius sublatus est magnus Cæsarianarum partium restitutor, & ductor cui potentia potiùs, & invidia, quàm agitata cum hoste consilia nocuisse perhibentur. Certè si mortem ejus Ferdinandus imperavit, sinistrâ sibi manu præscidit dextram: & verò auditâ ejus morte dicitur collacrymasse; quas tamen lacrimas quidam putant fuisse similes Cæsarianis, viso Pompei capite, defluentibus.

Ratisponam ad Danubium civitatem permunitam, tum Suecici juris Ferdinandus Hungariæ Rex, & Maximilianus Bavariæ Dux conjunctis exercitibus obsedêre. Nusquam visa propugnatio generosior; obsessi enim quadringenties sexagies in obsidentes eruperunt; septem generalibus oppugnationibus tentata mœnia, cuniculis, & tormentis disjecta. Frustra Veimarius, & Hornius opem urbi afferre conati sunt, & ad avertendum Maximilianum in ejus Bavariam irruperunt: tandem sese dedere coacta est deficiente pulvere tormentario; propugnatores honestè dimissi quorum bis mille quingenti perierant, cùm oppugnatores supra octo millia perdidissent; quorum tamen jacturâ principes non malè emptam tam nobilem civitatem putaverunt.

Hinc ad Norlingam obsidendam Cæsareus perrexit exercitus, cui Cardinalis Infans copias adjunxit, quas ducebat in Belgium, & Carolus Lotharingus suas, jam ductor Bavarici exercitus fæderati Catholici. Cùm his tamen tantis copiis numero longè dispares prælium Sueci commisere 8. Idus Sept. quo totis decem horis acerrimè pugnatum est. Obruti numero victi Sueci suorum octo millia in acie, novem in fugâ perdiderunt, quatuor millia capti, inter quos Hornius, cum 80. tormentis bellicis, signis militaribus ducentis, atq; omnibus impedimentis. Actũ erat de Suecis, si desperassent viri fortes, neq; se ad meliora tempora viri rei militaris scientissimi reservassent.

Hoc tempore Thomas Sabaudiæ Princeps, Francis ejuratis confugit ad Cardinalem Infantem, & secum infelicitatem detulit, quam mox eo Duce non semel Hispani sunt experti.

Pax denique hoc anno inter Moschos, & Polonos inita, quâ hi titulum Ducatus Michaëli Federowitz cessere, illi Smolenskum; Novogardiam; Bialam, & alias arces, cum amplissimis earum territoriis; quod quid est quàm pacem turpissimam emere, & dedecus honestioribus verbis obvelare?

| MUNDI 5688. | CHRISTI 1635. |
|---|---|

Amurathes Turcorum Imperator in Persidem cum ingenti exercitu movit, cepitque Revanum nobilem urbem, quam expeditionis hujus uberem fructum Imperator non nimis ambitiosus existimavit.

*Fœdus inter Hispanos, & Francos abrumpitur.*

Fuit is annus fœdere Gallos inter, & Hispanos violato celebris. Prætextus fuit Trevirensis præsul Francorum socius datus in vincula; causa Hispanorum calliditas, qui bellum spargebant in omnes populos quieti, & eos committere videbantur inter se, ut fractis & attritis recentes, & integri supervenirent. Irrumpunt itaque denunciato per Fecialem bello, Galli in Belgium, ducibus Castillionæo, & Brezæo, quorum iter ad Batavos dum intercludere Princeps Thomas Sabaudus parat, cum Hispanis ad Aveinum Brabantiæ expertus est quàm periculosum sit occurrere primæ Gallorum impressioni. Perdiderunt enim quatuor millia suorum cæsos, quingentos captivos cum omnibus tormentis, signis, ac bellico apparatu, & quod graviùs fuit, bellicæ laudis existimationem, cum fugissent, ubi nulla causa videbatur fugæ. Postea victores Batavis juncti, captoque Tillemontio, *Thienen*, (ubi sævitum Turcico more) ita diffluxere, ut tantus, ac talis exercitus, solo terribilis aspectu, per jocum ab hostibus Gallicis vulgò quæreretur.

*Prælium Aveinense.*

*Quatuor Francici exercitus eodem tempore.*

Eodem tempore Ludovicus quatuor alios parabat exercitus cum stupore totius Europæ, in Lotharingiâ, Germaniâ, Italiâ, Valle Tellinâ sub quatuor Ducibus, Ineulismensi, Cardinale Valeta, Crequio Mareschallo, atque Rohanio, quibus omnibus nec defuit animus, nec pugnandi voluntas, licet quibusdam annona, aut occasio, omnibus fortuna defuerit. Nam Regi quoque ipsi cum Volonibus, & Evocatis in Lotharingiam redeundum fuit, in quâ multi rebellarant, subnixi auxilio Caroli Ducis, & Joannis Verdani Bavaricarum copiarum ducis. Verùm hic omnia Regis oculus pacavit, atque restituit. Valetta Weimario junctus, in Germaniam ingressus ferociter, non satis de reditu cogitavit, aut Hessiis nimis confidit, qui ei defuere: itaque rediit sine tormentis bellicis, quæ defodit, aut projecit in lacus; at cum pluribus vulneribus, quàm spoliis, agmen ejus ultimum Galasio importuniùs carpente. Hic autem junctus Lotharingis multa suorum millia perdidit peste, atque fame, neque satis cum Lotharingo concors, nulla re gestâ, inhonorus in suam redivit Germaniam. Crequius cum Sabaudo, & Eduardo Parmense junctis, plus terroris intulit Hispano, quàm damni, frustraque Valentiam tentavit, quæ tum trium Ducum conatibus, & copiis prævaluit. Rohanius paulò felicior fuit, Hispanis Germanisque devictis, locisque aliquot in Valle Tellinâ munitis; omnes denique veræ vel falsæ gloriæ divites redierunt ad Regem, cui tum impositum est; vel hic certè imponi sibi patienter tulit, cum tam veris quàm falsis victoriis, & nunciis populus in officio contineatur.

*Rex in Lotharingiam cum Evocatis redire cogitur.*

*Valettam redeuntem è Germania carpit Galasius.*

*Frustra tentata à Crequio Valentia.*

*Vallis Tellina defensa à Rohanio.*

*Petrus Seguierius fit Cancellarius.*

Sub finem hujus anni Haligrio Cancellario successit Petrus Seguierius, cui eloquentia parem, nec audivit Curia nec Regia, cujus & linguæ eruditio, virtusque respondebant. Acceperat jam ab annis tribus Sigilla regia, tum re hoc anno, etiam nomine, longè antea merito suo, & bonorũ omnium votis, Cancellarius Galliæ fuit.

*Rex Suecorum dilabuntur Cæsaris eriguntur.*

In Germaniâ quantùm minuebantur Suecorum vires, tantùm Imperatoris augebantur, huicque se Spira,

se Spirâ, Vormatia, Ulma, Francofurtum, Moguntia, aliæque urbes dediderant. Sed longè plus eis nocuit Georgius Saxoniæ Dux prævaricator, ex eorum fœderato factus hostis, & Cæsarei exercitus Imperator sub Summo Duce Rege Hungariæ; à suis Lutheranis vehementer improbatus; sed tum pluris hic res suas fecit, quàm religionem.

*Induciæ inter Polonum, & Suecum.*

Induciæ demum inter Suecum, & Polonum ad 26. annos confectæ sunt: Prussia Polono, & Brandeburgico. Livonia Sueco cessit, cum ingenti contentionum, bellorumque materiâ.

MUNDI 5689. CHRISTI. 1636.

*Dolam obsidet frustra Condæus.*

Henricus Condæus Burgundiæ Prorex in Burgundiæ Comitatum ingressus Dolam obsedit audaciùs, quàm feliciùs. Restiterunt enim supra cives Dolani, & collectus ex indigenis exercitus, suppetias ostentabat urbi. Itaque solvere obsidionem compulsus est, ne ipse involveretur, & concideretur. Interea Hispani majoribus animis, & copiis invadebant Picardiam, atque uno impetu Capellam Castelletum oppidula munita, solo aspectu ad deditionem compulerant. Nec qui Sommonam tuebatur Suessionensis Comes cum duobus Mareschallis, & parvo quidem, sed luculento exercitu, fortitudine suâ, copiis suis, & rusticorum auxiliis uti voluerat, fortè prævaricator occultus. Itaque Picardiæ pars rebus omnibus circumfluens, aut ignaviter, aut perfidè relicta est hosti, qui Corbeiam statim, ad turpem deditionem compulit, & jam sine metu Francici exercitus (hic enim ultra Oesiam quasi hunc fluvium tutaturus, meticulosè transierat) omnia cæde rapinisque miscuit. Ingens igitur est à Rege intra paucos dies conscriptus exercitus: cujus tantùm aspectu fugatus hostis, multâ præda gravis abscessit, Corbeia deinde majoribus operibus circumsessa, & grandiori exercitu, quam ejus flagitabat obsidio. Itaque recepta est faciliùs quam sperabatur, neque in eá propugnanda se satis fortes Hispani, Belgæque præstiterunt, neque prout exigebant, quas magnis sumptibus, & incredibili labore excitarunt munitiones. Raptim ergo in suum Belgium recesserunt, imminentibus eorum tergo Francicis copiis: hyemi debent, viisque lutulentissimis quod non sint eos Galli Bruxellas usque prosecuti, & quam intulerant Sanguitersæ, *Santerre*, depopulationem, cum fœnore toti Flandriæ, adeoque Brabantiæ reposuerunt.

*Hispani Picardiam malè erutam vastant.*

*Corbeia capitur & munitur ab Hispanis.*

*Ludovicus ingenti exercitu Hispanos repellit, & recepit Corbeiam.*

*Eduardus Dux Parmæ, & Veimarius Parisios veniunt.*

Lutetia vidit hoc anno Eduardum Parmæ Ducem Ludovico XIII. gratias agere, quòd ejus armis, ab Hispanicis tutus extitisset, atque ex propugnatore, factus esset oppugnator. Eodem quoque venit Bernardus Weimarius, magnus ille Imperator ac prope Gustavi successor, qui hanc urbem cum admiratione vidit; sed improbavit, ut bellicis rebus atque temporibus minùs aptam, verùm judicio quod minus saperet politicum prudentem, quàm virum militarem.

In Aquitanico limite Hispani emporium S. Joannis de Lucio, locum immunitum, sed commercio utriusque gentis divitem occuparunt, ac diripuerunt. Finxerunt quoque id magnis operibus cingere; sed cum res operosior videretur, & majoris sumptus, locum cum vestigiis avaritiæ, & crudelitatis reliquerunt.

*Hisp. S. Ioan. de Lucio portum ripiunt.*

Batavi hoc anno post diuturnam obsidionem Scheinkum arcem munitissimam ab Hispanis receperunt, multo sanguine, labore, sumptibus redemptam. In Germaniâ quoque Elector Saxonicus Magdeburgum, aut veriùs ejus cadaver recuperavit Moguntiam Comes Donaus. Interim ab Urbano VIII. tentata pax per Cardinalem Ginettum; sed triennio toto, nihil hic egit, quam ut multùm temporis ac laboris, inutiliter tereret, nondum satis utramque partem attritam esse deprehenderet.

*Batavi Scheinkum arcem recipiunt, alii alia loca.*

*Frustra pax tentatur.*

Ferdinandus Imperator Ferdinandum Ernestum jam Hungariæ Regem, creandum, & inaugurandum insuper curavit Regem Romanorum, annos natum duodetriginta, in Comitiis Ratisponensibus. Hæc electio à multis est improbata, quòd Elector Trevirensis detineretur captivus, & Bavarus Palatini loco substitutus esset. Verùm in his negotiis magnum occupasse locum, & vi retinere posse, summi instar juris est.

*Ferdinandus Ernestus creatur Rex Romanorum.*

Occidit denique hoc anno ad propugnaculum nullius nominis in Italiâ magnus ille Thorasius, rebus præclarè gestis, quàm morte fortunatior. Taceretur omnino loci nomen nisi ad Fontanettam Thorasius cecidisset.

*Thorasius interimitur.*

MUNDI 5690. CHRISTI 1637.

Novum is annus suggerit Imperatorem, novumque Ferdinandum, hujus nominis III. cui detulit Imperium, non Austriacum, tum odiosum nomen, & jam minoris, ob acceptas clades existimationis, sed propria fortitudo, quam restituendæ paci Germanicæ idoneam plerique judicabant; nec suâ sunt expectatione delusi.

*Ferdinandus III. creatur Imperator.*

Obiit autem Pater ejus Ferdinandus II. Viennæ anno ætatis 61. Imperii undevigesimo, vir omnino pius, & meliori tempore, magisque pacato dignior: sub quo tantùm adiere periculum in Germaniâ religio simul & Imperium, ut Dei tantùm manu, tecta servataque videantur.

*Ferdinandi II. Obitus.*

Tum Comes Harcurianus vir audacissimæ felicitatis Leronem, & Lerinam (sanctæ Margaritæ, sanctique Honorati hodie dicimus) insulas aggressus, occupatas ab Hispanis, restituit regno, mirantibus eas capi potuisse, qui perdidissent, & negantibus sibi rem fuisse cum hominibus, sed cum larvis, atque lemuribus. Idem ergo de Leocatensi expeditione adstruant, quâ Halvinus Occitaniæ Prorex, sive auxilio vicinarum provinciarum, collectitio tantùm milite, Hispanos vægrandibus suis propugnaculis, & munitionibus exuit, eorumque castris est ante potitus, quàm quâ parte invaderentur cogitarent.

*Lero, & Lerina insulæ à Francis receptæ.*

*Leocatæ obsidio soluta.*

Neque ab aliis partibus fortunatiores Hispani fuerunt. Yvosium enim & Damvillerium per Castillionæum Ducem, Landresium Capellam

*Urbes aliquot à Francis occupatæ.*

jam bellicas urbes (immunitas enim prætereo) eodem impetu per Valetam, & Candalam fratres oppugnatas perdidere: ubique hoc anno & in suis oppugnationibus, & propugnationibus infelices.

Sed ne quid dissimulemus Capellam recepimus duorum virorum jacturâ ipso Belgio pretiosiore, & quod lugendum magis, damno cum dedecore conjuncto. Cum enim ex hac urbecula erupisset hostis, ad ejus aspectum prætorianus Regis miles turpiter fugit, quâ in fugâ contritus est, & cæsus à nostris Bussius Lametius fortissimus ille, atque constantissimus Hermanstinæ arcis propugnator. Dum autem suis animos restituere conatur Ramburius, heros incredibilis audaciæ, & alacritatis, flagitiosè desertus ab iisdem, erumpentium omnium globus unus excepit, quibus multis transverberatus locis brachium primò, deinde etiam vitam perdidit. Vir etiam inter tumultus bellicos religiosissimæ pietatis, cujus nomine sæpe Belgium Hispanicum contremuit, ad primas & summas militiæ dignitates promovendus, nisi eas soli virtuti suæ, non nuptiis debere voluisset.

Obierunt & eodem tempore Sabaudiæ, Mantuæque Duces, partium diversarum semper, id unum habuere commune, quod impacati ambo, tranquillo satis fine quieverunt. Carolus Gonzaga successorem reliquit ex filio nepotem sexennem, ac sine pompâ sepeliri voluit in habitu S. Francisci, mortuus uti vixerat pientissimè, & dignus qui Principum fastus & delitias multo felle dilutas sentiret. Victor verò Amedæus sub tutelâ matris deseruit liberos duos, Ludovicum Amedæum septennem, qui tum Dux salutatus est, & Carolum Emmanuelem qui fratri mortuo successit, ejusque nominis Secundus dictus est. Sortiti sunt ambo matrem Tutricem sapientissimam fœminam, cujus ingenium, prudentiam, religionem in hac Regione Inalpinâ nemo satis mirari potuit, atque venerari; quæ Regii sanguinis Francici fœmina, ita cum Francis, Hispanisque, amicis & hostibus vixit, ut nec amori nimis, nec odio indulgeret; sed sic illos amaret ex innato affectu, ut hos ex ratione non offenderet, efficeretque ut in ejus capacissimâ mente concordissimi Principes viverent, quorum discordias vix caperet Orbis terrarum.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5691. | 1638. |

Hoc anno fannaticus ille Cyrillus Patriarcha Constantinopolitanus Græco Calvinianus, ab Urbis Præfecto conjectus in carcerem, ad fauces Bosphori (Castrum septem Turrium dicunt) atque ex turri in mare præcipitatus, tantum aquæ sorbuit, quantùm ex Calvini sordibus hauserat veneni, morte sublatus impiorum. Restitutus est in Sedem Cyrillus alter ex Iberiâ, quem ille detruserat, capitalis ejus hostis, sed qui cum eo pecuniâ ut Turcorum subditus, non eruditione, atque pietate, uti Christianus discepravit.

Amurathes hoc anno Bagdetum obsedit, & quadraginta dierum oppugnatione acerrimè verberavit: disjectis mœnibus quadruplici assultu totius exercitus, eam demum quarto expugnavit, exeunte Decembri, atque universos ejus propugnatores, & cives trucidavit, desideratis tamen suorum 40. millibus; & fortè plures amissurus erat, nisi Persarum Rex, bello Mogorico implicitus esset; sicque clades illa plus Persis damni, quàm dedecoris attulit.

*Bagdetum capit Amurathes.*

Bernardus Weimarius Rhinsfeldium in agro Basileensi cum copiis Suecicis, & Francicis obsedit: sed adfuerunt Sabellus Cæsareus, & Joannes Verthius, Cæsarei duces, Enckenfortius, Speerreuterus, Furstenbergius, aliique, qui commisso certamine primùm superiores extitere: verùm eodem post quatriduum restituto, magnâ sunt affecti clade, multis interfectis & captis, inter quos antedicti Duces quinque, cùm multis Tribunis, atque Centurionibus. Weimario tamen hæc victoria non incruenta fuit; qui tamen eâ sapienter usus, ejus præmium Rhinsfeldium, Neoburgum, Friburgum Brisgaviæ, & aliquot alia oppida cepit, temporis hujus habitus præstantissimus Imperator, cujus tamen tum sine dubio dextra, & fortè caput Guebriantius fuit.

*Weimarii & Guebriantii de Cæsarianis victoria ad Rhinsfeldum.*

Exinde Brisacum, ubi egregio ponte nectitur Rhenus, & sine quo bellum à Gallis in Germania vix geri potest, maximè Guebriantii consilio, & fortitudine, sæpe rejectis hostibus, sese dedere compulit, rebus omnibus jam destitutum; quod ut servarent nihil omisere Bavari, & Cæsariani, sed horum conatibus Guebriantii virtus, & Weimarii felicitas prævaluit.

*Brisacum occupatur.*

Fontarabiam malè tentarunt Duces duo Condæus, & Espernonius, causam rei malè gestæ alteri alter adscripsit; certe opus erat minimùm alterutrius, & inferioris infamiâ ut tantùm dedecus relineretur, de quo Hispani tantas tragœdias excitavere, & meritò Francis etiam ex suis theatris insultavere.

*Fontarabia tentata infeliciter.*

Nihilo gloriosior extitit S. Audomari obsidio, soluta non minori infamiâ, quia premebatur à duobus ducibus, pari Imperio; in quo sæpe minus potest gloria, quàm invidia; auxilia recepit Hispanica quoniam alter alteri non est auxiliatus; alteruter, sine dubio, hanc urbem Francici juris effecisset.

*Sicut & S. Audomari civitas.*

Ludovicus XIII. hoc anno B. Virgini magno ejus festo in cœlum translatæ, regnum consecravit suum: accepit illa munus, at ei reddidit Delphino auctius. Anna enim Regina non ita multò post enixa, diu expectatum Ludovico dedit hæredem; populus Adeodatum dixit, & tum populi vocem, Dei vocem esse comprobavit eventus.

*Ludovic. XIII regnum suum B Virg. consecrat. Nascitur Ludovic. XIV.*

Perdidit & eodem anno Gallia, eodemque mense magnos Duces duos, Rohannium, & Crequium, dignos ambo fato honestiore: ille enim ex vulnere ad Rhinsfeldium accepto, ubi inter volones pugnaverat, obiit; hîc Bremam Italiæ dum parat defendere, globo tormenti bellici contusus, & urbem amisit & vitam.

*Rohannii & Crequii Ducum obitus.*

In Calabriâ exeunte Martio horribilis terræ

motus

*In Calabria terræ motus horrendus.*

motus urbes Consentiam, Stilianum, Nicastrum aliasque proximas cum omnibus pagis concussit, & aliquot penitus obruit. Certè Nicastri Dux Aquini cum uxore suâ involutus est, Solus Episcopus & Capucinorum præpositus (*Guardianum* vocant) evasere mortem, unde cladis hujus magnitudinem colliges.

*Turba Polonica.*

In Poloniâ turbatum nonnihil, quod Wladislaus Ordinem militarem 72. fratrum instituere decrevisset, Radzivilius huic tam constanter obstitisset in Comitiis Varsaviensibus, ut Rex non tantùm hoc consilium, sed & consilii cogitationem deponere compelleretur. Interea Casimirus Regis frater electus Lusitaniæ Prorex, dum in hoc regnum festinat incognitus per Galliam, interceptus, & Lutetiam perductus in honestâ custodiâ lautè habitus est, donec precibus fratris, & Legationi Polonorum concessus est: hoc ei stetit parum prudens, & curiosa peregrinatio.

*Captus in Franc. Casimirus Polonus.*

*Turba Scotica ob Relig.*

In Scotiâ longè majores turbæ concitatæ sunt, quoniam in his agebatur de Religione, quæ falsa homines efferare solet. Ministri enim audaciores facti, ex lenitate Regis de suo jure nimis remittentis, fœdere suo (*Convenantum* Barbarè Barbari dicebant) in ultimam audaciam prorupere, atque ita se gessere, ut satis innuerent, quo feratur Calvini spiritus, Regiæ majestatis exosor, atque Democratiæ, aut veriùs Anarchiæ fautor acerrimus.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5692. | 1639. |

*Cyrillo sufficitur Parthenius.*

Cyrillus ab Iberiâ Patriarcha Constantinopolitanus ob turpissimam pecuniarum exactionem, in fœdum carcerem meritò conjectus, successorem habuit Parthenium Metropolitam Hadrianopoleos, tam populo, Cleroque probatum, quàm Cyrillus uterque fuerat odiosus.

*Hesdinium capta à Melleræo.*

Hesdinium munitissimam urbem in Atrebatensi regione cepit Melleræus, sæculi hujus nostri Poliorcetes, bellicæq; artis, & Tormentariæ magister scientissimus; eam enim eò ipse perduxit, quò ultra promoveri non possit. Creatus est Franciæ Mareschallus à Rege in eodem, quod everterat propugnaculo, ut illustrius esset ex loco beneficium. Eodem tempore Theodonis-Villa, *Thionville*, pariter obsessa Gallorum effugit manus, quoniam disparibus copiis, nec satis benè instructis tentabatur. Ad eam bellicum apparatum, ac Ducem, & quod utroque gravius fuit, existimationem Franci perdidere.

*Theodonis-Villa tentata infeliciter.*

*Salsula capta, & perdita.*

Salsulæ, *Salses*, feliciores extitere Condæo, quàm Dola, & Fontarabia, non tamen Galliæ: hæ enim velociùs perditæ sunt, quàm captæ; tantùmque in hanc urbem præsidium immissum est, ut statim dejiceretur.

*Veimarii mors. Banerius, & Guebriantius ei succedunt.*

Veimarium Saxonem pestilens afflavit morbus, & abstulit, cui nobilis sepultura index magnæ victoriæ Brisacus est. Eo sublato Banerius Suecici ductor Imperii animos extulit, & sibi hactenus occasionem defuisse non fortitudinem, factis ostendit, restituitque partes suas Veimarii fato prope labefactatas; sed majoris momenti fuit præsentiâ Ducis Longavillæi, qui maturè ex Italiâ in Germaniam translatus erat; maximi autem & primi Guebriantius Armoricus cui vix parem Gallia vidit, Suecia sine dubio neminem. Hunc Veimarius ferebat in oculis, & animam vocabat suam, à quo rebus deploratis animos hauserat, & cui moriens equum bellatorem & arma Heros, Heroi veterum Germanorum more legaverat. Hâc autem hæreditate se dignissimum deinceps ostendit, quem nisi immatura mors abstulisset, Guesclinium alterum, quem sanguine contingebat, Galliæ, atque toti Occidenti repræsentasset, Ducemque ad confundendos Ottomanos aptissimum, ob fortitudinem magnæ religioni colligatam.

Turbabat inter hæc Regionem Inalpinam Princeps Sabaudus Thomas, & Hispano conjunctus, nepotem suum, atque ejus exagitabat matrem, Taurino occupato, cujus arx ægrè servata fuit. Fugit ergo in Sabaudiam Ducissa, unde & fratrem Ludovicum convenit Gratianopoli, quo accesserat, & fortis, & bonus frater. Itaque oppositus est Thomæ Valetæ, maximè ex quo Longavillæus in Germaniam transire jussus erat. Verùm eundem Valetam subitus morbus extinxit, atque extulit pientissimâ morte, & quæ plus Cardinalem saperet, quàm virum militarem, quam conditionem ipse moriens sapienter improbavit, & ejuravit.

*Princeps Tho. Sabaudius turbat.*

*Cardinalis Valeta moritur.*

Princeps Palatinus Rheni auditâ Weimarii morte dum Brisacum occupaturus pergit per Galliam, ignotus ex Angliâ, Molinis interceptus, & iter suum abruptum vidit, & patefacta consilia, & suscepta imprudenter, & imprudentiùs exsecutioni mandata.

*Palatinus Princeps interceptus.*

Carolus Angliæ Rex magnam suscepit expeditionem, sed quam exosus bellum, & pacem deamans, non satis fortiter abrupit: ministris post ejus discessum de more rebellantibus, quos nunquam levitas in officio continuit, multò minus ad id revocavit.

*Expeditio irrita Caroli Regis Angliæ.*

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5693. | 1640. |

Mortuus est hoc anno Constantinopoli 6. Id. Febr. anno ætatis 32. Imperii 17. Amurathes IV. Turcarum Imperator, ex crapulâ, cum apud Vizirum se vino, & aquâ vivâ ingurgitasset, contra votum suum, quod coram suo Muphti nuncuparat, ut arthritidem leniret, quâ cruciabatur acerrimè. Successit ei frater Ibraimus annos natus duodetriginta, & jam addictus neci, qui timorem non posuit, nisi viso cadavere fratris, cujus se demum morte vivere intellexit.

*Amurathes IV. moritur.*

*Succedit ei frater Ibraimus.*

Obiit & eodem ferè tempore Scha-Sophi Rex Persarum, duobus relictis filiis, alio septenni, qui successit patri, altero quadrimo. Mors ejus tam læta Turcis fuit, quàm Persis luctuosa, ob excitatas ab Ottomanis munitiones, quas eo mortuo dejicere se posse desperabant.

*Moritur Scha-Sophi Persa.*

Hic annus fortitudine Harcuriani Comitis, prudentiâque Richelæi, honestissimus accidit Galliæ. In Italiâ enim Casale vastis, altissimisque operibus ab Hispano circum-septum, audaciâ in-

tiâ incredibili perruptum est, ac discussa tertium repetita urbis hujus obsidio.

Eodem ductu, eodemque Duce Taurinum captum, quamvis pauciores obsiderent; quàm obsiderentur, & præterea Leganesius Marchio, cum grandi exercitu Francis incubaret. Verùm Sabaudi inclusi Hispanique auxiliatores repressi maximè imperterritâ Mothæ-Hodancurtii alacritate; probatumq; ad magna gerenda, nil opus esse magnis exercitibus sed Ducibus, & animis.

Atrebatum amplissima civitas, & firma ad deditionem compulsa est, Richelæi solertiâ hostes deludente. Dispersit enim Gallicos exercitus, quorum duces Mareschalli Chalneus, Castillioneus, & Milleræus, ire redireque jussi, sed incerti, quò tenderent, eodem tempore ad Atrebatum consederunt. Nihil non est molitus Cardinalis Infans, ut magnæ urbi, fidissimæque auxiliaretur. Commeatum obsidentibus intercludere conatus est; per Hallerium Mareschallum accepere; perrumpere voluit vallum Gallicum; audaciores transcendere ausos cecidere vel obtrivere generosissimi fratres Vindocini Mercurius, atque Bellefortius. Cùm aliud posset nihil, urbi depositæ atque deploratæ Infans lacrymas dedit, & abiit; Gallus potitus est tantâ urbe, tam nobili, magno populorum suorum gaudio, hostium terrore, qui ad terram usque pervasit; quæ hoc anno in Belgio, sicut & in vicinâ Germaniâ motibus insolitis agitata contremuit.

Auxit & gaudium Francorum altera Regis proles mascula, Dux Andegavensis, solatium magnæ matris, & optimi fratris amor, qui cum ad res magnas, cum singulari utrimque amore adolevit.

Turbavit tamen nonnihil Franciam liber quidam Paræneticus, *Optati Galli* titulum præferens, *de Cavendo Schismate*, omnium Præsulum judicio damnatus, & confutatus, jubente Richelæo eruditissimo libello, qui tamen Romæ minùs placuit, nec est in Galliâ probatus ab omnibus: adeò de his rebus utrimque scribere periculosum viris eruditis, & quid sentiant publici juris facere; itaque in hoc negotio securiùs sibi, Musisque canitur.

Erupit tunc temporis in apertum Catalanorum desperata rebellio, quos ad libertatem natos Hispanorum auxilia, & Hibernorum quorundam militum impietas ad arma compulit. Hi tum ejuratâ Hispano fide, non sine magnâ cæde, multoque sanguine, & tutelam implorarunt Ludovici, & quàm essent utiles Principi, cui se adjungerent, paulò pòst Comitatus Ruscinonensis perpetuâ jactura insigniter ostenderunt.

Atque ut utrimque Castellani premerentur quod jampridem meditabantur, suppeditato sibi per Francos & Batavos apparatu militari, Lusitani sibi Regem creavere Joannem Brangantiæ Ducem, de cujus jure multi semper dubitarant. Tunc autem tantâ conjunctione animorum ubique terrarum Rex ille receptus est, ut in hoc negotio, de Dei digito nemo dubitet, nisi qui Deum semper à suis partibus stare velit ambitiosiùs.

Res Germanicæ hoc anno constitere, quia Duces Batterius Suecus, & Picolomineus Cæsareus, dum pugnandi quærerent copiam, nihil magis quàm pugnam reformidabant. Tum quoque Pontifex pacem desperare cœpit, Ginneto Cardinali revocato, & relicto tantùm Legato suo, ne quei elis relinqueret locum, & ne paternæ sollicitudini defuisse videretur. *Desperatur pax German.*

Carolus Angliæ Rex hoc demum anno sensit se leniùs cum suis Scotis egisse: in quos dum bellum parat, agnovit servius Puritanos potentiores in Angliâ, ab iis stare. Progressus est tamen cum exercitu Eboratum usque, ubi de pace consultatum est; sed cujus specie delusus Princeps, bonique cum illo omnes summam & ultimam perturbationem in hanc insulam imprudenter invenerunt. *Carolus Angliæ Rex serius agnovit errorem suum.*

Hoc denique anno Tartari, atque Moschi mutuis se excursionibus, atque grassationibus fatigarunt: hoc atrocioribus, quia utraque gens ad rapinas, cædesque nata, dum accipit, & reponit damna, ditavit milites improbos, subditos innocentes attrivit. *Tartarorum, & Moschorum excursiones.*

---

## CAP. V.

## *Decas Quinta.*

### *Ab anno Christi* 1640. *ad* 1650.

MUNDI 5694. CHRISTI 1641.

ARiam, *Ayre*, urbem munitissimam, ad deditionem compulsam fortitudine suâ, paulò pòst Hispanorum patientiâ Francus perdidit; & meliorem se, de more, oppugnatorem præstitit, quàm propugnatorem; verùm diuturna obsidione Francus urbem, Hispanus exercitum perdidit. *Aria capta & recepta.*

Res meliùs successit in Catalaniâ, Duce Mottâ Hodancurtio homine impigro, atque forti; cui satis erat audire Hispanos adesse, ut eos aggrederetur atque conficeret. Is egregiè usus alacritate novorum sociorum, & amore quo eum prosequebantur, rem Gallicam ad summum gloriæ promovit, multùmque terroris intulit vicinis regionibus, cum exiguâ Gallorum manu, quam ipse magnam & invictam fortitudine suâ præstabat. *Hodancurtiis res gesta in Catalania.*

Hactenus cum hoste tantùm externo, nunc etiam cum domestico pugnandum fuit. Ludovicus Borbonius Suessionensis Comes, Gallique aliquot fœdus iniere cum Bullionio Duce, & id fovebat Hispanus, misso duce Lamboyo. Ut ferè fit in civilibus bellis, primùm rebellibus fortuna favit. Mareschallus Castilionæus victus recedere coactus est. Sed victoriæ reliquias dum avidius colligit Suessionensis, vel à se, dum rete cassidis auræ colligendæ gratiam sclopo attollit, vel à suorum aliquo, vel hostium (nam id incertum) interfectus est. Primario duce sublato dissipatæ partes, ostendêre deinceps nihil præter nocendi voluntatem. *Comes Suessionensis rebellat, & interficitur.*

Hoc item anno Romanus Pontifex contrà Parmensem Ducem, fulminibus Ecclesiæ primò deinde & Regum, agere decrevit. Pugnatum hic animis Romæ novæ, non veteris; victoriæ fere nullæ, *Rom. Pont. in Parmensem bellum gerit.*

nullæ, nisi quas panicus terror peperit. Captæ tamen aliquot urbes quia pejori defendebantur, quàm oppugnabantur, modo. Majori ergo tumultu, quàm fructu ab iis gentibus bellum gerebatur quæ hodie sunt ad pacis, quam belli opus aptiores.

*Banerius rem malè gerit in German.*

Sueci Banerio duce irrumpunt ab Palatinatum Superiorem, & tum poterant occupare Ratisponam, si in unum conjunxissent vires suas, & vincere, quàm populari maluissent. Tum ergo Cæsareis dedere copiam colligendi sui; qui mox Picolomineo duce irruentes in Slangium, eum cum lectissimo Sueci Equitatus flore se dedere compulerunt. Itaque Banerius fugienti similis recessit in Misniam, ubi junctus est copiis Veimarianis; & si huic institisset Picolomineus, actum erat de Suecis in Germania. In hoc receptu seu fuga Banerius contraxit morbum ex quo obiit 13. Kal. Junias Halberstadii, quo se deferendum curarat, sibique successorem dixit Leonardum Tortenstonium absentem, cujus vices obirent tres præcipui duces Sueci, inter quos eminebat Vrangelius, dignus postea qui totis exercitibus imperaret.

*& moritur.*

*Tortenstonius ei succedit.*

*Vrbes frustra tentata.*

Hoentvilla totâ æstate à Sparrio obsessa est, qui demùm hanc exercitu valdè debilitato, & cladem timente deseruit. Neque fortunatiùs à Luneburgico Hassis & Veimariis tentata Wolfenbutelia, fortiter per Joannem Reuschenbergium defensa; quæ tamen demùm inundata esset, nisi adveniens auxilium fluminis obicem discussisset.

*Res Anglicana turbatissima.*

Res Anglicanæ fœdè turbatæ sunt à Parlamentariis, quorum plerique Puritani Scotis rebellibus favebant. Fovit & malum Rex imprudens, cum passus est Parlamentum, ut vocant, perpetuum declarari, donec turbæ penitùs sedatæ essent, inter turbulentos homines istos nunquam defuturæ. Hoc decreto Regis authoritas penitùs labefactata est; tum enim dari in custodiam Guill. Landius Archiep. Cantuariensis, & Hiberniæ Prorex fautores Regis; huic etiam tortoris manu caput amputatum est, atque immanitati tantæ Carolus subscribere coactus est. Instituta est & quæstio de Regina; quare hæc consultura etiam vitæ suæ, quasi deductura filiam suam Guill. Arausicano desponsatam secessit; at Rex in tutiora fugit loca non jam Rex, sed Regis larva, cujus authoritate ad omne nefas hæretici rebelles abutebantur.

*Regis authoritas penitus infringitur.*

*Cardinalis Infans obit.*

Bruxellis mense Novembri obiit Cardinalis Infans, cùm annis septem Belgio præfuisset tam charus suis, quàm infortunatus, & cujus mors ei paratas turpissimas insidias abrupit.

| MUNDI | CHRISTI |
| --- | --- |
| 5695. | 1642. |

*Guebriantius Dux magnus.*

Hoc anno repentè caput extulit novus Gallicarum copiarum ductor, ac propè maximus Guebriantius, cui animum cum armis hæreditario jure relinquere visus erat magnus Veimarius. Is cum Lamboyo cis Rhenum congressus in agro Kempensi, magnis refertum copiis ita prostravit, ut non modò ceperit vivum, sed ejus militem omnem aut ceciderit, aut inter suos conscripserit. Victi exercitus fortunam experta est regio, ubi prælium commissum est: in eâ Guebriantius vixit, ut in ditione jam suâ, magno ubique pietatis, magno moderationis exemplo: vir in quo nihil ad antiquorum Heroum gloriam, & existimationem defuit, præter vitam diuturnam.

*Kempensem refert victoriam.*

*Perpinianum capitur à Rege.*

Ab alterâ Galliæ parte Perpinianum egregiis operibus ab ipso Rege circumseptum est. Non aliter capi poterat arx Hispaniæ imposita saxo, quàm fame; at illam Hispanico more obsessi toleravere. In eâ obsidione dum Rex ludit cum suis (in his enim castris omnia usque ad delicias reperiebantur) Galli ludendo urbes etiam inexpugnabiles à Regibus suis capi posse docuerunt.

*Pugna infelix ad Honecurtium.*

In limite tamen Belgico, unde longiùs Rex aberat, fortuna paulò visa est iniquior. Propè Honecurtium pagi Cameracensis, ad Hispanos transiit, quia copiarum Gallicarum ductor, majori audaciâ, fluvio uti pro vallo noluit; vir alioqui magnus & strenuus, & solitus hostes aggredi, non numerare, sed qui tum didicit suo & multorum damno non esse omnia ferro atque animis militum tribuenda, callidum Imperatorem, forti nonnumquam anteponendum esse.

*Rambur... Iunioris ... de...*

Inter eos qui hoc prælio interierunt, satis lugeri non potuit Ramburius Junior annorum duodeviginti adolescens, & jam robustæ, & corroboratæ fortitudinis, qui cùm sibi cognomine Legione sic excepit hostem, ut cum vinci posse doceret: nostris autem copiis dissipatis, bis suos restituit; immo & tertiùm eos cum parte Prætorianorum: tantùm cæsus, quia reparare prælium conabatur, cùm jam nullum esset prælium, sed fuga, etiam ductorum exemplo firmata.

*Sammartii & Thuani supplicium.*

Turbata est interea Aula intestinis motibus; qui planè latuissent tamen, nisi sumptum de duobus viris maximis Sammartio & Thuano supplicium, eos occulti cujusdam criminis reos arguisset. Mortui sunt ambo tam fortiter & piè, ut ab ipsis inimicis suis lachrymas expresserint; Rex ne commotus quidem est, ardentissimo amore, in atrocissimum odium comutato, quod vel verum vel confictum crimen accenderat.

*Richelius Cardinalis moritur.*

Exeunte año obiit magnus Richelæus excellentissimi vir ingenii atq; consilii, cui Gallis ad hoc usque tempus prudentiâ superior Hispanus fassus est se non esse parem. Obiit uti vixerat, fortiter atq; sapienter, relicto plerisque sui desiderio, viris eruditis maximè, quibus omnibus ipse præcellebat. Id tanto viro unum defuit, ad exitum non perducere bella, quæ tantâ suæ gentis gloriâ inchoasset. Id si fecisset, ut spes ostentabat, quàm acceptus vixerat Regi, tam Gallis omnibus charus interiisset.

*Maria Medicæa Coloniæ.*

Præcesserat eum paulò antea, mortua Coloniæ, inter opera Christianæ pietatis & patientiæ, Maria Medicæa, Ludovici XIII. mater, Henrici Magni conjux, rerum tamen omnium egena; quæ cùm Cardinalem Richelæum nimis extulisset, dum eum postea parum consultè deprimere nititur, eò demum se redactam vidit, illius ingenio & acerbitate, ut cui nihil olim ad delicias defuerat, rebus etiam ad vitam necessariis indigeret, omnium præterquam filii atque servi misericordiam concitaret.

Coningk-

Coningkmarchius rem fortiter gerit in Germaniâ: eum secutus Tortenstonius summus copiarum Suecicarum ductor Glosgaviam Majorem *Grosglogavv*, invadit & capit. Mox etiam Franciscum Albertum Brandeburgicum ad Suidniciam profligat, & cædit, sicque totâ Silesiâ potitur. Inde Moraviam ingreditur, & Olomucium regionis caput occupat. Jamque majora cogitans in Saxoniam regreditur, & Lipsiam obsidet: cui cùm suppetias ferre Archidux Leopoldus, & Octavius Picolomineus niterentur, ambo victi suâ clade illustrarunt eundem locum, quem Gustavus victoriâ suâ de Tillio nobilitarat. Hujus dedecoris testimonium fuit capta Lipsia: verùm ut id ambo victi duces eluerent Maldonianam legionem, quæ prima fugisse ferebatur, notarunt ignominiâ, gladio in Duces ejus animadverterunt, in signiferos laqueo, in reliquos milites decimatione; Maldonius ipse datus in carcerem, Pragæ demum decollatus ostendit quantùm ea clades Cæsarem pupugisset.

Tum jacta fuisse videntur fundamenta Germanicæ pacis, selectis urbibus Osnaburgâ & Monasterio, & huic gnaviter allaborante Daniæ Rege, qui se demùm imprudentem hujus sequestrum agnovit; armis Suecicis appetitus.

In Angliâ pauci tantùm Catholici favebant Regi, cæteri Parlamento, quod ad se statim traxit omnia vectigalia. Rex itaque Londinum reliquit, & ut eo redeat precibus armatis invitatur. Cùmque tum idem filiam suam Arausicano Principi dedisset uxorem, veriti rebelles auxilia Batavica in Scoticum fœdus jurant, expediunt arma, in speciem ne opprimerentur, reverâ ut Principem suum regno, vitâque spoliarent.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5696. | 1643. |

Post Matrem & Cardinalem Richelæum non diù in vivis superfuit Ludovicus XIII. seu quòd ejus viscera tabe corrupta diffluerent, sive quòd animum tantis negotiis imparem sollicitiùs admoveret: sensit autem se lento confici morbo, & ut erat ad pietatem factus, mori voluit, ut vixerat, sanctè. Vota pro ejus incolumitate totâ Galliâ fusa sunt; sed jam debebatur cælo: unde etiam meliùs res Gallicas, quàm è terris curaret. Successit ei filius Ludovicus XIV. sub tutelâ sapientissimæ Matris, quæ assumpsit ipsa Ducem Aurelianensem totius Regni cum summâ potestate vicarium, eòque absente Principem Condæum consilii caput. Sed insuper ejus filii, Ducis Anguinii, manu indigebat Gallia. Ubi enim Hispani Regem extinctum esse audiverunt, illicò Regiam obsederunt Rupem, quâ sibi aditum in regni præcordia victores aperirent. Enimverò id ferendum non putavit Anguinius, in Campaniâ Francici Imperator exercitus, cui rudimentum belli fuit maxima victoria. Is cum Hospitalio atque Gassione fortissimis atq; experientissimis ductoribus, eos aggressus, tantâ delevit clade, ut si ea victoribus innotuisset, actû erat de Belgio. Deletus est enim omnino eorum peditatus, qui ab hoc tempore reparari non potuit. Auxit cladem Comitis Fontani mors, in quo visa est emori Hispanicæ & Belgicæ statariæ pugnæ gloria; oblatam hic ab hoste vitâ respuit, & cum totâ legione suâ concidendus fuit; sed facta major est in fugâ cædes sparsis per sylvas rusticis, qui locorũ gnari fugientes jugularunt, seu spe prædæ, sive vindictæ cupiditate. Quare nemora quibus Belgiũ & Francia distinguuntur diù cladis hujus Hispanicæ monimenta servavere. *Qua fada fuerit hæc clades.*

Visum est porrò satis hoc anno, relinere dedecus ad Villam Theodonis acceptum: fuitque urbs illa monumentum Anguianæ victoriæ, quæ fuerat Peuquerianæ cladis. Temperavit tamen hæc gaudia magni Imperatoris Franci ad Rottevillam cædes. Ad hanc enim minori tormento ictus Guebriantius paulò pôst interiit ex vulnere. Is quantus esset magis morte suâ, quàm victoriis patefecit. Hoc enim sublato dissipatus est ejus exercitus, capti Duces, impedimenta direpta, sic ut uno ejus capite Gallici nominis gloriam verti atque contineri Germania judicarit. *Villa Theodonis capta. Cajus ad Rattevillam Guebriantius.*

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5697. | 1644. |

Speraverat hoc anno pacem Europa, sed spes statim omnes conciderunt. Venerunt enim Monasterium magni Feciales Franci Hispanique (Plenipotentiarios barbarè dicimus) qui se hic ostentarunt magnificè, ut nihil agerent. *Pax frustratur.*

Bellum Francis longè meliùs cessit: nam capta est in Flandriæ, ut ajunt, fronte Gravelinga, auspiciis Ducis Aurelianensis, cujus in hostilem regionem prima irruptio oræ hujus maritimæ potentissimè propugnaculo Belgis stetit. *Gravelinga capitur.*

Cepere & in agro Spirensi Philippopolim arcem magni nominis, per Ducem Anguinium, præter urbes magnas ad Rhenũ. Sed antea Dux idem magnâ victorâ Bavaris atque Cæsareis terrorem injecerat ad Friburgum, & ostenderat neque opportunitatem loci, neque numerum prodesse hostibus, quoties à tam forti Principe invaderentur. *Philippopolis capta. Victoria Anguinii ad Friburgum.*

Dedit & hoc anno locum Urbanus VIII. Joan. Baptistæ Cardinali Pamphilio, qui dictus est Innocentius X. sic reliquit Sedem suam vir mitioris ingenii generosissimo Pontifici, & cujus animo & ingenio, in suis turbis Ecclesia multùm indigebat. *Innocentius X. succedit Urbano VIII.*

Obierunt & hoc anno Isabella Francica, filia Henrici IV. uxor Philippi III. ætatis anno 42. sicut & Cæcilia Renata Vilnæ, annorum 33. soror Ferdinandi III. ambæ ex æquo piæ & nobiles, meritisque suis luculenta materies lachrymarum. *Isabella, & Cæcilia Renata moriuntur.*

Inchoatum est hoc anno bellum Sueco-Danicum, à Tortenstonio in Jutiâ, ab Hornio in Schonia, ut ancipiti malo Danus distraheretur; & verò utrobique malè mulctatus est. Ac ne quid deesset ad ejus cladem, classis etiam Danina fugata vel depressa ad Fremeram insulam, expugnata spoliataque alia insula Bartholmia; tam feliciter inchoatum bellum ut Danus nihil, omnia Suecus expectaret. Causa expeditionis hujus varia traditur, sollicitatus à Dano Moschus in Suecos, detentæ naves in Sundico freto, data pecunia duci Cæsareo, ut Pomerania invaderetur: verior, invidia utrique innata genti, & à primâ hominum memoriâ; illatis subinde cladibus & damnis ventilata. *Bellum Sueco-Danicum. Causa belli hujus.*

*Transsylvanicum bellum.* Eodem ferè tempore exortum est bellum Transylvanicum, sollicitato à Suecis Georgio Ragotzio Wayvoda Transylvaniæ, ut Hungariam invaderet cum ingenti exercitu. Ejus tamen impetum repressit Comes Bucheimius, seu Buquojus dux Cæsareus, licèt paucis instructus copiis, sed animis ingentibus & prudentiâ. *Ragotzius repressus à Buquojo.* Immò & anno sequenti eundem Georgium malè mulctatum compulit ad pacem; quam avidè recepit Cæsar, ad depellendos ex Germaniæ visceribus Suecos sapienter intentus, & cui bellum hoc unicum plusquam satis erat.

*Polonorum victoria de Tartaris.* Stanislaus Conjecpolsius Dux militiæ Polonicæ grandem victoriam retulit de Tartaris Tauricis, qui collectis equitum quadraginta millibus ad Oczacoviam irruperant in Podoliam. Eos autem ingenti delevit clade, quam Podolienses, Moldavi, Cozaki, Zaporavenses absolvere, damnis gravibus acceptis efferati, & atroces direptæ suæ regionis ultores.

*Rex Angliæ victus ad Eboracum.* Eboracum obsidetur à Scotis, & Parlamentariis. Huic urbi ut Rex ferret auxilium, Rupertum Principem Palatinum in eos immittit cum 30. millibus armatorum. At huic rebelles occurrunt, & prælio duabus horis ante noctem inchoato, & in sequentem diem continuato Regios vincunt, eisque tormenta bellica, & impedimenta omnia eripiunt: peditatus omnis concisus aut captus, magna pars equitatus cum Rege fugit Oxonium, parum utile obsidioni ferendæ, aut inane potiùs auxilium.

*Arch Cantuariensis capite minuitur.* Guillelmus Landus Archiep. Cantuariensis accusatus, quòd videretur in Ecclesiam Romanam propensior, & addictior Carolo, atque Parlamenti consilia parum probaret, publicè in Londinensi foro perdidit caput, supplicio, quod atrocioris, & funestioris præludium fuit.

*Regina Britanniæ dirè ab Anglis tractata.* Denique Regina Britanniæ, Henrici Magni filia committere se coacta est mari minùs infido, quàm in se suosque experta est Calvinianos; qui ne quid intentatum relinquerent, navem quâ vehebatur filia, conjux, & mater regum, tormentis bellicis impetiverunt. Timendum hominum genus, qui neque Deum, neque Dei vivas imagines, nec inanimes venerantur.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5698. | 1645. |

*Card. Rupifucaldius obit.* Fuit & hic annus tristibus ac lætis intermixtus, sed tristia prævaluere. Obiit enim Cleri Gallicani decus & gloria Cardinalis Rupifucaldius, vir integræ commodæque pietatis. Erat ille Ecclesiasticis bonis non dives, ejus tamen in pauperes, resque Deo sacras effecit amor, ut munificentiâ ditissimos quosque superasse videatur: sive id tribuas sapienti ejus parcimoniæ, seu meliùs causam refundas in Deum, liberalitate cum homine sibi conjunctissimo depugnantem.

*A Turcis inchoatur Creticum bellum.* Melitenses equites perterrefacti Ottomanico apparatu Valonæ in portu Albaniæ, ad suam insulam defendendam cucurrere. Frustrâ; detonuit enim illa tempestas in Cretam, Venetamque ditionem. Quis credat? ad hanc usque diem durat hoc bellum. Venetique prudentiâ & fortitudine suâ perfecerunt, ut jam Turcam Europa reformidare desierit, cujus pars exigua non conatus ejus modò represserit, sed eidem victrix, & domina maris insultarit. Hoc nihilominùs anno perdidere Caneam munitissimam urbem, non virtutis, sed commeatus inopia, eàque potiti sunt Turcæ, non quia fortes, sed quia rerum omnium copiâ circumfluebant. *Canea capitur.*

*In Hibernia hæretici prævalent.* In Hiberniâ Catholica religio, dum nimis exultat, pessum iit. Eam enim ingressus Legatus Pontificius majori pompâ, quàm viribus atque pecuniâ, nondum satis bene ordinatis rebus in Insulâ, eam imprudens distraxit in partes, quibus demum Hæretici magno Christianitatis & Insulæ damno prævaluere.

*Hugo Grotius moritur.* Obiit & hoc anno dum redit ad Suecum, cujus in Galliâ legatus erat, litteratorum decus & gloria, Hugo Grotius, cui inter Catholicos moriendi voluntas non defuit, sed facultas. Is enim illam ipsam quam tenemus, animo (ut mihi fassus est) profitebatur fidem, & quominus id publicè faceret, studium alios secum adducendi compellebat. Dum de aliis cogitat, oblitus sui, forsan malè periit.

*Obit Franciscus Subletus.* Verùm longè certiori spe salutis suæ mortuus est 13. Kal. Novembr. Dangutii in domo huic à Rege donatâ, ob regiam pecuniam domi, militiæque sanctissimè administratam, Franciscus Subletus Nucetius, *Des noyers*, magni Richelæi dextera, sine quo nihil unquam hic Cardinalis egit, etiam aliqua ipse sine Cardinali: vir inter aulicos tumultus religiosissimus, & inter maxima belli pacisque negotia saluti suæ, rebusque pietatis addictissimus. Nec hunc Aula, nec Aulam ipse ferre potuit; in quâ si vivere, & dissimulare potuisset, feliciorem & meliorem fortasse; sine dubio, minùs turbatam reliquisset.

*Motta urbs deditur.* Motta in Lotharingia arx munitissima, imposita Saxo, post quinque mensium obsidionem, Francis se dedit. Iidem occupavere Mardicum, mox perdidere. Hulstum Batavi intercepere feliciùs, & sapientiùs conservavere.

*Ludov. Nivernensis nubit Ladislao.* Maria Ludovica Nivernensis Princeps, in quâ pietas, pulchritudo, dignitasque certabant, à Ladislao Poloniæ Rege deamata, & postulata, magnificentissimâ quam Gallia vidit unquam legatione, hoc anno magno Principi nupsit; verùm paulò tardiùs, quàm res Polonica postularet.

*Archiep. Trevirensis liberatur.* Philippus Christophorus Elector Trevirensis, jam decennio captivus, urgentibus legatis Franciæ atq; Sueciæ restituitur libertati. Hispani quoque Treviros restituêre domino suo; inter quem & Clerum mox grave dissidium exarsit. Ille enim Canonicos suos præbendis, ut vocant, spoliavit: at hi ad Cæsarem & Pontificē provocavere; tandemq; inter eos inita est concordia utrique parti, atq; civitati jā satis miseræ, sine dubio, necessaria.

*Torstensonius de Hatzfeldio victoria.* Torstenstonius relicto in Daniâ Vrangelio redit in Germaniam Olomutium à Cæsarianis obsessum liberaturus: ei occurrit in Bohæmia Hartzfeldius cum Cæsaris exercitu, qui & victoriam & libertatem perdidit. Imperator auditâ suorum clade Viennam fugit, ut copias reparet; at Suecus sapienter usus victoriâ suâ multas urbes Bohæmiæ, Moraviæ, Silesiæ occupavit, ut fructuosè de Cæsare triumphasse videretur.

Turenius Halâ captâ, dum spargit bellum, à

Mercio

Mercio Bavaricum copiarum duce invaditur, & operâ potissimùm Joannis Verdani vincitur ad Mergentheimium: multi capti duces Turenii, hic ægrè cum reliquiis exercitus sui se recipit in Hassiam, junctisq; Coningsmarchio, & Hassicis copiis reparat exercitum; quem demum adveniens cum novo supplemento Anguinius effecit idoneum, ut cum Bavaricis victricibus copiis congrederetur.

Et verò hic mox ad Nordlingam cum Cæsareis, oblatâ occasione tanto ardore depugnavit, ut qui hactenus fortitudinem ejus ferre non potuerant, hic ejus constantiæ cesserint; ex victis superfuisset nemo, nisi nox eorũ texisset fugam, pugna diuturnior minùs plenam victoriam reddidit.

Hoc anno pax inita est inter Danos, Suecos & Batavos, sed Danorum damno, portoriis eorum imminutis ex Sundico freto, quod Regni ejus est alumnus.

Harcurius Comes Prorex Catalaniæ Marchionem Mortaram vicit & cepit, cum plerisque ductoribus, & magnâ parte Hispanicæ nobilitatis. Andreas Cantelmus cum equitatu Balaquerium confugit, ubi statim obsessus ad deditionem compulsus est, ab eodem Harcurio, non minùs forti, quàm fortunato.

Mortuus est deniq; hoc anno Michael Fedorovicius Moschoviæ Dux, incertum an morbo repentino, an veneno: successit ei filius Alexius Michalovicius, qui statim Comitem Waldemarum dejectum à Patre, & attritum recepit in gratiam, ne odium hæreditarium cum Principatu recepisse videretur.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5699. | 1646. |

Turcæ ex Bosnia in Dalmatiam excurrunt, & Venetos vexant: quin & illorum præfectus intercipit Novigradum: at qui hanc reddiderat Martinius Strikius capite pœnas luit maturatæ deditionis. Jaderenses vicissim Ottomanos exagitant atque diripiunt, iisque rependunt vicem. Veneti feliciores mari fuere: Thomas enim Morosinus bis Turcos prælio navali vicit, exegitq; tributum ab Insulis Ægæi maris. Nihilominus Turcæ vires nauticas reparavere, & in Cretam reversi, Caneam à Venetis obsessam liberavere atque instruxere commeatu: mox ad Rethimum fusis Christianis etiam hanc urbem fructum retulere victoriæ.

Franci hoc anno potiti sunt Curtraco, Vinoxberga, Mardico; Curtracum etiam Gassio ita communiit, ut eam belli sedem constitueret, unde Flandros exagitaret; vir impigræ fortitudinis, & præsens, absens metuendus hosti; & tunc imminens, cùm procul abesse putaretur.

Quo tempore miles reducitur in Hiberna, Dux Anguinius suâ & militis bene usus alacritate, compulit paucis diebus ad deditionem Dunkerkam cum Marchione Ledæo, utilissimum Flandris totius Belgii emporium; quod tanti Principis fortitudine comparatum, postea faciliùs ejusdem defectione perditum est.

Moraviâ totâ potiuntur Sueci, præter Brinnam urbem, quæ fortiter eis resistit. Tum Torstenstonius excusatâ valetudine abdicavit se summâ militiæ Suecicæ præfecturâ; cui suffectus Gustavus Carolus Vrangelius statim eâ se dignum ostendit magnâ Germaniæ parte peragratâ: sed dum obsidere parat Augustam Vindelicorum, prohibitus à Leopoldo Archiduce copias Austriacas nondum planè attritas esse intellexit.

*Torstenstonio succedit Vrangelius.*

Aliunde Ferdin. Franciscus Ferdinandi III. Imperatoris filius, ipse postea dicendus IV. 5. Id. Aug. Bohæmiæ Rex coronatur spectante parre, cujus hæreditatem excepturus erat, non infelicitatem.

*Ferdinand. Rom. Rex.*

In Italia Casimirus Ladislai Poloniæ Regis frater, contemptâ sæculi pompâ, Societatem Jesu ingressus, ex eadem retractus est ad purpuram. Is tamen nec Jesuita fuit nec Cardinalis, sed postea Poloniæ Rex ad magnas calamitates, cladesque reservatus.

*Casimirus Polonus fit Iesuita & Cardinal.*

Ibidem Barberini nepotes Urbani, quondam potentissimi, ab Innocentio successore exagitati, fugerunt in Galliam, afflictorum comune perfugium: ubi eorũ alter acceptissimus Regi, nec patriã nec curiæ Roman. honores desiderare debet.

*Nepotes Urbani VIII. fugiunt in Galliam.*

Interim Thomas Sabaudus ejuratis jam Hispanis, cum ingenti classe, & exercitu viginti millium armatorum, occupat in Etruriæ littore Portus S. Stephani, atque Telamonis & Orbitellum munitissimam urbem obsidet; sed eam defendit Carolus Gatta Hispanus, donec in ejus auxilium veniret Neapolitana classis; itaq; Thomas coactus est copias reducere in Pedemontiũ, perdito Bressæo Architalasso, maximæ spei adolescente, & jam supra ætatem forti atq; sapienti. At paulò post Mareschallus Melleræus, lectissimis instructus copiis, & pulcherrimo belli apparatu Portum longum *Portolongone* in Ilua Insula cepit, & Populonium *Piombino* in continente; Italiæ sine dubio fræna, & quæ insaniâ nostrâ civili perdidimus.

*Expeditio Francor. in Tusc.*

*Bressæus Architalassus caditur.*

In Hispania hactenus felicem Harcurium fortuna destituit. Obsedit enim frustra Ilerdam, *Lerida*, mensibus quinque; eique superveniens cum viginti millibus armatorum Leganesius Marchio, non modò huic eripuit gloriam, tot ante victoriis paratam, sed & tormenta bellica & impedimenta.

*Ilerdam frustra obsidet Harcurius.*

In Anglia Farfaxius obsidere parat Oxonium, quare Rex fugit mutatâ veste in castra Scotorum: Oxonium occupatur, Jacobus secundogenitus Regis, & Dux Eboracensis in triumphum abducuntur Londinum: exinde rebelles in Britannicis Insulis omnia potuere.

*Rebelles in Anglia prævalent.*

Fuit hic añus magnorũ morte funestus: obiit enim Mutius Vitellescus Præposit. generalis Soc. Jesu, vir magnæ & suavissimæ prudentiæ; cui successit Vincent. Caraffa, solidæ ac vegetæ pietatis. Mortua est & Maria Imperatrix soror Philippi III. ex subita epiphora, dum redit ex venatione cum Cæsare; cujus ex alvo exempta filia Maria dicta est, quæ sacris aquis eluta statim ad meliorem fortunâ transiit. Philippus quoq; IV. Hispaniarum Rex perdidit filium sibi cognominem, annorum ferè sexdecim adolescentem, destina-

*Mutius Vitellescus moritur.*

*& Maria Imperatrix.*

*Infans etiam Hisp.*

ſtinatum Cæſaris filiæ maritum, quem puſtulæ intra quatriduum magno Hiſpanorum luctu extulerunt.

*Henr. Condæus obit.*

Denique extinctus eſt ſub finem hujus anni inter filiorum ſuorum belli, pacisq; victorias & plauſus Henricus Princeps Condæus, eodem regni, quo ſuæ familiæ damno; quem perdidit Gallia, cùm eo potiſſimum indigeret. Erat enim belli civilis mora: & ſi vixiſſet longiùs, nec vidiſſet ille liberos in cuſtodiam datos, neque Gallos armatos in patriam timuiſſet.

MUNDI 5700. CHRISTI. 1647.

*Turba Neapol.*

Tumultuatum hoc anno in utriusque Siciliæ regno, ſed Nepolitanæ turbæ & graviores, & diuturniores extiterunt. Exortæ ſunt illæ propter vectigalia impoſita minutis rebus, ut pomis & oleribus; quæ ut aboleret, & privilegia Ferdinandi & Caroli V. ſervanda curaret, ſe patriæ liberatorem profeſſus eſt vilis homuncio Thomas Agnelus (Maſamelum vulgus appellabat.) Hic ſtipatus plebe vectigalia ſuſtulit omnia, & ut idem præſtarent Prorex & Archiepiſcopus, vi & armis impulit. Cæterùm compoſitis rebus ſe dementem eſſe docuit, quare cæſus eſt à quatuor nobilibus, ut tumultuari ſimul, & inſanire deſineret. Eo cæſo nihiloſeciùs duravit tumultus, dum nobilitas imminui quoque vectigalia poſtulat: quare ad turbas illas fovendas emiſſus è Gallia Guiſius, popularitate innata familiæ ſuæ fovit eas, quandiu potuit, neque ſtationem ſibi concreditam, niſi cum libertate, deſeruit.

*Auctore Thoma Agnelo.*

*Guiſius eas turbas fovet.*

*Variæ res geſtæ Suecorum in Germania.*

Vrangelius obſidet Lindaviam in Menania inſula, & lacu Acronio; verùm hæc egregiè defenditur; itaque ſolvere cogitur obſidionem, moxq; fœdus init cum Bavaro atq; in Bohæmiam redit. Hîc Egram urbem capit, & movet in Cæſarianos; quare defuncto Galaſſio ſubſtituitur Melander, qui turbatur fœdere Bavarico, recreatus ſeditione Weimarienſium. Hi ſtipendiorũ defectu Gallos ejurare parabant: quare Turenius vi eos dormare parat; vim illi vi repellere decreverunt, ac diligenter ſua munivere caſtra: tandem Coningsmarcius eos duplici ſtipendio ſedavit, ſuisq; copiis adjunxit. Vrangelius relinquit Bohæmiam, ac venit in Haſſiam: hunc ſequitur Melander, & Marpurgum expugnat; arx ſervatur tamen, à qua grave periculum adiere ipſe & Marchio Badenſis ſeptem tormentis bellicis in eorum domum (ſimul enim degebant) eodem momento diſploſis, quibus ambo graviter ſauciati ſunt. Urbs itaque militi diripienda relicta eſt, ut ſaltem hoſti minùs utilis eſſet.

*Ferdinandus coronatur. Rex Hungariæ.*

Ferdinandus IV. in magno Procerum conſeſſu Rex Hungariæ coronatus eſt, ubi ſumptibus parcitum non eſt, ut Imperii divitiæ etiam difficillimis temporibus oſtentarentur.

*Varia Principum funera.*

Obiit hoc anno Henricus Fridericus Princeps Arauſicanus, cui ſucceſſit, in præfectura militari Belgicorum Ordinum, filius Guillelmus. Mortuus quoque Chriſtianus V. Daniæ Rex, cui ſucceſſit frater Fridericus Archiep. Bremenſis, dictus anno ſequenti Fridericus III. cum ipſe Chriſtianus V. occupaſſet Regiam ſedem Chriſtiani IV. Caſimirus item Elector Moguntinus dedit locum Philippo Epiſcopo Herbipolitano; hique omnes morte ſuâ hunc illuſtrarunt.

*Moritur Gaſſio Mareſchallus.*

Denique Gaſſio Franciæ Mareſchallus vir artis bellicæ ſcientiſſimus, & audax, quantùm Gallica fortitudo ſinit, dum gregarii militis partes agit, palumque revellit, tranſitus obicem, globo plumbeo trajectus ad Lentium modicam urbem interiit, nec loco, nec mortis genere præclara ejus facinora, ac bellicam gloriam ſatis æquantibus.

MUNDI 5701. CHRISTI 1648.

*Lentiæ Anguium victoria.*

Sed anno ſequenti, ejus manibus multo hoſtium ſanguine ad eamdem urbeculam litavit Condæus; vir acer conſilio atq; manu, & cui adhuc fuit idem & vincere & pugnare. Superiori quàm certatum eſt die hoſtes quaſi ineſcare proſpero ſucceſſu fortuna voluit, ſed cùm ſeriò ventum eſt ad pugnam, Gallica fuit. Profligatus enim Leopoldus exercitus magnam partem, omnia impedimenta, & tormenta bellica perdidit. Immo captus eſſet niſi maturiore fugâ Auſtriaco nomini conſuluiſſet. Actæ ſunt Pariſiis de tanta victoria ſolemnes gratiæ: quæ tamen capto Bruſello funeſtatæ ſunt. Is tribunus plebis de Senatore habitus in aula, eo die datus eſt in cuſtodiam: ſed includentibus illico Lutetia carcer fuit, civibus armatis vias, & angiportus omnes occludentibus. Itaq; redditus populo, metuq; ſolutus poteſtatis regiæ à quibusdam omnia evertere volentibus, abreptus eſt, qui ejus ingenio populari abuſi ſunt ad magnos tumultus in urbe regia, adeoq; toto regno concitandos.

*Pariſini turbæ capto Bruſello.*

*Vrangelius de Melandro victoria.*

Vrangelius hoc anno in agris Brunſvicenſi & Mindenſi refectis copiis; receptoque cum ſeptem millibus armatorum Turenio, primo vere Danubium trajicit, atque haud procul Auguſtâ Vindelicorum congreſſus cum Cæſareis, Bavaris cunctantibus, illos conjicit in fugam. In illo prælio lethaliter vulneratus Melander Dux Auguſtæ obiit. Inde totâ pæne Bavariâ potitus eſt victor Vrangelius, Lyco & Iſarâ fluviis tranſitis, Oeno tantum repreſſus eſt; paulò poſt tamen fortiùs retuſus à Picolomineo in locum Melandri ſubſtituo, & Joanne Verdano, per quos cohibita eſt licentia Suecorum.

*Melander obit ex vulnere.*

*Sueci repreſſi.*

*Praga tentatur à Suecis.*

Coningsmarchius poſt cæſum Melandri regreditur in Palatinatum Superiorem, unde in Bohæmiam irrumpit. Tum primo impetu arcem Pragenſem, & parvam urbem occupat, ſed ab nova urbe, & vetere fortiter rejectus eſt ab hujus Præfecto Coloredo, cui ſicut & Suecis venerunt auxilia, pace tamen mox firmatâ, neutris profutura.

*Lambojus Erneſtum vincit.*

Feliciùs aliunde pugnavit pro Cæſare Lambojus, Erneſtum enim Haſſiæ Landgravium, commiſſo prælio, cecidit ac cepit apud Geiſecam urbem Weſtphaliæ; quam tamen dum occupare parat, rejectus eſt. Poſtea feliciùs Brendebendam arcem cepit ac diruit; conſertâq; iterum

*& poſtea vincitur.*

tum adversus Hassos pugnâ, victus est, Cadmæâ tamen hosti victoria. Ferdinandus III. ad secundas nuptias transiit, duxitq; Mariam filiam Leopoldi Tyrolensis. Verum hæc anno sequenti mortua est enixa filium dictum Ferdinandum Carolum Josephum, cujus natales de matris ejus morte luctus utcumq; temperarunt.

Interea dum Gallia turbaretur, pax exoptata diu accidit Germaniæ, 9. kal. Novemb. obsignata, & sequenti die publicata; probrosa illa quidem Imperio atq; Ecclesiæ, si quidem, ut Gallum omittam, Suecus, Hassius, Brandeburgicus aliquid decerpsere; sed repudianda non erat, ne majus utriq; tempore ipso, dedecus inureretur; partis jacturâ sapienter tota est servata Germania.

Hoc denique anno Junio mense, dum plures adhuc sibi sponderet annos, obiit Ladislaus IV. Poloniæ Rex morte repentinâ regnumq; suum reliquit Casimiro fratri, qui sub hujus ani finem Rex à Polonis non difficiliter dictus est. Nam paulò ante Duce Bogdano Chmielnicio ortum à Cosakis bellum, Regis morte in manifestâ defectionem transiit. Hi autem Tartaros Præcopenses sibi socios adscivere, & iis juncti Poloniam desolarunt, cæsis apud Constantinoviam Sarmaticis copiis. Casimiro autem tantùm nocuit fratris incomparabilis fortitudo, quam adæquare propter iniquitatem temporum, dum visus non est, contemptus est: vir alioqui magnus, ac regno pacatiore, hostibusque minùs reformidandis dignior.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5702. | 1649. |

Turcæ cum anno superiore Vizirum interemissent, & deinde Imperatorem: filiumq; ejus Mahometem annorum 16. sibi præfecissent, in magnis turbis versabantur, maximè cùm Veneticum bellum magno Ottomanorum dedecore gereretur. Nulla enim navis ex Ægæo mari appellebat Constantinopolim, nulla egrediebatur ex portu, excubantibus ad fauces Hellespontî Venetis triremibus. Evocant ergo in auxilium suum classem Africanam: cujus audito adventu Jacobus de Riva Præfectus Venetæ classis in ejus occursum progreditur. Classis quoq; Constantinopolitana ventis secundis usa erupit ex faucibus Ægei maris. Eam cùm quæreret Riva invenit in portu Foggiano, jam conjunctam classibus Africanæ atq; Rhodiensi: nihilosecius eam tormentis impetit, ejusq; quinque deprimit. Earum præcipua & maxima plena pyxidibus pyrobolariis, cùm flamam concepisset, Centurio Jacobus Santorinus ad eam enavit, præscidit funes, eamq; inflamatam in classem Turcicam immittit, atq; incolumis redit ad suos. Turcarum multi flammis absumpti, plures hausti fluctibus, Jacobus audaciæ suæ magnum à Senatu præmium retulit.

Sub initium hujus anni, Galliæ Reginam, magni animi, Deoque confidentissimam fœminam puduit se, Regemque filium quasi captivum detineri: suscepit itaque consilium plenum audaciæ, & subducere Regem, & tantam urbem prohibere commeatu, non totis decem millibus armatorum: sed iis præerat Condæus diligentiâ suâ & alacritate grandis instar exercitus. Urbi consternatæ fecerunt animos Principes aliqui, viriique fortes, qui magno tumultu magnâque pompâ visi sunt. Suburbanitati latè illata vastitas; in rusticulos magnâ acerbitate sævitum, qui tum innocentes *Dominorum suorum deliria* luerunt. Occupata sunt insuper vicina oppida, Sandionysium, pontesq; S. Clodoaldi & Charentonius. Ad hunc, quia commodior erat urbi, pugnatum acriter: ab utraq; parte ductores cecidere Castilionæus & Clanlevius, hâc morte, locoque mortis digniores. Interea Parisinis annona malignè suggerebatur tamen; & satis ea fuisset omnibus, si omnes ad diem vivere voluissent; sed dum quidam seponunt cibaria, metu futuræ, præsentem fecere penuriam. Itaq; malis, fameq; domitâ plebecula infantes morituros ostentans, petebat pacem, extortura ni daretur. Et ab ea non refugiebant Duces utrimque Parisinorum spoliis & auro locupletes. Sed ut fabula meliùs perageretur, accitus est etiam Hispanus hostis, ne quid intentatum videretur. Cùm non procul abesset, pax utrimq; coaluit, Rexque sapienter subditos minùs domitos, quàm Hispanos videre maluit. *Evocatur in auxiliū Hispanus.*

Aquitanos jam naturâ feros efferasse credebatur Espernonius; neq; ullâ arte componi potuerunt motus, quamdiu illum Proregem senserunt. Datus est itaq; eis Condæus Princeps, quem dum nimirū deamant, & se & eum propè perdiderunt: tantū interest Regibus dare populis Legatos aut non exosos nimis, aut nimis gratiosos. *Condæus præficitur Aquitaniæ.*

Sub finem hujus anni interiit ex aperta via per vulnus calculo Chalnius primus tùm Franciæ Mareschallus, vir ex tenuibus initiis gratiâ fratris Luynii perductus ad summa, nec iis indignus propter summam animi utrâq; fortunâ moderationem. Reliquit uxorem virilis ingenii fœminam, quæ non parvam sui conjugis felicitatem gratiamque perfecit. *Moritur Chalnius Mareschal.*

Ferdinandus Elector Coloniensis & Leodiensis Episcop. Leodium urbem jampridem sibi rebellem, ad obsequium vi & armis revocare parat. Obsessi ergo & malè habiti cum Maximiliano Principe paciscuntur, recipiunt Præsulem suum, paucorum supplicio abolita rebellio; ita restricta privilegia, ut neque concedentibus, neque recipientibus deinceps obesse possent. *Leodium revocatur ad obsequium sui Principis.*

In Polonia inauguratus Rex Joan. Casimirus ducit relictam fratris sui Aloysiam Mariam, ut bis Regina diceretur: mox movet ipse in Cosakos & Tartaros, qui ad 300. millia convenerant, cum iis ita pugnat, & tantâ Polonorum virtute, ut eorum incredibilem ediderit stragem; quâ perculsi petiere pacem, quæ eis concessa est eâ lege, ut Cosakorum numerus ad 40. millia revocaretur; sic privilegia iis confirmata, loca assignata, iisque præfectus Dux Boguslaus, seu Bogdanus Chmilnicius, & alia quædam quæ fœderis diplomate continentur, quæ nec brevitas, nec prudentia commemorare sinit. *Ioan. Casimirus inauguratus ducit Aloysiam. Et vicit Cozakos Tartaris junctos.*

Carolus Angliæ Rex Oxonio relicto, confugere coactus ad Scotos, ab his pecunia venditur, Anglis rebellibus; ut, exemplo Judæ, majoris criminis essent rei. Addidere tamen conditiones *Rex Angliæ venditur Anglis à Scotis.*

ali-

aliquas, videlicet ut Angli Regi suo primo quoq; tempore dignitatem restituerent, nec ipsi regnum adimerent, sed ad libitum, & contra patrias leges imperandi voluntatem. Et verò exceptus est à summo rebellium duce Thomâ Farfaxio perhonorificè, indeq; translatus in insulam Vectim, arcemq; Caresbrocham, nihil præter libertatem poterat desiderare. Interim agebatur cum eo de conditionibus pacis; cùmq; nihil propiùs esset, quàm ut emitteretur, militiæ Principes, atque ex iis duo Angliæ funera Farfaxius & Cromwelus, libellum supplicem offerunt Parlamento, quo de multis criminibus Rex accusabatur. Eorum hæc erat summa; accendisse civile bellum, Parlamentum opprimere voluisse, externa quæsisse auxilia, Germanos equites, pedites Hibernos conscripsisse, imposuisse urbibus præsidia ut μονώμως regnare detineret, ceremonias Papisticis similes induxisse, imperasse gravissima vectigalia atq; portoria; promisisse Scotis quatuor Provincias Angliæ Boreales & Londini direptionem, si vel Parlamentum tollerent, vel ejus abjicerent authoritatem. Cùm huic libello non responderetur, Farfaxius & Cromvvelus cum exercitu Londinū advolant, & urbe recepti, ex Parlamento sibi suspectos fautores ejiciunt, ac Carolum ad judicium adducendum curant. Quid plura? fertur in eum capitis sententia, eiq; triduum, ut se paret ad mortem, conceditur. Hoc evoluto tempore constituitur Theatrum, & in eo Regi per duos tortores personatos securi caput abscinditur. Inde tollitur penitus Parlamenti pars melior & prima, dicta Superior Domus *La Chambre haute* conflata ex proceribus regni; retinetur tantùm altera Inferior dicta, *La Cambre basse*, quæ Legatos populorum & urbium continet; ex iis delecti quadraginta viri constituendæ Reipublicæ gratiâ, qui cætus *consilium status* appellatur, eique præficitur Olivarius Cromvvelus, vir magni planè ingenii atque nequitiæ, qui tum sui criminis pretium, si non nomine, saltem retulit diadema.

*Ducitur in insulam Vectim.* *Accusatur Rex.* *Damnatur & capite minuitur.* *Mutatur Angliæ status.* *Cromvvelus præest consilio status.*

Eidem Cromvvelo committitur Hibernicum bellum; superatur Ormontius Hiberniæ Prorex, & regii ductor exercitus, qui tum Dublinum obsidebat. Hic rem optimè gerit Cromvvelus, nec tantùm obsidionem Dublini solvit, sed & urbes reliquas jugum novæ Reip. servire cogit. Quibus auditis Scoti jam proditionis Regiæ pœnitentes Regem acclamant Carolum Walliæ Principem, qui tum fratre Duce Eboracensi versabatur in Hollandia, eumq; missâ legatione ad regnum, & simul ad magnum discrimen accersunt.

*Cromvvelus fit Prorex Hiberniæ.* *Carolus Walliæ Princeps Rex à Scotis acclamatur.*

MUNDI 5603. CHRISTI 1650.

Ut residet aliquando mare, quò postmodum truculentiùs concitetur, sic Parisinis reddita pax, ut postea diuturnioribus affligerentur malis atque gravioribus. Iis initium dedere in custodiam dati Principes Condæus, Contius, & Longavillæus, auctoribus, ut existimatum est, fœminis; consilii tamen arbitro Antistite Corinthiaco, hoste Condæi denunciato: qui præterquam quòd à Principe & naturâ & rebus gestis præferoci violatus erat, in his tumultibus ad magnam fortunam properabat. His duobus stimulis incitatus, ultione & gloriâ, vir intrepidus alioquin, atque unius negotii, tres uno impetu talesq; viros includendos curavit. Die quo capti sunt Principes, festi tota urbe excitati sunt ignes: quis enim negaret eos & Præsuli, & Duci Bellefortio, homini populari, sive optantibus, sive etiam deposcentibus.

*Condæus, Contius, Longavillæus dantur in custodiam.*

Interea magnæ in Aquitania concitatæ sunt turbæ, ex pueri Principis Anguinii, Condeæque matris miserorum aspectu. Ad eas comprimendas Rex ipse cum copiis adfuit: sed Burdegalenses Duce Bullionio freti, & rem Condæam urbemq; suam fortiter defenderunt. Neque spes erat hanc capi posse, quamquam ad eam obsidendā adhibitus esset Melleræus, cui in capiendis urbibus ætas nostra parem non habuit. Sive igitur hic cunctantiùs nec se toto ageret: seu generosiùs illi, & supra cives repugnarent, obsidio parum procedebat; Regina sapientior ipsis rebellibus fuit. Videbat enim Hispanos rem facere suam, jam cœpisse in limite Picardiæ Capellam; Populonium, Portumq; longum, *Portolongone*, in Ilua insula, quæ nobis urbes alias multo sanguine steterant. Obtulit ergo tam honestas fœderis conditiones, ut desperent obsessi nisi eas reciperent. Burdegalensibus pax concessa, cum oblivione præteritorū; facta potestas Condææ, recipere se cum filio Montem-rotundū *Mouron*; ubi securè viveret, donec Principes solverentur: hujus enim gratiæ tum quoq; spes oblata est. Hi tamen paulò post, quia consilia fugæ agitare dicebātur, ex castro Vicenarū, Marcusiū primò, deinde in arcem Portus gratiæ translati sunt, unde tamen de omnibus admoniti per sibi addictissimos homines atq; fidissimos res suas expediêre, & vincti & soluti, suis adversariis mollioribus, nec satis rerum Francicarum gnaris affecti sunt reformidandi, adeoq; ipsi terribiles Regi.

*Bellū Burdegalense.* *Frustratur obsidio Burdegal. Pax conciliatur.* *Mutatur Principum carcer.*

In limite Picardiæ nondum posuerat arma Turenius, Principumque libertatem armatis precibus postulabat. Contra eum progressus Mazarinus ad Retheliū, ita per suos duces retudit, ut de se deinceps, quàm de captivis sollicitior esset.

*Turenius ad Rethelium victus.*

Hæc victoria Principum carcerem firmare poterat fecissetque, nisi qui paraverant custodiam, eamdem perfregissent. Eos enim ut flecterent inclusi Principes, & nuptias, & Purpuram, & montes aureos pollicebantur, quo libertatem consequerentur; certi omnia polliceri, nihil dare, illis qui Principes liberos captivosque fortunæ accommodarent suæ.

*Agitur de liberandis Principibus.*

Suscepta est ingenti pompâ Madriti filia Cæsaris Maria Anna, Regi Hispaniarum Viennæ desponsata eo majori gaudio Hispanorum atq; Germanorum, quod Austriaca domus his nuptiis firmari videretur, & adversus potentissimos adversarios communiri.

*Maria Anna Madriti recipitur.*

Coronata est mense Octobr. Christiana Regina Sueciæ magnificentissimè explicatis Germaniæ spoliis. Huic destinabatur sponsus Carolus Gustavus Palatinus; sed quia hæc celebs vivere decreverat, idem destinatus ei successor, hujusmodi hæreditate, ac nuptiis dignissimus.

*Christiana Sueciæ Regina coronatur.*

Tre-

Trevirenſe diſſidium inter Archiepiſcopum atque Canonicos, quia ſic præſcripſerant Conventus Norimbergenſis, & Imperator, tum ſopitum eſt per Electores Moguntinum & Colonienſem, effectumq; ne inde tumultuum materies oriretur, quæ Germaniam, Belgium, Franciamque turbaverat.

Celebratum eſt hoc anno Jubilæum Romæ magno Chriſtianorum concurſu. Tum autem Pontifex damnavit Germanicam pacem, quâ novus Electoratus conſtitutus erat, & Eccleſiæ bona abalienata, quæ fieri debuiſſe, ſe inconſulto, negabat Innocentius; ſicque materiam novo bello ſuffecit, quoties Auſtriaca domus, ad ſua repetenda parata videbitur.

Londini dejectæ ſunt Jacobi & Caroli ſtatuæ ut Regiæ Tyrannidis monimenta; affecti inſuper ſupplicio, aut acti in exilium, qui Regiæ authoritati favere videbantur. Olivarius Cromwelus cum 20. millibus armatorum movet in Scotos; hoſtes denunciatos Anglicæ Reip. qui caſtra ad Dumbarum collocarant duce Davide Leſleo: hic collatâ acie victi Scoti Sterlinum fugêre, quàm tamen urbem milite refertam aggredi victor auſus non eſt, ſed Edimburgum occupavit. Nihilominus anno ſequenti 5. Idus Januarii coronatus eſt Rex Carolus Schonæ, ubi Scotorum Reges inaugurari ſolent, unde Juſtoniam perrexit ad ſuas copias, reparaturus bellum majoribus animis, quàm prudentiâ.

Is deniq; añus in exitu ſuo literatis hominibus luctuoſiſſimus extitit: perdiderunt enim intra quadraginta fratres duos Memium & Avauxiũ, doctiſſimos ambo, ambo magnos eruditorum virorum fautores. Natu major Memmius præſes infulatus modis omnibus in Senatu Pariſienſi fovit eloquentiam, liberaleſq; diſciplinas: eaſdem aluit & in Gallia & extra Galliam Avauxius, honeſtiſſimis perfunctus legationibus: qui & regio præpoſitus fiſco, ex eo nihil præter benè adminiſtrati gloriam retulit; & quod divitem præfecturam eodem ardore ad ſe depuliſſet, quo ab aliis vulgò prenſari retinerique ſolet.

---

## CAP. VI.

## *Decas Sexta.*

*Ab anno Chriſti 1650. ad 1660.*

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5704. | 1651. |

QUæ feſtis ignibus Principum carcerem ſalutarat Lutetia, jam depoſcebat faces, quibus eum incenderet; nec eorum libertatem plebs poſtulabat modò, ſed & Senatus ipſe, numeratis tamen potiùs, quàm ponderatis ſuffragiis. Cùm itaq; Mazarinus Lupum, ut ajunt, teneret auribus, conſilium capit deſperationis plenius, quàm utilitatis. Relicta urbe convolat Portum Gratiæ, *le Havre de Grace*, & libertatem Principibus offert, quam ultra denegare non poterat. At illi jam aliunde moniti, munus ut ab hoſte recipiunt parantque reditum in urbem, ut ei penitus occludant. Is itaque magnis itineribus, & omnia circumſpiciens Sedanum fugit, inde petiturus Coloniam, dum tempeſtas deferveſceret; & qui eum capitaliter oderant, converſis in ſeſe odiis, ei in hanc urbem iterum aperirent viam. Redeunt ergo Lutetiam ſoluti Principes, eiſque obviam effuſa civitas univerſa, illatam alias accenſorum ignium ſarcit injuriam. Conſtricti videbantur fuiſſe, ut jam legibus omnibus ſolverentur, nec jam rogare gratias, ſed imperare: Si quid Regina negaret, ab eorum fautoribus Senatus decreta, operarum Bajulorumque cœtus, ſeditiones, obtentæ catenæ, viarum obices intentabantur. Hæc quia parum, aut nihil curabantur Condæus ad Bagaudarum Caſtrum (Fanum S. Mauri Foſſatenſis hodie dicitur) ſecedit iratior. Putabat ſeceſſionem ſuã, grandes minas eſſe; ſed ubi contemptas vidit, ipſe prenſare plebeculam, venientes ex ultima populi fæce, vino lautiiſq; excipere, appellare blandiùs etiam interpolatrices & propolas, eò deniq; ſe demittere, quò ſolent, qui ad ſumã enituntur, & ultima.

*Recedit Mazarinus.*

*Redeunt Pariſios Principes.*

Interea venit dies, quo nullus fuit hâc tempeſtate celebrior, ut optatior 7. Idus Septembris aſcendit in Senatum Rex de more anno ætatis 14 ineunte, ſui Juris arbiterq; regni pronunciandus, & venit cum univerſa Nobilitate in equis & ſtragulis ſerico, auro, argentoq; diſtinctis. Tum dies convenit cum vultu populi ſerenus, & abſque nubilo, niſi quod defuere fratres duo Condæus & Conſius, atque ut Dioſcuri præſentes, ſic imminentem abſentes illi prævincere tempeſtatem. Quærebantur porrò omnium oculis, & linguis: reſpondebant eorum amici fautoreſque, metum mortis aut carceris eos arcuiſſe Regio palatio, non potuiſſe huic intereſſe ſuſpectæ celebritati, ſuſpectos Principes, abſque vitæ vel libertatis periculo.

*Majoritas Lud. XIV.*

His diſſeminatis rumoribus in Provincias ſibi commiſſas abeunt, Contius Biturigas, Condæus Burdegalam, repugnaturi ſi appeterentur bello, aut etiam provocaturi, ſi fortuna ſatis populique faverent.

*Recedunt Condæus & Contius.*

Exarſit igitur ex illa ſeceſſione bellum duplex, Aquitanicum ſimul & Catalanicum, civile atq; externum, unius hominis defectione. Marſinus Leodienſis, vir bellicoſus & acer, tum Catalonia Prorex, concreditas ſibi à Rege copias, ab aula ſibi metuens, quæ nihiloſeciùs à Mazarino abſente regebatur, ad ſuum Condæũ deduxit, quæ & Aquitanici exercitus quaſi fermentum extiterunt & Barcinonem ſociam urbem, atq; amicam Hiſpanis, cum magno Gallici nominis dedecore, prodiderunt. Ut iis provideretur malis, emiſſi ſunt Duces duo maximi, Hodancurtius & Harcurius; hic lectiſſimis ſtipatus copiis, ille ſolo nomine, & Catalanorũ amore munitus. Et Harcurius quidem Condæum non ſemel repreſſit, immo conjecit in fugam, Heroem alias ſemper invictum, quandiu pro Rege pugnavit. Hodancurtius confectis ægerrimè copiis, & ferè abſq; pecuniâ, per Hiſpanorum aciem, Barcinonem obſeſſam irrupit, eamq; tutatus eſſet, niſi in ea impreſſione periculoſum vulnus accepiſſet. Ea plaga Barcinoni gravior, quàm ipſi propè morituro

*Marſinus Catalaniã deſerit.*

*Harcurius in Aquitaniam mittitur.*

*Hodancurtius in Catalaniam.*

turo accidit. Dum enim omnia ipse obire solitus militiæ munera, detinetur lecto, nec amicos & Gallos suo accendit exemplo, vir ad miraculum fortis, ostendit quàm pretiosa unius hominis anima sit, quâ unâ urbium sæpe populorumque salus contineatur.

*Bibliotheca Mazarina vænit.*

Inter hæc belli damna etiam à viris alioqui sapientibus (si tamen sapere in tumultu civili licet) rei litterariæ grave inflictum est vulnus. Bibliotheca enim Mazarina, quâ nulla ferè fuit in Europa libris instructior, ad omnium eruditorum usum comparata magnis impensis, majorique Naudæi Bibliothecarii labore, Senatus jussu væniit, atque inter plures distracta, nunquam deinceps adolescere potuit. Musarum pari damno ac dolore.

*Moritur P. Iacob. Sirmondus.*

Obiit & eodem anno vivens Bibliotheca P. Jacobus Sirmondus Societatis JESU, quondam Ludovico XIII. à Confessionibus, vir incomparabilis memoriæ atque ingenii, nonagenario major, famæ tamen, quàm vitæ longè diuturnioris.

*Ferdinando nubit Eleonora Mantuana*

Neostadii celebratum est matrimonium Cæsaris Ferdinandi cum Eleonora Mantuana, eâ pompâ atque magnificentia, cui vix quidquam simile vidit unquam Germania.

*Bellum inter Brand. & Neoburg.*

Exortum est hoc anno Brandeburgicum bellum, in quo maximè videbatur agi de religione. Marchio enim in Montensem regionem hostiliter ingressus, Ducem Neoburgicum damnis aliquot affecit. Quamquam autem utrimque collectæ essent ingentes copiæ, pax nihilominùs confecta est per delectos à Cæsare Feciales, intentantes arma Cæsaris, ei qui hanc admittere recusaret.

*Carolus movet in Cromvvellum.*

Carolus Scotiæ Rex consecratus, confecto exercitu numeroso, amissum à parente suo cum vita regnum recuperare nititur, & dejicere Cromvvellum: certatum utrimq; primò levibus præliis, sed ferè semper cum damno Scotorum. Rex tandem Vigornum urbem occupat, unde copias suas Londino parat admovere: verùm Cromvvellus, eis abrupit iter, commissoque alacriter prælio, Scotos omninò profligat: in hoc certamine cæsa est magna pars Scoticæ nobilitatis; multi etiam capti inter quos generosissimè dimicans Hamiltonius, graviter vulneratus, morte suâ securim Anglicanam fugit, ac turpe supplicium. Urbs Vigornum eodem impetu capta, ex qua Rex fugit per adversam portam, ut olim sine regno, nunc sine subditis, & fugit in veste plebeja, quò meliùs lateret inter Anglos, metu mortis semper animis observante, donec Deppam & Francicum littus attigit, spectator futurus Gallicarum miseriarum, ipse miserior.

*Vincuntur Scoti.*

*Rex fugit in Galliā.*

*Casimirus Cosakos & Tartaros superat.*

Hoc anno Poloni de Cosakis & Tartaris simul junctis nobilem retulere victoriam, ad Constantinoviam 15. ferè passuum millibus à Camenicia *Kamieniek*, 4. kal. Julias. Decertatum est acriter diuturno prælio, cum suis adderent animos, hinc Tartarorum Chamus, inde Casimirus cum lectissima Poloniæ nobilitate. Occupata inde Kiovia, & aliquot urbes aliæ; quare compulsus est Præfectus Cosakorum pacem petere; quo nullus fluctus fuit certior, & evidètior plenæ victoriæ.

*Maximiliano Elect. Bavaro succedit Ferdinand. Maria.*

Deniq; hoc anno mortuus est Maximilianus Elector Bavariæ Dux, ætatis anno septuagesimo octavo, vir ex æquo religiosus, & prudens, & supra reliquos Germaniæ Principes bene animatus in Catholicam fidem: reliquit filios duos Ferdinandum Mariam, & Franciscum Ignatium, hunc paternæ virtutis, illum & Principatus hæredem; qui duxit Adelaidem Sabaudiæ Ducis sororem, in qua virtus cum pulchritudine decertavit.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5705. | 1652. |

*Redit Mazarinus in aulam.*

Hujs anni principio Ludovicus Rex Cardinalem Mazarinum, sponte exulem, accersiit, ut non tantùm animo, sed & corpore suis consiliis interesset. Rediit ille victori similis, tribus Polemarchis stipatus, lectissimisque copiis; quibus cùm obsistere possent Principes, & factionis Duces (abruptis videlicet pontibus, oppidisque per quæ huic transeundum erat, milite firmatis) ei potiùs aperire viam, quàm claudere visi sunt. Sic ad Regem gloriosior postliminiò rediit, quàm contemptior exierat, & expertus est in tumultibus Gallicis vitare primum impetum, certum iter esse ad victoriam; in Francia res turbari facilè, facilè conquiescere, & istic motus quamcumq; in partem incubuerint, non esse diuturnos.

*Harcurius Condæum fugat.*

Harcurius interea Condæum in Aquitania sequebatur, fugienti quàm pugnanti similiorem, usque adeò Heroem illum dissimilem sui reddiderant & miles, & causa. Neque tantùm in se infelix Condæus, sed suis quoque ducibus fuit. Fovebat ejus partes Dux Rohannius Andium Prorex, & huic Andegavum magnam urbem, & populosam, regionemq; ad civilia bella inprimis utilem conservabat. Verùm ad eam civitatem accedens cum parvo Regis exercitu Mareschallus Hoquincurtius, docuit, ad comprimendos civiles motus, satis esse plerumque Regium nomen, & autoritatem, si viris fortibus & audacibus committantur.

*Rohannius Andegavum perdit.*

*Radziovius fit Cardinalis.*

Eodem tempore Corinthiacus Archiepiscopus inter Principes, Regemque medius, dum utrique parti ostentat sese, utriusque partis favore creatus est Cardinalis, atque his tumultibus, & ingenio suo purpuram debet.

*Regii ... & ... tem ...*

Veris initio in Franciæ quoq; præcordia incendii civilis flama penetravit. Nemursius enim, & Bellofortius ad montem Argium, civile bellum de more satis feliciter inchoarunt, sub auspiciis Ducis Aurelianensis. Is pacis quàm belli erat amantior; sed qui eum circumstabant nolebant pacem: horum consiliis & assiduis adhortationibus, dum non satis fortiter resistit, abreptus est. His auditis Condæus rem Aquitanicam pæne deploratam reliquit Contio fratri, emensâq; magnâ Galliæ parte, ignotus Lutetiā venit, eam belli maximi constitutus sedem, si bellum solus administrasset. Verùm hoc animis non satis concordibus gestum est. Dum hic itaq; non modò cum armatis & Regiis, sed cum occultis, suisq; luctatur, multùm laboris atque periculi subiit, ut tandem nihil egisse videretur.

*Condæus venit Parisios.*

Re-

Regiæ demum copiæ ad Stalioclitam (Stampas hodie vocant, *Estampes*) prævaluere: & nihil propius erat, quam ut hac urbe conclusus Principũ exercitus ad deditionem compelleretur; cùm Franciam ingressus Carolus Lotharingiæ Dux, quasi belli arbiter (hoc enim ultimum in malis fuit, ut ab hoste remedium quæreretur) rem utcumque composuit, & Regios omnia posse, Principes omnino atteri prohibuit. Sic hujus adventu bellum reparatum magis, quàm sublatum est; & quis tum esset in Gallos, & tum Gallia vidit, & postea sensêre Campani atque Parisini.

Interim Lutetiæ habita est ad Sanctæ Genovefæ supplicatio, quâ nulla visa est ex hominum retro memoriâ celebrior. Neque enim jam pluvia, aut serenitas, sed pax exposcebatur, sine quâ dies sereni, aut rigui frustra desiderantur. Ab eo tempore (seu hanc eis mentem injecit bona Patrona, seu malis domiti tandem sapere didicerunt) hos sibi tumultus, & diuturnam Regis absentiam displicere Parisini demonstrarunt. Quod cùm innotuisset Ludovico, Principum copias, urbis vicinitate fretas invadi, cædique imperat; atque ex iis superfuisset nemo nisi Condæus præfuisset. Jam enim obruendas numero subduxit sapienter in S. Antonii suburbium, easque domibus, & hortorum muris, seu veriùs suâ fortitudine ac prudentiâ texit. Pugnatum à summo manè ad vesperam obstinatissimè, dum hinc oculo Rex, inde Condæus etiam pugnaret manu, & Dux, & ordinum ductor, & miles. Inclinante in occasum Sole, saltem Regii numero superiores erant, cum in victores Bastilia denotans (Arci ad portam sancti Antonii hoc nomen est) eorum impetum retudit, neque omnia, ut creditum erat, in urbe stare à Rege significavit. Hæc tormenta bellica collibranda curarat Aurelianensis Ducis primogenita filia, Virgo supra fœminam fortis: quæ insuper perfecit eloquentia sua populari, ut deletis Condæi copiis pateret vicina porta, eripereturque victoribus Regiis, victus Principum miles, atque ejus impedimenta. Quæ si clausa perstitisset, uti sperabatur, hoc die, sine dubio bellum civile profligatum erat.

Quarto abhinc die cædes est edita longè funestior, quâ non milites, sed viri sapientes & boni crudeliter interierunt. Ad domum Urbanam, ut vocant, cum plerique convenissent cordati cives ex omnibus ordinibus, malis quibus urgebatur civitas remedium quæsituri, eos adorti permixti operis, ac mediastinis milites pugionibus, sclopis, fustuario inermes mactaverunt; unde ingens in hanc urbem luctus, magnasque omnes pæne familias redundavit. Hac cæde, quia eam videbantur vel imperasse Principes, vel certè, cùm facilè possent, non impediisse, afflixere rem penitus suam, & ab eo tempore boni omnes ab iis refugere, vel ut ab improbis, vel ut non potentibus satis, pari utrobique periculo publicæ tranquillitatis. Passim ergo concurrebatur ad Regem, sed occultè: quominùs enim id apertè fieret, unus impediebat metus, non diuturni magister obsequii. Nam Senatus Parisiensis pars non melior, sed major repugnabat, & eo freti Principes, ac reliquiis exercitus sui pacem optantibus metum incutiebant. Hunc tandem penitus discussit facilitas Regis. Ad eum enim cùm accessissent Legati Parisienses, tantâ amoris significatione recepti sunt, ut carere diutiùs tam boni Principis aspectu atq; præsentiâ magno crimini ducerent. Re itaque Principum nondum benè compositâ recipiendo Regi assignatus est dies 12. kal. Nov. Et Condæus quidem eum diem operiri noluit, sed ad Hispanos se conferens ostendit in se omnia magna esse usque ad desperationem. Aurelianensis Dux cùm in urbe restitisset, inde discedere cum filiâ compulsus est maturius, quàm eorum dignitas, natalesq; postulassent. Senatores quidam eandem quoque aleam subierunt; inter cæteros Bruselius, quanquam Juris consultissimus, turbis tamen hisce Galicis, quàm Juredicundo notior. Condæus interea ut ostenderet quid in se Gallia perdidisset, neq; solul ad Hispanos, & egens, sed cum aliqua Franciæ parte accessisse videretur Rethelium, Fanumque Sanctæ Manehildis *Sainte Menehoult* urbes capit, tum non satis munitas: quasi verò parum Gallis esset amisisse inter hos tumultus civiles Dunkerkam, Barcinonem, Casale, atque in Italia, Flandria, Catalania, defixa esse Francici dedecoris atque levitatis monimenta. Nunquam enim civilibus discordiis insanimus gratis, ex iis semper Hispanus proficit, has expectat; nos ex damnis nostris nunquam sapere discemus.

*Legati Parisini benè accepti à Rege.*

*Rex Parisios redit.*

*Condæus abit ad Hispanos.*

*Damna civilis hujus belli.*

Neque hoc anno tantùm damna belli, sed & pacis experti sumus. Amisimus enim litteratorum decus Dionysium Petavium Societatis Jesu, virum cui parem orbis terrarum vidit neminem, omnibus disciplinis ad miraculum excultum, sed adhuc virtute majorem, cujus eruditionem non Catholici modò, sed & hæretici suspexere, ac meritò reformidavere hostem erroris, atque hæreseos capitalem.

*Moritur P. Dionysius Petavius.*

Quamquam omnia in aula quiescere, ac ridere viderentur, fuit tamen hujus añi finis Cardinali Radesio, *de Retz*, luctuosus. Is dum ad magna festinat, jamque Mazarino æqualis, non vult habere parem, æmuli sui consilio datus est in custodiam Vicennarum; dum Mazarinus pristinum recipit & servat gradum, tam acceptus Regi, ut magis esse non possit, neque inimicorum suorum artibus depulsus ex Gallia, nisi ut in Regis pectus & animum altiùs penetrasse videretur. Nullus est profectò repertus unquam in quem & plures, & atrociores libelli prodierint, quos ille dum despexit, visus est confutare; atque in suo hæsisse gradu tot impellentibus Francis, externum hominem, tantoq; flagrantem odio, vix ipsa posteritas credet.

*Cardinal. Radesius includitur.*

*Mazarinus omnia potest in aula.*

Catholicam fidem hoc anno professus est Ernestus Landgravius Hassius, ejusque conjux Eleonora Maria Comitissa Solmensis, ambo jam veræ Religionis inter Germanos lumina, & quibus Ecclesia Romana trans-Rhenum plurimum debet.

*Ernestus Hassius fit Catholicus.*

Mortuus est tum Philippus Christophorus Elector atq; Archiepiscopus Trevirensis, & Spiren-

*Moritur Elector Trevirensis.*

rensis Episcopus, cui in Francos amor, in Hispanos odium, suâ deditione atque libertate stetit.

*Frankendalium restituitur.* Hoc anno ægrè restitutum est Friderico Palatino Frankendalium 8. kal. Majas, & non nisi numeratâ præsenti pecuniâ quam sibi persolvi tardiùs Hispanus exoptasset.

*Bellum inter Anglos & Batavos.* In Anglia paratæ sunt pecuniæ ad alendos tres exercitus Anglicanum, Scoticum & Hibernicum, quod Respublica nascens exigebat, ne opprimeretur in cunis. Eodem tempore adversus Anglos à Batavis parabatur ingens classis sexcentarum navium, quarum singulæ triginta minimùm tormenta bellica deferrent, cujus erat Præfectus Herpertus Trompius navalium Ducum hujus ætatis præstantissimus. Hoc apparatu Batavus sibi Pelamidum piscationem parabat vindicare, quam sibi arrogabat Anglus, nec jure nec animo, nec viribus inferior.

*Cosaki iterum rebellant in Polonos.* Chmielnicius Dux Cosakorum iterum Tartaris jungitur, eorumque Chamo, quos tamen primo impetu Poloni vincunt: verùm cùm centum Tartarorum millia supervenissent, vicissim superati sunt Poloni. Camenicia tentata septies, illæsa perstitit, naturâ loci simul, & virtute propugnatorum. Habitâ sunt igitur Varsavica Comitia, in quibus Regi decreta pecunia, Cosakis retundendis, & servandæ Poloniæ omnium judicio necessaria.

*Legatio Sinica Martini Martini.* Hoc año Romam venit ex Sinis Legatio, quam obiit Martinus Martinius ex Soc. Jesu, missa per Jungliæum Imperatorem Sinarum, cujus Mater & filius primogenitus, dictus Constantinus, cum Principe Eunuchorum Achille Pangâ, jam Christianis aquis erant eluti, idemq; mox de summo Principe sperabatur. Hic porrò Martinius vir ingenio maximus Atlantem Sinicum, & Historiam gentis hujus, ex synceris monimentis eruta Typis vulganda curavit in Europâ, magno eruditorum plausu & voluptate suscepta.

*Franc. Picolomineus moritur.* Obiit tum Romæ Franciscus Piccolomineus Soc. Jesu Generalis vir sapientissimus, cui successit Alexander Gottefridus; eique statim post Gosvvinus Nikelius Germanus, vitæ quàm administrationis diuturnioris.

MUNDI 5706. CHRISTI 1653.

*Pugnant Angli & Batavi.* Bellum maritimum superiori inchoatum anno, etiam in utroque mari, hoc continuatum est. Angli hactenus Domini maris gentem navalibus certaminibus illustrem ferre nolebant: Batavi duce Trompio experientissimo Imperatore ostendêre hos vinci posse, qui vincere non potuerant, & dubiam reliquissent aleam prælii. Ita enim pugnatum est ut neutra pars se fateretur victam, una sibi defuisse diem, altera pulverem tormentarium quereretur, ad plenam perfectamque victoriam. Ad Iluam Insulam in Tusco littore superiores Batavi Anglos mari Mediterraneo majori dedecore, quàm damno depulêre. Sed in Atlantico eorum fortuna visa est decrescere, ex quo Dracus Anglus iis oppositus est: primo enim certamine victores, altero naves, & militem, tertio Herpetum Trompium globo *Caditur Trompius.* tormenti bellici discerptū perdiderunt, Ducem omnium judicio maximum, atque hujus populi spem & gloriam. Eo sublato quamquam bellū magnâ classe reparatâ simularent, atq; huic novum Ducem præfecissent Jacobum Guassenarium; nihilominus quasi victi pacem turpiter postularunt, ignominiosiùs impetrarunt. *Batavi pacem petunt.*

InPolonia bellum aliud gestum est longè funestius, & quia civile, & quia inter magnos hostes Ottomanorum. Poloni non excipiebant, tractabantq; Cosakos, uti fortes viros & miseros quibus cavendum, ne fiat injuria: arma itaq; in Tartaros atq; Turcos, tantâ rei Christianæ gloriâ, & toties expedita, in dominos subditi convertetunt, Moschiq; conjuncti rem Polonicam pæne in ultimum exitium præcipitarunt. *Cosaki Polonos vincunt.*

Turbatum est etiam nonnihil in Ottomanico Imperio; sed de more tumultus iste paucorum Procerum cruore restinctus est. *Turba Turcica.*

Motus quoque in Helvetiis ex levibus initiis Catholicos inter, & hæreticos in grave bellum erupit: tenuit duobus annis ista contentio; & duraret adhuc, nisi Galliæ Regis Legatus vir ingenio potens, atque linguâ pacis sequestes intercessisset, & utriusque partis sanguinem Principi suo solertissimè atque sapientissimè reservasset. *Motus Helveticus.*

In Galliæ urroq; limite Condæi fratres parum felices extitere. Contius in Aquitania, rebelles ab Ulmo dictos, *l'Ormee* (quod in locum convenirent ulmis consitum) supplex prensare cogebatur, & per eos rem suam utcumq; tueri. Frater ejus & natu, & desperatione major in agro Campano hibernare conatus, rejectus est, sicut & ex agro Sanguitersensi *Santerre*, in quem irruperat; atque utrobique fortis & acer visus est de more, verùm non satis fortunatus. *Principum Condæorum fuces.*

Veneti etiam hoc año (quod pæne incredibile) non modo pares Ottomanis, sed etiam superiores evasere. Eorum enim devictam classem etiam obsedere in Rhodien portu, & cepissent totam, vel incendissent: nisi aquatum exiissent: his aquis longè petendis, paratum huic classi Mahumetanæ restinctum incendium. *Veneti [...]cos [...]rant*

Eodem quoque anno in Galliis compulsæ sunt ad deditionem urbes duæ, Mozomum, *Mouzon*, Fanumque Sanctæ Manehildis *Sainte Menehoult*; Hispanus Francis unam eripuit, Regiam Rupem, *Rocroy*, ille felicior, hi justiores: quia hi suis armis receperunt sua; ille etiam alienis copiis, & alieno Duce Condæo; rapuit aliena. *Rex duas recipit urbes, unam perdit.*

Cromvvellus initio hujus anni pace ubique per Britannicas insulas compositâ Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ regnorum protector renunciatus est, nomine minùs ambitioso, sed quo regia potestas omnis callidiùs occultabatur. Et verò oratione habitâ in Senatu ostendit se muneri suo, atque dignitati commissæ nequaquam defuturum; statimque verbis adjunxit facta. Nam milites immisit in Senatum, Parlamentum emendavit, iis exautoratis qui turbas ciere possent, leges judicibus dedit, ex quibus pronunciarent; ea denique perfecit; quæ hactenus Reges Angliæ fieri posse desperant. *Cromvvellus Protector omnia potest in Anglia.*

Fer-

Ferdinandus Franciscus, filius Ferdinandi III. Rex Romanorum eligitur Augustæ Vindelicorum, jam Bohæmiæ Rex, & Elector; ac Sedi super aram collocatæ, de more imponitur; inauguratusque mox Ratisponæ ingenti pompa, deinceps Ferdinandus IV. haud diu tamen appellabitur.

Hoc denique anno Jansenii Yprensis Episcopi quinque dogmata tanto ambitu, & sumptibus à quibusdam Doctoribus propugnata, tanquam aliena à fide Innocentius X. proscripsit, finemque imposuit controversiæ tantoque utrimq; ardore, & studiis exagitatæ. Sed mirum! quæ fuerant antea Jansenii hæc dogmata, ejusque nomine ab ejus fautoribus tanquam Catholica Romæ coram Pontifice, atque judicibus defensa, statim atque damnata sunt, ex Jansenii libris jactantur evanuisse; sicque nova expectantur à Jansenianis Ecclesiæ fulmina. Quod profectò qui confingunt, qui sic tergiversantur, ostendunt se amore magis partium duci, quam studio veritatis.

| MUNDI | CHRISTI |
| --- | --- |
| 5707. | 1654. |

In Aquitania pertæsus belli, turbarumque Contius, ut doceret obliteratam esse penitus superiorum temporum recordationem Martinossiam duxit uxorem, factus ex hoste Mazarini nepos, magnâ hujus Cardinalis gloriâ, cujus sanguis, etiam cum sanguine Regio, hisce nuptiis miscebatur.

Dependit tum pœnas desolatæ Galliæ, agrique Parisini Carolus Lotharingus, & eas dedit Gallis ab hoste, à quo in eorum ditionem, & perniciem immissus erat. Delusus enim fraudibus Arscotani, & Garciæ, raptus est in custodiam Bruxellas, immo, & in Hispaniam relegatus, quò à suis copiis remotior, longiùs à libertate disjungeretur. Purgarunt se de hoc carcere per libellum emissitium Hispani: quasi verò vægrandibus etiam libris hoc factum in Duce, & socio, & fautore relinquerent. Verum illi non insipienter omninò, quos amicos timent, hostium habent numero, atque loco.

Melleræus Mareschallus, acceptâ fide Radesium Cardinalem affinem suum quasi liberum, secum Nannetas, ex Castro vicennarum deduxit. Is tamen fidem à captivo datam putavit falli posse, elusisque custodibus, ubi primùm potuit ex Castro Nannetensi fugit, & per Hispaniam ad Pontificem Romanum perrexit; nec itinere, nec fugâ ab omnibus satis probatis.

Qui item antea Brisacum receperat sese ex Aquitaniâ fugienti similis Harcurius, ubi res suas in tuto collocatas vidit, & submisit se Regi, & quàm fortis esset, non agendo tantùm, sed & patiendo demonstravit.

Lusitani in Brasiliâ, sub Castellanis infirmi, jam sui juris resumpserunt animos, & Batavos gentem bellicosam, huic agro per vim insertam capto Recifo, *le Recif* (arx est naturâ magis, quàm arte munita) fortissimè depulerunt; simul se fortes, liberosque professi.

Eodem mense Ludovicus XIV. inaugurabatur Rhemis, & Christina Suecorum Regina Upsaliæ deponebat diadema, pari hinc gaudio, inde mœrore subditorum. Interfuerunt Ludovici sanctæ unctioni præter Galliæ proceres, Angliæ Regina, Carolus Scotiæ Rex, ejusque duo fratres Eboracensis, & Henricus Claudiocestriæ Duces, atque ex hujus cerimoniæ aspectu, & fortunæ suæ recordatione, plus mœroris, quàm voluptatis hausere. Christina autem postrema filia Gustavi Adolphi, ex Mariâ Eleonora, filia Sigismundi, Electoris Brandeburgici, coronam deposuit suam, jusque omne Suecici Regni, in Carolum Gustavum transtulit, qui & tum Edviginem Eleonoram filiã Principis Holsatiæ duxit uxorem. Christina autem jam privata venit Holmiam, inde Hamburgum, inde in Belgium & Bruxellas, comite sibi carissimo Pimentello, ubi magnificè suscepta ab Archiduce Leopoldo, & sicut recipientis, receptæque dignitas exigebant. Hîc autem Lutherum privatim ejuravit, Catholicam professa fidem operâ Joannis Baptistæ Guemes Dominicani, qui in Sueciâ dissimulato cultu ab Epistolis fuerat, & à Secretis, quæ tum primum vulgata sunt. *Christina Sueca abdicat regnum. Venit in Belgium.*

Hoc fermè tempore Ferdin. IV. Rex Hungariæ, & Bohæmiæ, jamque dictus Cæsar à diebus 40. anno ætatis 20. ex pustulis obiit, & regna terræ permutavit cœlo, magno Rei Christianæ luctu, cujus in gloriam, & felicitatem adolescebat. *Ferdin. IV. Cæsar moritur.*

Satanacum, *Stenay*, dum obsident Galli per Fabertium fortissimum juxtà, & prudentissimum ducem, nihil propiùs factum est, quàm ut Atrebatum magnam urbem, munitamque perderent. Circumfessum enim erat tot, ac tantis operibus, & quod caput erat Condæo urbis oppugnatore, simul, & castrorum Hispanorum propugnatore, ut sine periculo obsidionis solutio tentari non posse videretur. Nihilominus S. Ludovico Franciæ Regi dies sacer per puteos bellicos, fossam, aggerem, arma Francis aperuit viam. Capta omnia hostium tormenta bellica; & Hispanorum, Belgarumque fugisset nemo, nisi Condæum simul ductorem habuissent & militem; hujus consilio & fortitudine ereptus est victoribus Gallis tantus exercitus; per Gallum stetit, quò minùs Galli plenâ victoriâ potirentur. Hujus tamen prælii qualiscunque & probrosioris quam damnosioris præmia fuere in Hannovio Pago Quercejum, *le Quesnoy*, in Lotharingiæ limite Claromontium; hoc dirui placuit, quin servatum non proderat, receptum incommodabat; illud ita firmatum est aggeribus, & milite, ut hosti deinceps injecerit desperationem. *Satanacum capitur. Atrebatum obsessum liberatur.*

Mortuus est paulò pòst Ludovicus Joinvillæus vulneratus in Atrebatensi certamine, annos natus 33. supremus Franciæ Cubicularius, magno totius Aulæ, & Galliæ luctu, quarum erat amor, atque deliciæ, & in quo veteres illi, magnique Guisii reviviscere videbantur. Reliquit filiolum cognominem sibi, bonorum ac præclaræ indolis suæ hæredem, qui jam ad illustres virtutes innatas familiis Guisianæ, atque Valesiæ nobiliter adolescit. *Ludovici Ioinvillæi obitus.*

Eodem ferè tempore Moschi ditionem Poloni camaggrediebantur, & Galli Neapolitanum regnum, sed exitu dissimillimo. Smolenskum ceperunt *Moschi Poloniam, Franci Neapol. Regnum invadunt.*

runt illi Idib. Octobris, tutamen, & claustra Lithuaniæ. Hi ad Castrum Marinum, *Castel-à Mare*, fecerunt exscensionem, nullo alio operæ-pretio, quàm ut Neapolin terrerent, & Plessæum Bellerium magnæ experientiæ, & fortitudinis ducem perderent, cujus jacturâ ipsa non esset emenda Neapolis.

*Alexius Moschus Smolenskum ingreditur.* Alexius Michalovicius magnus Moschoviæ Dux, cum filio suo Smolenskum ingreditur, ubi imaginem B. Virginis quondam eâ Roxolaniâ eò delatam magnâ veneratione coluit, huicque rem bene gestam adscripsit. Inter hæc Luscus quidam Lubecæ deprehensus est, qui se Magnum Moschoviæ Ducem fingeret. Hic per Sueciam deductus est Moschuam, ubi capite truncatus, objectus est lacerandus feris canibus, qui Moschoviam distrahere civili bello conatus esset.

*Brema occupatur à Suecis.* Brema tum à Koninkmarsio variè tentata, Suecis se dedit: urbs magna, atque munita, sed heterodoxis obstinatioribus plena, habere meruit dominos, Germaniæ torius depopulatores,

*Protector Legationibus honoratur.* In Anglia Protector Cromwellus omnium fermè Europæ Principum Legationibus cohonestatus est, qui inter se discordes in tantùm dedecus convenire potuerunt. Cùm igitur huic jam deesset nihil præter Regis nomen trecentos satellites Sclopis armatos sibi corporis custodes adhibet: rejicit tamen *Majestatis* appellationem, *Celsitudinis*, assumit ex odio adversus Reges, quorum ad excidium se vocatum putabat à Deo. In eum multæ sunt exortæ conjurationes, sed inanes: quid enim aliud in novâ Reip. formâ, & maximè inter Anglos expectaretur?

*Pax inter Anglos & Batavos.* Tum denique inter Protectorem, & Belgicos Ordines pax inita est utrisque necessaria; his quia suis hostibus erant impares, illis quia externa bella, & ab hoste vicino erant periculosa, subditis novo jugo nondum assuefactis.

MUNDI 5708. CHRISTI 1655.

*Mahometes IV. imperare incipit.* Hoc anno Mahometes IV. filius Ibrahimi mortui 1648. natus ipse 1642. Imperii Turcici recepit insignia, annorum 13. & mensium 4. adolescens. Facta est ejus inauguratio magnâ pompâ, sed apparatu Barbarico, in quo non divitiæ, & magnificentia, sed ordo defuit. Ab hoc tempore per Vizirum, & Bassas Imperium administratum est, sed ut à pluribus, hoc est pessimè, regi solet. Quare in eo statim tumultuatum; ideoque demessa multis capita, multis nervo fauces elisæ. Janizari autem, & Spachii, non authoritate, sed uberiori stipendio incitati ad bellum Venetum, ostenderunt quid ab iis expectandum esset, quos pecuniæ studium, non amor gloriæ, & honoris ad bella rapiebat.

*Lotharingi ad Francos transeunt cum Duce Francisco.* Lotharingi quamquam alium jam nacti Ducem, Hispanis nihilominus pugnabant; iisque conveniendi Gallos voluntas non deerat, sed occasio: sub anni hujus initium cùm se obtulisset illa, quædam Legiones, & alæ transgressæ signum aliis sustulere; nec finis transeundi fuit, donec exeunte anno copias omnes suas novus Dux ipse Franciscus secutus est. Reformidabat enim meritò idem cum fratre suo laborũ præmium, ab iis, apud quos impunè nimiũ nemo potest.

*Innoc. X. moritur.* Sub anni quoque hujus principium 7. Idus Januarii Innocentius X. finem vivendi fecit, ex febriculâ ad hydropem accedente; Pontifex supra ætatem, & indolem gentis suæ fortis, atque propositi tenax; sub quo Janseniani dogmatis assertores, aut se receperunt Oves in caulas Petri, aut ab iisdem Lupi discesserunt. Nocuit tantùm ejus existimationi Olympia Maldachina, uxor ejus fratris; quam cùm nimis posse passus esset, calumniarum materiam, in suspiciosâ gente non satis prudenter visus est declinare.

*Succedit ei Alexander VII.* Occupavit ejus locum 7. Idus Aprilis Alexander VII. qui antecessoris sui clauserat oculos, ab eo morituro nunquam discesserat; quo meliùs & sanctiùs Pontificatum adiit nemo, majorem nullus tantæ dignitatis rectè administrandæ spem concitavit. Cùm enim ceremoniarum Magister, sedem ejus in medio altari de more collocasset, eam ipse retraxit ad Evangelii cornu, negavitque se eo sessurum loco, ubi Corpus & Sanguis Christi conficerentur. Tum quoque sibi Sarcophagum parari jussit, ut mortis cogitatio semper oculis ejus observaretur; affines suos, pauperes dixit, quibus ut Christo, ita sibi propinquiores & conjunctiores esse nullos asseruit: ita denique exorsus est, ut si finis respondeat initio, *Sanctitatis* nomen sibi cum aliis Summis Pontificibus commune, peculiare faciet & proprium, nec vitæ innocentissimæ atque pientissimæ terminis continebitur.

*Leopoldus Ignatius Rex Hungariæ.* Sub initium quoque hujus anni Leopoldus Ignatius Josephus filius alter Ferdinandi III. substitutus est in locum demortui fratris, & 5. Kal. Julias Possonii, *Presbourg*, Hungariæ Rex coronatus in se Germanorum omnium spem, animosque convertit.

*Christina Sueca Romam venit.* Hoc etiam anno Christina Sueca ex Belgio venit Augustam Vindelicorum, indeque Oenipontem ubi Lucas Holsteinius vir eruditissimus huic nomine Pontificis occurrit, ipsa professionem edidit Fidei ex Formulâ Concilii Tridentini. Venit inde Tridentum, Veronam, Ferrariam, Bononiam, Imolam, Lauretum, ubi B. Virgini sceptrum coronamque suam religiosissimè consecravit; Denique Romam ingressa est 10. Kal. Januarias per Flaminiam portam, quæ fuit ipsi Porta Triumphalis.

*Tumultus Helveticus.* Tumultuatum est apud Helveticos occasione Religionis Catholicæ, & Romanæ quam Aretenses quidam inter Suitios abjecerant: eorum autem quidam mulctati sunt, quidam fugêre ad Tigurinos, à quibus repetiti cùm non redderentur, paratum est bellum grave inter Hæreticos, atque Catholicos, quibus pagi reliqui distracti auxiliatores accesserunt; eò majori periculo, quòd de Religione ageretur.

*Landrecium captum cum aliis urbibus.* In Flandriâ bellum satis feliciter administravit Gallus, captis Landrecio, Condato, Fano S. Gisleni, urbibus, aut arte, aut naturâ munitis. Non ita cessit Italicum: Ticinum enim re infectâ deseruit; forte quia copiis Gallicis quidem, sed duobus, & Italicis utebatur. In hac obsidione tamen se fortissimè gessit Alphonsus

ſus Mutinenſis, eique nihil præter fortunam ad magnam exiſtimationem defuit.

Victi ad Seſtum, Abydumque Turcæ per Venetos locum hunc ſuâ clade quàm fabuloſo amantis naufragio celebriorem reddiderunt. Hanc victoriam magni fecit Eccleſia, eâque ſe inter clades ſuas,utrumque conſolata eſt.Carolus enim Suecus rebellibus quibuſdam Polonis junctus, eam in Sarmatia exterminaturus timebatur:victus atroci prælio Caſimirus,iterumque Poloni, Cracoviam omnes fugere compulſi fuerant. Captæ etiam à victore urbes inclytæ Varſania, Cracovia, Thorunum, ut alias omittam eundo,atque redeundo interceptas,prodentibus omnia Palatinis quibuſdam, aliàs ad regionis tutelam creatis.

Quo die autem ſe Carolo Thorunum reddidit,eidem natus eſt ex Hedvige conjuge Carolus filius, cui Sueci fortunam Alexandri inter victorias Philippi parentis ſui quondam nati ambitiosè ſpoponderunt.

Moſchus Schiſmaticus hoc tempore Lithuaniam ſanguine, terroreque complevit. Vilnam primariam ejus urbem ceperat, eam tantùm ingredi auſus. Cauſa cladis fuere Radzevillius Polonique propugnatores; qui hoſte adventante, dum ſatis præ ſe non ferunt audaciæ, metum civibus injecerunt, à quibus urbs deſerta venit in Moſchorum manus; unde iidem per univerſam provinciam latiùs, & ſecuriùs cædes,& incendia ſparſerunt.

Eodem tempore Francus cum Anglis pacem iniit, Hiſpanus abrupit, rebus ſuis ita poſtulantibus, atque ita disjunctis, ut eosdem ſocios habere non poſſent. Uter autem horum id fructuoſius præſtiterit, Belgæ poſtea ſenſerunt, atque judicarunt.

In Anglia plurimi contra Cromwellum conjurarunt, qui ex vanis ſuis& atrocibus conſiliis nihil præter pœnam retulere. Solvit ipſe Parlamentum Pridie Idus Febr. ſicque magnâ ſe ſollicitudine exſolvit,& metu. Scotos etiam Montanos perdomuit, cùm iis quidquam inferri ex campeſtribus locis ſeverè prohibuiſſet. Atque ut ſibi aſtringeret Hiberniam,ei præfecit filium ſuum Henricum, cui ſedem aſſignavit Dublinum. Jam ergo domi pacatis omnibus etiam ad ſocios curam,& conſilia convertit: neque enim ſe Britannorum tantùm, ſed & vallium Pedemontanarum Protectorem geſſit, adverſus Sabaudum,à quo earum incolæ malè tractari propter religionem ferebantur. Quare hos hæreticos miſsâ etiam pecuniâ juvit, & Regi Franciæ vallium illarum patrocinium propè minacibus litteris commendavit:quas tamen diſſimulandas Mazarinus Cardinalis exiſtimavit, vir majoris, quàm Gallica fortitudo patiebatur, tolerantiæ.

Hoc denique extinctus eſt anno in ſupremâ Pariſienſi Rationum Curiâ Princeps Senatus Antonius Nicolaus, vir integritatis ſummæ, & ſublimioris eloquentiæ: qui moriens æternum ſui deſiderium, mœroremque reliquiſſet, niſi magni parentis locum major filius Nicolaus hæres virtutum ejus atque facundiæ, ſextus hujus familiæ, in hoc nobiliſſimo cœtu Primus Præſes ſtatim impleviſſet. Sub hujus autem auſpiciis hoc opus prodiit, quoniam publicus eſt litterarum Mecœnas, domus ejus commune hoſpitium eruditionis.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5709. | 1656. |

Interea Polonica ditio Suecorum & Moſchorum fœdis excurſionibus patebat, immo & Tartarorum, qui auxiliatores crudeliùs, quàm hoſtes ipſi ſæviebant. Et Imperator Suecum cum Polono reconciliare omni ope conatus eſt; verùm hic erat abjectior, ille erectior, quàm ut inter ſe ex Regum dignitate convenirent. Omiſsâ itaque mentione pacis Polonos ex deſperatione vires hauſit; ac demum ſeriùs agnovit Suecos tum maximè metuendos eſſe viros fortes, cùm ſperare deſierunt. *Pax inter Polonum & Suecum fruſtra tentatur.*

Enimverò celebratis à Carolo Sueco, & Caſimiro in Poloniâ Comitiis,ab illo Varſaviæ, ab hoc Luboviæ in finibus Sileſiæ, Poloni ad ſe redierunt, ac ſibi libertatique ſuæ pugnare decreverunt. Gedanenſes etiam cremavere ſuburbia ſua (Novam urbem ipſi vocant) & ultima quæque pati, ne Sueco ſe dederent, animosè ſtatuerunt. Cùm tamen Marchio Brandeburgicus, & Sueciæ Rex conveniſſent, & novo ſe fœdere devinxiſſent, Caſimiri res deploratæ videbantur: ſed hominibus,non autem Deo,qui ex eo tempore in illius partes tranſiit. Cæſarnecius enim Polonus 4. Idus Martii ad Jaroslaviam Carolum tantâ affecit clade,ut eum Varſaviam ſe recipere compulerit, non victum tantùm, ſed & fugitivum. Nec ita multò poſt Sueci etiam perdidere Varſaviam, & omnem Poloniæ prædam, quam in hanc urbem convexerant.Eas quidem ſecundo flumine deferre cogitabant in Pruſſiam; verùm Poloni conjectis in Viſtulam multis, & grandibus arboribus, eum innavigabilem reddiderunt, jam non tantùm fortes,ſed & induſtrii, nec tantùm tueri ſua,ſed & recuperare paratiores. *Poloni animos recipiunt.* *Cæſarnecius vincit Suecos.*

Neque tamen Sueci deſponderunt animos; ſed victoriarum ſuarum memores, aut vincere, aut perire decreverunt.Commiſſum itaque prælium duobus diebus totis continuarunt, ex quo pars utraque victrix,pars utraque victa diſceſſit, ſi utriusque gentis ſcriptoribus adhibenda fides. Certè ab eo tempore, res Polonica feliciorem curſum tenuit. Caſimirus enim non iniquis cum Moſcho conditionibus pepigit; iisdem relicto Smolensko Lithuaniam, Podelaſſiam; & Ruſſiam Rubram, ſeu Nigram recepit;ac 17. kal. Decembr. magnificè ſuſceptus Gedani, ſe Regem eſſe demum intellexit. *Polon. jam Suecis ſuperiores,& Moſchis pares.*

Romæ hoc anno Chriſtiana Suecorum Regina ab Alexandro VII. Pontifice ſacro Confirmationis oleo delibuta, ejus quoque ſuſcepit nomen; ut ejus eſſet in Chriſto Pater,qui eſſet Orbis terrarum. *Chriſtina Romæ confirmationis recipit Sacramentum.*

Peſtis hoc anno peracerba Romæ ſævit,atque Neapoli, cui remedium non humana vis, & induſtria dedit, ſed allatum eſt per Sanctos Indigetes auxilium; quo & ſublata eſt ex corporibus *Peſtis in Italia gravis.*

bus luces, & animis est major infusa pietas, atque religio.

*Duo Venetiarum Duces clari.*

Hic annus tres vidit Venetiarum Duces, quorum duo fato functi sunt, Contarenus, & Cornatus, sed hic intra dies viginti sui Principatus elatus est. Suffectus est ei statim Bertuccius Valerius, à quo parata est classis ingens, cui præpositus est Laurentius Marcellus. Hic inito navali certamine ad Dardanellas Turcos profligavit quidem, sed globo tormenti bellici contractus interiit. Bardoëtius mox tamen ejus occupavit locum, à quo penitus classis Turcica deleta est atque depressa. Victoriæ duplicis præmium fuit occupata Tenedos, accessisset, & Lemnos si vel tentata foret; una insulâ securiùs frui, quàm duabus incertò Veneti sapienter maluerunt.

*Pax inter Helvetios composita.*

Badæ inter Helveticos pax est composita per Legatos Francos, Hispanos, Batavos, & Sabaudos, quibus hæc adeo necessaria tantique momenti visa est, ut in eâ perficiendâ, tot viri magni operam suam bene collocatam existimarent.

*Turcæ in Croatia victi.*

Turcæ in Croatia fusi, fugatique sunt, dum plùs de prædâ, quàm de prælio cogitant. Comitia tum celebrantur Pragæ, ubi Eleonora Mantuana Imperatrix coronata est, sicut & Rex Bohæmorum Leopoldus, ut duorum principum inauguratione, fieret illa celebritas illustrior.

*Vrbes duæ de cœlo tactæ.*

Eodem anno Lupia, & Aquisgranum urbes de cœlo tactæ deflagrarunt: in hac absumpta omnia præter Capucinorum Cœnobium: Coloniensium tamen, & Alexandri Pontificis in eâ quondam hospitis liberalitate restaurata, pulchrior Phœnicis instar, ex suis cineribus emersit.

*Io. Austrius venit in Belg.*

Joannes Austrius hoc anno designatus Belgii Præfectus Genuam appulit, magno perfunctus à Mauris Latronibus periculo; inde terrestri itinere venit in Belgium, ubi non minora pericula à Francis adiit, subiturus majora nisi hunc incredibilis Condæi fortitudo texisset.

*Protector tandem prævalet.*

In Angliâ quamquam & armis, & scriptis ubique Protector impeteretur, prævaluit tamen, & quem per vim, & injuriam consecutus erat, Principatu apud suos, & exteros se dignum ostendit; quorum hi fœdus & amicitiam ejus prensarunt ambitiosè; illi se huic ex animo, volentesque submiserunt, & Protectorem nomine, re quasi legitimum Dominum agnoverunt, atque coluerunt.

*Trementes in Anglia repressi.*

Ibidem exorta est Trementium secta (Angli voce patriâ Quacrios *des Quaquers* vocant) quod inter orandum toto corpore contremiscerent. Eorum author & Parens Jacobus Naylos insidens equo, urbibus, ac pagis, instar Prophetæ recipiebatur, populis huic effusis obviam religiosè, & pueris *Osanna* occinentibus. Verùm tandem jussu Cromwelli captus, exceptus est verberibus per compita usque ad λειποθυμίαν, cessantibus tantùm tortoribus, vel ex defatigatione, vel commiseratione.

*Comitia cleri Gallicani.*

Idibus Februarii inchoatus Gallicanorum Antistitum cætus, vix sequenti finitus est anno; duravitque longiùs, quàm utilitas cleri, dignitasque postularent.

*Valencenarum solvitur obsidio.*

Valentinianæ (hodie Valencenas, *Valenciennes*, nominamus) in Hannovio tractu, geminis castris à Gallis obsessæ, interfluente Scaldi fluvio, Europæ totius in se oculos converterant. Sed Hispani, quod armis tantùm non poterant, consilio & arte perfecerunt. Cùm enim deprehendissent majori quàm par erat parsimoniâ, cuncta ad hanc obsidionem parata esse, suo fluvio infra, supraque usi, & ejus aquis scitè retentis, atque laxatis, minoribus castris majorum commercia, atque auxilia substraxerunt. Tum oppugnarunt illa, majori tamen oppugnantium, quàm propugnatorum strage, sed expugnarunt tamen: his ne potirentur effecit Turenii Mareschalli singularis prudentia, recessum sapienter, & fortiter imperantis; attamen cum tormentorum, & Gallicæ existimationis jacturâ; quam nihilominus idem Turenius recuperatâ Capella, utrumque reparavit.

*Capella recepta. Condatum Franci petit.*

Sed & accessit dedecori damnum: Condatum enim vicinum oppidum magnis operibus communitum, virisque bellicosissimis plenum, deficiente commeatu, statim ad deditionem compulsum est, in auctuarium Valentinianæ victoriæ; mirantibus ipsis hostibus, Gallos aliena tam ardenter appetere, ut sua negligere videantur.

*Quercetum R... præsens servat.*

Periclitabatur item & Quercetum, *le Quesnoy*, nisi huic Ludovici Regis fortitudo subvenisset. Eò enim ipse profectus cum exercitu, & hosticum ingressus, tantùm terroris injecit Hispano, ut hic de Condato, Valencenis, Cameraco sollicitus Querceti oblivisceretur, & diu ista duraverit oblivio. Quercetum enim hostilibus licet oppidis circumseptum, Gallicum esse perstitit, quia semel in armis tantum Principem vidit.

*Valentia capta.*

In Italiâ fuit Gallus, quàm in Flandria fortunatior. Cepit enim Valentiam ad Padum, munitissimum locum, sed obsidione tam diuturnâ, ut eam capi posse plerique desperarent. Tum Francici juris effecta est, quando minùs expectabatur, Gallica fuit, quia occupari posse Galli non desperarant.

*Moritur Matthæus Molæus.*

Denique fuit hic annus multorum illustrium morte funestus. Parisiis enim sub initium hujus anni obiit Matthæus Molæus, quondam primus Præses Senatus Parisiensis, in Gallicis tumultibus ultimis vir confidentissimæ probitatis; cui & commissa fuerant Regia sigilla, erepta Petro Seguerio Cancellario tantùm, quia sic temporum iniquitas postulabat.

*Erricus Oxenstiernius. Princeps Thomas Sabaudæ.*

Mortuus quoque Erricus Oxensternius Suecus vir prudentissimus, ex calculo, majori tamen dolore Caroli Regis, quàm suo. Item & fato functus est Princeps Thomas Augustæ Taurinorum XI. kal. Febr. febri correptus in obsidione Ticinensi, quæ eum 150. diebus torsit, ut pientissimè moreretur.

*Georgius Elector Saxon.*

Obiit insuper, sed impiorum morte, Dresdæ 15. kal. Novembr. Jo. Georgius Saxo Lutheranus Elector; cui successit Joan. Georgius, ejus primogenitus ex Sibyllâ Brandeburgica, ambo Principatus sui, quàm religionis sollicitiores.

*Ioan. IV. Lusit. Rex.*

Elatus quoque Joannes IV. Lusitaniæ Rex 5. Id. Novembr. Olyssippone, relicto

relicto filio Joanne Alphonso sub tutela matris Sidoniæ, sororis Ducis Medinæ Sidoniæ, in quâ fœmineum nihil præter sexum fuit, omnia virilia, & muliere majora. Ad hæc in insulâ Cretâ sublatus est Horatius Parmensis juvenis acerrimus, prælio navali in Turcos celeberrimus; qui moriens tantùm doluit, se reddidisse naturæ vitam, quam Deo, & bellis Ottomanicis addixerat. Demùm ut piè credimus Petrus Gassandius receptus est cælo mortuus, quod tam sæpe oculis lustraverat vivus. Fuit enim magnus Astrologus, nec Philosophus minor, cui multùm Philosophia recens, fortè & plùs antiquâ debet, ab eo doctissimis commentariis illustrata.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5710. | 1657. |

Capta Tenedos à Venetis arcem eis dederat unde Turcis insultarent, & quasi obsessam tenerent Constantinopolin: itaque eam totis viribus Ottomanus oppugnavit; at tantùm eam cepit, non fortitudine suâ, sed loci propinquitate, quæ plerumque ignavos homines fortibus effecit superiores.

Lemnos quoque insula, facta etiam Venetici juris, eandem sortem experta est, quamquam eam diu armis in Turcos Veneti, diutiùs mendaciis apud Christianos propugnarint. Suis enim litteris multo tempore Occidentales delusere; & fassi sunt tantùm se illam perdidisse, cùm periculum esset, ne cum eâ insulâ etiam eorum periret existimatio.

Speraverunt anno superiori Hispani Fanum S. Gisleni; sed in hunc dilata spes eorum est: nec hoc oppido potiti essent, nisi ad eorum pertinaciam accessisset Hibernorum proditio, qui militabant nobis. Itaque hoste domestico externoque urbs oppressa, Gallis periit, absque dedecore tamen, duobus ferè mensibus circumsessa, & cum suppetias hiberna tempestas præscinderet.

Alexander VII. quam verbo pollicitus erat Venetis opem reverâ cumulavit; eos enim & pecuniâ juvit, & milite, bellumque Ottomanicum causam Ecclesiæ judicavit. Ita sibi devinctam eâ liberalitate Remp. impulit ad opus & Pontifice, & Alexandro Pontifice dignum.

Jam ab initio hujus sæculi propter Rom. Sedem Societas JESU ab omnibus Venetæ ditionis urbibus extorris erat, & altè sedebat animo Senatoribus nunquam eam recipere, quod ab ea deserti essent, cùm non viderentur à viris sapientibus, & bene affectis in Remp. defendi. Tam intererat Romanæ Sedis, quàm Societatis hanc immutari sententiam; idque sibi cordi esse & publicè, & privatim tam sæpe significarat Alexander, ut Veneti Pontificem optimè de se meritum non amarent, nisi votis ejus subscriberent. Id fecere tantâ obsequii significatione, ut dubites utrùm ardentiùs rogarit Pater, an filii demissiùs tam boni Parentis precibus obtemperarint. Quare refixum est magnâ suffragiorum consensione decretum; recepti ubique Jesuitæ tam splendide, tam amicè, ut jam de exilio conqueri non possint; videantur tantùm ab eâ ditione abfuisse diutiùs, ut in eâ & magnificentiùs habitarent, & humaniùs colerentur.

Veris initio magnus in Franciâ fuit apparatus belli; & verò Cameracum petebatur, munitissima tractus Belgici civitas, tam à Gallis aliena, quàm ad resistendum imparata. Capta erat urbs tanti nominis, nisi Gallis, Gallus Condæus obstitisset. Et in eo casu non solùm fortis, sed & fortunatus fuit: nam quâ parte expectabatur non venit. Urbem ingressus, eam aspectu suo recreavit, & milite; atque ex eâ propè exiit audaciùs, & feliciùs, quàm eandem subierat. *Cameracum Condæus servat Flandris.*

Ad Mommedium igitur arma Francorum conversa sunt, quod Montem Maledictum nisi dixissent veteres, quoniam ad hunc locum victus fuerat Valentinianus Imperator, hoc nomine Galli victores appellarent, qui arcem affixam scopulo tot ductorum sanguine oppugnarint, ut illis meritò similes victorias Hispanus apprecetur. *Mommedium capitur.*

Fanum S. Venantii dum Turenius acriter premit, Ardra urbecula longè melior Gallis periisset, si quod facilè poterat, hostilis ductor ad diem repugnasset. Et verò velociorem horis viginti quatuor deditionem Gubernator Elander capite luit, ut sunt apud Hispanos præmia militiæ, suppliciaque, quàm apud Francos certiora. *Fanum S. Venantii deditur, Ardra servatur.*

Burburgum ab iisdem Francis in Flandria occupatum, quasi expeditionis hujus racematio fuit: quod oppidum diligenter quidem, sed more Gallico communitum est. *Burburgum captum munitur.*

Item paulò antequam miles dimitteretur in hiberna, præmium auxilii sui Anglus recepit Mardicum captum auspiciis Gallicis, ubi propugnaculum excitat Flandris hostibus minùs aggeribus suis, quàm Angliæ vicinitate metuendum. *Mardicum cedit Anglis.*

Inter hæc in Italiâ Principes Contius atque Mutinensis Alexandriam in pago Mediolanensi obsidione cinxerat iis copiis, quæ cladem expectare viderentur. Deerat enim illis non tantùm miles, sed & pecunia. Belli itaque nervis membrisque Duces destituti mediis in conatibus succidêre, minori tamen damno, quàm dedecore; cùm in eos recedentes hostis plùs contumeliarum, quàm plumbi effuderit. *Alexandria tentatur infeliciter.*

Veneti ad hæc anniversariam de Turcis retulere victoriam, ad Seston & Abydum (*Dardanellas* vocant) de more congressi, magnam illam quidem, sed ex parte miseram. In eâ enim perdidere Mocenicum magnæ virtutis, & experientiæ ducem; qui cum multis nobilibus, navis suæ accenso pulvere tormentario, deflagravit; infaustis illis ignibus tantæ victoriæ malè gratulantibus. *Victoria Venetorum de Turcis misera.*

Fuit & hic annus militiæ Gallicæ, togæque luctuosus: obierunt enim magna utriusque lumina Belleuræus, Princeps Senatus Parisiensis, & Motta Hodancurtius Franciæ Mareschallus: huic ad omnes victorias tantùm materia defuit; illi *Mortui Belleuræus & Hodancurtius.*

ad omnes dignitates ætas diuturnior. Mortuus est porrò uterque religiosissimè, & minùs obesse pietati militares, aut forenses tumultus pientissimâ morte suâ Imperator Præsesque optimi viri docuerunt.

*Mors Nicolea Lotharingæ, & Caroli Ducis Ellebovii.*

Neque verò domus Principum damni hujus, atque luctus extores fuere; immò Lotharinga una familia, duo magna capita perdidit. Nicolea enim hæres Lotharingiæ à plerisque credita ineunte hoc anno, morbo quo pridem exagitabatur, vel potiùs animi mœrore extincta est: Princeps optima, atque marito uxoris amantiore digna, & fortunatiore; à quo deserta, eundem nihilominus in Cantecrucianis, & Hispaniensibus vinculis deamavit. Obiit & eodem anno exeunte Carolus Ellebovii Dux bonus Imperator, ac fortis, inprimisque religiosus, ad demerendos animos factus à naturâ. Quorum testes lacrymæ sunt in ejus funera à Picardis profusæ, diuturnus quo absumptus est morbus, morsque eminùs visa, quâ sperari non potest religiosior.

*Jansenianorum hæresis à Rege proscripta.*

Ludovicus XIV. ut suis, & toti terrarum Orbi ostenderet quantopere recens enata Jansenianorum sibi secta displiceret, eandem iterum à Summis Pontificibus Cleroque Gallicano damnatam Parisiensis Senatus decretis exterminandam objecit; ut qui hactenus Romana fulmina riserant in Christianissimi Regis ditione, bruta non esse intelligerent. Effecere tamen calliditate suâ, & tergiversationibus, ut saltèm impunè laterent, & commodiora suis spargendis erroribus tempora, non insipienter opperirentur.

*Burdegalæ Incendium.*

Burdegalæ aut casu, aut de cœlo accensus pulvis tormentarius, qui publicos in usus, non satis prudenter in urbis medio servabatur, plùs civibus terroris incussit, quàm damni. Nulli autem magis, quàm Musis nocuit, labefactato magnâ ex parte Jesuitarum Collegio, quod uti speratur, liberalitate Regis, & civium magnificentiùs exsurget.

*Condæus ægrotat in Flandria.*

Denique sub hujus anni finem periculosissimè Condæus Princeps ægrotavit in Flandriâ, quando inter se plurimùm diffidentes Franci, atque Belgæ in id unum convenere, ut ardentissimis precibus huic à Deo valetudinem impetrarent.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5711. | 1658. |

*Rebellat Bassa Aleppensis.*

Aleppensis Bassa rebellat in Ottomanum Sultanum cum 70. millibus armatorum, & multis Bassis conspirantibus, quibus animos facit Princeps, qui se Amurathis filium jactat. Hic vindicatis sibi Asiæ, & Syriæ vectigalibus, etiam ad Iconium, *Cogne*, nobilem victoriam retulit; quâ tamen usus est malè: quare anno sequenti hæc factio dissipata est, multi se dedere compulsi, qui nihilominus cæsi sunt à Turcis, qui tantùm fidei servant, quantùm suæ res exigunt.

*Veneti parant se ad bellum Turcicum.*

Veneti aliunde se parant ad bellum, quod jam annos ipsos 13. tenet, omnibus prolixè sufficientibus pecunias, quibus Dux ipse prælucebat; quo exemplo nullus est modus ad permovendus populos facilior, atque potentior.

*S. Xaverius patronis Neapolitanis accensetur.*

S. Franciscus Xaverius ediderat tam multa miracula, quibus Neapolin exemit peste, ut cives ejus se ingratos putarent, nisi hunc urbis suæ Patronis accenserent. Id præstitere tantâ pompâ, atque magnificentiâ, ut vix quidquam simile Neapolis viderit neque unquam editum sit in hac civitate spectaculum, quod plùs simul oculos, animumque refecerit.

*Bertuccio Valerio Venet. Duci succedit Pezarus.*

Sub anni hujus initium elatus est Bertuccius Valerius Dux Venetiarum, dotibus animi & corporis ad administrandam Remp. ornatus; cui mox successit non inferior Pezarus delectus ex numero Senatorum, quorum singuli ad majorem ditionem regendam videntur idonei.

*Moritur Dux Mutinensis.*

Trinum in Italiâ receptum est à Marchione Villa, viro hac ætate Equestris militiæ peritissimo. Mortara quoque honestissimi conditionibus reddita est 8. Kal. Sept. Duci Mutinensi; qui mox pridie Idus Octobr. moriens magnum Francis sui desiderium reliquit.

*Valentia resistit Hispanis.*

Valentia munitissimus in Longobardia locus, egregiè munitus à Francis, bis frustrà tentatus ab Hispanis docuit, nec urbem propugnatoribus, nec urbi propugnatores defuisse.

*Canonizatio S. Thomæ de Villanova.*

Kal. Novembr. Sanctorum numerum auxit S. Thomas de Villanova Augustinianus, qui ad infulas sacras magna miracula detulerat, & virtutes miraculis majores.

*Victoria Turrenii ad Dunas.*

Obsidetur à Turrenio Dunkerka, cui ut faceret animos, ut ferret auxilium ex vicino Ludovicus, Mardikum venit. Nec Hispani suis defuere ducibus Joanne Austrio, & Ludovico Condæo; quorum ille majori animo, quàm prudentiâ sine tormentis bellicis in Francos irruit; hoc frustra dissuadente, Condæo & Turrenii prudentiam indicante. Neque delusus est expectatione suâ Condæus. Relictâ enim obsidione cum omnibus ferè copiis, & tormentis bellicis Turrenius adfuit, & 17. Kal. Julias, *ad Dunas*, ut vocant, tanto ardore aggressus est hostem, ut eum magnâ deleret clade, tribus millibus abductis, pluribus cæsis. Condæus equo suffosso tantum captus non est dum suos colligit, & ter prælium alacritate summâ redintegrat.

*Dunkerka capta Anglis relinquitur.*

Hujus victoriæ fructus fuit ut dedit Dunkerka per Bassecurtium ejus præfectum, cùm Leidensis Marchio paulò antea, ex vulneribus interiisset. Rex Ludovicus eam ingressus Lokartio Anglisque ex pacto commisit, quando vellet pecuniâ redimendam; quo pacto neque sociis, neque sibi, neque religioni defuit.

*Lud. XIV. morbus & sanitas.*

Secutæ sunt Dunkerkæ fortunam Berga S. Vinoci. Furnæ. Dixmüda, tantæ victoriæ duntaxat appendices. Verùm hujus gaudium Regis turbavit morbus. Is tam atrox fuit, ut pæne salus ejus medicis deplorata videretur: prævaluit tamen firma Principis habitudo, potentissimis adjuta remediis, quibus Ludovico salus, simul & Franciæ reddita est.

*Ioan. Austrius iterum victus.*

Quamvis autem Joannes Austrius sibi vehementer à Francis reformidaret, & accuratè sibi, suisque præcaveret, illorum tamen diligentiâ, & alacritate in ultimum discrimen impulsus est, nam

nam ad Burgas tormenta omnia sua bellica, & supellectilem perdidit, & sine dubio captus esset, nisi reservare suo Principi, fugâ non satis honestâ, bonum Imperatorem maluisset.

Consternatis hoc casu Flandris, Feritatis Mareschallus vir impiger, & magni animi 6. Kal. Aug. Gravelingam urbem Belgii munitissimam obsedit, & cum paucis copiis 3. Kal. Sept. ad deditionem compulit. Aliunde secutæ sunt urbis hujus fortunam Aldenardâ, & Menenium, turmis Hispanicis cum Lignio deletis. Ypræ quoque grandis civitas, cum his duabus redditæ Turrenio, cujus adventus satis fuit, ut tres illæ urbes legitimè, honesteque redderentur: tantùm prodest Imperatoribus bonis fortiter uti suâ victoriâ, & hostium timore, ac infelicitate.

Agger Francicus, *le Bastion de France* in Africa non procul ab Hippone *Bonne*, relictus est à Piquetio, quoniam hunc invadere Algeriani decreverant: extulit tamen ille secum omnia, Turcis egregiè retusis, quibus nihil reliquit præter plagas, & ignominiam.

Ludovicus XIV. cum Aulâ Lugdunum perrexit, ubi magnificè susceptus est: eum invisit Aula Sabaudica, multo honore, magno amore recepta. Quæ causa autem fuerit hujus itineris Regii, rescit tantùm qui id curaverat Cardinalis Mazarinus; neque nos cum multis conjectoribus hîc vaticinari volumus.

Fionia insula, *Fuhnem*, capta est à Suecis, in quâ Danus multa tormenta bellica, naves aliquot, & plurima signa perdidit, initio hujus anni. Quare majorem veritus cladem, turpioremque jacturam 3. Kal. Martias cum victoribus iniit fœdus, non tantùm inhonorum, sed & perniciosum, dare coactus Schoniam provinciam, quâ nectebatur cum Sueco; ut ab eo deinceps non tantùm armorum metu, sed & ipso mari, & freto Sundico dirimeretur.

Batavi cum Suecis prælio navali confligunt, & hos superant, sed Cadmeâ victoriâ, Sueci enim perdidere undecim naves, Batavi ducem suum, tota classe longè meliorem, & utiliorem.

Mense Julio Leopoldus Ignatius Francofurti electus est Imperator, exteris plerisque contranitentibus occultè, Principibus Germaniæ dignitatem hanc prensare non ausis, quæ plus divitiarum, & virium flagitat, quàm voluntatis & ambitionis.

Ragotzius Wayvoda Transylvaniæ delet grandem Turcorum exercitum, virtute suâ potiùs, quàm numero copiarum: at ne potiretur victoriæ fructu, idem Turcus impediit, ingressus in Transylvaniam cum quinquaginta millibus armatorum, multis insuper adjunctis Tartaris invitatis ad prædam. Itaque ad montes fugere compulsus est, unde petiit à Venetis auxilium, quod hi negarunt, ne eo devicto, in Venetam ditionem belli hujusce tempestas detonaret. Neque tamen Ragotzius despondit animos, sed virtute suâ fretus Turcis obstitit, ac propè par fuit, tandem à suis, propè admotâ vi, pacem coactus postulare, sed quæ fortibus viris concedi solet.

*R. P. Brietii Annales.*

Polonus pacem init cum Marchione Brandeburgico, utrimque sine dubio expetitam, ac fermè necessariam: idem quoque præstare cum Cozakis rebellibus parat, quos exscindere, nihil aliud est, quàm una manu, sibi alteram amputare. *Fœdus Pol. & Brandeb.*

Thorunium à Suecis quondam occupatum, fortiter defensum est sex ipsis mensibus à Juniore Oxensternio, ac tandem redditum Polono conditionibus perhonestis; ex quibus propugnator tantùm gloriæ retulit, quantùm oppugnator percipiet utilitatis. *Pacem cum vicinis Polonus init.*

Obsidio Pacis Augustæ, *Badajos*, post menses quatuor à Lusitanis turpiter solvitur, unde magnus Olysippone mœror; qui tamen delinitus est nuncio victoriæ de Batavis ante Goam in Indiâ; quam quidem externam; domesticæ libenter anteposuissent. *Obsidio Pacis Augustæ solvitur.*

Oct. Kal. Junias magna detecta est Londini adversus Protectorem conjuratio, cujus exitus multorum carcer fuit. Sed paulò pòst alia major patefacta est, quâ Rex Angliæ Carolus cum equitibus mille, peditum septem vel octo millibus evocabatur; huic cautum multorum supplicio, quorum sanguine Cromvveli securitati litatum est. Quem tamen homines tollere nequaquam potuerant, jam ab iis securum exterminavit Deus Idibus Sept. relicto filio Ricardo dignitatis suæ, non ingenii, & industriæ successore: quare hic tanto impar oneri statim succubuit. Mortuus autem sepultus Regiâ Pompâ, docuit Tyrannos aliquos atque sceleratos, saltèm usque ad obitum, in hac vitâ esse fortunatos. *Moritur Cromvvelus, relicto Ricardo filio successore.*

In Jamaycâ insulâ vexati sunt graviter Hispani per Anglos: qui sic ostendêre sopitos esse domesticos tumultus suos, cùm tam longè spargerent bellum, & hostibus tam potentibus, etiam in alio Orbe insultarent. *In Iamayca Angli vexant Hispanos.*

MUNDI 5712. CHRISTI. 1659.

Aleppensis Bassa fultus Pseudoprincipe suo terroris plurimùm Turcis injiciebat: quare huic larvæ offerebantur dignitates magnæ, ut hoc rebellionis fermentum tolleretur. Verum callidiores erant ambo, ut infidis Aulæ Turcicæ pollicitationibus sibi paterentur illudi. *Syriaci tumultus Turcos angunt.*

Mox tamen ejusdem Bassæ res nutare cœperunt: quare hic fugit ad Bassam Mortazam, qui tum præerat Syriæ, eique quinquaginta millia armatorum pollicebatur. Verùm ab eo captus, cum præcipuis triginta rebellibus, caput spemque omnem suam perdidit. Eorum præfixa contis capita è regione Turcici palatii (*Serallium* vulgò dicunt) diro spectaculo crudelem Sultani animum refecerunt. Ab aliis paulò aliter hæc historia scribitur; & ferunt quidam hunc rebellem interceptum esse Alexandriæ ad Issum, (hodie *Alexandretta* dicitur) cum suis ducibus Septemdecim, quò venire Sultanus ipse finxerat hoc negotium compositurus; at captis insidiosè, jussu Viziri de- *Bassa Alepensis tollitur.*

demessa esse capita, & Aleppum ad terrorem submissa. Verùm hæc tam dubia sunt, quàm hujus Bassæ mors certa fuit.

*Reparatur bellum Alepense.* Quievit tum nonnihil Aleppense bellum: sed huic suffecto Duce mox recruduit. Filius enim Ussaim Bassæ nactus thesauros patris, quos astutè subduxerat, copias scripsit, quæ nunquam divitibus in Turciâ desunt, ubi omnia ex auro, & pecuniis pendent.

*Veneti feliciter in Turcos pugnant.* Morosinus Venetæ classis præfectus Methonem, *Modon*, munitissimam Peloponnesi civitatem occupavit: cepisset & Coronem, *Coron*, nisi aliâ expeditione ulteriori distractus esset, videlicet occupandis Hellesponti faucibus (Dardanellas dicunt) & præcludendo Turcis Ægæo mari; quod jam sæpe præstiterant Veneti, pari dedecore, damnoque Turcorum.

*Novus Dux Venetiarum.* Joannes Pesarus Dux Venetiarum obiit Kal. Octobr. annos natus unum atque septuaginta: cui 3. Idus mensis ejusdem, substitutus est Dominicus Contarenus, hac dignitate, & hoc tempore dignissimus.

*Palavicinus fit Card.* P. Palavicinus è Societate JESU 4. Idus Novembr. recepit purpuram propter excellens ingenium, atque intimam cum Alexandro Summo Pontifice familiaritatem: sicque tanta dignitas amoris simul, & meriti præmium fuit.

*Ingens terræ motus in Calabria.* Oct. Idus ejusdem mensis magnus contigit in Calabriâ terræ motus maximè ad Cantazarum, Sorianum, Miletum, Squilacium, quo multæ corruerunt domus, obtriti plurimi; mortem omnibus, plerisque ultimum Orbis exitium opperientibus.

*Mors Nemorosii & Servientii.* Perdidit hoc anno Francia viros illustres duos Henricum Ducem Nemorosium, & Abelem Servientium, ambo diuturno elatos morbo: hunc quidem 13. Kal. Mart. annos natum 66. magni ingenii, firmissimique virum, & in multis negotiis cum magnâ laude versatum: illum 19. Kal. Febr. decurrentem annum 30. indolis aureæ, & quem sibi vindicarat Ecclesia, verùm ut familiam propagaret suam, vocatus ad nuptias neutri profuit, multisque propter suavissimos mores, sui desiderium reliquit.

*Pax inita inter Francos, & Hisp.* Mense Majo ineunte armorum indicta est suspensio Francos inter & Hispanos, vicinæ pacis, & utrimque diu expectatæ prænuncia. Et verò 5. Kal. Aug. venit ad Emporium S. Joannis de Lucio, Julius Cardinalis Mazarinus: accessit & eodem ferme tempore ad limitem Hispaniæ Ludovicus Harosius, magni duo Ludovici, & Philippi Feciales, quos *Plenipotentiarios* vocant. Ab iis delecta est insula Hospitalia in Vidossâ flumine, quam olim ad duellum adversus Carolum V. Franciscus I. delegerat. In eâ Idibus Aug. constructis cubiculis duobus, magnâ pompâ inchoatæ sunt collationes, quæ demum 7. Idus Novembr. absolutæ sunt, utrimque pax obsignata, cujus vinculum fuit Mariæ Theresiæ cum Ludovico XIV. matrimonium; quoniam Pax, cœli donum, rarò sola venit Deo; & ferè semper multis muneribus aliis comitata.

*Tentatur à Suecis Hania.* Interea magno ardore etiam inter hyemis frigora bellum gerebatur à Suecis contra Danos; ab illis enim 9. Kal. Mart. tentata est Hafnia, ingenti utrimque cæde: sed rejecti Sueci bis mille de suis, cum ductoribus aliquot, trucidatos reliquere; Dani perdiderunt dumtaxat mille; quo tamen certamine illorum repressus est ardor, hi facti sunt ad pacem recipiendam paratiores, ne iterum periclitari cogerentur.

*Sueci invaduntur in Pomerania.* Aliunde Stetinum, Pomeraniæ caput, à Marchione Brandeburgico atque Cæsareis impugnatum est, & Sueci novo sunt appetiti bello, ut Danis tacitum saltem afferretur auxilium. Verùm Sueci in Dania, & Germania se semper sui similes præbuere, hoc est fortes, & ad bellum inferendum, ac recipiendum natos.

*Sueci Fionia [illegible] pelluntur.* Nihilominus sub finem anni hujus iidem Sueci victi sunt à Danis Fionia insula, *Funhen*, quam aliàs occuparant, ac fœdè diripuerant. Quare quæ Elsenore solverat Sueca classis, ut opitularetur suis, auditâ hujus insulæ jacturâ rediit, ne maritimo dedecore, terrestre cumularetur.

*Ragotzius victus à Turc.* Ragotzius Transylvanus victus à Bassa Budensi, suorum quatuor millia cæsos perdidit, duo millia vidit abduci captivos; neque tamen spem abjecit; & victus & victor factus terror Ottomanorum.

*Eluæ [illegible] dio solvitur.* Decimo septimo Kal. Febr. soluta est Eluæ obsidio, quam urbem spe jam devorarant Hispani, Lusitani fortiter tuebantur. Hi enim suis auxilium tulere, atque illorum quatuor millia cecidere, & cladem ad Pacem Augustam cum fœnore reposuere. Hispani enim, præter militem, perdidere omina tormenta bellica, & impedimenta, cum sexcentis millibus aureorum, quæ nuper advenerant ad stipendium. Demulsit tamen hanc cladem utcumque Indicæ classis adventus, cujus auro nihil est ad reparanda damna, bellique casus adversos paratius.

*Angli [illegible] multum [illegible].* Angli cum classe triginta sex navium, ad Sundicum fretum accedunt, ut sequestri pacis, sed Danis meritò reformidandi. Verùm iidem dum alios reconciliare nituntur, aut simulant, domesticis tumultibus laboravere. Cum enim Scoti duce Mukio, & Angli duce Lamberto copias junxissent, ineunte Majo Novum Parlamentum dissolverunt, restituerunt Vetus. Tunc fractum Reip. Anglicæ sigillum. Protector Ricardus exautoratus: & ne aliquid auderet (quod tamen propter ejus ignaviam, & imbecillitatem animi minùs reformidandum erat) assignatum est ei unde lautè viveret, cum hæredibus suis. *Richard. exautoratur.* Aspersum est etiam aliquid ejus matri, ut Olivarius Cromwellus, qui sibi multos pararat amicos, de Angliâ bene meritus videretur. Mukius interea Lambertusque rerum potiebantur conjunctis exercitibus: sed demum prævaluit Mukius ingenio, & sagacitate, mox *Mukius [illegible] omnia potest.*

etiam

etiam Angliæ regnum magnâ virtutis laude, majori moderationis, ſapienter reparaturus.

MUNDI 5713. CHRISTI. 1660.

Incendium atrox 9. Kal. Aug. Conſtantinopoli duobis diebus ſæviit, quo 70. domorum millia, cum 20. aut 30. hominum millibus abſumpta ſunt: Inchoatum extra urbem muros ipſos tranſcendit, eamque latè decurrit. Incenſæ ſunt etiam aliquot Meſquitæ, atque templa; bonis omnibus exuti plerique mercatores. Quare hic magni concitati ſunt motus, paratis egentibus obvia quæque diripere: Ideo Xanto quidam à Viſiro ſtrangulari juſſus, qui orationibus ſuis hos accendere videbatur; nec inane fuiſſe remedium oſtendit eventus.

Obſidebatur à Venetis Canea, & Chriſtiana brevi fuiſſe videbatur; ſed huic opportunum auxilium Turcæ intulerunt. Inde ad Candiam pugna conſeritur, in quâ fortiùs, quàm feliciùs Chriſtiani decertarunt. Jam enim propè victores, & occupaturi Novam Candiam, ſine causâ fugerunt. Panico timore correpti; quo nihil eſt in præliis vulgarius, ut damnoſius nihil.

Oppugnata fuit hoc anno per Venetos Chalcis, vulgo *Negrepont*, quam tamen capere ſtatim deſperarunt: itaque Scyathum, *Sciatto*, Inſulam aggreſſi caſtrum ejus cepere, atque diruere. Tentata quoque Cythera, *Cerigo*, ſed damno Chriſtianorum, Turcis animoſiùs, quàm ſperabatur obſiſtentibus.

Syri fratres duo qui vocabant ſe Emiros Sidonis, *de Sayde*, cum multis Baſſis rebellarunt, parati tendere Conſtantinopolin, ut armati eorum capita poſtularent, qui mala Sultano conſilia ſuggererent: verùm irriſi ſunt à Viſiro, eorum capita ſperante ſine bello, & ſimiles fore patri, qui ſub Amurathe cæſus erat, quia conſilium minùs audax, ac temerarium ſuſceperat.

Fuit hic annus duobus Magiſtris Melitæ fatalis, pari Chriſtianorum mœrore, ac voluptate Mahumetanorum. Subſtitutus Laſcaris initio ſui magiſtratus ſcripſit ad Batavos, & Ordinis ſui bona ab iis exegit 17. Kal. Octobr. quas ſine dubio contempſiſſent heterodoxi, niſi his adjuncta eſſet authoritas Chriſtianiſſimi Regis, quam meritò Batavi metuebant ac venerabantur.

Tertio Kal. Majas celebratæ ſunt nuptiæ inter Parmenſem Ducem, & Margaritam Sabaudam, ſed quæ magno utriuſque conjugis atque ditionis diuturnæ non fuerunt.

Nocte inter ſextum & quintum Nonas Julias incenſus montis Veſuvii crater cineres, & lapides cum fumo copioſo evomuit: cinis ille pleriſque in locis ad duos pedes humum contexit: quia tamen hæc ſine terræ motu exierunt, caſus hic plus terroris intulit Campaniæ, quàm damni.

Obiit hoc anno 11. Kal. Sept. Cardinalis de Lugo Theologus illuſtris & magnum purpuræ decus, ac Societatis JESU ex quâ extractus erat. Mortuus eſt autem ex calculo, ætatis anno 65. & maturiùs quàm ejus eruditio, atque ſapientia poſtulabant,

*Condæus Lud. XIV. adit & ab eo recipitur.* Condæus Princeps cum uxore ſuâ, ac liberis in Franciam poſtliminiò rediit, ex quâ tantùm corpore (magno tamen Hiſpanorum commodo) diſceſſerat. Et verò ut reconciliaretur Principi ſuo, ab eo ſervati in Flandriâ Hiſpani, beneficii memores nihil omiſerunt, recuſarunt nihil, datis etiam urbibus aliquot, ut de eo inter articulos pacis ageretur. Exceptus eſt peramicè à Principe Longavillæo per quem perductus eſt ad Regem Aquas Sextias, ubi 6. Kal. Febr. ſuſceptus eſt à Ludovico cum incredibili totius Aulæ voluptate, cujus in partem Cardinalis Mazarinus venit, aut venire ſimulavit.

*Maſſiliæ Arx ſtatuitur.* Duodecimo Kal. ejuſdem menſis Dux Mercurius cum exercitu Regio ad Maſſiliam accedit; urbem ſponte patentem ingreditur cum copiis, nullo repugnante; includit ejus tormenta bellica, ſpoliat magiſtratus ſuis inſignibus; locum denique ſtatuit, ad Arcem extruendam, quæ cives in officio contineret; quia viſi non erant ſatis obſequentes, & privilegiorum quàm par erat amantiores.

*Nuptiæ Mariæ Thereſiæ, cum Lud. XIV.* Nuptiæ celebratæ ſunt inter Mariam Thereſiam & Ludovicum XIV. per procuratorem Ludovicum Haroſium, Fontarabiæ 3. Nonas Junias. Nec ita multò poſt 8. Idus ejuſdem menſis in Phaſianorum inſulâ duo ſeſe Reges magnâ amoris ſignificatione ſalutaverunt, & tradita eſt ſuo Ludovico à patre Philippo ſua Thereſia. Tertio poſt die matrimonium perfectum eſt in æde S. Joannis Lucii eâ pompâ, quam Francia & Hiſpania ſimul exigerent. Terra ipſa gaudium ſuum teſtari viſa eſt xi. Kal. Julias ingenti concuſſione, quâ de Pyrenæis montibus Lemonicum uſque contremuit. *Terræ motus ingens.* Eo motu evanuere Balnea calida *Bagneriarum*, diſſipatis ignibus, qui aquas illas calefaciebant, & materiam uberem Philoſophorum diſputationi relinquentibus.

*Magnificentiſſimus Reginæ, & Regis ingreſſus Pariſios.* Septimo Kal. Sept. eâ pompâ recepti ſunt Pariſiis Rex, & Regina, cui parem fortè nunquam Orbis, ſine dubio, nunquam Lutetia viderat. Septem Triumphales Arcus à ſuburbio S. Antonii ſparſi ſunt: Cives ſplendidè veſtiti in ſexdecim Legiones diſtributi, à Throno Regio in Suburbii capite ad Aream Delphini diſpoſiti ſunt, ad ornatum pompæ ſimul, atque præſidium. Salutarunt Regem & Reginam excelſo ſedentes in Solio omnes tantæ urbis Ordines atque Magiſtratus, ad eos in equis pulcherrimè ſtratis, & officii ſui ſplendidis veſtibus incedentes. Pars hujus pompæ pulcherrima Cancellarius fuit totus collucens Auro, cum Sigillis Regiis in Equo deportatis, & Magiſtris libellorum ſupplicum, ornatis non tantùm ad dignitatem, ſed & ad magnificentiam. Nunquam viſi Principes, Proceres, Aulici, Venatores, Miniſtri, Pueri honorarii Regii veſtiti ſplendidiùs. Muli etiam Regis, & Cardinalis Mazarini cum ſtragulis opere Phrygio intertextis auro atque argento ſpectantium oculus diſtinuere. Sed omnium inſtar fuit currus Triumphalis Reginæ, cui ſimilem Junoni ſuæ

ſuæ nunquam poëtæ confinxerant, & cui tamen pulchritudine ſuâ, & palæſtra Regina pretium eddidit. Sequenti die actæ ſunt Superis gratiæ, pompa enim præcedentem totum tenuit; quam videre & demirari ſine nauſea, uno die fas fuit, nemo poſſit multis diebus narrando commemorare.

*Moritur Gaſto Regis patruus.* Inter tot gaudia fuit tamen hic annus multorum illuſtrium virorum morte funeſtus. Obiit enim die B. Virgini Purificatæ ſacro Gaſto Ludovici XIII. frater, XIV. patruus, Bleſis, quam in urbem ſeceſſerat, ut Aulâ neglectâ, ſibi tantùm, ſalutique vacaret ſuæ. Vir ingenii maximi, & cui ad magna gerenda tantum occaſio defuit? miniſtris ideò ſuſpectus ſemper, ne eorum voluntates Regias, quod facilè poterat, authoritate ſuâ, induſtriâ que turbaret, & infringeret. Obiit ſanctiſſimè relictis filiis Virginibus tribus, quibus de cœlo pater bonus adfuit, eiſque illuſtres nuptias, & Ludovici cognati paternam benevolentiam impetravit.

*& Franciſcus Hoſpitalius.* Duodecimo Kal. Julias mortuus eſt Lutetiæ, quam Præfectus adminiſtrabat, annos natus 77. Franciſcus Hoſpitalius prælio Regiæ Rupis, & auxilio Atrebatenſi notiſſimus; vir commodiſſimis moribus, & qui morte ſua multis lacrymas ſynceras elicuit.

*Item P. Petrus Vincentius à Paulo.* Eodem quoque anno extinctus eſt ibidem 6. Kal. Novembr. anno vitæ ſuæ innocentiſſimæ 85. P. Vincentius de Paulo Generalis *Miſſionariorum*, ut vocant; quos vivus per Franciam, Italiam, Poloniam, Sabaudiam, Africam in 30. domos ſparſerat. Vir verè humilis, quæ nota eſt nunquam fallax eminentiſſimæ ſanctitatis. Præceſſerat eum 8. Idus Octobr. Petrus Govellus Kerioletus, quondam Senator Armoricus, magnum Victricis Gratiæ ferculum, qui Juliodunenſibus Energumenis Virginibus ſalutem ſuam debet, & Dæmoni huic ob vitam præteritam, parum Chriſtianè traductam, ex earum ore procaciùs inſultanti. *& Petrus Kerioletus.*

*Carolus Guſtavus Sueciæ Rex obiit.* Nocte quæ intercurrit 8. & 7. Kalend. Martias Gottemburgi obiit Carolus Guſtavus Sueciæ Rex, Regno ita conſtituto, ut in eo poſt obitum regnare videatur. Sic mortuus eſt ſapienter, qui fortiter vixerat, & in quo Magnum Guſtavum revixiſſe Polonus, Danus, Germanus indoluere.

*Pax Summa in Europa.* Eo mortuo, qui ejus erat mora, pax inter Polonum, & Suecum conciliata eſt, obſignata 6. Idus Junii, cum Batavi jam parati eſſent in Suecos irruere. Inſuper Imperatorem inter & Marchionem Brandeburgicum fœdus initum eſt: adeo ut ab eo tempore Europa Chriſtiana quieviſſe videatur.

*Chriſtiana intereſt Comitiis Sueciæ.* Chriſtiana olim Sueciæ Regina in eam revocata eſt, ut regni Comitiis intereſſet. Illa 15. Kal. Sept. Hamburgum venit cum exiguo comitatu, ne regnum reſpectare, & ut Regina acceſſiſſe putaretur. Eò cum appuliſſet, invitata eſt à Suecis, ut Catholicam ejuraret fidem; ſed eos, eorumque verba contempſit, immò nec intereſſe voluit Orationi Funebri Regis, ne eorum heterodoxâ concione, aures ſuæ pollucrentur.

*Imp. à Pontif. petit Auxilium.* Imperator petit à Pontifice conſilium de bello Turcis inferendo, qui Tranſylvaniâ jam magnâ ex parte occupatâ inſultare parabat Hungariæ. Sed verbo conſilium; re pecunias, & auxilia poſtulabat.

*Ragotzius capit Hermenſtadii.* Ragotzius obſidet Hermenſtadium in quâ incluſus degebat æmulus ejus Barklæus, quam urdem ad deditionem compulit ineunte Majo. Inde 1500. Janizari exiere, cum duce ſuo in cuſtodias detruſi. Ipſe ex bonis matris demortuæ hæreditatem accepit, unde ſuas reficeret copias, quod de ejus funere dolorem pæne omnem abſterſit.

*Victoria terimitur.* Septimo Kal. Junias pugna conſeritur ad Pleſembergam propè Hermenſtadium, quam Turbæ parabant obſidere: hîc atrociter & obſtinatè depugnatum, victoria Chriſtianis ceſſit cum eorum 700. duntaxat, illorum ſex millia cecidiſſent, Ragotzius autem cum 17. ſuâ interemiſſet manu, quatuor lethalibus plagis vulneratus, ſubductus à duce Prætorianorum ſuorum perductus eſt Varadinum, ubi obiit 8. Idus Junias; vir fortiſſimus & audaciſſimus, atque ad Turcos penitus debellandos, etiam horum judicio idoneus, ſi Chriſtiani conſpirare potuiſſent.

*Varadinum occupatur à Turcis.* Hoc itaque mortuo Varadinum obſident Ottomani: quare ut vidua Ragotzii auxilium obtineret aliquas Imperatori tradit arces. Aliunde Comes Barklæus occupat Zeackmarium Caſtrum, quod Turcis concedere deſtinat. Turcæ ſolvunt obſidionem Varadini, ſed eam iterum reſumunt, à quâ cum fortiter eſſent repulſi, tandem 6. Kal. Sept. eâ potiti ſunt, cùm jam tribus menſibus eſſet oppugnata; &, quod mirandum magis, contra ſuam conſuetudinem conditiones datas obſervarunt accuratè. In hac urbe nihil deerat, præter numerum propugnatorum, reddita eſt ne impetu occuparetur, & barbarico ritu tractaretur; extorta eſt à propugnatoribus deditio, eam paratis tueri, vel mori.

*Comes Barclæus victus à Conſtant.* Nono Kal. Octobris Comes Barclæus reſtituitur Wayvoda Tranſylvaniæ ſub tributo quinquaginta millium Thalerorum, & aliquot aliis conditionibus. Suos itaque modis omnibus conciliare ſibi viſus eſt, eoſque addixit ſibi donec à Wayvodâ Conſtantino, qui occuparat locum Ragotzii profligatus, ſenſit arma ſuis artibus, & & blanditiis prævalere. Fugit itaque Varadinum; ſed cum non potuiſſet convenire cum hujus urbis præfecto, in aliam ſe recepit arcem. Sultanus his auditis ſe Principem Tranſylvaniæ dixit; ſed reclamavit univerſa Nobilitas, parata Turco reſiſtere ſi Cæſareis auxiliis juvaretur.

*Varadinum à civibus deſeritur.* Anno exeunte, Varadinum relinquebant cives, & agros circum poſitos Ruſtici, quòd à Turcis malè haberentur. Huic itaque malo proviſum à ducibus accuratè, & facilè juſſis eorum acquievere milites jam fame preſſi, quo nullum eſt ad refrænandam militarem licentiam potentius remedium.

*Moſchovitæ à Polonis victi.* Quarto Kalendas Julias Moſchovitæ Duce Kowaneskio victi à Polonis ſuorum octo millia per-

perdidere, dissipatus est eorum Equitatus, tormenta capta 40. militaria signa 120. Obsessa Vilna; Jakovitii obsidio soluta victis iterum Moschovitis. Cladis hujus authores fuere Cæsarnekius, & Sapitha Palatinus Vilnensis. Quo nuncio adeo est turbata Moschovia, ut si essent ausi Poloni uti felicitate sua, illa esset in ultimum perducta discrimen.

Sexto Kalend. Octobr. Moschovitæ & Cozaki aliam accepere cladem, quæ duobus diebus continuata est, & prop ùs factum nihil quàm ut omnes internecione delerentur. Quare sub initium ejusdem mensis Cozaki Poloniæ Regi submiserunt sese, polliciti etiam se contra Moskovitas tutores suos, cum optaret, depugnaturos. Moschovitæ pariter, ne interirent fame, cum eo fœdus ignominiosum percusserunt, pacti quater centies librarum milsia ei persolvere, pro damnis illatis, urbesque omnes Ukrainæ, quas ceperant cum omnibus tormentis bellicis atque munitionibus. Multos tamen ex illis Russis abduxere Tartari Crimeenses, ut eos venderent, Polonis non potentibus satis, ut tantam iniquitatem prohiberent.

In Britanniâ qui Parlamentum exautorarat Anglicus exercitus ac sibi jus omne arrogarat in regnum, eodem exutus est per Mukium Imperatorem Scoticarum copiarum, duces Hibernici exercitus, & Viceadmiralium classis. Sic restitutum est legitimum Parlamentum, alia inducta est in Regnum Britannicum facies.

Octavo Kalendas Aprilis Epigraphe inhonora Regi cæso sublata est, honorifica restituta, bonis omnibus huic operi applaudentibus. Omnia tum hîc poterat Mukius, qui tamen sua sic occultabat consilia, ut hæc quò vergerent, nemo tum subodoraretur. Sub initium Aprilis Lambertus Regii nominis hostis infensissimus, & geminus Cromvvello, desertus à suis, dedere se coactus, Londinum pertractus est. Igitur 15. Kal. Junias, paratis omnibus prudentissimè, Londini Rex acclamatur Carolus II. repositæ Patris ejus imagines, & Avi, per Cromvvellum ignominiosè sublatæ; jussu duplicis Cameræ, ipse perhonorificâ Legatione revocatus in Angliam, authoribus præcipuis nobilis hujus facti Mukio, & Montacuto Thalassiarchâ. Rex ergo Anglicanâ susceptus classe, Hagâ Comitis & Bataviâ solvens, cum duobus fratribus suis Eboracensi, & Claudiocestreesi Ducibus appellit Dubrim, *Douvres*, pridie Nonas Junias, cui Mukius occurrit cum quatuor Nobilium millibus eumque Cantuariam deduxit, ubi 4. diebus hæsit, donec omnia ad ejus ingressum Londini pararentur; quod & peractum singulari omnium ordinum voluptate; decretumque ut dies ille 8. Octobris memoriâ perpetuâ, solemnique recoleretur; quoniam eò maximè Tyrannis extincta esse videbatur.

Decimo-tertio Kal. Novembr. obiit ex variolis Henricus Stuartius Claudiocestriæ Dux, annos viginti natus, magnæ expectationis juvenis, & ad magna natus; futurus altera fratris Regis manus, cum hic duabus manibus multùm indigeret.

Eodem anno, morte mulctati sunt aliquot qui sententiam capitis in Carolum I. pronunciarant; quorum præcipuus Harisonius supplicio-atroci dignior, nisi aliud præsens rerum status exegisset. *Harisonius mulctatus.*

Ineunte Decembri statutum ut cadavera Olivarii Cromvvelli, Iretoni, Pridii, & Bradshavii refoderentur, imponerentur crati, & Tyburnum usque ignominiosè raptarentur, ut hic sub Furcis publicis cum eorum phereris infoderentur. Paulò pòst tamen in Regem, & Mukium detecta conspiratio atrox, & infanda die Natalis Domini eruptura, per sex millia conjuratorum, quorum præcipui dati sunt in vincula; verùm & inter eos aliqui innocentes, & qui accurterant, audito periculo, allaturi Regi auxilium. Quare sapienter imperatum militibus omnibus Sacramento solutis, ut Londino statim abscederent ad 20. lapidem, mulctandi graviter & rebellium pœnâ, si propiùs accessissent. Quo Decreto, non tantùm conjuratio, sed & conjurationis sementis extincta est. *Cromvvellus aliique exhumati.* *Facta in Regem & Mukium conjuratio.*

---

## CAP. VII.

## *Pars Decadis Septimæ.*

### *Ab anno Christi 1660. ad 1663. exeuntem*

MUNDI 5714. CHRISTI. 1661.

Romæ circa initium Februarii obiit Holsteinius Germanus, vir eruditus, & veterum codicum investigator solers. Scripsit hæredem ex asse Franciscum Cardinalem Barberinum; Reginæ Christinæ legavit M M. SS. Codices aliquot sicut & Pontifici, cujus fuerat Subbibliothecarius Vaticani, ut doctissimum hunc locum non servasse tantùm, sed etiam auxisse diceretur. Seponi tamen jusserat aliquid ex suis bonis, quod inopibus Suecis Catholicis distribueretur quotannis, ut esset charitas ejus diuturnior, ac meliùs collocata. *Holsteinius moritur.*

Aurelianensis puellæ 14. Kal. Majas cum Magno Etruriæ Duce contractum est matrimonium; magno ambitu prensatâ Regii sanguinis pulcherrimâ virgine, magno concessâ. Florentiæ 12. Kal. Junias cùm esset suscepta magnificè, X. nuptiæ consummatæ sunt, eâ celebritate, quæ Sponsæ natales, Maritus par Regibus exigerent. *Nuptiæ Puellæ Aurelianensis cum Duce Etruriæ.*

Ad Jaderam, *Zara* Dalmatiæ, ineunte Martio, Veneti Turcos populatores tantâ retuderunt clade, ut iis audaciam, subditis suis adimerent metum. *Turci à Venetis repressi.*

Terræ motus ingens 5. Idus Martias Romandiolam concussit, adeò ut circa Ravennam mille viri interierint, & sexagies centies librarum millibus damnum æstimatum sit: tanto videlicet pretio in his regionibus terra concutitur. *Terræ motus in Romandiola.*

Quarto Kal. Aprilis Franciscus Salesius Genevensis Episcopus à Sanctâ Sede relatus est in Beatorum album, cui jampridem totius populi consensu adscriptus erat; Sanctorum numero, *Beatificatio Franc. Salesii.*

mero, si nunc consuetudo ferret Ecclesiæ, in ipso funere suo, atque exequiis adnumerandus.

*Venetorum & Melitensium de Turcis victoria.*

Veneti Melitensibus triremibus adjuncti Octobri mense celebrem de Turcis retulere victoriam, multis eorum navibus depressis aut captis ad Milum insulam. In hoc certamine Equitum S. Joannis virtus potissimum enituit: & illorum audaciæ hæc est adscripta victoria. Bis mille quingenti Christiani vinculis exempti sunt, eorum loco adstricta Turcarum tria millia, rarò unquam pugnatum fortiùs, & fructuosiùs.

*Incendium Luparæ.*

PARISIIS. 8. Idus Febr. dominico die ignis in Luparam atrociter sæviens, aspectu sanctissimi Sacramenti repressus est, extinctus omnino militum diligentiâ. Ortum erat incendium ex porticu picturarum, ubi telæ pingebantur, ad spectacula, & quia tempus urgebat, supposito siccabantur igne, qui demum telis gummi εὐπυρωτῷ illitis adhærescens, repente evasit ad summa, cum ingenti Regiæ domus hujus periculo. Statim reparatum damnum; quæ fuerat incensa porticus, & huic conjuncta pars ædium refectæ magnificentiùs, novum ex hoc igne dumtaxat splendorem acceperunt.

*Moritur Car. Mazarinus.*

In Castro Vicennarum 7. Idus Martias obiit ex morbo diuturno Julius Cardinalis Mazarinus, annos natus undesexaginta, victurus sine dubio diutiùs, nisi se laboribus improbis attrivisset vir ingenii magni, & majoris fortunæ, quâ Principibus, Senatoribus, totique adeò Franciæ superior, ideò tantùm depressus est, ut aliùs attolleretur: quo nullus majori unquam Gallorum flagravit odio, nemo id contempsit feliciùs, & gloriosiùs.

*Henrietta nubit Duci Aurelianensi.*

Pridie Kal. Aprilis Parisiis nuptiæ celebratæ sunt inter Principem Andegavensem, & Henriettam Britannici Regis sororem, excellentissimæ formæ virginem, sed majoris adhuc pietatis, & sanctimoniæ.

*Espernonius moritur.*

Octavo Kal. Aug. Parisiis obiit ætatis anno 59. Bernardus Fuxius Dux Espernonius, magni patris, magnus filius: quos in magnâ fortunâ natos, hæc tandem ambo destituit, sed ut fortunatiùs morerentur.

*Nannetis detinetur Ludovici jussu Fuquetius.*

Nonis Septembribus Ludovicus, qui eâ de causâ Nannetas perrexerat, ut Calonesо propinquior esset, quam munisse præsidio Fuquetius ærarii Præfectus jactabatur, & ut eâdem faciliùs reciperetur, eundem Fuquetium includi jussit, ut ab eo rationem fisci Regii reposceret. Hinc postea hic ductus est Andegavum, inde Ambaciam, ac denique Parisios, in Arcem Vicennarum, & Bastiliam. Erat hic magni ingenii, sicut & magnificentiæ, quæ demum Regis perstrinxit oculos, & animum. Quare ærarium ipse suum, cum delecto probatorum virorum consilio, administrare decrevit, & uti opera Joannis Baptistæ Coluberti, alias Mazarinæ domus, & Gazæ Præfecti, & in hoc munere castè, integreque versati, cujus industriâ, & labore res suas satis implicatas expedire constituit; statuto insuper Juridico Conventu extraordinario (*Cameram Justitiæ* vulgo dicunt) 30. Nonas Decembr. quæ de Fuquetio, Publicanis, & Regiis quæstoribus statueret. Atque hæc causa tot ambagibus, & nodis implicita est, ut eam anni ferè duo nondum extricarint.

*Justitiæ Camera institutum.*

*Theresia Regina Delphinum parit.*

Ineunte Novembri, sub horam 6. matutinam Regina Franciæ puerperii doloribus excruciari cœpit, inter quos horâ duodecimâ, præter minuta septem, Delphinum feliciter enixa est. Soluti statim rerum capitalium Rei; data quoque pecunia ad eos dimittendos, quos civilia negotia carceribus detinebant. Selectus Crequius Dux Romam Legatus, qui eum nuncium deferret ad Pontificem: denique actæ Deo gratiæ publicæ, atque solemnes, quòd & tantùm munus, & tam citò dedisset.

*Incendium Sammaloviannum.*

Sub initium Decembris contigit atrox San-Maclovii in Armoricâ incendium, quo intra horas 14. domus 220. deflagrarunt, pleræque mercibus refertissimæ. Ferunt damnum sexagies centies librarum Turonicarum millibus æstimatum. Receptæ tamen mox decem cymbæ pecuniis, ex classe Indicâ graves, malum utcumque levarunt: 500. nihilominùs familiæ redactæ sunt ad inopiam hoc incendio, nunquam gravius hæc civitas in pace recepit incommodum.

*Malacensis eluvies.*

IN HISPANIA 10. Kalend. Octobr. fluviolus *Gualda Medina* Malacam alluens, sic intumuit, & tanto impetu præcipitavit, ut mille sexcentas domos everteret penitus, tria millia sic labefactaret, ut sine discrimine non possent incoli. Hominum duo millia hujus vorticibus hausta sunt, tantùm est illatum damni, ut id immissum à Deo nemo posset inficiari.

*Mortuo Infante Hispano, alter nascitur.*

Kal. Novembr. obiit Hispanus Infans tribus hebdomadis cum morbo difficili luctatus: post sex tamen dies editus alter Infans mœrorem prioris abstersit, qui XI. kal. Decembris sacris aquis elutus dictus est Carolus, adjunctis huic primario nomini secundariis aliquot ex pietate nominibus, ut Joachimi, Josephi, Antonii, Leonardi &c. ut hæc essent adversus mortem, fraternæ similem, amuleta.

*Moritur Lud. Harosius.*

Decimo. quinto Kal. Decembr. obiit Madriti anno ætatis suæ ἀνδρώκλω Ludovicus Harosius, cùm morbo diebus 7. vel. 8. luctatus, & nihil aliud exoptans post constitutam pacem, quàm eam civitatem, quæ *Pacis visio* dicitur.

*Et Comes Fonsaldanius.*

Decimo Kal. Decembris Cameraci mortuus est Comes Fonsaldanius annos natus 63. Legationibus, præliisque notissimus; sed pacis quàm belli artibus melior.

*Cometes Batavia.*

In Belgio diebus aliquot apparuit Cometes Hagæ Comitis, ab horâ noctis alterâ ad sesquiquintam, qui vanis conjectoribus amissas ad Texeliam naves visus est prænunciare.

*Pax inter Batavos, & Lusitanos.*

Pax inita est 8. Id. Aug. inter Batavos & Lusitanos, utilis utrisque, sed his necessaria magis, ne ab hoste simul remoto, atque propinquo graviùs attererentur.

Sub

Sub hujus anni finem Algeriani multas naves Batavorum, Anglorum, Francorum, Italorum intercepere: & singuli hi populi piratis illis longè superiores nondum convenire potuerunt, ut hanc ditionum suarum, atque Christianitatis pestem exterminarent.

Fœdus initum est 4. Kal. April. inter Episcopum & cives Monasterienses, sed quod his eriperet omnia, illi omnia concederet civitate penitus spoliatâ libertate: sicque fœdus istud, victoria potiùs, quàm pax appellandum fuit.

Hoc anno Daniæ Rex summam in regno suo consequutus est authoritatem, cùm antea in administratione ditionis suæ pendêret à nobilibus, ac ferè precariò regnare videretur. Tum autem excidêre privilegiis suis nobiles illi Danicorum Principum tutores, & agnoverunt tandem Monarchicum Aristocratico statui prævalere.

Transylvania vehementer agitata est ob tres Principes hujus tractus, qui Constantinopolin misêre pecuniam, ut hunc quisque sibi Principatum vindicaret. Verùm jam illum asseruerat sibi Chiminus Janosius, receptus in Comitiis, & sub tutela Cæsaris etiam assentiente ore tenus Barclæo, qui se huic imparem profitebatur. Parat autem Chiminus quingenta Thalerorum millia, Ottomanis numeranda, quorum jam quadraginta habet ad manum, certus tamen obolum nullum mittere, nisi Princeps constituatur. Quamquam autem huic se submiserit Barclæus, & insignia Principatus ei concesserit, favet tamen occultè fratri suo rebelli, & rusticis cum hoc conjuratis: respectat etiam Turcam, & an inde lux aliqua suis rebus affulgeat, ut ejus litteræ interceptæ docent, eò timendus magis, quò meliùs suas fraudes occultat, & dum suas æmulo struit, ejus callidè devitat insidias.

Moldavus Wayvoda recuperavit ditionem suam, exturbato Principe, quem ei Turca præfecerat: quare arma sua Janosio conjungere parat, ob affinitatem sibi, atque fortitudinem valdè necessario.

Ad Belgradum convenisse dicuntur Turcorum centum quinquaginta millia, cujus exercitus Rorarii, jam duos pagos incendere. Horum locorum dominus, Serinus Comes, vir fortis, & audax in eos progreditur ulturus injuriam, vel fraude vel virtute. Janosius bis jam deletis rusticis eorum trecentos interfecit: quâ tamen clade, minus domiti, quàm efferati videntur esse. Monitus itaque Epistolam suam à Sultano amicè receptam esse, statim ad eum misit quingenta Thalerorum millia; sicque omnia fausta sperare jussus. Hic autem inter Turcam & Cæsarem diu fluctuavit anceps, ita tamen, ut metum injiceret magis Ottomano, quàm huic adhæreret. Ubi autem res suas in tuto collocatas vidit, Turcam ejuravit, in clientelam Imperatoris transiit, persolutis 500. Florenorum millibus, de more, ut ejus armis defendatur. At statim Turcus ultor adfuit, sed adeo malè à duobus hisce Wayvodis mulctatus, ut jam de pace cogitare simularet, ignominiosâ profectò, cùm Transylvanis multùm prædæ reliquisset, paucos è suis reduxisset, omnes vulneribus debilitatos.

*Turci proficiunt Transylvaniæ Abaffium.*

At enim sub initium Novembris, ab indigenâ proditore deducti Ottomani repetiere Transylvaniam, quâ parte minùs expectabantur. Itaque totam factam sui Juris commisere Michaëli Abaffio filio Magistratus Hermenstadiensis, quem magni faciebant & Principem hujus regionis destinabant. Huic quoque submiserunt se Saxones indigenæ: Verùm Seclerii duce Becchio, Janosio paruere, qui Germanico fretus auxilio Turcicum Wayvodam egregiè vexavit, & docuit se nondum suo excidisse Principatu.

*Vilna Arx à Moschis servata.*

In Polonico Regno quominus Arx Vilnensis caperetur impediit Poloni militis perfidia, qui locum indicavit obsessis in quem cuniculus agebatur; ut huic oppositum contrafoderent. Moschos tamen vehementer angebat Tartarorum versus Sinas in Occidentem expeditio; quorum Chamus Polonum rogarat, ne cum Moschis fœdus iniret, sed eos invaderet ab Occidente, dum iis ab Oriente, refertus omnibus copiis, superveniret: sicque victus alterutri, vel utrique succumberet.

*Moskus frustra Polonum tentat.*

Moskus itaque territus ad partes suas trahere Cozakos conatus est: at horum Dux Legatum illius vinctum pedes, ac manus misit in Poloniam, nec ei nisi luculentâ respondit injuriâ. Hanc tamen concoquere coactus est; & omnia tentare ut saltem obtineret pacem cum Sueco, quam in rem imploratâ etiam Francorum Regis operâ magnum ejus timorem, & insolitum significavit.

*Polonorum de Moschis Victoria.*

Nonis Novembr. victi Moschi à Polonis ad Glenbokiam, *Globioken* Lithuaniæ, plures 12000. perdidere (alii 18000. numerant) quinquaginta tormenta bellica, sex millia curruum, cum omnibus impedimentis. Tum quoque triginta Tartarorum millia cum Cozakis in Russiam parabant irrumpere; sed tantam spem, sicut & tantæ victoriæ fructum rebellio Polonica messuit.

*Rebelles Poloni omnia turbant.*

Sarmaticæ enim copiæ seditiosæ in tres quasi exercitus divisæ, patriam suam fœdè diripuerunt; & ut Nobilitatem ad partes traherent suas, parcebant ejus agris, Regis & Ecclesiasticorum bona rapiebant; non jam rebelles tantùm, sed & sacrilegi.

*Arx Vilnensis redditur.*

Ineunte Decembri Castrum Vilnæ diu obsessum Polonis redditum est. Cùm autem Gubernator ignem pararet injicere pulveri tormentario, vinctus est à suis (quorum tamen aliquot suâ interemit manu) & oblatus est Casimiro. In hac Arce nihil defuit, præter militum fidem, quæ si respondisset Præfecti sui fortitudini, Moschi sine dubio Polonos irrisissent. At hi jam victores eis illusere, & Kioviam obsedere, ultima quæque interminati Moschis, quorum jam non timebant arma, perfidiam execrabantur.

*In Angliâ Fanatici refusi.*

In Angliâ rebelles quidam dicti *Fanatici* arma corripuere: in eos præpositus Londinensis (*Majorem* illi vocant) duas cohortes peditum, & alam

& alam Equitum immisit, à quibus cæsi sunt, atque dissipati. Cùm iterum collegissent vires, & audaciam, iterum victi, magnâ ex parte perierunt. Eorum tessera militaris erat, *Vivat Dominus Jesus*, seque divinitùs vocatos ajebant ut *Monarchicos* delerent, quos appellabant *Carnales*, & pacatâ Angliâ, sperabant ad alias transire gentes, ut eis Principes eriperent, omniaque relinquerent imperitæ plebis arbitrio. Eorum caput erat Viennerius, cupparum, & doliorum faber, inter insanos insanissimus; qui tandem captus 6. Kal. Febr. cum aliquot aliis, proditorum pœnâ periit; nonnulli tantùm ex Furcis publicis, ad sociorum suorum terriculum, pependerunt.

*Cromvvellus cum præcipuis Regiæ cædis authoribus extumulatus.*

Sententia anno superiori adversus Cromvvellum, ejusque gregales pronunciata, hoc 5. Idus Febr. in rem deducta est. Cadavera enim eorum refossa, raptata, mutilata, cum Sandapilis, sub patibulis infossa sunt, populo eos maledictis omnibus impetente. Tum autem Rex Carolus, magnam partem equitum suorum Præsidiariorum remisit; 200. tantùm retinuit, cum Equitibus Fratris sui, & Ducis Albæmalæ; ut ostenderet tectum se benevolentiâ populorum, non indigere prætorianis, & se his paucis vallari, non ad Præsidium sed ad Majestatem.

*Carolus II. coronatus Londinum magnificè ingreditur.*

Carolus II. Angliæ Rex 5. Nonas Maji coronatus est Westmonasterii, indeque Londinum ingressus est urbem quatuor arcubus triumphalibus exornatam: Anglicana nobilitas, totaque Regia domus in equis pretiosè stratis apparuit vestita magnificè, nihil omissum ut ingressus Franci Regis Lutetiam æquaretur, quem tamen hic ut tempore, sic splendore & apparatu, longo intervallo secutus est.

*Scoti rebelles mulctati.*

Mense Junio in Scotiâ nobiles quidam, & Ministri Lezæ Majestatis rei ultimo sunt effecti supplicio: verùm tum dedêre pœnas non nocentiores, sed infeliciores; ex quibus Arguilius Marchio, diu tergiversatus, meliorem se vitiligatorem, quàm mortis contemptorem præbuit.

*Injuria facta Stradeo, Londinus, fit satis.*

Sexto Idus Octobris Baro Battevillæus Hispani Regis apud Anglos Legatus Stradeo Comiti Franci Regis Oratori luculentum dedecus inussit, ejusque currum, contra morem, dum Suecus Legatus subiret Londinum, per vim præcessit, Francis à vili plebeculâ auro Hispanico corruptâ ignominiosè ac crudeliter repulsis. Franciæ Rex iratus Hispanum Legatum jussit ab Aulâ recedere, paratus injuriam ulcisci bello, nisi abundè sibi satisfieret: quod ita factum, tantâque demissione Regis Hispaniæ, Ludovici gloriâ, ut utraque majori dedecore redimenda videretur.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5715. | 1662. |

*Persarum Rex Bagdetum invadit & Turcam.*

Persarum Rex intentat bellum Ottomanis, & irruptionem in Turcicam ditionem cum centum octuaginta millibus armatorum, nisi restituatur sibi Bagdetum: ad quam urbem equitum viginti duo, peditum quadraginta millia statim admovet. Eodem tempore Janizari tumultuati sunt Constantinopoli, petentes augeri stipendia sua, & post annos decem militiæ, ad dignitates promoveri; quibus turbis nullæ adhuc contigere Ottomanico Imperio perniciosiores.

*Princeps Monœci moritur.*

In ITALIA 4. Idus Januarii obiit Honoratus II. Monœci Princeps, Dux & Pair Franciæ, cui ab annis viginti addictissimus erat, expertus ipse fidem ejus & potentiam, cum suâ gloriâ; & subditorum utilitate conjunctam.

*Veneti malè Turcas accipiunt.*

Veneti more consueto, hoc est fortiter, atque feliciter, cum Turcis depugnarunt: quibus accedit gloriæ plurimùm hosti tam potenti tandiu repugnare, nec ejus divitiis, & viribus obrui. Sed & grave tum iis intulere damnum: Synodiam enim Alexandrinam divitiis refertissimam interceperunt, nec eos consistere passi sunt Ægæo mari, non tantùm bonis, sed partâ tot victoriis gloriâ spoliatos. Tum autem eadem Respublica cum Sabaudiæ Duce renovavit fœdus, eâ lege ut nomine Cyprii Regis abstineret, & supprimendum curaret librum, quo jus ejus in Cyprium Regnum probabatur. Tumque facilè neglectus est vanus de nomine titulus, quia nulla erat de re controversia.

*Crequius Dux Legatus malè habitus Romæ urbem deserit.*

Romæ 13. Kal. Sept. Dux Crequius Christianissimi Regis Legatus malè acceptus est, & contra Jus gentium in ejus uxoris currum multi sunt sclopi displosi, quorum glandibus fœminæ Primariæ trajectæ vestes, puer honorarius interfectus. Ex Ambone cum se Legatus videndum præbuisset, ut tumultum reprimeret, in eum quoque conjectæ glandes, fenestræ palatii ejus turpiter impetitæ, Corsis militibus cum vexillo, & Tympanis ad eum obsidendum, & Francos malè mulctandos accurrentibus. Nec tantùm sed & inclusus est palatio suo; imperatum ut ei cibaria malignè sufficerentur & unde magna ejus familia, vix victitare posset. Tum deniq; in Urbem inducta sunt quatuor aut quinque armatorum millia ad inferendam vim, vel propulsandam. Quibus contumeliis, redundantibus in Principem suum, ipse permotus Urbem deseruit, & Montem Flasconem in ditionem Magni Ducis Etruriæ recessit, ne turpiùs, & atrociùs in eum peccaretur. Quamobrem Rex ex Franciâ remisit Legatum Pontificium 30. stipatum equitibus ad pontem usque Bellovacensem Sabaudicæ ditionis limitem, prohibitum cum Francis, agere, quandiu in Franciâ versaretur. Hæc autem quò recident, boni omnes expectant, & timent.

*Legatus Pontificius remittitur.*

*Obitus Petri de Marca.*

Parisiis 3. Kal. Junias obiit Petrus de Marca, à Rege ante quatuor menses designatus Archiepiscopus Parisiensis, vir undequaque doctus, & propter singularem eruditionem suavissimis moribus conditam Ecclesiæ Gallicanæ decus, & gloria. Ejus opera perleget nemo, qui eum licèt valde senem, tardiùs mori debuisse conqueratur. Ei successor est electus à Rege Perefixius olim Rutenensis Episcopus, & Regis præceptor, dignissimus hanc Ecclesiam administrare, qui tam accurate

rate tanti Principis ſtudia rexiſſet, atque juventutem.

Carolus Lotharingiæ Dux ditionem ſuam conceſſit Franciæ Regi, conditionibus utilibus ſibi, verùm quas ejus propinqui vehementer improbarunt, cum magno licèt tantæ familiæ honore conjunctas. Ex hoc tamen dono, anno ſequenti, bellum, ſed unius hebdomadis, extitit.

Hiſpaniæ Rex per Legatum ſuum Comitem Fontanum Regi Franciæ in Luparâ, ob Anglicanam controverſiam cumulatiſſimè ſatis fecit, exautorato Battevillâ, & primo loco Franciæ Legatis ubique relicto. Cujus ſubmiſſionis Legatos Principum omnes qui Pariſiis aderant, teſtes eſſe Rex voluit, ut eſſet apud omnes populos res illa teſtatior. Id moleſtè quidem Hiſpanus tulit, ſed ſapienter, modeſtè tantum apud Generum queri contentus.

Sedani 16. Kal. Junias mortuus eſt pientiſſimè, atque conſtantiſſimè uti vixerat Fabertius Franciæ Mareſchallus, per omnes militiæ gradus perductus ad ſummum, cùm duodeſeptuaginta obſidionibus interfuiſſet; cujus domus & præfectura nobilitatis Francicæ illuſtris Schola fuit, ipſe idea veri, perfectique bellatoris. Cujus ingenio & induſtria quatuor annis ante publicam pacem, in ditione ſibi concreditâ pax ſumma fuit: ipſe magnis & infimis charus, quoniam omnes modeſtiâ, & fortitudine ſuperavit.

Pariſiis Nonis Junii celebrata eſt illa Panegyris (*Caruſelum* Barbarè vocant) quæ in hanc urbem pænè totam Franciam accivit, quoniam in eâ Ludovicus XIV. divitias ſuas, & gloriam omnem explicaturus erat. Aulicorum præcipui in quatuor turmas diſtributi ſunt, ſplendidiſſimè veſtitas omnes in equis magni pretii, omnes habitu, formaque diverſas. Primam agebat Rex ipſe ſub veteris Imperatoris Romani cultu, lapillis & gemmis ita circumfuſus, ut totum Orientem exhauſiſſe videretur: Secundæ præerat Condæus Princeps, habitu Turcico: Tertiam regebat Anghuinus Indus: Quartæ Dux erat Guiſius Americanus, cui pediſſequi 24. urſorum habitu famulabantur. His ſubditi equites, pueri honorarii, famuli omnes eodem cultu exornati incedebant, tantâ magnificentiâ, ut Franciæ totius divitiæ, cum præcipuis ejus incolis eò confluxiſſe putarentur. Semel in Aream ingentem horti Regii, paratam in Theatri formam inductæ ſunt quatuor illæ turmæ, ſemel & per Urbis celeberrimas vias traductæ, quia centies ſpectatorum oculos, ſine nauſeâ, paſcere debuerunt.

Neque tamen tum plebeculæ, ac ſibi crediti populi tot inter, & tam ſplendida negotia Rex optimus voluit oblivіſci. Cùm enim accepiſſet in pleriſque ſibi ſubditis regionibus frugum ſævire penuriam horrea publica juſſit aperiri, atque ex feracibus provinciis in ſteriles grana comportari, magnis ſumptibus ærarii ſui, maximo labore Summi Quæſtoris Coluberti: ſed tum non ex charitate tantùm, verum ex juſtitiâ neceſſariis.

Bononienſes in Picardiâ egregiam Regi ſuperioribus bellis navarant operam; at privilegia ſua, non ſatis ex Regis dignitate defendebant, eaque non precibus uti ſubditi, ſed uti rebelles armis extorquere volebant, & negantes reſiſtere, eorumque pravis conſiliis acquieſcere, ut hoſtes excipiebant. Miſſæ ſunt igitur ad eos reprimendos copiæ: quibus viſis illico ſe miſeri dediderunt: pauci ex furcis ſuſpenſi ſunt ad exemplum, plures infelicibus addicti tranſtris, boni remiges effecti ſunt, qui agricolæ mali, & rebelles eſſe voluerant. *Bononienſes rebelles mulctati.*

Septimo Idus Novembr. nata eſt Ludovico XIV. Filia Anna Elizabetha, magno parentum gaudio, Lutetiæ, & totius Regni, quod tamen diebus 23. cum ejus vitâ terminatum eſt. *Filiola Regi naſcitur, & moritur.*

Quarto Kal. Decembr. uti aliàs conventum erat Ludovicus Dunkerkam ferè quinquagies centies librarum Turonicarum millibus ab Anglis redimit, & ſic eos in ſuas Inſulas compegit. Urbem ergo ipſe ſubiit 4. Nonas ejuſdem menſis, eodemque conſilio Franciæ ſimul providit, & Eccleſiæ. *Redempta à Rege Dunkerka.*

Fuit autem hic annus Franciæ ſimul & Eccleſiæ funebris fato functis duobus Epiſcopis, qui Telonenſem Epiſcopatum ſanctiſſimè adminiſtrarant, Jacobo Daneſio, ejuſque ſucceſſore Petro Pingræo, ſanctimoniâ & virtute, quàm infulâ, & dignitate illuſtrioribus. Pingræus certè, qui damnatos ad remum conatus erat modis omnibus ſaltem in alterâ vitâ reddere fortunatos, cum iiſdem, & in eodem Cœmeterio ſepeliri voluit, ut neque corpore nec animo, ab iis jam felicioribus operâ ſuâ disjungeretur. *Mors duorum Epiſc. Telonenſium.*

Cùm Hiſpaniæ Rex ageret in Bono Seceſſu, regiâ domo (voce patriâ *Buon Retiro* vocant) inventus eſt in aulâ Theatrali funis pyrius acceſus, qui in quatuor, aut quinque libras tormentarii pulveris deſinebat. Creditum hæc collocata eſſe juſſu Marchionis Lechii, *de Leiche*, primogeniti filii Ludovici Haroſii moleſtiſſimè perferentis rerum adminiſtrationem ereptam ſibi, atque in Ducem Medinæ Turrium, *de las Torres*, eſſe tranſlatam. Statim ergo huic ſunt injectæ manus, & perductus eſt Segobiam ut per otium de ejus innocentiâ, vel crimine ſtatuatur: quo in caſu ſemper Hiſpani *lentè feſtinant*. *Paratur periculum Hiſpaniæ Regi.*

Paratur magna alacritate bellum Hiſpanos inter, atque Luſitanos: ad hos confugêre fortiſſimi milites Franci, & quibus pruriebant manus: illis præfuit Joannes Auſtrius, qui primo impetu aliquot occupavit urbes; verùm tandem, more ſuo, Luſitani ex damnis audaciam collegere. *Bellū inter Hiſpanos, & Luſitanos.*

Pax inter Luſitanos & Anglos, ab utriſque magna lætitiæ ſignificatione ſuſcepta eſt: verùm à Luſitanis longè majori, ut potè qui ſperarent ab Anglis auxilium ut evidentiùs, ita multo certius, atque ſecurius. *Pax initur inter Anglos, & Batavos.*

Ἑταῖρος Luſitaniæ Regis Italus, Antonius Maria Contius, juſſu procerum Regni captus à duodecim Satellitibus in celocem deductus eſt, qua *Gratioſus Luſitaniæ Regi Italus expellitur.*

quæ statim hunc in Brasiliam detulit, 16. Kal. Julias. Rex Junior id graviter tulit, multosque consilii hujus tantùm suspectos removit ab oculis suis; quibus Aula turbata est, non sine regni periculo, cui Hispanus cum magnis copiis imminebat.

*Controversia inter Anglos, & Batavos Mercatores.*

Societas Indiæ Orientalis Londinensis rixata est cum Societate item IndicâOrientali Batavicâ, vulgò *Est Inde*; res tamen ultra scripta non processit; quia utrique perniciosa erant arma, ad quæ non nisi ægrè mercatores confugiunt.

*Fœdus Francicum & Batavicum.*

Renovatum est hoc anno Francos inter, & Batavos fœdus; quando horum Legati mirati sunt prudentiam Regis, atque sagacitatem, ideoque intellexere Francorum amicitiam, sibi nunc magis, quàm nascente suâ Rep. necessariam.

*Archidux Carol. Joseph hæres Arch. Leopoldi.*

Archidux Carolus Josephus dictus est hæres Archiducis Leopoldi, & Magister Equitum Teutonicorum renunciatus est, quæ dignitas apud Germanos honoris est magni, multarumque divitiarum.

*Mors Arch. Leopoldi.*

Leopoldus Archidux patruus Imperatoris hoc anno magnâ cum pietate obiit Viennæ 12. Kalend. Decembr. ejusque mors vitæ inter bona opera contritæ, sine dubio respondit.

*Filius nascitur Bavaro Duci.*

Sexto Idus Julias Electrix Bavariæ filium enixa est, qui mox dictus est Maximilianus, adjunctis aliis undecim nominibus, ut plures in cœlo sibi cognomines patronos adsciscerent.

*Transylvania in duas partes distracta.*

Quamquam agerent de pace Cæsariani, atque Turcæ, utrimque tamen expediebantur arma, & ab æquis rerum æstimatoribus expectabatur bellum, quoniam Turcus occupare decreverat Transylvaniam, Cæsar retinere. Favebat Turcis Michaël Abaffius, ab iis electus Wayvoda; Cæsari, inimicus Michaëlis Chiminus Janosius, infensissimus hostis Ottomani: verùm hic ab illo captus est, proditus à suis, qui posteà detecti quatuor equis decussatis lacerati sunt. Cùmque hoc casu speraret Principatum Abaffius, rejectus est à Transylvanis, & ab iis maximè, à quibus sperabat auxilium: usque adeo gens illa inconstans est in suis odiis, & amoribus.

*Turcus in Transylvania vincitur.*

Turcus ita respondit Cæsaris Legato, ut bellum illi denunciare videretur: quare hic ingentes copias parat, & ad impugnandum idoneas. Itaque cùm Claudiopolin *Clausenbourg* obsedissent Ottomani, in ejus auxilium accurrere Germani; nec tantùm liberarunt urbem, sed & obsidentium, tumultuosiùs recedentium agmen extremum deleverunt, & ostenderunt hoc bellum non tantùm perfidè, sed & ignominiosè à barbaris inchoari.

*Casimirus rebelles ad obsequium conatur revocare.*

Casimirus Varsaviæ Comitia Regni Polonici convocavit, ut in iis quæreretur modus, quo rebelles Poloni revocarentur ad officium, & obsequium. Porro hi divisi erant in factiones duas, quæ tamen in eo conveniebant, ut timerent ambæ, ne sibi præterita stipendia denegarentur. Sed earum una volebat Ecclesiasticorum imminui bona; altera, quo tum reperiebatur statu consistere, nec immutari quidquam, nisi perverſ m fisci administrationem. Verùm his petitionibus adjunxere, ut Cancellarius exauctoratus mulctaretur, ejusque judicia majori æquitate retractarentur.

*Rebelliones Polonicam tollere Rex nititur.*

Sub hujus anni finem reconciliati videbantur esse cum Rege fœderati rebelles, promissis ab eo veterum stipendiorum nomine septuagies centies librarum millibus, & aliquot pannis, eâ lege ut Regi se novo Sacramento obstringerent, & cum suis ducibus in hostem progrederentur: quos cœdere ex rebellibus grassatoribus Casimirus utilissimos Poloniæ milites efficere conabatur. Verùm faciliè erat hanc pecuniam polliceri, ἀδύνατον invenire, atque numerare.

*Moschus cum Polonis pacem quam volent inire cupit.*

Tum ergo Moschus qui priùs honestissimas pacis conditiones repudiarat, audito hoc fœdere, pressusque populationibus Cæsarnecii jàm æquas postulat, atque rejicitur. Itaque in Cozakos convertit arma, quos impotenter vexat, ac diripit. Hi à suo Rege petunt auxilium, & ni juventur, cum hoste fœdus interminantur. Cùm ergo & se fortiter tuerentur, & recepissent opem, misit alios ad Casimirum Legatos Moschus, qui cum eo quibusvis conditionibus deciderunt. Verebatur enim prudenter, non tantùm Polonorum arma, sed & suorum rebellionem, ob seditiones de monetâ æreâ concitatas, in quibus supra sex hominum millia interierant. Certè duo millia aut morte, aut carceribus multati fuerant, sed sine ullâ spe domesticæ pacis, aut emendationis.

*Anglia ordinatur.*

IN ANGLIA actum est de redditibus Regis, fiscoque conficiendo, more solito per utramque Cameram Superiorem, & Inferiorem Parlamenti. Damnati tum quoque ab hoc tres judices qui sententiam in Regem cæsum pronunciarant. Restituti quoque Scotiæ Archiepiscopi, & Episcopi, iisque administratio Ecclesiarum, atque Religionis, ut olim, commissa; Ministris ejectis qui pertinaciùs obsistebant. Damnati insuper *Quaquerii* seu *Trementes* primùm pecuniariâ mulctâ, deinde exilio, ac cætus obire prohibiti. Denique sic ordinata utriusque Britanniæ regna, ut in iis regnasse civile bellum omnes inficiarentur.

*Angli barbaris terribiles.*

Ab hoc ergo tempore Angli cœperunt esse terribiles exteris, & maximè Barbaris, qui cum iis fœdus prolixissimâ voluntate percusserunt. Idibus enim Octobris Bassa Tunetanus cum iis contraxit amicitiam: 15. Kalend. Novembr. Tripolitanus: Algerianus tergiversatus est propter conspirationem decem millium captivorum in ergastulis hujus urbis. Porrò cæsi sunt omnes immaniter; & qui eos in arcem inducere pollicitus erat Dominicanus Sacerdos terra vivus obrutus est, priùs atrociter tortus; quâ in quæstione conjuratorum indicavit neminem, mirantibus etiam qui eum excruciabant, & fidem quam oderant, in eo laudantibus.

*Conjuratio ingens in Regem.*

Novembri mense detecta est Londini conspiratio plusquam decem millium conjuratorum, adversus Regem Eboracensem, aliosque addictos Regiæ Majestatis; & urbem Regiam ferro flammisque miscere statuerant, eorum plerique erant Anabaptistæ, Presbyteriani,

Qua-

Quakertii, & alii ejusdem furfuris homines, inter impios impiissimi.

MUNDI CHRISTI.
5716. 1663.

Sub initium anni hujus, Ægyptius Bassa adversus principem suum rebellavit, & in eum ingentes contraxit copias: quem nisi suorum tollat conspiratio, & perfidia, potitur regione, quam ei Sultanus facilè non eripiat, ut potè tam rebus omnibus abundantem, quàm situ naturâque munitam.

Pontifex à Rege Franciæ irato sibi metuens, paravit exercitum sub tribus Marchionibus, quos jam sequuntur hominum tria millia. Confidit & Cæsari plurimùm, à quo petiit auxilium; quod si recipiat, expectabit bellum, si denegatur, ad omnes conditiones descendet, quas à Filio Pater iniquas non expectat, & saltèm tempore illatam Francis obliterari posse sperat ignominiam; sicque in gentis hujus facilitate adjunctâ prudentiæ suæ, auxilioque divino collocat omnia. Neque frustra: quid enim non expectet ab optimo Filio bonus Pater, ad omnia, si res exigat, se demittere paratus.

Exercitum nihilominus Chisii parant ut se tueantur, & magnis sumptibus quid possint, ostentare conantur, divino tamen, quam humano præsidio tutiores.

Pridie Idus Maji Taurini suscepta est magnificentissimè Princeps Valesia, uxor Sabaudiæ Ducis, quando nihil omissum ad Pompam, in ea Aulâ, quæ Franciam conatur imitari; & tum se visa est ipsa superare. Paulò post tamen temperavit hæc gaudia Ducissæ Parmensis obitus, ex puerperio, cujus nuncius eò majori cum dolore susceptus est, quò longiorem ei vitam omnia polliceri videbantur.

Romæ 15. Kalend. Augusti mortuus est Antonius Diana Theatinus, anno ætatis 77. ex δυσουρία, cui multi editi libri magnum confecere nomen, majus consequuturus, si diutius supervixisset, cùm longè plures, non tam promitteret, quàm minaretur.

Cardinalis Imperialis, in quem pars culpæ in Legatum Francicum admissæ non modica rejiciebatur, repulsus à Genuensibus, atque Lucensibus, ac facessere jussus, didicit esse longas Franco Ludovico manus, & ad ejus tuendum jus, atque gentium, non tantùm subditos, sed etiam alienos paratos esse; nec cultum & amorem Alpibus contineri.

Quinto Idus August. natus hæres Magno Tusciæ Duci ex filiâ Ducis Aurelianensis, conceptam de tam nobilibus nuptiis lætitiam cumulavit, & castissimos utriusque nobilissimi conjugis amores, hoc pignore arctiùs junxit.

PARISIIS Simon quidam Motinus Albamalensis, hæreticus fanaticus 17. Kalend. Aprilis exustus est vivus, cùm jam ab annis, 20. væsaniæ suæ, multos sibi socios, etiam Sacerdotes duos, adscivisset. Spiritum-Sanctum se putabat esse, atque ex hoc errore multos alios deducebat, atque defendebat malitiosè. Quare cum deprehensus esset ingeniosè desipere, & contagiosè, visa est abolenda ignibus hæc publica, & ad multos pertinens insania.

Pridie Idus April. Anna Regis mater tentari febribus cœpit, tantâ cum optimi filii sollicitudine, tam accuratis, & communibus populi precibus; ut ex hoc morbo, non tantùm Ludovici, sed & Galliæ mater agnosceretur. *Anna Regis Lud. mater ægrotat.*

Exiit Parisiis sexto Idus Majas, ut reliquam lustraret Franciam, Daniæ Princeps, à Rege perhumaniter exceptus, & omnibus Gallis acceptissimus, non tantùm ob natales illustres, sed & dignitatem corporis, ac regiam formam, singulari morum suavitate conditam, quæ & experti, & mirati sumus. *Daniæ Princeps lustrat Franciam.*

Obiit Rothomagi 5. Idus Majas Henricus Dux Longavillæus, Princeps ingenii magni, atque prudentiæ, quæ demum eximiâ illustrique pietate condiverat. Hâc primogenitum suum, ita volentem, obtulit Societati JESU, paratus & totam ei consecrare domum, si sic Deo collibitum esset; & paulò ante mortem, ita paratus mori ut honoribus, atque divitiis nullo unquam modo implicatus fuisse videretur. Uno verbo ita vixit, ita obiit, ut Princeps ejus vitâ nullam illustriorem optare possit, nullus Christianus mortem sperare meliorem. *Dux Longavillæus moritur.*

Ludovicus XIV. Rex ægrotavit tam periculosè ex variolis, quàm breviter: sicque ejus subditi afflictissimi, eodem pænè tempore, tristes & alacres, illum & ægrotasse, atque convaluisse didicerunt. *Lud. XIV. brevis & acutus morbus.*

Aquensis Senatus 7. Kalend. Aug. edixit Comitatus Avenionensem, & Vindascinum *d'Avignon, & de Venaisin*, membra esse antiquæ Provinciæ, nec abalienari, discerpique potuisse. Quare 5. Kal. ejusdem mensis Princeps hujus Senatus, cum aliquot Senatoribus Avenione illius adiere possessionem, hujus autem Carpentoracti, quod ejus est caput ipsis kalendis. Submisere se Regi Archiepiscopus Avenionensis, & Vasinonensis Episcopus; Cabellionensis enim, & Carpentoractensis vacabant; mussantibus omnibus, & quò ista vergant operientibus. *Comitatus Avenionensis, & Vindascinus adjudicantur Regi.*

Comes S. Mauræ Mantauserius delectus à Rege, ut ejus nomine Normanniam administraret, donec hæres Longavillæus huic regendæ per ætatem esset idoneus 8. Idus Augusti Rothomagi magno populi plausu, & concursu nobilitatis exceptus est; sed eruditorum longè maximo, qui in eo Musas, & amœniores litteras illustri & excelso loco collocatas, eidem sunt gratulati. *Montauserius Prorex Normanniæ.*

Marsalum in Lotaringiâ à Comite Guichio, & Pradello prætorianæ cohortis ductore circumsessum 7. Kalend. Augusti, Lud. Regi 3. Nonas Sept. redditum est, seu servandum, seu diruendum. Munitissimus hic erat à naturâ, & arte locus, & aliquot mensium opus, ut vi ad deditionem compelleretur. Verum cùm eò Ludovicus progressus esset, etiam ipsâ famâ diligentiùs, hac urbe etiam potitus est, antequam eam videret; ut brevem Cæsaris Epigraphem belli Pontici *veni, vidi, vici*, breviaret, & *venisse, atque vicisse*, gloriaretur. *Marsalum deditur Ludov.*

Joannes Austrius xi. kalend. Junias Eboram cepit, deletis priùs grandi clade Lusitanis, *Ebora capitur, ac recipitur.*

tanis, quos & arce constructâ arcere penitus Eborâ statuit. Verùm victis statim rediit animus; sexto enim Idibus Junii ducibus Villa Flore, & Schombergio irruerunt in Hispanos in duas partes divisos, & singulatim eos aggressi duplici certamine nihil interrupto, deleverunt. Qui non satis prudenter separarat copias Joannes Austrius, fortiter & animosè tutatus est, miles quàm Dux melior, duobus equis ex quibus pugnabat suffossis: verùm tandem tertio fugere compulsus est, ne magnam cladem, Imperatoris jacturâ cumularet. Sicque 13. kal. Julias Ebora recepta est à Lusitanis, iisdem conditionibus quibus fuerat occupata, sed victo Hispano magis inhonoris. Marsinus autem, eodem tempore Madritum ingressus, novam spem Hispanis injecit; Dux omnium judicio bonus, nec sibi tantùm, sed & aliis fortis.

*Victi ad Eboram Hispani.*

*Hollandicas eluvies.* In *Batavia* sub initium hujus anni grandis contigit eluvies, quibusdam ruptis aggeribus qui sæpiùs hic magno damno, majori timore franguntur.

*Turcus Cæsarem ludit.* Agnovit tandem Imperator se ab Ottomano callidis petitionibus elusum esse, ab hoc contritum esse tempus, donec rebelles Bassas sustulisset; quibus exterminatis jam apertè minatur. Quare prudenter Vienna munitur, & suburbia ejus diruuntur, quæ hosti prodesse queant. Huic enim urbi non sine causâ timetur, Turcis tam vicinis atque potentibus, ut impune omnia possint audere.

*Guill. Hassius moritur.* Guillelmus Landgravius Hassiæ obiit 9. Kal. Aug. ætatis anno 55. relictis sex liberis, quatuor maribus, duobus fæminis, administratione Regionis suæ uxori suæ commissâ, adjunctis huic Consiliariis, ut eam amasse, nec liberos neglexisse videatur.

*Initium belli Hungarici.* Sub initium Junii parant se Turcæ ad invadendam Hungariam; ac Principio disjicere parant munitionem Comitis Serini, quâ se fortis ejus frater inclusit, dum Serinus ipse fatigabit obsidentes. Et verò Cæsarei ad resistendum fortiter accingunt sese, jamque auxilia Comiti Serino submisere, cui tamen prohibuerunt Turcos invadere, nisi cùm ipsi bellum, damnis evidentibus, indixerint.

*Vizirus Belgradum venit inchoaturus bellum.* Vizirus Belgradum jam accesserat, cum ingenti exercitu, hoc est quinquaginta equitum, peditum centum millibus, qui ex Thraciâ educti esse perhibentur. Verùm si operosum fuit eos extrahere Constantinopoli, erit sine dubio difficiliùs, eosdem eò reducere. Certè aquis impediti jam parum profecere eorum tormenta bellica, sic infixa sunt luto, ut aut frangenda, vel infodienda judicentur. Javarinum autem jam egregiè communitum est à Cæsare, ab hac parte ingens belli Turcici mora: Vienna nihilominus rebus omnibus instruitur, etiam cibariis, quasi ad vicinam obsidionem; quia loco tanti momenti, non satis cautè, prudenterque consulitur.

*Rebelles Poloni inter se dissidentes revocantur ad obsequium.* Confœderati rebelles Poloni, in duos erant divisi exercitus; unus circa Lempertum urbem morabatur, ubi septuagies centies librarum millia, seu 7. milliones expectabat: alter Lithuanicus in duas factiones sectus erat, Alam Dextram & Sinistram, minus metuendas, quia minus concors, at sibi ipse intentans, & accipiens metum. Cæsi enim fuerant Alæ Dextræ ductores quidam, quorum ultionem flagitabat Sinistra, hanc autem exigi nolebat Dextra, sicque se ream sceleris hujus quodammodo fatebatur. Verùm hæc quoque Dextra, ut solent improbi, sibi demum concors, & ὁμόνυμος non fuit, in eâ enim quidam acceptâ pecuniâ recessere; reliqui in eos tanquam militiæ desertores animadvertêre, atque ex juris formula damnatos necavere. Sicque prævaluit Ala Sinistra, quæ & captos aliquot milites Alæ Dextræ ob interfectos Duces suos morte mulctavit, Regi paravit obsequi, & ut idem Ala Dextra præstaret, effecit. Quo nuncio Rex excitatus adhibitis Cozakis, & Tartaris cæteros rebelles ad obsequium revocare statuit, ne tam periculosæ rebellionis diuturnitate Polonia magis turbaretua. Porro in auxilium Casimiri, præter Cozakos, quadraginta Tartarorum millia convenere; quibus cùm adjuncti essent Lithuanici rebelles, veriti reliqui ne opprimerentur, 6. Nonas Julias Regi suo reconciliati sunt; 4. pax utrimque firmata, cum regni totius incredibili lætitiâ. Orata, quoque Regina, ut omnibus Regis amorem, ac præteritorum veniam impetraret; utrumque præstitit, non invita, cum id exigeret turbatissimus Poloniæ status, nec nisi externâ expeditione turbæ domesticæ possent extingui.

*Angli in America victores.* Angli degentes in insulâ Jamaica, grassantur in Cubam insulam, hîcque S. Jacobi occupant urbem, tam flagitiosè, ac turpiter defensam ab Hispanis, quàm ab hostibus generosè, ac fortiter oppugnatam.

*Conjuratio Hiberniae in Proregem.* In Hiberniâ exeunte mense Julio magna est detecta adversus Ormondum proregem conspiratio, cujus conjurati extremo mulctati supplicio Regis partes, quas evertere parabant, firmavere; ubique fermè jam in Britannicis insulis fide & amore in Regem perfidiæ, atque odio prævalentibus, & rebellibus aut supplicio exanimatis aut metu.

Parantem his aliquid addere retinet Bibliopola, jam ab aliquot diebus, & foliis, hujus operis opperiens finem. Acquiescamus itaque petitioni ejus non injustæ, ne hæc ultima pars nimiùm excrescat, & denormet historiam, à nobis summâ animi æquitate susceptam, atque tractatam.

# SUPPLEMENTUM
## AD
# ANNALES
## ET
# CHRONICON
## *PHILIPPI BRIETII*
## *AB ANNO* 1663.
Usque
Ad Annum 1692.

# CONTINUATIO
## CAP. VII.
## *Decad. VII.*



COEpti sunt post multa utriusque partis molimina, quibus bellum parari videbatur, in oppido Pontis Bellovicini in finibus Galliæ & Sabaudiæ tractatus pro pace inter Pontificem Alexandrum, & Ludovicum conciliandâ, brevique interrupti & rescissi quod Rex constanti animo inter cœtera quib⁹ sibi satisfieri prætendebat Status Castrensis restitutionem Parmensi Duci evincere vellet. Inde cœperunt Gallicæ copiæ Italiam versus progredi exiguis turmis, sed quæ omnes in ditionem Parmensem convenientes justi exercitus numerum, & vices obirent. Classis item Gallica sub Belfortio Duce maria Genuense, & Etruscum oberrans exscensionem in aliquod statûs Ecclesiastici littus minabatur, sollicitis interim Pontificiis delect⁹ in Germania, & Helvetia habere, quibus sese contra invadentem tuerentur: sed qui ulterius non sunt progressi, quod iis transitum Veneti denegarent, aliquibus exceptis, qui Tergeste Anconiam transvecti sunt.

Tentata est Haphniæ proditio, cujus insidiis in Friderici Regis caput conjurabatur. Antequam tamen occasione maturesceret Regi detecta, Corvitio Comiti Alefeldio, qui eam ordiebatur, exilium & bonorum mulctam concivit, ipso fuga sibi salutem parante. Dissipati pari vindictâ complices, ut propterea Fridericus secunpâ fortunâ utens securus ad mortem usque regnarit.

Directis tandem Neosolium versus Turcarum copiis, cœptaque à Viziro ejus obsidione per Augustum mensem valida primum defensione servatur Civitas, sed præcipiti Comitis Adami Forgatii animo (qui frequentibus, at parum proficuis eruptionibus obsidentes lacessebat) imminutis præsidiariis, nec audente ob inæquales vires Montecuculo aleâ tentare immittendi subsidii, tandem Arx summi momenti Viziro deditur Septemb ri exeunte, sicque ruptus agger, qui ne in interires provincias inundaret hactenus hostem coercuerat.

Prælusum Neosolii obsidione aliarum in Hungariâ superiori urbium casui; vix enim Nitria, Leventium, & Novigradum Infideles viderunt, cum præcipiti se deditione iis submisere, excurrentibus inde non in Hungariam solum, sed Moraviam, & Silesiam Tartarorum manipulis, qui has provincias cædibus & rapinis miserè fœdarunt. *Aliæ item urbes in Hungaria.*

Singularis inter tot Christianorum exitia modestiæ exemplum Sultanus edidit, qui cum Adrianopoli inter festas acclamationes ob devictas urbes insolentem aliquorum Judæorum proterviam (qua victis & victorum religioni insultabant) observasset, eos fuste percuti, & supplicio insultus retundi imperavit. *Judæi Christianis insultantes puniuntur.*

Cæsar Leopoldus ut in Turcas subsidia ab Imperii Ordinibus impetraret, & impetrata accelerarct ad Gomitia Ratis bonensia se contulit, eo majori adactus necessitate quod Hispanos Lusitanico bello implicitos, sibi tenui auxilio adfuturos præsciret. *Cæsar Ratisbonæ.*

Capto Neosolio, & Oppidis supradictis cum Vizirus suo potiturus triumpho aulæ se restitueret, Ally Licca Præfectum cum novem armatorum millibus dirigit in Croatiam, hoc mandato ut viam sibi quovis conatu in Italiam rimaretur: sed occurrente cum solis sexcentis militibus Petro Comite Zrinio non solum à meditato progressu vetitus est Præfectus, sed commissio prælio pessimè habitus, desideratis Turcarum mille ducentis qui præsenti neci addicti sunt, & trecentis aliis tractis in servitutem, inter quas aliquot præcipuæ notæ Duces numerabantur. *Turcæ repressi in Croatia.*

Iterato adhuc Infideles certamine idem Zrinius repressit ad Muræ fluvii littora, quo se in Styriam penetraturi effuderant; solito enim ardore Comes actus, eos incautos ita aggressus est, ut equites bis mille, qui prævii jam flumen trajecerant subito impetu consterneret, partim cæsos partim in flumen præcipites retrusos, & mersos, cæteris solo terrore in fugam adactis, è qua se retrahere amplius non tentarunt. *etiam ad Muram fluvium.*

Acatho

*Tumultus hæreticorum in Subalpinis repressi.*

Acatholici Lucernæ & aliarum Vallium in subalpinis incolæ aliquot locis occupatis inter montium prærupta in iis sese munire contra Ducem Allobrogum cœperunt, pristinam ei fidem & obedientiam detrectantes: Ast immissis in eos copiis sub Marchione S. Damiani, occupatis excedere, & solito subesse jugo coacti sunt.

*Obitus Archiduc. Tyrolensis.*

Oeniponti fatis concessit Ferdinandus Carolus Archidux Austriæ lineæ Tirolinæ, unica relictâ filiâ Claudiâ Fœlicitate, quæ postea Leopoldo Cæsari nupsit. Ipsi in principatu successit fraterno jure Sigismundus Franciscus, qui tertio ab hoc anno improlis obiens, aridum in se hunc Austriacæ Domus surculum terminavit.

*& Christinæ Franciscæ.*

Augustæ item Taurinorum vitæ multis laboribus exercitæ finem habuit Christina Francica Allobrogum Ducis mater, præmortuâ ipsi Margaritâ filiâ, Ranutii Secundi Parmæ Ducis uxore, qui ei Isabellam Estensem substituit Francisci Mutinensis Ducis filiam.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5717. | 1664. |

*Excursio Zrinii in Sclavoniam.*

Impatiens hybernæ quietis Zrinius collectâ suorum Hungarorum manu inter Savum, & Dravum flumina excurrens omnem incendiis, & rapinis Turcarum ditionem funestavit, Turcis ipsis, ubicumque obvios habuit, ad internecionem deletis. Sic latè desolatâ Sclavoniâ, data ignibus Quinqu' Ecclesiensi Civitate, & destructo ingenti Ponte Essekano, spoliis & captivis dives, & audacis facti pompâ illustris ad stativa remeavit.

*Canissa frustra à Christianis objessa.*

Ejusdem Zrinii consiliis accelerata est præmaturo apparatu Canissæ obsidio, accinctis ad expugnationem cum Gentilibus Hungaris iis etiam copiis, quas Cæsari militaturas Imperii Proceres destinarant. Ast remorante conatus immiti tempestatis rigore, & festinatis à Viziro Urbi obsessæ auxiliis, soluta obsidio est.

*Pax inter Pontificem, & Regem Galliæ redintegrata.*

Agitata vanis spe, & metu multorum controversia inter Alexandrum Pontificem, & Regem Ludovicum, tandem die 12. Februarii finem accepit Tractatu Pisis in Etruria habito, quo Pontifex rerum actarum excusationes per Cardinalem Nepotem Parisios ad Regem transmitteret, Gentem Corsicanam ab Sedis Apostolicæ militiâ Edicto perpetuo arceret, & Pacis redintegratæ memoriam & pacta in marmore sculpi Romæ procuraret. Rex perpetuâ oblivione sepeliret vim Oratori suo illatam, & Avenionensem Civitatem, Comitatumque Vindascinum, Ecclesia ex integro restitueret.

*Classis Gallica exscendit in littus Africanũ.*

Dux Belfortius cum Classibus Gallicâ & Melitensi inexpectato insultu Africano littori appellit, & Gigerim nullius vel nominis, vel opportunitatis locum (quippe qui portu, & cœteris ad Arcem extruendam necessariis careret) occupat; Unde non multo post à Barbaris impetitus turpi fugâ se subducere coactus est, relictis quinquaginta tormentis æneis, quæ meditatæ arcis defensioni inservitura jam deposuerat.

Distentus aliis necessitatibus Cæsar, quod prompta stipendia præsidiariis Zecheleidæ, & Claudiopolis in Transilvaniâ non ministraret, utramque summi momenti urbem Michaeli Abaffio prodiderunt, qui hæreticus Princeps provinciam occupare Turcarum auxilio fretus, procuratâ etiam Kimino Janosio Catholico morte, cœperat.

*Præsidia Zecheleidæ, & Claudiopolis se dedunt Abaffio hæretico.*

Vi armata adegit Moguntinus Elector Erfordiam Civitatem ad primæ obedientiæ Sacramentum, cui se subducere à multis jam annis cœperant. Hæc Svecorum armis olim sub Gustavo occupata cum diu eorum in Germaniâ Imperii sedes fuisset, & pace pactâ legitimo suo Principi parere debuisset, se pro libera Imperii Civitate habere cœpit; unde cum nec minæ nec sententiæ eam ab usurpatæ libertatis ambitione retraherent, annuente Cæsare, & auxiliantibus Rhenani Circuli Principibus ad detrectatam subjectionem coacta est.

*Erfordia Moguntino Electori parere coacta.*

Laboravit internis diffidiis Polonia, satagente multis moliminibus Reginâ Casimiro Regi sese abdicare parato Gallum Principem substituere. Lubomirskius Summus Regni Marescallus in exosæ novitatis authores magno Clientum, & faventium numero stipatus insurrexit, resque in civilis belli periculo versabatur, cum Moschorum armis ad castra revocatus Casimirus bellum gerere, & animos alio abstrahere coactus est. Non infelici Marte tunc Moschis repugnarunt Poloni, receptis multis trans Boristenem urbibus, quas isti occuparant, quo factum est, ut seriò Moschorum Dux de Pace cogitarit, cujus etiam tractandæ causa caducæatores suos delegavit in Lituaniam.

*Dissidia civilia in Polonia.*

*& issorum bellum cum Moschis.*

Eyderum Castrum Emdensis in Frisia Comitis novi inter Batavos & Monasteriensem Episcopum belli causa fuit, Episcopo ob aliquos sibi obœrati Comitis debita castrum vi occupante, & Batavis iniquè ferentibus sibi subditi Principis arcem ad alienum dominium transferri. Armis ergo repugnare cœperant cum gravioribus curis distracti de bello sibi ab Anglis illato cogitare coacti sunt.

*Item Batavorum cum Episcopo Monasteriensi.*

Carolus Angliæ Rex questus Institores suos durius haberi à Batavis ubicumque Mercimoniorum causâ per Africam, & Americam insimul convenirent, de pace conciliandâ jam diu per communes Oratores egerat. Sed nullâ se concordiæ viâ aperiunte, quo se de illatis damnis (quæ milliones quinque librarum excedere ajebat) eis bellum indixit: quod variis incursioibus, mutuisque navium deprædationibus hoc anno gestum est, servatâ ad annum sequentem majorum virium colluctatione, quæ inter utriusque classes exercita est.

*& Anglorum cum Batavis.*

Urbem Alcantaræ in Hispania Lusitani post aliquot Hebdomadarum obsidionem cœperunt, Ducemq; Offunium exercitus præfectum paulo post ad castrum Roderici profligavere. In hoc prælio Hispani maximè pedites contriti sunt, & tormenta impedimentaque omnia castrorum victoribus cessere, ob quæ Offunius à Rege exauctoratus, & ad majorem fidei, & diligentiæ allatæ dilucidationem jussus est detineri. Valuere & aliæ suspiciones in mente Philippi Regis,

*Alcantara à Lusitanis capta, & Hispani profligati.*

gis, qui propterea magnates aliquot ab officiis, & rerum administratione prohibuit, relegato etiam ad privati hominis diverticulum ipso filio Joanne Austriaco, ne si (quod ipse sibi anxie tunc timebat) inter bellorum anfractus moreretur, is armorum potens aliquid contra Hæredis legitimi jura auderet.

Illustri facinore moliri cœpit Rex Ludovicus Oceani cum Mediterraneo unionem, effosso canali qui Garumnæ jungeret, unde navibus transitus liber pateret à sinu Lugdunensi in Aquitanicum mare. Cœpit tamen famosus magis quam utilis exitus fuit, post immensa pecuniæ, & laboris dispendia compertum est.

Neglectâ à Cæsare Arcis Zrinuariensis defensione, quamvis de eâ multum satagere videretur, Montecuculus, hæc post aliquot dierum obsidionem, in Turcarum manus devenit. Ideo autem arcis hujus neglecta defensio est, quod eam Zrinius Comes absque Cæsaris consensu tumultuario onere construxisset, eaque potius uteretur ad prædas coacervandas, quas ab ditione Turcica inquietus etiam in pace miles abigebat, quam quod regionis Austriacæ justæ securitati inserviret. Inde auctis Turcico Præfecto animis dum dirutâ arce Austriam irrumpere impatiens tentat, resque tota in transitu Arrabonis fluvii versare videretur insigni clade à Montecuculo ad S. Gotardi pagum frangitur, occisis cruentâ strage Infidelium sexdecim millibus dum flumen aut trajicere, aut fluminis transitum sociis sternere, satagunt.

Insignis victoriæ die 1. Augusti habitæ non spernandam partem sibi attribuere auxiliares Galli, in Hungariam à Rege Ludovico sub Comitibus Foliadeo, & Colineo transmissi, quorum opera veterano Germanorum robori adjuncta, aliquot turmis novi delectus dissipatis non tantum pugnam restituit, sed illustri triumpho exercitum fœderatum cumulavit.

Secuta decem post dies pax inter Cæsarem & Ottomanos Germaniæ, & Italiæ securitatem (cui multum à truculento infidelium furore timebatur) conciliavit; præfestino forsan tantæ victoriæ fructu, quippe quæ captato prosperi successus auspicio luculentioribus pactis statui posse visa est. Nitriam & Leventium jam prius Comes Souchius recuperarat, ruperatque Budensem Præfectum qui ei obstare nitebatur: Concessa novis articulis Sultano quæ alibi cœperat, nempe Neosolium, cujus vice Leopoldus aliam Arcem ei vicinam confinis regionis securitati opportunam extruere posset; non ita Zrinianum Fortalitium, quod ruinis suis sepultum jaceret.

Belli Hungarici finem excœpere Cæsaris nuptiæ sancitæ cum Margaritâ Philippi Hispaniarum Regis filiâ, quam post Classe in Italiam delatam celebri pompâ per reliquum iter Viennam usque deduci Cæsareus conjux curavit.

Obiit inter Venationis delicias, queis se post bellicos sudores, dederat, Nicolaus Comes Zrinius, Apri ut dictum fuit, quem insectabatur, fatali morsu, sed forsan secretiori vindictâ jussus occidi, quod res novas, & publicæ quieti noxias moliri non sine causâ crederetur.

Fortuita sclopi minoris explosione vulneratus Vilelmus Princeps Auriacus vivere item desiit in Olandia, & quod tæderet Batavos sub hujus domus auspiciis vivere, quæ inter eos regiâ paulo minus authoritate florebat, filio superstiti suetos honores, & hæreditariam authoritatis successionem denegarunt. Res grandium (ut postea dicetur) motuum occasio, cum hic post aliquot annos clientum studiis, & quasi seditiosâ vi ad pristinam potentiam redintegratus est. *& Vilelmi Principis Auriaci.*

Diem pariter obiit suum in Gallia Henricus Guisiæ Dux, Neapolitani Regni ad Galliæ regem transferendi tentatâ operâ orbi notus, cujus etiam secessionis Historiam commentario à se scripto edidit, è carcere dimissus in quem post vanum cœpti exitum conjectus ab Hispanis fuerat. *Henrici Ducis Guisii.*

Sic præmaturâ morte Lintii decessit è vivis Carolus Josephus Leopoldi Cæsaris frater, Passaviensis, & Olmutiensis Episcopatuum Administer, & Supremus Magister Ordinis Teutonici. Hic ad Belgii gubernacula à Rege Philippo destinatus, eo se conferre quamprimum cogitabat cum febri correptus est; tanto graviori domus Cæsareæ jacturâ quod unico surculo deinceps Augusta prosapies floreret. *Caroli Iosephi Archiducis Austriæ.*

Repentino seditionis æstro anno exeunte rebellarunt in Vicelegatum Pontificium Avenionenses occasione cujusdam Edicti, quod Urbis privilegiis contrarium prætendebant. Seditionis capita fuere Consules ipsi, qui cum in Edictum protestati essent, è publico palatio, tam quam administrandæ Justitiæ valedicerent, exierunt; unde armis correptis Plebs præsidiarios Italos eliminavit, ipsoque Vicelegato obsesso ad Regem Galliæ pro dedendâ civitate destinavit. Ast Ludovicus neglectis rebellium precibus Duci Mercurio vicinæ Provinciæ Gubernatori injunxit ut vim seditiosis inferret, ni pristinæ se obedientiæ restituerent; pacta demum pace iis conditionibus ut Pontifice noxam remittente milites Pontificios solitis excubiis assistere paterentur, ejus Vicelegato sexaginta apparitorum præsidium ære proprio deinceps exolverent, tormenta, & cætera belli munimenta restituerent, nec ultra solitis se tributis subducere molirentur. *Rebellio Avenionensium in Pontificem* *quibus pactis sedata.*

Incœpit die 15. Decembris ingens Cometes in cœlo videri caudâ occasum, & Septentrionem versus protensâ, & cursu directo raptus in Occidentem. Dicturientes Astrologi multa inde portenderant, quæ (ne iis umquam fides adhibeatur) adamussim comperta sunt falsa. Damna enim & ruinæ, quorum index Asiaticis populis eorum judicio fuerat, nusquam iis probata, quin ipsi otio, & pace ad voluptatem potiti sunt. *Cometes in cœlo visus.*

MUNDI 5718. CHRISTI. 1665.

*Incendium Bisantinum.* Famoso illuxit incendio redeunti à Bello Hungarico Mahumeti Bisantium, in quo absumpta plura domorum millia, & peculiari jactura fere totum ignibus flagravit Regiæ Matris Gynæceum. In hoc immensum periisse gemmarum & pretiosissimæ suppellectilis pondus fama vulgavit, digno planè tot divitiarum impendio, quas infami lasciviæ, vel stolidæ ambitioni pascendis plurium annorum, & Ministrorum rapinæ conquisierant.

*Discordia inter Pontificem & Venetos.* Mutuis se damnis Pontifex Alexander, & Resp. Venetorum pressere, retentis utrimque subditorum navibus, quæ in alterutrius portus diverterant. Ansam huic discordiæ præbuit jus à Venetis prætensum super omnes onerarias quæ Adriaticum excurrunt, à quo indemnes Pontifex suos Subditos volebat: sed intercepto his litibus commercio, succlamantibusque pro Pace populis, utrinque relaxatum quod alterius detinebatur, & antiquis rationibus sarta firmitas & robur mansit.

*Pestis Londini.* Exorta hoc anno Londini in Angliâ pestis, quâ acerrime per plures menses grassante desiderata sunt hominum nonaginta septem millia, qui pro sola tantæ urbis Civium quinta parte numerabantur.

*Gesta in Dalmatia & Creta.* Delatâ à Venetis Marchioni Chironi Francisco Villæ è subalpinis evocato Summa Peditum præfecturâ, inito Magistratu Dalmatiam primum lustravit: sed quod Turcæ ob anni præteriti cladem, & pestem exortam nihil magni molirentur, solis velitationibus alicubi certatum est, eodem Marchione in Oriente properante ubi Candiæ imminentes Turci plus timoris inferebant. Intercœptæ iis ab Andreâ Cornelio aliquot onerariæ quæ arma, & commeatum ad suos ferebant: sed major urgebat metus ne Vizirus Bello Hungarico expeditus eo se conferret maturandæ obsidionis gratiâ, cui se impares Veneti manerent delectus à Pontifice, Cæsare, & aliquot aliis Principibus impetrarunt.

*Batavi navali prælio ab Anglis victi.* Bellum indixerat Batavis Carolus II. Angliæ Rex anno præterito, eo prætextu quod Anglis in exercendo mercimonio adversi, eis damna non levia intulissent, sed forsan verius ut inquietos subditorum suorum animos averteret à domesticis machinationibus, quibus summo publicæ tranquillitatis periculo intenti, omnia Londini turbabant. Armis itaque tractari cœptis, ambæ Classes hujus anni mense Junio cum in conspectum venissent, Batavi insigni sunt clade ab Anglis contriti, triumphante Jacobo Duce Eboracensi, qui Caroli Regis frater, & Anglorum Architalassus erat, & celebratâ Londini (quamvis grave peste Urbs affligeretur) variis ludis, & festivis ignibus victoriâ.

*Varii rumores in Aula Gallica.* Variis agitata est motibus Aula Gallicana, quorum aliqui fidem, alii Regis ipsius personam attigere. Sedis Apostolicæ Nuncius Robertus promulgatis in eos qui hæresis Jansenianæ fautores fuissent aliquibus edictis, sibi Pontificis Delegati titulum apud *Regem, & Regni Ordines* asserebat, quod quanto iniquius à Rege acceptum est, eo gratius Popularium auribus arrisit, qui antiquam Ordinum authoritatem agnosci, eâque regiam temperari potentiam videbant. Ephimerâ tamen voluptate spei publicæ blanditum est, jusso scripto apparitoris manibus lacerari, & obtruso minitantis Regis indignatione, ore eorum qui simile quid attentare umquam auderent.

*Circa librum de Infallibilitate Pontificis.* Majori Fidei Catholicæ periculo Sorbonicum Collegium intonuit in Librum quemdam, qui de Pontificis auctoritate infallibili differebat. Sed à Clero non diu post congregato repressa Censura est, ne desultorio ingenio probare viderentur quod nuper solemni, etsi tacito consensu damnarant; cum scilicet Jansenianorum Hæresim solo, & infallibili Pontificis judicio ritè percussam voluere.

*Proceres aliquot exilio mulctati.* Nec Gynæceo regio sui defuere tumultus, quod insolentiori quorundam assultu impetitum est. Favebat propensiori affectu Rex Ludovicus puellæ cuidam nobili, quæ Amasiæ titulo, & favoribus gaudebat. Gratiæ invidere primum, & secretis obmurmurare dicteriis cœperunt inter præcipuos Marchio Vardensis unius Prætorianorum cohortis ductor, & Comes Guiscius Ducis Grammontensis filius. Inde ad publicas oblocutiones devenire, & casum Amasiæ moliri occultis machinationibus. Sed re detectâ utrumque Rex aulâ excedere jussit, quam irrequietis artibus exagitabant, turpi etiam exilio eliminato Ministro quodam Pontificio, qui inutilibus Epistolis apud Italos Aulæ regiæ otiosa hæc negotia traducebat.

*Mors Philippi IV. Hispan. Regis.* Mors Philippi IV. Hispaniarum Regis die Septembris 17. secuta fidem visa est fecisse nefandis auguriis, quæ ex ultimo Cometa traxerant aliqui, cum ejus occasione ea sint exorta bella quæ multis late provinciis exitium attulere, præterquam quod tentata primum felicibus armis alea, majoribus postea bellis ansam aut prætextum ministravit. Obiit Philippus non pœnitendæ famæ Princeps; quippe qui à naturâ ad virtutes eximias formatus, hoc uno eas fœdare visus est, quod voluptatibus plus æquo deditus duobus successive Ministris 44. annorum regnum permisit, quorum incuriâ Provincias rebellare, & infœlicibus armis quasi semper sua bella geri indoluit.

*cui succedit Carolus II. filius.* Acclamatus est post funera Patris Philippi Carolus nomine II. quadriennis puer, ideoque sceptro regendo impotens; unde rerum summæ ex Regis testamento ad Matrem Marianam devoluta, cui juvandæ consiliis suis sex regni Proceres sunt pariter destinati. Insolita regiminis forma (quippe Hispanorum ab aliquot seculis nullus Rex ætate minor sceptris admotus est) non spernendam timendi occasionem ministrare pluribus visa est. Magnatum tamen animos tunc repressit Belli Lusitanici quod gerebatur, & Gallici quod postea exortum est, necessitas, solâ rerum domesticarum concordiâ toleranda.

Pari fato vitam cum morte mutavit Sigismundus Austriæ Archidux Lineæ Tirolensis ultimus; ideo forsan gravi tantæ domus jacturâ sine liberis mortuus quod ejus nuptias jam cum Hedwige Augustâ Palatini Sultzbachiensis filiâ pactas Leopoldus Cæsar moraretur ne affini suo prius filii nascerentur quam sibi, & sic ob prioris ortus privilegium lis de Imperio inter utriusque hæredes emergeret. Tyrolensis Principatus Cæsar Oenipontum delatus dominium iniit, quem cœteris Statibus, quos Successionis titulo in Germaniâ possidebat, adjunxit.

Fatis item concessit Carolus Mantuæ Dux in ipso juventutis flore viribus effætus, quas inter illicitos amplexus ita extenuavit, ut reparari nullâ arte potuerint. Ex Clarâ Eugeniâ Austriacâ unicum reliquit ducatus hæredem Ferdinandum Carolum annorum tredecim, qui & ipse hactenus prole carens gravi de successione controversiæ materiam (si improlis obierit) ministraturus est.

Solemni ritu Divis ab Alexandro VII. adscriptus est Franciscus Salesius, nuper Episcopus Genevensis, mellifluæ Sanctitatis vir, quam multis in Libris ubertim explicavit, & Instituti Monialium sub Visitationis Mariæ titulo, & D. Augustini regulâ Author.

Hoc anno Rex Ludovicus æmulatus Hispanorum, & aliorum fœlices in Asiâ, & Americâ progressus classem Indias versus destinavit inferendæ Coloniæ gratiâ in Insulam S. Laurentii, vulgo *Madagascar* dictam, pone Africam in Oceano Æthiopico jacentem. Hanc novi Coloni, regii filii nomine insignatam, Delfinam nuncuparunt, & ne auspicia huic Gallorum populationi deessent Oratores Rex ad vicinos Orientis Principes destinavit, Regem maxime Persarum, & Mogoliensem Imperatorem, cum quibus amplissimis donis conciliatis fœdera, & amicitias pepigit.

Infructuosâ magis legatione novum Oratorem Bisantium direxit qui à Viziro ob privatas simultates Genti infenso indecore habitus est, & variis contumeliis contra jus gentium affectus.

Mutuis se Legationibus Leopoldus Cæsar, & Mahumetes Turcarum Tyrannus honestarunt ad pactæ pacis securitatem, & ostentandam Gentis utriusque potentiam. Ablegatus à Cæsare Bisantium Lesleus Comes, qui 42. Nobilium servitio, & 23. aliorum præcipuæ notæ Dynastarum comitatu stipatus incredibili pompâ Barbaris illuxit, ad Turcici Oratoris probrum, qui ignobili succinctus mancipiorum catervâ Viennam deductus, ibi putidæ avaritiæ, & rusticanæ ferocitatis latum specimen explicuit. Oblata Cæsaris nomine ingens auri, argentique suppellex undecim millium librarum pondo, quam Sultanus Tentorio, tapetibus, equis, ephippiis, & armis, non inconcinnè pro Gentis imperitiâ fabrefactis compensavit.

In Lusitaniâ obsedit Hispanus Exercitus Villam Vitiosam, jamque captâ urbe arci imminebat cum Lusitani obvii eum ad certamen provocarunt. Pugnatum utrinque acerrimo concursu, & perruptis Lusitanorum Ordinibus ad tormenta bellica occupanda Hispani processerant, cum aucti novis copiis Lusitani sub Comite Sciombergio pugnam instaurarunt, eo successu ut qui mox pene victi, jam victores suos fuderint, fugatis & insigni clade attritis Hispanis, qui equites bis mille quingentos, & peditum sex millia desiderarunt, Castris, cunctisque exercitus impedimentis amissis.

Afflictis succurrere Batavis Rex Ludovicus anno hoc exeunte instituit, pacto cum iis armorum fœdere contra Anglos, & Episcopum Monasteriensem, missisque in Hollandiam gallicis copiis sub Comite Pradellio. Sic fata simultatis, & amicitiæ vices politicas alternant, fiuntque hodie armis conjuncti, qui heri attritos sese mutuis cladibus volebant, iterum ad damna mutua erupturi cum flexilis, & lubrica temporum conditio alia consilia suggesserit. Hujus belli commercio Pestis quæ solos Anglos hactenus vexarat, in Hollandiam illata est, & inde per Galliam, & Germaniam dilatata, multiplici populorum damno, quorum capite sæpius irrequietæ Principum ambitioni litatur. *Rex Ludovicus Batavis fœderatus.*

Intercepti in Poloniâ contra Moschos armorum progressus dissensione civili, quâ multi Nobiles Authore Lubomirschio in factionem Regi, & regiæ Gubernationi contrariam abierunt. Armis correptis Rex Casimirus frustrâ tentatâ animorum conciliatione fœderatos insequitur ad Racham Urbem, ubi cum inæqualibus isti copiis sese ad pugnam adigendos viderent, Reginæ supplicarunt ut pacem iis exoraret. Remissi ingenii Rex dum eis gratiam suam indulgere certis quibusdam conditionibus parat, iterum fœderati ad nova consilia deficiunt, adnitente in primis Lubomirschio, cui stipendia dilectis à se militibus grandi ære solvenda incumbebant; unde cum sese tractationis obtentæ periculo subduxissent, eos denuo Casimirus insectatur versus Turoniam, ubi cum medias inter paludes adacti pugnam declinare nequirent, intercedentibus Episcopis aliquot, tandem Regi obsequia, & fidem spopondere, rejectis ad proximam dietam, quæ sequenti anno haberetur, iis, quæ obtendebant, gravaminibus, quibus ex Ordinum arbitrio consuleretur, depositis interim armis, & excedere jusso extra regni fines Lubomirschio, cui spes facta in futurâ Dietâ propriæ redintegrationis causam exaudiri. *Civiles motus in Polonia. quibus pactii sedati.*

Facta à quibusdam in Comitiis Ratisbonensibus propositio, quæ Electoribus etiam invito Cæsare authoritatem assereret eligendi Romanorum Regem; non modicæ turbationis ansam præstitit, quod sic non obscuris indiciis manifestus eorum affectus fieret, qui Leopoldo alieni sanguinis successorem obtrudere conabantur. *Propositio Comitiis Ratisbonensibus facta.*

Non minori inquietudine ejusdem Cæsaris animum turbavit petiti Viennæ per Gallicum Oratorem Ducatus Opelensis, & Ratiborensis in Silesia, quos Regi suo à Polonorum Reginâ emptionis titulo concessos asserebat: Sed iis à *Opelensis & Ratiborensis Ducatus à Rege Lud. prætensi.*

 Cæsare

Cæſare ære numerato redemptis (qui olim Coronæ Polonicæ oppignerati fuerant) petitionis importunæ difficultas expedita, & averruncata pericula quæ timebantur.

MUNDI 5719. CHRISTI. 1666.

*Cydonia inutilis obſidio.* Tentata eſt à Venetis tempeſtivo inſultu Cydonia, ut ab obſidione Candiæ Infideles diverterentur. Retuſis ergo hoſtibus qui jam Cretenſi agro inſidebant, facta eſt primum in vicinum Urbi locum exſcenſio, repreſſique aliquoties præſidiarii, ſed iniquâ cœli tempeſtate, & nimia imbrium eluvie afflicti Veneti rem infectam deſerere coacti ſunt.

*Naves 12. Turcis captæ.* Compenſavit paulò pòſt inutilem obſidionem duodecim navium commeatûs plenarum præda, quâ Claſſis Venetæ Præfectus in Maliaco ſinu potitus eſt.

*Veneti copias Candiam inferunt.* Advolantes Veneti quo periculi majoris metus vocabat copias in Candiæ littore deponunt, ut firmatus ibi vallo & aggere caſtris ab obſeſſæ Urbis mœniis longius hoſtem diſtraherent. Laceſſiti hic & velitationibus, & atrocioribus pugnis infideles ſummâ ſemper Chriſtianorum fortitudine, & frequenti victoriâ: ſed audito quod Barbari quinquaginta Triremium Claſſe novos delectus in Cretam invexiſſent, puniciſque Navibus inſidias Corcyræ, Cephaleniæ, & Zacyntho molirentur, ſubductâ militum parte, & cœteris in Urbem obſeſſam illatis, repetitum cum claſſe æquor, quæ eorum conatibus obſiſteret.

*Melitenſes à ſuppetiis Ven. Reip. ferendis diſtinentur.* Denegatâ Melitenſibus Triremibus in Venetâ Claſſe dexterâ, quæ iis dum Pontificiis permixtæ fuerant ob Sedis Apoſtolicæ reverentiam, erat conceſſa eædem à ſupetiis ferendis hoc anno remigrantes deſtitere, captantes prætextum obſequendi Margaritæ Hiſpanici Regis filiæ, quæ Leopoldo Cæſari jam ante biennium deſponſata per Mediterraneum vehebatur Mediolanum in Germaniam tranſitura.

*Pax Ep. Monaſt. cum Batavis.* Coactus potius quam ſuaſionibus tractus eſt ad pacem cum Batavis Epiſcopus Monaſterienſis, quod ſe iiſdem fœderatum dediſſet Rex Ludovicus: Sed hoc quamvis fœdere aucti Batavî non melioribus auſpiciis pugnavere hoc anno in Anglos, quorum Claſſem cum ad oram Tameſis intercipere tentaſſent, tantâ iterum ſunt clade affecti, ut per omnia pene Oceani littora diffractatum navium reliquiæ diſperſæ ſint.

*Novo conflictu ab Anglorum Claſſe profligatis.* Nec unus hic novercantis fortunæ inſultus victos detrivit; nam Angli fugitantes inſecuti in ipſo Uſienſi portu centum quinquaginta onerarias, quæ merces in Moſcoviam inferre deſtinabantur, ignibus abſumpſere.

*Incendium atrox Londini.* Tantæ jacturæ partem mutuam viciſſim Angli experti ſunt, cum Londini improviſo incendio tredecim domorum millia conflagrarunt, abſque templis & ædibus uſui publico deſtinatis. Quod tanto damno ſævire caſus non ſolent, deſperato hoſtium ſuorum furori incendium Angli attribuerunt, quod forſan meliori conjecturâ alii Anglis ipſis dedere, quorum bene multi in varias hæreſes diſtracti pluſquam Vatiniano odio, & Urbes, & Magiſtratus ipſis infenſos proſequuntur.

*Nova Polonorum ſciſſura, & reconciliatio.* Sancita animorum anno præterito inter Polonos reconciliatio firma perſeverare nequivit; recrudeſcente irarum ſtimulo, qui ad novos inſultus altercantes concivit. Eâ tamen fortunâ utens Rex Caſimirus, quæ jam diu partibus ſuis faverat, fœderatos eò adegit, ut ad pacem obtinendam denuo ſupplices advenirent; pacto novis articulis armiſtitio, uſque dum accedente Ordinum conſenſu integra pax inſtauraretur. Coactus eſt Lubomirſchius veniam deprecari, & excuſationes factorum Regi obtendere, ſed id cum fœderatis evicit ut altis animis à Rege & Reginâ meditata Succeſſoris in regnum intruſio proſcriberetur, ſarta tectaque ab ipſis agnoſceretur Ordinum libertas abdicanti ſe vel morienti Regi, eum deligendi ad coronam quem ipſi mavellent.

*Bremenſis Civitas Svecis ſubjecta.* Afflicta modis multis Regis Svecici juſſu Bremenſis Civitas ut pleno ſe jure ei ſubjectam agnoſceret; tandem Ordinum Belgii fœderatorum, Electoris Brandeburgici, & Principum Brunſvicanorum interventu eam juravit Svecis obedientiam, quâ prius Imperio obſtricta fuerat. In ipſo Imperio etiam ſuffragium ferendi, & locum in Dietis obtinendi juri valedixit; pactis tamen ad finem uſque currentis ſæculi duraturis tantum: quod ſperaret ſibi annos & tempora eam opem laturos quam vires nequiverant.

*Diſceptatio de aliquibusdam Inſulis.* Lignandi & piſcandi jus in & circum aliquas Padi Inſulas Mutinenſem inter & Mantuanum Duces altercandi primum fuit occaſio, inde à diſceptatione ad arma deveniendi. Res privatis inſultibus agitata conſcriptis tandem copiis, re tormentariâ & mutuis in confines fluvio pagos incurſibus gerebatur, cum Mediolani Prorex Caduceator accedens arma compeſcuit, redintegrataque pacis pacta, ſua auctoritate firmavit, regiis armis in poſterum vindicanda, ſi ab alterutro violentur.

*Iter Chriſtinæ Reginæ in Sveciam.* Româ Sveciam hoc anno remeavit Chriſtina, Holmiæ regni comitiis pro Caroli Regis inauguratione habendis adfutura; in iiſque reſervatorum ſibi jurium inabdicato regno vindex, ne cujuſvis mutationis prætextu vellicarentur. Rebus ex animi ſententiâ compoſitis Romam demum ad ſuſceptæ Religionis, & genialis libertatis uſum reverſa eſt.

*Motus in Hungaria.* Inſolito fidei & modeſtiæ exemplo Summus Portæ Ottomanicæ Vizirius Comitis Balaſſi preces, & obſides reſpuit, quibus eum in perduellionis ſuæ partem, & ad Hungariæ invaſionem pertrahere conabatur. Hic Comes Vatiniano odio in Regni Adminiſtratorem Palatinum furens ſeditioſo delectu copias ſcripſerat, quibus dum arces, & oppida Regi ſuo rebellis occupare pergit, regionemq; incendiis & cladibus miſcere, à Palatino Regii exercitus ductore obſidetur primum, ſeſeq; coactus dedere ad priſtinos carceres, è quibus jam ſemel elapſus fuerat, Viennam remittitur.

Peculia-

Peculiari Turcarum Tyranni indulgentiâ Resp. Genuensis per ditiones Turcicas propriis nomine & Vexillis mercimonium instituere permissa est, quod antea sub Gallici Regis auspiciis exercebat. Res summæ plena invidiæ id præcipue præstasse creditur ut genteGallorum ob id infensâ, graviores postea simultates inter utramque succreverint.

Prælusum est in Aulâ Hispanicâ exteris jacturis interno dissidio, cum Regina Everardum Nitardum è Jesuitarum Societate (qui ipsi erat à confessionibus) ad Summi Inquisitoris locum primo, inde ad præcipuam regni administrationem admovit. Huic rerum arbitrio, cum secretis obtrectationibus populi, & publicis querelis Magnates jam quasi ad defectionem usque sese opponerent, omniaque aversis animis turbarentur, tandem coacta fuit Regina in aulam revocare eos Rerum Administros, qui auctoritate, & rerum experientiâ Consilia moderarentur.

Ramadanus Ægypti Sangiacus Andreæ Cornelii è summâ Classis præfecturâ redeuntis Venetias triumphum sua captivitate decoravit. Hic Castris Turcicis subsidia cum 23. Navibus illaturus in Cretam Venetas Naves prope Cydoniam offendit, à quibus male habitus, cum re, suis victis, desperatâ in naviculâ depositis Magistratus insignibus fugam pertentat, inter victrices triremes deprehensus, victoriæ pignus præcipuum, pompæque Cyteriæ futurus Venetias abducitur.

Hispahami obiit die Sept. 25. Abas nomine II. Rex Persarum, non ob egregias animi dotes tantum quibus fœlicissime per plures annos suum Imperium rexit, memorari dignus, sed etiam ob propensam in Christianos voluntatem quos solitis vexari calumniis, & injuriis numquam assensus est, immo omnes quotquot Persidem suo tempore peragrarunt humanissimis fovit officiis.

Pari decessit fato Parisiis Anna Austriaca Regis Ludovici mater, virtutum omnium quæ Principes decent, nitidissimum exemplar, sed inopportuno casu vitæ erepta, eo præsertim tempore quo materna auctoritate, & officiis suborientia belli (quod non diu post acerrimum flagravit) semina compescere, interminatisque hactenus dissidiis inter utramque gentem (quæ armorum usu quotidie exasperantur) fomenta minuere potuisset.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5720. | 1667. |

Delusis tandem longo Tractatuum involucro Venetis, quibus spes dabatur dimidiatam Cretæ Insulam retinendi, ut remissiori curâ Candiæ obsessæ subsidia providerent, Achmetus summus Vizirus improviso appellit ad Castra, & auctis numero atque largitionibus animis militum, novo robore promovet, seu verius strictam incipit Urbis Candiæ obsidionem.

Diem Romæ supremum obiit 22. Maji Alexander Pontifex Maximus, longo ægritudinum cruciatu ad extremum effœtæ valetudinis perductus, & ob non adæquatum principiis finem diverso à primis plausibus famæ præconio elatus. Vir quamdiu privatæ sortis aleam lusit, omnigeni erga suos affectus victor, & ideo sacro principatu visus dignissimus: dum frænis imperii adhibitus est, in nonnullis, quæ sequius admisisse videbatur, non ita acceptus obiit.

Suffectus ei sequenti Junio Julius Cardinalis Rospigliosus, qui congruum placidis suis moribus Clementis nomen assumpsit, & statim animum conciliandis Principum dissidiis applicuit, destinato interim ingenti ære numerato Venetis pro Cretensi defensione, & aliquibus quas in promptu habere potuit, copiis. *& el. Pio Clem IX.*

Majoris belli non leve minatus est periculum exortus inter Sabaudiæ Ducem & Genevensem Remp. motus, qui velitationibus inter utrosque propter ditionum fines agitatus est. Alio item laboravit dissidio idem Subalpinus cum Genuensi Rep. quæ Ducis arma irritata in se ab Rege Ludovico timuit, quod hic non æquis oculis intueretur cœptum à Genuensibus exerceri nomine & auspiciis propriis mercimonium cum Turcis, qui Genuenses, olim sub Gallicis vexillis mercati essent. Utraque tamen lis brevi sedata est, & parvo sanguine mutuæ vindictæ litatum. *Dissidium Duci Sabaudiæ cum Genevensi, & Genuensi R. pub.*

Ingenti terræ motu penè tota Epidauri, vulgo *Ragusii* Civitas corruit die 6. Aprilis, cum ob tempestivas horas multi ex Incolis adhuc in lectis detenti domorum ruinas, vel incendium (quod insimul flante validissimo vento exortum est) evadere nequiverunt. Periere hominum circiter quinque millia, vix non sepultâ in propriis ruderibus civitate, quæ hoc nomine conspicua quod peculiaris sit Reip. caput. Eodem Terræmotus impetu nutarunt confinis regionis Urbes & oppida fere omnia, maxime Neocastrum, Antibarium, Vulcinium, Ascrivium, & Butua (hæc duo pene solo æquata sunt) & non Venetias tantum, sed late per vicinas & remotas Provincias insolitæ hujus excussionis terror excurrit. *Epidauri terræ motu destructio.*

Indicto tandem Hispanis bello ob prætensa in Belgium uxoris nomine jura Rex Ludovicus, postquam eos, & longo apparatu, & præviis Scripturis de animi cœptis præmonuisset, Tornacum, Aldenardam, Cortracum, Insulas, & alia quædam non minoris momenti oppida cæpit, ita incuriis defensionis propriæ Hispanis, ut pauculas copias objicere sub Campiductore Marsino (qui levi negotio à Rege retusus est) vix potuerint. *Vrbes aliquot in Belgio à Gallis capta.*

Illata in Tamesim Classis Batavorum multas Anglorum naves flammis donavit, parique incendio exscensionibus in littora factis pagos & villas aliquot absumpsit: Sed orditis jam antea à Regibus Ludovico Galliæ, & Friderico Daniæ tractatibus Pax tandem Bredæ 31. Julii sancita est iis pactis ut quæ alterutra pars flagrante bello occupasset, ea ipsi jus esset retinendi. *Pax inter Anglos & Batavos Bredæ facta.*

Conjuratum hoc anno in Cæsaris Leopoldi caput ab aliquot Hungarici regni Proceribus, qui irrequietis animis agitati, quod pace minus eis probatâ ferociendi libertatem ademisset, tumul- *Conjuratio in Cæsarem elusa.*

multuari primum variis incurſionibus in pacatos Turcas, & Ungaros, tandem ad inſidias Cæſari moliendas rebelli furore devenerunt. Arriſit eis ſæviendi occaſio dum Cæſar Sponſæ ex Italiâ properanti levi familiarium manu ſtipatus occurreret per Styriam, locatis in itinere inſidiis qui male comitatum confoderent: Aſt ſervante Numine etſi inſcius Cæſar majori, quam putabatur, celeritate uſus inſidias declinavit, & ſoſpes Viennam cum uxore deductus eſt.

MUNDI 5721. CHRISTI. 1668.

*Petrus Luſitaniæ Rex exacto fratre inauguratus.*

Singulari fatorum peripetiâ Alfonſus Luſitaniæ Rex regno, & Uxori ineptus utrumque fratri Petro concedere coactus eſt, ſoluto ab Eccleſiaſticis legibus Matrimonio, cui impotens à naturâ jactabatur, & translato à ſubditis ad alium ſceptro, cui regendo neceſſariis ingenii viribus careret. Recluſus primum in carcere Alphonſus, inde in Inſulam Terzeram deportatus, ubi poſt ſtolidæ vitæ curſum diem inglorius obiit.

*Pax inter Hiſpanos & Luſit.*

Indictum à Gallis bellum Hiſpanos coegit pacem cum Luſitanis inire die 13. Febr. qui Luſitani tunc pleno ſe jure in libertatem aſſertos viderunt, cum acceſſere ii ad ejuſdem libertatis auctoramentum, qui ipſos ut rebelles hactenus habuerant. Reſtituta omnia quæ utriusque regni fuerant antequam coaleſcerent in unum tempore Philippi II. excepto Ceutæ Fortalitio in Africâ quod Hiſpanorum juri relictum eſt.

*Burgundiæ Comitatum Rex Galliæ invadit.*

Tractis primum ſecretis ad defectionem artibus iis quorum Provinciæ ſervandæ cura incumbebat Rex Ludovicus die 11. Febr. medias inter nives Burgundiam invadit, & perfunctoriâ defenſione uſos (ut Populis illuderetur) recipit in deditionem.

*Converſio Henrici Turrenii Principis.*

Nomen tandem dedit Religioni Catholicæ Henricus à Turre Alvernia, vulgo *Mareſchallus Turrenius* dictus, inſigni ad eam uſque diem ſui nominis gloriâ ob ſummam rei militaris peritiam conſpicuus, ſed ob ejuratam Calvinianorum Hæreſim futurus deinceps illuſtrior. Hic à multis tentatus ut errores ſectæ deponeret, ab Abbate tandem Alibretino, ſuo ex fratre Nepote eruditiſſimo ſingulariter edoctus de omnibus articulis, omnibuſque eâ quâ pollebat vi ingenii penſatis, publice Romanam fidem profeſſus eſt, ſummis regni totius, & maxime Regis Ludovici gratulatione & plauſu, quippe qui Neophitus in omnium admiratione, & amore eſſet.

*Inſignis Venetorum victoria de Turcica Claſſe ad Fodellam.*

Inſigni victoriâ ſibi nomen fecit VI. Idus Martii Laurentius Cornelius Claſſis Venetæ Præfectus. Hic intentus hoſtibus viæ præcludendæ, quà Caſtris Turcicis Cretam obſidentibus ſuppetiæ & commeatus adventabant, audito quod Durachus Bejus grandis famæ Pirata cum triremibus duodecim in portu Fodellæ conſiſtens ſibi repentinum minaretur inſultum, eum noctu convenit, & tanto cum ſuis ſelecti roboris militibus impetu incautum aggreſſus eſt, prælatâ militibus accenſarum facium multitudine, quas etiam pice, & aliis materiis illitas (quæ ignem non facile perderent) in hoſtes vibrari jubebat, ut extincto Duracho quinque ejus triremes caperet (fugatis partim, & ſubmerſis aliis) in quibus mille Chriſtiani inventi libertate donati ſunt, eorum vice tractis in captivitatem Infidelibus, qui in victoris poteſtatem devenere.

*Alia 4. Navium de integra Turcarum Claſſe victoria.*

Pari fiduciâ, & ſucceſſu ſeſe paulò poſt egregiè tutatæ ſunt quatuor Melitenſes naves, contra ſupremum Turcicæ Claſſis Architalaſſum, in Inſulâ exigui nominis prope Paron, ubi claſſis vela Cretam factura morabatur. Inſeſſæ enim à 40. triremibus non ſolum portum intortis rudentibus, & obtruſis navigiis ita firmarunt, ut in illum irrumpere nullo umquam conatu Infideles potuerint, ſed etiam Claſſiarios ter mille, qui juſſu Architalaſſi factâ in proximum littus exſcenſione, eos impetebant, ita repreſſerunt, ut illi poſt acris prælii inutile tentamentum re infectâ abſcedere cogerentur.

*Diſſidium inter Ducem Lotharing. & Elect. Palat.*

Digladiatum in finibus Lotharingiæ, & Palatinatus multis aſt minutis prælüs inter Ducem, & Electorem ob prætenſa ab hoc jura quædam in partem ditionum quæ Duci Lotharingiæ parebant. Sed conceſſo ab utroque pacis Arbitrio Regibus Galliæ, & Sveciæ res compoſita, & ſedatum bellum eſt.

*Abdicat ſe ſceptro Poloniæ Rex Caſimirus.*

Novo & quod pauci imitentur exemplo Caſimirus Poloniæ Rex regno valedicit, vir in multis leviuſculæ mentis notâ punctus, quippe qui vivente fratre Vladislao altaribus ſeſe dicaſſet, dein nullâ (quæ viſa ſit) causâ ductus, & Societati Jeſuitarum, & purpuræ Cardinalium renunciaſſet, antequam fratris obitu ad ſceptra regenda vocaretur. Hic artibus uxoris, quibus ſe totum agi patiebatur; exactis inter civiles, & exteros tumultus annis viginti, tandem vel tædio, vel levitate animi, quem inter tot bella & diſſidia deſpondebat, neglectis & populorum votis, & Principum fere omnium ſuaſionibus coronam depoſuit, contenditque in Galliam, ubi à Rege Ludovico liberaliter exceptus, & opiparis ditatus Eccleſiaſticorum Beneficiorum proventibus de cætero vixit, nullis tamen Religioſæ vitæ, aut voluntate, aut deſiderio obligatus.

*Fœdus triplex inter Anglos, Suecos & Batavos.*

Peperit Belgicarum Provinciarum, quas Rex Ludovicus invaſerat, periculum fœdus triplex inter Anglos, Svecos, & Batavos, qui communibus auxiliis Catholico Regi ſuccurrere decreverunt. Excivit Anglos pridem Batavis infenſos ſolus tot victoriarum, queis Rex Ludovicus florebat, livor, Svecos ad fœdus traxit ingens vis pecuniæ quam Batavi de Belgii caſu ſolliciti profudere, ut periculum à ſe removerent. Reipſa Pax paulò poſt, die ſcilicet 2. Maji Aquiſgrani ſecuta hujus fœderis opus fuit,

*Pax Aquiſgrani ſancita.*

quam Rex Ludovicus conceſſiſſe videri voluit officiis Clementis Pontificis, qui eam enixis precibus, & ſuaſionibus procurabat. Hac pace Ludovicus reſtituta Hiſpanis Burgundiâ, ea omnia quæ in Belgio cœperat ſui Juris fecit.

Glande

Glande plumbeâ percussus 13. Julii interiit Emmanuel Mendosa Prorex Sardiniæ, in quem exortâ primum seditione, & transmissis ad Regem Calaritanæ Civitatis, & regni nomine gravaminibus, quod Nuncius in reditu periisset insidiis sublatus, dum incautus Urbem obambulat Sclopis ex occulto displosis interficitur. Immissa è vicinâ Neapoli Classis repentino terrore effecit primum ne in apertam defectionem gens rueret, dein ut sedato tumultu pœnas darent quicumque in conjurato facinore partem aliquam habuisse comperti sunt.

Clementis Pontificis suasu Rex Ludovicus assentit dirui Pyramidem, quæ aliquot jam annis Romæ steterat, ostentabatque insigni vindictâ proscriptam ab Apostolicæ sedis servitio Gentem Corsorum, quæ aliquando Oratori Gallico insultarat. Vicissim permisit Pontifex columnam, & Crucem revelli ab areâ D. Antonii templo vicinâ, quam Clemens VIII. ob memoriam Henrici IV. ad fidem conversi statuerat, quæque ignominiam Genti Gallorum videbatur inurere, cujus Rex qui Ecclesiæ primogeniti titulo gloriatur aliquando hæresis labe infectus fuisset.

Hispaniam, Lusitaniam, & Angliam hoc anno lustravit Magnus Etruriæ Princeps animo cæteras Europeorum Principum aulas invisendi: Sed quod Lundini uxorem Hispanici Oratoris prius salutasset quam uxorem Gallici (quod Regi Ludovico omnino displicuit,) ne ulterius se inutilibus dissensionibus implicaret, in Italiam revocatus est.

Suppressit Clemens Pontifex tres Regularium Ordines nempe Canonicorum S. Georgii in Algâ, Jesuatorum, & Eremitarum D. Hieronymi Congregationis Fesulanæ, ut ex divenditis eorum patrimoniis æs collectum Venetorum Reip. cederet, levandis expensis quas in defendendâ Candiâ ferebat. Collecta ex iis ducatorum nongenta & amplius millia, nec sic tamen afflictis rebus provisum satis, cum hoc unico anno in militum delectibus, in commeatuum & cæterarum munitionum apparatu milliones quatuor & sexcenta nonaginta duo millia ducatorum numerati sint.

Suffectus votis Polonorum, & ipso profesto Michaelis Archangeli die Rex inauguratus est Michael Koributh Dux Visnovicensis, qui diffidentibus animis circa exteri alicujus Principis electionem inter multos qui suffragia ambiebant ipse sui quasi incurius electus est. Non diu post in uxorem recepit Mariam Eleonoram Leopoldi Cæsaris ex patre sororem cum qua sterili matrimonio ducto, ipse brevi regno annorum duorum perfunctus obiit.

Maximo turbavit luctu Cæsaris aulam Ferdinandi Wenceslai è Margaritâ Imperatrice filii primogeniti mors, quæ tenellum Principem aliquot jam menses natum prœmaturo funere eripuit; spemque ex eo conceptam ardentibusque votis lactatam acerbo dolore funestavit.

Ibidem fortuito incendio Palatii Cæsarei pars maxima conflagravit, ea præsertim quæ Gynæceum erat, lenitâ ædium jacturâ insigni miraculo, quo Deus suæ Crucis particulam medios inter ignes illæsam voluit. In hujus portenti memoriam Eleonora Ferdinandi III. Imperatoris Vidua, (inter cujus suppellectiles ambustas illæsum crucis lignum remanserat) ad instar Equestrium Ordinum Nobiliorum Mulierum Societatem instituit, quarum pietati præcipue incumberet Crucem venerari, gestato ejusdem aureo labaro ceu numismate, quod ex humero sinistro penderet.

*Larissam venit Turcar. Rex Candiæ obsidionem acceleraturus.*

Rerum tædio quæ parum suis prospere geri in Candiæ obsidione videbantur Mehemetes Sultanus Adrianopoli Larissam contendit, animos copiis aucturus præsens, aut saltem vicinior. Audierat longæ obsidionis laboribus fractos publicis obtrectationibus vani sibi tentaminis probrum augurari, ideoque imminere periculum ne cum antiquæ fœlicitatis dispendio re infectâ discederetur. Sciebat Marchioni Villæ suffectum non minoris nominis Archistrategum obsessis Ducem, qui consumptâ in Castris ætate omnia bellicæ artis mysteria noverat. Viderat suppetias militum è Germania & Italia in Urbem obsessam non simul immissas: imo alias in Galliâ instaurari audiebat, quæ novo robore res obsessorum firmarent. Reipsa non diu post scilicet sub Novembris initia Candiam appulere quingenti & amplius è Galliâ Nobiles Viri, & ducenti emeritæ militiæ Duces sub Longovilleo Comite S. Pauli, & octingenti Lotharingi milites sub Equite Arcurtio, qui mense Decembri secuto eruptione in obsidentes factâ insigni clade inter suos aggeres Turcas oppresserunt, mille & amplius ex iis desideratis, quamvis non incruenta Gallis victoria steterit, multis eorum pari strage sublatis.

*Eruptio Gallorum è Candia Turcis funesta.*

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5722. | 1669. |

*Varia auxilia Candiam missa.*

Sub anni principium à multis Europæ Dynastis, maxime à Germanis & copias auxiliares, & generis omnis munitiones, simul cum ære numerato recepere Veneti, quæ obsessæ Candiæ immitterent, frangendæ Turcarum proterviæ, qui excurrente jam vigesimo strictæ obsidionis mense majori in dies furore Urbem lacessebant. Ast splendidioribus auspiciis communi spei illuxit Rex Ludovicus, qui septem peditum millia, & quingentos equites sub Francisco Vindocinensi Duce Belfortio Galliæ Architalasso, & vexillis Pontificiis in Cretam destinavit, ea omnium gratulatione & plausu ut quasi ad proximam Urbis obsessæ liberationem gestirent. Copiæ Candiam appulsæ quo majori effectu vires in hostium perniciem explicarent pari cum cæteris auxiliaribus, & terrigenis consensu certare & operari suadebantur: Ast Gens impatiens moræ, & individuæ gloriæ ambitiosa dum 24. Junii in castra obsidentia erumpit primo quidem impetu & stationarios vicinos mœniis, & quosdam remotiores prosternit, deteritque, aggeribus, quos ad sui tuitionem excitarant, præsenti operâ solo æquatis: sed dum acrius insistit, inopino casu cado nitrati pulveris accenso, trepidare primum

*Rex Lud. 7000. militum mittit in Cretam.*

*Eruptio Gallorum infelix.*

(quod

(quod solum omne suffossis cuniculis excutiendum putaret) hinc cœpit retrahere pedem, quod dum Turcæ advertunt, receptis animis ingenti suorum numero ita fugitantes intercipiunt, ut eos sepelire non expugnare sint visi; desideratis mille & amplius Gallis, & quod luctuosius Belfortio eorum Duce, qui ad extremum intrepidus dum circumquaque discursans agmina restituere satagit, animumque meticulosis reddere, inter confertos hostes cadit, & deteritur, ita ut corporis nulla pars quâ agnosceretur potuerit inveniri.

*Dux Belfortius occisus.*

*Novi tumultus in Hispania.*

Recruduere in Hispaniâ tumultus ob continuatam Everardo Nitardo rerum gerendarum administrationem, contra quam & Magnates, & Populi denuo succlamarunt. Questus est præcipuè se negligi Joannes Austriacus, demortui Regis Philippi nothus, quique de regno ob præstita servitia meritus bene se extero posthaberi intoleranter ferebat. Demandata ei idcirco Belgii Provincia, eaque ministrata quæ ad res bene gerendas necessaria dixisset, ingentis scilicet auri, & militum copia: sed cum ut navim conscenderet iter in Belgium facturus expectaretur moras primum nectere, & impedimenta causari cœpit, hinc renunciatâ Provinciâ ad suum *Consuegræ* exilium reversus est. Spargi cœptæ non diu post per aulam scripturæ quæ gubernationis formam, & dicteriis Jesuitæ personam pungebant, minæ & forsan conjuratio in ejusdem caput auditæ, quibus cum irritata Regina fremeret, Joannem Austriacum jubet conjici in carcerem, ibique detineri donec laborum patientiâ eruditus humilitatem didicisset. Sed res plena periculi jubebatur. Non solum Joannes insidias edoctus fugâ in Arragoniam eas declinat, quin conductis ære proprio equitibus trecentis Madritum versus redit, & jam tunc non secretis murmurationibus sed insectatione publicâ Jesuitam eliminari non tam postulat quam imperat. Favebant postulationi omnium præter paucos desideria; unde cum præsens urgeret timor seditionem excitari, quâ omnia Susdeque miscerentur, annitentibus maxime Cardinali Arragonio, & Nuncio Apostolicæ Sedis Borromeo annuit Regina Nitardi exauctorationi, & discessui, qui propterea in ipsa rhedâ Cardinalis (ne ab insolenti plebe iniquum quid pateretur) in Cantabriam primum, inde Romam dimissus est.

*Ioan. Austriacus Belgii gubernationem respuit.*

*jussus trudi in carcerem.*

*fugit. revertitur cum 300. equitibus.*

*Nitardus aula excedere coactus.*

Sublato prætextu motus componi debuerant, ni Joannes Austriacus ulteriora professus petere, quæ privati potius commodi, quam publicæ utilitatis speciem præferrent, jussus esset arma deponere; quod cum primo detrectasset, tandem suadente iterum Cardinali Arragonio, qui ad eum pacis conciliator missus est, ab armis & vi intentandâ quievit, collatâ ei regni Arragoniæ gubernatione, in quo & omnibus provinciis quæ illi coronæ aliquando paruerant vicariâ Regis auctoritate omnia pleno jure administraret.

*Ioan. Austriacus prorex Aragon.*

Grandi incendio antiquos Siciliæ timores renovavit, & auxit Æthneus Mons die 7. Martii, dum in plures voragines apertus circumquaque ignes, saxa, & cineres evomuit. Aliquot confines pagi repetitis terræ concussionibus, aut quassati, aut attriti in propriis ruinis spargentibus late terrorem nubium densâ caligine, & fragoribus, ut propterea sub ruinis fatiscere tellus videretur, & quasi in imminenti universalis defectionis periculo Catanenses cæterique confines populi Deo piando enixissimis precibus, & supplicationibus litarint.

*Montis Æthna incendium & pagorum aliquot ruina.*

Iterato conatu die 24. Julii ab universâ Christianorum Classe ad Cretam in Turcas Candiam obsidentes pugnatum est. Numerabantur præter Naves Venetas auxiliares Triremes 29. scilicet septem Pontificiæ, totidem Melitenses, & Gallicæ quindecim. Omnes in semicirculum explicatæ ad ea littora quæ Infidelium Castris, & munitionibus viciniora erant, & continua explosione verberantes non leve damnum iis attulere, seu tentoria subruendo, seu obvios manipulos metendo, seu denique confundendo aggeres, & tumulos, è quibus eorum tormenta bellica detonabant in Urbem. Decreta erat fieri ex Urbe decem millium militum eruptio, qui confusos tormentorum ruinâ, & fragore Barbaros à tergo insilientes contererent: sed re attentius perpensâ quod periculum majus visum esset, quam sperata inde victoria quæ aliquorum gregariorum vili strage, & forsan necessariæ ad ulteriorem Urbis defensionem militiæ damno redimeretur, solo Navium insultu res peracta est, rabido furore vibrantibus sua pariter tormenta barbaris, quæ tamen vix alicujus momenti offensionem Christianæ Classi intulere.

*Classis Chr... insu... Turcas.*

*medi... nec ... terre... eruptio.*

Dum quotidie Candia ad majores angustias redigeretur, rescire cupiens Maurocenus, cui rerum summa incumbebat quid actu opus esset, quo hoste longius submoto Urbs obsessa liberius respiraret, Generalem Ducum omnium conventum 21. Augusti instituit, ut collatis consiliis quod magis probatum omnibus, id exequeretur. Visa insolens multorum millium militum eruptio indubitato effectu profutura, ut extrusis infidelibus ab iis cuniculis, quos in labefactatis mœnibus occupabant, tutior Urbis ambitus novis aggeribus repararetur. Sed præsidiariis ad eum numerum redactis, qui tantæ multitudini integrâ propugnaculorum custodiâ non sufficerent, omnium suffragio approbante statuit partem civitatis exscindere, & reliquam novis munimentis & fossâ ita cingere, ut eam ex integro expugnandam sibi Infideles sentirent. Sicque tuto expectare auxilia quæ portu Veneto soluta sub Duce Mirandulano advenire dicebantur. Novalea Gallorum auxiliarium Dux milites suos commendare huic operæ rogatus, saluti, & securitati communi necessariæ; quod sibi à Rege Ludovico præscriptum morarum tempus præterire non posset causatur, immo suorum discessum molitur, & urget, neglectis Ducum omnium precibus, qui hoc tot militum nervo destituti Urbis excidium brevi & ineluctabili fato futurum augurabantur. Monitus hunc discessum Vizirus vix Galli naves conscenderant cum fremente impetu obsessos oppugnat, eâ tamen animorum contentione exceptus (nihil obstante

*Mauro... Ducum ... ca Castra ... consulit.*

*Decernitur partem urbis exscindere, & reliquum tueri.*

*Vizirus novâ impressione Candiam oppugnat.*

ſtante tot præſidiariorum diſceſſu, ob quem Vizirus conſternatos cæteros autumabat) ut de litis ſummâ in hoc inſultu diſceptari videretur.

Multis hactenus contumeliis laceſſitus Biſantii Gallicus Orator tandem à Rege ſuo revocatur minarum pleno in Barbaros. At iſti ne pacis ſpem omnino intercluderent mutuum Oratorem Pariſios deſtinant, ſed eâ & conditionis vilitate (quippe qui unus ex prætorianis miles) & rei familiaris anguſtiâ adeo humilem, ut accedente præſertim ruſticano morum tenore probro potius quam decori utriſque eſſe viſus ſit.

Inſulis in Belgio haberi cœpit tractatus de componendis Regis Ludovici prætenſis juribus in eos Hiſpanis ſubditos, qui bona aliqua poſſidebant in eo regionis tractu, qui Gallis ultimâ pace conceſſus fuerat, quoſque Rex Ludovicus inter ſuos habitare jubebat, alioquin poſſeſſis exuendos. Aſt annitentibus Principum triplici fœdere unitorum miniſtris, cœptis deceſſit Ludovicus, permiſſumque ubi melius libuiſſet eos habitare, qui in alterutrius ditione aliquid retinerent.

Oratorem pro pacis,& commerciorum ſecuritate deſtinavit hoc anno Britanniæ Rex ad Taffiletæ Regem Fezzæ, & Marochii regnorum invaſorem, qui tanto obſequentis fortunæ faſtu tumebat, ut Oratorem ſit dedignatus admittere, niſi ſe ad indigna mancipiorum obſequia demitteret, quo & factum eſt ut Orator re infectâ ad propria redierit.

Eventu fœliciori idem Carolus Angliæ Rex duos, Nobilium ſcilicet,& Plebejorum Ordines (Superiorem, & Inferiorem Parlamenti Cameras vocant) pacavit, conciliatis diſſidiis, quæ de juris dicundi authoritate inter utrumque vigebant: meliori forſan conſilio eos mutuis odiis permiſſurus, cum vix paribus animis conſentiant quin regiæ dignitati, majeſtatem,& jura detrahere parati ſint.

Vitâ tandem deceſſit Henrica Maria Borbonia Caroli I. Britanniæ Regis vidua, Mariti infœlici ſorte adeo,& tot annis jactata ut proprio filio ad thronum revocato conſors reſtitutæ fœlicitatis eſſe neglexerit. Jure quidem: Quibus enim oculis eos miraretur Anglos qui marito probroſam necem intuliſſent, totique familiæ ſuæ excidium viribus omnibus eſſent aliquando moliti?

Noviſſimo tandem conatu poſt auxiliarium omnium diſceſſum Candiæ decertatum eſt, à ſexcentis novi delectus accenſis quos poſtremâ navigatione in Urbem invexerat Dux Mirandulanus iis à Senatu Præfectus. A portu Veneto ſolverant mille quingenti milites, ſed cæteri variis ægritudinibus aut mortui, aut detenti ſunt quin Cretam appellerent. Aliquot adhuc Hebdomadibus contra recrudeſcentes quotidie hoſtium inſultus Urbs defenſa eſt; ſed tandem deficientibus & ſolo in quo ſe tutarentur,& auxiliaribus aliis, quibus ab occupatis expelli Infideles poſſent die 6. Septembris de deditione tractari cœptum eſt communi omnium voto, multis-

que ultro citroque diſceptatis ceſſa eſt Barbaris Inſula, exceptis Sudæ, Garabuſarum, & Spinæ longæ arcibus, & oppidis littoralibus cum ſuis diſtrictibus, relaxata mutuo Turcarum conſenſu Venetorum Reip. Cliſsâ Arce cum cæteris oppidis, quæ ceu in Dalmatia, ceu in Albania durante bello occupaſſet. *quibus pactis.*

Inſumpſere Veneti in hac celebri obſidione, quæ tribus annis continuata eſt Nummûm Scutatorum milliones quatuor & amplius, iis expenſis exceptis, quibus omnis generis munitiones comparatæ. Periere militum Chriſtianorum viginti novem millia octoginta octo, Turcarum ſeptuaginta millia, præter ruſticorum,& captivorum triginta & octo millia, qui in ſuffodiendis cuniculis, aggeribuſque, & tumulis excitandis operam præſtitiſſe coacti ſunt. *Quantum æris & hominum conſumptũ in hac obſidione.*

Faſtis Sanctorum adſcripſit Clemens Pontifex Petrum de Alcantarâ Franciſcani Ordinis, & Mariam Magdalenam de Pazzis Monialem Carmelitici; nec multo poſt ipſe Pontifex, ſcilicet die 9. Decembris vivere deſiit: Vir ſingulari morum comitate præditus, & perſpectæ probitatis, quam ardenti tum pacis inter diſſidentes Principes conciliandæ, tum ſervandæ Candiæ zelo multis, & luculentis argumentis teſtatam reliquit; erga ſuos citra odium, erga omnes ultra votum liberalis, ideoque omnium plauſu (quod rariſſimæ fœlicitatis in Principatu eſt) elatus. *Sanctis adſcripti Petrus de Alcant. & Magdalena de Pazzis.* *Obitus Clementis Pap. IX.*

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5723. | 1670. |

Ventilatis per menſes quinque conſiliis tandem à Purpuratis Patribus eligitur in Summum Pontificem Æmilius Alcerius, à præcedente Pontifice dum in extremis ageret factus Cardinalis, ob idque & ipſe Clementis nomine inſignitus. Vir etſi per multa Curiæ officia exercitus, tenuis tamen nominis, & exiſtimationis, immo tantæ modeſtiæ ut oblatum Pontificatus honorem ſinceris votis renuerit, ſuffragiis & precibus offerentium pene coactus, ut eum admitteret. *Electio Clem. X.*

Erumpere cœperunt hoc anno primum Meſſanæ, meditatæ diu, & jam tunc matureſcentis rebellionis ſemina, cum poſt repetita molimina Senatus Urbani in Jura, & Magiſtratus regios, ille Armorum Duci (eum *Stratico* vocant) res ſeverâ vindictâ reparare nitenti publicâ fronte obſiſtere auſus eſt. Conjurarant ex omni Civitatis gradu homines, ſub prætextu privilegiorum ſeſe in omnimodam libertatem aſſerere, ſibique putidum *Secta* nomen arrogarant, elicito ab omnibus juramento ſe nulli cuiquam ordini, vel decreto (quod Regis nomine proponeretur) aſſenſuros, niſi re cum ſociis communicata ab iis de præſtanda approbatione abſolveretur; Inde quotidianæ inter Proregem, & Senatum altercationes, proſcriptis, & eluſis hac petulantiâ iis fere omnibus quæ indemnem Regis authoritatem facerent; Quin immo inſolenti temeritate fuerant varii *Prima Rebellionis Meſſanenſis ſemina.* *Senatus Vrbanus Regis Miniſtris contrarius.* *cujus juſſu varii Regi obſequentes affliguntur.*

à Senatu carceris, & equulei pœna afflicti, qui de principis reverentia loqui vel imposita officia exequi non timuerant.

*Conjurat. Hungaror. inCæsarem & Patriam.* Pari impatientis genii æstro conjurarunt in Cæsarem, & Patriam Petrus Co. Zrinius, Franciscus Christophorus Marchio Frangippanes, & Franciscus Comes Nadasti præcipuæ inter Hungaros Nobilitatis una cum Erasmo Comite à Tattembach Styrio, & multis aliis, quibus cum pax nuper à Cæsare cum Turcis sancita minus arrideret, quod ferocis indolis homines bella magis appeterent, sibique vana spe sceptra & principatus pollicerentur. Collatis cum summo Turcarum Viziro consiliis, & repetitis legationibus subsidiis imploratis rebellionem tandem moliri cœperunt. Delectus habere, arces, & oppida quâ minis quâ armis invadere non destiterunt, usque dum Leopoldus, cujus vitæ iteratas insidias etiam poni curaverant, neglectis quæ eatenus inutiles probabantur adhortationibus eos detineri, & detrudi jubet in carcerem, immissis in Hungariam copiis sub Comite Spancavio, qui & arces recepit, & urbes quæ rebellibus secretò faverant, vel favere meditabantur, terrore & armis compescuit, domito & præsidiis Germanis supposito Regno Hungariæ, quod antea quasi precario Leopoldus administrabat. *quos Cæsar detineri jubet.*

*Motus in German.* Leviusculo bello conflixere inter se in Germaniâ Episcopus Monasteriensis, & Dux Brunsuicensis lineæ Viserbetanæ, quod hic Urbem Hoxterensem Episcopo subjectionis Sacramento obligatam, suis sub auspiciis rebellare permitteret. Res vicinorum Principum studiis post disceptationes aliquot armis factas composita est, maxime Reip. Batavorum, quæ Caduceatores suos ad pacem conciliandam destinavit. Non otioso tamen delectu arma sumpsere Principes Brunsuicani; occasione enim captâ Brunsuicum Urbem ditionis suæ præcipuam (quæ se pro liberâ à multis jam annis gerebat) aggressi, eam ad deditionem, & ad primæ subjectionis statum redegere. *Urbs Brunsuicensis Ducibus suis parere coacta.*

*Inundatio fluminum in Austria & Tyroli.* Insolita aquarum exundatione Danubius, & aliquot circa Viennam fluvii Austriam ita oppresserunt, ut non arbores, armenta, & pagi solum sepulti in aquis remanserint, sed hominum in eis non exigua multitudo pari ruina interierit. Tirolis Provincia hoc, & alio flagello attrita est, repetitis scilicet Terræmotibus, & eluviis, quibus Oeniponti, Hallæ, & alibi templa, & domus bene multæ corruerunt.

*Tumultus in Polonia.* Tumultuatum etiam cum aliquot Nobilium cæde in Dietis Polonicis, quas Dietinas vocant, quæque ad universi regni Comitia præviæ solent haberi ad eorum delectum, qui in Generali consessu res publicas debent decernere. Manifesta erumpebat cum publicæ pacis periculo multorum invidia in Regem, qui cum gentilis foret inexpectato successu ad solium evectus lippis oculis à multis videbatur. Ratihabitum tamen est annitentibus sanioris mentis proceribus Regis matrimonium, & sancita cum Moschorum Duce pax, cui rebellantes Cosachi non solum bellum indixerant, sed etiam arce Astracanâ jam aut captâ, aut in rebellionis societatem cum adjacentibus Tartaris tractâ damna potiora minabantur. *Pax Polonor. cum Moschis.*

*Seditio Novempopulonia in Gallia.* Exorta est in Provincia Novempopuloniæ in Gallia popelli seditio ob graviora tributa, sed facili à regiis copiis negotio repressa est, cæde eorum secutâ, qui tumultus, & inobedientiæ auctores fuerant.

*Mors Friderici III. Regis Daniæ.* Obiit in Dania Fridericus nominis III. Rex variâ fortunâ exercitus, nec ejusdem fortunæ aut favoribus, aut injuriis impar, quippe qui atrocissimum bellum sibi à Svecis illatum viriliter sustinuit, ob idque hæreditariam familiæ coronam à Statibus regni consecutus est; & pacatus nullis se florentis vitæ vitiis passus est labefactari. Homo ingenio mitis, & religioni ultra Principum curas addictus, cujus rationes, & momenta crebris lectionibus scrutabatur, sæpius auditus dicere si suâ meliorem novisset, eam se regno etiam contempto secuturum; hoc uno infœlix quod mentis dubiæ scrupulos nemo Catholicus absterserit. Successit ei filius Christianus nomine, Quintus. *cui succedit filius Christianus V.*

*Mors Munkii Angli.* Fatis item in Angliâ concessit qui supremus olim armorum Præfectus Munkius, hoc nomine famosus, & bene merens quod Regi Carolo, & fratribus à cæde Patris exulibus viam ad regnum repararit. Majus forsan quam quod ipse Carolus putaret ex hac Munkii morte damnum expertus est, dum neglectis quæ prius fœdera ejus consilio inierat servabatque, vicinis Gallis quin in Belgio proficerent, immo fomenta ministravit; unde gliscente inter victorias ulteriorum acquisitionum ambitu, res sensim eo devenit, ut Europæ totius bello immersæ status hodie defleatur. Obstetricari credita est huic Caroli mutationi ejusdem Soror Philippi Aurelianensium Ducis conjux, quæ dum Rex Ludovicus specie lustrandorum regni limitum in agrum Bononiensem pervenit, in Angliam trajiciens, quasi fratrem visitatura, ejus animum ad nova consilia adduxit. *Unde Carolus Angliæ Rex animum mutarit.*

*Mors Ferd. II. Ducis Etruriæ.* Decessit Florentiæ Ferdinandus II. Magnus Etruriæ Dux, eique successit Filius Cosmus nomine III. is qui varias Principum aulas peregrinando lustrarat.

*Molimina de reducendo Rege Alfonso Lusitaniæ.* Tentata ab aliquibus libertas Alphonsi, Regio Lusitaniæ throno exturbati, quem Ulissiponem reducere, turbasque ob id excitare satagebant. At molimen exilio conjuratorum punitum est, reque infecta Alphonsus in suo Angræ carcere perseverare coactus est.

*Carol. III. Dux Lotharingiæ ditione privatur.* Carolus IV. Lotharingiæ Dux quod contra initos cum Ludovico Rege tractatus copias aleret, crederetur que nova in eum moliri, à Marchione Forillio regis jussu pene Nanceji interceptus die Augusti 26. ignobili se fugâ surripuit, occupatâ armis Gallicis repentinâ invasione Lotharingia, quæ nec ipsi Carolo, nec hæredibus ejus hactenus restituta est.

*Mors Francisci Princ. Lotharingiæ.* Viennæ in Austria die 27. Januarii decesserat Franciscus præfati Caroli Ducis frater, vir per omnia probatæ pietatis, qui tamen novercantem ubique fortunam expertus est, primum S. R. E. Cardinalis, & Tullensis Episcopus, postea

steâ renunciatâ purpurâ & Clero, Claudiæ Consobrinæ Conjux, & Caroli V. Ducis Lotharingiæ Pater.

Interna Polonorum dissidia Turcam Christianorum turbationes in eorum damna convertere intentum excivere, ut inquietæ Cosacorûm Genti se adjutorem, & rebellionis defensorem polliceretur. Isti malo Dorosenski genio seducti in Regem, & Remp. moliri non desistebant, acri tamen Joannis Sobjeski zelo semper retusi, qui tunc summus Regni Marescallus, ad thronum postea elatus est. Vizirus à Dorosensko evocatus sese cum exercitu versus Boloniam movet; sed Rege Michaele cum Equitum millibus sexaginta occurrente, res legationibus primum tractata, deinde ad novas Aulæ Ottomanicæ turbationes sine sanguine composita est. Delusus sua spe non domitus fuerat Dorosenskius; unde cum ab armis non abstineret à Regii exercitus Ductore Havinsko deletus est.

Nupsit hoc anno Ferdinandus Carolus Mantuæ Dux------ Vastallensi, urbisque, & ditionis totius investituram hoc matrimonio à Leopoldo Cæsare accepit, annitente præsertim Eleonorâ Imperatrice, quamvis altera superesset Mariæ Soror, quæ postea Vincentio Principi Gonzagæ sociata, ducatus partem æquo jure sperare debuisset. Grandi tamen fœnore jure suo Vincentius ad tempus privabitur, si decedente improli Ferdinando ipse utrumque principatum aliquando habiturus est.

---

## CAP. VIII.

## *Decas Octava.*

### *Ab anno Christi* 1670. *ad* 1680.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5724. | 1671. |

Romæ Hispanicæ Coronæ Orator apparuit Everardus Nitardus, qui quod Reginæ Regnum moderantis favore immodico uti visus esset, Aulæ Magnatibus exosus factus, & collatum magni Inquisitoris munus relinquens, legationem Romanam suscepit. Res diu in ancipiti Pontificis animo versata est, sed perspectâ constanti Reginæ voluntate Everardum promovendi, eum Pontifex Archiepiscopum Edessanum *in partibus* primum, postea annitente eadem anno sequenti S. R. E. Cardinalem renunciavit.

Quinque Beatorum Apotheosi, quos solemni ritu Sanctorum numero ascripsit, auspicari Pontificatum suum voluit Clemens X. Hi fuere Cajetanus Thieneus, Philippus Benitius, Franciscus Borgia, Ludovicus Bertrandus, & Rosa Limensis; qui omnes insignium quatuor Ordinum, quos viventes voverant, plausibus, & festivis pompis elati Orbem Christianum sanctiori lætitiâ impleverunt.

Sancita inter Remp. Venetam, & Mahumetem Pax non levibus simultatibus agitata est in finibus Dalmatiæ & Bosniæ, qui cum incertis dominis furente bello paruissent, difficili judicio legitimo Principi adjudicabantur. Irrupere mutuis incursionibus utriusque subditi in adversas provincias, parumque abfuit quin sedatum incendium recrudesceret. Ast tanto sanguine parta quies alternâ patientiâ solidatur, peculiari tractatu habito sub tentoriis die Oct. 24. ubi post iterata jurium examina decisæ sunt communi consensu controversiæ, quæ hostiles incursus exciverant.

Exorta est Messanæ Popularium Seditio adversus Nobiles, quorum varias domos, & palatia flammis donarunt, quod eos crederent avaris questubus frumenta (quorum cariorem annonam probabant) alio divertere. Rei occasionem nactus Armorum Regius Præfectus (hunc *Stratico* vocant) populares fovet adversus Senatum, quem in Regis auctoritatem attentare supra dictum fuit: Ast insurrectum est à Nobilibus in Præfectum qui fugâ sibi consulere coactus est. Aucta annonæ caritas à Prorege Neapolis, qui frumenta Messanam invehi prohibuit; unde Senatus armatis navibus Classiarios aliquot mittit prædatum in Calabriam, & ubicumque potuissent, quorum & integræ defectionis timore promissa frumentorum copia est. Hac iterum remoratâ, iterum populus in Nobiles quasi publicæ Calamitatis Auctores, vel complices insurgit, tentatâ cæde *Juratorum*, quorum officio hujus copiæ cura incumbebat. Repulsi à Nobilibus Populares aliquot eorum domos iterum succendunt, freti maxime Præfecti incitamentis, & præsentia, qui animos iis addebat deleturus hunc Nobilium, & Senatorum Ordinem, aut eos saltem prohibiturus à gubernatione Civitatis, in quam regiæ auctoritati adversantes sese usurpatâ potestate jamdiu intruserant. Requies tandem conciliata est pactis aliquot articulis inter utrosque, quibus ab officio præsentes Administri arcebantur, novâ inductâ regiminis formâ, & maxime impetrato Proregis Lignii Principis in civitatem ingressu, qui Panormi hactenus morabatur, & cujus nota indolis Clementia faciliorem animorum consensum promoveret.

*Nova Messana seditio.*

*Annona caritas dissidiorum causa.*

*Pax inter Senatum, & Popul.*

Nec sic tamen Seditiosorum ira deferbuit; Die enim 11. Aprilis, in quem secunda Sanctioris Hebdomadæ feria incidebat, suspicione injectâ Præfectum nova moliri, maxime quod milites Hispanos ad propugnaculorum Urbis præsidium intrudere vellet, tumultuari denuo Nobiles cœperunt libertatum, & justæ defensionis prætextu; unde & renovata domorum ipsorum incendia, quas Populares Præfecto velut plebis contra Senatum fautori, adjuncti flammis dederunt. Exilio, & bonorum jacturâ mulctati plures è nobilitate quos Præfectus id poscentibus popularibus proscripsit, insignitis *Merlorum* nomine, qui regiis partibus favebant, & *Malnizorum* titulo, reliquis & maximè Nobilibus, qui pro urbis (ut ajebant) privilegiis, & libertate nitebantur. Finem tandem tot discordiis, quarum horror numquam sedatâ fame crescebat, attulit Proregis Lignii in

*Nova Seditio, & domorum incendium*

*Exulare multi Nobiles coguntur.*

*Vrbem pacat Princeps Lignius.*

in Urbem adventus die 3. Maji, qui largâ frumentorum copiâ advectâ, revocatis quos Præfectus exulare coegerat, & eliminato ipso Præfecto velut seditionum, & tumultuum fomite animos utriusque partis sedavit, mulctatis solum aliquibus ex ordine Nobilium, qui nova moliri post statutam pacem attentarunt.

*Co. Zrinii & sociorum rebellium mors.*

Tandem post inutiles questus, & mendicata à variis Principibus officia queis mortem deprecarentur, conjuratæ rebellionis pœnas ultimo dedere supplicio Viennæ Franciscus Comes Nadasti, & Neostadii Petrus Comes Zrinius, & Franciscus Christophorus Marchio Frangipanes die ultimâ Aprilis. Diluere tamen proditionis, & perfidiæ præteritæ infamiam christiana & constanti mortis acceptatione, ad quam se humili pœnitentiâ præpararunt. Cæsus iis ense carnificis jugulus, & bona fisco devoluta, quæ tamen hæredibus pietas Cæsaris, exceptis arcibus & locis munitis (ne iis ad novam defectionem uterentur) concessit. Dilatum Erasmo Comiti Tattembachio per aliquot menses supplicium, ob natam cum Brandeburgico Electore controversiam de aliquibus feudis, quæ sibi hac morte devolvenda præsumebat. Post hæc Leopoldus antiquum regni statum mutavit, suppressis Palatini, Judicis Curiæ, Banni, & aliis officiis, quorum auctoritate, & reverentiâ aut cœpta, aut promota fuerat rebellio. Repetita per totum Regnum ab hæreticis templa quæ isti Catholicis eripuerant: & quod Sectarum Administri, quos *Prædicantes* vocant, de Cæsaris dignitate, & Justitiâ obloquerentur, è regno facessere jussi sunt, Arcesque Cassoviæ, & alibi excitatæ, quibus lubrica Gens fidem suam contineret.

*christiana & constans.*

*Status regni Hungariæ mutatus.*

*Repetita ab Cæsare Carolo Duci Lotharingia.*

Directus à Cæsare Lutetiam Comes Vindisgratz, qui Regem Ludovicum eo officiis suis adduceret ut ereptam restitueret Carolo Duci Lotharingiam, maxime quod nuper solemni Epistolâ Ratisbonensibus Imperii comitiis scriptâ testatus esset se nihil sibi hac invasione arrogaturum, immo Cæsari ipsi spopondisset non ultra Hebdomadas aliquot hanc se restitutionem dilaturum. Res tamen tota inter promissa, & officia substitit, Comesque domum redire, otiosus Orator coactus est, Duce interim Coloniæ Agrippinæ protrahente vitam inter ea Principis exulis incommoda, quæ tamen ejus animum à novis molitionibus non absterrebant.

*sed frustra*

*Dissidium inter Electorem & civitatem Colonien.*

Orta inter Electorem, & Coloniensem Civitatem dissidia grande prope bellum in Germania suscitarunt, Electore Regis Ludovici arma & patrocinium, Civitate juris & libertatum suarum vindicem Cæsaris & Imperii Ordines deposcente. Rumorum Auctor Vilelmus Furstembergius, publicâ (quod rarum in Germano Principe) fide Gallis devotus, qui sibi inter has turbationes Electoratus successionem aucupabatur, inclinante præsertim Electore ad voluntatem eum sibi successorem deligendi. Ast utrumque Cæsaris operâ interceptum est; immissis enim copiis sub Marchione Granensi vetitus tunc est Elector Civitatis libertate abuti, indeque prohibitus ipse Furstembergius à consequendâ dignitate, quamvis & Electoris expresso consensu, & acrioribus molitionibus res quasi jam acta esset.

*Vilelmus Princeps Furstembergius Gallis devotus.*

*Turcæ in Poloniam ubi Kamenecium obsidens, & capiunt.*

Distractus exteris negotiis non dissuasus fuerat anno præterito Vizirus à fovendis rebellibus Cosachis; unde hoc anno reversus in Poloniam cum ingenti exercitu obsidet primum, & incuriis ad defensionem Polonis, tandem Camenetium capit die 27. Augusti; indeque Usiatinum, & obsecundante cœptis fortunâ obsidione Leopolim cinxit. Ne tot damnis affecti tandem Poloni expergiscerentur Sinonia arte Vizirus iis pacis tractatus obtrudit, non veritus tamen deposcere ut integræ Ucrainæ, Podoliæ, & Borussiæ sibi provinciæ concederentur. Quid facerent Poloni vatinianis odiis à communi salute procurandâ abstracti? Quod nefandum dictu est. Provincias pacto tributo redemere, probosaque pace tunc sunt temporis mercati, ne ulterius armis vapularent; iis prostitutis & derelictis in manibus Barbarorum quæ ipsi cæpissent, tota scilicet Podolia.

*Tributo Poloni pacem à Turcis redimunt.*

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5725. | 1672. |

*Respub. Hollandiæ pene à Ludov. Galliæ Rege deleta.*

Meditatum aliquot annis bellum in Batavos Rex Ludovicus orditur tribus exercitibus, in quibus centum viginti millia militum stipendia merebant. Urbe Trajecto, quam primam Ludovicus occupare destinarat, ob difficultatem obsidii præteritâ cis, & citra Rhenum Vesaliam, Buricum, Orsoyum, Emmericum, Recz primo insultu terret & recipit præsidiis retentis: Prima Rimberga justo conatu tutari se ausa levi negotio subigitur; inde Duisburgum Ultrajectum, Zutphania, Arnehemium, Neomagum, Gravia, & alia minoris momenti oppida, tam rapido victoriarum cursu, ut Batavi de dedendâ Regi Republicâ cogitare, & tractare cœperint, à deditione hoc uno deterriti quod immodica nimis, elatus tanto successu Rex ambiret.

*Rhenum natans trajicit Condæus cum exercitu.*

Audaci cœpto Condæus Princeps Rhenum trajicere nutantibus equis, oppositumque littus servantibus Batavorum copiis (quas repentino fundit impetu) & tentat & perficit, aperitque sibi viam ad Schenchianæ Arcis obsidionem. Hanc situ, (ut pote quæ aquis quasi undequaque circumfusa) & generis omnis munitionibus defensam solo 24. horarum spatio subigit, vulnere, quod tunc in manu excepit, probante quod tot stupenda non præter humanis auxiliis sed hominis manu efficerentur.

*Arcem Schenchianam recipit.*

*Elector Brandeburg. Gallis infensus primitus.*

Elector Brandeburgicus quod Ludovicus Rex Vesaliam ditionis suæ licèt Batavorum præsidio munitam subegisset, ei hostis efficitur, ducto Rhenum versus 25000. militum exercitu; sed intempestivo conatu acri per Turrenium vindictâ represso iterum aut amicus, aut impotens sequester esse cogitur.

*Navale prælium Angliæ littora.*

Vocati à Gallis in Belli societatem Angli cum Batavis navali certamine contendunt, Jacobo tunc Duce Eboracensi, & Comite Estreo fœderata-

ratarum Classium ex una parte Architalassis, & Adriano Ruitero idem super Hollandos munus obeunte. Acri utrimque ardore mense Majo ad Angliæ littora certatum est, & ob æquales animos, viresque pari ferme utrimque jacturâ discessum, nisi quod Angli plures è Nobilitate cæsos numerarint.

Bernardus Monasterii Vestphalorum Episcopus ob novas simultates, & non antiquata jura, quæ nomine Ecclesiæ suæ prætendebat, fit Batavis infensus, ob idque eorum hosti Ludovico fœderatus propriis copiis aliquot oppida velut primi occupantis prædam sibi attribuit, quæ paulò pòst tamen mutato fortunæ cursu deserere coactus est.

Seditioso plebis tumultu Hagæ Comitum fratres Cornelius, & Joannes De Vith trucidantur, quod auro Galliæ corrupti pessum ire omnia (ii quibus maxime publici regiminis cura incumbebat) permittere crederentur. Pari seditione aliis in locis eorum clientes, & amici sublati sunt, evecto eadem plebis conspiratione ad supremam Armorum Præfecturam Vilelmo Henrico Principe Auriaco, cujus ab avitâ dignitate depressionem enecti curaverant.

Auriacus novo Reip. decreto *Statholder* factus (sic statuus arbitrum, & summum Moderatorem vocant) Nardensem Urbem formatâ obsidione recipere aggreditur, sed illato à Luxemburgico Duce Urbi subsidio, impetitus non sine sanguine re infectâ discedit. Idem experitur apud Carloreum, quam Urbem, quod præsidio suo destitutam crederet, pariter aggressus est: sed primo obsidionis die eruptione ab obsessis incredibili animi ardore in eum factâ, turbatus, suadente etiam tempestatis rigore, quæ jam in hyemem declinabat, iterum inutilis tentamenti dolore, vel pudore affectus, cæptum inglorius deserit.

Romæ solemni execratione deliria sua ejuravit Hæresiarca Josephus Borri, qui anno præterito captus in Germania, ubi hæreses suas disseminabat, & à Cæsare traditus Pontifici, post salutares pœnitentias, & exhortationes ad sanam resipiscens mentem, tandem ut vanitates suas abjuraret adductus est. Cæsaris Leopoldi in eum pietas à Pontifice obtinuerat, ut ejus vitæ, quamvis scelerum multorum complici, parceretur; servatus ideo quod multo meliora ad corporum salutem Medicus ministraret, quam quæ ad animarum sanctitatem stolidâ Apoteosi sibi Paraclitus propinarat.

Ingenti Terræmotu Ariminensis in Æmiliâ civitas nutavit, multæque domus in eâ aut excussę aut labefactatæ sunt die Aprilis 14. sub fatiscentium domorum ruinis periere homines quasi centum, totidemque sauciati; sed occultâ infectione putidus aër multo plures corrupit, qui secutis postea ægritudinibus obiere.

In Genuensium Remp. conspiravit Raphaelinus à Turre ejusdem Nobilium unus, & vano ductus prætextu novam, quam antiquam vocabat, regiminis formam in eam inducendi. Rem contulisse cum Carolo Emmanuele Allobrogum Duce creditus est, qui tunc ob finium sæpius agitatam controversiam in Genuenses movebat. Brevi molitionum periodo Turrius fortunam suam circumscripsit; In primo enim ingressu interceptus, cum irruptionem in ditiones Reip. aliquot fautorum manu stipatus tentaret, vix sibi fugâ salutem paravit. Sed majore conatu Dux in Genuensium fines ingressus post multas inter utriusque copias concertationes, locorumque reciprocam expugnationum, tandem pacem redintegrare coactus est, jubente potius quam suadente Rege Ludovico, qui rerum arbiter à Genuensibus quæsitus absolutâ auctoritate pacis articulos, eosque utrique parti observandos sub indignationis suæ offensâ præscripsit, mancipatis dein sibi copiis, quæ utrique militaverant. *sedatum à Rege Galliæ*

Rebelles quorum multitudini parcitum in Hungariâ fuerat sola Antesignanorum nece, sub Balassio comite Urbem Kalo intercipiunt, enecto non solum Germanorum præsidio, sed Catholicis omnibus qui in Urbe reperti sunt. Quod tunc absentes Cæsaris copiæ non obsisterent, latè miscent rapinas, & incendia, freti maxime Abaffi Transylvaniæ Principis auxilio, qui Cæsari & Catholicæ religioni pariter infensus, fidei & regni ruinas toto virium annisu promovebat. Iis deditur seditioso aliquorum Civium consensu Esperesia Civitas; quibus initiis in spem adducti alias Urbes in rebellionis partem transituras, vulgatis in Cæsarem famosis libellis animos, & fidem corrumpere satagunt. Sed immissis ab inferiore, (ubi hactenus diverterant) in superiorem Hungariam copiis non solum recepta est Esperesia, & frenatæ aliæ Urbes ne in rebellium potestatem venirent, sed istis Varadinum usque Turcicæ ditionis retrusis, aliquot etiam loca Transylvano eorum fautori sunt erepta, quæ, nisi à fovendis rebellibus abstineret, spes redimendi præcludebatur. *Novi motus in Hungaria.* *Rebelles aliquot urbes capiūt.* *à Cæsareis copiis retrusi.*

Diem clausit Viennæ in Austriâ Margarita Leopoldi Cæsaris conjux, de eo bene & Imperio merita, quibus Ferdinandum Venceslaum anno 1667. pepererat, nisi sequenti immaturus obiisset. Reliquit tamen Mariam Antoniam filiam, quæ anno 168.. Maximiliano Emmanueli utriusque Bavariæ Duci & Electori nupsit. *Mors Margarita Imper.*

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5726. | 1673. |

Hispani quod proximus iis arderet Ucalegon vicinis Belgio Batavis suppetias ferunt; sed ducto Bruxellas versus à Rege Ludovico exercitu auxiliares copias revocare Montereius Comes Belgii Prorex cogitur; properante tunc ad obsidendum Trajectum Rege, quod post dies 13. strictæ obsidionis in deditionem recipit. *Hispani à favendo Batavis revocantur.*

Cæsar item Leopoldus quod vicina Ludovici Regis arma non indemnes Imperii provincias minarentur, & ipse Batavis consentit auxilia, tracto in Belli Societatem Imperio, quod in Ratisbonensibus Comitiis Regi velut alienarum ditionum invasori, & pacis impotenti jurato fœdere *Cæsar & Imperii Comitia bellum Galliæ denunciant.*

*qui subigit Civitates Imperial. Alsatiæ,*

fœdere bellum indicit. Ludovicus ideo, & quod Lotharingi, ob novam imperii declarationem sibi pristinam libertatem pollicentes tumultuarentur, eo contendit; indeque in Alsatiam, ubi Colmarium Scelestadium, & reliquas urbes (quæ vulgo nomine Imperialium audiunt) subigit, occupatâ interim per Marchionem Rupefortium Trevirensi Civitate, & immisso in Franconiam Turrenio, qui adventantem Cæsaris exercitum aut debellaret, aut moraretur. Sed Comes Montecuculus Cæsarianorum Dux ad Herbipolim Gallos aut fractos, aut elusos primo citra Rhenum regredi coegit; hinc Proceribus Imperii qui eis faverant ad Cæsaris partes reductis Principi Auriaco unitus Bonnam Coloniensis Præsulis arcem primariam expugnavit, & reliquam ejusdem Electoris ditionem recepit.

*& Trevirim.*

*sed citra Rhenum retruduntur.*

*Cæsarei Batavis un i ditionem Coloniensem recipiunt.*

Afœderatis Gallis, & Anglis ne dum territi Batavi classem per ostia Tamesis in Anglos immittunt, ubi quædam littoribus vicina diripuere. Ast Britones sub Roberto Principe Palatino in mare egressi, & Gallis uniti, bis & ter cum Architalasso Ruitero confligunt, pari ubique ardore, & damno, post quæ Rex Carolus suorum jussu plusquam consilio Batavis reconciliatur.

*Navalis pugna triplex, & Pax Anglorum cum Batavis.*

Ludovicus à fœderatis suis destitutus omnia quæ Batavis oppida eripuerat retentis solis Trajecto, & Gravia deserit, retractis non sine periculo præsidiis, quæ tamen ex Urbibus bellicas omnes munitiones, & ingentem pecuniarum vim titulo redimendi excidii emunxere. Apparatus quoque navalis intermissus est minuendi causa dispendii, littoribus fidei, & custodiæ populorum creditis.

*Rex Batavis 32 oppida restituit.*

Hispani in Cathalaunia non infelici Marte adversus Gallos repugnarunt, deductis eo veteranis copiis quæ in Lusitania iis militarant; unde à Rege Ludovico eo pariter immissus est Sciombergius, qui & ipse Lusitanis militans pari singularis gloriæ famâ arma tractaverat.

*Mars Hispan favet in Cathalaunia.*

Pacis Coloniæ Agrippinæ tractari cœptæ spes evanuit raptu Vilelmi Principis Furstembergii. Is Ludovico Gallorum Regi plus æquo devotus, qui contribulibus Germanis favere debuerat, eos à Cæsare avertere satagebat. Coloniensi Episcopo (cujus rerum erat Administer) pridem Auctor ut ditionis suæ oppida Regi Ludovico parandis in Batavos munitionibus concederet, tunc Coloniæ Principum Ministris, qui ad pacem conciliandam convenerant, suasor ne bello adversus Gallos cœpto faverent. Unde eum & ingens pecuniæ pondus, quam postea ut suam Rex repetiit, efferri per armatos milites Cæsar imperavit.

*Raptus Principis Furstembergii.*

Quod in Hungariæ regno summus Teuthonicorum Equitum Magister Joannes Gaspar Ampringhensis (quem Cæsar Proregem, & rerum administrum anno præterito constituerat) duriusculè in hæreticos animadverteret, & severiori cilio regeret populos, succlamantibus istis Cæsar cœptum tenorem suspendit abdicato proregi magistratu; unde rebelles qui anno elapso male habiti hoc mutire altius non audebant de pace cum Cæsare conciliandâ per Comitem Bargozium agere cœperunt; quamvis od optatum exitum ob novas turbationes res nequiverit adduci.

*Prorex Hungariæ ob severitatem abdicatur magistratu.*

Insolito humanitatis officio legatum ad Summum Pontificem destinavit magnus Moschorum Dux grandia pollicitus in rei Christianæ favorem contra Turcas, maxime se promptum offerens Polonis Belli socium in eosdem repugnantibus. Sed quod Cæsaris titulum Duci suo à Pontifice dari præsumeret, irritus, & irritatus Legatus Româ re infectâ discessit.

*Legatus Ducis Moschov. ad Pontif.*

Eandem armorum unionem Polonis ipsis Moschus per singularem Legatum obtulerat, quæ intempestivo contemptu fuerat à regni Ordinibus rejecta. Sed Turcis pactum tributum poscentibus, & propter gentis verecundiam id negantibus Polonis, iterum ad arma deventum est Rege Michaele se copiis Ducem præstante, & pacis novæ spernente pacta, quæ hostis offerebat. Inde eductus est exercitus, & Joannes Sobieski Summus Regni Mareschallus jam cum aliquibus copiis ad recipienda aliquot loca præcesserat; cum Rex Michael fatis cedere coactus est: quo tamen nihil cœpta remorante, & tractis in Polonorum Societatem Valachiæ, & Moldaviæ Principibus, clade ingenti & quatuordecim millium strage Turcæ prope Coctzinum attriti sunt, reliquo exercitu ad Tyræ fluvii (vulgo Neister) transitum novâ internecione deleto, ubi partim mersi, partim confossi quinquies mille alii perierunt. Recepta Coctzinienfis Civitas, & Camenecium obsessum, sed quod jam immitis tempestas, & proxima de Regno constituendo, eligendoque Rege Comitia aliò animos avocabant re infectâ discessum est.

*Poloni Moschor. auxilium respuunt.*

*Regis Michaelis obitus.*

*Insignis Turcarum clades ad Coctzinum.*

Jacobus Dux Eboracensis Caroli Britannorum Regis frater non incertâ etsi non publicâ Religione Catholicus Mariam Eleonoram Alphonsi IV. Mutinæ Ducis filiam in uxorem recipit; res tamen irarum plena Regni Ordines in *Parlamento*, ut vocant, congregatos adduxit, ut importunis officiis Regem adigerent ad revocandam eam, quæ Catholicis concessa pridem fuerat, libertas fidem suam profitendi, immo exilio, & Officiorum jacturâ mulctandi eos qui alienam ab Anglicâ religionem sectarentur, quo factum ut multi præcipuæ etiam Nobilitatis viri ex Angliâ discesserint.

*Jacob. Eboracensis Dux Eu... nora Estensi nubit.*

*Catholici ab Anglia eliminan...*

Conjuratum est in Lusitania in Regem, regiæque administrationis formam ab aliquot Proceribus, qui moliminum suorum insolentiam morte anno proxime sequenti luerunt. Interea Rex, ceu Regni Moderator (à Regis enim nomine, quamdiu Alphonsus frater supervixit abstinuit semper) convocatis Regni Ordinibus adversus seditiosos popoſcit auxilia, quæ ei etiam concessa sunt, obtinuitque ut filia, quam unicam tunc temporis habebat pro legitima Regni hærede ab iis agnosceretur.

*Conjuratio in Principem Lusitaniæ regni administrum.*

Ad secundas nuptias transiit Leopoldus Cæsar cum Claudiâ Fœlicitate Ferdinandi Caroli Archi-

*Nuptiæ Cæsaris cũ Claud. Fœlicitate Oenipontana.*

Archiducis Oenipontani filia, cum qua tamen vano fœlicitatis omine breve, & sterile matrimonium duxit.

Nedum Messanenses à præteritis seditionibus quieti vivebant, tumultuante semper repetitis, etsi minus apertis molitionibus Senatu in regios Ministros, quin immo Drepanenses hoc anno novam rebellionem orditi sunt, eo discrimine quod Messanæ Nobiles, Drepani Populares in regis auctoritatem insurrexerunt. Immissus in eos à Prorege Lignio triremium Sicularum Præfectus Bajonensis Marchio cum copiis aliquot, quarum terrore adducti Drepanenses Hieronymum Fardellam Seditionis Auctorem in ejus manus tradiderunt, qui eum morte mulctavit, damnatis ad triremes viginti aliis, qui præcipui inter cœptæ rebellionis complices numerabantur.

Excitari in mari Ligustico vapores cœperunt, qui in nebulas primum mutati, inde conversi in fulmina Urbi Genuensi excidium attulere. Navis Hollandica ex ejus portu egressa non longe inde Gallicam prædata est, vigente inter Regem Ludovicum, & Batavos bello, quod his offensionibus locum præbebat. Questus est Ludovicus navim hostilem arma, & munimenta bellica Genuæ providisse sibi, quæ Respub. divertere potuisset, maxime in Regis subditos destinata; unde & triremis una ejusdem Reip. à decem Galliarum triremibus capta Massiliam abducta est. Dum de pace concilianda per Oratorem Genuensem apud Regem Ludovicum agitur, novo accidit casu ut aliæ triremes Gallicæ circa Genuam velificantes, navem unam Anglicam prope urbis propugnacula in anchoris stantem offenderent, quam dum hostili licentiâ subigere satagunt, explosa à vicino propugnaculo tormenta bellica jus azili in gratiam obsessæ navis tuentur, & triremes Gallicas se subducere cogunt. Istæ abscedentes navigia aliquot Genuensium in vetitæ prædæ vindictam secum rapiunt; sed nec sic Regis iræ satisfactum, qui novâ indignatione fervens Reip. extrema omnia minabatur, nisi destinatata aliquot Nobilium legatione pro pace, & veniâ exorandâ tandem Rex precibus, & obsequiis Reip. maximeque Caroli Britanniæ Regis interventu placatus defervesceret, ingruentibus aliunde bellis, quæ arma distrahi non suadebant.

MUNDI 5727. — CHRISTI. 1674.

Ludovicus Galliarum Rex conventis secreto fœdere Helvetiis ne suppetias ferrent, & immisso in Cæsarianos Turrenio, qui eos item à succurrendo provinciæ distineret Comitatum Burgundiæ mense Majo invadit, & brevi Hebdomadarum cursu ejus pauca oppida, quorum muri necdum integre è pristinis ruinis emerserant, vi & metu subigit.

Turrenius Cæsarianis obvius ad S. Sequanum in Palatinatu cum eis æqua pugnâ decertat: Sed eos prope Francofurtum aliquanto durius habet; unde tota Electoris Palatini ditio misere prædis Gallorum militum diripitur, recipientibus se in silvas incolis cum uxoribus, & liberis unde vicissim in Gallos sæviunt. Ob eam regionis vastationem, eò quod indignam Nobili Duce crederet Carolus Elector Palatinus, misit ad Turrenium, qui eum ad singulare, inter utrumque, certamen provocaret, sed Turrenius detrectato duello victorum privilegio uti perrexit.

*Palatinatus diripitur. Elector ad singulare certamen Turrennium provocat.*

Die 20. Maji Polonorum Comitia Joannem Casimirum Sobieski Coctzinienſi victoriâ illustrem, & tunc summum Regni Mareschallum Regem salutant, elato sub finem anni præteriti Rege Michaele qui vix duobus annis regnarat.

*Io. Casim. Sobieski Rex Pol.*

Continuo arrisit Hispanis successu bellum in Catalauniâ, ubi nedum Sciombergius cunctando restituit rem, quin & ipse prælio victus amisit exercitum, bis mille aut cæsis, aut in potestatem hostium adductis, reliquis fugatis. Victoriæ prætium cessit Hispanis Belgardia non ignobilis Civitas, obsidione coacta ad priores dominos redire; omniaque pro Gallis conclamata, ni ob novam Messanensium defectionem copias abduci alio necesse fuisset.

*Sciombergius in Catalaunia victus.*

In apertam tandem secessionem ab Hispanici Regis fide ruit post iteratos, alibique descriptos, tumultus Messanensium Civitas, explicatisque rebellionis vexillis se extero Principi dedidit. Laborare intestinis dissidiis pergebant Nobiles, & Plebei, isti regiis Ministris illi faventes Senatus auctoritati quam violentis præsumptionibus plus æquo imminutam jactabant. Accidit ut quodam die quem à sacrâ Epistolâ dictum festivis pompis celebrabant pictura publice exposita cerneretur, in eaque ad Regis Catholici pedes duo simulacra cum hac epigraphe: *Cadit Falsitas, Surgit Veritas*, Quod hac falsitate sugillari crederent aliqui Armorum Præfectum velut detritis machinationibus oppressum jacentem, obmurmurare primo cœperunt, dein insultare ei qui picturam exposuerat, minati domui excidium, nisi ea festine occuleretur. Adversam tamen offendere aliorum multitudinem, quâ ut rei bene actæ gratulantes minas minis retuderunt: brevi partium studiis dissidio ad civilis internecionis periculū adducendo, nisi auctoritate Senatus animi tunc sedarentur. His auditis Prorex Bajonensis Marchio qui tum Panormi morabatur, ad sensum priorum qui murmuraverant interpretatus picturam, expositorum ejus tradi jubet in carcerem, quò cum ab Armorum Præfecto insigni strepitu raperetur, tota Civitas gravi ob id indignatione succensa pro libertate captivi orare primum Armorum Præfectum, dein quod gratiam negaret vim adhibere statuit. Præfectus quo se contra seditiosos tueretur armis, & militibus repleri Palatiū suum imperat, eoque vocari Senatum, quem quasi Seditionis auctorem durioribus verbis objurgatum dimittit: sed famâ prius per Urbem dilatatâ Senatum in Palatio à Præfecto vocatum, mactandum iri, cæco impetu seditiosi in illud convolare cœperunt, jamque vim inferre meditantur, cum ejus timore Præfectus novas copias ex

*Messanensium secessio à fide Regis Cathol.*

*qua occasione.*

*Armorum Præfectus obsidetur in Palat.*

Arcibus eductas ad se vocat, omnisque generis etiam tormentorum æneorum apparatu se suosque in palatium receptos munire satagit. Senatores quasi ex hoc sibi & urbi metuerent exitium, jubent æris campani sonitu populum ad arma excitari, ipsique per urbem equitantes, idem hinc precibus, hinc jussionibus urgent; post quæ ad palatii obsidionem accincti versus illud progredientes militares Præfecti copias offendunt, cum quibus congredientes è suis aliquos occisos amittunt, sed longe plures è regiis militibus trucidant. Palatii obsidione cœptâ in seditiosos tormenta bellica ex Arcibus vulgo *Castelli*, detonuere, sed levi damno accurrentibus interim in Urbem è vicino agro Rusticis, quorum operâ urbis propugnacula, & muros Senatus occupari fecit, eaque festinatione omni parati, quibus ne regiis obsessis auxilia aliunde adventarent provideretur.

*Prorex urbem cogere meditatur.* Interea Prorex Bajonensis Marchio in urbem se conferre parat, armisque & vi agere ut illa ad prima obsequia, & fidem vel invita cogeretur. Ad eum legationem præmittunt Messanenses pacem exoratum; sed Legatis male à Marchione acceptis, iterum seditiosi tanto furoris æstro feruntur ut obvios quosque (qui à regiis partibus stare crederentur) per urbem trucident in desperatæ pacis vindictam, publicis, & circumquaque missis scripturis obtestati se ad ultima adactos pro communi salute tuendâ ea præstare quæ ineluctabili necessitate opportuna visa sint. *qui arcetur à portu subeundo.* Hinc advenientem cum Navibus Proregem à portu tormentorum explosione arcent, coguntque se subducere, misso interim Romam versus, qui Oratori Gallico Civitatis mentem exponat in eo sitam ut se Regi Ludovico dedere parata sit, dummodo ab eo deprecetur auxilia quibus hanc deditionem tueantur.

*Pugna atrox in Belgio.* Acerrimo in Hannonia ad Oppidum Senef marte pugnatum est inter fœderatos exercitus ex una, & Gallos ex alia parte, & quasi internecinâ strage odio vatiniano furentes se mutuo confecerunt. E Gallis queis Condæus Princeps imperabat, multa hominum millia desiderata, inter quos præcipuæ Nobilitatis Viri. Non minori forsan fœderatorum damno, queis una gloria superfuit, quod post 17. horas conflictus ultimi ex acie recesserunt.

*Turrenius ad Argentoratum à Cæsareis fractus.* Cæsarei Argentoratum versus progredientes, ut per urbis pontem ulterius in Alsatiam, & Lotharingiam penetrarent, eo Turrenium advocarunt qui viam eis præcludere toto vitium annisu laboravit. Officiis minisque egit Turrenius ut suorum custodiæ crederetur Pons, sed à Cæsareis præventus urbem Imperio addictam in se tormentis bellicis sævientem expertus est; unde etiam longius discedere nullâ interpositâ morâ festinavit. *qui male utuntur victoria.* Paucis tamen milliaribus inde interceptus iniquo marte cum eisdem Cæsarianis pugnavit, desideratis suorum millibus quatuor, & omnibus exercitus sui impedimentis amissis, quamvis non incruenta Germanis victoria steterit, qui mille ducentos ex suis in eodem prælio cœsos desiderarunt. Aucto iterum novis copiis Cæsareo exercitu, quas Brandeburgicus Elector adduxit, ad Cæsaris fidem reductæ quasi omnes Alsatiæ Civitates, quas Galli ad se traxerant; sed dum ad Brisaci obsidionem accingunt se Cæsarei, qui fractos, & fugientes Gallos insequi debuerant, istis novas vires resumendi spatium concedunt; unde redintegrato, & aucto exercitu ex copiis, quæ summa celeritate ad eum è Belgio convolarunt. Turrenius denuo in Alsatiam reversus, & urbes distractas recepit, & Cæsareum vicissim exercitum se se ultra Rhenum recipere coegit. *Turrenius auctus copiis eos retrudit trans Rhenum.*

Dum acies sese paulo ante Argentinensem pugnam observarent, audito quod per Lotharingiam quingenti Nobiles extremo delectu in Provinciâ Andegavensi recensiti (vulgò *Arrieteban*) regis jussu ad Turrenii Castra celerarent, eos Dux Lotharingiæ Carolus, qui exauctoratus tamen, & ditione privatus propriis tamen copiis in Exercitu Cæsareo militabat, immissis per invia montium aliquot equitum suorum cohortibus ita eos incautos oppressit ut fere omnes enecti, reliqui 150. armorum jure captivi manserint, directo à Victoribus omni impedimento quod ut Nobiles ingenti pretiosæ suppellectilis & pecuniarum cumulo secum vehebant. *Quingenti Nobiles Lotharingia deleti.*

Singulare per id temporis perfidiosæ proditionis periculum tentavit in Gallia Eques Rohanius, ob majores familiæ suæ, qui olim Armoricæ imperaverant, Principis titulo gaudens. Hic ligurito quod non leve erat patrimonio inter lascivientis vitæ dispendia de prodendo Hostibus Normanniæ Oppido, quo in Galliam irreperent, tractavit: sed re detectâ captus & capitali supplicio die 28. Novembr. affectus est; pari pœnâ mulctatis aliis quibusdam qui proditionis complices fuerant. Nequitiæ maximæ, maximam Deus prærogavit misericordiam, dum is qui pietatis hactenus & ipsum nomen ignorasse videbatur, tantâ delictorum contritione mortem excepit, ut non veteranus peccator, sed religiosissimus (qualis ad martyrium se diuturna devotione parasset) Athleta visus est. *Proditio Equitis Rohanii.*

Die 28. Octob. post protractam ad tres menses obsidionem sese Graviensis Civitas Principi Auriaco dedidit, illustri animosæ fidelitatis exemplo, quo extrema omnia non virili solum sed pene furiosa constantia Urbis Gubernator Comes Chamillius sustinuit; in eâ quippe urbe urbium fere omnium quas Rex Ludovicus Batavis renunciare coactus fuerat, spolia asservabantur; unde obstinata obsidentium, & obsessorum in impugnando, seu repugnando constantia. *Gravia deditio Auriaco Principi.*

Rex Sveciæ Carolus, ut Gallis gratificaretur Bellum Electori Brandeburgico, & Cæsari ei fœderato indicit, sed eodem fere tempore Christianus Daniæ Rex in Cæsaris partes transiens novi hostis periculum novi fœderati accessu compensavit. *Rex Svecia movet in Elect. Brand. & Rex Dania Cas. fœderatur.*

Primo conflixit prælio novus Rebellium Hungarorum Dux Emmericus Tekelius (famoso posthac nomine ob pertinacem animi perfidiam Orbi prodendus,) qui nedum inter iteratas infidelium clades, regnumque integrum armis Cæsareis domitum, eisque præceptum, ad reddendam *Emericus Tekelius novus Rebell. Dux.*

dam legitimo Principi fidem respicere potuit) Irrito qui cœptus fuerat tractatu, & quo Bargozius Comes eos Cæsari reconciliare nitebatur, ad liberam hæresis professionem obtinendam, pro quâ se arma sumpsisse jactabant, Oratorem à Sultano impetrarunt, qui Cæsaris animam ad hanc pudendam gratiam inflecteret: sed annitente Cæsare religionem Catholicam sartam conservari in suis ditionibus Rebelles ad insitas adacti pugnare coguntur, victique abscedunt; vulnerato in fronte Tekelio, ut sic præfracta ejus cervix erubuisse didicisset.

Batavorum Classis Architalassus Cornelius Tromp post explorata labore inutili Normandiæ, & Armoricæ littora Insulam, huic adjacentem invadit, & inutili operâ ab obsessâ arce inglorius discedit. Eodem successu tentat Adrianus Ruiterus aliâ Classe Insulam Martinicam in Americâ, ignobili uterque moliminis famâ, quod pluribus provinciis exitiale minati fuerant.

Comes Succhius Gente Gallus, sed Cæsari inter supremos exercitus Præfectus merens, & Lubcovitzius Princeps eidem Cæsari à Secretis, & rerum gerendarum primarius Administer, ambo suspectâ fide laborantes ab officiis remoti sunt; primo Viennam evocato ut objecta dilueret, secundo aulâ extruso, & in patriam Bohemiam relegato sub custodiâ.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5728. | 1675. |

Hic annus plenariæ remissionis Jubilæo Sacer Romam versus ex omnibus provinciis ingentem peregrinorum concursum excivit, nihil remorante bello quod cismontanas provincias divexabat, quin etiam aliqui Principes è Germania Deo hac peregrinatione litandi causa eo se conferrent. Res solitâ ceremoniarum pompâ in primariis templis peracta est, eo majori populorum attentione, & reverentia quod hæc sacra peragi non nisi recurrente anno vigesimo quinto soleant.

Inter præcipuas sacri ritus pompas immensis prope expensis parata illa est, quam Sanctorum fastis à Clemente Pontifice adscripti sunt 19. Martyres Gorcomienses è variis Cleri tum regularis tum secularis ordinibus. In iis enim templis, in quibus celebrata est, suadente id incredibili populorum concursu, quorum pietati & admirationi satisfactum quærebatur, omnimodæ religionis exempla edita sunt, seu magnificentissimo altarium apparatu, seu devotissima supplicationum serie, seu musicæ accentibus arte omni exquisitis, seu denique repetitâ concionum varietate, in quibus eruditissimis panegyribus Divorum laudes efferebantur.

Parisios relictâ Etruria remigrare voluit Margarita Aloysia Aurelianensis Cosmo III. Magno Duci conjux, nullis aut suasionibus, aut precibus remorata quin meditatum regressum exequeretur. Gentis Italicæ indoles liberiori Gallorum ingenio adversa, eo Principem fœminam adduxit in Aulâ Gallicâ educatam, ut invisam austeritatem excuteret, genialeque gentilium suorum contubernium etiam acquisito Imperio præferre facilis, & prompta inveniretur.

Immaturâ, & deploratâ morte decessit Augustæ Taurinorum die 12. Junii Carolus Immanuel Allobrogum, & Subalpinorum Dux in ipso vividæ ætatis flore: Princeps Virtutum omnium quæ Reges decent, maximeque morum Comitatis cultu ornatissimus, suisque pariter & exteris ob id in summo existimationis, & affectus pretio habitus. Victorium Amedæum filium annis imparem ut Status regeret, sub curâ matris reliquit cui pacem, & subditorum liberale regimen enixissime commendavit, hac singulari fœlicitate communem moriendi necessitatem beans, quod à primis levis ægritudinis assultu obitum sibi quasi divino perculsus æstro prædixit, eumque forti & religioso animo excepit. *Obitus Caroli Emmanuelis Ducis Sabaudiæ.* Regnum pacis artibus maxime commendavit, dilatato Augustæ suæ Taurinorum ambitu, immo grandi, & eleganti civitate extructâ in qua vetus renovaretur. *pacis artibus commendatissimi.* Academiam item condidit in quâ ceu equos regere, ceu ea omnia addiscere quæ ingenuos decent promptum Nobilibus esset; variaque tum ad Aulæ splendorem, & voluptatem, tum ad variarum Urbium securitatem extrui curavit, eo dispendio ut ingentis patrimonii Regem, & venustate, & arte, ut scientissimum se exhiberet.

Transactis reliquis anni præteriti mensibus in variis ceu pacis rejectæ oblationibus, ceu conatibus mutuis ea loca occupandi quæ Messanensibus suppetias invehi, aut faciles, aut difficiles efficerent, Civitas in summâ annonæ penuriâ victitabat, etsi jam de Gallicis auxiliis securior facta per Comitem Valbellensem cum die 3. Januarii visus est portum appellere Valavoriensis Marchio sex armatis navibus instructus, & onerariis tribus, cum omnimodi commeatus copiâ, nullo obice impeditus excendere à classis Hispanicæ Præfectis qui cum 22. navibus, triremibus 19. aliisque navigiis circa Messanam velificantes Imperio inter se intempestivâ ambitione contendebant. *Messanam appellit cum commeatu Valavoriensis Marchio.* Fugavit hic Marchionis adventus multos ex omni Civium ordine etiam præcipue Nobilitatis, qui cum rebellionis notam execrarentur sese ex Urbe proripientes aliò commigrarunt. Urbis capta Regis Ludovici nomine possessio, & consignata auxiliaribus Gallis ea omnia seu arces, seu munitiones quæ ad Urbem tutandam conferrent: Sed cum processu temporis invecti commeatus jam deficere cepissent, opportuno adventu inediâ jam denuo afflictos exhilaravit Ducis Vivonii adventus, qui Prorex Messanensium à Rege Ludovico dictus audaci cœpto classem Hispanicam sibi viam præcludere tentantem paucis ab Urbe milliaribus, licet viribus impar, disjecit, & incolumis die Apr. 12. cum onerariis octo, & armatis navibus novem portum penetravit. *Item Dux Vivontius cum Proregis nomine.*

Fatis Venetiis concessit Dominicus Contarenus

*Obitus Contar. Ducis Venetiarum cui successit Nicolaus Sagredo.*

nus Reip. Princeps, Vir antiquæ frugis, & exempli ad severos mores compositi, eique successit in Principatu Nicolaus Sagredo D. Marci Procurator, non tam legationibus quas Madriti, Viennæ, & Romæ obierant insignis, quam ob morum comitatem omnibus acceptus, quos liberali affectu, & regiæ pompæ ostentatione ultra severum gentis genium demerebat. Utrumque maximâ & publici, & privati ejus nominis gloriâ enituit; dum Urbes Reip. subjectæ novo Principi obsequia, & gratulationes delaturæ Oratores suos in Urbem destinarunt, ea magnificentiâ à Duce exceptos, ut pene triumphantis Romæ, Regumque Populo Romano amicorum ingressus imago videretur.

*Legation. Urbiũ subjectarum salutatus.*

*Auranis frustra à Barbaris obsessum.*

A paucis militibus Hispanis egregie defensa est contra ingentem Barbarorum multitudinem Arx Auranensis in littore Affricano, quam hactenus cum quibusdam aliis non levi dispendio servarunt Reges Hispanici, ut aliquis Barbaris metus è vicino hoste maneat, eos ab audendo in adversas Hispanias remoratus. In eadem Libia Mulejus Achmetus Ismaelis Fezzæ, & Marochii Tyranni (regnum enim usurparat) Nepos Avunculum è regno extrusit cæso ejus exercitu; ulciscente Deo Impiorum crimina pejorum armis, qui humanâ felicitate in cœli contemptum abutuntur. Ingenti item clade Turci Arabes rebelles prope Hierosolymam in Palestinam conterunt; reliquos tamen è profligato exercitu ita in Monte Carmelo munivit locorum asperitas, ut hoc vulnere exanimari rebellio nequiverit.

*Mulejus Fezzæ Tyrannum solio excludit.*

*Turci rebelles Arabes profligant.*

*Rex Lud. varias urbes in Belgio subigit.*

Festinâ profectione Rex Ludovicus delatus in Belgium ibi antequam Fœderati de armis sumendis cogitarent, præviis incendiis ruris aperti, quibus hominum 25000. se in sylvas recipere coacti sunt, sui juris fecit ceu terrore, ceu obsidionibus Urbes Dionantum, Hujonum, Limburgum, Thænas, & Phanum S. Trudonis, inde in Galliam revertitur: Celebri militaribus Archistrategis exemplo victoriæ sollicitudinem, frustraque eos fortunæ favores præstolari quos piger in stadio cursus remoratur.

*Arx Leodiensis à Gallis intercepta.*

Arci Leodiensi aureo cuniculo illabitur Comes Estradius, eamque Gallici juris facit; vixque non intercipitur in ea Urbe Cardinalis Badensis, qui eo venerat ut illam leviori rationum, & precum pondere ad Cæsaris partes inclinaret.

*Mors Turenii.*

Dum propter Rhenum hostili se exercitus Cæsareus, & Gallicus cursu, & recursu exagitant, Tureniusque locum captat quo castra tueatur adversus Montecuculum, qui eum cis Rhenum repellere satagebat, ignito majoris tormenti globo percussus vitam improvisâ clade amittit; hoc uno inglorius quod levi industriâ hostis eum peremerit; ipse in minori officio obeundo clatus, qui tot pugnas & pericula imperterrito semper animo lustrasset.

*Tumultus in Gallia repressi.*

Periculosis ab extero bello seditionibus Rex Ludovicus revocatur, dum Britanni, eorumque exemplo Occitani ob graviora solitis tributa tumultuantur. Eâ tamen qua semper propitia forte utebatur Rex, seditiosos Antesignanis carentes severâ repressit vindictâ, docuitque subditos, queis absolutâ auctoritate Princeps imperat, dum ei ingenium, & vires suppetunt, ad omnimodam servitutem natos esse.

*Poloni in Turcas vario marte confligunt.*

Vario marte, Poloni, Turcis, Tartaris, & Cosacis repugnarunt mutuis se certaminibus & locorum obsidionibus atterentes. Dorosenchius Rebellium Dux dum Regi Polono fictæ pacis tractatus obtrudit, ab eodem cæditur cum trium millium militum strage, & Pauloci æ Urbis jactura, Tartaris etiam pari clade affectis circa Braslaviam; ubi incauti quiescebant decem captivorum Christianorum millia abducentes, qui omnes in primam libertatem asserti juverunt, ut tria equorum millia Tartaris ipsis fugientibus eriperentur. Aliunde Tartari Sboroviam vi capiunt, excisâ urbe & civibus omnibus abductis, quod & ipsum Turcæ Turonopoli præstitere: sed dum Leopolim versus contendunt à Rege ita funduntur, & cæduntur, ut per plura millia regio occisorum cadaveribus cooperta visa sit.

*Ingenti clade afficiunt ad Leopolim.*

*Brandeb. fusis Suecis varias urbes eripit.*

Rex Sveciæ Carolus indictum bellum prosecuturus ditiones Brandeburgicas invadere cœperat; sed eo perveniens cum veteranis suis, & Cæsaris copiis Elector novos Svecorum delectus ita fudit, ut sex millia eorum in primo prælio cæderet, quam cladem iis postea bis, & ter refricuit; indeque ad obsidionem progressus Ratznavium, Volgtadium, necnon & Insulas Voliniam, & Usedonensem capit, sola Stetini deditione frustratus, quam Urbem cum impotentibus ad vim inferendam armis, proditione tentasset, re detectâ terribili exemplo proditores vivos cremari jussit Gubernator. Ducatus Verdensis, & Bremensis una exceptâ Stadia urbe. Principibus Brunsuicanis, & Monasteriensi Episcopo cesserunt, quo tempore Rex Daniæ Christianus Classe Svecorum deletâ in Visinariensi portu onerarias omnes, & navigia quæ inibi erant, incendio destruxit positâ urbi obsidione, quæ quod situ, & munimentis egregiè esset defensa tandem præsidiariorum fame ad deditionem coacta est.

*Bremensis Duc. Suecis ereptus quorum classis confunditur à Rege Daniæ. Visinaria à Danis capitur.*

*Novi commeatus Messanam invecti.*

Die Julii 25. Messanam novi generis omnis commeatus è Gallia illati sunt, classe grandioribus octo navibus ad bellum armatis, & navigiis 24. constante cui Almerasius Eques præerat. Urbs octoginta hominum millibus referta auxiliares Gallos eo adigebat, ut continuo commeatu eam foverent, quod vix extra muros quid retineret quod ferendo paucorum victui sufficeret. Unde cum hæc subsidia cariori pretio obsessis venirent, & Galli gentis suæ genio in contubernio mulierum familiari liberius indulgerent, brevi in eos Populus famis & libertatis sibi vetitæ impatiens obmurmurare primum, hinc etiam insidias, & proditiones moliri cœpit, quibus ad pristinam Hispanorum fidem eliminatis novis auxiliaribus sese restitueret.

*Insidiæ Gallis structa à conjuratis Messan.*

*Vivonius Catanam & alias urbes Siculas sibi substernit.*

Hæc inediæ impatientia, animorumque in gentem suam aversio, Vivonium Ducem impulit, ut de dilatando districtus, cæterisque Regni Siculi

Siculi Urbibus subigendis concilium iniret; unde die 16. Augusti 26. grandioribus navibus, 14. triremibus, & aliis navigiis instructus portu solvens se videndum Cataneæ, Siracusis, & Panormo obtulit, multa pollicitus & minatus, ut Urbes ad partes suas traduceret. Sed pravià famâ edoctæ quot in angustiis Messanenses vi-ctitarent, velut deridiculæ ejus oblationes rejectæ, & tormentorum explosione minæ retusæ sunt, unde re infectâ Dux cum classe Messanam rediit.

Favit tamen Gallorum votis paucorum proditio ut Augusta in eorum manus deveniret, occiso Arcis Præfecto per quam in urbem admissi sunt: sed cum plebem ad transtra vi rapuisset Vivonius, nec civibus parcens, eos invitos militibus suis (quorum bene multi lue venerea interibant) accenseret, odio in Gentem conciliato, hostis plusquam amicus eis imperavit.

Alternis victoriis, & damnis contendere Hispani cum Gallis in Catalonia, ubi Sciombergium à Gerunda quam obsidebat non incruento prælio dispulerunt, recuperaruntque Figuerias; ab eo vicissim Urbe Belgardiensi expulsi, quam auctus novis copiis Sciomberghius obsedit, & cœpit.

Occiso Turrenio festinus Rex Ludovicus exercitui suo (qui in Germaniâ merebat) alium Ducem præficere, qui res nutantes auctoritate, & imperio contineret, eo Condæum Principem destinavit, qui cum delusis hostibus tutus è Belgio in Alsatiam (quo Galli post mortem Turenii se recipere coacti fuerant) pervenisset, Cæsareos Dux Lotharingiæ Carolus ad Trevirensis urbis obsidionem duxit, in quam cum Marescallus Chrichius suppetias inferre, etiam perruptis obsidentium Castris, tentasset insigni clade affectus est, & in eadem Trevirensis Civitate, quo exercitu amisso solis tribus asseclis comitatus aufugerat, captus est. Hanc victoriam quæ res Cæsaris reparare potuerat, extrusis Imperio Gallis, corrupit Carolus Dux summus exercituum Præfectus, qui passus se numeratâ pecunia seduci ne Galliam invaderet, armis per turpe otium abusus est. Mortuus paucis abhinc hebdomadibus Alembachii vili prope Confluentiam pagello, ubi se Treviri captâ quasi jocosus detinebat. Obiit 75. annos natus Princeps per omnia vitæ fœlicis, & infœlicis momenta exercitus, ingenio suo irrequieto traductus ne pacatus viveret, virium imbecillitate eo adactus, ut hostis potentiam ferre, seseque tueri non posset.

Extincta itidem in Gallia ejusdem Lotharingicæ Stirpis Linea Guisia obitu Francisci Josephi Ducis Guisii, qui familiæ illius ultimus vixit, quæ superiori sæculo Catholicorum in hæreticos Antesignana ob exorta inde bella inter utrosque Regibus ipsis suspicioni affectati imperii, dein acerrimo odio fuit.

Anni dies ultimos clausit funesta Maris eluvies insolitâ fluctuum agitatione tumescentis, quæ in sinu Baltico classem 36. onerariarum Batavicarum absorpsit, inque Gedanensi portu alias undecim naves mutua allisione contrivit. Neque hic ruinarum finis; ruptis etenim aggeribus Oceanus Hollandiam invadens latum regionis tractum, in quo pagi quadraginta cum omnibus hominibus, & jumentis oppressit, furente interim per adjacentem provinciam ventorum procellâ, quæ arbores, domosque ingenti populorum tremore revulsit.

*Maris eluvie 40. pagi oppressi in Holl.*

MUNDI 5729. — CHRISTI. 1676.

Cœptus hic annus in mari Siculo navali pugna, quæ 8. Januarii commissa est inter classem Gallicam, & Hollandicam, Vivonio ductante primam, quæ frumentorum copia onerata erat, & Architalasso secundæ Ruitero, qui ab Hispanis conductus in eorum auxilium, & ut à Messanensibus Commeatus averteret, huc fuerat progressus. Polliciti & ipsi Hispani fuerant se vigintiquinque Batavicis navibus parem suarum numerum addere, ut communi concertatione advenientia Gallorum subsidia diverterent: sed ea, quâ hactenus laborare visi sunt, rerum suarum incuria effecit, ut unam tantum navim, & triremes aliquot educere potuerint; unde factum est, ut cum superiores viribus (quod facile poterant) non fuissent, pari damno sit utrimque discessum, Gallis nihilominus portum, & urbem Messanensem subeuntibus, ubi quam ardentissimis votis ob extremam inediam expectabantur.

*Pugna inter classes Gall. & Holland.*

*pari utrimque damno.*

Non distinuit hostiles exercitus hyberna tempestas, quin variis sese aggressionibus in Germania, & Belgio exagitarent. Bello jam tunc cœpto geri, non æquali virium concertatione, sed vatiniano furore, omnia justa, & injusta tentata sunt, quo damno majore hostis afficeretur.

*Hyeme pugnatum in Belgio.*

Ditionem Bipontinam quæ in finibus Palatinatus, & Lotharingiæ sita, rebus bello gerendis opportune favere videbatur, inexpectatâ vi occupari fecit Rex Ludovicus, prætextumque invasioni præstitit Ducis ipsius ætas provecta, qui cum hactenus improlis esset, hæreditasque spectaret Regem Svecum bello Gallis junctum, se ejus statim occupare Galli professi sunt, ut illum fœderato Principi servarent, vetarentque ne Cæsar ob intentatum sibi bellum eo Regem exueret. Dux armis impar ut se tueretur tunc exulare coactus est, sed nec ei postea aut cuiquam hactenus (cui jus in Ducatum maneat) ditio restituta est.

*Invasio ditionis Bipontinæ.*

In Belgio, quo se festinata profectione Rex Ludovicus contulerat, Condæum cœpit, Buchainumq; à Philippo Aurelianensium Duce obsidione cingitur. Hujus expugnationem per aliquot hebdomadas remoratus est Vilelmus Princeps Auriacus, qui Hispanorum, & Batavorum Dux pugnæ aleam cum Rege Ludovico tentare velle visus est, ob idq; Aurelianensem cum exercitus sui parte fecit evocari. Sed res tota inutili pugnæ apparatu peracta est, Buchainumq; captũ, post quæ Ludovicus immissis in Germaniam ad suos copiis, quæ quominus in Belgio bellum negligeretur abesse poterant, Parisios rediit.

*Condæum & Buchainum à Gallis capta.*

*Variæ obsidiones in Belgio.*

Trajectum Urbem Auriacus, & Fœderati Hispani, reducto in Galliam Ludovico obsidere incipiunt, sed vano brevis moliminis exitu, eos à cœpta obsidione removente Sciombergio, qui in eorum castra irrumpere paratus, eos ad vasa colligenda adegit. Non sic Humerius Marescallus, qui cum solis Prætorianis cohortibus Urbem Ariam (Aire) obsedisset, eam ad deditionem coegit, uti & Marescallus Chriquius Arcem Bullionensem in finibus Leodiensis ditionis, à quo & exturbati Germani, qui Bipontanam Civitatem obsidere cœperant.

*Galli urbem Montis Belicardi occupant.*

Montis Belicardi Urbem, quæ ditiunculæ in finibus Burgundiæ & Alsatiæ sitæ, caput est, Principique è Vittembergensium Ducum familia orto parebat, occupavit nomine Ludovici Regis Luxemburgius Dux, eliminato inde Principe, qui se apud vicinos Helvetios recepit. Hujus tamen ut & Bipontini Ducis se Protectorem eduxit Rex Ludovicus, eoque animo ditionem occupare, ne in Cæsareorum manus incideret.

*Nova pugna in mari Siculo.*

Novo marte pugnatum est die Aprilis 22. in mari Siculo Quesnio Comite Gallis imperante, eodemque qui supra Ruitero fœderatis Hispanis, & Batavis. Per solidum diem tormentis bellicis, incendiis, aliisque offensionibus, quibus sese classes impetere solent, actum certamen est, multis ultro citroque incursionibus, quibus quandoque una, quandoque altera pars vincebat: sed tandem mortuo Ruitero

*Mors Adriani Ruiteri.*

qui fortiter pugnans, & imperans, extinctus est, majori damno affligi fœderati visi sunt, qui paulò pòst in Syracusanum se portum recepere.

*Pestis in Insula Melitensi.*

Acri laboravit peste Melitensis insula, ob idq; aquâ & igni ei à vicinis populis interdictum. Vix non ad integram solitudinem redactus est scopulus in quo desiderata hominum decem millia, quinque præter unius civitatis paucorum mapalium incolas recensere potest.

*Obitus Clem. X.*

Die Julii 22. Romæ longæ decrepitatis ægritudine (numerabat enim vitæ annos 86.) decessit Clemens Pontifex vir probæ mentis, sed non adeo potens sui ut alterius suasionibus aliqua facere abnueret, quæ numquam probavit. Ad ultima tamen vitæ adductus nullis flecti precibus potuit, ut ea vellet quæ principatus auctoritati ut licita usus approbare visus est. Successit ei paucas post hebdomadas votis Cardinalium ex-

*ei succedit Innoc. XI.*

aminatus ut optimus Benedictus cognomento Odescalcus, qui Innocentii XI. nomine insigniri voluit, patria Comensis, sed eo rerum terrenarum contemptu ut cœlo originem ejus referres: ita abundanti præviarum virtutum exemplo Orbi notus, ut dignitati non impar fausta, & solidæ pietatis digna omnia polliceretur. Hæc à primis diebus asseruisse visus est, dum neglectis iis quæ carnis, & mundi essent Pontificatus administros eos solos voluit, qui virtutum calculo probarentur, divitiarum, & gloriæ adeo temperans, ut nec sibi, nec suis quidquam è principatu arrogarit, nisi quod curas & laborem exigeret.

Carolus V. Lotharingiæ Dux V. extinctique anno præterito alterius Caroli Nepos, Præfe-

*Philipsb. à Carolo Duce Lothar. captum & Luxemb. Dux delusus.*

ctus summa auctoritate copiis quæ ad Rhenum Cæsari merebant, non solum Philipsburgum urbem munitissimam formata obsidione capit, sed insigni clade afficit Luxemburgium Ducem, qui neglecto Condæo Gallico exercitui (Lonoji præcipui Regis Ludovici Administri favore) præpositus Urbi obsessæ inferre suppetias moliebatur.

*Varia m[...]les Sue[...] erepta.*

Novercantem experiri Armorum Fortunam hoc anno perrexit Carolus Sveciæ Rex, cui Brandeburgicus Marchio, Episcopus Monasteriensis, & Principes Brunsuicani fœderati Anelam, Lochetirtium, Stadenium, & alia oppida variis obsidionibus eripuere. Exscensione tamen in vici-

*qui Daniæ regem profligarunt Scaniæ.*

nam Scaniam factâ cum Rex Daniæ Christianus ibi de inferendis novis Sveco damnis satagit ab eodem prope Lundinum pugnans conficitur, majoribus jacturis premendus, nisi incurii ob partam victoriam Sveci Arce Elsimburgensi occupata, eidem copias recolligendi, rependique naves otium concessissent.

*Pax inter Polon. & Turcas,*

Pax tandem post longos tractatus die Oct. 16. sancita est inter Remp. Polonorum, & Othomanicam Portam, obstetricante ei Tartarorum Chamo ceu Principe, quamvis pro utriusque Gentis genio inter continuæ hostilis odii experimenta exiguam sui spem facere videretur. Hac resti-

*quibus pactis?*

tutum Poloniæ decus, abolito Tributi nomine, quod tempore Michaelis Regis pactum fuerat, redditaque Reip. Podolia, uno excepto Camenecio cum eo districtu quem Rex designaret. Ucraina item eidem Reip. asserta, minori ejus parte Dorosenscho derelicta, qui eam sub Sultani fide retineret, pristinæque libertati restitutis quindecim millibus Polonorum, quos durante bello captivos Turcæ abduxerant. Sic regnum

*Turcæ Regem Casimirum venerantur.*

vindice dextera restauravit Joannes Casimirus Rex tanto nominis sui terrore, & gloria, ut eum Barbari ipsi tunc Acies Polonicas præcedentem humili obsequio coluerint, deincepsque coram eo mutire non sint ausi.

*Classis Hispanica flammis absumpta.*

Classi Hispanicæ in portum Panormitanum receptæ Vivonius Dux novis copiis auctus insultat, immissis in eam celocibus incendiariis, quorum opera decem ceu naves ceu triremes flammis absumptæ, maleque habitæ aliæ quam plures. Defecit tamen Vivonium præcipuus facinoris fructus, quo sperabat se inter confusos hostes in portum illapsum à Panormitanis receptum iri, quorum exemplo sibi cæterarum Siciliæ Urbium defectionem spondebat.

*Tauromina à Gallis capta.*

Otiosis consultationibus tempora terentes Hispani die Octob. 18. Tauromina in Sicilia amittunt, quæ situ egregiè munita exiguo præsidiariorum numero defendi potuisset. Novus Siciliæ Prorex Castri Roderici Marchio, ut tam supinæ negligentiæ culpam à se averteret, eam in aliquos præcipuæ notæ Dynastas retorquere non erubuit, quos etiam ut perfidiæ reos jussit detineri: sed brevi aliquot mensium curriculo ad extrema vitæ perductus, eos innoxios verbo & scripto famæ restituit; mirabili rerum Hispanicarum peripetiâ, quâ non solum urbem recipere vetabantur, quæ Gallorum tum lasciviis, tum

tum usuris oppressa se ad eorum fidem reducere continuis seditionibus satagebat, immo continuis jacturis terra marique præter communem rerum ordinem atterebantur.

Unicâ ex se sobole fœminea relicta Viennæ die Apr. 8. diem suum obit Claudia Fœlicitas secunda Cæsaris Leopoldi conjux, qui cum prole masculâ hactenus destitueretur ad tertia vota insequente Decembri transiit cum Magdalena Teresia Palatini Neoburgensis filia, ejus qui in Electoratu defuncto Carolo Rheni Palatino successit.

Ibidemque etiam die Octob. 12. diem clausit Anna Medicæa Ferdinandi Archiducis Oenipontani Vidua, quæ quod sibi proprium legare potuit hoc totum contulit Cæsaris puellæ nuper ex Claudiâ genitæ, & sibi Nepti.

Vix menses decem & septem Reip. Venetorum præfuerat Nicolaus Sagredo cum XVII. Kalendas Septembris fatis cedere coactus est, relicto sui ingenti desiderio, quod vir principatu ob egregias animi corporisque dotes dignissimus habetur. In ejus locum duo successive delecti sunt, quorum primus Aloysius Priolus oblatam dignitatem ob provectioris ætatis incommoda recusavit, alter Joannes Sagredo ab eâ collata seditioso popelli tumultu exclusus est. Hic ob acre ingenium, & antiquæ frugis professam severitatem, & annitente forsan occulta aliquorum invidia, traductus velut magistratui. Impar, famæ tamen commendari meruit tum ob generosum destitutionis suæ contemptum, tum ob egregia quæ de Turcarum imperio Commentaria edidit, multaque alia Anecdota quæ lubenter meritâ tanti viri laude legerentur, nisi ea vulgari hactenus quidam respectus prohiberent.

Gueldriæ, & aliquot fœderatorum Statuum Provinciis Auriacum pro absoluto Principe acceptare paratis, immo ejus dominium impatienti seditione exposcentibus, status de concludendo bello, quod Principi fautores & amicos parabat, serio egerunt, fœderatosque impulere ad renovandos pacis tractatus, qui jam olim Coloniæ cœpti fuerant. Neomagum ad Vahalim ad conventus locum electum est, sed integer annus excurrit priusquam de solido Pacis tractatu ageretur, variis obortis difficultatibus circa numerum, titulosque eorum qui ad vota conferenda admitterentur.

| MUNDI | CHRISTI. |
| --- | --- |
| 5730. | 1677. |

Quamvis ea qui in bello gerendo celeritas Rex Ludovicus utebatur fortunam maxime demereret, nihilo tamen citius Belgæ Batavis fœderati de accelerandis defensionibus inibant consilia; unde etiam hoc anno ingentibus eos jacturis affecit. Vix enim quidquam de summa asperitate hyems remiserat cum Valencenæ urbs Hannoniæ maxima obsessæ sunt, generis omnis offensionibus eo collatis, ut antequam suppetiæ pararentur, urbs cogeretur ad deditionem. Tanta præcipue tormentorum majorum vi in muros actum est, ut mille trecenti globi ærei ingentis ponderis uno die in eos sint explosi; unde & factum, ut post immissum terrorem dum impressione valida in anteriores munitiones Galli incurrunt, eosque erumpentes obsessi satagunt arcere, refugientibus istis in urbem, eam insimul obsidentes subirent; reque improviso timore, & confusione actâ, vix præsidiarii vitam sibi deprecantur incolumen, urbique & civium direptioni Rex parceret.

Inde victor Ludovicus cum partem exercitus sub fratre Philippo Aurelianensium Duce in Phanum S. Audomari immisisset, ipse cum reliquo exercitu ad Cameracum obsidendum festinat; quam Urbem utpote vasti ambitus ideoque difficilioris defensionis levi negotio cum cœpisset Arce exceptâ, fratre interim Aurelianensis cum Auriaco Principe Urbi obsessæ suppetias parante ad Oppidum Senef pugnare cogitur; sed isto ad turpem fugam adacto, urbeque Audomaropoli receptâ, Rex tandem & ipse Arce obsessâ post mensem potitur, post quæ bello partis duabus celeberrimis urbibus victor, ad aulæ suæ delitias revertit. *Cameracum & Audomaropolis capta.*

Carolus Lotharingiæ Dux septuaginta hominum millibus Præfectus, quos Cæsar tum ex suis, tum ex auxiliaribus Imperii copiis collegerat, nedum Lotharingiam recuperare, immo in Gallias penetrare destinabat; ea rerum hoc anno bene gerendarum fiducia, ut in aliquot suis vexillis epigraphem insculpi curaret, qua spem sibi securam pollicebatur. Hujus periculi nunciis exterritus Ludovicus vastari Alsatiam provinciam quâ Duci transeundum erat, generis omnis commeatus abduci, cunctas præter paucas urbes dirui, latoque incendio ruricolarum pagos, & villas absumi imperavit. Nihilo tamen secius, nec Chriquii (qui cum exercitu res cunctando reparare satagebat) molitionibus remoratus, trajectis cum exercitu suo Mosellæ & Mosæ, fluminibus, ad fines Campaniæ Dux pervenit: sed ne ultra progrederetur ad ferendas Duci Saxoniæ Eisenak suppetias coactus est reverti; quo tenui tantæ excursionis fructu animatus Criquius, paulisperque dum plane Cæsareorum impetus defervesceret sustinens, iis in hyberna distributis Briscoviensem tractum invadit, & Friburgum ejus primariam urbem improvisâ obsidione, festinatisque impressionibus post dies octo in deditionem recepit. *Dux Loth. Carolus in Galliam penetrat.* *Friburgum à Gallis captum.*

Totâ hyeme laboratum est in Hispania interno ejus aulæ dissidio, quod tandem post varias contentiones novam rerum speciem peperit. Exauctoratus, carcerique addictus VI. Calendas Februarii Ferdinandus Valenzuola Villaseriensis Marchio, qui hactenus regni totius arbiter, ea (quam sub Marianæ Reginæ auspiciis captaverat) auctoritate abuti dicebatur; unde multorum, qui publica, & privata negligi exceptâ unius hominis ambitione jactabant, querelæ. Vocatus ad præcipuas gubernationis curas Joannes Austriacus Regis Caroli frater, qui pridem Regni Siculi procurationem recusarat, rogataque Regina libero se ostracismo subducere, sed jussi sunt facessere alii item rerum Administri, qui regni *Tumultus in aula Hispanica.* *Ioan. Austriacus rebus gerendis Præfectus.*

regni jacturarum auctores, vel complices audiebant. Vis ingens auri argenti, gemnarum, & pretiosæ supellectilis ex unius Ferdinandi mulctâ regio fisco addicta est, veteri, & semper novo exemplo quo homines liberalis fortunæ illiciis capti sibi improvido fœlicitatis abusu ruinas moliuntur.

*Rex Hisp. Carolus in Aragoniam.*

Nova regiæ auctoritatis administratione susceptâ se Rex Hispaniæ Carolus, Antecessorum mori obsecutus in Aragoniam contulit, ubi & benigno omnium complexu, & immenso prope gratiarum effluvio ita populos illos demeruit, ut fausta omnia sibi è mutato rerum ordine auspicarentur. Suadebat hos regi affectus Joannes Austriacus cui probe notum erat aversos populorum animos austeram execrari regiminis formam, quæ pridem Philippum, & Successores rerum administtos propriis aut voluptatibus, aut utilitatibus intentos ab hominum aspectibus subduxisset. Publicæ tamen fœlicitatis prima hæc experimenta corrupit latè grassata per Hispaniam lues, quæ vix vertente anno est sedata, reperto ejus sanandæ remedio quod promptissimum fuerat, expressus scilicet è malis limoniis succus, quodque hactenus ignorabatur.

*Montereji in Catalonia clades.*

Copiis in Catalonia Præfectus Monterejus Comes grandi ardore, sed non pari fœlicitate cum totius fere Nobilitatis Hispanicæ delectu pugnavit in Navaleam Gallici exercitus Ducem. Illum tempestive cis pyreneos delatum, ut ab regionis ruinâ deterreret, Monterejus pugnam coactus cum eo conserere. Res in Fluvioli transitu collique cujusdam occupatione versabatur cui Navalea insederat. Hic Nobiles Hispani incautâ impressione irrumpentes in hostem glandium majorum grandine à detonante bombardarum procellâ metuntur: unde cum utrinque acri marte exercitus pugnant, tandem imminuti Hispani, ne durius quid paterentur retrahunt pedem, desideratis suorum tribus millibus, & Gallorum longe minori numero qui regione potiti, eâ ad hyberna usque militari licentiâ potiti sunt.

*Auranum frustra obsessum.*

Auranum denuo Barbari obsederunt in ora Africæ, novoque molimine tentarunt arcem sibi importunam revulsisse. Eo immissa sunt à Rege Catholico auxilia, quibus classem suam è vicinâ Lusitaniâ sociari jussit Petrus Regni Administer, quâ communi annisu hostis depelleretur. Sed solo virium fœderatorum apparatu res peracta est egregiâ Eneconis Toletani arcis gubernatoris virtute, qui Barbaros internecina aggressione erumpens disjecit antequam auxilia adventarent, quæ nihilo secius liberali Caroli Regis munificentia in Classis Lusitanicæ Præfectos donata sunt.

*Dissidia Romæ inter Pontificem, & Regum Oratores.*

Tumultuatum Romæ inter Pontificem, & Oratores Hispanicum, & Gallicum, quod pessumdata Principis auctoritate isti milites conscribere, & rapere etiam invitos non desisterent. Acribus utrimque disceptationibus actum, acrioribusque factis, dum vicina Siculæ discessionis necessitas Oratores eo adigebat, ut suis quocumque modo succurrerent, Pontifex indemnem Romæ (ut par erat) suam tueretur auctoritatem. Agitata his motibus quæstio effecit ut Pontifex quâ radicem malis omnibus præcideret, abolitam vellet eam districtuum immunitatem quam Oratores circum palatia scribebant, in quibusque jus azili prætendebant omnibus in eos non fugientibus sacrum, & inviolabile. Solemni perinde vetuit edicto exterorum Principum insignia præ januis figere, quasi hæc contra publicæ Justitiæ ministros quorumvis criminum vindictam arcerent. Quod ut tunc acerbam querelarum segetem sic postea, dum sanioris Judicii sensus maturuere, fructus optimos parturiit, Eliminatis Roma Christiani Orbis Capite iis omnibus piaculis, quorum licentiam indemnem sibi ex his azilis barbara procacitas præsumebat.

*Immunitates districtuum abolita.*

*Turca Ragusiis infesti.*

Barbaro tyrannidis abusu Epidaurensem Remp. oppressam hoc anno voluit Portæ Othomanicæ Vizirus eo prætextu quod grassante Cretensi bello, & pactis se tributis subduxisset, & ea Venetis præstitisset auxilia quæ gravi Castris obsidentibus damno fuissent. Averruncatus tamen est Barbarorum furor eâ arte, quæ debiliorum est, precibus scilicet, officiis, & ære numerato, quibus redempta belli incommoda, & placata latrantis Cerberi fames.

*Eluvies & Annonæ caritas in Italia.*

Laboravere hoc anno Veneti insolitis aquarum eluvionibus, annonæque caritate Italia tota; unde ægritudinum multitudo, quæ de imminenti peste suspicionem injecit, quæ tamen lues solos Hispanos, Danos, Svecos, & Turcas affricuit. Subalpini præcipue frumentorum inopiâ afflicti, unde gravis Principi fœminæ Ducis filii ditiones regenti cura incubuit populis opitulandi, quod tamen præstitit egregiè, convehi jussis ex Hollandia, & Polonia frumentis, in quæ regium ærarium liberalissime contulit.

*Alterna se clade Dani, & Sveci conficiunt.*

Christianostadii in Scania jam ab anno præterito post Elsimburgum captum obsidionem Sveci formaverant, hybernaque transegerant in Castris cum Rex Daniæ urbi obsessæ succurrere, viriumque periculum cum hoste facere instituit. Festinus igitur è stativis copias educere vix incessus sui fama Svecos obsidentes perculerat, cum abjectâ obsidionis curâ sese isti proripuere; quo facto Rex ipse Malmoensem urbem obsidere statuit, vallumque, & aggeres circa eam extrui imperavit. Præmisit ad suorum auxilium Rex Sveciæ Carolus classem, quæ obvios Danos incurrens ab eis conserto prælio detrita est, & Insula Rugia occupata: Hinc Malmoenses præsidiarii ad insitas redacti post edita constantissimæ fortitudinis experimenta se Regi Christiano dedidere: Tardiori ad suppetias ferendas Svecorum Rege Carolo qui terrestribus copiis cinctus eo præceps ferebatur. Qui obsessos redimere nequivit, victores alternâ ipse victoriâ potitus, stravit obsidionis laboribus fractos, & imminutos, cæsis eorum bis mille quingentis, & fugatis reliquis quos vix Rex Christianus Landscronium reducere potuit.

*Malmoe capta.*

Steti-

*Stetinum ab Elect. Brandeb. captum.*

Stetinum in Pomerania postquam ea omnia passum esset quæ in longa solidi fere anni obsidione ferre solent obsessi, maxime inediam, quæ præsidiarios,& cives ad edendos non equos solum, sed canes, feles, mures,& quidquid turpius mandi potest, adegerat, se tandem Brandeburgico Electori dedidit, singulari obstinatæ fidei exemplo,quo extrema omnia perpeti (priusquam de deditione cogitarent) decreverunt. Pretium victoriæ Electori fuit Pomeraniæ totius arbitrium,quæ dein Imperio ejus paruit.

*Carloreum frustra ab Auriaco tentatum.*

Qui infaustis avibus suppetias ferre Audomaropolitanis obsessis tentarat Auriacus Princeps,eodem eventu Carloreum obsedit,cum jam quasi rebus omnibus actis ad stativa hyberna copiæ Gallicæ se contulissent. Sed qui alios intercipere præsumpserat,incredibili Gallici exercitus celeritate ipse interceptus est, Luxemburgio Duce adeo res omnes accelerante quatenus novam ad ornaret pugnam, ut cito citius Auriacus cum suis ad propria recesserit.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5731. | 1678. |

*Dux Lotharing. Eleonara Austria nubit.*

Sub anni initium Eleonoram Cæsaris sororem viduamque Michaelis Regis Polonorum in uxorem accepit Carolus Lotharingiæ Dux tunc Summus Cæsareorum exercituum Præfectus, meritisque erga Cæsarem ob præstitas operas longe clarissimus. Quo parem tantis nuptiis Statum tueretur attribuit ei Leopoldus Tirolis Provinciam administrandam cum pleno dominiorum fructu, jussu familiæ suæ sedem fixisse Oeniponti, ubi olim Archiduces Austriæ lineæ secundogenitæ aulam suam habuissent.

*Innoc. Romæ suum contra immunitates decretum severe tuetur.*

Attentus Romæ Pontifex ea observari, quæ circa districtum immunitates statuerat, quas omnino volebat aboleri, non tantum puniri suspendio juvenem imperavit, qui contra publicos Urbis apparitores se tutari secus ædes Oratoris Veneti ausus esset quin caperetur,sed etiam exilio mulctari aliquos præcipuæ Nobilitatis Viros, qui iisdem apparitoribus vim inferre præsumpserant. Novum ibidem Venetæ Reip. Legatum admittere renuit, quod à quibusdam ejus familiaribus in eosdem publicæ Justitiæ administros esset peccatum; ineluctabili constans voluntate, & sibi Romæ exhiberi obedientiam, & criminosis facinoribus viam præcludi, quæ impunitis his azilis patebat.

*Princeps Radzivilius Polon. Orator ad Pontif.*

Insigni numerosi comitatus pompa Regis, & Reip. Polonorum Orator (quem obedientiæ vocant) se videndum Romæ præbuit Princeps Ratzivilius, quo, ut Pontifici Regni nomine obsequeretur,se contulerat. Insolenti tum exteræ gentis cultu, tum prope immensâ divitiarum ostentatione ita oculos omnium demeruit, ut vix pari spectaculo se interfuisse pauci meminissent. Non indigno Pontificis, & Pontificatus decore exceptis Polonis ut mutuis sibi honoribus satisfactum gratularentur. Episcopos item

*Ep. Græci & Arm. ad Innoc.*

Græcos,& Armenos suarum Provinciarum nomine obsequentes sibi hoc anno habuit Innocentius, tanta nominis, & pietatis fama Orbi Catholico notus, ut certatim ei Populi & Principes delatum honores festinarent.

*Rex Angl. frustra paci conciliandæ laborat.*

Tota hyeme laboravit Rex Angliæ Carolus, ut pacem inter Regem Ludovicum, & Fœderatos componeret, à suis Anglis vix non coactus ut in eum ipse moveret arma, quod otii amans & propensæ voluntatis in regem averso animo detrectabat. Propositi tamen armistitii pacta, nec Regi, nec Fœderatis arriserunt, unde acceleratâ profectione Rex delatus in Belgium urbes

*Rex Lud. Gandavum,& Ypros capit.*

Gandavensem, & Yprensem obsidione cogit, postquam simulatis aliis obsidionibus vires Hispanorum distraxerat, ut urbibus queis periculum incumbere videbatur, prospicerent. Ejus item auspiciis in eodem Belgio Lævia occupata, scalis noctu admotis, quin summi momenti Urbem arce etiam munitam præsidiarii eâ (qua par erat) curâ custodirent. Juris pariter Gallici facta est Puicerda in Cathalaunia confinis regionis caput, impotenti ad suppetias ferendas Monterejo, in quem Navaliensis Dux movebat.

*Lævia Hispanis erepta, & Puicerda.*

*Chriquius Cæsareos ab obsidione Friburgensi deterret.*

Dux Lotharingiæ Carolus copiis Imperii Præfectus dum Rhenum contendit Friburgum in Briscovia anno præterito à Gallis captum recepturus, obvium habet Chriquium, cujus arte, & meditata pervertitur obsidio, & pugnandi copia adimitur Duci, qui de rerum summa prælio decernere ab obsidione deterritus quæritabat. Res ideo castrametationibus utrinque exercitus, & velitationibus, alternis victoria, & damno peracta est, exceptis locis aliquibus minoris momenti quæ utrisque cesserunt.

*Nascitur Cæs. filius Josephus dictus.*

Summis Cæsaris, & suorum votis expetitus, lucem tandem Viennæ aspexit VII. Calendas Augusti Josephus Cæsaris, extincto pridem Venceslao, primogenitus in spem regnorum,& Imperii,quæ hactenus Gentem Austriacam præ cæteris Augustam singulari tot ditionum, & dignitatum accessu decorarunt.

*Tumultus ob annonæ caritatem Perusiæ & Vrbeveteri.*

Perusiæ & Oropili tumultuatum est popelli seditione ob annonæ caritatem, dilapidataque aliquorum horrea qui frumentorum nundinatione communes miserias mercari crediti sunt. Res tamen facili negotio repressa, & vigili Pontificis curâ provisum, ne avari deinceps Gubernatorum questus pauperum inedia cibarentur.

*Epidaurienses à Turcis lacessiti.*

Novis Barbarorum insultibus Epidaurienses lacessiti pro suppetiis ad Pontificem, aliosque Principes recurrunt,& varia tum copiarum,tum numeratæ pecuniæ subsidia exorant. Vanus tamen securitatem pepetit timor quæ ex pacato hoste secuta est.

*Classis Gallica Genuensib. infensa.*

Novo itidem dissidio Rex Galliæ Ludovicus, & Genuensis Resp. laborarunt, ob expetitam, nec datam Classi Gallicæ à tormentis igniariis salutem ea formâ quæ novis pactis à Rege deposcebatur. Afflictum proinde est hostili Classis explosione S. Remi in ora maris occidua oppidum, globisque majoribus & incendio fœdata, vel attrita sunt multa ex iis palatiis quæ hæc littora ornabant. Ludovico tamen Reip. humilitate, & pœnitentia piatum, quo facto prima pax restituta.

Sveci

*Sveci & Dani mutuo attriti.*

Sveci in Rugiam Insulam reducti quam anno præterito amiserant eam Danis prælio attritis recipiunt, militibus aliò traducti quos armorum jure captivos inibi ad deditionem coegere. Sed Danis ea iterum hoc anno cessit, nova istorum exscensione in eam factâ, qui aliquot etiam alias insulas, & urbes in Scania iis ademere, fugatâ eorum classe in Baltico sinu, & illatis opportune suppetiis Christianostadio, quod Sveci obsederant. Isti aliunde Elsimburgum, Christianopolim, & aliquot alia oppida subegere, alternante victorias fortunâ, ut utrisque imperare dignosceretur.

*Rex Lud. Messanenses dejerit.*

Infructuosæ pertæsus protectionis quam hactenus Messanensibus Rex Ludovicus prorogarat, dispendiorumque quæ in iis alendis sustinere cogebatur, eos tandem propriis fatis relinquere statuit, copiis suis in Galliam revocatis, quæ quotidianis eorum & insidiis, & conjurationibus suberant. Rem meditabatur periculi plenam, timendum enim ne rebelles eorum discessum intuiti, quorum auxiliis hactenus steterant, imminentesque ad defectionis vindictam Hispanos, desperato ausu omnia Susdeque miscerent, ipsosque conficerent auxiliares Gallos. Unde immissus Foliadeus Dux ut copias educeret, finxit primo se vicinarum Urbium obsidiones moliri, quo prætextu jussis naves subire copiis, se è civitatis aspectu proripit, ibique subsistens Consules ad se vocatos, quasi rem cum eis majoris momenti collaturus, eos regis voluntatem edocuit, qui dispendiorum, & lubricæ eorum fidei pertæsus Urbem propriis deinceps auspiciis permittebat. Biduum vix Consules exoravere in quo liceret iis è Messanensibus Classem conscendere, qui Hispanorum clementiam despondentes libero se exilio subducere vellent.

*450. familiæ Messanensium discedunt in Galliam.*

Unde factum est ut quadringentæ quinquaginta è præcipuis familiis Urbem deserentes Massiliam appulerint, è qua urbe, protractâ paucorum mensium morâ, novo iterum exilio, & tota Gallia facessere jussi sunt, eo vel causa, vel prætextu quod portum Massiliensem prodere, & incendere statuissent.

*Rebelles Hungari varias urbes occupant.*

Rejecta à Rebellibus Hungaris pace & venia quas iis Cæsar Germanico bello distractus obtendebat, illi interim sub Duce Tekelio Cassoviam primum, dein Tokajum, & Esperias variis obsidionibus fatigarunt. Sed Altsolium aggressi urbem tandem cœpere, cujus exemplo se reliquæ (quas Montanas vocant) iis Civitates dediderunt. His defectionibus territus Cæsar, & quod impiâ sævitie rebelles omnia circumquaque posita direptionibus; & incendiis funestarent, nova regni Comitia spondet, in quibus eorum gravaminibus auditis de opportuno remedio ex abundanti clementia provideretur; cui sponsioni obaudientes tandem à grassando abstinent.

*Auriacus Luxemb. fundit.*

Dum nasciturae Paci assidua Ministrorum cura Neomagi obstetricatur jamque ad partum res matura prodire cœpisset, mutuis sponsionibus datis, & acceptis, sed nondum in publicam lucem emissis Luxemburgium Ducem Montium in Belgio latæ obsidioni incumbentem Auriacus Princeps cum fœderato exercitu aggressus fundit, eumque clade majori affecisset, nisi conclusæ pacis nuncio remoratus arma deponere cogeretur.

*Pax Bat. cum Rege Ludovico sancita.*

Hujus pacis pactis quam Batavi Auriaci Principis excrescentis in dies apud Populos gratiæ, & auctoritatis timore præcipiti IV. Idus Augusti sanxerunt Trajectum, & aliquot alia inferioris notæ oppida recepere, lubenter inclinante Ludovico ad voluntatem iis gratificandi ut eorum fœderatos communibus auxiliis destitutos ad duriora pacta adigeret.

*Hispani pacem cum Lud. Rege contrahunt.*

Insequente Septembri propriam Hispani cum Ludovico Rege pacem pepigere, & amissis aliis quæ ab incæpto bello Rex cæperat, recepere Gandavum, Limburgum, Carloreum, Binchium, Athum, Audenardam, Cortracum, Læviam, Phanum S. Gisleni in Belgio, & Puicerdam in Catalonia, non abutenda fœlicitate usi, qui plura amittere cedente bello potuissent.

*Baptista Nani Historiographi obitus.*

Decedit Venetiis Baptista Nanius D. M. Procurator, vir ingenii per multas rerum summi momenti tractationes exerciti, quas domi forisq; ad varios Principes Legatus obivit. Insignes edidit commentarios, in quibus ævi sui Historiam complexus est, ob quos nulli melioris notæ Scriptorum secundus audivit, præsumpta civium suorum existimatione, & affectu ad supremum Reipublicæ clavum evehendus, si diutius vixisset.

MUNDI 5732. CHRISTI. 1679.

*Pax Cæs. & Reg. Ludov.*

Qui in pacem Batavis, & Hispanis cum Ludovico Rege sancitam consentire anno præterito Cæsar abnuerat, Nonis Februarii hujus ineuntis convenit, ceditque civitati Friburgensi in Briscovia, ut Philipsburgi ad Rhenum arcem reciperet.

*Isti & Elect. Brand. & Brunsvicani Princ.*

Eadem pacis pacta Cellis sanxere Principes Brunsvicani cum Carolo Sveciæ Rege, cui occupata in Bremensi Ducatu relaxarunt:

*Regibus Dano & Sueco.*

ut & Rex Daniæ Christianus Brandeburgensisque Elector peculiaribus tractatibus ad S. Germanum prope Parisios, queis Pomeraniam, aliaque omnia erepta (exceptis Præfecturis quibusdam) eidem Carolo Sveciæ Regi, annitente Ludovico, restituere; iniquiori tamen animo quod provincias integras, quas dominiis suis adjecerant, nullâ fere compensatione sublevati relaxare tenerentur.

*Rebelles denuo Hungar. infestant.*

Qui rerum necessitate adacti rebelles Hungari ad pacem inclinare visi fuerant, dato eorum Delegatis ad Regni Comitia aditu, novis Tekelii Antesignani suggestionibus, & Abaffii Transylvanorum Principis auxiliis erecti, induciis, & armistitio neglecto rursus ad arma rediere, solitisque direptionibus omnia fœdarunt.

*Pestis in Hung. & Austria.*

Repressi tamen, sed levioribus pugnis à Lesleo Copiarum Cæsaris Duce, usque dum obortâ, & grassante per Regnum, vicinamque Austriam peste deferbuere hostiles insultus, sicque in coactæ quietis otio reliquum anni transigeretur.

Turcæ

Turcæ sub finem anni præteriti à Moschis prope Cecrinum profligati non melioribus hoc anno auspiciis pugnarunt variis præliis attriti, quæ, & locorum alternæ expugnationes, ne accurate differantur Gentis utriusque barbaries efficit, quæ vix moliminum suorum præter confusam famam quidquam ministrare scripturis suevit.

Famosa singularis hominis temeritate traducuntur in Anglia Catholici, quasi rei proditionis in Regem Carolum, quem conjurato facinore efferre statuissent. Titus Oates Calvinianorum ad Catholicos, & ab istis ad primæ hæresis sectatores transfuga, accusationis auctor fuit, eo solo diris & suppliciis devovendus, quod nullum repererit qui suæ adstipularetur criminationi. Quasi tamen de re necessariis argumentis probata statuere gestiens plebeus Parlamenti Ordo urgebat Catholicos omnes Angliâ eliminari, cui furori cum aliquorum vita & exilio litatum esset, pax aulæ restituta est.

Ad sancitæ pacis inter Hispanos, & Gallos firmamentum Rex Carolus Mariam Aloysiam Philippi Aurelianensium Ducis filiam in uxorem duxit, celebrato pompâ ingenti matrimonio, & deductâ per totum iter eâ quæ decuit magnificentiâ (quamvis non absque aversi cordis dolore) Regina, quæ gentilis libertatis usum severis Hispanici Gynecei legibus commutabat.

Nubit item Carolus Svecorum Rex Ulricæ Eleonoræ Christiani Danorum Regis sorori, eodem pacis firmandæ desiderio, quod inter eos quam inter priores populos ad sinceram pactorum observantiam efficaciori solet impulsu præstitisse.

Fatis concessere Monachii Ferdinandus Maria utriusque Bavariæ Dux, & Madriti Joannes Philippi Hispaniarum Regis nothus; uterque florentis ætatis, cum neuter quinquaginta annos attigisset; ideoque variis vulgi judiciis jactati. Hic summâ tandem rerum potitus Hispanicam Monarchiam regere jam ab anno 1677. cœperat: & (ut solet in aulâ variis geniis, & affectibus distractâ) cum multorum etiam præcipuè notæ Dynastarum invidiâ: unde oborta est, invaluitque suspicio ei acceleratum fuisse arte aliqua supremum diem.

| MUNDI | CHRISTI. |
| --- | --- |
| 5733. | 1680. |

VI. Idus Februarii obiit Elizabetha Friderici V. Electoris Palatini (ejus qui Bohemiæ Regnum affectavit) filia, inter seculi Heroas digna ideo censeri quod humanioribus literis apprime culta, Philosophiæ potissimum Cartesianæ addicta ad effœtam usque senectutem summo studio vixit. Augustæ item Vindelicorum decessit ineunte anno Joannes Fridericus Dux Hanoveranus familiæ Brunsvico-Luneburgensis, & Religioni Catholico. Romanæ contra gentis suæ institutum adscriptus, cujus etiam professionis Catholicæ uxorem duxerat Benedictam filiam Odoardi Palatini Rhenani itidem Catholici. Filias (quas solas habuit) reliquit ex se Annam, Ameliam, & Vilelminam, religionis quidem paternæ hæredes, sed velut infirmioris sexus, à dominiorum successione exclusas.

De Cometa, qui hoc anno per menses plures visus est, plura commentari, & scriptitare non desierunt Nugivenduli, vano ut solet conjecturarum exitu, qui tamen hactenus otiosos ab inutilis scientiæ studio absterrere nequivit. *Cometes visus.*

Nubit Mariæ Annæ Christinæ Bavaræ Ludovicus Galliarum Delfinus, pridie nonas Martii in Campaniæ confinibus à Rege, Aulæque primoribus ea pompa excepta, Parisiosque deducta, quæ tantas nuptias deceret. *Delfini nuptiæ cũ M. Anna Christina Bavara.*

Inter obstetricantes horrendos concussæ terræ mugitus ingentes flammarum globos è fervidis visceribus peperit Vesuvius Mons in Campania, quibus non vicinæ tantum Parthenopi, sed ad triginta millia passuum positis circumquaque urbibus, & pagis minæ incussæ sunt. Solo tamen timore vicino periculo litatum; totaque elementorum ira in cineres sparsos deferbuit. *Incendium Vesuvii.*

Acriori damno in Malacam in Vandalitiâ civitatem Terræmotus sæviit, dirutâ inibi maxima domorum parte, attritisque inter rudera incolis, qui improvisas ruinas declinare nequiverant. *Malaca terramotu diruta.*

Defuncto summo Melitensium Equitum Magistro Cottonero, votis omnium suffectus est in Magistratu Gregorius Caraffa Neapolitanus, iis virtutum, & meritorum decoribus insignis, quæ tot Gentium affectus demeruissent. *Novus Equitum Melit. Magister Greg. Caraffa.*

In grassantes rapinis, cœdibus, & incendiis rebelles Hungaros (nihil eorum pervicaciam remorante peste, quæ sævire pergebat) Cæsareas hoc anno copias duxit Comes Æneas Caprara, vario ut solet armorum eventu. Huic dum aliquando deesset, quo stipendia militibus numeraret, insolentique pervicacia rebellasset præ cæteris cohors integra, his nil territus propria ipse manu seditionis Antesignanum obtruncat, jubetque ob oculos suos decimum quemque totius cohortis militari supplicio enecari, quo singulari auctoritatis experimento, & tumultuantes reliquos compescuit, & sartam tectam Duci reverentiam coegit exhiberi. *Bellorum motus in Hungaria.* *Insigne Comitis Caprara facinus.*

Impatientes Mauri Tingitanam arcem velut Gaditani freti speculam oris lybicis incubare, eam vi summa aggrediuntur, sed pari repelluntur ardore ab Anglis præsidiariis; unde obstinata Barbarorum pervicacia qui urbis expugnationem moliri non destiterunt, usque dum insigni clade anno sequenti afflicti, re tandem infectâ ab obsidione discessere. *Obsidio Tingitana.*

Otio pacis usus Ludovicus Galliarum Rex, & partas ultimo bello urbes, & magnam regni sui partem circumeundo lustrat, iis ubique *Rex Lud. Regnum lustrat.*

que imperatis circa finitimarum Urbium munimenta, quibus tutæ à quocumque insultu redderentur. Hac abundanti cura factus cæteris Principibus exemplum, ea tempore pacis parandi, quæ ingruente bello frustrà desideres, nisi prævio studio illa provideris.

*Rex Sveciæ citatur ad homagium Regi Gallico exhibendum.* Instructæ Metis in Mediomatricibus Cameræ sententiâ citatus Rex Sveciæ Carolus Biponti ni Ducatus homagium Regi Ludovico præstare, si cum annis superioribus Gallico præsidio occupatum recipere vellet: cum id soli Cæsari deberi contenderet Carolus, ab eadem Camera juribus suis privatus renunciatur; promovente hac viâ Ludovico in ditiones alias bene multas adjudicatam sibi rationem, quod hactenus Orbi inauditum, populorum omnium stupore exceptum est.

## CAP. IX.

### Decas Nona.

*Ab anno Christi 1680. ad 1690.*

MUNDI 5734. CHRISTI. 1681.

*Variarum Urbium incendia* FOrtuito fere tota conflagravit incendio Nidroniensis Civitas in Norvegia, vixque aliquibus ædificiis præter Arcem flammæ pepercerunt. Bruxellis item in Brabantia domus quingentæ eodem igne consumptæ, & nongentæ Alboi in Finlandia ut hic annus fatali urbium rogo se notandum præbuerit.

*Casalium & Argentoratum Rex Lud. occupat.* Casale sibi à Mantuano Duce permissum, & Argentoratum partim minis, partim armis ad suas partes tractum occupat Rex Ludovicus, gravi Cæsaris dolore, qui utramq; civitatem Imperio addictum se inscio, & Imperii Ordinibus inconsultis ad aliud dominium traduci non posse contendebat. Sic Rheni, & Eridani geminâ arce potitus Ludovicus se Germaniæ, & Italiæ nova potestate auctum, & timendum una die ostendit, eo bellorum periculo, quæ jam tunc omnes inde eruptura ominati sunt.

*Dux Sabaudiæ designatur Infantis Portugalliæ conjux.* Abrogata à Lusitanis lege qua exterum Regem sibi accire vetabantur Regis præsertim Ludovici officiis, in spem coronæ obtinendæ designatur Regis Petri filiæ unicæ sponsus Victor Amedeus Allobrogum, & Subalpinorum Dux, cujus etiam nuptiarum, & profectionis in Lusitaniam ingenti sumptu apparatus instruitur. Verum quominus res perduceretur ad exitum multa deinde dicta, & facta animum Ducis avocarunt, maxime ne dum ipse inter cæteros longe dissitus sub dubiæ provectionis spe propria negligit, hæc alienis cederent.

*Comitatus Chiniensis à Rege Ludovico occupatus.* VIII. Kal. Junii citatus nomine Regis Ludovici Rex Hispaniæ Carolus, quatenus Chiniensis Comes, ut pro Comitatu eidem Lud. intra 40. dies homagium profiteretur, si secus faxit Comitatu privandus Cameræ Metensis sententia, quæ ditionem ut Barrensis Ducatus feudum Regi Ludovico attribuerat. Neglectâ citatione, ineunte Julio immissus cum copiis Comes Bissius qui præsidiarios Hispanos ex urbe Chiniensi extruderet, cui cum pacis amore, & quod geminam alteram irruptionem in Flandriam, & Hannoniam minarentur Galli, cessisset Urbis Gubernator, eadem armorum vi occupata à Comite ea omnia ceu castra, ceu oppida, quæ feudi appendices dixit.

*In Ipsam Luxemburgum à Gallis quæstum aliunde...* Cum multiplici dein militum statione incubarent cædem Gallorum copiæ Urbi Luxemburgensi, quod Comitatus Chiniensis *dependentias* (ut ajunt) se ad civitatis hujus mœnia extendere dicerent; ideoque è vicinis pagis cibaria, & commeatus in urbem inferri vetarent, irruptione in Stationarios factâ Hispanus armorum Præfectus aliquos eorum cæcidit, quod amplam querelarum segetem, pacique publicæ non leve periculum creavit.

*Cæsar ad Comitia Hungarica.* Edimburgum ineunte anno Cæsar se contulit, ubi in indictis à se Comitiis ea omnia Hungaris clementer exhibuit, quæ vel nutantem, vel fractam eorum fidem ad pristinæ devotionis zelum redintegrarent. Oblata restitui Palatini dignitas, nominatique à Cæsare tres è præcipua Nobilitate Gentiles, quorum eum propriis suffragiis retinerent qui magis amaretur. Permissum seligi alios qui leges patrias, & gentis privilegia scrutantes ea Cæsari proponerent, in quibus se contra jus gravatos arbitrarentur, in omnibus exaudiendi quæ justa Clementia probasset.

*Rebelles iniquo postulant.* Rejecta solius Emmerici Tekelii impudentia, qui absens suis epistolis ausus est Cæsari imponere solvenda Turcis tributa, quæ ipse spopondisset, templaque hæreticis, & rebellibus omnibus bona fisco addicta extorquere. Palatini dignitate voto omnium inauguratus est Esterasius Comes, sed scissa adversis opinionibus comitia nil aliud insuper præstitere; à consiliis ad arma vocantibus Turcis, qui Tekelio uniti *Vesernum* *Tochajum*, & aliquot oppida occuparunt, alia vanis obsidionibus fatigarunt. Cœsi, & retrusi demum in Turcarum ditiones Barbari ab exercitu Cæsaris, qui Neustadio quo diverterat Edimburgum reversus ibidem Augustam uxorem v. Idus Decembris Hungarica coronâ decorari voluit, qua celebritate finis Comitiis impositus est, annoque novis induciis quas denuo Cæsar rebellibus concessit.

*occupant aliquot loca.*

*Augusta Hungarica Corona donata.*

*Cæsar Parisios questum mittit de Argent. occupatione.* Missus à Cæsare Parisios Co. Mansfeldius, ut de Argentorati occupatione quereretur frigida responsione excipitur Urbem Alsatiæ (quæ Provincia à tractatu Vestphaliensi Gallis cesserat) partem armis à Rege Lud. vindicari potuisse.

*Pontifex 16. Cardinales tandem renunciat.* Innocentius Pontifex insolito moderationis exemplo fatigatis Urbis, & fere Orbis totius Catholici votis, quibus Purpuratos Patres adlegi Eminentissimo Collegio exoptabant omnes, tandem exactis in Pontificatu annis quinque, sexdecim Cardinales Kalendis Septemb. renunciavit, inter quos insignis doctrinæ merito conspicui Raymundus Capisuccus Sacri Palatii Magister, & Laurentius Brancata Ord. D. Francisci, & Vaticanæ Bibliotecæ custos Præfectus cucullum purpura commutarunt.

Insti-

Instituto in Urbe Cortracensi Congressu, ut novæ inibi Regis Ludovici prætensiones elucidarentur Pro Regis Catholici parte exhibita est series sexcentarum,& amplius Urbium,Arcium, & Oppidorum, quas ab ultima pace sancita occupari vi & armis jussisset Rex Ludovicus velut eorum, quæ ipsi Neomagensi conventione relaxata fuerant, appendices; cujus postulationis, restitutionisque in integrum repetitæ difficultas congressui,& disceptationibus finem attulit.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5735. | 1682. |

IV. Calend. Maji obiit Theodorus Alexovitius Moschorum Dux ætatis annorum 25.ideoq; veneno elatus creditus. Inde Prætoriani, aliique ad numerum 30. millium seditione facta palatium armis invadentes suspectos de Principis cæde crudeliter necarunt, direptis eorum domibus, aliorumque qui in injusta regni administratione iis favere crediti sunt. Successerat Theodoro Petrus Alexovitius mortui frater decennis; sed quod enecatorum aliquos protegere voluisset solio exturbatus illum alteri fratri Friderico, sibi annis majori, sed oculis capto cedere coactus est, quod novarum litium materiam ministravit, tuentibus aliquibus hujus majoris natu,cœci licet, jura, aliis potiorem etsi natu minoris idoneitatem.

Cæsari filius Secundogenitus v. Idus Jun. & Delphino Galliarum VIII. pariter Idus Augusti nascuntur, dato Leopoldi nomine Cæsareo Archiduci, & continuato insimul cum Ducis Burgundiæ titulo nomine Ludovici ei, qui sceptris Gallicis gerendis ortus privilegio destinabatur, velut ejus fœlicitatis,& gloriæ hæredi,quæ hactenus tanto sæculi plausu Patrem,Avum,& Atavum consecuta est.

Insolescentes quotidianis navium direptionibus Algerienses tandem hoc anno Rex Ludovicus punire statuit, immissa in eos classe quæ urbem ignivomis glandibus misere fœdavit. Dum tamen omnes de Barbarorum prædonum azilo proxime extirpando sibi gratulantur, soli sibi cum eis pacem statuit Ludovicus, quæ levibus Infidelium promissis fundata in novas cito offensiones erupit.

Ingentia tum navibus, tum regionibus damna fluviorum eluviones,& maris procellæ in variis Belgii, Galliæ, & Germaniæ locis crearunt; ut hic annus singulari tot ruinarum calculo funestus manserit. Præcipue afflicti Amstelodenses, Batavique cæteri qui jacturam se fecisse his aut procellis,aut inundationibus viginti millionum pondo protestati sunt.

Infessum novis Regis Ludovici copiis Luxemburgum ab iis denuo liberatur, protestante Rege se ab urbe obsidenda supersedere ut Regi Catholico promptum esset Cæsari auxilia submittere in quem Barbaros bellum parare audiebat. Ob fœlicem Leopoldum si quæ longe adhuc posito hoste pietas parcebat, hæc eo imminente, & bellum internecinum gerente à promovendis prætensis juribus abstinuisset.

*Solemnia Cleri Gallicani Comitia.* Irritata est,quæ jam pupugisse cœperat, animorum dissensio inter Pontificem Innocentium, & Ludovicum Regem Cleri Gallicani Comitiis, quæ non solum prætensum Regi *Regaliæ ius* in omnes Regni sui Ecclesias, suis suffragiis ad amplissimum arbitrium permiserunt, sed etiam multa suis Gentilibus propinarunt velut de fide dogmata circa Pontificis auctoritatem, ob quæ Innocentius summopere indoluit.

*Mors Caramuelis, & merita.* Fatis tandem resoluto in mortem corpore concessit eruditorum ævi sui Phænix Joannes Caramuel: Vir portentosi, & per omnes scientias exerciti ingenii, cujus omnimoda experimenta dedit innumeris prope libris, in quibus Encyclopediam absolvisse visus est. In metaphysicis, abstractisque studiis apprime versatus subtilissima quæque rimatus est,non minus Philologicis, Politicis,historicis deditus, quorum luculenta specimina itidem scriptis vulgavit: ob hoc unum forsan laude minori prosequendus, quod ad sæculi usum in moralibus se liberius vagari permiserit, multis editis, & vulgatis opinionibus, quæ pronæ ad vitia hominum voluntati viam sternere visa sunt. In Belgio, majoribus tamen Hispanis ortus Monachus vixit ex Ordine Benedictino ad Cisterciensis Congregationis regulas traductus ut Abbas esset. Inde ad Episcopatum Nolanum in Campania,& ex hoc ob aeris inclementiam ad Vigevanensem in Insubria à Philippo Rege evectus est, ubi inter indefessi studii labores octogenario major obiit; majoribus dignitatibus aliquando à Pontifice Alexandro VII. destinatus, nisi maxima omnia merenti minimum quid, memorari indignum obstitisset.

*Cæsar vicennales Inducias cum Turcis frustra renovari contendit.* Cæsar de Turcarum animo circa Rebelles Hungaros quos jam publicis auxiliis fovere cæperant certior evasurus Bisantium Albertum Comitem Capraram ablegavit, qui & Barbaros ab iis juvandis compesceret, & jam finiri proximas viginti annorum inducias inter utrumque Imperium novi armistitii pactis redintegraret. Ast dum inutili suasione Comes Vizirum flectere Bisantii laborat Tekelius Rebellium Antesignanus sub oblatæ reconciliationis spe nuptias Ragozianæ Viduæ à Cæsare impetrat, cujus divitiis auctus novam cum Bassa Budensi armorum unionem statuit, tractisque ad sui sequelam, ferro & igni in renitentium facultates regni Proceribus Cassoviam obsedit, & capit XVIII. Kal. Octob. Inde Esperias, Leventium, & Filexum, ubi tandem Principis insignia Sultani nomine, clamidem scilicet, frameam, & sarissam ceu clavam accepit; post quæ Tokajum, & si quæ minoris momenti oppida erant in Hungaria Superiori; unde etiam titulum sibi arrogavit in cussis numismatibus: *Principis & Partium Regni Hungariæ Domini.*

*Tekelius Viduæ Ragozianæ nubit.*

*Rex à Sultano inauguratur.*

*Conjurat. in Regem Angliæ.* Novo conjuravit facinore in Regem Angliæ Carolum Nobilis ( *Lord* vocant) Schafburius, non regni tantum gubernationem molitus evertere, sed Regem ipsum, ejusque fratrem Eboracensem Ducem elaturus si res successisset. Complices adhibuit bene multos, quorum opera utrum-

utrumque Angliæ, & Scotiæ Regnum insurgeret condictâ die Nov. 27. in qua & vitam, ille Regi eriperet, & seditiosi magistratus Civiles in Provinciis tollerent. Re tamen ad multorum præcipue Catholicorum suspicionem adducta, rogatoque Rege ut sibi curis necessariis consuleret, dum tardiori se apparatu Complices ad rem gerendam accingunt percussus metu Schafburius, ne conjurationis Antesignanus Regi detegeretur in Hollandiam refugit.

*irrito effectu.*

MUNDI 5736. CHRISTI. 1683.

*Poloni Cæs. spondent auxilia in Turcas.*

Cæsar in imminentes sibi ingenti virium apparatu Turcas satagens fœderatorum se munire auxilio Remp. Polonicam ad armorum societatem sollicitat; quod cum plurium male sano consilio in generalibus Regni Comitiis dissuaderetur felici tamen incumbentis utrisque periculi metu XIV. Kal. Maji sancita est, Rege ipso Joanne Casimiro se Ducem auxiliaribus copiis spondente, dum in apertas hostilitates Turcæ erupissent.

*Inn. Pont. Cæsari promovet auxilia.*

Indicto Jubileo, quo Fideles Dei exorarent auxilia, & liberali æris numerati profusione Causæ Catholicæ Innocentius patrocinatur in Turcas; suisque & suasionibus, & exemplo præcipuos Italiæ, & Orbis Christiani proceres impellit, ut quæ possent communi defensioni conferrent auxilia; unde vis ingens auri collecta est, quæ itidem Cæsari ad bellica dispendia cessit.

*Dux Loth. Neosolium obsidet.*

Cæsareis Copiis Præfectus Dux Lotharingiæ Carolus quâ hostes præveniret Neosolium quadraginta millibus hominum stipatus obsidet; ast ne obsidionem ad optatum perduceret exitum ab adveniente præpeditur Turcarum exercitu, qui prodito sibi ab aliquibus Hungaris Arrabonis fluvii transitu latè cædibus, & incendio vastatis omnibus Viennam Austriæ obsidendam pridie Idus Julii appellunt. Inde immissâ ad Urbis defensionem Copiarum parte, ipse Dux aliquanto longius cis Danubium castra cum reliquo exercitu metatur.

*Turcæ in Austriam irrumpentes Viennam obsident.*

*Morlachi Turcarum aliquot loca vastant.*

Ad imminentis belli nuncios excitati *Morlachi* in finibus Dalmatarum, in Turcas insurgentes, aliquot eorum loca cædibus, rapinis, & incendiis funestant, recipientes se post excursiones factas in conterminam Venetorum ditionem, quo etiam prædas importarunt. Dum grandi iiarum apparatu, insolentibusque minis ob hoc Barbari in Oratorem Reip. Bisantii agentem vindicare gestiunt, ab eoque aliquot aureorum millia exprimunt in damnorum (ut ajebant) compensationem, eo adigunt Remp. ut de decernendo iis bello statueret, quod anno sequenti viriliter ordita insignibus eos jacturis affecit.

*Obitus M. Theresiæ Austr. Gallorum Reginæ.*

Obiit Parisiis v. Nonas Julii Maria Theresia Austriaca Franciæ Regina, & Regis Ludovici Conjux, præmaturâ morte si solitum vitæ cursum spectes, emeritæ senectutis si virtutum, & meritorum fructus quibus Aulam Gallicam abunde honestavit. Commendata maxime Regi Sponso ob innocentissimam morum pietatem, & ab rebus aut agendis, aut suadendis temperantiam; comperto enim, quod eâ præsertim sobrietate Rex Ludovicus delectaretur, cæteris omnibus abdicatis soli studuit sibi, unica patientia, & orationibus solita deprecari quæ præter Gynecęum fierent.

*Algerienses novo attriti.*

Novis Gallicarum navium deprædationibus fœdifragi Algerienses novo Gallicæ Classis insultu reprimuntur. In obsessos intra Urbis mœnia Barbaros aliquot nucum ignivomarum millia evibrata, quibus præsens timor incussus est perfidiosæ genti, in novas offensiones erupturæ, dum longe supplicium, & vindictam abesse crediderit.

*Renovata Londini conjuratio in Regem.*

Quæ Antesignani fuga, patientiâque Regis Anglorum Caroli evanuisse anno præterito conjuratio credebatur in novas erupit hoc anno molitiones. A substituto Schafburiensi Comiti sex Virorum Concilio delecti sunt, qui ea omnia procurarent, quæ ad meditata exequenda contulissent. Destinatus præcipuæ qui Scotiæ insurrectionem urgeret Argilius Comes alicujus inter Scotos existimationis, collato ei ære numerato quo arma emeret insurrecturis rebellibus ministranda. Indictus mensis Martius, in quo de more Rex ad ruris delicias, urbe eggressus, in itinere dum rediret à sicariis confoderetur, qui occulti secus viam in domo unius è conjuratis eum cum fratre, & paucis familiaribus advenientem observarent. Descripti alii qui eadem die Lundini sub Epuli prætextu congregati, dum primus occisi Regis Urbem rumor perculisset, in plebem exilientes famosos libellos spargerent, & seditiosâ præsensus libertatis conclamatione commoventes plebem eam ad arma rapienda impellerent, occupaturi inde palatium, & arcem in quibus ii omnes ceu Magistratus, ceu Præsidiarii enecarentur qui rerum mutationem improbarent. Ast quæ omnia tot curis, & expensis procurarat Conjuratorum furor lævissimo casu dissipata sunt; Indignatus enim Rex Carolus ignem in palatio ad quod ruris potiundi cupidus se contulerat fortuito accensum conceptam lætitiam pervertisse, inopino regressu in urbem se proripuit, unde & factum est, ut conjuratis tempus deesset, quo meditata disponerent, iisque providerent omnibus quæ ad omnia insimul exequenda parabantur.

*fortuito casu dissipata.*

*renovata ac denuo dissipata.*

Cum obstinatos Conspiratores, nihilominus adhuc rectos, captata opportunitas defecisset novis occasionibus intenti gemino se fœdare parricidio constanter decernunt ceu Rex cum fratre ad rusticanum iter se denuo accinxissent, seu alterius relaxationis gratia in solitaria navicula Tamesim obambularet, ceu denique ad aliquod publicum spectaculum convenientes communem sui copiam fecissent. Parabatur Aulæ, & Urbis geniali oblectamento annua Taurorum pugna x. Cal. Jul. habenda. Sed quo minus vicino periculo incauti succumberent Conspiratorum unus effecit, qui concepti facinoris pœnitentia ductus rem totam aperuit Regi, cujus jussu complices partim intercepti, & mulctati sunt, partim fuga supplicium declinavere.

Post

Post proposita diu in Cortracensi congressu quæ in Belgio jura Ludovicus Rex prætendebat velut ultimæ pacis complementa tandem pridie Cal. Sept. sub Humerio Marescallo exercitum eo dirigit, qui quadripartitus primum velut amicus in tot provinciis, solo commeatu, & tributis contentus ibi aliquandiu vixit, velut hoc incitamento Hispanos tracturus ad satisfaciendum sibi: Verum dum isti Gallis pro hostibus habitis eos ferro, & armis insectandos populis indicunt, suppetiasque pro bello aperta vi gerendo à Batavis impetrant, Humerius Cortracensem civitatem obsidet, & capit, & post eam Dixmudium; properante interim Crequio cum altero exercitu Luxemburgum versus, quod innumera globorum ignem vomentium procellâ impetitum, tunc tamen solo privatarum ædium damno luit.

Protracta ad duos menses Viennæ obsidione per omnia offensionem genera, queis solet sævire in urbes obsessas armatus furor, tandem adveniente cum Polonis suis Joanne Casimiro pridie Idus Septembris à fœderatis exercitibus funduntur, & fugantur obsidentes Barbari, eo terrore, & confusione acti ut non milites certamen, sed stolida animalia lanienam sustinere viderentur. Cessere victoribus opipara Castrorum Turcicorum impedimenta generis omnis opibus, & munitionibus referta, immortalisque gloriæ fastis proprium nomen transcripsit Ernestus Rogerius Comes Starembergius, qui armorum in Urbe obsesâ Præfectus, in quasi desperato rerum omnium statu ita animos suis adhortationibus, & exemplis firmavit, ut nedum virili pectore aggredientes retuderint, sed eos frequentibus eruptionibus lacessentes ingentem hostium stragem ediderint, ob id à Cæsare honoribus, & divitiis auctus, donatusque à Rege Catholico Aurei Velleris torque in fidei, fortitudinisque commendationem.

Reduces Strigonium versus Barbari, qui à soluta obsidione reliqui fuerant ibi denuo à fœderatis Cæsareis, & Polonis invaduntur, & funduntur VI. Idus Oct. multis ut internecinam cladem effugerent in Danubio, quem trajicere moliuntur, aut immersis, aut confossis. Inde civitas obsessa est, & capto primum Parchano quod ejusdem cis flumen pars est, vel suburbium, ea se brevi obsidione coacta dedidit VI. Cal. Novemb. receptis etiam circa hæc tempora aliis urbibus, quæ confecto defectionis rubore primam Cæsari obedientiam redditum festinarunt.

Dum molimine omni Vizirus Viennensem obsidionem promovet Tekelius Ussaini Bassæ copiis auctus cum suis rebellibus Moraviam rapinis, & incendiis funestat. Sed à Cæsareo Duce quæsitus insigni prope Possonium clade afficitur cum impedimentorum omnium jacturâ, insectante fugitivos exercitu usque ad fluvium Vagum, & extrusis Possonio præsidiariis qui Rebellibus favebant.

XIII. Cal. Decemb. crevit Delfino post primum secundogenitus filius, cui nomen inditum est Philippi à Patruo susceptore, & attributus titulus Andegavensium Ducis.

*Cosachi Tartaros vastant & fundunt.* Nonis Decemb. Corischius Cosakorum eorum Dux, qui Polonorum Reip. parent Valacorum, & Moldavorum copiis sociatus in Tartarorum regionem, vulgo *Budziach* delatus, omnia igni, & ferro populatus est; vastato Bialogrodensi, & aliquot aliis oppidis, deletisque clade internecina Turcarum, & Tartarorum triginta millibus, qui acie cum eo confligere ausi sunt.

*Viziri Kara Mustapha mors.* Qui velut cladis sub Viennæ acceptæ auctores & causas Bassas aliquot Vizirus Kara Mustapha laqueo sustulerat, Taurini VIII. Cal. Jan. pari supplicio infœlicis belli mulctam luit Sultani præcepto, & barbaræ gentis more, quæ infœlices etsi nullius noxæ reos, quasi eorum morte præteritas, aut imminentes calamitates deprecatura solet devovere.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5737. | 1684. |

*Marcus Ant. Iustinian. Dux Venetiar.* Aloysio Contareno in Principatu Venetæ Reip. successit solito suffragiorum examine probatus optimus Marcus Antonius Justinianus Eques, & Patriciæ familiæ inter primas Reip. singulariter insigni, quam etsi omnigenæ dignitatis decoribus ornatam, hactenus tamen Principatus titulum non attigerat. Vix primos exegerat menses in Magistratu cum publicis sacris fœderatam se Cæsari, & Poloniæ Regno in

*Resp. Veneta bellu Turcis indicit.* Turcas pronunciavit Resp. indicto bello Othomanorum tyrannidi quæ unico ambitionis prætextu eam olim tot provinciis exuisset. Parata proinde assiduis curis generis omnis munimenta, & Præfectus Summa auctoritate bello gerendo Dux Franciscus Maurocenus Eques, & Divi Marci Procurator, fœdus, & sollicitum armorum apparatum promovente Innocentio Pontifice, qui etiam Triremes Sedis Apostolicæ, & Melitenses cum selectis copiis Venetorum Classi militaturas ad finem usque belli spopondit.

*Induciæ propositæ inter Reges Hisp. & Gall.* Kal. Feb. Savus Mellinus S. A. apud Catholicum Regem Nuncius Pontificis nomine Carolo inducias cum Rege Galliæ sanciendas proponit, quatenus bello solutus auxilia Cæsari militanda in Hungariam delegare posset. Ast causatus Carolus se à Rege Ludovico armis petitum à justa defensione abstinere non posse, cæptæ in Belgio offensiones adhuc per aliquot menses perdurarunt.

*Nuptiæ Victor Amed. Sab. Ducis cum Anna M. Aurelian.* Pridie Nonas April. nupsit Victor Amedæus Sabaudiæ, & Subalpinorum Dux Annæ Mariæ Philippi Aurelianensium Ducis filiæ, remisso nuncio ei, quod alias cum Infante Lusitaniæ matrimonium pepigerat, quodque fatale sibi à ditionibus suis absenti suasum conceperat.

*Lud. Genuensibus infensus urbem è classe incendit.* XVI. Kal. Jun. se videndam obtulit Urbi Genuensi Classis Gallica, cujus Imperator Marchio Segnelajus advenientibus officii causa Reip. Legatis mentem Regis aperuit in eo sitam ut ob illatas nomini, & genti suæ contumelias, Parisios

risios quatuor Senatores satisfactum ablegarent, cederentque Regi triremes quatuor, quas de novo instructas libertatisque nomine insignitas, quasi ad ejus potentiæ fastum ostentabant quæ à nullo sibi periculo timeret. Quod libero Reip. dominio his petitionibus detractum Genuenses arbitrarentur, datumque præteriisset horarum quinque spatium, in quo decernere iis tuto licuisset, Marchio ab incendiariis navibus in urbem æra ignivoma jussit vibrari, quibus brevi ædes innumeræ arserunt, continuata diebus undecim hac offensione, qua elegantissimæ civitatis pars major attrita est, numerati decies & ter mille trecenti globi, qui ignem fatali ruina in ædes, palatia, templa, & cœnobia confuso, & indiscriminato casu injecere.

*Pax rebellibus Hüg. oblata.*

Quo majori conatu bellum Cæsar urgeret in Turcas veniam, & pacem rebellibus Hungaris edicto obtendit, quâ allecti plures etiam præcipuæ inter eos Nobilitatis ad primæ fidei Sacramentum rediere. Indicta sunt tamen Regni universi Comitia Posonii Martio mense habenda, in quibus Cæsaris nomine Lotharing. Dux Carolus Comitatus integros ad ejurandam obstinatæ perduellionis notam adduxit, Tekelio Rebellium Antesignano in armis stante, quibus tamen Unguarium frustra obsedit, iteratis cladibus à Cæsareis copiis attritus; unde ut se tueretur exosam Hungaris ipsis Tartarorum gentem ad sua vocare signa compulsus est.

*Tekelius profligatus*

*Arx Tingit Anglis derelicta.*

Pertæsi Angli & dispendiorum, & timoris quem irrequietis insultibus Barbari præsidiariis incutiebant, tandem Arcem Tingitanam solo æquatam deseruere, asportata inde re tormentaria: utili sane consilio si inutilibus sepulta ruinis arx mansura fuisset, quam immo illico occupatam Mauri prompto labore, iisdemque ruderibus reædificatam in Christianorum perniciem converterunt.

*Luxemb. captum & Gerunda obsidione soluta.*

VIII. Idus Junii Luxemburgum armis Gallicis jam per mensem, & amplius obsessum se Regi Ludovico dedidit, ultimoque sic impulsu dejecta Hispanorum fiducia, qua melioris fortunæ spe pacem accipere detrectabant. Diverso exitu Gerundam in Catalonia obsedere iidem Galli, quæ à Bornovilleo Hispanorum Duce armis impetiti re infecta, acceptaque clade abscedere coacti sunt. Trevirorum tamen ad Mosellam Civitas ab iis præoccupata, cum de ea novis aggeribus firmanda Germani deliberant muris, cæterisque munimentis disjectis utrique parti inutilis effecta est.

*Vicennales Induciæ inter Cæs. Regem Hisp. cum Rege Ludov. pactæ*

Jactatis diu inter vanas consultationes fœderatorum Principum Ministris, qui Hagæ Comitum ad conciliandam cum Rege Ludovico pacem convenerant, obstinatisque Anglis, & Batavis in proposito temperandi ab defensione Imperii, & Belgii, tandem Ratisbonæ XVIII. Kal. Sept. in vicennale armistitium sub induciarum nomine concessere Cæsar, & Rex Hispaniæ Carolus, quarum induciarum pactis Rex Ludovicus Argentoratum in Germania, Luxemburgum, Belmontium, Bovinæ, & Chimajum in Belgio retineret, restitueretque Hispanis Cortracum, Dixmudium, & si quæ alia juris sui vertente bello fecisset.

*Vicegradi & Vacciæ capta.*

Indictis exercitui Christiano Schintæ ad Vagum fluvium campis, in quos adversus hostem processurus ad signa conveniret, inde Vicegradum contendens urbem Danubio insidentem brevi labore occupat XVIII. Kal. Julii Summus Copiarum Præfectus Lotharingiæ Dux, funditque Hallevilensis Turcas aliquot qui exercitus impedimenta fidei suæ credita, ut ea post castra ductaret intercipere, & aggredi ausi sunt, quamquam ipse Cohortium Antesignanus è vulnere accepto pugnans occumberet. Inde Vacciæ alteri Urbi Danubio pariter imminenti dum progredientes acies propinquant, in Budensem Præfectum cum justo exercitu obvium incurrunt, quem etiam inito certamine fugant, & delent tribus infidelium millibus occisis, prædaque rapta tum signorum, tum rei tormentariæ, quam secum vehebat. Quo rei bene gerendæ omine cæptam Budæ Hungariæ Metropolis obsidionem non infœlici exitu spes erat fore terminandam; (maxime quod bis, terque durante obsidione *Seraschierum* obsidentes avertere satagentem insigni, & repetita clade attrivissent) nisi iniquus, quo præcipui rerum Administri laborabant, livor publicis profectibus obstitisset, quo factum est, ut Kal. Nov. solvi obsidionem necesse fuerit, Vacciamque urbem infidelibus repetendam deseruisse.

*Budæ frustra tenta.*

*Rebelles male habiti.*

Emmericus Tekelius, qui (quod suis minus fideret, quorum bene multi ad Cæsaris partes ab ipso quotidie deficerent) Prætorianis Janizaris utebatur, immissis aliquot suorum cohortibus, ut prædas abigerent, eas & à Palfio Regni Palatino, & à Comite Rabata misere attritas recepit, *Unguarii* tamen obsidionem aggressus, arce præsidiariis se post aliquot dies dedentibus potitus est, quos in suorum vindictam palis per viscera immersis more Turcico jussit enecari. Inde sævviit generis omnis furore in confinem regionem, cujus oppida, & incolas cæde, & flammis absumpsit. Sed Schultzius Cæsareorum per Hungariam superiorem ductor captis aliquibus castris eodem rebelles, quos inibi reperit, supplicio affecit, Tekeliumque ipsum non longe ab Eperiis castra metantem ita XVI. Kal. Octobris incautum noctu intercepit, ut magnam suorum partem cederet, ipso sibi seminudo fuga saltem parante, & papiliones, cæteraque exercitus sui impedimenta victoribus cedere coacto. *Bartfeldium* ad radices Carpathi montis, & *Machovitium*, ubi ingens commeatum copia rebellium usui parata, & alia late ceu oppida, ceu castra Schultzio pariter cesserunt, qui etiam audito quod Tekelius retractis è fuga suis, auctusque aliquot turmis Barbarorum prope *Leutschium* nova moliretur, eundem ut prius interceptum XVII. Kal. Januar. iterum delevit, profligato ejus exercitu, eoque adacto ut novam fugam Agriam versus celeraret.

*Tekelius Unguarii capsit.*

*à Schultzio ceditur prope Eperias.*

*iterum ad Leutschik profligatur.*

Jam

Jam ab anno præterito quo bellum in Hungaria contra Turcas geri cæptum est ad communis defensionis, & offensionis periculum vocati Croatæ, ineunte hoc ad rem strenue, & gnaviter gerendam Pontificis Innocentii suasionibus, & liberali æris numerati contributione incitati *Varovizzam* in Posegensi tractu urbem obsederunt, & IX. Kal. Aug. ad deditionem coegere. Eorum acies aliquot Germanorum, & Sclavorum copiis auctas ductabat Lesleus Comes, qui militaris scientiæ usu gentis ferociam temperabat, eo successu, ut late vastatis regionibus incusso metu pagi ducenti viciniores cum aliquot arcibus ceu castris ad Cæsaris fidem tracti sint, quos hactenus imperterrita constantia Croatæ, & Sclavi tutati sunt.

Veneti sub Francisco Mauroceno classe ad Leucadis Insulæ (vulgo à *S. Maura* dictæ) littora delati arcem Jonico infestam 17. dierum obsidione capiunt VIII. Idus Augusti; indeque quod Turcæ Nicopoli non longe dissitæ timentes eam valido præsidio firmassent oras circumpositas legentes aliquot mari vicina oppida diripiunt, qua hostes in diversæ defensionis curas abstraherent. Quod ubi fœliciter cessisset in Ambracium sinum reversi eandem Nicopolim terrâ marique obsident, quæ tandem post hebdomadas aliquot æneis globis attrita, effossisque cuniculis proxima convelli III. Kal. Octob. se dedidit, reperta ingenti bellicarum munitionum copia, quam ibi Turcæ coacervabant. Aliis timendam se offensionibus præbuit Classis Veneta Ægei maris Insulis, quarum aliquas captivorum raptu, omnes emunctis tributis afflixit.

Belli quod in Belgio gerebatur prætextu Rex Angliæ Carolus delectu habito, & vocatis ad signa copiis, utque tumultuantes secretis murmurationibus eos compesceret, qui Montmuthium Ducem ortus etsi non legitimi privilegio Regni Successorem cupiebant primum Edimburgi in Scotia, inde etiam Londini, in publicis Comitiis Jacobum Fratrem Eboracensium Ducem unicum sibi Successorem renunciari curavit, restitutis eidem dignitatibus, & officiis omnibus quæ tantæ hæreditatis spe fulgentem decebant, addito ei Scotiæ proregis titulo, & vicariæ auctoritatis procuratione per omnes terra marique ditiones, quæ Anglico sceptro parebant.

Nihil remorante hyemis frigore Tekelius gestiens Neosolio à Cæsareis copiis lata obsidione cincto succurrisse decem millibus militum ad signa vocatis, quâ sibi ad suppetias ferendas viam sterneret Schultzium armorum per Hungariam Præfectum, inque hybernis incaute versari creditum intercipere molitur: sed à Schultzio ipso præventus prope Rosenavium XVIII. Kal. Jan. insigni clade atteritur, fuga sibi pro more consulere coactus, omniaque tum exercitus sui impedimenta tum propriæ supellectilis vasa hosti permittere.

MUNDI 5738. CHRISTI. 1685.

Pridie Idus Januarii Prunæ in Moravia decessit octogenario major, ingentis patrimonii arbiter *Georgius Szelephanius* Strigoniensis Archiepiscopus, & Hungariæ Primas, qui optimo tot facultatum usu, (eas enim ad duos fere milliones florenorum ascendere dictum est) quas maxime per pingues Ecclesiæ proventus collegerat, omnes in pietatis opera erogavit. Hæreditatis opimam crevit partem Leopoldus Cæsar, à Testatore cæteris ceu propinquis, ceu necessariis prælatus, utpote cui grave contra infideles belli pondus, & cura incumbebant. Accita dein Strigoniensis Ecclesia, aliaque ceu Monasteria, seu Xenodochia, quorum utilitatibus reliqua bona cesserunt.

*Mors Strigonii Primatis, qui amplißs. facult. omnes in pia opera erogavit.*

III. Kal. Februar. gentilis pietatis hæres Carolus Hispaniarum Rex Rudolphi suorum Habspurgensium Antesignani exemplo obvium ruri, quo oblectamenti causa diverterat Sacerdotem offendens, qui pedes sacra Christi pignora ultimum ægro rustico Viaticum deferebat, eum jussit reverentiæ ergo rhedam qua exscenderat subire, pedibusque ipse ad rusticanum mapale procedentem comitatus est, eo humilitatis, & modestiæ specimine quod sæpe in plebeis capitibus desideres.

*Rex Hisp. Car. Sacramenta ferentem pedes comitatur.*

Nedum Genuenses ab ultima urbis vastatione novas Regis Ludovici offensiones timere destiterant, quin omni conatu satagebant & iras officiis deprecari, & sese contra iteratos Classis Gallicæ insultus protegere. Sanxerunt cum Hispanis nova fœdera, qui in urbem suas Neapolis, & Siciliæ triremes destinarunt; sed id in primis meliori consilio tentavere, ut Innocentius Pontifex sacra auctoritate animum Regis Ludovici flecteret, pacemque populis exoraret, quibus ipsa virium tenuitas tantæ potentiæ impar veniam prærogabat. Jactata res est multis consiliis, & officiis, tandemque pridie Idus Febr. pax restituta, pacto adventu Parisios Ducis, & quatuor Senatorum Genuensis Reip. qui modestis excusationibus præterita diluentes Regi Ludovico satisfacerent. Omnia adamussim expleta, Caduceatoresque se Regi Ludovico XVIII. Kal. Jun. stiterunt, iisque vicissim Rex antiqui affectus argumenta liberali favore reposuit.

*Pax Genuensibus a Rege Lud. reddita.* *quibus pactis.*

XIV. Kal. Martii Fatis Lundini concessit Carolus Angliæ Rex, in extremis vitæ assertâ Religione Catholicus, quam ab annis bene multis secreto jam coluisse creditus est; immo hanc publice professurus, si diutius vixisset, eo enim res suas abduxerat, ut imminentes ob id metus vi, & auctoritate reprimere potuisset. Vixit à patris nece regno per decennium exul, sed solio restitutus ita præteritorum oblivisci visus est, ut neglectis curis quibuslibet solis otio, & voluptati se deditum ostenderet, ultimis præsertim annis, quibus Europa ejus viribus, & officiis tantopere egeuit.

*Obitus Caroli II. Regis Angliæ.* *ejus mores.*

Eodem fraterni obitus die ab universis regni Proceribus salutatus est Regiæ dignitati Successor

*Iac. Ebor. Dux Rex salutatur.*

cessor Jacobus Eboracensium Dux, cui dein omnes Regni Ordines se solito obedientiæ juramento obstrinxere, quamvis is se Catholicum, & Sacris Romanis addictum palam profiteretur. Quin immo in Oxfordiensi Academia Regni primaria VI. Kal. Augusti Doctorum omnium calculis edita sententia est, neminem cujuscumque religionis, qui ortus debito Sceptris Anglicis pareret, obedientiam detrectare posse, nisi se infami perduellionis crimine notatum vellet.

*Rebellare capit Dux Monmut.* Interea quæ publicæ tranquillitati opportuna statuere Jacobo Regi visum est, illud in primis fuit, ut Jacobus Dux Monmutius extincti Caroli filius notus, qui tunc inter Batavos versabatur, ab regni ingressu abstineret, ne quod ei vanis pollicitationibus aliqui suggerebant plebs Principem hæresi addictum aliqua seditione ad solium evehere conaretur. Is nihilo tamen secius vel exilio irritatus, vel spei illicio captus, comparatis sibi sociis Argilio Comite, & Nobili Grajo rebellionem meditatus eos in Scotiam cum armis, & copiis aliquot præmittit, brevi secuturus dum ipsi prima molitminis fundamenta jecissent. *Argilius Comes ei favet in Scotia.* Exscensione facta rebellionis Antesignani, sparsisque libellis quibus populos ad Monmuthii fidem advocabant, Regem adduxere ut Atholiensem Dynastam eo cum copiis dirigeret, maxime quod jam in ipsa Lundini civitate intercepti forent aliqui, qui arma, cæteraque belli munimenta rebellibus ministranda paraverant. Postulavit insuper Rex Jacobus, ut Regni Comitia de seditiosis, & quieti publicæ noxiis hominibus decernerent, exoravitque ut majestatis rei, ideoque capitali supplicio mulctandi renunciaretur, quod brevi etiam effectum est; Argilius enim Comes in Scotiâ à Regiis insectatus, dissipatisque suis, dum inter paludem fugitare conatur, *Sed captus uterque morte luit.* interceptus Edimburgi III. Idus Julii capite luit, Monmuthiusque pari sorte prælio ad Briduaterum in Anglia victus, captusque Lundini VII. Kal. Aug. Regis titulum (cujus personam aliquandiu Glassemburis inter suos asseclas egit) cum rei capitali supplicio commutavit.

*Mors Isabel. Claræ Mantuæ Ducissæ.* Idib. Martii decessit Mantuæ Isabella Clara Austriaca Caroli II. Mantuæ, & Montisferrati Ducis Vidua non tam longo ditionis administratæ usu, quam privatarum vitæ rationum fama celebris.

*Reg. Lud. Orator ad Regem Siamensem.* III. Nonas Martii insigni legatione Rex Ludovicus honestavit Regem Siamensem, quem in extremis Indiarum oris positum jam diu intellexerat erga Religionem Catholicam inclinatum Sacerdotibus favere, qui ad fidem in his regionibus ferendam à Sede Apostolica destinabantur IX. Kal. Oct. Orator Siamum appulsus, honorificeque exceptus pluribus suasionibus nomine Regis Ludovici egit, ut Ethnicum *ut Christianus fieret.* Principem ad Sacra Romana adduceret, quod etsi aperte tunc temporis minime consecutus est, illud tamen evicit ut Catholicis qui in toto Regno ceu viverent, ceu fidem prædicarent, quies secura, & libera facultas sacrorum suorum maneret, connitente præsertim ad protectionis assecutionem Constantino Falconio Græco, qui intimo Regis favore, & præcipua rerum administratione in Aula Siamensi gaudebat.

*Neosolium obsessum à Cæsareis.* Vetitis quas iterato conatu Turcæ Neosolium suppetias inferre tentaverant, Urbs tandem stricta obsidione sepiri cœpta est Kalend. Julii, omnique arte promota obsidio, ceu directis in eam tormentis bellicis quæ muros diruerent, ceu subterraneis viis effossis, per quas ad eosdem muros clanculum suffodiendos, nitratoque pulvere excutiendos iretur. Serascherius tamen Turcorum Dux sexaginta hominum millibus obsidentes avertere satagens recepto per viam Vicegrado, Stritigonium & ipse obsidione sepire parat; *& Strigonium à Turcis.* quod cum acri molimine urgere non desistit Carolus Lotharingiæ Dux summus Cæsaris copiarum Præfectus, & Maximilianus Emmanuel Bavariæ Elector eductis è Cæsareo exercitu vix triginta millibus millitum in eum movent, consertoque (quod diu renuerat) prælio illum insigni clade afficiunt XVII. Kal. Sept. *qui acie funduntur.* Caprara Comite post triduum cum reliquis copiis quæ castris incubabant Urbem Neosolium vi expugnante, in qua à victoribus Christianis *& Neosolium amittunt.* cæsi Turcæ pene omnes ætatis & sexus promiscui, qui in ea inventi sunt. Attritus his cladibus Serascherius Budâ, quo se post amissam pugnam receperat Oratorem, & Epistolas ad Lotharingiæ Ducem direxit, *Turca pacem supplicant.* quibus præter Gentis morem humilis pacem precatus est, quod non semel durante hoc Hungarico bello indociles ad humilitatem Turcæ iterarunt.

*Eperia à Cæsareis capta.* Neosolii casus Eperiarum (quæ rebelles Hungari obstinata pervicacia tuebantur) sorti præluxit. Obsessa enim Urbs Schultzio, quod populosa, & valido præsidio munita foret jam diu acri defensione restiterat: sed audito quod Copiarum pars quæ Neosolium cœperant, contraverantque Serascherium eo dirigeretur de deditione tractavit, quæ pridie Idus Sept. sancita est, extrusis iis præsidiariis qui rebellibus merebant, & ad ejus exemplum minis & terrore coactis aliis minoris momenti Oppidis, & Arcibus, quæ eisdem favere non erubuerant.

*& Cassovia.* Caprara alter Copiarum Cæsarearum Ductor Schultzio unitus Cassoviam Hungariæ Superioris caput VII. Idus Oct. obsidet generisq; omnis offensione ad deditionem cogere satagit sed res duriori forsan labore protracta spem fefellisset ob Urbis egregiæ munimenta, & obstinatam animorum pervicaciam, nisi desperatis auxiliis territi obsessi sese dedendi consilium iniissent. *Tekelius à Turcis male habitus.* Perculit eos qui de Emmerici Tekelii captivitate nuncius exeunte Octobri pervenit: Varadinum enim ut suppetias à Turcico Præfecto exoraret progressus Rebellium Antesignanus ibi in vincula jussu summi Viziri conjectus, vilique & rusticano plaustro impositus Adrianopolim tractus est, Cassoviensibus interim ad Cæsaris fidem reductis, quam primus Bethnasius Urbis pridem obsessæ Gubernator juravit, lateque deinde Cæsareis arces, & oppida recipienti-

pientibus, quorum timore Turchi *Zolnochium* insignem ad Zagivæ fluvii in Tibiscum influentis littora positam cum Arce Urbem, & cæteri Rebelles Unguarium, Tokajum, & alia deseruere.

Idibus Julii Viennæ in uxorem accepit Maximilianus Emmanuel Bavariæ Elector Mariam Antoniam Leopoldi Cæsaris filiam ex Margaritâ Austriaca Philippi IV. Hispaniarum Regis nata, cujus etiam matrimonii titulo (eo casu quo improlis Carolus Hisp. Rex decederet) dotales ad Belgium rationes ex Avi Philippi testamento assumpsit. An autem hæc cessio litium novarum materiam paritura sit, id futuri temporis facta revelent.

III. Idus Aug. Lesleus Comes delectu Croatarum stipatus oppidum *Michalovitium* in Sclavonia vi occupat, progressusque Mursan (vulgo *Essek*) ibi urbe trium millium præsidiariorum clade receptâ, Pontem portentosæ magnitudinis (quippe qui ad sex millia passuum protendatur) quo in Hungariam illabi Turcæ solent, flammis donat, late vastato regionis tractu per quam copias ad stativa reduxit. Aliunde in Bosnia Illirici parte *Dubitzam* v. Kal. Sept. repentino insultu invadit, & capit Erdeodius Comes alterius Croatarum manipuli ductor: ut & Eberfteinius in Liccam Turcorum provinciam irrumpens omnia ferro, & igne miscet.

Aucta Pontificiis, Etruscis, & Melitensibus triremibus Classis Veneta sub Francisco Mauroceno Belli Duce exscensione in Peloponeso facta exeunte Junio ibi Coronim urbem obsidet, septisque vallo castris offensionis omnis genere ad deditionem trahere contendit. Quo minus tamen ea potiatur castrametati haud longe Barbari omni studio vicissim laborant, aggressionibus in obsidentes repetitis, quibus nedum vim urbi inferrent ipsi ad sui tuitionem avocabantur. Hinc Maurocenus quo sibi infestos arceret, cum eis prælium conserit VII. Id. Aug. quod ubi feliciter cessisset deletis, & fugatis Barbaris, dum obsessi deditionis obtentu incautos suffossis cuniculis Venetos opprimere tentant, ab istis subita impressione intercepti internecina clade atteruntur, cedente sic victoribus urbe, in qua præsidiarii, & incolæ fere omnes efferâ, & impotenti militis irâ trucidantur.

XVI. Kal. Aug. Romæ Congregationis, quam Sancti Officii vocant, decreto è domo ad carceres trahitur Michael Molinos Sacerdos Hispanus, qui fictæ pietatis larva abusus sub devotionis prætextu, incautæ conscientiæ multos, propinata *Orationis*, quam *Quietis* vocabat methodo adinanem perfectionis fastum seducebat. Mediolano non diu post Romam pariter evocatus alter delirantis Sectæ Coripheus eidem Michaeli, frequenti literarum missitatione familiaris, amboque in carceres detrusi à seducendo quiescere jussi sunt.

Kal. Oct. Viennæ secundum Cæsari Archiducem peperit Augusta quem Caroli nomine insignitum voluere parentes in spem, & omen illius virtutis, & fœlicitatis quæ Gentilem Carolum Augustum Austriacæ familiæ decus aliquando honestarunt.

Proscripsit solenni Edicto in curia Parisiensi vulgato XI. Kal. Nov. Rex Ludovicus ex universa Gallia Calvini quæ diu viguerat hæresin, omnesque sibi subditos Catholicos vivere, & Sacris Romanis operari jussit. Revocatum hac sanctione quidquid hæreticis Regum Antecessorum patientia maxime Henrici IV. Indulto, quod Nannetense vocant fuerat permissum, continuoque per Regnum universum, & templa diruta qua aliquando eorum usibus servierant, & eliminati omnes Hæresis præcones quos inibi *Ministros* Ecclesiarum appellabant. Jam pridem Ludovicus Rex omnes qui Sacris Romanis non utebantur ab dignitatum omnium seu sagi, seu togæ consecutione arcuerat, exauctoratis omnibus, qui iis hactenus potiti fuerant. Inde secuta multorum conversio quos rei privatæ decus & utilitas à pristino errore abstraxit. Ast vetita solemni Justitio omni hæresi, turmatim populi novæ fidei nomen dedere, non minori forsan eorum numero, qui laribus derelictis in vicinas provincias dilapsi sunt.

*Vgonotarum secta extincta in Gallia.*

VII. Kal. Junii Heidelbergæ præmatura morte obiit Carolus Elector Palatinus in ipso fervidæ ætatis flore, annorum scilicet 34. improlis, unicam relinquens sororem Carolam Elisabetham, quæ pridem Philippo Aurelianensium Duci nupta litibus, & periculoso dissidio ansam ceu prætextum ministravit. Successit ditionibus, & Electorali dignitati Philippus Vilelmus Dux Neoburgensis Catholicus, qua accessione ad Principatum in toto ejus ambitu Catholica Fides, & Sacra Romana libere permissa sunt.

*Obiit Carol. Elect. Palat. cui succedit Phil. Vilelm. Dux Neoburg.*

| MUNDI | CHRISTI |
| --- | --- |
| 5739. | 1686. |

Inter Kal. ipsas Jan. Mercius copiis Cæsareis quæ hybernas stationes in Hungariâ Superiori obtinebant, Præfectus *Aradium* Arcem ad Marosii fluminis littus cum jam intercepisset, cæsis in ea bis mille Janizaris qui novo delectu ad signa vocati in Hungariam properabant, denuo paucis diebus interjectis Seghedinum ad Tibisci ripas movens oppidum repentina impressione captum flammis donat, ingentique præda potitus ad stativa revertitur.

*Aradium, & Seghedin. capta.*

Idib. Febr. Comes Caraffa cum copiis egressus, ut Tekelii captivitate soluti minas & nova molimina præverteret, S. Jobi Castrum non longe à Varadino recepit, fœlici unius glandis ignivomæ jactu, quæ in turrim in qua nitratus pulvis cæteraque belli munimenta asservabantur cadens, iis consumptis tanto præsidiariorum terrore turrim disjecit, ut quingenti ex iis reliqui se dediderint. Irrito tamen conatu per hos dies Caprara Mungatzium obsedit, in quo Tekelii uxor inclusa, neglectis primum consiliis & minis, quæ ad eam Cæsari reconciliandam injiciebantur, valida se generis omnis defensione tutata est.

*S. Iobi castrum receptum.*

*& Mungatzium frustra obsessum.*

*Heretici è subalpinis vallibus excedere jussi.*

Kal. Februar. Victor Amedeus Sabaudiæ Dux Regis Ludovici pietatem æmulatus Hæreticos in aliquot subalpinis ditionis suæ vallibus tamdiu commorantes edicto proscripsit, pœnamque capitis statuit iis qui obstinatâ pervicacia Catholicam fidem amplecti renuissent. Diruta eorum templa, & eliminati Heterodoxiæ præcones: sed cum locorum aspero situ alicubi se tutari posse sperarent; inde aucta iis fiducia Catholicos, & præcipue Religiosos (qui ad eos in fide instruendos missi fuerant) male habent; in cujus proterviæ vindictam copias eo Dux immisit, occupatisque vi præcipuis eorum recessibus internecinâ eos clade delere decreverat, cum Tigurinorum & Bernensium nomine supplicatum Oratores adveniunt, ut iis parcatur. Eorum intuitu alio Edicto VIII. Idus Apr. vulgato eos permisit Dux ditionibus suis excedere; ast larium, & rei familiaris amor cum multos adduxisset ut apertâ rebellione & exire, & converti detrectarent, bello instaurato in eos movens expugnatis omnibus eorum munimentis tandem coegit exulare.

*Catholici male in Scotia habiti.*

VI. Id. Febr. Edimburgi in Scotia heterodoxi in Catholicos insurgentes eos variis in locis ad sacrorum suorum exercitia congregatos misere affligunt, domosque eorum diripiunt in ejus libertatis vindictam quam eis nuper Rex Jacobus concesserat. Comes *Perchtus* urbis Præfectus ut sævientes compesceret aliquot eorum captis mulctam virgarum statuit: sed cum supplicium paratur à majori seditiosorum numero impetitus vix non obtruncatur, unde immissis in eos præsidiariis partim cæduntur, partim fugantur, reliqui destinato supplicio puniuntur.

*Area victoriarum Parisiis aperta.*

Aperta Lutetiæ Parisiorum *Area* ingens, quam *Victoriarum* vocarunt, in qua insigni opere fabrefactum Regis Ludovici simulacrum erectum est, & circa illud paris operis columnæ duodecim terno complexu in quatuor angulos distributæ cum appensis numismatibus æreis, in quibus præcipua ejus gesta, & victoriæ sculpta & scripta referebantur. Magnificentissimo operi, & lychnis quatuor continuo igne circa Regis simulacrum illucere destinatis, expensas ministravit Franciscus Albussonus Foliadeus, & Franciæ par, ut singulari Ludovici favore ad amplas dignitates & divitias evectus, sic ejus gloriæ cupidus qua se eximio grati animi monumento insignem exhiberet.

*Extinctus Ordo Monialium Infantia D. N. J. C.*

Pridie Idus Maji regio edicto extinctus in Gallia est Ordo Monialium quem ab Infantia Domini Nostri Jesu Christi vocabant, eo prætextu quod quædam circa fidem sentire dicerentur minus consona Catholicæ veritati. Quia tamen hæc discussio Pontificis Romani auctoritatem præcipue spectaret, delictumque à malevolis obtrectatoribus obtendi crederetur, id gravatim Innocentius Pontifex audivit, crevitque inde materia quæ non sopiti dissidii nova semina ministravit.

*Captum à Venetis Navarinum & fugati Auxiliares Barbari.*

Ad novas offensiones in Peloponesum redux Classis Veneta in Messeniaco sinu copias deponit quæ Pylon (Navarrinum vetus) primo insultu cœpere III. Non. Junii: sed cum novam arcem subigere contendunt ad conserendam cum Barbaris suppetias parantibus pugnam vocantur. Certatur acri animorum contentione prope castra XIV. kal. Julii, sed pugna Christianis fœliciter cedente, fugatis hostibus, (quorum 800. papiliones, cunctaque exercitus impedimenta iis cesserunt) sese postridie arx nova dedere coacta est.

*Fœdera Polona Moschi & Turca.*

Nonis Junii sancita inter Polonos & Moschos est Pax & armorum fœderatio in communes Christianorum Hostes Turcas, eo Catholicorum qui sub Moschi ditione vivunt proventu, ut quamvis id molimine omni avertere satageret schismaticus Patriarcha, libera iis maneret facultas sacris suis operandi tum Chioviæ, tum Smolenschi præcipue quæ Moschis pactæ pacis articulis cesserant.

*Methone à Venetis capta.*

Methone, vulgo *Modone* Turcici in Peloponeso Præfecti sedes, ob idque non situ solum, verum etiam validis munimentis sui secura à Mauroceno obsidetur & capitur III. Idus Julii, ingenti non solum eximiæ civitatis lucro, sed prædarum immensa copia quas in ea velut primaria regionis arce Barbari deposuerant.

Intentus Rex Ludovicus Versaleæ (quam Urbem à fundamentis cum insigni ad regiæ aulæ usus palatio extrui jam ab aliquibus annis curabat) ea omnia addi, quæ ceu voluptati, ceu necessariis commodis forent opportuna, fluvium Euram eo deduci imperavit viginti quinque millibus hominum adhibitis ut incile, seu alveum novum ei sternerent, ad quem procurandum aliquot montes deprimi, & valles oppleri necesse erat. Portentosi hujus cœpti gloria famam se æquasse antiquæ Ægypti Regum jure Ludovicus præsumat, Francique Ægyptiis contendant cœca tributorum collatione ad tot dispendia necessaria, pacem erga suos Reges affectum.

*Buda denuo ...*

XVII. kal. Julii quinquaginta millium Christianorum exercitu Buda denuo obsideri cœpta est à Ducibus Lotharingiæ, & Bavariæ, quorum primus Cæsareo exercitui Præfectus, urbem sibi expugnandi, secundus suarum & Imperii copiarum ductor arcem seu, ut vocant, castrum pariter subigendi provinciam suscepere. Interceptis primo insultu, & in servitutem raptis mulierum, ac puerorum turmis, quæ cum pretiosis rerum mobilium sarcinis secundo flumine salutem quæritatum evaserant, octavo obsidionis die Urbs inferior, muro per tormenta bellica disjecto, recepta est. Inde per majores omnis generis offensiones protracta obsidione: & bis terque retusis Barbaris, quos Vizirus Urbi suppetias laturos immittebat, Urbs tandem IV. Non. Sept. violenta impressione tentata & capta est, deletis internecina clade præsidiariis, & civibus quorum pauci vitam ab iratis victoribus exorarunt, suspenso interim inani metu Viziro, qui licet sexaginta hominum millibus stipatus, turpi se fuga subduxit.

*& capti.*

*Cardinales 27. ab Innoc. Pontif. electi.*

Eodem captæ Urbis die Romæ Innocentius Pontifex, quasi divina inspiratione tantam victoriam edoctus Christiani Orbis lætitiam 27. Purpuratorum creatione cumulavit, inter quos vario

vario meritorum genere insignes pietatis æque ac doctrinæ fama commendavit Stefanum Camusium Gratianopolitanum Episcopum, & Josephum de Aguirre in Salmanticensi Collegio jam ab annis amplius viginti Sacræ Theologiæ Lectorem, & variorum sacra eruditione refertorum librorum editorem.

Kal. Augusti sancita est Augustæ Vindelicorum inter Cæsarem, Imperii Ordines, & Remp. Batavorum fœderatio, ad mutuam (si quod immineret bellum) Statuum defensionem, decretusque sexaginta millium militum delectus, qui communi expensâ pro quota cujusque parte haberetur. Occasionem huic ministrare ajebant Arces quas præter propter Rhenum, & Mosellam Rex Ludovicus extrui curabat contra pacis & Armistitii præscriptum, unde etiam multiplici legatorum missitatione Cæsar id ipsum Ludovico questus erat: Ex adverso Ludovicus conceptam ideo armarum unionem ut sibi non quæsitum bellum intentarent. Quod certum: ea fuit luctuosi & internecini belli velut fecialis, quo paulo post Europa fere universa miserrime flagravit.

Idib. Aug. Parisiis diem suum obiit repentino apoplexiæ tactu correptus Ludovicus Maimburgus editorum à se librorum & varietate, & singulari aliquorum odio orbi literario notus, ob quod ab Innocentio XI. jussus est è Jesuitarum Societate dimitti. Reliquum vitæ ad annos usque 72. sub seculari habitu transegit, & nova scribere perrexit, quæ non minori invidia laborarunt.

XVIII. kal. Septemb. florido stipatus exercitu Joannes Casimirus Polonorum Rex Jassi in Moldavia à volentibus populis exceptus est, urbe tamen excedente Ospodaro, ne Turcis quorum vectigalem Provinciam administrabat, in suspicionem caderet, ob idque excideret Principatu. Tartaros Bialogrodenses Rex convenire decreverat, eorumque regionem vastare; sed longo itinere remoratus sylvis, montibus, & desertis obsito, & ubique penuria laborante, nihil præter grandem apparatus famam, copiarumque vanos labores (quæ utilius in obsidendo Camenecio distineri potuisse videbantur) consecutus, exercitum ad propria reduxit.

IV. kal. Sept. aliquot Hebdomadarum obsidione in Venetorum potestatem concessit Nauplia (vulgo *Romaniæ Neapolis* dicta) situ, munimentis æque ac incolarum numero inclita Civitas ad intimum sinus Argolici littus. Hanc Maurocenus Methone subacta aggressus eo Sera scherium Corynthi cum Turcicis copiis agentem in suppetias evocavit; sed conserto prælio quod valida Barbarorum impressione cœptum est, in urbis conspectu delitiis iis & fugatis sese obsessi dedidere, quorum multa millia qui patrios ritus inter Christianos exercere se posse desperabant in Asiam traducta sunt.]

VIII. kal. Oct. Ludovicus Princeps Badensis aliquot copiarum per Hungariam Ductor, *Simonturnum* oppidum, inde *Quinqu-Ecclesias*, *Siclosium*, *Caposvarium* partim solo nominis sui terrore, partim levibus obsidionibus recepit; inventa in hoc ultimo ingenti munitionum copia, quam ibi coacervatam ad cæterorum Præsidiorum usum habebant, XI. item kalend. Nov. *Seghedinum* ad Tibiscum aliarum copiarum sub Veterano Duce merentium virtute ad deditionem coactum est, deletis trino certamine Turcis & Tartaris, qui ad suppetias ferendas convenerant. Triplicem victoriam ingens consecuta est equorum, & generis omnis impedimentorum præda, quod in reliquis hisce Barbarorum copiis id omne coaluisset, quod optimum in Hungariam hoc anno invexerant.

*Tertius filius Delfino nascitur.* Tertium peperit Delfino Filium Mariana Christina conjux pridie kal. Sept. cui attributum est Caroli nomen, & agnomen Ducis Biturigensium. Regiam Aulam nova lætitiâ cumulavit Siamensium Oratorum adventus, qui Regi Ludovico Idib. ejusdem mensis exhibiti, non solum ei potentissimi Regis amicitiam & fœdera spoponderunt, sed etiam liberalibus eum donis regiamque ejus familiam honestavere. *Siamenses Orator. ad Reg. Ludov.*

*Poloni Tartaros sternunt.* Prid. non. Oct. Joannes Casimirus Polonorum Rex dum ne ultra Moldaviam regionis sterilitate remoratus procederet, regressum ad suos cum exercitu adornat, sibique à Tartaris insidias parari intelligit, illos incautos, & somno adhuc oppressos summo diluculo aggressus insigni clade sternit maxima equorum parte abducta, & tractis in servitutem quingentis Barbaris, dum cæteri in proximas sylvas celeri sese fuga subducunt.

*Sultanus à sacrificulo offensus.* Eo furore Turcas perculit Budæ à Christianis expugnatæ fama, ut pluribus in locis, & maxime Bysantii in eos plebes insurrexerint, variisque affecerint contumeliis & injuriis. Ipsi nedum Sultano pepercit popularis rabies, cui ausus publico convitio exprobrare indigna Principe otia temulentus *Iman* (hoc nomine Turcæ suos sacrificulos appellant.) Unde is ut à se odia averruncaret *Muphtim* primarium Legis Mahometicæ Antistitem exulare jussit dignitate destitutum eo prætextu quod sibi iniqua bella paranti, saniora consilia non ministrasset: Optima sanæ læsæ justitiæ pœnitentia nisi eam vi tunc expressam Barbari aut fortunæ blanditiis capti, aut solo ferocientis ingenii æstro spernere consuevissent.

*Rex Lud. medicorum patitur incisionem.* Ulcere jam diu in natibus formato cum Rex Ludovicus laborasset; inutilique hactenus ante illud Medici vivificare tentassent, tandem XV. kal. Decemb. illud sibi à Chirurgis secari permisit, invictaque constantia septies sibi novaculam admoveri passus est. Incredibili virium animique robori attributum quod tantum vitæ discrimen, & periculum illæsus obiret, relatis ob id in tota Gallia, immo Roma Deo sospitatori gratiis, & patefacta generis omnis tripudio lætitia, quam de receptâ Regis sui salute populi conceperant.

*Obitus Eleonoræ Gonzagæ Imperatr.* VIII. Id. Decemb. Viennæ obiit Eleonora Gonzaga Ferdinandi III. quondam Cæsaris conjux, sed Leopoldi matertera: Mulier æquali pietate, comitate morum, artiumque & liberalium scientiarum amore insignis, quæ ut aulam Cæsaream præcipuæ prudentiæ laude moderari per annos

annos fere 30. visa est, sic eam eruditorum asilum, & theatrum per id tempus effecit.

*& Ludov. Condei Principis.* III. Idus mensis ejusdem fatis pariter concessit Ludovicus Borbonius Princeps Condeus ut bellicæ virtutis gloria inter ævi sui Duces conspicuus, ita irrequieti animi sui motibus per plures annos quibus civilia bella aut movit, aut promovit, patrio Galliarum Regno funestus. Mores tamen quos per tot bellorum vices aliquo feritatis contactu exasperare visus erat, mitissimæ patientiæ studio in extremis pacavit; isque inter religiosorum choros mortuus est qui nihil præter mansuetudinem, & sæculi contemptum amasse aliquando videretur.

| MUNDI | CHRISTI. |
|---|---|
| 5740. | 1687. |

*Iac. Angl. Reg. ad Ro. Pont. Orator.* IV. Idus Januarii solemni pompa Romam ingressus est Castelmenius Comes Jacobi Anglorum Regis nomine Orator, ejus & Catholicorum qui in eodem regno versantur Innocentio Romano Pontifici obedientiam, & obsequia protestaturus. Jam pridem Londini idem Legati munus pro Pontifice & Sede Apostolica obierat, in aulaque eo titulo versabatur Ferdinandus Dada Arch. Amasiensis, publica religione ibi fidem suam profitentibus & sacris suis operantibus Catholicis; unde spes erat pacatis animis propediem inter Romanam Ecclesiam, & Regnum Anglicanum ea fœdera instauratum iri quæ tanta utriusque gloria quondam viguerant.

*Nascitur Cæsari filia.* VIII. Id. Mart. Eleonora Augusta Principem filiam edidit, cui Mariæ Josephæ nomen inditum est, singulari Aulæ Cæsareæ lætitia, quam multiplicato partu proles nova creabat.

*Nova belli semina inter Cæs. & Regem Ludov.* Bello quod alta animorum suspicione concipiebatur obstetricatus est Ludovicus Rex tripli petitione quam fieri nomine suo Cæsari jussit Idib. Martii, scilicet Armistitii seu Induciarum vicennalium conversionis in pacem perpetuam, variarum ditionum cessionis quas Cognatæ Aurelianensi debitas prætendebat, & fœderis Augustani dissipationis quod velut sibi infensum, & minax aboleri precabatur. Cum nulli ex his petitionibus sua responsione eo sensu Cæsar obaudiret quo poscebatur, novo fermento concepta odia exasperantur.

*Conjuratio urbium Hung. sup. in Præsid. Cæsarea.* Conjurarunt communi perfidia prope omnes Hungariæ Superioris Urbes, ut Cæsaris præsidia quæ sibi incubabant condicta nece obtruncarent, sopitasque extollerent faces rebellionis extinctæ, priusquam ex hybernis stationibus ad signa milites evocarentur. Re in secretas suspiciones illapsa primum per frequentem nunciorum missitationem, tandem aliquibus eorum captis, & interceptis literis quæ rei seriem referebant, Complices partim jugulati, partim diutino carceri addicti, quem ne longius aliqui tolerarent, desperato furore sibi vim intulere.

*Moschi Oratores per Aulas Europeas peregrini.* Obambularunt hoc anno fere omnes Europæ Aulas Moschorum Oratores quidam, immensis numerosæ familiæ impedimentis ubique importuni, maxime quod hoc solum legationibus suis jactarent, suum Ducem internecinum bellum in Turcas parare, causæ Christianæ patrocinio. Insolens & prope barbarus Gentis usus, & obsoleta quæstuum cupiditas, quos publicis mercimoniis captabant, effecere ut nec Moscho Duci multum ob has legationes deferretur, nec delatum sibi honoris quidquam nostrates Principes existimarent.

*Patræ & Naupact. à Venet. recipiuntur.* X. Kal. Aug. exscensione in Peloponeso facta *Patras* Maurocenus Classis Venetæ Dux aggreditur, fugatoque Seraschierio qui Urbi suppetias inferre destinabat, in deditionem recipit. Inde in sinum Corynthiacum illatus utraque arce ad freti fauces posita, & Urbe *Naupacto* potitus est, fugantibus undique Turcis, etiam antequam obsidione premerentur, immo ipso Copiarum ipsarum Præfecto, qui non longe à Naupacto cum septem hominum millibus castra metabatur. Incredibilis rerum omnium copia in singulis locis reperta, cum utriusque exercitus impedimentis in prædam victoribus concessit.

*Cæsarei in Hung. Dardam occupant.* Novo animorum & armorum fœdere juncti Lotharingiæ, & Bavariæ Duces exercitum Cæsareum ad nova Turcis damna inferenda hoc anno deduxere in Hungariam. Castra Vizirus metabatur secus Dravum in ea palude potius quam insula, quam bifidus fluvius prope Mursam efficit, extructo ibi ingenti aggere quo copias suas sepiverat. Adventantes tamen Cæsarei solo terrore ejectis *Darda* Barbaris quam in sinistro fluminis littore munitam protegebant, eos vallo & aggere vi pariter exturbarunt, solo flumine præpediti ne Mursam cum refugientibus eo Turcis penetrarent, qui pontem ea propter fuga facta disjecere. Duces Cæsarei trajecto alibi flumine nova Viziri Castra vallo & aggere & ingenti tormentorum majorum numero munita prope Mursam offendunt, & ad pugnam conferendam invitant: Sed cum opportuna ad vim detrectantibus inferendam deessent, repetito flumine inde quasi re desperata Anamantiam (*Mohatz*) sese recipiunt. Vizirus eos & languore, & timore debiles cedere suspicatus: maxime quod exercitum dividere, & in hyberna distribuere se velle simularent, eos pridie Idus Aug. adoritur: Sed ab his quos meticulosos autumabat eo animorum robore, & fiducia excipitur ut ibi prope *Siclosium* insigni clade attritus manserit, instaurata suorum strage ad Dravi littora prope *Dardam*, ubi dum fugientes flumen trajicere parant, nova à Christianis clade conficiuntur, desideratis in utroque prælio octo millibus Turcarum, qui vel ferro enecti, vel aquis absorpti perierunt. *Insignis Turcarum Clades.*

*Nubit Petrus Lusitan. Reg. Sophia Neoburg.* III. Id. Augusti. Ulissiponem Classe deducta Maria Sophia Neoburgensis Petro Lusitaniæ Regi nupsit in ejus prolis spem, quam etsi adhuc viventem in filia Petrus haberet, in fatis tamen erat ut post annos aliquot celibem amitteret.

*Corinthus & Athenæ Venetis captæ.* Pridie Id. Aug. Corinthus à Barbaris flammis prius data, & derelicta in Venetorum ditionem concessit, sese ultro dedentibus Græcis qui reliqui Urbem, & regionem incoluerant. Inde

Inde ad Saronicum Sinum proris conversis circa Peloponesum *Castrum Tornesium* (forsan Cyllenem) Maurocenus levi obsidione recepit, & tentata inutili tormentorum displosione Epidauro Limæra (*Malvasia*) Athenas pervenit, ubi cum 600. Turcæ in arce inclusi justo exercitui resistere ausi essent, post aliquot dierum obsidionem armis & commeatu privati extrusi sunt.

Quod deletus Vizirus nova moliri desisteret copiarum partem Dux Lotharingiæ Carolus in Transilvaniam duxit ut Abaffii Principis fidem syncero tandem argumento exploraret, qui hactenus non solum invitantem Cæsarem vario rationum & prætextuum astu deluserat, sed secretis auxiliis rebelles & Turcas fovere non destiterat. Provincia justo exercitu occupata, & fugato tempore quo fictis promissionibus locus dabatur versipellis Princeps viribus impar, ne communi exitio omnia ruerent, & portas urbium petentibus aperire, & lautos commeatus copiis ministrare (quæ stativa ibidem figere statuissent) compulsus est; unde integra Provincia Cæsari asserta, quæ belli dispendia suo symbolo compensaret.

Pridie kal. Octob. Neocastrum (*Castelnuovo*) in Rhisonico sinu à Venetis tentatum, & fortiter per dies 30. à Barbaris defensum tandem eorum potestati concedit. Non cum obsessis tantum Hieronymo Cornelio urbem & arcem verberanti res fuit, sed cum justo pene exercitu qui suppetias obsessis quocunque periculo laturus acriter congressus est. Ast prælio victus & retusus obsessos omni auxilii spe destituit.

*Orovizza, Posega, Palota, Mursa, Valpo*, aliæque tum in Hungaria, tum in Sclavonia urbes sese Cæsareis Ducibus solo victricis fortunæ timore perculsæ dediderunt, velut alia quædam in Peloponeso & Græcia Venetis oppida, stupenda sane infidelium dejectione, qui cum antehac tanta virium fiducia ferocirent, nunc & numero & locorum munimentis potiores, obsidentes ipsos propria deditione & fuga præveniebant: Illustri documento male parta cito dilabi, frustraque homines niti id retinere quod Deus reposcat.

Buda Hungarorum Metropoli in Cæsaris potestatem reducta, regnoque fere omni cujus vix aliquot oppida Turcæ retinebant optavit Leopoldus filium Iosephum ea corona insigniri, & hac regia dignitate ad ulteriora honorum & dignitatum culmina disponi. Res in eo posita videbatur ut vota Hungarorum Cæsaris menti consentirent, qui regni titulum non electionis jure, sed acquisitionis, proindeque hæreditate ad Nepotes transmittendum obtinere satagebat. Disceptatum diu inter Magnates & Cæsaris Ministros, maxime quod Rex Hispaniarum Carolus ad se, posterosque suos hujus successionis jura dilatari exposceret. Ast tandem utrumque concessum, & communi plausu Josephus electus est 5. Id. Decembr. Posoniique coronatus, eo omni & maxime solemni ritu quo prisci Pannonum Reges, etiam dum maxime res florerent, inaugurabantur.

*Agria Cæsari dedita.* Agria longa plurium mensium etsi lata obsidione fatigata, necessariisque ob id commeatibus destituta, integro licet murorum & munimentorum ambitu valens sese tandem dedere coacta est 4. Non. Decembr. Fœdifragi Turcæ meticulosa pervicacia, deditionis sponsionem Cæsaris manu subscriptam conatu omni contendere priusquam urbe excederent, memores Mehemetem III. anno 1596. dum eam Christianis eriperet contra pactam præsidiariorum incolumitatem eos obtruncasse, cui sorti similem metuentes fidem Cæsareo autographo firmandam implorabant.

*Turcæ Viziro rebelles ei necem procurant.* Internecina clade attritum exercitum dum Solimanus Vizirus colligere Mursæ satagit, aliquosq; equites cum commeatu Agriam immittere parat, seditione oborta nedum milites nova pericula subire detrectant, quin stipendia merentibus non soluta questi eum insolenter despiciunt, antesignanumque præficiunt sibi qui Viziri ipsius & Sultani (cujus infœlicibus auspiciis res defluere jactabant) exauctorationem procuraret. Functus periculo Vizirus fugâ cum paucis Bisantium celerat, Mahometi ea expositurus quæ rebelles in castris meditarentur. Seditiosorum nomine alii pariter Nuncii adventant stipendia & præcipuorum aulæ Ministrorum capita postulantes, nisi eis obaudiatur in regiam ipsam irrupturi ut vi omnia perficiant. *& Mahometi deposito Solimanum substituunt.* Mahometes his territus Vizirum primo obtruncari, & cæteros expetitos ad exercitum duci imperat ut seditiosis eorum supplicio litaretur: sed cum nec sic placatos audiret propriis fratribus Solimano, & Achmeto necem inferre molitur, ut sic vitæ suæ consuleret dum Ottomanici sanguinis ipse solus & filii superstites mansissent. His nihilosecius contenti rebelles Constantinopolim ire pergunt, vique & minis agunt ut Mehemetes ipse solio exturbetur, quod cum publica exauctoratione peractum, isque privato in aula carceri addictus esset, in ejus locum Solimanus IV. Idus Nov. solemni gentis more suffectus est.

*Lavardinus Gallicus Orator Romam armatus abit.* 16. Kal. Decemb. Romam castrensi more ingressus est Henricus Carolus Marchio Lavardinus Regis Ludovici ad Pontificem Orator, stipatus fere ducentis armatis absque promiscua Tibicinum, Ephæborum, familiarium, Equorum, Rhedarum, Curruum, & impedimentorum multitudine, quæ pæne exercitum referret. *qua occasione.* Occasionem huic tanto apparatui præbebat, constans, quam Innocentius tuebatur, voluntas Oratorum azila, seu *Franchigias*, ut vocant *Quarteriorum* abolendi; quibus cum cæteri Oratores jam à principio cessissent, permissus erat iis ad mortem usque uti Estreus Mareschallus qui jam ante Innocentii Pontificatum Romæ versari incœperat. Vulgatum post ejus mortem Pontificium diploma, lataque in eo est excommunicationis sententia adversus omnes, qui dicta jura retinere quovis titulo præsumpsissent. Lavardinus igitur in urbem adductus, circa moræ suæ palatium suorum stationes, & vigilias cœpit instituere, qui more militari obambulantes publicos apparitores, & vim

vim si qua pararetur, arcerent, delectu habito aliorum hominum, qui cum suis, licet nulla publicæ militiæ nota distincti, mille ducentos Regis stipendia merentes Oratoris defensioni mancipatos numerabant. Sed inutili visum est opera tot incubitores fatigari, cum nedum vim iis inferre quisquam pararet, immo omnes velut à Pontifici infensis, & forsan anathemate devotis declinabant. *Frustra à Pontifice audiri postulat.* Frustra Legatus à Pontifice audiri petiit, minisque & precibus egit ut velut Orator haberetur. Alto ubique silentio exceptus est ab iis Innocentii Ministris, quos ea propter convenit, nulloque alio vel effectu, vel periculo res cessura videbatur, cum Orator in Ecclesiam S. Ludovici 8. kal. Jan. se conferens & sacris ibi in Natalitiorum Christi reverentiam operatus aperti dissidii occasionem ministravit. Ne enim leges suas Pontifex negligere videretur, qui tacitus vis illatæ noxios hactenus toleraverat, publico Interdicto Ecclesiam, *declaratur excommunicatus.* in quam Orator diverterat devovit: Hinc emissa querelarum & Apologiarum seges, quæ in plebem sparsæ sunt; sed præcipue à sæculari curia Parisiis prolatum Edictum, quo & censuris & prætensis hac in parte à Pontifice juribus adversâ sententiâ detractum, & ad futuri Universalis Concilii examen provocatum est. Nihil ultra tamen verba & scripta attentatum, totoque fere biennio Romæ excubias suas protraxit Lavardinus, à Rege tandem revocatus in Galliam.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5741. | 1688. |

*Mungatz. receptum.* 19. kal. Febr. *Mungatzium* Arcem munitissimam in finibus Hungariæ & Transilvaniæ tandem Cæsari dedidit Tekelii uxor, à Caraffa Comite ad deditionem invitata ultimo clementiæ argumento quam Cæsar ei prorogabat, nulli post hac supplicationi parciturus, dum armorum jure arx subacta fuisset. Omnem domus suæ gazam in ea Tekelius coacervarat, validisque ob id tum situs tum præsidiariorū munimentis tutam attento studio procurabat; Ast jam diu lata obsidione cincta, ad extremumque famis pene deducta, colla tandem submittere coacta est. Inventa in ea ingens rerum omnium copia, præter commeatus militibus in prædam cessit, reservatis Cæsari vexillo, sceptro, & aliis regni insignibus per quæ à Turcis Tekelius rebellis Hungariæ Rex inauguratus fuerat.

*Seditio Constantinopoli.* Rebus Turcicis varias inter seditiosorum libidines nutantibus *Chiaussius* Vizirus dum eos dignitatum & officiorum prætextu animo, & consiliis dividere tentat ab eis male habetur, insultante præ cæteris uno qui ei necem intentare ausus est. Elatus hic secreto supplicio in temeritatis vindictam mortem Janizarorum Duci celeravit; qui necis illatæ auctor à seditiosis creditus est; unde cum ferventibus odiis sibi magis quotidie Vizirus metueret Architalassum Imperii, & eos qui sibi favebant in sui defensionem advocavit, seseque domi continuit à rebus gerendis temperaturus donec rixæ deferbuissent. *Vizirus ... truncatur.* Ast vana se cura tutatus est; impetitus enim à furibundis rebellibus effracta, & expoliata domo necatus est kalend. Martii, cujus dilapidationis fœlicitate novarum prædarum cupiditate accensi jam præcipuorum urbis Magnatum palatia vastare cœperant cum opportuno consilio novus Rex Solimanus Mahumetis vexillum exponi fecit, evocatis hac arte ad signa centum millibus hominum, qui agmine facto in prædatricem rebellium turmam procedentes eorum partem obtruncarunt, cæteros ad fugam adegere.

*Incendium Byz. ...* Suffectus in summo rerum gerendarum magistratu Ismael homo ætatis provectæ, & placidæ mentis: Ast dum meliora ejus auspiciis expectantur fortuito incendio Bysantii domorum quatuor & amplius millia conflagrarunt cum ingenti præcipue mercium jactura, nova in Cypro audita seditiosorum unio, qui Imperio re- *Novi Rebelles in Cypro & Asia.* verentiam detrectabant, tertiusq; in Asia rebellium manipulus qui Solimano extruso rerum summam Mustaphæ Mahumetis exauctorati filio deferri pari protervia insistebant.

*Epirotæ Turcas fundunt.* Ad Savum & Tibiscum diversis velitationibus pugnatum est inter Cæsareos & Turcas in stativis degentes fœlici ut plurimum Christianis eventu: sed famoso præcipue congressi prælio Epirotæ (*Albanesi*) qui quod eorum pagi Leucrorum (*Mainoti*) in Peloponeso exemplo sese Venetis dedissent ab S. Sabæ (*Erzegovina*) *Bassa* primum lacessiti aliquot incursionibus, inde ab Ascriviensi (*Scutari*) Præfecto justo fere exercitu impediti, hostes longe lateque auxiliaribus Veneti adjuti fundunt, reductâ ingenti præda ex Infidelium papilionibus equis, armis & cæteris manubiis, quam sibi dividendam domum exportant.

*Tartari Poloniam invadunt.* Non sic Poloni in quorum Provincias Tartari sub Nuradino Duce more Gentis solito irrumpentes omnia rapinis & incendiis funestarunt, raptis in servitutem Christianorum decem millibus, dum otiosæ in hybernis stationibus copiæ regionis vastationem, & gentilium captivitatem contemplantur.

*Mors Justin. Ducis Venet.* 4. Kal. April. diem Venetiis obiit Marcus Antonius Justinianus Reip. Princeps ob ejus fœlicitatis memoriam Venetis recolendus, quæ ejusdem auspiciis res publicas fortunavit. Nulli votorum dissidio in successore deligendo locus fuit, dum ea qua sui nominis fama clarebat summus Classis Præfectus Franciscus Maurocenus *cui succedit Franc. Maurocen.* omnes adduxit ut vacantem ei dignitatem demandarent, eo solo dominii & principatus temperamento, ut quia armis publicis summa auctoritate foris præerat binos à Senatu delectos Consiliarios exciperet, quorum participi consilio res moderaretur.

*Terræmotus in Æmilia.* Venetorum, & toti Æmiliæ regioni validum impressit metum solitus grandi sævire malo terræmotus, qui per lata plurimarum urbium spatia sensibilis duo præsertim Romandiolæ oppida Tiberiacum *Bagnacavallo*, & *Cottineolam* ruina pene integra oppressit. Non minori periculo Nonis Maji Neapolim terruit, ubi repentina excussione palatia, templa, & domus

mus bene multæ attritæ sunt cum frequenti popularium turma, majori adhuc damno Beneventum in Campania, & Smyrna in Asia minori urbes, quæ feræ integræ eodem terræ motu exciderunt.

6. Id. Maji longa etsi lata obsidione fatigati Turcæ Albæ-regalis in Hungaria præsidiarii, ad extremumque inediæ, & famis adducti tandem deditionem fecere. Hoc uno è pactæ deditionis articulis exciderunt quod Taurunum non permissi fuerint se recipere, quam urbem cum obsidere pararet Cæsar, noluit quatuor millium hominum accessione magis muniri.

5. Idus ejusdem fatis concessit Berolini Fridericus Guilelmus Elector Brandeburgicus bellica virtute potius quam fortuna illustris, quippe cum invicto animo bellum præcipue adversus Suecos (quos Pomerania fere tota ejecit) fœliciter gessisset, omnia tamen pace Neomagensi restituere coactus est, nullo alio tot victoriarum fructu præter eum quem ex filii cognominis (qui ei successit) bellica institutione percepit; hactenus enim patris animos æmulatus fortiter pro sua parte hodiernum Rhenanum bellum administrat.

14. Kal. Jul. Caraffa earum copiarum Ductor quæ stationes in Transilvania habuerant, dum in Hungariam ut se Cæsareo exercitui uniret proficiscitur Lippam vi expugnat, frustra invitatis ad deditionem præsidiariis bis mille, quos propterea jure belli captivos omnes abduxit.

3. Non. Junii obiit Maximilianus Henricus Elector, & Episcopus Coloniensis, suaque morte grandi dissidio materiam ministravit. Jam pridem fovere, rerumque suarum primarium administrum habere cœperat Guilelmum Principem Fürstembergicum Episcopum Argentoratensem, qui etiam instante Rege Galliæ Ludovico Cardinalis factus, nuper annuente, & promovente eodem Electore Episcopatui Coloniensi successor designatus fuerat. Quod tamen sic Gallis addictus, parum Cæsari probaretur, ut tantam dignitatem occuparet, neglectâ designatione, cum ad nova suffragia 3. Idus sequentis Julii deventum esset iterum votis tredecim postulatus est, sed novem aliis electus in Episcopum Josephus Clemens Maximiliani Electoris Bavari frater. Qua re ad Pontificem delatâ, is Josepho Episcopatum attribuit, quod Cardinalem secundum Ecclesiæ Canones absque dispensatione Pontificia ad alium Episcopatum postulari nequivisse assereret, quam dispensationem ut dissidiorum causam futuram Pontifex Cardinali recusaverat. Gravis inde Ludovico Regi ira concepta est, annitente præsertim Cæsare minis & edictis, ut rejecto Cardinali Josephus admitteretur.

13. Kal. Jul. nascitur Jacobo Angliæ Regi ex uxore Maria Eleonora Estensi (quam annis tredecim sterilem habuerat) filius primogenitus quem Caroli nomine, & Walliæ Principis titulo insignitum voluit. Res summa Catholicorum omnium gratulatione excepta est, quod cum Rex sacris Romanis addictus viveret, succedente ei filio Catholico, religionem in Anglia paulatim restitutum iri sperarent.

*Rex Lud. Algerienses novo insultu asterit.*

Nova vindicta in Algerienses sævire coactus est Rex Ludovicus dum Piratæ nihili pensis pacis toties pactæ conditionibus in novas quotidie offensiones erumperent. Cœpta est Kal. Jul. civitatis aggressio globis ignivomis grandioribus quos mille ducentos numero per aliquot dies vibrare non destitit classis regia: Ast ut leviori damno id Barbari paterentur traduxerant in continentem urbi montem imbellis turbæ, & pretiosarum suppellectilium impedimenta; trucidatis interim horribili laniena Gallis omnibus quos aut captivos, aut hospites habebant, quorum aliqui pelle detracta, alii ori bombardarum expositi, alii alia arte excarnificati misere perierunt.

*Cæsarei occupant Gradiscam & alia oppida.*

9. Kal. Sept. trajecto Unna flumine (ubi levi obsidione Costanovizzam in Insula ejusdem positam cœpit) Gradiscam ad Savum à Turcis incensam, & derelictam Ludovicus Princeps Badensis occupat, oppidaque aliquot subigit, quæ Turcis adhuc ceu in Sclavonia, seu in Croatia manebant. Audito ab istis, qui quindecim millium numero in finibus Bosniæ sub *Serraji* Præfecto castrametabantur, quod idem Princeps cum copiis Taurunum versus sese conferre pararet suppetias obsidentibus laturus, ei insidias moliri disponunt, sed à vigili Ducis curâ præventi infœlicem cum eo pugnam conferunt, desideratis suorum millibus quinque, & cunctis exercitus impedimentis, cujus victoriæ trophæum 32. militaria vexilla Viennam ad Cæsarem transmissa sunt.

*& Turcas fundunt.*

*Kninum in Dalmatia à Venetis captum.*

*Kninum* in Dalmatia duplici murorum ambitu, & arce gemina munitum recepit in Venetorum ditionem Hieronymus Cornelius vi occupato primo murorum ambitu, & ut sanguini effundendo parceretur audito quod aqua brevi obsessis defutura esset, obsidionis mora protracta quæ tandem præsidii deditione pridie kal. Sept. fœliciter cessit.

*Taurunum à Cæsareis vi expugnatum.*

Receptis ceu levi obsidione seu præsidiariorum fuga oppidis aliquot, quæ ad Savi & Danubii littora jacebant, tandem Cæsarei sub Maximiliano Bavariæ Electore Taurunum (*Belgrado*) obsident perque generis omnis offensiones maceratum vi expugnant 8. Idus Septembr. Muros longa pridem tormentorum concussione labefactatos, dum ultima impressione superarent aggredientes, offendissentque substructa dirutis nova munimenta vix non à cœpta aggressione resiliebant; Ast ab accurrente Electore animis, quos despondebant, aucti acri adeo contentione instant ut præsidiariis fere omnibus obtruncatis urbe inter præcipuas Europæ insigni potiti sint, protenso extra Hungariam Cæsareæ ditionis termino, quæ late in Serviam & Bulgariam paulo post dilatata est.

*Fil. Regi Lusitaniæ natus & mortuus.*

8. kal. Octobr. Petro Lusitaniæ Regi filium nova conjux peperit summa ejus aulæ lætitia, quæ tamen brevi dierum periodo conscripta est, mortuo Principe qui sceptris regendis destinabatur.

Galli Argentorato transeuntes vicinas Baden-

*Galli Philipsburgo & ingenti regionis tractu potiuntur.* densem & Wirtebergensem ditiones invadunt, & prædis circumquaque abactis in Palatinatum procedentes ibi *Offemburgo*, *Neostadio*, *Spira*, *Moguntia*, *Treviri*, *Hildeberga*, *Franckentalio*, & aliis locis qua vi qua arte potiti Philipsburgo obsidionem 6. Kal. Octobr. tandem bello Cæsari indicto statuunt. Delphinus citatis equis ad castra delatus acri generis omnis offensione obsessos urget ad deditionem, quæ tandem imminuto eruptionibus præsidio, quod à principio leve, & tanto exercitui impar fuit Kalend. Novembr. pacta est, in Gallorum ditionem redacta ea omni regione quæ cis & citra Rhenum ab arce *Huningana* Coloniam usque protenditur.

*Chalcis frustra obsidione tentata.* Tentata à Venetis trium circiter mensium oppugnatione Chalcidis urbs (*Negroponte*) Regni cognominis caput, quamvis à principio clade insigni Barbaros urbi tutandæ imminentes ii detrivissent, tandem timore & obsidione soluta est 13. kal. Nov. non sine magna Ducum, militumq; jactura, qui inter obsidionis labores perierunt.

*Princeps Auriacus navigat in Angliam.* IV. Id. Novemb. retrusus jam semel ad littora maris tempestate quæ aliquot etiam naves misere fœdavit, iterum classem subit Guilelmus Auriacus Princeps Angliam versus, in quam se velificare cum exercitu asserebat tutandæ Religionis & libertatis Anglicanæ gratia, quas à Jacobo Rege opprimi querebatur. Ut in eum Regno imminentem se tutaretur Rex qua promissis qua minis omnia tentarat paratis sibi terrestri & navali exercitibus: resque faustis auspiciis proficere videbatur spondentibus sed punica fide Anglis invictam in Auriacum Principem Regis sui defensionem, dum primo à *à qua Rex Iacobus se subducere cogitur.* classe destitutus, inde etiam à terrestribus copiis, quæ fere omnes in Principis non vetitâ exscensione Exoniam delati castra defecerunt sese subducere coactus est, præmissa in Galliam uxore cum filio, quo per maxima terra, marique pericula 12. Kal. Januar. tandem appulsa est.

*Oratores Siamenses ad Innoc. Pontif.* X. Kal. Jan. Innocentio Pontifici cum Epistolis & muneribus à Siamensi Rege ad eum destinatis sese stiterunt tres Oratores Gentiles, qui Principis Ethnici nomine ei amplitudinis, & Sanctitatis famam gratulati sunt. His mutuo officio respondit Innocentius, Regi vicissim gratulatus potentiæ amplitudinem, sed maxime erga Christianorum fidem inclinatum affectum, quem in dies majorem, immo etiam integræ ad eandem conversionis è cœlo gratiam precatus est. Excepti omnibus singularis benevolentiæ argumentis Legati, ut eo magis pergeret Rex rebus Christianorum in suo Regno favere.

*Exequiæ pompa solemni P. Verbiest à Sinens. Imperatore procuratæ.* VIII. Id. Jan. Pechini in Sinensi Imperio obiit Ferdinandus Verbiest Soc. JESU Regiorum Mathematicorum Antesignanus, & Princeps, cui ut præcipuo Imperii Dynastæ solemnes exequias celebrari jussit Imperator gentis more, scilicet comitantibus funus Aulicis, & descripto regia manu Defuncti Elogio, quod præconis voce lectum, feretro postea grandi pompa appensum est. Matheseos, quam Sinenses depereunt, occasione efficitur ut nihil reluctante Ethnico Principe libere fides Catholica per totum Imperium prædicetur.

| MUNDI | CHRISTI |
|---|---|
| 5742. | 1689. |

*Rex Iacobus pervenit in Galliam.* Non minori periculo quam quo Regina evaserat Rex Jacobus à suis Anglis derelictus pervenit in Galliam Non Jan. à Rege Ludovico omni comitatis officio exceptus. Ejusdem Ludovici munificentia regium S. Germani prope Parisios palatium, cum regio Prætorianorum & Officialium apparatu habitandum accepit, omnibus ærarii regii expensis usurus dum in Gallia vixisset. Interim regno velut derelicto potius Guilelmus Auriacus grandi Heterodoxorum plausu Londini excipitur, regiamque administrationem & dignitatem à tumultuariis Comitiis sibi delatam 10. kal. Februar. acceptat, corona more regum solito inaugurandus, dum Maria uxor in Angliam navigasset.

*Obitus M. Aloysiæ Hispaniarum Reginæ.* 3. Id. Februar. brevi ægritudinis periodo elata fatis Madriti concessit Maria Aloysia Caroli Hispaniarum Regis uxor, in ipso vividæ juventutis flore extincta, quippe quæ 2?. ætatis annum pene excesserat. Quod sterile conjugium cum Carolo duxisset, novis ejusdem nuptiis locum dedit, quæ brevi postea cum Mariana Neoburgensi Eleonoræ Augustæ sorore sancitæ sunt.

*Legati Turcici ad Cæsarem.* Pridie Id. ejusdem Ablegatos Turcicos Cæsar jamdiu ad se destinatos admisit, eosq; audivit sibi novi Regis Solimani exaltatione ad solium Bisantinum referentes, rogantesq; enixis ejusdem nomine precibus ut pax justis conditionibus statueretur. Cæsar re fœderatis Polonis & Venetis communicata suos, & eorum Deputatos jussit cum Turcis convenire, eaque primum diluere quæ paci redintegrandæ opportuna viderentur: sed audito à Legatis Turcicis bello quod Rex Ludovicus Cæsari ad Rhenum grandi victoriarum præludio movere cœptarat, paulatim à propositis conditionibus resilire, indeque frigide omnia tractare incipiunt; unde animis eorum exploratis collationes rescissæ & spes pacis conferendæ evanuit.

*Canissa Imperatori reddita.* Idib. iisdem *Canissa* ad fines Croatiæ longa etsi lata obsidione fatigata se tandem Cæsari dedidit, qui sine sanguine insigni præ cæteris totius Hungariæ urbibus situ & arte munitissima potitus est. Raro pietatis exemplo Leopoldus præsidiarios Turcas, urbisque incolas in civitate morari usque dum mitescente tempestate ad suos deduci secundo Danubio potuissent, severo interim Edicto vetans, ne quid barbara gens præter justitiam ab infensis Christianis pateretur.

*Regis Siamensis mors, & fidei in eo regno Christianæ damna.* Ineunte Martio exaruit Siami concepta spes tum religionis Catholicæ inibi ulteriùs dilatandæ, tum facilis Europeorum cum gente placidis alioqui moribus instructa commercii protrahendi. Obiit Rex utrique addictus, & quod ad eorum quæ meditabatur excutionem aliquos è suis aulicis, & maximè summum copiarum

Præ-

Præfectum depressisset & uni sibi accepto Constantio Falconio exerto integra maneret rerum gerendarum potestas, vix mortem Rex oppetierat cum Armorum Præfectus Constantium, & præcipuos Regis demortui familiares enecari jussit, ejectis etiam formata obsidione præsidiariis Gallis ex aliquot arcibus, quas Rex eorum fidei crediderat, eisque & Europeis omnibus è regno proscriptis donec aliud de eis statueretur.

xvi. kal. April. Rex Angliæ Jacobus audito quod in Scotia (quamvis communi populorum conjuratione ad Vilelmum Auriacum defecissent eique summam rerum & regni coronam detulissent) tamen Arx Edimburgi, isque Copiarum numerus quæ justum exercitum conficerent sub Comite Dondeo, totumque pene Hiberniæ Regnum sibi hactenus faverent, præmissis circularibus Epistolis quibus rebelles ad fidem revocabat, fidosque hortabatur ad rem fortiter gerendam, portu Brivatensi in Armorica cum Classe sibi à Rege Ludovico parata solvit, fœlicique itinere *Kinsalium* in Hybernia appulsus, inde Dublini (quod Regni Caput est) læto Catholicorum plausu excipitur. Ibi armis Heterodoxorum plebii detractis (quod Lundini erga Catholicos Aurjacus præstiterat) sub signis reperit exercitum cum quo Boreales versus Insulæ partes progressus *Londonderium* urbem quæ Heterodoxorum præsidio tenebatur obsedit.

vii. Kal. April. Nova nascitur Cæsari ex Eleonora Augusta proles, cui Mariæ Magdalenæ inditum est nomen, ejus mœroris solatium futura, qui brevi postea scilicet pridie Non. ejusdem mensis Aulam affecit ex Marianæ Leopoldi sororis morte, quæ pridem Joanni Vilelmo Neoburgensis Palatini Primogenito nupta, improlis in ipso juvenilis ætatis flore extincta est.

xvi. Kal. Maji Rex Ludovicus Bellum Hispanis solemni fecialis declaratione indicit, quod ii se nullo Cæsari auxilio futuros spondere nollent, raro sane indicundi belli motivo, dum Batavis, & Anglis, qui pridem eum hostem declarant, præteritis, eos insectatur qui quam libentissime bello abstinuissent. Ne tamen sine vindicta Anglorum, & Batavorum offensiones Rex pateretur utrisque paulo post bellum indixit.

xiv. Kal. ejusd. Romæ obiis Christina Alexandra Svecorum Regina annorum 63. quæ rarissimo exemplo comperta vi proprii ingenii & acri studio Sectæ suæ Lutheranæ vanitate, ut Catholicam quam amplectebatur fidem tuto, & libere sibi profiteri liceret Regno abdicato Romam contendit, & ibi per plures annos incul- patis moribus, immo inter religiosissimæ pietatis exercitamenta omnia quæ mulierem Principem decerent, consenuit. In ejusdem pietatis, ac generosæ abdicationis apud Posteros commendationem eam voluit Innocentius in D. Petri Vaticani longe augustissima Basilica sepeliri, in qua præter Pontifices nullus tumulatur, solis duabus Virginibus concesso privilegio, quarum una Mathildis regnum, Christina hæc altera Reginam Ecclesiæ donavit.

xii. Kal. ejusd. Vilelmus Auriacus, & Maria Conjux Londini inaugurantur. *Vilelmus Auriacus & Maria coronantur.*

Kal. Jun. Sancita est tandem inter Regem Daniæ Christianum, & fœderatorum Cæsari Principum Ministros Stetenæ ad Hamburgum Holsatiæ restitutio, quam ab anno 1676. Christiano Alberto Slesvici Duci ereptam hactenus Daniæ Rex tenuerat. Sopito hoc dissidiorum fomite, quæ affectato tot annis aliquorum studio bellorum prætextus & timores abunde ministrarat, Sveciæ & Daniæ Reges sese fœdere Auriaco conjunxerunt, conversis in eum armis qui diu inter utrumque odii semina serverat. *Holsatia Duci restituta.*

iv Id. Maji. Fœlici navigatione Classem Gallicam novis copiis, & subsidiis Regi Angliæ Jacobo destinatis instructam ad Hyberniæ littora deduxit Castri Reginaldi Comes, profligato prius in itinere Herberto Angliæ Architalasso, qui viam ei præpedire conserto prælio tentavit, quique septem ex suis navibus in hoc prælio amissis desideravit. *Suppetiæ Regi lat. immissa.*

Dum se Cæsarei ad Gallis resistendum accingunt, isti maximam occupatarum circa Rhenum Urbium partem deserunt vastato & incenso omni Regionis tractu qui ab Argentorato ultra Moguntiam protenditur. Spira, Franckentalium, Vormatia, Oppenhemium, Offemburgum, Manhemium, & Hidelberga præcipue dissipatis mœniis & abductis munitionibus bellicis flammis periere. Interim Rhimberga Electori suo Coloniensi cessit, & *Kaiserverta* trium dierum expugnatione recepta est. Sepia inde formali obsidione est à Carolo Lotharingiæ Duce summo fœderati exercitus Præfecto Moguntia, quam arte omni & valido tredecim millium hominum præsidio Galli munierant. *Galli aliquot loca secus Rhenum deserunt.* *Moguntia obsessa.*

ix. Kal. Jun. Novalea Gallici exercitus Dux *Camredonum* in Catalonia præfestina expugnatione Hispanis eripuit, sed collectis copiis Dux Villermosius aliquot primum Gallicas cohortes sibi obvias fregit, urbemque à Gallis derelictam recepit, ubi felici sorte suffossus aliquot & nitrato oppletos pulvere cuniculos, qui muros disjecturi erant, exploratos reperit, & divertit. *Camredanum Hisp. captum & receptum.*

viii. Kal. Julii Arcem Edimburgi in Scotia longa obsidione fatigatam, & vicini auxilii spe destitutam, quam hactenus Regis Jacobi nomine tenuerat, dedere coactus est Gordonius Marchio, redactis inter Montium Borealium munimenta, qui ejusdem Regis partibus favebant & sese contra imminentes Auriaci copias tuabantur. Inter hos tamen fortunæ blandientis favores pupugisse Auriacum cœpit acer periclitantis vitæ metus, cui insidias parari sensit à multiplici conjuratorum turma, quæ ceu legitimi Principis desiderio, ceu æstro desultoriæ in nova semper consilia Gentis nunc primum se occultis machinationibus intentam prodidit. *Arx Edimburgensis Auriaco deditur.* *in quem insidias moliri incipiunt.*

iv. Kal. Aug. Ludovicus Princeps Badensis Cæsareo exercitui in Hungaria Præfectus, dum castra ultra Taurunum movet, audito quod Turcæ ingentem munitionum apparatum prope Niceam in Servia pro bello gerendo cumulassent, Moravam fluvium trajicere, & eos adire festinat. *Cæsarei Turcas insigni clade afficiunt.*

festinat. Sed cum auctarum pluviis aquarum occasione subsistit, suspicati Turcæ cum metu perculsus pugnam aversari, trajecto ipsi fluvio eum aggrediuntur. Levi eo die prælio pugnatum est: Ast instantes postridie Cæsarei castra Barbarorum, etsi centum & amplius tormentis bellicis munita, vi expugnant, & per internecinam hostium cladem iis potiuntur, omnibus exercitus opibus & impedimentis receptis quæ fugitantes Barbari victoribus reliquerunt.

*Angli à Jacobi Regis copiis victi.* VIII. Idus Aug. Conserto inter Anglos sub Macario Duce, & Scotos Regi Jacobo merentes aliquot Hybernicis copiis auctos prælio, acri impressione pugnæ instantibus istis Angli insigni clade fusi sunt, desiderato tamen Dundeo Comite, qui regiorum ductor victoriam suis propria nece mercatus est. Infælicioribus auspiciis Rex ipse Jacobus in Hybernia usus est, ubi *Londonderriæ* Civitatis jamdiu positam obsidionem, illatis suppetiis, solvere coactus est, traductis insuper in partes rebellium *Cariofergusio*, *Unterfordio*, & aliis Urbibus, quibus nova auxilia ex Anglia sub Sciombergio Duce accesserant, unde & Catholici soluto exercitu sese in tuta aliquot loca recipere compulsi sunt. *Soluta Londonderii obsidio.*

*Mors Innoc. XI. Summi Pont.* Pridie Idus Aug. Summo Orbis Christiani luctu Romæ obiit Innocentius XI. Pont. Max. ætatis annorum 78. optimorum Catholicæ Ecclesiæ Pontificum nulli secundus, ceu morum pietate & innocentia, ceu constanti & invicto Ecclesiasticæ disciplinæ zelo, ceu denique, quod rarius est, rerum omnium secularium contemptu, quo Pontificatus opibus & libera rerum omnium copia non solum abstinuit, sed & suos affines, & consanguineos voluit temperare, nullis umquam precibus adductus ut otiosas dignitates & officia eis concederet. Belli adversus Infideles fervens promotor Ecclesiæ oper fœderatis in eos Principibus profundere non destitit donec vixit, attributis ejus liberalitatis, & precum merito victoriis, quibus suo tempore nusquam majori gloria Barbaros Christiani domuerunt. *& merita in Ecclesiam.*

*Moguntia capta.* VI. Id. Sept. Moguntia à Duce Lotharingiæ obsessa post acerrimam quasi trium mensium defensionem, tandem deditionem facere coacta est, cum pridie exteriora Urbis munimenta ingenti tum obsidentium, tum obsessorum sanguine expugnata fuissent. Gallorum sex millia, (totidem inter obsidionis labores perierunt) deditionis pactis urbe excessere, iis omnibus honoribus & commodis deducti quæ generosos præsidiarios decerent; cum vix alicubi hactenus majoribus animis aut pugnari, aut repugnari visum sit.

*Turcæ in Servia à Cæsareis attriti.* VIII. Kal. Oct. Turcæ priori ad Moravam clade fracti, dum sese sub Niceæ muros recepissent ibidem à Cæsareo exercitu conventi nova, & majori clade afficiuntur, tanto terrore ad Christianorum præsentiam acti, ut vix gladio repugnare auderent. Multorum millium strages edita, impedimentorum omnium præda facta, & Nicea nullo obsistente recepta est, cum iis omnibus opibus, & bellico apparatu quem in ea Barbari coacervarant. Inde quod ulterior *Nissa recepta.* Regio commeatibus omnibus consumptis numeroso exercitui non foret pervia sinistram relegens Dux Badensis copias reduxit versus Danubium, ubi profligatis denuo aliquot Barbarorum copiis quæ provinciæ incubabant *Vidinum* ad fluvii littus cæpit, dissipatis navigiis omnibus quibus territi Populi secundo flumine fugitabant, retenti data securitatis spe ut terras colerent. *& Vidinum.*

*Electio Al. VIII. in Rom. Pontif.* VIII. Id. Oct. Cardinalium votis Innocentio defuncto suffectus est in Summo Pontificatu Petrus Ottobonus Venetus, qui Alexandri VIII. nomen assumpsit, magna omnibus concepta spe illum eo prudentiæ & fortitudinis tenore Ecclesiam rectarum, quas per tot annos in variis Curiæ dignitatibus, & officiis probaret.

*Bonna à Cæsareis capta.* XVII. Kal. Nov. Bonnam ab Electore Brandeburgico jam pridem globis ignivomis male habitam, tandemq; stricta obsidione septam Galli qui eam annuente Electore mortuo occupaverāt fœderatis copiis restituerunt, amissis prius exterioribus Urbis munimentis quæ multo obsidentium sanguine expugnata sunt. Retenti sunt in ea à Cæsareis Ducibus qui Principis ærariam tractaverant, & ab iis ratio exacta omnium Electoratus redituum quos à belli principio emunxerant.

*Vastalla muris & munimentis privata.* VII. Id. Novembr. Vastallam ad Padum ingressæ sunt bellico apparatu eductæ Mediolano copiæ, urbemque muris & propugnaculis exuere cœperunt. Huic expeditioni occasionem præbuit Urbs munimentis aucta quæ vim liberæ hactenus fluminis navigatione, terroremque vicinis ditionibus intentare videbatur, maxime quod extincta Vastallensium Principum linea Ferdin. Carolus Mantuæ Dux à Cæs. Status investituram ea lege accepisset ne quid novi in eo moliretur. Quatuor insumpsere menses militum tria millia in hoc opere, quo tandem æquati solo muri cum propugnaculis quinque, exterioribusque munimentis, quæ omnia ad recentissimas artis regulas extructa Arcem inter præcipuas Europæ munitissimam efficiebant.

*Epidaurus frustra obsessa à Venetis.* Epidaurus Limera (*Malvasia*) in Peloponeso frustra à Venetis hoc anno tentata est, ferentibus omnes obsidionis offensiones Barbaris ea constantia quæ terrestres, & maritimas copias re infecta discedere coegerit. Relictæ tamen in locis vicinioribus copiæ quæ in Urbem suppetias invehi vetarent, quod tandem fœliciter cessit diuturnioribus angustiis Urbe redacta ad se dedendi necessitatem.

*Cæsarei à Tartaris in Servia male habiti.* Facti blandientis fortunæ illecebris incurii Cæsarei dum ultra Nicæam in Servia diversa levis momenti loca occupant, in iisque absque solitis excubiis degunt à Tartaris circumventi, dum temerario ausu resistere, hostesque ipsi invadere festinant, ab his insigni clade atteruntur, desideratis equitibus octingentis & amplius & peditum majori forsan numero, qui aut cæsi aut capti sunt, sed præcipue singularis notæ Ducibus aliquot, inter quos Carolus Hannoveranus Princeps, qui in acie fortiter pugnans occubuit.

MUNDI

XIV. Kal Febru. Augustæ Vindelicorum ritu solemni à S. R. I. Electoribus Augustali dignitate insignita est Eleonora Magdalena Teresia Leopoldi Cæsaris conjux, dilata tot annis hac cerimonia, quod Electores ab ejus cum Cæsare nuptiis nullibi convenissent. Ast optatiori eventu idem Leopoldus ab iis concordi electione obtinuit filium Josephum sibi Successorem in Imperio designari, collata ei sacris solitis Regis Romanorum Corona VI. kal. ejusdem ab Archiepiscopo Moguntino plaudentibus Collegis Electoribus qui omnes præter Saxonem, & Brandeburgicum (qui tamen vota sua per destinatos Procuratores ei libere contulerunt) Augustam ea propter convenerant. Res ut summo multorum plausu excepta est, sic summa aliquorum invidia, qui tot bella, & machinamenta ab annis bene multis intexuerant, ut hanc unam electionem præverterent.

Horribilis secus Angliæ littora sæviit tempestas XII. kal. Febr. incredibili navium omnium damno, quæ tunc mare excurrebant; immo earum quæ in ipsis portubus morabantur. Collisæ & fractæ sunt præcipue in *Pleimutensi* portu bellicæ novem & triginta onerariæ, absorptis in continenti Oceano aliis innumeris, quarum fragmenta, littora versus per longos regionis tractus disjecta sunt. Nec damnorum hic finis; Tumido mari fluvios retundente Tamesis, Sequana, & aliquot alii in vicinas terras effusi integras Urbes, & Provincias inundarunt, ita ut Londini, & Parisiis navigiis opus fuerit ut plateæ, & vici obambularentur.

Seditioso plebium tumultu Catalonia exeunte anno præterito agitata, ineunte hoc ad pacatæ obedientiæ quietem repressa est, immissis eo copiis quæ tumultuantes aut vi aut terrore à concepta rebellione compescuerunt. Barcinona Regionis caput non solum se à seditione immunem, immo regiis armorum Præfectis, copiis, & grandi ære numerato adjutricem præstitit; unde fidei & suppetiarum mercedem à Rege obtinuit futuris suis (quos in aulam pro tempore destinare opus fuisset) Nunciis Parem Regni Magnatibus titulum, civibusque suis privilegia quæ singulare erga Coronam Hispanicam meritum munerarent.

XVI. Kal. Apr. Brivatensi portu solvit Classis Gallica, Jacobo Angliæ Regi suppetias in Hyberniam latura, quò etiam fœliciter appulit. His copiarum & munitionum auxiliis auctus Jacobus Rex aliquot sed levioris momenti Oppida recepit, fregitque aliquibus in locis rebelles: sed ephimera fœlicitate ei sors blandiebatur, dum concepta profectuum majorum spes una (quæ brevi postea commissa est) pugna evanuit.

VII. Kal. Apr. Emenso tandem longo terra marique itinere (Neoburgo enim Kal.. Sept. anni præteriti egressa est) Portum Brigantinum in Gallecia appulit Maria Anna Electoris Palatini filia destinata Carolo Hispaniarum Regi Uxor, eo classe à Zelandiæ littoribus delata centum fere navium quas partim Batavi, partim Angli contulerant. Ei Vallisoletum usque Conjux Carolus grandi Aulicorum numero stipatus occurrit pridie Non. Maji, consummato inibi conjugio, unde ea, quæ decuit pompa Madritum deducta est.

V. Id. Apr. Novo & fœlici latarum obsidionum eventu *Canissa* invicti roboris in Hungaria inferiori munimentum fame tandem adacta colla Cæsari submisit, dedentibus se post longam anni fere integri obsidionem Barbaris quibus, cum longius dissiti (regione confini subacta) gentiles Turcæ auxilia submittere nequirent, multo citius incubuisset necessitas se dedendi nisi à vicinis incolis grandi ære furtiva aliquandiu alimenta redemissent. Hominum quinque millia abire permissa, quorum innatam adversus Christianos malevolentiam cicurandi spes nulla manebat, non sine regionis damno, qua excedentibus qui ad arva colenda erant apti, soli milites præsidiarii, armis non aratris tractandis idonei morabantur. *Canissa recepta post anni integri obsidionem.*

XIII. Kal. Maji *Velizti* prope Lintzium brevi duorum pene dierum ægritudine obiit Carolus V. Lotharingiæ Dux, & Summus Cæsareorum exercituum Præfectus, dum Viennam à Cæsare vocatus properaret, ut de bello hoc anno gerendo decerneret. Ea qua in castris versari solebat propriæ salutis incuria humores in capite contraxerat qui tandem in collum vehementi citati itineris agitatione decidentes, fauces halitui præcluserunt. Mortem tamen iis pietatis, & constantiæ argumentis excepit quæ Principem (qualis vixisse semper visus est) Deo addictum, & inculpatis moribus pollentem, apprime decerent. Anno ætatis 48. obiit, novercantis fortunæ injuriis à juventute exercitus quippe qui hæreditariam Lotharingiæ ditionem nullo umquam aut vis, aut tractatuum experimento recuperare valuit. Princeps ob egregias corporis animique virtutes abunde dignus qui sorte æquiori frueretur. *Obitus Caroli V Lotharing. Ducis.*

X. Kal. Maji *Versaleæ* decessit Maria Anna Christina Victoria Bavara Ludovici Calliarum Delfini Uxor, cui ab annis decem nupta, tres egregiæ indolis & spei filios peperit. Ignoto medicis morbo (quippe qui ex internoulcere proficiscebatur) obiit. Princeps fœmina non ob multiplicem tantum prolem Conjugi & Socero accepta, sed ob eximias dotes, quibus regiam quæ manebat dignitatem (si fata tulissent) luculentet ornatura expectabatur. *& Maria Anna Delfina.*

Alia non mœrore, sed Catholicorum jubilo morte elatus est Hermenstadii Michael Abaffius Transilvaniæ Princeps Cæsari ad extremum usque spiritum livido furore infensus, cujus Rebelles Hungaros, & hostes Turcas quibus potuit auxiliis fovere non destitit, quamvis æquissima Nemesi ejus copiis grandia tributa solvere, & provinciam permittere hisce ultimis annis coactus fuerit. Filium reliquit annorum tredecim, cui hæreditariam patris ditionem *Mors Michaelis Abaffii Transilv. Principis.*

nem inaugurato alio ejusdem farinæ tyranno, Emerico scilicet Tekelio, Turcæ præripere gestierunt. Sed occupata hactenus à Cæsare provincia attrito conatu eos laboraturos speratur, prævalituraque Comitiorum suffragia, quibus idem filius successor annuente Cæsare electus est.

*Francisc. Mauroc. Ense & Pileo benedictis donatus.* VII. Id. Maji. Pileum & Ensem à Romano Pontifice religioso ritu consecratos solemni pompa Venetiis recepit Franciscus Maurocenus è summo armorum Præfecto factus Reipub. Princeps. Hac gloriosa laborum mercede, quæ solis conferre Principibus solet, qui de Religione Christiana bene meruerunt, exanthlatos à se pro Fide, & Rep. sua labores munerari vidit homo tot annis in Creta, seu in Peloponeso & Græcia operatus, ut Sacra Romana in iis provinciis aut conservarentur, aut reviviscerent.

*Dux Sab. Regi Ludov. bellum indicit.* Secreto tractatu Dux Sabaudiæ Victor Amedeus Cæsari prius fœderatus se ineunte Junio Regi Ludovico hostem professus est, à quo minis, & precibus suadebatur ut ditionem Mediolanensem invadi permitteret. Ministratæ eidem à Cæsare & Hispanis copiæ, cum quibus Gallico exercitui jam prius in Subalpinam provinciam immisso repugnaret. Re per aliquot leviores offensiones protracta usque ad mensem Augustum.

*& prælio vincitur prope Salutias.* XV. Kal. Sept. uterque exercitus prope Salutias convenit, consertoque prælio primum retusi à Gallis octingenti gravis armaturæ milites Bavari, inde peditatus novo delectu Ducis copiis accensus, qui in equites ruens eorum ordines turbavit: soli aliquot Veterani Hispani, & Prætoriani Ducis effecere quominus omnis exercitus funderetur. Impedimentis & 600. captivis potiti sunt victores Galli, qui Salutias, Savilianum, Forsanum urbes, & oppida alia sine sanguine recepere. Nimia festinatione pugnam Dux quæsisse creditus est, cum paucis inde diebus sibi novum veteranæ militiæ robur è Germania adventurum certo sciret.

*Auriacus in Hybern. quam prælio victor integram subigit.* XI. Kal. Jul. Vilelmus Auriacus, insidiarum forsan & moliminum, quæ quotidie Angli in eum texebant, pertæsus aut metuens in Hyberniam cum copiis trajicit bellum in Regem Jacobum tractaturus, qui propterea suas copias in unum exercitum colligere compulsus est. Disjectis Hybernis qui se à Boynæ fluvii transitu arcebant ad pugnam conferendam progressus Auriacus à principio tanto impetu in primos ordines invectus est, ut suorum precibus se periculo subducere Rex Jacobus compulsus sit, quo male suis cedente, tandem victoria integra Anglis concessit, qui castris & omnibus impedimentis potiti *Droghedam* primum, deinde Dublinum recepere, Regno postea adhuc quasi integro subacto, dum Rex Jacobus in Galliam sese denuo recipere coactus est. Periit in hac pugna Mareschallus Sciomberghius tanta nominis sui, & bellicæ virtutis fama notus, qui eliminatis Gallia Heterodoxis in Lusitaniam primum, inde Germaniam, & nuper in Angliam trajecerat Auriaco militaturus.

*Galli de Hispanis, & Batavis fœderatis victores.* Pridie Non. Jul. Luxemburgius Gallici exercitus in Belgio ductor, trajecto in provincia Namurcensi Sabis fluvio, Hispanisque fractis qui cum fœderatis Batavis transitum præpedire satagebant, acie cum eis confligens prope Floriacum utrosque insigni clade prosternit; Batavos maxime qui in sinistra pugnantes misere attriti sunt, desideratis eorum millibus octo. Valdekius Princeps fœderatorum Dux pugna cum Hispanis ad vesperum usque protracta, tandem imminente nocte dum castris Galli potiuntur reliquias profligati exercitus Bruxellas versus deducit, eisque securitatem vicinæ urbis munimentis procurat.

*Iidem de Anglis & Batavis navali pugna.* IV. Id. Jul. Navali pugna certatum est in freto Caletano, inter Gallicam, & fœderatas Anglorum & Batavorum classes, ingenti istius ruina quæ à Gallis pessime habita est. Res tamen non absque proditionis suspicione peracta, Toringtonio Anglorum Architalasso detrectante pugnam, inde onus totum Batavis incubuit, qui sic viribus impares naves multas aut fractas aut in potestatem hostium traductas amisere. Toringtonius Lundinum redux omnium clamore proditionis reus in carcerem conjectus est.

*Malvasia Venetis dedita.* Ad novam, & striciorem Epidauri Limeræ (*Malvasiæ*) obsidionem redux Classis Veneta post expugnatum denuo quod in continenti est suburbium (Urbs enim in Insula adjacente posita est) tandem per graviores offensiones obsessos adegit ut se IV. Id. Sept. dederet, suppetiarum maxime spe omni destitutos. Nihil ultra sarcinulam in humeris exportare præsidiariis permissum fuit, qui nongenti in vicinam Cretam traducti sunt, in ejus obstinationis mulctam, quâ mensibus 17. se obsideri passi essent. Hujus Urbis reductione integra Peloponesus in Venetorum ditionem concessit.

*Nicea à Turcis obsessa cepta.* Protracta inter otiosas consultationes mora an Nicea Serviæ deserenda, vel servanda foret, eo tempore Ludovicus Badensis Princeps ad exercitum Tauruni collectum se contulit quo jam Urbem Barbari celeriores obsidere cœperant. Aliunde Tekelius Rebellium Antesignanus ut Transilvaniæ Principis titulum sibi à Sultano collatum assereret integro Turcarum, Tartarorum, Valachorum, & Rebellium exercitu stipatus provinciam invadens, quatuor Germanorum millia tuendis limitibus disposita XII. Kal. Sept. trucidarat Ducibus ipsis Heislero, & Doria captis; unde cum metus incumberet principatum integrum perdendum iri nisi cito suppetiæ immitterentur, eo Badensis cum exercitu deflectit, adventuque suo Tekelium jam ipsis populis ob fœderatorum sibi Tartarorum rapinas odiosum & derelictum retrocedere & provincia excedere coegit solis velitationibus, in quibus tamen majorem copiarum partem integro certamine detrectans virium periculum fecisse, amisit.

*Tekelius Transilv. ejectus.*

*Belgradum à Turcis captum.* Interim Nicea levi præsidio munita, speque destituta omnis auxilii se Barbaris dedidit, qui Barbarorum fide præsidiarios contra deditionis pacta contumeliis affectos, & spoliatos ejecerunt;

runt, inde Tauruni cœpta ab eisdem obsidio Kal. Septembr. octavoque obsidionis die vi expugnata civitas dum nux ignivoma in nitrato pulvere oppletam turrim decidens, improvisoque impetu, & ruina obsessos terrens, eos à defensionis cura avocabat. Vix navi furtiva egressione salvati sunt aliquot primarii Duces & milites trecenti, qui celeri fuga sese aversum Danubium navigantes à communi laniena subtraxerunt.

iv. Non. Sept. Viennæ obiit Philip. Vilelmus Neoburgensis Elector Palatinus ætat. ann. 75. & tertio ægritudinis die, Princeps pari prudentiæ & fortunæ fama commendatus, quippe qui Catholicus ad ditionis hæresi addictæ dominium successionis jure vocatus animos conciliare, & integram populorum fidem demereri sciverit, numerosamque utriusque sexus prolem altissimis conjugiis, & dignitatibus stabilierit.

Limericum in Hybernia quamvis præsidio destitutum Gallorum (qui rebus Regis Jacobi excidentibus *Gallovajum*, inde se in Galliam receperunt) ab Auriaco obsessum forti viginti dierum defensione tandem obsidentes variis in aggressionibus repulsos abscedere coegit vi. Id. Octob.

Epidauro subacta Classem Venetam in Adriaticum reducens summus armorum Præfectus Cornelius Aulonem (*la Vallona*) obsidere disponit. Quo minus tamen in vicinum littus copias deponat acriter à Turcis repugnatum est; sed fugatis Barbaris Turrim mari adjacentem primo suffossis cuniculis disjicit; inde Urbe vicina recepta (quam noctu hostes deseruerunt) arce etiam imminente post aliquot dierum obsidionem potitus est, extruso cum solis singulorum sarcinulis præsidio, & repertis 135. tormentis Bellicis, ut mirum sit non majori difficultate expugnatum fuisse locum cui tot munimenta incubabant.

xvii. Kal. Nov. Romæ solemni ritu Sanctorum fastis adscripsit Alexander Pontifex Laurentium Justinianum Venetiarum Protopatriarcham, Joannem à S. Facundo Augustinianum, Joannem Capistranum, & Pasqualem Baylon Ordinis Franciscani, & Joannem alterum fratrum Xenodochiis intervenientium fundatorem, quæ declaratio in Basilica Vaticana primum sacris solitis peracta, festivis per Orbem Catholicum postea acclamationibus excepta est.

Segusium (*Susa*) à Subalpinis Copiis male custoditum à Gallis occupatum est nulla fere contentione. Hujus arcis occupatione, quâ è Sabaudia in Pedemontium iter est, integra Sabaudiæ Provincia illis cessit, quam etiam tributis, & cæteris exactionibus possidere cœperunt. Reduces Augustam Taurinorum Copia, quæ deditionem hosti fecerant in Arcem velut rei male gestæ noxiæ trusæ sunt, rationem, si qua foret, deditionis reddituræ.

Taurino recepto Turcæ Danubium trajicientes Varadino majori, lata jam mensibus multis obsidione septo suppetias tulerunt, viciniorremque *Esseki* urbem alio exercitu cinctam quominus expugnarent, maxime terrefactis 1500. præsidiariis Christianis, id unum effecit quod Dux Croyius sparso rumore ingentis auxilii, quod brevi adfuturum jactitabat, noctu tubas, & tympana bellica secus Dravum audiri fecit, qua fraude vicissim exterriti Barbari, (qui numero 16000. sub Bassa Bosniensi urbem obsidebant) re infecta celeri se fuga subduxerunt.

---

## CAP. X.

## *Pars Decadis Decimæ.*

MUNDI 5744. CHRISTI. 1691.

PRidie Kal. Februar. Publicum fecit Alexander Pontifex eo omni solemni ritu, quo similia publicari Edicta solent, scilicet in Pontificio habitu, ore proprio, & præsentibus Cardinalibus Decretum, seu *Bullam* jam pridie Nonas Augusti proxime præteriti formatam & subscriptam, quo assertas à Clero Gallicano in Comitiis Anni 1682. quatuor propositiones de Auctoritate ceu Pontificia, ceu Ecclesiæ universæ, actaque ab eo circa *Regaliæ* extensionem, & à quocumque contra Locorum ac personarum Ecclesiasticarum immunitates & privilegia rescidit, ac nullius valoris aut roboris fuisse, aut fore umquam declaravit; inhærendo maxime, ut ait, jam statutis à prædecessore Innocentio XI. sub quo cum summo ejusdem Pontificis dolore hæc innovata, & attentata fuerant. *Al. Pont. Bulla rescindit acta in Clero Gallic. 1682.*

Afflixit anni currentis initia pestis quæ in tractu Bariensi Apuliæ aliquot supellectilium invectione exorta non solum Regnum Neapolitanum, sed Italiam universam ingenti timore perculit. Adhibita tamen æquali periculo cura effectum est ut in interdictis tantum aliquot locis sæviret, servatis cæteris quæ libero commercio infici potuissent. *Pestis in Apulia vetita ne ulterius serperet.*

xvii. Kal. Febr. Lundino in Belgium fœderatum se contulit Vilelmus Auriacus, specie quidem & animo se Ducem exercitibus præbendi, sed forsan verius ut iteratis se conjuratorum molitionibus subduceret; eo enim quo laborare Angli solent rerum novarum studio vix non singulis Hebdomadibus audiebantur secretis machinationibus intenti, quæ omnes ad rerum innovationem directæ, Principis præcipue caput impetebant. *Auriacus in Belgium fœderatum.*

Kal. Februar. Romæ obiit Alexander VIII. Pontifex anno ætatis 81. magno suorum mærore elatus; quippe qui in eos liberali manu beneficus non mediocres iis divitias, & honores contulerat. Eo se præcipue zelo commendavit quod Romanæ Ecclesiæ jura & integram fidem sarta tecta voluerit adversus aliquos qui vel regia auctoritate freti, vel prurientis ingenii æstro nova moliri non verebantur. *Obitus Alex. VIII. Summi Pontif.*

Idib.

*Rex Lud. Montes in Han obsidet, & capit.*

Id:b. Martii *Montes* insignem Hannoniæ urbem Rex Ludovicus 66. millium hominum exercitu stipatus obsidere cœpit, dum Hagæ comitum fœderati Hispani, Angli, & Batavi seris consultationibus intenti, tempus terebant bellicis actionibus opportunum. Obsidio generis omnis offensionibus acriter promota, eo tandem Cives obsessos adegit, ut ne ignibus in eam v bratis civitas tota periret, Armorum Præfectum compelleret ad deditionem, quæ tandem vi. Id sequentis Aprilis sancita est, præsente fœderatorum exercitu, qui ægre copias ex hybernis educentes mora majori se indigere profitebantur ut ferendi auxilii periculum subirent.

*Nicea Liguriæ à Gallis capta.*

iv. Kal. Apr. Nicea in finibus Liguriæ obsessa, & incredibili obsidentium Gallorum ardore pressa se iis dedidit iv. Non. ejusd. eo maxime adacta (ut divulgatum est) turris unius dejectione, in quam illapsus globus ignivomus centum cados pulveris nitrati dissipavit. Sic facili quasi velitatione subacta est Arx, quæ olim integras Turcarum vires sub Solimano fregerat. Ea victoria potiti Galli classe Liguriæ littus legentes, dum ab *Unilia* ut se pacto tributo redimeret exigunt, à prætereunte Niceæ devictæ præsidio vibratis in Classem tormentis bellicis arcentur. Quod Galli 300. globis ignivomis vindicant, maris ferocientis tempestate prohibiti ne oppidum ruina integra conficerent.

*& Vnilia (Oreglia) ab eis servata.*

*Iacob. Polon. Princeps nubit Elisabethæ Neoburg.*

Sancitum tandem post diutinas tractationes Jacobi Regis Poloniæ Joan. Casimiri filii cum Elisabethæ Neoburgensi conjugium, post quæ Elisabetha Varsaviam versus solemni apparatu per Regium Oratorem deducta est. Occurrit adventanti in finibus Poloniæ Princeps Conjux iii. Id. Martii, qui inter sacra nuptialia Velleris aurei torque nomine Regis Catholici donatus reliquum iter inter plebium acclamationes & plausus cum frequenti Procerum comitatu peregit.

*Et Vilel. El Pala. Annæ Victor. Mediceæ.*

vi. Kal. Jun. Oeniponti pari festinatione occurrit Joan. Vilelmus Neoburgensis Elector Palatinus Annæ Victoriæ Mediceæ Etruriæ Principi, sibi secundis votis desponsatæ, quam Florentia Tridentum usque cum frequenti Aulicorum turba deduxerat Joan. Gasto ejusdem Principis Sponsæ frater.

*Avelianā, & Carmeniolam Galli capiunt, & à Cuneo repelluntur.*

Prid. Kal. Jun. *Aveliana* oppido in Subalpinis Galli potiuntur, inde *Carmeniola*, quam brevi obsidione expugnatam in deditionem recipiunt. Dum tamen *Cuneum* (*Coni*) obsidere incipiunt ab eo turpiter fugantur impedimentorum parte derelicta, ne cum Eugenio Sabaudiæ Principe ad Suppetias ferendas celerante pugnam consererent. Levem tamen aversæ fortunæ injuriam abunde Galli ulciscuntur latè vastata, & incensa regione quam suam facere nequiverant.

*Leodium globis ignivomis aestructum.*

Leodium Prid. Non. Junii ignivomarum glandium tempestate, qua Galli Urbi per triduum impulerunt, pene totum consumptum est. Hac arte urbem abs formata obsidione ad deditionem cogere festinabant; sed audito fœderatorum in suppetias adventu vasa, re infecta, collegerunt.

*Vrgella à Gallis capta, qui Barcinonem, & Alcnem globis ignitis misere vastant.*

Non. Junii Urgella ab exercitu Gallico obsessa octiduana aggressione expugnata est, retentique nongenti præsidiarii quos jure belli captivos victores fecere. Hac victoria late Gallis Catalonia patuit, qui etiam classe ad Hispaniæ littora aliunde delati Barcinonem primum, inde Alonem (*Alicanto*) præcipuas Urbes misere globis ignivomis fœdarunt. Ob has clades Hispani in Gallos, qui diuturni hospitii jure inter eos inquilini degebant, insurgentes eos tumultuaria seditione facultatibus exuerunt. Ast Regi Carolo duplex cura fuit, & Gallis vastatis restitutionem in integrum jubere, & jubibus afflictis ære proprio ministrare, quod ruinarum reparationi sufficeret. Quod tot jacturæ eorum incuria acciderent, quibus rebus gerendarum cura incumbebat Lubcovitius Cæsaris ad Carolum Orator acriter insistens effecit ut Rex Ducem Oropesam præcipuum Regni administrum officio destitutum aula excedere juberet; optimo sane mali remedio, si quæ superant ut rebus ex integro consuleretur, pari constantia Rex perfecisset.

*Seditio ob id Hispanorum in Gallos.*

*Dux Oropesa Aula excedere jussus.*

*Nova suppetiæ in Hiberniam.*

Novas in Hyberniam suppetias Rex Ludovicus destinavit emissa Calonesо Classe, quæ copias, arma, & cætera belli necessaria Galvaji & Limerici deposuit. His nihilo secius Angli Auriaco merentes sub Guinkelio Duce *Ballimoram* primum, inde *Athlonam* brevibus obsidionibus cœperunt, post quæ conserto ad *Shanonis* fluvii littora prælio Kal. Aug. Gallorum, & Hybernorum exercitum fuderunt, recepto post triduum *Gallovajo*, & redactis unius *Limerici* angustias locis omnibus quæ pristinam Regi Jacobo fidem servabant.

*Hybernorum ad Shanonem clades.*

*Princeps Badensis in Hung. Turcas insigni clade afficit.*

iv. Id. Jul. Ludovicus Badensis Princeps summus hoc iterum anno per Hungariam copiarum Dux ab exercitu hybernis educto, & collecto *Dardæ* ad Dravum recipitur, eumque adversus Barbaros quos Savum prætervectos audierat deducit. Post varias castrametationes, quibus in hostis conspectum, captis aliquot levioris momenti locis, pervenit xiv. Kal. Sept. conseruit cum eo pugnam *Salamkemeni* ad Danubium; qui hostis quod die præcedenti cohortem unam ab exercitu separatam fregisset, reliquibus impedimentis captis, ferociori insultu Christianos invadens, ab eis egregie retunditur, desiderato integro robore exercitus sui, Viziro & præcipuis Copiarum Ducibus, qui in acie occumbentes, morteque sua vim, & audaciam militibus detrahentes, effecere ut Barbarorum insignis strages ederetur, Castris in Cæsareorum potestatem redactis, in quibus 154. tormenta bellica ænea, præcipuum Viziri vexillum, & propre innumera armorum, commeatuum, & jumentorum multitudo in prædam victoribus cesserunt.

*Tartari vastant Poloniam.*

Dum intenti celebrandis Principis Jacobi Nuptiis à Bellicis curis Poloni abstrahuntur *Nuradinus* validis Tartarorum suorum copiis stipatus Polo-

Poloniam invadit, Provinciisque longe, lateque vastatis, adductisque multis millibus captivorum, antequam ultricia arma pararentur, præda onustus abscedit.

Pridie Id. Julii In præcipuis Belgii Hispanici Urbibus Bruxellis, Brugis, Lovanio, Mechlinia, & Antverpia centum & amplius in carceres detrusi, quos conjurato facinore fama vulgavit in singulis eorum incendia molitos, ut aditus host.bus daretur eas abstractis alio civibus, & præsidiariis invadendi. Ingenti sæculi nostri probro nemo est qui non vertat hanc proditionum frequentiam, cujus licet rei diris omnibus execrandæ pudorem jam dudum omnem exuisse videtur.

Muguntiæ item alius paulo post detectus, qui dum Cæsaris Commissarii officio fungitur urbem hostibus prodere satagebat, eadem incendii procurati arte copiam eis facturus obsidionis compendio urbe potiundi hic tandem Commissarius post processus multos (quibus pene sceleris admissi spplicium avenrruncevit) pœnam capitis obtruncatione luit.

Longa quinque mensium consultatione tandem Cardinales Summum Pontif. renunciarunt XVI. Kal. Aug. Antonium Pignatellum Neapolitanum qui Innocentii XII. nomine insigniri voluit. Cognominis Antecessoris zelum æmulatus se Ecclesiasticæ disciplinæ acerrimum Assertorem à primis diebus exhibuit, eadem constantia ab affinium contubernio & affectu temperans, insuper pietate, & benignitate in Pauperes acceptissimus, quibus certum singulis Hebdomadibus diem statuit, in quo omnium querelas, & preces publice exaudiret.

XI. Kal. Augusti. Elato Adrianopoli Apoplexia Solimano Turcarum Tyranno anno ætat. 50. in ejus locum suffectus est Achmetes ejusdem frater, eorum certe Ministrorum ope, & consilio, qui pridem Mahumeti Regnum abrogari curaverant, exorta præsertim jam aliorum factione, qui Mahumetis exauctorati filio rerum summam deferendam contendebant. Dum variis suppliciis Bisantii Vzirus seditiosos efferri procurat, novus Rex Achmetes Adrianopolim defertur, tum ut sese eorum molitionibus subducat, tum ut imminentis belli apparatus sua præsentia promoveat.


Delatus in Pedemontiũ Maximilianus Emmanuel Bavariæ Elector ut Germanicis copiis eo à Cæsareimmissis præesset Subalpino Duci commilitaturus, primum adventu suo effecit, ut Galli *Fossanum*, *Savilianum*, & *Salutias*, tunc desererent; inde posita *Carmeniola* obsidione eam VII. Id. Oct. recepit, in eaq; ingentem commeatuum copiam quam ibidem Galli coacervarant. Direpta ab Heterodoxis (*Barbetti*) impedimenta quæ Præsidiarii deditionis pactis secum auferebant, ea seu ratione, seu prætextu ducti quod anno præterito dum Urbs eadem à Gallis occuparetur ipsi ejusdem Sectæ militibus qui cum cœteris præsidiariis exibant suppellectiles & impedimenta pariter surripuissent. *Maximil. Bavariæ Elect. in Pedemontio recipit Carmeniolam.*

Prid. Non. Oct. Limericum, quod unicum Jacobo Regi Angliæ militabat, longa obsidione fatigatum se tandem Guinkelio Duci dedidit, & cum præsidiariis in Galliam sunt traducti, qui adhuc eidem Jacobo Regi merebant concessit. *Limericũ, & Tota Hybernia Auriaco cedit.*

III. Non. Dec. Renunciatus est à Rege Hispaniarum Carolo Belgii Catholici Gubernator perpetuus Maximilianus Emmanuel Bavariæ Elector cum ea omni in rebus gerendis auctoritate, qua absolutus Regionis Dominus uti possit, scilicet instituendi, & destituendi à quibuslibet officiis, quos tum bellicis tum civilibus negotiis tractaodis præficere opus esset. Cum collata gubernatio etiam ad hæredes transitura dicatur, eam dotis nomine accepisse creditur Elector, maxime quod jam ab eo, quo nupsit, tempore sparsus ejusdem collationis rumor Regem Ludovicum impulerit ut Madritum Oratorem destinaret de ea questurum quasi filii rationibus injuria. An autem Elector ea gavisurus sit diu, id ægre spondet bellum prope internecinum, quod in his provinciis geritur, quodque brevi terminandum iri vix sibi quis audeat promittere. *Maximil. Bav. El. Belgii cathol. Prorex perpetuus.*

# FINIS.





# INDEX RERUM MEMORABILIUM HUJUS OPERIS.

## A.



Æthel-

Antig-

Bellar-

## C.

Car-

## D.

## E.



Eudo-

Franc.

## H.

## K.



## L.

## N.



Ant.

## O.



Ordo

## P.

Phylum

Q.



R

## S.

Stanis-

## V.

F I N I S.









